H-1071 XI

# SACROSANCTA CONCILIA

## AD REGIAM EDITIONEM EXACTA

QUÆ OLIM QUARTA PARTE PRODIIT AUCTIOR

*Studio* PHILIP. LABBEI, & GABR. COSSARTII,

*Soc.* JESU *Presbyterorum*;

Nunc verò integre inſertis STEPHANI BALUZII, & JOANNIS HARDUINI additamentis, plurimis præterea undecunque conquiſitis monumentis, notis inſuper ac obſervationibus, firmiori ſundamento Conciliorum epochas præcipue ſulcientibus, longè locupletior, & emendatior exhibetur,

CURANTE NICOLAO COLETI

*Eccleſiæ S. Moyſis Venetiarum Sacerdote Alumno.*

## TOMUS VIGESIMUS PRIMUS.

*Ab Anno* MDLXV. *ad Annum* MDCCXXVII.



VENETIIS, MDCCXXXIII.

Apud { JO: BAPTISTAM ALBRIZZI HIERON. FIL. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.

R. 64.352

# SYLLABUS

## EORUM QUÆ TOMO XXI. CONCILIORUM CONTINENTUR.

*Quæ aſteriſco * notata ſunt, non erant in prioribus aliis editionibus : quibus vero hæc nota † impreſſa eſt ; eorum incertus eſt annus ; quibus index ☞ præpoſitus, ea huic editioni acceſſere.*


| Anno Christi | | |
|---|---|---|
| 1565. | Mediolanenſe I. concilium. | 1 |
| | 1. Edictum de concilio habendo. | ibid. |
| | 2. Oratio Caroli archiepiſc. cardinalis. | 2 |
| | 3. Conſtitutiones in tres partes diſtributæ. | 5. & ſeq. |
| | 4. Publicatio concilii. | 100 |
| 1569. | Mediolanenſe II. | 101 |
| | 1. Edictum de concilio habendo. | ibid. |
| | 2. Oratio Caroli cardinalis, archiepiſcopi. | 102 |
| | 3. Titulus I. de fide, ſacramentis, & paſtoralibus muneribus. | 107. & ſeq. |
| | 4. Titulus II. de Miſſa, Divinis officiis, eccleſiæ cultu, & perſonis eccleſiaſticis. | 114. & ſeq. |
| | 5. Titulus III. de bonis & juribus piorum locorum. | 122 |
| | 6. De monialibus decreta tria. | 130 |
| | 7. Quæ generatim ad hæc decreta pertinent. | ibid. |
| 1573. | Mediolanenſe III. | 131 |
| | 1. Edictum de concilio habendo. | ibid. |
| | 2. Edictum alterum de concilio, quod prorogatum fuerat. | 133 |
| | 3. Prorogatio ſynodi, & provincialis, & diœceſanæ. | 134 |
| | 4. Oratio Caroli cardinalis, archiepiſcopi. | 135 |
| | 5. Conſtitutionum capita XXI. | 137 |
| | 6. Indictio futuri concilii provincialis IV. | 176 |
| 1576. | Mediolanenſe IV. | 177 |
| | 1. Edictum de concilio. | ibid. |
| | 2. Oratio Caroli cardinalis, archiepiſcopi. | 179 |
| | 3. Conſtitutionum pars I. | 181 |
| | 4. Pars II. | 216 |
| | 5. Pars III. | 275 |
| | 6. Epiſcoporum præſentium ſubſcriptiones. | 330 |
| | 7. Indictio futuri concilii provincialis V. | 331 |
| 1579. | Mediolanenſe V. | 331 |
| | 1. Edictum de concilio. | ibid. |
| | 2. Oratio Caroli cardinalis, archiepiſcopi. | 334 |
| | 3. Conſtitutionum pars I. | 339 |
| | 4. Pars II. | 369 |
| | 5. Pars III. | 428 |
| | 6. Subſcriptiones epiſcoporum. | 488 |
| | 7. Indictio futuri concilii VI. | ibid. |
| 1582. | Mediolanenſe VI. | 489 |
| | 1. Edictum de concilio. | ibid. |
| | 2. Oratio Caroli cardinalis, archiepiſcopi. | 490 |
| | 3. Conſtitutiones ſeu decreta XXXI. | 498 |
| | 4. Subſcriptiones præſentium. | 534 |
| | 5. Indictio futuri concilii VII. | 536 |
| 1565. | * Toletanum concilium. | 537 |
| | * Publicatio concilii. | ibid. |
| | * Actiones tres concilii. | 540. & ſeq. |
| 1566. | Conſtantinopolitanum. | 571 |
| 1566. | PII PAPÆ V. VITA. | 575 |
| 1570. | * Concilium Mechliniense. | 577 |
| 1572. | GREGORII PAPÆ II. VITA. | 609 |
| | ☞ Ejuſdem Bulla contro Propoſitiones Michaelis Baji. | 610 |
| 1581. | * Rotomagenſe concilium. | 617 |
| | 1. * Tituli XII. ſinguli in multa diviſi capitula. | ibid. |
| | 2. * Difficultates XIII. a concilio propoſitæ pontifici maximo, cum ejuſdem reſponſionibus. | 669 |
| | 3. * Breve apoſtolicum ſuper confirmatione concilii. | 674 |
| | 4. * Breve apoſtolicum de indicendo hoc | |

ANNO CHRISTI

hoc concilio. 675
5. * Litteræ indictionis. 676
6. * Litteræ prorogationis. 677
7. * Cardinalis archiepiſcopi ad concilium cohortatio. 678
8. * Litteræ publicationis concilii. 679

1582. * Memphiticum. 681

1583. * Remenſe. 683

1. * Tituli XXVIII. ſinguli in ſua diviſi capitula. 684. & ſeq.
2. * Breve apoſtolicum ſuper confirmatione concilii. 715
3. * Litteræ indictionis. ibid.
4. * Commiſſio convocatoria. 716
5. * Apoſtolica facultas pro ſynodo celebranda a cardinale Guiſio, cum nondum pallium accepiſſet. 718
6. * Cardinalis Guiſii ad concilium cohortatio. ibid.
7. * Litteræ concilii ad omnes communitates. 720
8. * Acta concilii. 721
9. * Publicatio concilii. 744

1583. * Burdigalenſe. 745

1. * Tituli XXXVI. ibid. & ſeq.
2. * Titulus XXXVI. de ſeminariis in IX. capita tributus. 795
3. * Publicatio concilii. 802
4. * Litteræ confirmationis. 804
5. * Ph. Boncompagni cardinalis litteræ ad archiepiſcopum. ibid.

* Turonenſe. 805

1. * Capitula XXI. ibid. & ſeq.
2. * Simonis archiepiſcopi, in concilii dimiſſione, gratiarum actiones. 858
3. * Subſcriptiones. 860
4. * Concilii indictio. 862
5. * Simonis archiepiſcopi, in ingreſſu concilii, ſermo. 864
6. * Ejuſdem ſermo in ſeſſione apud Andes. 866
7. * Ejuſdem epiſtola ad Gregorium papam XIII. 867
8. * Pontificis reſponſio concilium approbantis. 869
9. * Simonis archiep. epiſt. ad Henricum III. regem Franc. ibid.

1584. * Bituricenſe. 873

1. * Tituli XLVI. ſinguli in aliquot canones tributi. 875. & ſeq.
2. * Acclamationes. 929
3. * Nomina eorum qui interfuerunt & ſubſcripſerunt. 931
4. * Indictio concilii. 933
5. * Prorogatio. 935
6. * Breve apoſtolicum confirmationis. 936.
7. * Publicatio concilii. 937

1585. * Aquenſe. ibid.
1. * Tituli XLIV. 939. & ſeq.
2. * Subſcriptiones. 1010

3. * Publicatio concilii. ibid.
4. * Litteræ ſpectantes confirmationem concilii: ſcilicet Alexandri archiepiſcopi ad Sixtum V. Sixti ad eum reſponſio, & ad eundem litteræ A. cardinalis Carrafæ. 1012

1585. SIXTI PAPÆ V. VITA. 1013

* Mexicanum concilium. 1015

1. * Decreta libris V. comprehenſa. 1022 & ſeq.
2. * Statutum pro eccleſia metropolitana Mexicana. partes IV. 1171. & ſeq.
3. * Erectio eccleſiæ Mexicanæ. 1174

1586. ☞ Cameracenſe. 1227

1. Tituli XXXIII. ibid.
2. Placcart de ſa Majeſtè. 1263

1590. * Toloſanum. 1269

1. * Pars I. ſtatutorum, de perſonis. 1270.
2. * Pars II. de rebus, hoc eſt, de ſacramentis & ſacramentalibus. 1283
3. * Pars III. de locis, id eſt, eccleſiis, altaribus, & aliis id genus. 1293
4. * Pars IV. de pœnis, ſeu de juriſdictione eccleſiaſtica. 1302
5. * Indictio futuri concilii. 1320
6. * Publicatio hujus concilii. 1321

1590. URBANI PAPÆ VII. VITA. 1323.

1590. GREGORII PAPÆ XIV. VITA. ibid.

1591. INNOCENTII PAPÆ IX. VITA. ibid.

1592. CLEMENTIS PAPÆ VIII. VITA. ibid.

1594. * Avenionenſe. 1327
1596. * Aquilejenſe. 1367
1599. * Diamperienſe. 1427

1605. LEONIS PAPÆ XI. VITA. 1431.

1605. PAULI PAPÆ V. VITA. ibid.

1607. * Mechlinienſe concilium. 1433

1. * Convocatio concilii. ibid.
2. * Decretum quod nulli præjudicium fiat ex ordine evocationis aut ſeſſionis. 1436
3. * Archiepiſcopi oratio. ibid.
4. * Statutorum tituli XXVI. ſinguli in aliquot capitula tributi. 1442. & ſeq.
5. * Subſcriptiones. 1474
6. * Teſtimonium cardinalis Pamphilii ſuper concilii facta recognitione. 1478

7. * Breve Pauli papæ V. ſuper confirmatione concilii. 1475
8. * Binæ litteræ cardinalis Pamphilii, de eodem argumento. 1476. 1477

1609. * Narbonenſe. ibid.

1. * Capitula XLIX. ibid. & ſeq.
2. * Subſcriptiones. 1532
3. * Confirmatio concilii. 1533
4. * Publicatio concilii. 1534

1612. * Pariſienſe, ſive Senonenſe. 1535

* Aquenſe. ibid.

1612. GREGORII PAPÆ XV. VITA. 1537

1623. URBANI PAPÆ VIII. VITA. ibid.

1624. * Burdigalenſe concilium. 1539

1. * Tituli XXXII. ſinguli in ſua capita diſtributi. 1541. & ſeq.
2. Subſcriptiones. 1597
3. * Nomina procuratorum eccleſiarum cathedralium, & aliarum. ibid.
4. * Nomina theologorum & canoniſtarum. 1598

*Acta ejuſdem concilii.*

1. * Edictum de concilio. 1599
2. * Litteræ ad epiſcopos provinciæ. 1600.
3. * Decretum de modo vivendi in concilio. 1601
4. * Congregationes privatæ XXIV. publicæ XVI. ſeſſiones tres, & tertiæ continuatio. 1603. & ſeq.
5. * Acclamationes patrum. 1627

1642. * Conſtantinopolitanum. 1629

1. * Litteræ ſynodicæ Parthenii patriarchæ, Gr. & Lat. ibid.
2. * Subſcriptiones amplæ, Gr. & Lat. 1635
3. * Epiſtola legatorum Conſtantinopol. & Ruſſiæ, ad Boibondam Moldaviæ ducem: Gr. & Lat. 1639

1644. INNOCENTII PAPÆ X. VITA. 1641

*Epiſcoporum Galliæ litteræ ad Innocentium PP. X. ut de quinque Janſenii propoſitionibus pronunciet.* ibid.
*Ejuſdem conſtitutio adverſus eoſdem propoſitiones.* 1642

1655. ALEXANDRI PAPÆ VII. VITA. 1643

*Ejuſdem conſtitutio de formula, cui ſubſcribendum adverſus quinque propoſitiones Janſenii.* 1645

☞ *Ejuſdem Innovatio conſtitutionum & decretorum in favorem ſententiæ, aſſerentis animum beatæ, Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corporis infuſione a peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum.* 1647.

1672. Hieroſolymitanum Concilium. 1651

1. Clypeus orthodoxæ fidæ, ſive Apologiæ ab ſynodo Hieroſolymitana compolita adverſus Calviniſtas hæreticos, orientalem eccleſiam de Deo rebuſque divinis hæretice cum ipſis ſentire, mentientes. ibid.
2. Subſcriptiones. 1718
3. Acta ſynodi apud Jaſium celebratæ, quæ eſt altera contra Cyrilli capitula. 1719
4. Subſcriptiones. 1771
☞ Dionyſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ſuper Calviniſtarum erroribus reponſio. G. L. 1777

☞ INNOCENTII PAPÆ XII. EPISTOLÆ ET DECRETA. 1789

1694. 1. Ad Archiepiſcopum & Epiſcopos Belgii. ibid.
1696. 2. ad eoſdem. 1792
1699. 3. Damnatio & prohibitio libri Pariſiis anno 1697. impreſſi, cui titulus: *Explications des Maximes &c.* 1793
4. *Mandement de Mſ. Francois de Salignac la Moth Fenelon, Archeveſque Duc de Cambray &c.* 1797

1703. ☞ Clementis PP. XI. Damnatio & prohibitio quorumdam filiorum impreſſorum ſub titulo, Lettre de M. . . . . . . . Chanoine &c. ibid.
2. Ejuſdem epiſtola ad Galliarum regem Ludovicum decimumquartum. 1799.
3. Ejuſdem epiſtola ad Cardinalem de Noailles Archiepiſcopus Paris. 1800.
1705. 4. Ejuſdem confirmatio, & innovatio Conſtitutionum Innocentii PP. X. & Alexandri PP. VII. adverſus Janſenianam hæreſim editorum cum nonnullis declarationibus. 1802
1713. 5. Ejuſdem Bulla UNIGENITUS, qua 101. Propoſitiones damnantur. 1810
6. Extrait du Procez verbal de l'Aſſemblee des Cardinaux &c. a ſujet de la Conſtitution UNIGENITUS. 1823

7. Con-

| ANNO CHRISTI | | ANNO CHRISTI | |
|---|---|---|---|
| | 7. Conventus Pariſienſis epiſtola ad Clementem XI. *receptionis* Bullæ UNIGENITUS. 1825 | | 12. Lettre de Meſſ. les Agéns du Clergé de France aux Prelats du Royaume. 1837 |
| | 8. Lettre ecrite a tous les Prelats du Royaume par l'aſſemblée des Cardinaux &c. 1828 | | 13. Decretum Facultatis Theologiæ Pariſienſis ſuper Conſtitutione UNIGENITUS. 1838 |
| | 9. Lettres Patentes du Roy ſur las Conſtitution UNIGENITUS. 1831 | | 14. Declaratio Facultatis Theologiæ Duacenſis circa Conſtitutionem UNIGENITUS. 1841 |
| | 10. Lettre des Meſſ. les Agens generaux du Clergé de France. 1833 | 1725. | Concilium Romanum Benedicti XIII. 1849. |
| | 11. Clementis XI. Breve ad Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Pariſiis congregatos. 1835 | 1727. | Concilium Ebredunenſe. 1909 |


CON.



# CONCILIUM MEDIOLANENSE I. PROVINCIALE,

Quod Pio quarto pontifice Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, legatus ad univerſam Italiam, & archiepiſcopus Mediolani, habuit anno MDLXV.

## EDICTUM DE CONC. PROVINCIALI I. A

*Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, ac ſanctiſſimi domini noſtri papæ & ſedis apoſtolicæ per univerſam Italiam de latere legatus, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolanenſis.*

CUM pro noſtri archiepiſcopalis officii munere, & antiquorum, & in ſacro Tridentino concilio proxime editorum canonum obſervatione, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, controverſias componendas, aliaque ſacris canonibus permiſſa, provinciale concilium convocare debeamus, ut primum neceſſaria ſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ negotia, quibus apud ſanctiſſimum dominum noſtrum occupati ſumus per debitam obedientiam, intermittere licuit, reverendiſſimos provinciæ noſtræ epiſcopos ad proximas Idus Octobris per literas nominatim ad ſingulos ſcriptas, ad ſynodum in noſtra Mediolanenſi metropolitana eccleſia evocavimus. Ut igitur aliis etiam omnibus, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, nota ſit hujus concilii celebratio, neve cui ignorantiam rei excuſare, aut ſe contemptum dicere liceat, Idcirco univerſis, & ſingulis prædictis, & aliis qui ſua quomodolibet intereſſe putaverint, etiam exemptis, & nullius diœceſis intra provinciæ noſtræ limites exiſtentibus, per hoc edictum, quod in cathedralis, & aliarum inſignium, quæ in ſingulis provinciæ noſtræ diœceſibus, etiam exemptarum, ac vicinorum nullius diœceſis, ſi quæ ſint, locorum, eccleſiarum valvis affigi, & promulgari juſſimus, provincialis concilii futuram celebrationem ſignificavimus, & denuntiamus, cum comminatione pœnarum a ſacris canonibus ſtatutarum. In quorum fidem hoc edictum confici & per ſecretarium noſtrum ſubſcribi, & noſtri ſigilli impreſſione muniri voluimus. Data Romæ die 25. Auguſti, anno domini MDLXV.

## ORATIO CAROLI CARDINALIS TITULI SANCTÆ PRAXEDIS, ARCHIEP. MEDIOLANENSIS,

*In concilio provinciali I. habita.*

DEI ſummo erga nos beneficio factum eſt, patres reverendiſſimi, ut Tridentinum œcumenicum concilium, triginta ante annis inchoatum, ſed varie intermiſſum, ſingulari Pii quarti pontificis maximi pietate ac prudentia revocatum, inſigni frequentiſſimorum patrum virtute, atque doctrina, ſuperiore anno mirabiliter abſolveretur. Quo in concilio cum omnia præclare conſtituta ſint, quæ ad explicandam fidei veritatem, & ad reſtituendam eccleſiaſticæ diſciplinæ integritatem pertinebant, divinitus profecto, patres, illud decreviſtis, ut conciliorum provincialium, quæ jamdiu haberi deſierant, uſus aliquando renovaretur, ex quo certiſſimum eſt Chriſtianam rempublicam uberrimos ſalutis fructus eſſe percepturam. Et quidem natura, & ratione ipſa ducimur, ut in gravioribus rebus deliberandis aliorum conſilia exquiramus: vel quod cautior deliberatio eſt, ſi ad noſtrum judicium multorum ſententia acceſſerit, vel quia apud illos, quibus conſulere maxime cupimus, majorem auctoritatem, & pondus habet conſultatio, in quam plures conſenſerint. Eſt hujus in eccleſia inſtituti auctor Chriſtus dominus, magiſtrique apoſtoli. nam ejus certa quidem ſane eſt illa promiſſio, cum ſuam opem, ſuumque auxilium, ſe denique ipſum, ejuſmodi patrum conventibus, rite celebratis, pollicetur & defert. *Ubi fuerint*, inquit, *duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum*: itemque; *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo.* (Matth. 18.) Apoſtoli autem, etſi doctore Spiritu ſancto uberem omnium rerum cognitionem ſinguli acceperant, tamen, ſi quid gravius, publice præſertim, agendum eſſet, hac conſultandi ratione uti conſueverunt, quam ut ceteri etiam conſervarent, lege ſanxerunt, ut bis in annos ſingulos concilia ab epiſcopis haberentur. Innumerabiles deinceps ſanctiones ſunt conſtitutæ, decretaque promulgata, & ab ſummis pontificibus, & a conciliis tum œcumenicis, tum provincialibus deſetinenda, aut certe repetenda hac ſynodorum conſuetudine, quemadmodum temporum ratio poſtulabat. Atque utinam quæ a ſanctiſſimis illis

ANNO CHRISTI 1565.

viris culta, & poſteritati ad ſalutem eccleſiæ tradita ratio poſtulabat. Atque utinam quæ a ſanctiſſimis illis viris culta, & poſteritati ad ſalutem eccleſiæ tradita ratio eſt, provincialium conciliorum, eam nos ad hanc diem pie conſtanterque retinuiſſemus; & quantam illi conſilii & voluntatis ad prodendum poſteris optimum inſtitutum, tantum nos pietatis & diligentiæ ad tuendum adhibuiſſemus. Hujus enim conſuetudinis intermiſſio, difficile eſt dictu, quantas calamitates in Chriſtianam rempublicam invexerit: nam judicii metu ſublato, cum præter ſummum Romanum pontificem nemo eſſet, qui a dominici gregis paſtoribus depoſiti cuſtodiam, tritici diſpenſationem, vineæ cultum, & villicationis ſuæ functionem recognoſceret, ſortem cum fenore exigeret, a ſingulis graviſſimi, multiplicisque officii, more majorum, rationem expoſceret: tum miſerabiliter prolapſa eſt inſtitutio eccleſiaſticæ diſciplinæ; tum qui alios in officio continere debebant, maxime ipſi ab officii ſemita declinaverunt. Hic nota ſunt vobis, patres, eccleſiæ Dei vulnera, quæ libenter prætereo, quia ſine acerbiſſimo doloris ſenſu nec a me commemorari, neque a vobis audiri poſſe exiſtimo. Ergo ſingulari virtute, at prudentia veſtra, graviſſimis malis remedium inventum eſt hac renovatione provincialium conciliorum: reliquum modo erat, ut ſapienter excogitata medicina ægrotis provinciis ſalutariter adhiberetur. Cui nos officio pro noſtri metropolitani muneris ratione, proque amore in hanc urbem, quam apud nos, & pietatem parentis, & caritatem filiæ obtinere libentiſſime profitemur, ſi per debitam obedientiam licuiſſet, primo quoque tempore ſatisfacere ſtuduiſſemus. *Cum primum igitur hujus rei* data eſt facultas, eam illam ſummo ſtudio amplexi [illegible] ut, Deo auctore, vobis adjutoribus, obeundi [illegible] ditatem actionum gravitate, & diligentia compenſemus. Itaque huc omnes convenimus, ut hac quaſi ſpecula ſingulis provinciæ noſtræ partibus circumſpectis, Ezechielis prophetæ voce divina admoniti, quod periit requiramus, quod abjectum eſt, reducamus, quod confractum eſt, alligemus, quod infirmum eſt, conſolidemus, quod pingue & forte, cuſtodiamus. Id omne ut præſtare poſſimus petendum a Deo in primis eſt ſummis precibus, ſummaque vitæ integritate & innocentia, atque in proximos caritate, ut nobis ſuo lumine præluceat, conſilia & actiones noſtras ſua gratia proſequatur. Quemadmodum autem neminem noſtrum, ut cujuſque conditio tulit, aut ætas, aut labor, aut valetudo, aut itineris longitudo retardavit, quominus in hunc locum frequentes ante ſtatutum diem conveniremus, qua in re privata commoda communi officio poſthabuimus: ſic ad ipſam conſultandi, & decernendi rationem curandum eſt, ut integram optimamque mentem, ac voluntatem afferamus, vim publici muneris privatis commodis anteponamus, eorum utilitati, quibus præſumus, non noſtris rationibus ſerviamus. Hoc ſane enim eſt, non quæ Dei ſunt, quærere. Hoc munus paſtoris, hoc ducis officium, hæ gubernatoris partes ſunt, ut gregi, militibus, navi potiſſimum proſpiciant: nam in ſubditorum ſalute præfecti incolumitas continetur. Et quia tria præcipue ſunt, quæ ex Tridentini concilii auctoritate in provincialibus conciliis agi & confici oportet, ut delicta corrigantur, mores ad optimam diſciplinam revocentur; & tollantur, dirimanturque controverſiæ: primum illud erit jaciendum tamquam firmiſſimum totius ædificii fundamentum, ut omnibus, & ſingulis, quæ a ſacro Tridentino concilio definita, ac ſtatuta ſunt, palam receptis, deteſtantes hæreſes omnes, quæ a ſacris canonibus, conciliiſque œcumenicis, præſertim vero Tridentino, damnatæ ſunt, veram obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeamus, fidemque, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, ex præſcripto ejuſdem concilii, ac ſanctiſſimi domini noſtri ratione & formula profiteamur, & ad ejus in provincia noſtra tuendam integritatem, id quod ad hanc diem nobis præſtitiſſe videtur Dei benignitas, opportuna præſidia, ſummamque diligentiam & vigilantiam pro locorum & temporum periculo adhibeamus. Deinde in delictis corrigendis illa nobis ineunda ratio eſt, ut pro vi & modo morborum, ægrorumque natura medicinam accommodemus, nunc lenibus admonitionis & objurgationis remediis errata caſtigantes, nunc acriori curatione utentes, denique exulceratis partibus ferrum & ignem admoventes, quemadmodum mali ratio, & contagionis periculum poſtulabit, memores ſemper nos eſſe patres, non dominos. Morum autem diſciplinam facile reſtituemus, ſi qua ratione, quibuſve factis primum conſtituta, diuque conſervata eſt, eamdem nos in reſtituenda adhibebimus, illorum veſtigia perſequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis, Deo auctore, ſua virtute pepererunt. Proponamus nobis quæſo, patres, illorum vitæ ſanctitatem, & in adminiſtratione ſui officii ſapientiam. Erant integri, caſti, ſimplices, modeſti, humiles, bene morati, in oratione, & lectione aſſidui, ſui deſpicientes, in alienæ ſalutis cura & cogitatione defixi, conſilio, & opera benigni, hoſpitales, in domeſtico cultu & victu parci, in alios benefici & liberales. Erant vigilantes ſuper gregibus ſuis, vineam domini ſumma diligentia, & labore colentes & cuſtodientes. Paſcebant aſſidue oves ſibi commiſſas triplici ſalutis [illegible] verbo, exemplo, & ſacramentis; memores quoque [illegible] ſummi paſtoris Chriſti, qui pro univerſo grege ſuo ſanguinem, & vitam profudit, ipſi pro ſuarum ovium incolumitate quemvis excipere laborem, ſubire omnes caſus, omnem vim, atque injuriam perferre, denique ut bonus ille paſtor evangelicus animam ſuam pro ovibus ponere non dubitabant, nullum inde hujus vitæ fructum expectantes, ut maximos cæleſtis retributionis fructus conſequerentur. Hæc ſi, ut debemus, patres, ante oculos habebimus, facile intelligemus, quid in reſtitutione eccleſiaſticæ diſciplinæ nobis ſit hoc tempore agendum. In quo illud etiam animadvertendum erit, ut, quemadmodum in conformanda, & conſtituenda eccleſiaſtica ratione Chriſtus dominus ab ipſis apoſtolis, quos Chriſtianæ vitæ magiſtros eſſe voluerat, initium fecit: ſic nos a nobis ipſis paſtoribus, quos vivendi exempla & præcepta aliis tradere oportet, in conformanda reſtituendaque morum diſciplina exordiamur. Hæc officia ſi, quo debemus ſtudio præſtiterimus, parvi profecto negotii erit ſedare controverſias, id quod nobis Tridentina ſynodus faciendum propoſuit. Nam ſublata cupiditate, quæ omnium radix & ſemen diſſenſionum, facile præſentis temporis diſcordias componemus: nullumque in poſterum diſſidendi locum cuiquam in provincia noſtra relinquemus. Quare ad piam hanc, neceſſariamque muneris noſtri curam, ac diligentiam, patres, toto pectore incumbamus: hoc acceptabili tempore, hac die ſalutis, quam fecit dominus, enitamur, ut, quantum conſilio, opera, actionibuſque Spiritu ſancto duce & moderatore

Ezech. 34.

Hebr. 11.



ANNO CHRISTI 1565.

tore poſſumus, tantum ad conſtituendam communis provinciæ incolumitatem afferamus. Ampliſſima hæc, & nobiliſſima civitas Mediolanenſis caritatem & ſapientiam veſtram implorat: hanc ſinguli uniuſcujuſque veſtrum greges incredibiliter requirunt, tota provincia re magis quam voce depoſcit. Hoc optimus maximus rex Philippus, in cujus regia dignitate, ut verbo complectar, ſacerdotalem animum licet agnoſcere, hoc ceteri hujus provinciæ principes, de populorum ſalute ſoliciti, a nobis deſiderant, quorum ſtudia, atque officia non vereor ne nobis ſanctiſque hujus ſynodi decretis ſemper adſint, eamque poteſtatem, quam a Deo acceperunt, ad Dei & cultum & voluntatem libentiſſime conferant. Poſtulat ſacroſancta Tridentina ſynodus, ut ne tot tantique labores a ſanctiſſimis patribus in ea ſuſcepti brevi tempore intereant. Hos vehementer expectat Pius pontifex maximus ex illo præſertim die, quo nos ab adminiſtratione conſiliorum ſuorum, & procuratione eccleſiæ ad vos dimiſit. Cui date quæſo, ut profectionis noſtræ, & veſtrorum laborum uberes fructus deferre poſſim; præclaras ſcilicet ſalutareſque hujus concilii actiones. Hoc ipſum exigit veſtra virtus, quam in publico orbis terrarum conventu ſpectatam, & cognitam, nunc in veſtrorum populorum vita, ac ſalute tenenda debetis exprimere. Hoc denique flagitat a nobis Chriſtus Jeſus, ut conſtet ſibi ratio officii noſtri erga oves, quas precio ſanguinis ſui redemptas, noſtræ fidei prudentiæque commendavit & concredidit: ne quando ſanguinem illarum de manu noſtra requirat, ſi, quod Dei benignitas prohibeat, culpa aut negligentia noſtra eas diripi, aut diſpelli patiemur.

*Nos Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, ac ſanctiſſimi domini noſtri papæ, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ per univerſam Italiam legatus de latere, Dei & ejuſdem apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolanenſis, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum dominorum coepiſcoporum noſtrorum, in provinciali ſynodo Mediolanenſi hæc ſtatuimus & ſancimus.*

# CONSTITUTIONUM PARS PRIMA

## DE PROFESSIONE FIDEI, ET EJUS TUENDÆ CURA.

### I.[a]

### *De fide catholica.*

PRima & maxima paſtorum cura verſari debet in iis quæ ad fidem catholicam, quam ſancta Romana eccleſia colit & docet, & *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, integre inviolateque conſervandam pertinent: ideo nos hinc potiſſimum exordiendum eſſe duximus; ut, quæ ex eodem ſpiritu eſt fides, eamdem una oris confeſſione profiteamur.

Sacri igitur Tridentini[b] concilii auctoritate innixi, mandamus, ut omnes ii, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, vel in poſterum obtinebunt; & qui in ſynodum diœceſanam convenire debent; in ea ſynodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia & ſingula a ſancto concilio Tridentino definita & ſtatuta palam recipiant; veram obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeant; ſimulque hæreſes omnes publice deteſtentur, & anathematizent; fidem profitentes eiſdem verbis quibus ex formula a ſanctiſſimo domino noſtro Pio IV. pontifice maximo præſcripta, nos & coepiſcopi noſtri initio hujus ſanctæ ſynodi, jurati præſtitimus, profeſſi ſumus, etiamſi antea in diœceſana ſynodo id officium, ad exequendum juſſa Tridentini concilii, quacumque ratione & modo obierint.

Epiſcopi omnes provinciæ noſtræ[c] conſtitutionem ſanctiſſimi domini noſtri Pii IV. pontificis maximi de profeſſione fidei facienda ab iis, qui de beneficiis curatis, & canonicatibus proviſi ſint, & a docentibus literas, & promovendis ad doctorales vel alios gradus, publicent in ſuis civitatibus, & diœceſibus intra menſem & ab omnibus inviolate ſervandam curent: præſertim vero ab iis, qui cujuſcumque ſtatus, conditionis, & dignitatis ſint, quovis modo, vel nomine, publice aut privatim, domi ſuæ, vel alienæ, etiam ſi pædagogi ſint, pueros, adoleſcentes, alioſve cujuſvis ſexus, & ætatis, quaſcumque artes literarias, vel alias liberales, etiam ſi ipſa prima grammaticæ rudimenta, legendo, interpretando, vel repetendo, vel alia quavis ratione, etiam ſi gratis doceant; quorum etiam omnium mores, antequam ad docendum accedant, probare debebunt, alioquin de iis pœnas in eadem conſtitutione propoſitas ſumant.

Qui vero ne prædicti huic decreto obtemperent impedierint, aut hujus temeritatis, quacumque ratione illis auctores, aut adjutores fuerint, ſevere puniantur. Ut autem id facilius ac melius effici poſſit, ſtudioſe inquirant parochi, quinam in ſuis parochiis eo docendi munere fungantur, & eorum nomina ad epiſcopum ad menſem, a die publicationis conſtitutionis ejuſdem numerandum, deferant. Quos vero deinceps ejuſmodi cognoverint, primo quoque tempore epiſcopo indicent.

Parochi diligenter animadvertant, an in ſuis parochiis ullus ſit, quod ad fidem attinet, pravis opinionibus imbutus, vel eo nomine ſuſpectus; eumque ad epiſcopum, vel inquiſitorem deferant. Moneant præterea populum, debere omnes, ſi quos noverint aliquid feciſſe, vel dixiſſe, quamobrem de hujuſmodi peccato in probabilem ſuſpicionem venerint, ſtatim deferre.

Obſervent etiam eos, qui ex finibus hæreticorum, vel hæreſis nomine ſuſpectorum veniunt; ſingulorumque dicta, & facta odorentur, ac de eorum vitæ conſuetudine & ratione cognoſcant, &, ſi qua de iis ſuſpicio fuerit, epiſcopum, vel inquiſitorem admoneant.

Principes vero, & civitatum magiſtratus hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Chriſti domini obteſtamur, ut cæleſte lucrum terrenis commodis præferentes, commercium, & conſuetudinem hæreticorum, quam fidelibus pernicioſam ac peſtiferam eſſe conſtat, pro ſua pietate, ac ſtudio religionis, e ſuis urbibus atque opidis amovendam ac tollendam curent.

Probibeantque ne ſuæ ditionis homines, percipiendæ etiam linguæ cauſa, aut mercaturæ, aliove nomine, in hæreticorum locis inſtituantur, aut commorentur.

Sacro denique inquiſitionis officio in omnibus ex animo faveant, & opitulentur: &, ut ejus edicta ſerventur, auctoritatem etiam ſuam rogati interponant. Cumque eis a ſancta ſede apoſtolica conceſſum fuerit, ut cauſis fidei ad patrocinium catholicæ veritatis aſſiſterent, nihil ſibi in illis uſurpare, neque quidquam, quod contra ſacros canones ſit, attentare velint.

[a] Decretorū ſive conſtitutionum eltulis numeros adſcripſimus in hac editione qui deſunt apud Binium & in Lupæreſi collectione, ut commodius queant allegari.

Hebr. 11.

[b] Seſſ. 25. de ref. c. 2.

[c] Anno 1564 Idibus Novembris.

ANNO CHRISTI 1565.

A Epiſcopi regulas indicis de libris vetitis, ab iis, qui illi negotio a ſacroſancta Tridentina ſynodo præfecti fuerunt, ex auctoritate ſanctiſſimi domini noſtri Pii quarti editas, ab omnibus librorum impreſſoribus, ac bibliopolis, ceteriſque omnibus laicis, & eccleſiaſticis perſonis ſervari jubeant. Quorum vero librorum purgatio ejuſdem indicis juſſu facienda eſt: eos legi, vendi, aut emi, haberive omnino vetamus; donec ab iis, ad quos pertinet, purgati, & probati fuerint.

## II.

### *De abutentibus ſacra ſcriptura.*

B Nefaria eſt eorum temeritas, qui ſacræ ſcripturæ verbis, vel ſententiis, ad jocum, aſſentationem, contumeliam, ſuperſtitionem, impietatem, aut ad quoſvis profanos ſenſus abutuntur. Quamobrem epiſcopi in eos, qui in hoc genere deliquerint, ex ſacrorum canonum, & [a] Tridentini concilii decretis graviter animadvertant. Et, ut deteſtabilis hæc licentia protſus tollatur, fidelem populum per concionatores, parochos, confeſſores de hujus peccati gravitate frequenter admonendum curabunt.

[a] Seſſ. 4.

## III.

### *De ludimagiſtris.*

C Principes, & magiſtratus in domino vehementer hortamur, ut, nulla ſumptus ſui habita ratione, publicos ludimagiſtros in urbes, & ſuæ ditionis loca conducant, non minus fidei, & vitæ quam doctrinæ & ſcientiæ laude commendatos. Qui vero literas docebunt, non ſolum libro[illegible] Pii quarti auctoritate edito, nominati[illegible] non interpretentur, aut ab illis legi patiantur; ſed neque etiam alios, quibus obſcœna, vel turpia contineantur. Præcipimus etiam, ut bonis moribus, & ſalutaribus præceptis eos erudiant; in primiſque in aliqua pia, & Chriſtiana inſtitutione, ſi epiſcopo videbitur, exerceant: ceteraque omnia officia, D quæ Leo decimus in Lateranenſi concilio ſtatuit, præſtent. In iis ſi deliquerint, pro delicti genere plectantur.

## IV.

### *De fidei initiis a parocho tradendis.*

Parochi ſingulis dominicis, & aliis feſtis diebus, qui eccleſiæ præcepto agi ſoleant, pueris ſinguli in ſuis parochiis initia fidei tradant, eoſque ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus præſtandam, erudiant: ac propterea a prandio ſtata hora, proprio campanæ ſono, ad id munus aſſignato, ad eccleſiam convocandos curabunt.

## V.

### *De præbenda theologali.*

E Quæ eccleſiæ cathedrales, aut collegiatæ in opidis inſignibus præbendam, aut ſtipendium quovis nomine theologiæ interpreti aſſignatum non habent, cum in illis ſacrum concilium Tridentinum præbendam primo vacaturam ad hunc uſum conſtituerit, quam ei tantummodo, qui ad hoc munus per ſe præſtandum idoneus ſit, deferri voluit, id ſi adhuc re ipſa effectum non ſit, curent epiſcopi ut quamprimum decreto concilii ſatisfiat.

Seſſ. 5. c. 1. de ref.

## VI.

### *De prædicatione verbi Dei.*

Apoſtoli, in quorum locum epiſcopi ſucceſſerunt, ſatis nobis aperuerunt, verbi Dei prædicationem eſſe præcipuum illorum munus, qui in epiſcopali ſede collocantur. Quamobrem nos auctoritatem ſacroſancti Tridentini concilii, & veterum patrum ſecuti, in domino epiſcopos hortamur, ut toto pectore in hanc curam incumbentes, greges ſibi commiſſos ipſimet, præſertim in eccleſia ſua verbo Dei paſcant. Quod ſi levi de cauſa, aut quodam animi languore impediti non fecerint, ſciant ſibi præmiſſi neceſſarii officii judici Deo præcipue rationem eſſe reddendam. Sin autem ſe interdum vere impeditos cognoverint, per viros idoneos, ex præſcripto ejuſdem concilii deligendos, hoc munus ſtudioſiſſime populo præſtent. In aliis vero eccleſiis parochialibus, vel alias curam animarum habentibus, ſaltem omnibus dominicis, & ſolemnibus diebus feſtis; jejuniorum autem, quadrageſimæ, & adventus tempore, quotidie, vel iis ſaltem diebus, quibus epiſcopus juſſerit, proprio parocho, & curato, oves ſibi commiſſas, pro earum ſenſu & intelligentia, ſalutaribus verbis paſcendas mandamus. Si qui autem propter inſcitiam id præſtare non poterunt, ad peritos confugiant, quorum auxilium implorantes, vel homilias ſibi præſcriptas, vel Latinos ſermones auctoris ab eccleſia recepti, in vulgarem linguam converſos, approbatos tamen ab ordinario, aut memoriter, aut de ſcripto pronuntient. Id autem tamdiu fiet, quoad liber [illegible] ad hunc curatorum uſum metropolitan[illegible] Sed, ut norint epiſcopi, & eorum [illegible], qui doctrina ſunt præditi, & illorum diligentiam, qui aliorum verbis divinam legem enuntiant, jubeant, ſi eis ita videbitur, ab unoquoque parocho & curato unum ſingulis menſibus ab eo habitum in eccleſia ſermonem ad ſe mitti. Qui negligentes, aut contumaces fuerint, eos ordinarii arbitrio ſuo puniant: & præterea deligant qui eorumdem impenſa opus illud explere poſſint, donec ipſi reſipiſcentes munus ſuum expleant. Quo etiam modo illis occurrere poterunt, quos etiam vel peritorum induſtria, vel homiliarum libris, vel alia quacumque ratione adjutos, parum proficere; quoſve ei muneri minus aptos eſſe, vel prædicatione deſtruere potius, quam ædificare judicarint.

Seſſ. 5. c. 2. & 24. c. 4. de ref.

Extra urbem vero in univerſa diœceſi, præter officium, quod curati præſtabunt, tam multos diſtribuant epiſcopi concionatores, ut in curatis eccleſiis, quæ in frequentioribus locis ſitæ ſunt, ceteriſque omnibus etiam non curatis, in quibus ipſi opportunum judicaverint, intra cujuſque menſis ſpatium, ſaltem ſemel in aliquo die feſto, Dei verbum prædicetur. Eos autem ab illis, in quorum eccleſiis prædicabunt, hoſpitio recipi volumus, ſuppeditatis omnibus rebus ad eorum victum neceſſariis, data etiam eleemoſyna aliqua ex fructibus beneficiorum, vel etiam largitione laicorum, ſi beneficia tenuiora judicaverint epiſcopi, quam ut id onus ferre poſſint; niſi ſint, qui jure debeant, vel dare conſueverint.





ANNO CHRISTI 1565.

A Iis autem, qui prædicandi officio, aut quacumque ratione fidelibus Chriſtianam doctrinam tradendi munere funguntur, hanc viam, & rationem ineundam proponimus, ut ſacram ſcripturam interpretentur eo ſenſu, quem catholica eccleſia, & conſentiens ſanctorum patrum auctoritas comprobavit; neque quidquam ab eccleſia, aut a doctoribus eccleſiæ probatis alienum proferant, ut, ſi quando ad auditorum utilitatem utendum erit allegoriis, eas ex receptis ab eccleſia ſcriptis ſeligant. Ne certum tempus Antichriſti adventus, & extremi judicii diem prædicent; cum illud Chriſti domini ore teſtatum ſit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta.* Neve quidquam præterea futurum ex B ſacris literis divinare, eique eventui certam diem præfinire audeant. Neque temere, id ſibi divinitus revelatum eſſe, affirment. Ne hiſtorias ex apocryphis ſcriptoribus populo narrent; Neve miracula, quæ probata ſcriptoris fide non commendentur. Si qua tamen auditoribus ſalutaria judicarint, ita commemorent, ut a certa eorum affirmatione abſtineant. Ne ineptas & ridiculas fabulas recenſeant: Neve ſupervacanea & parum fructuoſa.

Act. 1.

Ne hæreticorum opiniones, & argumenta referant apud imperitam multitudinem. Quod ſi alicubi neceſſitas poſtularit, ut eorum falſa dogmata accuratius, ac liberius confutentur, id non longa diſputatione, ſed gravi redargutione faciant. quod facile aſſequentur, ſi ca- C tholicam veritatem expromentes, ſanctæ eccleſiæ, conciliorum, & probatæ veteris conſuetudinis auctoritate, ac ſanctorum doctorum, quos probat eccleſia, teſtimoniis roborarint; & ſacræ ſcripturæ locos, quorum ſenſus ab illis ad corrumpendas ſimplicium hominum mentes depravantur, & ex aliis ejuſdem ſcripturæ locis, & ex ſanctorum patrum ſententia fideliter interpretentur. Sic enim fiet, ut dogmatum perverſitas, quæ falſa interpretatione nitebatur, catholicæ veritatis vi, & rectæ interpretationis pondere corruat. Ne quid ambiguum, anceps ve loquantur, quod auditoribus varie intelligendi occaſionem præbere poſſit. Neve conciſe, & obſcure quidquam exponant, qua ex re au- D ditorum animi expectatione incerti & ſuſpenſi relinquantur.

Ne oſtentandæ doctrinæ, & eloquentiæ cauſa, difficiles atque inanes quæſtiones, fucumve orationis, & pigmenta conquirant, unde ſui ipſius potius quam Jeſu Chriſti prædicatores eſſe videantur. Sed præcipue in evangelii, ſymboli, orationis dominicæ, angelicæ ſalutationis, decem præceptorum, ſacramentorum eccleſiæ, & ſacrorum rituum dilucida explicatione verſentur. In reprehendendis vitiis ita ſe gerant, ut pietatis, & caritatis ſtudio eos adductos, non hominum, ſed peccatorum odio id facere omnes intelligant. Diligentes, ac vehe- E mentes ſint in iis vitiis & peccatis exagitandis, in quibus magis volutatum populum, aut ad ea procliviorem vident.

In pravas etiam conſuetudines invehantur; & in eas, quæ etſi malæ non videntur, tamen facile peccandi cauſam afferunt.

Ne quemquam nominatim, aut tacite illum deſignantes, inſectentur.

Ne in ordinem ullum, ſtatum aut vitæ genus ab eccleſia receptum, invehantur.

Ne epiſcopos, alioſve prælatos, neve civiles magiſtratus cum auditorum offenſione aſperius objurgent, ſed pie potius admoneant, populumque doceant, præpoſitis ſuis, etiam dyſcolis, obedire. Quem etiam ſæpiſſime moneant ex apoſtoli ſententia, ut faciat *obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt; præſertim vero pro iis, qui pervigilant quaſi rationem pro animabus eorum redditurí; ut quietam & tranquillam vitam gerant in omni pietate & caſtitate.*

1. Tim. 2.

Ita afficere ſtudeant auditores, ut ſua peccata dolenter defleant; quos interdum propoſitis ſuppliciis æterni ignis a flagitiis & facinoribus deterreant; interdum commemoratis cæleſtis vitæ præmiis, ad virtutes, in primis vero ad Dei, & proximi amorem, accendant.

B Decreta concilii Tridentini, præſertim quæ ad mores & diſciplinam Chriſtianam reſtituendam pertinent, & has noſtras conſtitutiones populo ſtudioſius inculcent.

Omnes hortatu & præceptis ad pietatem erudiant, & quæ cujuſque ſit propria virtus, quod officium patris, filii, viri, uxoris, domini, ſervi, laici, clerici, privati, magiſtratus, omnium denique ætatum, generum, ordinum partes, & munera aſſidue commemorent.

Hanc præterea rationem habeant, ut non ſolum Dei, & eccleſiæ præcepta ſervanda eſſe doceant, ſed modum illis tradant, quo ea ex Dei voluntate ſervare oporteat. Commoneant ut non ſolum præceptis ſervandis, ſed etiam conſiliis amplectendis, ad perfectiorem vitam in dies C magis contendere ſtudeant.

Doceant quomodo utendum ſit bonis animi, corporis, & externis: quove modo ſecundis & adverſis rebus: ut ea ſint illis tamquam inſtrumenta ad conſequendam vitam cæleſtem.

Maxime [illegible], quod præceptis & hortatu ædificant, [illegible] moribus [illegible]: ne, cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur. Indulgentias populo ne publicent, niſi de conſenſu epiſcopi.

Neminem populo paupertatis nomine commendent, niſi is teſtimonium ab epiſcopo ſcriptum attulerit.

Neque ei inter concionem permittatur ut eleemoſynam a quoquam petat in eccleſia, ſed D aut ad fores eccleſiæ ſtet, aut per eos, qui eam curam ſuſceperint, id negotium ita commode ac celeriter agatur, ut minime concionem impediant.

Sacra concio noctu numquam, ſed opportuno tempore, epiſcopi præſcripto, habeatur.

Dum habetur, nec miſſæ aut horæ canonicæ clara aut ſubmiſſa voce in ea eccleſia dicantur.

Epiſcopi iis diebus, quibus legitime impediti prædicandi munus in ſuis eccleſiis per alios præſtabunt, eiſdem ſacris concionibus, quantum poterunt, intereſſe ſtudebunt. Qui vero dignitates, perſonatus, vel canonicatus in cathedrali eccleſia obtinent, & alii ejuſdem eccleſiæ clerici, dominicis ac feſtis ſolennibus die- E bus ſemper; quadrageſimæ autem, & adventus tempore quamſæpiſſime verbi Dei conciones in eadem eccleſia audiant; quod officium ceteris quoque civitatis clericis præſtari diligenter curabunt epiſcopi; ut ipſorum exemplo laici etiam ad audiendum Dei verbum ſtudioſius confluant.

Concionis audiendæ cauſa, loca virorum, & mulierum, ſi fieri poteſt, epiſcopi cura diſtinguantur, qui ad id exequendum idoneos aliquot viros adhibeat: & a ſæcularibus magiſtratibus, ſi opus erit, auxilium petat.

## VII.

*Quæ ſervanda ſunt in ſacris imaginibus effingendis.*

Seſſ. 25. de invoc. ſanctorum.

Cum ſacroſancta Tridentina ſynodus decreverit, nemini licere ullo in loco, vel eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere vel ponendam curare imaginem, niſi ab epiſcopo approbata fuerit, ejuſque diligentiæ & curæ commendarit, ut in ſacris effingendis imaginibus nihil falſum, nihil profanum, nihil inhoneſtum, nihil præpoſtere, nihil non recte atque ordine adhiberetur, illud in primis caveant epiſcopi, ne quid pingatur, aut ſculpatur, quod veritati ſcripturarum, traditionum, aut eccleſiaſticarum hiſtoriarum adverſetur: ne cujus lectio prohibetur, ejus imago populo proponatur.

Hiſtoriæ quoque, quibus neque eccleſia, neque probati ſcriptores auctoritatem ullam dederunt; ſed ſola vulgi vana opinione commendantur, effingi prohibeantur. Deinde uniuſcujuſque imaginis os, corpus, corporis habitum, & ſtatum, ornatum, & locum inſpiciendum curent epiſcopi; ut hæc omnia ad prototypi dignitatem & ſanctitatem apta ſint & decora; atque ex imaginis inſpectione pietas excitetur, nulla vero turpis cogitationis detur occaſio. Hæc & reliqua hujuſmodi ex Tridentini concilii præſcripto, ut commodius epiſcopi exequantur, convocent ſuarum diœceſeon pictores, & ſculptores; omneſque pariter doceant, a quibus cavere debeant in ſacris imaginibus effingendis: curentque ne illi, inconſulto parocho, aliquam ſacram imaginem publice, vel privatim effingant. Quod ſi qui deliquerint, puniantur tam ipſi artifices, quam [illegible] effictæ erunt imagines.

Parochi vero epiſcopo ſignificent, quæ illa judicarit in ſacris imaginibus effingendis ad ſe propter difficultatem deferri debere.

Quod ſi quæ jam pictæ imagines, fictave ſimulacra ob artificum temeritatem, aut inſcitiam, ejuſmodi fortaſſe fuerint, ut ferenda nullo modo videantur, ea curent epiſcopi, doctorum etiam, & peritorum virorum conſilio adhibito, ut omnino deleantur, vel ſaltem aliqua ratione corrigantur.

## VIII.

*De actionibus, & repræſentationibus ſacris.*

Quoniam pie introducta conſuetudo repræſentandi populo venerandam Chriſti domini paſſionem, & glorioſa martyrum certamina, aliorumque ſanctorum res geſtas, hominum perverſitate eo deducta eſt, ut multis offenſioni, multis etiam riſui, & deſpectui ſit, ideo ſtatuimus;

Ut deinceps ſalvatoris paſſio, nec in ſacro, nec in profano loco agatur, ſed docte & graviter catenus a concionatoribus exponatur, ut qui ſunt uberes concionum fructus, pietatem & lacrymas commoveat auditoribus, quod adjuvabit propoſita crucifixi ſalvatoris imago, ceterique pii actus externi, quos eccleſiæ probatos eſſe epiſcopus judicabit. Item ſanctorum martyria & actiones ne agantur, ſed ita pie narrentur, ut auditores ad eorum imitationem, venerationem, & invocationem excitentur.

## IX.

*De ſanctarum reliquiarum veneratione.*

Ut ſanctorum reliquiis, quæ debetur, veneratio & cultus adhibeatur, ſtatuimus: ut in locis honeſtiſſimis, ac decoris vaſculis, qua debent religione, aſſerventur.

Cum populo pietatis cauſa oſtenduntur, lumina accendantur.

Ex loculis vero, & receptaculis, ubi condita ſunt, ne educantur.

Ne temere omnium oculis exponantur,

Neve quæſtus gratia.

Cetera etiam de reliquiis, quæ a ſacra Tridentina ſynodo decreta ſunt, epiſcopus inviolate ſervari jubeat. Seſſ. 25.

## X.

*De magicis artibus, veneficiis, divinationibuſque prohibitis.*

Magos, & maleficos, qui ſe ligaturis, nodis, characteribus, verbis occultis mentes hominum perturbare, morbos inducere, vel expellere, corporum figuram, & conſtitutionem immutare, ventis, tempeſtati, aeri ac mari incantationibus imperare poſſe ſibi perſuadent, aut aliis pollicentur: ceteroſque omnes qui quovis artis magicæ, & veneficii genere pactiones, & fœdera expreſſe, vel tacite cum dæmonibus faciunt, epiſcopi acriter puniant, & e ſocietate fidelium exterminent.

Deinde omnem divinationem ex aere, aqua, terra, igne, ex inanimatis, ex unguium & lineamentorum corporis inſpectione, ex ſortibus, ſomniis, mortuis, aliiſque rebus, quibus per dæmonum ſignificationem incerta pro certis affirmantur, futura prædicere, furta, theſauros abſconditos commonſtrare ſe poſſe profitentur, & hujus generis reliqua, per quæ curioſorum, & imperitorum hominum mentes facile decipiuntur, coerceant & ejiciant [illegible], qui hujuſmodi divinatores, ſortilegos, conjectores, ariolos & cujuſvis generis magos de aliqua re conſuluerint, vel, ut conſulerentur, cuique auctores, adjutores, hortatoreſve fuerint, vel eis fidem habuerint, ſevere animadvertant. Si quis etiam annulos, vel aliud ad magicos vel ſuperſtitioſos uſus fecerit, aut vendiderit, gravi pœna afficiatur. Aſtrologi, qui ex Solis, Lunæ, & aliorum aſtrorum motu, figura, & aſpectu, de hominum actionibus, quæ a libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certo aliquid eventurum affirmant, gravibus pœnis plectantur: quæ pœnæ etiam ad eos pertineant, qui adillos de hujuſmodi rebus detulerint. Denique pœnas ſumant epiſcopi de iis omnibus, qui in itineris ſuſceptione, aut cujuſvis rei inſtitutione, vel progreſſione dies, tempora, & momenta obſervantes, quadrupedum voces, avium garritum, aut volatum notantes, ex occurſu etiam hominum, vel pecudum ſuſcipiendi operis felicitatem augurantur.

## XI.

*De blaſphemia.*

Blaſphemiæ impudentia & impietas eo prolapſa eſt, ut in ea coercenda vix ſatis diligentiæ adhiberi poſſe videatur, itaque ſacris canonibus, & pontificum decretis, maxime vero iis, quæ Leo X. in Lateranenſi concilio decrevit, innixi hæc mandamus: Seſſ. 9. ref. curiæ.





Ut quicumque Deo palam ſeu publice maledixerit, contumelioſiſque aut obſcœnis verbis dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel glorioſam virginem Mariam ejus matrem, expreſſe blaſphemaverit; ſi clericus ſit, primum fructibus unius anni beneficiorum eccleſiaſticorum, quæcumque habuerit, mulctetur. Si iterum id eo peccarit, eo beneficio, quod habet, privetur, & ſi plura obtineat, eo privetur, quo ordinarius privandum cenſuerit. Si tertio blaſphemarit, dignitates, ac beneficia omnia, quæcumque habuerit, eo ipſo amittat, ad eaque deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis ſit. Si vero laicus fuerit, primum, aut etiam ſecundo, pecunia mulctetur ex præſcripta in eodem concilio ratione. Tertio gravem pœnitentiam publice agat, eo modo, quo a ſacris canonibus præſcriptum eſt.

Qui vero ſanctos blaſphemarit, aut in Deum & glorioſam virginem matrem maledicta, non tamen palam aut publice contulerit, mitius aliquanto judicis arbitrio puniatur.

In foro autem conſcientiæ ei, qui blaſphemiæ reus fuerit, gravem pro modo culpæ pœnitentiam confeſſor imponat. Qui blaſphemantem audierit, ſi poſſit ſine periculo, aſperius objurget: omnino autem intra triduum ejus nomen ad judicem eccleſiaſticum, vel ſæcularem deferat. Si plures ſimul audierint, ſinguli idem faciant: niſi inter eos convenerit, ut unus pro omnibus eo fungatur officio. Quod ſi domini, mercatores, aut artifices, famulos, aut miniſtros audierint blaſphemantes, ſemel monitos, ſi iterum in eo genere peccarint, domo ejiciant. Principes autem, & magiſtratus per Dei gloriam, quæ blaſphemia maxime violatur, obſecramus, ut hæc omnia diligentiſſime ſervari ſtudeant, uberrimam piæ curæ a Deo mercedem expectantes; præter decem annorum indulgentiam, quam Leo X. in eodem Lateranenſi concilio; & ipſis judicibus, & deferentibus elargitus eſt. Quod ſi ſæculares judices, quod minime futurum ſperamus, blaſphemiæ convictos juſtis pœnis non affecerint; ſciant iiſdem pœnis, quas de ſontibus ſumere neglexerunt, ex eodem concilio ſe teneri. Loco cit.

## XII.

*De feſtorum dierum cultu.*

Maximam in eo diligentiam ac ſtudium epiſcopi ponere debent, ut dies feſti pie ſancteque obſerventur ab omnibus. Cum enim ii potiſſimum ad celebrandas Dei, & ſanctorum laudes ſalutariter inſtituti ſint, curandum eſt etiam diligenter, ut ne iis ipſis quiſquam ad divinam offenſionem & animæ ſuæ perniciem abutatur.

Prohibeant igitur ii, ne illiberales artes exerceantur, aut ullum opus fiat eo tempore alienum.

Ne quid ematur, aut vendatur præter id, quod ad victum illius diei, vel ad ægrotorum curationem neceſſarium ſit.

Ne officinæ, aut omnino, aut aliqua ex parte, apertæ habeantur. Ne fiant nundinæ, ſed, quæ feſto die fieri conſueverint, in antecedentem, vel ſequentem diem, qui feſtus non ſit, transferantur. Qui ſecus fecerit, ſevere plectatur epiſcopi arbitratu.

Pro officinis apertis, rebuſve venditis, ſi filius, famulus, miniſtri deliquerint, etiam pater, dominus, & artifex, pœnam ſubeant.

Iis etiam diebus ſtudebunt epiſcopi, ne perſonati homines incedant.

Ne ludi equeſtres, certamina, aut alia ludicra & inania ſpectacula adhibeantur.

Choreæ, ſaltationes in urbibus, ſuburbiis, opidis, vicis, aut uſquam omnino ne agantur.

Doceant vero populum, debere unumquemque, eo potiſſimum tempore, in divinis officiis, & concionibus audiendis frequentem eſſe; ac in precibus, recolendiſque Dei maximi beneficiis, aſſidue verſari.

# CONSTITUTIONUM PARS SECUNDA.

## I.

*De iis quæ ad ſacramentorum adminiſtrationem generatim pertinent.*

Quo major & uberior eſt ſacramentorum fructus, quam ut ejus vis explicari facile poſſit; eo diligentius, & intima animi pietate, & externo cultu, ac veneratione tractanda ac percipienda ſunt. Quod officium ut omni ſtudio, & opera noſtra adjuvemus, præter ea, quæ ad ſalutarem hanc rationem conſtituit ſacra Tridentina ſynodus, quæ & epiſcopi, & parochi inviolate ſervare debebunt, nonnulla etiam, ad tollenda incommoda & abuſus, quos in provincia noſtra hominum vel culpa, vel negligentia in ſacramentorum adminiſtrationem inveterarunt, ſtatuenda duximus.

Primum autem magnopere hortamur epiſcopos, quorum diœceſes inter ſe implicatæ, & confuſæ ſunt, ut communi voluntate, atque ſententia rationem inire ſtudeant, qua explicari & commodius diſtingui poſſint; adhibita etiam, ſi opus erit, prudentia, ac diligentia vicinioris epiſcopi, ut amice ſublatis impedimentis, negotium de communi eorum ſententia, ſedis apoſtolicæ auctoritate, conficiatur.

Quæ parochiales eccleſiæ partem habenti ſui populi extra mœnia urbium, vel opidorum, vel alibi; quo fiat, ut parochus, præſertim nocturno tempore, illis hominibus ſacramenta commode adminiſtrare non poſſit; in illis epiſcopi aut eam partem commodiori parochiæ uniant; aut etiam, invitis rectoribus, ex conſtitutione Alexandri III. & decreto concilii Tridentini, novas conſtituant parochias. Seſſ. 21. c. 4. de ref.

Illis autem ſacerdotibus, qui de novo erunt eccleſiis recenter erectis præficiendi, congruens aſſignetur portio, arbitrio epiſcopi, ex fructibus ad eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus: & ſi neceſſe erit, compellant populum ad ea ſobminiſtranda, quæ ſufficiant ad vitam novi rectoris ſuſtentandam.

Quod præterea Tridentina eadem ſynodo decretum eſt, ut eccleſiarum rectoribus tot ſacerdotes adjungantur, quot & ad ſacramenta parochianis adminiſtranda, & ad divinum cultum ſatis eſſe poſſint, id epiſcopi omni diligentia exequantur. Parochiarum diſtinctio, quæ familiis, non certis finibus, facta eſt; & parochis ad ſacramentorum adminiſtrationem, & populo ad illorum ſuſceptionem magnum incommodum afferre ſolet, quare epiſcopi, ſublata intra ſex menſes diviſione paro-

chiarum per familias facta, eas certis limitibus, terminiſque præſcribant.

Cum ſacramenta eccleſiæ non ſolum ſine ſimoniæ labe, verum etiam ſine avaritiæ ſuſpicione præbenda ſint; caveant omnes, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel ſignis, directe, vel indirecte petant. Qui ſecus fecerit, eum & pœnis jure communi ſtatutis, & aliis arbitrio epiſcopi plecti volumus.

Studeant epiſcopi, ut in eccleſia ſua cathedrali in ſacramentorum adminiſtratione, in exorciſmis fontium, & ſponſorum benedictionibus, ritus & ceremoniæ ex more ſanctæ Romanæ eccleſiæ adhibeantur.

Omnes vero inferiorum eccleſiarum, quæcumque illæ ſint, rectores in his omnibus ab obſervatione cathedralis eccleſiæ nulla ex parte diſcedant. Sacerdotes in ſacramentorum adminiſtratione ſemper ſuperpelliceum & ſtolam adhibeant.

Epiſcopi in adminiſtrandis ſacramentis illorum vim, & uſum, pro eorum, qui ſumpſerint, & adfuerint, intelligentia, diligenter explicabunt. Idem quoque facient parochi ea ratione, ac ſententia, quæ in catechiſmo, Romæ edendo auctoritate ſanctiſſimi domini noſtri, præſcribetur. Interim vero aliquo catholici ſcriptoris catechiſmo ab epiſcopo deligendo utantur.

Parochi crebris cohortationibus in id maxime incumbant, ut populus ſibi commiſſus, ad confeſſionem, & communionem frequenter, præcipue autem in nativitate domini, & pentecoſtes, ac aliis ſolennitatibus accedat. Ægrotos vero etiam non vocati inviſant, ut ad ſacramentorum ſuſceptionem inducant; & eorum animabus, quacumque ratione poſſunt, ſolicite conſulant.

Si parochi in aliam eccleſiam tranſierint, antequam a priore migrent, ſucceſſori libros tradant, in quibus eorum, qui baptizati, confirmati, matrimonio juncti fuerint, nomina deſcribi, infra jubemus. Qui ſecus fecerit graviſſime ab ordinario puniatur.

## II.

*Quæ pertinent ad baptiſmi adminiſtrationem.*

Nemini liceat quemquam intra domeſticos parietes baptizare, ſed natum infantem ii, quorum eſt ea cura, ante nonum diem ad ſuſcipiendum baptiſmum in eccleſiam deferendum curent: quod ſi neglexerint, excommunicationis pœnam ſubeant. Permiſſum eſt tamen, ſi inſtet periculum, facultas baptizandi in privatis ædibus ſacerdoti; vel ſi is abſit, alteri ſacris initiato; vel ſi non adfuerint, laicis; primo mari, aut demum feminæ, qui recte noverint veram baptiſmi formam: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Quibus verbis nihil prorſus ab ipſis addendum, vel detrahendum eſſe, crebro populum ſuum parochus admoneat. Quod ſi domi baptizatus poſtea vixerit, omnino intra nonum ab ortu diem, vel cum primum per valetudinem licuerit, eum in eccleſia ſiſtant, ubi ſi rectam baptiſmi formam ſervatam eſſe conſtiterit, ei tantum ritus, ac ceremoniæ baptiſmi adhibeantur.

Fideles in baptizandis filiis eos potius eligant compatres qui eorum animæ conſulere, quam qui inopiæ ſubvenire poſſint. Cujus officii ſæpius eos parochus admonebit; curabitque ut compatres tales deligantur, qui fidei & morum ratione ſuſcipiendo muneri ſatisfacere poſſint.

Caveant vero parochi, ne excommunicatos, vel eos, qui eo anno, paſchæ tempore, ex præcepto eccleſiæ peccata confeſſi non fuerint, & ſanctiſſimam euchariſtiam non ſumpſerint, admittant ad levandum baptizatum de ſacro fonte.

Sacerdos baptizaturus, primum, quam actionem ſuſcepturus ſit, diligenter ipſe animadvertat, & ad tanti muneris functionem ſancte, graviterque accedat. Deinde compatres moneat, ut jocis omnibus, nugiſque ſemotis, pie, ac religioſe, quid agatur, attendant: intelligentes Chriſto filios ſpiritualiter generari, tenerique ſe pro ſuo ſuſceptionis officio, eos catholica fide, & probatis moribus inſtituere, ſi parentes id facere omiſerint.

Deteſtabilem conſuetudinem baptizatos infantes in altari collocandi, ut muneribus compatrum inde redimantur, epiſcopi ſeverius vindicabunt. Compatres, & commatres nihil infantibus, quos ſuſceperunt, aut eorum parentibus, baptiſmi tempore largiantur.

Cum oleum chriſmatis conſecratur, omnino interſint, & qui dignitates, ſeu perſonatus obtinent, & canonici, ac reliqui cathedralis eccleſiæ clerici: & quos ex aliis eccleſiis ſuæ civitatis & diœceſis epiſcopus vocandos duxerit.

Caveant parochi, ne ſacrum chriſma in baptiſmo a laicis attingatur; neve linteola, quibus in baptizatis ſacri chriſmatis unctio extergitur, ad hoc aſſervent, ut iis tangenda tradant, quos parentes baptizati ſibi compatres, & commatres fieri cupiunt.

Singulæ parochiales eccleſiæ ſingulos fontes habeant, in quibus diligenter toto anno ſervetur aqua baptiſmatis ſolenni ritu benedicta.

Parochus librum habeat, diligenterque cuſtodiat, in quo baptizati parentum, & compatrum nomen, cognomen, diemque nativitatis, ac baptiſmi, & an ex legitimis nuptiis procreatus ſit, deſcribat: & quotannis ſingulorum annorum ſcriptas ejus rationis exemplum det epiſcopo, qui id fideliter aſſervandum curabit.

Moneant parochi puerperas, ut cum primum poſt partum domo exierint, mox ad eccleſiam, Deo acturæ gratias, accedant, ubi benedictionem a parocho ſuſcipiant.

## III.

*Quæ pertinent ad ſacramenti confirmationis adminiſtrationem.*

Minori ſeptennio confirmationis ſacramentum nemini præbeatur.

Parochi in eccleſia ante denuntient tempus, quo ſacrum chriſma miniſtrandum erit.

Eos, qui confirmandi ſint, ejus ſacramenti vim ac virtutem edoceant.

Suſceptores in ſacramento confirmationis, neque iis, quos ſuſceperint, neque eorum parentibus quidquam largiantur; ne cuiquam, quod aliquando commiſſum eſt, iterandi hoc ſacramentum, quod nefas eſt, occaſionem præbeant.

Omnem diligentiam adhibeant epiſcopi, ut





qua ratione commodius fieri poterit, parochi deſcribant confirmatos, & compatres, ſervatis ceteris omnibus, quæ de libro baptizatis deſcribendis præſcripſimus.

## IV.

*Quæ pertinent ad ſacramentum ſanctæ euchariſtiæ.*

Nemo paſchæ tempore euchariſtiæ ſumptionem ulla de cauſa differat.

Qui præſtituto tempore non communicarint, eorum nomina parochus ad epiſcopum, ad ſex dies poſt octavam paſchæ, ſcripto deferat, expoſitis etiam cauſis, quas extra confeſſionem cognoverit: alioqui pœnas det epiſcopi arbitratu.

In eos vero omnes epiſcopus cenſuris, & aliis pœnis acriter animadvertat: iis exceptis, qui ejuſdem parochi conſilio juſta de cauſa ſumptionem in aliud tempus produxerint.

Huic decreto ne fraus fieri poſſit, ſtatuimus, ut ſi quis ex neceſſitate, vel alia juſta cauſa, ab epiſcopo, vel proprio parocho comprobanda, extra parochiam ſuam dicto tempore euchariſtiam ſumpſerit: parocho ſuo de eo fidem faciat, ſin minus, in eum agatur ac ſi non communicaſſet.

Publici concubinarii, feneratores, ac blaſphemi, & alii ejuſmodi facinoroſi homines ſemel ad pœnitentiam & communionem admiſſi, ſi poſtea eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad ſacram communionem ne recipiantur: niſi poſtea eos vitam, & mores re ipſa emendaſſe perſpexerint.

Euchariſtiæ ſacramentum, ubi pro eccleſiarum amplitudine commode fieri poterit, maribus ſeorſum a feminis miniſtretur.

Qui ſumunt, ut ad Deum tali tempore accedentes decet, demiſſo habitu, & humili veſtitu, pœnitentiam & animi ſubmiſſionem præ ſe ferant.

Sacerdos ſanctiſſimam euchariſtiam iis, qui raro ſumunt, non prius miniſtret, quam eos diligentius admonuerit, quanta reverentia & humilitate ad tremendum illud ſacramentum accedere debeant, quantaque illis ſupplicia ſint parata, qui indigne ſuſcipiunt.

Adoleſcentibus, qui tunc primum euchariſtiam ſumere voluerint, parochus non præbeat, niſi eos ante aliquot dies examinarit: & de vi & ratione ſacramenti diligenter inſtruxerit.

Populo, poſtquam euchariſtiam ſumpſerit, vinum calice conſecrato, vel alio vaſe, quod ad ſacri calicis formam factum ſit, ne præbeatur.

Epiſcopus diligentiſſime curet, ut in cathedrali, collegiatis, parochialibus, & aliis quibuſvis eccleſiis, ubi ſacroſancta euchariſtia cuſtodiri ſolet, vel debet, in majori altari collocetur, niſi neceſſaria, vel gravi de cauſa aliud ei videatur.

Ante ipſam ſemper lampas accenſa colluceat: Tabernaculum, quo aſſervatur, ornatum, & bene ſeptum, ac munitum ſit.

Ut oratio, quam vocant quadraginta horarum, coram ſanctiſſimo ſacramento, quo frequentiſſimus populus convenire ſolet, qua pietate & religione inſtituta eſt, eadem retineatur, & propagetur, decernimus.

Ut ſacramentum in altari decenter ornato collocetur, quo tempore, vel litaniæ cantentur, vel, ſi temporis ratio patiatur, miſſa celebretur: neque tamen extra ambitum templi ſacra euchariſtia deferatur: niſi ſecus videatur epiſcopo.

Nemini autem eo, præter orantes cuſtodes, hujus orationis cauſa noctu convenire liceat.

Interdiu autem mares, quantum fieri poteſt, ſeparatim a feminis orent.

Die feſto corporis Chriſti domini, cum ſacroſancta euchariſtia in ſolenni ſupplicatione geſtatur, ſi adfuerit epiſcopus, is eo ferendæ euchariſtiæ officio fungatur; ſi non adfuerit, id munus exequatur ſolus is presbyter, qui ſecundum epiſcopum, pro ejus loci conſuetudine, honore ceteris præſtat: niſi ex privilegio, aut conſuetudine ad alium presbyterum ea cura pertineat.

Ut ſanctiſſima euchariſtia ad ægrotos ſumma cum religione deferatur; parochi populum ſæpiſſime hortentur, ut frequens ſemper proſequatur.

Quamobrem etiam ſodalitates corporis Chriſti in parochiis inſtituant.

Cum vero deferenda erit, tum eum campanæ ſonitu præmoneant.

Lumina, tintinnabulum, & decorum vaſculum, velo etiam decenter contectum, ac præterea, ubi fieri poterit, umbrellam adhibeant.

Duas autem ſacræ euchariſtiæ particulas deferant: ne, eis ad eccleſiam redeuntibus, populus inane vaſculum adoret.

## V.

*Quæ pertinent ad celebrationem miſſæ.*

Præcepit ſacra Tridentina ſynodus, ut, quæcumque in miſſæ celebrationem irrepſerunt a tanti ſacrificii dignitate aliena, ea epiſcopi tollere ſedulo ſtudeant. Quamobrem nos ejuſdem concilii decretum exequentes, ut ſanctiſſimum miſſæ ſacrificium, in qua, illa Deo Patri placens hoſtia, Jeſus Chriſtus in odorem ſuavitatis offertur, ſingulari religione ac pietate, & a ſacerdotibus celebretur, & a populo colatur, hæc ſtatuimus: epiſcopus noſſe ſtudeat omnes qui in quavis eccleſia miſſam celebrare, vel ſacerdotem, qui celebret, exhibere debeant: cogatque ſuo officio ſatisfacere.

Nemo clericus, vel laicus in ſuis ſæcularibus eccleſiis, capellis, vel oratoriis, quamvis ab ordinario probatis, etiam ſi juris patronatus ſint, quemquam ſæcularem, vel regularem ſacerdotem celebrare patiatur; qui ſcriptam celebrandi facultatem, ſingulis ſex menſibus renovandam, ab epiſcopo non impetrarit.

Quod ſi quis onus recipiat ad tempus vel perpetuo ibidem celebrandi, vel eiſdem locis inſerviendi: hunc non generatim, ſed nominatim eorum locorum cauſa ejuſmodi facultatem impetrare volumus. Qui contra præſcriptam rationem vel celebrarit, vel, ut celebretur, permiſerit, graviter puniatur.

Clericis alienæ diœceſis rei divinæ faciendæ facultatem ne permittat epiſcopus: niſi oſtendant literas teſtimoniales ſeu dimiſſorias ordinarii ſui, duobus tantum menſibus ante, ſi in provincia, ſi extra provinciam in Italia, quatuor, ſex vero, ſi extra Italiam [illegible]tas: vel ſi eæ antiquiores ſint; afferant etiam ſcriptum teſti-

ANNO CHRISTI 1565.

teſtimonium de vita, & moribus ab iis ordinariis, in quorum diœceſi poſt illud tempus aliquamdiu permanſerint.

Sacerdotes qui publice & notorie criminoſi fuerint, a miſſæ celebratione arceantur, niſi emendata vita ſceleris maculam eluerint.

Facultates, cuicumque ab epiſcopis ad hanc diem conceſſæ, plures miſſas eodem die celebrandi, poſthac irritæ ac nullæ ſint.

Nemini ſine facultate, ob ordinario ſcriptis impetrata, in oratoriis ſodalitatum ſæcularium, quas confraternitates vocant, aliiſve eccleſiis, capellis, aut oratoriis ſæcularibus, quæ parochialis eccleſiæ finibus continentur, miſſam celebrare liceat dominicis, & reliquis feſtis diebus: niſi abſoluta concione, quæ inter miſſam in parochiali eccleſia habebitur.

Miſſæ nec ante auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſa jure permiſſa celebrentur.

In eccleſiis, ubi plures miſſæ celebrari ſolent, is ordo ſervetur, ut pro populi commoditate, prima diluculo, reliquis deinceps debito intervallo diſtributis, poſtrema autem, quo tardius liceat, celebretur. Quod ſi eodem tempore pluribus locis miſſa celebranda ſit, rationem ineant epiſcopi, ne ſacerdotes inter ſe alius ab alio perturbentur.

Nullus ſacerdos, quemadmodum a Tridentino ſynodo ſtatutum eſt, in privatis ædibus, & omnino extra eccleſiam, & oratoria, quæ divino tantum cultui dicata, & a locorum epiſcopis deſignata, ac viſitata ſint, miſſam celebret.

Oratoriorum autem ædificationem, aut uſum, ne facile, ſed magna de cauſa permittant iidem epiſcopi.

In eis autem deſignandis, vel probandis, hæc ſervent[illegible] ædium partibus, ut quibus domini, vel [illegible] frequentius verſentur: ſed commodo, & honeſto loco, a cubiculis, tricliniis, & ab aula ſeparato, ad templi formam & regulam propius accedant.

Nec ita anguſta ſint, ut, qui miſſam audierint, ad oſtium, aut feneſtram ſtare cogantur, aut denique ibi ſacris intereſſe, ubi promiſcue profanum aliquod exerceatur: quod fieri omnino prohibemus.

Cui autem id permiſſum fuerit, is eo rarius utatur: ne diſtracti homines illa commoditate, eccleſiam Dei minus frequentent; quod exemplo etiam noceat aliis.

Ornamenta, & inſtrumenta altarium pro celebratione miſſæ, pura ac munda ſint: præſertim corporalia, ac purificatoria. Quamobrem etiam in vino albo, ubi poſſit, tantummodo ad miſſæ ſacrificium ſacerdotes utantur. Calices ex metalli genere, jure permiſſo, adhibeantur, eoque precioſiori, quantum per facultates licuerit.

Die ſabbati ſemper miſſa de beata virgine celebretur, niſi diei ſolennitas, vel eccleſiæ inſtitutum interdum obſtiterit: quo caſu ejus omnino commemoratio fiat; niſi & id eccleſiæ inſtituto impediatur.

Ne plures tribus, vel ad ſummum quinque, orationes, ſeu, ut vocant, collectæ dici poſſint, niſi ubi eccleſiæ inſtitutum aliud poſtulet.

Tollant epiſcopi ſumptuoſa convivia, ludos, choreas, & omne inanium oblectamentorum genus, [illegible]que omnes abuſus, qui populi temeritate, aut ſacerdotum avaritia in novæ, ut vocant, miſſæ celebrationem irrepſerunt: & in eos, qui in hoc genere aliquid peccarint, epiſcopus graviter animadvertat.

Magiſter ceremoniarum cathedralis eccleſiæ eos, quibus prima miſſa celebranda ſit, & qui præterea ſacerdotes minus perite celebrant, miſſæ ritibus, ac ceremoniis inſtituat. Qui ſi huic muneri obeundo unus par eſſe non poterit, aliis idoneis ſacerdotibus epiſcopus eas officii partes deleget. Neque cuiquam primam miſſam celebrare liceat, qui ab iis inſtitutus non ſit.

Præcipimus autem, ut ſacerdotes in miſſæ celebratione ceremonias a Romana eccleſia inſtitutas ad unguem ſervent, neque alias adhibeant.

Ut ab omni indecoro, & abſurdo capitis, oris & reliqui corporis motu abſtineant.

Ut cum, elevatione peracta, ſacra hoſtia movenda, vel ſumenda erit, ita moveant, ne iterum ſuſtolli videatur.

Ut præter inſtitutum eccleſiæ Romanæ iis, quæ ſecreto, vel quæ palam dicuntur, quidquam addi, vel detrahi non liceat.

Ut quæ palam pronuntianda ſunt, diſtincte & clara voce dicant,

Ut ſecreta, quæ vocantur, ſecreto etiam pronuntient.

Ut neque tardius, neque celerius, quam par ſit, verba proferant.

Ut propter erroris caſum, qui in omni parte miſſæ gravis, in canone gravior, in ipſa vero conſecratione graviſſimus eſt; miſſam legant, non memoriter dicant, aut canant.

Ut operto capite celebrare non audeant.

Ut quo puriores ad divinam rem faciendam accedant ſaltem ſingulis hebdomadis peccata ſua confiteantur: niſi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.

Ut antequam celebrent, ſe colligant, & orantes mentem [illegible] miniſterii cogitatione defigant. Quod ut commodius fieri poſſit; curent epiſcopi, ut in ſingulis cathedralium, collegiatarum, & parochialium eccleſiarum ſacriſtis ſingulæ cellulæ ad hunc ſacerdotum orandi & meditandi uſum inſtituantur.

Ut antequam ad altare accedant, miſſam perlegant, & ſingulas partes ita præparatas & notatas habeant, ut celebrantes neque errent, neque hæreant.

Ut ſacris veſtibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures, mentemque & oculos ab omnibus amoveant, quibus diſtrahi poſſint, neque a ſacriſtia exeant, niſi cum ad altare eundum erit, quod tum graviter & modeſte fiat.

Ut pileum, birretum, aut ſubbirretum, chirothecas, ſudariolum, aut quodcumque denique hujus generis in altari ne ponant.

Ut ibi ne in mora ſint ſacrificio, cujuſvis expectandi gratia. Neve ob eamdem cauſam, miſſa inchoata ſubſiſtant, aut ejus initium repetant. Neve, ſi parochi ſint, cujuſquam gratia, metuve miſſam anticipent, aut differant: ſed illam ea potiſſimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata ſit. Neve concionem, quam in ea habere debent, ullo modo omittant. Quod ſi forte quiſpiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, ut ſacerdos quidquam contra quam hoc decreto ſancitum eſt, faciat: ſi clericus ſit, & beneficium obtineat, eo privetur: ſi non habet beneficium, ne

habe-



ANNO CHRISTI 1565.

habere quidem ad quinquennium poſſit: ſi laicus, re ipſa jam tunc excommunicationis pœnam ſubeat: neque ad decennium feudi, aut emphyteuſis nomine quidquam ab eccleſia conſequi poſſit.

Ut peracta miſſa, pro ſummi beneficii munere Deo gratias agant.

Ne ſacerdotes, cum in fine miſſæ fuerint, vel eorum miniſtri, recedant ab altari. Neve vaſa, aut linceolos ſacros colligant. Ne cuiquam rei tollendæ, vel movendæ cauſa manus admoveant.

Ne candelas reſtinguant: niſi abſoluto evangelio, quod poſt benedictionem dicitur.

Celebranti ſacerdoti unus ſaltem miniſter adſiſtat, iſque clericus, ubi poſſit, & talari veſte & ſuperpelliceo indutus.

Miniſtri candelas accendant, miſſale & urceolos & alia quæ ad miſſæ miniſterium requiruntur, prius ſuis locis in altari collocent, quam eo ſacerdos accedat: quem, niſi his omnibus præparatis, confeſſionem ordiri omnino prohibemus.

Sacerdote rem divinam faciente, miniſtri per eccleſiam ne vagentur; neve dent operam collocutionibus, aut candelis venditandis, ſed compoſito corpore, nullo geſtu, modeſte, ut debent, ſacerdoti adſiſtentes inſerviant.

Moneant parochi frequenter patres familias, ut filios & famulos, quos in beſtiis paſcendis occupant, ſaltem diebus feſtis miſſæ jubeant intereſſe.

Viduæ ob maritorum mortem ad ſummum ne menſe amplius ſint ſine miſſæ auditione. qua in re nulla valeat excuſatio cujuſvis conſuetudinis, quam irritam decernimus. eas item epiſcopi, etiam cenſuris eccleſiaſticis, id facere cogant.

Seſſ. 22. & 24. c. 4.

Parochi populum frequenter hortentur, ut in ſua parochia feſtis diebus miſſam audire non omittant. Moneantque eum diligenter, debere unumquemque, ut a ſacra Tridentina ſynodo traditum eſt, in parochiam ſuam, ubi id fieri commode poteſt, convenire ad audiendum verbum Dei.

Fideles, cum miſſæ interſunt, eodem veſtitu ſint, quo in publicum prodire ſolent, & ita ſe componant, ut corporis habitu animi religionem præ ſe ferant.

Ne in foribus eccleſiæ, vel extra ſubſiſtant, niſi neceſſitatis cauſa.

Aperto capite ſint; &, quo tempore a ſacerdote confeſſio dicitur, & graviora miſſæ myſteria peraguntur, ſint flexis genibus.

Ne ita prope ad altare accedant, ut indecorum ſit, & ſacerdos perturbetur.

Ne prius diſcedant, quam ſacerdos evangelium, quod poſt benedictionem dicitur, abſolverit.

## VI.

### *Quæ pertinent ad ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem.*

Innocentii tertii conſtitutionem, in generali concilio editam, qua ſancitum eſt, ut fideles, ſaltem ſemel in anno, proprio parocho peccata ſua confiteantur, inviolate omnes ſervent.

Salutarem ejuſdem Innocentii conſtitutionem, eo item concilio latam, nos ad uſus revocantes præcipimus, ut medici ad ægros in lecto jacentes adducti, antequam illorum curam ſuſcipiant, eos plane moneant, ut idoneo confeſſori de eorum peccatis confiteantur.

Quibus etiam denuntient, ſe, niſi id quatridui ſpatio ad ſummum præſtiterint, eorum curationi defuturos, parochum etiam curabunt certiorem fieri de eo, qui in ejus parochia morbo affectus teneatur; qui pro ſui officii munere, ſtatim ægrum convenire, & cum eo agere debet, ut per hoc ſacramentum Deo reconcilietur.

Jubemus autem medicos excommunicationis pœna iis præpoſita, quam jure ipſo ſubeant, ſi ſecus fecerint, tranſacto quatriduo ab illorum curatione omnino abſtinere, niſi certo cognoverint, eos poſtquam in eam febrim, morbumve inciderunt, confeſſos eſſe, aut epiſcopo, ſive, cui epiſcopus ejus rei facultatem dederit, aliud ex juſta cauſa videatur.

Hortamur denique omnes, quos aliqua de ægrotis cura attingat, ut nullam occaſionem omittant inculcandi eis, quæ ad animæ ſalutem pertineant.

Seſſ. 24. c. 8.

Epiſcopi in ſuis cathedralibus eccleſiis, Tridentini concilii auctoritate, pœnitentiarium intra tres menſes inſtituant cum unione præbendæ, quæ primo quoque tempore vacaverit. Negligentes proxima provinciali ſynodo prætermiſſi officii rationem reddent.

Seſſ. 23. c. 15.

Qui parochialem eccleſiam non obtinent, etiamſi regulares fuerint, confeſſiones ne audiant, quemadmodum ſtatuit Tridentina ſynodus; niſi epiſcopi ſcripto approbati fuerint. Qui contra fecerit, excommunicationis pœnam ſubeat.

In iis probandis hanc rationem habeant epiſcopi, [illegible], bene morati, docti, prudentes, patientes, de [illegible] ſalute ſoliciti, & fideles cuſtodes ſint eorum quæ in confeſſione dicuntur; provecta etiam ætate, præſertim illi, quibus confeſſiones mulierum erunt audiendæ.

In foribus ſacriſtiæ cujuſvis eccleſiæ, ubi confeſſiones audiri, & confeſſores plures eſſe ſolent, affigatur tabella, in qua nomina & cognomina confeſſorum approbatorum deſcripta ſint.

Jubeat epiſcopus clericos frequenter audire magiſtros, qui caſus conſcientiæ in monaſteriis, vel ubivis, ejus juſſu interpretentur.

Confeſſores omnes caſus ſummo pontifici & epiſcopis quavis ratione reſervatos ſcriptos apud ſe habeant; ne quid per incuriam ſibi facultatis aſſumant.

Sacerdotes, niſi ex cauſa neceſſaria, mulieres ante ſolis ortum, vel poſt ejus occaſum, confitentes ne audiant. Neve in cellis, ſed publice in eccleſia, in ſedibus, in quibus tabella omnino inter confitentem & confeſſorem interjecta ſit. Hujuſmodi autem ſedes in eccleſiis ab iis, ad quos pertinet, conſtituendas epiſcopi quamprimum curabunt.

Nec ſine cauſa neceſſaria in privatis ædibus cujuſquam maris, vel feminæ confeſſionem audiant.

Parochi ſæpe cohortentur & moneant fideles, ne confeſſionem, quæ paſchæ tempore fieri debet, uſque ad ſanctam hebdomadam differant.

Caveant curati ne iis temporibus, quibus confeſſiones frequentiores eſſe ſolent, præcipue per octo dies ante natalem domini, & a dominica paſſionis uſque ad reſurrectionis octavam, etiam alio ad funera, & alia ſacra officia vocati, illud audiendæ confeſſionis munus

in

ANNO CHRISTI 1565.

in ſua eccleſia, ſine cauſa neceſſaria præmittant, A aut ullo modo differant.

Ad ſacramentum pœnitentiæ, quo a peccatis liberamur, nemo ſine debita præparatione accedat, ut in ſpiritu humilitatis, & amaritudine animæ ſuæ, non expectata confeſſoris interrogatione, ipſe peccata ſua confiteri poſſit: cujus tamen diligentia adjuvandus erit, ubi aliqua in parte deficere videtur.

Caveant confeſſores ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus, cum facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas facta ſunt, perſolvendi, illiſque ut id facerent ſuperiori confeſſione præceptum ſit, præſtare tamen neglexerunt; exceptis iis, qui periculoſe ægrotant, quos tamen moneant, ut B quod debent quam primum perſolvant.

Et quia interdum in falſi teſtis manu eſt, ut non ſolum facultatibus homines, ſed etiam exiſtimatione ac vita ſpolientur; idcirco neminem abſolvant, qui falſum teſtimonium in judicio, alterius detrimento dixerit; niſi prius dato damno, quatenus id ſarciri poterit & violatæ illius exiſtimationi ſatisfecerit.

Ne illum quidem abſolvant, qui poſt publicum epiſcopi monitum de indicandis rebus amiſſis, quid de iis ſciat non indicarit, niſi hoc officium ante perſolverit. Iidem omni adhibita diligentia conſcientiam examinent ſingulorum, qui fenerantur & qui iniquos contractus exercent: neque quemquam in his caſibus abſol- C vant, niſi debita reſtitutio, aut ſatisfactio ex canonum præſcripto prius intercedat.

Ad eorum etiam criminum, quæ infra ordine adſcribuntur, licentiam reſecandam, prohibemus, ne confeſſores quemquam ullis iis criminibus alligatum abſolvant, niſi facultas eis ab epiſcopo permiſſa ſit: cujus poteſtati & eorum ſacerdotum, quibus ipſe id [illegible], ejuſmodi abſolutionem, in ſua cuique diœceſi, reſervamus.

Raptores virginum.

Qui moniales violarint.

Qui abortum procurarint.

Qui ſecundo, vel propinquiori cognationis D gradu inceſtum admiſerint.

Incendiarios, & qui damni, injuriæve cauſa vites, vel arbores alienas inciderint.

Eccleſiam polluentes.

Homicidas voluntarios.

Qui parentes percuſſerint.

Qui locis piis infantes expoſuerint, cum habeant unde ipſos alant, neque eorum locorum damnum reſarcierint.

Notarios, qui legata ad pias cauſas facta non denuntiarint, ex noſtri decreti præſcripto.

Qui ad magicas artes, veneficia, ſuperſtitiones, & alia hujus generis, eucharistia, ſacriſve rebus abutuntur.

Qui ſtateras, menſuras, monetaſve adulterarint, corruperintve. E

Confeſſores canones pœnitentiales bene noverint; & de pœnitentia, quam cuique peccato præſcripſerunt, confitentes admoneant: ut tanto diligentius a peccatis cavere ſtudeant, quanto in pœnitentiis canonum mitigandis benigniorem in ſe eccleſiam experiuntur.

Seſſ. 24. c. 8. Iidem, quemadmodum a ſancta Tridentina ſynodo juſſum eſt, publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant; neque illud publicæ pœnitentiæ genus, niſi data ab epiſcopo facultate, ſecreta alia pœna commutare audeant.

## VII.

*De jejunio.*

Seſſ. 25. de delectu ciborum. Sancta Tridentina ſynodus paſtores omnes hortatur, atque obteſtatur, ut omnem adhibeant diligentiam ad fideles cohortandos, ut ea, quæ ad domandam carnem conducunt, præſertim ciborum delectum & jejunium omni ſtudio amplectantur. Itaque ejus nos auctoritati & ſacrorum canonum decretis innitentes edicimus, ut omnes carne, ceteriſque omnibus, quæ a carne trahunt originem, ut ovis, lacte; caſeo, butyro & hujuſmodi per totam quadrageſimam abſtineant;

Sciantque ſingulis quadrageſimæ diebus, dominicis exceptis, jejunii lege ſe obſtrictos eſſe, ſunt enim illi quadraginta dies, quaſi totius anni decima quædam, quæ oblatione jejunii, pro fidelium omnium ſalute, Deo conſecratur.

Ut per ſacra quatuor anni tempora, vigilias natalis domini, aſſumptionis beatiſſimæ virginis Mariæ, beatorum apoſtolorum (exceptis Joannis evangeliſtæ & Philippi & Jacobi vigiliis) item diei feſti omnium ſanctorum, nativitatis Joannis Baptiſtæ & beati Laurentii, jejunium ſervent.

Ut triduo etiam rogationum * poſt aſcenſionem domini, ex veteri inſtituto, in Mediolanenſi eccleſia jejunium adhibeatur. (* ante.)

Edicimus præterea, ut in provincia noſtra, proxima quarta feria poſt quinquageſimam, omnes quadrageſimalis obſervantiæ initium faciant, præter civitatem Mediolanenſem, eaſque diœceſis partes, ubi ex divi Ambroſii inſtituto divina officia celebrantur.

Illorum vero damnamus ingluviem, qui primis quinque quadrageſimæ diebus, Romanæ eccleſiæ more inſtitutis, Mediolanum ſe conferunt, patriæ ritum in jejunio, & ciborum abſtinentia fugientes.

Caveant autem jejunii cultores, ne, dum vetitis cibis abſtinent, aliarum rerum delicias, luxuriamque conſectentur; imo vero moderato cibo & potu carnis vitia coerceant, ut liberi mentes ad cæleſtium rerum amorem & contemplationem erigant; & ad pietatis opera expediti inveniantur.

Ab his autem omnibus eos excipimus, quos urgens neceſſitas, vel imbecilla ætas a jejunii lege eximit; eos etiam qui evidentis morbi, alteriuſve juſtæ cauſæ excuſationem habent; ſed horum judicium epiſcopo tantum, vel iis quos ei muneri ipſe præfecerit, ſcripto faciendum relinquimus; idque quod ad morbum attinet, de medici conſilio.

Quod autem ex divinarum literarum ſententia parum homini prodeſt, ſe per jejunium cibo temperaſſe, ſi animus in peccatis ſit intemperans; idcirco fideles in jejunio præcipue ſtudeant, ut dum caro ab alimentis abſtinet, mens pariter a culpa jejunet, omneſque in Dei laudibus, eleemoſynis, aliiſque piis officiis occupentur: hoc eſt enim jejunium quod ſe dominus Iſaiæ ore delegiſſe teſtatur.

## VIII.

*Quæ pertinent ad extremæ unctionis adminiſtrationem.*

Extremæ unctionis ſacramentum curet parochus,



ANNO CHRISTI 1565.

chus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur.

Item cum ad ungendum infirmum acceſſerit, diligenter eum conſoletur & hortetur ut bono animo ſit; & a curis ac deſideriis hujus vitæ ad cæleſtis beatitudinis cogitationem erigat; ut abjecto mortis metu, ſe a Deo in æternam requiem vocari gaudeat.

Omnes vero, qui adſunt, moneat, ut preces Chriſto domino pro eo faciant.

## IX.

*Quæ ad ſacramenti ordinis adminiſtrationem pertinent.*

Seſſ. 23. Accurate complexa eſt Tridentina ſynodus omnem diligentiæ rationem quam in conferendis ordinibus adhibere debeant epiſcopi, ut eccleſiæ idoneos ſacerdotes & alios miniſtros habeant: quamobrem eos tantum admonendos duximus, ut idem ſtudium in exequendo præſtent quod in præcipiendo adhibitum eſſe omnes intelligunt.

Quod a Tridentina ſynodo ſancitum eſt, ne in conferendis ordinibus epiſcopi, & eorum miniſtri quidquam, etiam ſponte, quavis de cauſa datum, accipiant: id & ipſi inviolate ſervent & a ſuis cubiculariis, ceteriſque familiaribus ſervandum curent.

Archidiaconus cujuſque cathedralis eccleſiæ, ſi ea eccleſia archidiaconum habeat; ſin minus is, qui proximum poſt epiſcopum in ea eccleſia dignitatis gradum obtinet, infra ſex menſes librum conficiat, in quo diligenter deſcribat clericorum omnium ſæcularium nomina, & quo quiſque ordinis gradu ſit, ac deinceps reliquorum tam ſæcularium, quam regularium, qui clericatum, vel aliquem ex minoribus, majoribuſve ſacris ordinibus aſſumpſerint, locum etiam, & tempus.

Quicumque vero poſthac in noſtra provincia a ſuo epiſcopo, vel ejus permiſſu ab alio, etiam extra provinciam, in clericalem militiam adſcriptus fuerit, vel altiorem ordinis gradum aſcenderit: ad menſem ex eo die, quo ordinem ſuſceperit, nomen ſuum in clericorum librum referendum curet.

Eum autem librum idem diligenter cuſtodiat, in quem quidquid ſingulis annis retulerit, id epiſcopo deſcribendum dabit; ut ejus libri exemplum etiam in epiſcopalibus ædibus aſſervetur.

## X.

*De ſeminario clericorum.*

Seſſ. 23. c. 18. Mandatum eſt a ſacro Tridentino concilio provincialibus ſynodis, quamprimum in eam curam incumberent, ut ſeminarium clericorum, ubicumque id fieri poſſet, conſtitueretur, omnique ratione propagaretur: quamobrem etiam illis facultatem dedit moderandi, & augendi omnia, & ſingula, quæ pii & ſancti hujus operis inſtitutionem & progreſſionem adjuvare poſſent. Itaque nos provinciæ noſtræ ſtatu, & eccleſiarum, ac beneficiorum genere diligenter conſiderato, duximus ad hanc rationem confugiendum eſſe, ut detrahamus, quemadmodum jam nunc detrahimus, decimam partem fructuum cujuslibet menſæ epiſcopalis, & capituli, & quarumcumque A dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbendarum, portionum, abbatiarum, & prioratuum cujuſcumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, etiam hoſpitalium, quæ dantur in titulum vel adminiſtrationem, juxta conſtitutionem concilii Vienenſis, & beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiamſi juriſpatronatus cujuſcumque fuerint, etiamſi nullius diœceſis, vel aliis eccleſiis, monaſteriis vel hoſpitalibus, & aliis quibuſvis locis piis, etiam exemptis annexa, & ex fabricis eccleſiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis eccleſiaſticis redditibus, ſeu proventibus, etiam aliorum collegiorum; in quibus tamen ſeminaria diſcentium, B vel docentium, ad commune eccleſiæ bonum promovendum actu non habentur, hæc enim exempta eſſe volumus, præterquam ratione redituum, qui ſuperflui eſſent ultra convenientem ipſorum ſeminariorum ſuſtentationem, ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur, & omnium monaſteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus ſubſidia eccleſiaſtica ſolvi ſolent, & milites cujuſcumque militiæ, aut ordinis pertinentibus (fratribus ſancti Joannis Hieroſolymitani dumtaxat exceptis) eamque ſupraſcriptorum fructuum decimam ſic detractam, ſeminariis, ſingulis provinciæ noſtræ diœceſibus erigendis, C ſeu jam erectis, applicamus & incorporamus.

Cap. Quia contingit Clem. de religioſis domibus, &c.

Poſſeſſores autem hujuſmodi beneficiorum ad eamdem fructuum decimam non modo pro ſe, ſed pro penſionibus, quas alii forſan ex dictis fructibus ſolvant, retinendo tamen pro rata quidquid pro dictis penſionibus illis erit ſolvendum, omnino teneri volumus, & mandamus ejuſdem Tridentini concilii auctoritate quibuſvis, quoad omnia, & ſingula ſupradicta privilegiis, exemptionibus, etiamſi ſingularem derogationem requirerent, conſuetudine etiam immemorabili, & quavis appellatione, & allegatione, quæ executionem non impediat, non obſtantibus.

D Hanc autem fructuum decimam juxta majorem ſingulorum beneficiorum taxationem, quæ hactenus facta reperiatur, exigi jubemus. Quod ſi aliqua beneficia non reperiantur taxata; epiſcopi de conſilio eorum, qui ſacræ Tridentinæ ſynodi juſſu ad id munus delecti fuerint, ea taxent.

Quam decimam duobus terminis intra ſequentem annum 1566. & deinceps ſingulis annis eodem modo ſolvi volumus, ſi quis hujus anni taxationem a ſe impoſitam exigere cœpiſſet, eamdem exactionem proſequatur; deinceps vero hanc exigendi rationem a nobis præſcriptam ſervabit.

E Præterea damus auctoritatem ſingulis provinciæ noſtræ epiſcopis, ut de eorum qui huic muneri præfecti erunt, conſilio, & metropolitani ſcripto conſenſu, poſſint eam decimam augere, ac perducere uſque ad decimam veri annui reditus, & imminuere vel univerſe vel ſigillatim; atque iis etiam beneficiis, quæ tenuiora fuerint, præſertim curatis, totam omnino exactionem remittere.

Decernimus item, ut epiſcopi, ex auctoritate ejuſdem concilii Tridentini, intra ſex menſes eccleſiaſtica aliqua ſimplicia beneficia, cujuſcumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimoniales portiones nuncupatas, &

ANNO CHRISTI 1565.

etiam nondum vacantes, huic collegio ſeu ſeminario applicent & incorporent; ea videlicet quæ illi ſeminario magis opportuna & idonea videbuntur: ſine tamen cultus divini detrimento, & beneficia obtinentium præjudicio.

Quod ſi epiſcopi illorum beneficiorum fructus ad id pium opus non ſatis eſſe animadverterint, diſpiciant ſi quæ alia ſint, quæ ſeminario attribui poſſint. Deque his metropolitanum admoneant, qui, ut res ex ſententia confici poſſit, a ſanctiſſimo domino noſtro opem implorandam, & ejus auctoritatem interponendam curabit.

Hæc autem unio beneficiorum ex præſcripta concilii Tridentini formula locum habeat etiam ſi beneficia ſint reſervata, vel affecta; nec per reſignationes ipſorum beneficiorum uniones & applicationes ſuſpendi, vel impediri poſſint; ſed omnino quacumque vacatione, etiamſi in curia effectum ſuum ſortiatur, & quacumque conſtitutione non obſtante; ſuccedente vero caſu, quo per uniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum, vel in partem dotatum reperiatur; tunc portio ex ſingulis beneficiis, ut ſupra, detracta, & incorporata, ab epiſcopo, prout, res exegerit, in totum, vel pro parte ad ratam remittatur.

XI.

*Quæ pertinent ad collationem beneficiorum.*

Interdicimus & iis, qui jus habent conferendi quæcumque beneficia eccleſiaſtica, ſeu eis providendi, aut ad ea eligendi, præſentandi, vel nominandi, & eorum miniſtris cu-[illegible] cauſam ejus rei gratia, ab aliquo, cui [illegible] cum beneficium quavis ratione tribuatur, [illegible] ſponte quidem datum accipiant.

Neve ita detur beneficium cuiquam, ut is ad nutum ejus qui dederit, vel cujuſvis alterius, poſtea cedat.

Neve in eo dando ulla fructuum pars ab epiſcopis, & inferioribus, contra ſacrorum canonum inſtituta, quavis etiam pietatis ſpecie reſervetur.

Qui ex iis, quos diximus, ſecus fecerit, jure ac facultate eligendi, nominandi, vel præſentandi deinceps uti non poſſit.

Qui vero beneficium conditionibus ejuſmodi acceperit, ſciat ex ſacrorum canonum decretis, ſe nullum in eo jus adeptum eſſe; atque ideo fructus ſuos non facere, quoſve perceperit, ſine conſcientiæ labe retinere non poſſe; ad eorumque reſtitutionem compellatur.

Bulla de confidentiis 6. Kal. Nov. 1564.

Omnes item ii ceteras pœnas dent, ſimoniacis a ſacris canonibus, & conſtitutione ſanctiſſimi domini noſtri Pii IV. conſtitutas, & quas epiſcopi præterea, de iis ſumendas judicaverint.

Eamdem Pii conſtitutionem epiſcopi ſemper in diœceſana ſynodo, ac bis quotannis in celebrioribus ſuæ diœceſis opidis publice recitari jubeant.

Neminem autem vel præſentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus proviſum prius admittant, aut inſtituant epiſcopi, quam infraſcriptum juſjurandum ab eo exegerint.

*Ego [illegible] præſentatus, vel electus, &c. ad beneficium N. juro per ſacroſancta Dei evangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficii obtinendi cauſa, aut ut ad id præſentarer, vel nominarer, &c. neque quemquam alium meo nomine, aut conſentiente, vel ſciente me, quidquam collatori, patrono, ſeu alii cuiquam ea de cauſa promiſiſſe, aut dediſſe, aut compenſaſſe, aut prius datum confirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe. Neque mutuo dediſſe, vel locaſſe, vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe; nec de domibus, terris, prædiis, redditibus ejus eccleſiæ, fructibuſve, decimis, aut oblationibus ejuſdem præteritis, præſentibus, ac futuris donationem, remiſſionem, locationemve feciſſe, promiſiſſe, aut iniviſſe; aut alium, mandante, vel conſentiente me, promiſiſſe, aut iniviſſe. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.*

Notariis, ſcriptoribus, aliiſque epiſcopi miniſtris pro omnium opera, ſumptu, ac labore, in conficiendis litteris, quibus beneficii collatio, confirmatio, inſtitutio, proviſio continetur, non plus duobus aureis ad ſummum perſolvatur.

Epiſcopi munus erit cavere, ne propter juriſpatronatus occaſionem pluris aliquanto res cui illud jus annexum eſt vendatur, aut transferatur; ſi qui vero nihilo minus ita vendiderint, pœnas contra ſimoniacos editas incurrant.

Ne redimendæ vexationis ſpecie in cauſis beneficiorum ſimoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus, ad redimendam vexationem, ne in caſibus quidem jure permiſſis, pecuniam dare, quidquamve paciſci, aut tranſigere, niſi epiſcopi conſenſus acceſſerit: cujus partes erunt, & perſpicere diligenter an ſubſit aliqua fraus, & ubi rem fraude carere, & jure permiſſam eſſe cognoverit, non denegare ei qui petierit facultatem ſe a vexatione liberandi. Qui contra [illegible] decretum a nobis eſt fecerit, epiſcopi arbitrio plectatur; & quod actum fuerit, irritum ſit ac nullum.

Ut omnis ad ſimoniam aditus intercludatur, ſtatuimus ut non ſolum auctores ſimoniæ, ſed ejus internuntii, & interpretes, notarii etiam, qui ſimoniaca inſtrumenta conficiunt, iiſdem pœnis teneantur, quibus addicti ſunt ii qui per ſimoniam contraxerint.

Iis etiam pœnis comprehendi volumus eos, qui ſcientes inter eos, qui contrahunt, ſimoniacam pactionem intercedere, in eorum gratiam ſua beneficia obligant.

Monemus & obteſtamur epiſcopos, aliosque, quibus eſt jus conferendi beneficia, ut familiaribus ſuis certam mercedem conſtituant; ne illi hoc ſubſidio deſtituti, beneficia eccleſiaſtica, tamquam ſuæ operæ, & laboris precium, præcipue ſibi proponant: fraudari tamen eccleſias nolumus probatorum hominum miniſterio, ſi qui ſint in eorum familia, quorum doctrinæ & pietati utiliter ſacrum munus committi poſſit.

Quibus beneficium eccleſiaſticum vacans multis & ambitioſis precibus per ſe vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri poſſit.

Eamdem pœnam illis proponimus, qui beneficia eccleſiaſtica, quæ nondum vacent, poſtularint; præter eas, quæ a ſacris canonibus huic iniquitati conſtitutæ ſunt.



ANNO CHRISTI 1565.

XII.

*De edicto proponendo in examine eorum, qui præficiendi ſunt parochialibus eccleſiis.*

Seſſ. 24. c. 18. decret.

Quia ſacrum Tridentinum concilium ad provinciales ſynodos illam cognitionem rejecit, an expediat, ut ii, qui præficiendi ſunt parochialibus eccleſiis, ad examen vocandi ſint per edictum; re diligenter conſiderata, ſtatuimus ut, cum primum epiſcopus parochialem eccleſiam vacare cognoverit, intra triduum ad cathedralis & vacantis eccleſiæ januam publicum edictum per totos decem dies, vel aliud longius tempus, ejuſdem epiſcopi arbitrio, propoſitum eſſe jubeat; quo omnes invitentur qui volent examinari, vel alios examinandos nominare: ut tranſacto præſtituto tempore, examen confici poſſit: ac deinde orbato gregi ex ea formula, quæ in dicto concilio præſcripta eſt, idoneus rector præficiatur.

XIII.

*De examine & inquiſitione in promovendis ad cathedrales eccleſias.*

Seſſ. 24. c. 1. de refor.

Quoniam ſtatuit ſancta Tridentina ſynodus, ut in provinciali ſynodo forma examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis natalium, vitæ, ætatis, doctrinæ atque aliarum omnium qualitatum, quas ſacri canones, & ipſa Tridentina ſynodus in promovendo ad epiſcopatum poſtulant præſcribatur: nos hanc formulam ſanctiſſimi domini noſtri arbitrio comprobandam proponimus.

Cum examen de aliquo ad epiſcopatum provinciæ noſtræ promovendo faciendum erit, epiſcopus, in cujus diœceſi is majorem ejus anni partem verſatus fuerit, mandato a ſummo pontifice accepto, ex quinque probatis & doctis ac juratis, omnique exceptione majoribus teſtibus, de ejus fide, vita, & moribus cognoſcat in hunc modum.

An ſit bonæ exiſtimationis.

An hæreſis nomine, aut ſchiſmatis ſuſpectus ſit.

An hæreticorum libros legerit, habeatve.

An cum hæreticis verſatus fuerit, aut eis aliquo modo faverit.

An ſtatuto eccleſiæ tempore confiteatur, & euchariſtiam ſumat, ac miſſæ interſit.

An ſacris ordinibus ſit initiatus, & quampridem.

An ſit criminoſus, vel vitio aut infamia notatus.

An cum aliquo inimicitias gerat capitales, & præſertim in loco epiſcopatus.

An filios habeat non legitimos, & cujus ætatis, & quot.

An familiam ſuam prudenter & catholice regat.

An bigamus ſit.

An excommunicatus, aut ſuſpenſus.

An apoſtata.

An ei publica pœnitentia impoſita fuerit.

An aliquando inſanierit, aut a dæmone vexatus fuerit.

De natalibus vero, ætate, gradu, & corporis habitu, a duobus, vel tribus teſtibus fide dignis, vel ex inſtrumentis publicis hoc modo cognoſcat.

An ex legitimo matrimonio natus ſit.

An hæretici filius nepoſve ſit.

An trigeſimum annum confecerit.

An in univerſitate ſtudiorum magiſter, ſive doctor, aut licentiatus in ſacra theologia, vel jure canonico, merito ſit promotus, aut publico alicujus academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur.

Et, ſi regularis fuerit, an a ſuperioribus ſuæ religionis ſimilem fidem habeat.

An aliquo vitio, vel inſigni deformitate corporis, & in qua parte laboret.

An comitiali morbo tentetur.

De doctrina autem ſic periculum faciat.

Adhibitis tribus theologiæ, totidemque juris pontificii peritis, quos ſi ibi non fuerint, ex vicinioribus locis accerſat, promovendum undecumque evocatum interroget.

Quid differant inter ſe ſacramenta veteris & novæ legis.

Quot ſint eccleſiæ ſacramenta, & quomodo ſingula nominentur.

Quæ ſit eorum materia, forma, miniſter.

Quod officium presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi, quodve minorum ordinum.

Quæ præcepta divina, quæve conſilia evangelica.

Duos item locos ei proponet interpretandos, alterum veteris, alterum novi teſtamenti, a mane ad veſperam dato ſpatio cogitandi.

Quibus interpretatis, percunctantibus etiam aliquid de jure pontificio, ita reſpondebit, ut etiam ſi theologus ſit tamen ſe juris canonici in iis quæ ad epiſcopi munus pertineant, non omnino rudem eſſe oſtendat.

His confectis, ex formula præſcripta a ſanctiſſimo domino noſtro, coram eodem epiſcopo fidei profeſſionem faciat.

Quod ſi promovendus in pluribus civitatibus, vel diœceſibus proximum triennium moratus fuerit, ejus fidem, vitam, & mores, illi etiam epiſcopi, in quorum locis ſex menſes manſerit, a ſummo pontifice admoniti, vel ab eo, qui proceſſum confecerit, rogati, ſuo teſtimonio comprobent: idque ſcriptum ad eumdem mittant, a quo proceſſus confectus ſit. Is vero acta hæc omnia in publicum inſtrumentum relata ad ſanctiſſimum Romanum pontificem obſignata quamprimum mittat.

XIV.

*De vita & honeſtate epiſcoporum & clericorum.*

Seſſ. 25. c. 1. de ref.

Pie ac ſapienter ſancta Tridentina ſynodus, duce Spiritu ſancto, eccleſiæ utilitati conſuluit, cum epiſcopis, & reliquo clericorum ordini certas officiorum vias, rationeſque præſcripſit; quibus intelligerent, ſe, cum in Dei militiam adſcripti ſunt, non ad commoditates, aut voluptates, ſed ad labores, ac ſolicitudines vocatos eſſe: & in iis numerari, quos dedit Deus, *Quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios vero evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Quare ipſis diligentiſſime providendum eſt, ne a recta vivendi via, & ab officii ſui ratione deflectant; neve quidquam præ ſe ferant, quod non ſimplex, caſtum, integrumque ſit; ut modeſtiæ, frugalitatis, benignitatis, &, quæ nos Deo tantopere commendat, ſanctæ humilitatis, ac virtutum omnium ceteris exempla præbeant. Etenim

Epheſ. 4.

ANNO CHRISTI 1565.

A uberrima docendi ac paſcendi ratio eorum, qui pietatem, quam profitentur, vitæ integritate & innocentia comprobant: & quæcumque verbis alios docent, ea factis exprimunt ſuis: non jam quæ ſua ſunt quærentes, ſed quæ Jeſu Chriſti. Id autem cum omnium clericorum profeſſio requirat, tum maxime epiſcoporum dignitas poſtulat, qui cum ſint mundi lumina, religionis ac pietatis exemplo ceteris prælucere debent; neque committere, ut ulla in parte Dei lucem, in ipſis collocatam, propriis tenebris obſcurare videantur: qua in cogitatione obeundi ſui muneris, illam epiſcopi perfectam imaginem, digito Dei ab apoſtolo deſcriptam, aſſidue ſibi proponent: 1. Tim. 3. *Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem,* B *doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed domui ſuæ bene præpoſitum.* Hæc autem clericorum, maximeque epiſcoporum ſtudia & officia, ſi reliquorum oculis, auribuſque obſervabuntur: profecto efficient, ut illi glorificantes patrem qui in cœlis eſt, magis etiam vitæ exemplis, quam doctrinæ præceptis ad imitationem virtutis incitentur. Itaque nos, qui eo conſilio huc convenimus, ut quæ a ſacra Tridentina ſynodo ſancita ſunt, exequentes provinciæ noſtræ mores ad optimam Chriſtianæ religionis diſciplinam conformaremus; eccleſiaſticis hominibus certas recte pieque vivendi formulas conſtituimus: quas Seſſ. 22. c. 1. de ref. C partim a ſacra Tridentina ſynodo ſummatim expoſitas latius explicavimus; partim hauſtas ex veterum canonum fontibus, ejuſdem concilii auctoritate revocavimus ad uſum, utilitatemque noſtrorum hominum; nonnullis etiam additis, quæ maxime ad hujus temporis ſtatum rationemque pertinere videbantur.

XV.

*De frequenti divini ſacrificii oblatione.*

Hebr. 5. *Cum pontifices*, ut inquit apoſtolus, *ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituantur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona & ſacrificia pro peccatis;* epiſcopus dominicis & reliquis feD ſtis diebus, niſi jure impediatur, miſſam celebret.

Seſſ. 23. c. 14. Tridentini etiam concilii auctoritatem ſecuti, præcipimus ſacerdotibus reliquis, cujuſcumque gradus, conditionis & dignitatis illi ſint, ut iiſdem diebus miſſam celebrare ne omittant.

Curatis vero, ut præterea ter in hebdomada, aut eo etiam ſæpius, quo vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini ſacrificii uſum poſtulabit. Ceteris etiam clericis, ut ſingulis menſibus diaconi quidem, & ſubdiaconi bis ſaltem; qui vero in minoribus aut etiam clerici tantum ſunt, ſemel ſacram euchariE ſtiam ſumant.

Qui ſine neceſſaria cauſa id facere omiſerint, parochus eos ſui officii admoneat; &, niſi paruerint, ad epiſcopum deferat.

XVI.

*De dignitate ab epiſcopo retinenda.*

Alienum eſt valde ab epiſcopali dignitate, ſi epiſcopi in conſuetudine principum ſeſe deprimant & abjiciant.

Ne igitur principibus accumbentibus ſtent ipſi. A Ne eo quidem nomine, quod, ſumpto a principibus cibo, Deo gratias agere debeant.

Neque inter miſſam, pacem, aut miſſale illis exoſculandum præbeant.

Seſſ. 25. cap. de ref. Denique ſervent cetera omnia, quæ illis ſacra Tridentina ſynodus ea de re graviſſimo decreto præcepit.

Principes autem ſummo ſtudio cohortamur, ut meminerint epiſcopos eos duces eſſe, quorum cura & vigilantia fideles ad cælorum regnum diriguntur: Quamobrem eos quo debent honore proſequantur.

Qui clericus epiſcopo, vel alii ſuperiori cujuſvis generis, quem revereri, & colere debet, maledixerit, epiſcopus in eum ex ſacris canoniB bus animadvertat.

XVII.

*De epiſcopi veſtitu.*

Epiſcopus non profano ornatu, aut apparatu, ſed fidei & vitæ ſplendore ſibi auctoritatem quærere debet.

Itaque in veſtitu ſericum non adhibeat.

Non precioſis pellibus utatur.

Unguenta ne ſumat, neve alias odorum ſuavitates conſectetur.

Sit annulo epiſcopali contentus.

Ne mulæ, aut equo epiſcopali ſtragulum & C ornamentum ex villuto, aut ſerico, ſed ex corio factum aut lana adhibebit.

Ephippiis aut calcaribus, aut frenis inauratis non utetur.

Cap. clerici de vit. & hon. cler. Lineam tunicam, quam rochetum appellant, ex decreto Innocentii III. in concilio generali, in eccleſia & in publico habeat.

Sine talari tunica, quæ ad collum adſtricta ſit, ac mozeta, neque e cubiculo exeat; neque quemquam, niſi ex familia, admittat, neque eum veſtitum [illegible] vel niſi dimiſſis omnibus, deponat.

Veſtes quibus privatim utetur, tales omnino ſint, ut modeſtiæ & gravitati conſulatur.

In itinere quoque tam in diœceſi, quam exD tra, eum veſtitum habeat, ex quo illum eſſe epiſcopum appareat.

XVIII.

*De epiſcopi ſupellectili.*

In ejus ſupellectili nihil aureum, aut argenteum ſit, præter leviſſima ac tenuiſſima quædam inſtrumenta ad cibum ori admovendum comparata.

Nihil auro, argentove ornatum.

Nihil ſericum, aut ſerico diſtinctum.

Non colorum varietas.

Non aulæa, aut tapetia.

E Nihil acu pictum.

Nihil varie textum.

Nihil ſtudioſius elaboratum.

Denique non pluris ſit artificium & manupretium, quam rei neceſſitas poſtulet.

Simplici tantum corio, aut panno menſas aliave ſternere liceat.

Signa & tabulas profanarum rerum rejiciat.

In ædibus duo tantum loca veſtiri poſſint, quæ attributa ſint epiſcopo: alter ejus valetudinis cauſa, alter eorum gratia, qui ad epiſcopum conveniunt.

Liceat etiam & hoſpitum gratia, qui accipien-

di



ANNO CHRISTI 1565.

di ſunt, habere neceſſarios apparatus, non tamen diverſi generis, nec majoris precii, quam eos, qui ad ipſius uſum conceduntur: ita ut in omnibus humilitas & modeſtia epiſcopalis eluceat.

Equos ne alat, niſi neceſſarios.

Domeſticam omnem luxuriam, in ædificiis extruendis magnificentiam, picturas & inania ornamenta, ac delicias excludat.

Caveat denique, ne quid in ejus domo appareat, quod non ſimplex, ac purum ſit, quod non Dei zelum & omnium inanium rerum contemptionem teſtetur.

Cum in iis, quæ ad privatum uſum, cultumque requirantur, eam moderationem adhibuerit, ut ſordes & ſupervacaneum ſumptum fugerit; B omnem operam & artificis ſplendorem ad publicum Dei templorum cultum & ornamentum conferat.

XIX.

*De epiſcopi menſa.*

Accumbens epiſcopus menſæ benedicat; & quam decet frugalitatem & temperantiam adhibeat.

In ea præter primam eſcam & unum juruſentum cibum, alterum lacticinium & duo fructuum genera, unum aut alterum, vel, ut aliquid conſuetudini & hoſpitum ſtomacho indulgeamus, C tertium ad ſummum ſimplicis obſonii ferculum tantum ei apponi liceat; etiam quorumvis hoſpitum cauſa.

Bellaria, placentæ, omniaque ſaccharo artificioſe condita, ceteraque eſcarum lenocinia, exquiſita etiam vinorum genera prohibentur.

Adhibeatur vero in ejus menſa lectio ſacrorum librorum; ut convivæ non ſolum corporis cibo, ſed etiam epulis animæ recreari poſſint.

Paraſiti, ſanniones, ſcurriles joci & maledicta non admittantur.

Quemadmodum autem benedictio cibi caput, ſic actio gratiarum clauſula eſſe debet; ut Dei laudes, ſicuti par eſt, uſquequaque celebrentur, & omnia ejus benigitati accepta refeD rantur.

XX.

*De epiſcopi familia.*

Epiſcopus domui ac familiæ ſuæ bene præſit; curetque ut honeſtas decorumque ſervetur, tam in internis quam in externis, qui enim domum ſuam regere neſcit, nec Dei eccleſiam recte gubernabit.

Familiæ numerus is tantummodo ſit, quo ſimul eccleſiæ utilitati & epiſcopi neceſſitati conſulatur.

E Eum autem vehementer hortatur, ut in familia, quamplurimos poſſit, habeat clericos, qui niſi clericali veſtitu utantur, & in illis, ſi commode fieri poſſit, ad minimum duos ſacris initiatos & bonæ exiſtimationis, qui vigilantem, orantem, in opera miſericordiæ incumbentem, ac divinarum literarum myſteria ſcrutantem epiſcopum ſtudioſius attendant, ejuſque actionum & ſanctæ converſationis quaſi teſtes ſint & imitatores. Habeat deinde eccleſiaſticam perſonam, ſpectatam & probatam, quæ præfecta ſit moribus familiæ, ac de omnium ſalute ſollicita; ſpiritualem curam ſuſtineat, eamque A bonis & piis artibus, ac literis, præſertim ſacris, pro cujuſque ſenſu & intelligentia, erudiendam curet.

Familiares arma ne ferant, niſi in itinere, vel neceſſitatis cauſa, idque epiſcopi arbitratu.

Sericum, aurum & argentum, colorumque varietatem omnino excludentes, nigrum tantummodo vel fuſcum colorem in veſtibus adhibeant. Quibus ſciſſis, aut prætextis ad elegantiam non utantur.

Calcei inaniter non incidantur.

Non ſint turgidæ caligæ, non virgatæ, non ſectæ, aut acu pictæ: ſed ſimplices & unius coloris ac generis. Denique talis ſit domeſticorum omnium veſtitus, ut ex eo etiam appareat, illos B eſſe miniſtros miniſtrorum Dei.

XXI.

*De canonicis horis non intermittendis.*

Malitiæ ac negligentiæ clericorum, qui quas debent canonicas horas dicere omittunt, occurrere cupientes, ex decreto Leonis X. in Lateranenſi concilio, Seſſ. 9. mandamus, ut clericus quicumque curatum, vel ſine cura eccleſiaſticum obtinens beneficium, ſi poſt ſex menſes ab eo die, quo illud obtinuerit, ſine juſti impedimenti cauſa divinum officium non dixerit, beneficiorum fructus ſuos non faciat: ſed eos tamC quam injuſte perceptos, in ejus eccleſiæ fabricam, vel pauperum eleemoſynas erogare debeat. Si vero canonice admonitus, in eadem negligentia ac malitia perſtiterit, beneficio privetur. Officium autem omittere, ut beneficio privari poſſit, is jure dicetur, qui quindecim dierum ſpatio bis illud omiſerit. Quæ pœna ab iis, qui plura obtinent beneficia, toties repetenda eſt, quoties hujus delicti convicti fuerint, quamquam illud gravius eſt, quod eos omiſſi officii rationem Deo reddere oportet. Qui vero, ſacris initiati, beneficium eccleſiaſticum non habent; ſi divinum prætermiſerint officium, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab epiſcopis in eos aniD madvertatur.

XXII.

*Qui libri potiſſimum a clericis legendi.*

Clerici poſtquam decimumquartum annum attigerint, ut legem domini, in cujus ſorte ſunt, dies noctesque meditari poſſint, habeant ſacrorum librorum ſi non copiam, certe neceſſarium delectum: omnino vero teſtamentum vetus & novum: catechiſmum Romæ edendum, cum primum in lucem prodierit: ſacrum Tridentinum concilium: conſtitutiones has noſtras & diœceſanas proprii epiſcopi: KalendaE rium feſtorum dierum, quod epiſcopi in ſua diœceſi ſingulis annis edendum curabunt.

Parochi vero, ut eccleſiaſticos ritus cognoſcere, recteque curam animarum adminiſtrare poſſint, præter eos libros, quos ſupra diximus, ſibi etiam comparent homiliarium ab epiſcopo eligendum.

Summam Antoninam, vel aliam ab epiſcopo delectam, & quos præterea ab eis legi epiſcopus juſſerit.

Hortamur autem ut in lectione paſtoralis ſancti Gregorii & ſancti Joannis Chryſoſtomi de ſacerdotio aſſidue verſentur.

ANNO CHRISTI 1565.

## XXIII.

*De clericorum veſtitu & reliqua vitæ moderatione.*

Seſſ. 14. c. 6. de ref.

Epiſcopi ex ſacri Tridentini concilii auctoritate per edictum, ad menſem ab eis proponendum, moneant omnes & quaſcumque eccleſiaſticas perſonas, quæ aut ſacris initiatæ ſint, aut dignitates, perſonas, officia, beneficiave qualiacumque eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, obtineant, etiamſi ſtudii cauſa abſint, re in gymnaſiis publicis, aut ubivis locorum ſint, ut, qui in provincia manent, ad duos menſes, qui vero extra provinciæ fines, ii ad quatuor clericalem habitum ſumant, ordini ſuo ac dignitati congruentem: hac conſtituta pœna, ut qui non paruerint, ſi in ſacris ordinibus ſunt, ab omni ordinum ſuorum munere ſint ſuſpenſi & beneficiorum ſuorum omnibus anni unius fructibus jure ipſo privati ſint: quos epiſcopus piis locis arbitrio ſuo attribuet.

Sin autem beneficium eccleſiaſticum nullum obtinent, alias pœnas luant epiſcopi judicio.

Si qui autem poſt menſem, tranſacto tempore, in edicto ad clericalem habitum ſumendum præſcripto, eum vel non ſuſcepiſſe vel ſuſceptum abjeciſſe convicti fuerint, officiis ac beneficiis eccleſiaſticis priventur, & ſevere præterea ab epiſcopo puniantur.

Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, ceterique clerici, clericali tonſura ſint inſigniti ad eam formam, quam ratio uniuſcujuſque ordinis, epiſcopi arbitrio, poſtulabit.

Ita ſint abraſo capillo, ut tonſura conſpicua ſit omnibus [illegible]

Comam vero & barbam ne ſtudioſe nutriant: capillis ſimplicem cultum adhibeant.

Barba ab ſuperiore labro ita recidatur, ut pili in ſacrificio miſſæ Chriſti domini corpus & ſanguinem ſumentem non impediant.

Ne in habitu clericali aut ſtudioſius exquiſita cultus elegantia, aut nimis abjecta negligentia & affectatæ ſordes appareant.

In omni veſtitu color tantum niger adhibeatur: niſi fortaſſe alium colorem requirat dignitatis gradus. Omnem habitus & ornamenti novitatem clerici fugiant.

Ne ſerico veſtimento, aut ornamento domi, aut foris utantur.

Jubemus vero illos laneum & ei ordini decorum veſtimentum adhibere.

Reticulum, aut ſubbiretum, ut vocant, ne ferant, niſi valetudinis cauſa & ſine redimiculis.

Camiſas ad collum & ad manus criſpas & rugoſas, vel artificio elaboratas rejiciant.

Collare, quod dicunt, ſimplex, ac modice latum honeſte reclinetur.

Externa veſtis ſimplex, ac talaris erit, quæ neque a cervicibus in tergum reflectatur: ſed apte ad collum nodo decentiſſime annexa ſit.

Toga vero, quod mantelletum vocant, aut æquetur cum tunicæ longitudine: aut nemini permittatur, niſi ſit ex numero prælatorum, quibus ex dignitatis gradu, judicio epiſcopi, debeatur.

Interior ejuſdem generis ad talos demittatur, quam tamen pro hominum genere proque [illegible] natura ac conditione, ordinariorum arbitrio, in aliquibus moderandam relinquimus.

Pallium, quod ferrajolum appellant, ne ſumant, niſi per pluvias: tum vero nec a collo plus duobus digitis emineat, neque eo ſine talari toga, vel tunica utantur. Verumtamen, ſi iter faciendum ſit, illis uti liceat habitu contractiore & ad iter accommodato, ſed ſimplici, & in quo honeſtas & decorum ordinis eluceat.

Turgidis caligis & diſſectis abſtineant.

Calceos & crepidas ad elegantiam non incidant.

Torques, armillas, ac monilia reſpuant.

Annulum non induant, niſi quibus propter officii munus, aut honoris gradum ſit jure conceſſus, quo loco & unico, nec magni precii, contenti ſint.

Quæcumque autem de epiſcoporum menſa ejuſque benedictione & cibis, lectione & gratiarum actione, ſupellectili, auro, argento & ſerico, cubiculorum apparatu, ædificiorum magnificentia, ſupervacaneis ſumptibus, privata moderatione, templorum cultu & ornamento, familiæ cura & inſtitutione, ejuſque veſtibus, eorumve modo, colore & ornamentis, equorum numero, &, ſi quæ alia decreta ſunt, quæ non ſint epiſcoporum tantum propria, eadem a clericis quibuſcumque cujuſvis conditionis, ordinis & dignitatis ſint, accurate ſervari jubemus: etiamſi in alienis ædibus, aut cum propinquis habitent.

Meminerint autem in quibuſdam, quæ epiſcopis permiſſa, ipſis communia eſſe poſſunt, eo majorem ſibi moderationem adhibendam eſſe, quo dignitatis gradu epiſcopis ſunt inferiores.

Si quis perſonatus veſtes clericales, aut monachales, vel ad eorum formam induerit, & is qui eas aſſumpſerit, & is qui accommodarit, graves pœnas ſubeant.

## XXIV.

*De clericalibus ædibus.*

Quoniam non ſolum malum cavere, verum etiam omnem mali ſuſpicionem fugere oportet, ne in cujuſquam offenſionem incurramus: in ædibus ad canonicorum, aliorumve clericorum domicilium & uſum ædificatis, aut aliis, in quibus ipſi habitant, feminas quaſcomque, etiam quovis ſanguinis, cognationis, aut affinitatis vinculo conjunctas habitare prohibemus: niſi epiſcopus in alicujus urgenti neceſſitate aliter faciendum eſſe duxerit: cujus conſcientiam in hoc valde oneramus.

Ne parochi, aut omnino clerici, quavis etiam dignitate præditi, eccleſiæ, etiamſi commendata ſit, ædes, aut earum partes in urbe, aut in opidis poſitas, in quibus ipſi habitare ſoleant, aut debeant, ullo modo laico locent: niſi eccleſia magna prematur inopia, & ea domus commode epiſcopi judicio dividi poſſit.

Si vero ædes extra urbem & opida ruri ſitæ ſint, locandi facultatem habeant: modo earum diviſio ejuſdem epiſcopi judicio recte & commode fieri poſſit.

Caveat etiam epiſcopus, ne in urbe, aut extra, hujuſmodi ædes, vel aliæ ab eccleſia ſejunctæ, vel etiamſi patrimonii ſint, ac propriæ, locentur iis quorum fidem, vitam, moreſve ſuſpectos eſſe judicaverit.

Ca-



ANNO CHRISTI 1565.

Canonici cathedralium, & collegiatarum eccleſiarum habitent in canonicalibus ædibus, in quibus commode epiſcopi judicio commorari poſſunt: qui inſpectis ædibus, ſi quid reparandum, inſtituendumve ſit ad habitationis commoditatem, pro modo fructuum præbendæ, ab eo, qui canonicatum obtinet, reparari ac reſtitui jubeat. Quo facto curet ut in illis ædibus habitent; quibus ſi abeſſe etiam juſta de cauſa contigerit, nemini præterea, niſi canonicus ſit, in eis habitandi facultas concedatur ſine juſſu epiſcopi.

Quarum ædium atrium, ubi claudi poteſt, una clave concludatur: quæ a decano, vel alio, epiſcopi & capituli arbitratu, aſſervetur.

Quota autem hora atrii janua aperiri, claudive debeat, quidque ad honeſte ibi vivendum pro loci ratione requiratur, judicium ſit epiſcopi.

Rectores parochialium ſeu curatarum eccleſiarum, quicumque ſint, in earum ædibus tantum habitent; ibique cibum & ſomnum capiant: niſi aliud epiſcopus cenſuerit ex cauſa neceſſaria.

Clerici ne de nocte poſt primam horam, niſi ex juſta cauſa, & cum lumine, domo exeant.

## XXV.

*De armis, ludis, ſpectaculis, & ejuſmodi a clerico vitandis.*

Clericorum arma ſunt orationes & lacrymæ: idcirco edicimus, ne clerici arma cujuſvis generis ad offenſionem, vel etiam ad defenſionem ferant, exceptis cultellis ad domeſticum vitæ uſum accommodatis, niſi forte extra civitatem ſuſpectis locis iter eis faciendum ſit.

Quod ſi epiſcopus probabili juſtaque de cauſa id eis permittendum judicaverit: tunc, ſcripto impetrata venia, ipſis uti liceat: non tamen publice, niſi rei aut facti neceſſitas poſtulet.

Omnino baliſta, haſtis, & ſclopeto, telis, aliiſque hujus generis inſtrumentis ipſis interdicimus.

Clerici perſonati non incedent.

Choreas privatas aut publicas non agent, nec ſpectabunt.

A venatione abſtinebunt.

Fabulis, comœdiis, & haſtiludiis, aliiſve profanis & inanibus ſpectaculis non intererunt; ne aures & oculi, ſacris officiis addicti, ludicris, impuris actionibus, ſermonibuſque diſtracti polluantur. Clericalis ordinis hominibus omni genere ſaltationis, & ludi, præſertim vero aleæ, & teſſerarum, ac talorum interdicimus.

Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur: item follis ludum, id eſt, pilæ majoris.

Nec ſolum ludere vetamus, ſed eos ludorum ſpectatores eſſe nolumus; aut quemquam ludentem in ædibus ſuis permittere.

Si autem valetudinis interdum cauſa, parva pila, aut alio non indecoro ejuſmodi exercitationis genere ut contigerit; nec publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam quod facile pecunia æſtimari poſſit.

Non in comeſſationibus & ebrietatibus, ſed ut ſobrie vivamus, prædicat apoſtolus: ideo clerici minus honeſtis conviviis ne interſint, neve ad bibendum quemquam incitent.

Quod ſi interdum ſolennibus feſtis diebus, vel cum ſacrorum, aut exequiarum cauſa in unum congregantur, aliqui ſint invitandi; ne plures ſex, & eos clericos, ad ſuam menſam adhibeant.

Ut flagitii occaſionem, quæ in cauponis & tabernis deeſſe non ſolet, clericis adimamus, cauponarum aditu & uſu eis omnino interdicimus, niſi in itinere neceſſitatis cauſa: quo loco cum mulieribus ne diſcumbant. Monemus autem epiſcopos, & vehementer hortamur, ut in ſingulis eorum civitatibus curent parandum unum aut alterum pudicum & honeſtum diverſorium, quo ſuarum diœceſeon clericis ruſticanis neceſſitatis cauſa convenire liceat, nec in eo hoſpitio improbis aut nequam hominibus locus ſit; neve feminis ullo modo; ſed tantum clerici, ac religioſi viri, ſi fieri poſſit, in eo recipiantur.

## XXVI.

*De negotiis ſæcularibus a clerico fugiendis.*

Qui Deo militat, implicare ſe negotiis ſæcularibus prohibetur: idcirco edicimus;

Ne clericus, ſacris initiatus, aut eccleſiaſtico beneficio præditus, coram judice ſæculari advocati aut procuratoris nomine cauſas agat: niſi ab aliis in judicium vocatus, ſuam vel eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam, ſi neceſſe erit, & miſerabilium perſonarum cauſas, ab epiſcopo facultate prius ſcripto conceſſa, tueatur.

Ne in profanis negotiis officium tabellionatus exerceat.

Ne artem medendi faciat.

Ne in negotiationibus & mercaturis ſe interpretem, & medium interponat.

Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus.

Artes vero honeſtas concedimus, ut aliquid manibus ſuis lucretur, quo ſibi quæ ad victum neceſſaria ſunt comparare poſſit.

Ne aliena prædia lucri cauſa conducat.

Ne aliorum tutelam aut curam ſuſcipiat.

Ne pro aliis fidejubeat.

Ne alicujus principis, aut alterius, negotiorum procurator ſit ſine facultate ab epiſcopo prius per literas impetrata, ſingulis annis renovanda.

Neve parum memor ordinis ac dignitatis ſuæ, ſit in famulatu laicorum, etiam principum, eorumve, quibuſvis aliis obſequiis, niſi cui ex cauſa, & ad officium, ſacerdotali munere non indignum, epiſcopus hujus rei poteſtatem ante ſcripto fecerit. Hujuſmodi autem licentiæ, ſcripto permiſſæ, quotannis renoventur; alioquin irritæ ac nullæ ſint.

Neve præcurſor, aut aſſecla feminarum, aut eis diſcumbentibus adſiſtat aut ancilletur.

Qui autem hujuſmodi ſæcularia negotia exercendi facultatem, ſeu diſpenſationem impetrarit, intra duos menſes epiſcopo exhibeat: qui conceſſas ante ſacri Tridentini concilii confirmationem auctoritate generalis bullæ ſanctiſſimi domini noſtri Pii IV. pontificis maximi non admittat.

Quæ-

ANNO CHRISTI 1565.

*an. 1564. 7. kal. Febr.* Quæcumque in hac univerſa, quæ ad vitam, & honeſtatem clericorum pertinet, parte variis titulis expreſſa præcepta continentur, efficiat epiſcopus ut ea omnia ab omnibus, ad quos ſpectat, diligenter & inviolate ſerventur.

Qui vero clericus, cujuſvis etiam gradus, ordinis, dignitatis, in aliqua re iis non obtemperarit; is aut ſalutari pœnitentia, aut pecunia, ſuſpenſione ab ordinum munere, & beneficiorum adminiſtratione, aut ipſis etiam beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus ſimul ex iis pœnis, aut etiam gravioribus pro modo culpæ epiſcopi arbitratu mulctetur. Qui iterum in eadem re peccarit, duplicata is pœna pro ratione criminis ab eodem plectetur.

## XXVII.

### *De reſidentia.*

*Seſſ. 23. c. 1. de ref.* Decrevit ſancta Tridentina ſynodus, ut ii, qui non legitime a ſuis eccleſiis abeſſent, pro rata temporis abſentiæ, eccleſiarum, quibus præeſſent, fructus ſuos non facerent; ſed ut in fabricam eccleſiæ, aut in pauperes loci erogarent: quod ſi non exequerentur, ſtatuit ut eorum ſuperiores eccleſiaſtici omiſſas ab illis hujuſmodi officii partes ipſi ſuſciperent.

Si qui igitur provinciæ noſtræ epiſcopi poſt confirmationem concilii Tridentini in eccleſiis ſuis ex ejuſdem concilii præſcripto, non reſederint; neque metropolitanum, aut, eo abſente, antiquiorem provinciæ epiſcopum intra menſem docuerint cauſam ſuæ abſentiæ ſanctiſſimi domini noſtri vel metropolitani, vel antiquioris epiſcopi ſcripto comprobatam eſſe; aut ſe fructus illos iis, quibus ejuſdem ſacri concilii decreto [illegible] ſolviſſe; nos illam ipſam fructuum partem jam nunc hoſpitali uniuſcujuſque civitatis, cujus illi ſint epiſcopi, quod majoribus prematur ſumptibus, in uſum pauperum loci erogandam aſſignamus. Et ſi id hoſpitale intra duos menſes eos fructus auctoritate ſuperioris eccleſiaſtici non exegerit, alteri hoſpitali ejuſdem civitatis, quod in eorumdem fructuum petitione judicio prævenerit. Quod ſi aut nullum in ea ſit hoſpitale, aut quæ ſint hoſpitalia; ſex menſibus eos fructus non exegerint, fabricæ eccleſiæ attribuimus.

Si qui vero poſthac abfuerint; fructus, quos ſuos non fecerint, jam nunc eiſdem locis, qua ſupra dictum eſt ratione adſcribimus; niſi ipſi epiſcopi intra tres menſes a die abſentiæ iis, quibus ex concilii decreto debent, perſolverint.

Itaque mandamus hoſpitalium, & fabricarum miniſtratoribus ac procuratoribus, cum denuntiatione etiam periculi eorum conſcientiæ, ut totam ſummam ſine ulla vel pactione, vel remiſſione primo quoque tempore exigant.

Statuimus etiam, ut ex capitulo ſingularum cathedralium eccleſiarum tres primi præſentes, ſingulis ſex menſibus, metropolitanum, vel eo abſente, eumdem antiquiorem provinciæ epiſcopum certiorem faciant, an eorum epiſcopi in ſuis eccleſiis reſideant: & qui, & quamdiu ab eis abfuerint; ſint minus, iidem diſtributionem ejus menſis fructus ſuos non faciant.

[illegible] reliquis etiam inferioribus curatis beneficiis, qui poſt confirmationem concilii abfuerint [illegible] licentia, ab ordinario ſcripto permiſſa, ad menſem eidem ordinario exhiberi volumus, vel non probarint ſe eos fructus, quos rata temporis abſentiæ ſuos non fecerunt, iis, quibus ex ejuſdem Tridentini concilii debebantur, ſolviſſe; eos omnes jam nunc reficiendis & ornandis eorum eccleſiis attributos eſſe decernimus. Quam attributionem epiſcopi, quorum conſcientiæ hoc onus imponimus, principum & magiſtratuum auxilio, omnino exequendam curabunt.

Quod ſi contigerit eos, qui propter abſentiam a ſuis beneficiis fructus ſuos non fecerint, ipſis beneficiis poſtea ceſſiſſe, curent epiſcopi, ut vel ex fructibus penſionum, ſi quæ illis, qui ceſſerint, fuerint reſervatæ; vel ex eorum bonis, cujuſcumque illa generis ſint, ſatisfiat eccleſiæ.

Qui ſi in his negligentes fuerint, ſciant ſe prima quoque provinciali ſynodo prætermiſſi hujus officii rationem reddituros eſſe.

Si quid interceſſerit quamobrem id minus exequi poſſint, ad metropolitanum referant; ut ad rem conficiendam ipſe quoque ſuam operam conferat; & in ea auctoritatem ſanctiſſimi domini noſtri interponendam curet.

Quoniam vero multorum, beneficia curata obtinentium, ea eſt contumacia, ut neque decretis Tridentini concilii, neque conſtitutione ſanctiſſimi domini noſtri Pii IV. neque epiſcoporum edictis moniti, adduci poſſint beneficiorum ſuorum reſidentiæ præſentes ſatisfaciant, ſtatuimus ut epiſcopi ad menſem edicto propoſito jubeant omnes, qui in eorum civitatibus, diœceſibuſve beneficium ejuſmodi in titulum, vel commendam obtinent, ſi in provincia illi ſunt, ad duos menſes, ſi extras, ad tres, ad eadem beneficia accedere, in iiſque reſidere: ea propoſita in edicto pœna, ut qui non paruerint, etiamſi præter curatum illud beneficium, dignitates, perſonatus, aut canonicatus in eccleſiis etiam cathedralibus obtineant, præter pœnas, quæ eodem concilio, & Pii IV. conſtitutione contra non reſidentes propoſitæ ſunt, ordinum ſuorum munere officiove ſuſpenſi, & eo beneficio jure ipſo privati cenſeantur. *Seſſ. 6. c. 1. & 23. c. 1.*

Tranſacto tempore in edicto præſtituto, epiſcopi eos, qui non reſideant, propoſitam privationis pœnam ſubiiſſe declarent.

Interim vero eos fructus, quos ſuos abſentes non facient, iidem epiſcopi ſuo arbitratu aut eccleſiarum fabricis, aut pauperibus loci adjudicent.

Intra menſem publice edicant epiſcopi, ut quibuſcumque ſtudii cauſa non reſidendi in beneficiis curatis licentia permiſſa eſt, eam ſuo quiſque epiſcopo intra ſpatium trium menſium exhibeat. Qui ſi illam a die confirmationis ſacri concilii Tridentini ad diem regulæ, a ſanctiſſimo domino noſtro Pio IV. latæ, compererit, niſi, quemadmodum ab ipſa præſcribitur, ordinarii conſenſus acceſſerit, nullam & irritam declaret, proptereaque eum, qui hujuſmodi facultatem impetrarit, ex decreto concilii Tridentini reſidere cogat in ipſo beneficio. *an. 1564. 14. Nov.*

In iis autem facultatibus abſentiæ ſtudiorum cauſa, quæ deinceps concedentur, hæc neceſſario ponenda ſunt: ut vere in publico, celebrique gymnaſio theologiæ, vel ſacris canonibus ſtudeant.

Ut minores ſint triginta annis, aut fuerint, cum in publico gymnaſio iiſdem ſtudiis operam dare cœperunt, quæ nunc cupiunt abſolvere.





ANNO CHRISTI 1565.

Ut illud beneficium, antequam ſacrum Tridentinum concilium a ſanctiſſimo domino noſtro Pio IV. confirmaretur, obtinuerint.

Ut intra annum ad ordinem ſaltem ſubdiaconatus promoveantur.

Ut ſingulis ſex menſibus epiſcopo ſcriptum ſui doctores exhibeant, quo is ipſos in eo ſtudii genere proficere teſtetur, quod etiam epiſcopus ſecreto ab aliis cognoſcere ſtudeat.

Quod ſi omnes ſupraſcriptæ conditionis in licentia expreſſæ non fuerint; aut is, qui impetrat, qualitates omnes, quæ in ſcripta licentia requiruntur, non habeat; aut quæ ipſi ſervanda proponuntur, deinceps non præſtiterit; facultates irritæ ac nullæ ſint: & qui impetrarit, ſciat ſe fructus ſuos non feciſſe, neque facere; ac pœnis, quæ non reſidentibus propoſitæ ſunt, teneri.

Concedatur autem ad quinquennium tantum, ab eo die numerandum, quo eum in publico gymnaſio theologiæ aut ſacris canonibus conſtet operam dare cœpiſſe.

*Seſſ. 24. c. 17.* Quicumque plures parochiales eccleſias retinentes, intra tempus a ſacro Tridentino concilio præſtitutum non demiſerint; eos epiſcopi intra duos menſes beneficiis omnibus eccleſiaſticis jam ipſo jure privatos eſſe declarent.

Fructus vero, & quos ex eodem decreto ſuos facere non potuerint, & qui deinceps, quamdiu vacaverit eccleſia, percipientur, fabricæ vel ornamentis eorumdem beneficiorum, uti magis expedire cenſuerit epiſcopus, jam nunc attribuimus, excepta tamen congrua portione, idoneis vicariis ab epiſcopo aſſignanda, quos ipſe, facta declaratione, ſtatim in illis eccleſiis conſtituere debebit.

Præterea, qui eccleſiaſtica quæcumque beneficia obtinent, in quibus, & ſi curata non ſunt, tamen reſidere jure vel conſuetudine debent, ſi muneri ſuo defuerint, in eos epiſcopi, & illis pœnis, quæ a ſacro Tridentino concilio ſtatutæ ſunt, & aliis arbitrio ſuo ſevere agant: fructuſque quibus ex eodem concilio mulctandi erunt, piis locis attribuant. *Seſſ. 6. c. 2. & 24. c. 12. de ref.*

Ut autem epiſcopi pœnas de contumacibus in hoc genere poſſint ſumere, ſtatuimus ut in ſingulis collegiatis, & cathedralibus eccleſiis, ſingulis tribus menſibus, tres primi ex capitulo præſentes, canonicorum, & eorum, qui præpoſiti eccleſiis, & aliorum, qui in eis hujuſmodi beneficia poſſidentes non reſideant, nomina ad epiſcopum deferant.

Parochi vero epiſcopum admoneant, ſi qui intra fines ſuæ parochiæ, ejuſmodi habentes beneficia, quæ perſonalem item reſidentiam requirant, non reſideant.

Vicarii etiam foranei eamdem diligentiam adhibeant, ſi qui curati in regione ſibi ab epiſcopo commiſſa non reſederint.

Qui huic officio deerit, ſicuti epiſcopo videbitur, plectatur.

## XXVIII.

### *De diligentia ab epiſcopo adhibenda in ſtatu uniuſcujuſque parochiæ cognoſcendo.*

*Ezech. 3. Prov. 27.* Summam vim ac neceſſitatem habet illa domini ſententia, *Speculatorem dedi te domui Iſrael*; & alio item loco, *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, & conſidera ſuper greges tuos*; ut epiſcopi quanta maxima poſſunt diligentia obſervent ſibi commendatum gregem, neque ab eo unquam oculos dejiciant, quid ei opus ſit animadvertentes, ut ex prophetæ ſententia, confractas partes alligare, infirmas conſolidare, ægrotas ſanare, abjectas oves reducere, perditas requirere & recuperare poſſint. *Ezech. 34.*

Quoniam vero luſtrare omnia propriis oculis nequeunt, in ſingulis parochiis deligant certos ac probatos viros, qui inveſtigent an populus ambulet in viis domini; an aliquid ſit, quod epiſcopi cognitionem & medicinam deſideret; an aliquid quod corrigi & emendari debeat: quæque compererit, fideliter ad epiſcopum deferant.

Parochus etiam librum habeat, in quo omnium, qui in ejus parochia ſunt, nomina, & cognomina quamprimum deſcribat, ſingulorumque ſexum, ætatem & ſtatum. In eo deinceps deſcribat & recenter natos, & mortuos, & in parochiam habitatum venientes, & inde emigrantes. Quem librum epiſcopos, quoties is petierit, vel inſpiciendum, vel deſcribendum dabit.

Obſervabit etiam ſuæ parochiæ novos inquilinos, deque eorum orthodoxa fide, & ſacramentorum perceptione, deque mulieribus, quas ſecum habuerint, an matrimonii, cognationis, affinitatis vinculo vere conjunctæ ſint, an impudicitiæ nomine ſuſpectæ, ab eo ſacerdote, in cujus parochia proxime habitarint, & a parochiæ incolis accurate cognoſcet.

Inquirat autem ſtudioſe de pauperibus ſuæ parochiæ, præſertim puellis nubilibus, de viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, ſenio confectis, aliiſque perſonis temporali vel etiam ſpirituali miſericordia indigentibus: quibus & ipſe pro [illegible] & alios ſuo exemplo & hortatu ad id officium incitare ſtudeat.

Præcipue vero de iis omnibus ſæpe certiorem faciat epiſcopum, ut qui communis eorum pater eſt, iiſdem paternam curam & pietatem quacumque poterit ratione præſtet.

Quamobrem etiam epiſcopus quotannis per ſacra quatuor anni tempora ſuæ civitatis parochus adhibebit: & illis de eorum animarum ſtatu, quarum curæ præpoſiti ſunt, diligenter interrogatis, omnia commemoret, quæ eorum officii munus contineant, eiſque & doctoris diligentiam & paſtoris vigilantiam præſtabit.

## XXIX.

### *De vicariis foraneis conſtituendis.*

Ut epiſcopus in urbe etiam externum gregem facilius quaſi præſens intueri & curare poſſit, deligat aliquot probatos ſacerdotes, quibus ſingulis, impoſito vicarii foranei nomine, tribuat certas regiones diœceſis ſuæ.

Id autem munus ad archipresbyteros, archidiaconos, qui in diœceſi ſunt, & præpoſitos, alioſve eccleſiaſtica dignitate præditos, quos idoneos judicaverit, potiſſimum deferet, ſin minus, ad alios auctores, qui apti ſint ad hujuſmodi officium.

Hi autem vicarii regionis, ſibi per epiſcopum commiſſæ, presbyteros cujuſcumque conditionis, curam animarum habentes, ſemel ſingulis menſibus modo in unam, modo in aliam ejus regionis parochialem eccleſiam cogant, idque in orbem eodem ordine ſemper faciant.

Pridie ejus diei quam in unum locum conveniant, peccata ſua omnes confiteantur; ſequenti

ANNO CHRISTI 1565.

dic in ea eccleſia, in qua coacti fuerint, miſſam ſinguli celebrent.

Tum univerſi in choro miſſam conventualem pro mortuis, vel de ſancto Spiritu, ſolenni more canent; in qua eorum aliquis, a vicario prius admonitus, concionem ad populum habeat.

Confectis ſacris & habita proceſſione circa cœmeterium, orationibuſque conſuetis, in domo rectoris illius eccleſiæ, unico tantum ferculo contenti, ea qua decet modeſtia & caritate cibum capiant.

Deinde conferant inter ſe quæ ad boni paſtoris officium, & ad curam animarum recte gerendam pertinent: & conſulant de difficultatibus & incommodis ſuæ parochiæ, quorum explicatio, vel remedium, aliorum conſilium & operam requirat. Iidem autem vicarii libellum de caſibus conſcientiæ epiſcopis, ac ſedi apoſtolicæ reſervatis, metropolitani cura edendum, reliquis ſacerdotibus legent; & aliquot capita tum harum conſtitutionum, tum earum quæ in ſynodo diœceſana decernentur, ſimulque quidpiam ex probata ſumma de caſibus conſcientiæ explicabunt.

Præcipue autem de presbyterorum vita & moribus quærant & quales ſe in paſtorali præbeant cura.

An eorum culpa divinus in eccleſia cultus deſideretur.

An re ipſa præſtentur ea, quæ epiſcopi, vel alii eorum nomine in eccleſiarum neceſſitatem, earumve reparationem impendi juſſerint.

An libros habeant, quos ex decreto noſtro habere debent.

An reliqua in hac ſynodo decreta ſerventur.

De his omnibus, & ſi quid proprie mandarit epiſcopus, deque aliis, quæ ad utilitatem animarum epiſcopi cognitionem deſiderant, ipſum per literas diligenter certiorem faciant.

Quoties in urbem venerint, primum epiſcopum adeant; deque eorum ſtatu, qui ſibi commiſſi ſunt, accurate edoceant.

Curati vero quicumque, etiamſi quavis dignitate præditi, in iis, quæ ad officium ſuum ſpectant, vicariis quos diximus obtemperent.

Quod ſi aliqui ad conveniendum negligentes, vel ad mandata eorumdem vicariorum exequenda contumaces fuerint; epiſcopi in illos pro modo culpæ animadvertant.

Hi autem vicarii voluntate epiſcopi ab officio amoveri ſemper poſſint; ac ſi male id adminiſtrarint, pœnas dent ejuſdem epiſcopi judicio.

## XXX.

### *De viſitatione.*

Seſſ. 24. c. 3. de ref.

Inter epiſcopalis officii munera, præcipua eſt & ad ſalutem gregis maxime neceſſaria viſitatio; ideo monemus epiſcopos omnes, ut ſinguli ex decreto ſacri Tridentini concilii eccleſiam ſuam, ac diœceſin viſitent intra tempus ab eodem concilio præſtitutum.

Meminerint autem viſitationem ad ſalutem eorum, qui viſitandi ſunt, inſtitutam eſſe: quamobrem illis maxime propoſitum eſſe debet, ut in eis incorruptam, orthodoxamque doctrinam, probatam morum diſciplinam tueantur ac reſtituant.

Viſitationis ordo is adhibebitur, ut primum civitatem, deinde diœceſin viſitent; niſi forte aliud epiſcopo videatur. In civitate cathedralis eccleſia primo loco viſitetur; tum ſingulæ collegiatæ; deinceps parochiales omnes; quo & parochi & quicumque præterea ſacerdotes & clerici in parochiis commorantur, evocandi ſunt. Scholas, ſeminaria, ſodalitates, hoſpitalia, ac cetera pia loca viſitantes, ſtudioſe ac diligenter inſpicient.

Studebunt, verbi Dei prædicatione, vehementi cohortatione, ad religionem, vitæ innocentiam, pacemque & concordiam omnes adhortari.

Si vero privata admonitione opus eſſe intelligent, in eam, docendo, arguendo, obſecrando pro rei, perſonæ, ac temporis ratione incumbent.

Confirmationis ſacramentum, ubi opus erit, miniſtrabunt.

Omnes ad pœnitentiam cohortabuntur; & quos aliquo peccato teneri cognoverint, cujus abſolutio epiſcopo reſervata ſit; eos pie confitentes & humiliter veniam petentes, vel ipſi, vel per alios, ad id munus delectos, abſolvent.

In ſingulis locis a viris ætate, uſu & probitate commendatis, de omnibus ſubtiliter inquirent, quæ eos pro officii ſui munere ſcire oportebit.

Eccleſiam & ejus partes omnes inſpicient.

An eo cultu & nitore teneatur, qui domum Dei decet: ſi quid reſtituendum, reparandum, reconcinnandumve ſit, jubeant ab iis, ad quos pertinet, reſarciri.

An ſanctorum reliquiæ, tuto, ornate, decenterque conditæ aſſerventur.

An quæ de ſepulcris, ac cœmeteriis a nobis ſancita ſunt, re ipſa præſtentur.

Si conſecranda ſint altaria, conſecrabunt.

Si qua eccleſia, aut cœmeterium pollutum ſit, reconciliabunt.

Videndum etiam an deſint veſtes, libri, calices, patenæ, corporalia, & reliqua ejus generis inſtrumenta & ornamenta, quæ ad altaris miniſterium & ad divina officia ſint neceſſaria.

An illa munda & purgata ſerventur.

An miſſæ, aliaque divina officia, qua oportet pietate, ac devotione celebrentur.

An eccleſiæ libri, vetera ſcripta, inſtrumenta & privilegia cuſtodiantur.

An eorum extet ratio, quæ in inventarium relata ſunt.

Tum de dignitatibus, canonicis, & aliis eccleſiæ miniſtris quærendum erit;

An rite ſint ordinati.

An ordinibus initiati, quos eorum officii munus requirit.

An eccleſias, beneficia, ſeu eccleſiaſtica officia legitime obtineant.

An in ea ſe quiſquam intruſerit.

An reſideant & adminiſtrationi ſacramentorum & miſſarum, divinorum officiorum celebrationi & anniverſariorum perſolutioni, aliiſque oneribus & muneribus ſatisfaciant.

Quæ ſit eorum vitæ, ac morum ratio, qui veſtitus, quibuſcum verſari ſoleant, qualis ſit eorum familia.

An ſordidis & illiberalibus artibus, & ab eorum gradu alienis, operam dent.

An eccleſiæ jura & bonorum eccleſiaſticorum poſſeſſionem defendant.

An



ANNO CHRISTI 1565.

An eorum fructus recte diſpenſent.

An pacem inter ſe habeant; ſe in aliorum pacificationem interponant; inimicitiarum & odiorum cauſas tollere ſtudeant.

An populus pie verſetur in eccleſia, miſſamque & alia divina officia reverenter attendat.

In parochiis præter ea omnia quæ diximus, videant,

An parochi ex decreto, in hac ſynodo edito, libros habeant, in quibus baptizatorum, confirmatorum, compatrum, eorum qui matrimonio conjunguntur, ac mortuorum nomina & cognomina deſcribantur.

An rite ſacramenta præbeantur.

An ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum, chriſma, & reliqua ſacra, ea munditia, cura & cuſtodia qua debent conſerventur, & ſuo tempore mutentur.

An euchariſtia pie & honorifice, proſequente fidelium comitatu, ad ægrotos afferatur.

Seſſ. 24. de ref. matrimonii.

An legitime matrimonia & in eccleſia, adhibitis ex decreto Tridentini concilii denuntiationibus, debito tempore contrahantur.

An ſuæ curæ commiſſas eccleſias, maxime diebus feſtis, deſerant, ut inſerviant alienis.

An Dei verbum prædicent, & pueros rudimentis fidei inſtruant.

An libros, quos nos in hac ſynodo habendos præſcripſimus, habeant.

Denique diſpicient an in populo ſint hæretici, uſurarii, concubinarii, aliique flagitioſi & facinoroſi homines, qui inimicitias gerant; qui quadrageſimam, alia jejunia, feſtos dies, & reliquos eccleſiæ ritus non ſervent; quique ſaltem ſemel in anno peccata ſua confeſſi non ſint, aut ſanctam euchariſtiam non ſumpſerint.

An ſint qui legata pia non exequantur.

An domeſtica diſciplina patrumfamilias in educandis liberis diligens, pia, & honeſta ſit.

His exquiſitis, cognoſcere ſtudeant, quinam ex regularibus prædicandi munere fungantur, & fidelium confeſſiones audiant; an & eorum probata ſit doctrina, & probatæ doctrinæ vita reſpondeat.

An hoſpitalia & alia pia loca recte adminiſtrentur; eorumque bona prudenter, fideliterque in eum uſum, cui addicta ſunt, diſtribuantur.

An qui in hoſpitalibus ſunt, pie vivant.

De ſcholis, ſciant quos libros diſcipulis magiſtri interpretentur; & an illi officio ſuo ſatisfaciant.

An magiſtri tales ſint & ita admiſſi, quemadmodum in hac ſynodo mandavimus; ſi ſecus, amoveantur.

De bibliothecis diligenter quærant, an in eis ſint hæretici libri, aut qui aliter jure prohibeantur.

Si quid in omnibus iis tollendum, corrigendumve fuerit, tollent & corrigent: & ad puniendos delinquentes, cenſuras & alia juris remedia adhibebunt.

Omnes vero ſummo ſtudio monebunt & hortabuntur, ut officii ſibi commiſſi munus fideliter ac diligenter exerceant.

Neque ſolum hæc, ſed quæcumque a Tridentino concilio, & a nobis præcipiuntur, & alia multa quæ pro eorum prudentia ac pietate ad utilitatem ac ſalutem populorum eis in mentem venire poterunt, exquirent & exequentur.

Seſſ. 24. c. 3. de ref.

Caveat vero ne legem victu, procuratione, & muneribus a ſacro Tridentino concilio definitam tranſeant.

Comitatum non habeant niſi neceſſarium: in quo plures omnino ne ſint quindecim hominibus, & jumentis duodecim. Si plures duxerint, alant ſuis ſumptibus. In menſa duo tantum fercula afferre liceat.

Quod ad reliqua attinet, decretum in hac ſynodo factum de epiſcopalis menſæ moderatione ſervetur.

Si viſitator gradu inferior ſit epiſcopo, propoſitam a nobis viſitandi formulam in reliquis omnibus diligenter obſervet, in comitatuque octo hominibus ad ſummum & ſex jumentis contentus ſit.

Si præter hujus decreti præſcriptum cuiquam graves fuerint, dupli reſtitutione teneantur: Præterea inferiores, epiſcopi arbitrio, epiſcopus ſynodi provincialis judicio, alias pœnas ſubeat. Dent autem operam, ut non ſolum quam diligentiſſime, ſed etiam quam celerrime viſitationem conficiant.

## XXXI.

### *De judiciali foro epiſcopi.*

Ut a foro epiſcopali, quantum fieri poteſt, avaritiæ labes amoveatur: & quam minimis poſſint incommodis, atque ſumptibus cauſæ in eo agantur; nos, præter eam diligentiam, quam in ea re maximam epiſcopi in ſua quiſque diœceſi adhibere debent, hæc ſtatuenda cenſuimus.

## XXXII.

### *De notariis & ſcribis.*

Epiſcopi intra ſex menſes omnibus notariis & ſcribis ſui fori, tam civitatis, quam diœceſis, communem taxam præfiniant, quam pro opere & officii ſui mercede ab unoquoque in ſingulis cauſarum generibus pro loci & cujuſcumque rei ac perſonæ conditione exigi liceat.

Qui non obtemperarit, in eum vehementer animadvertant.

Singuli collegium notariorum curiæ epiſcopalis primo quoque tempore inſtituendum curent, quod certum numerum pro ſuæ diœceſis conditione contineat.

Collegium ſtatuta epiſcopo probanda conficiat; officiales deligat, qui judicent de eorum inter ipſos controverſiis, quæ ad eorumdem officium pertineant. In cauſas autem, quæ inter notarios & litigatores extiterint, ſed omnino non interponant, ſed eas epiſcopi judicio relinquant. In aliis vero cauſis, ſi cuiquam cum eis in judicio agere contingat, eorum jura, privilegiaque ſerventur.

Poſtulantibus teſtimonium formulæ curiæ, quam ſtylum vocant, de aliqua cauſa, nec detur, nec datum vim habeat; niſi ei major collegii pars ſubſcripſerit. Cujus etiam formulæ exemplum, ab epiſcopo approbatum & ſubſcriptum, publice in collegio aſſervetur.

Qui in collegium notariorum adſcribi voluerint, eos epiſcopus diligenter examine probet: tantum idoneos recipiat.

Excommunicatos, infames, & omnes qui a teſtimonio dicendo jure repelluntur, rejiciat.

Eos

ANNO CHRISTI 1565.

Eos qui vigeſimumquintum annum non attigerint, quique per quadriennium in notariatus officio integre, periteque non ſint verſati, non admittat.

Probatos prius non recipiat, quam jurarint epiſcopo ea jusjurandi formula, quæ infra ſcripta eſt; quam etiam ab iis, qui in notariorum collegium adſcripti jam ſint, ad duos menſes præſtari jubemus:

Ego N. notarius a reverendiſſimo domino N. epiſcopo, vel domino N. ejus vicario delectus, nihil vel dedi, vel pollicitus ſum gratia hujus officii obtinendi.

Commiſſum mihi munus diligenter ac fideliter exercebo.

A litigatoribus, quorum fuero notarius, vel a quocumque alio, eorum nomine, quavis de cauſa, nihil, ne ſponte quidem datum, accipiam; præter id quod epiſcopi taxatione præfinitum fuerit.

Nihil agam, neque me, aut quemquam alium interponam, quo mihi ulla cauſa ſcribenda committatur.

Non ero promotor, vel procurator in cauſis, quæ agentur coram reverendiſſimo domino epiſcopo, ſeu ejus reverendo domino vicario generali, vel aliquo ab eis conſtituto, ſeu eorum miniſtro.

In cauſis vero, in quibus ſum vel fuero notarius, omnes actus judiciales ſubſtantialiter in manuali, ſeu memoriali coram reverendiſſimo domino epiſcopo, ſeu ejus vicariis, aut alio ab eis præpoſito, & etiam coram ipſis litigatoribus, ſi expectare voluerint, conſcribam. Conſcriptos eos & inſtrumenta, & omnia alia & ſingula in cauſis producta cum reverendiſſimus dominus epiſcopus, vel alii ſupradicti, ſeu litigatores, vel eorum aliquis, petierint, in regeſtum [illegible] referam, vel referenda curabo.

Litigatorum poſtulatu, vel alicujus eorum, in ſingulis terminis ſucceſſive litigatoribus ipſis copiam dabo; cum per reverendiſſimum dominum epiſcopum, ſeu alios ſupradictos decreta fuerit, ſine recuſatione & fraude, contentus mercede epiſcopi taxatione præfinita.

Secreta ejuſdem officii & cauſarum nemini patefaciam, præſertim atteſtationes teſtium & conſilia aſſeſſorum, atteſtationeſque & ſententias, donec publicatæ & ſententiatæ, & per reverendiſſimum dominum epiſcopum, ſeu alios ſupradictos ſubſcriptæ fuerint. Conſtitutionibus & mandatis reverendiſſimi domini epiſcopi obtemperabo.

Inſtituta quoque officii, & officialium collegii honeſta juſſa ſervabo;

Nec ullo unquam tempore contra faciam; & omnia & ſingula ſupraſcripta omni dolo & fraude omnino remotis inviolate præſtabo: & ita promitto & juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Nullus notarius judicibus ordinariis, delegatis, arbitris, nec arbitratoribus originales proceſſus deferat, ſed eorum tantum exempla & regeſta fideliter collata, niſi alicujus inopia aliud aliquando epiſcopo ſuaderet.

In hujuſmodi exemplis, ſeu regeſtis nihil ſupervacaneum ſcribant.

Quare nec dies feſtos ad ſubſtantiam rei non neceſſarios apponant.

Nec productarum citationum repetitiones cum inhibitione, vel ſine ea, ſed illarum executionem tantum his vel ſimilibus verbis adſcribant:

Eo die, &c. reproducta fuit citatio de qua ſupra, quæ fuit executa ut ſupra.

Nec dignitates judicum, vel litigatorum repetant, ſed ponant tantum his vel hujuſmodi verbis: Reverendiſſimus epiſcopus N. judex. N. actor. N. reus.

Nec in charta bibula ſcribant, nec ea litera, quæ legi facile non poſſit; ſin minus, male ſcripta epiſcopus notarii impenſa ſcribi melius jubeat; vel ab iis, qui regeſtum petierunt, dimidiam tantum partem taxæ, vel majorem, vel minorem, ſi ei videbitur, ſolvi jubeat.

Notarii in literis dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus, ſacri concilii Tridentini decretum ſervent; in aliis, quæ mere ſpirituales ſunt, etiamſi nullum ſtipendium eis conſtitutum ſit, nihil omnino accipiant, præter ſcripturæ mercedem ab ordinario ſtatuendam. (Seſſ. 21. c. 1. de ref.)

Qui notarii contra hæc decreta peccarint, vel alioqui in officio ſuo deliquerint, eos epiſcopi ab officii uſu ſubmoveant ad tempus, vel etiam in perpetuum, ſi id delicti gravitas poſtularit; & aliis pœnis ſuo arbitratu coerceant.

Quæcumque de notariis ſancita ſunt, iis etiam ſcribas & cancellarios teneri volumus.

Penſiones in cancellariis epiſcoporum aſſignatas, vel quæ cuicumque ſolvantur, irritas & nullas decernimus; niſi quæ jure tolli non poſſunt.

Cancellarias vero deinceps vendi, locari, vel earum nomine, vel occaſione, quovis prætextu cujuſvis perſonæ, quidquam ſolvi prohibemus.

Notarii, &, ſi qui præterea in hoc deliquerint, plectantur amiſſione officii; & aliis præterea pœnis epiſcopi arbitratu.

## XXXIII.

### *De cauſidicis, & advocatis fiſcalibus.*

Cauſidici, & advocati fiſcales, ad cauſas in foro epiſcopi ne adhibeantur, priuſquam jurejurando epiſcopo ſe obſtrinxerint, ſe nullam cauſam ſuſcepturos, quam a juſtitia, & æquitate alienam exiſtimaverint.

Hortamur etiam principes, & magiſtratus, ut idem in laicorum cauſis ſervandum curent.

## XXXIV.

### *De ceteris cuſtodibus, & reis.*

Præſcribant epiſcopi taxam executoribus, vel miniſtris & carceris cuſtodibus, ut ab iis, qui capti & in carcerem incluſi ſunt, pro comprehenſione, & carceris commoratione, & victu id tantummodo exigatur, quod æquitas, & ciborum precium poſtulet. Si qui carcere tenentur, ſibi, quæ ad victum pertinent, ab aliis, quam cuſtodibus, & miniſtris carceris ſuppeditari voluerint, id eis facere liceat; neque propterea aſperius tractentur; aut in deteriora loca compellantur.

Mandent præterea, ut ſi quamcumque pecuniam, veſtes, arma, aliaſve res ſecum habeant ii, qui in carcerem includuntur, tuto loco collocentur, & aſſerventur. Qui locus duabus claudetur clavibus, quarum altera apud janitorem carceris ſit, altera apud pauperum procuratorem.

Ex illis autem rebus, quæcumque, & quotcumque ſint, nihil vel janitori, vel executori, vel ceteris miniſtris attingere liceat; ſed eis, ſi

inde



ANNO CHRISTI 1565.

inde exierint, vel eorum heredibus, vel illis quibus a judice attributæ fuerint, integræ & intactæ aſſerventur.

Qui contra fecerit, duplo mulctetur: quæ mulcta ei, cui damnum datum ſit, attribuatur.

Curent etiam per certos homines, ab eis deligendos, ſemel in hebdomada viſitandos eos, qui in carcere tenentur; qui ſi illos indignius & acerbius tractari compererint, referant ad epiſcopum, qui pro ſua prudentia, ac pietate, ne quid iniquius fiat, omnino provideat.

Deſignent vero epiſcopi aliquos, qui miſerabilium perſonarum cauſas gratis defendant.

Magnopere autem hortamur laicos magiſtratus, ut ejuſmodi in re eadem ratione utantur.

## XXXV.

### *De miniſtris eccleſiæ, & divinis officiis.*

Ne ſtudium ac pietas eorum, & qui celebrant, & qui audiunt divina officia, perturbetur; neque quiſquam alieni muneris partes uſurpet, ſed ſuum quiſque officium diligenter exequatur; omniaque ut debent in domo Dei ordine fiant: decreto ſacri Tridentini concilii obtemperantes, quod in provincialibus ſynodis certam divinis officiis, & eccleſiæ miniſtris formulam pro cujuſque provinciæ ritu, & moribus præſcribi voluit, hæc ſtatuimus. (Seſſ. 24. c. 12. de ref.)

## XXXVI.

### *Communia de miniſtris.*

Cathedralium, & collegiatarum cujuſvis generis officiales & miniſtros, in eiſdem eccleſiis initio anni ſemper tres deligant canonicos, quorum munus ſit, cum hujuſmodi creatio facienda erit, prius diligenter de eorum, qui creandi erunt, moribus inquirere; deinde coram epiſcopo jurare eos, quod ipſi ſciant, probos, idoneos, & dignos eſſe qui ei muneri præponantur. Quod ſi aliter officiales creentur, eorum creatio nulla & irrita ſit.

Archidiaconi, archipresbyteri, aliique in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, canonici, & reliqui eccleſiarum miniſtri in ſacris eccleſiæ officiis munus ſuum ipſi obeant, non per alios exerceant.

Singulorum autem munera, atque officia, ad res divinas obeundas pertinentia, hac ſynodo explicanda illa quidem videbantur; ſed quoniam quæ iis de rebus ſacrorum canonum legibus olim explicata ſunt, ea partim uſu eorum neglecto obſcurata ſunt, partim pro varia & locorum & temporum ratione jam pene omnino mutata videntur; non certa quædam præcepta tradi, ac præſcribi facile poſſunt, ad quorum ſane rationem omnis uniuſcujuſque eorum munerum regula, atque uſus dirigeretur: eam ob cauſam his noſtris decretis ea tantum munera præſcribenda cenſuimus, quæ ad eccleſiarum, quæ in noſtra provincia ſunt, adminiſtrationem hoc tempore pertinere maxime viderentur. Sed quæcumque alia etiam munera vel communi jure, vel probatis cujuſque eccleſiæ conſtitutionibus, vel dignitatum, perſonatuum, portionum, aliorumve officiorum eccleſiaſticorum inſtitutione ipſis eccleſiæ miniſtris in officiis divinis attribuuntur: ea omnia magna cura, ſummaque diligentia ſtudeant epiſcopi ab omnibus ſervari, & quæ antiquata ſunt, ad uſum revocari. Nec vero ab iis præſtandis cuiquam ſe propterea excuſare liceat, quod his noſtris conſtitutionibus ex iis officiis aliqua aliis miniſtris, vel alio nomine appellatis, adſcripta ſint.

Quod ſi aliqua dignitas, perſonatus, aut officium in eccleſia fuerit, cui neque ab inſtitutione, neque a jure communi, neque a propriis conſtitutionibus, quæ probatæ ſint, neque his decretis proprium munus in divinis officiis ſit attributum, aut quod ſit non ſatis conſtet, epiſcopi, duobus adhibitis de capitulo, quorum alter ab epiſcopo, alter a capitulo deligatur, aſſignent ſingulis dignitatibus & officiis proprium munus, quemadmodum cum ſententia ſacrorum canonum, & cum propriæ eccleſiæ probatis conſtitutionibus, & cum his ſanctionibus pro ratione loci magis congruere judicabunt.

Ceteris etiam beneficiis, quæcumque jam ab eccleſiaſticis officiis immunia reperiuntur, ſive canonicatus, ſive clericatus, ſive etiam ſimplicium nomine appellentur, iis epiſcopus priſtina munera reſtituat: ac, ſi non conſtat ſatis qualia ea eſſent, pro fructuum ratione onera imponat aut miſſas, divinaque officia celebrandi, aut ſi clericatus, ſimpliciave beneficia ſint, minorum etiam ordinum functiones obeundi ad divini cultus propagationem. Nec vero tamen vetamus, quin talia beneficia unire epiſcopo liceat ex facultate ſibi communi jure concilioque Tridentino permiſſa.

Ea vero officia, & cetera quæ in divinis rebus a nobis hac ſynodo præcipiuntur, epiſcopi, propoſitis cenſuris, & aliis pœnis efficient, ut ab omnibus ea ratione, qua dictum eſt, diligenter præſtentur.

Ne multis eccleſiæ miniſtris eodem tempore abſentibus divinus cultus deſeratur, canonici, & qui præterea choro, vel eccleſiæ addicti ſunt, quo tempore eis a jure communi, vel a ſacro Tridentino concilio permiſſum eſt, ut ab eccleſia abeſſe poſſunt, a præſidente chori, ſi triduo reverſuri ſunt, ſi diutius abfuturi, ab ordinario facultatem diſcedendi petant. (Seſſ. 24. c. 12. de ref.)

Si quid præterea ab eo, qui diſceſſurus eſt, ejus eccleſiæ conſtitutiones requirunt, in eo conſtitutionibus pareat.

Nemini autem ita proſit abſentiæ licentia, ut eo tempore diſtributiones quotidianas percipiat.

Nixi etiam conſtitutione Bonifacii VIII. & Tridentini concilii auctoritate, decernimus ut nulla canonicorum, aut aliorum pactio, remiſſio, vel colluſio fiat, factave vim habeat; nullumve ſtatutum aut conſuetudo, quæcumque illa ſit, valeat, quibus aut abſenti quavis de cauſa ejus diei, vel ſacræ horæ, in qua muneri ſuo defuerit, aut omnino cuiquam contra quam jure communi, & ejuſdem Tridentini concilii, & his noſtris conſtitutionibus definitum ſit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint. Si datæ fuerint, qui acceperit, ſuas non faciat, ſed eas reſtituat: quæ jure ipſo accreſcant aliis inſervientibus, qui hujuſmodi pactioni, remiſſioni, colluſioni, vel præbitioni aſſenſi non fuerint; niſi ex conſtitutionibus eccleſiæ probatis alteri debeantur. Si vero omnes conſenſerint, uſibus eccleſiæ jam tunc addictæ intelligantur. (Cap. conſuetudinem de clericis non reſidentibus in 6.)

Declaramus autem in his excipi eos, qui ob infirmitatem, vel aliam neceſſitatem, aut manifeſtam eccleſiæ utilitatem, ex ipſa conſtitutione Bonifacii, aut ſacris canonibus, vel Tridentina ſynodo excuſantur.

Efficiant epiſcopi intra ſex menſes, ut in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, in quibus vel nullæ, vel tenues ſunt diſtributiones quotidianæ,

dianæ, tertia fructuum pars omnium dignitatum, canonicatuum, & aliorum redditum, quemadmodum a Tridentino concilio præceptum eſt, in quotidianas diſtributiones convertantur.

### XXXVII.

*De officio ejus qui choro præſidet.*

In cathedralibus, & collegiatis eccleſiis, qui choro præſidet, vigilet diligenter, ne quid prætermittatur in divini officii inſtitutione, vel progreſſione, vel in reliquis, quæ ad probatam chori rationem pertinent, & aliis, quæ communibus, vel propriis conſtitutionibus in divinis officiis obeundis præſcribuntur: Neve abſurde, indecore, vel præpoſtere quidquam fiat. Si qui ſuo officio non ſatisfaciant, eos graviter, & amanter objurget; ſi non reſipuerint, jubeat punctatorem in libro illos deſcribere, & ad epiſcopum deferre, cui dignas pœnas pendant. Sin ipſe in ſuo munere obeundo negligens fuerit, ab epiſcopo, vel ab alio, qui eccleſiæ præſit, puniatur.

Si qua autem eccleſia non habet, qui huic muneri nominatim præpoſitus ſit, vel ſi habet, is non adſit in choro, præſidentis officio fungatur, qui primo chori loco tunc ſedet de iis, qui dignitates, aut canonicatus in ea eccleſia obtinent.

### XXXVIII.

*De iis qui dignitates, perſonatus, aut canonicatus habent.*

Qui dignitates, aut perſonatus in eccleſiis obtinent, & canonici nominis, ac inſtitutionis ſuæ memores ex piorum, & [illegible] divina officia colere debent, ut alii eorum exemplo ad ſtudium & amorem divini cultus accendantur.

Itaque auctoritate etiam Tridentini concilii præcipimus, ut cum in choro pſallendum eſt, ipſi quoque quantum honoris gradu ceteris præſtant, tanto ſtudioſius pſalmis, hymnis, & canticis una cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio ſi defuerint, pro abſentibus habeantur; & earum horarum, quas ea ratione non obierint, diſtributionibus mulctentur.

Conſtituatur ex canonicis ſacerdotibus hebdomadarius qui diebus infra ſtatutis miſſam, & veſperas canat; cui octavo die ſuccedat alius ejuſdem ordinis: idque ſemper, aut in orbem fiat, aut alio modo; pro eccleſiæ conſuetudine. Is, ſi ſuo officio defuerit, trium dierum diſtributionibus careat; quas epiſcopus arbitrio ſuo, vel ceteris choro operam dantibus dividat; vel in locorum piorum uſum conferat: tributa tamen aliqua parte canonico, qui collegæ munus expleverit.

Reliqui canonici decoro cantu antiphonas exordiantur, quas manſionarius dictarit.

Si celebranti epiſcopo, aut alia pontificalia exercenti, diligenter non adſtiterint, & inſervierint; pœnam ſubeant, quæ ei videbitur.

Quibus canonicatibus, præbendis, dignitatibus, aut perſonatibus, & officiis adjunctum eſt munus aliquod presbyteri, diaconatus, aut ſubdiaconatus; qui ea obtinent, ſi, quemadmodum a Tridentino concilio præſcriptum eſt, ſuo officio per ſe non fungantur, priventur ejus officii diſtributionibus, in quo muneri ſuo defuerint: niſi legitime impediti, impetrata licentia ab eo, qui choro præſederit, vel ſuperiore ordinario, per alios ſatisfecerint.

Quibus autem canonicatibus, ac portionibus non eſt annexus ordo presbyteratus, diaconatus, & ſubdiaconatus, iis epiſcopus, cum conſilio capituli, ſingulis ſingulos ordines annectat; quemadmodum a Tridentina ſynodo præſcriptum eſt.

Canonici quo tempore divina officia celebrantur, non habeant capitula, niſi fortaſſe aliter evidens neceſſitas poſtularit. Qui contra fecerint, diſtributionem ne capiant ejus horæ, in qua id commiſerint.

Neque etiam diebus feſtis capitula habeantur: niſi probabilis cauſa interceſſerit.

### XXXIX.

*De officio magiſtri chori, & ceremoniarum.*

Chori vel ceremoniarum magiſter, ſive alio hujuſmodi nomine appelletur, qui divinis officiis celebrandis tamquam magiſter eſt, denuntiet officium ſimplex, vel ſolenne celebrandum.

Quando de dominica, de feſto, vel de feria.

Quæ antiphonæ, orationes, pſalmi, lectiones recitandæ, aut canendæ.

Quando ſtandum, ſedendum, caput ſubmittendum, aut flectenda genua.

Omnes eccleſiæ miniſtros ſui officii admoneat.

Adoleſcentes, vel rudes, quibus evangelium, epiſtola, vel aliquid ejus generis publice recitandum ſit, prius in ſacriſtia audiat, & erudiat.

Eum omnes audiant; qui non audierint, ab eo, qui choro præſidet, corripiantur: & , ſi opus erit, ad epiſcopum deferantur.

Tabellam in ſacriſtia affigendam conficiat, in qua præſcribat, quid a ſingulis canonicis, vel aliis beneficiatis in ſingulis horis per hebdomadam, aut etiam per plures dies recitandum, cantandumve ſit: qui quo tempore, & ordine miſſam celebrare, vel horas dicere, aut alia munera obire debeant.

Qui autem, quod ei in tabella præſcriptum fuerit, non fecerit; in quam horam peccarit, ejus diſtributiones amittat.

Si magiſter in officio ſuo deliquerit, a præſidente chori objurgetur; & ab ordinario puniatur pro delicti modo. Si in aliqua eccleſia non fuerit hujuſmodi officium, epiſcopus, capitulo adhibito, ad id conſtituat clericum aliquem probatis moribus, & in divinis officiis exercitatum: cui ſtipendium det communibus etiam ſumptibus, ſi opus erit.

In qua vero eccleſia fuerint magiſter ceremoniarum, & magiſter chori diſtincti, ſuas cuique munerum partes ex his regulis epiſcopus, de capituli conſilio, arbitrio ſuo attribuat.

### XL.

*De officio ſacriſtæ.*

Sacriſta habeat cuſtodiam ſacrorum vaſorum, veſtimentorum eccleſiaſticorum, & totius theſauri eccleſiaſtici.

Vaſorum, veſtimentorum, inſtrumentorum, & ornamentorum, omnium altarium, & reliquorum omnium munditiæ, nitorique conſulat.

Ejuſdem curæ ſint lumina, cera, & oleum.

Vinum, hoſtias, candelas, & cereos, ceteraque





e ſacriſtia neceſſaria ad divina officia præparet.

Aquam benedictam ſingulis hebdomadis, vel etiam ſæpius, ſi opus erit, ipſe renovet; vel ab aliis renovandam curet.

Altare majus, & omnia alia, præcipue diebus feſtis, decenter ornet.

Hora congrua ipſe, vel alius ejus vice, campanæ ſono det ſignum matutini, miſſæ, & aliarum horarum canonicarum.

Habeat in ſacriſtia tres tabellas: unam, in qua omnes miſſæ, & officia pro mortuis, & reliqua deſcripta ſint, quæ ex impoſito onere, ac munere, quacumque de cauſa in ea eccleſia celebrari oporteat; alteram, in qua uniuſcujuſque dignitatis, canonicatus, præbendæ, capellæ, altaris, ſeu alterius beneficii & officii ejus eccleſiæ, in miſſis, & aliis divinis officiis obeundis debita munera contineantur: tertiam, quam ſupra diximus a magiſtro chori conficiendam eſſe. Curetque, ut quæ tribus his tabellis præſcripta ſunt munera, a quibus debent, omnino præſtentur.

Ejuſdem officium erit operam dare, ut e ſacriſtia ſermones de inanibus, profaniſque rebus, multoque magis jurgia, rixæ, & turbæ omnes arceantur.

Laicos ibidem verſari ne patiatur.

Nemini permittat, ut ſacris veſtibus induatur, niſi tunc ei miſſa celebranda ſit.

In iis qui primo, qui ſecundo loco, qui deinceps miſſam celebrare debeant, ordinem tabulæ ſervandum curet.

Si quis autem ſuo tempori præſto non fuerit; vel ei quem abſens ſuo nomine ſubſtituerit, vel proximo poſt abſentem, ſuo arbitrio miſſæ locum det.

Duobus autem ad ſummum poteſtatem faciat eodem tempore parandi ſe ad miſſæ celebrationem.

### XLI.

*De officio manſionarii.*

Manſionarii, qui chori ſunt quaſi quædam columnæ, totum fere horarum, ac divinorum officiorum pondus ſuſtinentes, munus ſuum accurate obeant.

Cum oportuerit, ad lectorile accedant, ut antiphonas, reſponſoria, gradualia, & alia hujus generis canant.

Solennibus feſtis diebus, & quoties opus erit, pluvialia induant, niſi alii nominatim huic officio præfecti ſint.

Si muneri ſuo defuerint, illius horæ, in qua non ſatisfecerint, diſtributione priventur: & alii ejus arbitratu qui choro præſidet, illorum officii partes ſuſcipiant.

Iidem, ut muneri ſuo commodius ſatisfacere poſſint, ab iis oneribus liberentur, quibus ad chori utilitatem, magiſtri ceremoniarum, & ejus qui choro præſit arbitrio levandi videbuntur, neque quo tempore divina officia in choro fiunt, parvam miſſam celebrent: niſi neceſſitas poſtularit.

Eiſdem epiſcopi honeſtum ſtipendium conſtituendum curent. Quod ſi illis etiam dantur diſtributiones, eorum tempore, quo canonici, pro officii & laboris modo eas percipiant.

Ex manſionariis duo in ſingulas hebdomadas deligantur, idque in orbem fiat, niſi aliud probatus eccleſiæ mos requirat.

Horum alter officium ordiatur & perficiat, conſiſtens in medio choro, vel ad lectorile, quod ab ea parte ſit, ubi is fuerit: miſſam etiam feſtis diebus ſemidupplicibus canat, niſi alii ſint ei muneri præpoſiti.

Alter pſalmorum tonum inſtituat pro tempore, & antiphonarum, quæ ubi legendæ fuerint, ab ipſo tantum, vel ſolum ab alio legantur.

Diebus vero feſtis in decantandis antiphonis, canonicis & aliis voce præeat: & quæ cantanda, vel legenda ſunt, ipſis indicet. Is, antequam officium inchoetur, chorum ingreſſus, libros præparet: miſſam, pſalmos, antiphonas, & alia, quæ uſus requiſierit, inveniat.

Manſionarii in ſuo munere contumaces, vel negligentes, pro modo culpæ, judicio ejus, qui choro præſit, diſtributionibus careant.

### XLII.

*De officio punctatoris.*

Punctatoris creandi morem in omnibus eccleſiis cathedralibus vel collegiatis retineri jubemus.

Is in menſem, vel in aliud certum tempus pro cujuſque eccleſiæ conſuetudine a capitulo conſtitutus, juret, ſe in officio ſuo obeundo fidem, ac diligentiam præſtiturum.

Studioſe exploret & in libro punctationum notet omnes, quicumque ii fuerint, qui ſacras horas & divina officia non obierint: quique contra quam his, aliiſve conſtitutionibus præſcriptum eſt, in choro quidquam fecerint: qua in re ſe nullius non odio, non amore, non metu moveatur.

Si aliquem injuria notarit, de ſuo ei ſatisfaciet: ſi vero notandum prætermiſerit, de ſuo item tantumdem det, quod in eccleſiæ uſum convertatur, & integras unius hebdomadæ diſtributiones amittat.

Libros punctationum diligenter cuſtodiat; epiſcopo & capitulo ſingulis menſibus exhibeat, & quoties id epiſcopus vel capitulum poſtularit.

Quo tempore is in officio punctatoris permanſerit, ſacris horis & officiis omnibus interſit: niſi abſit de ejus licentia qui choro præſidet: quo tempore alium, ab eodem chori præfecto probandum, ſubſtituat, qui ſuo muneri ſatisfaciat. Si ſecus fecerit, pro ſingulis vicibus unius diei diſtributionem amittat.

Ut autem hoc officium melius exerceatur; neminique aliquid injuſte aut remitti aut adimi poſſit, præter delectum a capitulo alter punctator ab epiſcopo creetur. Is, ſupraſcripto jurejurando apud epiſcopum præſtito, altero in libro omnes, qui ſuo muneri defuerint, notet. Singulis hebdomadis ambo punctatores libros inter ſe conferant; & ſi qua in re diſcreparint, epiſcopus, vel ejus vicarius illico omnem eorum controverſiam ſine ulla forma judicii, ſublato quocumque etiam appellationis impedimento, dirimant.

Epiſcopus deligat ad id punctatoris officium, quem voluerit, idoneum clericum.

Eidem epiſcopo facultas ſit, de ea cathedrali, vel collegiata eccleſia, in qua punctator creandus ſit, omnes, quoſcumque libuerit, propoſitis pœnis ſuſpenſionis a divinis, & aliis ſuo arbitratu cogendi, ut id munus ſuſcipiant & obeant.

XLIII.

*De officio theſaurarii.*

Theſaurarius capituli, ſive alius quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas diſtributiones partitur, curet ipſas unicuique diſtribuendas pro rata parte laboris & officii ex juris & harum conſtitutionum præſcripto & ex ordine librorum punctatoris.

Is diſtributiones eorum, qui abſentia, vel errati cauſa notati fuerint, ne perſolvat: ſi id fecerit, tantumdem de ſuo det, quod in eccleſiæ uſum conferatur: & ob eam cauſam etiam unius menſis diſtributiones amittat.

XLIV.

*De officio cuſtodum.*

Cuſtodes eccleſiæ, vel quicumque alio nomine id negotium curant, obſervent diligentiſſime & clericos & laicos, contra decorum, & honeſtatem eccleſiæ delinquentes: eoſque ſui officii moneant; ac ſi non reſipuerint, ad chori præfectum, vel epiſcopum deferant.

Omnia quæ eccleſiarum honeſtati, ornamento, decorove officere poſſint, prohibeant & arceant.

Neve quemquam in eccleſia morari ſinant:

Maxime autem vigilent, ne altaria ſpolientur, aut quidquam ex eccleſia ſurripiatur.

XLV.

*De functionibus minorum ordinum ad uſum revocandis.*

Epiſcopi ex Tridentini concilii præſcripto veteres ſacrorum ordinum functiones, quibus in locis intermiſſæ ſunt, ad uſum revocandas omni diligentia curent. (Seſſ. 23. c. 17.)

Atque ideo in cathedralibus ſaltem eccleſiis, ſex menſium ſpatio, ſingulis minoribus ordinibus inſtituant aliquos, quibus ex ejuſdem concilii formula ſtipendium attribuant: ut non ſolum munera, quæ illis infra præſcribimus, in eiſdem eccleſiis expleant; verum etiam cetera, quæ ſacris antiquorum canonum decretis ad eos pertinere epiſcopi cognoverint, ac ſi qua item alia ad cujuſque eccleſiæ utilitatem, dignitatemve eiſdem pro temporis ratione imponenda duxerint.

Quibus ſic conſtitutis licebit epiſcopo ab eorum officiorum, quæ ab iis deinceps præſtanda erunt, munere alios liberare, quibus id oneris ex noſtris conſtitutionibus ſupra impoſitum eſt.

XLVI.

*De oſtiario.*

Oſtiarius fores eccleſiæ cuſtodiat.

Eccleſiam ſuo tempore claudat & aperiat.

Infideles, hæreticos, excommunicatos, & alios, quibus jure interdictum eſt, ab eccleſia arceat & ejiciat.

Ne populum propius ad ſacerdotem, rem divinam facientem, accedere patiatur.

Campanas pulſet.

In eccleſia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione divina officia perturbantes, & quovis modo indecore atque irreverenter ſe habentes, moneat. Si pertinaces ſint, expellat, aut ad ſuperiorem deferat.

Mendicantes excludat.

Eccleſiam verrendam curet.

Bruta denique, caneſque expellat.

Quidquidve in eccleſia dedecet, amoveat.

XLVII.

*De lectore.*

Lector in eccleſia prophetias, quæ in miſſa legendæ ſunt, & lectiones pronuntiet, quæ ex veteri & novo teſtamento in matutinis dicuntur.

Pueros, ſi ita epiſcopo videatur, prima fidei rudimenta doceat.

XLVIII.

*De exorciſta.*

Nemo energumenis manus imponere, aut cauſa ejiciendi dæmones exorciſmos legere audeat; niſi exorciſtæ ordine ſit initiatus.

Is exorciſmos memoriæ mandare ſtudeat, idque ex libris, epiſcopi judicio comprobatis: & cum res poſtulaverit ut eo munere fungi oporteat, id ne agat, niſi conſulto & conſentiente epiſcopo.

Epiſcopus autem nemini, ne ſacerdoti quidem, mittat ut id munus exequatur, niſi ejus ætatem & mores probarit.

Caveat etiam ne intercedat ullus in exorciſmis quæſtus, neve ulla curioſa percunctatio, præſertim quæ ad divinationem pertineat.

XLIX.

*De acolytho.*

Acoluthus ſubdiaconos & diaconos ad altaris obſequium aſſectans, eis inſerviat.

Lumina accendat & deferat.

Urceolos vini & aquæ ad miſſæ ſacrificium paret.

L.

*Communia de ratione divinorum officiorum.*

Videant epiſcopi, aliis doctis & piis viris adhibitis, ne quid apocryphum legatur in divinis officiis, & quoad ejus fieri poſſit, a communi Romanæ eccleſiæ officio ne diſcedatur.

Divina officia ex ordine Kalendarii & eccleſiæ inſtituto celebrentur: nec ea ratio ſine juſta cauſa mutetur. quamobrem a magiſtro chori cathedralis eccleſiæ, vel alio, cujus id munus ſit, edatur ſingulis annis Kalendarium dierum feſtorum; quo ſingulorum dierum officii ratio præſcribatur.

Omnes inferiores eccleſiæ, quæcumque illæ ſint, divinorum officiorum rationem dirigant ad regulam Kalendarii cathedralis eccleſiæ, neque ab ea diſcedant. Si quæ vero eccleſiæ divinorum officiorum alios ritus habent apoſtolica auctoritate conceſſos, eis utantur; verumtamen ea quoque, quæ hic de divinorum officiorum ratione præſcribuntur, ubi apoſtolicæ conceſſioni expreſſe non adverſentur, inviolate ſervent.



In urbibus, oppidis, aut vicis nullum ſignum communium officiorum campana detur ante ſignum cathedralis, vel cujuſque loci matricis eccleſiæ, niſi epiſcopo aliud videatur: maxime vero ſabbato hebdomadæ ſanctæ, & in angelica ſalutatione matutina, meridiana & veſpertina; qua in re matutinum excipimus, quod non ubique eodem tempore dici ſoleat.

Horæ canonicæ omnes quotidie in choro dicantur; quæ ratio neque concione, neque ſolemni miſſa, neque alia cauſa impediatur, niſi evidens neceſſitas interceſſerit, de qua judicium ſit epiſcopi.

Nec horæ aliquæ beatæ virginis, ne in matutino quidem, in choro omittantur; exceptis diebus & locis, quibus ex ratione officii eas prætermittere licet.

Horæ ita commode dividantur, ut mane aliquod intervallum, ſi id fieri poterit ſine detrimento divini cultus, detur canonicis, & aliis ad ſtudium divinæ ſcripturæ, aut ſacrorum canonum.

Chorus ita vel ſepiatur, vel conſtituatur, ut tempore divini officii laicis aditus in eum eſſe non poſſit; vel ſaltem a clericis ſejuncti ſint.

In choro, vel omnino in eccleſia, nemo miniſtret ſine ſuperpelliceo, aut ceteris indumentis, quæ pro ratione officii requiruntur.

Superpellicea latis ſint manicis, non anguſtis, inſtar rocheti.

Candelæ & cerei in miſſa & aliis divinis officiis ea exiguitate ne adhibeantur, quæ in toto myſterio dedeceat, & adſtantibus offenſionem afferre poſſit.

Epiſcopi ne patiantur circulatores, circumforaneos, & id fallax hominum genus, tempore divinorum officiorum in foris & plateis eccleſiarum verſari; ut ne populus illecebris eorum & artificiis ab eccleſiis evocatus, ſalutares cogitationes abjiciat.

Curent iidem, ut ex more pulſandi in tenebris ſanctæ hebdomadæ ad repræſentandam creatarum rerum perturbationem in paſſione creatoris, omnis licentia & indecorus tumultus amoveatur.

LI.

*De muſica & cantoribus.*

In divinis officiis, aut omnino in eccleſiis, nec profana cantica, ſonive, nec in ſacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppreſſæ quam ore expreſſæ, aut denique laſciva ulla canendi ratio adhibeatur.

Cantus & ſoni graves ſint, pii, ac diſtincti, & domui Dei, ac divinis laudibus accommodati: ut ſimul & verba intelligantur, & ad pietatem auditores excitentur. Cantores, ubi fieri poteſt, clerici ſint: omnino autem in choro clericalibus veſtibus, & ſuperpelliceo utantur. Organo tantum in eccleſia locus ſit, tibiæ, cornua, & reliqua muſica inſtrumenta excludantur.

Etſi in hymnis, pſalmis & canticis, ſuis vicibus organo canatur, omnes tamen eorum verſiculi in choro diſtincte pronuntientur.

LII.

*Quando & quomodo ad divina officia conveniendum.*

Cum in eccleſiam ad divina officia diurna, vel nocturna conveniendum erit, id campanæ ſono ſignificetur; ea interpoſita mora, qua omnes facile poſſint convenire. Signo audito, qui dignitates in eccleſia, etiamſi præfecti ſint, perſonatuſve, aut canonicatus habeant, ceterique omnes, qui intereſſe debent, præparent ſe ad divinas laudes, & mature ad eccleſiam progrediantur.

Ingreſſi in eccleſiam, factiſque ad ſacroſanctam euchariſtiam, vel, ubi ea non ſervatur, ad altare majus precibus, recta in ſacriſtiam proficiſcantur.

Quo loco, retenta talari veſte, ſuperpelliceum aſſumant, & reliquum veſtitum ad ſacrum munus neceſſarium. quod ut ſervos Dei decet, tacite & modeſte faciant.

In ingreſſu chori ad matutinum & alias horas & divina officia, is ordo ſervetur:

Ut paulo poſt ultimum campanæ ſignum ad rem divinam faciendam, univerſis in ſacriſtia paratis, pulſetur parvula campana, qua egreſſus ſacerdotum ad miſſas celebrandas ſignificari ſolet: ut omnes, qui in eccleſia, vel circum eam ſunt, divini officii celebrationem inſtare intelligant.

Poſtea omnes, de ſacriſtia ordine procedentes, exeant: & ubi ſe ad altare humiliter inclinarint, ſuum quiſque locum in choro adeat.

Ibi flexis genibus & ſubmiſſa voce ſaltem orationem dominicam dicant.

Deinde dato ſigno, vel pronuntiato Pater noſter, per hebdomadarium, ad initium officii omnes ſurgant & officium inchoetur.

Qui vero in eccleſia, vel circum eam, aut in ſacriſtia fuerit, & eo ordine chorum ingredi neglexerit, dimidia parte diſtributionum illius horæ privetur, niſi aliqua de cauſa, quæ ei, qui choro præſidet, vel ordinario probetur, impeditus fuerit.

Si quis auſus fuerit inchoare officium, priuſquam eo ordine in chorum convenerint, & diſtributionem unius horæ amittat, & graviori etiam pœna ab epiſcopo plectatur.

Si quis autem aliis in choro jam conſiſtentibus advenerit, idem inſtitutum ſervet, & in ſacriſtia & in choro.

Si quis non venerit ad matutinum ante finem capituli de beata Maria virgine, cum de ipſa officium celebratur: alioqui ante finem pſalmi, *Venite exultemus*: in aliis etiam horis, ante finem primi pſalmi, pro abſente habeatur, illiuſque horæ diſtributione careat.

In miſſa vero niſi venerit ante finem ultimi Kyrie eleiſon, eamdem negligentiæ pœnam ſubeat.

Si quis cum poſſit initio officii, vel ſupplicationum convenire, adventum ſuum in extremum a nobis præfiniti temporis punctum de induſtria diſtulerit, abſentis loco habeatur.

LIII.

*Quomodo verſandum in choro.*

Omnes in choro divina officia, ut temporis ratio poſtularit, alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant.

Id non curſim, non perturbate, non oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, ac ſtudioſe faciant.

In choro pro temporis & officii ratione, ex inſtituto, & more eccleſiæ ſedeant, ſtent, flectant genua, caput aperiant, & ſubſiſtant, ceteraque ejus generis adhibeant: omnes vero æque idem faciant.

In choro etiam in matutino officio, clericali birreto, non pileo utantur: alioqui moneantur a præ-

ANNO CHRISTI 1565.

a præſidente chori, vel ab eo, qui proximo loco ſedet: & niſi paruerint, pro abſentibus habeantur.

Faceſſant ſomnus, riſus, joci, rixæ, colloquia.

Ne vagentur in choro, vel eccleſia.

Neve locum mutent, ne occaſione quidem genua flectendi.

Ne in choro, ubi communi officio opera datur, privatim officium dicant.

Neve literas, libros, aliave ſcripta legant.

Ne exeant, niſi divino officio confecto, ne cauſa quidem de communi re agendi, ſi neceſſitas non coegerit, tumque a præfecto venia petita.

Si cum divina celebrantur officia, ſacerdoti, vel clerico, vel miniſtro, interdum per eccleſiam neceſſario ſit incedendum, graviter & modeſte id faciat. Neque cum ullo ſermonem habeat de rebus inanibus.

Qui dignitates aut perſonatus habent, canonici & alii omnes, qui aliquid in his commiſerint; ſi moniti a præſidente chori non reſipuerint, & horæ illius diſtributione careant, & pro modo culpæ alias pœnas dent, epiſcopi, aut ejus, qui eccleſiæ præſit, arbitratu.

## LIV.

### *Quomodo a choro recedendum.*

Poſt divinum officium in choro flexis genibus ſubmiſſa voce ſaltem orationem dominicam dicant.

Tum vel ſurgente, vel ſignum dante hebdomadario, conſurgant omnes.

Et inter ſe conſalutantes, & ordine procedentes, ſimul exeant, & de more ante altare ſe inclinent.

Eodemque ordine ad ſacriſtiam progrediantur, ubi modeſte & quiete ſuperpelliceum exuant, non in eccleſia. Qui ſecus fecerit, monitus a præfecto chori, niſi reſipuerit, diſtributionem illius horæ ne capiat, & ab ordinario pro modo culpæ plectatur.

## L V.

### *De matutino & prima.*

Matutinum officium, vel media nocte, vel ſaltem eo tempore inſtituatur, ut ſub ortum ſolis abſolutum ſit; vel ea hora, quam epiſcopus præſcripſerit: ea tamen habita ratione ut vere matutinum dici poſſit, & aliæ horæ, miſſæ, & officia mature perfici queant. Sed præterea eorum canonicorum, & clericorum commoditati conſulatur, qui prope eccleſiam non habitant.

Matutinum veſperi non dicatur, exceptis tamen diebus octavæ feſti & ſolennis diei corporis domini noſtri Jeſu Chriſti, ceteriſque diebus, quibus ex Romanæ eccleſiæ inſtituto eſt permiſſum in iis eccleſiis, ubi hæc conſuetudo ſervatur.

Matutinum in choro eccleſiæ celebretur quovis anni tempore.

At ſi tamen vehementia frigora ſint, vel aliæ juſtæ cauſæ intercedant, de licentia epiſcopi in ſacriſtia, vel honeſto alio ejus eccleſiæ loco dici poſſit.

Prima oriente ſole dicatur, vel paulo poſt, pro conſuetudine eccleſiæ.

## L VI.

### *De miſſa ſolenni.*

Epiſcopus miſſam majorem, & veſperas, niſi impediatur, paſchalibus, & aliis majoribus feſtis diebus canet.

Diebus vero dominicis, & feſtis duplicibus canonicus hebdomadarius id faciat: niſi iis diebus ii, qui in eccleſia dignitates obtinent, id munus obibunt vel eccleſiæ inſtituto, vel epiſcopi juſſu.

Aliis diebus, niſi de more, vel inſtituto eccleſiæ id munus ſit canonicorum, quod ſervari jubemus, idem præſtabunt manſionarii, aut alii ſacerdotes ad id deſignati.

Qui ſacerdos miſſam ſolennem in eccleſia cathedrali, vel collegiata celebrare debet, & ſuo muneri defuerit; niſi legitime impeditus ejus rei facultatem a præſidente chori, vel ſacriſta impetrarit, in ſingulas vices ſolvat decem ſolidos, in uſum eccleſiæ vel ſacriſtiæ erogandos, arbitrio epiſcopi, vel ei dandos, qui illius loco celebrarit.

Qui impeditur, quo minus miſſam celebrare poſſit, ſacriſtam moneat in tempore, ut, accepta ejus excuſatione, curare poſſit ut ab alio miſſa celebretur.

Epiſcopo, & ei, qui in eccleſia dignitate præditus ſit, & canonico, die feſto ſolennem miſſam celebranti, adſiſtat ſacerdos, qui adſiſtens dicitur, pluviali indutus.

Si adſiſtendi munus nemini attributum eſt, epiſcopus cum capitulo attribuat: vel certos eligat ſacerdotes, qui id in orbem obeant; cujus officii immunes ſint hebdomadarii, magiſter chori, & punctatores.

Diaconus etiam, & ſubdiaconus eiſdem miniſtrent, ſacris veſtibus induti.

Aliis vero inferioribus miſſis miniſtrent diaconus & ſubdiaconus, ſacris veſtibus induti, in majoribus ſaltem eccleſiis, ubi id fieri poterit, epiſcopi curabunt.

Curet epiſcopus, ut, quemadmodum admonuit ſacra Tridentina ſynodus, diaconi & ſubdiaconi, ſaltem dominicis, & feſtis ſolennibus diebus, cum altari miniſtraverint, ſacram euchariſtiam ſumant. Seſſ. 23. c. 13.

Diaconi, vel ſubdiaconi, qui ex jure, ſtatuto, vel conſuetudine, certis diebus altari miniſtrare debent, ſi defuerint, ejus horæ diſtributionem ne capiant.

Quorum vices ſubeant ii, quos chori præfectus juſſerit, quibus detur aliqua pars diſtributionis, quæ abſentibus eſt adempta.

Ubi nemini nominatim id munus in ea eccleſia impoſitum eſt, quibus diaconis, vel ſubdiaconis chori præfectus id negotii dederit, id ſuſcipiant, dum ſingulis præbendis propria munera ab epiſcopo aſſignabuntur: vel alii diaconi, & ſubdiaconi conſtituantur, qui eo fungantur officio.

Epiſcopi, quam ſæpiſſime poſſint, ſolenni miſſæ, ac divinis officiis interſint. Diebus vero dominicis, adventus, & quadrageſimæ, niſi legitima cauſa interceſſerit, omnino ne deſint.

Epiſcopum ad celebrandam vel audiendam miſſam, ad aliave divina officia ſolennia venientem, canonici deducant & reducant.

LVII.



ANNO CHRISTI 1565.

## LVII.

### *De eccleſiis, & earum cultu.*

Eccleſias quaſcumque ſive curatas, ſive non curatas, ſacella & oratoria diruta epiſcopi ad eam rationem, quæ a ſancta Tridentina ſynodo præſcripta eſt, reſtituenda, vel alio transferenda curent. Lapides, cæmentum, & omnis materia eorum locorum ad profana ædificia ne adhibeantur, niſi epiſcopi auctoritas juſta cauſa interceſſerit. Quod enim ſemel Deo conſecratum eſt, ad privatos hominum uſus transferri non debet. Seſſ. 21. c. 7.

Altaria etiam, quæ extra eccleſiam, & quæ ſub dio nec ſepta aut munita ſunt, epiſcopi aut ſepienda, ſi fieri poſſit, aut demolienda curent.

In eccleſia, præſertim cum divina celebrantur officia, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat:

Deambulare, nugari, circulos habere, negotiis operam dare.

Cum mulieribus, de quibus ſuſpicio eſſe poſſit, colloqui.

Altaribus, fontibus baptiſmi vel aquæ benedictæ adhærere.

In limine, aut ante fores immorari.

Averſum ab euchariſtiæ ſacramento irreverenter ſedere, aut, cum in miſſa ſuſtollitur, ſtare.

Aut quovis modo divina officia perturbare.

Aut irreverenter in eccleſia verſari.

Ne clericus, aut alius quivis in eccleſiis, earumve cœmeterio, atrio, veſtibulo, aut porticu, foribuſque quidquam venale proponat: ne ſi ad uſum quidem ſacrificii, vel eccleſiæ futurum ſit.

Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in eccleſiam ingredi liceat: neque haſtam, vel ſclopetos, baliſtas, aliave ejuſdem generis in eam inferre.

Ne mendici eleemoſynæ cauſa in eccleſiis vagentur, ſed extra januam conſiſtant.

Qui in horum aliquo deliquerit, a rectore per ſe, vel per alium eccleſiæ miniſtrum moneatur: niſi paruerit, ab eccleſia expellatur: ſi id commode fieri non poſſit, ad epiſcopum deferatur, qui in eum ſuo arbitratu animadvertat: qui etiam rectorum, & aliorum eccleſiæ miniſtrorum hujus officii negligentiam coerceat.

Rector cujuſvis eccleſiæ pernoctationes, aut nocturnas vigilias in ea poſthac nemini permittat: ſed ſub noctis horam eccleſiarum fores claudat.

Neque ullo pacto quemquam præter ſacerdotes admittat, niſi nocte natalis Chriſti domini, cum miſſa celebratur.

Neve patiatur, ſi fieri poſſit, populum ad eas excubare.

Qui contra fecerit, epiſcopi arbitratu puniatur.

Magnopere vero a principibus petimus, ut ad rem adjuvandam, ſuam quoque poteſtatem conferant.

Sicut eccleſiaſtica immunitas, Dei præcepto, & canonicis ſanctionibus conſtituta, quam diligentiſſime cuſtodienda eſt, neque permittendum ut confugientibus ad eccleſiam & loca ſacra, aliqua vis contra ſacros canones inferatur: ita ſummopere cavendum, ne facinoroſi, niſi neceſſario ad ea, quaſi ad aſylum, in ſacrarum conſtitutionum fraudem ſe recipiant.

Mandamus igitur omnibus, & ſingulis clericis, propoſita pœna excommunicationis, aliiſque arbitrio epiſcopi, ut, quoties ab aliquo exule damnato, vel crimino ſo, qui in loco libero ſit, poſtuletur ut illum in eorum eccleſiis, cœmeteriis, vel domibus recipiant, omnino antequam aſſentiantur, ordinarium conſulant: &, quidquid ille tali in re cenſuerit, faciant.

Quod ſi, clericis minime præmonitis, tales perſonæ ad hujuſmodi loca venerint, iidem clerici, ejuſdem pœnæ periculo, epiſcopum quamprimum certiorem faciant, ut, quidquid ab eo hac in re decretum fuerit, ſervent. Ipſe autem epiſcopus de his commonefactus, conſiderata perſonarum, locorum, & temporis conditione, ac facti qualitate, decernet, quod eccleſiæ immunitati, ſacrorum locorum honeſtati, & canonum menti conſentaneum judicabit: ita tamen, ut eccleſiaſtica immunitas nulla ex parte violetur, neque propterea cenſeatur data facultas aliqua ſæcularibus magiſtratibus, & poteſtatibus lædendi immunitatem, aut aliquos de his, quæ diximus, locis extrahendi, contra quam antea jure communi ſtatutum eſſet.

Ne occiſorum cadavera a judicibus vel notariis maleficiorum in eccleſiis ullo modo inſpiciantur: ſed eo illata exportentur: & hujuſmodi inquiſitiones, & omnia, quæ ad cædis cognitionem pertinent, a ſacris locis rejiciantur.

Nemo vaſa, veſtes, vel alia ornamenta, ſacris addicta, aut omnino quidquam ex ſacra ſupellectili, profanis hominibus, aut ad profanum uſum commodare audeat. Qui ita commodarit, graviter arbitrio ordinarii puniatur.

Sacræ campanæ uſum, qui ad fideles præmonendos, ut ad divina conveniant officia, eſt introductus, indignum eſt, ad convocandos homines ad ſpectacula ſuppliciorum adhiberi. Quamobrem principes ac magiſtratus etiam atque etiam hortamur, ut campanis, quæ eccleſiarum uſui ſunt addictæ, ſi conſecratæ ſint, ad pœnarum ſignificationem quemquam uti ne patiantur.

## LVIII.

### *De proceſſionibus, & ſupplicationibus.*

Generales proceſſiones a cathedrali, vel cujuſque loci majori eccleſia proficiſcantur, & eodem revertantur, niſi aliud epiſcopo videatur.

In iis ſupplicationibus generalibus qui non venerit ante invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, pro abſente habeatur, aut alia pœna ab epiſcopo plectatur.

Eas canonici & alii clerici, etiam cujuſvis dignitatis ſint, cum ſuperpelliceis, & uſitatis aliis ſacris veſtibus ſtatuto tempore ſemper obeant.

Præfectis eccleſiarum collegiatarum in urbibus præcipimus, ut, cum ſuis quiſque canonicis, & beneficiatis vocatus, ſuperpelliceo, vel aliis ſacris veſtibus indutus, publicas proceſſiones, prælata cruce, ſemper obeat. Quibus epiſcopus locum arbitrio ſuo quamprimum aſſignabit; neque ejus rei effectus ulla appellatione retardari poſſit.

Ad

ANNO CHRISTI 1565.

Ad hujuſmodi proceſſiones epiſcopi, cum eis videbitur, ex concilio Tridentino vocent regulares omnes, quamvis exemptos.

Si qua controverſia ſit de priore loco, ab epiſcopo ex auctoritate ejuſdem concilii tollatur.

Cruces clerici ferant talari veſte, & ſuperpelliceo induti, iique ejuſmodi ſint, ut eam apte, & decore ferre poſſint; omnes ordines graviter, & modeſte procedant: colloquiiſque excluſis, pſalmis, hymnis, & reliquis ſacris precibus operam dent.

Nemo ordinem in proceſſione deſerat, antequam ad eccleſiam, unde profecti ſunt, redierint.

Laici a clericis, feminæ a viris ſeparatim proſequantur.

Videant epiſcopi, ut in ſupplicationibus, & proceſſionibus quibuſcumque, præſertim cum ſanctiſſima euchariſtia circumfertur, & cum frequentior populus ad eccleſias indulgentiæ, feſti diei, ſacræ concionis gratia, vel alia de cauſa convenire ſolet, ea modeſtia, & reverentia adhibeatur, quæ piis, & religioſis hujuſmodi actionibus maxime debetur.

Ne inter viam inaniter ſpectandi gratia ſubſiſtatur.

Ne petulanti facto, dictove cuiquam moleſtia inferatur.

Ne, quæ minus deceant, ſpectacula adhibeantur.

Neve actiones pro foribus ædium, aut in via repræſententur.

Qui ſecus fecerint, ſevere coerceantur.

Epiſcopi præficiant certos viros, quibus curæ ſit, ut hæc omnia quæ de ſupplicationibus præſcripta ſunt, ſerventur: & ut res ea qua decet pietate agatur.

Edendi, ac bibendi conſuetudinem, ſecumve eſculenta, & poculenta deferendi, aut ea vendendi in ſacris ſupplicationibus habendis, vineiſque luſtrandis, & ſuburbanis eccleſiis viſitandis, parochi tollere ſtudeant, fideles ſæpius admonentes, præſertim die dominico, qui proxime ſacras rogationes antecedit, quam dedeceat ubi piis orationibus mens & lingua exercenda eſt, ibi jejunium, quod ad alliciendam Dei gratiam magnam vim habet, & tantiſper ſervare non poſſe.

## LIX.

### *De funere epiſcopi.*

Pium ſanctorum patrum inſtitutum ad concelebrandas epiſcoporum exequias, jamdiu intermiſſum, revocantes, ſtatuimus:

Ut epiſcopo mortuo, vel morti proximo, tres primi de capitulo præſentes vicinum epiſcopum vel eo impedito, alium invitent, qui ſtatim veniat: ac ſi vivum epiſcopum, invenerit, accuratiſſime conſoletur, & ea officia præſtet, quæ ad animæ ſalutem tali tempore requiruntur.

Mortuum vero una cum ſæculari & regulari clero ſolemni more ad ſepulcrum proſequatur.

Nihil autem epiſcopus, pii hujus officii gratia, impenſæ, vel quovis alio nomine, a quoquam exigat, vel ſponte oblatum accipiat.

Ejus tamen expectationis cauſa corpus antiſtitis ne amplius quadraginta horis inſepultum jaceat.

Interea vero curet capitulum, ut cuſtodiatur corpus, & circum ipſum frequentes ex clero ſint, qui pro ejus anima preces Deo faciant.

Eidem capitulo hoc munus injungimus, ut primo quoque tempore provinciales epiſcopos omnes de epiſcopi morte faciat certiores, qui in eccleſiis cathedralibus miſſam ſolemni ceremonia pro ejus anima celebrandam curabunt: & publicis ſupplicationibus, ac precibus indictis, Deum pie ſancteque deprecabuntur, ut orbato gregi paſtorem dare velit juxta cor ſuum.

In exequiis ejus plures viginti quatuor cereis non accendantur, idque impenſa vacantis eccleſiæ, niſi extent defuncti bona; vel alius ſit, qui de jure, aut conſuetudine ſumptum facere debeat.

Epiſcopi negligentia in comprovincialis epiſcopi funere a ſynodo provinciali, canonicorum, & cleri, a ſucceſſore epiſcopo graviter puniatur.

Sacra anniverſaria pro mortuo epiſcopo quotannis fiant in cathedrali eccleſia; quamdiu proximus ejus ſucceſſor in epiſcopatu vixerit, viventis epiſcopi, & capituli ſumptibus.

## LX.

### *De funeribus, & exequiis.*

Ut vetus eccleſiæ inſtitutum mortuorum funus piis precibus, & officiis ſolemni more proſequendi multis locis avaritia, ambitione, vel negligentia depravatum, ad priſtinam pietatis rationem revocemus, clericis quibuſcumque cujuſvis dignitatis ſint, etiam canonicis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum, ceteriſque omnibus hæc ſervanda proponimus:

Ante ſolis ortum, & poſt occaſum, mortuum & efferri, & ad ſepulturam recipi prohibemus.

Inter majoris miſſæ celebrationem, mortuorum corpora ſepulturæ cauſa in eccleſiam ne inferantur.

Singularum cathedralium, collegiatarum & parochialium eccleſiarum clerici, qui in funus venerint, una tantum ſuæ eccleſiæ crux præferatur: neque aliæ in funere deferantur, niſi quas ſuus quamque clerus ſubſequatur. Quod ſi alii quoque clerici invitati fuerint, ejus rectoris, qui invitarit, crucem conſequantur.

Ad tollendas controverſias, quæ magna populi offenſione inter regulares qui beneficia curata obtinent, vel in eis curam animarum exercent, & parochos ſæculares in efferendis mortuis oriuntur, ſtatuimus, ut cum ex parochia, cui ſæcularis ſacerdos præſit, mortuus effertur, ut in parochiali eccleſia ſepeliatur, cui regularis ſit præfectus, vel contra, tunc utique parochi, ſuperpelliceo & ſtola induti, pares progrediantur. Reliqui vero regulares eum locum teneant, quem in generalibus proceſſionibus tenere conſueverunt, non obſtante quavis conſuetudine, vel pactione, quam inter ſe fecerint.

Cum mortuus efferendus erit, cujuſvis eccleſiæ clerus, qui vocabitur, in unam proximam mortui ædibus eccleſiam, congruo proceſſionis ordine conveniat; unde omnes ordine prodeuntes, bini canentes pſalmos, aliaſve ſacras preces, mortuum ab ejus ædibus ad ſepulturam comitentur.

Cum ad eccleſiam venerint, omnes corpus ſuo item ordine circumſtent, inſtituta officia celebrantes: nec prius diſcedant, quam corpus in ſepulcrum illatum fuerit.

Deinde ſingularum eccleſiarum clerici eodem ordine, quo venerant, crucem præferentes, ad eccle-



ANNO CHRISTI 1565.

ſiam ſuam redeant: niſi aliquando aliud epiſcopo juſta de cauſa videatur.

Clerici eccleſiæ, in qua mortuus humatur, ejus veſtes, heredibus invitis, ne ſumant; ſed iis, ad quos pertinent, reddant.

Candelæ omnes, cerei, & quæ intortitia vocantur, quæ circum crucem, & cadaver ad eccleſiam adferuntur, & alia, quæ circa feretrum, & in altaribus, ac reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, heredum impenſis accenduntur, ita Deo oblata eſſe intelligantur, ut ejus eccleſiæ ſacriſtiæ, in qua mortui corpus humandum erit continuo addicta ſint.

Rectoribus vero vendere illas nullo modo, ſed ad miſſam, ceteraque divina officia celebranda tantummodo uti liceat, niſi in alium eccleſiæ uſum ordinarii licentia convertantur.

Excipimus tantum ea, quæ clericis cujuſvis generis eleemoſynæ cauſa dari ſolent, & quæ funeralium nomine cathedralibus, & parochialibus eccleſiis ex ſacris canonibus debentur: quibus nihil obſit, quo minus quartam funeralium, Seſſ. 25. c. 13. quæ ſolita eſſet perſolvi, ex decreto Tridentini concilii conſequi poſſint.

Si mortuorum heredes ita ſe impie geſſerint, ut religioſum exequiarum inſtitutum negligentes, cruci, clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint; ab epiſcopo ea cogantur comparare, quæ neceſſaria videbuntur.

Dent operam epiſcopi diligenti cohortatione, ut in ſingulis parochiis, communibus eorum ſumptibus qui ſunt in parochia, comparetur pallium, quod mortuo imponi ſolet; idque omnibus in funere gratis commodetur. Quod ſi parochiani id recuſarint, ſinguli parochi, & alii eccleſiarum curatarum rectores pallium ad hujuſmodi uſum emant: pro quo mortuorum heredes illis minimum aliquid epiſcopi arbitratu largiantur.

Si vero nobiles homines aureo, vel ſerico, vel omnino precioſo pallio uti voluerint, pecunia ſua faciendum curent, quod ad ejuſmodi cadaverum uſum nullo modo in poſterum adhibeatur, ſed illi eccleſiæ, in qua mortuus ſepultus fuerit, illico poſt funus acquiſitum ſit, & in ejus ornamenta convertatur.

Statuat epiſcopus in civitate & diœceſi ſua pro modo laboris, quantum mercedis cauſa dandum ſit curatoribus exequiarum, ceteriſque qui dant operam in funere, & iis qui campanas pulſant. Quibus etiam, quamdiu in exequiis campanas pulſare debeant, arbitrio ſuo præſcribat.

Miſerabiles perſonæ, quibus mortuis aut nihil ſupereſt, aut ita parum, ut ſua impenſa humari non poſſint, a parocho ſumptibus eccleſiæ ſepeliantur.

Exequiarum, ſepulturæ, & anniverſariorum cauſa nemini quidquam paciſci, aut exigere liceat, neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habeat.

Pias tamen conſuetudines in his ſervari jubemus, cujus rei epiſcopus curam ſuſcipiat.

Pia etiam legata exigi volumus, neque ea, quæ eleemoſynæ cauſa ultro data fuerint, accipi prohibemus.

Nemini quemquam in funere laudare liceat, niſi & eum, quem laudare velit, epiſcopus dignum cenſuerit, & laudationem ſcriptam ante probarit.

Liceat tamen in funere concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miſeriam, fidelium oculis proponendam, omneſque ad vigilandum cohortandos, ne, cum venerit dominus hora qua non putarint, inveniat eos dormientes.

Caveant autem parochi, & alii eccleſiarum rectores, ne quod pietate adducti ſuadere debent mortuorum heredibus, ut anniverſaria officia illorum cauſa celebranda curent, id cupiditate impulſi moleſtius flagitent, qua in re ſi peccarint, epiſcopi arbitrio puniantur.

Quicumque laicus, vel ſæcularis clericus in iis deliquerit, quæ his decretis præſcripta ſunt, ab ordinario loci gravi pœna afficiatur.

## LXI.

### *De ſepulturis.*

Non eſt ferenda noſtri temporis inſolentia ſepulcrorum, in quibus putrida cadavera, tamquam ſacrorum corporum reliquiæ, excelſo & ornato loco in eccleſiis collocantur, circumque arma, vexilla, trophæa, & alia victoriæ ſigna & monumenta ſuſpenduntur: ut jam non divina templa, ſed caſtra bellica eſſe videantur. Ambitioſam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam deteſtantes, & eccleſiarum decori conſulentes, ejuſmodi ſepulcra excelſo loco poſita, & ea quæ parietibus incluſa, vel adjuncta etiam in una parietum parte eminent, niſi marmorea, aut ærea ſint; ſive illis corpora contegantur, ſive inania & ibi tantum honoris cauſa ſint conſtituta, & eorum omnis generis ornatum & apparatum ad tres menſes amoveri, ac tolli omnino jubemus, oſſaque ac cineres in ſacro loco altius in terram defodi, ita conditos, ut ſepulcrum e ſolo non emineat.

Monemus vero epiſcopos, ut morem, multis locis intermiſſum, mortuos in cœmeteriis ſepeliendi, reſtituendum curent: inde ſubmotis, ſi qui ea uſurparint.

Et ſi cui locus ſepulturæ deinceps dabitur in eccleſia, humi tantum detur; & ſepulcrum, in quo condetur, opere fornicato cum reliquo eccleſiæ pavimento æquatum ſit.

Hæc ut efficiantur, diligenter operam dabunt epiſcopi, adhibito etiam, ſi opus erit, magiſtratuum auxilio.

## LXII.

### *Quæ pertinent ad bonorum & jurium eccleſiaſticorum conſervationem, rectam adminiſtrationem, & diſpenſationem.*

Eccleſiarum res quamplurimæ, aut deſtitutæ defenſoribus, aut etiam ab iis, quibus earum procuratio credita erat, proditæ, ita perierunt, ut monimentis vel interceptis vel perditi, nulla ſpes jam reliqua videatur illas in jus ſuum vindicandi. Id ne deinceps accidat, neve quiſquam, quod in Chriſti patrimonio negligentior ſit, quam in ſuo, merito reprehendi poſſit, ſtatuimus;

Ut epiſcopi & capitula tam cathedralium, quam collegiatarum eccleſiarum, hoſpitalium etiam, ac quorumcumque piorum locorum gubernatores, ſeu adminiſtratores & alii quicumque, qui beneficia eccleſiaſtica quæcumque cum cura, vel ſine cura, quocumque nomine nuncupentur, etiam commendata, quæ obtinent, ab

hujuſ-

ANNO CHRISTI 1565.

hujus decreti editione ; qui vero in futurum quomodocumque obtinuerint, ab adeptæ poſſeſſionis die, quiſque intra ſpatium ſex menſium ; edictis etiam interim publice propoſitis, omnium & ſingulorum bonorum & immobilium, jurium, annuorum cenſuum, ſive redditutum, nominumve debitorum & aliorum quorumcumque ad eorum eccleſias, vel eorum adminiſtrationi commiſſas, monaſteria, vel beneficia, eorumve menſas quocumque jure pertinentium, rationem diligentiſſime conquirendam, & eorum omnium inventarium, in quo locorum etiam fines, conditioneſque omnes ſigillatim deſcribantur, per publicum notarium diligenter conficiendum curent. Epiſcopus quidem, adhibitis duobus, a capitulo cathedralis eccleſiæ delectis : Capitulum autem coram epiſcopo, aut aliis præfectis ab eo : alii vero coram fide dignis teſtibus.

Ex eo inventario exempla duo, notarii publici auctoritate ad certam eorum fidem munita, conficiantur : quorum alterum epiſcopi & capitula eccleſiarum cathedralium in archivo, quod utriſque commune ſit, aſſervent : alterum ad metropolitanum mittant. Præfecti vero & capitula eccleſiarum, quæ collegiatæ ſunt, alterum exemplum in communi eorum archivo retineant : alterum in archivo cathedralis eccleſiæ, intra cujus fines ſunt, aſſervandum tradant.

At vero in quibus eccleſiis vel cathedralibus, vel collegiatis archivum ejuſmodi non ſit, ab epiſcopo inſtituatur.

Ceteri autem ſinguli, qui beneficia quæcumque eccleſiaſtica quovis titulo obtinent, exemplis item duobus eodem modo confectis, unum in eccleſia ſua diligenter cuſtodiant : alterum ad cathedralem eccleſiam perpetuo * conſiderandum mittant, unde, ſi uſus poſtulabit, exemplum ſumere eis liceat gratis.

* conſervandum.

Archiva ſingula duabus clavibus occludantur.

In eccleſiis cathedralibus, earum unam epiſcopus, alteram capitulum cuſtodiat : in collegiatis alteram præfectus, alteram capitulum D ſervet.

Præterea in viſitationibus, ejuſmodi inventaria epiſcopi ſecum afferant, & cum iis, quæ ſervant ii qui viſitandi ſunt, ſigillatim conferant : perſpiciantque diligenter, ne quid eorum, quæ ibi deſcripta fuerint, deſit, quod eccleſiæ vel minimo detrimento eſſe poſſit. Et, ſi quæ forte deerunt, eccleſiæ reſtitui, omniaque ejus damna ſarciri ſtudeant. Ipſa quoque inventaria, ſi eis videbitur, renovari jubeant. Et utique quæcumque acceſſio, vel immutatio facta ſit, ea quotannis in inventaria referatur.

Qui in his, vel negligentia, vel contumacia, vel fraude peccaverint ; ſi capitula, & alii E beneficia eccleſiaſtica obtinentes, epiſcopi arbitrio : ſi epiſcopus, primæ provincialis cujuſque ſynodi, pœnas dabit.

Epiſcopi intra ſex menſes uniones perpetuas, etiam eccleſiis juriſpatronatus factas, & ipſa patronatus jura ex præſcripto Tridentini concilii recognoſcant, & traditam ejuſdem concilii decretis de illis rationem diligentiſſime ſervent.

Seſſ. 17. c. 6. 24. c. 13. 25. c. 9.

Si quæ laicis conceſſa eccleſiæ bona, aliquomodo caduca facta ſint, caveant epiſcopi quicumque beneficia eccleſiaſtica obti-

A nent, ne pœnam caducitatis remittant : niſi ſervatis iis, quæ in hoc genere jura præſcribunt : ſi ſecus fecerint epiſcopi in ſynodo provinciali pœnas dabunt ; ceteri ab epiſcopo plectantur.

ANNO CHRISTI 1565.

Qui bona eccleſiæ feudi nomine obtinent, a ſucceſſoribus in ea inveſtituram intra tempus a jure præſtitutum renovandam curent, eiſdemque fidelitatis jusjurandum dabunt.

Pari etiam ratione heredes eorum & inveſtituram poſtulent, & jurent iis, qui eccleſiæ præfuerint.

Qui id facere omiſerint, conſtitutas legibus pœnas pendant.

Ne autem res eccleſiaſticæ cum aliis confun-B dantur, mandamus, ut feudatarii omnes in ejuſmodi renovationibus omnia bona, eorumque fines ſigillatim & nominatim publico inſtrumento deſcribant.

Hanc vero curam præcipuam ordinariorum eſſe volumus, ut illos cogant hæc omnia exequi, propoſitis pœnis eorum arbitratu.

Nemini beneficiorum eccleſiaſticorum bona propinquis ſuis intra tertium gradum in emphyteuſim, aut ad cujuſvis temporis ſpatium, etiam per ſuppoſitas perſonas locare liceat, niſi evidens & magna eccleſiæ utilitas, judicio epiſcopi, præter alia juris requiſita, aliud poſtulare videatur. Si aliter factum fuerit, nulla ſit locatio, & qui locarit, ab ordinario puniatur.

C Ex auctoritate ſacri concilii Tridentini negotium damus epiſcopis provinciæ noſtræ, ut ſinguli una cum canonico a capitulo & altero de clero ab ipſis deligendo recognoſcant, etiam ex officio, quaſcumque locationes bonorum eccleſiaſticorum, ad longum tempus a triginta annis factas ; & ſi eas in damnum eccleſiæ & contra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe adjudicaverint, irritas & nullas declarent.

Seſſ. 25. c. 11.

Nolumus cedentibus, aut decedentibus iis qui eccleſiaſticæ obtinent beneficia, illorum fructibus fraudari ſucceſſores, aut ſaltem eorum recuperationem litibus & controverſiis difficilem reddi : qua re fit, ut interim eccleſia debitis muneribus & officiis deſtituatur.

Idcirco ſancimus, ne eccleſiarum rectores, aut quicumque beneficia eccleſiaſtica quomodolibet obtinentes, ſine ordinarii licentia, ſcripto permiſſa, pendentes beneficiorum fructus quovis prætextu vel cauſa alienent, niſi venditionis, vel locationis nomine : & tunc dilata in id tempus precii vel mercedis ſolutione, quo fructus erunt a ſolo ſeparati.

Quod ſi ſecus factum fuerit, contractus irritus ſit & nullus : & qui fecerit, arbitrio ordinarii pœna afficiatur : quam etiam ſuſtineat is, qui eo in ſuam rem uti voluerit.

Cum pro cujuſque eccleſiæ conſuetudine populus ad oblationes invitatur, id graviter & mo-E deſte faciendum eſt. Nec eo vaſis, aut ſacculi genere pecuniam accipiant, in quo quid quiſque dederit, cerni poſſit : ut fideles pietate adducti, non pudore quodam modo coacti, eleemoſynam afferant.

Quæ cum ad ſubſidium ſacerdotum, vel aliorum pauperum, vel eccleſiarum reparationem & ornatum ſit inſtituta, eam populus liberaliter præbere debet.

Ne per inſcitiam aut oblationem id peccatum committatur, ut decimæ iis, quibus legitime debentur, vel omnino non ſolvantur, vel ex parte tantum : ideo mandamus & parochis, ut inter



ANNO CHRISTI 1565.

intermiſſam, & prædicatoribus in concione primo A quoque dominico die adventus & quadrageſimæ doceant populum, quid de ſolutione decimarum ſacrum Tridentinum concilium ſtatuerit ; vehementerque hortentur ac moneant, ut debitas decimas integre perſolvant, ne propoſitas ab eadem Tridentina ſynodo excommunicationis pœnas ſubire cogantur.

Quibus etiam diebus ejuſdem Tridentini concilii decretum contra occupantes quovis modo fructus, bona & jura eccleſiarum & aliorum piorum locorum, communi lingua populo recitent.

Quo contingit interdum ut clerus urbanus congregatus, reliquo clero diœceſano non adhibito, aliqua decernat quæ ad clericos univerſæ B diœceſis pertineant, magno nonnunquam abſentium damno ; idcirco nos communi eorum utilitati conſulentes, ſtatuimus ut clerici, qui extra civitatem ſunt, cum primum in diœceſanam ſynodum convenerint aliquos eligant, qui urbanæ congregationis deliberationibus, quæ ad univerſum clerum ſpectant, interſint.

Præcipimus etiam clero civitatis, ut antequam congregetur, ſemper eos, qui delecti fuerint admoneat, ut ad congregationes adeſſe poſſint. Si vero non admonuerit, quidquid ibi actum, decretumve ſit, externo ejus diœceſis clero detrimento eſſe non poſſit.

Omnes vero eccleſiaſticas perſonas & eorum bona, libertatem, commoda & jura omnia prin-C cipibus ſummopere commendamus, admonentes eccleſiaſticam immunitatem, ſive ad hominum vitam, ſive ad bonorum poſſeſſionem, fructuſque pertineat : Dei ordinatione, ſummorum pontificum decretis, & ſacrorum conciliorum auctoritate tributam, nulla ratione violandam eſſe.

Neque enim principes & magiſtratus res eccleſiaſticas attentare ; neque ſacros & religioſos homines ad ſuum judicium, poteſtatemque revocare ; neque Deo addictis bonis manum injicere aut ullum onus imponere debent, imo vero meminiſſe oportet, quas a Deo facultates conſecuti ſunt, eas ad ipſius Dei gloriam, & honorem, hominumque ſacrorum ſalutem & incolumitatem conferendas eſſe ; qui pro eorum quiete, ac felicitate Deo preces aſſidue faciunt.

Cujus officii cum maxime intelligentes fore confidamus, in primis catholicum, eumdemque potentiſſimum Hiſpaniarum regem & reliquos deinceps provinciæ principes ; dubitare non poſſumus, quin re ipſa efficiant, ut eorum magiſtratus & communitates nihil adverſus immunitatem & libertatem eccleſiaſticam ullo unquam tempore moliantur, quod ita ut fiat, epiſcopi pro ſui officii munere curare & eniti debebunt.

Seſſ. 25. c. 8.

Sacræ Tridentinæ ſynodi decretum ſecuti monemus omnes, quicumque beneficia eccleſiaſtica obtinent, ut hoſpitalitatem benigne exerceant, memores Chriſtum dominum in hoſpitibus recipi ; a quo recipientur ipſi in æterna tabernacula.

Hoc autem hoſpitalitatis officium eo magis epiſcopis colendum eſt, quod illis eam virtutem apoſtolus in primis amplectendam propoſuit.

In hoſpitalitate autem non is habeatur delectus perſonarum, ut divites potiſſimum invitentur, qui cum fenore reddant, quod acceperint ; ſed cum eccleſiaſticarum perſonarum domum nemini, quantum per facultates licuerit clauſam eſſe deceat, profecto illis maxime patere debet,

A qui Dei voce, ſanctorum patrum cohortationibus & exemplis, ſacrorum conciliorum præcepto & auctoritate nobis commendati ſunt.

ANNO CHRISTI 1565.

Et ſacrorum canonum decretis ſtatutum eſt, & ſanctiſſimorum patrum teſtimoniis celebratum ; quæ bona fidelium pietas Deo conſecravit, ea vel illorum neceſſitatibus honeſte ſublevandis, qui divinis dicati obſequiis, Chriſti miniſtri & diſpenſatores myſteriorum Dei effecti eſſent ; vel eccleſiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum neceſſariis comparandis, vel pauperibus ſuſtentandis addicta eſſe ; ſiquidem ubi primum eccleſiæ bona eſſe cœperunt, eam naturam, & conditionem conſecuta ſunt, ut in alium quam in ſacrum & pium uſum B eorum fructus converti nefas eſſet. Quare cavendum eſt, ne cupiditate prolapſi, quæ radix eſt omnium malorum, dum vel propriis, vel propinquorum & familiarum divitiis & honoribus ſtudemus, quæ Deo dicata ſunt bona & eccleſiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offenſione ad aliorum uſum convertamus. Itaque nos ſacrorum canonum, & ſanctorum patrum auctoritate innixi, atque iis adducti quæ ſacra Tridentina ſynodus de officio adminiſtrandi bona eccleſiaſtica ſignificavit, eos omnes, qui ea obtinent ; vehementer monemus, ut muneris ſui memores, hæc quæ ſequuntur diligentiſſime præſtent ; Epiſcopi, abbates, præpoſiti, parochi, ac ceteri omnes cujuſcumque dignita-C tis & gradus, eccleſias, etiam eorum adminiſtrationi commiſſas, ac quæcumque beneficia eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, quomodocumque, etiam commendata, in provincia noſtra obtinentes, omni diligentia cognoſcere ſtudeant, quibus oneribus eorum eccleſiæ, & beneficia ex bonorum eccleſiaſticorum natura, vel ex illorum quæ obtinent, propria inſtitutione, vel ex conditione apoſtolicis literis in proviſione dictorum beneficiorum eis præſcripta, vel alia quacumque ejus generis ratione ſubjaceant, illiſque integre ſatisfaciant. Quod ſi facere omiſerint, & eos fructus ſibi vindicare, vel ad alios transferre auſi fuerint, vel in quem debent uſum non impenderint ; ſe ex ſacris canonibus & ſan-D ctorum patrum ſententia, ſacrilegii reos eſſe intelligant ; & eorum omnium neceſſaria reſtitutione teneri : neque ulla omnino, etiam immemorabili, conſuetudine excuſari.

Seſſ. 25. c. 1.

Atque ideo, ſi metropolitanus tale quid commiſerit, antiquior ſuffraganeus de eo ad ſynodum, & ſynodus ad ſanctiſſimum dominum noſtrum Romanum pontificem deferat ; Si epiſcopus ſit & ab archiepiſcopo, vel, eo abſente, ab antiquiore ſuffraganeo monitus plene non ſatisfecerit, ad ſynodum provincialem primo quoque tempore celebrandam, per eumdem deferatur ; ubi & reſtituere cogatur, & pœnas ſubeat ſynodi arbitratu.

Si vero inferiori gradu quam epiſcopus fuerit E quicumque is ſit, ſi ab ordinario loci monitus non ſatisfecerit, præter reſtitutionem eorum, quibus pia opera defraudavit per ſex menſes adminiſtratione bonorum eccleſiaſticorum prohibeatur. Quod ſi iterum in eo peccarit, gravioribus etiam pœnis plectatur.

Quo in genere tanto etiam gravius animadvertendum erit in eos, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent commendata, quanto magis ex induſtria peccaſſe videbuntur, ſi literis apoſtolicis præſcriptam legem propoſitam ante oculos habentes violare non veriti fuerint.

Noverint etiam ii, ad quos ſcientes hujuſmodi

ANNO CHRISTI 1565.

modi fructus, vel aliquod ex illis commodum quovis nomine pervenerit; ſe eadem reſtitutionis lege teneri.

Ii vero, qui eccleſias & beneficia eccleſiaſtica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos; tamquam divinorum obſequiorum miniſtros; honeſte ſuſtentandos proprie ſunt attributi, ſi uberiores ſint quam ad tuendam vitam, conditioniſque ſuæ rationem requiratur; dubitare non debent, ad eum finem hanc copiam illis eſſe attributam, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum ſatis eſſent, ſuppeterent etiam, quibus divini cultus ornatus, ac ſplendor conſervaretur; & pauperum inopia, & indigentia ſublevaretur; quemadmodum etiam Deus pleroſque divitiis cumulat, ut amicos ſibi faciant, a quibus cum defecerint, in æterna recipiantur tabernacula. Quamobrem per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obteſtamur, atque monemus; ut meminerint ea bona non eſſe ſibi credita ad luxum, neque ad augendos conſanguineos, ſed ad vitam honeſte, ut fidelem Dei miniſtrum, & pietatis Chriſtianæ magiſtrum decet, traducendam. Ex eo vero, quod ſupererit; ſi neceſſaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant ſe, quos non paverint, occidiſſe; atque ob violatam ſanctiſſimæ caritatis legem mortale peccatum commiſiſſe; quo ſibi iram in die iræ theſaurizaverunt.

Modum autem, & rationem, qua metiri ſe pro conditione, & gradu unumquemque oporteat ad vitam ſuam fructibus eccleſiaſticis honeſte ducendam, eam eſſe omnes debent intelligere, quæ ab iis non diſcrepet, quæ in ſacris canonibus, & præſertim in his noſtris conſtitutionibus, de clericali frugalitate & modeſtia ſtatuta ſunt.

Quæ vero de fructibus eccleſiaſticis dicta ſunt, eadem etiam de ſupellectili omni, ceteriſque rebus, quæ iiſdem fructibus comparatæ ſunt, dicta eſſe intelligantur; ne quæ de domeſtico eccleſiaſticorum hominum cultu, & ornatu per nos in hac ſynodo decreta ſunt, aut ad propriam avaritiam, aut ad propinquorum ſplendorem ſtatuta eſſe videantur.

## LXIV.

*Quæ ad ſacramentum matrimonii pertinent.*

Diligentiſſimi ſint epiſcopi in ea obſervatione, ne quiſquam a regula, quam in celebrando matrimonio ſervandam ſtatuit Tridentina ſynodus, ulla ex parte diſcedat.

Seſſ. 24. c. 1. de ref. matrim.

Ne autem matrimoniorum, quæ contrahentur, memoria facile pereat, ſi quam facultatem epiſcopi, aut parochi cuiquam alii ſacerdoti, ut in contrahendo matrimonio interſit, concedendam aliquando duxerint, id ſcripto tantum faciant; ejuſque exemplum epiſcopi in aliquo libro deſcriptum diligenter aſſervent. Parochi autem in eum librum referant, in quo conjugum & teſtium nomina ex præſcripto Tridentini concilii ſcribere debent. Quidquid vero eo libro parochi ſingulis annis ſcripſerint, id in fine anni epiſcopo deſcribendum tradant.

Denuntiationes, quæ matrimonium antecedere debent, feſtis illis diebus fiant, qui eccleſiæ præcepto ſervantur, media ea miſſa, ad quam frequentior populus convenire ſolet, quo id facilius notum omnibus eſſe poſſit.

Si parochus in matrimonio denuntiationes, vel benedictionem ſine probabili cauſa procraſtinarit, cujus judicium deinde ſit epiſcopi, ab eo plectetur.

ANNO CHRISTI 1565.

Parochi, cum ſponſis benedicendum erit, id celebrata miſſa, cui illi interſint, ſemper faciant.

Uſum autem illum in eccleſia bibendi, & frangendi cyathi, & alia id generis, quæ indecore fiunt, cum aliqui matrimonio junguntur, amplius ne adhiberi patiantur.

Epiſcopi ea quæ de matrimonio in Tridentina ſynodo in reformatione matrimonii, & in his noſtris conſtitutionibus decreta ſunt, communi lingua divulganda curent; & omnibus ſuæ diœceſis parochis eorum exempla diſtribuant: ut illi ſingulis quibuſvis tribus menſibus frequentiſſimo populo in eccleſiis recitent, niſi aliud epiſcopo videatur.

## LXV.

*De meretricibus, & lenonibus.*

Ut meretrices ab honeſtis mulieribus omnino internoſcantur, curent epiſcopi, ut aliquem amictum palam indutæ ſint, quo earum turpem conditionem & vitam omnes notam habeant.

Neve eiſdem liceat, etiamſi advenæ ſint, in meritoriis tabernis, vel publicis cauponis pernoctare, vel commorari, niſi itineris cauſa, idque unum diem tantum. Curent etiam in unaquaque civitate locum eis aſſignandum, abi hominum frequentia; & a majoribus eccleſiis remotum, ubi omnes habitent, ea lege, ut ſi extra ejus loci fines domum, ejuſve partem conduxerint, vel in quacumque domo quavis de cauſa amplius unum diem habitaverint, & ipſæ, & domini, ſeu locatores ſeverius puniantur. Quam rem quamprimum efficiendam principes & magiſtratus pro ſua pietate ſuſcipient.

Ab iis etiam petimus, ut hujuſmodi impudicis mulieribus omnino gemmarum, auri, argenti, & ſerici uſu interdicant.

Omneſque, qui lenocinio quæſtum faciunt, ex ſuis finibus exterminent.

## LXVI.

*De hiſtrionibus, cingaris, tabernis meritoriis, & aleatoribus.*

De his etiam principes, & magiſtratus commonendos eſſe duximus;

Ut hiſtriones, & mimos, ceteroſque circulatores, & ejus generis perditos homines e ſuis finibus ejiciant; & in caupones, & alios, quicumque eos receperint, acriter animadvertant.

Ut vagum & fallax cingarorum genus arceant, niſi certis ſedibus collocati, vitam honeſtis artibus, & in reliquis omnibus, ut Chriſtianos homines decet, agere velint.

Ut ganeas, & tabernas meritorias, omnis nequitiæ ſentinas, e provincia tollendas curent.

Quod ſi quæ ferendæ videbuntur, jubeant neminem in eis hoſpitio recipi; ſed tantum vinum, & edulia venalia proponi.

Et quoniam uſu compertum eſt, ex aleæ ludo ſæpe furta, rapinas, fraudes, blaſphemias, aliaque id generis flagitia proficiſci; prohibeant taxillis, aut alea ludi: & graviter in publicos aleatores, & in eos qui hujuſmodi ludis interſunt, qui-



ANNO CHRISTI 1565.

quive domum ad recipiendos ludentes expoſitam habent, animadvertant.

Maxime vero efficiant, ut bonis artibus vel inſtituendis, vel renovandis, otia quantum fieri poterit e civitatibus tollantur.

## LXVII.

*De immoderatis ſumptibus coercendis.*

Copioſis & locupletibus illud ſemper propoſitum eſſe debet ſancti Joannis apoſtoli: *Si quis habuerit ſubſtantiam mundi hujus, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* unde facile intelligunt, quam facultates ſuas ad pauperum difficultates & neceſſitatem ſublevandam conferre debeant. Quamobrem magnopere cavendum eſt; ne ſubſidia pauperum in ſupervacaneos ſumptus & inanes delicias effundantur.

1. Joan. 3.

Proinde admonemus, & enixe hortamur principes, & magiſtratus, ut effuſam impenſam, & omnem intemperantiam certis legibus coercentes, modum ſtatuant non ſolum quotidianis epulis atque conviviis, verum etiam veſtibus, equis, rhedis, famulis, aliiſque non neceſſariis apparatibus; & denique omni & domeſtico & externo ornamento, & inſtrumento moderationem adhibeant, qua pecuniæ effuſione ſublata, innumerabilibus malis, quæ inde ortum habent, occurretur.

Quod facilius etiam fiet, ſi principes ipſi, quorum mores, & vivendi rationem populi plerumque imitari ſolent, non modo leges propoſuerint, ſed etiam quemadmodum legibus parendum ſit, exemplo docuerint.

## LXVIII.

*De uſuris.*

Uſuram ad perniciem populorum; latius manantem pro noſtri muneris cura reprimere cupientes, quædam hujus generis delicta ex ſacrorum canonum, & probatorum patrum ſententiis delegimus; quæ quoniam frequentius in hac provincia committi animadvertimus, ea præcipue, ac nominatim prohibenda duximus, eo conſilio, ut, ſi quis in aliis etiam ejuſdem generis vetitis contractibus deliquerit, pœnas, a jure conſtitutas, ſibi ſubeundas eſſe intelligat.

Ex mutuo, vel depoſitis, etiam apud Judæum factis, nihil præter ſortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter ſperari poſſit, tametſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus id jure nominatim permittatur.

Si quis oblatas re ipſa, loco & tempore pecunias, etiam dotales, ſibi debitas, accipere recuſaverit; nihil præter ſortem, etiam ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vel ex quacumque alia cauſa accipere poſſit.

Ne fiant cambia, cum literæ ad deſtinatum locum vere non mittuntur, & ibi non fit ſolutio, ſed uno, & eodem loco pecunia datur & recipitur, vel quando dantur & accipiuntur pecuniæ cum eo pacto, ut habeatur recurſus ad domum vel ad reſpondendum dantis aut accipientis, quod pactum vulgo vocatur: *La ricorſa*: atque ita impenſæ, aut alterius rei onus imponitur.

ANNO CHRISTI 1565.

Ne cui liceat cum altero ita contrahere, ut is totam pecuniæ ſummam ei, qui dederit, ſolvat; cum ille partim pecunia dederit, partim nominibus, quæ difficile exigi poſſint, vel in rebus pluris quam valeant, æſtimatis.

Ne cui, præſentem pecuniam quærenti, quidquam carius vendatur, ut ſtatim ab venditore per ſe, vel per interpoſitam perſonam vilius ematur.

Ne quis rem aliquam, ob dilatam ſolutionem, carius vendat juſto precio.

Ne ob anticipatam ſolutionem res minoris ematur juſto precio, vel ſolvatur minus quam debeatur.

Ne res vendatur, dilata in tempus ſolutione, ita ut precium, quod interim rei accreverit, venditori ſolvatur; ſi ejuſdem periculo non ſit diminutio.

Ne res modico precio pignori detur, vel vendatur pacto redimendi intra certum tempus: ut, ſi ad dictum tempus res redempta ſit, res libera ſit emptoris, vel ejus, qui pignori accepit.

Ne frumentum, vinum, oleum, aliudve detur, ut eo quod datum eſt, aliquid amplius exigatur, ſive ejuſdem generis, ſive alterius quomodocumque, etiamſi operæ ſint.

Ne quis mutuo det frumentum, vel id genus aliud corruptum, ut tantumdem integri carioris reddatur; etiamſi reſtitutio differatur in quodcumque tempus debitori commodum.

Ne in ſocietate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri diſtributio conſtituatur, niſi per quotas partes.

Nec ultra eas, certa pecuniarum ſumma, vel quid aliud, conferenti pecuniam perſolvatur.

Neque fiat pactio, ut ſors ſalva ſit, fructus vero communiter dividantur.

In ſocietate animalium, quæ inæſtimata alicui dantur ad cuſtodiam, ſive ut operas præſtet, omnes caſus, etiam fortuiti, ſemper ſint periculo ejus qui dederit; niſi id alterius ſocii dolo, vel magna negligentia accidiſſe conſtiterit.

Nec fiat pactum, ut ſors ſit ſemper ſalva; etiam ex primis fetibus.

Neve quidpiam certum, præter ſortem, ex fructibus animalium quotannis ſolvatur.

Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo precio, ſi illa abſque dolo, aut negligentia ejus qui conduxit, deteriora fiant, id ſemper ſit damno ejus qui locarit.

Si autem animalia dentur æſtimata, ita ut ſors danti ſalva ſit, nihil omnino percipi poſſit.

Ne fiant contractus, qui libellarii, ſeu ficti libellarii dicuntur, ubi non antecedat emptio certæ rei immobilis precio juſto.

Vel ubi venditor redimere cogatur; vel ubi non poſſit redimere, niſi poſt certum tempus.

Vel ubi annuus cenſus, ad cujus ſolutionem res obligatur, ſuperat æſtimationem fructuum, quos ex ipſa re dominus ſolet aut poteſt percipere.

Et ſi loco pecuniæ vinum, frumentum, vel quid aliud in ſingulos annos promittatur; illud ad pecuniæ, & juſti precii rationem redigatur pro conſuetudine locorum.

Si qui autem in aliquo ex his caſibus, aut aliis, qui uſuram ſapiunt, & a jure, ut iniqui, pro-

ANNO CHRISTI 1565.

prohibentur, contraxerint, ipſi contractus etiam jurejurando muniti, nulli, irriti, & inanes ſint. Contrahentes vero, tabelliones, qui inſtrumenta confecerint, proxenetæ uſurarum, aut lucri participes, miniſtrique omnes horum ſcelerum, & pœnis jure ſtatutis, & eccleſiaſticis cenſuris puniantur.

Hortamur vero principes & magiſtratus, ut ipſi etiam huic peſti, quibus maxime poterunt, remediis occurrant.

# CONSTITUTIONUM
## PARS TERTIA.

### I.

*De piorum locorum adminiſtratione.*

Seſſ. 7. c. 15. & Seſſ. 25. c. 8.

UT pia loca omnia fideliter diligenterque adminiſtrentur, quæ ſacrum Tridentinum concilium epiſcoporum curæ ac ſtudio maxime commendavit; hæc mandamus, quæ illi ab omnibus ſervanda curabunt:

Qui hoſpitalia, ſeu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperumve uſum præcipue inſtituta, in commendam, adminiſtrationem, aut quemcumque titulum, aut eccleſiis ſuis unita, obtinent; domos & ædificia horum locorum ruinoſa vel disjecta ſarciant & reſtituant.

Quæ ab aliis occupata, aut amiſſa, injuſteve alienata ſunt, recuperent.

Impoſitum illis onus & officium omnino obeant.

Hoſpitalitatemque ex fructibus illi muneri attributis reipſa exerceant.

Ceteraque omnia præſtent, quæ a Viennenſi & Tridentino concilio præſcribuntur.

Clement. Quia, de relig. domibus. Seſſ. 25. c. 8.

Quod officium ſi moniti ab ordinario non fecerint, vel per eccleſiaſticas cenſuras, & alia juris remedia ad ſui muneris functionem compellantur; vel ejuſdem Tridentini concilii præſcripto eos epiſcopi ab illa adminiſtratione curave in perpetuum amoveant.

Quibus nullo modo condonent, aut remittant eos fructus, quos, contra hoſpitalium inſtitutionem perceptos, in foro conſcientiæ reſtituere tenentur.

Qui pecuniam eccleſiis, confraternitatibus, aut quibuſcumque piis locis debent, illorum procuratores, ſyndici; miniſtri eſſe, aut ullam denique in eis officii aut negotii partem adminiſtrare non poſſint.

Adminiſtratores eccleſiaſtici, vel laici piorum locorum, ſive hoſpitalia, montes pietatis, confraternitates, miſericordiæ, caritates, conſortia, diſciplinæ; ſive alio quocumque nomine nuncupata ſint; qui nunc ſunt, intra tres menſes; qui deinceps deligentur, antequam ad adminiſtrationem accedant, jurent ſe fideliter & accurate munus ſuum executuros.

Fructus qui pauperibus addicti fuerint, veris pauperibus tantum diſtribuant, quemadmodum cujuſque inopia, & ejus voluntas, a quo bona illa profecta ſunt, poſtularit.

Qua in re, ne ulla fraus fieri poſſit, ineatur aliqua ratio, epiſcopo probanda, qua ei conſtare poſſit, in quas perſonas fructus illi erogati fuerint.

Quos autem compererit epiſcopus, vel inique diſtribuendo, vel in ſuum commodum vertendo, vel inutilibus & ſupervacaneis ſumptibus faciendis, male in adminiſtratione verſari, eos pro modo culpæ puniat, & ad reſtitutionem legitime compellat, & ab officio etiam, ſi ei videbitur, amoveat. Quod ſi contra quam a Tridentino concilio decretum eſt, ne rationem adminiſtrationis reddant, tribunal epiſcopi declinare voluerint, eccleſiaſticis pœnis ab eodem coerceantur.

ANNO CHRISTI 1565.

Seſſ. 22. c. 9.

Is qui bona piorum locorum adminiſtrant, ea, ſi immobilia ſint, vel precioſa mobilia, vendere, permutare, in emphyteuſin dare, aut quovis modo alienare, niſi iis ſervatis, quæ a ſacris canonibus requiruntur, & ex conſenſu atque auctoritate epiſcopi, nullo modo liceat. Qui contra fecerint, epiſcopi arbitrio puniantur; & quod actum eſt, irritum ac nullum ſit.

Piorum locorum bona adminiſtratorum arbitrio ne locentur; ſed publice locanda proponantur, facta omnibus conducendi poteſtate.

Quos piis locis aliquid debere conſtiterit, iis eorum locorum bona locari ne liceat.

Qui piorum locorum bona conducere voluerit, det idoneum fidejuſſorem, cum quo jure agi poſſit æque atque cum ipſo principali conductore. Aliter facta locatio & conductio irrita ac nulla ſit.

Ut autem hæc, ceteraque omnia, quæ Tridentina ſynodus de hoſpitalibus, & aliis piis locis ſtatuit, facilius epiſcopi præſtare poſſint; præcipimus parochis, ut diligenter ſingula, quæ in parochiis ſuis ſint, hoſpitalia, & pia loca, eaque præſertim, in quibus re ipſa hoſpitalitas, ceterave adminiſtratorum munera non exerceantur; ad epiſcopum quamprimum deferant, cujus arbitrio parochi hujus officii prætermiſſi pœnas dabunt.

Rogamus autem principes, & magiſtratus omnes, ne epiſcopos ſuo officio fungentes, & contra contumaces jure agentes impediant; ſed ea, qua decet pietate, eos omni ope & auxilio juvent;

In petendis eleemoſynis, hoſpitalium & aliorum locorum piorum nomine, hæc præcipue ſervari jubemus;

Ut in illis hoſpitalibus & piis locis re ipſa quæ debetur hoſpitalitas, & pia opera exerceantur: ut ea loca ſint in illa diœceſi, in qua eleemoſyna petenda ſit; neque ea ad utilitatem ejuſmodi locorum alienæ diœceſis convertatur.

Ut, qui petet, ſit ejuſdem diœceſis.

Sit bonæ exiſtimationis.

Seſſ. 21. c. 9. de ref.

Non fuerit ex numero quæſtorum, quos damnavit ſancta Tridentina ſynodus.

Illud officium gratis, vel conſtituta certa mercede, præſtet; nec ullo modo particeps ſit eleemoſynarum.

Ab epiſcopo ejuſdem diœceſis ſcriptam licentiam quotannis renovandam impetrarit.

Qui contra quam hoc decreto ſancitum eſt, petierit, ab epiſcopo graviter puniatur.

Cui etiam curæ erit, ut quæ eleemoſynæ collectæ fuerint, vere in pium tantummodo eorum locorum uſum, quorum nomine petitæ fuerint, conferantur.

In hoſpitalibus, piiſque diverſoriis, ubi hoſpitalitas exercetur, mares cum feminis, etiam ſpecie matrimonii, niſi id certiſſime conſtet, verſari ne liceat; neve ea loca, quæ bonorum ſubſidio ſunt addicta, circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & iſtiuſmodi nequiſſimis hominibus pateant.

Mendici morbum ſimulantes moneantur, ut ſe



ANNO CHRISTI 1565.

ſe in aliqua arte potius exercentes, inde ſibi honeſtum vitæ ſubſidium comparent, quam ignaviæ ac deſidiæ dediti, oſtiatim in triviis, & in templis miſerrime mendicent.

Si id recuſaverint, curent epiſcopi, ut ejiciantur, neque illis domorum hoſpitalium præterea aditus pateat.

Summopere vero hortamur principes & magiſtratus, reliquoſque omnes Chriſti fideles, ut mendicos vere ægrotos unum in locum conducendos, ibique eleemoſynis ſuſtentandos, ſtudioſiſſime curent.

Pœnam excommunicationis eo ipſo ſubeundam proponimus notariis ſcribiſque omnibus, qui teſtamenta, codicillos, aliaſve tabulas de legatis ad pias cauſas, de rebus, quæ pro male partis, vel furto ablatis, relictæ ſunt, quas ipſi rogati conſcripſerint, aut ab aliis ſcriptas apud ſe habeant; niſi ad tres menſes epiſcopo id ſignificaverint. Is vero qui poſthac ejus generis negotia ſcripſerint, niſi intra menſem, cujus initium fiat a morte teſtatoris, eidem epiſcopo rem notam fecerint, eamque particulam de legatis, vel relictis rebus deſcriptam & auctoritate publica munitam, debita mercede accepta, illi tradiderint. Quæ omnia ſic agantur, niſi juſtum interceſſerit impedimentum, quo ſublato, ea, quæ ſupra ſcripta ſunt, notarii exequantur.

Decretum autem hoc noſtrum bis quotannis ab omnibus parochis populo ſibi commiſſo recitari volumus.

Curent epiſcopi ut retento piæ eleemoſynæ inſtituto, tollantur publicæ illæ comeſſationes, ceteraque hujus generis, quæ a ſodalitatibus, quas confratrias vel confraternitates vocant, præſertim intra ambitum eccleſiarum die pentecoſtes & die cœnæ domini, ac certis aliis ſolemnibus feſtis diebus, pietatis ſpecie fieri ſolent, non ſine bonorum offenſione, propoſita pœna ſuo arbitratu.

Epiſcopi omnem curam & operam ſuam conferant ad erigenda & inſtituenda ex auctoritate ſummi pontificis loca pia, quæ Montes pietatis appellantur, in ſingulis civitatibus & inſignioribus opidis; unde mutuas pecunias pauperes poſſint accipere.

Eaque & quæ jam conſtituta ſunt, ſtudioſe & fideliter adminiſtranda curent.

Principes autem, & magiſtratus obſecramus, ut ea in re epiſcoporum ſtudium & diligentiam omni ope adjuvent; nec in eis quidquam præter ſortem, niſi pro miniſtris & aliis neceſſariis ſumptibus, idque ex ſummi pontificis auctoritate, accipiatur.

### II.

*De monialibus.*

Seſſ. 25. de regularibus.

Ut in monaſteriis regularium mulierum, quæ in religionem Deo ſe dicarunt, & integra conſervetur vetus diſciplina, & ſi fortaſſe uſquam depravata eſt, reſtituatur; ad eamque ſeſe ipſæ conformantes, in rerum divinarum contemplatione liberius conquieſcant: nos has pie recteque vivendi formulas, partim concilii Tridentini decretis traditas, partim pro ratione horum temporum ad provinciæ noſtræ utilitatem conſtitutas, ab omnibus in hac provincia monialibus, etiam quæ regularium curæ commiſſæ, vel alia quavis ratione epiſcoporum juriſdictioni ſubjectæ non ſunt, ex facultate a ſummo pontifice Pio IV. nobis data, ſervari omnino jubemus.

### III.

*De monialium numero.*

ANNO CHRISTI 1565.

Seſſ. 25. c. 3. de reg.

Ex Tridentini concilii juſſo, unicuique monaſterio eum ſuperior monialium numerum conſtituat, qui pro modo & facultate loci & conſuetis eleemoſynis ſuſtentari commode poſſit, idque intra annum facere ſtudeat, neque eum numerum, niſi facta monaſterio annua, quæ ſatis ſit, fructuum acceſſione, augeri ullo modo liceat.

Monaſteria, in quibus duodecim non ſunt; quæ profeſſæ velo utantur, quæque eum numerum propriis fructibus aut conſuetis eleemoſynis alere non poſſunt, transferre, & cum aliis monaſteriis ejuſdem aut alterius ordinis unire ſtudeat epiſcopus diligenter; vocatis ad id ſuperioribus regularibus, ſi modo res agatur ejus monaſterii, cujus cura ad illos pertineat.

Si vero ejuſmodi unio minime expedire videatur, eum numerum monialium tempore interire & ad nihilum redigi ſinat, adempta omnino illis monialibus facultate recipiendi novitias.

Earum autem monialium monaſteria & monaſteriorum fructus jam nunc aliis monaſteriis, aut locis, quibus ex legibus ejus ordinis deberi videbuntur, attribuantur.

### VI.

*De præfectis & aliis miniſtris monialium.*

Epiſcopi ad duos menſes, poſteaquam hæ conſtitutiones in lucem editæ erunt, abbatiſſas & quaſcumque præfectas, quæ ſuum præfecturæ officium perpetuum eſſe profitentur, edicto etiam, ſi ita judicarint, moneant, propoſita privationis pœna, quam ipſo facto ſubeant, ut illa jura, ſibi a ſede apoſtolica conceſſa, ad alterum menſem ipſis, aut eorum vicariis, ac ſimul illarum ſuperioribus, ſi regularium curæ commiſſæ ſunt, exhibeant; ut an recte ſe habeant, cognoſci, & de iis, ſi opus erit, ad ſummum pontificem referri poſſit. Quod ſi eo præſcripto tempore non exhibuerint; eo dignitatis gradu illas privatas epiſcopus declaret; detque operam earum ſuperior, ut aliæ in earum locum rite ſufficiantur.

Nulla monialis ambiat, aut ullo quovis modo, ſive directe, ſive indirecte per ſe, aut per aliam, honores, officiave aut cujuſvis generis ſui monaſterii quærat, hac conſtituta pœna, ut & ipſa, & quæ ſibi in ea re faverint, in capitulo per tres ſextas ferias ad pedes ſingularum monialium terram deoſculantes, ſuam accuſent ambitionem, ipſaque præterea, ſi id officium conſecuta erit, eo ceteriſque muneribus privetur, ſuperioris arbitratu.

Singulæ propria voluntate depoſita, & ad obtemperandum paratæ, ſibique Dei gloriam & communem monaſterii utilitatem tantummodo proponentes, ad honores & officia eas eligant, quas omni remoto humanitatis affectu, Spiritus ſancti impulſu, ad id muneris magis idoneas eſſe judicaverint.

Seſſ. 25. c. 7.

Præfecta, quocumque nomine appelletur, ex Tridentini concilii decreto, ne minor quadraginta annis eligatur, quæve in vita honeſtate vixerit octo annis poſtquam profeſſa eſt. Quod ſi in eodem monaſterio non ejuſmodi reperiatur ex

ANNO CHRISTI 1565.

ex alio ejuſdem ordinis deligi poſſit. Sin autem ſuperiori, qui electioni præeſt, hoc etiam incommodum eſſe videatur, epiſcopo, vel alio ſuperiore conſentiente, eligatur ex iis, quæ in eodem monaſterio triginta annis majores natu ſint, quæve annis ſaltem quinque poſt profeſſionem recte vixerit. In reliquis conſtitutiones ſingulorum ordinum monaſteriorum ſerventur.

Hujuſmodi præfecta & ejus vicaria, diſcretæ etiam, quæ alio nomine matres conſilii vocantur, ubi eæ a capitulo eligi conſueverunt, tacitis ſuffragiis coram ſuperiore, aut ejus miniſtro eligantur; qui extra monaſterium ad cancellos, ſive clathros ſtet ex decreto Tridentini concilii.

Ibidem.

Nequaquam autem ad hæc officia deligi poſſint, niſi præfecta duas ex tribus partibus calculorum tulerit, vel ſuffragiis, vel acceſſu. Vicaria vero & diſcretæ pluribus dimidia parte ſuffragiis creentur.

In quibus monaſteriis plures germanæ ſorores ſunt, ſi earum una monaſterio præficitur, reliquæ ſorores neque vicariæ, neque diſcretæ, neque janitrices fieri, neque ſcribæ, aut cellerariæ officio fungi poſſint.

Minora vero officia, veluti januæ, rotæ, ſermonibus præpoſitarum, earumve quæ novitias docent, ſacriſtiæ præfectarum, & quæ iis præſunt, quæ manuum induſtria ſeſe exercent; illarum præterea, quæ ſcribæ, aut ratiocinatoris munere funguntur, & quæ ægrotis miniſtrant, ab eo, qui electioni præeſt, una cum confeſſore, præfecta, vicaria & diſcretis pro earum mentis conſcientia, quibus opportunum videbitur, tribuantur. Quo decreto nihil derogatum ſit iis monaſteriis, in quibus ad hujuſmodi officia capituli ſuffragii moniales deligi ſolent.

Earum officia, quæ electæ fuerint, ſint duorum annorum, aut in quibus ea eſſet conſuetudo, ad ſummum trium. Illis cum perfunctæ fuerint, tantumdem ſaltem temporis vacent ab officiis; nec in eiſdem confirmari poſſint a monialibus; niſi gravis cauſa extiterit, judicio ſuperioris probata; qui etiam eas ante tempus officio præfinitum inde movere poſſit, ſi id male adminiſtrant.

Quæ delectæ fuerint, quemadmodum earum obedientia poſtulat, officia ſuſcipiant, & eorum munera ſine recuſatione humiliter exequantur; quæ aliter fecerint ſine juſta cauſa, quæ ſuperiori probata ſit, jure ſuffragii priventur, ut neque ipſæ alias eligere, neque ab aliis eligi poſſint, arbitrio ſuperioris.

Præfecta monaſterii, tamquam communis omnium monialium mater, ipſarum & corporis & animæ ſaluti diligentiſſime conſulat, eaſque ſtudioſe admoneat, ut puro corde ſint, vitæque integritatem ſervent, & ad perfectionem virtutum omnium contendant; ſiquidem quæ religionem ſuſceperint, niſi ad ſummum illum gradum pro viribus pervenire conentur, minus ſane efficiunt, quam debent, pro vitæ & ordinis inſtituto, quod profitentur. Meminerit autem ſibi reddendam eſſe rationem juſtiſſimo judici eorum, quæcumque moniales ejus negligentia aut culpa admiſerint.

In primis vero curet, ut pax & concordia ſororum conſervetur, ſublatis quantum ab ea fieri poterit, omnibus diſſidii ac diſcordiæ cauſis, ut quemadmodum debent, unum corpus & unus ſpiritus in earum ſponſo Jeſu Chriſto, perfecto caritatis vinculo colligetur.

Studeat etiam, ut ſingulæ ſuo munere recte fungantur; neque ulla alterius officium occupet, niſi auxilii cauſa; idque ipſius juſſu, & ut omnia ordine perficiantur, in primiſque ut ſilentium horis ac locis præſcriptis ſervetur. Si vero alicujus importunitas, aut re, aut verbo, ſororum pace perturbata, caritatem violarit; acerrime ab ipſa præfecta, &, ſi opus erit, a ſuperiore etiam monialium puniatur, & ejus animi elatio edometur.

Huic autem præfectæ, ejuſve vicariæ, quæ, illa abſente, ejus vim & locum obtinet, moniales omnes omnino obedientiam, & obſervantiam præſtent, quemadmodum earum votum poſtulat.

Quæ vero ejus juſſa neglexerit, neque pœnitentiam ſibi impoſitam adhibere voluerit, aut ſuperbe, & injurioſe reſponderit, non habita ejus dignitatis ratione, aut contumaciter defendendo, vel excuſando, eam impedierit, quominus illas reprehendat, aut caſtiget, quæ aliquid commiſerint; ut ſuæ contumaciæ & inſolentiæ graves pœnas pendat, apud ſuperiorem accuſetur ab iis, quas diſcretas appellavimus; quæ niſi id fecerint, flagella, diſciplinæ nomine, ſibi ſemel adhibere, & humi cibum capere cogantur.

Singulis etiam hebdomadis præfecta monialium conventum, ſive capitulum habeat, corrigendi cauſa moniales pro erratis, quæ ipſæ publice, vel in ſuorum officiorum munere admiſerint, quorum veniam ipſæ ſponte, atque humiliter coram omnibus petant, eiſque pœnitentiam imponendi, aliaque adhibendi, quæ earum inſtitutis tradita ſunt, ad pias in humilitate & ſui contemptione continendas, atque ad virtutes omnes ſtudioſe ſectandas.

Caveant autem moniales, ne pœnitentiam, ſibi a præfecta impoſitam, pertinaciter recuſent, neve ſuperioris temporis delicta ſibi invicem iniquo animo objiciant. Quæ hæc commiſerit, ei hæc ſit pœna, ut ſtatim ad ſingularum monialium pedes terram exoſculetur; ſibique flagella nomine diſciplinæ adhibeat.

In negotiis paulo gravioribus præfectæ nihil decernant, niſi ſcientibus & conſentientibus majori ex parte diſcretis, ſeu matribus conſilii.

In iis vero, quæ majoris ſunt deliberationis, præfectæ univerſum monialium capitulum convocent, idque ipſis ratum ſit, quod majori monialium parti placuerit.

In omnibus autem tacitis ſuffragiis caveant moniales, ne ſuffragii pilas, vel calculos inter ſe tradant in manus. Iis, quæ id commiſerint, ea pœna ſit, ut privatæ capitulo neque eligere, neque eligi ſuffragio poſſint, arbitrio ſuperioris.

Ad ſuffragia autem de quacumque re ferenda non admittantur, niſi quæ triennium poſt emiſſam profeſſionem in monaſterio fuerint commoratæ.

Diſcretæ probitate & prudentia ceteris monialibus antecellant.

Neque ſint pauciores quatuor, ubi moniales plures non ſint quadraginta; quod ſi plures ſint, ſaltem ſex creentur.

Moniales reliquarum ſermonibus audiendis ejuſmodi præponantur, quæ ætate matura, & ſpectata probitate ſint. Hæ diligenter, fideliterque ſuo officio fungantur; & ita loquentibus reliquis adſiſtant, ut quidquid tum intus, tum foris dictum, factumve fuerit, ipſæ audiant, ac



ANNO CHRISTI 1565.

ac ſtudioſe animadvertant. Nec enim quidquam aut ita ſecreto proferri, ut eas lateat, aut, quod indignum ſit Dei ancillis, dici, aut fieri patientur: in quo ſi quidquam ſecus commiſſum fuerit earum culpa, vel negligentia, graviſſima pœna ſui ſuperioris arbitrio puniantur.

Novitiarum curam ſola magiſtra electa, loco a ceteris monialibus ſeparato, habeat: alia præterea nulla.

Hæc novitias in timore & cultu Dei & in obſervatione religionis erudiat, coneturque & vitæ exemplo, quæ nullam habeat anſam reprehenſionis, aſſiduiſque admonitionibus ita eas inſtituere in ſpiritualis & ſanctæ vitæ ratione, ut progredientes, Deo adjutore, perfectæ ejus ancillæ poſſint evadere.

Quæ autem ſibi id temere aſſumpſerit, ut aliquam ex novitiis erudiat, jus ei ſuffragii adimatur; ut neque eligere, neque eligi poſſit, quamdiu ſuperiori placuerit.

Januæ ſeptorum monaſterii die clauſæ ſint una ſaltem clave; quæ ab antiquiore janitrice cuſtodiatur, ut cum opus fuerit, aperiri poſſit. Nequaquam autem aperiantur, niſi duabus janitricibus præſentibus. At noctu duabus clavibus diverſis claudantur, quarum altera aſſervetur a præfecta, altera vero ab eadem janitrice antiquiore.

Cum autem januæ aliqua neceſſaria cauſa aperiuntur, moniales non audeant eo accedere, ut externum quidquam adſpiciant, vel cum ullo omnino, aut mare, aut femina colloquantur. Quæ id auſa fuerit, includatur in cellam, ubi tamdiu ſit, quamdiu ſuperiori videbitur; qua pœna etiam plectatur ea quæ januæ præpoſita eſt, ſi aut id permiſerit, aut ejuſmodi petulantiam ſtatim ad ſuperiorem non detulerit.

Quo tempore mutantur officia, una aut duæ moniales maturæ ac prudentes præficiantur monialium laboribus.

Hæ ad rotam recipiant quæ elaboranda ſunt; iiſque diſtribuant, quæ ad id opus faciendum ſunt idoneæ: quibus perfectis, ea ex eadem rota reſtituant iis, quorum ſunt, accepta mercede, ſemper ea præſente, quæ rotæ eſt propoſita.

Nulla præterea quidquam, quod elaborandum ſit, ne cognatorum quidem, aut affinium, accipiat. Quæ contra fecerit, ſingulis vicibus ſibi flagella diſciplinæ nomine adhibeat eo loco, quo moniales operibus elaborandis exercentur.

Si quæ vel morbo, vel juſta alia cauſa non impedita, pigritia, vel deſidia, aut pertinacia quadam ab hujuſmodi laboribus abſtinuerit; opſonio privetur totum id tempus, quo labori non incubuerit.

In loco item ubi moniales in laboribus exercentur, lectio quotidie adhibeatur; qua abſoluta, inter ſe conferant quæ audierint, certatimque ejectis vitiis ad virtutes conſequendas ſeipſas cohortentur.

Curet laborum magiſtra, ne ſermones, aut cantus profani, aut a monialium conditione & inſtituto abhorrentes inferantur.

Præfectæ, etiamſi earum officium ſit perpetuum, ſcribæ, ac reliquæ, quæ monaſterii bona quocumque modo adminiſtrant, fideliter & accurate eorum rationem præſcriptam habeant.

Singuliſque tribus menſibus ad capitulum ſummatim referant rationes accepti & expenſi; ut omnes, quomodo ſe res monaſterii habeant, intelligere poſſint. Verum quotannis rationem rerum omnium, quas adminiſtrarint, ſeparatim ſuperiori reddant, aut ejus vicario, ac ſi fuerint, monaſterii curatoribus deputatis. Quæ autem aut ſibi vindicarint, aut perperam perdiderint monaſterii bona, ſuperioris arbitratu acerrime puniantur.

Ut autem nulla fraudis occaſio relinquatur, in ſingulis monaſteriis ſingulæ capſæ conſtituantur ad hunc uſum, ut in illis communis pecunia collocetur: quæ duabus clavibus, iis inter ſe diverſis, clauſæ ſint; quarum altera a præfecta monaſterii, altera a majori diſcreta aſſervetur. Nec vero capſa aperiri, aut in ea poni pecunia, aut inde auferri poſſit, niſi & præfecta & major diſcreta & ſcriba monialis, quæ ejus rationem ineat, interfuerint.

Duabus item clavibus, iiſque diverſis, horrei, & ejus loci, ubi farina aſſervetur, oſtia concludantur: quæ ſingulæ a ſingulis matribus, ei officio præpoſitis, cuſtodiantur. Ea autem ſemper adſit, cum triticum, vel farina importatur, vel exportatur.

Præfecta & moniales bona monaſterii alienare, permutare, locare, aut contrahere nullo modo poſſint, niſi ſciente, conſentiente, ac præſente rerum ſuperiore, aut ejus vicario: ſervatis item ceteris, quæ jure ſervari debent. Aliter contractus irritus ac nullus ſit.

Neque item ædificare, niſi conſentientibus ſuperiore ac civibus monaſterii curatoribus, qui operam dabunt ut id quam minimo ſumptu commode ac decenter fiat.

Quæ præpoſitæ ſunt curæ ægrotantium, pias & miſericordes ſe illis præbeant, quanta maxima poſſunt & patientia & diligentia: ac tales ſe illis præſtent, quales ceteras vellent, ſi ipſæ ægrotarent.

Ægrotis cibus, & medicamenta opportuna a præfecta, & ab electis ad id miniſtris ita adhibeantur, ut monaſterii facultates tulerint.

Præfecta autem caritatis cauſa eas quotidie viſitet, ut & ſolatio ſit, & melius ab eis cognoſcat, ac curet quæ ipſis ſint neceſſaria.

Si vero aliqua moritur, confeſſor cum comite, quem ſuperior approbarit, ingrediatur ſepta monaſterii tunc cum ejus corpus ad ſepulturam dandum fuerit: pieque ac celeriter, quod eo tempore perſolvendum ſit, officio fungatur.

## V.

### *De puellis ad religionem mittendis.*

Cum primum puellæ ad ſuſcipiendum ſacrum habitum offeruntur, monialium præfecta parentes, vel eos quorum curæ commiſſæ ſunt, admoneat excommunicationis, quæ propoſita eſt a ſacro Tridentino concilio iis, qui ſuas puellas, vel alienas invitas eum cogunt ſuſcipere, aut profiteri religionem. Idem ab earum ſuperiore fiat, cum ejus conſenſus requiretur. Seſſ. 25. c. 18. de reg.

In iis monaſteriis, in quibus moniales pauciores ſint quinquaginta, duæ tantum germanæ ſorores, aut tres, quæ ſint unius generis ac familiæ, recipi poſſint.

Ubi vero plures ſunt quinquaginta monialibus, ibi tres tantummodo ſorores, aut quatuor ejuſdem familiæ recipi liceat, ſi ita monialium capitulo videatur.

Præfecta & moniales de puellis earum ſuffragiis ad ſuſcipiendam religionem admittenda, quid-

ANNO CHRISTI 1565.

quidquam polliceri, aut capitulum cogere non audeant, priuſquam libero loco ab epiſcopo, aut ab eo cui ipſe id munus delegarit, puella ſecreto examinata ac probata, facultatem ſuſcipiendi in eo monaſterio religionem ſcripto conſecuta fuerit, conſentiente etiam illius monaſterii ſuperiore.

Ab iis autem omnibus prius diligenter inquiratur de moribus, vita, ætate, quæ major ſit duodecim annis, ac de libera & pia voluntate puellæ.

Quæ anno ſaltem antequam examinetur, & monialium capitulo admittenda proponatur, propoſitum religionis ſuſcipiendæ in eo monaſterio, & epiſcopo, & monialibus, earumque ſuperiori patefecerit, ut interim hujuſmodi inquiſitio mature fieri poſſit.

Quo etiam tempore ipſo, confeſſori illius monaſterii, aut cui epiſcopus ejuſmodi munus puellas has audiendi commiſerit, ſemel ſingulis menſibus peccata ſua confiteatur, ſacroſanctamque ſumat euchariſtiam, ac perſæpe moniales in locis collocutionum alloquatur, ut ab eis tum explorari accuratius, tum admoneri melius poſſit de omnibus, quæcumque illi agenda & ferenda erunt religionis cauſa intra ſepta monaſteriorum ne ullo unquam tempore conqueri, & inſcitiam excuſare poſſit.

De puella admittenda ad ſuſcipiendam religionem, ac mox etiam novitia ad profeſſionem, ferantur tacita ſuffragia, ut ſingulæ moniales, nullo affectu impeditæ, libere ſuæ conſcientiæ poſſint ſatisfacere.

Nec vero hujuſmodi puella ad religionem, neve novitia ad profeſſionem recipiatur, niſi duas ex tribus partibus ſuffragiorum tulerit.

Puellæ ad religionem admiſſio aliter facta, quam præſcriptum ſit, irrita ſit & nulla.

Præfecta vero, cujus culpa vel negligentia id factum fuerit, ab officii adminiſtratione ſubmota, velo etiam ad ſex menſes eo ipſo privata eſſe intelligatur.

Præfecta autem ſtatim de ſuffragiorum exitu ſuperiorem admoneat, ut in librum, ad hujuſmodi uſum inſtitutum, ejus nomen, quæ recepta ſit, ab eo referatur.

Cum primum ſuffragiis capituli aliqua recepta eſt, ſtatim omnes veſtium delicias, & inanem ornatum deponat: & nigro vel fuſco veſtitu, aut albo, at non ſerico, induatur ea modeſtia & ſubmiſſione, ut omnes intelligant, eam mundo renuntiaſſe, ut Deo religioſe inſerviat; quo veſtitu ſemper utatur, donec in monaſterium introeat, & interea a choreis, & ſpectaculis inanibus abſtineat.

Quæ vero eo modo, quo diximus, recepta fuerit, monialium veſtibus in monaſterio indui non poſſit, niſi ſex menſibus, poſtquam recepta fuerit, idque conceſſu epiſcopi, & monialium ſuperioris; quibus liberum ſit, vel producere, vel contrahere illud ſemeſtre tempus, quemadmodum eis expedire videbitur.

Tumultus autem evitandi cauſa deducatur mane ad monaſterium ab intimis propinquiis mulieribus, nulla pompa, nulloque invitatu aliorum, & ſola introducatur in eccleſiam interiorem monaſterii, Miſſaque audita, & ſumpta communione, ceteriſque ſolemnibus ceremoniis adhibitis, coram reliquis monialibus, a ſuperiore, aut monaſterii confeſſore veſtiatur, qui illam adeo gravem, ſacramque actionem aliquo pio ſermone proſequatur. Quod etiam in profeſſione ſervetur.

Superior, ſive confeſſor hanc cautionem adhibeat, ne puellæ novitiæ nomen gentilium feminarum imponat, ſed ſanctarum, quæ ab eccleſia celebrantur.

Quæ puella poſtquam monialium veſtem ſuſcepit, amplius e monaſterii ſeptis exire non poſſit: niſi fortaſſe nondum profeſſam pœniteret in monaſterium introiſſe. Si vero ſemel exierit, nulla illi in poſterum facultas redeundi concedatur.

Novitiæ cauſa ante profeſſionem ex decreto Tridentini concilii nihil monaſterio detur, præter id quod neceſſarium ſit ad victum, & veſtitum ejus temporis, quo fuerit in novitiatu, quo totum repræſentari volumus, antequam puella in monaſterium ingrediatur. *Seſſ. 25. de regul.*

## VI.

### *De novitiis ad profeſſionem recipiendis.*

Quoniam Tridentini concilii decreto profeſſio ante decimumſextum annum expletum, & ante annum probationis poſt ſuſceptum habitum facta, nulla eſt, nullamque parit obligationem; curent epiſcopi, ne novitia ulla ante illam ætatem & tempus ad profeſſionem admittatur. *Ibidem c. 15.*

Præfecta autem monaſterio triginta ante diebus epiſcopo ſignificet, quo tempore novitia profeſſura ſit; ut vel ipſe, vel, ſi is abeſt, impeditusve, alius, cui ille id negotii dederit, novitiæ voluntatem cognoſcat, perſpiciatque an ejuſmodi conditionibus ſit, quas monaſterii illius & ordinis regula poſtulat: an item monaſterium idoneum. Ei denique demonſtret, quam gravis ea res ſit, quamve multas res tria illa religionis vota requirant: ut ea, antequam ad profeſſionem recipiatur, vinculi vim intelligat, quo ſe obſtringi vult.

Si præfecta id ſtatuere neglexerit, ejuſdem Tridentini concilii decreto ab ejus officio tamdiu amoveatur, quoad epiſcopo videbitur. *Ibidem c. 16.*

Novitia ne examinetur intra ſepta monaſterii, ſed extra in publica ejus monaſterii eccleſia, ut libere & fidenter ſuam voluntatem exponere poſſit.

Quod vero profeſſione facta, eleemoſinæ gratia ad profeſſam ſuſtentandam monaſterio datur, id quo tempore puella religionis habitum ſuſcipiet, apud virum, monialibus & earum ſuperiori probatum, deponatur: ut nullo impedimento tum monialibus præſto eſſe poſſit.

Nulla autem renunciatio bonis a novitia fiat; niſi quemadmodum a concilio Tridentino juſſum eſt, facultate ab epiſcopo, vel ejus vicario permiſſa, ad duos proximos menſes ante profeſſionem fiat.

Et quoniam, quæ moniales, profeſſione facta, velum ſuſceperunt, quotidie ſuæ religionis divinum officium dicere debent, nulla ad profeſſionem admittatur, quæ congrue legere, & officium diſcere neſciat. Id autem experiri debebit is, cujus officium eſt eas examinandi: qui, ſe præſente, eam legere jubebit.

Profeſſionis autem, & diei, & anni, quo facta eſt, in libro ad eum uſum confecto, memoria conſervetur, manu ejus monialis, quæ ſcribæ officio fungitur: adhibita ſubſcriptione ejus, quæ profeſſa ſit, ſi modo ſcribere ſciverit; & ſuperioris, qui eam admiſerit.

Quo die puella profitetur, vel monialem habitum induit, in foreſteriis, ædibuſque monialium, ab ejus propinquis, & amicis convivia ne fiant, neque bellaria dentur.



ANNO CHRISTI 1565.

## VII.

### *De divinis officiis, precationibus, & lectione monialium.*

Cum ad ſanctimoniales valde pertineat laudare aſſidue Deum creatorem, conſervatorem, & redemptorem mundi, eidem gratias agere & ſupplicare, ut ſuam miſericordiam omnibus hominibus ad ſalutem impertiat; idcirco moniales omnes die noctuque chorum frequentent: ſacriſque officiis diſtincte, attenteque ab ipſis, & voce, & pio animi affectu celebrandis interſint: illis ſolum exceptis quarum præfecta juſti impedimenti excuſationem acceperit.

Adſint autem ſingulæ initio divinorum officiorum, congruenti ſui ordinis veſtitu indutæ, in ſuis ac propriis locis, & uſque ad finem perſiſtant: non prius inde diſcedentes, quam præfecta, aut vice ejus alia, diſceſſus ſignificationem fecerit; niſi neceſſitate aliud poſtulante id eadem permiſerit.

Soni, cantus, qui honeſti & ſpirituales non ſint, colloquia etiam, riſus, quidquid præterea indignum eſt domo Dei, & ejus divina majeſtate, cum qua colloquimur in oratione, omnino amoveantur.

Quæcumque autem contra hæc, quæ juſſa ſunt, aliquid fecerit, præfectæ arbitrio pro modo culpæ acriter puniatur.

Et quia mentis oratio tanto præſtantior eſt ea, quæ ſolum ore exprimitur, quanto anima eſt excellentior corpore; piis incredibile ſolatium affert, & fructum; eoſque quotidie novis cumulat muneribus, in Deum quodammodo convertens: ideo moniales, & velatæ, & converſæ, præter horas canonicas, aliaſque orationes, quas ex officio habere debent, quotidie in chorum univerſæ convenientes, niſi neceſſario impediantur, ſaltem per horam, mentalem orationem adhibeant: ſemihora videlicet poſt matutinum, itemque poſt nonam, aut completorium, ſublatis ad Deum mentibus, piis & ſalutaribus rebus contemplandis; præſertim vero vitam, doctrinamque domini noſtri Jeſu Chriſti, atque ejus ſancta myſteria ſtudioſe meditabuntur, paſſionem videlicet, mortem, reſurrectionem, aſcenſum in cælum, extremum adventum ad judicium, beatorum gloriam, & damnatorum ſupplicia; aliaque ejuſmodi, quæ ad Dei gloriam, & propriam proximorumque ſalutem pertineant.

Quoniam vero a Tridentina ſancta ſynodo prohibetur, ne in choro vel monaſterii ſeptis, ſed in eccleſia publica ſanctiſſimum Chriſti corpus conſervetur; efficiant ſuperiores, ut ejuſmodi decreto ubique obtemperetur.

Diebus feſtis ut otium, a quo mala omnia oriuntur, evitetur, moniales tempus, quod ſibi a divinis officiis, & conſuetis orationibus ſuperfuerit, in ſacra aliqua lectione conſumant, quæ ad Dei & ſui ipſius cognitionem eas ducat, viamque monſtret perfectionis, & æternæ vitæ, idque vel ſeparatim, vel conjunctim faciant; cum hujuſmodi lectio ſuavis & fructuoſa ſit animarum oblectatio; vitia coerceat; ad virtutes inflammet: contra autem, inanium librorum lectio mentes corrumpat.

Quod ne accidat, ſuperior, aut confeſſor omnes monaſterii libros perſpiciat, & recognoſcat; ſingulas moniales in virtute obedientiæ ſuos proferre cogens.

## VIII.

### *De communi vitæ uſu, ac de proprietate tollenda.*

In omnibus monaſteriis, quod ad cibum, potum, ſomnum, ceteraſque res attinet, omnes communiter vivant; ut a ſacro Tridentino concilio decretum eſt neque quidquam inter eas differat, aut alia alii præferatur, aut poſthabeatur, quemadmodum votum paupertatis poſtulat: ut tuum & meum, atque omnis privata rerum poſſeſſio, & re & verbo omnino tollatur, omnis etiam ſupervacaneus & inanis rerum uſus.

Neque ulla ſit, quæ quidquam poſſideat, aut adhibeat, ut proprium, etiamſi ad neceſſitatem conceſſum ſit.

Omnes itaque monaſterii proventus, cujuſcumque generis ſint, eleemoſynæ etiam, & quæſtus ex laboribus, libelli præterea, legata & bona mobilia, & immobilia, quæ teſtamento relicta, & quæ donationis, vel alia quavis cauſa obtinuerint, a ſingulis monialibus ad communem monaſterii utilitatem conferantur. Præfecta vero pro ſua prudentia, & humanitate ex illis ipſis ejus neceſſitati potiſſimum conſulat, ad quam pertinerent, niſi obſtaret paupertatis votum.

Utque omnis proprietatis occaſio tollatur de monaſteriis, confeſſores, ac præfectæ, voti paupertatis accuratius ſervandi gratia, monialibus ſuadere ſtudebunt, ut curent omnes veſtes lineas, laneas, vel pelliceas, aut cujoſvis generis in communi loco aſſervandas: duaſque ex monialibus, quo tempore mutantur officia, iis excutiendis, purgandis & ſarciendis præficiendas: quæ etiam ſororibus in ſingulas hebdomadas pro tempore, & ut uſus feret, eas diſtribuant, nullaque veſtes apud ſe habeat, præter eas, quæ ad quotidianum uſum ſunt neceſſariæ.

Ægrotarum vero veſtes, contagionis nomine ſuſpectæ, ſeparatim cuſtodiantur, aut apud illas ipſas relinquantur.

Dona, quæ ſingulis mittuntur, ad præfectam afferantur: nec ulla poſſit illa accipere, aut ad uſum adhibere, niſi ſciente & conſentiente præfecta. Quæ in id omnino incumbere debet, ut ex monaſterio vitium proprietatis, tamquam multorum malorum cauſam evellat. Neque cuique permittat ut pecuniam apud ſe habeat.

Ter autem in ſingulos annos, præfecta una cum diſcretis, cellas & ſupellectilem ſingulorum monialium diligenter inquirat, & ſcrutetur ne ulla quidquam habeat proprii, aut plus, quam quantum ei ad ſuum uſum conceſſum fuerit.

Quod ſi quæ proprii aliquid tenere deprehenſa aut convicta fuerit; ea biennio activa & paſſiva voce privata ſit ex Tridentini concilii decreto; atque etiam juxta ſuæ regulæ & ordinis conſtitutiones puniatur, multoque magis, quæ ex communi, aut ex eo, quod alicujus uſui attributum ſit, furtim ſibi aliquid vindicaverit.

Si præterea ſpeculum, catellus, unguenta, aut ſuffimenta, & hujuſmodi inanium rerum quidquam apud aliquam repertum fuerit; ſuperior

ANNO CHRISTI 1565.

perior ſtatim id e monaſterio auferendum, & eam apud quam inventum fuerit, acriter puniendam curabit.

Monialis ſive velata, ſive converſa ſit, eleemoſynam dare, largiri, aut vendere eſculentas res, veſtes, aut bona cujuſvis generis ſint, etiamſi ad uſum ei attributa ſint, aut etiam legare omnino non poſſit. Quæ ſecus fecerit, velum ei per menſem adimatur; ac ter ſe verberibus ad diſciplinam affligere cogatur.

In quo tamen integrum ſit præfectæ concedere facultatem, cui concedi debere judicarit, aliquid devotionis, ac religionis cauſa, vel aliud exiguum elargiendi propinquis, ac bene merentibus.

Ad ſonitum minoris campanæ omnes conveniant ad benedictionem menſæ, quam præfecta, vel vicaria, vel, ipſis abſentibus, antiquior diſereta faciat.

Deinde loco & ordine diſcumbentes non prius diſcedant, quam Deo gratiæ actæ fuerint. Quæ non obedierit, uno die opſonio privetur, ac poſtremo loco in menſa ſedere cogatur.

Mane & veſperi ad primam, & ad ſecundam menſam aliquis ſpiritualis liber, qui ad religionem incendat, quotidie legatur, omnibus diſcumbentibus, cum ſilentio & attentione audientibus: ut una cum corpore mens etiam recreetur.

Univerſæ moniales, ſi fieri poſſit, uno loco dormiant, a præfecta, aut a vicaria optime concluſo; cujus claves ab ipſa præfecta aſſerventur.

*Singulæ* autem in *ſingulis* lectis omnino dormiant, & in ſingulis etiam cellis, ſi tanta ibi ſit copia cellarum, ut omnes capere poſſint. Cellæ vero diu noctuque apertæ ſint, ut præfecta in ſingulas horas inſpicere eas poſſit. Dato autem ſigno eundi cubitum, locoque ubi dormitur clauſo, præfecta, aut ejus vicaria, aut aliqua ex diſcretis, omnes cellas viſitet, ut an omnes in ſuis dormiant locis animadvertat.

## IX.

*De clauſura, & quæ ad eam tuendam aliqua ratione pertinent.*

Monialibus nulla quidem nimia diligentia videri debet ad ejus theſauri cuſtodiam, cujus cauſa propinquis, rei familiari, ac terrenis omnibus rebus, curiſque renuntiantes, in ſepta monaſterii ſe incluſerint.

Ut igitur tam ſanctum earum propoſitum, ea ex parte, quæ diaboli inſidiis maxime patet, communiatur, curent epiſcopi, ut ad omnes feneſtellas, ubi colloquendum ſit, duo ferrei clathri, ſeu cancelli conſtituantur; qui ſaltem palmo diſtent alter ab altero.

Inter virgas ferreas, quibus ſinguli cancelli compacti ſunt, non plus omnino quam unciam interſit.

Sint autem virgæ ita ſolidæ, ut neque facile frangi, neque flecti poſſint.

Intimo vero cancello, quo moniales ad colloquendum accedunt, ferrea lamina appingatur, quæ moveri nequeat: ſitque exiguis foraminibus, ad audiendi tantum commoditatem perforata, cui lineus pannus nigri coloris, ligneis tabellis affixus, inſtar feneſtræ, quæ aperiri poſſit, cum erit colloquendum, apponatur.

A In ea lamina fieri poſſit quadrata feneſtellula novem tantummodo unciatum, cujus clavis a præfecta cuſtodiatur: neque eam feneſtellulam aperire liceat, niſi quo tempore colloquendum ſit cum epiſcopo, vel ordinis ſuperioribus, aut cum parentibus, & fratribus monialium, & aliis arcta propinquitate & genere conjunctis: aut cum inſtrumentum aliquod confici, vel ſacrum ſermonem audiri oporteat.

Quod vero ad hujus feneſtellulæ conceſſionem attinet, excepta ſint monaſteria, quorum moniales vel lege, vel conſuetudine ab externis hominibus conſpici numquam ſolent.

B Oſtia locorum, quæ collocutioni ſolum & intus & foris ſunt attributa, ſemper clauſa ſint: quorum claves ſint apud antiquiſſimam earum monialium, quæ audiendis ſermonibus ſint præpoſitæ, nec niſi cum opus ſit longiori collocutione, aperiantur. Ceterum janitrix ex clathrata januæ feneſtellula; janua tamen clauſa; rotariæ ex rota reſpondebunt pulſantibus:

Loca autem intus & foris ad collocutionem attributa, cum ibi ſint qui loquantur, ſemper pateant, ut quinam ſint, videri poſſint.

Oſtia, per quæ a ſeptis monaſterii in exteriorem eccleſiam patet aditus, ad menſem muro obſtruantur. Si quid in hoc præfectæ culpa, vel C negligentia commiſſum fuerit, ea & officio & velo ſuperioris arbitrio privetur.

Omnes feneſtræ & cancelli, & quicumque locus per quem moniales externam eccleſiam introſpicere poſſint, inædificentur, præter feneſtram, in qua collocata eſt rota; & feneſtellulam ad ſolum ſacroſanctæ euchariſtiæ ſumendæ uſum conſtitutam; ac illam feneſtram per quam corpus & ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti a ſacerdote celebrante elatum aſpicere poſſint.

Ea feneſtra perpetuo lineo panno contecta ſit, qui tantummodo, cum ſuſtollitur ſacroſancta euchariſtia, amoveatur. Feneſtræ autem ratio ſit ejuſmodi, ut ſacerdos ex altari moniales in- D tueri nequeat.

Curent epiſcopi & alii ſuperiores, ne e viciniorum ædibus, quicumque illi ſint, monaſteria inſpiciantur; maxime vero ſi fratrum cujuſvis ordinis aut presbyterorum ædes illis immineant: quo caſu parietes altius tolli & novos ædificari jubeant eorum ſumptibus quorum epiſcopi; & ii qui monaſteriorum curatores ſint, intereſſe judicaverint, quacumque appellatione remota.

Quamobrem etiam ſæcularium principum auxilium implorent, ut monialibus ab externorum hominum aſpectu, & auditu liberis ſecure per monaſterium ambulare liceat.

E Regulares viri in poſterum ne in ea loca migrent, neve areas monaſteriis monialium proximas, ædificandi cauſa emant, unde monialium aſpectus fieri poſſit. Moniales in monaſteriorum ædificatione vicinia regularium virorum ædibus, aut iis locis, unde ipſæ ab illis inſpici poſſint, in poſterum prohibemus.

Ædes proximæ monaſteriis ſanctimonialium famoſis mulieribus ne locentur.

Neve ibidem ſpectacula, cantus, ſaltus, ludi, & hujuſmodi profanæ res & inanes exerceantur, quæ eas a ſacro officio avocare, aut ipſis offenſionis cauſam præbere poſſint.

Quem-



ANNO CHRISTI 1565.

Seſſ. 25 c. 5. de regul.

Quemadmodum a ſacro Tridentino concilio ſancitum eſt, moniali profeſſæ nulla ratione e monaſterii ſeptis egredi liceat, niſi ex cauſa legitima quæ ab epiſcopo probata ſit.

Hujuſmodi vero licentia egrediendi nullo pacto permittatur, niſi id graviſſima res & ſumma neceſſitas poſtularit: neque iis monialibus, quibus niſi ex ſummi pontificis conceſſu egredi fas eſt. Apoſtatæ, fugitivæ, & delicti cauſa ejectæ e monaſteriis, quæ cum ſacro veſtitu, aut ſine eo vagantur non ſine ſcandalo religionis, ab epiſcopis ceteriſque earum ſuperioribus petito etiam ſæcularium principum auxilio, ad ſua monaſteria redire cogantur, ut ibi dignas pœnas pendant ſuorum ſcelerum. Quod ſi ſuperioribus in monaſteria reſtitui debere minime videantur, in earum mulierum numerum, quas convertitas vocant, cum bonis quæ attulerunt ad monaſterium adſcribantur. Ea autem bona, illis mortuis, priori monaſterio reſtituantur.

Si qua monialis in monaſterii ſepta marem aut feminam cujuſvis ætatis conditioniſve, etiam matrem, aut ſorores ſint, introduxerit, tribus menſibus in carcerem concludatur; eique ſingulis ſextis feriis jejunanti nihil præter panem & aquam ad cibum & potum adhibeatur, atque ad annum velum adimatur. Eamdem pœnam ſubeant quæ rotæ & januæ præpoſitæ fuerint; præfectæ etiam & quævis aliæ, quarum conſenſu id commiſſum ſit.

Ibidem.

Quicumque vero clericus, ſive ſæcularis, ſive regularis, cujuſcumque ordinis, aut laicus cujuſcumque ſtatus, dignitatis, gradus, conditionis, ipſarum monialium ſepta interdiu, vel noctu introire auſus fuerit, præter excommunicationis pœnam, quam ex concilii Tridentini decreto ipſo jure ſubit; aliis etiam graviſſimis pœnis, habita perſonarum criminiſque ratione, puniatur. Et ſi eccleſiaſticus ſit, aut beneficia obtineat, ſuorum etiam ordinum munere ex ordinarii voluntate prohibeatur; ſuiſque omnibus beneficiis privetur. Quo decreto excipimus eos, quibus ob neceſſariam monaſterio eorum operam & induſtriam ſuperior ſepta ingrediendi facultatem, quotannis renovandam, ſcripto permiſerit. Is autem meminerit ſibi a Tridentino concilio jus ademptum eſſe ejuſmodi facultates concedendi, niſi in caſibus neceſſariis; ideoque caveat, ne quæ intus officia moniales obire poſſunt, ad ea præſtanda externi in ſepta monaſterii introducantur. Atque ut in hac neceſſitate dignoſcenda una eademque ratio ubique ſervetur, & ille facile concedendi uſus coerceatur; epiſcopus adhibitis in conſilium omnibus monaſteriorum ſuperioribus, etiam regularibus, ſtatuat ac præſcribat, quæ opera in monaſteriis neceſſarium externorum ingreſſum requirant. Quam vero rationem in hac re præſcripſerit, ea ab omnibus, etiam regularibus, inviolate ſervetur.

Intra ſepta monaſterii mares & feminæ cujuſvis generis, etiamſi ipſis monialibus inſerviant, vel ſint ætate confecti, nulla de cauſa pernoctare poſſint, propoſita pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam & is qui pernoctarit, & præfecta quæ id permiſerit, ſubeat; quibus addantur aliæ pœnæ ſuperioris arbitratu. Neve intus in eiſdem ſeptis boves, equos, & jumenta cujuſvis generis alant.

Si contra fiet, præfecta tres menſes ab officii ſui munere amoveatur.

Moniales cum nemine externo omnino colloquantur; A niſi is licentiam ſcriptam & obſignatam a ſuperiore monaſterii, aut ab eo, quem is ſuo nomine ſubſtituerit, atque in cancellaria epiſcopali gratis deſcriptam attulerit. Quæ contra id fecerit, privetur trium menſium facultate loquendi cum externis omnibus cujuſvis ſexus, etiam propinquis; cogaturque ſingulis ſextis feriis ejus temporis, diſciplinæ nomine, flagella ſibi publice adhibere, & orare eo pſalmo, *Miſere mei Deus*.

Licentiæ autem, ſcripto permiſſæ, accipiantur ab iis, quæ rotæ ſint præpoſitæ, priuſque ad præfectam deferantur, quam illæ accerſantur, quæ ſcripto nominatæ ſint. Præfecta ubi ſcriptum legerit, manumque & ſignum ejus a- B gnoverit, cujus officium ſit facultatem colloquendi concedere, benedictione adhibita, permittat iis, quæ ſcripto nominentur, ut cum illis tantummodo loquantur, qui nominatim deſcripti ſint: idque ad communem collocutionis feneſtellam; non ad januam, neque in eccleſia, aut alibi, præſentibus ſemper monialibus arbitris ei muneri præfectis. Quæ vero ad colloquendum acceſſerint, brevi finem loquendi faciant: caveantque ne tempus, quo nihil eſt precioſius, inani aut inutili ſermone conſumant.

Non eſt ferendum, ut moniales, præſertim ſacris diebus, aberrantes ab oratione, ceteriſque piis exercitationibus, ſermonibus minime C neceſſariis tempus conſumant.

Idcirco, quibus diebus ſumitur ſacroſancta euchariſtia, & quoties feſti ex præcepto eccleſiæ celebrantur, tempore etiam adventus & quadrageſimæ, in vigiliis præterea de præcepto, omni denique tempore, quo divina fiunt officia, moniales cum externo nemine omnino colloqui poſſint, niſi neceſſitas ita poſtulet.

Moniales vero, tam quæ audiendis ſermonibus præpoſitæ ſunt, quam illæ, quæ loquentur, ne monaſterium abſurdis & inanibus rumoribus compleatur, cum nemine omnino communicent quæ ab externis acceperint, niſi cum præfecta, ſi eis expedire videbitur ut aliqua ad eam referantur.

D Vigilent præfectæ, & quæ ſermonibus audiendis præpoſitæ ſunt, ne quiſquam ad colloquendum cum monialibus accedat, ſimulato ejus nomine, qui in ſcripta licentia nominatur. Quod ſi id a quoquam commiſſum fuerit, is ab epiſcopo; quæ vero cum eo collocuta fuerit, & quæ ſcientes permiſerint, a ſuperiore, harum conſtitutionum præſcripto, gravi pœna eorum arbitratu afficiantur.

Quicumque vero clericus ſive ſæcularis ſive regularis, cujuſcumque ordinis, aut laicus cujuſcumque ſtatus, dignitatis, gradus & conditionis, ad monialium monaſteria acceſſerit, & cum earum aliqua, non impetrata, ut præſcriptum eſt, colloquendi facultate, ſermonem ha- E buerit, graviter puniatur.

Hoc autem edicto, neque patres, neque fratres teneri volumus, quibus non impetrata illa colloquendi facultate, ſed ſervatis ceteris regulis hac ipſa de re latis, cum filiabus & ſororibus tantum colloqui, non tamen ſepta unquam ingredi licebit.

Nemini omnino, neque ſacro, neque profano, neque mari, neque feminæ, liceat adire monaſteria monialium, docendi cauſa cantum, quem figuratum vocant.

In iis tamen monaſteriis, in quibus non in exteriori eccleſia a ſæcularibus, ſed intus a monia-

ANNO CHRISTI 1565.

nialibus organo ſonatur, permittere poterit ſuperior alicui viro, moribus & ætate ab epiſcopo probato, ut foris ad feneſtellam collocutionis monialem organiſtriam tantum ſonandi artem edoceat; ſi in eo ſtudii genere plus proficere neceſſe habeat,

Hæc autem intus ad ipſam feneſtellam diſcens commorabitur; cui ſemper aſſiſtent duæ ex iis, quæ audiendis ſermonibus præpoſitæ ſunt.

Quæ contra fecerit, ſive præfecta, ſive alia velo privetur, aliiſque præterea pœnis afficiatur, arbitratu ſuperioris.

Organum autem in poſterum ne conſtituatur, niſi locus, in quo apte locetur, ſuperioris judicio ante probetur.

Prohibentur etiam moniales ipſæ intus, aut per alios foris ſonare muſicis inſtrumentis, præter organa & harpichordium, quo ars organo ſonandi diſcitur.

Ne liceat monialibus depoſiti, aut cuſtodiæ cauſa, in monaſterio habere pecuniam, gemmas, veſtes, aut ejus generis res ullas cujuſvis perſonæ, nec vaſa quidem florum, aut fruticum.

Quod ſi quæ in præſenti habeant, ut omnis incommodi cauſa tollatur, ad tres menſes, quibus debent, ea reſtituant.

Contumacibus, aut negligentibus pœna ſit; præfectis, officii: ceteris, veli ſpoliatio.

Moniales ne animi quidem relaxandi cauſa, ſæcularium virili aut muliebri veſtitu utantur, cum dedeceat Dei famulas veſtes ab earum profeſſione alienas induere, verum decoro ſemper ſervato omnium & temporum & actionum, permittente præfecta, honeſte, & quemadmodum ſacras Deo virgines decet, animum remittere licebit.

Moniales etiam, ne offulas, aut cetera hujuſmodi conficiant donandi gratia, prohibemus: propter temporis jacturam & ſumptum, qui in eas impenditur. Quæ contra decretum illud commiſerit, vel permiſerit, ſuperioris arbitratu puniatur; maxime vero in præfectam animadvertatur.

Nulli moniali fas ſit ad quemquam ſecreto literas ſcribere, præter ſuperiorem & epiſcopum, ſi de aliqua gravi re eſſet admonendus.

Neque ad ſe miſſas literas aperire & legere, niſi præfecta prius eas coram vicaria legerit, aut ſe præſente legi juſſerit.

Quæ contra hanc legem aut ſcripſerit, aut acceperit literas, per duos menſes e ſua cella pedem non efferat; & ſingulis ſextis feriis ita jejunare cogatur, ut tantum pane & aqua veſcatur. Ac, ſi eæ literæ ſuſpicionem aliquam criminis haberent, ea, ad quam ſcriptæ fuerunt, præter prædictam pœnam, ſex menſes & facultate loquendi ad feneſtellam monialium collocutionis, & velo privetur.

Verum, ne præfecta falli poſſit, fictis ei literis oſtenſis, quæ aliæ ſint ab acceptis, & ab illis, per quas reſponſum eſt; quæ rotæ præpoſitæ fuerint, omnes accipient literas, quæ ad monaſterium pervenerint, eaſque ſtatim ad præfectam afferent, a qua etiam literas, a monialibus ſcriptas, accipient clauſas & obſignatas coram eadem ipſa. Quas deinceps nuntiis externis tradent.

## X.

*De converſis.*

Converſis minimum quadraginta annos natis & ſuperiori probatis, facultas ſit exeundi ſeptis monaſterii, propter negotia monaſterio neceſſaria, permittente tamen præfecta, quotieſcumque exeundum fuerit.

Cui etiam liberum ſit eas, ſi ita videbitur, intra ſepta ſemper retinere. quod ut faciat, ſi modo poſſit, eam vehementer cohortamur.

Ad funera autem ne prodeant, niſi quæ ordinis ſint Mendicantium.

Exeuntes vero binæ prodeant; neque longius diſcedant altera ab altera, quam ut ſe invicem aſpicere & audire poſſint.

Quibus, ſi ex urbe egredi contigerit, ſemper in eodem lecto ſomnum capiant.

Caveantque, ne in cujuſquam famoſæ perſonæ domum introeant, etiamſi illa de monaſterio benemerita fuerit.

Neve in domiciliis, ubi aliæ honeſtæ mulieres non habitent, pernoctent.

Neve literas, aut mandata clam perferant.

Aut quidquam inane monialibus renuntient, quod foris viderint, aut audierint.

Delinquentibus pœna ſit carcer, aut etiam gravior, arbitratu ſuperioris.

## XI.

*De puellis ſæcularibus, quæ in monaſteriis, educantur.*

Puellæ ſæculares cujuſvis generis, conditionibus & ætatis, quæ nunc in clauſura monaſterii, educationis, aliave cauſa commorantur, poſt annum, e monaſterio exire cogantur, niſi omnibus iis præditæ, quæ ad ſuſcipiendum religionem, monaſterii inſtitutis, Tridentini concilii, & harum conſtitutionum decretis requiruntur, monachalem veſtem ſumere voluerint. Epiſcopis tamen facultas permittitur probabili de cauſa prorogandi tempus ſuo arbitratu, conſentiente ſuperiore regulari in iis monaſteriis, quæ ei ſubjecta fuerint.

In poſterum puellæ educationis cauſa in monaſteria ne recipiantur ſine licentia ſcripto permiſſa ab epiſcopo, ac ſuperiore regulari, ſi ei ſubjectum fuerit monaſterium, cui etiam prius acceſſerit ſcriptus metropolitani conſenſus.

Hæc autem licentia non concedatur puellis, quæ habeant a quibus regi & educari commode poſſint; aut iis quæ decimum annum non compleverint, aut majoribus quindecim annis.

Quæ ſemel exeunt e monaſterio, amplius aut in illud, aut in ullum præterea aliud admitti non poſſint, niſi cum moniales fieri voluerint.

Hujuſmodi autem puellæ nigri tantummodo, aut fuſci, vel albi coloris veſtes, non ſericas, adhibeant. Nullo præterea exquiſito ornamenti genere utantur; ne ſint concinnatæ; neve habeant inaures, nec monilia; aut ejus generis inanes delicias.

Cum propinquis, aliiſve externis ne colloquantur; niſi eiſdem ſervatis, quæ ſupra de monialibus eo in genere decreta ſunt.

Dor-





Dormiant, cibum capiant, verſenturque loco ſeparato a monialibus, iis exceptis, quæ ipſis regendis & inſtituendis præpoſitæ ſunt: cum nullaque moniali conſuetudinem habeant, præterquam in eccleſia, cum miſſa, aut divina officia celebrantur.

Puellarum alimenti & educationis cauſa quotannis monaſterio non minus ſolvatur triginta aureis; cujus pecuniæ dimidium in ſingulos ſex menſes repræſentetur. Quod ſi ea pecunia per ipſos ſex menſes non numerata fuerit, puellæ ad ſuos remittantur, quos magiſtratus monaſterio omnino ſatisfacere cogant.

Quæcumque ex iis puellis monialis fieri voluerit, ad propinquos ſuos mittatur, aut ad eos, qui ipſius curam habent, apud quos ſaltem per menſem maneat, priuſquam ab epiſcopo, aut ab ejus miniſtris examinetur; idque, ut facilius ac melius ejus libera voluntas exquiri & explorari poſſit.

Puellas vero domi ſuæ foris viventes, neque literas, neque ullam omnino artem monialibus docere liceat; ne ad feneſtellas quidem, aliave collocutionis loca: quod ſi id monialium præfecta quovis modo permiſerit, ſemeſtri adminiſtrandi officio privetur.

## XII.

*De concionatoribus, confeſſoribus, viſitatoribus & capellanis.*

Qui monaſteriis præſunt, doctos, prudentes, ac pios concionatores adhibeant, qui bis ſaltem in ſingulos menſes ad cancellos collocutionis monialium, vel ad feneſtellas eccleſiæ, Dei verbum prædicent, eaſque erudiant in omnibus, quæ ad Dei cultum, & ſempiternam ſalutem conſequendam pertinent.

Concionatoribus autem ne liceat cum monialibus ſeparatim colloqui; niſi eis a ſuperiore monaſterii licentia permittatur.

Præficiantur etiam monialibus confeſſores & ætate provecti & prudentes & Deum timentes, qui ſemel ſaltem in ſingulos menſes audiant peccata monialium: eiſque ſacroſanctam euchariſtiam adminiſtrent, quemadmodum ſacrum Tridentinum concilium fieri debere cenſuit. *Seſſ. 25. c. 10. de regularibus.*

Ne regularis peccata monialium poſſit audire, niſi prius a generali capitulo, aut ſui ordinis generali, aut, eo abſente, ab ipſius vicario generali probatus fuerit: cujus rei fidem fecerit epiſcopo ejus loci, ubi fuerit monaſterium, aut ejus vicario.

Omnes monialium, & ſæculares & regulares confeſſores, confecto biennio, aut ad ſummum triennio, mutentur, niſi juſta aliqua, aut neceſſaria cauſa epiſcopo, aut ejus ordinis generali, ſi regularibus ſubjectum ſit monaſterium, poſtulare videatur ut illis tempus prorogetur.

Iidem monaſterii ſepta ingredi non poſſint, niſi id eis a ſuperiore aliqua de cauſa conceſſum fuerit: excepta cauſa adminiſtrandi ſacramenta ægrotis monialibus, cum gravi & periculoſo morbo laborant.

Quo tempore dum intra ſepta commorantur, eos duæ aut tres moniales, quæ ætate ceteris præſtent, comitentur: Eædemque omnes proſequantur quicumque ſepta monaſterii introierint, etiam ſuperiores, ac viſitatores, facta prius ſignificatione ſonitu minoris campanæ monialibus ſe recipiendi. Quam conſuetudinem niſi præfecta ſervarit, officio moveatur ſuperioris arbitrio.

Confeſſores in monaſteriorum locis, quos foreſterias vocant, cibi capiendi cauſa ne morentur, niſi confeſſionis tempore.

Neque tum etiam ibi noctu cubent; niſi cum alicui ex monialium numero mors inſtaret, ut praſto eſſe poſſint adminiſtrandis ſacramentis, & reliquis pietatis officiis; aut cum propinquum monaſterio domicilium non habent: ut in multis monaſteriis quæ ſunt in diœceſi.

Nemini autem confeſſori ſæculari aut regulari aſſidue habitare liceat foris in foreſteriis, & ædibus monialium; aut earum ſumptibus ibi vivere; nec, ſi in iis locis dormitur, quæ monaſterium attingunt, feneſtræ, aut rotæ ſint: & ſi ſunt, ſtatim muro obſtruantur: ut nihil a monialibus quod in eo loco agatur, aut dicatur, aſpici aut audiri poſſit.

Clathri lamina, & linea tela feneſtellulæ ejus loci, ubi moniales confitentur, ita compactæ cohæreant, ut removeri poſſint: & inde tantum audiri, aſpici autem nullo modo poſſint.

Qui vero confeſſores in iis deliquerint, ſtatim & officio priventur; & facultas tum adeundi illud monaſterium, tum divina adminiſtrandi eis arbitrio ſuperioris adimatur.

Eamdem pœnam ſubeant omnes regulares, & alii cujuſvis generis clerici, qui cibum aut ſomnum capient in locis collocutionum, ac foreſteriis monialium; aut munera alicui moniali, quæ ſecundo, arctiorive cognationis gradu conjuncta non ſit, dederint, aut ab ea acceperint.

Superiores tamen ſuo arbitratu, cum illis colloqui, & in foreſteriis veſci & cubare poſſint, quo tempore viſitant monaſteria: ſi tamen ibi fratrum ſui ordinis monaſteria non habeant: quæ ſi ſunt, apud eos diverſari debent, neque graves eſſe monialibus.

Iidem pecuniam, munera, aut præmia a monialibus ne accipiant: quo illæ aperte intelligant in ejuſmodi viſitatione tantummodo ab eis conſuli Dei gloriæ, & monialium ſaluti.

Liceat vero iis ſuperioribus, qui premuntur inopia, ſumptu monialium vivere, cum eas viſitant, aut adeunt alia de cauſa quæ ad ipſarum utilitatem ſpectet.

Regularibus, qui fratres ſint monialium, permiſſu ſuperiorum, quemadmodum ſupra dictum eſt, ſemel in ſingulos annos cum ſororibus monialibus tantum colloqui liceat, idque præſentibus iis quæ collocutioni præpoſitæ ſunt. Quod ſi illi aliquos ſecum adduxerint, ii cum monialibus omnino ne colloquantur, propoſita ea pœna, quæ ſuperius colloquentibus ſine licentia eſt conſtituta.

Socii confeſſorum regularium ſint ætate provecti, & ſuperiori ſuo probati, neque cum ulla moniali colloqui poſſint, niſi cum præfecta, & rotæ aut foreſteriæ præpoſita, ſi quid opus ſit confeſſoribus tum cum peccata audiunt, ejuſdem pœnæ periculo.

Præterea ſuperiores ex decreto ſacri Tridentini concilii quotannis idoneum confeſſorem extraordinarium monialibus ſibi ſubjectis exhibeant, cui curent, ut univerſæ confiteantur; ut quæ hujuſmodi indigent medicina, propter aliquem occultum animi morbum, neque ipſæ eam poſtulare, aut accipere ab uſitato confeſſore unquam auderent, liberius mederi ſuis *Ibidem.*

malis

ANNO CHRISTI 1565.

edicimus, ut ex quo primum die edita, in valvis metropolitanæ eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos menſes, omnes ſe, & his decretis, & ſi contra fecerint, pœnis, quæ eis continentur, teneri intelligant. A

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari jubemus.

Jubebunt præterea ſinguli epiſcopi, ſi eis expedire videbitur, ea omnia, ſuæ quoque cathedralis eccleſiæ valvis affigi; & in proxima ſua diœceſana ſynodo legi ac recitari; quo ſtudioſius eorum præcepta omnium animis inculcentur.

Singulæ etiam cathedrales & collegiatæ & parochiales eccleſiæ hujus provinciæ has conſtitutiones certo aliquo loco collocatas perpetuo aſſervent. Epiſcopi ſingulis quatuor anni temporibus, ſi id opportunum cenſuerint, legi jubeant coram ſe & canonicis eccleſiæ cathedralis & collegiatarum omnia ea, quæ de vita & honeſtate clericorum, deque divinorum officiorum celebratione in hac noſtra provinciali ſynodo ſtatuta fuerunt: ut ea crebro repetita, facilius in mores inducantur. B

Maximas Deo gratias agere debemus, quod quæ pro communi provinciæ tempore ſtatuenda videbantur, ad optatum exitum perducta ſint; quodque ejuſdem beneficio principes univerſæ provinciæ ii obtigerunt, a quibus omnem opem, auctoritatem, & auxilium in eis exequendis, quæ ſancita ſunt, jure optimo ſperare & expectare liceat. Quod ut ex animo, ac ſummo ſtudio præſtent, pro noſtri officii munere eos vehementer hortamur, & per viſcera domini noſtri Jeſu Chriſti obſecramus. C

Ex præcepto ſacri Tridentini concilii collegimus & cognovimus abuſus omnes, qui in indulgentias ex ſuperſtitione, ignorantia, irreverentia, aut quavis cauſa in provincia Mediolanenſi irrepſerunt; ut metropolitanus de iis, ex ſententia ſynodi, ad ſummum Romanum pontificem referat; cujus auctoritate & prudentia conſtitutis iis, quæ huic provinciæ noſtræ expedire videbuntur, fideles ſalutarem indulgentiarum fructum pie & ſancte percipiant.

Actum eſt diligenter a nobis ex præſcripto ſacri Tridentini concilii, quæ ratio iniri poſſet, ut aliquæ eccleſiæ cathedrales provinciæ noſtræ Mediolanenſis, quarum ſunt tenues fructus, ita novis proventibus augerentur, ut & ad illarum neceſſitatem & ad epiſcopalem dignitatem ſatis eſſent. Eam autem rationem nomine ſynodi metropolitanus ad ſanctiſſimum dominum noſtrum referat. Qui cognita rei neceſſitate, pro ſua prudentia & pietate, & epiſcopis & eccleſiis conſulere poterit. D

Quia multa a ſummo Romano pontifice & publicæ totius provinciæ Mediolanenſis & privatæ ſingularum eccleſiarum utilitatis cauſa petenda ſunt; decernimus, ut quidquid ab ejus ſanctitate communibus noſtris, & qui adſunt, provincialium epiſcoporum literis poſtulabitur, id hujus ſynodi nomine & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac ſi in ſeſſione publice poſtulatum eſſet. E

Omnia & ſingula, quæ in hac ſacra ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati ac judicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris & magiſtræ, ſemper emendanda & corrigenda ſubjicimus. Laus Deo.

*CAROL. BORROMÆUS MISERATIONE divina ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, archiepiſcopus Mediolani, provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in domino.*

QUANTUM mihi onus imponeret archiepiſcopalis officii ratio, cogendi provincialem ſynodum, quo die ex graviſſimo ſancti Tridentini concilii decreto recognovi, maxime ut id munus exequi poſſem vehementer elaboravi, quod & noſtræ teſtantur literæ, quibus provinciæ epiſcopos evocamus; & ſciunt graves atque ornati viri, qui noſtris ea in re ſtudiis & actionibus interfuerunt. Itaque cum primum mihi licuit, Mediolanum veni, quo provincialibus epiſcopis convocatis, cognitiſque ab eiſdem iis rebus, quæ in ſingulis civitatibus, ac diœceſibus correctionis aut moderationis indigerent, in ſynodo de ipſorum epiſcoporum conſilio atque conſenſu ea ſtatuimus ac decrevimus, quæ perturbatam cleri ac reliquorum vitæ & officii diſciplinam reſtituere, vacillantem confirmare, conſervatam propagare poſſe viderentur. Synodo dimiſſa cum a Pio IV. pontifice maximo Romam revocarer, ne in ipſo quidem itinere mihi quidquam majori curæ fuit, quam ut ea decreta provinciæ, ut ſpero, ſalutaria, primo quoque tempore pervulgarem. Quam in cogitationem toto animo incumbentem me & ipſius Pii pontificis avunculi mei mox conſecuta mors, & deinceps interregni & pontificiorum comitiorum occupatio, non jam a ſtudio illa in lucem proferendi, quod, & ſi gravioribus curis maxime diſtinebar, tamen dimittere non poteram; ſed ab eorum editione retardavit: Sed bene, quod quemadmodum Deum aſſidue precatus ſum, ut ita fieret pro mea parte contendi, brevi ipſius Dei benignitate ſingulari Pius V. pontifex maximus eſt renuntiatus, qui pro ſumma ſua cura ac ſolicitudine religionis ſalutiſque animarum, mihi & facile conceſſit, ut reviſerem hoc tempore commiſſum fidei meæ gregem, & inflammatum ſtudium meum edendi has conſtitutiones provinciæ noſtræ fidelibus pia ſane cohortatione magis etiam incendit; & ut eæ ad illos etiam pertinerent, qui alioqui ipſis non tenerentur, literis ſuis apoſtolicam interpoſuit auctoritatem. Damus igitur vobis quæ ex præſcripto Tridentini concilii ad moderandos mores, corrigendos exceſſus in provinciali ſynodo decreta ſunt; eaque non ſolum præſentium malorum remedia eſſe confidimus, ſed cautionem quoque fore ſperamus reliqui temporis vitiorum & incommodorum. Rogamus vero omnes, & per viſcera miſericordiæ Chriſti domini obſecramus, ut has conſtitutiones, quanto maximo poteſtis amore & pietate amplectamini, legatis, ſequamini, totos vos ad earum ſententiam, rationemque accommodetis. Imo vero, ſi quod noſtrum eſſe poteſt, habito, &, ubi primum facultas fuit, edito hoc provinciali concilio, meritum id mihi, & piis ipſis ac prudentibus patribus, quibus conſentientibus & adjuvantibus hæc acta ſunt, præripite, tanto enim major commendatio eſt eorum qui colont, quam qui tulerunt leges; quanto eſt obedientia officii præceptione præſtantior. Ceteris vero etiam hominibus veſtra, vel morum mutatione vel innocentia, ac pietatis perſeverantia prælucete; ut iſto exemplo ad virtutis & officii cultum reliquæ etiam pro-



ANNO CHRISTI 1565.

provinciæ incitentur. Nobis enim & in his decretis nihil propoſitum fuit, niſi Dei gloria & veſtra ſalus; ſic nihil optatius eſſe poteſt, quam, ut ita decreta ſerventur; ut pœnis, quæ delinquentibus propoſitæ ſunt, nullus lo- A cus relinquatur: magiſque in agendo veſtra religio ac probitas, qua una vel maxima voluptate noſter compenſabitur labor, quam noſtra in decernendo diligentia commendetur. Valete in domino.

# CONCILIUM MEDIOLANENSE II. PROVINCIALE.

ANNO CHRISTI 1569.

Quod Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, archiepiſcopus Mediolanenſis habuit anno a Chriſto nato MDLXIX. Pio V. pontifice.

## EDICTUM DE CONC. PROVINCIALI II.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

*Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolani, univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in domino.*

QUos cæleſtis ſapientia paſtores & eſſe & dici voluit, eorum tanta, tamque gravis, atque adeo ſancta ſolicitudo eſſe debet, ut in iis, quæ ad caſtiſſimum Dei cultum, ad eccleſiæ auctoritatem ac dignitatem, & ad cleri, populique diſciplinam non conſervandam ſolum, ſed augendam etiam pertinent, non voluntas, non diligentia, non pietas denique illorum ullo loco deſideretur. Cum igitur ad morum emendationem & ad Chriſtianæ pietatis reſtitutionem, amplificationemque Tridentini patres, duce Spiritu ſancto, optimorum conſiliorum auctore, veterem illam rationem aliis conciliis decretam, renovandam ſtatuerint, ut tertio quoque anno provincialis ſynodus celebretur; tertiuſque is annus jam abierit, quo primam Mediolani ſynodum ejuſmodi habuerimus; & propterea nos qui Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopalem hanc curam gerimus, pro ea quam populis fidei noſtræ commiſſis debemus ſancta ſolicitudine, volumus iterum provinciæ noſtræ epiſcopos, literis unicuique illorum ſcriptis, in metropolitanam noſtram Mediolanenſem eccleſiam ad concilium evocare, huc uſque inchoandi diem certum præſcribere, nempe qui erit 24. Aprilis proxime ſequentis. Ut autem ceteris omnibus, atque ſingulis, qui poſſunt, debentve jure, aut conſuetudine, aut privilegio eidem intereſſe, pervulgata ſit ac nota hujus noſtri concilii indictio, neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem uti, vel ſe contemptum neglectumve eſſe, dicere liceat, iis ipſis univerſis ac ſingulis, tum ceteris, qui ſua intereſſe quavis ratione putarint; tum illis etiam, qui liberi ſint, atque exempti, quique nullius diœceſis intra provinciæ noſtræ fines continentur, hoc edicto publice propoſito, illud idem ſignificamus, indicimus, ac denuntiamus; jubemuſque item illos ipſos omnes & ſingulos, qui intereſſe debent, huc in concilium convenire ad conſtitutam eam diem, pœnis illis propoſitis, quæ canonicis ſanctionibus decretæ ſunt.

Monemus præterea, ac per viſcera Jeſu B Chriſti domini hortamur omnes provinciæ noſtræ fideles, ut aſſiduis precibus, reliquiſque Chriſtianæ pietatis officiis a Deo miſericordiarum, & patre totius conſolationis, nobis negotium tam ſalutare tractantibus auxilium implorent, quo facilius nos, ejus ope adjuti, in conſpectu animi habentes exemplum graviſſimæ & ſanctiſſimæ diſciplinæ, quæcumque ad eam reſtituendam accommodata neceſſariaque ſunt, ea ſine ullis hæſitationibus decernamus, tum ad Dei ipſius gloriam, tum ad eorum qui in noſtra fide, curaque conquieſcunt, ſalutem. In quarum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi & noſtro ſigno muniri, tum cancellarii noſtri manu ſignatum, C in vulgus publice proponi volumus. Datum Mediolani die 16. Martii anno 1569.

## ORATIO CAROLI, CARDINALIS TITULI SANCTÆ PRAXEDIS,

### Archiepiſcopi Mediolanenſis.

*Habita in provinciali concilio II.*

ETſi quod, duce Spiritu ſancto a Tridentinis patribus decretum eſt, ut tertio quoque anno provinciales ſynodi habeantur, hæc D cauſa, patres reverendiſſimi, ſatis explorata eſt, & ea quidem juſtiſſima quamobrem jam tribus poſt primum noſtrum congreſſum annis hoc iterum convenerimus: tamen ſi quis rem ipſam attente intuetur, facile animadvertet, hoc iterati concilii officium non ſolum Tridentino juſſui debitum, verum etiam & temporum conditioni, & paſtorali noſtro muneri, & initiis quæ proximo ſuperiori concilio jecimus, conſequens ac plane neceſſarium. Jam cognoſcitis, jam ſcitis qua in perturbatione reipublicæ Chriſtianæ ſtatus verſetur; quam funeſtæ hæreſeon faces in finitimis provinciis jamdiu excitatæ, quam turbulenti inde in Gallia motus, quam multæ ſtrages, quot pugnæ editæ ſint. Quid? quot templa vel auguſtiſſima E diruta, delubra religioſiſſimis imaginibus & ſignis & ornamentis ſpoliata, vaſa ſacra erepta, reliquiæ ſanctorum diſſipatæ, ſacerdotes & religioſi viri interfecti, ſacræ virgines injurioſus tractatæ, divina polluta, omnia denique proſtrata jacent. Quouſque tandem, iraſceris domine? quouſque tandem vineam quam plantavit dextera tua, & populum Chriſti Jeſu Filii tui ſanguine expiatum, videbimus ita crudeliter, ita fœde diri-

ANNO CHRISTI 1569.

diripi, vaſtari, diſſipari? quouſque cibabis nos pane lacrymarum, potum dabis nobis in lacrymis, & in menſura? Hæc autem mala, quæ peſtifera ſunt, quæ pernicioſa, etſi a nobis interjecto quodam ſpatio abeſſe videntur, ita tamen undique nos circumſtant, & in foribus ipſis prope adſunt, ut in ſingulas horas, vel momenta potius timendum ſit, ne hæc aquarum vis in hanc provinciam erumpat, totamque fluctibus ſuis evertat, niſi Dei ope, & paſtorum ſumma vigilantia occurratur. Verum alia incommoda ſunt, & ea quidem non levia, quæ cum in viſceribus provinciæ noſtræ hæreant, nos valde admodum commovere debent. Nam etſi ſuperiori noſtro conventu multa auctore Deo decrevimus, multaque poſt paſtoralibus noſtris vigiliis egimus, ut bene conſtituendæ hujus provinciæ ſignum aliquod ſuſtuliſſe videamur: tamen multi adhuc ſunt inveterati morum errores, & alia item, quæ a nobis cum emendationem plane deſiderent, in iis corrigendis noſtræ curæ ac ſolicitudines hoc tempore evigilare debent. Ea eſt enim horum temporum conditio, ut homines alii mundi potius quam Dei amatores, animum iis rebus adjungant, quæ ad divitiarum in primis & carnis ſolicitudinem curamque ſpectant; alios vero aliis illecebris, aliis fallaciis quaſi vinculis quibuſdam irretitos teneat perpetuus ille humani generis hoſtis, qui tamquam leo rugiens, mortales circumit quærens quem devoret. Si denique provinciam univerſam luſtramus, omnia ad carnis occaſionem, reclamante apoſtolo, traducta in eo ſtatu eſſe cernimus, ut adumbrata quædam, non ſolida illa veraque pietatis Chriſtianæ ſpecies retineri videatur. *Hæc mala quidem inteſtina cum ſint,* etſi *illis* quibus finitimas provincias afflictas diximus genere inferiora, ejuſmodi tamen ſunt, ex quibus cum argumenti cujuſdam ſpecies, vulgi judicio, hæreticis ſubminiſtrari videtur ad tuendos ſuos errores: tum etiam id, quod Deus avertat, fieri facile poſſet, ut hominibus noſtris, ſi in conſcientiæ pravo habitu eos obſordeſcere patiemur, quaſi fores aperirentur, adituſque pateſieret ad nefariam hæreſeon labem. Idque cum ex multis aliis, peneque innumerabilibus exemplis, tum ex hoc uno potiſſimum cognoſci licet, quod populus Iſraeliticus cum in conviviis & comeſſationibus, vivendique licentia verſaretur, impura conſcientia inquinatus, proclivius quidem delapſus eſt ad pernicioſiſſimum idolorum morbum. hoc ipſum apoſtolus Paulus cum animadvertiſſet, Timotheum diſcipulum propterea illis verbis admonuit: *Conſcienti*[illegible] *quam multi repellentes in fide naufragaverunt.* Unde tandem, patres, tot veteres hæreſes, quæ olim reſtinctæ in hæc tempora inciderunt, niſi ex depravatis contaminatiſque gentium moribus? Ut enim vetus aliquis morbus recrudeſcit, ſi recenti vel leviſſimo malo corpus afficitur, ſic hæreſeon peſtem, quibus jam eccleſia variis temporibus vexata eſt, antiquorum patrum virtutibus, tamquam ſalutaribus remediis, olim compreſſam, noſtrorum temporum corruptela quaſi veterem morbum iterum ingraveſcere videmus. In hoc igitur rerum diſcrimine videte quanta nobis, qui Chriſtiani exercitus anteſignani, & animarum medici ſumus, neceſſitas impoſita eſſet, ut concilium iniremus, quo plures & ad propulſanda pericula, & ſananda vulnera in unum, Spiritu ſancto duce, convenientes, a Deo miſericordiarum & patre conſolationis auxilium

1. Tim. 1.

A facilius imploraremus; tum etiam quo cautius res multorum judicio conſtitutæ eſſent, eo promptiori animo, propenſiorique ad obediendum voluntate, ab iis ſuſciperentur, quorum ſaluti maxime conſulere debemus. Hoc noſtrum munus eſt, hoc noſtrum officium, patres. Etenim ſi in epiſcopalis dignitatis excelſa ſede collocati ſumus, tamquam e ſpecula quadam pericula proſpicere, eaque propellere nos oportet, ſi qua iis imminent; qui in noſtra fide noſtraque cura conquieſcunt: ſi parentes item filiorum incolumitati paternam curam adhibere: ſi paſtores ab ovibus quas ſacroſancta ſua morte Jeſus Chriſtus ex inferi faucibus atque ore eripuit, nunquam oculos dejicere; & ſi quæ impura B vitiorum labe extabeſcunt, ſalis acrimonia ſanare: ſi quæ demum in morum tenebris aberrantes ſunt, iis prælucere debemus. Nam ut ſummus ille rerum opifex principio cum cælum, quod intuemur, effecit, ſtellarum multitudine ornavit, quæ ſolis ſplendore illuſtratæ, in nocte ſuper terram lucerent; ſic in ſpirituali hujus ſæculi renovatione, poſuit in eccleſia, tamquam in quodam cæli firmamento prophetas & apoſtolos, paſtores & doctores, qui quaſi ſtellæ, ſempiterni illius Solis Chriſti domini lumine illuſtrati, huic tenebricoſi ſæculi caligini præeſſent, & ab humanis mentibus tenebras depellerent quodam illuſtris ſanctæque diſciplinæ ſplendore. Hos igitur, quos cæleſtis ſapientia paſto- C res eſſe, & in apoſtolorum tamquam in parentum locum ſuccedere voluit; *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*, inquit propheta; quid eſt cur eos parentes, eos duces, eos magiſtros non imitemur? Illi in conſtituenda naſcente tunc Chriſtiana republica, maximiſque rerum difficultatibus, hac conciliorum ratione uſi, cum confuſam illam errorumque tenebris implicitam mundi faciem evangelicæ diſciplinæ lumine illuſtrarint, tum ad eam reſtituendam exemplum nobis præbuerunt, ut in tanta ſcilicet rerum perturbatione, & in hac terra peccatorum caligine nos, qui eorum locum tenemus, oſque domini ſumus, & e quorum labiis, tamquam ab angelis domini exercituum, populi legem requirunt; a D fronte lucis Spiritu ſancto, in cujus nomine hodierno die congreſſi ſumus, ſalutares vitæ leges haurientes, doceamus provinciæ noſtræ homines ambulare ut filios lucis, & afferre fructus lucis in omni juſtitia & bonitate, & veritate; probantes quid ſit beneplacitum Deo, nec communicantes operibus infructuoſis tenebrarum. Nec vero exiſtimemus, patres, muneris noſtri partes omnino expletas a nobis eſſe in iis quæ tribus ante annis hoc ipſo in loco multa conſtituimus: quoniam ſi rem omnem ita ſpectamus, quemadmodum ſane debemus, opus miniſterii noſtri inchoaſſe quidem, ſed perfeciſſe certe non videbimur. At vero eſt cur expleamus; ita rerum ſtatus poſtulat, ita ſæpe multis locis E unumquemque noſtrum apoſtolus monet: *Vide*, inquit, *ut miniſterium, quod in domino accepiſti, expleas: dedit enim paſtores & doctores in conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii ad ædificationem corporis Chriſti.* Ergo ſi ad conſummationem, & ad perfectam quamdam ſanctitatis diſciplinam tota miniſterii noſtri ratio ſpectat; inanes profecto conatus noſtri, fruſtraque ſuſcepti eſſent labores, jactis primum illis fundamentis, niſi reliqua quæ ad ædificii extructionem & conſummationem deſunt, perfici contendamus omni ſummo ſtudio. Nam quo tempore huc primo in concilium convenimus, po-

Pſalm. 44.

Epheſ. 4.

ANNO CHRISTI 1569.



ANNO CHRISTI 1569.

populis noſtris, tamquam parvulis aut certe infirmioribus, ſi præter lac eſcam dedimus, at ſolidiorem cibum tum præbere vix potuimus; idque Chriſto domino magiſtro, qui multa cum haberet, quæ apoſtolis diceret, non omnia tamen uno tempore eos docuit, propterea quod ad ea portanda tunc ſane eſſent minus idonei. Et quemadmodum is longo temporis progreſſu, tum excitatis ſanctorum patrum mentibus, tum ſacroſanctis habitis conciliis, eccleſiam ſuam doctrinæ ſplendore in dies magis atque magis illuſtrare voluit, cum vel momento temporis id ipſum præſtare potuiſſet: ſic nobis qui matrem eccleſiam colimus, atque obſervamus illud ab ejus benignitate ſperandum eſt, ut & nunc & in poſterum, prout temporum ratio requiret, ea pateſaciat atque aperiat, quæcumque ſuperioris noſtri concilii temporibus non opportuna ipſius Dei Spiritus nobis non ſuggeſſit, ut illa fidelibus noſtris tunc traderemus. Illud præterea accedit quod quemadmodum agricolis uſu ſæpe venit, ut poſtquam ſemel agrum bene coluerint, cumque a rubis inutilibuſque herbis purgarint, vites putarint, & arbores interlucarint, niſi crebro camdem culturam adhibuerint, ager, qui illorum ſtudio enituit, horridus, incultuſque fiat; ſic fideles, qui agricultura Dei ſunt, ubi noſtris vigiliis ac ſtudiis, quæ ſuperiori concilio adhibuimus, ad aliquem nitorem adducti ſunt, niſi ſæpius ad ea, quæ poſt ſuccreverunt, amputanda redeamus, facile ille priſtinus cultus temporis progreſſu horreſcit: tum ſi quæ etiam depravata conſuetudo diuturnitate fulcitur, ita altæ radices agit, ut velut hedera late ſeſe diffundens, ſæpe vix aut ne vix quidem evelli queat. Itaque cum in perpetua quadam agri dominici colendi ratione noſtrum munus pene totum poſitum eſſe debeat, diligentes agricolas unicuique noſtrum imitandos Deus apud Jeremiam proponit his verbis: *Ecce conſtitui te ſuper gentes, ſuper regna, ut evellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Quod ſi fortaſſe pauca erunt quæ noſtris aliis conſtitutionibus addi oportere videbuntur, utilitas tamen non parva neque exiguus fructus ex hoc ipſo concilio exiſtet, ſi nos ſuperiora decreta in conſpectu quaſi in ſpeculo quodam habentes, contemplabimur, ſi quæ vel noſtra, qui juſſimus, vel aliorum, quibus juſſum eſt, culpa contracta eſt in illis exequendis; aut ſi qua ſunt, quæ certis quibuſdam cauſis nec per nos, nec vero per illos præſtari adhuc licuit: hocque pacto, tum ſi quid culpæ admiſſum eſt, quoniam officio noſtro ante defuimus, id ſeduſo emendemus, tum difficultatum ratione hoc ipſo in loco agitata & diligenter explicata, adhibeamus quæ opportuna erunt remedia. Habetis igitur, patres reverendiſſimi, cauſas, quare huc iterum convenimus, tum etiam intelligitis, quam gravis rerum tractatio nobis propoſita ſit, quæ tota ad ſananda hujus provinciæ vulnera, ad pericula animarum propulſanda, ad disjiciendas morum tenebras, ad agri denique dominici cultum pertinet. Idque plane omne, quantum in nobis eſt, ita præſtare debemus, ut primum quæ ſemel per nos decreta ſunt, ea nos quo maximo poſſumus, & quo certe debemus ſtudio, exequi contendamus: deinde ſi omni pietate, certaque animi deliberatione in hoc ipſo conventu ſupplere ſtudeamus quæcumque ſuperioris concilii decretis deſunt, ad reſtituendum illum prope deſloreſcentis Chriſtianæ pietatis cultum; poſt

Cap. 1.

A ſi qua vitiorum zizania tribus ab hinc annis ſubdolus ille operarius ſatanas in hac provincia conſevit, operam demus, ut eorum ſtirpes ſtudiis noſtris omnino convellamus. Jam hic duce Spiritu ſancto adſumus, reverendiſſimi patres, ut provinciale noſtrum concilium iterum celebremus; in qua muneris tractatione pro rei gravitate animo menteque reputemus, quæ nobis potiſſimum propoſita eſſe debeant. Ac primum quidem perſpicuum eſt, quam turpe, quam deteſtabile ſit in eo quod Chriſti legatione fungimur, Deique miniſtri ſumus, ſi non Chriſtum ipſum, non quæ Dei ſunt, ſed quæ noſtra quæramus: Oportet igitur nos depoſitis cupiditatum noſtrarum per- B turbationibus, oculiſque mentis in cælum conjectis, non utilitates noſtras, non commoda, non hominum honores ſpectemus, non rebus noſtris, non popularibus ſtudiis, non laudi, non gloriæ noſtræ, ſed Chriſto ſerviamus, cui omnem honorem debemus. Neque enim eſt cur aut nobis ipſis aut hominibus placeamus: ſiquidem quis inde fructus, ſi nos ipſos amantes, animæ noſtræ jacturam faciamus? ecquæ utilitas nobis exiſtet, ſi iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam populari quadam indulgentia conciliamus? Audiamus Paulum clamantem: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Diſſipat autem Deus oſſa eorum, qui hominibus placent*, inquit C propheta. Ergo ad Dei voluntatem, tamquam certam normam, conſilia, cogitationes, ſtudia & actiones noſtras dirigamus. Deinde hic eo animo eaque mente adeſſe debemus, ut non [illegible] ſed ſponte, *liberaque* voluntate, non, ut in pleriſque actionibus fieri ſolet, aut conſuetudine, aut quadam officii ſpecie, nec ficte, nec ſimulate, ſed vera ſolidaque rerum agendarum deliberatione rem omnem tractemus, ita ut non adombratam quamdam ſed expreſſam illam diſciplinæ Chriſtianæ formam afflante Spiritu ſancto decretis noſtris reſtituere curemus, quam naſcente eccleſia inſtituit vivus ſermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad divi- D ſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Nam ſi vitiorum ſemina non funditus tollere ſtudemus, ſed ſatis id eſſe putamus, ut externa quædam tantum, quæ oculis offenſionem in vulgus præbent, quaſi levi manu emendemus; id nobis eveniet quod agricolis, qui dum herbas *inutiles radicitus* evellere negligunt; quæque ſolum e terra extant amputant, ne agrum quidem a ſtirpibus noxiis purgant, ſed etiam quod plane nolunt, id ſane efficiunt, ut uberiores paucis poſt diebus emanent. Nec vero eſt cur a muneris noſtri ratione deterreamur, vel quia his paſtoralibus noſtris ſtudiis actionibuſque animos eorum E exulcerari videamus, qui filii ſunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quaſi ficus foliis deformes, pravique mores contegi ſolent, voces audiantur. Non ferunt hæc tempora veterum canonum ſeveritatem: ſic jamdiu viximus, ſic vixerunt, ita egerunt qui ætate anteceſſerunt; vitæ inſtitutum nihil eſt quod mutemus. At nos hæc, atque adeo alia ejuſmodi contemnamus, proponamuſque nobis ob oculos libertatem illam ſpiritus, & virtutem, qua armati patres noſtri apoſtoli, qua muniti martyres, qua inſtructi noſtri ordinis ſanctiſſimi homines Athanaſius, Chryſoſto-

Galat. 1.

Pſalm. 52.

ANNO CHRISTI 1569.

ſoſtomus, Ambroſius hujus eccleſiæ antiſtes, A qua affecti alii religioſi viri, apoſtolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus, quaſi tribunitiis fracti, nec debilitati pro Dei gloria, pro gregis commiſſi ſalute, forti, conſtantique animo adhibuerunt illam quaſi cenſoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem. Eorum fere exemplo adducti nos quoque apoſtolica illa conſtantia & evangelica virtute, qua una nihil eſt in eccleſiaſticis paſtoribus illuſtrius, nihil magis neceſſarium, ſine metu, & conſtanter certe agamus, atque adeo perficiamus quod evangelium docet, quod Chriſtus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis ſalus, quod eccleſiæ auctoritas dignitaſ- B que poſtulat. Nam ſi contra a nobis fiet, in formidoloſo illo Dei judicio, cum animarum quæ in fidem & curationem nobis traditæ ſunt rationem reddemus, tum aliorum nos accuſantium vociferationes, & irati judicis, nos item acerbe objurgantis, eas voces audiemus; Si ſpeculatores eratis, cur cæci? ſi paſtores, cur gregem vobis commiſſum errare permiſiſtis? ſi ſal terræ, quonam modo evanuiſtis? ſi lux eratis, cur ſedentibus in tenebris & umbra mortis non illuxiſtis? ſi apoſtoli, cur apoſtolica virtute non uſi, cuncta egiſtis ad hominum oculos? ſi os domini, cur muti? ſi vos huic oneri impares eſſe ſentiebatis, cur tam ambitioſi? ſi pares, cur ita deſides, ita negligen- C tes? nihil vos prophetarum voces, nihil evangelii leges, nihil apoſtolorum exempla, nihil pietas, nihil religio, nihil eccleſiæ labentis ſtatus, nihil hic formidoloſus judicii dies, nihil *præmia*, *nihil ſupplicia*, æternique cruciatus moverunt? Has horribiles irati judicis voces nobiſcum, patres, animo menteque reputemus, ut iis, atque adeo aliis excitati in hac ſacroſancta tam gravium rerum tractatione non remiſſe, non leniter, non timide, non negligenter, non diſſimulanter, ſed ſincere, & conſtanti ſanctaque ſolicitudine, Deum ſolum ſpectantes, quod in noſtro officio noſtroque munere poſitum eſt agamus & perficiamus, duce Spiritu ſancto, omnium actionum, & conſilio- D rum moderatore. Cui gloria ſit & honos ſempiternis ætatum ſæculis. Amen.

## IN NOMINE
## S. ET INDIVIDUÆ TRINITATIS;
### PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

*Nos Carolus Borromæus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolani, [illegible] ac conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum patrum, coepiſcoporum noſtrorum, in provinciali noſtro concilio Mediolanenſi ſecundo, hæc, quæ ſequuntur, conſtituimus ac decernimus.* E

## TITULUS I.
### QUÆ AD FIDEM TUENDAM, *ſacramenta miniſtranda, & alia paſtoralia munera pertinent.*

*Decretum I.*

Episcopus, edicto quotannis publice propoſito, omnes & ſingulos ſuæ diœceſis homines, etiam quavis dignitate, gradu, honoreve præditos, moneat, eiſdemque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac pœna excommunicationis latæ ſententiæ propoſita, jubeat, ut ſi eorum quiſpiam jam ſcit cujuſvis ſectæ hæreticos homines, eove nomine ſuſpectos, aut infames, aut quovis modo a fide catholica aberrantes, aut qui verba hæreticalia protulerint, aut qui hæreticorum libros, ſcriptave, quæ quovis modo auctoritate ſedis apoſtolicæ prohibita ſunt, legunt, vel apud ſe habent, decem ad ſummum diebus poſt edicti promulgationem, ſi vero in poſterum ſciet, decem diebus, poſtquam id norit, illos omnes & ſingulos, vel ipſi epiſcopo, vel hæreticæ pravitatis inquiſitori denuntiet.

Parochis autem ſuis jubeat, ut edictum ejuſmodi in ſingulos annos ſemel quadrageſimæ initio, iterum ineunte domini adventu, publice in ſua quiſque parochia, cum in miſſa frequentior populus adeſt, de ſcripto ipſi pronuntient & promulgent.

*Decretum II.*

Quo ſtudioſius parochi in eam curam, quæ conſtitutione de fidei initiis, a parocho tradendis, ſuperiori concilio præſcripta eſt, incumbant; id etiam curet epiſcopus, ut in ſingulis diœceſis ſuæ opidis & vicis doctrinæ Chriſtianæ ſodalitas inſtituatur, quæ in eo munere ipſos parochos adjuvet. Cujus rei cauſa libellus, quem unuſquiſque epiſcopus in ſuæ diœceſis ſcholis, eo nomine inſtitutis, adhibere poterit, juſſu noſtro edetur. Quibus autem locis ſodalitas ejuſmodi inſtitui non poterit, in iis duo treſve homines ſaltem deligantur, auctoritate graviores; qui pro Chriſtiana pietate id ſolicitudinis ſuſcipiant, ut pueros adoleſcenteſve ad parochum inducant, a quo in eccleſia illi fidei rudimentis imbuantur.

*Decretum III.*

Ut deteſtabile blaſphemiæ ſcelus quam diligentiſſime fieri poteſt, tollatur; præter ea quæ ſuperiori concilio provinciali ſancita ſunt, id epiſcopi ſtudeant, ut in ſua quiſque urbe & diœceſi, hominum, qui zelo religionis accenſi ſint, ſodalitatem Dei nomine inſtituant, præſcriptis eidem ſodalitati regulis una cum indulgentiis in bulla expreſſis, quam felicis recordationis Pius quartus ejus rei cauſa confecit. Idibus Ja[illegible]

*Decretum IV.*

Quæ de quavis ſcientia problemata, vel axiomata, vel alia quævis ejus generis publice exercendi ingenii cauſa, aliave ratione proponi ſolent, curet epiſcopus ne in poſterum antea proponantur, quam ab ipſo, aut ab iis, quos huic rei præfecerit, cognitum ſit, nihil in iis ſubeſſe, quod doctrinæ fidei, & pietati Chriſtianæ repugnet.

*Decretum V.*

Summorum pontificum bullas, quæ quotannis de quavis cauſa ab illis eduntur, epiſcopus duobus ſaltem poſt menſibus, quam illas Romæ editas cognoverit, in ſua diœceſi eas potiſſimum promulgandas curet, quas promulgari in iis ipſis juſſum erit; tum illas item, quas ad eccle- A ſiæ ſuæ gubernationem pertinere aliqua ratione poſſe judicabit. Quarum omnium bullarum librum confici, & in epiſcopali archivo aſſervari jubeat. Metropolitani autem cura ſit, eas omnes, cum primum acceperit, & ad ſingulos provinciæ epiſcopos mittere.



*Decretum VI.*

Epiſcopus, cum ad viſitationis munus ſacerdotes idoneos adhibere poteſt, ne aliis inferioris ordinis clericis utatur.

*Decretum VII.*

Quo magis fideles ad rerum divinarum cultum excitentur, epiſcopus non in ſacramentorum ſolum adminiſtratione, verum etiam cum conſecrationis, quæ cuiquam eccleſiæ, altarive adhibetur, vel benedicendæ campanæ, vel velandæ monialis, vel alterius cujuſvis rei conſecrandæ munus in conſpectu populi aggreditur, illius myſterii, quod tractat, vim & rationem pie explicet.

*Decretum VIII.*

Quæ eccleſiæ vel cathedrales vel collegiatæ peculiarem parochiam habent, neque ejus parochiæ curatio ad certas perſonas ex officio pertinet, in iis curet epiſcopus, ut quibus ea ipſa cura committetur, certum ſtipendium aut emolumentum ad eorum vitam honeſte ſuſtentandam, ipſius epiſcopi arbitrio, a capitulo, vel ab iis ad quos ſpectat, attribuatur.

*Decretum IX.*

Cui in eccleſia cathedrali id muneris datum eſt, ut oleum, aut chriſma ſacrum plebanis, aliiſve diſtribuat; is in librum, eo nomine confectum, illarum eccleſiarum nomina referat, quibus dederit. Pari ratione præpoſiti, plebanive, in libro notent eas eccleſias parochiales, quibus ſingulis annis ſacra olea di- D ſtribuerint.

Ii vero omnes ne illa aliis deferenda dent, niſi iis, qui ſacris ordinibus initiati ſunt. Hoc ipſum etiam ſervetur, cum parochus ad ſacrum oleum ægris miniſtrandum accedit, ut ipſe ſcilicet, non laicus homo, illud in itinere deferat.

*Decretum X.*

Cum id noſtra ſuperiori provinciali ſynodo de compatribus præſcriptum ſit, ut illi tales deligantur, qui ſuſcepti muneris partes explere poſſint; id autem iſti præſtare non queant, ſi ne rudimenta quidem fidei norint: idcirco E ea cura ſit parochis, ut quos compatres ita imperitos noverint, ut ſymbolum fidei, ſive ea quæ in ſymbolo continentur, ignorent, illos eo officio ſuſcipiendi de baptiſmo infantes, fungi ne patiantur.

*Decretum XI.*

Quod ſuperioris concilii provincialis decreto de duabus euchariſtiæ particulis ad ægrum deferendis conſtitutum eſt, id quoniam non ſine difficultate ubique & ſemper obſervari poteſt; ideo ubi epiſcopi judicio, vel loci diſtantia, vel itineris temporiſve difficultas, vel alia cauſa impedit, quo minus illud præſtari poſſit, tum licebit ſacerdoti eam ſanctiſſimæ euchariſtiæ particulam ſolum deferre, quam æger percepturus eſt; ita tamen ut cum inde parochus redit, non ſuperpelliceo, non ſtola indutus ſit, neque tintinnabulum pulſetur, neque umbella adhibeatur, extinctis etiam luminibus, non palam vaſculum deferatur.

*Decretum XII.*

Parochi paſchæ tempore, ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum iis tantum miniſtrent, qui B non modo tunc in parochiæ ſuæ finibus habitant, verum etiam majorem anni partem, aut ſex ſaltem menſes in ea habitarint: niſi ſint qui paucioribus ante diebus menſibuſve illuc habitatum venerint eo animo, ut in ea domicilium habeant; niſi item qui ab epiſcopo, propriove parocho facultatem ſcripto conceſſam exhibuerint alio loco communicandi; tum præterea niſi peregrini ſint & advenæ homines, idque in parochia aliqua diœceſis; quod ſi in urbe, tum in cathedrali eccleſia euchariſtiæ ſacramentum ii perceperint. Horum autem peregrinorum & advenarum, euchariſtiæ ſacramentum percipientium, nomina, cognomina, originis ſeu domicilii locus uno in libro fideliter C aſſervando a parocho ante omnia annotentur. Quare ſingulis diebus, cum in paſcha reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti ſacramentum euchariſtiæ adminiſtrabunt, ante quam illud cuiquam præbeant, ad populum converſi, denuntient, ne ſi quis eorum, qui adſunt, parochiæ ſuæ incola non eſt, ad ſuam quiſque parochialem eccleſiam abeat, ubi quemadmodum canonum ſanctionibus juſſum eſt, eo tempore ſacram euchariſtiam ſumat.

Parochi vero urbani admoneant atque hortentur crebro eos qui rus ire ſæpius ſolent, ut feſtis diebus illis ſolennibus, nempe die natali domini, in quadrageſima & hebdomada ſancta potiſſimum, paſchæ tempore, aſcenſionis domi- D ni die, in celebritate corporis domini, die pentecoſtes, ruri non habitent, ſed in urbe, atque in frequentioribus opidis; ubi a ruſticatione feriati, ſacris & divinis officiis interſint; de verbo Dei conciones audiant; ceteraque Chriſtianæ pietatis munera præſtent: quæ ab unoquoque Chriſtiano homine debita ſolennes & ſtati illi dies maxime requirunt.

*Decretum XIII.*

Qui paſchæ tempore euchariſtiæ ſacramentum non ſumpſerint, ſi poſtquam ter aut E unica monitione, quæ una pro tribus ſatis ſit, etiam generatim moniti, in contumacia perſeverarint: jubeat epiſcopus, eos ipſos eccleſiæ ingreſſu & eccleſiaſtica ſepultura interdictos, in propria parochiali eccleſia denuntiari; tum eorum nomina deſcripta ad cathedralis & parochialis eccleſiæ valvas affigi: ſi vero in contumacia perſeverarint, in eos præterea, prout juris eſt, animadvertat.

*Decretum XIV.*

Epiſcopus de vita & moribus mendicorum vagantium diligenter inquirat; iiſque aliqua ratione curet omnino, ut ſacro paſchæ tempore illi communicent.

De-

ANNO CHRISTI 1569.

*Decretum XV.*

Parochus cum vel ſacroſanctam euchariſtiam, vel extremæ unctionis ſanctum oleum ad ægrum defert, in via ſeptem pſalmos ex animo pieque dicat, vel alias religioſas preces.

*Decretum XVI.*

Oratio, quæ quadraginta horarum dicitur, ne ulla in eccleſia extra ordinem conſtituatur, ſine epiſcopi conceſſu. Iſque eam ita ſancte geri curet, ut pii illius inſtituti ratio exigit.

*Decretum XVII.*

8. Martii 1566. Quod ſummus pontifex Pius V. propoſitis excommunicationis, aliiſque pœnis juſſit, medicos ab ægrotantis curatione poſt triduum abſtinere, niſi eo tridui ſpatio, de peccatis ſuis confeſſus ille ſit; id epiſcopus curet quam diligentiſſime obſervari. Rationemque præterea aliquam ſtatuat, qua medicis ipſis facilius exploratum eſſe poſſit, ægrum peccata ſua vere confeſſum eſſe.

*Decretum XVIII.*

Cap. finali de Uſuris in 6. Ne parochi uſurarium manifeſtum, ut Gregorii X. conſtitutione ſancitum eſt, etiamſi in teſtamento, aliave quadam ultima voluntate ipſe mandarit ea reſtitui quæcumque uſuræ nomine acceperit, in ſepulturam eccleſiaſticam tradant, niſi pro eorum facultatibus, re ipſa illis ſatisfactum ſit a quibus uſuras exegerit; aut ſi ii abſint, epiſcopo, vicariove ejus, vel parocho, [illegible] fines ille dum vixerit habitavit, vel [illegible] conſtitutione cautum ſit pignoribus, aut idonea [illegible]ſione facta.

Qui vero parochus id generis hominem ſciens ſepelierit, is noverit ſe excommunicationis pœna affectum eſſe ex Clementis quinti conſtitutione in concilio Viennenſi edita. Clement. eos qui de ſepulturis.

*Decretum XIX.*

Superioris provincialis concilii conſtitutione, eſſi contractus depoſiti, ex quibus aliquid ultra ſortem percipitur, tum rei venditionis, quæ modico precio fit, adhibita redimendi pactione, tum alios præterea quoſdam contractus, ex ſacrorum canonum jure, & probatorum patrum ſententiis, tamquam manifeſte uſurarios improbavimus; tamen quoniam ſæpe, ficto meri depoſiti & liberæ emptionis nomine, quaſi liciti contractus ſpecie uſuræ occultantur, idcirco & cum eis qui ejuſmodi contractuum aliorumve ſpecie qui vetiti ſunt uſuram commiſerint, & cum notariis qui ſcientes rogati conſcripſerint, prout juris eſt, agatur.

*Decretum XX.*

Quibus ob infirmam valetudinem, aut ob aliam juſtam cauſam permiſſum erit, quadrageſimæ diebus carne, aut aliis eo tempore vetitis cibis veſci, eos parochi pie illud admo[illegible]ant, ne publice, neve etiam cum domeſti[illegible] ſed ſeparatim in remotiori ædium loco, ejus[illegible] cibum capiant, ut ob corporis imbecill[illegible], aut morbum potius, quo laborant, quam ob ingluviem facere cognoſcantur.

*Decretum XXI.*

Quo diligentius ſtudeant, qui excommunicationis pœna affecti ſunt, in ſanctæ matris eccleſiæ gremium reſtitui, ac ne alii eorumdem commercio conſuetudineve per imprudentiam utantur, nos veterum canonum auctoritatem ſecuti id jubemus, ut epiſcopus, cum excommunicationis ſententiam contra aliquem tulerit, eumque excommunicatum palam denuntiari juſſerit, ejus nomen & cognomentum ad cathedralis & propriæ parochialis eccleſiæ valvas affigi; tum deſcriptum mitti curet parochis & urbanis & diœceſanis, qui primo ſaltem cujuſque menſis dominico die illum populo excommunicatum denuntient: neque hoc agere deſiſtant, quoad ipſis epiſcopus ſignificarit eumdem matri eccleſiæ reconciliatum eſſe. Quod ſi tres menſes is excommunicationis vinculo irretitus permanſerit, illius nomen & cognomen epiſcopus tum reliquis hujus provinciæ epiſcopis, tum illis præterea denuntiet ac ſignificet, quorum diœceſes ſibi finitimæ ſunt. Cum autem ille ipſe ad matris eccleſiæ gremium redierit, quibus antea illum excommunicatum epiſcopus denuntiaverat, iis eumdem abſolutum quamprimum ſignificet. Quod ſi quis per annum in excommunicatione permanſerit, ad epiſcopum parochus eum deferat, ut contra illum agatur, quemadmodum & canonum jure, & ſummorum pontificum ſanctionibus decretum eſt.

*Decretum XXII.*

Jubeat epiſcopus, ut dominico illo die, qui [illegible] jejunii tempora, quibus ordi[illegible] proxime antecedit, parochi non ſolum ſolenne illud jejunium hujus rei cauſa inſtitutum denuntient, verum etiam in ſua unuſquiſque eorum parochiali eccleſia ſupplicationes litaniaſque pie ac religioſe vel intus habeat, vel proſequente fidelium multitudine, foris eccleſiam, ſicut moris eſt, obeat: ut Dei, ſanctorumque ope implorata, tum epiſcopus in eorum delectu, quibus ordines conferet, Spiritus ſancti lumine illuſtretur; tum illi, quibus conferuntur, in vitæ ſanctitate, doctrina, religioſiſque virtutibus proficiant.

*Decretum XXIII.*

Ut quod ſummus pontifex Pius quintus in explicatione decreti Tridentini, quod eſt ſeſſione VII. cap. 2. con[illegible]uit, executionem habeat; epiſcopus ne [illegible]icum illum regularem, neque ſæcularem, qui regularium more in communi vitæ diſciplina ſit, beneficiumque eccleſiaſticum non habeat, ordinibus ſacris adſcribat, niſi a ſuperiore fidem ille attulerit, ſe religionis, cui adſcriptus eſt, profeſſionem feciſſe; juratuſque affirmet, ſcripto manu ſua ſubſignato, coram epiſcopo ſe id ſponte feciſſe, aut ratum habuiſſe. Illud autem ſcriptum in archivo aſſervandum epiſcopus curet.

*Decretum XXIV.*

Quicumque aliquem eccleſiaſticum ordinem ſuſcipit, is, ut Tridentino concilio juſſum eſt, certæ eccleſiæ adſcribatur, in qua functiones, quas ei epiſcopus præſcripſerit, obeat: nec vero alius eidem ordo ante conferatur, quam ipſi epiſcopo fidem teſtimoniumque ille attulerit, ſe in eccleſia, cui adſcriptus eſt, præſtitiſſe præſcriptas ſibi functiones. Si vero aliqua de cauſa eodem tempore ex ſacrorum canonum permiſſu, plures ordines minores clerico epiſcopus contulerit; eidem præſcribat arbitratu ſuo functiones, ad unumquemque minorem ordinem, quem ille ſuſceperit, pertinentes.



ANNO CHRISTI 1569.

*Decretum XXV.*

Illud maxime epiſcopus interdicat, ne animarum curatores, qui in hæreticorum finibus vel in locis finitimis habitant, ubi unicuique liberum eſt publice & impune hæreticorum more vivere, matrimonii, quod inter parochiæ ſuæ & illorum locorum incolas contrahendum eſt, ſecundam denuntiationem faciant, neque eos matrimonio conjungant, aut denuntiationum, quæ matrimonio celebrando factæ erunt, fidem ac teſtimonium ad ea ipſa loca, ubi illud ineundum eſt, mittant; niſi prius ejus, qui in locis hæreticorum, aut hæreſis nomine ſuſpectis habitat, nomen & cognomen epiſcopo denuntiarint, ab eoque impetrarint facultatem, alias denuntiationes faciendi, matrimoniique celebrandi, vel fidem denuntiationum illuc mittendi, quæ eo nomine factæ ſunt. Quam facultatem epiſcopus ne det, niſi prius de fide catholica illius hominis cognoverit, qui ea loca incolit, aut niſi item ſibi omnino exploratum ſit, matrimonium ejuſmodi non contrahi cum hæreticis.

*Decretum XXVI.*

Seſſ. 24. c. 7. Tridentina conſtitutio de matrimoniis, quæ cum vagabundis hominibus iniri quandoque ſolent, ſervetur a parochis vel diligentiſſime.

Nec vero ipſis parochis facultatem, ut illos vagos homines matrimonio jungant, epiſcopus ante det, quam norit, eos & ſolutos eſſe, & a catholica communione non alienos. Matrimonii denuntiationes a parochis tum demum fiant, cum vir & mulier, eorumve parentes, vel ii qui puellæ curam habent, id poſtularint; ſique ambo diverſis in parochiis habitant, tum in unius & alterius item parochia item fiant. Eas autem denuntiationes ne ulla quidem ex parte remittere eis liceat, niſi proprii epiſcopi conceſſu, idque cauſis jure permiſſis. Caveant autem parochi, ne alienæ parochiæ ſponſum, ſponſamve ante matrimonio jungant, quam teſtimonium ab illius, qui intra parochiæ ſuæ fines non habitat, parocho, ſi ejuſdem, vel finitimæ, aut non nimis longinquæ diœceſis ille ſit, ſcriptum acceperit; cujus teſtimonii fide ſibi teſtatum fiat, ex Tridentini concilii præſcripto denuntiationes, quæ neceſſariæ ſunt, aut ordinarii ſui voluntate omiſſas eſſe, aut factas quidem, nullumque legitimum impedimentum ab ullo homine ſignificatum, quo minus tale matrimonium contrahi liceat. Illud vero teſtimonium ſi a parocho alienæ diœceſis fiet, ab ordinario loci, aut ab eo cui hoc ille delegarit, ſubſcriptione ac ſigillo comprobatum ſit.

*Decretum XXVII.*

Qui ſponſalitia contraxerint, ſi una ante coierint quam coram parocho & teſtibus matrimonium inter eos celebratum ſit, illius peccati, quoniam in eo ſæpe delinquitur, abſolutionem epiſcopo reſervatam eſſe volumus, gravemque illius pœnitentiam imponi.

*Decretum XXVIII.*

Ne parochus ullo alio loco, quam in eccleſia ipſa, quæ ſacramentorum proprius locus eſt, ſponſos matrimonio jungat, niſi ex facultate ab epiſcopo permiſſa.

Sponſi autem, cum in eccleſiam conveniunt, vel ad matrimonium contrahendum, vel accipiendam benedictionem, ne parochus ulla cujuſvis generis muſica inſtrumenta afferri patiatur. Quod ſi ab ipſo moniti id facere contempſerint, tamdiu eis matrimonii celebrationem aut benedictionem differat, quoad ſancte, uti debent, ob id ad eccleſiam acceſſerint.

*Decretum XXIX.*

Concubinarii legitime admoniti, ſi concubinas non ejecerint, abduxerintque ſe omnino ab earum conſuetudine, contra eos epiſcopus etiam Tridentini concilii auctoritate & excommunicatione, tum aliis præterea pœnis, ſevere agat. Seſſ. 24. c. 8.

## TITULUS II.

*QUÆ AD [illegible] DIVINA OFFICIA, eccleſiæ cultum, & ad eccleſiaſticos ſpectant.*

*Decretum I.*

QUOD patrum decretis & Tridentino concilio ſancitum eſt, ut ne alienæ diœceſis clerici abſque commendatitiis literis ab ullo epiſcopo recipiantur, quo facilius illud executionem habeat; parochus quiſpiam, ubi primum cognoverit in parochia ſua eccleſiaſticum hominem alienæ diœceſis vel domicilium conſtituiſſe, vel apud aliquem divertiſſe, vel in caupona hoſpitio exceptum eſſe ut aliquot dies commoretur, quam citiſſime poterit, octo ad ſummum dierum ſpatio, ejus nomen & patriam, ſi in urbe eſt, epiſcopo, ejuſve vicario; ſin autem in diœceſi, foraneo vicario illius regionis denuntiet. Eorum autem cujoſque cura ſit, illum ad ſe accerſere, mandareque literas commendatitias ſibi ab eodem oſtendi; quas tamen vicarius foraneus non comprobabit, niſi conſulto epiſcopo. In iis aut comprobandis ea ſerventur, quæ ſuperiori item provinciali ſynodo hoc de genere conſtituta ſunt. Seſſ. 23. c. 16.

*Decretum II.*

Quæ miſſas celebrandi facultas ſexto quoque menſe ex ſuperioris concilii decreto renovanda, ea vel longiori temporis ſpatio arbitratu epiſcopi concedi, vel ſemel conceſſa, prorogari poſſit.

*Decretum III.*

Ne in monialium eccleſiis, ac ne in iis quidem quæ epiſcopi curæ ſubjectæ non ſunt, ſæculari

ANNO CHRISTI 1569.

lari cuiquam ſacerdoti, etiamſi ubique celebrandi facultas generatim, niſi a ſede apoſtolica ei data eſſet, miſſæ ſacrum facere liceat, præterquam cui nominatim id ab epiſcopo conceſſum eſt. Qui contra admiſerit, a miſſæ celebratione ſuſpenſus ſit ejuſdem arbitratu.

*Decretum IV.*

Eccleſiaſtica dignitate, aut canonicatu præditus, ſi in eccleſia, ubi eam eumve obtinet, miſſas conventuales pro ratione ipſius aut dignitatis, aut canonicatus ad epiſcopi, ex Tridentini concilii auctoritate, præſcriptum celebrare contempſerit, vel neglexerit; non ſolum tridui diſtributionibus, ut ſuperiori ſynodo provinciali ſancitum eſt, mulctetur, verum etiam ab ordinis ſui munere ſuſpendatur ipſius epiſcopi arbitratu.

*Decretum V.*

Qui eccleſiaſticum beneficium obtinet, cui id oneris injunctum eſt, ut rector vel toto anno, vel certis diebus miſſam celebret; is ſingulis menſibus ſaltem ſemel miſſam, quæ de defunctis dicitur, pro illis mortuis celebret, qui vel illud dotarint; idque, niſi ſæpius pro mortuis celebrare debet, vel ex inſtitutione, vel ex alia oneris ſibi injuncti ratione.

*Decretum VI.*

Cum corpus Jeſu Chriſti domini ſuſtollendum eſt in miſſa conventuali, & in ea item miſſa, quæ in unaquaque parochiali eccleſia a parocho celebratur, tum ſignum ſono campanæ detur, cujus ſoni ſignificatione fideles, qui in eccleſia miſſæ ſacrificio tunc non interſunt, admoniti, ad tanti tamque magni myſterii ac beneficii recordationem animum excitantes, mente ſupplici religioſas preces pie adhibeant.

*Decretum VII.*

Quæ proceſſiones poſt ſolennem illam, quæ (D) mane in celebratione corporis domini fit, vel eodem die, vel reliquis ſequentibus ſeptem diebus obiri ſolent, eæ ne fiant, niſi quibus eccleſiis epiſcopus conceſſerit, iiſque facultatem tantum det, ut mane, non a prandio habeantur, niſi temporis injuria impediret quo minus mane obiri poſſent.

*Decretum VIII.*

Cum primum metropolitani literis concilii provincialis celebrandi dies epiſcopis ſignificata erit, illud ipſi curent, ut in omnibus & urbis & diœceſis ſuæ parochialibus eccleſiis, quinta quaque feria, in ſingulas hebdomadas, quo- (E) ad illud de more abſolutum ac dimiſſum erit, miſſa de Spiritu ſancto celebretur; in cathedrali autem, & collegiatis eccleſiis proceſſionum præter ea munus ſingulis diebus dominicis obeatur: ex animoque preces fiant pro optimo ipſius concilii eventu. Hoc idem plane ſervetur, ubi a proprio epiſcopo diœceſanæ ſynodi celebrandæ dies indicta erit.

*Decretum IX.*

Clericus cum in aliquam eccleſiam vel ad pro- (A) ceſſiones, vel ad ſtationes obeundas, vel ad funus convenerit, illud meminerit, ſe eſſe in domo Dei ſancta, quæ domus eſt orationis. Quare nullus cujuſvis ordinis clericus aut ſacerdos in eccleſia deambulet: nec in confabulationibus & congreſſibus, eo loco indignis, verſetur: ſed unuſquiſque aut ſolus, aut comitibus ſociiſque aliis adjunctis, religioſas preces Deo in cauſa adhibeat, quamobrem clerus univerſus convocatus eſt.

Cum autem ſtatio celebratur, ne ullus interim clericus extra eccleſiam maneat, ſed omnes intus ſint, omnique pietatis conſenſione Deo ſtatutas illas preces canant.

(B) *Decretum X.*

Sexta quaque feria, in ſingulas hebdomadas, paulo ante horam nonam, ſignum in unaquaque eccleſia, campanæ ſono detur, quo fideles admoniti eadem hora Jeſu Chriſti domini paſſionem omni intima mentis pietate recolant; terque orationem dominicam, & ſalutationem angelicam ex animo pronuntiantes, quadraginta dierum indulgentiam, quam in ſua quiſque epiſcopus diœceſi concedet, conſequantur.

*Decretum XI.*

(C) Epiſcopi curent, in ſua quiſque diœceſi, ut officia divina, quæ ſingulis canonicis horis præſtari debent, & publice in eccleſia, & privatim a ſingulis ſacerdotibus cleriſve inferioris ordinis, qui illa obire debent, celebrentur & peragantur ad præſcriptam breviarii Romani nuper editi rationem: niſi tamen eccleſiæ cjuſmodi ſint in quibus ex veteri conſuetudine, ut ſummi pontificis Pii quinti literis, eo nomine confectis, cautum eſt, alius ritus aliaque ratio adhibeatur. Si vero ſecus a quibuſdam factum erit, cum illi, ut eiſdem ſummi pontificis literis nominatim ſancitum eſt, horarum canonicarum officio, quod debent, non ſatisfacient; eos ipſos epiſcopi pœnis iis mulctent, quæ Lateranenſi concilio a Leone X. & provinciali ſynodo ſuperiori contra clericos conſtitutæ ſunt, qui canonicarum horarum officium intermittunt.

7. Iul. 1568. — Seſſ. 9.

*Decretum XII.*

In unaquaque plebe epiſcopus duos, unumve ſaltem ſacerdotem, eccleſiaſticorum rituum uſu peritum, conſtituere curet, qui alios ſacerdotes & clericos cæremoniarum, quæ in miſſa, & in divinis officiis rite obeundis requiruntur, diſciplina inſtruant diligenter. Qua in re libellus de miſſæ cæremoniis adhibeatur, qui noſtra cura conſcriptus in lucem prodibit.

*Decretum XIII.*

In ſingulas hebdomadas canonici cujuſvis eccleſiæ capitulum habeant; in quo cum quæratur, an ſuperioris concilii decreta de divinorum officiorum ratione ſerventur; an ſi qui item errores in ſacrarum cæremoniarum ritu commiſſi ſint; tum legatur pars aliqua earum rerum, quæ de vita & honeſtate clericorum noſtris conſtitutionibus præſcriptæ ſunt, vel illarum, quæ catechiſmo Romano, aut aliis item libris expreſſæ ad Chriſtianæ pietatis doctrinam, vitæque eccleſiaſticæ diſciplinam & rationem per-



ANNO CHRISTI 1569.

pertinent: tum etiam in aliis ſpiritualis vitæ (A) exercitationibus ipſi verſentur: idque omne prout epiſcopo, capitulive præfecto viſum erit. Quo in capitulo ne quidquam aliud quod ad rerum temporalium curam, ac procurationem pertineat, prius agatur geraturve, quam ea tractationis ratio habeatur, quæ tota in rebus ſpiritualibus poſita ſit.

*Decretum XIV.*

Canonici mortui funus, ejuſve, qui ejuſdem eccleſiæ, in eave, dignitatem obtinebat, capituli ſumptibus a reliquis canonicis fiat; tum pro ejus animæ ſalute miſſa conventualis celebretur; & unuſquiſque item canonicus, mini- (B) ſterve ejuſdem eccleſiæ, qui ſacerdos ſit, miſſam itidem pro eo celebret.

*Decretum XV.*

Parochum urbanum ægrotantem & is qui vicinior eſt parochus, & cleri in illa regione, ubi æger eſt, præfectus; diœceſanum vero itidem & vicinior parochus, & plebanus, vel archipresbyter, vel præpoſitus, in cujus plebaniæ, aut archipresbyteratus, præpoſituræve finibus ægrotus habitat, ſtatim inviſant; cum ejus ægritudinem, morbumve acceperint; tum poſt crebro ad eumdem veniant: illaque omnia officia præſtent, quæ ad animæ ſalutem ei tum (C) maxime neceſſaria ſunt, ſacram euchariſtiam, &, cum opus erit, ſacrum extremæ unctionis oleum idem parochus vicinior eidem miniſtret; & illius morientis animam Deo religioſis precibus commendet. Ejus mortui funus univerſi illius regionis, in qua ille habitarat, præpoſituræve, plebanatus, aut archipresbyteratus parochi obeant; niſi foraneus illius regionis vicarius minorem numerum ſtatuendum cenſuerit.

Primo item poſt ejus obitum die, eorum unuſquiſque pro ipſius animæ ſalute miſſæ ſacrificium faciat. Quod ſi eo die pro mortuis fieri ex eccleſiæ inſtituto vetitum ſit; alio proximo die, quo interdictum non ſit, omnino fiat. (D)

Decem præterea ad ſummum dierum ſpatio omnes in eccleſiam conveniant, quæ eis a clericorum regionis præfecto, aut vicario foraneo præſcribetur. Qua in eccleſia pro mortuo rectore miſſam conventualem ſolenni ritu celebrent: tum ſupplicationibus & precibus Deum pie ſancteque orent, ut orbato gregi rectorem dare velit juxta cor ſuum.

Quicumque vero ejuſmodi pietatis officia præſtiterint, eorum nomine cauſave nihil neque exigant nec petant.

Is vero cui vacantis ipſius parochialis eccleſiæ adminiſtratio commiſſa eſt, fideles illius parochiæ incolas ſæpe hortetur, ut omni intima animi pietate a Deo rectorem precentur, qui illius ec- (E) cleſiæ curationem gerere recte poſſit.

*Decretum XVI.*

Candelæ, cerei, & quæ intortitia vocantur, in mortui funere adhibita, ſuperioris concilii decreto ſacriſtiæ illius eccleſiæ addicta, in qua funus ſit, aut mortui corpus in ſepulturam traditum eſt, ſi qua in miſſarum celebratione, & reliquis divinis ejuſdem eccleſiæ officiis ſupererunt, ea omnia vel ipſius eccleſiæ rectori, vel iis ad quos ante illius decreti promulgationem ejuſmodi candelæ, cereique pertinebant, in alium ejuſdem eccleſiæ uſum, vel ad ſuæ etiam vitæ ſuſtentationem, arbitratu ſuo, convertere liceat.

*Decretum XVII.*

Quæ ſuperiori provinciali ſynodo decreta ſunt ad tollendos rectorum eccleſiarum in exequiis & funere pactiones, & exactiones illicitas, aut quæ ſimoniacæ labis, vel ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem afferrent; ea a pleriſque in eam partem accipi animadvertimus, ut occaſione inde ſumpta, eccleſiæ, non ſervato piarum conſuetudinum uſu, debitis eleemoſynis defraudentur. Quare epiſcopus habita & locorum & perſonarum ratione in funeribus, & exequiis, quæ pia inſtituta & conſuetudines laudabiles ſibi videbuntur, arbitratu ſuo ſervari jubeat ſacrorum canonum auctoritate; contumaceſque compellat omni juris remedio.

*Decretum XVIII.*

Cum Chriſtianæ pietatis rationi illud alienum ſit, ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modo religionem non excitant, ſed per ea intuentium mentes facile incidunt in fœdas turpeſque cogitationes; propterea, ne quis ad illa ornanda periſtromatis aulæiſque utatur, quæ obſcœnis figuris intexta ſint; neque item pictas imagines, & ſigna adhibeat, quæ vel Ethnicorum hominum, vel aliarum rerum, loci ſanctitati repugnantium, formam ac ſpeciem præ ſe ferant: in omni præterea publicarum ſupplicationum, proceſſionumve apparatu, quæ obſcœnarum rerum ſpeciem oſtendunt, ea ne adhibeantur.

*Decretum XIX.*

Quæ pallia, aliaque ſacra indumenta, altarium uſui ac ornatui addicta ſunt ea, ad ſedis epiſcopi, alteriuſve hominis eccleſiaſtici, vel laici quavis dignitate præditi apparatum, aut ad funeris exequiarumve pompam, aut aliarum rerum, quæ profanæ ſint, uſum, ſive ornamentum ne adhibeantur.

*Decretum XX.*

Quæ veſtes & ornamenta cujuſvis generis, ad uſum ſacrum comparata, & eccleſiæ inſtituto benedici debent, ea in miſſæ ſacrificio, ceteriſque divinis officiis ne prius adhibeantur, quam ſolennibus precibus ab epiſcopo, vel ab alio, qui auctoritatem habeat, benedicta ſint.

*Decretum XXI.*

Libri ſacri veteris & novi teſtamenti, volumina item ſanctorum patrum noſtræ fidei interpretum, tum ſcripta etiam eccleſiaſtica, quibus & res & verba divina conſignata ſunt, etſi temporis vetuſtate omnino conſumpta, ad rerum tamen vilium ac ſordidarum uſum ne ullo pacto convertantur, ſed in ignem potius conjiciantur.

*Decretum XXII.*

Illud curet epiſcopus, ut ne laicorum hominum ædes in poſterum ædificentur, quæ eccle-

ANNO CHRISTI 1569.

eccleſiarum parietes ulla ex parte attingant. Si quæ vero feneſtræ, ſive eccleſiaſticarum, ſive laicarum ædium in ipſis eccleſiarum parietibus inſunt, unde in eccleſias conſpectus ſit, efficiant ut duobus ſaltem poſt hujus concilii promulgationem menſibus obſtruantur.

*Decretum XXIII.*

Ne in eccleſia laici homines de rebus profanis, aut de iis quæ ad ipſam eccleſiam non pertinent, congregationes, concilia, vel quæ parlamenta publica dicunt, habeant.

Cap. 2. de immun. eccleſ. in 6. kal. Apr. 1566.

Quæ vero Lugdunenſi conſilio olim a Gregorio decimo, & nuper a ſummo pontifice Pio V. ad tollenda in ipſis eccleſiis colloquia, congreſſus, deambulationes, & ad earum cultum ſancita ſunt; in iis præſtandis epiſcopus omnem vel maximam diligentiam adhibeat. Canonicos vero, eccleſiarumve rectores, & alios item, ad quos ſpectat, in munere, quod ad eam curam attinet, obeundo negligentes vel contumaces pœnis afficiat, quas illi eadem ſummi pontificis ſanctione ſubeunt.

Sique præterea in iis ipſis exequendis regulares negligentes eſſe animadverterit, illos ad ejuſdem ſummi pontificis in eadem bulla præſcriptum graviſſime corripiat.

*Decretum XXIV.*

Illud interdicat epiſcopus; ne in ullis eleemoſynarum oblationibus, quæ cuivis eccleſiæ fiunt, muſica inſtrumenta, organo excepto, in eccleſia adhibeantur; neve alia fiant vel gerantur, quæ domo *Dei indigna ſint*.

*Ne item puellæ* eleemoſynas eccleſiarum, aut eccleſiaſticorum hominum nomine quæritent, id quod non ſine earum pudicitiæ diſcrimine quibuſdam in locis introductum erat.

*Decretum XXV.*

Epiſcopus ipſe, tertio quoque menſe ſaltem, niſi juſta cauſa impeditus ſit, ſeminarium viſitet; in eoque viſitationis munere, adhibitis etiam, ſi modo ei videbitur, aliis doctis & piis viris: tum de magiſtrorum diligentia, tum de progreſſibus, quos & in vitæ diſciplina, & in literarum ſtudiis ſeminarii clerus habuerit, accurate inquirat. Idem certas ſeminarii clericis conſtitutiones præſcribat; quas frequenti eorum conventu in ſingulos menſes legi curent; quo ſæpius repetitæ, illorumque mentibus impreſſæ, ſerventur diligentius.

*Decretum XXVI.*

Diaconi, ſubdiaconi, & reliqui clerici inferioris ordinis confeſſionem, & communionem frequentent, ut ſuperiori ſynodo provinciali præſcriptum eis eſt. Confiteantur autem iis tantum ſacerdotibus, quos ad audiendas eorum confeſſiones idoneos epiſcopus, & in urbe & in diœceſi comprobabit: dummodo talis ſit numerus ejuſmodi ſacerdotum, ut confiteri volentes delectum habeant inter illos. Sacræ vero euchariſtiæ communionem in propria parochia vel in alia eccleſia, quam epiſcopus ſtatuet, diebus feſtis percipient, idque in miſſa ſolemni, ſi modo eo loco eoque die celebrabitur.

Illius autem rei fidem tertio quoque menſe epiſcopo exhibebunt.

*Decretum XXVII.*

Superiori conſilio juſſum eſt, canonicos & alios clericos ſacris concionibus intereſſe, quod cum ab eiſdem non ita præſtetur ut debet, pœnis propoſitis id efficiendum cenſuimus, quod juſſu & cohortationibus fieri non potuit. Quare canonici cathedralium, tum collegiatarum etiam eccleſiarum, & reliqui præterea clerici, ſi tempore concilii ſuperioris conſtitutione præſcripto, non interfuerint ſacris concionibus, aut ad eas ſacrarum literarum interpretationes, lectioneſve non acceſſerint, quas ipſis epiſcopus præſcripſerit, mulctentur ejuſdem epiſcopi arbitratu.

*Decretum XXVIII.*

Curet epiſcopus, ut qui clerici certæ eccleſiæ miniſterio adſcripti non ſunt, ii dominicis feſtiſque ſingulis diebus in parochiali eccleſia, in cujus finibus eorum quiſque habitat, eccleſiaſticum beneficium obtinet quod reſidentiam non requirit, aut in ea, quæ epiſcopo videbitur, rectori operam, atque adjumentum navent ad divina officia celebranda.

Qui vero certis eccleſiis adſcripti ſunt, in ipſis diebus ad eas conveniant, & in iis functiones eas præſtent, quæ unicuique eorum ab epiſcopo præſcriptæ erunt. Si tamen iis diebus aliquando ad divina officia obeunda, ad funerave in alias eccleſias vocabuntur, eo illos accedere permittat epiſcopus.

Rector autem in cujus eccleſiam illi conveniunt, tertio quoque menſe epiſcopo referat, vel literis ſignificet, non ſolum an huic decreto ab illis obtemperetur; verum etiam an ea preſtentur, quæ ſuperiori provinciali conſilio illis præſcripta ſunt, tum de habitu, tum de tonſura clericali, tum de eorum vitæ conſuetudine.

*Decretum XXIX.*

Epiſcopus ſacerdotes aliquot vitæ integritate & ſcientia probatos in urbe deligat, a quibus clerici inferioris ordinis, ſæpe convocati, vitæ eccleſiaſticæ moribus inſtituantur. Eos autem ipſos clericos univerſos ſemel, atque iterum, ſaltem quotannis epiſcopus ad ſe item convenire jubeat, ut progreſſiones intelligat, quas quiſque eorum ad literarum cognitionem, tum ad vitæ ſpiritualis diſciplinam fecerit.

*Decretum XXX.*

Ut quæ de ſacerdotalibus conventibus, in diœceſi habendis, ſemel ſuperiori concilio præſcripta ſunt, ea, quoad ejus fieri poteſt, recte atque ordine gerantur, hæc eis addenda cenſuimus;

Ne ſacerdotum conventus feſtis iis diebus habeantur, quos coli eccleſiæ præcepto inſtitutum eſt; nec vero illis diebus, quorum præcipua celebritas in locis agitur, ubi is conventus iis ipſis diebus futurus eſſet. Parochus vero eccleſiæ, in qua ejuſmodi congregatio futura eſt, die dominico, qui illam proxime antecedit, ejus habendæ tempus populo ſignificet, eumque hortetur, ut illo ipſo die ad eccleſiam conveniat, tum ut orationum, quæ & pro vivis & pro



ANNO CHRISTI 1569.

pro mortuis ibi fient, particeps ſit, ac indulgentiam dierum quadraginta conſequatur, quam ab unoquoque epiſcopo in ſua diœceſi illis concedendam decernimus, qui divinis officiis, tunc celebrandis, intererunt; tum etiam ut ſacram concionem audiat, quæ eo tempore in miſſæ celebratione habebitur. Quæ vero quæſtionum explicationes ſingulis menſibus habitæ in iis ipſis conventibus erunt, & ſi quæ præterea quæſtiones in illis ipſis diſputationibus inciderint, quæ non ſatis tum explicatæ ſint, eas omnes, literis conſignatas, vicarii foranei quamprimum ad epiſcopum mittant: cujus judicio illæ, vel explicatæ, vel comprobatæ, in codicem, ejus rei nomine confectum, quem vicarius foraneus cuſtodiat, referantur. Ex eorum conventuum progreſſu ſi vicarii foranei animadverterent ſacerdotes quoſdam ad doctrinæ ſtudia, in quibus maxime verſari debent, deſidiam quamdam, vel negligentiam adhibere; eos ad epiſcopum deferant, cujus auctoritate illorum culpæ, ut opus erit, occurratur. Ut autem in iis ſtudiorum exercitationibus unuſquiſque ſacerdos majores progreſſus habere poſſit; in qua parochia quinque ſaltem ſacerdotes erunt, eos in ſingulas hebdomadas bis ad privatas inter ſe ſtudiorum diſceptationes parochus convocet, in quibus vel aliquam catechiſmi Romani lectionem tractent; vel quæſtiones aliquas de conſcientiæ caſibus explicent; vel hujus, ſuperiorisſve concilii provincialis, aut diœceſanæ ſynodi, quam eorum epiſcopus habuerit, partem aliquam ſtudioſe legant. Quod ſi ei parochiæ prope erit aliquod regularium monaſterium, ubi aliquis ſit ad ſacrarum literarum eccleſiaſticarumque rerum explicationem aptior, curent etiam illius opera atque ſtudio adjuvari.

Ad has privatas ſacerdotalis ſtudii exercitationes, clericos etiam, qui intra illius parochiæ fines habitant, adhibeant; ut eos rerum eccleſiaſticarum cognomine inſtructiores in eccleſiis habeant.

Quicumque vero huic privato conventui intereſſe recuſarit, eum parochus ad epiſcopum deferat, qui quo maximo poterit ſtudio, curet ut huic decreto obtemperetur.

*Decretum XXXI.*

Ut quod de mantelletti uſu alias provinciali ſynodo per nos decretum eſt executionem habeat, decernimus, ut ne quivis alii, niſi abbates, referendarii & protonotarii eo breviori utantur, quam tunica talaris interior ſit. Metropolitanæ autem noſtræ & aliarum hujus provinciæ cathedralium eccleſiarum canonicis, præpoſitis item & aliis clericis, eccleſiaſtica, aut doctoratus dignitate præditis, exterioris tunicæ, ſeu mantelli uſum concedimus, quod tamen interiorem tunicam talarem longitudine adæquet.

Reliquis autem clericis, qui hoc decreto nominatim expreſſi non ſunt, mantelletti & mantelli uſu interdicimus.

*Decretum XXXII.*

Clerici in eo officio ne ſe exerceant, ut ullas mulieres etiam quavis dignitate illuſtres, doceant legere, ſcribereve, aut canere, aliove cujuſvis generis muſico inſtrumento ſonare, niſi ii ſunt, quibus ætate, moribus & vita probatis, epiſcopi judicio id permiſſum eſt, facultate ab eodem ſcriptis data.

Ne libris item, de muſico cantu obſcœne vel parum pudice ſcriptis, illi utantur.

*Decretum XXXIII.*

Quoniam ſuperioris concilii conſtitutione vetitum eſt quo tempore vel ſacrorum, vel funeris, exequiarumve cauſa in unum clerici conveniunt, non plures ad menſam, quam ſex, eoſque clericos adhiberi; id cum multis locis facile praſtari non queat, propterea quod eccleſiæ ſæpe longius inter ſe diſtent, graveque ſit clericis, de itinere feſſis, mane ad eccleſiam ſuam reverti, ideo liberum ſit parocho tot convivas habere, quot ſane in menſa adhibere par eſſe judicarit; & pro temporis ratione laicum etiam hominem, quem Chriſtianæ pietatis ſtudioſum & ſacerdotali convictu, conſuetudineque dignum norit, a menſa non excludere, modo ea ſerventur, quæ in parochialibus conventibus, de frugali, clericalique modeſtia noſtris conſtitutionibus præſcripta ſunt; tum ſacra item lectio in menſa perpetuo adhibeatur.

Quod vero de menſæ frugalitate & ferculorum numero alias ſuperiori concilio decretum eſt, id omnino ſic ſervetur, ut etiamſi vel univerſitati, vel cuivis alii, pacto, conſuetudineve, aut ultima quavis voluntate certis quibuſdam diebus cibum a ſacerdotibus parari oporteat; in eo ab illa decreti ratione ullo modo diſcedatur, nec ſacra lectio in menſa deſit.

*Decretum XXXIV.*

In quibus eccleſiarum ædibus ad rectoris uſum & domicilium conſtitutis, & laici præterea, facultate impetrata, habitant, in iis ne propter nuptias quidem ſaltetur, neve comœdiæ aut ſpectacula agantur.

*Decretum XXXV.*

Epiſcopus clericum alienum, qui in propria diœceſi deliquerit & ad ſuam diœceſim confugerit, proprio illius epiſcopo petente, & ſibi de clerici, qui deliquit, citatione & contumacia, aut condemnatione fidem mittente, comprehendi & ad illum mitti curet, idque ſumptibus petentis.

*Decretum XXXVI.*

Qui impetrata ab eccleſia diſcedendi facultate, aliquamdiu abfuerit, menſis ſaltem ſpatio, poſtquam redierit, epiſcopum de ſuo ad eccleſiam reditu certiorem faciat; quod ſi neglexerit, perinde cenſeatur ac ſi non legitime abfuerit.

## TITULUS III.

### *QUÆ AD BONA ET JURA eccleſiarum, piorumque locorum attinent.*

*Decretum I.*

QUI deinceps eccleſiaſtici beneficii poſſeſſionem adipiſcetur, ejus beneficii titulum

ANNO CHRISTI 1569.

lum etiam ante non monitus, ad menſem ordinario ſuo oſtendat: quod ſi ſecus fecerit, dimidia parte fructuum & proventuum unius anni mulctetur, qui ex eo beneficio ſingulis annis percipiuntur; tum omnibus juris remediis titulum exhibere cogatur.

*Decretum II.*

Caveant epiſcopi, ne paſſim atque indiſtincte omnes beneficiorum eccleſiaſticorum ceſſiones admittant; ſed in iis ſolum caſibus, qui ſummi pontificis Pii V. literis expreſſi ſunt; memineritque excommunicationem, quæ earumdem literarum ſanctione contrahitur, apoſtolicæ ſedi reſervari.

Kal. Aprilis. 1568.

*Decretum III.*

Seſſ. 24. c. 14.

Sacri Tridentini concilii auctoritate, ea cathedralium & collegiatarum eccleſiarum ſtatuta conſtitutioneſve quaſcumque, etiam jurejurando & quavis auctoritate communitas, conſuetudineſque illas, etiam immemorabiles, quæ etſi minus expreſſam ſimoniam, ac ſordidam tamen avaritiam præ ſe ferunt, antiquamus, abrogamus, atque reſcindimus, quibus illud inductum eſt, ut qui nuper in canonicorum capitulum, aliorumve eccleſiaſticorum hominum collegium adſcriptus, capitulique, aut collegii judicio ad ea canonicalia, aut alia, quæ ad eos pertinent, obeunda munera idoneus comprobatus eſt; ſex tamen menſibus, qui probationum nomine vocantur, choro inſervire ante debeat, quam diſtributiones quaſcumque, etiam *quotidianas*, *percipiat*; aliiſque *canonicis*, vel aliis ejuſdem collegii hominibus accreſcat; quæ portio ſibi, eo temporis ſpatio inſervienti, jure obveniret. Illudque in perpetuum jubemus, ut in alicujus eccleſiæ canonicorum capitulum, aliudve eccleſiaſticum collegium cooptatus, cum admiſſus comprobatuſque erit ad muneris ſui functiones, is ſtatim particeps ſit reſidentiæ fructuum, quotidianarumque diſtributionum, quæ ab iis, ad quos ſpectat, eidem præſtentur pro ratione canonicarum horarum, quarum officium deinceps in eccleſia ille obierit.

Quicumque illas conſtitutiones, ſtatuta, & conſuetudines hoc decreto abrogatas ſervarint, contra eos ſimoniæ pœnis, quæ canonum jure & ſummorum pontificum conſtitutionibus ſtatutæ ſunt, ad Tridentini concilii præſcriptum agatur.

Ne huic autem decreto fraus fiat, hoc ſtatuimus, ut quoties is, qui in ejuſmodi collegium cooptandus erit, ejuſdem collegii præfectum convenerit ad ſe probandum, hujus probationis examen intra octo dies de eo habeatur; alioquin probationis jus epiſcopi ſit. Quod ſi octo illis diebus, habito examine, is probatus non ſit, ſibique perſuadeat id injuſte factum eſſe, ad epiſcopum confugiat, qui, habitis de eo examinis quæſtionibus, ſi injuſte repulſam illum tuliſſe animadvertit, capitulum, collegiumve compellat ad eum recipiendum.

*Decretum IV.*

Quibus in eccleſiis ea vel conſtitutio, vel conſuetudo eſt, ut canonicus nuper creatus quos fructus præbendæ ſuæ primo anno percipiet, eos omnes, vel aliquam eorum partem fabricæ eccleſiæ, aut ſacriſtiæ, aliive pio loco ſolvat; in poſterum illa ita ſervetur, ut ſi ei præbendæ onus penſionis ſeu reſervationis fructuum omnium, alicujuſve partis eorum impoſitum eſt, is pro rata ſolum fructuum, quos libere percipiet, ſolvat; fidejuſſore tamen caveat, ſe reliquam item fructuum illius præbendæ partem ſoluturum quamprimum vel morte, vel conceſſu, remiſſioneve ejus, cui fructus reſervati ſunt, quive penſionem obtinet, adipiſcetur. Eam vero fructuum partem, quam ſolvere debet, ne ſolvere prius cogatur, quam illorum percipiendorum dies venerit; ſed aut fidejuſſorem det, ſe eo ipſo tempore ſtatim ſoluturum, aut epiſcopus apud aliquem illos ſequeſtri nomine aſſervari curet, donec quod piis illis locis debebitur, perſolutum erit. Curet epiſcopus, ut fructus & cujuſvis generis proventus, ad ſacriſtiam pertinentes, ne in alios ſumptus, niſi in ipſius ſacriſtiæ uſum erogentur; ideoque quotannis cognoſcat, quomodo diſtributi, & quas in res erogati illi ſint. Liceat tamen eidem epiſcopo de capituli conſilio eos fructus in fabricæ, vel rei alterius, ad eam ipſam eccleſiam ſpectantis, uſum aliquando convertere, ſi modo ſacriſtiæ minus tunc opus eſſe judicarit.

ANNO CHRISTI 1569.

*Decretum V.*

Ne eccleſiaſticorum beneficiorum bona patronis, neve item eis, quorum ceſſione ea beneficia obtinentur, neque illis præterea, qui primo, ſecundove conſanguinitatis gradu cum eiſdem juncti ſunt, ne per ſuppoſitas quidem perſonas, ac ne ad breve ſane tempus locari liceat, idque niſi cognita prius eccleſiæ utilitate epiſcopus data ſcriptis facultate conceſſerit. Quicumque ſecus fecerit, fructibus unius anni mulctetur, quos ex eorum beneficiorum prædiis [illegible].

Inquirat præterea epiſcopus diligenter, an aliqua ſimoniæ labes contracta inter eos ſit.

*Decretum VI.*

Si canonicorum, aliorumve eccleſiaſticorum hominum collegium, aut moniales, aut alii quivis homines, nulla legitima ſuperioris auctoritate, bona eccleſiaſtica permutarunt, vel alio quovis pacto alienarunt, aut in poſterum id committent, cogat epiſcopus tum eos, qui alienarunt, contra illum agere, qui talia bona detinet, ut ea reſtituat; tum detinentem compellat, ut ipſa una reddat cum fructibus non jure perceptis. Quicumque hac in re ſibi non obtemperarint, eos anathemate feriat, aut interdicat, ex canonumque ſanctione aliis præterea pœnis afficiat; ac permutationem item eam, aliamve quamcumque alienationem irritam, planeque nullam declaret.

*Decretum VII.*

Bonorum eccleſiaſticorum quævis alienatio, ea lege confecta, ut ſuperioris auctoritate muniatur, ſi is, cui alienata ſunt, antequam contractæ alienationi ejuſmodi auctoritas acceſſerit, in eorum poſſeſſionem ingreſſus eſt, irrita, & nulla ab epiſcopo declaretur; & qui ea poſſidet, a poſſeſſione ſtatim amoveatur; & qui præterea alienarit, ex canonum ſanctione puniatur.

De-



ANNO CHRISTI 1569.

*Decretum VIII.*

Eccleſiaſtica bona quovis nomine alienata, quæcumque ratione ad eccleſiam redierint, etiamſi alicujus eccleſiæ bonis incorporata non ſint, ne tamen amplius ad longum tempus locentur, neve quovis nomine alienentur, niſi illud vere tunc eccleſiæ utilitati aut neceſſitati ſit.

*Decretum IX.*

Seſſ. 25. de reform. c. 1.

Locatio bonorum eccleſiaſticorum ad longum tempus facta, cum ex Tridentini concilii auctoritate recognoſcenda erit, ne epiſcopus, qui bona ipſa locarit, quive ejus locationis commiſſarius aut executor fuerit, cauſam dijudicet, ſed hujus locationis recognitio ad epiſcopum viciniorem pertineat, tum ad eos qui his locationis cauſis recognoſcendis in ejuſdem epiſcopi vicinioris diœceſi præfecti fuerint.

*Decretum X.*

Ut bonorum eccleſiaſticorum, quæ vel in emphyteuſin tradita, vel ad longum tempus alio quovis nomine data ſunt, memoria, quoad ejus fieri poteſt, conſervetur; eccleſiaſticus quivis homo, cui aliquid in ſingulos annos eo quo vis nomine ſolvitur, cum primum id exiget, notarium adhibeat, a quo inſtrumenti fide teſtatum fiat quidquid ab eo, qui ſolvere debet, ille acceperit; & cujus fundi, vel vineæ, vel prati, vel ædium, aliarumve rerum eccleſiaſticarum nomine exegerit, idque, niſi qui ea eccleſiaſtica bona conductionis nomine nunc poſſidet, illum tamquam directum illorum bonorum dominum notarii publici fide recognoverit, eadem diligenti, ut ſupra, deſcriptione prædiorum adhibita.

Quod ſi quis clericus, cujus hoc intereſt, in hujus rei cautione adhibenda negligens erit, dimidia parte fructuum unius anni mulctetur, quos ex eo beneficio conſequeretur. Quæ autem hujus rei cauſa, vel confeſſiones, vel recognitiones inſtrumenti fide conficientur; earum exemplum ille clericus, ad quem ſpectat, ſpatio menſis epiſcopo tradat in archivo aſſervandum.

*Decretum XI.*

Uſu & diuturna conſuetudine compertum eſt, quantum eccleſiis detrimenti damnique ſæpe importet illa prædiorum eccleſiaſticorum locatio, quæ ad certum tempus pactionibus iis iniri ſolet, ut meliora reddi liceat; ac interdum ea conditione, ut qui ſumptus facti ſunt, ne poſſint, niſi in ipſo extremæ locationis tempore, recuperari; & qui item conduxerint, ejici amoverive a poſſeſſione ne poſſint, niſi quidquid in illis melioribus reddendis pecuniæ erogarint, quidquidve ſumptus fecerint, id omne receperint. Quare nos eccleſiarum utilitati conſulentes, & huic rei, unde tantum detrimenti, tantumque incommodi ipſis eccleſiis accidere ſæpe ſolet, quantum in nobis eſt, occurrere volentes, ita ſtatuimus;

Quæcumque eccleſiaſticorum prædiorum eo locationes ad certum tempus in poſterum pacto fient, ut illa meliora reddi liceat, & quidquid in illis ſarciendis, reſtituendiſve erogatum ſit, id ei, qui conduxit, ſolvi oporteat, hæc inita locationum pactio, ne jus tribuat faciendi impenſas, in quovis ædificii genere utiles, niſi eas quæ majorem ſummam non excedant, quam illa ſit, quam conductor retinendo ſingulis annis, quibus firma eſt locatio, tertiam partem ejus, quod locationis nomine ſolvere debet, recuperare poſſit. Eam autem ipſam tertiam partem quolibet anno retineat, quoad quidquid erogarit, ipſe recuperet.

Si quæ vero impenſæ, ad uſum neceſſarium pertinentes, factæ ſint, ad quamcumque ſummam perveniant, tum ob ejuſmodi impenſas conductor eadem ratione partem tertiam ſibi in ſingulos annos retineat. Sin autem ad ſumptus, qui neceſſario facti ſunt, recuperandos non ſatis fuerit ea tertia pars; ne, completa etiam locationis die, a prædiorum poſſeſſione; qui conduxit, antequam ei ſatisfactum ſit, amoveatur: ſed eccleſiæ rectori liberum ſit, atque integrum, aut comparata aliunde pecunia, aliave quavis ratione ipſa prædia de conductore redimere, aut eadem illi ipſi conductori iterum, conſentiente epiſcopo, locare; idque tot annis ſaltem, ut tertiam partem ad minimum in ſingulos annos ejus rei retinendo, quam locationis nomine ſolvit, id omne, firma adhuc locatione, recuperet quod ipſe erogarit.

Si vero qui his conditionibus conduxerint, tertiam ipſam partem quotannis non retinuerint, ne jus ſit eis ab eccleſia, nec a rectore, qui ſuccedet, partem, quam non retinuerint, repetendi; ſed eorum culpæ adſcribatur.

In iis etiam locationibus, quæ a rectoribus, jam ad [illegible] ita initæ ſunt, ut conductores prædia [illegible] pactionis e vi atque ratione ædificia ſarta tectaque ſunt, vel in poſterum conductoris ſumptibus meliora reddantur; hos ſumptus, quos fecerit conductor, ea ratione recuperet, quæ a nobis hoc decreto præſcribitur: niſi conventum ſit, ut breviori tempore ſolvantur, quam a nobis ſtatutum eſt.

Quod ſi is, qui jam conduxit, & prædia meliora fecit, tertiam eam partem retinere nolit; ſed una tantum ſolutione ſibi reſtitui velit id omne quidquid jam erogarit, partem illam, quam ſibi retinere licet, apud hominem aliquem, cui tuto committi poſſit, quolibet anno deponat, ut ſperari aliquando poſſit, prædia ipſa eccleſiaſtica recuperari aliqua ratione poſſe.

Si vero conductor eam tertiam partem non depoſuerit, ſed rectori eccleſiæ ſolverit; rector, qui ſuccedet, illam ab eo repetere poſſit, aut in rerum, quæ meliores factæ ſunt, rationem referre; rector autem, qui tertiam hanc partem temere receperit, dimidia parte fructuum, quos quolibet anno ex ipſo beneficio eccleſiaſtico percipit, ſingulis annis mulctetur.

Si qui præterea, ob ſumptus in prædiis quibuſvis eccleſiaſticis factos, creditores ſunt; eaque prædia non ipſi, ſed eccleſiæ rector quavis ratione poſſidet, ne ea hypothecæ diutius ſint, (id quod mutua quadam colluſione aliquando factum eſt) in hac ipſa re id curet epiſcopus, ut eadem tertiæ partis annua ſolutione, quidquid in ſumptus erogatum eſt; etiam fructibus ſequeſtri nomine depoſitis, aut alia ratione eis reſtituatur.

Liberum tamen ſit epiſcopo in his omnibus, ſi quando pro beneficii tenuitate, aliave juſta cauſa, aliquid minus tertia parte præſcri-

pta in ſingulos annos ſolvi aut retineri conſueverit, id arbitrio ſuo ſcriptis concedere.

Ut vero hoc decretum omnibus notum ſit, ac plane perſpectum, illud noſtra auctoritate vulgariter redditum, ab omnibus & ſingulis urbis & diœceſis parochis, & feſto primo die, poſtquam ipſi acceperint, publice in eorum eccleſiis legatur, ac populo frequenti recitetur.

### *Decretum XII.*

Quibus cancellariæ epiſcopalis munus commiſſum eſt, ipſimet in ea officii exercitatione verſentur; ſi negotiorum tamen multitudo poſtulat, alios, epiſcopi judicio comprobatos, ſibi in auxilium adhibere liceat.

### *Decretum XIII.*

Extravag. prima de cenſibus.

Epiſcopus, qui cauſis jure permiſſis ſubſidium caritativum exacturus eſt, antequam illud ſibi perſolvi curet, clerum, ejuſve procuratores, aut negotiorum geſtores convocet, eiſque cum cauſam exponat, quamobrem illud petere atque exigere cogatur, tum humaniter eoſdem cohortetur, ut ſibi ſponte ſubveniant. Ne vero majorem ſummam ſibi ſolvi curet, aut patiatur, quam Benedicti duodecimi conſtitutione, cujus initium eſt; Vas electionis; præſcriptum eſt: idque niſi conſuetudinis ratione aliud obſervatur. Qui contra fecerit, hæc ei pœna ſit, ut & reſtituat quod perceperit, & aliam præterea pœnam jure expreſſam luat ſuperioris arbitratu.

### *Decretum XIV.*

Cum primum aliquis hujus provinciæ epiſcopus mortem obierit, archivi epiſcopalis claves notarii publici fide, una capituli vicario, altera uni de capitulo, ad quem vel officii ratione vel conſuetudine pertinet, ſique nemo talis eſt, alii antiquiori reſidenti tradatur; ab eiſdemque una & item altera aſſervetur, quoad alius epiſcopus creabitur, cui illas reſtituant, & rationem de ſcriptis in inventario notatis, eorumque cuſtodiæ commiſſis, eidem reddant.

### *Decretum XV.*

Nonnulli homines ad id temeritatis ſæpe veniunt, ut clerici mortui bona invadant, unaque cum iis illa ſæpe, quæ etiam eccleſiæ miniſtris, in mortui locum ſuccedentibus, debita ſunt, & eccleſiæ item, cui, dum in vita ille eſſet, inſervierat, bona ſacrilege ſuſcipiant: quare pœna excommunicationis latæ ſententiæ vetamus, ne clerici mortui, qui dum viveret eccleſiaſticum beneficium obtinebat, bona, ad eccleſiam ejuſve miniſtros pertinentia, quiſquam temere invadat atque auferat.

### *Decretum XVI.*

Hæredes, ultimarumve voluntatum executor, ſi quæ piarum cauſarum nomine legata relictave ſunt; ea anni ſpatio ad ſummum, aut tempore ab ipſo teſtatore præſcripto, non præſtiterit, ab epiſcopo, ut ratio juris poſtulat, pœnis, ipſo jure conſtitutis, omnino cogatur piam teſtatoris voluntatem explere. Ne vero præſcriptum illud vel a jure, vel a teſtatore tempus ab epiſcopo prorogetur, niſi ſibi conſtiterit, quæ earum cauſarum nomine relicta, aut legata ſunt, vere præſtari non potuiſſe.

Epiſcopus vero in parochiis, ubi opus erit, duos probatæ vitæ homines, pietatis amantes, & auctoritate præditos deligat, quorum opera, ſtudio, atque adjumento ad piorum locorum, piarumque cauſarum jura perſequenda utatur, quoad expedire viſum ſibi erit.

### *Decretum XVII.*

Ne notarii, qui teſtamenta, codicillos, aliaſve tabulas de rebus, quæ piarum cauſarum nomine legatæ relictæve ſunt, vel ipſi rogati conſcripſerunt, vel ab aliis conſcriptas apud ſe habent, magnos nimis labores in iis omnibus conquirendis ſuſtineant; neve ſi id quod ipſis ſuperiori concilio præſcriptum eſt, omiſerint, excommunicationem, eodem concilio propoſitam, ſubeant; idcirco illam ſanctionem, piarum cauſarum nomine a nobis editam, ita interpretamur, ac moderamur, quo faciliorem etiam executionem illa habeat.

Quicumque notarii ſciunt, ſe rogatos, teſtamenta, aliaſve ultimæ voluntatis tabulas de rebus, piarum cauſarum nomine relictis, confeciſſe, niſi ſex menſium ſpatio, poſtquam teſtatoris mortem ſcierint, illa epiſcopo ſignificarint, quæcumque in ipſis tabulis a ſe conſcriptis legata pia facta ſint, ii excommunicationis pœnam ipſo jure incurrant.

Qui vero in poſterum ejus generis tabulas, teſtamentave ſcripſerint, eamdem pœnam ipſo facto ſubeant, niſi tribus poſt menſibus, quam teſtatoris mortem cognoverint, pia legata, relictave, epiſcopo denuntiarint. Hoc autem de ſex & trium menſium ſpatio decretum vim tantum habere ſtatuimus, cum primum concilium hoc in lucem emiſſum erit, ac promulgatum.

Ut autem notariorum, qui jam mortem obierunt commentaria, & quævis alia ſcripta, quibus res, piarum cauſarum nomine relictæ, aut legatæ, notatæ, ac deſcriptæ ſunt, conquiri poſſint: epiſcopus propoſitis etiam pœnis & cenſuris, eam quæ ſibi facilior videbitur, ineat rei perficiendæ rationem. Qui notarii præterea ex ſuperioris concilii decreto excommunicationem ſubierunt, epiſcopus eos abſolutionem humiliter petentes a cenſuris abſolvat, ſi modo ipſius epiſcopi arbitratu ante ſatisfecerint, ad decreti hujus præſcriptum.

### *Decretum XVIII.*

Prohibeat epiſcopus, ut bona, cenſus, proventus, aliaque ejus generis, quæ ad eccleſiarum fabricas quavis ratione pertinent, ab earum præfectis, aut miniſtris ad alios uſus avertantur quam inſtitutum eſt, aut certe debent. Idem præterea ex Tridentini concilii præſcripto fabricarum redditus in uſus eccleſiæ neceſſarios atque utiles, ut expedire magis viſum fuerit, erogari curet.

### *Decretum XIX.*

Qui bona eccleſiæ, hoſpitalium, aliorumve piorum locorum, ſive ſolus, ſive una cum aliis adminiſtrat: ſi vel ipſe, vel per interpoſitam perſonam ea emerit, aut emphyteuſis locationiſve nomine conduxerit: ab eo adminiſtrationis munere ſtatim amoveatur: nec dignus in poſterum cenſeatur, cui talium rerum procuratio, adminiſtratiove demandetur: cum eoque præterea ex juris præſcripto agatur.

### *Decretum XX.*

Epiſcopus id ſedulo prohibeat; ut quæ fabricæ, hoſpitalia, ſodalitates, & quę alia cujuſvis generis pia loca inſtituta non ſunt ad pecuniam mutuo dandam, eorum adminiſtratores ne ulla cauſæ ſpecie cuiquam homini, nec etiam univerſitati loci, aut viciniis dent mutuo.

Quod ſi ipſi adminiſtratores mutuo vel dederint, vel, quod gravius eſt, ab iis locis ſumpſerint, ab earum adminiſtratione ſtatim amoti ſint, indignique cenſeantur, qui per ſex annos illorum, aliorumve piorum locorum adminiſtrationem gerant. Tum etiam illorum pręfectus, quovis nomine vocetur, qui huic rei conſenſerit, excommunicationis pœnam ſubeat.

### *Decretum XXI.*

Ne quiſquam pecuniam apud montes pietatis deponat, vel eidem mutuo det, ut inde aliquid, ne minimum quidem lucri, aut ejus, quod intereſt nomine percipiat. Qui vero ex pacto quidquam ea cauſa perceperit, quod montis pietatis pecuniam vel mutui, vel depoſiti nomine dederit; cum eo tamquam cum uſurario homine agatur ad juris pręſcriptum.

Quæ pręterea de montibus pietatis decreta ſuperiori concilio ſunt, ea epiſcopus obſervari curet vel diligentiſſime; compellatque illorum inſtitutiones ſibi ab adminiſtratoribus oſtendi atque exhiberi.

### *Decretum XXII.*

Sodalitates quaſcumque, ſeu confratrias, quæ diſciplinatorum nomine vocantur, epiſcopus, ut Tridentino concilio juſſum eſt, viſitet; libroſque vel conſtitutionum, vel meditationum, orationumve, ſi qui in eiſdem extant, ſtudioſe recognoſcat, ne quid falſum, commentitiumve, aut apocryphum in illis ſit; & ſi qua invenerit, quæ emendationem deſiderent, illa vel omnino tollere, vel emendare curet.

Efficiat pręterea ut confratres, etiam nominatim non vocati, ad ſtatas & ſolennes proceſſiones accedant, eaſque recte atque ordine obeant; utque non mercede conducti, ſed pietatis gratia flagella ſibi adhibeant.

Eaſdem item confratrias in eam priſtinam diſciplinatorum regulam redigere curet, quæ juſſu noſtro recognita & emendata, & hujus temporis rationi accommodata, ad communem earum ſodalitatum uſum edetur.

Si qua vero hoc decreto præcepta illi vel contempſerint, vel neglexerint, aliaque non obierint, quæ ad eorum ſodalitatis officium pertinent, pro rei gravitate ſeverius ab epiſcopo corripiantur: ſin autem emendari nulla alia ratione poterunt, eorum ſodalitates extinguantur ejuſdem epiſcopi judicio.



# CAPITA QUÆDAM
## AD MONIALES PERTINENTIA.

### *Caput I.*

Bulla edita 4 Kal. Junii 1566.

QUOD de certo monialium numero ſingulis monaſteriis conſtituendo Tridentina ſynodus decrevit; quodque item ſummus pontifex Pius V. de monialium, etiam earum quæ converſæ dicuntur, clauſura, literis editis, ſanxit; id utrumque epiſcopus quam diligentiſſime poteſt exequi curet. Quod ſi aliquid obſtiterit, quo minus illud a ſe præſtari queat; ipſum ſummum pontificem ſex menſium ſpatio conſulat, idque exequatur, quod ſibi ea de re ab illo reſcriptum erit.

Hancque ipſam in iis exequendis diligentiam a regularibus præſtari idem ſedulo ſtudeat.

### *Caput II.*

Seſſ. 25. de ref. c. 16.

Ut Tridentinæ conſtitutioni, quæ eſt de reformatione regularium capite decimoſexto, fraus nulla fiat; illud epiſcopus, pœna anathematis & dantibus & recipientibus propoſita, interdicat, ne moniales, aut puella quæ regularem habitum in earum monaſterio ſuſceptura eſt, parentibus, vel conſanguineis, vel curatoribus, nec vero ab aliis, quibus ipſi ob id ſponſione caveant, pecuniam mutuo, aut depoſiti, aliove quovis nomine ſumant, antequam illa profeſſionem regularem confecerit.

Epiſcopus præterea eam impenſam æſtimet, quæ & in religionis ingreſſu, & tempore profeſſionis fieri ſolent pro veſtitu, aut pro aliis rebus, ad ipſius puellæ, vel monaſterii uſum commoditatemve pertinentibus; tum pecuniæ etiam ſummam pręſcribat, quam puella alimentorum nomine monaſterio det; niſi cenſus, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus, ejuſdem judicio, ad ea alimenta ſatis ſint, monaſterio attribuantur.

Ea autem omnis pecuniæ ſumma, eo nomine ab epiſcopo decreta, re ipſa apud certum hominem, & virum bonum deponatur, qui profeſſione confecta, illam ſtatim monaſterio tradat, ut decretum eſt ſuperiori concilio.

### *Caput III.*

Facultas ſuperiori concilio permiſſa, ut moniales organiſta ſonandi artem, epiſcopi conceſſu, docere poſſit, abrogata ſit, atque ita, ut nemini, nec viro, nec feminæ, etiam cujuſvis ſuperioris facultate, ad monaſteriorum quodvis accedere fas ſit ejus rei cauſa: ſed quæ monialis vel organo ſonandi, vel muſicæ artis perita eſt; alias moniales inſtruere poterit.

### *Quæ generatim ad hæc decreta pertinent.*

### *Decretum I.*

QUÆCUMQUE his noſtris, aliiſque ſuperiori ſynodo provinciali editis conſtitutionibus decretiſve ſancita ſunt, ea omnia in ſua quiſque epiſcopus diœceſi diligenter obſervet, & ab aliis, quorum intereſt, ſervanda curet omnibus juris remediis.

Ut autem, quæ in hac provinciali ſynodo decre-

ANNO CHRISTI 1569.

decreta ſunt, ad ea præſtanda, ulla ignorantiæ excuſatione nemini hujus provinciæ homini uti liceat; illud edicimus, ut quo primum die in lucem emiſſa, ad noſtræ metropolitanæ eccleſiæ valvas affixa erunt, tunc duorum menſium ſpatio omnes ſe & his decretis, & ſi contra quidquam admiſerint, pœnis, ac mulctis, quæ in eis conſtitutæ ſunt, obſtrictos eſſe ſciant.

Ab eo etiam affixionis & promulgationis die tempus eorum decretorum inchoari decernimus, quibus tertio præſcripto dierum ſpatio aliquid præſtari juſſum eſt.

Unuſquiſque præterea epiſcopus ea omnia in proxima diœceſana ſynodo legi ac recitari jubebit, &, ſi ita expedire cenſuerit, ſuæ etiam cathedralis eccleſiæ valvis proponi; quo ſtudioſius omnium animis præcepta eorum tradantur.

Singulæ item & cathedrales, & collegiatæ, & parochiales eccleſiæ hæc ipſa decreta, certo loco recondita, perpetuo aſſervari curent.

*Decretum II.*

Si qua in his decretis difficultas orta ante erit, quam alia Mediolanenſis provinciæ ſynodus habeatur; ejus difficultatis, tum omnium, quæ in ipſis decretis tradita ſunt, interpretationem, & explicationem nobis reſervamus, ſalva ſemper ſedis apoſtolicæ auctoritate.

*Decretum III.*

Qua debemus humilitate & obedientia, ſanctæ ſedis apoſtolicæ omnium eccleſiarum matris & magiſtræ judicio, atque auctoritati, omnia & ſingula quæcumque in hac provinciali ſynodo ſancita, decreta, actaque ſunt, ſemper emendanda & corrigenda ſubjicimus.

*Decretum IV.*

Quoniam denique ob publicam hujus provinciæ & privatam etiam uniuſcujuſque eccleſiæ utilitatem a ſummo Romano pontifice multa petenda ſunt, decernimus, quidquid ab eo communibus noſtris, & qui adſunt, epiſcoporum literis petetur, illud omne concilii hujus nomine, atque auctoritate ita factum intelligi, ac ſi publice in ſeſſione poſtulatum eſſet.

ANNO CHRISTI 1573.

# CONCILIUM MEDIOLANENSE III. PROVINCIALE.

Quod Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, archiepiſcopus Mediolanenſis, habuit anno a Chriſto nato MDLXXIII. Gregorio XIII. pontifice.

## EDICTUM DE CONC. PROVINCIALI III.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

*Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolanenſis eccleſiæ, univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Chriſto domino.*

DIVINÆ pietatis abundantia perfectum eſt, ut cujus diſciplinæ veſtigia olim a ſanctiſſimis patribus preſſa non leviter, ſed fixa ad ſempiternam rei Chriſtianæ bene gerendæ rationem, vix in tantis morum erroribus ulla reliqua uſquam apparebant; ea quaſi ex tenebris in lucem revocata ſit graviſſimis & divinis ſacroſancti concilii Tridentini ſanctionibus: quibus cum omnes ſane quidem obtemperare oporteat, tum eos in primis, quos auctor vitæ noſtræ & magiſter ſalutis æternæ Chriſtus dominus epiſcopos & paſtores gregis eſſe voluit, quem is ſanguine ſuo, in ara crucis profuſo, redemit. Itaque paſtoralis curæ noſtræ ratio, quæ in Tridentinis illis juſſis, iiſque ſanctiſſime exequendis, verſari debet, nos commonet, atque adeo commovet, ut hoc anno, qui tertius eſt, quo Mediolani alteram provincialem ſynodum habuimus, eam ad ejuſdem Tridentini concilii præſcriptum tertio convocemus: idque eo conſilio, ut nos, qui metropolitico jure provinciæ hujus curam gerimus, pro debito archiepiſcopalis ſpeculationis noſtro officio, ſedulo primum perquiramus, ſi qua ſint, [illegible] aut eorum auctoritate, [illegible] jure a nobis in una atque in altera item ſynodo ad reſtituendam priſtinam illam eccleſiaſticam diſciplinam jam pridem ſancita nondum ab iis, quorum intereſt, in hac provincia præſtita ſunt; in his exequendis, duce Spiritu ſancto, qui ſpiritus eſt intellectus, ſapientiæ & conſilii, paſtorali ſtudio & diligentia incumbamus: tum præterea videamus, ſi qua alia ſunt, quæ ſubdolo operario ſatana, morum corruptelis, vel inveterata, vel nuper prave introducta, ullam emendationem, vel in controverſiis provincialibus judicium a nobis deſiderent.

Quamobrem omnes & ſingulos hujus noſtræ provinciæ epiſcopos, tum literis eo potiſſimum nomine unicuique eorum ſcriptis, tum hoc etiam publico edicto, ad provincialem ſynodum Mediolanum convocamus: cujus etiam ſynodi inchoandæ certum diem, nempe vigeſimum quartum menſis Aprilis proxime ſequentis, quo ſtatuto die mane in metropolitanam noſtram eccleſiam conveniant, præſcribimus. Ut autem ceteris omnibus atque ſingulis, qui poſſunt, debentve jure aut conſuetudine, aut privilegio eidem intereſſe, pervulgata ſit, ac nota hujus noſtræ provincialis ſynodi tertiæ indictio; neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem uti, vel ſe contemptum, neglectumve eſſe, dicere liceat; iis ipſis univerſis ac ſingulis, tum ceteris qui ſua intereſſe quavis ratione putarint, hoc edicto publice propoſito, illam eiſdem ſignificamus, indicimus, ac denuntiamus: jube-



ANNO CHRISTI 1573.

jubemuſque item illos ipſos omnes & ſingulos, qui intereſſe debent, huc in provincialem ſynodum convenire ad conſtitutam diem, pœnis illis propoſitis, quæ canonicis ſanctionibus decretæ ſunt.

Curent autem comprovinciales noſtri epiſcopi, id quod poſteriori provinciali concilio ſancitum eſt, ut cum primum hoc edictum acceperint, quo provincialis ſynodi celebrandæ certa dies indicta eſt, in omnibus & urbis & diœceſis ſuæ parochialibus eccleſiis, quinta quaque feria in ſingulas hebdomadas, quoad illa de more abſoluta, ac dimiſſa erit, miſſæ ſacrum de Spiritu ſancto fiat: In cathedrali autem & collegiatis eccleſiis proceſſionum præterea munus ſingulis diebus dominicis obeatur, precationibus adhibitis pro optimo conciliarium rerum tractationis eventu.

Omnes præterea provinciæ noſtræ fideles id monemus, & per viſcera miſericordiæ Chriſti domini hortamur, ut omni pietatis Chriſtianæ ſtudio & religioſis precibus, iiſque aſſiduis, a Deo conſolationis & miſericordiarum patre, nobis, negotium tam ſalutare tractantibus, auxilium implorent: quo nos adjuti, in hac tractatione omnia conſilia, ſermones & actiones noſtras in finem dirigamus, nempe in Chriſtum Jeſum, cui in omni juſtitia & ſanctitate ſervire debemus. In quarum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & noſtro ſigno muniri, tum noſtra etiam manu ſignatum in vulgus publice proponi, eidemque a ſynodali ſecretario noſtro ſubſcribi volumus. Datum Mediolani die 20. Februarii 1572.

## EDICTUM ALTERUM DE CONC. PROVINCIALI TERTIO,

quod ob cauſas prorogatum fuerat.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

*Carolus Borromæus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ, univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Chriſto domino.*

ÆTERNUS pontifex, unigenitus Dei Filius, Chriſtus Jeſus, qui e ſinu patris in terram miſſus, fidelium animas redemit per effuſionem immaculati ſanguinis ſui, eam nobis paſtoribus animarum curam propoſuit, ut omni ſolicitudine oves, fidei noſtræ commiſſas, a vallibus ad montes, a terrenis ſcilicet rebus ad cæleſtes, ab humanis ad divinas, a caducis ad æternas revocare ſtudeamus.

Hæc ſane cura plena ſtudii, plena diligentiæ, refertaque omni labore, cum in ceteris paſtoralibus muneribus, tum in iis etiam exequendis nos valde ſolicitos habere debet, quibus Tridentina ſynodus & ipſis patrum officiis & animarum ſaluti & provinciarum utilitati conſultum eſſe voluit. In iis vero cum ſit illa provincialium ſynodorum ad uſum revocata ratio; nos ſuperiori anno, qui tertius erat, quo Mediolani alteram provincialem ſynodum habuimus, tertio provinciæ noſtræ epiſcopos ad concilium convocavimus: quod quidem concilium a nobis demore indictum cum eas ob cauſas, conciliaribus noſtris literis expreſſas, celebrare non potuerimus; officii noſtri ratio, quæ progreſſionibus ſuis tota ad præſtantiſſimam illam curam ſpectare debet, nos commonet, atque adeo commovet, ut quod proximo ſuperiori anno a nobis intermitti oportuit, id hoc anno omnino præſtemus.

Quamobrem omnes & ſingulos hujus noſtræ provinciæ epiſcopos, tum literis potiſſimum nomine unicuique eorum ſcriptis, tum hoc etiam publico edicto, ad provincialem ſynodum Mediolanum convocamus: cujus etiam ſynodi inchoandæ certum diem, nempe nonum Aprilis proxime ſequentis, quo ſtatuto die mane in metropolitanam noſtram eccleſiam conveniant, præſcribimus. Ut autem ceteris omnibus atque ſingulis, qui poſſunt, debentve jure aut conſuetudine, aut privilegio eidem intereſſe, pervulgata ſit ac nota hujus noſtræ provincialis ſynodi tertiæ indictio; neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem uti, vel ſe contemptum, neglectumve eſſe, dicere liceat; iis ipſis univerſis ac ſingulis, tum ceteris qui ſua intereſſe quavis ratione putarint, hoc edicto publice propoſito, illam eiſdem ſignificamus, indicimus, ac denuntiamus: jubemuſque item illos ipſos omnes & ſingulos, qui intereſſe debent, huc in provincialem ſynodum convenire ad conſtitutam diem, pœnis & cenſuris illis propoſitis, quæ canonicis ſanctionibus decretæ ſunt.

Curent autem comprovinciales noſtri epiſcopi, id quod poſteriori provinciali concilio ſancitum eſt, ut cum primum hoc edictum acceperint, quo provincialis ſynodi celebrandæ certa dies indicta eſt, in omnibus & urbis & diœceſis ſuæ parochialibus eccleſiis, quinta quaque feria in ſingulas hebdomadas quoad illa de more abſoluta, ac dimiſſa erit, miſſæ ſacrum de Spiritu ſancto fiat: In cathedrali autem & collegiatis eccleſiis proceſſionum præterea munus ſingulis diebus dominicis obeatur, precationibus adhibitis pro optimo conciliarium rerum tractationis eventu.

Omnes præterea provinciæ noſtræ fideles id monemus, & per viſcera miſericordiæ Chriſti domini hortamur, ut omni pietatis Chriſtianæ ſtudio & religioſis precibus, iiſque aſſiduis, a Deo conſolationis & miſericordiarum patre, nobis, negotium tam ſalutare tractantibus, Spiritus ſancti lumen implorent, quo lumine adjuti, nos iis initiis inſiſtentes, quæ ſuperioribus annis jecimus, noſtros, gregiſque noſtri greſſus dirigamus in viam ſalutis æternæ. In quarum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & noſtro ſigno muniri, tum noſtra etiam manu ſignatum in vulgus publice proponi, eidemque a ſynodali ſecretario noſtro ſubſcribi volumus. Datum Mediolani die 16. Januari 1573.

## PROROGATIO SYNODI, ET PROVINC. ET DIŒCESANÆ.

*Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ, univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Chriſto domino.*

ALIIS noſtris literis, edicti nomine inſcriptis, provincialem ſynodum, quam hoc anno

ANNO CHRISTI 1573.

anno die 24. hujus menſis Aprilis habere ſtatueramus, paucis ante diebus de more indiximus, ſed cum per invaletudinem noſtram, ut per literas etiam provinciæ noſtræ epiſcopis ſignificavimus, id ad conſtitutam diem præſtare nobis non liceat: eam ad diem differimus & prorogamus, quem illi hoc ipſo anno celebrandæ certum, volente Deo, præſcribemus, atque indicemus aliis noſtris literis.

Diœceſanam præterea ſynodum, quam indiximus ad diem 14. hujus etiam menſis Aprilis, ob eam ipſam cauſam differimus, & prorogamus in diem quem aliis noſtris literis certum ſignificabimus & conſtituemus arbitratu noſtro. In cujus rei fidem has neceſſariæ prorogationis noſtræ literas confici & publice affigi juſſimus. Datum Mediolani die 9. Aprilis 1573.

## ORATIO CAROLI, CARDINALIS TITULI SANCTÆ PRAXEDIS,

### Archiepiſcopi Mediolanenſis.

*Habita in provinciali concilio III.*

TERTIO jam adſumus, patres ſanctiſſimi, hoc ipſo loco, ubi ſuperioribus annis ſemel atque iterum Spiritu ſancto duce congreſſi, in eam curam incubuimus, ut in hac provincia paſtoralibus noſtris ſtudiis ſuccurreremus animarum ſaluti, & opitularemur pietatis cultui jam pene deſloreſcenti. Quo in genere etſi a nobis vel plurimum elaboratum eſſe videtur, tamen ſi animadvertimus, provinciæ hujus ſtatus, quem vos etiam optime noſtis, is eſt, ut multa adhuc deſint ad operis a nobis inchoati conſummationem & perfectionem. Primum enim ſuperioribus noſtris decretis non omnis erepta eſt morum corruptela, neque plane omnis inſtituta Chriſtianæ diſciplinæ ratio, quæ vobis, qui adeſtis, una mecum expetenda eſt. Deinde, ut eſt hominum genus ad carnis ſenſus proclive, ſæpeque præceps fertur ad peccandi licentiam, alii poſt priores illos congreſſus noſtros ſenſim in dies irrepſerunt morum errores. Præterea quæ olim a nobis ſancita ſunt, ita ſe habent, ut vel noſtra, vel aliorum culpa illa executi ſimus non plane omnia. Si qua autem executionem habuerint, vel pauca, vel multa illa ſint, vereor, ut libere dicam, ne ea externa potius quadam ſpecie attigerimus, quam intimis animi ſenſibus, vereque amplexi ſimus. Atque hic quidem eſt rerum noſtrarum ſtatus. Videte igitur quæ illa ſint, quibus, auctore Spiritu ſancto, qui ſpiritus eſt veritatis & conſilii, hoc ipſo conventu nos tum mente optima, tum ſalutaribus deliberationibus conſulamus oportet; ut aliqua ex parte exſolvamus quod & Chriſto domino & nobis, & clero & populo noſtro debemus. Propoſitum igitur nobis ſit, patres optimi, magnum quiddam eſſe ac perfectum, quod præſtare debemus: idque nos vix aut ne vix quidem inchoavimus, nedum abſolvimus, cum certe non licuerit: nam quemadmodum reliquis in rebus nihil poteſt ſtatim eſſe perfectum, ſed neceſſe eſt, ut initium fiat ab aliquo rudimento, atque paulatim ad ſummum perveniat: ita opus, quod ſuperioribus annis aggreſſi ſumus, non potuit eo tempore ſtatim pervenire ad eam quam quæ-rimus & debemus, neceſſariam perfectionem. Quod ſi quis noſtrum ſecus fortaſſe exiſtimat, quoniam in hac provincia aliquod majus pietatis Chriſtianæ ſtudium elucere videt, quam antea ſolebat, quamque in aliis fortaſſe quibuſdam locis apparet; næ iſte plane quidem fallitur: non eſt enim cur nos vel cur aliorum, ſive mali illi ſint, ſive aliquo Chriſtianæ virtutis gradu præditi, factis actiones noſtras expendamus: ſed comparemus oportet cum ea ſancte agendi formula nobis divinitus præſcripta: quæ ſi ob oculos verſabitur, facile cernemus quam longe ab ea diſtemus. Procul certe abſumus, patres. Eſt igitur cur properemus, & ita properemus, ut quod ſemel aggreſſi ſumus, perficiamus, aſpicientes in auctorem & conſummatorem operis nobis commiſſi, Chriſtum Jeſum. Is quid non attigit, quid non egit, quid non perpeſſus eſt, ut quod ei pater cæleſtis dedit, opus conſummaret? Quid illa crucis ara, in qua redemptionis myſterium peractum eſt, loquitur? Quæ mens, qui ſenſus Chriſti laborum? Quorſum illa verba, *Conſummatum eſt*: (Joan. 19.) an non operis, quod ſuſceperat, perfectionem? an non conſummationem indicant? Num Chriſti magiſtri exempla, num voces nos commonent? an commovent potius? certe quidem. Ergo pergamus ad conſummationem; & quod operi noſtro deeſt, perficiamus; ac ita quidem, ut, cum nos epiſcopos Deus dederit ad opus miniſterii in conſummationem ſanctorum, tamquam angeli ejus & miſſi in miniſterium propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis, non modo purgemus & illuminemus, ſed perfectos reddamus eos, qui in cuſtodiæ noſtræ fidem traditi ſunt. Altera præterea cauſa eſt, patres, quamobrem huc tertio nos convenire oportuit: nam ea eſt ſatanæ fraus, ea depravata hominum natura, eæ mundi illecebræ, ut ſi quid ſuperioribus noſtris ſanctionibus communivimus, in altera ejuſdem rei parte violari ſoleat eccleſiæ diſciplinæ inſtitutio: ita ut alio rurſus opus ſit præſidio. Quemadmodum enim fluvius ab una parte aggeribus munitus, in alteram ſæpe erumpit: itidem uſuvenit in ſanciendis morum legibus. Si qua igitur parte, vel clero, vel populo ſuperioribus rerum ſanctionibus obſtructus additus eſt ad peccandum: alia tamen invenitur via, quam præcludamus oportet hoc noſtro ſynodali ſtudio, quod dum in hoc genere multum eſſe debet, tum plurimum etiam in eo, quod tertio loco a me propoſitum, jam brevi exponam. Scitis, patres, quæ ſuperioribus conciliis præſcripſimus nobis de frequenti ſacrificii oblatione, de dignitate ab epiſcopo retinenda, de ſupellectili, frugalitateque epiſcopali, de paſtoralibus officiis, de familiæ noſtræ inſtitutione, de cleri diſciplina, de gregis commiſſi gubernatione: illa omnia ut acta ſunt a nobis fortaſſe diligenter, ſic certe noſtrum fuit & eſt, eadem exequi vel diligentiſſime. Parum eſt enim optimo conſilio decernere, niſi quod decretum eſt ſedulo præſtetur: nam ut ſcientia debet eſſe cum virtute copulata, ſic decretorum conſtitutio cum executione in primis conjuncta: alioquin parvam affert utilitatem, vel certe nullam. Itaque cum operis noſtri ſuſcepti ratio conficiatur & quaſi conſtetur duabus his partibus, legum ſcilicet optimarum & ſanctione & executione: in hac nos fideles eſſe oportet, in illa prudentes: ſi prudentiam in ſanciendo præſtitimus, fidem in exequendo præſtemus neceſſe eſt,



ANNO CHRISTI 1573.

eſt, ut & prudentes & fideles ſervi inveniamur. Executio autem noſtra omnis ſit oportet, patres, tum perfecta, tum vera: perfecta quidem, ut decreta omnia vel ad nos, vel ad alios pertinentia exequamur: exequamur autem vere, non externa ſola ſpecie, ſed ea fixa animi deliberatione, ut in veritate nos ambulantes & ad Dei gloriam, & ad animarum ſalutem uberrimum fructum afferamus ex iis rebus, quas ſolido agendi ſtudio exequimur. Alioqui ſi contra quidquam agimus, id quoniam non ulla quaſi radice fixum hæret, ſtatim diffluit, ſtatim evaneſcit. Quare agite, patres ſanctiſſimi, munus noſtrum expleamus, ut, quam debemus, ſanctam ſolicitudinem, quantum in nobis eſt, præſtemus, tum ad operis noſtri inchoati perfectionem, tum ad omnem eccleſiæ diſciplinæ rationem in hac provincia communiendam, tum ad ſuperiorum noſtrorum decretorum leges, eaſque vere atque omnino exequendas. Spiritus autem Dei habitet in nobis, is Spiritus veritatis, quem in evangelio quod modo recitatum eſt, ſe dominus miſſurum eſſe promiſit; mentibuſque noſtris lumen præferat, quo omnes muneris noſtri paſtoralis partes dirigamus in perfectionem & finem, quo ſpectamus, Chriſtum Jeſum; cui laus & gloria ſempiternis ætatum ſæculis. Amen.

## IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS,

### PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

*Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolani de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum patrum, coepiſcoporum noſtrorum, in provinciali noſtro concilio Mediolanenſi tertio, hæc, quæ ſequuntur conſtituimus ac decernimus.*

### I.

*De feſtorum dierum cultu.*

Seſſ. 25. decreto de invocatione ſanctorum.

SACROSANCTA Tridentina ſynodus cum ſtatuit fideles religioſo feſtorum dierum cultu abuti non debere ad comeſſationes, ad luxum, & laſciviam; tum paſtores omnes vehementer in domino obteſtata, debitam, ſanctamque eorumdem obſervantiam paſtorali diligentiæ magnopere commendavit. Quamobrem primo provinciali concilio de illorum cultu quamvis a nobis ſancitum ſit, tamen hac conſtitutione eo ipſo de genere diligentius decernendum cenſuimus; cum eæ ſint morum corruptelæ, is depravatus uſus, ab omni & divina & humana lege alienus, ut Deo dicati dies, ſanctiſque rerum officiis conſecrati, ac Spiritus ſancti doctrina inſtituti, tum ad recolenda divina beneficia, tum ad honores debitos ſanctis tribuendos, ad eorumque vitæ imitationem excitandam, non modo, ut oportet, ſancte non colantur, ſed, quod graviſſimum eſt, nefarie violentur operibus, officiis, rerumque actionibus, ab eorum cultu, & pietatis Chriſtianæ ſtudio alienis.

Itaque in maxima hac offenſione, nos ſacræ illius ſynodi auctoritate, canonum jure, ſummorum pontificum ſanctionibus, & Pii V. pontificis conſtitutione eo nomine edita, patrum item inſtitutis, tum ipſis imperatoriis legibus adducti, edicimus, ut ne quid ſervilis operis ſacris iis diebus, qui ſanctæ matris eccleſiæ inſtituto, aut uniuſcujuſque loci conſuetudine, votove publico coluntur, fiat, nec quidquam denique quod in illis agi, geri, fierive non liceat.

Et quoniam in iis, quæ ſequuntur, maxime peccatur, hæc nominatim vetamus;

Ne iis diebus nundinæ, emporia, mercatuſve agantur: ne quidquam præterea fiat, exerceaturve, quod ad earum nundinarum, vel mercatus apparatum pertineat, etiamſi in diem proxime ſequentem illæ cadant.

Ne contractus ulli, cujuſvis generis ſint, neque ullæ rerum executiones fiant; niſi cum jure nominatim permiſſum eſt.

Ne collectæ, taleæve in opidis, pagis, vicis, ut ex depravata conſuetudine quibuſdam locis factum eſt, feſtis diebus exigantur, præſertim quo tempore vel ſacra fiunt, vel concio habetur, vel proceſſiones, vel alia divina officia celebrantur, vel ſcholarum doctrinæ Chriſtianæ exercitationes aguntur. Nec vero ullo præterea unquam die in eccleſia, in cœmeterio, atriove eccleſiæ illa exigi liceat.

Ne libri, imagines, ſigna, & alia id genus uſquam venalia proponantur, aut circumferantur.

Ne quæ ad aleæ luſum pertinent, neque larvæ itidem, nec veſtes ad perſonatorum hominum uſum vendantur, locenturve.

Ne quas res ad victum neceſſarias vendi licet, illæ prope [illegible] in earumve conſpectu, venales proponantur.

Neque earum ipſarum rerum, præterquam panis, a ſole, aut pluvia defendendi cauſa, in foro locisve publicis tentoria, raſtrave ſint, quibus illæ exponantur.

Neque earumdem rerum occaſione, cauſave officinæ apertæ ullo modo ſint: ſed earum oſtiolum parvulum patens ſit, licet reliqua omni parte clauſa. Quo in genere præterea epiſcopus, illarum rerum venditionis certam horam & modum præſcribat, ne ex venditione aliquid exiſtat ſcandali offenſioniſve, aut occaſionis, qua diſtrahantur homines a divinis officiis.

Tonſoribus præterea, piſtoribus, ſutoribus, calceariis, aliiſque ejuſmodi, & reliquis item opificibus, quibus præſcribi oportet, epiſcopus certas regulas præſcribat, ne deinceps dierum feſtorum cultum violent, in quo maxime peccare plerique ſolent.

Quoniam autem uſu jam hac in provincia nimis compertum eſt, depravatis his temporibus & moribus, ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia nunquam fere conveniri ſine multis, & iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcœne dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima inde conſequentia quam ſæpiſſime, his tot offenſionum & peccatorum ſeminariis locum dari, iis præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt; & iis ipſis diebus fideles pleroſque nefariis illis ſatanæ blanditiis illectos, a divinis officiis, religioſis ſupplicationibus, lectionibuſque ſacris abduci, aver-

ANNO CHRISTI 1571.

avertique rudes percipiendis fidei rudimentis; alioſque ab aliis Chriſtianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religioſe incumbendum eſt, abſtrahi & amoveri; hoc certe graviſſimum eſt in conſpectu Dei, & eccleſiæ. Quare feſtis iis diebus, ſaltem horis quibus divina celebrantur officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur aut fiant.

Ne item comœdiæ, ludi ſcenici, vel theatrales, haſtiludia, & alia cujuſvis generis ſpectacula agantur.

Ne circumforanei circulatores; & id generis nebulones, præſtigias ſuas, inaniaque ea ſpectacula agant; neque quidquam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu.

Ut autem hæ omnes de feſtorum cultu leges ab omnibus ſerventur; contra eos, qui non paruerint, epiſcopus agat pœnis, & aliis item remediis arbitratu ſuo.

Feſtis diebus ſacroſancto miſſæ ſacrificio fideles omnes interſint.

Neque vero excuſentur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ, ne permiſſu quidem primi noſtri concilii, ob recentem mariti mortem, neque ullo alio cujuſvis conſuetudinis prætextu.

Ut vero ii dies omni pietate & religioſius colantur, hæc crebro populum parochi & concionatores admoneant, atque hortentur, ut illorum dierum tempus, quod Deo, ejuſque cultui debetur, in iis actionibus totum conſumant, in quibus ſancte conſumendum eſt.

Ut concionem mane, & ſacram lectionem a prandio, ubi explicari ſolet, audiant.

Ut divinis, veſperarum præſertim officiis præſentes, pie religioſeque adſint.

Ut in Chriſtianæ doctrinæ rudimentis ac præceptis, vel percipiendis, vel recolendis verſentur.

Ut in operibus etiam officiiſque pietatis ſe exerceant, ægros homines viſitando, mœrentes pie conſolando, & alia ejuſmodi præſtando.

Ut denique ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia atque occaſio exiſtit, feriati, in ea opera incumbant, ob quæ ſunt illi ſacri inſtituti dies.

Epiſcopi igitur cura ſit, vel litaniarum proceſſiones, vel orationes, aliarumque Chriſtianarum virtutum exercitationes inſtituere, in quibus per feſtos dies occupati fideles, abducant ſe a profanis actionibus.

Sicut principes & magiſtratus, qui gubernationi præſunt, dignitate præcellunt, ita prælucere debent exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum pie agendi ſtudium. Quamobrem pro muneris ſui officio nos paterne cohortando & admonendo, epiſcopus curet ut ipſi per annum ſolennibus diebus, & in quibus potiſſimum humanæ redemptionis myſteria peraguntur, in nativitate ſcilicet domini, die circumciſionis, & epiphaniarum, hebdomada ſancta, paſcha reſurrectionis, aſcenſione, pentecoſte, in ſolenni die corporis domini, ad cathedralem eccleſiam conveniant; epiſcopaliſque miſſæ ſacrificio, quod ſolenni ritu fit, diviniſque veſperarum officiis interſint. Idem præterea efficiat, cum ob jubilæum, vel ob aliam publicam cauſam generales proceſſiones & ſupplicationes [illegible]tur.

[illegible] id curæ diligentiæque adhibeat, ut [illegible] eccleſiæ ſuæ libris veteribus, manuque ſcriptis, tum ex publicis civitatis ſcriptis monumentiſve, atque aliunde perveſtiget, ſi qui dies ſunt quibus colendis, vel veteri inſtituto uſuque, vel publico voto civitas adſtricta eſt; aut alius item quivis diœceſis ſuæ locus.

Qua præterea diligentia utatur in conquirendis reliquis tum votis, tum piæ conſuetudinis inſtitutis. Si quæ vero ejuſmodi monimenta compererit; ea diligentius conſcripta in epiſcopali archivo aſſervanda curet. Certoſque illos dies feſtos, iis monimentis notatos, coli, & alia hujuſmodi pia inſtituta præſtari jubeat.

Vigiliæ autem, & feſti dies ſanctorum, qui publico civitatis voto, aut conſuetudine coli debent, diœceſanæ ſynodi conſtitutione ab epiſcopo decernantur; & in calendarium quotannis relati, die dominico, prout uniuſcujuſque eorum ſanctorum feſtus dies in aliquam hebdomadam inciderit, populo a parocho denuntientur.

Monimenta vero feſti diei, vel piorum inſtitutorum, quæ in aliquo ſolo diœceſis opido, locove voti publici, aut conſuetudinis ratione ſervari oportet, in ejus etiam loci parochiali eccleſia aſſerventur: cum autem dies ille feſtus, vel quo pium inſtitutum ſervari debebit, inciderit; parochi ſit, die dominico, proxime præcedenti, illum populo indicere ac denuntiare.

Prohibeat vero diligenter epiſcopus, atque omnino efficiat, ut non modo non ſaltationes, & choreæ, verum etiam comeſſationes, in honorem ſanctorum, ludi, aliæve profanæ actiones, ab eorum feſtorum dierum, piorum inſtitutorum cultu alienæ, ullo quovis modo, etiam illorum prætextu occaſioneve introductæ, publice iis ipſis diebus fiant.

Studeat etiam epiſcopus, ut quo tempore in ſeptuageſimæ, ſexageſimæ, & quinquageſimæ hebdomadis eccleſia mater, & officiorum ritu, & hymnis, [illegible] mentes ad mœſtitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum veſtimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei inſtruit, ac præparat tot ante diebus ad ſancte recolendam Chriſti domini paſſionem, & crucem; eo potiſſimum tempore fideles, ſibi in curam traditos, ſpectacula, ludos ſcenicos, & alia, quæ gentilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, tunc præſertim morum corruptelis introducta, illa ipſa, tamquam a ſanctiſſimis eccleſiæ inſtitutis abhorrentia, omnino fugientes, ad pietatis Chriſtianæ ſtudia, & ad orationem attentiores ſint, propoſita omni Chriſtianarum actionum exercitatione.

Quo religioſius incolæ uniuſcujuſque parochiæ feſtum diem colant illius ſancti, ſanctæve, cujus patrocinio parochialis eccleſia dicata eſt, cohortationibus agat parochus, ut pridie ejus diei illi ſancte jejunent, animo pie repetentes tum jejunia, tum religioſas alias ejus ſanctarum virtutum exercitationes; quarum meritis in cælum ille vocatus, cum ſempiterna gloria perfruatur, pro caritate, qua abundat, eorum, quorum ſalutis patrocinium ſuſcepit, preces Deo offert, jejunia item & lacrymas. Tum idem illos admonere, atque vehementer in domino cohortari non deſiſtat, ut pietatis Chriſtianæ officiis, ſanctis operibus, debitaque veneratione ſancti illius diem feſtum colant; utque ab omni ſervili opere abſtinere ſtudeant.





ANNO CHRISTI 1571.

Eodem præterea die ſancti, qui parochiæ patronus eſt & cuſtos, quo ad illius imitationem magis fideles inflammentur, id parochus præſtet, ut peracto veſperarum officio, cum frequentior in eccleſia populus adeſt, aut ipſe, aut alius in ſuggeſtu, aliove loco ſuperiori, de libro, quo illius vita vere expreſſa continetur, res ejus ſancte, admirabiliterque geſtas, religioſæ vitæ inſtituta, morum diſciplinam, pietatis ſtudia, virtutes pronuntiet.

Quoniam vero ſanctiſſimis ſummorum pontificum inſtitutionibus, & provincialis concilii primi noſtri decreto ſancitum eſt, ut quæ apocrypha ſunt, in eccleſia ne legantur; de vitis ſanctorum, qui in unaquaque hujus provinciæ urbe, diœceſive certis potiſſimum locis coluntur, liber ab epiſcopo conficiatur, doctis & piis viris adhibitis, tum ex probatis auctoribus, tum certis ſuæ eccleſiæ ſcriptis, ac traditionibus.

Sanctorum, qui in domino dormierunt, ſacris ſepulcris, & reliquiis colendis & venerandis, eo maxime augetur gloria Dei, quo religioſius illa coluntur. Quo igitur die ſancti alicujus dies feſtus agitur, ſi in aliqua urbis, diœceſiſve eccleſia, ſancti alicujus corpus reconditum eſt, ſacrave ejus membra, vel aliæ inſignes reliquiæ aſſervantur: eo die & ſignificatio detur frequenti campanarum ſonitu, & ille eccleſiæ locus, ubi ea ſunt, ſacrarum veſtium apparatu, & candelarum lumine ornetur; tum ad majorem cultum divina officia ſolennius celebrentur.

## II.

### *De ſcholis doctrinæ Chriſtianæ.*

Quo major in dies concurſus, & progreſſio fiat ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas, ad earumque ſtudium vehementius excitentur jam inſtitutæ, & in poſterum, Deo juvante, inſtituendæ ejus rei nomine ſodalitates: indulgentiarum, quæ & a Pio quinto; & nuper a
6. Oct. 1567. 10. Oct. 1567.
ſanctiſſimo domino noſtro Gregorio XIII. earum ſodalitatum hominibus conceſſæ ſunt, donum quotannis per parochos duobus ante Kalendas Maii diebus dominicis proximis promulgetur, cum frequens populus adeſt. Illis autem conſtitutis Kalendis, earum ſodalitatum homines, ut indulgentias conſequantur, confeſſi, ſacram euchariſtiam ſumant; ac proceſſionem præterea agant ſolenni ritu. Si vero ſæpius id promulgari, vel aliis potius certis diebus hæc ab illis agi, epiſcopus cenſuerit, id conſtituat arbitratu ſuo.

Quibus in opidis, vicis ac locis, quæ ad ſuam diœceſim pertinent, epiſcopus has neceſſarias doctrinæ Chriſtianæ ſcholas, & ſodalitates, ut altera provinciali ſynodo juſſum eſt, non adhuc inſtituit; illas quamprimum, & quam diligentiſſime inſtitui curet. Studeat vero quamplurimos cujuſvis conditionis, ſtatus, & ætatis homines probatos, tum mares, tum feminas, iis ſcholis jam inſtitutis, vel inſtituendis, adſcribi, adſcriptoſque operam illis navare, ut conceſſi indulgentiarum muneris participes ſint.

Eas vero jam inſtitutas, vel in poſterum inſtituendas ſcholas & ſodalitates, ad illas præſcriptas regulas dirigi curet, quæ juſſu noſtro ad communem earum uſum edentur in lucem.

Scholas præterea quam ſæpiſſime viſitari, tum ab earum præfectis, tum ab aliis etiam jubeat, quibus id negotii dederit. Iique diligenter ei referant, cum de omni inſtituta earum ratione, frequentiaque illorum, qui conveniunt, tum de reliqua earumdem ſodalitatum ſpirituali progreſſione, eiſdem, quo plures poterit, conſtituat confeſſarios ſacerdotes, & in concionibus habendis exercitatos, quorum & miniſterio adjuventur, & ſalutaribus monitis, crebriſque cohortationibus inflammentur in dies magis ad illud ſcholarum & piarum exercitationum inſtitutum atque ſtudium.

Si quam aliquando concionem ſacram a prandio populo haberi contigerit, ei certa hora ab epiſcopo ſtatuatur; ita ut neque concionator a doctrinæ Chriſtianæ ſcholis, neque hæ ab illo impediantur.

Epiſcopus præterea eam ineat rationem, ut & in hoſpitalibus, & in aliis piis locis, ubi plures, vel mares vel feminæ, curantur, aut aluntur, hoc tradendæ doctrinæ Chriſtianæ inſtitutum introducatur: quo illi paſcantur hoc præterea ſpirituali cibo.

## III.

### *Quæ ad concionatores pertinent.*

Anniverſaria feſtorum ſolenniumque dierum quadam quaſi viciſſitudine, & ſtatis pro ſolennitatum temporumque ratione ſacris cæremoniarum ritibus Dei eccleſia, a Spiritu ſancto inſtructa, redemptionis noſtræ myſteria, & ſacras alias actiones in anno, tamquam uno libro [illegible] fidelibus proponit; qui ſi minus ad ea [illegible] religioſeque aguntur, intelligunt, non eum fructum, quem alioqui perciperent, capiunt. Quo igitur diligentius illi inſtruantur, in dieſque magis accendantur ad publicas ſacras actiones, & myſteria colenda, quæ ſtatis anni ſolennitatibus & temporibus eccleſia Dei celebrat, epiſcopus tum ipſe aliquando, tum concionatores, & parochi certis iis diebus, quibus illa agi, celebrarive contigerit, populum doceant cum ſacroſancta ea myſteria, tum religioſum eorum anniverſariorum cultum, tum ſanctiores ſtatarum in iis colendis ſacrarum cæremoniarum ac rituum rationes & ſignificationes.

Itidem cum ſolennes aliquæ ſtatæ proceſſiones, vel aliæ ſupplicationes, aliqua publica cauſa indictæ, aguntur, vel jubilæum in univerſa eccleſia indictum celebratur; conciones ab eiſdem habeantur. Quibus præter cetera explicentur cauſæ, quamobrem aut jubileum celebretur, aut illæ ſupplicationes fiant; tum excitentur atque admoneantur fideles, quam religioſe incumbendum ſit ei ſanctæ actioni quidque ab illis præſtandum, ut illius jubilei ſpirituales divitias ipſi conſequantur.

Ut autem religioſa animi præparatione hi ſolennes dies a fidelibus colantur, non ſatis illi id eſſe putent, myſteria illa a ſe ſermonibus concionibuſve, iis ipſis diebus, quibus celebrantur, explicari, ſed feſtis etiam, aut dominicis diebus eas ſacras vel ſolennitates vel actiones proxime præcedentibus, eoſdem concionibus inſtruant, & eorum animos menteſque præparare atque inflammare ſtudeant, cum ad omnem religioſum myſteriorum, quæ ſancte aguntur, cultum, tum maxime pro ſolennitatum ratione, ad pœnitentiæ ſacramentum, & ad ſacram euchariſtiam ſumendam.

ANNO CHRISTI 1573.

Id vero etiam ſervetur, cum ſtata jejuniorum tempora, adventus domini, ſeptuageſima, & ejuſmodi inſtant.

De ſacramento etiam chriſmatis populum inſtruant in illis pentecoſtes diebus, quibus potiſſimum ab epiſcopo id ſacramentum ſolenniter miniſtrari ſolet.

Parochi autem id omne inſtruendi populi officium præſtent ad præſcriptum inſtructionis quæ eo nomine cura noſtra conficietur ad communem provinciæ uſum.

Ne patiatur parochos, cujuſvis ordinis regulares in ordinis ſui eccleſiis, intra fines parochiæ ſuæ ſitis, concionem habere, niſi ex ſcripto teſtimonio perſpexerit, eos muneris ejuſmodi in illis eccleſiis obeundi cauſa, ſe ad epiſcopum cum concionandi facultate, quam a ſuperioribus ſuis ipſi obtinuerint, contuliſſe, & benedictionem, ut Tridentino concilio cautum eſt, ab eodem petiiſſe: neque itidem in alienis ejuſdem parochiæ eccleſiis, niſi ibi concionandi facultatem ſibi ab epiſcopo literis conceſſam illi oſtendant.

Seſſ. 5. de ref. c. 2.

Quæ in concilio provinciali primo de prædicatione verbi Dei, & quæcumque item alia concionatoribus a nobis præſcripta ſunt, ea quo diligentius ſerventur, illam cautionem adhibeat unuſquiſque epiſcopus, ut cum eorum cuiquam in ſua diœceſi concionandi poteſtatem faciet, vel benedictionem impartiet, illa omnia, & alia eo genere in noſtram concionatorum inſtructionem, ad communem provinciæ uſum ſimul redacta, & quæ item epiſcopus eccleſiæ ſuæ rationibus accommodata, ab illis ſervanda cenſuerit, illis literis deſcribi jubeat, quibus vel concionandi facultas permittetur, vel præſentationis, poſtulatæque benedictionis teſtimonium fiet.

Quoniam parocho concionante, nonnulli, parum ſalutis ſuæ memores, cum ad illius concionem conveniunt, ſæpe diſcedunt ea non abſoluta, ideo debiti in hoc genere officii ſui eos crebro parochus admoneat, prout neceſſarium eſſe viderit. Quod ſi quos aliquando monitos ex verbi Dei, vel parochi concionantis contemptu in contumacia perſeverare animadverterit, illos ad epiſcopum deferat, qui pro culpæ gravitate eoſdem afficiat tum aliis pœnis, tum, ſi opus eſt, ſacramentorum communione privet ad Carthaginenſis concilii præſcriptum.

c. Sacerdos Diſt. 1. de conſecratione.

Parochus & concionator ſæpe, prout opus eſſe animadverterit, illam decem annorum indulgentiam edicat, ac denuntiet, quam ſummus pontifex Leo IX. in Lateranenſi concilio [illegible] quoties aliquem blaſphemantem accuſarit.

## IV.

*Quæ ad fidei tuendæ ſtudium pertinent.*

Quos oportet, ſacri Tridentini, provincialiſque noſtri concilii primi juſſu in diœceſana ſynodo canones, & decreta Tridentina recipere, fideique profeſſionem præſtare; niſi illos id præſtitiſſe epiſcopus perſpexerit, in ea, quæ proxime futura eſt, ſynodo, ab illis præſtari jubeat.

In aliquem vero certum librum, qui in epiſcopali archivo aſſervetur, eos omnes ac ſingulos cancellarius epiſcopalis ordine referat, tum qui antea præſtiterunt, tum qui in poſterum præſtabunt in ſingulis ſynodis deinceps ſequentibus.

Quicumque litteras & liberales artes quovis nomine, vel publice, vel privatim docent, ii, quales ſint, & reliqui præterea, quibus Pii quarti pontificis maximi conſtitutione, vel ejuſdem provincialis concilii decreto fidei profeſſionem facere juſſum eſt, trium menſium ſpatio illam ad formulam ab eodem pontifice præſcriptam, aut jam præſtitiſſe oſtendant, aut re ipſa præſtent.

Qui vero in poſterum illud legendi, interpretandi, docendique munus ſuſcepturi ſunt, fidei profeſſionem ad idem præſcriptum ante præſtent, quam id ſuſcipiant, exerceantve: Hique & illi omnes in libro notentur.

Parochus ne ullo modo patiatur, in ſuæ parochiæ finibus id, ut ſupra, minus a quodam deinceps ſuſcipi, aut jam nunc ſuſceptum exerceri, ſi is ſcripto epiſcopi teſtimonio non oſtenderit, ſe de fidei profeſſione præſtitiſſe: imo vero ſi ita teſtatum non fecerit, ei illo munere interdicat: ſi non paruerit, ad epiſcopum deferat, qui in eum prout juris eſt, animadvertat.

Et quoniam ad Chriſtianam pietatem hoc valde intereſt, ut inſtituendæ pueritiæ atque adoleſcentiæ munus committatur viris, non ſcientia ſolum, ſed fide, ac moribus vitaque probatis; eam ob cauſam a quo fidei profeſſionem epiſcopus recepturus eſt, ante ab eo cum vitæ ſuæ rationes perquirat; tum, ſi quod teſtimonium fidei morumque a probatis viris habet, afferri jubeat.

Quod ſi ea vel non afferuntur, vel ejuſmodi ſunt, quibus ipſius epiſcopi conſcientiæ ac judicio non ſatisfiat, id ipſum aliunde epiſcopus quærat, ab iis præſertim, apud quos ille diu fuerat, hocque diligentius inveſtiget, ſi vel e longinquis, vel hæreſis nomine ſuſpectis, vel morum corruptela inquinatis locis illum eſſe, aut venire animadverterit.

Hoc præterea diligentiæ adhibeat, ut poſteaquam aliquis, fidei profeſſione ad præſcriptum facta, docendi curam ſuſceperit; ejus etiam vitæ morumque ratio & puerorum inſtitutio aliquando obſervetur, idque in iis potiſſimum ludimagiſtris, qui certa pacta mercede, in diſciplinam ſuam traditos pueros domi educant.

Quorum librorum lectione, explicationeve, puerorum aut adoleſcentium animi depravantur, & mores facile corrumpuntur, quo in genere ii ſunt, qui res obſcœnas & turpes continent; eos, ut indice Tridentino ſancitum eſt, a ludimagiſtris prælegi, explicarive, epiſcopus non patiatur, ac plane vetet ab illis quidquam exponi, quod bonis moribus repugnet, quodque impietatem inducat, ut Lateranenſi ultimo concilio decretum eſt.

Jubeat epiſcopus pueros adoleſcenteſve a ludimagiſtris Chriſtianæ religionis præcepta, atque fidei rudimenta doceri, adhibitis iis ſolum libris, quos epiſcopus ipſe præſcripſerit, prout ad illud inſtituendi munus eos idoneos eſſe judicaverit. Dominicis vero & feſtis diebus, nullo alio præterea doctrinæ genere illos inſtrui liceat, quod omnibus eo ipſo concilio Lateranenſi præſcriptum eſt.

Illud etiam eiſdem præſcribat, ut diebus feſtis ſcholæ ſuæ adoleſcentes, puerosve, aut ipſi conducant, aut frequentes illos convenire jubeant ad ſolenne miſſæ conventualis ſacrum,

ad



ANNO CHRISTI 1573.

ad verbi Dei conciones, ad divina veſperarum officia, ad ſacrarum literarum interpretationes, ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas, & ad alia denique vitæ ſpiritualis ſtudia atque exercitationes.

Hæc omnia an ab iis præſtentur, epiſcopus viſitando aut ipſe, aut alius ejus nomine inveſtiget diligenter, tum maxime, an libros iſti apud ſe habeant, vel ob fidei doctrinam, vel ob morum inſtitutionem damnatos improbatoſve; tum præterea, an qui in eorum diſciplinam traditi ſunt, honeſte educentur.

Profecturus aliquis ad ea loca, ubi etſi catholico etiam more a multis vivitur, impune tamen & publice ab aliis prædicatur, aut creditur, quod a Romanæ eccleſiæ doctrina & fide alienum eſt, profectionis ſcriptam facultatem a ſuo parocho, vel ab eo, quem epiſcopus conſtituerit, ante impetret, quam abeat.

Quibus facultatis literis caveatur, ut & reverſionis tempore, & ſi diutius illis locis fuerit, ſingulis annis teſtatum faciat, ſe catholico more & vixiſſe & vivere: utque id teſtimonium ſcriptum ſit ab illius loci, ubi fuerit, epiſcopo, aut parocho, ſi ibi parochus eſt, aut a catholicis viris, probatis hominibus, illorum locorum incolis. Hocque is, cui eo proficiſci conceſſum erit, præſtet omnino.

Kal. Aprilis 1569.

Quicumque autem ſanctæ inquiſitionis officium, ſtatum, res & miniſtros aliquo modo læſerit, violaritve, contra eum, ut Pii V. conſtitutione ſancitum eſt, epiſcopus agat ad illius ſanctionis præſcriptum.

Quam graviſſimam ſanctionem aliquando, cum expedire cenſuerit, promulgari jubeat.

Pernicioſorum & falſorum librorum, cum perpetua quodam modo peſtis ſit, cui remedium ſemper afferri oporteat, de iis ſæpe & ſummorum pontificum conſtitutionibus & ſacrorum canonum jure, cautum eſt. Poſtremo autem multa tum concilii Lateranenſis ultimi decreto, tum nuper Tridentino concilio & indice utiliter conſtituta ſunt. Quæ ut epiſcopi ſtudio a bibliopolis, impreſſoribus & reliquis item omnibus, quorum intereſt, diligentius, quam hactenus ſit, ubique præſtentur; illa fere omnia, aliaque nonnulla, eodem ſpectantia, quæ addenda cenſuimus, ſimul complexi, provinciali hac conſtitutione toto eo genere ſic edicimus propoſitis, eodem Lateranenſi & Tridentino tum concilio, tum indice, & Pii quarti conſtitutione de eo indice lata, pœnis ſancitis, & aliis præterea epiſcopi arbitratu.

Seſſ. X. Seſſ. 4.

Ut quicumque artem librariam exercet; ab eo ne patiatur epiſcopus libros venales proponi, niſi confecto librorum ſuorum indice, qui ab ſe, aut ab eo, a quo curam in recognoſcendis libris geri is voluerit, & ab inquiſitore etiam ſubſcriptum ſit: neque facultate ſibi ab eiſdem non permiſſa ullos alios cujuſvis generis libros ille habeat, aut vendat, aut quavis ratione tradat, illo indice non notatos.

Ne loco publico, portoriis mercibuſve importandis conſtituto, libros miniſtri publici ejus loci exportari patiantur, niſi qui illos importarint, aut bibliopolæ, aut alii, quorum ſunt, ſcriptum, eorumdem manu ſignatum, attulerint, quo exportandi poteſtas fiat.

Libri non publico mercium loco expoſiti, ſed alio in urbem invecti, ab eo qui invexerint, vel invehi juſſerit, eiſdem denuntientur: nec libri a quovis invecti, vel in urbem introducti; aliis commodentur, aut quavis alia ratione tradantur, antequam hic, qui introduxerit, illis, ad quos recognitio pertinet, indicem eorum oſtenderit, ab eiſdem item facultatem obtinuerit: idque niſi libri id generis ſint, ut eos omnibus permiſſos eſſe perſpicue conſtet.

Ne quis opuſcula, libros commentarios, aliave id generis quovis titulo, & nomine, quæ manu ſcripta ſunt, evulget; niſi ab epiſcopo, aut ab alio ejus juſſu, & ab inquiſitore recognita ſint, atque approbata ſubſcriptionibus.

Ne præterea quis librum, ſcriptumve cujuſvis generis imprimat, imprimive curet, niſi ab eiſdem epiſcopo & inquiſitore recognitum, & ſcripto comprobatum.

Quod recognitionis & comprobationis ſcriptum libri imprimendi principio, recognitorum manu notatum, principio item libri imprimatur.

Libri exemplum auctoris manu & nomine notatum, ubi primum impreſſum eſt, recognitoribus tradatur aſſervandum.

Libris impreſſis, appoſito imprimentis nomine, adſcribatur item annus quo impreſſi ſunt.

Libri, quos typis mandari conceſſum eſt, in codicem a recognitoribus referantur, notato conceſſæ facultatis anno & die, deſcriptis etiam nominibus eorum, quibus eos imprimendi poteſtas facta eſt.

Ne heredes, ultimarumque voluntatum executores, libris a defuncto relictis utantur, aut aliis utendos dent, vel vendant, aliave quavis ratione tradant, antequam illos, aut eorum indicem ipſi epiſcopo & inquiſitori attulerint facultatemque obtinuerint.

De bibliis autem vulgariter redditis, de teſtamento novo in vulgarem etiam ſermonem converſo, de libris preterea, qui de rebus inter catholicos & hæreticos controverſis communi item lingua conſcripti ſunt, ea diligens cautio adhibeatur, ut illorum uſus iis tantum concedatur, quibus epiſcopus, aut inquiſitor de conſilio parochi, aut confeſſarii permittendum judicarit.

Libri de officio & precibus horariis beatæ Mariæ virginis vulgariter, vel Italice, vel Hiſpanice, vel Gallice, vel Germanice, vel partim Latino, partim vulgari ſermone expreſſi, venales ne proponantur neque vendantur. Si qui vero eos adhuc habent, ad ſacræ inquiſitionis officium ſtatim deferre compellantur, ut edita a Pio V. conſtitutione ſancitum eſt.

Idib. Martii 1570.

Caveat epiſcopus, ne libri illi parvuli, quibus preces variæ continentur, falſis ſuperſtitioſiſque titulis aſperſi habeantur aut vendantur, niſi ſuo, aut inquiſitoris, aliorumve theologorum, quos huic muneri præfecerit, diligenti ſtudio primum recogniti & purgati ſint.

Adhibeat idem aliquando aliquot ſuæ civitatis peritiſſimos homines, quorum opera & ſtudio accurate cognoſcat ſi qui peſtiferi ſunt libri, indice Tridentino non notati, quorum uſu & lectione interdicendum ſit ejuſdem indicis auctoritate.

Quos libros id generis cognoverit; ne in urbem, aut in diœceſim ſuam illi invehantur caveat quamdiligentiſſime: eorumque nomina cum ad ſacræ Romanæ inquiſitionis patres deferenda curet, tum aliis provinciæ epiſcopis ſignificet, quo diligentius peſti obſtruatur aditus.

ANNO CHRISTI 1571.

A Qui per urbes præterea, vicos, opida, aliave loca libros venales circumferunt, eorum etiam indicem habeant, cui ab epiſcopo & ab inquiſitore, aut ab iis, quibus librorum recognitio ab illis delegata eſt, ſubſcriptum ſit.

Hos parochus, in cujus parochiæ finibus illi venales libros exponunt circumferuntve, de improviſo aliquando viſitet. Ac ſi aut illorum indicem non habere, aut alios præterea, eo indice non deſcriptos, vendere, habereve comperterit, tum eos epiſcopo, aut inquiſitori denuntiet: tum libros omnes ſequeſtri nomine, donec aliter ab eo, cui denunciarit, juſſum erit. Si libros, indice Tridentino damnatos, improbatoſve apud eos deprehenderit, B illos etiam comprehendi, aut ſuſpenſione ſaltem facta ſibi ab illis caveri curet, ut ad certum diem ſiſtant in judicio epiſcopi, aut inquiſitoris.

V.

*Quæ ad ſacramentalia & ſacramenta generatim pertinent.*

Chriſtianæ pietatis ornamentum, in quo populum fidelem gloriari oportet, altare eſt cæleſtis holocauſti, ſacroſancta illa arbor crucis, in qua auctor humanæ redemptionis pependit Chriſtus dominus. Quamobrem ad Chriſtianæ religionis gloriam inſignis admodum fuit ea veterum pietas, ut crucis ſignum non in C templis ſolum, ſed domi foriſque in parietibus ac veſtibulis, paſſimque in urbe expreſſum appareret, tanquam & præclarum populi Chriſtiani trophæum, & clariſſimum divinæ miſericordiæ monumentum, & ſempiternum denique teſtimonium, quo palam fieret, fideles cum inimicis crucis Chriſti, Judæis, Ethnicis, & hæreticis nihil habere commune, ſed contra eos omnes libere profiteri, quem colunt, dominum Jeſum, & hunc crucifixum. Hoc igitur majorum religioſo exemplo, atque inſtituto, cujus etiam veſtigia in hac provincia aliquot locis perſpici licet, excitatus epiſcopus, illud curet, ut hoc ſacroſanctæ crucis inſigne, vel ligno, vel lapide, vel ubi commode per facul- D tates fieri poteſt, marmore expreſſum, in urbe & diœceſi ſua, ubi trivia frequentiora ſunt, publice proponatur atque erigatur: quo crebrius perſpecta ea, ſacræ crucis ardore fideles ſeſe erigant, tum ad ſummi myſterii, in ea peracti, gratam memoriam, tum ad veram illam gloriam, ad quam Chriſto duce populus fidelis, qui populus eſt acquiſitionis, contendere debet.

Quod præterea alias ſancitum eſt, id pro ſacroſanctæ crucis cultu & veneratione ſervari epiſcopus jubeat, ut ne ea humi exprimatur, neve ſordidis & aliqua labe inquinatis locis.

Singulis diebus dominicis ſacerdos, miſſæ parochialis ſacrum facturus, antequam illud in- E choet, aquam ſale aſperſam benedicendo renovet, eamque, ut moris eſt aſpergat.

8. kal. Junii 1571. Sanctiſſimi domini noſtri Gregorii XIII. pontificis conſtitutio, qua excommunicationis pœna propoſita, ipſo facto incurrenda, interdictum eſt, ne innocentiſſimi agni imagine figuratæ ceræ illæ formæ & per Romanos pontifices ſtatis temporibus conſecratæ minio, auro, aut ullo colore inficiantur; neque venales proponantur, promulgetur in eccleſia eo anno quo illas conſecrari mos eſt in paſcha, & quoties item epiſcopus opus eſſe cenſuerit.

Quod pietatis & Dei honoris cauſa ab ſancta matre eccleſia inſtitutum eſt, ut feſto die purificationis beatæ Mariæ virginis candelæ, & palmæ, aut olivæ, prout locorum conſuetudo eſt, dominico die, qui de palmis dicitur, in eccleſia ſolemni ritu benedicantur: eæque candelæ ſtatis illo tempore proceſſionibus circumferantur, non ſine ſanctiſſima myſteriorum ſignificatione; id, ut inſtituti ratio poſtulat, ita religioſe celebrari debet.

Quamobrem edicimus, ne alio loco niſi in eccleſia, neque dum manibus laicorum tenentur, ſed conſtituto loco poſitæ ſolemnibus ceremoniis benedicantur; & ſingulæ ſingulis diſtributæ, tum palmæ, tum candelæ accenſæ manibus per eos, qui acceperint, geſtentur, ex eccleſiæ inſtituto, dum ſtatis illis diebus proceſſiones & ſacræ aliæ actiones habentur. Utque præterea introducto ei uſui occurratur, quo multis locis in hac provincia fit, ut illæ, vel candelæ, vel palmæ olivæque ſacro eo ritu benedictæ, non in eccleſia a quibuſdam ſumantur, ſed ad eos domum deferantur; & quod gravius eſt, a laicis quibuſdam, quaſi tributum quoddam ſibi a parochis, vel ab aliis quibuſvis debitum, illæ eligantur, decernimus, ut ſalvo, ſi quod patronus aliquis beneficii habet, illas exigendi jure, iis ſolum qui in eccleſia interfuerunt, & illis item tantum tradi liceat, qui iis ipſis diebus ad illam eccleſiam convenire ſolent; ſed non potuerunt, vel quia ægroti, vel alia legitima cauſa impediti.

Ad preces, quæ ſupra puerperam funduntur, cum poſt prolem emiſſam illa actura gratias ad eccleſiam ſe confert, parochus puerperæ domum ne ingrediatur, etiamſi mulier ob adverſam valetudinem eccleſiam adire nequeat.

Feminis præterea, poſt puerperium ad eccleſiam venientibus, panis benedictus, ſub hoſtiæ forma, ne præbeatur.

Fons baptiſmatis ne [illegible] in aliis eccleſiis, quam in parochialibus, ſit, vel epiſcopi conceſſu in illis locis ubi propterea quod parochialis eccleſia longius diſtat, idem populi commodo magis conſulendum eſſe cenſuerit.

Ad ſacri chriſmatis oleum accipiendum, quotannis ante paſcha mittantur, qui accipiant, ut veteri canone decretum eſt.

Sancti item chriſmatis, & ſacri catechumenorum olei vaſcula, ne alibi, ſed in eccleſia, religioſe aſſerventur in ciborio, aliove ejuſdem eccleſiæ certo conſtituto loco, quem epiſcopus comprobarit.

Sacrum præterea oleum infirmorum in eccleſia itidem cuſtodiatur vaſe ab aliorum ſacrorum oleorum vaſculis diſtincto; niſi quibus parochis epiſcopus propter eorum domicilia a parochiali eccleſia diſtantia, illud domi tunc aliquando ſolum aſſervari conceſſerit, cum in parochiæ finibus gravius ægrotantes habent, quibus ſubvenire poteſt, ut quamceleriime ſuccurrendum ſit illius ſacramenti adminiſtratione.

Moneat ſæpe parochus, hocque tum maxime, cum ſacramenta miniſtrat, ut fideles quibus ea miniſtrantur, & qui compatres ad ſacramenta, baptiſmum, & confirmationem adhibentur, enſem, pugionem, & ejuſmodi deponant, memores ſe in omni ſpiritu humilitatis ſanctæque pietatis ſtudio adeſſe oportere ſacris illis myſteriis.

VI.



ANNO CHRISTI 1571.

VI.

*De baptiſmo infantium expoſitorum.*

Infans expoſitus, licet appenſum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur, ſi tamen, re diligenter perquiſita, quemadmodum catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur, Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, & ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.

VII.

*De iis quæ ad ſacram euchariſtiam pertinent.*

Ad ſaluberrimum illum ſacræ euchariſtiæ frequenter ſumendæ uſum parochi, ut primo provinciali concilio juſſum eſt, & concionatores item, quam ſæpiſſime populum cohortentur, naſcentis eccleſiæ inſtitutis atque exemplis, & graviſſimorum patrum vocibus, & uberrima hoc ipſo de genere catechiſmi Romani doctrina, & ſententia denique Tridentinæ ſynodi, quæ optaret quidem fideles in ſingulis miſſis, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam euchariſtiæ perceptione communicare. (Seſſ. 22. c. 6.)

Quod ſi quis concionator, etiam regularis, aliquid contra directe, indirecteve dixerit, aut concionatus ſit; epiſcopus, in cujus urbe, diœceſive hoc ille admiſerit, ei tamquam ſcandalum diſſeminanti, Tridentinæ ejuſdem ſynodi auctoritate, interdicat prædicatione verbi Dei. (Seſſ. 5. c. 2.) Ad cujus prædicationis munus ne idem reſtituatur, niſi primum ejuſdem epiſcopi judicio ſatisfecerit eo ipſo loco, ubi ea in re ſcandalum & offenſionem præbuerit.

Itidem pro ratione culpæ corripiantur, corriganturve, & ſatisfacere quoque compellantur, quicumque vel ſermonem habendo, vel colloquendo hoc in genere offenderint.

Cum nimbi, procellæ, turbines aut grandines impendent; ne ſacerdos ad tempeſtatis procellam arcendam vaſculum adhibeat, in quo ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum aſſervatur: ſed tabernaculum, ubi illud in altari reconditur, patefaciat licet: tumque in ejus conſpectu litanias, aliaſque religioſas preces, ejus rei cauſa inſtitutas, pie ſancteque pronunciet.

Sacerdos cum corpus Chriſti domini ad ægros interdiu in urbe, aliiſque frequentibus locis defert, non ſuperpelliceo ſolum, ſed pluviali interdum indutus incedat, ubi per facultates, & per loci, temporiſque rationem commode fieri poteſt: tum præterea, ubi etiam poteſt, aliqui clerici adhibeantur, clericali habitu, ac ſuperpelliceo induti, qui comitantes una cum deferente, ſanctas religioſaſque preces recitent.

Perfunctus deferendi ſacramenti munere ſacerdos, ubi ad eccleſiam redierit, fidelibus, qui in eo deferendo præſentes adfuerant, quam ex illo pietatis officio conſecuti ſint indulgentiam, denuntiet; paucis verbis eos cohortans, ut in religioſo eo inſtituto ſancte perſeverent; tum pronuntiata oratione, quæ eſt de ſanctiſſimo ſacramento, illos dimittat in pace cum benedictione.

Indulgentia autem a Paulo tertio pontifice maximo corporis domini ſodalitatibus conceſſa, A ſæpe promulgetur; crebriſque cohortationibus fideles incendantur, quo frequentiores illæ ubique locorum inſtituantur, inſtitutæque debitum munus obeant.

Quæ præterea ſodalitates eo nomine, ut alias prima provinciali ſynodo juſſum eſt, inſtitutæ jam ſunt, & in poſterum inſtituentur; regulis utantur ad communem illarum hujus provinciæ ſodalitatum uſum noſtro juſſu edendis: quibus epiſcopus addat, quæ pro urbis, diœceſiſque ſuæ ratione expedire videbuntur.

Parochus iis omnibus, qui intra eccleſiæ ſuæ fines habitant, in paſcha ſacram euchariſtiam ipſe, non ſacerdos alius, præbeat; niſi ob frequentem multitudinem neceſſe ſit alterum etiam B ſacerdotem adhibere.

Quicumque in paſcha ab diœceſi abfuerit, is reverſus, ſe eo tempore ſacram communionem ſumpſiſſe teſtatum faciat ſcripto ſacerdotis, a quo ſumpſerit. Quod teſtimonii ſcriptum manu vel ſigillo ordinarii, aut ejus, cui id curæ ille dederit, munitum ſit; alioquin, ut eccleſiæ præcepto pareat, confeſſus in propria parochiali eccleſia ſacram euchariſtiam ſuſcipiat. Quod niſi fecerit, prout juris eſt, pœna afficiatur.

Ad communicantium purificationem vaſa adhibita, ne alterius rei uſu ſint; eaque propterea in ſacriſtia ſerventur.

C VIII.

*De iis quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent.*

Qui ad confeſſarium, etiam regularem, in aliena diœceſi commorantem, dedita opera ſe conferens, peccata ſua ſit confeſſus, niſi confeſſarius ille, & ab epiſcopo loci, & a confitentis ordinario ad confeſſiones audiendas probatus erit, ei, tamquam inconfeſſo, parochus euchariſtiæ ſacramentum ne præbeat: illius præterea ordinarius, cujus confeſſionem ille ſacerdos confeſſarius non probatus audierit, ne eum patiatur in ſua diœceſi confeſſiones per biennium audire, neque itidem concionari. Quod decretum D quadrageſimæ initio a parocho promulgetur, quibus locis epiſcopo videbitur.

Epiſcopus id confeſſarios ſacerdotes interdum admoneat; ut ſi quando quavis facultate auctoritateve eis licebit pœnitentium vota commutare; ne ea illi commutent, niſi in alia majora pietatis opera, vel Deo gratiora, vel ſaltem quæ tantidem valeant. Qui in re judicanda rationem habeant & ſumptuum, & laborum, & moleſtiarum, & omnium denique incommodorum, quæ pœnitentes perpeſſuri erant, ſi votum, quod ſancte conceperant, re ipſa præſtitiſſent.

Ne confeſſarii ſacerdotes, cum ſibi facultate, vel ex jubilæo, vel ex aliis apoſtolicis li- E teris conceſſa, pœnitentium confeſſiones audire, eoſdemque a peccatis etiam gravioribus, quæ admiſerunt, & a pœnis item, ac cenſuris quibus irretiti ſunt, abſolvere licet, cum eo, qui in irregularitatem incurrerit, diſpenſent, niſi ejus rei facultate illis literis nominatim expreſſa.

Si pœnitentibus pœnitentia præſcribenda eſt aliqua pecuniæ ratione, ne ſibi ſacerdotes confeſſarii eam pecuniam, ſed locis piis attribui curent, ut in officia operaque pietatis erogetur: Neque vero hujus pecuniæ diſtribuendæ curam ipſi ullo plane modo ſuſcipiant.

ANNO CHRISTI 1575. Neque prætereà ſibi dari curent, ſi quid eleemoſynæ cauſa pœnitenti erogandum eſt in miſſæ ſacros ritus faciendos.

Ne confeſſarii regulares eorum peccatorum, quorum abſolutio epiſcopo reſervata eſt, vinculis irretitos pœnitentes abſolvant, quemadmodum a ſancta ſede apoſtolica declaratum eſt, *id eis non licere, quavis privilegiorum ſuorum auctoritate.*

Confeſſariis ſacerdotibus præſcriptæ a noſtris provincialibus ſynodis inſtructiones ad provinciæ uſum, aliæque item, quas eiſdem pro urbis, diœceſiſque ſuæ rationibus, addi epiſcopus cenſuerit, *in literas includantur, quibus vel probationis teſtimonium, vel facultas dabitur illius muneris gerendi.*

Studeat epiſcopus ad ſacrorum canonum, & (Seſſ. 14. c. 8.) Tridentini concilii præſcriptum pro publicorum delictorum gravitatis ratione, & publicam, & ſolennem pœnitentiam in uſum revocare. Quos vero ita ſolenniter pœnitere oportet, menſe ante quadrageſimæ initium ad ſe per parochos deferri curet; ut primum ineunte quadrageſima, illi pœnitentia affici, tum die cœnæ domini, eccleſiæ reconciliari poſſint ſtato ſolenni ritu.

(1. Martii 1566.) Graviſſima illa a Pio V. ſummo pontifice de medicis edita conſtitutio, quotannis ſemel ſaltem, de more promulgetur, ſi id opus eſſe epiſcopus cenſuerit.

Si quibus eccleſiæ ingreſſu, Chriſtianaque ſepultura publice interdictum eſt, quoniam confeſſi, ut eſt ſanctæ matris eccleſiæ præceptum, ſacro paſchæ tempore corpus domini non ſumpſerint; ut eorum interdicti vinculum non relaxetur, niſi primum caverint, ſe tempore eis a parocho præſcribendo, & de peccatis confeſſuros, & ſacram euchariſtiam ſumpturos eſſe, & in poſterum ſanctæ eccleſiæ præceptis, & huic præcipue obedientes fore, quod fit de confeſſione, & de communione paſchæ tempore ſumenda. Parochus deinde populo ſignificet illos ipſos, quos jam interdicti vinculo irretitos denuntiarit, eodem ſolutos.

Quo diligentius fideles caveant, ne excommunicationis ullius vinculis irretiantur, hoc parochi ſæpe præſtent, ut eos doceant, quam gravis excommunicationis pœna ſit & quam valde omni ſtudio cavenda: idque ad præſcriptum faciant inſtructionis, quæ cura noſtra ad provinciæ uſum conficietur.

Idem illi efficiant ex præſcripta ſimilis inſtructionis formula ad ea peccata deteſtanda, quæ frequentius a ſuæ parochiæ hominibus committi animadverterit.

Quæcumque excommunicationum ſententiæ, vel a ſummis pontificibus, vel Tridentini, aliorumque generalium, & provincialium Mediolanenſium conciliorum decretis, vel diœceſanarum cujuſcumque urbis ſynodorum conſtitutionibus latæ ſunt, quibus ipſo facto, vel jure homines irretiuntur; hæ omnes, ſummatim vulgari ſermone expreſſæ, & in tabellam aliquam ordine relatæ, die primo dominico quadrageſimæ in ſingulis cathedralibus eccleſiis, de ſuggeſtu frequenti populo de ſcripto legantur, quo fideles meminerint, diligenter ab illis cavendum eſſe; idque etiam fiat parochialibus illis eccleſiis ſingulis, ubi id fieri epiſcopus expedire cenſuerit.

## IX.

*De iis quæ pertinent ad ſacramentum extremæ unctionis.*

Parochus in ſacramento extremæ unctionis miniſtrando, ex catechiſmi Romani doctrina ægro, ceteriſque præſentibus explicet illius vim, & utilitates, tum ad animæ ſalutem, tum etiam ad corporis valetudinem, ſi hæc ad æternam gloriam profutura ſit.

Quod concilio primo decretum eſt, ut, dum æger integris eſt ſenſibus, extremæ unctionis ſacramentum ei miniſtretur: ſi tamen vel curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino aliquo caſu ſenſum omnem amiſerit, ut nihil plane intelligat; illius decreti ſententia vetitum non eſſe declaramus, quin hoc extremæ unctionis ſacramentum ei miniſtrari liceat, ſi modo adhuc vivat, & dum uſum rationis haberet, pii animi ſignificationem dederit, ut inde judicari poſſit, eum ſacramentum petiturum, ſi adhuc integra mente eſſet.

## X.

*De iis, quæ partim ad ordinis ſacramentum, partim ad clericorum honeſtatem ac ſtudia pertinent.*

Conſtitutione Pii ſecundi pontificis maximi, (17. Dec. 1461.) quicumque clerici ſine canonica diſpenſatione, extra ſtata tempora, vel ante legitimam ætatem, vel abſque dimiſſoriis ordinarii ſui literis, ſe ad aliquem ſacrum ordinem promoveri fecerint, ab ſuorum ordinum quos ſuſceperint, executione ipſo jure ſuſpenſi ſunt; ſique ſuſpenſione durante, illorum ordinum miniſterium functionesve obierint, ſtatim irregularitatem incurrunt: ob quam, præter alias pœnas, contra iſtas canonum jure ſancitas, beneficiis etiam eccleſiaſticis privari poſſunt. Iis igitur pœnis ne quis facile illigetur, illam conſtitutionem quotannis, tum in diœceſana ſynodo promulgari, tum pridie illius diei, quo ſacræ ordinationes habebuntur, edici clericis jubemus, qui initiabuntur.

Infirma valetudine, aliave juſta cauſa impeditus epiſcopus, ſi ſtatas ſacras ordinationes habere non poteſt, & aliquem propterea clericum ſuum ad alium epiſcopum mittere velit, a quo alicui eccleſiaſtico ordini adſcribatur; teſtimonialibus literis ei datis, hæc adſcribat, & teſtata faciat, vitæ in primis & morum probitatem, doctrinam, qua idoneus, examine habito, judicatus eſt, eccleſiaſticum ordinem, quo eſt proxime initiatus, tum prætereà natales, aut diſpenſationem, ſi quam ſuper illis obtinuerit: ſi vero majori ordini adſcribendus eſt, ætatem item & titulum, ſufficientemque cenſum beneficii, vel penſionis, vel patrimonii, quod ille habet.

Quicumque clericus non hujuſmodi literas attulerit, quibus ea omnia adſcripta teſtatave fiant, ordini, cui adſcribi vult, ne adſcribatur perinde ac ſi nullas epiſcopi ſui dimiſſorias literas impetrarit.

De confidentiis conſtitutio, quam ſummus (Kal. Jun. 1569.) pontifex Pius quintus tulit, quotannis in diœceſana ſynodo de ſcripto recitetur ac promulgetur; de loco illius a Pio IV. confectæ ea de re ſanctionis, quæ tota poſteriori hac continetur.

Quod



ANNO CHRISTI 1575. Quod ex concilio Lateranenſi ultimo a nobis provinciali prima ſynodo contra clericos juſſum eſt, qui eccleſiaſtica beneficia obtinentes, canonicarum horarum officium intermiſerint: (Seſſ. 9. c. 9.) id ex Pii etiam pontificis maximi conſtitutione, qua hoc diligentius cautum eſt, contra eodem epiſcopos agat. Ad cujus etiam conſtitutionis præſcriptum eum item mulctet, qui penſionem habens, canonicarum horarum officium de beata Maria virgine dicere omiſerit.

Quod altera provinciali ſynodo decretum eſt, ut clerici, certæ eccleſiæ miniſterio non addicti, feſtis diebus in parochialem eccleſiam, in aliamve epiſcopi arbitratu conveniant ad divina officia celebranda, id præſtent omnes diligenter, etiam qui ſacerdotes ſunt: idque tum maxime in ſolennis miſſæ ſacro, itidemque in veſperarum officio. Quo prætereà tempore in eadem eccleſia ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum, vel in altari adorandum fidelibus publice exponitur, vel inde in tabernaculo reconditur, vel proceſſionis ritu per eccleſiam circumfertur, adſint, munuſque ſuum, & operam præſtent; idque omne, niſi aliquando epiſcopi conceſſu iis alio loco tunc miniſtrare inſervireve licuerit.

Ne cuiquam, antequam prima tonſura is initietur, clericalem habitum ſumere liceat ſine epiſcopi conceſſu, eoque ſcripto dato.

Epiſcopi, qui aut privata monitione, aut edicto publico propoſito, ut ex Tridentini concilii auctoritate a nobis provinciali prima ſynodo mandatum eſt, eos non monuerit, qui eccleſiaſtica quævis beneficia obtinent, aut ſacris ordinibus initiati ſunt, ut clericalem habitum induerent; menſe poſt hujus concilii promulgationem, propoſitis edicto etiam publico pœnis, quæ ipſis conciliis ſancitæ ſunt, eos moneant, ut, etiamſi extra provinciam, & in gymnaſiis publicis ſint, menſis ſpatio clericales veſtes, ordini ſuo congruentes decenter induant, ac deferant. Quos autem ad id temporis non ſumpſiſſe, aut ſemel ſumptas, deinde abjeciſſe, cognoverint, illos pœnis in monitione expreſſis afficiant, eoſque iterum monitos, ſi in contumacia permanſerint, beneficiis eccleſiaſticis, quæ obtinent, omnino privent. Epiſcopi vero, qui jam eos beneficia eccleſiaſtica obtinentes ſemel atque iterum monuerint, ſi ii præſcripto tempore clericalem habitum non induerunt, vel indutum depoſuerunt, pœnam in monitione edictam omnino exequantur; eoſque etiam beneficiis eccleſiaſticis privent, aut privatos declarent.

Ne ſacerdos, neve clericus cujuſvis ordinis præ foribus eccleſiæ ſtet, aut officinas obeat, aut via incedat, aut extra eccleſiam exeat ſuperpelliceo indutus; niſi cum proceſſiones, aut aliud eccleſiaſticum munus & officium obit, quod ſuperpelliceum requirat.

In hortis, ædibus, aliiſve eccleſiarum, aut eccleſiaſticorum hominum locis, ſi ſigna, imagines, aut picturæ ſunt quæ procaces, vel ullo alio modo aliquam obſcœnitatis, turpitudiniſve ſpeciem præ ſe ferunt, ita reconcinnentur, ut offenſionem oculis ne præbere poſſint, aut tollantur, deleanturve ex omni loco ubicumque extant; neque in poſterum ejuſmodi aliquo modo effingantur aut pingantur.

Et quoniam Chriſtianorum hominum mentes facile corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ ab rerum turpium atque obſcœnarum imagine, ideo illas effingi vetitum eſt Conſtantinopolitanæ ſynodi canone: itaque curet epiſcopus; ut quicumque laici homines id generis imagines habent, vel tabulis, vel parietibus expreſſas, pro pietatis Chriſtianæ, cui addicti eſſe debent, ſtudio eas abjiciant, vel plane deleant, vel honeſtatem reconcinnent.

Qui in ædibus canonicalibus habitat, ſi foris pernoctaverit, non probata cauſa ab epiſcopo, aut ab eo, cui is id curæ dederit, unius diei diſtributione mulctetur, præter pœnam, qua pro culpæ ratione ab ipſo afficietur, cui decreto ne in iis locus ſit, qui ab urbe, opidove, ubi canonicale domicilium eſt, abſunt.

Qui in ſacerdotio ſancto conſtituti ſunt, ad offerendum illud Deo acceptabile corporis domini ſacrificium, ſicut eam functionem gerunt, qua nulla major excogitari poteſt, ita in omni ſacerdotalis vitæ officio ſic ſe gerant, ut morum etiam præſtantia & ſplendore alios alliciant, atque excitent ad debitum ſacerdotio honorem illis præſtandum.

Epiſcopus autem, cujus in primis eſt ſacerdotalem dignitatem tueri, ut laici homines diſcant, illos tamquam parentes, ab ipſis unice in Chriſto diligi & coli etiam debere, cum hoc ſæpe, prout uſuvenerit, monendos fideles ſibi commiſſos curet; tum efficiat, ut ubicumque vel publico, vel privato loco ſint, ſemper illis a laicalis ordinis viris debitus tribuatur locus & honor.

Item domi prætereà ſuæ ne patiatur ſacerdotem quemquam abjectius ſe gerere, quam ſacerdotis dignitas poſtulat. Sacerdotes vero morbo, ſenectutisve incommodis affectos, qui ſacerdotale munus præſtare nequeunt, inopiaque premuntur, in locum aliquem cogi curet, aut alio modo eis conſulat & provideat, ubi victus ex fidelium eleemoſynis, aliave ratione ſuppeditetur, ne oſtiatim miſerrime mendicent non ſine ſacri ordinis contumelia.

Magna & ſalutaris populo fideli utilitas ex eo exiſtit, cum clerus is eſt, qui & doctrina & vitæ moribus præluceat. Quare in præcipuis curis epiſcopi cum hæc eſſe debeat, ejus tum ad ſtudia, tum ad eccleſiaſticæ diſciplinæ cultum progreſſiones omni paterna ſolicitudine ille adjuvare ſtudeat. Itaque epiſcopus, inferioris ordinis clericos adoleſcentes, qui ſpem aliquam præbent poſſe eos longius progredi ad doctrinarum eruditionem, ne patiatur ætatem, quæ ad diſcendum apta eſt, fruſtra conſumere; ſed in iis literarum initiis ac ſtudiis, tempus ponere jubeat, quibus aditus eis & progreſſio fiat, vel ad theologiæ ſcientiam, vel ad ſacrorum canonum peritiam, ad eccleſiaſticarumque rerum cognitionem.

Parochus vero & alios provectiori ætate clericos, qui apti ſint iis ſtudiis atque exercitationibus, adſcribat, ut & in ſacroſancti evangelii ſenſibus ii potiſſimum cognoſcendis ac percipiendis verſentur, qui ad populum Chriſtiana diſciplina moribuſque informandum pertinent: & in comparanda etiam doctrina ſe exerceant, quæ in explicandis eſt conſcientiæ caſuum quæſtionibus.

Reliquos autem, de quibus aut ob ingraveſcentem ætatem, aut ob ingenii tarditatem, ob aliamve cauſam, ad literarum doctrinam capeſſendam exigua progreſſionis ſpes eſt, in id ſaltem incumbere jubeat, ut in Romano, vel alio breviori probati auctoris catechiſmo,



pro

ANNO CHRISTI 1573.

pro eorum ingenii captu inſtruantur: iique ſi rudiores jam olim ſacerdotio, alicuive ſacro ordini adſcripti ſint, in ſacrificii miſſæ myſteriorum & ſacrorum rituum, ſtatarumque ceremoniarum cognitione, & in ſanctioribus earum ſignificationibus, atque in ſui ordinis eccleſiaſticarum functionum diſciplina, brevi aliqua inſtitutionis ratione erudiantur.

Hanc autem diligentiam & in urbe & in diœceſi epiſcopus exequatur, tum omni qua poterit ratione, tum aut opera publice docentium, theologorumve, ſeu magiſtrorum, qui in ſingulis cathedralibus, collegiatiſque inſignium opidorum eccleſiis ex Tridentino decreto jam inſtituti, inſtituendive ſunt, aut adjumento regularium, in monaſteriis ſacras literas interpretantium, ſive hoc ipſum munus bonarum artium diſciplinis clericos erudiendi ſuſcipientium; aliqua illis ſtudio ſuo erogata attributave eleemoſyna, vel, ſi opus erit, ab eiſdem etiam clericis contributa, aut ſæcularium ſacerdotum, quos in ſua urbe, diœceſive, peritiores probatioreſque habuerit, ſtudio.

Quorum ſacerdotum caritati ac diligentiæ clericos imperitiores, aut ſingulos, aut complures ſimul, literis & clericalium virtutum diſciplina inſtituendos commendabit. Diligentiæ hujus fructus quo uberior exiſtat, is aliquando per annum doctis adhibitis viris, illorum ſingulorum ad ſtudia progreſſiones, prout expedire exiſtimarit recognoſcat omni paterna ſolicitudine & diligenti ratione, inſtitutis etiam per ſacerdotes homines doctos pro ſtudii ratione, diſciplinarum, quibus ſe eorum quiſque dederit, interrogationibus.

Cognoſcat etiam aliquando progreſſum, quem in ſacrarum ceremoniarum, rituumque diſciplina iidem fecerint; opera adhibita ſacerdotum, eccleſiaſticarum ceremoniarum uſu peritorum, a quibus eos ex alterius provincialis ſynodi decreto inſtrui juſſerit.

Deinde, ut non ſolum in literarum ſtudiis atque exercitationibus, verum etiam in diſciplinæ morum officiis clerus ſe ſtudioſius contineat, in dieſque magis ad clericales virtutes progrediatur; idem & inferioris ordinis clericos ut altera provinciali ſynodo juſſum eſt, & ſacerdotes præterea, modo univerſos, modo partem eorum, modo certos aliquos ſingulos ad ſe aliquando convocet, illorumque uniuſcujuſque vitæ rationes, Chriſtianarum virtutum exercitationes & progreſſus cognoſcat; adhibitis ſacerdotibus in vitæ ſpiritualis, clericaliumque virtutum diſciplina exercitatis.

Convocato præterea ſæpe per annum, ut alias juſſum eſt, ad ſe clero, aut ipſe, aut ſacerdos aliquis [illegible], in eccleſiaſticaque diſciplina verſatus, ejus nomine ad illum remotis laicis, ſermones, concioneſve habeat de ordinis eorum præſtantia & ſanctiſſimis officiis, de virtutibus, quibus clericalis ordinis homines prælucere debent; de vitiis, quibus in populo offenſionem præbere poſſunt, de omni denique clericali morum diſciplina, virtutumque perfectione.

Idem quoque præſtet pridie ejus diei, quo ſtatas ſacras ordinationes habebit, convocatis illo die tum clericis, qui poſtridie eccleſiaſticis ordinibus adſcribendi erunt, tum aliis, quos de clero urbano tunc accerſendos eſſe cenſuerit.

Idque præſtetur præter officium, quod ipſe epiſcopus ex provincialibus noſtris decretis die ſequenti præſtare debet ſermone in explicanda clero populoque doctrina rituum, ſanctiorique ſignificatione myſteriorum, quæ tunc in eccleſia publice ipſe agit.

Cleri autem ſui & doctrinæ & diſciplinæ ratio omnis, quo ſibi exploratior ſit, ſingulorum tum ſacerdotum, tum inferioris ordinis clericorum nomina, vitæ rationem, ſtudia, exercitationes, progreſſiones, ſtatum omnem denique certo libro notari mandet.

Ne a diœceſi clerico cuipiam, neque ab eccleſiæ ſuæ reſidentia alii, eccleſiaſticum beneficium obtinenti, quod quacumque ratione perſonalis reſidentiæ munus jure vel conſuetudine requirat ſtudii cauſa abeſſe liceat, niſi ejus rei facultate literis ab epiſcopo permiſſa.

Quibus ſane literis hæc epiſcopus nominatim adjungat, ac præſcribat iis, qui ad locum alienæ diœceſis ſtudii cauſa proficiſcentur; ut & regulas noſtro provinciali primo & ſecundo concilio de habitus ratione, frequentique ſacramentorum uſu, clericis præſcriptas, & reliqua noſtris item provincialibus, ac ſuis diœceſanis ſynodis decreta, ad honeſtam clericalis vitæ diſciplinam pertinentia, & alia, ſi quæ præterea eo ſibi in genere illi præſcribenda videbuntur, ſervet diligenter. Ut de iis præſcriptis rebus, ab eo præſtitis, ſcriptum teſtimonium ab epiſcopo loci, quo ſtudii cauſa profectus eſt; de literarum autem progreſſione ab doctoribus, quos audit, ad tempus, primo noſtro provinciali conſilio præſcriptum, ſibi exhibeat.

Ut dimiſſorias ejuſmodi literas decem poſt diebus quam ad gymnaſii locum venit, ejuſdem loci epiſcopo exhibeat: de qua exhibitione ad menſis ſpatium ſibi teſtatum faciat: In iis ſic præſcriptis rebus, ſi is nulla legitima cauſa impeditus defuerit, ne dimiſſoriæ literæ ei ſuffragentur, ſed irritæ plane ſint ac nullæ.

Quidquid præterea provinciali prima ſynodo de parochis, ſtudii cauſa literas dimiſſorias expetentibus, conſtitutum eſt, id etiam omne inviolate ſervetur.

## X I.

*De iis quæ pertinent ad miſſæ ſacrificium.*

Miſſæ conventualis ſacrum pro diei feſti, feriæve ratione, ne in cathedralibus, collegiatiſque eccleſiis omittatur, propterea quod eodem die a capitulo etiam pro mortuis, vel ex decretis noſtris provincialibus, vel ex legatis defunctorum, vel alia de cauſa fieri debeat: ſed tunc, ut Honorii III. conſtitutione cautum eſt, & ſemel pro feriæ, feſtive diei ratione, miſſæ conventualis ſacrum fiat, & iterum eodem die pro mortuis.

Quod ad epiſcopalis ordinis obſervantiam in eccleſia inſtitutum eſt, id deinceps ſervetur, ut quo in altari epiſcopus miſſæ ſacrificium fecit, ne illo die in eodem alius quivis ſacerdos faciat, niſi illius conceſſu.

Quod primo provinciali concilio interdictum eſt, ne peregrino ſacerdoti ſine dimiſſoriis teſtimonialibuſve literis miſſæ ſacrum facere liceat, id ei vetitum ſit in regularium etiam cujuſvis ordinis eccleſiis.

Sacerdotem in monialium eccleſiis, ſine epiſcopi conceſſu, miſſæ ſacrum in poſterum facientem, propoſitam altero noſtro provinciali concilio



ANNO CHRISTI 1573.

cilio ſuſpenſionis cenſuram, non ipſo facto ſubire, ut tunc conſtitutum eſt, ſed ab epiſcopo illi infligendam decernimus.

In miſſæ conventualis ſacro introitus, gradualia, offertoria, & alia id generis canantur, quæ eccleſiæ inſtituto, ad eam ſacrificii miſſæ actionem, quæ fit, proprie accommodata ſint.

Si quando autem, quo tempore ſacerdos ſecreta agit, aliquid canendum videtur, ne quidquam canatur, quod etiam illi actioni apte conveniens, epiſcopo non ante probatum ſit. Idemque, quod ad probationem attinet, in aliis divinis officiis ſervetur. Symbolum vero fidei totum a choro, non alternatim organo canatur.

Quod provinciali primo concilio a nobis decretum eſt, ut in eccleſiis, quæ intra parochialis eccleſiæ fines ſunt, dominicis & feſtis diebus miſſæ ſacrum ne fiat, niſi abſoluta parochi concione, quæ mane inter ſacrificium miſſæ habetur, id ſervari jubemus, niſi parochus ante fieri permittat, certa præſcripta hora.

Primam miſſam ſacerdos celebraturus, a ceremoniarum magiſtro, ut juſſum eſt primo provinciali concilio, inſtitutus ſacrarum ceremoniarum diſciplina, miſſæ ſacrificium ante ne faciat, quam illum epiſcopus, aut is, cui ipſe id curæ dederit, illis rite obeundis ceremoniis ſatis inſtructum noverit, ac probarit.

Ne patena, cum oblatio fit, ſed crux aut ſacra aliqua imago offerentibus fidelibus ad oſculum præbeatur.

Seſſ. 22. decr. de obſervandis & evitandis in celebratione miſſæ.

Epiſcopus efficiat, ut qui publice notorieque criminoſi ſunt, ſacris ne interſint, ut Tridentino decreto ſancitum eſt; idque vel monendo agat, vel jubeat a ſacerdotibus miſſæ ſacrum illis præſentibus non inchoari, quoad ipſorum admonitu ſe inde abduxerint; vel alia quavis ratione ſeverius agat, ut illius decreti executioni ſit omnino locus. Tum præterea, niſi vitæ emendatione ſuſcepta, illi confeſſi in ſacro paſcha ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ſuſceperint, contra eoſdem agatur, prout canonico jure in illos agi ſancitum eſt, qui in paſcha non communicant.

Cum audiendæ miſſæ rationem populum parochus docet, quo ex propitiatorio illo ſacrificio uberiorem ille fructum capere poſſit, hoc eum ſæpe admoneat, ut campanæ ſigno dato, quo fideles ad miſſæ ſacrum vocentur, ſe ſe quiſque colligens, ſi ſibi alicujus mortiferi peccati conſcius eſt, ſummo ex eo dolore affectus, vitæque emendandæ certo ſtabilique propoſito ſuſcepto, ſupplex a Deo veniam petat.

Ne vero quis, vel mulier, gradibus altaris hæreat, aut prope altare ſit, dum ſacrum fit. Ideo ſacerdos celebraturus hærentes inde ſe longius abduci jubeat; quo celebrante, hoc miniſtrans clericus præſtet.

Miſſæ ita fideles interſint, ut in omni ejus parte genibus flexis ſint, niſi cum evangelium pronuntiatur, quo tempore ſtent omnes; ac mulieribus etiam tunc ſedere liceat.

## XII.

*De iis quæ ad divina officia pertinent.*

Ne in choro, eccleſia, ſacriſtia, quod ad divinorum officiorum rationem ritumve pertinet, quiſquam alius jubeat, niſi chori præfectus, vel is cui pro officii, quod egerit, ratione id muneris competit, pœna ei conſtituta epiſcopi arbitrio.

Quæ hoc de genere nos primo & altero provinciali concilio ſtatuimus, id præterea decernimus; ut quicumque canonicus hebdomada ſua, aliove tempore, quo vel ſuo nomine, vel hebdomadarii vice, ubi legitime per alium poteſt obiri munus, aliquod officium præſtare debeat, in tempore non convenerit, aut officii ſui munus, neque ipſe, neque ejus nomine, ſi legitimo impedimento diſtinetur, alius ejus eccleſiæ canonicus præſtiterit, vel præfectum de impedimento certiorem in tempore non fecerit, aliqua diſtributionum portione mulctetur epiſcopi arbitratu.

Quo decreto aſtringi etiam eos omnes volumus, qui etiamſi canonici non ſint, aliquod in eccleſia munus obire debent.

Feria quinta in cœna domini, ſinguli, qui in cathedrali, collegiatave eccleſia, vel dignitatem, vel canonicatum obtinent, etiam qui ſacerdotalis ordinis ſunt, & reliqui item ſinguli ejuſdem eccleſiæ clerici, corpus domini in ſolenni miſſæ ſacro, quod illo die in ea eccleſia fiet, ſumant. Idque, niſi ex iis aliqui ſint, qui eo ipſo die debitum miſſæ ſacri faciendi munus alio loco præſtituri ſint.

Religioſis Chriſtianæ pietatis inſtitutis, in uſum introductis, cum ad ſancte agendi ſtudium, adjutrice in primis Dei gratia, progreſſio major in dies eſſe ſoleat: curet epiſcopus, ut ſingulis ſabbatis ſanctiſſimæ virgini Deique matri Mariæ dicatis diebus, ſtata illa & ſolennis, quæ veteri eccleſiæ inſtituto, perpetuoque uſu de ea dicitur, antiphona, Salve regina, vel alia pro ratione temporis, in parochiali, tum urbana, tum diœceſana unaquaque eccleſia, a parocho & reliquis illius parochiæ clericis, quibus ab epiſcopo juſſum erit, ſub veſperum ante crepuſculum ſcilicet, pie religioſeque canatur: convocatis etiam certo campanæ ſigno fidelibus.

Plena ſanctiſſimis myſteriis cum ſit conſecratio epiſcopi, præter multa, quæ tempore, loco, & formula ejus, patrum inſtitutis præcepta ſunt, illud a Felice quarto pontifice maximo conſtitutum etiam eſt, ut anniverſarius ejus conſecrationis dies celebraretur. Quod inſtitutum, jamdiu intermiſſum, ut in hac provincia ad uſum revocetur; ſtatuimus, ab unoquoque epiſcopo anniverſarium conſecrationis ſuæ diem ſolenni ritu agi.

Si vero in conſecrationis diem feſtus dies inciderit cujus feſti diei officium ex inſtituto eccleſiæ transferri non liceat, conſecrationis celebritas in alium diem transferatur, quo agi liceat.

Sacerdotes vero, quo die eorum unuſquiſque ſacerdotio initiatus eſt, illum etiam quotannis recolant miſſæ ſacrificio & precibus.

Quo die aliqua eccleſia vel cathedralis, vel collegiata, vel parochialis conſecrata eſt, is ſingulis annis ſolenni ritu agatur & miſſæ ſacrificiis & divinis officiis & decenti illius eccleſiæ ornatu.

Quod ſi certus conſecrationis dies ignoratur, non eſt tamen de conſecratione dubitatio, illius diem certum epiſcopus ſtatuat.

Qui conſtitutus dies conſecrationis eccleſiæ cathedralis in Kalendarium quotannis referatur, ſtataque ejus celebritas ab univerſo clero agatur. Collegiatæ vero & parochialis eccleſiæ

ANNO CHRISTI 1573.

cleſiæ dedicationis dies celebretur ab illius eccleſiæ clero.

Curet autem epiſcopus, ne eo die, mane ſaltem, quo tempore divina fiunt, ſi eccleſia parochialis ſit, fideles quicumque in illius eccleſiæ, cujus anniverſarius conſecrationis dies celebratur, finibus habitant, ſervilis operis quidquam faciant; neque tabernas, officinaſve aperiant, quo frequentiores conveniant ad illius officii celebritatem.

Poſtridie illius diei, quo omnium fidelium defunctorum commemoratio fit ex antiquo eccleſiæ inſtituto, & divinum officium & miſſæ ſacrum pro mortuis ritu ſolenni in eccleſia cathedrali ab epiſcopo & capitulo fiat pro ſuæ urbis epiſcopis, qui mortem obierunt. Reliqui præterea ſinguli ſacerdotes pro iiſdem illo ipſo die ſacrum faciant. Die proxime ſequenti, pro mortuis canonicis & aliis de capitulo eccleſiæ ſuæ a ſingulis capitulis & cathedralis & collegiatæ eccleſiæ fiat.

Seſſ. 25. c. 13. de regular.

Tridentini concilii auctoritate epiſcopus cum regularibus agat, propoſitis etiam cenſuris & pœnis, ut tum in urbe, tum in diœceſi, ubicumque ii monaſteria habent, una cum reliquo clero ſæculari proceſſiones publicas, ad Tridentini concilii præſcriptum, ipſi obeant, iiſque interſint.

Ut erratis quæ in divinorum officiorum cultu committi ſolent, non in collegiatis ſolum, ſed in aliis etiam quibuſvis eccleſiis & alibi occurratur, ubi vel feſti diei, vel funeris, vel anniverſariorum, vel proceſſionum, vel aliarum rerum cauſa plures clerici conveniunt, epiſcopus certa tabella deſcriptas eorum omnium leges, quæ a clero in illorum officiorum & proceſſionum functionibus, aut caveri, aut præſtari debent, diligenter præſcribat. Quæ leges ut ſerventur, eam ineat rationem, ut quibus in eccleſiis vel officiis præfectus eſt & punctator item; hic, ſi in eorum cultu erratur, errata notet; ille errantes mulctet; ubi vero non eſt, cum illa officia, proceſſioneſve ibi obiri contigerit, aliquis ex clero, qui ad ea obeunda convenerit, certus & punctator ſit, qui in eo officiorum cultu errantes notet, & alios præfectus, cui hæc erratorum ratio, errantumque mulcta ſit commiſſa.

## XIII.

### *De parochis.*

Quicumque parochiali eccleſiæ præficiendus erit, is primum epiſcopo, ut etiam in nonnullis hujus provinciæ eccleſiis conſuetudo eſt, juret ſe ſanctæ ſedi apoſtolicæ & epiſcopo, ejuſque item ſucceſſoribus obedientem fore.

Tum præterea ſe ad Tridentini concilii præſcriptam rationem, reſidentem in eccleſia futurum, quam obtinuit.

Tum jura etiam illius eccleſiæ ſe pro viribus conſervaturum, ac defenſurum eſſe.

Bona denique ejuſdem ſe abſque legitima auctoritate non alienaturum; quæ vero antea ab iis, qui illius curam geſſerunt, injuſte vel vendita, vel alio quovis modo alienata ſunt, ea, quantum in ſe eſt, recuperaturum.

Quicumque canonicus parochialem eccleſiam obtinet, etiam ſi unionis jure, non quidem perpetuo, ſed tantum, dum ipſe vivit, canonicatui, vel præbendæ, quam obtinet, con-

A junctam teneat: in ea tamen parochiali eccleſia, ut ſummi pontificis Pii V. conſtitutione ſancitum eſt, reſideat: nullique parochiali muneri deſit.

Si quis parochus, etiam urbanus, parochiale domicilium non habeat, ubi habitet; intra illius fines domum conducat, quam proxime poteſt eccleſiæ, cujus rationi præeſt; ſi intra fines domus non eſt, quam conducere poſſit, extra, ubi propius eccleſiæ poteſt, conducat; idque judicio epiſcopi.

Parochus, cui ob imperitiam, aliamve ob cauſam ſacerdos alius ſocius, & coadjutor adjunctus eſt ad parochialem curam gerendam, ipſe etiam in propria eccleſia reſidens adſit, & officia B quorum munus ei interdictum non ſit, gregi ſibi commiſſo is etiam præſtet.

Parochus ne ullum teſtificationis genus, e libris ſuis parochialibus deſcriptum, cuiquam tradat, niſi epiſcopi conceſſu.

Id vero niſi ſcriptum aliquod ſit, quo, petenti teſtificatio fiat de ejus ætate, vel natalibus.

Dominicis diebus parochus non ſolum feſtos dies populo denuntiet, ſed etiam illum ſæpe doceat, quæ officia tum in illis, tum in eorum vigiliis colendis ab eo religioſe præſtari oporteat. Eidem præterea ſignificet, atque indicat ſtationes, & indulgentias; quæ epiſcopi juſſu promulgandæ erunt, & publicam, ſi quæ C aliquando ob aliquam indicta eſt, orationem, & proceſſiones, & officia mortuorum in ſua parochiali eccleſia obeunda, ſi quæ ejuſmodi in eam hebdomadam inciderint; ut fideles, parochi ſui voce moniti, aut illis interſint, aut ſi minus poſſunt, facta ſanctorum illorum officiorum ſignificatione campanarum ſono, cum jam ante commoniti intelligant, quæ precationes, quæve officia in eccleſia fiant, ipſi etiam quamvis abſint, vel domui, vel alio loco, ubicumque ſint, pie Deum precentur. Et quoniam præcipit apoſtolus, *ut fiant omnium primum obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietem & tranquil-* D *lam vitam agamus in omni pietate & caſtitate*: ideo parochus fideles iis ipſis dominicis diebus hoc moneat; ut antequam ab eccleſia diſcedant, pro omnibus infra deſcriptis, per orationem dominicam, & ſalutationem angelicam ſancte precando dicant.

Pro fidei Chriſtianæ & ſanctæ eccleſiæ propagatione & pro ſummo pontifice Romano.

Pro epiſcopo ſuo, & reliquis paſtoribus animarum.

Pro principibus, & magiſtratibus.

Pro peccatoribus, ut flagitiorum ſuorum pœnitentes, a Deo veniam petant, & a male agendo averſi, ambulent in via domini.

Ut hæretici redeuntes ad ſanitatem, catholi- E cæ eccleſiæ præceptis erudiantur.

Ut infideles ab impietatis errore liberentur; & Chriſti domini fidem amplectantur.

Pro defunctis, præſertim quorum corpora in illa parochiali eccleſia quieſcunt, ut a pœnis purgatorii liberentur.

Tum præterea, ſi quod malum vel calamitas impendet, itidem faciat.

Tum denique ſi quid eſt, quod vel epiſcopi admonitu, juſſuve, vel ſub parochia hominum aliquo incommodo laborantium, rogatu vel alia ejuſmodi cauſa, tunc maxime ſanctis rationibus opus eſſe animadverterit,

Paro-



ANNO CHRISTI 1573.

Parochus, in ſua quiſque parochiali eccleſia, ſingulis feſtis diebus, ſtata hora, veſperarum officium peragat: idque ea ratione, ut ſi unum pluresve habeat, quibus adjutoribus utatur, illos officii pſalmos, & preces, ut ritus eſt, canat, ſin minus quempiam adjutorem habet, voce alta & clara ita recitet, ut ab iis, qui præſentes in eccleſia adſunt exaudiatur.

Id vero caveat, ne quidquam, vel minimum, quod ad ſtatam illius veſpertini officii rationem pertineat, ulla cauſa omittat.

Clericus, quem apud ſe parochus habuerit, ejuſmodi ſit, ut non ſolum miſſæ inſervire, ſed alia etiam omnia præſtare poſſit, quæ veteri canone decreta ſunt.

Seſſ. 25. c. 2.

Tridentini concilii auctoritate epiſcopus regulares, ad quos animarum cura quovis jure pertinet, compellat, ut in eccleſiis, in quibus animarum cura exercenda eſt, dominicis & aliis diebus, eodem concilio præſcriptis, ſacram concionem habeant: doctrinæ Chriſtianæ pueris rudimenta tradant; tum alia parochorum munera præſtent.

Cum nullum pietatis officium parochus in eorum, qui fidei curæque ſuæ commiſſi ſunt, ſalute adjuvanda prætermittere ullo unquam tempore debeat; tum hoc etiam, audita parochialis cujuſpiam incolæ morte, præſtet, ut ſtatim pſalmum, *De profundis*, ſancte dicat, & omni animi pietate, menteque ſupplici, orationem ad hoc officii genus pertinentem habeat, ut dives in miſericordia ſua Deus illius animæ miſereatur, cujus etiam ipſe in die iræ rationem eſt redditurus.

Ut vero a fidelibus pro mortuo oratio fiat, idem ſignum det campanæ ſono, quo ſignificetur, Ave Maria.

## XIV.

### *De iis quæ ad capitulum pertinent.*

In omni clericali conventu, quem vel publice, vel privatim epiſcopus, aut alii quivis eccleſiaſtici homines habuerint, a ſtata illa oratione, quæ de Spiritu ſancto dicitur, aut ab alia, ad congregationis uſum accommodata, ille, aut is qui conventui præeſt, initium faciat; neque conventus dimittatur, niſi perorata ab eodem altera ejuſdem generis oratione.

Quo facilius epiſcopus in eccleſia ſibi commiſſa, & divinum cultum augere, & canonicorum concordiam, mutuamque caritatem conſervare, & canonicalem diſciplinam tueri poſſit; ſingulis menſibus, aut ſaltem ſæpe in anno, canonicali capitulo intereſſe ſtudeat, vel eo loco, ubi haberi ſolet, vel alio, quo illud is ad ſe convocare maluerit: convocet autem cujuſvis rei cauſa, ob quam expedire judicarit. Quo in capitulo aliquando videat, an quæ de divinorum officiorum cultu præſcripta ſunt, recte, rite, ordine, atque cum dignitate gerantur.

An item, ſi quæ in capitularium rerum, tum ſpiritualium, tum temporalium tractatione irrepſerint, quibus paſtorali ſua cura conſulendum ſit.

An inter canonicos controverſiæ ſint, an diſſidia.

An præſcriptæ capitulo leges inviolate ſerventur.

Tum denique moneat, agatve, quæ & pro muneris ſui officio, & pro rerum agen-

A darum ratione expedire cenſuerit.

Seſſ. 25. c. 6. de ref.

Quod ſi capitulum exemptum ſit, poſſit epiſcopus ex decreto concilii Tridentini illud convocare arbitrio ſuo, eo ſolo caſu, quando ipſe vult aliquid canonicis proponere in re, quæ ad ſuum ſuorumve commodum non ſpectat, & tunc in loco dumtaxat, in quo antea ſolitum fuit capitulum convenire.

Canonici ad capitulum ſtatis diebus accedant, & aliis item diebus extra ordinem eo vocati, conveniant omnes; neque cuiquam, illo per præfectum non dimiſſo, ante diſcedere liceat, niſi ex cauſa præfecto probata, miſſioneque ab eodem impetrata. Qui contra fecerit, arbitrio præfecti mulctetur.

B Si quis canonicus in capitulo non ſuo loco & ordine ſedere, ſententiamve dicere, aut dicentem alium interpellare auſus fuerit, hæc ei mulcta ſit, quam præfectus ei irrogarit: & præterea ne jus ſit in illo, neque in duobus deinceps ſequentibus capitulis, ſententiæ dicendæ.

Neque vero cuiquam locus ſit, jocoſe & ſcurriliter in capitulo loquendi.

Si rixæ & contumeliæ inter aliquos canonicos vel eccleſiæ miniſtros, altercationeſve obortæ ſint; eos præfectus adhibitis, ſi opus fuerit, aliis duobus, tribuſve de capitulo, ſtatim reconciliare ſtudeat.

Quos tamen & alios item omnes, qui ali- C quem ejuſmodi eccleſiæ canonicum, aliumve miniſtrum, quovis modo contumelioſis verbis in capitulo, aut in eccleſia affecerint; idem & punctator epiſcopalis, aut eorum alter ad epiſcopum referat, qui pro culpæ ratione illos, qui deliquerint, plectat arbitratu ſuo. Sin autem præfectus punctatorve huic referendi officio defuerit, ejuſdem etiam arbitrio puniatur.

Canonicis, quibus in eccleſiis alia non eſt, eaque probata conſuetudo, hæc ſit ſedendi, publiceque & collegialiter incedendi præſcripta ratio; primum locum poſt eos qui in illis aliqua præditi dignitate ſunt, teneant canonici, qui presbyterales; ſecundum qui diaconales; tertium qui ſubdiaconales præbendas, canoni- D catuſve obtinent.

Qui ordo ſervetur, etiamſi presbyter canonicus aliquis præbendam, canonicatumve presbyteralem poſt obtinuit, quam diaconus quiſpiam, aut ſubdiaconus canonicus. Itidem juris ſit diacono, ratione ſubdiaconi. In canonicis autem, presbyterales præbendas obtinentibus, is loco prior ſit, qui tempore etiam prior, canonicatus, præbendæve poſſeſſionem adeptus eſt.

Hæcque ordinis ratio a diaconis teneatur, eademque propterea a ſubdiaconis.

Ne cui officium, quod ſibi capitulum commiſerit, recuſare liceat, niſi legitima de cauſa, quæ ſatis occulte ſuffragiis capitulo probetur. Qui aliter recuſaverit, quantum pecuniæ E caperet, per ſex menſes eccleſiæ aſſidue inſerviendo, tantumdem amittat. Qui vero ſibi injuriam a capitulo fieri putat ad epiſcopum confugiat, qui rem omnem cognoſcat & definiat. Ubi autem hoc in genere epiſcopus plus juris habet, ne propterea hoc decreto quidquam ei detractum ſit.

Quæcumque aut theſaurarii, aut cuſtodis, & aliorum id generis officia, munerave a capitulis vel cathedralis, vel collegiatæ eccleſiæ, aut ab aliis, ſive canonicis, ſive inferioribus ejuſdem eccleſiæ miniſtris committuntur, ne plus biennio ab illis, quibus illorum cura procuratiove

com-

ANNO CHRISTI 1571.

commiſſa eſt, geratur: niſi de epiſcopi conſenſu, capitulum quandoque aliter judicarit. Hoc autem decreto ne quidquam propterea illius eccleſiæ privilegio, aut probatæ inſtitutæque conſuetudini derogatum ſit; qua a capitulo ea munera longiori tempore alteri committere liceat.

Canonici duo a capitulo conſtituantur, qui capitularis archivi curæ præſint. Hique ſinguli claves ſingulas habeant, inter ſe differentes, ita ut uni ſine altero archivum ingredi non liceat.

In illis autem conſtituendis ea ratio ineatur, ut in illa cura gerenda duo ſemper verſentur, quorum unus, qui biennio geſſerit, creato in ejus locum altero, ab illius curæ munere abeat, alter autem, qui uno ſolum anno; ſicque perpetuo deinceps ſervetur.

Archivi præfecti ſcripta omnia, in archivo recondita, periculo ſuo aſſervanda, accipiant: idque publici inſtrumenti teſtimonio. Si quid vero fortuiti caſus acciderit, id obſervetur quod jure cautum eſt.

Quam quiſque eorum clavem archivi habet, eam, & ſcripta fidei ſuæ commiſſa, munere ſuæ curæ biennalis confecto, ſucceſſori eadem ratione tradat; idque canonico aliquo præſente, a capitulo delecto.

Nihil tamen derogatum ſit hoc decreto conſuetudini illi, ſi uſquam eſt, ut unus tantum, vel plures canonici capitularis archivi curam gerant, neque item decreto primi provincialis noſtri concilii, ut in iis archivis, quæ communia ſunt epiſcopo & capitulo, altera clavis penes epiſcopum cuſtodiatur.

Inſtrumenta, & reliqua ſcripta, ad ſingulas cathedralis, aut collegiatæ eccleſiæ præbendas pertinentia, quæ apud unumquemque, qui vel dignitatem, vel canonicatum in ea obtinet, aut in poſterum obtinebit, extabunt; in ea, aut illorum exempla, notarii teſtimonio roborata, in capituli archivum, menſis ſpatio deferat. Sin autem aliqua, quo tempore is dignitatem, aut canonicatum obtinet, confecta alii habeant, is ſuis, eorumve, qui ad id ſe obſtrinxerant, aut alias jure tenentur, ſumptibus illa in archivum referat. Quæcumque autem inſtrumenta, aut ſcripta, ad præbendam aliquam ſpectantia, in poſterum conficientur; canonicus, vel dignitatem, perſonatumve obtinens, ad cujus præbendam illa quacumque ratione attineant, ea, illorumve exempla publico notarii teſtimonio munita, menſe, poſtquam confecta erunt, in archivum deferat.

Quæ autem inſtrumenta, ſcriptave ſingulorum, qui præfuerunt, canonicorum dignitatumve obtinentium, tempore conſcripta, ad eorum præbendas ſpectantia, epiſcopus pro eccleſiæ utilitate exſcribenda cenſuerit, capituli ſumptibus deſcripta eodem deferantur. Quod ſi capitulum ad illos, qui iis ſucceſſerunt, qui inſtrumenta illa, aut ſcripta confici curarunt, aliqua ratione id pertinere aſſerat, judicet epiſcopus, cujus ſumptibus id præſtari debeat. Qui huic decreto, a capituli præfecto admonitus, non paruerit, arbitrio epiſcopi mulctetur; & mulctatus etiam compellatur id ipſum præſtare.

In eo itidem capituli archivo liber unus ſit, in quem inſtrumenta & ſcripta cujuſvis generis, quibus ſingulorum canonicatuum, præbendarumve bona, jurave notata ſunt, referantur. Scripti alicujus exemplar ex archivo promi, deſcribive ne liceat, niſi capituli conſenſu. Si vero alicujus ſcripti exemplum aliquando exſcribi oportet; id in archivo, ſi poteſt, alias in loco capituli, aliquo ex præfectis archivi præſente, deſcribi liceat, neque ullo alio præterea modo.

De fructibus canonicatuum, & præbendarum vacantium, a canonicis aut a capitulo recipiendis, conſtitutio a Pio quinto pontifice maximo edita, ab iis, quorum intereſt, ſervetur omnino. Utque in uſum conſuetudinemque introducatur, ac plane ſervetur, id epiſcopus pœnis mulctiſve agat. Neque, quo minus id præſtetur, ullum obſtet privilegium, ullum ſtatutum, neque ulla plane conſuetudo, ut ea ipſa conſtitutione cautum eſt.

## XV.

### *De iis quæ pertinent ad ornatum & cultum eccleſiarum.*

Si qua in cathedrali eccleſia epiſcopalis cathedra loco depreſſo eſt, vel ita collocata ut in populi conſpectu non ſit; id curet epiſcopus, ut quod & a patribus, & a beatiſſimo patrono noſtro Ambroſio inſtitutum eſt, & ab Urbano primo pontifice maximo declaratum, illa ponatur conſpicuo & eminentiori loco, ut inde velut e throno ſpeculationis ſuæ, ipſe populum intueatur, rurſuſque ab eodem conſpiciatur.

Nec in eccleſia, quæ conſecrata ſit, niſi epiſcopi conceſſu, ædificiique forma ab eodem præſcripta, quidquam novi ædificii fiat; non capellæ item, non altaria, ut canonum jure ſancitum eſt.

Quæcumque ad eccleſiarum, capellarum; altarium ædificationem & ornatum, ad ſacrorum indumentorum, veſtiumve apparatum, ad omnem ſacrorum vaſorum ſupellectilem, & ad alia ejus generis, pertinent; ea ædificentur, conſtruantur, & fiant ad præſcriptam formam, quæ inſtitutionibus noſtris eo nomine ad communem provinciæ uſum conficiendis exprimetur. Id vero omne ſervetur quantum per facultates præſtari licet; niſi aliquando epiſcopus aliqua de cauſa aliter cenſuerit. Si quæ ædes, ædificiave cujuſvis generis a laicis conſtructa ſunt, quæ vel eccleſiæ, vel oratorii parietibus continentia, innixaque hæreant; qua auctoritate, quove jure ædificata ſint, cognoſcat epiſcopus: idque ſibi oſtendi ab eis jubeat, qui ædificari curarint. Si quæ autem rure ædificata non demonſtrarint, ea aſportari, amoveri, diruive mandet; niſi eccleſiæ, cui continentia hærent, cum dominorum conſenſu, attribuenda potius cenſeat.

Sin autem jure conſtructa ſunt, eaque ædificia, aut ſtabula, aut loca ſordido uſui accommodata, addictave ſunt; ea, disjectis & amotis ſordibus, ad honeſtiorem uſum converti, epiſcopus jubeat: hocque ipſum a parochis item, & aliis præſtari mandet, etiam in ædibus eccleſiaſticis.

Neque in poſterum a laicis ita ædificari, aut ædificata ad ſordidum uſum a quibuſvis adhiberi epiſcopus permittat.

In atrio vero eccleſiæ ullo modo ædificari a laicis ne permittat, ut canonum jure interdictum eſt.

Graviſſimis rationibus hoc Paulus apoſtolus monet, ac præcipit, ut mulieres in eccleſiam conveniant velato capite: hoc ipſum docet

prin-



ANNO CHRISTI 1573.

princeps apoſtolorum Petrus; cujus etiam juſſu ſanctiſſimus pontifex, qui in ejus locum ſucceſſit; Linus decreto idem ſancivit. Quare apoſtolicis iis inſtitutis nos adducti, & animadvertentes præterea ab antiquis illis ſanctiſſimarum mulierum exemplis, veterique bene inſtitutarum civitatum diſciplina atque uſu, ab omni denique ratione, ut ab eccleſiæ patribus explicatum eſt, hoc valde eſſe alienum, ut capite aperto illæ incedant, illud admonemus, ut epiſcopi, ubicumque eſt, in ſuis vel urbibus, vel diœceſibus, is depravatis moribus introductus uſus, quo maximo poſſunt, ac debent, paſtoralis ſolicitudinis officio illum eripere ſtudentes, hoc in conſuetudinem introducere curent, ut velo caput ipſæ induant, idque præſertim cum vel ſacras proceſſiones proſequuntur, vel in eccleſiam conveniunt.

Epiſcopus ex Tridentini decreti juſſu, ſingula monaſteria; in quibus non viget regularis obſervantia, aliaque eccleſiaſtica beneficia, quæ commendata ſunt, quocumque nomine nuncupata, intra diœceſis ſuæ fines poſita, quotannis viſitet, idque opportunis omnibus remediis facta etiam fructuum, ad illa pertinentium, ſequeſtratione provideat, ut quæ reconcinnari aut inſtaurari oportet, ea omnino vel reconcinnentur, vel reſtituantur; tum indumenta præterea, ornamentorum ſupellex, & ſacræ veſtes comparentur; ac miniſteria, quæ ad divinum cultum ſpectant, recte, ordine, & cum dignitate in illis præſtentur.

## XVI.

### *De iis quæ ad bona eccleſiaſtica tuenda pertinent.*

Epiſcopus procuratorem, advocatumque conſtituere omni ratione curet, qui bonorum, juriumque eccleſiaſticorum recuperationem incumbat; ut illis ſuccurratur eccleſiis, quarum rectores, adminiſtratoreſve, aut præ inopia non poſſunt, aut metu & opibus adverſariorum illa recuperare non audent, vel alia cauſa negligunt. Horum utrique ab illis certam mercedem in ſingulis cauſis, quas egerit, perſolvi jubeat, ſi per eccleſiarum, quarum patrocinium illi ſuſceperunt, facultates, epiſcopi judicio, poteſt: ſin minus, gratis interea omnia ab uno & altero item agi curet; ita tamen ut pro illorum laboris operæve ratione, cauſis, in quibus elaborarint, peractis, ſi quid vel juris, vel emolumenti eccleſiis illorum opera acquiſitum ſit, de eo illis arbitrio ſuo ſatisfieri mandet. Si vero contra acciderit, uberius illi a Deo, bonorum omnium remuneratore præmium expectent.

Si quis clericus, aut ſacerdos ulla cujuſvis generis ſcripta, ad eccleſiæ rationes pertinentia, occultarit, ſuppreſſeritve doloſe: is pœna afficiatur quæ Agathenſi, & Aurelianenſi ſynodis contra clericos, hujus culpæ reos, ſancita eſt.

Quod provinciali ſecundo concilio pœna excommunicationis propoſita contra eos ſancivimus, qui eccleſiaſtici hominis mortui bona, vel temere invadunt, vel ſurripiunt, eo decreto illos item aſtringi volumus, qui vel nulla invaſione, aut vi facta, ex illius mortui clericalis hominis ædibus ſupellectilem, remve ullam, ſeu ſcripta ad eccleſiam, cui ille rector præerat, pertinentia, ante aſportant, aut evehunt, quam ab illo, cui id curæ ab epiſcopo commiſſum eſt, in indicem relata ſint illius mortui bona mobilia, libri & ſcripta, ceteraque ejus generis, quæ in hereditatem caderent. Hoc itidem decretum, ut illud, quotannis de more promulgetur.

Epiſcopus, ubi clerici cujuſvis, qui eccleſiaſticum beneficium obtinuerit, mortem audierit, ejus heredes compellat, ut quæcumque ſcripta, inſtrumentave, ad illud beneficium pertinentia, quæ in mortui clerici bonis inveniuntur, alteri clerico qui in beneficium ſucceſſerit, ab eis tradantur gratis, ac ne ullo quidem, vel minimo pretio pacto, aut exacto, etiamſi clericus, qui deceſſit, in illorum exemplis deſcribendis aliquid ſumptus erogarit.

Decimarum eccleſiaſticarum inveſtituras, quæ laicis hominibus in perpetuum factæ ſunt, epiſcopus pro officii ſui munere diligenter accurateque recognoſcat.

Quod ſi eas legitima auctoritate minus confirmatas eſſe compererit; irritas illas, ac plane nullas declaret ac decernat.

Si quibus in locis generatim ab omnibus fructuum, qui ex prædiis colliguntur, decimæ parochiali eccleſiæ ſolvuntur, in iis quiſpiam forte eſt, qui illas exolvere recuſet, quoniam ſibi perſuadet, alicujus privilegii, aut cauſæ prætextu immunem ſe eſſe: huic epiſcopus certum breve tempus præſcribat, quo præſcripto tempore is aut privilegium exhibeat, aut cauſam afferat immunitatis ſuæ.

Quod ſi ille quidquam, quod leve ſit, ad illius immunitatis jus tuendum, vel nihil plane attulerit, id epiſcopus curet diligentiſſime, ut is illas quamprimum præſtet; quippe cum in decimis, & quæ ejus generis ſunt, præſcriptioni non ſit locus.

Ne cuipiam bona decimarum jure eccleſiæ obſtricta, e ſolo aſportare liceat, niſi ad aſportationem, aut ad deſcriptionem vocato eccleſiæ rectore parochove, cui illæ ſolvuntur. Itaque qui decimas debet, ea bona domum ſuam, aliove aſportaturus, id biduo ante eidem rectori ſignificet, vel literis, vel certo nuntio; ut præſens illis vel aſportandis, vel deſcribendis adeſſe, ſi velit, utique poſſit. Quod ſi ille tunc aberit, id uni de ejus familia nuntiandum curet, aut illius eccleſiæ, domuſve parochialis valvis ſcriptum affigi jubeat, quo aſportatio ea denuntietur. Quod ſi diutius illa bona in ſolo eſſent, eis detrimentum, damnumve immineret: tum, vel abſente rectore, aſportari liceat. Hoc vero noſtrum provinciale decretum habere locum declaramus, quibus in locis non aliter expreſſe cautum ſit aliquali ſingulari conſtitutione, aut privilegio, aut conventione.

De notariis, legata pia non denuntiantibus, decretum, in altera provinciali ſynodo editum, quotannis die dominico adventus ultimo, & quadrageſimæ ſecundo, in unaquaque parochiali eccleſia promulgetur.

Quæcumque vero ad pios uſus, vel legata, vel relicta, vel donata ſunt; ea ſibi jam denuntiata, aut alio modo cognita, epiſcopus trium menſium ſpatio in librum certum ordine referri curet.

Quo præterea libro quamprimum, ejuſdem juſſu notentur, quæ deinceps quovis modo ſcierit ad eos uſus legata, donatave.

Teſtatorum piæ voluntati ne fraus fiat, epiſcopalis curæ eſt: quamobrem quæcumque vel

res,

ANNO CHRISTI 1573.

res, vel pecunia, cuipiam ſacerdotum conventui, vel alii cuipiam homini, legata eo nomine eſt, ut pauperibus in eleemoſynam conferatur; ea neque tota, nec vero pars cuiquam ejuſdem conventus ſacerdoti, neque univerſo etiam illorum conventui, nec ab illo ſibi ipſi, ne paupertatis quidem cauſa, vel ulla egeſtatis ſpecie, diſtribuatur, niſi hujus rei facultate ab epiſcopo, eaque ſcriptis data.

Quæ legati nomine relicta ſunt, certo pio uſui, ea ne neceſſitatis quidem cauſa, nec vero heredum ejus, qui reliquerit, conſenſu, ad alterius rei, quæ æque item pia ſit, uſum convertantur: niſi epiſcopus, re tota primum cognita, illius commutationis poteſtatem fecerit, quæ juris permiſſu ab eo fieri poſſit.

## XVII.

### *De iis quæ ad matrimonii ſacramentum pertinent.*

Religioſam animi præparationem requirit matrimonii ratio & ſanctitas, quam cum minus intelligant laici homines, fit ut ſæpe graviter in re peccent, quam ſancte inire debent.

Crebro igitur cum uſuvenerit, parochus hoc ipſum populum doceat, ad idque adhibeat catechiſmi Romani locos & doctrinam.

*Seſſ. 24. decret. de ref. matrimonii c. 1.*

Epiſcopus diligenter perquirat, an in ſingulis ſuæ civitatis & diœceſis parochialibus eccleſiis Tridentini decreti de matrimoniis clandeſtinis promulgatio facta ſit; & ubi factam eſſe intellexerit, ejus, quæ primo in quacumque parochiali eccleſia facta ſit, ſi ſcripto teſtatum eſſe poteſt, exemplum, manu notarii ſignatum, ad ſe deferri jubeat.

Quod ſi minus ſcripto, ſed ſolum teſtibus probari poteſt, eo notario abhibito, examinari mandet. Si vero de promulgatione facile conſtare non poteſt, aut illa omnino facta non eſt: illud decretum duorum menſium ſpatio in ſingulis eorum parochialibus eccleſiis, notario & teſtibus adhibitis, promulgari omnino jubeat: & quidquid ad illius decreti promulgati probationem pertineat, id notarii teſtimonio munitum, in epiſcopali archivo aſſervetur.

Matrimonii denuntiationes in poſterum a parocho ne fiant, niſi iis ipſis petentibus, aut conſentientibus, de quorum matrimonio contrahendo agitur. Quod ſi diverſis in parochiis illi habitant, utriuſque item parochus hoc ipſum ſervet. Neque matrimonium alter parochus denuntiet, niſi ab altero parocho certior factus ſit de poſtulatu, aut conſenſu illius, qui ſuæ eſt curæ ſubjectus.

Inveſtiget etiam ipſe parochus diligenter, aut alius ſacerdos cui facultas data in matrimonium jungendi ſponſos, an quod denuntiaturus eſt matrimonium, in eo aliquod ſubſit impedimentum, quo minus contrahi liceat. Quod ſi in aliqua probabili conjectura extiterit, qua exiſtimet illud inire non licere; epiſcopum ante conſulat, quam ulterius in denuntiationibus progrediatur, ſponſoſve jungat, quos dubitat matrimonio non licere copulari.

Qui falſum aliquod impedimentum malitioſe attulerit, quo futurum legitime matrimonium impediat, ſi prudens ſcienſque hoc fecerit, præter alias juris pœnas, excommunicationis etiam pœna afficiatur.

Ne parochus matrimonio quempiam jungat, qui illud clam contrahere attentarit ſine epiſcopi conceſſu: ut de eo debitas ante poſſit ſumere pœnas ex concilii Tridentini decreto: id autem, niſi delictum hoc ita eſt occulte admiſſum, ut nullum ejus rei indicium legitimum extet.

Ne ſolennes nuptias liceat celebrare, niſi poſt diluculum poſtridie illius diei, qui poſtremus eſt temporis, quo Tridentina conſtitutione nuptiarum celebritas interdicta eſt.

Quo die de matrimonio contrahendo denuntiatio ultima facta eſt, ne eo ipſo die niſi impetrata ab epiſcopo facultate, illud celebretur, id autem præterquam ſi poſtrema ea denuntiatio facta ſit pridie illius diei, quo initium eſt quadrageſimæ, vel adventus, ac niſi item parochus populo antecedente denuntiatione ſignificarit, eo die, quo poſtrema denuntiatio fiet, matrimonium eſſe contrahendum.

Matrimonium quod in eccleſia celebrari debere ſancitum eſt altera provinciali ſynodo, in ea tantum eccleſia celebretur, quæ parochialis eſt.

Celebretur vero mane, non a prandio, idque omne, niſi cum epiſcopus alio vel loco, vel tempore fieri conceſſerit.

Si parochus ſacerdotem alium coadjutorem habet, cujus etiam miniſterio, facultate eidem ſacerdoti conceſſa, utatur ad matrimonia contrahenda inter parochiæ ſuæ incolas: is illam cautionem adhibeat, ut in libro, qui eſt de matrimoniis, illius nomen & cognomen, tum præterea diem & menſem & annum notet, quo ille parochialis curæ ſocius, atque coadjutor adjunctus, facultatem a ſe vel ab epiſcopo conſecutus eſt matrimonia celebrandi. Ne autem matrimonii celebrandi poteſtatem parochus faciat alii ſacerdoti, qui epiſcopi judicio nondum probatus eſt, ut ſacramenta miniſtret.

Ne patiatur parochus, quempiam cujuſvis gradus & conditionis hominem, qui ſibi ignotus in ſuam parochiam ab aliena diœceſi commigrat, cum muliere, quam ſecum conjugis nomine duxerit, in ea habitare, ſi modo vel ex infamia, vel alia legitima ſuſpicione conjicere poſſit, illam habere in concubinam: niſi parochi, a cujus parochia diſceſſit, literis, certo præſcripto tempore, teſtatum ille fecerit, ſibi illam legitimo matrimonio junctam eſſe. Quod teſtimonii ſcriptum ubi attulerit, id in urbe epiſcopo, in diœceſi vicario foraneo exhibeat: qui ſi probandi vim illud habere perſpexerit, a parocho, intra cujus parochiæ fines is venit habitatum, illud, ejuſve exemplum in matrimoniorum codice aſſervari jubeat.

Si vero vicarius foraneus de eo ſcripto aliquid habet, quod ſibi difficultatem, ancipitemque deliberandi curam afferat; illud ad epiſcopum quam diligentiſſime mittat, ut ejus judicio declaretur, an illi fides adhibenda ſit.

Sicut uberrimum ab optima inſtitutione præmium paterfamilias capiet, quicumque liberos, familiamque ſuam ad Dei cultum & ad pietatis, Chriſtianarumque virtutum diſciplinam erudierit: ita quicumque debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiſerit, is expectet ut in die domini ſibi duriſſimum judicium fiat.



ANNO CHRISTI 1573.

De familiæ igitur ſuæ ſalute in primis ſolicitus, tum bonorum operum exemplo, tum crebris cohortationibus ſe ei magiſtrum præbeat ac ducem ad pie ſancteque agendum.

Curet autem, ut nemo quiſquam de familia ſua ſit, qui Chriſtianæ fidei rudimentis inſtructus non ſit, ſive filii ſint, ſive ſervi & ancillæ, ſive alii in famulatu ſuo. Quam ob cauſam ad illius ſcholas, quos de familia ſua rudes norit, convenire jubeat; ſique eam ampliorem habet, domi etiam inſtrui ſtudeat. Idque ad præſcriptas interrogationes parvuli libri, eo nomine editi ad provinciæ uſum.

Ut ſtata hora, datis inſtitutæ orationis communis ſignis campanarum ſono, illa omnis certo loco congregata, ad præſcriptum temporis ſpatium, ſancte oret & precetur.

Ut frequenter illa univerſa confiteatur, & ſacram euchariſtiam ſumat.

Ut ſingulis diebus miſſæ ſacrificio interſit, aut ſaltem in vigiliis, ſtatis jejuniorum temporibus, quadrageſimæ diebus id præſtet: feſtis autem diebus, ut ne quis de ſua familia intereſſe ullo modo omittat.

Ut feſtis præterea diebus ad ſacras conciones, lectiones, ſupplicationes, divina officia, aliaſque pietatis Chriſtianæ exercitationes conveniat.

Ut ne quis iis ſacris diebus opus ſervile faciat.

Ut vigilias & quatuor temporum & quadrageſimæ & alia ſtata jejunia illi in familia ſervent, quibus eccleſiæ præcepto juſſum eſt.

Quo autem tempore, vel jubilea celebrantur, vel ſupplicationes publicæ proceſſionibus fiunt, familiam ſæpe moneant, illis ſanctis actionibus pie intereſſe.

Certis item piorum hominum inſtitutis ſodalitatibus unumquemque de familia ſua aſcribi admoneat; quo ſe quiſque ardentiori ſtudio exerceat in operibus pietatis.

Ne patiatur in familia eſſe quempiam, qui blaſphemus ſit, qui perjurus; qui item corruptis moribus utatur, qui obſcœne quidquam vel loquatur, vel agat; qui aleis ludat, qui denique ceteris turpis vitæ exemplum præbeat. De vitæ præterea ſpiritualis ratione & piis exercitationibus, aut de vitis ſanctorum probatos ſacerdotis confeſſarii judicio libros, in quorum lectione familia aliquando verſetur, domum ſuam introducat, excluſis obſcœne, turpiter, jocoſe conſcriptis, aliiſque id generis libris: unde morum inſtitutioniſque corruptela exiſtere poſſit.

Ut autem in domeſticæ diſciplinæ, inſtitutioniſque officiis illa omnis accuratius ſe contineat, eam aliquando paterfamilias recognoſcat, inſpiciatque in primis, quæ univerſæ ſuæ domus Chriſtiana inſtitutio, qui ſingulorum mores, quæ pietatis vitæque ſpiritualis progreſſio.

Quicumque vero mercaturam, artemque aliquam exercent, non domi ſolum, ſed in ſuis officinis & tabernis, Chriſtianæ vitæ rationes has operariis, inſtitoribuſve ſuis conſtituant.

Has domeſticæ inſtitutionis regulas parochus per annum aliquando, prout e re eſſe viderit, frequenti populo explicet: tum ſæpiſſime & publicis ſermonibus & privatis colloquiis patresfamilias parochiæ ſuæ incolas id moneant atque hortentur, ut quæ eorum propria officia ſunt & munera in familiæ inſtitutione, ea præſtare velint paternæ curæ ſtudio.

Quod cohortationis officium, etiam concionatores & confeſſarii ſacerdotes quam frequentiſſime, prout opportunum eſſe cenſuerint, caritatis zelo præſtent.

Parochus præterea, ubi aliquando in artificum, mercatorumve officinis, quæ intra fines parochiæ ſuæ ſunt, ab operariis, aliiſve, qui illic artem exercent, aliquid committi intellexerit, quod depravatæ, diſſolutæque diſciplinæ ſit, quod offenſionem in parochia præbeat, quodque a Chriſtianæ inſtitutionis moribus alienum, id officinarum dominos admoneat, ut quidquid in illis locis corruptelarum eſt inde eripiatur.

Una omnium optima indigentiæ noſtræ interpres, & conciliatrix eorum quæ neceſſaria, tum ad animæ, tum ad corporis bona a Deo Patre expetuntur, eſt oratio ſancta. Cujus ſtudium ut proprium fidelium eſt, ſic neceſſarium, atque omnino juſſu divino debitum? id cæleſtis magiſter Chriſtus dominus exemplo docuit, vere præcepit, crebris cohortationibus monuit. Eo igitur ſtudio fideles quo vehementius exardeſcerent, ſeſeque quotidie ſinguli certa hora colligentes, id quod Chriſtianarum mentium eſt, vitæ a ſe illo die actæ rationes inſpicerent, maleque actæ pœnitentes, ardenti oratione veniam precarentur, & Deo gratias agerent de beneficiis, quæ acceperint, inſtituta eſt in hac provincia orationis communis exercitatio: quæ ad Chriſtianæ pietatis progreſſionem introducta, ut perpetuo conſervetur & augeatur item, id cum omni ſtudio epiſcopus curet, tum propoſitis ſpiritualis gratiæ muneribus, ſedis apoſtolicæ benignitate, ejus rei cauſa conceſſis. Itaque a parochis ſuis ſingulis ſanctiſſimi domini noſtri Gregorii XIII. literas de indulgentia, hujus provinciæ hominibus conceſſa, qui in orationis communis inſtituto ſeſe exercuerint, ter in ſingulos annos de ſcripto, vel ſummatim pronuntiari jubeat, ſemel ineunte adventu, iterum dominico die quadrageſimæ primo, tum ſolenni die pentecoſtes.

Epiſcopus præterea, pro temporum ratione certam horam ſtatuat, qua datis hujus rei cauſa campanarum ſignis, patresfamilias, ſuæ quiſque domi, una cum reliqua familia certo loco ad orandum conveniant. Ut autem, qui in eo precandi inſtituto ſe exercuerint, indulgentiæ conceſſæ donum conſequantur, diem itidem dominicum quadrageſimæ, proxime præcedentem, is conſtituat, quo illi confeſſi omnes ſimul ſacram euchariſtiam ſumant.

Imminentibus vero calamitatibus, quo tempore cum nullum certius præſidium ſit, quam illud, ut fideles ad Deum patrem miſericordiarum aſſiduis precibus confugiant; certam aliquam præterea rationem is diligenter ineat, ut & a clero populo ſine intermiſſione, ac religioſius in orationem incumbatur.

## XVIII.

### *De iis quæ ad epiſcopalem forum pertinent.*

Epiſcopus anni ſpatio ad ſummum, fori ſui judiciis, cauſis & judicibus, advocatis, procuratoribus, notariis, & miniſtris quibuſcumque,

ANNO CHRISTI 1573.

que, etiam infimis, quibus in rebus opus fuerit, certas conſtituat leges, ad urbis diœceſiſque ſuæ uſum accommodatas. Illiſque omnibus certam etiam taxam præſcribat, quam pro ſui, vel operis, vel officii, vel laboris mercede, proque cauſarum & judiciorum ratione exigi ab unoquoque liceat. Quæ fori præſcriptæ leges, atque taxæ, in cancellaria publice propoſitæ ſemper ſint, ut notæ ſint & pervulgatæ omnibus.

Cauſæ quæ decem aureorum nummum ſummam non excedunt, ſummarie, ſimpliciter, ac de plano, ſola rei veritate perſpecta, ſine forma judicii cognoſcantur; id quod ab hujus provinciæ epiſcopis agi licet ex facultate a Pio V. pontifice maximo eiſdem epiſcopis conceſſa.

Nullum neque munus, neque donum, neque cujuſvis generis xenia, ne eſculenta quidem, poculentave vicarii ab iis accipiant, qui coram eis cauſas vel habent, vel agunt. Ne pecuniæ item quidquam ordinarius, delegatuſve judex accipiat pro recognitione, aut, ut vocant, viſione ſcripturarum ad cauſas, quæ apud ſe aguntur pertinentium.

Pro ſingulis literis dimiſſoriis, quæ pro ſuſcipiendis pluribus, omnibuſve minoribus, vel etiam majoribus ordinibus conceduntur, itemque pro ſingulis literis, quibus notarius teſtamentum faciat, plures, omneſve ordines alicui collatos eſſe, decimam partem aurei nummi tantum ad ſummum a cancellario accipi liceat; ac ſi ex literæ de uno tantum ordine ſuſcipiendo, vel ſuſcepto eſſent datæ. Idque ſi modo nullum ei ſalarium pro officii ſui munere exercendo conſtitutum ſit: neque ad epiſcopum ex notarii commodis aliquid emolumenti ex eiſdem ordinum collationibus, literiſve dimiſſoriis, directe vel indirecte pervenire poſſit: alioqui gratis omnia dentur, ut eſt a Tridentino concilio ſancitum.

Seſſ. 21. de ref. c. 1.

Acta omnia notarii in codicem, non in pagellas referant, quamvis eas chordula inſigant; idque præſtent, menſe ſaltem, poſtquam rogati illa confecerint.

Certus in archivo epiſcopali locus conſtituatur; ubi cauſarum ac judiciorum codices, inſtrumenta, acta, ſcriptave alia, a cancellario, & notariis fori epiſcopalis, ad ipſum forum pertinentia, ſingulis annis confecta, quotannis recondantur, ita ut inde, cum uſuvenerit, promi poſſit quidquid in eccleſiaſtico foro unquam agitatum erit.

Is certus archivi locus duabus clavibus claudatur; quarum unam epiſcopus, alteram ejus cancellarius habeat.

Notario autem inſtrumentorum, quæ confecit, exemplum, idque ſumptibus ſuis habere aut retinere liceat.

Si cancellarius, notariuſve aliquis deceſſerit, vel ab officio ſe abdicarit, amotuſve ſit, quæcumque ille, vel inſtrumenta, vel ſcripta, vel acta ejuſmodi confecit, ſtatim epiſcopi juſſu in eumdem locum deferantur. Quod ſi proceſſus alicujus cauſæ nondum ſit completus, & cauſam, ob quam confectus eſt, partes proſequantur, ejus in archivum delatio differri poterit, quoad cauſa ſit peracta. Ex archivi tabellis, exemplaribuſve, ſi quæ unquam acta, aut inſtrumenta, quæ notarii manu, ſignoque munita, fidem faciant, exſcribi contigerit; is, qui rogatus notarius illa confecit, ſi vivit, ut operæ ſui emolumenta conſequatur, eorum exemplum, modo edi liceat, ipſe conficiat, ſi præſens eſt: ſi vero abeſt, id ſervetur, quod jure cautum eſt: ſin autem obiit, id epiſcopalis cancellarius præſtet: mercedem autem inde capiant notarii heredes, niſi aliter inter epiſcopum, & notarios conveniatur.

Teſtium dicta, & atteſtationes, in cauſis civilibus ne ſcribantur ab alio, quam ab ipſo cauſæ notario, ſive actuario, vel ab alio ejus nomine. Quæ atteſtationes ipſi notario cauſæ, ſive actuario conſignentur, & aſſerventur ut poſt in archivo una cum toto proceſſu recondantur, ubi cuſtodiuntur aliorum actorum monimenta.

Idem decernitur de inſtrumentis, actiſve dictæ cauſæ; quibus decretum judicis adſcribi contigerit.

In aliis vero omnibus, quibus auctoritas, decretumve epiſcopi ſit interponendum, cancellarius tantum vel notarius adhibeatur.

Vicarius foraneus, atque alii, quibus epiſcopus proceſſum aliquem aliunde, ſervata juris formula, cognoſcendum agendumve mandaverit, ſi proceſſu conficiendo notarium non habent, quem adhibeant, duos ſibi morum vitæque integritate homines, qui acta conſcribant, ad præſcriptam juris formam aſciſcant. Iiſque mercedis taxa major ea ne ſit, quæ notariis fori præſcripta eſt, ſed aut æqualis, aut minor, pro illius loci ratione.

Procurator, qui cauſam iniquam in foro eccleſiaſtico ſciens defenderit; quive quidquam negaverit quod verum ſcierit, fori eccleſiaſtici auditorio adituve interdicatur, niſi is legitime ſe purgarit. Qui præterea in publico concubinatu aut adulterio vivunt, aliique publice criminoſi; a foro epiſcopali ita arceantur, ut nec notarii, nec procuratoris, nec advocati officium, ne in ullo quidem cauſarum genere, gerant. Inferiores quoque miniſtri in Chriſtianæ vitæ officiis contineantur: curent epiſcopi, ut a ganeis, a meretricibus, a ludo cujuſvis generis, ab improbatis quæſtionibus abſtineant; ne blaſphemi ſint, nec vitæ moribus reprehendendi. Si quos deliquiſſe compertum erit, in eos animadvertatur.

Quotannis fori ſui tribunal epiſcopus viſitet; inquiratque an præſcripta fori ratio, præfinita taxa ſervetur: tum præterea, an ſi quæ corruptelæ, ſi quive abuſus irrepſerint, an ſi quid denique vel inſtitui, vel emendari oporteat: idque ſolicite in primis curet, ut eripiantur abuſus, tum reſtituantur quæcumque ad rectam judiciorum formam attinent.

Epiſcopus non ſolum per certos homines, ut primum a nobis conſtitutum eſt, ſed etiam ipſe aliquando in anno carcerem viſitet: in eoque incluſos paterna caritate conſoletur, pieque in domino adhortetur.

Videat item, ut eis ad corporis ſuſtentationem, & ad juſtum patrocinium non deſit quidquam; tum in primis non libri ſpiritualis lectio, non crebræ religioſorum hominum cohortationes, tum ne denique aliquid ad animæ ſalutem.

Curet etiam, ut, qui in liberiori cuſtodia ſunt, feſtis ſaltem & dominicis diebus miſſæ ſacrum audiant, aliquo, ubi fieri poteſt, exædificato prope carcerem ſacello; tum doctrinæ Chriſtianæ rudimentis inſtituantur. Idque officium iis præterea præſtetur, qui in ſæcularis fori liberiori carcere ſunt.

Ut omnes in paſcha confeſſi ſacram euchariſtiam pie & ſalutariter ſumant. Quod ut die natali



ANNO CHRISTI 1573.

natali domini, & aliis anniverſariis redemptionis noſtræ ſolennitatibus, indictiſque publice jubilæis ac indulgentiis faciant, eoſdem cohortetur.

Pupillorum, viduarum, & egentium hominum cura epiſcopo, communi omnium parenti, a ſacroſanctis canonum legibus potiſſimum commendata, & commiſſa, negligi non debet: ne ſi lædantur, vociferentur ad dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro ſui muneris officio epiſcopus aliquem conſtituat eccleſiaſticum, vel alium pium hominem, Chriſtianæ caritatis operibus atque officiis deditum, qui miſericordiæ viſcera indutus, id generis hominum patrocinium in omni cauſa ſuſcipiat. Quod ſi aliqui jam huic pio operi præfecti ſint, id agat epiſcopus, ut ii munus ſibi creditum exequantur quam diligentiſſime.

Epiſcopus in urbe ſua viros aliquos, auctoritate præſtantes, ſpiritualis vitæ ſtudioſos deligat, quorum adjumento & opera uti poſſit, & in iis agnoſcendis, quæ ad civitatis, diœceſiſque ſuæ morum inſtitutionem pertinent, & in adjuvandis Chriſtianarum virtutum exercitationibus, & in aliis denique, quibus populi ſibi commiſſi progreſſio fiat ad ſancte agendi ſtudium.

Summorum pontificum conſtitutionibus promulgandis hæc ratio ſervetur, ut qui earum pervulgationi præfinitus in illis eſt modus, is adhibeatur; ſi vero nullus, ad pervulgationem ſatis ſit affixio, quæ, ut moris eſt, fiat certis publicis locis.

Cujus affixionis, & pervulgationis relatio, teſtificatioque ab eo, qui affixerit, fiat cancellario fori epiſcopalis, cujus ſit illam in librum referre.

Epiſcopus, id quod vel ab initio naſcentis eccleſiæ inſtitutum fuit, ut rerum epiſcopali ſtudio curaque geſtarum monimenta exiſterent, conquiri diligentiſſime curet, tum ſingulorum epiſcoporum, qui præceſſerunt, nomina, genus, & paſtorales eorumdem actiones. Quæ omnia literis conſignari, ordineque conſcripta, in librum certum referri curet, ut eorum memoria conſervetur, & quæ ab iiſdem vel acta, vel inſtituta ſunt ad aliquam eccleſiaſticæ diſciplinæ normam perpetuo uſui eſſe poſſint, atque adjumento in illa eccleſia bene gerenda.

## XIX.

*Quædam, quæ ad ſodalitates pertinent.*

Multa mala exeunt ex prætermiſſo & valde his temporibus neglecto fraternæ correctionis officio debito ac neceſſario: quamobrem curent epiſcopi, in ſua quiſque non ſolum urbe, ſed in diœceſi etiam, aliquam hominum, qui moribus, vitæque innocentia graviores ſint, ſodalitatem conſtituere, quæ in hoc fraternæ correctionis officium Chriſtiana caritate incumbat: aut hoc ipſum officii munus alteri ſodalitati adſcribi ſtudeant, quæ id recte præſtare poſſit.

Cui ſodalitati certas fraterne corrigendi regulas præſcribant, ſtudio & opera probatorum theologorum.

Quo major in dies ad Chriſtianæ pietatis ſtudium progreſſus ſit fidelium; id curet epiſcopus, ut cum diſciplinatorum pœnitentiumque ſodalitates, aliaſque ejuſmodi frequentes inſtituat; tum inſtitutas omni paſtorali ſtudio adjuvet, & ad conſervandas illas diſciplinæ ac pœnitentiæ rationes, & ad alias excitandas ſpiritualium virtutum progreſſiones. Id quo facilius fiat, ardentiorique ſtudio, quotannis aliquando, prout e re eſſe viderit, literas promulgari jubeat quibus ſanctiſſimus dominus noſter Gregorius XIII. præclarum ſpiritualis indulgentiæ donum liberaliter in domino illis conceſſit, qui iis ſodalitatibus adſcripti, ſibi flagella, diſciplinamque certis ſtatutis diebus adhibuerint.

Præſcribat item diem certum, quo in ſingulos annos iſtarum ſodalitatum homines, qui in urbe ſunt, uno loco omnes; qui in diœceſi, omnes item ſuo quique in opido locove in unum convenientes, primum contriti, & confeſſi ſacram euchariſtiam ſumant; tum ſolennem proceſſionem agant, perpetua grataque memoria proſequentes conceſſi ſibi ſpiritualis doni gratiam.

## XX.

*Quædam, quæ ad moniales, & alios regulares pertinent.*

Quod ſanctiſſimus dominus noſter Gregorius XIII. de monialibus ſancivit, id epiſcopus exequatur quam diligentiſſime: præſertim quod de certo earum numero conſtituendo decrevit, quod de eleemoſynis præſtandis, quod de oſtiolo obſtruendo, quo aditus e monaſterio patet ad exteriorem eccleſiam, quod de clauſura ab eiſdem non violanda, & a converſis etiam ſervanda, præſcripſit. 3. Kal. Jun. 1572.

Idque omne efficiat omnino, ut executionem habeat, cum in monaſteriis, quorum curam gerit, tum in illis regularium curationi commiſſis, idque ejuſdem conſtitutionis auctoritate.

Si quæ autem moniales, converſæve non iis paruerint quæ eadem ſanctione de clauſura ſtatuta ſunt; pœna violatæ clauſuræ plectantur.

Quæ monialium monaſteria, extra urbis, aut opidi mœnia ſita, epiſcopus Tridentini decreti auctoritate, in urbem vel opida, quæ frequentiora & tuta ſint, transferri oportere, aut expedire cenſuerit: ne ea in eccleſia ſæculares transferat, ubi animarum cura geritur.

Puellæ, quæ regularem habitum induere voluerint, ut eo habitu induantur, antequam confirmationis ſacramentum ſuſceperint; ſi facultas ſit brevi illud ſuſcipiendi.

Qui ordinarius confeſſor in aliquo monialium monaſterio conſtitutus aliquando fuerit, ne idem ad earum confeſſiones extraordinarie audiendas mittatur; ſi modo non aliter quandoque epiſcopus cenſuerit.

Confeſſarii monialium ab eis, aut ſingulis, aut univerſis, aut ab earum præfecta, ne monaſterii quidem nomine, quidquam, etiam minimum, dono accipiant; niſi quid eis annuæ certæ portionis epiſcopi juſſu detur ad vitæ ſuſtentationem.

Conſtitutio illa, qua a Pio quinto ſummo pontifice interdictum eſt omnes cujuſvis ordinis mulieres, etiam generis ſplendore aut dignitate illuſtres, monaſteria ingredi, quotannis ſemel, atque adeo ſæpius, certis feſtis diebus, arbitrio epiſcopi promulgetur. 24. Octob. 1566.

ANNO CHRISTI 1575.

## XXI.

*Quæ generatim ad hæc decreta, & ad alia pertinent.*

Quæcumque vel ad cleri, vel ad populi conformandos mores, ad eccleſiaſticamque omnem diſciplinam retinendam provincialibus, aut diœceſanis ſynodis a nobis, aut a coepiſcopis noſtris ſancita ſunt, ex illis eo uberior, Deo juvante, fructus exiſtet, quo ſæpius vel promulgatione, vel certe lectionis ſtudio inculcata, iis notiora fient, a quibus illa & ſciri animo & comprehendi, reque ipſa præſtari oportet.

B Epiſcopus igitur, præter alia, quæ hoc de genere alias decreta ſunt, & canonicis, & parochis, & reliquis clericis certum tempus ſtatuat, quo omnia, quæcumque iis provincialibus, diœceſaniſque decretis de iis conſtituta ſunt, illis legantur; ita ut quæ decretorum partes ad concionalem diſciplinam pertinent, canonici; & quæ cauſa ſua conſtitutiones latæ ſunt, parochi & clerici itidem, & ii omnes, quæ ad univerſum clerum ſpectant, illas, lectione repetita, animo comprehendentes, præſcriptas munerum ſuorum partes ſinguli ſtudioſius exequantur. Si quis autem eorum aliquando epiſcopi juſſu interrogatus, illas per negligentiam, aliamve culpam ignorarit, pro ejus C culpæ, & perſonæ ratione illum epiſcopus corripiat, aut alias præterea cum eodem agat. In ſeminario quoque itidem ſervetur; ut earum vel inſtitutis, vel monitis, vel præceptis clerici informentur.

Quæ vero decretorum partes ad laicos attinent, illas ſummatim vulgari ſermone expreſſas, & certis anni temporibus diſtributas, prout uſuvenerit, a parochis denuntiari jubeat: quo ſæpius inculcata, ſerventur diligentius.

Quibus provincialium noſtrorum conciliorum eſt aliquis adſcriptus dies, quo vel ſummorum pontificum ſanctiones, vel Tridentinas provincialeſve conſtitutiones promulgari juſſum eſt; illis decretis certum præſcriptum diem ad D eam promulgationem mutari ab epiſcopo liceat, certumque alium conſtitui, quo die ſingulis annis in ſua diœceſi id opportunius præſtari poſſe cenſeat.

Quibus in decretis mulctæ iis nominatim conſtitutæ ſunt, qui dignitates aut canonicatus obtinent, nec certis locis attributæ, uſui ſacriſtæ, aut fabricæ illorum eccleſiæ, ab epiſcopo attribuantur. Neque vero eas ad alium uſum converti, neque eaſdem remitti, nec præterea de iis ipſis etiam ab univerſo capitulo tranſigi liceat, niſi epiſcopi auctoritate.

Quod de ſacramentorum adminiſtratione, miſſæ celebratione, divinorumque officiorum E modo & ratione in hac ſynodo decrevimus; id neque ad Mediolanenſem eccleſiam, quæ ſancti Ambroſii præſcripto & inſtituto, proprios ritus, & ceremonias habet, neque ad ceteras, quæcumque eodem jure ac modo ex antiquiſſimo tempore ſacra facere conſueverunt, in iis, quæ ejus inſtitutis, ritibus, & ceremoniis expreſſe adverſantur, pertinere volumus. Ceteris vero, Mediolanenſis eccleſia, & quæ ejuſdem ritibus utuntur, æque teneantur, ac aliæ quæ in provincia noſtra ſunt eccleſiæ.

A Si in his decretis, ante alteram Mediolanenſis provinciæ ſynodum ulla difficultas orta erit, & ejus, & omnium, quæ eiſdem decretis continentur interpretationem, & explicationem nobis reſervamus, ſalva ſemper ſedis apoſtolicæ auctoritate.

Quamcumque facultatem ex decretis in hac tertia provinciali ſynodo Mediolanenſi a nobis editis habent epiſcopi; eam ipſos per ſuos vicarios generales exequi poſſe volumus; niſi in iis quæ proprie ad ordinem epiſcopalem pertineant; aut in quibus vicarii a ſacris canonibus, aut a concilio Tridentino, vel a nobis expreſſe excluſi ſunt.

Ut nemini eorum, quæ in hac tertia pro- B vinciali noſtra ſynodo a nobis decreta ſunt ignorantiam excuſare liceat; edicimus, ut ex quo primum die edita, in valvis metropolitanæ eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos menſes omnes ſe, & his decretis, & ſi contra fecerint, pœnis, quæ eis continentur, teneri intelligant: Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporum initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari jubemus.

Unuſquiſque præterea epiſcopus ea omnia & ſingula in proxima diœceſana ſynodo legi ac recitari jubebit. Et ſi ita expedire cenſuerit, ſuæ quoque cathedralis eccleſiæ valvis proponi: quo ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant.

Singulæ etiam cathedrales & collegiatæ, & parochiales eccleſiæ hujus provinciæ, has noſtras conſtitutiones certo aliquo loco collocatas, perpetuo aſſervent.

Omnia & ſingula quæ a nobis in hac tertia provinciali ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati ac judicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris & magiſtræ, ſemper emendanda & corrigenda ſubjicimus.

Quia nonnulla a ſummo Romano pontifice, & publicæ totius provinciæ Mediolanenſis, & privatæ ſingularum eccleſiarum utilitatis cauſa petenda ſunt, decernimus ut quidquid ab D ejus ſanctitate communibus noſtris, & qui adſunt, coepiſcoporum literis poſtulabitur, id hujus ſynodi nomine & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac ſi in ſeſſione publice poſtulatum eſſet.

## INDICTIO FUTURI CONCILII
### PROVINCIALIS QUARTI.

*Carolus miſeratione divina tituli ſanctæ Praxedis ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis, Borromæus nuncupatus, ſanctæque Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopus.*

OMNIBUS & ſingulis reverendiſſimis dominis epiſcopis, qui hic adſunt, & ſynodo provinciali Mediolanenſi quacumque ratione intereſſe debent, omnibuſque item capitulis, & eccleſiarum cathedralium procuratoribus, qui præſentes interſunt, indicimus, ſignificamus, denuntiamus, & intimamus, proximam ſequentem ſynodum provincialem Mediolanenſem quartam, Deo omnipotente auctore, & ad ejus laudem hac eadem in urbe, hoc ipſo loco, anno 1576. die decimo menſis Maii, qui dies erit feria quinta dominicæ ſecundæ

post



ANNO CHRISTI 1575.

poſt reſurrectionem domini noſtri Jeſu Chriſti, A inchoandam & celebrandam eſſe.

Quamobrem eos omnes, & ſingulos reverendiſſimos dominos epiſcopos, qui hic præſentes adſunt, monemus, procuratores vero eccleſiarum cathedralium invitamus, ut eo die ad ſynodum provincialem quartam, juvante Deo, Mediolani celebrandam, conſtituto, hic omnino interſint; niſi diem celebrationis ipſius ſynodi aliqua ex cauſa a nobis prorogatam fuiſſe noſtris ad eos datis literis intellexerint. Quod ſi ipſorum reverendiſſimorum epiſcoporum noſtrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuntium ad ſe excuſandum, atque ad impedimentum probandum ad nos mittat, cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia & ſingula nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ recipiendi, quæ Spiritu ſancto duce, in ipſa ſynodo a nobis de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum epiſcoporum noſtrorum, decernentur aut conſtituentur.

ANNO CHRISTI 1576.

# CONCILIUM MEDIOLANENSE IV.
## PROVINCIALE.

Quod Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, archiepiſcopus Mediolanenſis, habuit anno a Chriſto nato MDLXXVI. Gregorio XIII. pontifice.

### EDICTUM DE CONC. PROVINCIALI IV. B

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

*Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolanenſis eccleſiæ, univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Chriſto domino.*

PRO archiepiſcopalis officii noſtri ratione, quæ progreſſionibus ſuis tota ad optimam paſtoralis muneris curam ſpectare debet, nos in ſynodo provinciali tertia, quam ex præſcripto Tridentino, anno 1573. habuimus, de- C creto edito, concilium provinciale quartum indiximus, quod hoc anno, die decimo menſis Maii, auxiliante Dei miſericordia, celebraturi ſumus. Ut autem omnibus; atque ſingulis quibuſcumque qui jure, aut conſuetudine, aut privilegio, aut alia quavis ratione conciliis provincialibus noſtris intereſſe poſſunt, vel debent, hæc ſynodi quartæ provincialis indictio plane nota atque evulgata ſit; neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem uti, vel ſe contemptum neglectumve eſſe dicere liceat, iis ipſis univerſis & ſingulis, ac ceteris item, qui ſua intereſſe quavis ratione putarint, hoc edicto publice propoſito eamdem quartam provincialem ſynodum, in ſuperiori illo provin- D ciali tertio concilio, jam decreto promulgato, indictam, ſignificamus, indicimus, ac denuntiamus.

Quamobrem cum univerſos & ſingulos reverendiſſimos epiſcopos provinciæ noſtræ, tum ceteros quoſvis omnes, qui ut ſupra, in ſynodo provinciali Mediolanenſi, quacumque ratione intereſſe debent, præter illud indictionis decretum & literas nominatim, ſigillatimque eiſdem reverendiſſimis epiſcopis per nos ſcriptas, hoc etiam edicto illud monemus, ut eo ipſo, a nobis præſcripto & conſtituto, decimo menſis Maii proxime ſequentis die, Mediolanum in eccleſiam noſtram metropolitanam conveniant, & in concilio, quod illo ipſo die, E ſummo mane, juvante domino inchoabimus, præſentes ipſi adſint, pœnis & cenſuris propoſitis, canonum jure ſancitis.

Curent vero ſinguli provinciales noſtri epiſcopi, ut, quod concilio provinciali ſecundo ſancitum eſt, cum primum edictum hoc acceperint, in omnibus & urbis & diœceſis ſuæ eccleſiis parochialibus, quinta quaque feria, in ſingulas hebdomadas, quoad concilium de more dimiſſum atque abſolutum erit, miſſæ ſacrum de Spiritu ſancto fiat; In cathedrali autem & collegiatis eccleſiis, proceſſionum præterea munus, ſingulis diebus dominicis, intus obeatur, ex animoque preces fiant, quibus a Deo, totius conſolationis & miſericordiarum patre, nobis, tam ſalutare negotium tractantibus, Spiritus ſancti lumen imploretur.

C Sciant præterea univerſi & ſinguli provinciæ noſtræ Chriſti fideles, conciliarem hanc actionem, a nobis indictam præcipuum quoddam caritatis & pietatis ſtudium ab iis ipſis poſtulare; cum illa omnis eo ſpectet, ut per nos illorum greſſus dirigantur in viam ſalutis. Quare paterna cohortatione eos vehementer in domino admonemus, ut & ſua & noſtra cauſa, orationis, precumque ſtudium, una nobiſcum adhibeant: dieque dominico, concilium id provinciale proxime præcedente, qui dies ſextus Maii erit, primum vere pœnitentes & confeſſi, ſacram communionem ſumant, hoc pie precantes, ut adjutrici Dei gratia nos ea, quæ ad no- D ſtram, ſuamque ſalutem pertinent, diligenter ſanctaque ſolicitudine agamus. In quarum rerum fidem, hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & ſancti Ambroſii ſigillo archiepiſcopali noſtro muniri, tum noſtra etiam manu ſignatum, in vulgus publice proponi, eidemque a ſynodali ſecretario noſtro ſubſcribi voluimus. Datum Mediolani, in ædibus noſtris archiepiſcopalibus, Kalendis Martii 1576.

ANNO CHRISTI 1576.

# ORATIO CAROLI, CARDINALIS
## TITULI SANCTÆ PRAXEDIS,
### ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS.

*Habita in provinciali concilio IV.*

QUOUSQUE tandem concilia provincialia toties convocata? quorſum & tot conſtitutiones & tot decretorum vincula? Vulgaris vox, patres ſanctiſſimi, ac ſicut ne tacita quidem cogitatione religioſæ mentis digna, longeque a ſenſu epiſcopalis veſtri animi aliena, ita hominum vel impiorum eſt, eccleſiam Dei oppugnantium, vel Chriſtianorum, Chriſtianam diſciplinam abhorrentium, vel imperitorum, planeque neſcientium, quantas vires habeat frequens ſynodorum actio, atque uſus, vel illorum ſane, qui anguſto parvoque animo omnia metiuntur. Porro nobis, patres, eſt illud certum atque exploratum, hominem divina lege, quaſi ſepimento vallatum, ut eſt is tum ſumma naturæ imbecillitate, tum immenſa cupiditate, ſæpe labi, ſæpeque ab officii ſemita deflectere; proinde plurimis & conciliis & inſtitutis & decretis opus eſſe; quibus, quaſi ſanctiſſimis vinculis, ille adſtrictus, a recto curſu non declinet; aut aliquando digreſſus, iiſdem adjutus in viam ſalutis redeat. Et quod caput eſt, ut ſalutaris hujus conciliorum inſtituti auctor eſt cæleſtis magiſter Chriſtus dominus; ſic apoſtoli eo ſæpiſſime uſi, lege etiam ſanxerunt, ut bis in annos ſingulos concilia ab epiſcopis haberentur. Quod deinceps & innumerabilibus ſummorum pontificum ſanctionibus, & conciliorum tum œcumenicorum, tum provincialium decretis communitum, & frequenti eccleſiæ conſuetudineque diu retentum, ejuſmodi fuit, quo aditus patefactus eſt, non modo ad tradendam, verum etiam ad perpetuo colendam, perpetuiſque progreſſionibus augendam omnem eccleſiaſticæ diſciplinæ rationem. At vero, ubi id aliquando intermiſſum, aut plane omiſſum eſt, vix dici poteſt, quot, quamque graves calamitates reipublicæ Chriſtianæ importatæ ſint. Prope perierat Chriſtianæ vitæ inſtitutio, conciderat pene rerum ſalutarium uſus; nulla fere cleri diſciplina, quaſique nullum populi in caritatis officiis ſtudium; prolapſus denique miſerabilem in modum erat totus ille, ab evangelii luce dimanans, Chriſtianarum virtutum ornatus. Quid? ii, qui alios in officio continere debebant, maxime ipſi a muneris debiti cura deflexerant. Atqui hæc vel una ſolum recordatio ſatis nos commonet, atque adeo commovet, ut in tuendo ſynodalium, epiſcopaliumque conventuum uſu, tantum pietatis, conſtantiſque diligentiæ, ponamus, quantum ſane voluntatis & conſilii, ad prodendum poſteris optimum inſtitutum, ſanctiſſimi illi viri adhibuerunt. Sacra præterea œcumenica Tridentina ſynodus, ſalutare illud inſtitutum ſalutariter ita renovavit, ut ſi minus bis, aut ſemel ſaltem ſingulis annis, quemadmodum illi conſuerunt, at certe tertio quoque anno provinciale ſynodos & convocari & celebrari decreverit. Id ſane vero nos bene juvante Deo, cum ſemel, iterum, ac tertio executi ſimus, eſt etiam cur idem perpetuo præſtemus. Multa, patres, noſtris ſuperioribus conciliis deſunt, ad perfectam illam, quam magnopere expetere debemus, populi Chriſtiani diſciplinam: alia item in eiſdem decreta ſunt, quæ communiri oportet: alioquin operis, a nobis inchoati, jacta fundamenta, brevi corruerent: alia item abhinc triennio ſuborta eſſe poſſunt corruptelarum ſemina quæ noſtra cultura convellenda ſunt, tum vitiorum ſpinæ ſuccreſcentes amputandæ. Hæc tria propoſita quidem nobis eſſe debent: ſed illud etiam profecto eſt, ad quod cum ſemper tum maxime in hac quarta provinciali ſynodo, omnes cogitationes, conſilia, ſtudia, conatuſque noſtros dirigi admodum cupimus, & a vobis, totis in Chriſto viſceribus expetimus; ut decretis jam ſancitis, quæ adhuc executionis operam a nobis poſtulant, omnino exequendis, certam explicatamque rationem ineamus. Quare cum Tridentinas ſanctiones, tum ſuperiorum conciliorum conſtitutiones in conſpectu, tamquam in ſpeculo quodam habentes, diligenter videamus, quæ in executionis munere officia noſtra prætermiſſa, quæ ita non præſtita ſint, ut ſane debeamus pro gloria Dei, proque populi nobis commiſſi ſalute; jam modo eſt, patres, ut hoc ipſo loco, tamquam in auguſtiſſimo theatro, ſpectemus illius muneris noſtri partes, quas clero, quas populo, quas eccleſiis fidei noſtræ commiſſis religioſa ſolicitudine debemus. Hoc autem cum ſemper nobis ob oculos verſari debet, tum certa illa, in noſtris & cleri & populi moribus ſancte conformandis deliberatio, quam ſalutaris conciliorum actio depoſcit, perpetuo a nobis afferenda eſt, maximaque hoc ipſo tempore, tempore autem jubilei, acceptabili, & hac die ſalutis, quam fecit dominus. Jam populi cæleſti eo dono excitati in officiis atque exercitationibus pietatis religioſius verſantur, certatimque Chriſtianis virtutibus operam dant: quinimo, qui in inveterata quadam peccandi conſuetudine obduruerant, ſuſcepta aliqua vitæ emendatione, animum pene in male agendo obfirmatum ad Chriſtianarum virtutum ſtudium flexerunt. Ergo quid nobis qui populorum patres, qui medici animarum ſaluti proſpicere debemus, in hac ardentiſſima piaque omnium voluntate agendum erit? an non in omnes epiſcopalis officii partes nos excitabimus? an diligentiam noſtram acuemus? an in ſpiritualis vitæ diſciplina in dies augenda invigilabimus? certe quidem. Hoc ipſum ſane non modo poſtulare, ſed flagitare videtur expectatio populorum; qui in fide, curaque noſtra conquieſcentes, ex noſtris his epiſcopalibus conventibus ſalutare adjumentum ſe conſecuturos eſſe ſperant, & confidunt quidem certe. Quid eorum preces? quid oratio? quid frequentior concurſus loquitur? quæ mens? qui ſenſus? quæ cogitatio illorum? Hic, patres ſanctiſſimi, ante oculos ponite ingentem hujus provinciæ hominum multitudinem, ſuæ ſalutis ſtudio flagrantem, noſtriſque monitis vehementius excitatam, tum ſuperioribus diebus, tum hoc potiſſimum tempore, quo in hac ſalutari conciliarium rerum tractatione nos cauſa ſua verſamur, ubique & in urbibus & in opidis & in ipſis vicis frequentiſſimam, pietatis exercitationibus deditam. Videte ſacerdotes pro nobis ad altaria ſupplices: videte univerſum pene populum pie deprecantem: videte virgines & viduas demiſſe ac religioſe orantes: videte innumerabiles homines ſacram communionem ſumentes, & alios profuſis lacrymis pro gemitu, iteratiſque vocibus Dei miſericordiam, ſanctorumque patrocinia implorantes. Conſiderate animo hanc unam omnium obſecrationem atque orationem ſumma tacitæ mentis contentione ad cælos uſque emiſſam. Quouſque tandem, pater cæleſtis, parturimus, neque adhuc tamen parimus? cogitata optima concipimus, at factis non exprimimus? Tu, domine, ad recte agendum nos vocas atque excitas; at langueſcimus: præclare aliquando inchoamus; at non perficimus: cæleſtes illas coronas, gloriamque ſempiternam expetimus; at labores crucemque refugimus. Quo tandem tempore ſerio agemus? quando vere adjuti, curſum vitæ recte tenebimus? Reſpice, ſumme Pater, nos oves paſcuæ tuæ, non auro, & argento, ſed precioſo ſanguine Filii tui redemptas. Tu nos tamquam precioſum depoſitum horum curæ fideique commiſiſti, tu hos nobis duces, magiſtros, medicos, paſtores, patres conſtituiſti; ac proinde illis, eorumque edictis audientes nos eſſe juſſiſti: tu rurſus illos, utpote de animabus noſtris rationem aliquando redditūros, pro nobis invigilare voluiſti: da quæſumus illis, jam cauſa noſtra in concilio congreſſis, de ſalute noſtræ ſolicitis, remque noſtram agentibus, ut unum ſpectent; non ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærant; ac ſuæ & noſtræ ſaluti ſerviant; præfer lumen mentibus eorum, ac dirige voluntates & ad ſalutaria conſilia ſuſcipienda, & ad dandam nobis plebi tuæ ſcientiam ſalutis, & ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Sicque illi ſancte agendo, & nos eiſdem obediendo, omnes ad cæleſtem patriam, ad quam vocati ſumus, adjutrice tua gratia perveniamus. Hæc patres, populi fidei noſtræ commiſſi, a Deo ſupplices petunt: hæc eadem rurſus nobis proponamus, hæc aſſidua paternaque ſolicitudine meditemur atque procuremus. Hæ ſunt animæ, quarum ſalutem Deus ut procuraret, non angelum, non archangelum, ſed unicum filium Chriſtum Jeſum miſit: qui hinc in cælum abiens, quam diligentiſſime earum curam beato Petro commendavit his tertio repetitis verbis: *Simon Joannis, diligis me plus his? paſce oves meas.* Qua verborum formula etiam unicuique noſtrum, qui in ſolicitudinis partem vocati ſumus, optimam paſcendi rationem præſcripſit, & caritatem maxime, muneris noſtri magiſtram, docuit: quam populis, in curam noſtram traditis, & frequenti verbi Dei prædicatione, & ſalutari ſacramentorum adminiſtratione, & vitæ ſanctiſſimæ exemplis, & epiſcopali eleemoſynarum liberalitate, & ſolicita oratione, & miſſæ ſacri crebra oblatione, & divinorum officiorum cultu, & precibus aſſiduis, & paternis monitis, & paſtoralibus correctionibus, & conciliaribus ſanctionibus, & omni denique officio curaque perenni, per nos præſtari voluit. Videte igitur, patres, curam, ſolicitudinem, & vigilantiam noſtram, quæ in grege tanta adhibenda eſt, quantam ſane maximam caritatem Chriſto deberi omnes profitemur. Sed *diligis me?* inquit, *paſce oves meas.* Hoc ſane illuſtrius veræ erga illum dilectionis teſtimonium datur, quo majus in omni gregis paſcendi ratione ſtudium operaque collocatur. Certe ſi Chriſtum, ut debemus, diligimus, ſi Chriſti gloriæ ſervimus, ſi Chriſti regni propagationem cupimus, ſi Chriſto gratificari volumus, id præſtantiſſima erga gregem nobis commiſſum caritate, non declarare ſolum, ſed factis comprobare nos oportet. Id ſane præſtabimus, patres, ſi non laboribus deterriti, non difficultatibus labefactati, non ſatanæ adverſarii colluctatione fracti, ab inſtituti operis curſu nunquam deſiſtemus: ſed divini amoris igne accenſi, omni virtutum epiſcopalium ſtudio, eo cum ſemper, tum in conciliaribus actionibus progredi contendemus, ut populum nobis commiſſum & purgemus & illuſtremus & perficiamus; hiſque perpetuis progreſſionum laboribus introducamus in tabernacula cæleſtia: idque munere & gratia Chriſti domini, cui gloria ſempiternis ætatum ſæculis. Amen.

Joan. 21.

ANNO CHRISTI 1576.



## IN NOMINE SANCTÆ
## ET INDIVIDUÆ TRINITATIS,
### PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

*Nos Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolani, ad Dei omnipotentis, beatæque Mariæ ſemper virginis, ac ſancti Ambroſii confeſſoris, patroni noſtri, laudem, & hac pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum populumque fidei noſtræ concreditum prælucere, totis in Chriſto viſceribus expetimus, de conſilio et aſſenſu reverendiſſimorum dominorum coepiſcoporum noſtrorum, in concilio provinciali Mediolanenſi quarto decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.*

# CONSTITUTIONUM
## PARS PRIMA.

### I.

*De profeſſione fidei.*

QUOD ex Pii IV. pontificis maximi ſanctione, in primo & tertio concilio provinciali noſtro, de iis, qui fidei profeſſionem facere debent, deque illorum ipſorum vita moribus ante inquirendis & probandis, decretum eſt: id epiſcopus omnino efficiat ut præſtetur: tum compellat præterea ad idem omnes ac ſingulos, ſicut etiam a ſancta ſede apoſtolica declaratum eſt, quicumque arithmeticam & muſicam, vel artes cujuſvis generis liberales profitentur.

Formula vero, ad cujus præſcriptum fidei profeſſionem præſtari oportet, pontificia illa ſanctione conceptis verbis tradita, hæc ſane eſt;

Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet, Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium; & in unum dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit

Vide Tomi XIV. pag. 944. E.

de

de cælis & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt; crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per prophetas: Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones, firmiſſime admitto & amplector.

Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, ac probatos eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in miſſam offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro vivis, & defunctis: atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, una cum anima, & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero, imagines Chriſti, ac deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem, a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici, beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis; ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo juvante, retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Egó idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei euangelia.

## QUÆ AD SANCTORUM CULTUM, SACRORUMQUE CORPORUM CELEBRITATEM PERTINENT.

### I I.

*De ſacris reliquiis, miraculis, & imaginibus.*

AD ea quæ de ſacris reliquiis per nos primi & tertii concilii provincialis decretis ſancita ſunt, hæc pro religioſa illas & recondendi, & exponendi, & transferendi, & aſſervandi ratione, piaque earumdem veneratione atque cultu adjungenda cenſuimus. Sanctorum corpora, & ſacras reliquias, epiſcopus a religioſis peritiſque ſacerdotibus, quos eo potiſſimum nomine deligat, tum in urbe, tum in diœceſi ſua quibuſcumque in eccleſiis lociſve illa ſint, recognoſci quamprimum jubeat. Qua in recognitione hæc præſtentur.

Primo ut ſcripta, tabulæ, literæ, certi annalium codices, aliave cujuſvis generis monimenta, quæ in iis ipſis eccleſiis, earumve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extant; ſchedulæque vaſculis, arciſve ſacrarum reliquiarum affixæ incluſæve recognoſcantur accurate & diligenter, unde illarum vel translatio, vel collocatio ibi facta cognoſci, aut alia ejuſmodi notitia earumdem haberi queat. Teſtes præterea conquirantur, ſi qui ſunt, qui teſtimonium dent antiquæ conſtantiſque traditionis, ex qua certa earum cognitio conſtet: aut alia, ſicut opus erit, id generis diligenter ad rei perſpicientiam adhibeatur.

Deinde ut ſingulæ ipſæ ſacræ reliquiæ, quas extare compertum eſt, re ipſa cernantur; ita tamen, ut ubi ſub altaribus, aliiſve ſubterraneis ejuſmodi locis, corpora ſanctorum collata reconditave ſunt, nec oſtium, neque feneſtra inſit unde inſpici queant, non aperiantur, aut effodiantur, niſi ob cauſam aliter epiſcopus aliquando faciendum cenſuerit.

Qua omni recognitione facta, diligentiaque adhibita, librum præcipuum certumque conficí





fici epiſcopus curet: in quo ſingulæ, quæ in eccleſiis & urbis & diœceſis ſunt, reliquiæ ſacræ recte atque ordine deſcribantur, notatis etiam diligenter, non ſolum iis ipſis eccleſiis, ubi reconduntur, ſed ſcriptis etiam, annalibus, tabulis, aliiſve monimentis, e quibus illorum teſtimonium conſtet. Is vero liber in archivo epiſcopali certo loco cuſtodiatur, & aſſervetur perpetuo.

In eo item libro recte referantur, ſi quas deinceps ſacras reliquias comperiri, aut aliunde aſportari contigerit; ubi primum ab epiſcopo illæ recognitæ, & probatæ ſunt. Nec vero ſine ſcripta epiſcopi probatione, etiam a regularibus, & aliis exemptis, ullas novas reliquias evulgari, aut populo exponi, venerandaſve proponi patiatur epiſcopus, antequam a ſe recognitæ & probatæ illæ ſint. Qua in probatione ſervet is omnino formulam a Tridentino concilio ea de re præſcriptam.

Reliquiæ ſanctorum ne in privatis ædibus, neve apud laicos homines, ſed in eccleſia, loco conſpicuo, bene ſepto, atque undique ornato collocentur & aſſerventur. Atque ita eo loco decenter, ac pie, vel arcis, vel capſulis, vel vaſibus, loculiſve reconditæ, includantur: ut & pro illarum ratione, ac pro eccleſiarum dignitate, & facultatibus, formæ inſtructionibus noſtris præfinitæ, omni ex parte reſpondeatur.

Is porro locus duabus ſaltem clavibus, iiſque diverſis, claudatur: quarum unam epiſcopus, alteram rector eccleſiæ, ubi ſunt, cuſtodiat diligenter. Ubi vero conſuetudinis eſt, ob univerſitatis, ſodalitatiſve hominibus, aut a ſyndicis, laicis hominibus, clavem etiam teneri; illam tertiam illis permittere poterit epiſcopus arbitratu ſuo.

Liceat tamen aliquando, quibus epiſcopus rationabili, & pia cauſa id concedendum cenſuerit, aſſervari in privato oratorio, tuto, ornato, ac decenti, ejuſdem epiſcopi judicio.

Corpora ſanctorum, quæ non ſub altari, ſed ſub eccleſiæ pavimento collocata ſunt, niſi decentiori eccleſiæ loco recondenda epiſcopus cenſuerit, ſaltem crate ferrea polite ornateque confecta, ne pedibus eorum locus irreverentius tractetur, undique ſepiantur, atque obtegantur ex inſtructionum præſcripto.

Quæ reliquiæ inſcriptionem habent non vetuſtate conſumptam, ſed integram; & ex præſcripto inſtructionum noſtrarum confectam, ita ut eſt illa inſcriptio retineatur & conſervetur. Quarum vero inſcriptiones aliqua ex parte exeſæ ſunt, aut alias non ad præſcriptum factæ, eæ in charta pergamena recte exaratæ renoventur.

Quæ nihil inſcriptum habent, ſed tamen conſtat quorum ſanctorum, ſanctaromve illæ ſint; iis ſingulis nomina propria inſcribantur, ad inſtructionum præſcriptum.

Sanctorum reliquiæ, præſertim inſignes, & ſacra corpora, ſacraque membra, quæ ex certis monimentis, in ulla quavis eccleſia recondi conſtat, in tabula ærea, aut marmorea, lapideave literis inciſa, quo accuratius memoria perpetuo conſervetur, diligenter, ordineque epiſcopi cura, deſcribantur: præterea in capellæ majoris columna, latereve, aut in gremio eccleſiæ, loco aperto ac perſpicuo, ea tabella, parieti calce conglutinata, in omnium conſpectu ſit.

Scripta, tabulæ, & antiqua monimenta, ad illas ſpectantia, in earumdem eccleſiarum ſacriſtia, archivove reponantur, ubi tuto aſſerventur.

Uniuſcujuſque, ſancti, ſanctæve, cujus corpus, vel ſacræ reliquiæ, præſertim, inſignes, aſſerventur, vitæ, aut martyrii hiſtoria, ex probatis auctoribus breviter collecta, ab epiſcopo ante recognita, & comprobata, in tabellam, aut in aliquem certum codicem, charta pergamena exarata, referatur. Qui codex in eccleſiæ ſacriſtia certo loco diligenter aſſervetur. In illa autem vitæ brevi narratione ex certis monimentis, antiquave traditione, omnique alia, quæ conſtet, ratione, exponatur deinceps, in extrema ſcilicet parte, ac paucis item verbis, quo tempore, quove modo ſacræ illæ reliquiæ eo translatæ vel reconditæ ſint.

Sacris autem reliquiis; ſi ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento non ita prope quidem eæ collocatæ ſunt, ut illius lampade harum cultui ſatisfiat; lampas propria aſſidue præluceat: niſi hanc impenſam nimia & eccleſiæ & populi egeſtas epiſcopi judicio non patitur. Ceterum corporibus ſanctorum, & reliquiis, epiſcopi judicio inſignibus, lampas omnibus una ſemper colluceat.

Ubi vero plures, aut ex legato, ſeu alia obligatione, uſuve adhibentur, aut pro reliquiarum ratione, vel eccleſiæ amplitudine, facultatibuſve adhiberi epiſcopus juſſerit, id etiam ſervetur.

Ne ſacræ reliquiæ per laicos, etiam cujuſvis ordinis, vel dignitatis homines ullo modo tractentur: nec vero tangantur, cum hoc ſacrilegum, ac minus propterea ferendum eſſe, ſanctus Gregorius pontifex ſcribat.

Cum vero ab eccleſiaſtici ordinis hominibus illæ cum ſuis loculis vaſculiſve ſuſcipiuntur, ut vel populo oſtendantur, vel in altari exponantur, vel in proceſſionibus ferantur; primum illis thurificatio adhibeatur; ſicque in via ferantur, tunc acoluthus ſacerdoti illas ferenti præeat, qui item thurificet.

Ne paſſim omni tempore, ſed certis tantum feſtorum dierum celebritatibus, utpote in nativitate domini, epiphania, paſcha reſurrectionis, aſcenſione, pentecoſte, & ejuſmodi, feſtoque ipſo die exponantur oſtendanturve, quo illius ſancti, cujus reliquiæ ſunt, eccleſiæ, in qua reconditæ ſunt, celebritas ſolenni feſtoque officio agatur; tum præterea quo die ob aliquam cauſam epiſcopus juſſerit, conceſſeritve.

Nullo autem modo unquam illæ ab operimentis, aut a velis nudæ oſtendantur, exponanturve.

Cum in altari autem exponuntur, hæc ſerventur;

Primo in illis exponendis, proceſſio per eccleſiam, ubi illæ ſunt, ab ejuſdem clero agatur, certo luminum numero adhibito. Rurſus idem præſtetur, cum reconduntur.

A ſacerdote, qui poſt epiſcopum illa eccleſia digniorem ſacerdotalem locum obtinet, niſi aliquando epiſcopus ipſe id munus ſibi obeundum cenſuerit, exponantur, & recondantur.

Iſque ſuperpellicco, & ſtola, vel pluviali etiam, pro reliquiarum, eccleſiæve ratione, indutus ſit.

Dumque exponuntur, & item cum recondun-

dun-

ANNO CHRISTI 1576.

duntur, hymnus, vel de apoſtolis, vel de martyribus, vel de confeſſoribus, vel de virginibus, canatur, prout ſunt ſancti ſanctorumve reliquiæ quæ exponuntur; tum antiphonæ, & alia ejuſmodi ad rem accommodata, ultimoque loco oratio de ſanctis illis; ſi vero ſanctus, ſanctave eſt, cujus proprius hymnus, antiphona, oratiove extet, illæ canantur,

Cum item exponuntur, de ſtato eo libro, tabellave ſupra præſcripta, uniuſcujuſque martyrium, aut vitæ hiſtoria breviter explicata, vulgari ſermone graviter in populi frequentia pronuncietur: ad quam rem præterea ſacerdotis, de divinis illorum ſanctorum virtutibus, cæleſtique vita, & rebus per eos fortiter ac mirifice geſtis, graviter, brevique tractantis, officium, ubi poteſt, abhibeatur, quo ardentius populi, ſacras reliquias ſpectantis, animi ad omne pietatis ſtudium inflammentur.

Dum in altari expoſitæ ſunt, candelæ ſaltem quatuor grandiores accenſæ ibi colluceant: ad earumque cuſtodiam adhibeatur qui ſemper aſſiſtat unus, duove, ſacris majoribus ordinibus initiati, iique moribus probati, ac ſuperpelliceo induti.

Horum vero clericorum, non laicorum opera, miniſteriove adhibito, liceat fidelibus pietatis & religionis cauſa, calculorum coronis ſacrarum reliquiarum vaſcula, loculoſve attingere, qua hora epiſcopus conceſſerit.

Cum reliquiæ ſanctorum non in altari exponuntur, ſed e loco ſuperiori, aliove in quo reconditæ ſunt, populo oſtenduntur; omnis eadem ratio plene ſervetur proceſſione excepta.

In quibus autem proceſſionibus illas, vel per eccleſiam, vel extra portari contigerit; debito cultu, apparatuve ferantur ab iis, qui in ſacerdotio conſtituti, poſt epiſcopum eccleſiaſtica ſacerdotali dignitate, canonicatuve aliis in illa eccleſia præſtant; niſi epiſcopus id munus ipſe obeat.

Sacras porro reliquias de uno in alium locum transferri ne liceat, ſine juſta ac legitima cauſa, & facultate ſcriptis ab epiſcopo permiſſa.

Sicut ſacrarum reliquiarum tranſlationis memoriam, feſta ſolennive celebritate fieri, religioſe jam fere ab initio uſque naſcentis eccleſiæ inſtitutum, perpetua eccleſiæ conſuetudine ſancte retentum eſt, ita ſi quando ſanctorum corpora, membrave, aut ſacras reliquias, epiſcopi judicio, transferri contigerit vel ab uno opido, urbeve ad aliam; vel in ea ipſa etiam urbe, opidove ab una ad aliam eccleſiam, id ritu ſolemni religioſoque cultu præſtari oportet.

Itaque hæc decernimus;

Primum aliquot ante diebus, ſi opus erit, aut certe omnino pridie illius diei, quo ſacræ reliquiæ transferendæ ſunt, ab epiſcopo, aliove, ubi adhiberi poteſt, eccleſiaſtica dignitate prædito, cui nominatim is id muneris dederit, accurate diligenterque recognoſcantur, teſtibus aliis ſacerdotibus gravioribus adhibitis. Quæ recognitio fiat; ut ſupra diligenter conquiſito omni monimentorum genere.

Recognitæ ubi ſunt, ordine componantur: tum in arca duabus ſaltem, ac diverſis clavibus, quarum altera ab epiſcopo, aut ab eo, quem is ipſe maluerit, aſſerventur: incluſæque ſigno epiſcopali obſignentur.

Dies tranſlationis, tum in loco, unde tranſferuntur, tum ad quem transferuntur, tum etiam quibus locis tranſeundum eſt, per parochos epiſcopi juſſu, dominico die, vel feſto, proxime præcedenti, nuntietur.

Idemque illis locis jubeatur coli, mane ſaltem, ut dies feſtus.

Significetur etiam proximis, ante diebus frequenti ſono campanarum illius eccleſiæ, ad quam tranſlatio facienda eſt.

Pridie vero tranſlationis, veſpere ſignificatio celebritatis detur ſolemni campanarum omnium utriuſque loci ſono.

Eo die jejunium a clero eccleſiæ, ad quam transferendæ ſint, ſervetur: noctuque item arca cum ſacris reliquiis, ſi commode fieri poteſt, ſuper altari eccleſiæ, unde transferendæ ſunt, ſi vero non poteſt, alio decenti loco collocata, & adhibitis præterea ad earum venerationem ſex ſaltem luminibus, ab eodem clero, & aliis item eccleſiaſticis hominibus, quibus epiſcopus id juſſerit, vigiliæ fiant: ſtatoque tempore nocturna itidem rite de ſanctis decantentur, quorum reliquiæ transferentur.

Mane quo die transferentur, proceſſio ſolemnis, pſalmis, hymnis, & canticis, omnique prece agatur, ad eccleſiam, in quam tranſlatio fit; ubi iterum illis recognitis, tum de eorum vita, deque hiſtoria ſanctarum reliquiarum, olim eo loco reconditarum, de cauſis item tranſlationis, ab epiſcopo, vel ab alio, ejus juſſu, ſermo apposite habeatur; niſi commodius cenſuerit epiſcopus poſtea habendum inter miſſarum ſolemnia: deinde adhibita primum illis thurificatione: clero & populo oſtendantur; ab illiſque iiſdem debitus cultus & veneratio tribuatur.

Transferantur autem incluſæ in arca, pro earum ratione, proque ritu eccleſiæ decenter ornata, & umbella præterea adhibita, ut epiſcopus cenſuerit.

Arca vero humeris portetur a ſacerdotibus, qui digniores ſint & in toto clero & in eccleſia ad quam tranſlatio fit: illique viciſſim, prout epiſcopus juſſerit, id onus ſubeant ſacris veſtibus induti, tum capite aperto: præeant vero duo acoluthi ſemper thurificantes.

Clerici præterea aliquot, ſuperpelliceo amicti, qui capite item aperto ſint, lumina deferant hinc inde congruo numero & ordine accenſa: hæcque præter cereos, quos accenſos reliquus etiam clerus & populus, laicorumque hominum ſodalitates & ceteri, eas pie proſequentes, pro ſua pietate manibus geſtarint.

Verum ſi epiſcopus in loco adeſt, ipſe quoque cum ſacerdotibus, qui in cathedrali eccleſia, ſacerdotali dignitate præditi ſint, canonicatumve ſacerdotalem habentes digniores ſint, humeros ſacræ arcæ portandæ ſubjiciat: idque ſaltem paululum, tum initio, tum in fine proceſſionis quæ tranſlationis cauſa agitur. Cum vero arcam non portat, eam proxime ſubſequatur, reliquo omni clero præeunte.

Vaſculo quod ab uno ferri poſſit, reconditæ ſacræ reliquiæ, ab ſacerdote item portentur, qui dignior eſt, ceteris etiam ſervatis ſupra mox præſcriptis.

Ubi ad eccleſiam ventum eſt, in qua collocandæ, recondendæve, per epiſcopum, aut per alium ſacerdotem ejus juſſu, miſſarum ſolemnia celebrentur de ſanctis, quorum tranſlatio facta eſt: idque ſolemni ritu, niſi horæ tarditas impediat.

Per-



ANNO CHRISTI 1576.

Peractis miſſarum ſolennibus, certo loco bene ſepto & clauſo, ut ne populus propius accedat, in altari exponantur, ubi per illum diem ſint, accenſis ſaltem ſex luminibus, & adhibitis ad cuſtodiam duobus ſacerdotibus, vel uno ſaltem, alioque clerico in ſacris ordinibus conſtituto: quorum ſacerdotum cura ſit, ſacras reliquias cuſtodire, & earum arcam, aut loculos precatoriis fidelium coronis, quæ porrigentur, religioſe tangere.

Confecto tranſlationis die ſub occaſum ſolis, conſtituto loco ab epiſcopo, vel alio, quem miſerit, cum thurificatione, pſalmis, hymnis, canticis, antiphoniſve, religioſe recondantur.

Tranſlationis tabulæ publice a notario confectæ, in librum, in ſacriſtia illius eccleſiæ aſſervandum, referantur; tum rei geſtæ literæ in ære, vel marmore inciſæ, in eo reliquiarum loco, ad perpetuitatem collocentur.

Corpora ſanctorum, ſacrave membra, aut inſignes ſacræ reliquiæ, cum aliunde e loco longe remoto, transferuntur, ſi vel navigio, vel curru vehuntur: illius locus parſve ubi provectione collocantur, pie ornetur, una etiam, vel duabus pluribuſve lampadibus accenſis. Si ad vectionem jumentum adhibetur, decenter item ſternatur.

Quacumque illis transferendis iter fit, per urbes, ſive per opida, obviam ſolenniter procedatur: ita ut pſalmis, hymnis & canticis illas, cum clerus univerſus, ſacris veſtibus indutus, religioſe excipiat; tum populus item, luminum numero, portarum & viarum publicarum apparatu, religioſo ornatu, piæque venerationis ſtudio & ſpiritualis lætitiæ ſignificatione.

Dies tranſlationis in urbe, opidove, aut ſaltem in eccleſia, in qua collocantur, ut epiſcopus juſſerit, anniverſario canonicarum horarum officio de ſanctis celebretur, quorum ſacra corpora reliquiæve, ejuſdem epiſcopi judicio inſignes transferuntur.

Quod officium ut ſolenniter & cumulate præſtetur, id proſpiciatur; ut dies, quo celebritas tranſlationis agenda eſt, in feriam certam cadat, quæ ſanctorum, quorum reliquiæ tranſlatæ ſunt, cultui dicari poſſit, univerſe, vel in ea ſaltem eccleſia.

Seſſ. 25. decr. Invoc. vener. &c.

Formam a ſacra ſynodo Tridentina, miraculis novis approbandis, & novis reliquiis recipiendis traditam, epiſcopi ſervent diligenter in omnibus, etiam regularium & aliis exemptis eccleſiis.

Nec vero patiantur, cauſa a ſe non cognita & ſcripto probata, altare propterea erigi, aut imagines ullas extra morem ornari: votave, aut oblationes ſuſpendi, aut quidquam novi ea in re omnino geri. Sed quia plerumque fit, ut vulgi concurſu, populique clamore, aliquid pro miraculo, aut ſacra reliquia evulgetur, quod re vera non eſt: ſtudeant hoc ſummopore, ubi ejuſmodi occaſio ſe obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus pie obſiſtant, donec rei veritas, legitime comprobata, conſtet. Si quis vero dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat; epiſcopus, antequam controverſiam dirimat, metropolitani & provincialium epiſcoporum in concilio provinciali ſententiam expectet: ita tamen ut, quemadmodum ab eodem Tridentino concilio præſcriptum eſt, nihil inconſulto ſanctiſſimo pontifice novum, aut in eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

Quod de ſacroſanctæ crucis effigie, in concilio provinciali tertio, per nos ſancitum eſt; itidem interdictum ſit, ſacras alias ſcilicet imagines, ac ſanctorum, ſanctarumque hoſtias, ſacrorumve myſteriorum figuras & ſignificationes, in ullo quovis humi ſtrato pavimento, aut loco ſordido, etiam extra eccleſiam, inſculpi, pingi, effingive.

Ibidem vide Tomi VII. concil. ſuo loco ſupra.

Effigies jumentorum, canum, aliorumve brutorum animalium, in eccleſia ne fiant: cum aliquid inhoneſtum, aut profanum in ea apparere nefas ſit, ex Tridentini concilii ſanctione; idque plane etiam ſeptima Nicæna ſynodo œcumenica vetitum ſit.

Si vero hiſtoriæ ſacræ expreſſio, ex ſanctæ eccleſiæ matris conſuetudine, aliter quandoque fieri poſtulat, hoc ſane non vetatur.

Pictoribus & ſculptoribus gravis mulcta, ac pœna etiam interdicti ab eccleſia, epiſcopi arbitratu propoſita ſit; ſi quid inordinate, aut præpoſtere, aut tumultuarie accommodatum, ſi quid profanum, aut inhoneſtum pinxerint, aut effinxerint, contra ejuſdem concilii Tridentini decretum.

Rectoribus etiam eccleſiarum, qui ullam ſacram imaginem inſolitam, contraque illius concilii ſanctionem, ſuis eccleſiis, etiam exemptis, poni permiſerint, pœna etiam excommunicationis, mulctave conſtituta ſit arbitratu epiſcopi, pro ratione culpæ irroganda.

Cruces & ſanctorum imagines ſolenniter, ſtatiſque precibus, ex eccleſiæ ritu benedicantur.

Imagunculæ illæ parvulæ, fictili opere effictæ, ſi ita fuco, alioque apparatu concinnatæ ſint, ut epiſcopi judicio, vanitatem præ ſe ferre aut offenſionem præbere videantur, ad altare ne adhibeantur in poſterum.

Si quæ ſacræ tabulæ, imagineſve pictæ, nimia vetuſtate, carie, ſitu, aut ſordibus pene deletæ, indecenti aſpectu ſunt; eas epiſcopus pia, religioſaque pictura, ab iis, quorum intereſt, renovari jubeat: aut ſi id non poteſt, omnino deleri.

Ne tabulæ ſanctorum imaginibus expreſſæ, vetuſtate conſumptæ, in vilem & ſordidum profanumque uſum convertantur: ſed, ut de altaris pallis, ac velis, temporis uſura pene confectis, B. Clementis pontificis & martyris decreto ſancitum eſt, in ignem conjiciantur: tum cineres præterea, ne pedibus inquinentur, in pavimenti foſſis collocentur.

Vide epiſt. 2. & 5. Clem. papæ ad Jacobum f. d. ſupra Tom. I.

Imagines quoque ſacræ ſculptæ, ſi deformatæ ſint, amoveantur, & ſub pavimento eccleſiæ, aut ſaltem ſub cœmeterii ſolo collocentur.

Curet præterea, atque adeo efficiat epiſcopus, ut & per ſe & per alios theologiæ ſcientiæ peritos, ac illos in primis, qui illius interpretandæ, aut populi docendi munus, in ulla quavis eccleſia quovis modo ſuſtinent, fidelibus accurate, enucleateque exponantur, quæcumque & de ſanctorum interceſſione, invocatione, atque cultu, & de ſacrarum reliquiarum, imaginumque veneratione, & de hiſtoriis myſteriorum noſtræ redemptionis, pictura, aliave ſimilitudine expreſſis, eos inſtrui, docerique Tridentina œcumenica ſynodus juſſit.

III.

ANNO CHRISTI 1576.

III.

*De indulgentiis.*

De ſanctis indulgentiis tractatio, prout uſuvenerit, accurate in ſermonibus item habeatur: ut & earum cæleſtem vim & pietatis officia, ad illas conſequendas neceſſaria, populus intelligat: ſeſque propterea omni intima mentis animique religione & Chriſtianæ caritatis actionibus, atque operibus, ad uberrimas ſalutareſque earum utilitates aſſequendas diligenter paret. Id autem omne officium per parochos & alios, quorum intereſt, præſtari epiſcopus jubeat, iis præſertim inſtructionibus, quæ eo de genere, noſtra in concilio provinciali auctoritate confectæ, ad communem provinciæ hujus uſum in lucem emittentur.

Quæcumque indulgentiarum, quæ olim, vel nuper cuivis, etiam regularium, aut aliter exemptorum, eccleſiæ perpetuo conceſſæ ſunt, tabulæ, ſcripta, monimentave alia omnis ejuſdem generis extant: ea ubi illa ſint, ſive in diœceſi, epiſcopus ſtudioſe conquirenda curet; tum illa conquiſita, indeque ſummatim exſcripta, in librum certum, eo nomine confectum, qui in archivo epiſcopali aſſervetur, diligenter recteque referri jubeat.

Quæ præterea indulgentiæ urbis, diœceſiſque ſuæ eccleſiis in poſterum perpetuo, vel ad certum tempus concedentur; ubi primum ad ſe, aut ad vicarium epiſcopalem, qui illas recognoſcat, delatæ ſunt, eodem, aliove libro notentur, ordineque deinceps deſcribantur.

Singulæ autem eccleſiæ, quibus vel conceſſæ ſunt, vel concedentur, proprium ejuſdem generis codicem, in quo illæ exſcribantur, accurate confectum, aut tabellam ejuſdem generis, in ſacriſtia habeant: illarum exemplari in archivo, vel in ſacriſtia aſſervato.

IV.

*De ſuperſtitionibus.*

Quantum in religione ſtabilienda, atque augenda laboris ponendum eſt, tantum in ſuperſtitione, ex hominum mentibus evellenda, curæ ac diligentiæ eſt impendendum. Quare parochi diligenter ei rei invigilent: ac ſi quod ſuperſtitionum genus in ſuæ parochiæ hominibus animadvertant, id ſemper, ante proximam ſynodum tempore quod epiſcopus præſtituerit, ad illum in ſcriptis deferant; ut ei malo occurri opportune poſſit.

Confeſſarii quoque diligentes in eo genere ſe præſtent, inveſtigentque num pœnitentes aliquod remedium valetudini, aut vulneribus adhibeant, quod non a medica arte & cognitione, ſed a ſuperſtitione proficiſcatur: tum præterea, num tempora, aut loca, aut quid ejuſmodi, ſuperſtitioſa opinione obſervent: & quos ea in re peccare noverint, graviter objurgent, & ab ejuſmodi vano ſenſu atque errore deterrere & avertere conentur.

V.

*De ſacris quatuor temporibus.*

Sacra quatuor jejuniorum tempora, ex ſanctis Spiritus doctrina ſalutariter inſtituta, ſicut olim & frequenti fidelium conventu & ſolenni celebritate & religioſo ſupplicationum officio colebantur; ita ad illorum cultum, paſtorali cura eruditis fidelium mentibus, in uſum antiquæ pietatis revocanda ſunt.

Quare in omni provinciæ noſtræ eccleſia, vel cathedrali, vel parochiali, non ſolum die dominico, illa tempora præcedenti, ſed etiam ubi populus erit frequens, feria quarta, proxime ſequenti, eo de genere concionem ſacram haberi ſtatuimus: qua fideles excitati, ſolennibus his feriis, quarta ſcilicet, ſexta, & ſabbato, pro antiquæ devotionis conſuetudine, frequentiores miſſæ ſacro, diviniſque officiis, ut in Moguntino concilio primo cautum eſt, interſint: orationes, jejunia, eleemoſynas, ceteraque pietatis opera præſtent: quibus, quo ſpecialius illæ feriæ præſtitutæ ſunt, eo vehementiori Chriſtianæ virtutis contentione ad illa paratos eſſe oportet. Ad quam diligentiam parochi præterea fidelium caritatem omni religioſo propoſito ita præparare ſtudeant, ut unanimiter, auxiliante Chriſto, ſtatarum illarum feriarum ſolennitatem religioſa piorum operum ſolicitudine celebrantes, ſabbato ſub veſperum frequentiſſimi ad eccleſiam, ut piæ conſuetudinis fuit, conveniant: ubi ſanctis precibus, cum pro ſacra ordinatione, tum pro his commodis, quæ ſingulorum annorum revolutione conſequimur, omnium bonorum largitori Deo, gratia habeatur, ſicut & inſtituta illorum temporum ratio & Chriſtianæ religionis cultus depoſcit.

Iidem in ſtatis iis temporibus, populo denuntiandis, formulam hanc, ex ſanctiſſimi pontificis Leonis primi verbis conceptam adhibeant: cujus ſententiam, etiam vulgari ſermone explicent uberius.

VI.

*Formula denuntiationis jejunii quatuor temporum.*

Quod ſacrorum temporum ratio & devotionis Chriſtianæ admonet conſuetudo, paterna vobis, dilectiſſimi, ſolicitudine denuntiamus, menſis N. ſacrum celebrandum eſſe jejunium, divinitus inſpirata doctrina præceptum, ac ſtatis menſium curriculis diſtributum: ut lege abſtinentiæ omnibus adſcripta temporibus, & aliis Chriſtianæ militiæ præſidiis, ad mentium noſtrarum, corporumque ſanctificationem divinitus inſtitutis, ſtato dierum intervallo, ſine ceſſatione renovatis, nos ardentiori cura, majorique ſtudio in ſalutis curſu progrediamur, quo ſpecialius præſtituti ſunt dies ad pietatis officia. Quarta igitur, ſexta feria, & ſabbato jejunemus: frequentes in cathedrali, parochialique eccleſia ad litanias, orationemque conveniamus; & quo ſacris illis feriis a cibo abſtinentiores eſſe debemus, eo abundantiori eleemoſynarum liberalitate erga Chriſti pauperes effuſiores ſimus: tum ſabbato ſub veſperum orationem parochialem communem celebremus, qua & pro ſpe felicitatis æternæ, ad quam per fidem currimus, & pro ſacra ordinatione, quam eo die a reverendiſſimo epiſcopo haberi ſolenne eſt, & pro piis commodis, quæ ſingulorum annorum revolutione conſequimur, Deo omnipotenti gratias agamus: eumdemque religioſis ſupplicationibus oremus, quatenus ſanctorum, quorum patrocinia imploramus, ſuffragantibus meritis, ejus miſericordiam in omnibus impetremus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre, &c.

VII.

*De feriis.*

Quo tempore ad ſalutem animæ toto corde, totaque mente, atque omni Chriſtianæ pietatis officio incumbendum eſt: in judiciali foro tunc aditus patefieri non debet ad judicia, ad lites & ad cauſas, quibus ſæpe diſtrahuntur homines a pietatis officiis; ne aliquando Iſaiæ prophetæ illis vocibus nos dominus graviſſime arguat: *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis: ecce ad lites & contentiones jejunatis.* (Iſa. 58.) Quare ne quadrageſimæ, quatuor temporum & aliorum jejuniorum diebus, id quod & Liberii pontificis maximi & concilii Triburienſis canone ſancitum eſt, in aliquo foro, mane, quo tempore miſſæ ſacro, divinis officiis & verbi Dei prædicationi Chriſtianos homines intereſſe potius oportet, jus dicatur, judicia exerceantur, aut quidquam agatur quod ad judicii forenſis ordinem pertineat. Id vero pro paſtorali gregis Dei cura, quam ſuſcepit epiſcopus, ab omnibus præſtari quam diligentiſſime ſtudeat.

Rei ne feſtis diebus, divino cultui dicatis, torqueantur: ſi modo criminis atrocitas aliud non poſtulet.

Ac ne teſtes quidem iis diebus teſtimonium dicant, etiamſi feriali die jurati id ſint, niſi in cauſis, in quibus licet eiſdem diebus jusjurandum illis deferri.

Id omne ſane epiſcopus, cum in epiſcopali foro, tum in ſæcularibus judiciis caveat ut ſervetur.

VIII.

*De ſancto Ambroſio.*

Devotione congrua, & debitis honoribus beatus Chriſti confeſſor Ambroſius epiſcopus, ſanctæ eccleſiæ metropolitanæ Mediolanenſis pater pariter ac patronus, cujus doctrina etiam tota illuſtratur eccleſia, ut a provinciæ noſtræ fidelibus colatur; ejus & diem feſtum, qui in ſeptimo Idus Decembris agitur, ſicut reliquos dies feſtos, quos coli præceptum eſt, quotannis a clero, populoque celebrari, & commemorationem de eo, quibus diebus ex ritu eccleſiæ ejuſmodi commemorationes fieri licet, in veſpertino, matutinoque officio antiphona & oratione a clero fieri perpetuo, pro ſuæ pietatis ſtudio, epiſcopi omni etiam adhortatione curent.

IX.

*De clericorum ad feſtorum dierum celebritates conventu.*

Ne diebus feſtis, qui præcepto eccleſiæ, aut conſuetudine, votove coluntur, ad alienam eccleſiam, miſſam celebraturus, parochus accedat: niſi ab eo, cui id curæ epiſcopus dederit, facultatem ſcripto exaratam impetrarit. Quam facultatem ille tantum iis det, quos omnibus bene conſideratis ad miſſarum ſolennia, divinaque officia in eccleſia, ubi celebritas in urbe,



diœceſive agitur, rite concelebranda neceſſarios eſſe viderit. Qua in celebritate, cum ab aliis eccleſiis ſacerdotes evocandi ſunt, ne ullo prætextu plures evocentur, quam quatuor, vel ſex ad ſummum: id vero, niſi vel legati pii, vel fundationis jure aliquando plures adhiberi neceſſarium ſit.

Item diligenter hoc epiſcopus caveat, ut ſi ad celebritatem ſacerdotes alii, quam parochi adhiberi poſſunt, ne parochos a ſuis eccleſiis avocari, abeſſeve ea de cauſa iis diebus ullo modo patiatur; ſi vero aliter fieri non poteſt viciniori-bus ſolum parochis, paucioremque populi multitudinem habentibus, eam facultatem permittat. Tum præterea videat, ut qui parochus feſto die ad celebritatem evocatus, abfuturus eſt, ſacerdotem alium, vel ordinarium, vel conductum habeat: qui illo die miſſæ ſacrificium in eccleſia parochiali faciat: quique cetera, ut ipſe, ſi præſens adeſſet, omnino præſtet, ante ab epiſcopo in iis functionibus obeundis probatus.

Si vero ſacerdotem ejuſmodi quandoque habere non poterit: feſto die celebritatem, ad quam vocatus eſt, præcedenti, populo ſuo ſignificet, ſe ob eam cauſam in eccleſia parochiali miſſam celebraturum non eſſe: ſed in ea, ad cujus celebritatem vocatus eſt: proinde illum moneat, ad ipſam eccleſiam, aut aliam propinquiorem, ubi miſſæ ſacrificio interſit, ſe conferat.

Si autem pro eccleſiæ, in qua celebritas agitur, amplitudine & dignitate aliquando ad ſolennitatem concelebrandam ſacerdotibus pluribus pluribus opus eſſe cenſuerit: aliis item aliquot ſacerdotibus etiam parochis, hoc det ut in eccleſiis ſuis primum ſacro peracto, ſique parochialis curæ munera præſtari debent, tum ad eccleſiam, ubi ſolennitas celebratur, proficiſcantur, illius rectorem in divinis concelebrandis officiis adjuturi: nec vero deſint eccleſiæ ſuæ reliquis eo die obeundis parochialibus muneribus & officiis.

In evocandis quidem, admittendiſve ſacerdotibus, & clericis ad dierum feſtorum celebritates, ratio atque ordo ſervetur, infra in decreto de exequiis, eorumdem evocationi præſcriptus ad funera concelebranda.

Illi porro omnes, qui evocabuntur, in choro dum divina officia fiunt, ſuperpelliceo mundo decenter induti ſemper adſint.

Nec vero præter clerum illius eccleſiæ, alius ſacerdos, clericuſve, qui ad celebritatem vocatus non ſit, in chorum quovis prætextu aſciſcatur recipiaturve: neve eleemoſynarum, quæ in ea celebritate tributæ ſunt, aut tribuuntur, particeps ullo modo ſit: nec præterea in menſa excipiatur. Neque rurſus quiſquam a præpoſito, archipresbytero, parochove miſſus, plus capiat, quam ſi proprio ſolum nomine eſſet evocatus.

Quicumque præter conſtitutum numerum, aliquem aſciverit, qui item minime vocatus, quive ſine præſcripta facultate acceſſerit: ac rurſus, qui admiſerit, quive exceperit, qui denique plus acceperit, mulctetur arbitratu epiſcopi.

X.

*De religioſis peregrinationibus.*

Ut ex ſanctorum patrum inſtitutis fideles pro-

ANNO CHRISTI 1576.

provinciæ noſtræ ſanctas peregrinationes ſuſcipiant, ſalutiſque uberiorem fructum, divina auxiliante miſericordia inde capiant, hæc illis ſervanda proponimus: ac primo eccleſiaſtici ordinis hominibus, tum laicis item.

Ne quiſquam ſacerdos, clericuſve cujuſvis ordinis, peregrinaturus, itineri, peregrinationis cauſa, ſine literis dimiſſoriis, ac teſtimonialibus epiſcopi, ſe committat, ut canone veteri ſancitum eſt: tum præterea nec ſine benedictione, quam epiſcopus ſacerdoti clericove peregrinaturo ſtatis precibus, *libro ſacerdotali*, rituali*ve præſcriptis*, impartiet.

*Iis ſane literis* a cancellario adſcribantur hæc ſingula capita, ſacerdoti clericove peregrinanti infra præſcripta, quo accuratius ab eo illa ſerventur.

Peregrinationis comites, quos ſibi adjunxerit, cum in viam ſe daturus eſt, epiſcopo, aut vicario exponat, quorum comitum nomina a cancellario literis dimiſſoriis adſcribantur.

Si quis item peregrinaturus, eccleſiam parochialem, aut capellam, aliudve cujuſvis nominis beneficium eccleſiaſticum obtinet, cui miniſterium aliquod debeat: is, ut epiſcopus opus eſſe cenſuerit, ſacerdotem, vel clericum, qui eidem epiſcopo, vicariove probatus ſit, pro ratione miniſterii ante ſubſtituat, quam iter ſuſcipiat, ne eccleſia debito miniſterio cultuque careat; cujus rei per ſe præſtitæ teſtimonium ſcriptum, aut epiſcopo, aut vicario exhibeat. Ei vero quem ſubſtituerit, aut alii, quem epiſcopus maluerit, ſi aliquot dierum peregrinationem facturus eſt, veſtes ſacras, ornamenta, libros, ſcripta, omnemque eccleſiaſticam ſupellectilem committat, indice eorum omnium ſigillatim ac diligenter confecto, eo ſcilicet præſente, cui hoc munus epiſcopus dederit, ne ex ejus abſentia aliquod detrimentum eccleſia patiatur. Deinde is vel ſacerdos, vel clericus, antequam peregrinationi ſe committat, peccata primo confeſſus, tum ſi ſacerdos eſt, miſſæ ſacrificium, quod eſt pro iter agentibus, offerre; ſi clericus inferior, ſacram euchariſtiam ſumere ſtudeat.

In itinere, clericali habitu contractiori ad conciliorum præſcriptum, omnis ſacerdos & clericus, dum in peregrinatione eſt, uti poſſit: pileum autem induat clericali ordini congruentem, & a laicali veſtitu diſtinctum.

Tonſuram clericalem perpetuo habeat.

Ne itineris cauſa canonicas horarias divini officii preces omittat, ac tum etiam ſtata de præcepto eccleſiæ jejunia ſervet, niſi cum legitime excuſatus ſit.

Si ſacerdos eſt, ubi probatus fuerit, miſſam quotidie celebrare curet: at vero dominicis & feſtis diebus id facere non omittat.

Singulis vero diebus, ſive ſacerdos, quando ipſe non celebrat, ſive clericus, miſſæ ſacrificio intereſſe ſtudeat.

Mane ſingulis diebus præter officium divinum debitum, preces etiam illas pie recitare curet, quæ itinerarii nomine appellantur.

In omni denique itinere quod ſanctæ peregrinationis cauſa ſuſcepit, cum ſe vitæ moribus, omnique actione præſtare ſtudeat, ut pie religioſeque peregrinandi exemplum laicis præbeat: quorum ſi aliquem ſocium & comitem habet, ſanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad ſalutem inſtruere curet.

Hebræis, & mulieribus comitem non ſe adjungat, neque eodem curru cum eiſdem vehatur: neque item eodem navigio, ut ſcandalum ejiciatur, ſi aliter ſibi conſulere poterit.

Neque iis etiam ſe adjungat in via, niſi neceſſitas coegerit, qui dum iter faciunt, profanis cantionibus, citharis, aliiſve muſicis inſtrumentis utuntur.

Abſtineat item ipſe a profanis canticis, & colloquiis ejuſdem generis, quorum uſu, pietatis in peregrinatione ſuſceptæ ſtudium refrigeſcit, pſalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum divinarum meditationibus vacet; & ſpiritualibus item ſermonibus, ſi comites habet, quibuſcum loquatur, corporis vel animi laſſitudinem ſublevet.

Ne mendicet, oſtiatimve victum quæritet, niſi ex voto, vel alia cauſa, ab epiſcopo probata, & facultate nominatim ſcriptis impetrata.

Cum ad aliquem locum veſperi perveniet: eccleſiam, quæ eo loco eſt, antequam ad hoſpitium divertat, religioſe adeat, ſi poteſt; ubi ſupplex litanias, vel alias religioſas preces recitet.

Si apud religioſos homines, vel apud alios viros honeſtos diverſari poteſt, ab hoſpitiis publicis abſtineat. Ad caupонas vero ſi divertere neceſſe habet, nec una cum eiſdem Hebræis, aut mulieribus accumbat in publico hoſpitio, aut alio omni loco & tempore. Antequam diſcumbat, menſæ benedicat: tum pranſus, aut cœnatus gratias agat: ceteraque obſervet, quæ de temperantia, frugalitate, & modeſtia clericali decretis provincialibus præſcripta, accurate præſtare debet.

Cum primum ad peregrinationis locum pervenerit, confeſſario probato confiteatur, & miſſam ſacerdos celebrare, & ſacram communionem clericus ſumere curet, totuſque peregrinationi ſuſceptæ intentus, non rerum novarum curioſitates, non loci antiquitates, non quidquam aliud a peregrinandi propoſito alienum conſectetur: ſed religioſa animi præparatione eccleſias, ſacraſque reliquias, quas potiſſimum devotionis, votive cauſa viſitatum venit, tum alias etiam ſolicite viſitet: qua viſitationis ſolicitudine, pietatis ſibi ardorem excitare ſtudeat, ut maxime poteſt.

Nec vero ubi ſanctam peregrinationem abſolverit, alio longius vagetur.

A peregrinatione reverſus, epiſcopum primo, aut vicarium cum literis dimiſſoriis, quas dedit, conveniat: ſancteque ſuæ peregrinationis teſtimonium ab ordinario loci, aut ſaltem a præfecto eccleſiæ afferat, ad quam peregrinationis cauſa iter ſuſcepit, niſi literis dimiſſoriis alius nominatim ab epiſcopo exprimatur, cujus allato ſcripto id teſtatum facere debet.

Laici item, antequam peregrinationem ſuſcipiant, ſuum quique parochum conveniant; a quo ſancte peregrinandi conſilium capiant, & literas habeant ab epiſcopo canonicas, ut canone expreſſum eſt: quarum etiam fide teſtimoniove eis liceat ubique, & cuivis confeſſario, ab ordinario loci approbato, peccata confiteri.

Deinde benedictionem ab eodem parocho petant, qui ſuperpelliceo, & ſtola indutus, illis bene precetur, & benedicat, ſtatis religioſis precationibus, quæ ex eccleſiæ inſtituto peregrinis adhibentur.

Peregrinationis vero iter ſuſcipiant, ubi rite confeſſi ſacram euchariſtiam religioſe ſumpſerint.

Peregrinando omnia fugiant, quæ devotionis



ANNO CHRISTI 1576.

ſtudium perturbant, aut impediunt: & illa amplectantur, quibus illud excitari ſolet.

In itinere ſtata præcepto eccleſiæ jejunia ſervent, niſi cum legitime excuſati fuerint.

Singulis diebus miſſæ ſacro intereſſe ſtudeant: dominicis vero, & feſtis ne ullo modo deſint, tum ſacram communionem ſumere curent.

Mane preces, quas itinerarium vocant, pie recitare ſtudeant, qui legere noverint.

Eleemoſynas, ſi per facultates poſſunt, largiantur.

Inſtent potiſſimum orationi, pſalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, & rerum ſpiritualium meditationibus, & ſermonibus laſſitudinem ſublevent.

In curru, navigio, & hoſpitio, cum Hebræorum maxime, tum mulierum etiam, niſi quas cognatione affinitateve junctas, aut etiam ex familia ſua ſanctæ peregrinationis ſocias habeant, omne conſortium vitent, niſi neceſſitas aliud coegerit. At ſane vero in hoc ſancto piæ peregrinationis propoſito, ac ſtudio, ad uſum revocari cupimus quod olim factum eſſe ex ſacris literis, patrumque monimentis animadvertimus, ut ſcilicet, qui etiam ejuſdem familiæ eſſent, cum templum, locaque ſacra viſitatum irent, viri a feminis iter ſeparatim facerent.

Abſtineant item a profanis canticis, colloquiis, citharis, aliiſque muſicis inſtrumentis, atque adeo ab eorum ſocietate, qui in itinere iis, aliiſve ejus generis actionibus operam dant, quibus pietatis ſtudium in peregrinatione ſuſcepta langueſiat.

Ne mendicatim eleemoſynam quæritent, niſi ex voto, vel neceſſitate, aliave cauſa epiſcopi literis & teſtimonio probata.

Ad loca, ubi primum veſperi divertunt, eccleſiam precandi cauſa prius adeant, quam in hoſpitium veniant, ſi temporis tarditas, aliudve non impedierit.

Ad ſacra loca, quæ religioſe viſitaturi ſunt, cum pervenerint, nihil aliud ſibi propoſitum habeant, quam ut aut jubileum indulgentiamve conſequantur, aut vota ſancte perſolvant, ſacras reliquias, & ſacra loca pie viſitent, ab omni curioſitate, peccandique occaſione abſtinentes.

Itaque primo confeſſi, cum ſacram euchariſtiam ſumpſerint, tum religioſe ſtatas ſanctorum eccleſias viſitent; ita ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus in ipſis reſurgat ad excitandam pietatem, & ſanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adjuventur.

Reverſi a peregrinatione, primo parochum conveniant, a quo benedicantur, adhibitis ex eccleſiæ inſtituto præſcriptis ſanctis orationibus.

# DE SACRIS LOCIS,

## EORUMQUE CULTU.

### XI.

*De eccleſiarum cultu.*

NOVA eccleſia ne ædificetur inconſulto epiſcopo, & ſcripta facultate ab eo non impetrata: qui præter alia, quæ in novis ejuſmodi ædificationibus requiruntur, videat in primis diligenter, an ſitus decens, honeſtuſque ſit; an capax populi: an item disjunctus ab ædibus, ut poſſit circumdari: caretque omnino ita illam ædificari, ne ab antiquo more, probataque traditione diſcedatur, ut ſacerdos, in altari majori miſſam celebrans, orientem ſpectet.

Crucis, & Chriſti domini in ea affixi imago ligno, aliove genere, pie, decoreque expreſſa, ſub ipſo capellæ majoris fornicato arcu, in omni eccleſia, præſertim parochiali proponatur, apteque collocetur. Ubi autem præ depreſſiori, humiliorique fornicis ſtructura eo loco poni decore non poteſt; alia ratione in ipſo capellæ majoris ingreſſu omnino ſtatuatur.

In uniuſcujuſque item eccleſiæ, præſertim parochialis frontiſpicio, a ſuperiori ſcilicet parte oſtii majoris, ſacræ imagines exprimantur ad præſcriptum inſtructionum, quas de fabrica eccleſiaſtica edidimus.

Qua in parochiali eccleſia porticus non eſt, neque item præ inopia extrui poteſt, hoc in ea omnino curetur, ut ante januam majorem veſtibulum extruatur, quod duabus tantum columnis, aut pilis aliquantulum ab ea diſtantibus, exædificatum, parocho in baptiſmi adminiſtratione, uſui eſſe poſſit.

Quo in veſtibulo nemo tamen conſiſtat ad miſſam audiendam, qui in eccleſia eſſe poſſit.

Nulla in eccleſia feneſtra permittatur, e qua foris ſtans miſſam quis poſſit ſpectare. Feneſtræ in eccleſiis, præſertim parochialibus, clathratæ exiſtant, niſi prealte extructæ ita ſunt, ut ſine clathris etiam ab omni violento, aut furtivo; aliove per eas ingreſſu tutæ admodum ſint, vitro etiam vel tela ſaltem muniantur.

Labrum, ſeu vas aquæ benedictæ intus in eccleſia, non foris exiſtat: atque ad oſtium eccleſiæ, a latere vero ingredientis, ubi poteſt, dextero. E marmore autem lapideve ſolido, non lateritio, neque ſpongioſo conſtet: aſpergillumque decens appenſum habeat, non ſpongia, ſed e ſetis confectum, aliave forma in earumdem inſtructionum libro demonſtrata.

In unaquaque eccleſia, in qua miſſa celebratur, ſacrarium unum ſit in capella majori, aut prope ſacriſtiam, aut in ipſa ſacriſtia, ſi eccleſia frequens eſt, opportuno loco extructum. In parochiali vero, præter illud quod fontis baptiſmatis uſui eſt, alterum etiam loco ejuſmodi, niſi ubi pro reddituum tenuitate, proque exiguitate populi, illud unum ſatis eſſe epiſcopus cenſuerit.

In unaquaque item eccleſia parochiali ſuggeſtus decenter ad inſtructionum præſcriptum extruatur: unde parochus aliive concionatores ſacram concionem, vel lectionem populo frequenti habere poſſint.

Lampas, quocumque in altari collocata ſit, non a latere, ſed e regione poſita colluceat. E vitro autem conſtet, niſi e ferro, aut ſtanno conſtare aliquando neceſſe ſit, ut in locis Alpinis accidit, aliiſque, ubi ob frigoris rigorem vitrum frangitur: utraque autem aurichalci opere omnino decore tegatur.

Frequenter autem abſtergantur lampades, ut nitidæ, ac perlucidæ ſint.

### XII.

*De capellis, & altaribus.*

Capellarum, & altarium locus, ne in ulla quavis eccleſia, quovis nomine cuiquam abſque epiſcopi auctoritate detur.

Altaria omnia amoveantur, quæ prope ſuggeſtum,

geſtum, aut organum extructa ſunt, aut columnæ, pilæve hærentia; aut adverſa altari majori, aut eccleſiæ januis nimis propinqua; aut alias quavis ratione incommoda, aut periculoſa, epiſcopi judicio ſunt.

Oblationes autem, & onera, emolumentave, & jura altarium, quæ emovebuntur, ad alia altaria ejuſdem epiſcopi ſententia transferantur.

Nec vero deinceps in ejuſmodi locis ulla quavis cauſa altaria conſtrui epiſcopus permittat: neque ullo modo liceat.

Altare unumquodque extruatur, aut ſi jam extructum eſt, ad rationes infra præſcriptas, ex forma inſtructionibus conſtituta, ornetur, & accommodetur, ac reconcinnetur.

Lapideum ſit vel ſaltem lateritium cum tabula lapidea, ſi conſecrandum eſt.

Neque in eo feneſtella, foramenve ulla ex parte ſit, ubi quidquam aſſervari, aut recondi poſſit: niſi forte reliquiæ ſanctorum ſint.

Si vero columellis ſuffultum erit, ne quidquam item ſubtus ponatur.

Altitudine ſit a ſcabello ligneo, ſeu bradella altaris, cubitis duobus, & unciis octo: longitudine vero ad minimum cubitis quatuor, latitudine item cubitis duobus.

Scabellum vero ligneum habeat, quod a fronte altaris cubitos ſaltem duos productum late pateat.

Tegmen omnino habeat, vel fornicatum, vel ſaltem ex aſſeribus, aut e tela cærulea, decenter picta, vel e ſerico, aut panno precioſiori confectum: ubi ſcilicet fornix non eſt, quæ totum altare, ac præterea ſacerdotem celebrantem tegat: aut ſi fornix eſt, ab altari tamen ita diſtet, ut ea ſæpe purgari facile, & commode queat.

Feneſtella ſit in pariete a parte epiſtolæ conſtructa, & lapide tranſverſali diſtincta, ita ut pars ſuperior uſui ſit ad pelvim cum urceolis, dum miſſæ ſacrificium fit, reponendam: inferior ad aquam ablutionis projiciendam.

Adſit tintinnabulum appenſum, vel certe, cum ibi faciendum eſt miſſæ ſacrificium, e ſacriſtia deferatur.

Sepiatur omnino altare unumquodque ſepto ferreo, vel lapideo, aut quibus locis ob inopiam epiſcopus id permittendum cenſuerit, ligneo; quod ſeptum ab altari, congruo ſpatio diſtet, ad inſtructionum præſcriptum.

Nec vero illud ſeptum laicus ingrediatur.

Petra ſacrata ita menſæ altaris inſeratur, ut nullum offenſionis calicis periculum adeatur: tactu tamen digiti poſſit dignoſci.

Quæ quidem petra longitudine ne minor ſit unciarum viginti; latitudine ſexdecim.

Habeat unumquodque altare propria indumenta, ac ornamenta, & ſupellectilem omnem, decretis provincialibus, aut noſtris etiam inſtructionibus præſcriptam, tum ad ejus cultum & uſum, tum ad miſſæ ſacrificium in eo religioſe decoreque peragendum.

Nec vero quiſquam, etiam canonicus, aut alius majori gradu, dignitateve in eccleſia ulla præditus, excuſetur, quo minus altare ſuum capellamve, quam obtinet, inſtruat, ornetque, ac propriam illis indumentorum & reliquam omnem ſupellectilem comparet ad idem præſcriptum, etiamſi in eadem eccleſia ſit altare, in qua ipſe canonicatum aut dignitatem obtinet; aut etiam eidem canonicatus, vel dignitatis, ejuſve præbendæ, unionis jure, aut alio quovis annexa ſit capella, vel altare illud.

Ad capellas & altaria conſtruenda, vel ornanda, vel reconcinnanda, vel aliis rebus, tum ſupellectili etiam opportuna inſtruenda ex præſcripto inſtructionum noſtrarum, ſi redditus debiti miniſterii & aliarum rarum neceſſariam impenſam ſuperabunt; epiſcopus totum illud, quod ſupereſt, aut partem arbitratu ſuo transferat: niſi aut alii ſint qui jure debeant hæc omnia præſtare, aut alia epiſcopi judicio opportunior ratio videatur, unde id fiat, quam ipſe iniri jubeat; atque ut id efficiatur quod præſcriptum eſt, omni juris ratione eos, qui debent, compellat.

Si vero alia ratione id præſtari, aut abſolvi, aut perfici poſſe epiſcopus non viderit: ſubtrahat interea aliquod tempus aliqua ex parte, vel etiam ſi opus erit, totum ſervitium, redditum vero, vel pecuniam ſervitio attributam impenſæ applicet, quæ neceſſaria eſt ad illud ſervitium religioſe decoreque explendum.

Epiſcopali cura diligenter cavendum eſt, ut cum altarium, onerum, juriumque ad ea pertinentium, tum etiam titulorum, qui interdum plures uni ſolum altari attribuuntur, memoriæ conſultum ſit perpetuo: ea enim, quemadmodum ſæpe eveniſſe compertum eſt, & brevi & facile periret, non ſolum quia ob varias cauſas illa aliquando amoventur, transferunturve; verum quoniam ob acceſſiones diminutioneſque iis aliquando factas, onera etiam eiſdem adjuncta nonnunquam commutantur, ut crebro item de iis ipſis oneribus ab epiſcopo interdum ob alias cauſas, etiam ex decreto Tridentino ſtatuitur, decernitur ve. Quamobrem epiſcopus librum, eumque certum ac perpetuum, confici; illumque in archivo epiſcopali diligenter aſſervari mandet. Quo in libro, anni ſpatio, altarium omnium, quæ in ſingulis urbis & diœceſis eccleſiis, juriſdictioni ſuæ, aut viſitationi, etiamſi quovis modo illæ alias exemptæ ſint, ſubjectis, collocata ſunt, tituli & emolumenta, item jura, onera, ſi quæ habent, ſigillatim ordine recteque deſcribantur.

Altaria præterea omnia & ſingula notentur, non ſolum quæ vel ex hominum memoria, vel ex aliis monimentis, ſcriptiſve ad illa ipſa jam alias translata eſſe cognoſci aliquo modo poteſt, verum etiam, quæ in poſterum quavis de cauſa eodem transferentur, deſcriptis pariter illorum titulis, juribus, atque oneribus.

Tum etiam accurate ſuo loco notetur, ſi quid deinceps emolumenti, aut oneris ex legato, alio ve nomine acceſſerit.

Rurſus onerum commutationes, diminutioneſve, ſi quæ fient, nominatim deſcribantur; ac denique quæcumque de iis ipſis, ob miſſarum numerum, obque eleemoſynarum tenuitatem, etiam ex decreto Tridentino ab epiſcopis, aliiſve decerni ſtatuique contigerit. Tum præterea certi illi dies, quibus ex Tridentino decreto ob illam cauſam commemoratio pro mortuis facienda eſt, qui eo nomine pia legata reliquerunt.

Onera vero hoc libro notata, ſingula in tabellam referantur; quæ ex decreto provinciali de eccleſiarum oneribus, in uniuſcujuſque eccleſiæ, illa habentis, ſacriſtia affigi debet.

Hoc ipſo libro altaria etiam ſingula, quæ ex conceſſa ab epiſcopo facultate in poſterum extruentur, cum ſuis titulis, juribus, emolumentis, atque oneribus accurate deſcribantur, facultate etiam illa in eum ipſum librum relata. Ideo qui ita extruxerit, & rector eccleſiæ cancellario epiſcopali menſis ſpatio ædificationem etiam abſolutam denuntiet.







## XIII.

### *De ſepulcris.*

Ne ſepulturæ locus quovis nomine cuiquam detur: ut ſepulcra fiant, conſtruanturve in ulla quavis eccleſia, ſine epiſcopi conceſſu ſcriptis exarato.

In choro autem, vel capella majori, nullo modo.

Nec vero in aliis eccleſiæ locis prope altaria, niſi tam longe ſepulcra diſtent, ut ſepulcrale os ſcabello, ſeu bradella altaris procul abſit ſpatio ſaltem cubitorum trium.

Quæ autem propius extructa jam ſunt, omnino amoveri, obſtruique decernimus.

Fornicato opere ſepulcra fiant: quæque e ſolo eccleſiæ nullo modo extent emineantve: ſed illud plane adæquent.

Ab utroque eccleſiæ latere, dextero ſcilicet ac ſiniſtro, eo ordine diſpoſita extruantur, ut e regione ſibi ſingula reſpondeant.

Operiantur, ne ullo unquam tempore fœteant, duplici integumento; quod forma quadrata, e lapide ſolido ſit, ita tamen ut inferius integumentum e rudi, illud autem ſuperius e polito lapide ſtruatur, eccleſiæ pavimento æquale, quod item ſepulcrali ori undique apte cohæreat.

In quo ſuperiori integumento, ne crux, ſacraque alia imago ſculpatur.

Nec rurſus imago alia, vel literæ, aut aliud omnino quidquam, quod extet aut emineat: neque quod ab epiſcopo prius probatum non ſit, vel ab eo, cui ille id munus dederit.

Quæ ſepulcra modo ſunt, marmore, vel petra ſolida, non tecta, niſi trium menſium ſpatio apte tegantur, humo oppleantur, adæquato ſolo: ac nemo præterea in illis deinceps ſepeliatur.

## XIV.

### *De cæmeteriis.*

Cœmeteria ut muro, vel alias tute undique ſepiantur, & eorum ingreſſus beſtiis occludatur, curet epiſcopus diligenter. In eorum medio crux firmiter erecta ſit; quam aliquo etiam decenti integumento operiri conveniens ſit.

## XV.

### *De campanis.*

Parochialis eccleſia, ſi campanas tres, grandiorem ſcilicet, mediam & minimam habere non poſſit, ſaltem duas, ubi fieri poteſt, habeat: eaſque diſtincto ſoni concentu inter ſe recte conſentientes, pro varia divinorum officiorum, quæ fiunt, ratione & ſignificatione.

Simplex eccleſia, oratoriumve, unam tantum campanulam habeat, ut Joannis XXII. pontificis conſtitutione ſancitum eſt.

Campanis autem ipſis res nulla profana deinceps inſculpatur, inſcribaturve, ſed crux & ſacra aliqua imago, utpote ſancti patroni eccleſiæ, piave inſcriptio.

Neque rurſus eæ in turrim campanilem ſuſtollantur, antequam ab epiſcopo rite precibus, ac benedictione conſecratæ ſint.



## XVI.

### *De ornatu, decore, ac nitore ſacrorum locorum.*

Ne animalia, piſces grandiores, eorumve membra in eccleſiis appendantur; niſi quæ voti, aut piæ ſignificationis cauſa epiſcopus permittenda cenſuerit.

Conſecratæ altarium menſæ totæ licet aliqua ex parte lateritiæ ſint, tela cerata ita contegantur, ut facile a menſa tela non poſſit amoveri.

Cum eccleſiæ fores patent, tunc altaria ſingula & mappis tribus mundis, una oblonga, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabuſque reliquis brevioribus veſtita ſint: ita ut gradus etiam ille ligneus, ſuper altari a tergo collocatus, ab indumento nudus non ſit, ſed mappa munda totus ſternatur: & pallio item coloris, quoad ejus fieri poteſt: pro feſti diei, feriæve ratione decenter eadem ornata; ac tela viridi, ne mappæ pulvere, aliave ſorde inquinentur, ſtrata: & præterea cruce in medio collocata, & candelabris duobus, uno ſcilicet ab dextera, altero ab ſiniſtra parte poſito, inſtructa atque ornata ſemper ſint. Idque quotidie in eccleſiis: quæ frequentantur, in ceteris vero eccleſiis, feſtis ſaltem diebus.

Tabella ſecretorum in unoquoque altari ſit item, ea tamen ratione, ut peracta miſſa, non erecta ſit, ſed depreſſa ſub tela, mappave recondatur.

Quibus in eccleſiis, feria quinta hebdomadæ ſanctæ, ſepulcrorum ornatus aut conſtituitur; ubi corpus Chriſti domini aſſervatur, cum illud glorioſum fore Iſaias prædixerit, ſicut precioſo ornatu decorari debet, ita in iis cavendum eſt, ne profanus & parum decens ſit ornamentorum apparatus. Ne igitur cubilis ſtragula, cortinæ, conopea, ſeu tentoria, ad uſum profanum adhibita, ad illum circumveniendum, atque exornandum uſui ſint: niſi eccleſiæ oblata, ejus jam propria facta & ſacro uſui dicata ſint. Iſa. 11.

Idem ſancitur de veſtibus & ornamentis, quibus ſacræ ſanctorum, ſanctarumque imagines induuntur.

Ne eccleſiæ oratoriave ſitu, pulvere, aut alio ſqualore obſordeſcant.

Ubi præterea inter altare majus & parietem, qui a poſteriori ejus parte eſt, locus non multi ſpatii datur, relinquiturve; quamvis exiguus, qui chorum non capiat, is etiam locus ab omni ſitu, ſqualore, ac ſorde purus mundusque conſervetur.

Ne in eccleſia, vel pro foribus ejus, neve in oratoriis, aliove ſacro loco colligendæ eleemoſynæ cauſa, ne ipſius quidem eccleſiæ, aut ejus fabricæ, rectoriſve nomine, capſula, vaſculum, menſa, aliudve ejus generis, etiam extraordinarie collocetur, aut jam collocatum in poſterum permittatur, niſi epiſcopi conceſſu literis exarato: tuncque ei capſulæ, vel rei aliæ ad id paratæ, duæ claves apponantur, diverſo fabrili opere fabricatæ: quarum altera teneatur ab eo, quem epiſcopus nominarit: altera ab iis, quorum nomine eleemoſyna colligetur. Si contra fiet, pœna ſit arbitratu epiſcopi, tum eleemoſyna collecta locis piis addicatur item illius arbitrio.

Si quæ capſæ epiſcopi conceſſu in eccleſia conſtituentur, aut collocabuntur, in quas a fide-

ANNO CHRISTI 1576.

libus, ut pleriſque in locis pietatis ſtudio fit, vel frumentum, vel legumina, vel alia quævis eleemoſynæ nomine conjiciantur: eæ ne intra capellæ, altariſve, quo fidelium ejuſmodi res offerentium concurſus fit, cancellos, aut clathra ferrea ita ponantur, ut ipſis fidelibus, eleemoſynas collaturis, neceſſe ſit cancellos ingredi.

Ut & eccleſiarum nitori conſulatur, & ſtrepitibus ac rixis; quæ ſedium muliebrium, quas bradellas vocant, in eccleſiis collocatarum ſitu exiſtere ſæpe ſolent, occurratur; utque ſimul in iis eccleſiis, quæ præſertim anguſtæ admodum ſunt, populi frequentiæ ſpatium majus detur: eæ ſedes omnes, ubi conſtitutæ ſunt, amoveantur: nec vero in poſterum ullæ unquam collocentur: communes autem aliquas, eaſque humiles, ſimplici fabrili opere confectas, modo & forma in noſtrarum inſtructionum libro præſcripta, collocari conſtituique liceat conceſſu epiſcopi.

Eæque ſedes communes, aut confratriarum, quæ in eccleſiis conſtitutæ ſunt, ſumptibus, aut pecunia a populo contributa, fieri poterunt, aut alia quavis ratione, quæ epiſcopo potior videbitur.

Altaria item, ſacræ tabulæ, & imagines, ac parietes ipſi perpetuo eniteant: tum feneſtræ non ſubobſcuræ, ſed perlucidæ ſint: pavimentum autem ſaltem quoque octavo die diligenter verratur. Hæc omnia præſtari cura ſit rectoris cujuſvis eccleſiæ.

Adhibeatur item diligentia, & gravi pœna mulctaque agatur, ut & eccleſiæ & oratorii & cœmeterii parietes ab urina, aliiſve cujuſvis generis ſordibus mundi conſerventur.

Arbores, ſtirpes, aliaque ejuſmodi arbuſta ab eccleſiis, & oratoriis quibuſvis remota ſint, ut ne radices illatæ parietibus officiant: aut rami diffuſi tecta operiant, unde detrimentum ipſis tectis exiſtat. Si qui vero rami ejuſmodi tectis jam officiunt, amputentur omnino.

Vites præterea, hederæ, aliæque id generis herbæ, quæ ſuccreſcentes exterioribus eccleſiarum, aut oratoriorum parietibus adhæreant, prorſus convellantur.

A rubis prætera & ſpinis & aliis id generis, quæ adnaſci ſolent extrinſecus, iidem parietes mundi, & a cæmentorum item, lapidumque congeſtu remoti cuſtodiantur.

Ex cœmeteriis porro vites, arbores frugiferæ, & aliæ etiam infrugiferæ cujuſvis generis, aut arbuſta, ſtirpeſve omnino convellantur atque excidantur.

Neve in poſterum in his ſacris locis quidquam conſeratur, nec vero ſeratur.

Nec fenum ex his ſuccidatur, neve herba item vireſcens quæ beſtiis pabulo ſit vel detur.

Neve in earum fines res ulla abjiciatur, cujus gravis teterve odor ſit, aut aliud quidquam ſacris iis locis inhoneſte fiat.

Stabula etiam armentorum & cujuſvis generis animalium inde procul ſint.

In iiſdem ne lignorum ſtrues fiat, ne tigna congerantur, ne cæmentorum, lapidumve acervus ſit: nec denique quidquam loci illius decori, nitorive, ac religioni ſanctitative repugnans.

## XVII.

*De profano uſu a ſacris locis tollendo.*

Ne ædium, agrorum, rerumque aliarum ejuſmodi, quæ vel locandæ, vel vendendæ proponi aut proſcribi publice ſolent, neve omnino rei cujuſquam profanæ ſchedulæ, ſcriptave ullis eccleſiarum, oratoriorumve, aut cœmeteriorum foribus, valvis, parietibuſque, aut in quovis ſacro loco in poſterum affigantur.

Ne item res venales in eccleſiarum & oratoriorum, cœmeteriorumve parietibus appendantur, neque intra loci ſpatium, quod aqua aſpergitur, cum eccleſiæ conſecratio fit, aut intra ſtillicidii fines, aliudve loci majus intervallum, epiſcopi judicio præſcribendum.

Neve item officinæ, tabernæve quovis materiæ genere, etiam tabulis, aſſeribuſve confectæ, vel ipſis parietibus inhærentes, vel in cœmeteriis, ſacriſve locis, aut omnino intra illius ſpatii, aut intervalli fines, ullo modo conſtruantur, aut collocentur. Quæ vero jam conſtructæ, collocatæve ſunt, inde quamprimum penitus amoveantur.

Ne eccleſiæ, aut capellæ, aut etiam oratorii, in quo miſſæ ſacrificium aliquando peragitur, tecta palearum acervis, neve aliqua lignorum ſtrue onerentur: ac item a parte ſuperiori, vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeant, ubi aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat. Quæ vero loca jam ejuſmodi ſunt, omnino amoveantur.

Ne frumentum, milium, hordeum, ullumve tritici, aut leguminum genus, ne poma item, ne inſtrumenta ad prædiorum ruſticorum uſum comparata, ne cujuſvis generis ſupellectilem profanam, ut ab Innocentio tertio pontifice in concilio Lateranenſi " ſancitum eſt, ne denique quidquam a domo Dei alienum in eccleſia, etiam non conſecrata, aut in oratorio, aut in cœmeterio recondi, aut aſſervari ab ullo quovis homine liceat. Vetitumque præterea ſit, niſi cum interdum aliter epiſcopus faciendum cenſuerit, clavem illius eccleſiæ aut oratorii, etiam diœceſani, ruraliſve, laicis hominibus, præſertim vero colonis, vel conductoribus ejuſdem eccleſiæ ædium, vel prædiorum, committi, aut ab illis cuſtodiri, ſervarive.

Ne campanæ in eis conflentur, neve aliquid ferruminetur: neve fabrile quidquam, aut aliud hujus generis fiat, niſi quæ ad ejuſdem eccleſiæ, aut oratorii uſum, ornatumve, alibi fieri non poſſint.

Ne in cœmeterio frumentum, quaſi in area ventiletur; ne tritura fiat: ne palea, frumenta, fruges, expandantur: nec vero telæ, pannive linei, lixivio, aquave madefacti, Soli ibidem exponantur: neque in eo feminæ, mareſque colo quidquam neant, neve ſuant, aut aliud prætera opus faciant, eorum ſacrorum locorum rationi alienum.

Eccleſiæ oſtia, cœmeteria item, aut rectori, aut etiam aliis uſui ne ſint, res profanas, onerave aſportantibus, hacque & illac per eccleſiam, ſacraque loca, quaſi per viam publicam tranſeuntibus; cui rei plane ut occurratur, cautionem omnem epiſcopus adhibeat.

Ne grammaticæ humanarumque literarum rudi-



ANNO CHRISTI 1576.

rudimenta, quæ ſæpe inanibus Gentilium fabellis traduntur, aut aliæ omnino literæ, præter ſacras in eccleſia, tamquam in ludo literario, pueris aperte exponantur; ſed rudimenta ſolum doctrinæ Chriſtianæ, & cetera quæ in illis ſcholis pueris tradi conſueverunt.

Si quo tamen in loco ex cauſis, hoc concilio probatis, parocho permiſſum erit alia docere, non vetamus, ſi domus parochialis anguſtia neceſſario poſtulet, hoc officium ab eo præſtari ferialibus diebus in eccleſia permiſſu ejuſdem epiſcopi.

Quæ permiſſionis facultas ſcripto detur, tum præterea locus certus, ac quam longe fieri poterit, ab omni, præſertim majori, altari remotus, ad id muneris deligatur: extra cujus loci fines pueri ne vagentur, nec vero ob eam cauſam in eccleſia morentur, niſi cum parochus, qui eos in diſciplinam ſuſcepit, præſens adeſt.

## XVIII.

*De religioſa in ſacris locis converſatione.*

Ne ſacris myſteriis dicata, & a Deo electa templa ſancta pateant iniquitatibus hominum, quo præſertim tempore, peractis divinis officiis, nemo adeſt clericus cuſtos; id curet epiſcopus, ut eccleſiæ & urbanæ & diœceſanæ, certa pro ratione locorum conſtituta hora, claudantur & aperiantur item. Quod ſi ob cauſam aliquando diutius, aut per totum diem eas patere oportet; caveat tamen, efficiatque epiſcopus, ut quo tempore patentes ſint, atque apertæ, cuſtos aliquis clericus adhibeatur, qui ſemper adſit, & quæ loco illo ſacro indigna ſunt, ibi peragi prohibeat.

Ubi vetus illa conſuetudo, cum ab aliis, tum ab ſancto Chryſoſtomo in primis teſtificata, eaque non ſine aliqua myſterii ſignificatione inſtituta, ut ſeparatim ſcilicet in eccleſia viri a mulieribus eſſent, in provincia noſtra intermiſſa, aut nulla eſt; epiſcoporum cura plane reſtituatur, quemadmodum & adhuc in compluribus ejuſdem provinciæ eccleſiis retinentur, & olim in uſu fuiſſe cognoſcitur ex antiquis earumdem eccleſiarum exædificationibus; in quibus ſeparationis ac diſtinctionis hujus veſtigia his etiam temporibus extant. Qua in conſuetudine reſtituenda modus, & forma illius diſtinctionis extruendæ, muniendæve per eos, quorum intereſt, ſervetur ad præſcriptum inſtructionum noſtrarum, de fabrica eccleſiaſtica editarum.

Uniuſcujuſque autem eccleſiæ rectoris cura ſit, locum in eccleſia, oſtiaque pro ingreſſu, & egreſſu ſeparata, ſexui utrique aſſignare, ac propterea quibus in eccleſiis opus eſt, plura oſtia loco opportuno aperire, ad præſcriptum epiſcopi, ex inſtitutionibus fabricæ.

Ad loca illa ſub gradibus, altarique majori extructa, quæ martyria confeſſioneſve ab antiquis vocantur, magna cautio adhibenda eſt, ne viri, & feminæ ingrediantur eodem tempore, præſertim in populi præſentia.

Quare in illis eccleſiis, in quibus ingreſſus ad ejuſmodi loca, mulieribus omnino interdictus non eſt, ſi dividi commode ea non poterunt, ut viri a feminis ſeparatim ſint, ſaltem quod ad illa attinet, quæ obſcuriora, aut non ſatis ampla ſunt, certus dies, certaque hora ab epiſcopo conſtituatur, qua ad illa alteri ſexui ſeparatim pateat ingreſſus.

Ne quis, ne in atrii quidem eccleſiæ finibus, nedum in eccleſia, aut cœmeterio rixas, ſimultates, aliaſve quaſque res, quæ offenſionem, ſcandalumve pariant, ullo pacto excitet; neve gladium, ut concilio Triburienſi ſancitum eſt, armaque ſtringat, aut iis quemquam aggrediatur. Si quis contrafecerit, poſtquam ſpatio, quod ei epiſcopus præſtituerit, monitus facti ſui excuſationem defenſionemve juſtam nullam attulerit, communione ejuſdem arbitrio privetur.

Pro foribus, atriove eccleſiæ, præſertim quo tempore ſacra, divinaque officia celebrantur, ne pila ludatur, aut aliud quidquam fiat, agaturve, unde ſtrepitus, clamoreſve excitentur, quibus divinæ officiorum preces interturbentur. Qui ſecus fecerit, pœnam, mulctamve ſubeat epiſcopi arbitrio.

Illud parochus ſedulo agat, ut mulieres lenocinio, meretricione quæſtu infames, ne domicilium habitent, quod vel eccleſiæ, vel ædibus parochialibus, aut virorum, mulierumve monaſteriis continens, ut prope inhæreat.

## XIX.

*De eccleſiarum, & altarium conſecrationibus, aliarumque rerum benedictionibus.*

Eccleſiæ, ſaltem parochiales, non conſecratæ infra annum in civitate, per diœceſim vero intra biennium, omnino conſecrentur; item parochialium eccleſiarum majora altaria, quæ conſecrata non ſunt, quamprimum poterunt.

Cum parochialis eccleſia conſecranda erit; jejunium in vigiliis cum ſupplicationibus populus ſuæ quiſque parochiæ ſervet: tum in die etiam ipſo, quo conſecratio fiet, abſtineat ab omni ſervili opere; cumque diem feſtum colat, & celebret; idque utrumque propterea a parocho ante denuntietur.

Liber epiſcopo curante conficiatur, idemque in archivo epiſcopali aſſervetur, in quem eccleſiarum, altarium, cœmeteriorumque conſecrationes, & campanarum benedictiones ordine relatæ, ad perpetuitatemque poſteris proditæ extent.

In eccleſiæ item uniuſcujuſque ſacriſtia liber ejuſmodi ſit, aut certe aliud ſcripti genus publica auctoritate munitum, de illius eccleſiæ, ſuique cœmeterii, & altarium conſecratione, & campanarum benedictione.

Quo firmius vero, magiſque perpetuum conſecrationis eccleſiarum, & altarium monimentum poſteritati prodatur, uniuſcujuſque eccleſiæ conſecrationis diem, annumque literis, etiam in marmore inciſis, recte notari, tabulamque marmoream, in qua tota conſecrationis narratio exaretur, in pariete ab eccleſiæ fonte, non longe a janua primaria loco illuſtri bene affixam collocari mandamus. Idem jubetur de altarium majorum conſecratione. Aliorum vero altarium cujuſvis eccleſiæ conſecratio, pictura ſaltem aliqua, vel alio ſigno exprimatur, vel in altari ipſo, vel loco proximo.

Antiquus ille benedictionis ædium, quæ vel recenter ædificatæ ſunt, vel immundis ſpiritibus, aliave ratione vexantur, ritus, ubi in uſu eſſe deſiit, epiſcopi cura reſtituetur. In illa

porro

ANNO CHRISTI 1576.

porro benedictione parochus ritum, preces, pſalmos, orationes, in libro ſacerdotali, ritualive præſcriptas adhibeat.

## XX.

*De ratione adhibenda in eccleſiis, altaribuſque profanandis.*

Eccleſia, ſi qua aliquando, quavis auctoritate profananda eſt, ut ne vario ceremoniarum uſu, ſed certa, & una eademque ratione profanatio fiat, ita ut infra præſcribitur, profanetur.

Primo ſi quæ ſacræ reliquiæ corporave ſanctorum in ea reconduntur, aliquot ante profanationem diebus, diligenter recognita, ad eccleſiam, in quam transferri epiſcopo placuerit, rite ex præſcripta ratione transferantur. Ad quam ſacrarum reliquiarum translationem illius viciniæ, eccleſiæque clericus in primis conveniat, in quam deferuntur, convocato etiam præſertim ejuſdem viciniæ populo.

Sacræ etiam imagines eo transferantur.

Deinde eccleſiæ altaria per ſacerdotem, cui epiſcopus profanationis facultatem, ſcripto exaratam, nominatim dederit, hac ceremonia amovebuntur.

Primum aliquantiſper, genibus ad altare profanandum flexis, tacite orans, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & orationem de ſancto dicat, cujus nomini altare illud dicatum eſt; tum ubi oraverit, illud ab omni parte detegat; lapidem conſecratum ita apte evellat, ut ne confringat: tum manibus ſuis lavet atque abſtergat; deinde aquam in ſacrarium effundat. Lapide ita amoto, diligenter, religioſeque perſpiciat, ſi quæ ſacræ reliquiæ fuerint, quas inventas certo honeſtoque loculo clauſas, atque obſignatas aſſervet; &, ubi epiſcopo denuntiarit, in eccleſia, ad quam translatio fit, ad epiſcopi præſcriptum recondendas & aſſervandas tradat: tum reliqua altaris pars ab operariis amoveatur. Idque omne in ſingulis altaribus amovendis rite ſervetur.

Præterea alio poſt altarium amotionem die, per homines, quos epiſcopus adhibere voluerit, fidelium oſſa exhumentur; unoque loco collecta reponantur præſente eodem ſacerdote: qui antequam exhumationis initium fiat, tacitus item, *ut ſupra*, ad altare majus precetur, cum proceſſione cleri, & populi viciniæ, infra cujus fines eccleſia profanata eſt, oſſa efferentur ad locum, ubi reponenda ſunt; dumque efferuntur, ut pro mortuis fit, precum officium dicatur; tum in eccleſiæ loco, ubi reponentur, viciniori pro mortuis itidem miſſæ ſacrificium fiat.

Seſſ. 24. de ref. c. 7. In eccleſiis autem dirutis, ad uſumque profanum converſis, crucis inſigne figatur ex Tridentini concilii ſanctione, quod ſignum facile amoveri non queat.

Altaris item unius, quod ſine eccleſia profanandum eſt, ratio ut ſupra de altaribus in eccleſia profanandis præſcripta ſervetur.

Cœmeterii præterea profanandi modus, ut eccleſiæ, idem teneatur.

## XXI.

*De ſacriſtia.*

Sacriſtia unaquæque habeat quæ ſequuntur: Primo armarium, vel veſtiarium unum, plurave ad indumenta conſervanda instructa; ſuis capſulis, aut loculis, aliove modo, opereve multipliciter, ordineque diſtincta, pro eccleſiæ ratione, vel ſupellectilis copia.

Tum præterea oratorium ſeparato, quantum poſſit, loco poſitum, atque diſtinctum; ubi poſſit ſacerdos in ſolitudine ſe colligere, & orare ante & poſt miſſæ celebrationem.

Labellum item cum manutergio appenſo, ad manus abluendas & abſtergendas.

Tabulam etiam de orationibus, ſacro unicuique indumento accommodatis.

Tabellam quoque appenſam, ad concilii primi provincialis præſcriptum, in qua tabella & miſſæ, & anniverſaria ſingula ordine notata ſunt; quæ vel ab univerſo illius eccleſiæ clero, vel ab unoquoque in ſingulos dies, hebdomadaſve peragi præſtarive debent.

Ac reliquas item tabellas, ex instructionum præſcripto, aliaſve epiſcopi juſſu confectas.

Sit in ſacriſtia item tabella, in qua ſinguli epiſcopi, qui eccleſiæ illi præfuerunt, notata temporum ratione deſcripti ſint; ut frequentius ſacerdotes commeminerint pro illis preces & ſacrificia offerre.

Veſtes autem ſacræ, ceteraque ornamenta, volumina item eccleſiæ uſui miniſterioque addicta, ac reliqua eccleſiaſtica ſupellex, & parochiales item codices in ſacriſtia certis armariis recte atque ordine aſſerventur. Nec vero ſordibus, ſitu, ſqualore, pulvereque obſordeſcant; ſed, quoad ejus fieri poteſt, ab omni ſorde, & inquinamento pura omnia & ſingula ſint ac integra: ac nullo præterea modo lacera, ſed ſartatecta, nec male compacta.

Baptiſterii, ſacrarii, tabernaculi, lunulæ, veſtium; aliarumque ejuſmodi rerum forma, instructionum noſtrarum libro demonſtrata, in omni eccleſiæ cathedralis ſacriſtia ponatur: ad cujus ſimilitudinem reliquæ, quæ in aliis eccleſiis adhibentur, recte confici poſſint.

In ſacriſtia ipſa ſilentium ſervetur accurate: neque in eam pateat aditus laicis, niſi neceſſario.

Caveant eccleſiarum rectores, aliive miniſtri, ne aulæa, periſtromata, tapetia, aliaque ſupellectilis, & ornamentorum genera eccleſiæ, aut ſacriſtiæ addicta, ad domeſticum uſum ullo modo unquam adhibeant: nec vero aliis utenda dent. Veſtes autem ſacræ, aliaque indumenta, miſſæ, divinorumque officiorum cultui dicata, in vulgus cuiquam expoſita ne ſint; ſed armario, veſtiarioque incluſa, clave obſerentur; neque laicorum manibus contrectentur, ut antiquo canone cautum eſt.

## XXII.

*De bibliotheca.*

Sicut in libris ſacris, voluminibuſque ſanctorum, & aliis eccleſiaſticis cujuſvis generis codicibus, copioſe, ſumptuoſeque comparandis, diligens fuit accurataque majorum induſtria: ita in iis ipſis aſſervandis, illorum, qui ſucceſſerunt non negligens ſtudium, nec vero cura minor eſſe debet, cum iis manu ſcriptis, recteque exaratis voluminibus, in tanta librorum corruptela, his præſertim temporibus per hæreticos introducta plurimum adjumenti rebus eccleſiaſticis publicis afferatur, & ad catholicæ doctrinæ veritatem tuendam, & ad coarguendam illorum, vitioſe illa depravantium, temeritatem.



ANNO CHRISTI 1576.

Bibliothecæ igitur eccleſiæ, ubi eccleſiaſtica volumina, aliive codices ſunt, certus locus, ubi nullus conſtitutus eſt, in epiſcopalibus, aut in canonicalibus, aliiſve eccleſiæ ædibus, curante epiſcopo conſtituatur.

Quod in loco armaria aliquot extruantur, eaque ſitibus diſtincta, in quibus codices, & volumina quæcumque ibi extant, non acervatim, ſed ordine diſponantur.

Index præterea fiat, in quo pro diſciplinarum genere, aut pro alphabeti ratione volumina ſingula notentur.

Iſque index certo loco in perpetuum aſſervetur, notatis etiam deinceps ordine aliis libris, quicumque in poſterum eidem bibliothecæ quovis modo acceſſerint.

Volumina, quæ pro vetuſtate, carie, ſituve obſordeſcunt, librario opere poliantur.

Diſſoluta, & male compacta, conglutinentur.

Ab operculo nuda, aſſeribus, coriove legantur.

Vetuſtate, aliove modo conſumpta, reconcinnentur, & ad perpetuitatem opere recenti, noviſque librariis integumentis inſtaurentur.

Si præterea quo anno unumquodque volumen manu exaratum ſit, animadverti poteſt, id etiam breviter in eo indice notetur; tum præterea quo charactere ſcriptum, ut ex iis antiquitas colligi poſſit, quæ aliquando uſui, & utilitati eccleſiaſticæ & publicæ eſſet, ad emendatam voluminum impreſſionem.

Epiſcopus, de conſilio capituli, canonicum aliquem, uſu peritum, literarum ſtudioſum, inſtruendæ, agendæque bibliothecæ cupidum conſtituat, qui illius curæ diligenter præſit. Illius vero officium duret ejuſdem epiſcopi arbitratu. Si qua tamen in eccleſia probatæ conſuetudinis eſt, a capitulo bibliothecarium deligi, ab eodem deligi non vetatur.

Cura vero epiſcopi omnino ſit, bibliothecam aliquando inviſere; ſique per eum, & per canonicos ratio aliqua iniri poteſt, qua in bibliotheca librorum eccleſiaſticorum copia augeatur; id ſolicite curetur, ut ejuſmodi librorum apparatu, publicæ, epiſcopali, canonicali, clericalique commoditati atque uſui conſultum ſit.

## XXIII.

*De oratoriis in via ſitis.*

Oratoria, ubi miſſæ ſacrificium non fit, in viis, & ejuſmodi locis poſita, altare nullum omnino habeant. Valvis, & clave ab oſtio muniantur. Quæ clavis a parocho cuſtodiatur, intra cujus parochiæ fines poſita illa ſunt.

Extruantur non in campis, ſed in via publica, ut iter facientes, eorum locorum proſpectu pie commoti, paululum precando conſiſtant.

Quæ oratoria ſi ita anguſta ſunt, ut ne oſtii quidem valvas intus patentes capiant, cancellis ligneis a parte anteriori ſepiantur.

Et quoniam ſacræ imagines, quæ in exteriori pariete oratorii exprimi ſolent, cum ita expoſitæ ſint, luto, ſordeve inquinari, vel indecentius, injurioſiuſque tractari poſſunt; ne extrinſecus in ipſis oratorii parietibus pingantur; aut alio modo exprimantur; niſi edito loco fiant, ubi ab omni labe integræ conſerventur.

In ipſis vero oratoriis intus aliqua omnino ſacra imago ſit.

Quorum oratoriorum oſtium ſi e ſolido aſſere conſtabit, nec vero cancellis erit compactum; feneſtella in eo, ac duæ præterea, in pariete anteriori ſcilicet, ab utraque oſtii parte ſint clathris ligneis ſaltem munitæ, ut intro a prætereuntibus poſſit ſacra ipſa imago inſpici, ac veneratione coli.

Pilæ quædam ſtructiles, in viis publicis conſtructæ, cum ſancta aliqua imagine, vel cruce, edito loco picta, aliove modo expreſſa, a ſuperiori parte tectæ conſerventur, ne corruant.

Cureturque item, ut aliæ ejuſmodi pilæ ad hominum pietatem excitandam certis congruis locis ædificentur.

## XXIV.

*De oratione.*

Orationis veſpertinæ, olim in hac provincia inſtitutæ, ſignum diſtinctis campanæ ictibus, ut epiſcopus præſcripſerit, detur. Ubi vero in vicis, & pagis, ob campanæ exiguitatem, ſonus ita difficilius exauditur; non intermiſſo, ſed continenti ſono per horæ quadrantem, illius ſignificationem fieri, ſi ita conſuerit, jubeat epiſcopus.

Rurſus qua in eccleſia parochiali, diœceſis præſertim, ob vacationem; vel ob aliam cauſam, nullus, vel ſacerdos, vel clericus aliquando eſt, qui hujus orationis ſignum campanæ det; alia per epiſcopum, vel vicarium foraneum ratio ineatur, qua illius ſignificatio fiat, campanæ item ſono.

Ubi domicilia inter ſe proxima, aut continentia ſunt; in eccleſia, tum maxime diebus feſtis, illam a populo fieri, convenientius eſt: quem frequentem convenire omni officio parochus curet.

Ipſe vero ſi adeſſe neglexerit, intermiſeritve; mulctetur epiſcopi judicio. Curet autem parochus, ut in eccleſiam non tardius multo ducatur, quam ad ſtatam horam, qua ſub crepuſculum noctis ſalutationis angelicæ ſignum datur.

Si ex pagis & vicis, præſertim frequentioribus, in eccleſia parochiali fideles difficilius convenire poſſunt, quoniam ab ea aliquantum illa loca diſtant; conſtituat epiſcopus eccleſiam, aut capellam, oratoriumve illis ſingulis propinquiorem, aut commodiorem; aut denique crucem, ſacramve aliam imaginem in trivio erectam; quo etiam ſub dio ad orationem veſpertinam convenire liceat.

Quæ orationis ratio in capella, in oratorio, vel in eccleſia, quæ parochialis non eſt, etiam adhiberi poterit.

Si quando præterea, aliis etiam diœceſis locis, pluviæ vis, nives, aliave temporis gravitas, itineris difficultati adjuncta, difficiliorem fidelium con-

conventum ad eccleſiam parochialem faciat, ne ob ullam cauſam a tam ſalubri orationis inſtituto, & multiplicibus apoſtolicæ ſedis privilegiis commendato, ullo die populus deſiſtat. Quo in officio in iis locis adjuvetur maxime opera ſacerdotum, & clericorum quorumcumque illius pagi locive:

At ubi neque his rationibus fieri poterit, ut fideles omnes uniuſcujuſque loci in unum conveniant ad hanc orationis communis exercitationem; domi ſaltem ab unoquoque, qui ad eccleſiam non convenerit, cum familia ſua certo loco fiat.

Norint porro fideles, quod etiam concilio Aurelianenſi quarto olim juſſum eſt, ſibi ſæpius ſingulis diebus orandum eſſe; quod ſi aliquando frequentius non poſſunt, ſaltem non veſperi ſolum, ſed etiam mane id a ſe præſtari oportere. Quare epiſcopi cura ſit illum veſpertinæ orationis quotidianæ communis uſum, mane etiam, paulo ſcilicet ante auroram, aut ſub ortum Solis, id quod in pleriſque hujus provinciæ locis jam ſervari cœptum eſt, ubique locorum cum in urbe, tum in diœceſi ſua paulatim introduci, atque ea ratione inſtitui, ut vel in eccleſia, vel ſuæ quique domi cum familia certo loco, vel in officinis, tabernisve, vel in ipſis etiam agris, atque adeo in itinere, vel in aliis denique locis, ubicumque, ut illo concilio cautum eſt, ea matutina hora ſunt, & patresfamilias, & liberi, & famuli, & artifices, opificesve, & operæ, inſtitoresve, & ceteri, quicumque ſunt, ſive mares, ſive feminæ, hujus matutinæ orationis officio, antequam artificium, negotium, remve ullam aggrediantur, precibus litaniis, omnique oratione, ac toto animo, menteque vacent, ſicque quotidianarum actionum, operum, & negotiorum initium, a Deo faciant, finemque itidem.

Nimbis, procelliſve imminentibus, ſicut eccleſiaſticæ conſuetudinis eſt, campanis ſonetur, tum ad tempeſtatem, ut divina, quæ ex ſolenni prece, ſacraque benedictione illis ineſt, depellendam, tum ad Dei miſericordiam implorandam Chriſtianæ pietatis orationibus: ita fideles, earum ſono tunc excitati, in eccleſiam, vel cathedralem, vel parochialem, vel in aliam ſaltem propinquiorem, ad orandum conveniant: ſi minus poſſunt, ſaltem ubicumque ſint, ſive domi, ſive foris, ſupplices Deum orent; tum clerici, pſalmis, litaniis, precibus & orationibus, quæ ex ritu ſanctæ matris eccleſiæ ad arcendam tempeſtatem dicuntur, Dei miſericordiam deprecentur.

Parochi vero in primis ſit, cum in eccleſia ſua hoc officium religioſe præſtare ad præſcriptum libri ritualis aut ſacerdotalis: tum ſollicite convocare clericos, & populum; ut ob eam cauſam Deum ſancte precaturi, ad eccleſiam frequentes concurrant. Idque ipſum prout in concionando uſuvenerit, aliquando fideles paterne, diligenterque monere meminerit.

## XXV.

### *De verbi Dei prædicatione.*

Verbi Dei prædicatione, tractatione multiplex illa quidem & magna nos hoc admonet, ut præter illa, quæ ſuperioribus conciliis noſtris provincialibus eo de genere conſtituta ſunt, hoc etiam pro dignitate rei, proque utiliori ac faciliori illius muneris præſtandi ratione decernamus.

Illud proprium, ac peculiare ſit, non ſolum epiſcopi, ſed etiam parochi, genus docendi, ut beati Pauli apoſtoli exemplo ſigillatim cujuſcumque ſtatus homines uterque inſtruat, & præcipua virtutum officia demonſtret; modo filios, modo parentes, nunc ſervos, nunc dominos, nunc viros, nunc uxores, nunc ſenes, nunc juvenes erudiens, ac diligenter quæ cuique propria ſunt præſcribens, paterna caritate & ſollicitudine fideles ſibi commiſſos a vitiis deterreat; tum ad virtutes accendat, & teſtimoniis divinarum literarum, & ſanctorum patrum doctrina, atque exemplis, & ſacris eccleſiaſticæ doctrinæ traditionibus & ſimilitudinibus & ſanctioribus etiam figuris.

Quod ſane officium, ſi gravi oratione, & ab omni vel artificii, vel hominis ſua ſpectantis, ſuſpicione aliena tractabitur; majorem inde fructum, juvante Domino, fore ſperandum eſt. Nec vero minus in publicis ſermonibus, quam in privatis etiam colloquiis & ſecretis confeſſionibus, apoſtoli præceptum uterque implere ſtudeat, arguendo, obſecrando, increpando omni patientia & doctrina.

Id plane ſibi proponat, optime noſſe, quæ in populo vitia, peccatave potiſſimum evellenda, quæ rurſus virtutes in primis diſſeminandæ ſint; eoque intendat maxime omnem vim prædicationis ſuæ. Nec vero ſemel, atque iterum, ſed ſæpe, prout uſuvenit, in eodem unius, vel virtutis ſuadendæ, vel vitii deteſtandi ſtudio verſetur; quoad, quantum in ſe eſt, perenni quadam doctrinæ perſeverantia, & perpetua quaſi pugna, & contentione, id quod olim ſanctiſſimos epiſcopos, Ambroſium, Auguſtinum, & Chryſoſtomum feciſſe conſtat, fidelium animos, etiam in male agendo pene obfirmatos, expugnet, depravatoſque vivendi mores jam inveteratos, radicitus juvante Deo evellat.

Quod ipſum ut concionator omnis præſtet atque exequatur, cum ad aliquem locum mittitur; tunc & epiſcopus & loci parochus & vicarius foraneus, ſi ad locum diœceſis mittitur, conquiſitas, collectaſque paulo ante diligenter morum corruptelas, tunc frequentiores eo loci, ubi concio habenda erit, verbi Dei concionatori tempeſtive ſignificabit: rurſuſque eumdem admonebit, ſi quod pietatis opus eſt, quod in illa parochia, locove, eo tempore, vel inſtitui, vel vehementius excitari velit.

Parochi præterea, ut & concionando & docendo fideles ſibi commiſſos ſalutaribus inſtitutis, ſanctaque diſciplina inſtituere poſſint; eos ſibi libros, cum per facultates poſſunt, comparare ſtudeant, qui a probatis auctoribus pie & docte conſcripti, viam & rationes aperiunt, partim ad ſanctiſſimam ſacrarum literarum explicationem optimamque concionandi normam; partim ad ſpiritualis vitæ inſtitutionem, virtutumque Chriſtianarum exercitationes, tum denique ad parochialis eccleſiæ curam ſancte & religioſe gerendam.

Eorum autem in paſcendo populo verbi Dei prædicatione, induſtria & doctrina, & in eo genere ſalutaris progreſſus, ab epiſcopo cognoſcatur, vel illis in epiſcopales ædes, aliove aliquando coram ſe ad concionandum evocatis, vel etiam ex ſermonibus quos habuerint, aliquan-





quando ad ipſum epiſcopum miſſis, ut provinciali decreto olim ſancitum eſt, vel alia omni ratione, quam inierit idem epiſcopus.

Curent epiſcopi, quod veteris eccleſiæ inſtituti eſt, ſermonem, ſacramve concionem ubique intra miſſarum ſolennia potiſſimum haberi, ſive ab illo eodem ſacerdote, qui miſſam tunc celebrat, canitve, ſive ab alio habeatur: idque præterea, etiamſi miſſæ ſacrificium pro mortuis fiat; niſi ſermo aliquando epiſcopi conceſſu de mortui laudatione in eccleſia habeatur, qui nullo modo in miſſa, ſed ea peracta, pronuntietur. Cum vero concionis, ſermoniſve munus in miſſæ ſacrificio præſtatur; id fiat ſemper ſtatim poſtquam euangelium recitatum eſt, ut eccleſiaſtici ritus ratio poſtulat, non in alia miſſæ parte aliove tempore.

Epiſcopus, cum in miſſæ ſolennis ſacrificio ſermonem, aut concionem habet, mitra, epiſcopalique ſacro omni veſtitu, quem in miſſa adhibet, indutus ſit.

Cui concionanti, miniſtri eccleſiaſtici, ſacris veſtibus rite induti, ſeptem, ut antiquo canone juſſum eſt, ubi poteſt, ſin minus, pauciores ab utroque ejus latere aſſiſtant.

Adſit etiam vel dignitate præditus, vel canonicus, vel alius denique, ad quem ex probato inſtituto ſpectat baculi paſtoralis ſuſtentatio, pluviali indutus; qui ante ipſum a latere ſiniſtro baculum manu ſuſtineat.

Si vero ſermonem in miſſæ ſacrificio non ſolenni habet, ſacris item veſtibus, miſſæ ſacrificio dicatis, utatur & mitra, & cum baculo item adſit miniſter. Eique aſſiſtant præterea miniſtri duo ad minimum, ſuperpelliceo, aut ſi canonici, vel dignitate præditi ſint, ſuo in choro officiis ſtato habitu quotidiano induti, niſi pro alicujus celebritatis ſolenniſve actionis, ac populi concurſus ratione, aliis ſacris veſtibus eos amictos eſſe aliquando juſſerit.

Id porro muneris obeat, ſedens in medio altari, in faldiſtorio, aut in ſede loco eminentiori collocata, aut in cathedra epiſcopali; aut etiam ſuggeſtum, ambonemve aſcendat: ubi iidem ſedens & mitra item ornatus, ceteriſque ut ſupra adhibitis, commodius a populo conſpiciatur & audiatur.

In alia vero actione, quam in miſſæ ſacrificio, aliove tempore, prout actio ſolennis, populive frequentia eſt, ſermonem iiſdem, ut ſupra, locis, arbitratu ſuo, habeat, pluviali & mitra etiam indutus, adhibitis quoque, vel pluribus, vel duobus ſaltem, qui digniores aliis in eccleſia ſint, ubi de more illius eccleſiæ epiſcopo in ſacris actionibus ii aſſiſtere ſolent, vel archidiacono & altero diacono, qui digniori loco ſedet, aut demum duobus, ut epiſcopo videbitur, canonicis diaconis, ſacro diaconali amictu veſtitis.

Quod ſi cappa epiſcopali & ſtola potius, quam pluviali, & mitra uti maluerit: illi duo aſſiſtentes, non ſacro diaconali amictu, ſed ipſi & alii miniſtri ſuperpelliceo, aliove ſui canonicatus, dignitatiſve in chori officiis inſigni induantur: adhibeaturque præterea, non ſolum qui paſtoralem baculum, ſed alter etiam qui mitram a dextro latere teneat. Cum vero ſermonem, aut concionem, minus frequenti populo, aut in actione minus ſolenni, vel in eccleſia non inſigni habebit; poterit rocheto & mozeta indutus id præſtare, ſtola etiam adjuncta. Nec vero propterea omittet, quo minus ſi per temporis & loci opportunitatem liceat, & aſſiſtentes & alios miniſtros, ut ſupra, adhibeat, cum inſignibus epiſcopalibus. Si quando autem tunc duo illi canonici, cum ſuperpelliceo, vel indumento, habituve canonicali non aſſiſtent: eccleſiaſtici tamen ordinis homines aliquot graviores, præſentes adeſſe conveniens erit. Triplex porro hæc ratio vel pluviali, vel cappa epiſcopali, vel rocheto, mozetaque cum ſtola utendi cum ſermonem non in miſſæ ſacrificio, ſed in alia functione, aliove tempore epiſcopus habet, non ita ei præſcripta eſt, quin modo unam, modo alteram, modo tertiam prout maluerit, & temporis, loci, perſonarumve ratio tulerit, adhibere poſſit. Nec præterea prohibetur ex tempore, ut aliquando uſuvenerit, ubique etiam ſine ſtola gregem ſuum verbo Dei & ſalutaribus monitis paſcere pro munere ſuo paſtorali, cum ejus & dicta & facta quaſi perpetuam quamdam prædicationem miniſtrare, præbereve debeant.

Parochi vero, præpoſiti & alii epiſcopi inferiores, cum in altari id munus obibunt, tunc capite aperto ſtare debebunt ad ſacerdotalis libri præſcriptum.

Quo autem facilius a frequenti populo audiantur, ſuggeſtum eos aſcendere opportunius erit; tuncque caſulam deponere, ſi maluerint, licebit: quam ſtatim, ſermone habito, ad altare reverſi induant.

In ſuggeſtu concionem aut ſermonem cum habent operto ſibi capite, & ſedeant aut ſtent, prout maluerint.

Cum non is ſacerdos, qui ſacrificium miſſæ faciat, ſed alius intra miſſæ celebrationem, ſermonem, concionemve habiturus eſt in ſuggeſtum aſcendat; interea vero ſacerdos celebrans, loco a laicis ſegregato, & ab altari paululum remoto, non extra tamen capellæ fines, in qua miſſa celebratur, ſacris veſtibus indutus, cum duobus miniſtris, ſcilicet diacono & ſubdiacono, ſi illi in miſſa tunc adhibiti ſunt, ab utroque latere conſidentibus ſedebit.

Epiſcopus, parochuſve ſacrum euangelium, aut etiam ſcripturæ ſacræ partem, coram populo, etiam e loco ſuperiori tractans, collocatum ante ſe aliquando, cum viderit expedire, habeat euangelii aut ſacræ ſcripturæ librum: de quo ipſe, aut etiam miniſter, cum epiſcopus eſt, per membra, clauſulas & ſententias diſtincte ejuſdem euangelii, ſacræve ſcripturæ verba pronuntiet: quæ ipſe ſcilicet, vel epiſcopus, vel parochus concionando, quo ordine leguntur, ſigillatim populo explicet.

Miniſter vero, in hoc munere legendi, epiſcopo archidiaconus ſit, vel diaconus canonicus, aliuſve denique, quem epiſcopus elegerit; iſque ante illum capite aperto ſtans, de libro verba diſtincte pronuntiet.

Quod a Clemente quinto pontifice maximo in concilio Viennenſi de prædicatione verbi Dei conſtitutum eſt, id omnis eccleſiaſtica ratio ſuadet ad uſum vel revocari, vel introduci. Qua igitur hora epiſcopus, cujus præcipuum munus eſt prædicationis, id officium præſtat; ne quis alius cujuſcumque ordinis eſt, illa ipſa hora, in ea urbe, opido, vico, locove, ubi ille prædicat, etiam in eccleſia regularium, aut alias exempta, ſermonem, concionemve habeat, niſi facultate ab illo impetrata.

Ne parochi ſacerdoteſve alii intra miſſarum ſolen-

ANNO CHRISTI 1576.

ſolennia quidquam, quod profanum ſit, quodque ad rerum hujuſmodi enuntiationem attinet, de altari populo pronuntient, aut evulgent.

Sess. 21. de ref. c. 6.

Parochis, non idoneis ad munus ſuum obeundum, in paſcendo ſibi commiſſum populum verbo Dei, coadjutor eo in onere ſuſtinendo, tum toto tempore anni, ut eſt a Tridentino concilio ſancitum, & primo etiam provinciali noſtro decretum, tum maxime in quadrageſima detur ab epiſcopo, cum ea mercede, aut eleemoſyna, ad ejus ſuſtentationem a parocho perſolvenda, quæ eidem epiſcopo videbitur congrua.

Populus & univerſitas detrectans ſubminiſtrare victum, ut antea conſuevit, concionatori, ſolitamve eleemoſynam ad ejuſdem vitæ congruam ſuſtentationem, omni juris ratione, etiam interdicti pœna, ab epiſcopo ad id compellatur.

Dum vel epiſcopus, vel parochus, vel alius ſermonem, concionemve habet; ne eo ipſo tempore in eccleſia, ubi habetur, in ejuſve aliquo ſacello, aut in alia ejuſdem parte, ac ne in ea quidem, quæ ſubterranea ſcuroli nomine vocatur, miſſæ ſacrificium ab ullo quovis ſacerdote fiat.

Canonici & alii item dignitate præditi, ac reliqui præterea, quicumque ſint, cujuſvis eccleſiæ clerici, cum in ſua eccleſia, concionibus, lectionibuſve ſacris interſunt, ſuperpelliceis, eoque clericali, canonicalive habitu, quem in choro canonicarumque horarum officiis obeundis veſtiunt, induti omnino ſint.

## XXVI.

*De ſcholis doctrinæ Chriſtianæ.*

Ubicumque in diœceſis pagis, aut vicis, præſertim frequentioribus, quoniam ab eccleſia parochiali aliquantulum ea loca diſtent, aliamve ob cauſam epiſcopus expedire cenſuerit, ſcholas doctrinæ Chriſtianæ inſtitui, erigive præter eas, quæ parochialis eccleſiæ loco inſtitutæ ſunt, vicarii foranei diligentia, & parochi cura quamprimum illæ inſtituantur in eccleſia, capella, oratoriove illis propinquiori, aut commodiori, tum maxime opera, & adjumento ſacerdotum, & clericorum quorumque illius pagi, vici, locive. Si quando præterea in diœceſi per pluviæ vim, nives, aliamve temporis gravitatem, viæ, aut itineris difficultati adjunctam, ad ejuſmodi ſcholas in parochiali eccleſia, qui debent, convenire difficilius poſſunt; ejuſdem vicarii & parochi cura ſit, ut tunc in oratoriis, vel capellis propinquioribus, aut ſaltem, ſi id non poteſt, alio honeſto loco, per clericum idoneum, ſeu per alios ſcholæ ſodales, ut vitæ & doctrinæ Chriſtianæ ſtudio inſtructiores, aliqua tum tradendæ, tum percipiendæ ejuſmodi doctrinæ exercitatio fiat; ne ob ullam cauſam ſtatis diebus hoc inſtitutum, atque pabuli ſpiritalis uſus illis deſit.

Clerici, quicumque dominicis feſtiſque diebus, qua hora in choro divinis officiis concelebrandis aſtricti non ſunt, parochum, intra cujus parochiæ fines habitant, in doctrinæ Chriſtianæ ſcholis, ubicumque loci intra fines illius parochiæ conſtitutis, adjuvent. idque in urbe & diœceſi ad præſcriptum eorum, quibus id curæ ab epiſcopo datum erit.

# CONSTITUTIONUM

## PARS SECUNDA.

### I.

*Quæ ad ſacramentalia, vel ad ſacramenta communiter pertinent.*

Unaquæque parochia vaſcula duo ſacrorum oleorum chriſmatis & catechumenorum, vaſcula item duo extremæ unctionis habeat: quæ confecta & ornata ſint ad formam in libro inſtructionum præſcriptam, idque ut die ſacro cœnæ domini, illa vacua, diligenter ante abſterſa, ac bene parata, nec vero ampullæ, aut alia ejuſmodi, ad olea ſacra recens conſecrata ferenda adhibeantur; aliaque rurſus retineantur ad aſſervandum quod reliquum eſt ſacrum oleum vetus, quod uſui eſſe poſſit, ſi in ſua parochiali cura opus eſſet, dum illa recentia apportantur. Ubi vero plures parochi; animarumve curatores, aut alii ſunt, qui parochialis curæ portionem, vel officium habent, totidem vaſa olei ſacri infirmorum ſint.

Parochus ubi primum olea ſacra nova acceperit, vetera ſtatim comburat in lampade, quæ ante ſanctiſſimum ſacramentum collucet, bombyce in ſacrario plane exuſto. Vaſcula autem, ubi anno proximo aſſervata ſunt, diligenter, politeque abſterſa, accurate in ſacriſtia conſervet, ut anno ſequenti uſui ſint, quibus afferantur itidem olea ſacra.

Parochi ſinguli quatuor ad ſummum menſium ſpatio, librum ritualem, ſacramentalemve habeant, qui ab epiſcopo probatus, in eccleſia cathedrali adhibeatur; ut ne, quod provinciali concilio primo cautum eſt, ulla ex parte inferiores eccleſiæ a cathedrali ea in re diſcordent. Rituales autem libri, qui ab eo cathedrali diſſimiles ac diverſi erunt, ſtatim epiſcopi cura amoveantur.

Sacro oleo deficiente, ſi tempus non patitur ut aliunde haberi poſſit, illa ratio ineatur, canone præſcripta, ut cum oleo conſecrato miſceatur non conſecratum: id vero non conſecratum, guttatim ita infundatur, ut ſemper, quod inditur, minus ſit oleo conſecrato, quod vel exiguum in vaſe reliquum eſt.

Et tabernaculi, ubi ſacratiſſimum corpus domini aſſervatur, & armarii item, ubi ſacra olea ſtatis vaſculis incluſa cuſtodiuntur, & fontis præterea baptiſmalis claves rector eccleſiæ animarumve curator, diligenter, cauteque apud ſe cuſtodiat: ac ne clerico quidem miniſtro illas ullo modo committat. Nec vero prohibetur, quo minus eaſdem muneris alicujus præſtandi cauſa aliquando ſacerdoti committat, quem in officii parochialis cura coadjutorem habet.

Primo provinciali concilio aliqua de exorciſtis conſtituimus, in quibus ad illius muneris recte gerendi rationem hæc præterea præſcribenda cenſuimus. Ne igitur ſacerdoti, clericove ſæculari, aut regulari, exorciſmum energumenis adhibere liceat, niſi is exorcizandi facultatem, ſcripto exaratam, ab epiſcopo impetrarit.

Quam facultatem, ubi quis probatus obtinuerit, hæc quæ mox infra ordine præſcribentur, accurate ſervet, atque exequatur.

Antequam exorcizare aliquem aggreditur, perquirat in primis energumeni, energumenæve vitam



ANNO CHRISTI 1576.

vitam ac mores, tum exploret actiones; & medicum, ſi expedire cenſuerit, conſulat, adhibeatve, ut videat an quod ab illo, illave agitur, fiat morbi alicujus, aut bilis atræ vi; an vero ſponte, ac diſſimulanter; an denique dæmonis malorumque ſpirituum vexatione.

Videat item, an ille excommunicationis vinculo irretitus unquam fuerit; anque abſolutionem recte acceperit.

In hoc exorcizandi munere, ejuſve occaſione, non modo quæſtum fugiat, ſed ne doni, aut muneris quodquam, vel minimum, capiat.

Ne in ædibus laicalibus, locisve privatis, ſed in eccleſia, loco aperto & conſpicuo; neque in omni quavis eccleſia, ſed in iis ſolum, quas certas epiſcopus ſtatuerit.

Neque in conſpectu multitudinis, non remotis tamen arbitris, ſed præſentibus viris honeſtis atque ætate gravibus, in iiſque uno ſaltem, vel duobus eccleſiaſticis hominibus.

Mulieri autem energumenæ cum exorciſmum adhibet; id præſtet, duobus ætate vitaque probatis viris; tum feminis etiam, itidem probatis, præſentibus, iiſque omnibus, ſi fieri poteſt, energumenæ conſanguineis, aut affinibus.

Mares autem alios præſentes adeſſe ne omnino patiatur, niſi unum eccleſiaſtici ordinis hominem.

Ne ante ortum, nec vero poſt occaſum Solis quemquam exorcizet.

Ne duos ſimul eodem tempore, ſed unumquemque ſigillatim, ac ſeparatim.

In hujus muneris functione, graviter, pie, & religioſe in primis ſe gerat.

Quamobrem pridie illius diei, quo alicui exorciſmum adhibere inceperit, ſe jejunio & oratione præparare ſtudeat: Tum confeſſus, conſcientia, ab omni culpa pura, ac mundus, magna cum humilitate, & fide vigore poteſtatis, quam a domino accepit, expellendi dæmones, ad id munus obeundum accedat.

Si ſacerdos autem eſt, antequam exorciſmum inchoet, miſſæ ſacrum faciat, ſi id commode præſtare poteſt.

Energumenis vero exorciſmum ne adhibere incipiat; niſi illi primum confeſſi ſint, ad hocque eos cohortetur, ut omnis anteactæ vitæ peccata diligenti conſcientiæ diſcuſſione confiteantur.

Tum ſæpe moneat, ut precibus, orationi, & ſanctis meditationibus, & pietatis ſtudiis, atque exercitationi ſe dent; religioſas eccleſias, ubi ſanctorum reliquiæ reconditæ ſint, certis diebus pie viſitent; jejunia præterea, & in ſexta quaque in primis feria, quo die paſſionis Jeſu Chriſti domini memoria recolitur, religioſe amplectantur.

Caveat, dum exorcizat, ne energumenæ mulieris capiti, corporive, niſi cum magna honeſtate, atque cautione manum adhibeat: neve energumenam, energumenumve altari imponat; neve quidquam aliud agat, quod offenſionem præbeat.

Ne aliis vero exorciſmis, precibus, ritibuſque ad id munus utatur, niſi ad libri, epiſcopi judicio comprobati, rationem præſcriptam. Cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari fas ſit.

Præſcriptas has regulas quo diligentius ſervet, tabula deſcriptas, eo loco ſibi proponat, ubi potiſſimum id munus geret.

### II.

*Quæ pertinent ad ſacramentum baptiſmi.*

Fons baptiſmalis e marmore, aut ſolido lapide conſtet, qui ſi præ rimulis, aliave ratione, ejuſmodi eſt ut inde aqua ſenſim effluat, lapis alius bene firmus, ſolidus, ac tutus quamprimum comparetur. Interea vero ad aquam baptiſmalem tuto continendam, dum ille alter paretur, non vas fictile, alteriuſve generis, ſed æreum, ſtanno ab interiori parte illitum, tanta magnitudine, quanta lapidis vacuitas eſt; ita ponatur, ut intrinſecus illum undique ſtrictim attingens, beneque compactum eidem cohæreſcat. Habeat operimentum, vel ciborium, ad ſacra olea tuto decenterque conſervanda in eo ipſo fonte accommodatum, niſi ubi ex inſtructionibus noſtris aliter extruendum eſt. Conopeo etiam, e tela ſaltem, opertum ſit.

Tabellam habeat item intrinſecus, quæ dimidia tantum aperiatur, fontiſque oſtium compreſſe claudens, aquam a pulvere, & aliis ſordibus cautius tueatur. Quæ tabella in omnibus fontibus ſit, in quibus per infuſionem baptizatur: in iis vero, in quibus immerſio adhibetur, ſi petra ipſa pro magnitudine id patietur, ſine impedimento immerſionis.

Sepiatur omnino unumquodque baptiſterium, ſi ferro, vel lapide, epiſcopi judicio, non poterit, ſaltem ligneis cancellis. Præterea, ſi extra fornicatam capellam, aut parietis concavitatem, hemicycli inſtar conſtructam, totum, aut ex parte ſit, cum tegmen habeat, quod ex marmore, vel ex aſſeribus conſtet, aut ſaltem e tela decenter picta.

Decebit etiam in capella, aut in pariete proximo, ſancti Joannis imago, Chriſtum dominum baptizantis.

In eccleſiæ ingreſſu collocatus ſit fons baptiſmalis, iſque a ſiniſtra ingredientium parte, niſi quibus in eccleſiis pro ſitus ratione illum ab altera parte potius collocandum epiſcopus judicarit. Quæ vero baptiſteria in eccleſiis, capelliſve, eo potiſſimum nomine extructis, cathedrali, vel collegiatæ, vel parochiali eccleſiæ fere adhærentibus, extant, illa non amoveantur; ſed eccleſiæ, aut capellæ, ubi illa ſunt, inſtaurentur, aut reconcinnentur. Ubi vero in eccleſiis, præſertim inſignioribus, non ſunt, in poſterum eas vel eccleſias, vel capellas ædificari, in illiſque baptiſterium conſtrui idem epiſcopus curet.

In baptiſmali fonte, ubi per infuſionem baptizatur, id plane caveatur, ut ne aqua capiti infantis infuſa in eumdem fontem recidat; ſed in ſacrarium profluat: idque propterea ſacrarium e marmore, ſolidove lapide prope fontem conſtruatur, ad præſcriptum inſtructionum.

In baptiſmalis fontis ciborio, mantilia duo, eaque candida, ab omnique ſorde munda aſſerventur, quæ infantis capiti abſtergendo uſui ſint.

Pluraque ideo in ſacriſtia in generis mantilia, certo loco conſerventur.

Si vero vel mantilia, vel ſudariola ad eum uſum aliquando afferuntur; ea, niſi nova, ne adhibeantur: tum nova adhibita, ne in profanum, ſed in eccleſiæ uſum, cui recte accommodari poſſit, convertantur: alioqui comburantur.

Vetus illa conſuetudo, quæ adhuc in compluribus hujus provinciæ locis retenta talis eſt, ut

ANNO CHRISTI 1576.

ut a ſabbato ſancto, & ſabbato item pentecoſtes, frequenti ſacerdotum conventu, ac ſolenni ritu, cum cathedrali eccleſia, tum in diœceſis etiam locis, eccleſiiſve plebanis, fontis baptiſmalis benedictio fiat, ubi in provincia noſtra hoc tempore non ſervatur, omnino introducatur; in uſumque ubi intermiſſa eſt, revocetur.

Quibus ſtatis, ſolennibuſque ſabbatis, ad illius ſolennis benedictionis officium omnes ſinguli que eccleſiarum quarumcumque, quovis etiam dignitatis nomine, titulove inſignium rectores, quibus animarum curationis munus incumbit, qui in urbe ſunt, in cathedralem; qui in diœceſi, ad ſuam quique plebanam eccleſiam, frequenter conveniant. Si vero exemptionis nomine, aliave ratione quis a plebanæ (B) eccleſiæ jure liber atque immunis ſit, non tamen expreſſe ex privilegio apoſtolico; hujus ſolennis benedictionis officii concelebrandi cauſa in eam plebanam eccleſiam conveniat, intra cujus fines habitat, aut cui propior eſt, ut epiſcopus potius cenſuerit.

Nec vero propterea in ceteris quidquam illius immunitati, liberative derogatum ſit. Hoc autem decreto adſtrictos non teneri ſtatuimus illarum eccleſiarum, etiam quæ parochiales tantum ſunt, rectores, quibus vel ob locorum longinquitatem, vel ob aliam juſtam cauſam epiſcopus facultatem ſcripto exaratam daret fontis baptiſmalis, in illorum eccleſiis ſolenniter benedicendi. (C) Hac vero facultate, ne propterea eccleſiæ plebanæ juri quidquam præjudicii ullo unquam tempore allatum cenſeatur.

In iis porro eccleſiis: quibus hæc baptiſmalis fontis ſolenniter benedicendi poteſtas aliquando fiet, ſtatis illis duobus ſabbatis, is benedictionis ritus celebretur ſacerdotibus tribus ſaltem præſentibus, ad illum adhibitis. Id præterea, de tribus ſcilicet ſacerdotibus adhibendis, locum in omni eccleſia habeat, ſi quando per annum in aliqua eccleſia, extra illa ſtata duo ſabbata, illius fontis aquam baptiſmalem ob extraordinariam cauſam renovari neceſſe erit.

Ille vero, ubi nullus fons baptiſmalis eſt, introductus in aliquot locis mos aquæ benedicendæ conſecrandæve, (D) quo tempore baptiſmum miniſtrari oportet, tum baptiſmo celebrato, in ſacrarium projiciendæ, tollatur in poſterum omnino.

Fontis baptiſmalis, quem ſtatis illis ſolennibus diebus in eccleſia cathedrali conſecrari ſolenne eſt, conſecrandi officium atque munus, niſi epiſcopus legitima cauſa impeditus ſit, ipſe obeat.

Videat parochus, ubi primum infans baptiſmi cauſa ad ſe delatus eſt, an ſuæ parochiæ, an alienæ eſſe norit, eum, niſi inſtante neceſſitate, ne baptizet: ſed ad parochum proprium, a quo baptizetur, deferri jubeat.

Si qui infantes intra alicujus urbanæ parochialis eccleſiæ fines a ſabbato ſancto, uſque ad ſabbatum in albis, (E) & a ſabbato item vigiliæ pentecoſtes, uſque ad ſabbatum proximum nati, baptizandi ſunt; ad cathedralem eccleſiam cui pro obſervantiæ officio, proque veteris inſtituti uſu, ſtatis illis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur: ſi modo cuiquam ob mortis periculum, in parochiali eccleſia, quæ propius abeſt, baptiſmum ſtatim miniſtrare neceſſe non ſit.

Seſſ. 24. de ref. c. 2.

Baptizatorum vero ejuſmodi nomina, & cetera id generis præſcripta, in libro tum cathedralis, tum propriæ parochialis eccleſiæ, ut Tridentino, & provinciali primo concilio juſſum eſt, notentur.

A Parochus, antequam baptizet, accurate imprimis videat, an qui adhibendi ſunt in baptiſmo compatres tales ſint, quales eos eſſe debere conciliis provincialibus noſtris præſcriptum eſt: ac ſi quos aliunde certo non ſcit, orationem dominicam ſaltem, ſalutationem angelicam, & fidei ſymbolum tenere, eos experiendo cognoſcat, quam ob cauſam ea doctrinæ Chriſtianæ rudimenta ſibi ab illis ante recitari mandet.

Baptizandi ritus accurate ſervetur: nec vero ullo modo confundatur; ita ſcilicet, ut pro eccleſiæ uſu, per epiſcopum probato, vel aquæ infuſione, vel immerſione baptiſmus miniſtretur.

Ad aquam baptiſmalem infundendam, ne B manus, ſed vas, quod ob eam cauſam paratum in fonte baptiſmali ejuſve ciborio aſſervari debet, adhibeatur.

Parochus ſacerdoſve baptizans caveat ne ad infantem baptizandum alio chriſmate utatur, quam eo quod illo ipſo anno conſecratum eſt, ut veteri canone cautum eſt.

Curet idem, ut infantibus proprio nomine in baptiſmo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia, aut ridicula ſunt, quæve gentilium, atque adeo impiorum, & impurorum hominum memoriam referant, ſed illorum, qui ob veræ pietatis, ac ſanctæ religionis, virtutiſque Chriſtianæ laudem ſanctorum numero adſcripti ſunt: ut & in ipſo vitæ C ingreſſu cum Ethnicis ne nomen quidem commune fideles habere velle proteſtentur; & ipſi infantes etiam, cum ætate proceſſerint, nominum ſimilitudine, ad eorum, a quibus illa accepta ſunt, imitationem excitentur; & præterea, quos imitari ſtudeant, eoſdem quoque frequentius precentur, ac ſperent eos potiſſimum ſibi ad ſalutem, tum animi, tum corporis advocatos fore.

Baptizandi formulam ipſe non ſolum, ut primo concilio provinciali juſſum eſt, populo generatim, ſed etiam privatim ac præcipue obſtetricibus, in eccleſia tamen, plane oſtendat, ac tradat: quam etiam an illæ recte teneant, aliquando eodem loco accurate videat, ac di- D ligenter quærat.

Infantis, qui domi ob neceſſitatem baptizatus eſt, baptiſmus in libro baptizatorum a parocho de more referatur; notato patrini nomine; & qui domi ad baptiſmum, & qui in eccleſia ad catechiſmum exorciſmumque adhibitus eſt.

Quod pii inſtituti, ſanctæque conſuetudinis eſt, id ad uſum ubique reſtitui, introducive nos in domino cupientes monemus a parocho, ubi primum parochiæ ſuæ pueri in eccleſiam introducentur, illis pia precatione benedici ad ſacerdotalis ritualiſve libri præſcriptum.

Hoc autem ut diligentius præſtet, aliquando, prout uſuvenerit, parochialis ſuæ eccleſiæ fideles inſtituti hujus, & conſuetudinis admoneat.

E Grave atque immane facinus eſt, infantes per imprudentiam illorum ſuffocari, qui eos ne annum quidem natos, in cubili nulla cautione collocant. Qui quoniam neque alia ratione, neque rei gravitate, qua Deus in primis offenditur, nec vero immanitate nefaria in officio contineri hactenus potuerunt, tale facinus pœnis coerceri cenſuimus. Itaque quæcumque mulier infantem, anno ætatis non expleto, ſecum in lecto jacentem, non ea cautione tenuerit, quam ab epiſcopo præſcriptam parochus unuſquiſque ei ſigillatim demonſtrarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat:

cu-



ANNO CHRISTI 1576.

cujus vinculo irretita, non abſolvatur, niſi gravi atque inſigni impoſita pœnitentia, quæ ceteris exemplo ſit.

Parochus vero tum ſæpe populum moneat, ne hujuſmodi infantes ſecum in lecto unquam teneant, tum etiam evulget decretum iſtud, pœnamque in decreto ſancitam.

III.

*Quæ pertinent ad ſacramentum confirmationis.*

Parochi, animarumve curatores, qui in urbe ſunt, die dominico, pentecoſtes ſolennitatem præcedente, populum doceant, quanto religionis ſtudio ſuſcipiendum ſit confirmationis ſacramentum, cujus miniſtrandi ſolus epiſcopus ordinariam poteſtatem habet.

Videat item, ne quis eorum, qui ſibi in curam traditi ſunt, illud ſuſcipere negligat.

Quare præmoneant, quod etiam concilii Wormatienſis canone ſancitum eſt, ut quicumque intra parochiæ ſuæ fines habitant; neque confirmati adhuc ſunt, illud omnes ſuſcipiant, qui ætate ſunt, qua epiſcopus eos duxerit eſſe debere, qui ad hoc ſacramentum tunc accedant.

Si quis vero neglexerit, canonicis ſubjaceat diſciplinis.

Elaborent præterea iidem, ut qui adulta ætate confirmandi ſunt, primo de peccatis confiteantur: tum etiam admoneant, ut jejuni illud ſuſcipiant, cum mane miniſtratur.

Reliqua etiam diligenti cohortatione denuntient, quæ ad hoc ſacramentum recte ſancteque ſuſcipiendum pertinentia, monitionum tabella comprehendentur, quæ ad communem provinciæ uſum per nos edetur. Quibus monitionibus, pro ratione locorum ſuæ diœceſis, ab epiſcopo addi, tum detrahi, ruſuſque eaſdem mutari liceat.

Quæ cuncta diœceſani item parochi præſtabunt; ita ſcilicet, ut ſinguli parochi uniuſcujuſque loci, ubi ſacrum chriſma epiſcopus miniſtraturus eſt, dominico die hebdomadam illam proximam, qua miniſtrabit, antecedente, cum populum omnia & ſingula doceant ac moneant, mox ſupra parochis, in urbe commorantibus, præſcripta: tum etiam præſtari curent.

Sacrum autem chriſma epiſcopus, cum id miniſtrare proprium epiſcopalis curæ munus ſit; ne ſtata pentecoſtes ſolennitate id præſtare prætermittat, tum ad ſingulas univerſæ diœceſis partes, parochiaſve, & loca, vel infima, viſitando accurrat, ubi illud miniſtrari neceſſe ſit.

Caveat porro, ne cum hujus miniſtrationis munus obit, alienæ diœceſis hominibus, de jure non exemptis, qui in ſua diœceſi domicilium jam non conſtituerint, hoc ſacramentum miniſtret; niſi proprii illorum epiſcopi conceſſu, aut aſſenſu ſcripto.

Quo igitur tempore miniſtrat, populum ea ipſa de re parochos præmonere jubeat.

IV.

*Quæ ad ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum pertinent.*

Tabernaculum ligneum, aliave materia conſtans, in quo ſanctiſſima euchariſtia conſervatur, panno ſerico intrinſecus circumveſtitum undique ſit: conopeo etiam decenti pro eccleſiarum facultate, locique dignitate contectum

A ac bene præterea, tutoque clauſum, atque ita quoque aptatum, ut inde ſanctiſſimum ſacramentum commode depromi poſſit, neque ſuper altare propterea aſcendi neceſſe ſit. Vacuum etiam ſit a reliquiis, vaſculo olei infirmorum, atque inani alio vaſe, ut omnino ſacra euchariſtia cum ſuo vaſe in eo dumtaxat conſervetur; aliud præterea nihil.

Tabernaculum autem, quod agendis proceſſionibus vel exponendæ ſacræ hoſtiæ uſui eſt, perlucido vitro vel cryſtallo, undique circumdatum ſit; lunulamque forma in inſtructionibus ſupellectilis eccleſiaſticæ præſcripta, hujuſmodi habeat, ut aperiri commode poſſit & fragmenta colligi, ſi quæ forte ibi relicta ſunt. B Ipſa autem lunula ſaltem cum ſuppoſito parvulo ſcuto, ex argento conſtet.

Duas pyxides unaquæque parochialis eccleſia ſaltem habeat, alteram forma majori ad uſum ſacræ communionis populo in eccleſia miniſtrandæ; alteram minori, qua ſanctiſſimum ſacramentum ad infirmos deferatur. Pro hac pyxide ad ægrotos deferenda, ſacculus ſericeus ab unoquoque diœceſis parocho habeatur ornatiſſimus, cum opus erit, adhibendus.

Quinque ſaltem particulæ conſecratæ ſerventur aſſidue, ubi ſanctiſſimum ſacramentum conſervatur; quæ octavo quoque die renoventur.

Idque fiat ex hoſtiis, non ante viginti dies ad ſummum confectis.

C Parochus autem, cum ad eum frequentiſſimum ſacramentorum uſum parochiæ ſuæ fideles cohortetur; ut provinciali tertio concilio ſancivimus tum crebris monitis illud, quod Silverius pontifex maximus ſtatuit, in conſuetudinem revocare ſtudeat; ut qui ſæpius non communicant, ſingulis ſaltem dominicis diebus in quadrageſima corpus domini ſumant, ac præterea diebus dominicis adventus.

Cum frequenti populo ſanctiſſima euchariſtia adminiſtratur, licet ejus vis, atque virtus explicetur; non facile tamen tota hujus generis explicatio, ſermoque percipi, auditive ab omnibus poteſt; nec præterea omnes adminiſtrationis initio intereſſe ſolent; id propterea ma- D gnopere epiſcopus curet, ut per ſe, vel per alium, in adhortandi munere exercitatum, ac probatum, etiam inter communicandum, verborum pondere, & ſententiarum, quaſi jaculis, opportuna aliqua, & crebra, brevique cohortatione, populus collectus ad frequentem ſanctiſſimi ſacramenti ſumendi uſum excitetur; tum etiam commonefiat, quam periculoſum exitioſumque ſit, ad ſacram divini illius cibi menſam indigne accedere; ac fructuoſum, pabulo illo cæleſti ſalutariter ac frequenter uti.

Hocque ipſum omne, die feſto, frequentem populi communionem proxime præcedente, aliquando longiori, publicaque concione omnino præſtetur.

E Quod & Toletano [a] quarto & Bracarenſi [b] primo conciliis ſancitum eſt, id de ſacra communione miniſtranda religioſe ſervetur, ut diaconis ſcilicet & clericis ad altare, aut in choro, illa præbeatur; populo autem loco a choro altarive aliquanto remotiori.

[a] cap. 31.
[b] cap. 17.

Ut & quod ſacrorum canonum jure ſtatutum eſt, ſervetur & parochi certam rationem inire eorum poſſint, qui curæ ſuæ commiſſi, ſacram communionem in paſcha reſurrectionis domini ſumpſerint; ne eo tempore, etiam in eccleſia cathedrali, iis, qui intra alterius parochiæ fines in urbe, aut in diœceſi habitant, ſanctiſſi-



mum

ANNO CHRISTI 1576.

mum euchariſtiæ ſacramentum miniſtretur, niſi A aliqui ſint, quibus juſta de cauſa epiſcopus, aut proprius ejus parochus, facultatem ſcripto exaratam nominatim dederit.

Peregrinis autem, advenisve hominibus ex ſecundi concilii provincialis præſcripto, præberi miniſtrarive liceat.

Ne occaſione communionis, etiam in paſcha miniſtratæ, vel miniſtrandæ, eleemoſyna, pelvicula, aut vaſculo expoſito, ullove alio modo directe, aut indirecte, quæritetur.

Cum ſacra communio diebus, præſertim ſolennioribus, aut frequentiori fidelium multitudini miniſtratur; ex veteri inſtituto antiphona, Pſalm. 81. Pſalm. 21. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*; & pſalmus, *Benedixiſti Domine*, B & pſalmus item, *Dominus regit me, &c.* & alia in rituali libro preſcripta, aut alias ab epiſcopo preſcribenda, a clero canantur, cum id per illius frequentiam fieri poteſt.

Ad ægrum parochus ipſe, niſi invaletudine aliave neceſſaria cauſa impeditus ſit, corpus domini deferat: ſi vero aliquando in hoc miniſterio neceſſe habet alio ſacerdote uti; ne alio, ſi poteſt, utatur, niſi quem ad confeſſiones audiendas, conceſſa ſcriptis facultate, epiſcopus probaverit, idoneum judicaverit; cum ſæpe contingat, ægrum, cui ſanctiſſimum corpus domini defertur, iterum confiteri velle, propterea quod poſt peractam confeſſionem aliquid commiſerit, vel ante commiſſum me- C minerit.

Ægrotantibus, etiam ſine mortis periculo, ſacræ euchariſtiæ frequentius ſumendæ deſiderio flagrantibus, iis præſertim, qui dum integra valetudine ſunt, frequenti ſacramentorum uſu ſe religioſe ſalutariterque paſcunt, ne parochus quantum per alias neceſſarias in parochialis muneris occupationes ſibi licet, ſpiritualem illam conſolationem, ſalutareque adjumentum, religioſa preparatione ab iiſdem adhibita, deneget.

Quid de indulgentia a Paulo tertio pontifice maximo corporis domini ſodalitatibus conceſſa, ſæpius promulgando, concilio provinciali tertio ſancitum eſt, id in iis ſodalitiis preſtetur, D quibus illa tributa conceſſave eſt.

Indulgentia vero a ſanctiſſimo domino noſtro Gregorio XIII. omnibus & ſingulis, quæ in hac provincia inſtitutæ, inſtituendæve ſunt, corporis domini ſodalitatibus data, cujus conceſſæ indulgentiæ exemplum typis impreſſum in ultima hujus libri parte extabit; ubique in illis ſæpeque promulgetur ad excitandos in ſalutari inſtituto, ejuſque munere ſolicite obeundo fidelium animos.

Oratio quadraginta horarum religioſe inſtituta, ut perpetuo ſanctiſſime, cum ſalutarique animarum fructu retineatur, hæc etiam præter cetera, eo de genere alias ſancita, conſtituimus & decernimus. E

Primo in iis ſolum eccleſiis ſive ſæcularibus, ſive regularibus fiat celebreturve, in quibus ſanctiſſimum ſacramentum aſſervatur: nec vero in iis omnibus, ſed in illis tantummodo, quas epiſcopus ſtatuerit.

Fiat autem in conſpectu ſanctiſſimi ſacramenti: quod e tabernaculo expoſitum, in majori, aliove, ſi epiſcopus ita cenſuerit, altari propalam collocetur. Quod ut cum dignitate, decore, religioſeque agatur, altaris, vel capellæ, ubi exponetur, collocabiturve, ornatus decens ſit ac religioſus.

Cerei præterea in altari accenſi, ad ſummum decem, ad minimum vero, ſex, decenti craſſitudine, ac longitudine colluceant: lampades item ne plures quam duodecim, aut tredecim; nec vero pauciores quam tres. Licebit tamen epiſcopo ob cauſam permittere, ut major luminum numerus aliquando adhibeatur.

Orationis initio, cum ſanctiſſimum ſacramentum palam proponendum eſt, primum datis ſolenniter de more pridie illius diei, veſperi, & iterum eo die paulo ante, campanarum ſignis, præſens adſit, cum ſacerdos, pluviali indutus, qui illud religioſe proponat; tum illius eccleſiæ, ubi oratio futura eſt, aut totius parochiæ, ſi eccleſia parochialis eſt, clerus ſuperpelliceo veſtitus, qui in hac functione illum adjuvet. Si vero, qui convenerit, clerici vel parochiæ, vel eccleſiæ, pauciores ſunt quam ſex; alii aliunde evocentur, ut ne eo numero pauciores adſint: hique cum luminibus accenſis, tum homines itidem parochiæ, in cujus eccleſia finibusve oratio exponitur, præſertim ſanctiſſimi ſacramenti ſodalitati adſcripti.

Proceſſio in exponendo ſanctiſſimo ſacramento per eccleſiam agatur litaniis, ſtatiſque antiphonis, precibus, & orationibus, tum cereis accenſis: idemque in eo reponendo ſervetur.

Dum illud in altari propoſitum eſt, interdiu clerici duo, ſuperpelliceo induti, capite aperto, ad altare ſemper aſſiſtant; quorum alter diaconus ſaltem ſit; noctu vero ſaltem unus, iſque in ſacro ordine conſtitutus.

Ad altaris vero, capellæve, ubi propoſito ſanctiſſimo ſacramento oratio fit, cancellos affixæ ſint tabulæ precum & orationum, quæ pro temporum, calamitatumque ratione, orantium uſui ex ſanctæ matris eccleſiæ inſtituto accommodatæ, eæque literis grandiuſculis exſcriptæ, loco perſpicuo ſint.

Ad excitandam præterea populi, in ſtata hac oratione verſantis, pietatem, hoc curetur, ut aliquando, quo præſertim tempore, quave hora frequens eſt fidelium ad eam concurſus, ſermo, iſque brevis, ad piæ meditationis ſtudium inflammandum appoſite habeatur.

Ut autem ad hujus conſtitutionis præſcriptum omnia quæ ad hujus ſtatæ orationis uſum ſancte retinendum pertinent, decore, recte, ordineque agantur, unicuique urbis regioni ab epiſcopo aliquot viri graves, pietatis ſpiritualiſque vitæ amantes, & in iis ſaltem unus eccleſiaſtici ordinis, qui aliis præſit, conſtituantur; qui in ſua quique regione orationis hujus curam gerant, quo tempore illa celebratur. Eorum præter cetera munus erit, cum videre, ut ad hujus ſanctionis præſcriptam normam illa fiat celebreturve; tum quibus in eccleſiis proxime ea futura eſt, illarum miniſtris ipſam ſignificare, ac prænuntiare.

Porro ad ornatum, atque apparatum hujus orationis celebrandæ, ne quid ob ſumptus neceſſarios deſit, a parochiæ incolis parocho, in cujus eccleſia illa fiet, adhibitis ſimul aliquot parochialis viciniæ viris, epiſcopo probatis, eleemoſynam eo nomine quæritare & colligere liceat. Quæ eleemoſyna, ſi quæ unquam ex impenſis illis reliqua erit, epiſcopi arbitrio in uſum & ornamentum, qui ad cultum ſpectet ſanctiſſimi ſacramenti, erogetur in illa eccleſia, vel in alia, ubi magis neceſſaria ſit.

Nec vero, hoc vel alio prætextu, illo orationis tempore ad eleemoſynam excipiendam col-



ANNO CHRISTI 1576.

colligendamve pelves, aut vaſa ejuſmodi patu- A la, exponantur: ſed epiſcopi permiſſu conceſſuve capſulas proponi liceat.

Orationis hujus curatores videant, ut per quadraginta ipſas horas continenter fiat, ac ne ad momentum quidem temporis, nec die, nec noctu intermittatur. Cui rei quo cautius proſpiciant, ſupputata parochialis viciniæ incolarum, tum marium, tum feminarum ratione, illiſque in certas ob eam curam claſſes congruenter diſtinctis & diſpoſitis, horas ſtatæ orationis pro ſupputatione inita & populi partitione facta, ita ſeparatim, ordineque aſſignent, ut ſua hora claſſes ſingulæ ad orandum conveniant, & intermiſſionis nullum ſpatium relinquatur.

Hoc orationis tempore, in eccleſia, ubi illa B celebratur, feminæ a maribus ſeparatæ, tabulato ad inſtructionum præſcriptum interjecto, aut alio interſepto adhibito, orent.

Ne noctu feminis orandi ſtata hora aditusve in eccleſia detur.

Quod ſi noctu orantes deerunt, ſanctiſſimum ſacramentum in tabernaculo reponatur.

Quod ſi forte ex hac vel alia cauſa epiſcopi juſſu aliquando noctu intermitti contigerit, interdiu compenſetur continenti orandi ſpatio.

Cum oratio noctu celebratur, ne propterea eccleſiæ oſtia pateant, ſed clauſa, pulſantibus & ad orandum convenientibus, etiam ſingulis, aperiantur. C

In eccleſiis monialium, cum oratio hæc celebratur, nemo prorſus noctu in illam ad orandum intromittatur. Verum ibi ſanctiſſimum ſacramentum per noctem in tabernaculo majori repoſitum, moniales ſolum ab interiori eccleſia adorantes, nocturno eo tempore per ſtatas horas in oratione perſeverent; ſummo vero mane iterum e tabernaculo illud depromatur.

Præfinito illo quadraginta horarum tempore, ne vero diutius, in eccleſia, ubi conceſſum eſt, oratio hæc celebretur. Id vero temporis prorogari ne liceat, niſi epiſcopi conceſſu. Tamen cum noctu terminari contigerit, ad lucem produci ejuſdem juſſu licebit, ſi quando hujus orationis initium, & finem noctu fieri, minus de- D center ille animadverterit.

Per horam, antequam in una eccleſia oratio hæc terminetur, in altera, ubi proxime futura eſt, de more rite inchoetur.

Quæcumque loca, eccleſiæve, in qua exponenda ſit ſacra euchariſtia pro oratione quadraginta horarum, hac conſtitutione ſupra præſcripta ſunt, aut de aliis ad cultum & venerationem ſanctiſſimi ſacramenti, aut ad altaris, capellæve, ubi illud palam proponetur, apparatum, atque ornatum pertinentibus, ea cum in ordinario orationis hujus inſtituto & uſu, item etiam, ſi quando extraordinarie idem adhiberi petitum, aut conceſſum erit inviolate, accurateque ſerventur. E

In eccleſia cathedrali, quoties oratio quadraginta horarum, vel inchoatur, vel peracto in aliis eccleſiis illius curſu, in eadem iteratur, aliave ratione exponitur indiciturve; omnis ratio ſuadet, ut ſplendidiori luminum apparatu, & majori cleri frequentia, majorique populi concurſu habeatur, atque celebretur. Quare illius orationis initio, quod in ea eccleſia fit, rurſuſque in ejuſdem fine, ut epiſcopo videbitur, cum illius eccleſiæ clerus, populuſque, ſi quem pro parochiæ ratione peculiarem habet, tum etiam univerſus urbis clerus, tam ſæcularis, quam regularis, qui ſupplicationibus publicis intereſſe ſolet, ac ſodalitates omnes & cunctus præterea populus, ſuis parochialibus ſanctorum inſignibus diſtinctus, in illam matricem eccleſiam generatim univerſeque ad orationis celebritatem conveniat.

Sigillatim vero pro uniuſcujuſque parochiæ, viciniæve in claſſes diſtinctæ, ratione, quam epiſcopus certam ſtatuerit inieritve, idem tum clerus ſæcularis ac regularis, tum populus ſtatis horis, ſibi ordine ſpeciatim attributis, ad eam baſilicam concurrat, more ſolennium proceſſionum, cruce ſcilicet prælata, & precum, antiphonarum, pſalmorumque pio ac religioſo cantu: undeque pro ordine proceſſerit, eodem pie devoteque redeat.

In ſolenni illa proceſſione, in qua ſanctiſſimum domini corpus per urbem religioſo cultu defertur, ne reliquiæ ullæ, ſed illud ſolum, ut veteris inſtituti, eccleſiæque Romanæ matris conſuetudinis eſt, pio, religioſoque apparatu, ſolennique celebritate feratur.

Canonici ſinguli, & qui dignitates obtinent, cum proceſſiones publicas, illam præſertim ſolennem, quæ in celebritate ſacræ diei corporis domini agitur, atque alias item in portando ſanctiſſimo ſacramento ſingulis menſibus conſtitutas, obeunt; intortitium accenſum in manibus, capite aperto, ferant. Capitulum autem decenti magnitudine & craſſitudine habeat, quot canonicorum numero ſatis ſint.

Reliqui chori miniſtri cereos item accenſos habeant, eoſque forma convenienti.

Quo autem religioſius provinciæ noſtræ fideles ſanctiſſimi corporis Chriſti domini ſolennitatem colant: pietatiſque operibus, quæ ſacro illius ſolennitatis tempore præſtanda ſunt, indulgentias a ſummis pontificibus, Urbano IV. Clemente quinto, Martino quinto, item & Eugenio IV. conceſſas, conſequantur, parochorum cura ſit, die dominico, ſolennitatem præcedenti, hæc paterna caritate, gravique ſermone illos præmonere atque hortari;

Primo ut confeſſi, vel in ſolemnitate, vel intra octavam, ſacram communionem ſumant.

Ut pro facultatibus eleemoſynam dent.

Ut pure caſteque in orationibus frequentes; atque aſſidui ſint, in pietatiſque Chriſtianæ exercitationibus verſentur.

Ut pridie ſolennitatis jejunent.

Ut & in ſolennitate & reliquis deinceps ſeptem diebus ad veſpertinum & matutinum, aliarumque canonicarum horarum officium & miſſæ ſolennis ſacrum frequentiſſimi conveniant, proceſſionemque ſolennem item ſupplices obeant.

Utque ad ea Chriſtianæ pietatis officia fideles magis inflammentur; per eoſdem parochos indulgentiæ, ut infra exponuntur, ab iiſdem pontificibus unicuique vere pœnitenti & confeſſo datæ, evulgentur.

Jejunantibus pridie ſolennitatis, indulgentia conceſſa annorum centum.

Præſentibus in veſperis primis, indulgentia annorum etiam centum.

Iis qui in ſolennitate miſſæ ſolennis ſacro interſerunt, indulgentia annorum totidem.

Qui in matutino aderunt, iis indulgentia annorum totidem.

Qui in ſecundis veſperis intererunt, iis quoque data indulgentia totidem annorum.

Qui primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, completorii officiis aderunt, indulgentia iis datur quadraginta annorum pro ſingulis horarum officiis.

Qui intra octavam veſpertino, matutinoque officio & miſſæ ſolennis ſacro aderunt, indulgentia item datur annorum centum.

## V.

*Quæ pertinent ad ſacramentum pœnitentiæ.*

Eccleſia parochialis, eique item annexa, in qua confeſſiones audiri aliquando ſolent, confeſſionale unum habeat, forma in inſtructionum libro demonſtrata, conſtructum; duo vero eadem forma & modo, ubi quingentarum animarum & amplius cura geritur. Eccleſia autem, quæ plures habet confeſſarios, totidem confeſſionalia quot confeſſarios, habeat, ſive parochialis illa ſit, ſive collegiata, ſive cathedralis.

In confeſſionali hæc affixa ſint, ſacra ſcilicet imago, literæ proceſſus die cœnæ domini quotannis editæ, tabella caſuum, quos ſibi epiſcopus reſervarit, forma abſolutionis, & orationes præparatoriæ ad ſacram confeſſionem audiendam impreſſæ.

Ne capſulæ loculive, colligendæ eleemoſynæ cauſa, ſive confeſſarii uſui, ſive eccleſiæ utilitati ea ſit, ac ne ob pium quidem ullum aliud opus, loco confeſſionalibus proximo, nedum ipſis confeſſionalibus, affigantur, apponanturve.

Excommunicationis pœnam, concilio provinciali primo, ſacerdotibus, ſine approbationis facultate ab epiſcopo data, pœnitentiæ ſacramentum miniſtrantibus propoſitam, in ipſo facto eos, qui contra fecerint, ſubire decernimus & declaramus.

Confeſſionis ſacræ audiendæ munus ſacerdotibus regularibus, quamvis ad illud ob peritiam ſcientiamque idoneis, ne committatur, niſi a monaſterii præfecto teſtatum literis fiat, eos vitæ diſciplina, moribuſque probatos eſſe; ac dignos propterea quibus id muneris imponatur. Quo in teſtimonii genere ipſe videat, ne quid teſtificando admittat, quod religioſæ conſcientiæ ſuæ fraudi ſit, labemve afferat.

Unuſquiſque monaſterii regularis præfectus bis quotannis, ſemel ſcilicet ineunte adventu, iterum quadrageſimæ initio, confeſſariorum ſacerdotum ſui monaſterii probatorum nomina, in folio exſcripta, ad epiſcopum deferat; ut cum regulares ex uno in aliud monaſterium commigrare frequenter ſoleant, eamque ob cauſam illorum numerus interdum minuatur, aliunde ipſe epiſcopus, alios in eo munere gerendo idoneos, ac probatos opportune habere poſſit.

Sacerdotum confeſſariorum, qui probati ſint, nomina, in tabella ordine deſcripta, ad valvas ſacriſtiæ eccleſiæ, ubi complures illi habitant, affixa in omnium conſpectu ſint.

Epiſcopus & in urbe & quo tempore etiam viſitationem obit, in frequentioribus diœceſanis locis confeſſarios ſacerdotes, etiam regulares, aliquando ad ſe, cum ſingulos, tum univerſos convocet. Iiſque primo, cum ceteras muneris, quod ſuſceperunt, partes graviter accurateque oſtendat, tum præcipue moneat, quantum quamque grave, vel ad ſalutem, vel ad perniciem animarum onus ſuſtineant; proinde demonſtret item, & quam bene notos caſus ipſi habere debeant, in quibus abſolvendi auctoritatem nullam habent, & quam ſtudioſe propterea caveant, ne in meſſe aliena falcem ponant, & quam caute item in pœnitentium abſolutione agant, cum præſertim vel de reſtitutione, vel de occaſionibus, quibus ad mortalia peccata aditus ſit, abiiciendis agitur.

Ne vero facile in eodem peccati genere fideles offendant, hoc etiam illos ipſos confeſſarios admoneat, quam prudentes, quam cautos, quam diligentes in pœnitentiis ſalutaribus imponendis eos eſſe oporteat: tum proſpicere etiam ut non ſolum vitia, peccataque fideles, ſed virtutes, Chriſtianæque vitæ officia, opera, & actiones, cum Chriſtiani nominis ſplendore congruentes ſuſcipiant ac præſtent; majoreſque in via domini progreſſus in ſingulos dies habeant, propoſita unicuique, pro ejus ingenio, & conditione, ac ſtatu, bene ſancteque agendi ratione.

Demonſtret denique, quam ſedulo caveant, ut ne eorum dicta ſanctarum cohortationum, paternarumque objurgationum plena, a factis ullo modo diſſentiant; ac ne item audiendi ſacris confeſſionibus ullam, ne minimam quidem, avaritiæ in primis, ſuſpicionem præbeant.

Inſtructiones ad ſacramentorum, & pœnitentiæ, & ſacræ communionis, miniſtrandorum uſum, cultumque pertinentes, a nobis concilii provincialis tertii decreto confectas atque editas, in ſua quiſque urbe, diœceſique epiſcopus ſervari omni diligentia curet.

Medici quicumque vel in urbe, vel in diœceſi ſunt, duorum menſium ſpatio per ſingulos epiſcopos, ſi id ante non præſtiterint, jurejurando obſtringantur: quo ſpondeant, ſe, quod Pii V. pontificis maximi ſanctione de medicis edita præſcriptum eſt, integre inviolateque ſervaviſſe. Qui jusjurandum præſtiterint, ne excommunicationis pœna, concilio provinciali primo decreta, ſed iis tantum pœnis, illa pontificia conſtitutione ſancitis, irretiti teneantur, ſi contra fecerint.

Nec vero confeſſarius ſacerdos confitendi tempus ægrotanti proroget, niſi primum re cum epiſcopo, eove, cui ille id curæ dederit, communicata, prorogationis facultatem ſcripto exaratam ab illo impetrarit.

Caſus reſtitutionis rerum, quæ incertum eſt quibus reſtitui debeant, epiſcopo deinceps reſervatæ ſint.

Confeſſarius ſacerdos, quicumque ſit, etiam regularis, ne auditæ ſacræ confeſſionis teſtimonium ſcriptum, aut impreſſum, manu ſua ſuoque ſigillo ſignatum, ſibi peccata confeſſis dare omittat; tum in paſcha, ut parochis, tum ægrotationis tempore, ut medicis, quod debent, eos præſtitiſſe plane conſtet. Confitentium præterea paſchæ tempore nomina, & cognomina, ut fraudi multiplici occurratur, in librum certum, notato etiam die & menſe referet: quem librum epiſcopo petenti, pro debito caritatis ſtudio, non modo non deneget, ſed prompte oſtendat atque exhibeat, tradatve; teſtimonii vero formula certa ab epiſcopo præſcribatur: cujus exempla, ubi ars impreſſoria ſit, & ubi opus eſt, typis impreſſa, quamplurima unicuique ſacerdoti confeſſario tradantur.





## VI.

*Quæ pertinent ad extremam unctionem, & reliqua erga morientes officia.*

Quibus parochis concilio provinciali ſecundo permittitur, domi aliquando habere ſanctum oleum infirmorum, in feneſtellam in ipſa domo, loco decenti, ac tuto conſtruant; panno ſerico circumveſtiant; valvis, & clave claudant, ut & in honore, & recte cuſtodiatur.

Parochus extremæ unctionis ſacramentum ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilicet, periculoſe ægrotantibus, propeque moribundis, ſenio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris; ita iſtis ne miniſtret, nempe pueris rationis uſu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiſcentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis, qui mox ultimo ſupplicio mulctandi ſunt.

Idem cum pro ægrotis parochialis viciniæ ſuæ ſemper oret, ſacrificiumque offerat; tum ſi quem ex iis periculoſe ægrotare viderit, hoc curet diligenter, ut die noctuque ad extremæ unctionis ſacramentum ei miniſtrandum præſto ſit & paratus.

Cum autem is ad ægrum, qui a parochiali eccleſia longius abeſt, graviter, ac non ſine periculo mortis, febri, morbove laborantem, ſanctiſſimum corpus domini defert; ne, ubi ad parochiale domicilium ipſe redierit, mortem ille prius obeat, quam ad extremæ unctionis ſacramentum, eidem miniſtrandum, reverti poſſit: vaſculum etiam ſacræ illius unctionis ſecum ferat, illam ei, poſtquam corpus domini præbuerit, miniſtraturus: ſi ita pro morbi ingraveſcentis ratione, mortiſque periculo faciendum cenſuerit.

Id extremæ unctionis ſacramentum miniſtraturus, quot commode poteſt presbyteros & clericos adhibere ſtudeat ſuperpelliceo indutos: qui ipſum & miniſtrantem, & precantem, pietatis orationiſque ſtudio in eo miniſterio adjuvent.

Quod ſi plures habere non poteſt, unum ſaltem omnino adhibeat clericum ſibi miniſtrantem.

Accedat autem illud miniſtraturus, ſtola & ſuperpelliceo indutus.

Vas ſacri olei ne ſinu brachiove comprehenſum, ſed ſacculo ſerico apte incluſum, chordula ſerica a collo pendens pie reverenterque ferat.

Cum acceſſitur, prope ægrotantis lectum, menſam parvulam, ubi commode fieri poteſt, parari; mappave candida ſterni curet, ſuper qua & vas ſit, ubi bombyx, ubi ſtuppa ad abſtergendas unctiones, micaque panis ad abſterſionem digitorum præparata, & vas alterum aquæ ad manus lavandas, & candela ceræ item parva. Qua in menſa vas ſacri olei a parte lecto viciniori ponatur a laico autem homine ne manu teneatur.

Mulieribus miniſtraturus, renes ne inungat.

Ubi ſacramentum ægro miniſtrarit, dum ille ſermonis & ſenſuum uſum non amiſit; cum brevibus & ſuavibus ardentibuſque verbis excitare ad deſiderium vitæ æternæ, & ad ſpem de divina miſericordia concipiendam, ne opportune deſiſtat; tum, cum prope moribundus eſt, in illius animæ commendatione, quam maxima poteſt, intima animi pietate, ſtatas, religioſas, ſanctaſque preces recitet.

Curetque toto eo tempore, ut domeſtici ſimul omnes, qui adſunt, pro eo Deum pie precentur.

Ubi hoc officium pie accurateque præſtiterit, ſi æger adhuc vivit, aut animam agit; ne eidem præſens adeſſe, omniaque ſalutaria officia præſtare, omittat. Si vero adeſſe aliquando non poteſt, vel quia aliis graviter ægrotantibus ſacramenta miniſtrare neceſſe habet; vel quia neceſſariis parochialis curæ occupationibus aliis impeditur, tunc ea pietatis officia illi a ſacerdote, ſi quis alius eo loco eſt, ſollicite præſtari curet.

Ad quod etiam officium ſibi hoc ſubſidium, cum opus eſt, comparet, ut confratriæ ſanctiſſimi ſacramenti, aut doctrinæ Chriſtianæ homines aliquos, parochiali ſua diligentia ad conſolationis & ſpei excitandæ officia, aliaque ejuſmodi, inſtructos adhibeat. Hoc etiam parochus domeſticos, qui ægroti curam habent, moneat, ut ne poſt extremæ unctionis ſacramentum, quod ei ipſe miniſtraverit, corporis curam deſerant.

Singulis menſibus in diœceſi unuſquiſque vicarius foraneus, & in urbe præfectus regionarius, aut alius, cui id muneris epiſcopus dederit, a ſuæ regionis parochis de illis perquirat, qui obierint; iiſque animam agentibus an ipſi præſentes adfuerint; an curæ, & pietatis omnia officia eiſdem moribundis præſtiterint; tum, ubi opportune in mortuorum agnatos, affineſve inciderit, parochialium ſacerdotum debitum officium, ab illis diligentius recognoſcat.

Quod ſi eos negligentiores eſſe animadverterit, ubi primum illos, ut par eſt, reprehenderit, tum eorum negligentiam, culpamve ad epiſcopum deferat.

Epiſcopus pro ſua vigilanti cura, in urbe, aut in alio loco, in quo ipſe ſit, cum ægros graviter laborantes, præſertim vitæ ſpiritualis amantes, pietatiſque laude inſignes, paterna caritate aliquando viſitare ſtudeat; tum epiſcopalem benedictionem moribundis impertiat.

Hoc officium quoque diligentius, cum poteſt, ſæpe parochis, ſacerdotibus, religioſis viris, ægrotantibus, & moribundis item, præſtare idem pie curet.

Parochus vero fidelibus prope morituris ſuggerat, ut, ex hoc ſæculo, antequam migrent, qui præſertim in urbe ſint, aut alio loco; in quo epiſcopus ſit, ad illum, certum hominem mittant, qui eis epiſcopalem benedictionem petat.

## VII.

*Quæ pertinent ad ſacramentum ordinis.*

Ubi primum epiſcopus, aut parochus aliquem norit, qui vel ſponte ſe clericali militiæ adſcribi velit, vel a parentibus adhuc infans deſtinetur; hoc ſedulo curet, ut ille, quo diligentius clericalis diſciplinæ, vitæque religioſæ inſtitutis primum imbuatur, eccleſiam frequentius adeat; functiones, quas clerici obeunt, ceteraque id generis miniſteria cernat, ipſique parocho, vel alii ſacerdoti, quem idem epiſco-

ANNO CHRISTI 1576.

epiſcopus maluerit, in diſciplinam curamve traditus, eccleſiaſticorum hominum conſuetudine utatur. Sic multiplici ratione cum paulatim & clericalis vitæ officiis obeundis, & laboribus ſuſcipiendis aſſueſiat; tum diſcat etiam, atque animadvertat, quod vitæ genus, ſi ordinis ſacramento initiari vult, ſequi debeat; proindeque de re tota maturius ante deliberet.

Parochi vero ſit, illiusve, cujus curæ, epiſcopi juſſu, traditus eſt, eum quæcumque clericalis vocationis inſtitutioniſve ſunt, aliquando monere, ac docere diligenter.

Ut ad eccleſiæ miniſterium complures inſtituantur, qui ab ineunte pene ætate ad pietatem, vitæque innocentiam, cum literarum doB ctrina conjunctam, accurate inſtructi ei ſancte, utiliterque poſt inſerviant; illud unuſquiſque parochus valde ſtudeat, ut quamplurimos poteſt pueros, præſertim pauperes, bona indole præditos, qui ſpem afferant, ſe ſacris initiatos, eccleſiæ miniſtros utiles fore, ad eccleſiaſticæ vitæ normam accurate erudiat, eoſdemque præterea cum ante, tum etiam in primis poſt ſuſceptam clericalem tonſuram, ac deinceps minoribus ordinibus adſcriptos, pro paternæ caritatis ſtudio, optimis moribus, clericali religioni congruentibus, clericaliumque functionum diſciplinam bene informet; literiſque item inſtruat, eos præſertim, qui ab aliis probatis viris artem literariam profitentiC bus, ob inopiam, aliamve cauſam, commodius, diligentiuſque erudiri non poſſunt.

Eorum autem ſingulorum mores, ſtudia, literarumque progreſſionem epiſcopo parochus aliquando ſignificet; ut ſuo tempore, vel in ſeminarium cooptati, vel alia quacumque via adjuti, pro ætatis ratione, proque ingenii captu, ſtudiis gravioribus ſe dedere queant.

Sacræ ordinationes, tum iis ſolum quatuor anni temporibus, niſi ob urgentem cauſam illas alio tempore aliquando, facultate a ſede apoſtolica literis data, haberi neceſſe ſit, tum in eccleſia cathedrali, ritu ſolenni, canoniciſque præſentibus, habeantur. Si vero quandoque in diœceſano loco habentur, in D illius loci eccleſia primaria celebrentur, clero ejuſdem præſente, ut decreto Tridentino cautum eſt.

Seſſ. 23. de ref. c. 8.

Sæpe illud facileque evenit, ut vel hominis mores mutentur, vel, quod de illius vita minus antea notum atque exploratum erat, id poſtea aliquo modo pateſiat; quo ſit, ut quem epiſcopus ſuperiorve aliquando probarit, dignumque exiſtimarit aliquo etiam ſacro ordine initiari, illum ipſum poſt inveniat indignum, neque idoneum eſſe cui aut major ordo conferatur. Quare ut & erroribus, multiplicique fraudi occurratur, & plane ſerventur decreta illa Tridentina, unum, quo vetatur ad ſuperioris ordinis gradum illos aſcendere, E qui in inferiori aliquamdiu, epiſcopi judicio, verſati non ſint; quique cum ætate, vitæ etiam merito, doctrinaque majori non proceſſerint, alterum, quo cavetur, nemini licere ab alio epiſcopo primam tonſuram, aut ordinem aliquem ſuſcipere, niſi ejus probitas, & mores, ordinarii ſui teſtimonio primum commendentur; epiſcopus, aliusve ſuperior, prout pro ſua prudentia, pietateque expedire cenſuerit, in primis videat, ne cuiquam, antequam ſacræ ordinationis tempus proxime inſtet, literas ejuſmodi teſtimoniales, dimiſſo-

Ibidem c. 11. & 13.

A riaſve pro ordinibus, ab alio epiſcopo ſuſcipiendis, ſine neceſſaria cauſa unquam concedat.

ANNO CHRISTI 1576.

Neque item iiſdem literis facultatem det, plures ordines ſuſcipiendi, quam illos ipſos tantum, quos uno eodemque tempore ab eo ſuſcipi voluerit, ac per ſacros canones, conciliaque licuerit. Præfiniat præterea in illis ipſis certum ſuſcipiendi ordinis, cui quiſquam adſcribendus eſt, tempus, menſtruum ſcilicet, vel bimeſtre, vel longius, ut pro loci diſtantia, pro aliave ejuſmodi cauſa opus eſſe viderit. Quo præſtituto tempore tranſacto, eas literas, illo nomine a ſe conceſſas, ei in poſterum nihil ſuffragari, nihilque roboris haB bere iiſdem literis declaret: quas etiam cancellario epiſcopali ab illo, cui conceſſæ ſunt, reddi decernat.

Nec vero alienæ diœceſis clerico ſæculari, neque ulli omnino regulari, literarum auctoritate, quas dimiſſorias, teſtimonialeſve hic ab ſuperiore, aut ille ab ordinario ſuo habet, epiſcopus ordinem aliquem, vel minorem, vel majorem, ac ne primam quidem tonſuram, tempore illarum literarum præterito, conferat.

Quod ſi nullum iiſdem literis ſpatium temporis præſcriptum ſit, ne item in ſacra ordinatione quemquam promoveat, niſi eas recenter aut ſcriptas, aut renovatas confirmataſve is C afferat: atque ita recenter quidem ut non amplius duobus tribuſve menſibus ante ſacræ ordinationis, qua ille proxime initiandus eſt, tempus datæ confirmatæve ſint; ſi modo aut loci diſtantia, aut ejus, qui ordinem ſuſcepturus eſt, diuturna ab ſuo epiſcopo, ſuperioreve abſentia, aliave id generis cauſa vetuſtiores literas, ejuſdem epiſcopi judicio, admitti probarive non poſtulet. Id ipſum quoque epiſcopus in teſtimonialibus morum literis cavebit, quas ſuæ etiam diœceſis clerici, aliive quicumque eo de genere afferent.

Literas autem ejuſmodi, de moribus teſtatum facientes, ab alienæ diœceſis clericis, regularibuſve item, qui ab ſua diœceſi, monaD ſteriove proxime aliquamdiu abfuerint, ſibi afferi exhiberive curet, non ſolum ab eorum epiſcopo, ſuperioreve, ſed ab illo etiam, apud quem proxime manſerint, ejuſve auctoritate ſcriptas atque obſignatas.

Quod idem a ſuis clericis præſtari jubeat, qui in aliena diœceſi, aliquo temporis ſpatio, proxime fuerint.

Si vero qui eo ſpatio in literis præfinito, aut ſi nullum etiam præfinitum ſit, duobus aut tribus poſt datas, renovataſve literas menſibus ordines non ſuſceperit; tunc literas illas, vel dimiſſorias, vel morum teſtimoniales, eo nomine ſibi ab ſuo ordinario, vel ſuperiore primum datas, vel recenter confirmatas, renovataſve, E quamprimum per loci diſtantiam poteſt, eidem per ſe, vel alium reſtituat, reddatve.

Cum autem deinceps ordines ſuſcipere vult, iterum recentes illas ab eo impetret.

Qui item ab ſuo epiſcopo eos ſuſcepturus eſt, quod ad morum ſuorum teſtificationes attinet, a quibus debet, iterum recentes illas ei afferat, exhibeatve.

Si quis una aliqua culpa, impedimentove, ut infra, irretitus tenetur, ne ad ſacram ordinationem contra ſacrorum canonum & conciliorum præſcriptum, accedat, ut ne cenſuras, pœnaſve canonico jure illis, qui tales ad eam acceſ-



ANNO CHRISTI 1576.

acceſſerint, conſtitutas, ſubeat. Rurſus diligentiam epiſcopus adhibeat, ne fraude vel dolo quiſpiam ſacræ ordinationi ſeſe ingerat.

## VIII.

*Impedimento irretiti hi ſunt.*

Minores natu, ſacramento chriſmatis non confirmati, rudes & ignari, criminoſi, ſolenniter pœnitentes, neophyti, ebrietati & gulæ dediti, impudici, lapſi poſt ordinem ſuſceptum, perjuri, uſurarii manifeſti, infames, ratiociniis obligati, ſervi, corpore vitiati, inſigniter deformes, illegitime nati, peregrini, & ignoti, bigami, irregulares, quovis alio modo ſuſpenſi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non examinati & probati.

Subdiaconatum ſuſcepturus, quo diligentius vitæ perpendat rationem, cui ſe, illum ſuſcipiendo, ſancte obſtringit; ac proinde re tota accuratius deliberata, puriori mente ardentiorique animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, priuſquam eo ſacro ordine initietur, aliquem ſemotum locum adeat, ubi ab omnibus curis & occupationibus liber, cum omnis ante actæ vitæ ſuæ peccata diligenti conſcientiæ diſcuſſione rite confiteatur: tum in ſalutaribus meditationibus, aliiſque ſpiritualibus exercitationibus totus verſetur, duce & moderatore ſibi adhibito, religioſo viro, earum uſu perito, quem epiſcopus in primis probarit.

In illis autem, vel menſe, vel longiori, breviorive tempore perſiſtat, prout de moderatoris conſilio epiſcopus expedire cenſuerit. Quas item exercitationes, eodem præſcripto, & modo, eo tempore diaconi, cum ad ſacerdotii gradum acceſſuri ſunt, pie ineant, ac præſtent.

Nemo titulo ſeminarii ſacris majoribus ordinibus adſcribatur, neque titulo item beneficii, aut penſionis, alteriuſve cenſus, quem ei ad victum, epiſcopi judicio ſatis eſſe non conſtet.

Qui majoribus ordinibus initiari volunt, ii, quod Tridentino decreto juſſum eſt, inviolate plane ſervent, ut menſe ſcilicet, aut longiori ante ſtatam ſacræ ordinationis diem temporis ſpatio, prout edicto epiſcopali præſinitum erit, ad epiſcopum ſe conferant.

Seſſ. 23. de ref. c. 5.

Quoniam vero prima tonſura; ut catechiſmi etiam Romani literis traditur, ad ordines ſuſcipiendos, quædam præparatio iis eſt, qui Dei miniſterio dicandi ſunt; permultum propterea refert, omnem in illa conferenda, & ſuſcipienda, diligentiam ſtudioſe adhiberi. Quamobrem id quoque ab iis, qui in prima tonſura initiandi erunt, omnino ſervari, ac præſtari decernimus niſi aliquando epiſcopus aliud ob cauſam faciendum cenſuerit.

Præſtituto igitur tempore, omnium ac ſingulorum, tum prima tonſura, tum etiam qui majoribus ordinibus initiandi ad epiſcopum acceſſerint, nomen, cognomen, parentes, patria, eccleſia parochialis, intra cujus fines quiſque ortus, atque illa item, ubi proxime habitarit, recte notentur epiſcopi juſſu. Ac præterea beneficium eccleſiaſticum, penſiove, aut patrimonium, illiuſve generis cenſus, cujus nomine, titulove quis ſacros ordines ſuſcepturus eſt. Hæc vero ipſa, literis exarata a paro-

A cho, ab eove, cui epiſcopus id negotii dederit, publice de illis proponentur die feſto inter miſſarum ſolennia in eccleſia & cathedrali & propria parochiali & in illa quoque, in cujus finibus poſtremo domicilium habuerit, & ubi præterea epiſcopus cenſuerit. Ac quod ad cenſum attinet, in ea parochiali eccleſia, intra cujus limites major ejus cenſus, ſive eccleſiaſtici, ſive alterius generis pars poſita eſt, ut denuntiari queat, ſi quæ vel confictio ſufficientis cenſus, vel alia fraus ſubeſt, vel aliud, quamobrem illud beneficium aliumve cenſum non pacifice poſſideat, vel ſi quæ cenſus illius pars ære alieno, aliove modo obſtricta teneatur, unde is, deinde initiatus ſacris, non habeat ſaB tis unde vivat, cogaturque propterea turpiter victum quæritare. Hac adhibita ratione, inquirat diligenter is, cui id muneris epiſcopus dederit, de eorum, qui prima tonſura, vel ſacris majoribus ordinibus initiandi ſunt, natalibus, ætate, vita & moribus, ac ceteris, quæ oportet, a viris ſpectata probitate. Nec vero is teſtimonialibus ſolum, quæ eorumdem, qui ordinibus initiandi ſunt, nomine fient, vel afferentur, contentus omnino ſit; aliunde etiam pro officii ſui munere ea omnia de illis ſtudioſe indaget, ut ſibi hoc de genere toto veritas omni ratione conſtet.

ANNO CHRISTI 1576.

Quinimo, quod ad mores illorum inquirendos attinet, teſtificatio ab iis nulla conquiratur, C quos ſuæ vitæ teſtes ipſi attulerint, nominarintve, ſi id teſtimonii genus ab aliis, ſpectata integritate viris, recte haberi queat.

Alia præterea omnis diligens cautio ac ratio in hac ipſa eorum indagatione, cum teſtificatione ab eo, quem huic muneri epiſcopus conſtituerit, adhibeatur.

Literæ porro, quibus tota hæc inquiſitio, ac teſtificatio continetur, ad epiſcopum recte obſignatæ ab eo mittantur, cui id ille curæ mandaverit. At vero, ne propter ejuſmodi, aliamve diligentiam, quam pro ſui muneris officio epiſcopus in eorum, qui ordines ſuſcepturi ſunt, natalibus, ac moribus, ceteriſque id genus perquirendis adhibuerit, eorum quiſquam excuſeD tur, quo minus præſcriptas ſibi de ſe, ſuiſque conditionibus, qualitatibuſve teſtificationes infra conſtitutas afferat.

Quas teſtificationes afferendi id tempus illis præſtitutum ſit, quo examen ſubituri, ordinis ſuſcipiendi cauſa, ad epiſcopum convenient. Quod ſane tempus, epiſcopali etiam edicto, ſignificandum illis qui in urbe ſunt, feriam ſcilicet ſecundam hebdomadæ, ſtatam ſacræ ordinationis diem præcedentis, diœceſanis autem, aliiſve ante feriam quartam hebdomadæ, in quam ipſa ſacra ordinatio inciderit, conſtituimus: id vero, niſi vel pro diœceſis exiguæ aut amplioris ratione, vel pro numero eorum, de quorum agetur promoE tione, brevius aut longius conveniendi tempus edicto ſuo epiſcopus præſcribendum cenſuerit.

Omnis, quicumque vel primam tonſuram, vel ordines minores, majoreſve ſuſcepturus eſt, ea ſingula, quæ mox infra ordine ſtatuuntur, de ſe literis legitime teſtata ſuo epiſcopo faciat;

Primo ſe legitimo matrimonio natum eſſe; aut ob natalium impedimentum ſecum diſpenſatum eſſe.

Præterea ſe, vel origine, vel beneficio eccleſiaſtico, quod in diœceſi obtinet, vel decen-

nali

ANNO CHRISTI 1576.

nali domicilio, vel alia quavis legitima ratione diœceſanum eſſe.

Sess. 23. de ref. c. 5.

Tum a parocho, a ludique magiſtro, ut Tridentina ſynodus œcumenica jubet, aut ab eo, quem in quovis ſtudiorum genere audit, aut ſi in ſeminario adſcriptus eſt, ab illius rectore, aut ab aliis, quos epiſcopus maluerit, obſignatas literas afferat, quibus de vitæ ſuæ diſciplina, moribuſque teſtatum fiat.

Doctrinæ item Chriſtianæ ſcholas ſe frequentaſſe, id teſtimonii afferat, vel a præfecto illatum, in parochiali vicinia ſua conſtituto, vel ab eo, qui omnium id generis ſcholarum curæ præeſt.

Hæc præterea teſtimonia afferet, qui ſe prima tonſura initiari vult;

Sacro chriſmate confirmatum eſſe,

In eccleſia frequentius, religioſiuſque verſatum eſſe.

In ſpe eſſe, ſe in clericali diſciplina permanſurum; hoc vero teſtimonium a parocho, aut ab eo ſacerdote habeat, cui ab epiſcopo in diſciplinam traditus eſt, poſtquam clericalis ordinis ſuſcipiendi animum voluntatemque ei patefecit.

Sacram item communionem crebro per annum ſumpſiſſe.

Licebit tamen epiſcopo etiam ſine teſtimonio, tum ſumptæ communionis, tum frequentatæ ſcholæ doctrinæ Chriſtianæ ob cauſam admittere.

Qui vero aliquo minori, majorivé ordine initiandus eſt, teſtimonium, præterea quæ mox ſupra præſcripta ſunt, afferat etiam de his quæ ſequuntur,

De prima tonſura, aut de ordine, quem proxime ſuſcepit.

De illius ordinis functionibus a ſe præſtitis; idque teſtificationis habeat a præfecto eccleſiæ, cui adſcriptus eſt. Nec vero etiam regularis, cujuſcumque ordinis ſit, admittatur, qui teſtimonium non attulerit a ſuo ſuperiore.

De habitu clericali, ad provincialium, diœceſanorumque conciliorum præſcriptum, poſt ordinem proxime ſuſceptum, a ſe aſſidue geſtato.

Quam teſtificationem a parocho afferat.

De confeſſione frequentiori, ex decretorum provincialium præſcripto, cujus rei teſtimonium obſignatum ab aliquo confeſſario ſacerdote, probato ad audiendas confeſſiones clericorum, afferat.

De ſacra communione, ut decretis provincialibus juſſum eſt, crebrius ſumpta. Hoc autem teſtatum afferat, vel a parocho, vel a præfecto eccleſiæ, in qua adſcriptus eſt, vel ab alio ſacerdote, qui epiſcopi juſſu miniſtrarit.

Qui ſubdiaconatum, aliumve ſacrum ordinem ſuſcepturus eſt, ſcripta præterea afferat, quibus præter cetera teſtetur, de ſe ex præſcripta formula denuntiationes in eccleſia cathedrali & in aliis locis, per epiſcopum conſtitutis, publice die feſto inter miſſarum ſolennia factas eſſe.

Ejuſdem ſeſſionis, 23. c. 12. de ref.

Ætatem item, ſanctione Tridentina præſcriptam, annos ſcilicet vigintiduos, ſi ſubdiaconatum; vigintitres, ſi diaconatum; vigintiquinque attigiſſe, ſi ſacerdotium ſuſcepturus eſt.

Cenſum item vel eccleſiaſticum, vel laicalem, quem ſe pacifice poſſidere, & tantum eſſe conſtet, quantum ad vitæ ejus ſuſtentandæ uſum ſatis eſſe epiſcopus cenſuerit, ſecundum provinciæ, vel loci qualitatem.

De cenſu præterea denuntiationes præfinitis ſupra locis factas eſſe, atque ad hujus concilii præſcriptum.

Quicumque vero ſubdiaconus, aut ſacerdos creandus eſt, id præter alias teſtificationes afferat, ſe ſpirituales exercitationes ad decreti, in hoc provinciali concilio editi, præſcriptum præſtitiſſe.

Ut & epiſcopo ſacram ordinationem habituro, & iis qui ordinis ſacramento initiandi ſunt, ſatis temporis detur, quo præſtare poſſint quæcumque vel ſacri Tridentini concilii decretis, vel noſtris etiam provincialibus conſtitutionibus, ante ſtata illius ſacræ ordinationis tempora, in iis præſertim, qui majores ordines ſuſcepturi ſunt, præſtari juſſum eſt: primo epiſcopus ſtatis illis temporibus eam de more ſolenniter celebraturus, duobus ante menſibus, aut amplius minuſve, pro diœceſis amplitudine illius habendæ diem literis indicat: tum edictum, certa verborum formula conſcriptum, publice proponi, eccleſiæque cathedralis valvis, aliiſque ut conſuetudinis eſt, locis affigi, idemque præterea a ſingulis parochis promulgari jubeat. Quo edicto omnes quicumque vel primam tonſuram, vel ordines minores majoreſve ſuſcepturi ſunt, ad ſacram ordinationem evocet. Certum præterea, vel menſtruum ſcilicet, vel, quod ad diœceſanos attinet, longius etiam pro diœceſis amplitudine, ſpatium præſtituat, quoad ſe omnino illi ſinguli, qui prima tonſura, aut aliquo ſacro ordine initiandi ſunt, ante ſtata ordinationis tempora conveniant.

Certam item diem, ſacræ ordinationi proximam, edicat, qua primo qui in urbe ſunt, tum rurſus alteram, qua diœceſani, qui prima tonſura, aut aliquo ordine initiandi ſunt, cum præſcripta teſtimonia afferant, tum ſtata examina ſubituri præſto ſint. Reliqua præterea omnia & ſingula edicat & commoneat, quæ vel a clericis qui initiandi ſunt, vel a parochis ſacræ ordinationis cauſa præſtari debent.

Proximo autem poſt illam edicti promulgationem die dominico, parochi, qui in urbe ſunt, tum vero diœceſani, ubi primum literas indictionis diei ſacræ ordinationis celebrandæ acceperint, dominico die proxime ſequenti, in ſua quique eccleſia illas publice proponant atque affigant una cum edicto de ſacra ordinatione, & epiſcopi etiam literis paſtoralibus, ex præſcripta formula per nos edenda, aut alia ratione, argumentove, cum re, quæ ſancte agenda eſt, conſentaneo, prout epiſcopus aliquando expedire cenſuerit.

Quo dominico promulgationis die, ob ſacram ordinationem proxime futuram, in ſingulis eccleſiis parochialibus, ut alias decretum eſt, proceſſio de more agatur, litaniis, ſupplicationibus publicis, quibus unuſquiſque ſecum mente reputans, quam *pauci operarii in meſſe multa ſint*, hoc Deum toto corde exoret, ut *qui dominus eſt meſſis, ipſe mittat operarios in meſſem ſuam*, ac lumen epiſcopo præbeat, ut in iis deligendis, quos ordinibus adſcribat; quos vero epiſcopus delegerit, ope divina illa adjuti, *in ſanctitate, & juſtitia illi ſerviant*, ejuſdem gloriam omnibus in rebus ſibi proponentes. Quod, ut eo nomine Deum populus ſupplex ſæpius oret, id illum ſingulis diebus dominicis per men-



ANNO CHRISTI 1576.

menſem ante ſacræ ordinationis tempus crebra cohortatione parochi intra miſſarum ſolennia præmoneant; at dominico die, illam proxime præcedente, paſtorales etiam illas epiſcopi literas de ſcripto accurate iterum recitent: tum præterea admonitione populum ad illud excitent, ut non modo ſupplicationes ob eam cauſam, altero concilio provinciali decretas, pie, religioſeque tunc obeat: ſed illis ipſis ſtatis, qui ſequuntur, ſacræ ordinationis diebus, frequens in oratione pure, ſancteque verſetur; ut Dei ſanctorumque ope, piis fidelium precationibus impetrata, & epiſcopus ordines iis conferat, quos utiles operarios eccleſia Dei poſtulat: & qui ordines ſuſcipient, in dies progreſſus majores habeant, in vitæ morumque ſanctitate, religione, doctrina, ac prudentia.

Epiſcopus, quantum ſibi per occupationes epiſcopales licet, maxime curet, cum experimentum examenve de iis inſtituitur, qui ordinibus, præſertim majoribus initiandi, quique eccleſiis parochialibus præficiendi ſunt, ipſe præſens in eo examine adſit.

Quicumque eccleſiaſticum aliquem ordinem ſuſcepturus eſt, de eo periculum, experimentumve fiat, non ſolum in literarum ſcientia, verum etiam in cantus peritia, ad ordinis quem tunc ſuſcipiet functiones rite recteque obeundas neceſſaria: tum præterea, ſi ſacro ordini adſcribendus eſt, in uſu, ac notitia, quam in recitandis divini officii horariis laudibus precibuſque habeat.

Seſſ. 23. c. 6. de ref.

In teſtimonialibus ordinis, ab unoquoque ſuſcepti, literis, fiat teſtificatio etiam eccleſiæ, locive pii, cui is tum adſcriptus eſt, ex Tridentino decreto. Nec vero propterea, quo minus alii vel eccleſiæ, vel loco pio, eumdem etiam poſtea ab epiſcopo adſcribi liceat, vetitum eſt.

Ejuſdem ſeſſ. 23. de ref. c. 11.

Stata illa temporum intervalla, ordinibus tum minoribus, tum majoribus ſuſcipiendis concilii Tridentini decreto præſcripta, ne facile ac paſſim ſine ullo delectu prætermittantur, omittanturve. Quod ſi de iis aliquid ab epiſcopo remitti, diſpenſarive contigerit, id in literis dimiſſoriis, teſtimonialibuſve ordinum, adſcripta etiam diſpenſationis cauſa, teſtatum plane fiat.

Clericus, qui ab ſuo epiſcopo literis teſtimonialibus, dimiſſoriiſve impetratis, ordinem ab alio epiſcopo ſuſceperit; menſe poſt illum ſuſceptum, aut longiori pro loci diſtantia temporis ſpatio, in eiſdem literis præſcripto, teſtificationem ordinis, quem ſuſceperit, ſcriptam ſuo epiſcopo afferat: ſi vero legitima cauſa impeditus eſt, id per alium præſtet.

At ubi primum poterit, ipſe quoque epiſcopum conveniat, ut & in eorum, qui ordinibus adſcripti ſunt, librum referatur: & certæ eccleſiæ, ſi nondum adſcriptus eſt, ex Tridentino decreto adſcribatur.

Ut & minorum ordinum functiones ad uſum revocentur & per eos tantum præſtentur, exerceanturve, qui in illis conſtituti, adſcriptive ſunt, ad Tridentinæ conſtitutionis præſcriptum hæc decernimus;

Ubi fabricæ eccleſiæ, capitula, monaſteria, univerſitates, confratriæ, collegiave item cujuſvis generis, ac alii præterea quivis homines, laicum cuſtodis; aut monachi, vel alio nomine, certis etiam olim huic muneri attributis, bonis, fructibus, reditibus, aut alio quovis modo, nomineve, etiam pro libito ſuo, conſtituta mercede habere, adhibereve ſolent, qui eccleſiam cuſtodiat, aperiat, claudatve, campanas pulſet, aliaſve hujuſmodi eccleſiaſticas functiones obeat: aut alius cenſus eſt, quavis ratione huic ſuſtentationi attributus; ejus laici hominis loco clericus deligatur, qui pro ratione ordinum minorum quos ſuſceperit, earum functionum munus præſtet; atque is conſtitutam illi mercedem, aut attributos fructus, reditusve capiat; qui ſi ſatis non ſint, illa vel capitula, vel monaſteria, vel collegia, vel alii, ut ſupra, ad quos ullo modo pertinet, quod deeſt ſuppleant.

In omni vero parochiali eccleſia clericum talem parochus habeat, ut eſt canonum jure & provincialibus noſtris conciliis præſcriptum: ſin autem parochus, præ parochialis eccleſiæ tenui reditu, clericum ſibi in altari miniſtrantem ſuſtentare non poteſt; neque alii ſunt qui ſuſtentent, populi ſit totam ſuſtentationem, aut partem quæ deeſt, ſubminiſtrare.

Quibus etiam in capellis, altaribuſve quocumque vel tituli, vel devotionis & legati nomine miſſæ ſacrificium fit, in iis item ſingulis certum aliquem clericum, qui ſacerdoti miſſam celebranti inſerviat, ſuſtentari jubemus. Quamobrem ubi non confratriæ, ſcholæve, non monaſteria, eccleſiaſticæve fabricæ, aut locorum piorum curatores, neque alii ſunt, qui hoc clericalis ſuſtentationis munus ibi præſtare ultro velint, aut qui jure debeant: pro earumdem capellarum, altariumve ratione præſtetur, ſi ex tituli nomine in iis miſſa celebratur, eorum ſumptibus, qui titulum gerunt; ſi ex legato, cujus certa ſumma ſit, mercede ex eo detracta: ſi ex devotione, aliove nomine, illorum impenſis id præſtetur, quorum nomine illud miſſæ ſacrificium fit, ſive locorum piorum homines illi ſint, ſive ſodalitates, ſive univerſitates, ſive privatus aliquis.

Si vero capellæ, altaris, aut legati, cenſus uſque adeo exiguus ac tenuis eſt, quo clerici ſuſtentandi onus ſuſtineri non poſſit, ea ratio ab epiſcopo ineatur, ut contributione undique ex iis capellis, altaribuſve, quæ in eadem eccleſia, vel ſi ita neceſſe ſit, etiam quæ in parochiæ finibus ſunt, pro ratione redituum, vel muneris facta, huic clerico ſuſtentationi ſatisfiat. Qui clericus omnibus illarum capellarum & altarium ſacerdotibus in miſſæ ſacrificio miniſtret.

Quibus autem clericis ita ut ſupra proviſum erit, pro ratione minorum ordinum, quos ſuſceperint, eccleſiaſticas functiones iis in eccleſiis, ubi ſuſtentationem capiunt, ipſi præſtent. Quibus vero in eccleſiis, tempore ab epiſcopo præſtituendo non erit conſtitutus clericus clericali habitu indutus, qui ſacerdoti miſſam celebranti miniſtret, quique eccleſiaſticas minorum ordinum functiones, illarum eccleſiarum uſui & cultui neceſſarias, pro ratione ordinis a ſe ſuſcepti, obeat; in iis a nullo ſacerdote celebretur, niſi rei facultatem ex urgenti cauſa concedendam epiſcopus judicarit.

Ne vero laici neve diſciplinatorum confratres, alteriuſve cujuſvis confratriæ homines, ne moniales item, ut canone vetitum eſt, benedictionem, thurificationemve, ſibi mutuo, neque vero aliis, impartiantur.

Clericus ne ſacerdoti in altari ante miniſtret, quam in illius miniſterii functione rite in-

inſtructus ſit & ab eo probatus, qui in urbe, aut etiam in ſingulis urbis regionibus & in unaquaque plebe ceremoniarum muneri, ex ſecundi provincialis decreto, præfectus eſt.

Nec vero etiam eccleſiaſticus homo, cantoris, ſacriſtæ, cuſtodis, clerici in miſſæ ſacrificio miniſtrantis, munus, aliamve eccleſiaſticam functionem, in quavis eccleſia ſuſcipiat, niſi illius uniuſcujuſque muneris in ea eccleſia gerendi ab epiſcopo facultatem ſcriptam, quotannis renovandam, vita etiam, ac moribus ab eodem probatus, impetrarit. Qui aliter ſuſceperit, obieritve, qui item aliter, quam præſcriptum eſt, conduxerit, aut receperit; pro modo culpæ arbitratu epiſcopi puniatur. De organiſta item, vel laico, vel eccleſiaſtico homine idem conſtitutum ſancitumve ſit.

Minorum ordinum functiones ac munera a ſingulis clericis, pro eorum, quibus initiati ſunt, ordinum ratione præſtentur, quæ non ſolum concilio noſtro provinciali primo præſcripta ſunt, verum etiam cetera, quæcumque ex ſacrorum canonum legibus & comprobatis eccleſiaſticæ diſciplinæ monimentis, & eccleſiarum hujus provinciæ rationibus, uberius & copioſius expreſſa, ordineque tradita, ad totius provinciæ uſum a nobis edentur.

Idque præter functiones, quas epiſcopus ad ea quavis ratione pertinere decreverit, vel ad cujuſque eccleſiæ dignitatem, utilitatemve illis imponendas, tribuendaſve cenſuerit, ut eſt eodem primo concilio decretum.

Tabella vero ex earum omnium functionum præſcriptarum ratione, in omni eccleſia cathedrali, collegiata & parochiali ſit: quæ in ſacriſtiæ loco certo perſpicuoque proponatur, ut clerici adſcripti ſuas quique functiones noſſe atque exequi rite poſſint.

Clericos quoſcumque, certæ eccleſiæ, pio ve loco adſcriptos, ſi ab eccleſiæ, cui adſcripti ſunt, clericali ſtatione, ſine epiſcopi facultate, eaque literis exarata, diſceſſerint, ordinum ſuorum munere, ex ejuſdem concilii Tridentini ſanctione, epiſcopus interdicat. Nec vero propterea quidquam derogatum aliis decretis pœniſve ſit, quæ de parochorum, aliorumve curam animarum gerentium, ceterorumque reſidentia præſtanda, vel abſentia cavenda, puniendave, Tridentinis decretis, ac noſtris provincialibus conſtitutionibus, & edictis præterea epiſcopalibus conſtitutæ ſunt; quin imo illis etiam pœnis, mulctiſve contra eos agat epiſcopus omni juris ratione.

(Seſſ. 23. c. 6. de ref.)

Epiſcopus, cum clerum, ut in concilio provinciali tertio juſſum eſt, recognoſcet, hoc præter cetera videat, an in alicujus clerici titulo, cenſuve eccleſiaſtico, vel etiam laicali, cujus nomine iis ordinibus adſcriptus eſt, quidquam innovatum ſit. Sique vel beneficii eccleſiaſtici ceſſionem, vel patrimonii alienationem, vel penſionis extinctionem, aut remiſſionem factam eſſe compererit, canonum jure, ſanctioneque Tridentina agat, ut juridice recuperetur, reſtituaturve quod vel ceſſum, vel alienatum, vel remiſſum, extinctumve, ipſi clerico præjudicium affert ad vitæ ſuſtentationem: aut ſi quid alia ratione pactove commiſſum actumve eſt, quod vel decreto Tridentino, ea de re edito, ſacriſve canonibus, repugnat, vel fraudem facit: contra quoſcumque vero, qui tale quidpiam admiſerint, iidem pœnis agat jure canonico conſtitutis, iiſdemque ab ſynodo etiam Tridentina renovatis.

(Seſſ. 21. c. 2. de ref.)

## IX.

*De beneficiorum collatione ac proviſione.*

Quæcumque & examinis, & approbationis, & collationis, proviſioniſve ratio, omniſque alia diligens cautio, in eccleſiis parochialibus cuiquam ex decreto Tridentino ſancito, adhiberi debet; illa ipſa omnis in capellaniis, ceteriſque beneficiis eccleſiaſticis, quocumque nomine nuncupatis, imo vero in ipſis etiam eccleſiæ, vel cathedralis, vel collegiatæ portionibus, quibus ab inſtitutione, vel conſuetudine, aliove quovis jure, & nomine, onus, munuſve, animarum curæ, vel exercendæ, vel coadjuvandæ incumbit, aut conjunctum eſt conferendis, in aliove proviſionis eorum modo, teneatur ac ſervetur omnino.

(Seſſ. 24. c. 18. de ref.)

Quod Tridentinis decretis de eo, qui præſentatus eſt, per epiſcopum comprobando, etiamſi ad inferiores inſtitutio pertineat, conſtitutum eſt; id in beneficiis item, vel ſimplicibus, vel curatis, vel aliis cujuſcumque generis, in quibus etiam electionis, præſentationis, inſtitutioniſve jus monachis, aliiſve cujuſcumque ordinis regularibus, ceteriſve competit, locum habere epiſcopus meminerit. Quare ſi quæ hactenus inſtitutio ſine epiſcopali comprobatione facta comperitur, eam irritam, inanem, ac plane nullam declaret, ac ne in poſterum ita fiat, caveat quam diligentiſſime.

(Seſſ. 14. c. 13. de ref.)

(Ibidem.)

Pro auctoritate, canonum jure, & a concilio Tridentino ſibi tradita, epiſcopus, ſi idoneos non compererit, a patronis etiam quibuſcumque præſentatos ne probet, admittatve, neve inſtituat, nec vero eis ullo quovis nomine provideat; ſed plane illos repellat. Idoneos porro ne cenſeat, quos experimento examinis interrogationibus diligenter facto, & doctrina, & cantus peritia, & aliis qualitatibus, ad recte riteque obeunda munera, eo beneficio, ad quod præſentatur, incumbentia, conjunctave neceſſariis, præditos eſſe non viderit.

Neque illos item, quos pro illius beneficii ratione, legitima ætate, ſacrorum canonum jure, concilioque Tridentino præſcripta eſſe, ex legitimo documento, teſtificationeve non cognoverit.

Fraudes ſæpe per eos committi animadverſum eſt, qui mandati literas apoſtolicas, quas vocant de providendo in forma dignum, impetrarint, ad duos, qui illas deinceps exequantur, ſcriptas, ita ut ſi unus præſtituto tempore non exequatur, exequi debeat.

Ii enim ab uno, quoniam idonei non ſint, rejecti, ad alium tacita, quam tulerunt, repulſa, confugientes, beneficii, quod ſibi conferri volunt, collationem non idonei aliquando ſurripiunt. Quamobrem omnibus ſinguliſque notariis, cancellario, actuariiſque prohibitum deinceps ſit, ne ſi ejuſmodi delegatæ executionis acta confecerint, eorum partem, niſi de prioris judicis exequentis conſenſu, conceſſuve, ad canonum præſcriptum edant: ſed temporis, in mandati literis præfiniti, ſpatio confecto, acta omnia & ſingula ab ſe ob eam cauſam conſcripta, illis ipſis ad alterum iſtiuſmodi executionis judicem dent, pœnis propoſitis, arbitratu epiſcopi irrogandis: ut hic quid a priore judice actum decretumve ſit, ſcire poſſit, ne in beneficio conferendo ſurreptio, obreptiove indebite inſit, indeque propterea lites exiſtant.





(Ibidem.)

Eccleſia parochialis, ne deinceps cuipiam per ſex menſes commendetur, ſed vel titulo conferatur, vel ſi juris patronatus eſt, præſentatus, electuſve, qui ad illius curam gerendam idoneus, diſquiſitione de more facta, repertus eſt, ad concilii Tridentini præſcriptum inſtituatur.

Interea vero dum vacat, ex ejuſdem concilii decreto, vicarius conſtituatur, qui illam regat.

Liber conficiatur, iſque in omni epiſcopali archivo aſſervetur; in quo libro diœceſanorum beneficiorum cujuſvis generis, cum vacationis certa dies, ratio, moduſque deſcribatur; tum collationes, ac proviſiones, ut vocant, quæcumque ſint, vel a ſummo pontifice, vel ab epiſcopo, vel ab ullo quovis alio factæ, literarum, diplomatumve exempla, vel ſententiæ ſummatim explicatæ, prout potius eſſe epiſcopus cenſuerit, in eumdem referantur. Itidem ſervetur de literis ordinum, quibus ſinguli ejuſdem diœceſis clerici initiantur.

Capitula vero, & quicumque ſint, qui cujuſvis generis dignitates, canonicatus, aut alia quæcumque beneficia obtinent, literas, diplomata, tabulaſve ipſas beneficiorum, quæ quovis etiam unionis jure poſſident, epiſcopo, etiam privatim poſtulanti, ſine mora exhibeant. Ex quibus tabulis tum ſi quid oneris obligationiſve illis ineſſe apparuerit, tum quidquid aliud expedire idem epiſcopus cenſuerit, id diſtincte explicateque exſcribi jubeat.

Hocque omne ut ab iis, ad quos ſpectat, plane præſtetur, idem omni ratione efficiat.

Nemo, qui beneficium parochiale, alteriuſve cujuſcumque generis confertur, approbationis de ſe, etiam inſtitutis examinis interrogationibus factæ, literas teſtimoniumve ſcriptum exhibere, ab ordinario cancellariove cogatur, cum qui beneficium collaturus, aut cujuſvis proviſionis nomine daturus eſt, ille ipſe ordinarius eſt, qui eum approbavit.

Ut avaritiæ omnis non modo labes, ſed ſuſpicio vel minima ab epiſcopi domo, atque ab omni etiam eccleſiaſtico foro tollatur, ne deinceps in beneficiis conferendis, aut quavis proviſione danda quidquam ab illo cujuſvis generis, ne ſigilli quidem nomine accipi exigive ab ullo liceat, omni prorſus, ſi quæ huic decreto repugnet, conſuetudine & ſuperiorum conciliorum decreto antiquato, abrogato. Notario tamen, cui pro muneris laboribus certa merces nulla conſtituta eſt, aliquid pro opera, quam in literarum ſcriptione ponit, accipere liceat, ad taxæ ab epiſcopo præfigendæ præſcriptum: ita tamen ut pro omni uniuſcujuſque beneficii collati, vel proviſionis nomine dati ſcriptura a ſe confecta, aliove quovis nomine vel prætextu, plus aureo nummo ad ſummum ne capiat.

Ne pro beneficii eccleſiaſtici poſſeſſione adipiſcenda, plus quam par eſt, impenſæ quis in compluribus inſtrumentis eo nomine conficiendis vel exſcribendis faciat, cum ejus bona variis locis ſita ſunt; id propterea decernimus & declaramus liberum eſſe unicuique, cui beneficium aliquod collatum, aut quovis proviſionis nomine datum eſt, & illius ſolum eccleſiæ, altariſve, in quo beneficii titulus eſt, & illorum tantum ejuſdem beneficii prædiorum bonorumve, quæ ipſe maluerit, poſſeſſionem capere: modo eam capiat, tabulis publice a notario confectis.

Beneficium etiam ſimplex obtinenti, quod ad vitæ ſuſtentationem ſatis eſt, ſi alterum ſimplex, aut eccleſia etiam parochialis, aliudve beneficium cujuſvis generis conferatur, ubi is alterius beneficii cujuſcumque generis illud ſit, poſſeſſionem pacificam adeptus eſt, aut ſi per eum ſteterit, quo minus duobus menſibus, quos a die, quo alterum collatum eſt, præſtituimus, illam adipiſcatur, primum ipſo jure vacare cenſeatur. Cui vacanti provideatur, cum ex Tridentini concilii ſententia unum & alterum item ab illo ſimul retinere nullo modo liceat.

(Seſſ. 24. c. 17. de ref.)

Beneficii quacumque auctoritate deinceps collati, unde ſatis ad victum ſumitur, poſſeſſionem pacificam quis adeptus, ſi nulla ſibi facultate, diſpenſationeve legitima conceſſa, beneficii prioris quod obtinebat, cenſum exegerit, ea pœna illi ſit, ut quod exegerit illius duplum ad eccleſiæ uſum reſtituat, tum alia ratione etiam mulctetur plectaturve epiſcopi arbitratu.

Ut prædiorum eccleſiaſticorum conſervationi conſulatur, ac ſimul occupationibus, uſurpationibus, aliiſque fraudibus occurratur, ne clericus quiſpiam minori ætate, beneficium eccleſiaſticum obtinens, cuiquam, etiam quocumque ſanguinis cognationiſve vinculo vel arctiſſimo ſibi conjuncto, illius beneficii bonorum adminiſtrationem, procurationemve, niſi epiſcopi conceſſu, literis exarato, committat.

Idem præterea clericus, minor natu, beneficii quod obtinuerit, prædiorum bonorumve omnium inventarium ex formula in concilio provinciali primo præſcripta, aliquo viro adhibito, conficiat, quem epiſcopus ei conſtituerit. Alioquin pœnam luat, ejuſdem epiſcopi arbitratu irrogandam.

## X.

*Quæ pertinent ad ſanctiſſimum miſſæ ſacrificium, & divina officia.*

Dum in eccleſia miſſæ ſacrificium ſive cantu, ſive abſque cantu epiſcopus facit, ne interea ab alio ſacerdote in ea fiat, quoad illo ſacro peracto, de more benedixerit, niſi aliquando ſecus ob urgentem cauſam permittendum duxerit. Quod inſtitutum, cum miſſæ conventuales ab aliis celebrantur, præſertim feſtis ſolennibuſque eccleſiarum diebus, ubique, tum maxime in opidis pagiſve in uſum introduci idem epiſcopus curabit.

Epiſcopus omnibus miſſam in oratorio privato celebrandi facultatibus hactenus conceſſis certos limites modumque præfiniat; ita ut præter cauſas, quas magnas & urgentes is judicaverit, in ipſis privatis oratoriis miſſam celebrari ex facultatibus illis deinceps non liceat, niſi hoc fuerit a ſede apoſtolica indultum. Quam moderationem diligenter adhibeat, ſi quando in poſterum ejuſmodi facultatem concedendam cenſuerit.

Ne in oratorio, eccleſiave, quæ vel nuper extructa eſt, vel in poſterum extruetur, miſſæ celebrandæ facultas detur, permittaturve, niſi

niſi ſalvo jure, ac plane ſine præjudicio eccleſiæ parochialis, niſi ob cauſam epiſcopo quandoque aliter videatur.

Curandum eſt omni diligentia, ut ſalutarem fructum capiat fidelis populus ex laboribus & officiis, quæ a parocho diebus dominicis & feſtis inter miſſarum ſolennia, aut divina officia, vel alia quacumque occaſione præſtari, etiam ex Tridentino concilio debent. Quamobrem concilii etiam Tridentini auctoritate, ut in eccleſiam parochialem frequenter, ſaltem dominicis & majoribus feſtis diebus, fideles conveniant, epiſcopus eos, quorum paſtoralem curam gerit, diligenter ſæpius moneat. Literas præterea, eo de genere ab eodem epiſcopo edendas, ac etiam inſtructiones noſtra cura ad communem provinciæ uſum conficiendas, ſæpe populo, prout uſuvenerit, parochus de ſcripto recitabit.

Seſſ. 14. c. 4. de ref.

Epiſcopus in facultate quavis miſſarum celebrandarum concedenda prorogandave, videat ne ab ullo ſacerdote plus muneris, quam ab eo præſtari poſſit ſuſcipi concedat aut permittat; tum maxime perpendat, ſi parochus eſt, qui ſibi eam facultatem dari petit, an per hebdomadam poſſit, & ſuſcipiendo novo celebrandarum miſſarum muneri, & ei, quod in eccleſia parochiali, ex Tridentini, aut primi noſtri provincialis concilii præſcripto, aliave quacumque obligationis cauſa jam debet, ſatisfacere, & alia præterea officia obire, quibus diebus aut ad feſtorum celebritatem, aut ad funus, exequiaſve vocatum eo illum convenire, miſſaſque celebrare contigerit. Quod ſi per ipſum hæc omnia ſingulaque præſtari non poſſe viderit, ne poteſtatem ei faciat novi muneris eo nomine ſuſcipiendi, niſi ob inopiam in eccleſia parochiali, diebus ferialibus, rarius aliquanto parochialis muneris nomine, quam concilio provinciali primo juſſum eſt, ideoque in alia, vel in eadem eccleſia parochiali, alio nomine per hebdomadam, iis ipſis, ſcilicet ferialibus diebus, celebrandi facultatem permitti neceſſarium epiſcopus duxerit: cujus religioſæ conſcientiæ id permittimus.

Seſſ. 23. c. 14. de ref.

In literis conceſſæ prorogatæve facultatis ſuſcipiendi vel retinendi muneris miſſam ſingulis vel certis ſtatiſve diebus, aut ex certa obligatione celebrandi, exprimantur & altaris, capellæve & eccleſiæ, ubi illud ſitum eſt, nomen, & locus, & eleemoſynæ emolumentum, quod inde capitur; ſtati item dies, & numerus miſſarum, quas ibi celebrare ſtatis illis diebus debitis ex onere a teſtatoribus, aliiſve, aut ab epiſcopo impoſito pro facultate, quam is a jure communi, vel Tridentino concilio habet. Tum etiam exponatur, ſi quo alio præterea nomine ipſe aſtrictus ſit, miſſam alio loco celebrandi; idque etiam a parochialis curæ munere, legati, alteriuſve obligationis cauſa; qua in eccleſia item & altari, quibus item certis vel ſtatis diebus illud præſtare debeat, & quantum inde emolumenti, eleemoſynæve conſequatur. Tum poſtremo certum ei facultati conceſſæ vel prorogatæ tempus præfiniatur. Nec vero in illo celebrationis munere ei perſeverare liceat, expleto temporis ſpatio, epiſcopi literis præſcripto, niſi facultas iterum confirmata, renovataque ſit, aut prorogata ad aliud certum tempus, literis item, & ad præſcriptum etiam ſuperiorum conciliorum noſtrorum provincialium.

Quilibet ſacerdos, quod ſuſcepit, muneri miſſæ ſacrificii faciendi, ſatisfaciat omnino.

Nec vero cuiquam, qui quotidiano eo munere aſtrictus quovis modo eſt, ne ſemel quidem in hebdomada, ut alibi miſſam celebret, id prætermittere ullo prætextu liceat, niſi aliquando ejus, cui curæ epiſcopus id dederit, aut, ſi nemini dederit, rectoris, præfective eccleſiæ conſenſu ſacerdotem alium ante in locum ſuum ſubſtituerit, qui id præſtet, quod in ea eccleſia ipſe debet.

Sin autem certis hebdomadæ diebus, ſacerdotes complures in eadem eccleſia ob aliquam cujuſvis generis cauſam rationemve, miſſæ ſacrificium facere debent; id ut ſtatis certiſque iis ipſis diebus illi omnino præſtent, curet plane rector eccleſiæ, aut, ſi præſertim eccleſia collegiata, vel alia frequens eſt, alius, quem ei epiſcopus præfecerit.

Quod ſi alii item ſacerdotes ſunt, qui in illa eccleſia, incertis tamen diebus, munus impoſitum habent miſſæ celebrandæ: tunc idem rector, præfectuſve, capellanis ſacerdotibus vocatis, reque cum eis tractata, certos unicuique dies præſcribat, quibus in ea eccleſia miſſam celebret: ut ſingulis, ſi fieri poteſt, hebdomadæ diebus miſſarum celebrationes recte atque ordine diſtributæ peragantur.

Qui capellas obtinent, ipſi per ſe, non aliieorum nomine, miſſæ ſacrificium, divinaque officia, quæ illarum rectores præſtare debent, in illis celebrent: ſi modo vel aliud eccleſiaſticum beneficium, quod reſidentiæ perſonale munus requirat, non habeant: eoque impediti, debita eis capellis officia gerere nonqueant: vel earumdem inſtitutione, dotationeve, aut legato, aut donatione, aut facultate ab epiſcopo impetrata, in illis obeundis capellani officiis aliena opera, miniſteriove uti poſſint, vel alia quavis ratione, cauſave impediti ſint.

Singula vero, ob quæ capellanus aliquis ſe a debito capellani officii munere immunem putet, aſſeratve, quo minus per ſe ipſum præſtet, ab epiſcopo cognoſcantur, ac probentur item.

Quicumque ſacerdos in altari certo miſſam celebrare debet, ſi in alio celebrarit: ne, quod debet, præſtitiſſe cenſeatur, niſi epiſcopi, alteriuſve, cui ille id curæ commiſerit, juſſu, conceſſu, permiſſuve aliquando fecerit.

Si eodem tempore, & in eadem eccleſia miſſæ plures aliquando etiam pro mortuis celebrandæ ſunt, in altaribus ita inter ſe disjunctis celebrentur, ut ſacerdos alter ab altero non perturbetur, neque ſi fieri poteſt audiatur: ſin autem hac de cauſa tempus non patietur eo die miſſas omnes, quæ debent, celebrari, in alium potius diem aliquæ differantur, ut huic decreto pareatur, quod ad religioſum cultum illius ſanctiſſimi ſacrificii ſpectat.

Miſſæ parochialis ſacrificium die feſto, circiter duabus poſt ſolis ortum horis, aliis etiam diebus ea hora, quæ populo univerſo, pro loci ratione, epiſcopi, judicio magis accommodata erit, in omni eccleſia parochiali celebretur, datis ſemper ante ſtatis campanæ ſignis, iiſque horæ dimidiæ intervallo diſtinctis, ut in tempore populus convenire poſſit.

Si præter parochum alius etiam ſacerdos eſt, qui in ea eccleſia miſſæ ſacrificium facere debet; id omni die in aurora celebret, ut qui iter facere,





cere, vel aliud quidquam, ruri præſertim, agere neceſſe habent, intereſſe poſſint, neque propterea omittant.

Si vero plures ſunt ſacerdotes, qui ibi, aut in ejuſdem parochiæ finibus miſſam celebrent, tunc, ut decretum eſt provinciali primo concilio, unam in aurora, reliquas deinceps debito intervallo diſtributas, poſtremam vero, quo tardius poteſt, prout populo commodius erit, celebrent ad præſcriptum tabellæ a rectore parochialis eccleſiæ, vel ab alio conficiendæ, cui epiſcopus id munus dederit; niſi dies feſtus ſit, quo excepta illa prima, quæ in aurora celebratur, nullam omnino celebrent ante peractum miſſæ parochialis ſacrificium, etiam in eccleſiis, capellis, oratoriiſve ſæcularibus, etiam ſcholaſticorum & confratriarum, etiam laicalium, intra fines uniuſcujuſque parochiæ conſtitutis, niſi parochus ob cauſam certa præſcripta hora ante facere conceſſerit.

Quod ſi die feſto etiam per illud miſſæ ſacrificium, quod in aurora fit, populus a parochiali miſſa avocetur; tunc epiſcopus illud, etiam feſto die, poſt miſſam parochialem fieri celebrarive jubeat.

Epiſcopi vero facultas & judicium ſit, id omne quod ad miſſæ celebrandæ horam ſpectat, pro temporum, locorum, cauſarumque ratione aliter ſtatuere, permittere, ac jubere. Proinde tabella, in qua certa omnis illa celebrationum diſtributio, dies ſcilicet, hora & altare, tum ſacerdos, qui celebrare debet, apte deſcripta appareat, in ſacriſtia loco conſpicuo propoſita atque affixa ſit.

Quo citius atque exploratius epiſcopus ſciat, eorum, qui ſacri faciendi cauſa aliquid pie, vel legarunt, vel dederunt, voluntati per illos, quorum intereſt, vere ſatisfactum eſſe; ac rurſus ſi quid ea in re neglectum, aut omiſſum, prætermiſſumve eſt, id opportune ut fiat, proſpicere cavereque poſſit: hæc decernimus, atque ſtatuimus.

In unaquaque eccleſia liber deinceps ſingulis annis, vel alio certo tempore renovandus, perpetuo ſit; in quo & anno & menſe, & die primum notato, unuſquiſque ſive parochus; ſive capellanus, ſive alius ſacerdos, qui quovis obligationis nomine in ea eccleſia miſſæ ſacrificium fecerit, in ſingulos dies, ubi id perfecerit, manu ſua ſubſcribat: & nominatim breviter exponat, ſe illud præſtitiſſe, aut parochialis eccleſiæ, aut capellæ, legative pii, aut anniverſarii, aut funeralis officii nomine. Cui præterea libro ſingulis diebus ſubſcribat is, ſi ipſe eſt qui miſſæ ſacrificium eo quovis nomine fecerit, ipſe item manu ſua ſubſcribat, quoties aliquo eo nomine miſſam celebrarit.

Is liber tuto ſacriſtiæ loco aſſervetur.

Quibus vero locis, eccleſiiſve miſſæ plures quam tres quotidie celebrantur, epiſcopus præter has cautiones punctatorem etiam ſecretum, ubi opus eſſe viderit, conſtituere item poterit; idque ſecreto etiam, ſi ita expedire videbitur, qui juratus in ſingulos dies notet, ſi qui erunt, qui debito miſſæ celebrandæ muneri defuerint.

In urbe vero aliqui eccleſiaſtici viri, ab eodem epiſcopo probati, in diœceſi item vicarii foranei, aliive, ab epiſcopo etiam conſtituti, libros miſſarum celebrationibus notandis præſcriptos, ſæpe etiam de improviſo recognoſcant: inſpicientque præterea notationes, per punctatorem occulte factas: ac ſingulis menſibus, aut tertio quoque menſe, cum unoquoque capellano præſtiti muneris ſui rationes inibunt, tum etiam illius teſtimonium ſcriptæ initæ rationis dabunt.

Nec vero cuiquam capellano non titulari, qui munus celebrandi certis ſtatiſve diebus, aut ad certum tempus, aut in perpetuum ſuſceperit, quidquam mercedis eleemoſynæve ex legatis piis, aliave quavis ratione, a quibuſvis ſolvatur: neque id exigat abſque epiſcopi, ejuſve, cui id curæ ille dederit, mandato, eoque ſcripto: quod ne detur, niſi pro ratione præſtiti muneris, cujus teſtimonium ſcriptum ab eo, de quo ſupra, re ipſa exhibuerit.

Anno autem expleto, vel breviori temporis ſpatio, quidquid ob prætermiſſum celebrandarum miſſarum munus, capellano tribui non debet: id omne fabricæ eccleſiæ præfectis, aut corporis domini confratribus, in ea eccleſia conſtitutis, ubi ille miſſarum muneri defuerit, aut aliis depoſitariis ſolvatur, ab epiſcopo conſtitutis: ut quot miſſas celebrari ab eo prætermiſſum eſt, totidem eo nomine ab alio ſacerdote celebrentur: aut ad ipſum in ornamentorum, quæ eiſdem altaribus capelliſve uſui ſint, apparatum erogetur, prout epiſcopus expedire exiſtimaverit. Ut autem & hoc diligentius præſtetur & ſacerdotibus conſulatur, qui ob miſſæ celebrandæ munus ſuſceptum, ac præſtitum eleemoſynas ſibi debitas, magno cum negotio, ſæpeque cum detrimento ab iis, qui tribuere debent, conſequuntur; epiſcopus, ubi expedire viderit, certos aliquos, probatoſque homines depoſitarios deligat; quorum munus ſit, illas exigere cuſtodire; tum ſtatis temporibus pro ratione ſupra præſcripta, capellanis ſine mora ſolvere.

Et quoniam qui capellas, altaria, aliave beneficia eccleſiaſtica in titulum obtinent, quibus miſſarum munus aliquod incumbit, non ab heredibus eorum qui legata pia reliquerunt, vel ab aliis ejuſmodi, ſed ipſi per ſe fructus capellarum altariumve ſuorum exigere ſolent, cum iis ſequeſtri ratione omnique alio modo epiſcopus agat: ut ſi muneri ſuo illi celebrandis miſſis defuerint, fructuum reſtitutio locum habeat, eaque ad præſcriptam, ut ſupra, rationem, pie utiliterque erogetur.

Quam ſequeſtri & mulctæ rationem omnes adhibere debent, ut opus fuerit, cum capellanis quoque illis, qui etiam legati nomine, vel alia ejuſmodi cauſa miſſas celebrandas ad certum tempus, vel in perpetuum ſuſcipiunt.

Qua in eccleſia, pro frequentiori, qui ob feſti diei, indulgentiæve celebritatem, aut ob perpetuum populi, ac præcipuum devotionis ſtudium fit, ad eam concurſu, eleemoſyna & crebrior & uberior miſſæ celebrandæ nomine datur: in ea ne cuiquam ſacerdoti ejuſmodi eleemoſynam ob miſſæ celebrationem, ullo modo aut prætextu flagitare, ac ne ſponte quidem oblatam accipere liceat. Verum unuſquiſque ſacerdos illam in capſula, certo eccleſiæ loco, aut pro ſacriſtiæ foribus eo nomine collocata deponendam curet. Cui capſulæ ſtatis illis frequentioris concurſus diebus, rector eccleſiæ, aliuſve, cujus intereſt, aut is, cui epiſcopus hoc munus dederit, certum aliquem clericum ſpectata probitate præficiat: cujus ſit illis diebus apud capſulam aſſidere, tum ſigillatim, ordineque notare, quæ miſſarum aliarumque

ANNO CHRISTI 1576.

que precum nomine eleemoſyna detur accipiaturve, ut pro illius notationis ratione rector aut ſacriſta, aut ille quem epiſcopus conſtituerit, ſacerdotibus illius eccleſiæ, aliiſve ad divina officia concelebranda, eo celebritatis nomine evocatis ſtatim præſcribat: quid pro eleemoſyna oblata unuſquiſque eorum illis diebus præſtare debeat, quo plenius eorum, qui obtulerint, voluntati ſatisfiat.

Peractis autem divinis officiis, quæ eleemoſyna eo nomine in capſulam conjecta eſt, illam idem vel eccleſiæ rector, aut alius, ut mox ſupra, ſacerdotibus ita diſtribuat, ut eorum unicuique partem pro ratione miniſterii, officiive præſtiti, ex epiſcopi præſcripto congruam tradat. Quidquid autem ſupererit, e capſula depromptum apud virum probum, quem epiſcopus delegerit, deponatur: ut aut in aliam, quæ in eadem eccleſia fiet, celebrationem miſſarum pie conferatur: liceat tamen in alias res erogari, neceſſario comparandas ad miſſæ ſacrificii cultum, decentius in ea ipſa eccleſia peragendum; ſi ob eccleſiæ inopiam ita epiſcopus conceſſerit. Cujus etiam juſſu in tabellam ſacriſtiæ referantur, ſi quæ commemorationes eo nomine, pro iis qui pie contulerunt eleemoſynam, deinceps faciendæ erunt ab iis, qui in eccleſia miſſæ ſacrificium facient.

Qui vero parochi prope eas eccleſias habitant, ii jubente epiſcopo, populum ſuæ curæ commiſſum, diebus præſertim qui proxime præcedant illos certos dies frequentioris eleemoſynæ, moneant, ut hac conſtituta eleemoſynas ejuſmodi recipiendi ratione, quas eleemoſynas miſſarum celebrationi dare quiſque velit, eas non ſacerdotibus aut clericis tradat, vel aliis, ſed in capſulam deferat eo nomine conſtitutam.

Miſſæ initio pſalmus, Judica me Deus, & in fine evangelium ſancti Joannis evangeliſtæ, In principio erat; &c. dici ne unquam omittatur, niſi cum aliter in miſſarum rubricis notatum fuerit. In ceteris item ne quid addatur, nec vero detrahatur, ac ne quidquam mutetur: ſed ad unguem id omne dicatur, quod in miſſali nuper Pii quinti pontificis maximi juſſu edito præſcriptum eſt.

Si quem parochum, aliumve ſacerdotem miſſali Romano, quod item Pii quinti pontificis maximi juſſu editum eſt, epiſcopus ad miſſæ ſacrificium deinceps non uti compererit, a miſſæ celebrandæ munere illum arbitratu ſuo ſuſpendat: tum pro culpæ contumaciæve ratione, aliis prætera pœnis afficiat.

Ut exploratum ſit an ſacerdotes ſtatarum ceremoniarum uſum peritiamque teneant: ipſe epiſcopus cum aliquando miſſæ ſacrificio, quod illi faciunt, alios peritos ſacerdotes præſentes adeſſe jubeat: tum aliquando ſingulos evocet, eorumque in miſſæ ſacrificio rite faciendo exercitationem ac peritiam per examen, experiendove cognoſcat.

Quod provinciali ſecundo concilio juſſum eſt, in miſſa conventuali & parochiali, cum corpus domini elevatur, ſignum ſono campanæ dari: in aliis miſſis id ita præſtetur, ut tunc parvulum tintinnabulum, aut a latere altaris appenſum, aut e ſacriſtia allatum, a clerico miniſtro certis diſtinctis ictibus pulſetur.

Cum ſacerdos ad altare acceſſerit miſſæ ſacrificium facturus, clericus, qui tunc illi miniſtraturus eſt, ubi alius non ſit qui tunc hoc officium præſtare poſſit, circumſpiciat modeſte aſtantes; ſi quempiam animadverterit marem vel feminam incompoſito corporis habitu, aut alias contra præſcriptas regulas provincialibus noſtris conciliis, cum injuria vel irreverentia ſanctiſſimi illius ſacrificii intereſſe, moneat graviter ut opus erit: neque ſacerdos ante miſſæ initium faciat, quam omnes, qui adſunt, quemadmodum eam Tridentino concilio curæ epiſcopi commiſſum eſt, decenter compoſito corporis habitu declaraverint ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore adeſſe. Miſſa vero jam inchoata, ſi quid ejuſmodi fiat, hoc idem officium admonendi itidem ille miniſter clericus præſtet modeſte & graviter. Si quis vero ab iis de ejuſmodi monitus non reſipuerit, quamprimum eorumdem cura deferatur ad epiſcopum, ut jure cum eo efficacius agatur.

Clericus ſacerdoti miſſam celebranti miniſtrans, ſemper indutus ſit ſuperpelliceo puro & mundo, eoque non lacero, neque ulla alia ratione indecenti: ſi contra fecerit, tum ipſe, tum eccleſiæ præfectus, tum ſacerdos etiam, qui ſibi miniſtrare permiſerit, plectatur arbitratu epiſcopi. Hoſtias pro ſacra euchariſtia conficienda non laicus homo, nec vero femina faciat.

Urceoli, qui ad ſacrificii uſum adhibentur, quo diſtinctius atque certius aqua a vino dignoſci poſſit, ne e ſtanno, argento, aliove metalli genere ſint, ſed plane e vitro, eoque perlucido, aut e cryſtallo confecti: itidem operculum oris habeant.

Caveatur, cum in miſſæ ſacrificio, quod etiam ſine cantu fit, miſſalis, aut evangeliſtaris liber, aut pacis inſtrumentum cuiquam, vel principi, vel magiſtratui, vel alii ad oſculandum præbetur, ne id munus per laicum hominem, ſed per clericum præſtetur.

Ea fuit olim vigilantiſſimorum, ſanctorumque epiſcoporum religioſa pietas, ut non modo in ſolennioribus anniverſariis celebritatibus, ſed fere in ſingulis feſtis & dominicis diebus, iiſque præſertim in adventu & quadrageſima ſolenniter miſſæ ſacrificium celebrarent.

Quod inſtitutum cum refrigeſceret, aliquando Innocentius III. pontifex maximus vehementer doluit. Cui ſane rei in provincia nobis commiſſa proſpiciendum atque conſulendum eſt paſtorali cura noſtra, jam ſanctionibus Tridentinis, auxiliante Chriſto domino, excitata ad revocandam reſtituendamque ac ſtudioſe retinendam priſtinæ pietatis diſciplinam atque uſum. Etſi igitur multiplicibus aliis epiſcopalibus curis, iiſque variis & quæ etiam ad continendos inobedientiæ diſciplinæque Chriſtianæ officiis populos attinent, pluribus hoc tempore epiſcopi diſtineantur: at ſolennioribus tamen diebus, quibus religionis Chriſtianæ myſteria celebrantur, in divinis officiis ſacriſque ſolenniter faciendis, illos frequentius ac ſtudioſius verſari oportet.

Itaque his ſolennibus feſtiſque diebus infra ordine præſcriptis, quibus & patrum monimentis & veteri rituum ceremoniarumque Romanarum codice, eoque comprobato, & antiqua religioſaque nonnullarum hujus provinciæ cathedralium conſuetudine, ab epiſcopis, prout ipſa Chriſtianæ religionis myſteria poſtulant, ſolenniter fieri traditum eſt, miſſæ ſacrificium ſolenni pontificalique ceremoniarum ritu ab eiſdem celebretur.

In ſanctiſſima nativitate domini noſtri Jeſu Chriſti.

Die ſolenni circumciſionis, quæ eſt octava nativitatis domini.

Die



ANNO CHRISTI 1576.

Die ſolenni epiphaniorum.

Feria quinta in cœna domini.

Die ſanctiſſimo paſchæ reſurrectionis.

Die ſanctiſſimæ aſcenſionis.

Die ſanctiſſimo pentecoſtes.

Die ſolennitatis ſanctiſſimi corporis Chriſti domini.

Die natali ſancti Joannis Baptiſtæ.

Die feſto ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli.

Die aſſumptionis beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ.

In ſolennitate omnium ſanctorum.

Die feſto ſancti, ſanctæve, cujus nomine eccleſia cathedralis dedicata eſt: & die præterea feſto præcipui patroni civitatis.

Die conſecrationis eccleſiæ anniverſario.

Die item conſecrationis ſuæ anniverſario.

Die primo ſynodi diœceſanæ.

Diebus ſtatis, quibus ſacras ordinationes ſolennes epiſcopus habebit.

Diebus præterea aliis pro conſuetudine ſuæ eccleſiæ, tum aliis item, quibus ex gravi præſertim cauſa miſſæ ſacrificium ſolenni ritu celebrare eorum quiſque cenſuerit.

Quo ſtudioſius autem religioſa ſua ſolicitudine, ſanctiſſimæque pietatis exemplis fidelium animos atque mentes ad religionis Chriſtianæ officia epiſcopi inflamment; hoc etiam pro paſtoralis officii munere curent, ut quibus diebus miſſarum ſolennia in baſilica cathedrali concelebrant; iiſdem, quod antiqui inſtituti, conſuetudiniſque fuit, & veſperarum officium & matutinum ſolenni ritu ipſi obeant. Tum præterea iis diebus, ut religioſi cultus exemplo, ſic ſacra paſtorali concione aut ſermone intra miſſarum ſolennia fideles ſibi commiſſos paſcere nullo modo omittant. Fideles vero quo magis a paſtoribus ſuis religioſæ vitæ exemplis, conſilio, ſpectatiſque virtutibus adjuvantur, eo vehementius ſe in omnem bene ſancteque agendi partem excitare, tum cumulatius Chriſtianæ diſciplinæ officia præſtare eos oportet.

Quare feſtis his diebus, cum frequentiſſimi ad miſſarum epiſcopalium ſolennia convenire ſtudeant; tum e ſacra benedictione epiſcopali aliquem ſalutarem fructum largiente domino conſecuturi, ne ante inde diſcedant, quam ab epiſcopo illam demiſſo humilique animo & genibus flexis de more acceperint. Ut id ſane omni ſtudio illi præſtent, cum eos crebro præmonere, tum gravi ſermone cohortari parochi ſolicite curent.

Miſſæ ſacrificium cum ſolenniter, præterquam pro mortuis, fit cui epiſcopus præſens adſit, canonici & aliqua illius eccleſiæ dignitate præditi, quo tempore hymnus, Gloria in excelſis, & ſymbolum, item & alia ejuſmodi canuntur, ad epiſcopum ordine veniant, in cujus conſpectu corona facta, tunc ſimul cum eo ſingulas illas miſſæ partes dicant, pro ceremoniarum ritu ac ratione.

Quibus in eccleſiis cathedralibus dum veſperarum, aliarumve canonicarum horarum officia, miſſarumque ſolennia ab epiſcopo ſolenniter fiunt; canonici item, quique dignitatem obtinent, pluvialia, aliaſve ſacras veſtes pro libri pontificalis Romani ratione non induunt; in iis ex ejuſdem & aliorum item de ceremoniis rite conſcriptorum, probatorumque librorum præſcripto ad uſum introducatur, aut intermiſſus revocetur ille epiſcopalibus officiis conveniens, pluvialia, aut dalmaticas, aliumve ſacrum veſtitum, utpote planetas, certis ſtatis diebus induendi mos. Itaque ubi illa indumenta totidem non ſunt, quot pro induentium numero eſſe deberent, quamprimum ad officiorum pontificio, ſolennique ritu, ut decet, celebrandorum uſum comparentur communi univerſi capituli ſumptu: niſi jure, aut conſuetudine, aliave ratione a ſacriſtia: vel a fabrica, vel a ſingulis canonicis cum ſumptum præſtari oportere epiſcopus cenſuerit; tuncque a quibus debetur, plane præſtetur temporis ſpatio, quod idem epiſcopus præſcripſerit.

In ceteris quoque omnibus, quæ ad ceremoniarum rationem ritumque pertinent, regulæ in libro pontificali, ceremonialique item probato de divinis officiis, pro temporum ratione, ritu Romano præſcriptæ diligenter & accurate omnino ſerventur. Id autem omne præſtari, atque in uſum omnino introduci, epiſcopi cura ſit.

Peracto miſſæ conventualis ſacrificio, veſperarum officiis in eccleſia abſolutis, in quibus epiſcopus præſens aderit, diebus dominicis ac feſtis, & aliis item, quibus ex ceremoniarum Romanarum uſu, rituque moris eſt, ſolenniter ipſe benedicat. Quod ſane etiam præſtet peractis ſolennibus proceſſionibus, aliiſque id generis officiis.

Cum epiſcopus ſtatis præſcriptis diebus quibus debet, vel quia abeſt, vel morbo aliave cauſa occupatus diſtinetur, miſſam, veſperaſve, aut alia divina officia ſolenniter non celebrat, tunc ejus loco hoc præſtet, qui in eccleſia cathedrali primam ſacerdotalem dignitatem obtinet. Hic vero ſi aliquando abeſt, aut impeditus eſt; is qui poſt illum ſacerdotalem item dignitatem, vel canonicatum obtinens, aliis dignior non impeditus adeſt, id munus obeat.

Epiſcopo, in urbe etiam extra eccleſiam cathedralem pontificalia munera obeunti, utpote conſecranti vel reconcilianti eccleſias, cœmeteriave, aut ordines ſacros, aut confirmationis ſacramentum, aut ſanctiſſimam euchariſtiam frequenti populo miniſtranti, aut alia hujuſmodi munera pontificalia exercenti, cum is juſſerit, aſſiſtant, inſerviant, miniſtrentve, quicumque ex iis, qui dignitates obtinent, & de capitulo, ac reliquo eccleſiæ clero eidem epiſcopalia munera in eccleſia cathedrali exercenti, inſervire, aſſiſtere, miniſtrareve ſolent aut debent.

Archidiaconus, etiamſi ſit ſacerdos, vel præbendam etiam ſacerdotalem, præter archidiaconatum obtineat, miſſæ ſacrum ſolenniter epiſcopo celebrante, ut & in metropolitana, & in aliis hujus provinciæ eccleſiis compluribus moris eſt, ſuique muneris, evangelium canat: vel, ubi ex conſuetudine id non ſervetur, omnino ut diaconus, diaconalibus veſtibus indutus, epiſcopo aſſiſtat.

Archipresbyter autem officio aſſiſtentis ad librum ſerviat, niſi ex conſuetudine præpoſito, vel alteri dignitate ſacerdotali prædito, id competat. Cui muneri qui ſine cauſa legitima ab epiſcopo approbata defuerit, diſtributionibus illius diei ſibi debitis, & gravius ex contumacia ejuſdem, epiſcopi arbitratu mulctetur.

Quod religioſi inſtituti, piæque conſuetudinis fuit, & in compluribus adhuc hujus provinciæ eccleſiis aliqua ex parte retinetur, pontificalique libro antiquo traditur, de diaconi alte-

ANNO CHRISTI 1576.

riuſve miniſtri & chori officio in epiſcopali benedictione, id ad uſum ubique revocari, paſtoralis curæ eſt, cum præſertim ad inflammandam fidelium pietatem, præparandamque in epiſcopali benedictione attentionem attineat. Itaque diebus dominicis feſtiſque, cum *epiſcopus* benedictionem de more impartiet, diaconus, vel alius miniſter, ad quem de more pertineat, cuive epiſcopus juſſerit, ad populum converſus, his cantu ſolenni pronuntiandis vocibus præeat: *Humiliate vos ad benedictionem*; tum a choro reſpondeatur: Deo gratias.

In majoribus autem ſolennitatibus aliquanto id ſolennius præſtetur, ritu ſcilicet qui in antiquo libro pontificali ita præſcriptus eſt, ut chorus primo dicat: Princeps eccleſiæ paſtor ovilis, tu nos benedicere digneris; tum diaconus reſpondeat: Humiliate vos ad benedictionem: Poſt clerus humili voce concinat; Deo gratias ſemper agamus.

Demum epiſcopus ſolenniter benedicturus, dicat præſcriptas pro tempore ratione orationes, quæ ex libro antiquo pontificali deſcriptæ edentur.

Quod ex *Felicis* quarti pontificis maximi ſanctione in *concilio* provinciali tertio decretum eſt, epiſcoporum provinciæ conſecrationes quotannis ſolenniter celebrari; id ita deinceps præſtari decernimus.

Die anniverſario conſecrationis, ſi dominicus, vel feſtus ſit, epiſcopus ſolenni celebritate de eo dominico, feſtove die miſſam celebret, adjunctis pro ſe orationibus, in miſſali Romano nuper edito præſcriptis.

Si vero conſecrationis anniverſarius dies in feriam, aut feſtum ſimplex cadit, miſſæ ſacrificium ſolenne de conſecratione, prout in miſſali Romano, faciat.

Quo conſecrationis die epiſcopus exemplum etiam ſequatur atque amplectatur ſanctiſſimorum epiſcoporum, pontificumve, qui ſuſcepti muneris curam, onus, & ſolicitudinem in memoriam revocantes, anniverſario eo die non ſolum ſacrificio religioſiſque precibus divinæ bonitati gratias agere non deſtiterunt; ſed concionibus, paſtorali caritate plenis, clerum populumque, expoſitis multiplicis ſuæ curæ partibus, excitare voluerunt, cum ad opem ſibi a Deo implorandam, tum ad omnia religioſæ pietatis officia colenda.

Utque conſecratio epiſcopi a ſacerdotibus, etiam ſacrificiis, & a reliquo clero piis precibus recolatur, in calendario anniverſario, die ſuo notetur: tum populo etiam, ut moris eſt, denuntietur, ut is quoque ſanctius illum diem veneretur: tum pro caritatis officio, quo erga epiſcopum & patrem eſſe debet, vehementius excitetur ad preces pro illo pie adhibendas.

Quod pii religioſique inſtituti in eccleſia fuit, quemadmodum ex ſanctorum patrum monimentis, ex antiquo ceremoniali codice accepimus, ut nocte natalis domini miſſa, quæ in aurora celebratur, ſicut illa in media nocte, & altera in die ipſo natali caneretur; eadem in omni provinciæ noſtræ cathedrali & collegiata eccleſia, ſub auroram etiam canatur, præſente omni clero, qui divinis officiis intereſſe ſolet aut debet. Quicumque defuerit, illa diſtributionis medietate mulctetur, legitimo impedimento ceſſante, quam proportionabiliter amitteret, ſi a miſſæ ſacrificio ſolenni, quod media nocte fit, abeſſet. Idem quoque præſtetur in parochiali quacumque eccleſia, ubi aliæ duæ ejuſdem diei miſſæ canuntur.

Quibus diebus, ex miſſalis Romani rubricarum præſcripto, in eccleſiis cathedralibus & collegiatis miſſas duas conventuales celebrari oportet, eæ ambæ canantur; tum cantu item celebretur ſi quæ præterea alia miſſa eodem, vel alio die, ex conſuetudine legatove pio aut alio jure ibi cani debet.

Quod ſi capitulum præſtare omiſerit, neglexeritve, non ſolum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verum alterius etiam diei diſtributionibus mulctetur; & alio die ſuppleantur omiſſa.

Diebus dominicis, feſtiſque aliis, quibus officium duplex peragitur, canonicus hebdomadarius, dum veſperarum officium obit celebratve, pluviale induat; tum etiam duo eccleſiæ miniſtri pluvialibus induti adſint, eaque munera præſtet, quæ præſtari moris eſt.

Iiſdem præterea diebus divina ſingularum horarum canonicarum officia, pſalmi ſcilicet, hymni, antiphonæ, reſponſoria, & reliquæ horariæ preces, non verbis recitentur, ſed ſtata modulatione canantur. In matutino tamen officio, & prima, ſi ita epiſcopo videbitur, præterquam in anniverſariis feſtorum dierum ſolennioribus celebritatibus, canora, diſtincta tamen, vocum pronuntiatione pſalmos dici liceat; at hymni, antiphonæ, reſponſoria, & reliqua ejuſmodi, tum præterea pſalmi ad laudes ſtata omni cantus modulatione omnino pronuncientur.

Ubi vero, vel inſtituti, vel conſuetudinis eſt, feſtis diebus, matutini etiam, vel primæ pſalmos, aut aliis præterea ferialibus diebus reliquarum horarum pſalmos, & omne officium cantu præſtari: illud inſtitutum, conſuetudinemve perpetuo retineri jubemus. Si vero quid aliquando inciderit, quamobrem divina officia diutius, quam temporis ratio poſtulat, protracta ſunt, tum epiſcopi conceſſu, juſſuve, horaria ſextæ & nonæ officia, ſi minus ſtato cantu poſſunt, verbis ſolum diſtincte tamen & in choro pronuntiari & præſtari licebit.

Feſtis vero dominiciſque diebus, & aliis, quibus concio aut ſolennis proceſſio, aut ſacra ordinatio habetur, ſi matutinum officium media nocte non dicatur, ita ſaltem anticipata epiſcopi judicio hora inchoetur, ut & aliarum deinceps horarum officia, & miſſas ſinguli ſacerdotes, & miſſam conventualem collegiatim tempore ſuo ex inſtituto peragant, ut concioni intereſſe poſſint.

Quod de aſſiſtente, pluviali induto, in concilio provinciali primo decretum eſt, ita dumtaxat locum habere decernimus, ut epiſcopo; & alii epiſcopalibus inſignibus utenti, is adhibeatur, alii præterea nemini.

Dominicis, & feſtis, & aliis item diebus, quibus officium duplex peragitur, canonici duo, unus, qui diaconale, alter, qui ſubdiaconale miniſterium præſtet, canonico ſacerdoti, miſſam conventualem celebranti, miniſtrent: Sicubi vero aliis etiam diebus per canonicos id præſtari ſolet, id deinceps etiam ſervetur perpetuo.

Ubi vero præ paucitate canonicorum; illis canonicis duobus in miſſæ conventualis ſacrificio miniſtrantibus, numerus eorumdem, qui in choro adſunt, congruus epiſcopi judicio non erit; liceat eidem epiſcopo alios duos non canonicos ſtatuere, qui illis duplicis officii diebus, qui tamen ex præcepto, conſuetudineve non coluntur, loco canonicorum diaconale & ſubdiaconale miniſterium obeant. Omnino autem diebus etiam ferialibus diaconus & ſubdiaconus, dalmaticis induti, miſſæ inſerviant in cathedralibus, & collegiatis eccleſiis quibuſcumque, niſi ubi epiſcopus cenſuerit miniſtrorum numerum adeo exiguum eſſe, ut id fieri non poſſit. Cujus item epiſcopi jus ſit decernere, qui munus hujuſmodi præſtare debeant, ſi modo illud jam attributum perpetuo ex inſtitutione vel conſuetudine non ſit.



ANNO CHRISTI 1576.

Dignitatem obtinenti, & canonico item, & alii cuicumque chori officiis adſtricto, almutiam, ſuperpelliceum, cappam, aut aliud canonicale aut proprium ſui ordinis veſtimentum; pro temporis, vel divini officii, quod obit, vel pro ſui in eccleſia, chorove muneris ratione, non induto, diſtributio ſtatæ canonicæ horæ ne detur, in qua hic illeve ſine ejuſmodi indumento adfuerit.

Ne quis canonicus, dignitateve præditus, aut eccleſiæ cujuſvis miniſter, clericuſve quicumque, dum horariis divinarum precum officiis intereſt, aut proceſſiones, funera, vel functiones eccleſiaſticas obit, ſuperpelliceo, aliove ſacro indumento indutus, chirothecis etiam manus induat.

Horæ ſextæ & nonæ item officia divina, ante, aut poſt miſſæ conventualis ſacrificium, pro ratione temporum, & officii divini, ad præſcriptum rubricæ miſſalis Romani celebrentur; niſi aliquando urgens cauſa incidat, quamobrem illo alio tempore, quam præſcriptum eſt, in choro tamen, celebrari peragique epiſcopus juſſerit.

Quibus in eccleſiis divinum canonicarum horarum officium de beata Maria virgine recitari aut ſolet, aut debet, earum clerus univerſus illud in choro præſens pariter recitet, atque officium, quod de domino dicitur: id vero ita, ut ſingulas horas canonicas unius officii, cum ſingulis alterius, ex breviarii Romani præſcripto, ordine conjungat.

Quicumque ab unius horæ officio de beata Maria abfuerit, diſtributione illius horæ perinde mulctetur, ac ſi ab horæ ejuſdem officio, quod de domino recitatur, abfuerit.

Calendarium, quod ex concilii provincialis primi decreto pro certa divini officii recitandi ratione, quotannis edi oportet ſi minus conſtat, a quo confici, edive debeat; epiſcopus deligat, conſtituatve, qui hoc præſtet, neque id cuiquam recuſare liceat.

Ita vero, a quo debet, in tempore conficiatur, ut & menſem ſaltem ante nativitatem domini in lucem emiſſum ſit. Ante vero quam prodeat, epiſcopo tradatur, qui recognoſcat, aut ab aliquibus, quos ejus rei peritos delegerit, recognoſci jubeat.

De ſancto, cujus ſacrum corpus, aut caput, aut brachium, aut crus, aliæve ſacræ reliquiæ, epiſcopi judicio inſignes aſſervantur, duplex officium fiat, in ea tantum eccleſia, ubi reconduntur: nec vero in aliis, niſi regulis breviarii Romani id præſcribatur, aut alia cauſa gravis epiſcopi judicio inſit.

De ſanctis item, quorum altaria in aliqua eccleſia ſunt, duplex in ea tantum eccleſia fiat; idque tunc ſolum, quando ſcilicet ex antiqua, probataque conſuetudine, vel juſta alia cauſa epiſcopus cenſuerit faciendum.

De iis, qui beati dicuntur, neque ſedis apoſtolicæ auctoritate in ſanctorum numero adſcripti ſunt, horarum divinarum precum officium ne fiat; niſi conſulta eadem ſede apoſtolica, facultateque literis pontificiis conceſſa.

Epiſcopus pro temporum ratione ac viciſſitudine certam horam certumque intervallum pulſandis campanis præſcribere curet, quibus divinorum officiorum ſignificatio detur. Quæ certa, intervalliſque diſtincta pulſationis ratio in tabella edita ordine notetur; ut & urbanis & diœceſanis eccleſiis uſui recte accommodata, ubique eadem ad præſcriptum ejuſdem epiſcopi ſervetur.

Officia divina, ſicut alia ſemiduplicia ſunt, quædam duplicia, alia ſimplicia: ita pro eorum ratione certam regulam in iis ſingulis celebrandis adhiberi oportet.

Quare epiſcopus duobus de capitulo, quorum alter ab ipſo, alter a capitulo deligatur, aliiſque eccleſiaſticis hominibus rituum ſcientia & uſu peritis, quos ipſe delegerit, in conſilium adhibitis, cantus modulationem, hominum numerum, & qualitatem, veſtium apparatum, campanarum ſonum, miniſtrorumque rationem pro illorum ritu præſcribat, in iis ſcilicet, quæ adhuc conciliis provincialibus præſcripta non ſunt, donec alio tempore in concilio provinciali certa eorum ratio ſtatuatur, & ut rite, & divino cultui congruenter omnia præſtentur.

Quæcumque vero aut in hoc, aut in ſuperioribus conciliis provincialibus de feſtis duplicibus ſervari juſſum eſt; ea in eccleſiis, ritu Ambroſiano utentibus, cum pro illius ritus ratione nulla ſit ſimplicis, aut ſemiduplicis, aut duplicis officii diſtinctio, ſed tantum ſolennis, aut non ſolennis, in feſtis iis locum habeant, quæ licet ex præcepto, conſuetudineve non colantur, officio tamen ſolenni celebrari in calendario, aut breviarii rubricis præſcribetur.

Sicut ſancta mater eccleſia pro temporum officiorumque ratione, ſacrarum veſtium apparatum, ornatumque coloribus diſtinctum eſſe voluit; ita, quemadmodum etiam miſſalis Romani rubrica præſcribit, in omni eccleſia & altare, & ſacerdos celebrans, ſique ſolenniter fit, diaconi etiam & ſubdiaconi, & alii ejuſmodi miniſtrantes ſacro veſtium amictu, ut pro eccleſiarum facultatibus fieri poteſt, induantur; qui colore diſtinctus, divinorum officiorum ritui, & temporum rationi conveniat.

Cum clerici deſunt, qui cantorum in divinis officiis partes præſtent, ita ut laicos homines ad id muneris aliquando mercede conduci adhiberive neceſſe ſit; tunc ii non ſolum in miſſa ſolenni & divinis officiis, id quod in compluribus hujus provinciæ eccleſiis uſu ſervatur, ſed & in proceſſionibus, & in funeralibus, & in aliis eccleſiaſticis actionibus, ad quas vel in eccleſia vel foris adhibentur, cum id munus gerunt, habitu clericali ſuperpelliceoque decenti, ad conciliorum provincialium præſcriptum utantur; vita præterea & moribus ab epiſcopo ſcripto ante probati ſint. Nec vero contra quam præſcriptum eſt, cuiquam laico in eccleſia muſici, cantoriſve munus illis divinis eccleſiaſticiſve officiis, aut in eccleſia, aut foris concelebrandis committatur: nec rurſus ille ſuſcipiat

ANNO CHRISTI 1576.

piat geratve, pœnis mulctiſve propoſitis arbitratu epiſcopi.

Eas autem pœnas luat, tum qui ſuſceperit, tum qui commiſerit, dederit, conduxerit, permiſeritve, quicumque ſit, ſive capitulum, ſive fabricæ adminiſtratores, ſive rector eccleſiæ, ſive confratriæ præfecti, ſive alius quiſpiam, ad quem id pertineat.

Triduo illo hebdomadæ ſanctæ, quo ex ſanctæ eccleſiæ Romanæ conſuetudine ſtrepitus & fragor fieri ſolet ad ſignificandam in Jeſu Chriſti paſſione illarum rerum omnium commotionem, is ſemel tantum poſt extremam matutini officii orationem adhibeatur, ad rubricæ Romanæ præſcriptum.

Cura vero ſit eorum qui eccleſiis præſunt, cavere, ut a populo religioſa pii mœrentiſque animi meditatione ille fiat.

Præfectus chori, ubi ex antiqua probataque eccleſiæ inſtitutione nominatim nemo eſt, neque alius item, quem huic muneri epiſcopus præfecerit, ejuſmodi officio fungatur, ut primo concilio provinciali cavetur, qui digniori chori loco ſedet: id vero, quoad alium ei muneri epiſcopus arbitratu ſuo propoſuerit. A quo officio quandocumque eum amovere, tum rurſus confirmare epiſcopo liberum ſit. Qui autem ex antiquo probato inſtituto gerit, ſi ei curæ ac vigilantiæ minus aptum aut negligentem, aut alias non recte utiliterve munus ſuum præſtantem animadverterit, illum amovendi, & eidem muneri, illius loco, alium præficiendi, jus item & facultas omnis eidem epiſcopo libere competat.

## X I.

### *De proceſſionibus.*

Cum ſupplicationes publicas, ſolenneſque fieri opus erit, primum earum cauſa proceſſiones agantur, deinde miſſa ſolenniter celebretur, niſi aliter ob cauſam epiſcopus aliquando juſſerit. Clerus etiam regularis, piarumque confratriarum homines, populus denique omnis cum ad eccleſiam, ubi ſupplicandi cauſa ſtatio fiat, proceſſerint, inde ordine item redeant ad eccleſiam, unde diſceſſerint, ut etiam primo concilio provinciali decretum eſt, niſi epiſcopi præſcripto in eccleſia, ad quam venturum eſt, proceſſio abſolvenda, & dimittenda ſit: tuncque inde ad ſuas quique eccleſias, benedictione epiſcopali, aut miſſione de more facta, collegiatim cruce præcedente abeant licet, peractis ante ſupplicationum, prout ritus eſt, ſolennibus precibus atque orationibus.

Quæ vero in hoc ſupplicationis munere precum & orationum officia in eccleſia, ad quam itum eſt, quæcumque illa ſit, peragenda ſunt; a capitulo cathedralis, in diœceſi autem a clero primariæ ſæcularis eccleſiæ, non illius, ad quam ſupplicandi cauſa proceſſum eſt, rite præſtentur, niſi antiqua conſuetudo aliud ſuaſerit.

Miſſæ item ſacrificium cum ibi faciendum eſt, illud a capitulo clerove cathedralis, & in diœceſi primariæ ſæcularis eccleſiæ ſolenniter fiat.

Quo tempore reliquus clerus diſcedat licet, miſſione ſolenniter facta, ut in ſuis quiſque eccleſiis conventualem parochialemve miſſam concelebret: niſi aliter quandoque epiſcopus juſſerit.

Clero ad eccleſiam convenienti, proceſſionis, ſupplicationis, alteriuſve ejuſmodi officii cauſa, locus aliquis eccleſiæ illius ample quantum poteſt patens conſtituatur; ubi ſimul univerſus, ſi poteſt, alioqui collegiatim ſaltem unuſquiſque ordo conveniat, & tacite precando conſiſtat, donec illas obeat; ne per eccleſiam vagetur, aut quidquam aliud admittat, quod concilio provinciali ſecundo vetitum eſt.

Clericorum vero ſit, oſtiarii functiones in eccleſia cathedrali obeuntium, eccleſiaſticos homines, ſupplicationum proceſſionumve cauſa in eum certum locum congreſſos, ſi quos vagantes, deambulantes, colloquenteſve animadverterint, epiſcopi auctoritate prohibere: tum etiam contumacium nomina ad eumdem deferre.

Conſtituat epiſcopus certos homines, qui clerum ad ſupplicationes procedentem dirigant: tumque aliquando, cum opus eſt, eumdem ſubſiſtere moneant: tum etiam, qui populum in ordine conſiſtere, mulieres velatas incedere, aliaque ejuſmodi opportune in ipſa etiam via moneant, præcipiant, atque ut ſerventur, efficiant omni ſolicitudine.

In omni proceſſione, in illa præſertim quæ ſolenni die corporis domini agitur, clerus ſæcularis, ſuperpelliceo mundo candidoque indutus, ut adſit præmoneatur.

Cum ad proceſſionem clerus vocatur, quid pſallendum, quid canendumve ei ſit, ut opportunum erit, ſignificetur.

Canant omnes: cum vero aliquot canentibus aliis canere non licet, qui bini incedunt ſubmiſſa voce pſalmum, hymnum, antiphonam, precemve piam inter ſe dicant, ſupplicationi, quæ ſit, myſteriove convenientem.

Clerici omnes ſæculares, & regulares, & qui in baſilica cathedrali dignitates obtinent, bini ſemper procedant: neque item inter eos ullo modo laici homines, quocumque gradu ſint, interjecti incedant, neque item inter epiſcopum & eoſdem laicis locus ſit.

Quicumque in proceſſione erratum contra tabellæ præſcriptum commiſerit; pro præſcripta ratione punctator ſigillatim nominatimque illum notet.

Sacrarum imaginum inſignia, vexillave cleri, ne laicus homo in proceſſione præferat: ubi clericus quiſquam eſt, qui hoc munus præſtare poſſit.

In omni eccleſia, unde ad ſtatas proceſſiones clerum populumque egredi ſolenne eſt, ubi primum procedendi initium ſit, campanarum omnium pulſationes ſolenniter tam diu adhibeantur, quoad inde clerus univerſus in proceſſionis munere egreſſus ſit. Idemque cum a proceſſione reditur, præſtetur.

Itidem in eccleſiis fiat, quæ in vicinia ſunt, ubi proceſſio agitur.

Muſicis vero cujuſvis generis inſtrumentis in proceſſionibus ſonari, ne ullo modo permittatur.

In ſupplicationibus, proceſſionibuſve, quæ ſummi pontificis, epiſcopive juſſu in exteriori aut interiori eccleſiæ circuitu agantur, canonicis & aliis chori miniſtris, qui diſtributionum quovis modo participes ſunt, tantum ex communi reſidentiæ cenſu diſtribuatur, quantum ipſis dari ſolet, cum in choro præſentes horæ tertiæ officio adſunt. Si vero pro feriæ feſti-





ANNO CHRISTI 1576.

que ratione, quo proceſſio agitur, non in circuitu eccleſiæ, ſed per urbem, opidumve illa fiat, agaturve, triplum detur.

Quæ omnis diſtributionum portio detur iis tantum, ſcilicet, qui illas præſentes ebeunt.

Quod ad alios autem clericos attinet, qui proceſſioni, ſupplicationive intereſſe debent; nec vero diſtributionum participes ſunt, cum iis epiſcopi arbitratu certis mulctis, pœniſve agatur.

Quod in multis hujus provinciæ locis religioſæ conſuetudinis eſt, retinere, aut ſicubi non eſt, introducere epiſcopi ſtudeant, ut omnes, tum mares, tum feminæ ſacro ſolennitatis ſanctiſſimi corpus domini, religioſoque die, eam proceſſionis celebritatem non e feneſtris, neque omnino e ſuperiori loco inſpiciant, ſed eam proſequantur, omni piæ religioſæque venerationis ſtudio. Itidem præterea curent de aliis publicis proceſſionibus, cum illas omnes populum ſupplicem proſequendo pie obire inſtitutum ſit.

Si quæ eleemoſynæ, panis aut vini, aut aliorum ciborum, certo conſtituto tempore, pii etiam legati jure, aliove quovis nomine diſtribui debent; earum diſtributio proceſſionum ſupplicationumve tempore fiat: quo minus illa comeſſationibus, crapuliſve occaſio præbeatur, ſed illis peractis id agi liceat.

Unuſquiſque epiſcopus pro ſolennium proceſſionum, & ejuſmodi actionum ratione decernat, tum qui e clero, tum quibus diebus pluviale illis obeundis induant.

Interea vero mos & uſus metropolitanæ eccleſiæ hoc in genere ſervetur:

In miſſæ etiam ſolenni ſacrificio, proceſſionibus, & aliis ejuſmodi ſacris actionibus cautio ſit, ut eccleſiaſticæ functiones, quas in illis præſtari oportet, ejuſmodi ſint & cum corpus domini in miſſa elevatur, cereorum accenſio & ſuſtentatio & cleri in proceſſionibus item diſponendi, dirigendive ratio & id generis alia laicorum hominum opera, miniſteriumve ne adhibeatur: ſed in iis, aliiſve ejuſmodi generis functionibus obeundis præſto ſint ſacriſtiæ cuſtodes, clerici, tum magiſtri chori, vel ceremoniarum adjutores, aliique eccleſiaſtici ordinis homines, quorum miniſterium eccleſiaſticarum rerum uſui, functionive addictum eſt, tum alii item clerici, quibus ea munera epiſcopus aſſignarit.

## XII.

### *De funeribus & exequiis.*

Sicut epiſcopus dum in vita eſt, ſanctæ paſtoralis ſolicitudinis ſtudio debet ſaluti animarum invigilare; ita illud cum omni ratione conjunctum eſt, ut poſt ejus obitum eccleſiaſtici ordinis homines & laici item, quorum curæ, gubernationique paſtorali præfuit, grata piaque memoria epiſcopales vigilias ac labores, quibus ille in eo munere gerendo perfunctus eſt, proſequantur, pro illius anima inprimis Deum religioſe precantes.

Quamobrem præter ea, quæ de epiſcoporum exequiis primo concilio provinciali ſancita ſunt, hoc etiam decernimus; ut parochi & ſacerdotes ſinguli, tum urbani, tum diœceſani, ubi primum de obitu epiſcopi ſui nuntiatum eſt, novem ſingulis poſt eum nuntium diebus, quibus per eccleſiaſtici officii ritum poteſt, miſſam de mortuis pro illius anima celebrent; aut ſaltem ſtatam pro defuncto epiſcopo orationem dicant, ut in æterna recipiatur tabernacula: capituli vero ſit, de epiſcopi obitu diœceſanos parochos certiores quamprimum facere, eoſdemque hujus officii monere.

Populus itidem pro paternæ ſolicitudinis, caritatiſque officiis, quæ ille vivus pro omnium ſalute præſtitit, hoc communi parenti mortuo reddat, ut religioſis precibus, aliiſque piis ſuffragiis illius animam adjuvet.

Ad quam ſane rem ſuum quiſque populum parochus cum uſu venit, iis præſertim novem diebus hortetur accurate ac diligenter.

Ne quicquam ex ulla cujuſvis ordinis eccleſia mortui cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum aſportari liceat, niſi facultate ab epiſcopo impetrata, eaque literis nominatim exarata.

Parochus, intra cujus parochiæ fines aliquis alienæ parochiæ occiſus eſt, ejus cadaver libere alio transferri nullo prætextu prohibeat: nihilque ea de cauſa accipiat. Si vero translatio ea cum funere ſit, liberum ei ſit uti jure ſuo.

Funeribus defunctorum officiis anniverſariis concelebrandis, cum rector eccleſiæ præter clericum miniſtrum ſuum, alios etiam ſacerdotes, clericoſve, quorum miniſterio, operave utatur, acceſſere, adhibereve neceſſe habet, hoc ordine, niſi aliud defunctus, heredeſve illius voluerint, illos evocet; primo ſcilicet, ſi quos habet illius animarum curæ gerendæ quovis modo ſocios, collegas, adjutoreſve, tum illius eccleſiæ titulares, vel canonicos, vel chori miniſtros, vel demum capellanos item, deinde clericos alios eccleſiaſticæ functioni officiove in ea eccleſia addictos, adſcriptoſve; tum præterea alios, quos mortui heres, aut is, cujus intereſt, acceſſiri, evocarive maluerit. Nec vero plures adhiberi ullo prætextu etiam hujus decreti liceat, quam ille velit, vel ſacerdotes, vel alios, etiam clericos tantum, pueroſve clericali veſtitu indutos, etiam quos illi evocari ſecum duxerint; neque rurſus ad eleemoſynæ, emolumentive cujuſvis generis, eo nomine percipiendi partem ullam, neque denique ullum non vocatum admitti.

Illud præpoſiti, archipresbyteri, parochi, rectores & alii quicumque clerici caveant, ne ad funus ducendum, aut officia pro mortuis celebranda alios pro ſe mittant, emolumentum, aut ejus partem ipſi percepturi, neque ſecum pueros aut clericos ea ſpe perducant, mittantve, ut eleemoſynæ, quæ illis data erit, participes ipſi ſint; nec ſane vero ullam ejus partem ullo quovis prætextu etiam ſponte oblatam capiant; neque item qui mittuntur, plus capiant, quam ſi proprio ſolum nomine vocati eſſent.

Funeris ducendi certa hora conſtituatur, qua omnes quicumque evocati ſunt, conveniant, ut nulla interpoſita mora ad illud procedatur.

Cautio ſit ut ne ſimplices homines quidquam ſuperſtitionis cauſa apud mortuum in feretro, aut in ejus manibus ponant, aut aliud, quod ſuperſtitionis ſpeciem præ ſe ferat, aut ſuſpicionem habeat, committant.

Ubi ex noſtra in concilio primo provinciali edita conſtitutione pallium ad cadaveris feretrive tegendi uſum, quacumque ratione compara-

tum eſt, omnibus illud gratis accommodetur, ubi vero paratum nondum eſt, parochialis viciniæ hominum non eccleſiæ rectoris ſumptibus comparari decernimus.

Sin autem neque illi parent, neque mortui heres item; ſine pallio cadaver efferatur, quouſque id præſtetur.

Cadaver cum effertur, via procedatur, quæ a domo ad eccleſiam recta ac brevis ſit: ſi vero uſque adeo brevis & compendioſa eſt, ut ordines eorum, qui funus comitantur, intra illius fines contineri non queant, tunc via paulo longiori funus ducatur, idque juſſu conceſſuve ſacerdotis, qui funeri præeſt.

Omnes, tum qui dignitates obtinent, tum canonici, etiam metropolitanæ & cathedralis eccleſiæ, tum alii præterea quicumque clerici, quibus in funere candelæ, aut cerei, intortitiave dantur, eas, eave accenſa in funere manibus ipſi deferant.

Sermo ſi quis in funere habebitur, non domi, aut alio ejuſmodi loco, ſed in eccleſia habeatur.

Nec cenotaphiis, aut quas vocant, tumbis, pallia altarium adhibeantur.

Eleemoſyna, quæ clero ob funus, aut defunctorum officium datur, ne in eccleſia, cœmeteriove, aut ſpectante populo, ſed eo remoto, locoque ſeparato, factis exequiis officiiſve diſtribuatur.

Ne pactiones de funere, aut de exequiis pro mortuo celebrandis cum defuncti herede, aut alio, ad quem pertineat, a parocho, aliove ea conditione fiant, ut certa ceræ pars quæ exequiarum officiis ſupererit, ipſi heredi, aut alteri reſtituatur.

Ne parochi, aliive clerici, neque item exequiarum curatores, aliive, quicumque in funere operam ponunt, pignora capiant, quibus ſibi caveant de funerali eleemoſyna, aut de eorum operæ in funere præſtitæ mercede.

Eccleſiæ metropolitanæ, vel cathedralis, vel collegiatæ capitulum, ac ſinguli de capitulo in funere, funeriſve officio contenti eleemoſyna ſint, quæ generatim ipſi univerſo capitulo, aut ſigillatim unicuique de capitulo dari ſolet.

Idem parochi, rectores, ſacriſtiæ cuſtodes, & alii clerici inviolate ſervent ad epiſcopi præſcriptum. Pro crucibus autem & quæ circa cadaver aut cenotaphium diſponuntur, pro campanis item, lampadibuſve, aliove prætextu, aut nomine, nihil præterea capiat, exigatve; nec capitulum, nec quiſquam de capitulo, nec rector, nec ſacriſta, cuſtos, aliuſve clericus quicumque, niſi ſi quid eſt quod fabricæ, aut ſacriſtiæ, campanarum nomine dari piæ conſuetudinis epiſcopus eſſe cenſuerit; idque vere in eum uſum cedat; at pro crucibus nihil omnino, quovis etiam fabricæ, vel ſacriſtiæ nomine accipi liceat.

Quantum clericorum uſitato nomine dari ſolet, tantum cuſtodibus, qui in minoribus ordinibus conſtituti ſunt, detur; ſi in ſacris fuerint, habeant quantum ſacerdotum nomine datur.

Qui vero cuſtos vel crucem prætulerit, vel campanas pulſaverit, tunc ille accipiat, quod eo nomine tantum dari ſtatutum eſt.

Qui funeris curationem aliquam habere ſolent, utpote antiani, aliique quocumque nomine vocati, qui item corpori ſepeliendo operam navant; eos accipere non vetamus quod pro officii ſui, quod ipſi præſtiterint, opera dari conſuevit.

Crucis vero, vel campanarum, aliove quovis nomine, ne ab iis quidem quidquam in funere, vel funeris, vel exequiarum cauſa, exigi accipive liceat.

Ejus vero generis homines, & alii qui in funus ſe ingerunt, nec quidquam operæ ponunt, nihil omnino conſequantur.

Quod primo concilio provinciali ſancitum eſt, id explicatius nunc vetamus, ut ne ſcilicet clerici, neve alii quicumque ſint, qui aliquam in funere curam ponunt, veſtes, indumenta, ornamentave cadaveri adhibita, niſi a ſponte offerentibus accipiant, ſed gratis ac ſine mora iis, ad quos pertinent, omnia plane reſtituant, reddantve.

Pro loco, in quem mortuus infertur, a nemine, ne ſacriſtiæ quidem aut fabricæ eccleſiæ, aut confraternitatis alicujus, alteriuſve pii uſus nomine, quidquam prorſus exigatur: pias tamen & laudabiles conſuetudines, ut primo concilio provinciali juſſum, in hoc etiam epiſcopus ſervari jubebit.

Capitula, canonici, & alii miniſtri, quicumque ſint, eccleſiarum, ne cenotaphii, quod in officiis pro mortuis ex tabulis ſtruitur, nomine quidquam capiant.

Qui in funere officiiſve funeralibus vel exequiis quidquam ut infra, peccarit, ejus funeris officiive funeralis omni eleemoſyna, emolumentoque careat omnino; pœnaque ſit epiſcopi arbitrio, tam ei, ſi acceperit, quam præfecto, rectorive, qui dari curarit, conſenſerit, permiſeritve.

Quicumque a funere, funeralibuſve officiis ejuſmodi abfuerit.

Qui etiam ante temporis vel officii punctum ab epiſcopo præſtitutum non adfuerit.

Qui funere officiove pro mortuis peracto diſceſſerit, quod ſit, dum corpus ſepulturæ traditur.

Rurſus qui non peractis funeralibus officiis diſceſſerit.

Qui item habitu prout epiſcopus præſcripſerit, non convenerit, interfueritve.

Qui contra decretorum provincialium præſcriptum quidquam in illo peccarit.

Qui item alia commiſerit ex iis, ob quæ epiſcopi juſſu pro abſente habendus ſit.

Qui item funeris, exequiarumve curatores, utpote antiani, vel alio vocati nomine, per ſe muneris ſui partes non obierint.

## XIII.

### *De diſtributionibus:*

Quibus in eccleſiis tertia pars fructuum redituumve dignitatibus, perſonatibus, officiiſque obvenientium nondum ex Tridentino decreto in diſtributiones diviſa eſt; id epiſcopus, ubi expedire cenſuerit, præſtet. Diviſione vero facta, quicumque ex epiſcopi præſcripto, functiones, miniſteriumque debitum quolibet ſtatuto die non expleverit, diſtributionem illius diei amittat, quæ Tridentini concilii juſſu, fabricæ eccleſiæ, aut piorum locorum uſui, epiſcopi arbitratu attribuatur. Seſſ. 24. de ref.

De





De diſtributionibus item quotidianis ex tertia illa parte fructuum, decreto Tridentino præſcripta, vel conſtituendis, vel augendis, ubi nondum illud actum eſt, quamprimum epiſcopus præſtet. Quibus etiam in eccleſiis, vel cathedralibus vel collegiatis, quamvis reliquis divinis officiis congruus quotidianarum diſtributionum cenſus aſſignatus ſit, aliquibus tamen canonicis horis, aut ceteris officiis, etiam extraordinariis, quavis auctoritate inſtitutis, nullæ quotidianæ diſtributiones adſcriptæ attributæve ſint, aut ſi attributæ ſint, exiguæ illæ quidem atque uſque adeo tenues, ut veriſimiliter negligantur; in iis epiſcopus vel de communi reſidentiæ, diſtributionumque quotidianarum cenſu, ſi amplius ſit, certam portionem arbitrio ſuo congruam, capituli ac reliquorum, qui ejuſdem cenſus participes ſunt, conſenſu detrahat, eamque ipſam ſtatam unicuique ex illis canonicis horis officiiſve attribuat, adſcribatve perpetuo, vel omnino ipſe auctoritate & facultate ſibi ab eodem Tridentino concilio data, quemadmodum etiam a ſancta ſede apoſtolica declaratum eſt. Decretum itidem illud Tridentinum exequatur, ut ſcilicet e fructibus reditibuſve cujuſvis generis, qui dignitatibus, canonicatibus, perſonatibus, aliiſve obveniunt, congruam partem, quæ tamen tertiam non excedat, arbitrio ſuo ſtatuat; quam in quotidianas diſtributiones converſam, ſingulis his divinis officiis horiſve canonicis, quibus nulla vel tenuis tributa eſt, certam diſtribuendam perpetuo aſſignet, ut ſtata ea congruaque portione conſtituta vel adjuncta, illæ deinceps veriſimiliter non negligantur.

In diſtributionum autem tenuitate dignoſcenda, ratio ſemper habeatur tum canonicorum, tum aliorum omnium, quibus illas percipiendi, ſi reſidentes munus ſuum obeant, jus competit: ſive illi modo præſentes reſidentiæ munus vere præſtent, ſive abſentes ob legitimam etiam cauſam impedimentumve reſidere, ea ceſſante, deberent aut poſſent.

Parochus vero qui canonicatum dignitatemve, ac ſimul eccleſiam parochialem legitime obtinens, reſidentiæ parochialis munus obit, ut literis Pii quinti pontificis maximi ſancitum eſt, illius vel dignitatis, vel canonicalis præbendæ fructus redituſve capiat: at tertiæ ejus partis ne particeps ſit, quæ ejuſdem Tridentinæ ſanctionis auctoritate, in diſtributiones converſa, ſibi abſenti obvenire non poteſt, nec debet; ſed aliis præſentibus, chorique officia obeuntibus, accreſcat; aut epiſcopi arbitratu, fabricæ eccleſiæ, piiſve locis attribuatur, ad ejuſdem concilii Tridentini præſcriptum.

Ut divinis officiis obeundis, quoad ejus fieri poteſt, apti & idonei miniſtri adſcribantur, cum aliqui deinceps in cathedralibus aut collegiatis eccleſiis ſe in canonicorum reſidentium collegium cooptari, & ad jus diſtributiones percipiendi admitti petunt, hæc ſerventur;

Primo, ut ab ea re omnis ambitio abſit, qui cooptandus erit, hoc jurejurando obſtringatur;

*Ego N. per hæc ſancta Dei evangelia juro, me neque precibus, neque precio, neque alia ratione egiſſe, aut alias curaſſe, quo minus hoc experimentum integre, fideliterque fieret: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.*

Deinde periculum experimentumve fiat; an qui ſe cooptari petit, ad omnia ea recte in cantus modulatione præſtanda idoneus ſit, quæ aliquo modo aut tempore ad ejus munus parteſve pertinere poſſunt; hocque pro ratione & diverſitate presbyteralis, diaconalis, & inferioris etiam functionis. Id vero fiet in conventu capitulari, duobus ex capitulo adhibitis, qui primo jurati ſe nihil fraudis in ea re ſibi commiſſa, facturos eſſe, hoc præſtent, ut ei, de cujus cooptatione agitur, certos locos, ſcriptave, quæ cantu enuntient, primum aſſignent; tum propius aſſiſtendo videant, num is modulatione, aliove modo erret.

De eodem autem approbando poſtea agetur, reſque occultis ſuffragiis permittetur, quibus ſtatim deliberetur ac decernatur.

Cum de manſionarii, aut alterius eccleſiæ miniſtri, qui canonico inferior eſt, cooptatione agetur; is etiam præſcripta canonicis cooptandis ratione a capitulo canonicorum probetur. Cui probationi quatuor, pluresve ejuſdem ordinis miniſtri, a præfecto capituli peritiores delecti, intereſſe poſſint; quorum de eo cooptando ſententiam capituli præfectus rogabit: tum illis remotis de approbatione aut rejectione capitulum decernet, ſuffragiis occulte latis.

De eo autem, qui in eccleſia cathedrali poſt epiſcopum, aut etiam in collegiatis primam dignitatem obtinet, experimentum periculumve fiat ab epiſcopo ſolum, ejuſve vicario, adhibito in conſilium præfecto chori & canonico uno ex capitulo illius eccleſiæ; in qua is, de quo agitur, dignitatem habet, & aliis præterea peritis viris, quos aliunde adhiberi epiſcopus maluerit.

Quibus vero in eccleſiis antiqui probatique inſtituti eſt, de eo etiam a capitulo examen experimentumve fieri, id hujus decreti auctoritate non abrogetur; ſed capitulo præſcripta ſupra in canonicis probandis ratio in ipſo etiam probando ſervetur.

Si cooptatio, probatiove ulla fiet, illis ſupra præſcriptis rationibus non ſervatis, irrita ſit ac plane nulla.

In ipſo probationis examine, in primis eccleſiæ magis minuſve inſignis, ratio aliqua habeatur.

Non ſolum de ea facultate periculum fiat, quæ ab arte; & ab ea exercitatione proficiſcatur, ſed de ea quoque, quæ eſt a natura: videndumque num cuiquam natura alicui impedimento ſit, quo minus obire munera ſua ſi non perfecte, at ſaltem aliquo modo poſſit.

Porro moderatio adhibeatur, ut in iis quidem modulationum generibus, qui cooptari vult, ſe ex tempore peritum præbeat atque exercitatum, quæ in ejus officio frequentiora ſunt: quæ vero rarius incidunt, præſtare quidem aptus ſit, ſed congruo ſpatio temporis dato ad ejus generis rationem prævidendam.

Præterea, quibus univerſæ chori pſalmodiæ onus ſuſtinendum eſt, in iis mediocrem peritiam, artiſque cognitionem ſufficere, æſtimari non convenit: cum iis vero, quibus id non incumbit, mitius agi debet; in chori magiſtro perfecta ars, & peritia omnino requiretur: eademque diſtinctio & ratio habenda eſt de voce, & ejuſmodi naturæ adjumentis.

Si timore, aut aliqua alia perturbatione factum eſſe præfectus ſuſpicatus erit, ut quis minus idoneus viſus ſit, is ne rejiciatur, ſed octo dierum ſpatio certa alia dies conſtituatur, qua rurſus periculum fiat: iterum vero id timoris, aut aliud nomen ejuſmodi prætendi non poſſit.

In

ANNO CHRISTI 1576.

In iis vero, qui injuria ſe repulſam tuliſſe putabunt, aut amplius octo diebus protracti erunt, ſervetur decretum noſtrum in concilio provinciali ſecundo promulgatum.

Quicumque, dum alicujus ſtatæ horæ officium in choro peragitur, miſſam celebrando, tunc a choro abfuerit; illius horæ diſtributionis, tamquam abſens particeps ne ſit, ut a ſancta ſede apoſtolica declaratum eſt. Id vero niſi præ abſentia ſacerdotum, qui in eccleſia tunc miſſæ ſacrificium faciant, neceſſitas aliquando inciderit, ut præfectus canonicum aliquem ſacerdotem e choro exire, a ſtatæque horæ officio abeſſe, miſſæ celebrandæ cauſa, jubeat, ni niſi a ſede apoſtolica aliter conceſſum fuerit.

Aliqua dignitate præditus, & canonicus, aliuſve quicumque, qui etiam ob cauſam, ut puta ob litem ejuſdem beneficii ſui eccleſiaſtici ſibi illatam, conteſtatamve, ordinem ſacrum, illi eccleſiaſticæ ſuæ dignitati, canonicatuive, beneficiove annexum, ſuſcipere diſtulerit; ne diſtributionum quotidianarum, antequam illum ſuſcipiat, particeps ſit, cum debiti ſui muneris, cujus cauſa illæ debentur, partes obire, præſtareve non poſſit.

Cum & Tridentinis ſanctionibus, & noſtris etiam provincialibus decretis, multa ſalutariter de divinis officiis, functionibuſque eccleſiaſticis, atque aliis ejuſdem generis conſtituta ſint, ut ad eorum præſcriptum omnes, ſinguli que provinciæ noſtræ canonici, capitula, & dignitate præditi, reliquique omnes eccleſiarum miniſtri, chori officiis quocumque jure, nomine, titulo, modove aſtricti, ſeſe conforment; divinaque officia, proceſſiones, funeralia & alia quæ eccleſiaſtici muneris, eccleſiaſticarumque functionum ſunt, recte obeant; ad eaque non ſolum conſtitutis horis, ac præſcripto modo conveniant; verum etiam in iis ipſis pie devoteque verſentur & perſiſtant, ſuis quoque functionibus, muneribuſque ſatisfaciant: tum præterea ex eorumdem decretorum præſcripto canonici capitula habeant, ad ea conveniant item; in illis denique ut par eſt, recte verſentur, ac rurſus ab omnibus & ſingulis erratis, quæ notata caveri ſancitum eſt, prorſus abſtineant: triplicem tabellam ordine explicatam, ex decretiſque provincialibus breviter deſcriptam, & quæcumque in earum unaquaque vel univerſe, vel ſigillatim, aliave ratione præſcripta ſunt, propoſitis ſuo loco pœnis accurate ſervari, in executioniſque uſum introduci ſancimus.

Tum præterea eamdem, cum de ſcripto ſtatis quibuſdam diebus, frequenti capitulo, & reliquis, quorum intereſt, legi, pronuntiarique mandamus; tum in omni ſacriſtia, etiam parochialium eccleſiarum, certo perſpicuo loco decore affixam, in omnium conſpectu proponi, perpetuoque retineri ſancimus.

Singulis vero iis tribus tabellis pro eccleſiæ, diœceſiſque ſuæ rationibus, ab unoquoque provinciæ noſtræ epiſcopo, ex præceptionibus ſuis, probatiſve eccleſiæ ſtatutis, alias præterea erratorum notas, punctationeſve, prout opportunum ipſe cenſuerit, addi perpetuo liceat.

Quod de punctatorum jurejurando in concilio provinciali primo ſancitum eſt, id & ab iiſdem, & ab unoquoque item punctatore, qui vel ſtati diei, vel funeris, vel anniverſariorum, vel proceſſionum, vel aliorum denique divinorum officiorum cauſa, etiam in collegiatis aliiſve eccleſiis conſtitutus eſt, præſtetur, non modo, cum punctatoris officium ſuſcipiunt; verum etiam in publico diœceſanæ ſynodi conventu, qui habebitur, dum ipſi id officium gerunt; quo religioſius unuſquiſque eorum excitetur ad debitum in munere ſuo obeundo diligentius officium cum fidelitate conjunctum adhibendum. Jurisjurandi formula hæc ſit;

Ego N. punctatoris officium, quod ſuſcepi, per hæc ſancta Dei evangelia juratus ſancte promitto ac ſpondeo, me fideliter & ſincere, quantum in me eſt, executurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia; Vel ſi juret ſuper ſacras reliquias, & hæc ſanctorum pignora.

Punctatoribus ſingulis, ubi primum delecti illi ſunt, præſcripta illa triplex tabella, duobus de capitulo præſentibus, ante legatur, quam jusjurandum præſtent.

Si quis autem punctator non juratus id munus inierit aut geſſerit, mulctetur pro modo culpæ, epiſcopi arbitratu.

Uniuſcujuſque punctatoris officium ac munus deinceps trimeſtre ſit: quod tempus ab epiſcopo, & ab capitulo ſuo cuique punctatori prorogari liceat.

Punctatorum, quos epiſcopus, capitulumque, ex præſcripto primi provincialis concilii, conſtituerit, cura & officium ſit, tum capituli univerſi, tum uniuſcujuſque dignitate præditi, canonicive abſentiam & errata notare.

Unuſquiſque eorum, quod ad notandi rationem attinet, in iis omnibus & ſingulis, quæ conciliorum provincialium, & primi præſertim decretis, eo de genere præſcripta ſunt, ſui muneris curæque partes præſtet.

Accurate in primis recteque notet; non eos ſolum ſingulos, qui ſtatis canonicis horis a choro abfuerint, verum etiam unumquemque, contra decretorum provincialium & tabellarum præſcriptum, in choro, in proceſſionibus, in funeralibus, diviniſque aliis officiis errantem, peccantemve.

Abſentiæ nota, punctatiove, qua punctatores utentur, una eademque ſit, & aliqua ratione ab iis notis diſtincta, quæ erratis notandis uſui erunt.

Errata ſingula in prima tabella deſcripta, una eademque punctationis ratione notentur, niſi erratum aliquod ejuſmodi ſit, ob quod, præter diſtributionum mulctam, alia etiam pœna arbitratu epiſcopi propoſita eſt: Tunc enim hujuſmodi erratum ſigillatim accurateque per punctatores notetur, ac de eo hebdomadæ, aut menſis ad ſummum ſpatio epiſcopus certior fiat, qui errati pœnam exequatur.

Quicumque errata in ſecunda tabella adſcripta commiſerit, ejus errata, prout ſunt, enucleate, explicateque notentur, ut pro culpæ ratione, a chori præfecto, ex facultate ſibi data, aut ab epiſcopo mulctetur, puniaturve. Idem notandis tertiæ tabellæ erratis ad capitulum pertinentibus per eoſdem ſervetur.

Si quod erratum triplici tabella notatum ab ullo quovis, aut etiam ab univerſo capitulo, committi punctator ullus animadvertit, idemque ſciens libro ſuo notare prætermiſerit; pro prætermiſſæ, omiſſæve cujuslibet notæ, aut punctationis ratione, de ſuo tantumdem det, quod ad eccleſiæ uſum convertatur.

Quæ



ANNO CHRISTI 1576.

Quæ diſtributiones ab epiſcopo, ſacriſtiæ, aut alii loco pio adjudicentur, tum aliam etiam graviorem pœnam, pro culpæ ratione ejuſdem epiſcopi arbitratu pendat.

Unuſquiſque præterea punctator ſingulis diebus, cum divina officia peracta ſunt, quos pro abſentiæ, aut erratorum ratione in choro notarit, eos præfecto chori, præſentibus aliis de capitulo, qui eo loco tunc adfuerint, in ſacriſtia, aliove loco, ubi ſuperpellicea, canonicaleſve cappas & induunt & exuunt, cum primum eo clerus collegiatim a choro redierit, nominet, errataque ſingula exponat.

Si quis vero erit, qui aliquam abſentiæ ſuæ, alteriuſve facti cauſam afferat, quamobrem ſe contra præſcriptas regulas quidquam non egiſſe, admiſiſſeve, nec propterea abſentiæ, ulliuſve errati pœnam commiſiſſe putet: id tunc chori præfecto coram punctatoribus plane ſignificet. Nec vero ſi punctator contradicat, is cum illo non modo non contendat, neque verbum ullum commutet, ſed ne reſpondeat quidem; imo vero ſtatim inde ſecedat. Præfectus autem ceteris, præter punctatorem, ſemotis, de re tota deliberet; atque ſi ita plane rem ſe habere manifeſte compererit, ut nullam vel abſentiæ, vel errati culpam ille commiſerit, illius punctationem in choro mutatam, deleri jubeat. Si vero ita ſane non conſtiterit, in librum punctationum omnino referri mandet.

Quod ſi quæ vel difficultas, vel ambiguitas erit, vicarius epiſcopi conſulatur, qui totam rem ſtatim ſine forma judicii libere arbitratu ſuo ſtatuat, ut primo concilio ſancitum eſt.

Sin autem hæc, notatos, errataque in ſacriſtia, aut alibi canonicis, capitulove nominandi ſeu exponendi ratio aliquid vel incommodi, vel turbæ, vel diſſenſionis, vel rixæ offenſioniſve afferat, aut punctatores ipſos ab officii ſui libertate deterreat; epiſcopo integrum ſit, illam omittere, reſcindere, atque abrogare, ut magis expedire cenſuerit.

Punctator præterea, qui vel idem, vel alius ſit, ab epiſcopo conſtituatur: cujus officium erit, ſingulos manſionarios, capellanos, ſacriſtas, cuſtodeſve, alioſque eccleſiæ miniſtros, chori officiis adſtrictos, qui ſtatis horis ab illis fuerint, quive contra tabellarum præſcripta, aliave, ut ſupra, errata commiſerint, diligenter obſervare; eoſdemque in choro quamprimum notare.

Idem ſtatis diebus notet, pro abſentiæ, & erratorum, quæ in tabellis explicata ſunt, ratione, clericos eccleſiaſticoſque homines, Tridentini ac provincialis decreti auctoritate, cathedrali vel collegiatæ eccleſiæ adſcriptos, ut ii, quamvis reſidentiæ diſtributionum, quibus mulctari poſſunt, participes non ſint: tamen a chori præfecto ſalutari aliqua pœnitentia afficiantur ac corrigantur, tum etiam pro culpæ, negligentiæ, errative gravitate, epiſcopi judicio plectantur.

Hic item punctator juret, officium tribus menſibus gerat; abſentes & errantes obſervet, notet; notatoſque in ſacriſtia nominet; & ſtatam in libro punctationem ſervet; & in ſuo munere cetera omnia, quæ aliis punctatoribus præſcripta ſunt, præſtet.

Singulis hebdomadis, ut eſt primo concilio provinciali decretum, punctationum ſuarum libros conferant inter ſe punctatores illi, quorum alter ab epiſcopo, alter a capitulo, ex eodem provinciali primo concilio delectus eſt: ex qua collatione, tum quidquid pro ſuæ quemque perſonalis in choro reſidentiæ munere præſtitiſſe, tum rurſus, pro abſentiæ, erratorumve ratione, quoties officio ſuo defuiſſe, diligenti punctationum ſupputatione facta conſtiterit; id firmum ratumve uſque adeo ſit, ut eo collato in ſingulas hebdomadas calculo, tribus primis uniuſcujuſque menſis diebus, canonicalis miniſterii aut operæ, quam quis in choro præſens, menſe proximo ſuperiori recte & rite obierit, certa firmaque ſupputatio, a præfecto chori, & a punctatoribus conſtituatur: qui præterea eo nomine conſtitutæ illi ſupputationi ſubſcribant.

Eam vero cautionem punctatores adhibeant, ut, cum in libris conferendis aliquid compertum eſſet, quod ullo quovis modo diſcreparet, antequam illa punctationum, diſtributionumve ſupputata ratio conſtituatur, quæ ſtata, firma & ſubſcriptione munita ſit, epiſcopum, aut ejus vicarium conſulant: qui ex concilii provincialis primi decreto, ſine ulla forma judicii omnem controverſiam dirimat.

Ad certæ illius collatæ & conſtitutæ ſupputationis rationem, menſe Octobri, aliove, ſingulis annis, omne, quod ex communi capituli cenſu habere quis debet, recte pro uniuſcujuſque eccleſiæ more ſupputetur. Cui ſupputationi, calculove, præfectus capituli, & alter chori, item punctatores, canepariis capituli, &, ſi ita capitulo videbitur, duo item alii a capitulo delecti, præſentes adſint.

In eo omni calculo cautio omnino ſit, ut unicuique vere detrahatur, quod detrahi par eſt, pro ratione dierum & horarum canonicarum, quibus a choro diviniſque officiis abfuerit: niſi illum iis cauſis abfuiſſe contigerit, ob quas Tridentina ſanctione, conſtitutionibuſque provincialibus quis, licet abſens, in præſentibus tamen cenſetur.

Tum detrahatur item pro ratione erratorum, ſi quæ ille commiſerit.

Huic ſupplicationi ita initæ, ac detractæ, præfectus capituli, & item chori, & illi duo a capitulo delecti, ac punctatores item ſubſcribant.

Tabulæ vero, ſyngraphæ, aut ſcripta hujus ſic initæ, & ſubſcriptione obſignatæ ſupputationis, theſaurario, canepariove capituli tradantur, ut, quod unicuique debetur, ſtatis temporibus, pro illius conſtituti calculi ratione perſolvat. Aut eidem conſentienti, quantum quiſque pro illius ſupputationis ratione habere, capereve debet, tantumdem cedat e communi reſidentiæ cenſu.

Ne capitulum, aut theſaurarius, caneparius capituli, aliuſve quicumque qui diſtributiones partitur, cuiquam de capitulo, aliive chori miniſtro, etiam, qui præſens divina officia obierit, ne eo quidem nomine, quod diſtributiones jam ſuas reſidentiæ munere cum feciſſe conſtet, ante ſtata ſolutionis tempora perſolvat, vel eo nomine ceſſionem alicujus exactionis ante faciat.

Cum vero ſolutionis ſtata dies venerit, ne cuiquam item ſolvat, cedatve, niſi tabellam illam, ſyngraphamve acceperit, cui a præfecto capituli, & a præfecto item chori, & a punctatore etiam epiſcopali, & ab altero item capitulari, & ab aliis præterea duobus ſubſcriptum ſit,



ſi

ANNO CHRISTI 1576.

ſi quos ſupputationi capitulum conſtituerit, ac præterea, niſi mandatum ſolutionis, ceſſioniſve a præfecto capituli acceperit, ab aliove, ad quem de more ſpectat.

Si vero plus ſolverit, vel ceſſerit, quam ſupputationis ratio tulerit, aut ante ſolverit, ceſſeritve, quam certæ illius ſupputationis ſyngrapham ſubſcriptione, ut ſupra, obſignatam acceperit: unius menſis diſtributionibus, & aliis arbitratu epiſcopi mulctis, ſacriſtiæ aut ſodalitati corporis domini in ea eccleſia conſtitutæ, aliive pio loco attribuendis, plectatur. Quibus pœnis, mulctiſve præfectus etiam capituli, & chori item, & punctatores, atque ad ſupputationem ita delecti illi duo capitulares, qui ejuſmodi ſolutioni, ceſſionive ullo modo aſſenſerint, afficiantur.

Quam mulctam, pœnamque iidem ſubeant, ſi alio quovis modo in eo aſſenſerint, ut cuiquam ſolvatur, cedaturve diſtributio aliqua illorum dierum aut horarum canonicarum, officiorumve, quibus vel præſens ille in choro non adfuerit, vel erratum hujuſmodi in divinis officiis contraxerit, ut provincialibus decretis, aut præſcripto tabellæ, aut alio quocumque jure cenſeri in abſentibus debeat.

Qui vero vel ante ſolutionis, ceſſioniſve, & ſyngraphæ tempus, vel pluſquam ſibi debeatur, ullo quovis modo pactove acceperit, is ab epiſcopo & reſtituere cogatur & triplo mulctetur, quod locis piis, ejuſdem epiſcopi arbitratu, attribuatur.

Si vero ulla cujuſvis generis cauſa, cauſæve ſpecie, aut prætextu cuiquam diſtributiones, aut ab univerſo capitulo, aut ab eorum ſingulis, contra provincialia decreta & præſcripta dari, donari, remitti, aut quavis colluſione concedi contigerit: ne illas quiſquam capiat; ſi perceperit, retinueritve, ne ſuas faciat, ſed reſtituere cogatur. Capitulo autem, quod tacite vel expreſſe ei rei conſenſerit, pœna ſit, ut diſtributiones aliquot epiſcopi arbitrio, aut ſacriſtiæ, aut confratriæ ſanctiſſimi corporis domini in eccleſia conſtitutæ, aut aliis piis locis attribuendas, ſolvat.

Hæc omnis ratio in ſupputatione & ſolutione diſtributionum capitularium, ſupra præſcripta, pœnæque ibidem propoſitæ locum etiam habeant in quovis diſtributionum cenſu, qui ad manſionarios, ſacriſtas, cuſtodes, aliolve chori miniſtros & inferiores canonicis quocumque nomine nuncupatos, pertineat.

Itidem, ut ſupra, de eorum ipſorum punctatoribus, theſaurariis, canepariiſve, ſi quos a capitulari cenſu, theſaurario, caneparione & punctatoribus diſtinctos habuerint, decretum ſit. At loco eorum duorum, qui de capitulo ad ſupputationem adhibendi ſunt, alii itidem duo ex ipſis inferioribus chori miniſtris, diſtributionum cenſum a capitulari, canonicalive ſeparatum habentibus, adhibeantur: iique ab iiſdem, ad quos cenſus pertinet, eligantur.

Ex punctationum libris, annis ſingulis expletis, jubeat epiſcopus ab eo, cui ipſe id curæ dederit, diligenter rationem inſpici dierum, quibus unuſquiſque, vel dignitate præditus, vel canonicus, vel ſacriſta, vel cuſtos, aliuſve eccleſiæ miniſter, chori officiis adſtrictus, ad illa non convenerit. Qua perſpecta & [illegible] etiam ratione, ſi quem diutius tribus menſibus a choro abfuiſſe compererit, quamvis in urbe opidove, in quo eccleſia eſt, manſerit; illum tamquam abſentem, præter diſtributionis amiſſionem, fructibus etiam præbendæ & aliis item pœnis, pro contumaciæ gravitate, ex concilii Tridentini ſanctione contra eos, qui amplius trimeſtri ſpatio abfuerint, edita mulctet.

## XIV.

*Quæ pertinent ad capitula cathedralium & collegiatarum eccleſiarum.*

Quorum capitulorum epiſcopi conciliis provincialibus Mediolanenſibus intereſſe & conſtitutiones decretaque illis conciliis edita, ſervare ſolent aut debent; ea capitula, ſive cathedralium ſive collegiatarum eccleſiarum in provincia noſtra ſint, etiam ſi quæ ab epiſcopi, metropolitanique jure ſe quocumque modo exempta, ſedique apoſtolicæ immediate ſubjecta eſſe prætendunt; cum illa, ſicut eorumdem epiſcopi, ut a ſancta ſede apoſtolica decretum eſt, conciliorum provincialium conſtitutionibus & ſanctionibus & decretis aſtricta ſint, illas place univerſas ac ſingulas amplectantur, ſuſcipiant, ſervent, atque obediendo exequantur, tum univerſe eadem capitula, tum ſigillatim ſinguli quicumque de capitulo ſunt. Idque ut præſtetur, efficiat epiſcopus omni ratione, omnique juris remedio.

Quod ſi quæ capitula, aut ſi qui de capitulo contra fecerint; ab eorum epiſcopis pro modo culpæ contumaciæque plectantur. Si quis vero epiſcopus id efficere neglexerit, ut ab ſuis capitulis, atque ab iis, qui de capitulo ſunt, ſingulis, provincialium conciliorum conſtitutiones, decretave executionis uſum vere ac integre inducantur; norit ſe in proximo concilio provinciali negligentiæ hujus rationem redditurum eſſe.

Cum de rebus patrimonii capitularis, de locationibus, de contractibus, de officiis conferendis, ac de aliis item, præfecti judicio gravioribus in capitulo deliberandum eſt, earum rerum deliberatio ac tractatio tum ſuffragiis occultis permittatur, tum illæ res, quo maturius conſultentur, in uno capitulo propoſitæ, in alio deliberentur. Si vero res ejuſmodi eſt, quæ diutius differri non patiatur; triduo ſaltem ante capitulum indicatur, ſinguliſque canonicis res & cauſa ſignificetur; de qua in eo capitulo conſultatio ac deliberatio futura eſt. Quod ſi præterea res ſit ejuſmodi, quæ inſtet atque urgeat, neque longius ullo modo protrahi debeat, ita ut ne triduo quidem conſultatio expectanda ſit, tunc capituli præfecto liberum & integrum ſit brevioris temporis ſpatio capitulum convocare, modo, ut ſupra, unicuique de capitulo, qui non abſit, nuntiari rem jubeat, de qua deliberandum & conſultandum ſit.

Ubi ex inſtituto eccleſiæ cathedralis, vel collegiatæ eſt, qui cancellarii capitularis officium muniſque gerat, is officio ſuo, cum in ceteris vere ſatisfaciat, tum in eo etiam, ut ejuſmodi capituli acta, & quas vocant, capitulares ordinationes, actioneſve in librum certum, notatis ſingulis diebus, ſine mora referat. Qui liber in archivo capitulari diligenter aſſervetur. Ubi vero non eſt, a capitulo diligenter unus de capitulo, qui certa, ſi opus erit, ex capituli univerſi conſenſu conſtituta mercede, id cancellarii munus per biennium gerat; quo tempore



ANNO CHRISTI 1576.

pore confecto, alter in ejus locum eligatur, & itidem deinceps.

Notarii autem officio atque opera capitulum in iis potius actionibus utatur, quæ ad cauſas, lites, inſtrumentave publica conficienda, aut ad alia ejuſdem generis pertinent.

Qui notarius ejuſmodi inſtrumentorum exemplum, publica auctoritate roboratum, curante in primis canonico cancellario, in archivum ante annum confectum referat.

Quo jurejurando canonici etiam ex ſtatutis & conſtitutionibus eccleſiæ probatis inter ſe obſtricti, aliave ratione ſpondent, ſe nihil quidquam, quod in capitulari canonicalive conventu agitur, patefacturos, aut divulgaturos eſſe; decernimus atque declaramus, eo non obſtrictum aut impeditum quemquam eſſe, quo minus ad epiſcopum deferat, ſi quæ, vel capituli, vel canonicorum, aliorumve, qui de capitulo ſunt, errata ſint; quæve emendationem, correctionemve deſiderent, atque adeo quæcumque eo de genere ſibi patefieri, denuntiarive ille juſſerit; tum etiam ſi quæ alia ab eodem ſciri, cognoſcive expedierit, tum ea maxime quæ ſuperioribus conciliis ad epiſcopum deferenda eſſe decretum eſt.

Ne liceat canonicis, aliiſve de capitulo bona, reditus, & proventus, aut exactiones, emolumentave, etiam incerta, ad capitulum quovis modo ſpectantia, per ſe, vel per interpoſitam perſonam, ne ad modicum quidem tempus conducere, alioqui contractus omnes irriti ſint ac nulli: & tam locatores quam conductores canonici, epiſcopi arbitratu puniantur.

Idem ſancimus de eorum propinquis & conſanguineis ſecundo, vel arctiori gradu junctis, niſi quod ad hos attinet, cognita eccleſiæ utilitate epiſcopus id ſcripto conceſſerit. Exactionem tamen decimarum capituli, etiam ab iis de capitulo ſuum ad uſum conduci liceat, facultate ab epiſcopo data, cum gravis cauſa urgebit, ac ædes etiam capitulares habitandi cauſa.

Cum præbendæ canonicales diſtinctæ non ſint, niſi obtinentium nomine, iique, ubi optionum uſus eſt, modo has, modo illas optent, ſæpe fit ut earum bona, prædiaque confundantur, ac jura propterea aliquando intereant. Quamobrem epiſcopus curet, ut quod in nonnullis etiam hujus provinciæ cathedralibus eccleſiis conſuetudinis eſt, non poſſidentis, ſed ſancti alicujus nomine, quod eorum unicuique de conſilio capituli eccleſiæ, de cujus præbendis agitur, ſemel impoſuerit, ſingulæ diſtincte appellentur. Hac autem in re hoc caveatur, ut, ne, qui eas obtinuerint, titulo ſancti, quo illæ nominantur, ipſi appellentur: quippe cum ea titulorum ratio, ex inſtituto, uſuque ampliſſimis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus presbyteris ſolum conveniat.

## XV.

*De parochiis & parochialibus juribus ac officiis.*

Illud epiſcopus ſolicitudinis ſtudio exequatur, ut quibus eccleſiis parochialibus, inopia laborantibus, nulla adhuc ratione ſatis ſuppeditatum eſt adjumenti; iis aut beneficiorum eccleſiaſticorum adjunctione, unioneve, aut primitiarum, decimarumve attributione, aut parochialis viciniæ incolarum ſymbolis, collectiſve, aut alia, quæ ſibi videbitur commodiori ratione omnino ſuccurratur, ad concilii Tridentini præſcriptum.

Quod concilio provinciali tertio de ædibus parochiale domicilium nullum habenti, conducendis, decretum eſt; idem etiam de ſocii adjutoriſve, ad munus parochiale ob quamvis cauſam ei adjuncti dative habitatione decernimus & conſtituimus: epiſcopus vero cum iis, quibuſcum oportet, omni jure agat, ut ædes eccleſiæ parochiali quam maxime poteſt vicinas & parocho & coadjutori etiam quamprimum illi tradant; aut, ſi ita opus eſſe cenſuerit, ædificent: intereaque domicilii conducti penſionem, ſumptumve uni & alteri item ſuppeditent. (Seſſ. 21. c. 4. de ref.)

Parochum autem, qui quacumque de cauſa parochialis curationis ſocium, vel adjutorem habet, tum ipſum, tum illum item in habitatione parochiali manere ac reſidere cogat & fructuum mulcta & aliis præterea pœnis arbitratu ſuo irrogandis.

Si vero præ domicilii parochialis anguſtia unus & alter item illius habitatione uti, epiſcopi judicio, nullo modo poteſt; tum eorum alterum, quem ipſe epiſcopus, propoſita ſibi majori illarum animarum utilitate, delegerit, in domo parochiali, alterum in domicilio proxime conducto aut tradito habitare, reſidereve epiſcopus jubeat, cujus ſit efficere, ut id omne & de domo eorum alteri tradenda, ædificandave, & de ea interim conducenda, plane a quibus debet, præſtetur.

Qua in eccleſia duo pluresve parochi in animarum cura gerenda conſtituti ſunt, cum ex parochialibus vel portionibus, vel functionibus, quas præſtare debent, ſæpe inter eos rixæ, contentiones ac diſſidia & ſpiritualia populis damna exiſtant, indeque populis offenſionum exempla, ſcandalaque afferantur; epiſcopus, ut huic rei a parochiali cura alienæ & parochorum diſciplina indignæ occurrat, certos parochialis viciniæ limites pro illorum numero, ædibus aut viis perpetuo diſtinguat; quos ita diſtinctos in curam eorum unicuique pro limitum diſtinctione tradat, ita ut intra ſuos quiſque fines parochialem curam gerat.

Si quæ vero parochialia officia in illa eccleſia obiri oportet, quorum officiorum functiones recte dividi non poſſe aut non expedire cenſuerit, illa ab iis ſingulis æque communiterve præſtari decernat. Diſtributa autem parochialis curæ officia, ſi eorum unus aut impeditus eſt, aut adjutore adjumentove ob fidelium, qui ſuæ curæ ſunt, multitudinem aliamve ob cauſam opus habeat, ab altero, aliiſve, ſine ulla mora, exceptione, excuſationeve, prout epiſcopus vel ſtatuerit, vel juſſerit, obeantur item ac præſtentur.

Ubi vero ea perpetuæ parochialis curæ partitione minus ſalutariter proſpectum, conſultumque fore idem cenſuerit; eorum unum, morum gravitate curæque gerendæ peritia atque uſu præſtantem, alteri aliiſve præficiat: emolumenta item extraordinaria, aliaque id generis, unde diſcordiarum ſemen in illis exiſtit, in unum, ut nonnullis locis moris eſt, collata, certo ſtato tempore inter eos dividi jubeat; aut aliqua denique ratione, quam potiorem duxerit, obviam eat iſtorum & diſcordiæ & negligentiæ, qua fit, ut alter in alterum ſæpe parochialis muneris curam rejiciat. Nec vero ullo unquam modo patiatur, permittatve illos certa quadam hebdomadarum partitione aliave ratione inter ſe inita, munus miſſæ ſacrificii

ANNO CHRISTI 1576.

in parochiali eccleſia faciendi, aut reliquas parochialis officii functiones, quæ ab utroque etiam diebus eiſdem utiliter præſtari poſſunt, ita inter ſe dividere, ut ab uno tantum eorum, alternatim ſcilicet, vel per hebdomadas, vel alia temporis viciſſitudine præſtentur. Non enim ferendum eſt, ut cui eccleſiæ parochiali complurium ſacerdotum, miniſtrorumve ſtipendia, alimentave olim attributa ſunt, quo diligentius & cautius illorum copia tum divinorum officiorum cultui, tum aliis miniſteriis ad ſpiritualem populi curam neceſſariis, opportuniſve conſultum eſſet; illi aut avaritiæ ſtudio aut diſſidio, negligentiave ducti, vel onus ſibi impoſitum minoris quam par eſt æſtimantes, perinde ei eccleſiæ deſerviant, ac ſi non plures, vel unus B tantum parochus, animarumve curator conſtitutus in illa eſſet.

Oblationum inſtitutum jampridem ab apoſtolicis uſque temporibus, apoſtolico etiam canone ſancitum, ſanctiſſimorumque pontificum Melchiadis, Fabiani & Gregorii conſtitutionibus, & conciliorum præterea decretis communitum; quo gravius his temporibus a fidei doctrinæque catholicæ hoſtibus exagitatur, & langueſcente pietatis ſtudio quo magis a fidelibus negligitur, hoc diligentius ſervari, atque ad executionis uſum, ubi intermiſſum eſt, revocari convenit, cum præſertim & ad divinum cultum illud pertineat, & populis ſalutare ſit, ad expiandaque peccata utile.

Quare epiſcopi in ſua quique diœceſi & ſuis & concionatorum ſermonibus & omni alio perſuadendi cohortandique officio, omnique juris ratione illud, ubi eſt, retineri; ac ubi negligitur, reſtitui ſtudioſe ad ſacrorum canonum præſcriptum ita curent, ut in ſolennitatibus ſcilicet domini, diebuſque dominicis ac feſtis item, quos coli, aut præcepti, aut conſuetudinis eſt, omnis Chriſtianus aliquid, prout ſua quiſque pietate devotioneque maluerit, Deo offerre procuret, idque in eccleſia vel cathedrali, cum ad miſſæ ſacrificium, quod ſolenniter celebratur, vel in parochiali, cum a parocho convenerit.

Quo in officio ſervetur, ut quod eccleſiaſticæ D conſuetudinis eſt, primo mares, deinde feminæ offerant.

Sacerdoti miſſam celebranti, oblationis accipiendæ cauſa ab altari paulum ſe removere licet; at inde longe diſcedere, ac per eccleſiam vagari, eamque quaſi circuire nullo modo liceat.

Quo gratius autem Deo ſit quod offerunt, ad præſtandum accedant fideles intima animi pietate, ſpirituali hilaritate, ſancta caritate, omnique Chriſtianæ devotionis teſtificatione.

Offerentium autem, prout ſanctæ inſtitutionis eſt, commemoratio in miſſæ ſacrificio fiat.

Ab iis vero oblationes ne accipiantur, ut an- E tiquo etiam canone vetitum eſt, qui ſcilicet inter ſe iniquo animo diſſidentes, inimicitias exercent, qui uſurarii, meretrices, ſacrilegi, raptores, quive alio nomine publice notorieque criminoſi ſunt.

Quidquid porro oblatum erit, præter illorum dierum oblationes, oblationumve partes, quæ ad epiſcopos ipſos jure ſpectant, quæve ad ſacerdotes, vel ad eccleſias, vel ad eccleſiarum fabricas, vel ad ſcholas, vel ad ejuſmodi pia collegia, epiſcopali, aut alia legitima auctoritate, conceſſuve proprie ac expreſſe jam perti- A nent, aut in poſterum quovis modo aut jure ſpectabunt, id omne, ſi in eccleſia cathedrali oblatio fit, in illius eccleſiæ alteriuſve pii loci aut operis uſum, ut epiſcopus juſſerit, convertatur; ſi vero in parochiali aliave eccleſia offertur, quidquid datum oblatumve erit, parochi ſit, in cujus parochiali, aut in alia eccleſia, intra parochiæ fines oblatio fiet.

Capellanis vero, aliiſve ſacerdotibus, & aliis item, præter cathedralem, eccleſiis, earumque fabricis, ac ſcholis, piiſque ejuſmodi collegiis, atque aliis quibuſvis jus parochiale non habentibus, oblationes deinceps inter miſſæ ſacrum accipere, aut exigere omnino interdictum ſit: niſi quibus hæc facultas ab epiſco- B po, aut alias legitime data erit.

Si cum parocho de oblationibus dividendis quiſquam pactiones fecerit, ut ſibi, aliive ſacerdoti liceat oblationes recipere, contra quam præſcriptum eſt; hæc pactio irrita ſit ac plane nulla, neque præterea aliter quam ſupra præſcriptum eſt, oblationes alii exigere accipereve liceat; tum præterea parochus ipſe & alius eccleſiæ rector & ſacerdos item, aliuſve, qui pactum inierit, quive pactioni conſenſerit, graviter puniantur.

Quæcumque deinceps oblationes, ſive pecunia, ſive cereis, ſive alio eleemoſynæ genere in miſſæ ſacrificio a populo fient, eæ & fiant, & a ſacerdote accipiantur, dum canitur antipho- C na, quæ offertorium appellatur.

Quod ſi miſſa non conventualis eſt, ſemper tamen, tum etiam fiat, accipiaturque proxime antequam hoſtiæ & calicis oblatio fiat.

Si quid vero aliquando non intra miſſarum ſolennia, ſed alio tempore offerri contigerit; curet epiſcopus reſtitui ſanctum uſum & oblationi illi, & offerentibus benedicendi ſtatuta prece, atque oratione in libro ſacerdotali, aut rituali præſcripta.

Qui vero oblaturi ſunt, miſſæ ſacrificio, in quo oblatio fiet, ab initio pie devoteque interſint: nec vero inde abeant, niſi ubi peracto ſacrificio benedictionem ſacerdotalem demum acceperint, quæ in fine miſſæ de mo- D re fit.

Videat epiſcopus, ut eleemoſynarum & alius cujuſvis generis piis oblationibus, quæcumque a populis fiunt, certam rationem præſcribat: quæ & mane potius quam a prandio fiant, & illæ non popularibus ſpectaculis, non comeſſationibus, aut tumultibus, non clamoribus, aut profanis actionibus, quæve ullam offenſionis ſpeciem præbeant, ſed precibus, litaniis, hymnis, atque iis pietatis officiis præſtentur, quæ decent ejuſmodi religioſas actiones, officiave, & quæ reſpondent veteri ſanctitati, ac diſciplinæ hujus inſtituti.

Ne imagines cereæ, voti cauſa, eccleſiis, piiſque locis oblatæ, venditari ullo modo poſ- E ſint, ac ne confractæ quidem etiam vetuſtate temporis, niſi conceſſo epiſcopi in uſum eccleſiæ convertendæ.

Nec vero ullas ejuſmodi, vel alterius generis oblationes vel eleemoſynas, antequam illæ perceptæ ſint, vendi, locari, aut contractus ullos, pactioneſve etiam ſecretas ejus generis iniri cuiquam, etiam parocho, ullo pacto modove liceat, pœna gravi propoſita, epiſcopi arbitrio irroganda.

Parochialis curæ munera atque officia, non per alios, ſed ipſimet parochi, animarumve curatores obeant ac præſtent: niſi ſint qui ali-

quan-



ANNO CHRISTI 1576.

quando juſta cauſa ab epiſcopo approbata impediantur, aut etiam prohibeantur.

Si quis non paruerit, tum fructibus beneficii mulctetur pro rata temporis & officii ſui prætermiſſi, tum aliis etiam pœnis plectatur arbitratu epiſcopi.

Sacerdotes, capellani, aliive quocumque nomine nuncupati, etiam canonici eccleſiæ cathedralis collegiatæve, qui vel inſtitutione vel conſuetudine, vel alio jure, parochum, aliumve animarum curatorem in eo curationis munere adjuvare debent; ab epiſcopo in illius eccleſiæ, ubi ejuſmodi cura geritur, ſtatione manere, reſidereque ac ſua munera per ſe obire cogantur.

Quod ſi per aliquam cauſam parochis, aut B iis capellanis aliquando in debito eccleſiæ munere præſtando, aliorum opera uti liceat; hoc eodem reſidentiæ perſonalis jure æque illi aſtringantur, qui in eorum locum ſubſtituti, ei parochiali, aliive ejuſmodi eccleſiæ vicariam operam, miniſteriumve præſtare debent. Nec vero eorum quemquam facilius, quam ipſos parochos, rectoreſve ab eccleſiæ cura ſtationeque parochiali abeſſe, neque rurſus ulli ſuo muneri deeſſe epiſcopus patiatur, cum hi quoque eadem reſidentiæ & muneris ſui præſtandi lege aſtricti teneantur.

Uſu compertum eſt, non ſine magno detrimento ſalutaris animarum gubernationis, parochos, dum alia munera quæſtus cupiditate, C aliave cauſa ducti ſuſcipiunt, exercentve, multiplicem illam & aſſiduam, quam animabus ſibi commiſſis debent, ſolicitudinem, parochialeſque curas, & officia ſæpe intermittere, interdumque etiam plane deſerere, aut certe ita aliquando diſtrahi & avocari, impedirive, ut illa neque ſuo tempore, neque qua debent ratione & cura præſtent; ac feſtis præſertim aliiſque diebus, quas maxime horas & in confeſſionibus audiendis, & in ſacræ euchariſtiæ ſacramento miniſtrando, & in eorum ſacramentorum frequenti uſu non inſtituendo, non conſervando ſolum, ſed etiam augendo, & in paſcendis verbo Dei fidelibus, & in frequenti ſacrificii miſſæ oblatione, & in veſperarum D officio canendo, & in Chriſtianorum rudimentorum doctrina tradenda, & in componendis controverſiis, conciliandiſque ſuorum populorum inter ſe animis, & in aliis denique parochialis curæ officiis, iis opportuno tempore præſtandis ponere deberent; eas horas ob quæſtus ſtudium, aliamve cauſam traducere, vel ad divina officia, canonicaſve horarias preces in alia eccleſia, in qua præſertim jam canonici ſunt, obeundas, vel ad muſici partes officiumque gerendum, vel ad literarum ludum exercendum, ac ad diſciplinas etiam profanas pueris, adoleſcentibuſve tradendas. Quamobrem hæc decernimus;

Qui dignitatem, vel canonicatum habet, & E parochus etiam eſt, aut alia quacumque ratione animarum curationi aſtrictus eſt, ſi in ædibus parochialibus non habitarit, ibi cibum, ſomnumque capiendo, ut de parochis, ſuperioribus conciliis provincialibus, & in hoc etiam decretum eſt, aut ſi officiis ſupra deſcriptis, aliiſve, quæ tamquam animarum curator, parochuſque in eccleſia ſua parochiali præſtare debet, obeundis aliquo modo defuerit, aut ea non ſtatis, & ab epiſcopo præſcriptis horis, aut non illa, qua ceteri parochi debent, ratione omnino præſtiterit: epiſcopi arbitratu, & pœnis pa- A rocho jam conſtitutis, & gravioribus mulctetur, puniaturve, ex præſcripto etiam ſanctionis, a Pio V. pontifice maximo eo de genere, VIII. Idus Julii MDXVIII. editæ.

Ne item parochus, vel alius quivis ſacerdos, qui animarum curam quovis nomine gerit, cantoris, aut muſici munus, parteſve in eccleſia cathedrali, nec vero in alia ſuſcipiat, exerceatve, niſi aliud ob cauſam epiſcopus judicaverit.

Neque præterea literarium ludum domi ſuæ, aliove loco aperiat exerceatve, niſi ob parochi inopiam aliquando aliud epiſcopus ſcripto conceſſerit: qui tamen hoc munus extra parochiæ ſuæ fines exercendi, nullo modo faculta- B tem det.

Neque pueros, ſibi in diſciplinam traditos, certa pacta mercede, domi ſuæ ullo modo ſuſcipiat atque alat,

At clericos, qui ſibi adjumento ſint, literis, diſciplinaque eccleſiaſtica erudire curet, item pauperes aliquos parochialis curæ ſuæ pueros, qui ad idem aſpirent, quive aliam nullam facultatem prima ipſa literarum rudimenta percipiendi habent, ſi ejus rei poteſtatem ſcripto exaratam ab epiſcopo habuerit.

Cum omni pietatis ratione conjunctum eſt, divinarum precum horaria officia, ſicut in ceteris, ita in parochialibus eccleſiis ſolenniter, anniverſariis potiſſimum ſolennitatibus concele- C brandis, per parochos præſtari, cum & id antiqui inſtituti fuerit, & populum feſtis illis præſertim celebritatibus eo convenire ſancitum ſit: & ut idem in uſum revocetur, per epiſcopos diligenter fideles moneri ſacra Tridentina ſanctione ſemel, atque iterum cautum ſit. Quare die natali domini, feſto item circumciſionis, qui eſt octava, in epiphania, paſcha reſurrectionis, pentecoſte, & aſcenſione, in annuntiatione, & aſſumptione beatæ Mariæ virginis, die natali ſancti Joannis Baptiſtæ, beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, in ſolennitate omnium ſanctorum, ac feſto die ſancti, ſanctæve, cujus nomine eccleſia parochialis nuncupatur, a parocho, & miſſæ ſacrificium, D & matutinum, reliquaque precum divina officia ut in eccleſiis collegiatis fit, ſolenni ritu fiant, canantur ve, in iis ſcilicet eccleſiis parochialibus, ubi id decenter præſtari poſſe epiſcopus cenſuerit.

Sess. 24. c. 4. de ref.

Iis vero ipſis diebus, mox ſupra præſcriptis, ſinguli ſacerdotes, & reliqui inferioris ordinis clerici, in parochialem eccleſiam, intra cujus fines habitant, ſi eo tempore divinis officiis in alia eccleſia intereſſe non debent, ad matutinum, & ad reliqua horaria divinarum precum officia miſſarumque ſolennia celebranda conveniant.

Parochi in urbe & in opidis ſaltem inſignioribus conſtituti, ut a reliquis ſacerdotibus ani- E marum curam non gerentibus, internoſcantur, caputium, quod eſt proprium eorum inſigne, in humeris ferant, cum domo exeunt, ſupra exteriorem veſtem, cum proceſſiones aliaſque ejuſmodi publicas actiones obeunt, ſupra ſuperpelliceum; liceat tamen epiſcopo ab hoc decreto eximere, qui in eccleſiis cathedralibus dignitatem, canonicatumve item legitime obtinent, quamdiu illam, illumve retinebunt, non autem ſi qui deinceps ulla quavis cauſa modove obtinuerint.

Pro locorum & temporum ratione id ab epiſcopo ſuis diœceſanis parochis permitti concedive



liceat,

liceat, ut Decembri, & Januario menſibus, ob dierum brevitatem, itineris difficultati conjunctam, ſacerdotales illos conventus ipſi non habeant, quos primo provinciali concilio in ſingulos menſes haberi decrevimus, ita tamen ut aliis deinceps menſibus, quibus commodius haberi poterunt, reſarciatur & præſtetur quidquid intermiſſum eſt, frequentioribus conventibus, & omni alia diligenti ratione.

Iis autem conventibus, vel in urbe, vel in diœceſi habendis, certas regulas, quæ partim in ſuperioribus conciliis provincialibus eo de genere decretæ ſunt, partim ordine, ac recte adjungendæ videbuntur, ad communem provinciæ uſum per nos præſcribendas atque edendas, tum parochi, tum alii, ad quos executio ſpectat, ſervent, atque exequantur diligenter.

# CONSTITUTIONUM

## PARS TERTIA.

### I.

*De epiſcopis.*

UT, quo ſponte nos contendere ſtudemus, eo etiam ſanctis legibus & cohortationibus, quaſi ſtimulis incitati, adjutrice in primis Dei gratia ſtudioſius properemus, non ſolum in illis vitæ epiſcopalis legibus, quas nobis in concilio provinciali primo conſtituimus, inſiſtere, ſed longius in dies nos progredi oportet; cum ii ſcilicet, nos ſimus, quibus propoſita Chriſti domini vita, nullus definitus ſit progrediendi terminus. In hoc igitur concilio provinciali quarto hæc etiam illis addenda cenſuimus.

Primo epiſcopi ſibi, & gregi attendentes, in omnibus, ut eſt apoſtoli præceptum, laborent, ac miniſterium ſuum impleant; cunctaque ad Dei voluntatem adminiſtrare vigilanter ſtudeant; conſtanti virtutum epiſcopalium officio.

Sicut autem præſtantibus virtutibus Chriſtiani populi, quorum curam gerunt, ab ipſis inſtituendi ſunt; ita optimam illam, quæ in epiſcopali animo caſtiſſimo, ad divinaſque ſuſcipiendas illuminationes idoneo, ineſſe debet, vitæ inſtitutionem evangelicis literis explicatam, non verbis ſolum declarent, ſed ſanctiſſimis factis, e caritatis fonte manantibus, comprobent; exemplíſque virtutum ſuarum in omnem ſanctæ, vereque Chriſtianæ vitæ uſum illos conformare diligenter curent.

In oratione ſanctiſque meditationibus cum eos frequentes eſſe oporteat, certam ſibi horam quotidie ſumant, quam in contemplationum divinarum ſtudio exercitationeque attentiſſimis religioſæ mentis cogitationibus ponant. Qua oratione non ſibi ipſis tantum divini luminis illuſtrationem depoſcant, ſed etiam pro fidelibus ſuæ curæ commiſſis humiles preces fundant, eorum peccata deplorando; pioque gemitu, & religioſa ſupplicatione Deum orando, ut disjectis peccatorum nubibus, pluviam & rorem ſuæ divinæ gratiæ ac miſericordiæ effundat in hereditatem & agrum eccleſiæ ſuæ.

Domi item ſuæ orationis veſpertinæ inſtitutum introductum retinere ſtudeant; ad quam ipſi, ſi modo aliquando impediti non ſint, conveniant, tum plane familia omnis.

Miſſæ ſacrificium frequentius celebrare ſtudeant. Dominicis vero feſtiſque diebus, ne id præſtare omittant, ex concilii provincialis primi decreto. Hoc vero ipſum facere curent crebrius in eccleſia, quam in privatis oratoriis.

Tum præterea miſſæ ſacrificium facere ſtudeant, quibus diebus eccleſias, altaria, aut campanas conſecrabunt, aut cœmeteria, eave reconciliabunt, & alia ejuſdem generis epiſcopalia munera obibunt; illis præterea diebus, quibus eccleſiaſtica beneficia conferent; & generalia clericorum, qui initiandi ſunt, & confeſſariorum examina habebunt, ceteraſque denique graviores conſultationes, & deliberationes inibunt.

Cum autem ob cauſam ſacrificium non faciunt, religioſe interſint.

Nec vero, cum adfuturi ſunt, ſacerdotem capellanum, ſacri faciendi cauſa indutum, ad altare in mora eſſe velint, aut expectare patiantur, dum ipſi aliis rebus incumbunt.

Prius autem ſacrum facere, aut impediti ei intereſſe ſtudeant, quam alias occupationes, actioneſve externas ſuſcipiant gerantve.

Divinas laudes, preceſque horarias pie, decore, ſtudioſe, devoteque quantum eis Deus dederit, ac ſupplici mente recitent; ne vero quidquam aliud agendo, debitum hoc munus obeant, id pro religionis ſtudio valde caveant.

Dominicis vero feſtiſque diebus ne eccleſiæ deſint, niſi infirmitate impediti, ad concilii Aurelianenſis præſcriptum, atque aliis item diebus, quo frequentius per alias quotidianas paſtoralis ſolicitudinis occupationes licebit.

Quod ſi in eccleſia non poſſunt, impediti; domi tamen divinum officium non continenter, ſed aptis convenientibuſque horis recitare ſtudeant. Si vero ne illis quidem horis licebit aliquando per negotia; videant, ut præveniendo potius, quam tardando divinis laudibus ſatiſfaciant.

Confeſſarium ſæcularem aut regularem deligant, adhibeantve, qui vir ſit ſacra ſcientia, prudentia, ſpectatis moribus, & vitæ ſanctitate inſignis: cujus etiam ſtudio & conſilio, & precationis ſpiritu, in rerum graviorum deliberationibus aliquando uti poſſint.

Ne omittant etiam ſacræ theologiæ, ſacrorumque canonum, aliarumque eccleſiaſticarum doctrinarum officio, munerique epiſcopali proprie congruentium, ſtudiis quotidie ſtatis horis operam dare; quotidieque aliquid ex ſacris bibliis potiſſimum epiſcopali fidei religionique commiſſis ſtudioſe legere. Gentilium autem libris, ut Carthaginenſis concilii canone vetitum eſt, ne operam dent.

Officii præterea ſui eſſe putent, eos excipere atque audire, qui ipſos, vel tamquam judices, vel tamquam parentes, vel conſultores, adjutoreſve adeunt.

Itaque his peractis, quæ ad divinum cultum, religionis officia, & ad animi, ſpirituſque pia ſtudia ſpectant, omnibus adeuntibus ſe faciles benignoſque præbeant, ita tamen ut ne a gravitate recedant.

In auditorio omnibus ſatisfacere ſtudeant: ac ne infirmos homines audire negligant, ſed hos vel in primis, cum adſunt, ad ſe accerſant.

Expediant ſtatim quæ recte poſſunt. Omnibus vel re, vel conſilio, vel conſolando prodeſſe ſtudeant.

Quæ ipſi poſſunt ac debent ad ſpiritualem curationem & gubernationem, divinumque cultum ſpectantia; hæc per ſe in primis præſtare ſtudeant: cetera, quæ interiora ſunt, potius per vicarios, miniſtroſve alios exequantur.





Auditorii negotiis poſtquam ſatis temporis dederint, tunc a prandio diem etiam diſtribuant, ut reliquis conficiendis opera ponatur.

Quidquid autem temporis animi relaxationi aliquando ob valetudinem dabitur; id omne vel in ſpiritualium librorum lectione ſtudiove, vel in conſuetudine & colloquio piorum & eruditorum hominum, ſpiritualiſque vitæ amantium ponere ſtudeant.

A nimia laicorum familiaritate meminerint abſtinere.

Laicalia convivia fugiant.

Lectio in menſa potiſſimum ſit ex ſacra ſcriptura, & paſtoralibus libris, ex vitis ſanctorum epiſcoporum, qui epiſcopale munus egregie geſſerunt.

Die autem conſecrationis ſuæ, ut alias utiliter in concilio Oxonienſi ſancitum eſt, formulam illam promiſſionis ſuæ, in ipſa conſecratione de pontificali libro prolatam, annis ſingulis in menſa legi curent; tum certis etiam aliis ſolennibus diebus, ut diligentius præſtent, quo crebrius illa lectione quaſi moniti, videant epiſcopalis muneris partes.

Tridentini item concilii decretum in ſeſſione xxv. editum capite I. & concilii provincialis primi ſanctionem de vita epiſcoporum, & hanc præterea ſæpe ſibi recitari curent, tum maxime aliquando, quibus diebus una cum familia omni cibum capiunt.

Veſtitu utantur ad concilii provincialis primi præſcriptum, talari ſcilicet tunica, collo adſtricta, rocheto, & humerali indumento, quam mozetam dicunt, ita ut ne domi quidem in ullius conſpectu ſe exponant, niſi eo epiſcopali veſtitu induti.

Rochetum etiam, & mozetam induant, cum per diœceſim iter faciunt: interiorem vero tunicam breviorem, ac mantellum viatorium adhibeant licet.

Annulo autem epiſcopali ſemper utantur, & ubique tum domi, tum foris, tum in ſua, tum in aliena diœceſi, ut perpetuo ſe eccleſiæ ſuæ ſponſos meminerint.

Sexta quaque feria, tum præterea in vigiliis, in adventu, in quadrageſima, veſtitum induant nigro colore, iis diebus exceptis, quibus ex ritu eccleſiæ nullum mœſtitiæ ſignum veſtibus oſtendere debent; aliis autem, violacei coloris veſtimenta adhibeant.

Cappam epiſcopalem, cum in eccleſiam, vel ad divina officia, vel ad conciones, vel ad ſacras lectiones, vel ad alias ejuſdem generis actiones accedunt, omnino induant.

Familia epiſcoporum, eccleſiæ ſumptibus ſuſtentata, in domibuſque miniſtrorum Dei educata, ceteris propoſita eſſe debet ad imitationem Chriſtianarum virtutum; quamobrem ejuſmodi ſit, quæ præluceat vitæ & morum exemplis.

In ea ne ſint rixoſi, impudici, blaſphemi, factioſi, ſcurræ.

Ne epiſcopi conſanguinei, niſi eadem vivendi diſciplina qua ceteri, utantur.

Neque item, qui parochialem curam gerunt.

Neque rurſus, qui alio reſidentiæ munere adſtricti, illis exceptis, qui licet epiſcopo operam navent, poſſunt tamen debitas miniſterii ſui functiones in eccleſia præſtare. Verumtamen ne & facultati detractum ideo ſit, qua canonicos duos habere ſecum epiſcopo per ſacros canones licet.

Cubicularii præ ceteris ætate ſint; moribuſque graves, & boni teſtimonii; adſintque omnino ex primi concilii decreto clerici, qui ſanctæ epiſcopalis vitæ, religioſarumque actionum ſint non ſolum teſtes, ſed imitatores etiam, atque adeo ejuſmodi denique, qui, ut ad ſanctiſſimum pontificem Eugenium III. ſanctus Bernardus ſcite ſcribit his verbis, præcipitem etiam frenarent, dormitantem excitarent; quorumque libertas excedentem corrigeret, extollentem reprimeret, conſtantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem, quorumque ſanctitas ad omnia bona incitaret.

Libro IV. de conſideratione.

Qui clerici ſunt, vel ſacris initiati, vel ſacerdotes; eorum opera ne epiſcopi utantur ad officii alicujus, quod ſacerdotali, clericalive ordini minus conveniat, actiones.

Ne quiſpiam de familia ullo unquam die prætermittat rei divinæ intereſſe, niſi neceſſario impeditus ſit.

Iis qui de familia ſunt, præſertim clericis, certus jejunii dies in ſingulas hebdomadas inſtituatur.

In adventu item curetur, ut familia jejunet ſaltem feria quarta & ſexta.

Jejunet familia pridie diei conſecrationis epiſcopi, in vigiliis item ſancti cathedralis eccleſiæ, ac patroni civitatis, ſi quando non hujus nomine nuncupatur cathedralis.

Unuſquiſque de familia, ſingulis menſibus confeſſus, ſacram euchariſtiam ſumat una cum reliquis, qui in familia ſunt.

In adventu, ut Silverii pontificis decretum eſt, & præterea in quadrageſima ſingulis diebus dominicis, ſacram communionem ſalutariter accipere ſtudeant, clerici præſertim, & vitæ ſpiritualis ſtudioſiores.

Duobus ante diebus quam ſacra communio fiat, paterna cohortatione ab epiſcopo ea de re familia præmoneatur.

Singulis hebdomadis, bis minimum, qui de familia ſunt, rudiores & Chriſtianæ fidei doctrina & literis ab aliquo inſtituantur, cui id curæ epiſcopus dederit.

Quo loco domeſtici & exteri domi ante cubiculum epiſcopi conveniunt; eo loco liber, aut de vitis ſanctorum, aut ſpiritualis vitæ exercitationibus conſcriptus, in menſa ſit; ut qui conveniunt, lectioni incumbere poſſint, nec vero inanibus confabulationibus ſe dedant.

Dum familia cibum capit, lectio etiam adhibeatur.

Ne familia otioſa ſit, ne inertiæ aut deſidiæ dedita; ſed aut in obſequio epiſcopi, aut in honeſtis exercitationibus occupata.

A nugis abſtinens, ſilentium cum modeſtia conjunctum ſervare ſtudeat.

Abſtineat autem unuſquiſque, qui in famulatu epiſcopi eſt, cum flagitioſorum hominum conſuetudine, tum a locis ubi turpiter vivatur.

Ne quis præterea foris pernoctet.

Ne rerum novarum curioſitates ſectentur.

Ne quæ jocularia ſunt, quæ ridicula, unde cachinni, riſuſque ſolutiones excitantur, loquantur.

Convivia publica, comeſſationes laicales, frequentemque laicorum hominum conſuetudinem vitet. Libros ne habeat de rebus jocoſis, ſcurrilibus, ridiculis, obſcœnis, impuriſque conſcriptos.

Super cuſtodia familiæ epiſcopus perpetuo ſtet, tum etiam bis quotannis viſitet, ſemel ineunte quadrageſima, iterum initio adventus, ejuſ-

ANNO CHRISTI 1576.

ejuſque mores paterne inveſtiget, ac videat ut unuſquiſque religioſe, vitæque ſpiritualis inſtitutis congruenter vivat. Si quos ad Chriſtianas virtutes progredi compererit, eorum ſtudia, progreſſioneſve ſpiritualis vitæ adjumentis excitet: qui vero a bene agendi ſtudio averſi ſunt, illos moneat atque objurget; ac ſi contumaces, incorrigibileſque invenerit, domo ejiciat.

Rurſus epiſcopus familiæ ſuæ confeſſarios ſacerdotes, viros ſpiritualis vitæ uſu exercitatos, conſtituat: quibus etiam tamquam clericalis diſciplinæ & ſanctæ inſtitutionis magiſtris illa utatur.

Epiſcopo miſſam celebranti vel audienti frequens familia adſit.

Cum in eccleſia ad divina officia ipſe accedit, familiam quoque ſecum adeſſe jubeat.

Nihil denique omittat, ut omnes domeſtici in omni bene ſancteque agendi officio ſe contineant.

Familiarium præterea, cum ægrotant, magnam habeat curam.

Provideat, ut illorum ſalutis animarum ratio in primis habeatur; tum valetudinis recuperationi per medicum conſulatur, neque vero impenſis parcatur, ita ut ægrotantibus omnia ad convaleſcendum neceſſaria ſuppeditentur.

Illos etiam aliquando inviſat, tum ſalutaribus conſiliis, & benignitatis officiis conſoletur: quod epiſcopalis caritatis officium etiam infimis familiæ ſuæ præſtet.

Uniuſcujuſque autem de ſua familia rationem in mercede conſtituenda habeat, pro virtutum meritorumque, & pro eccleſiaſticorum fructuum diſpenſationis ſibi creditæ ratione.

Ab epiſcopali domo abſit omnis picturæ ornatus, quæ profana ſit.

In atrio epiſcopos ordine pingi curet, qui præceſſerunt; ſi minus omnes, eos ſaltem qui ſanctitatis aut doctrinæ aut rerum epiſcopalium geſtarum laude clari ſunt.

In cubiculis omnibus reliquiſque domus locis frequentioribus ne deſit aliqua imago ſacra.

Hoſpitio, menſave recipiendis etiam illuſtribus & locupletibus hominibus, ne præſcriptam epiſcopalis frugalitatis normam deſerat, ut exemplo ſuo ipſi quoque hoſpites incitentur ad frugalem vitæ modum.

Eleemoſynis dandis promptus ita ſit, ut præter illas, quas per eleemoſynarium alioſve largiri ſolet, etiam miſericordiæ viſceribus indutus, manu ſua in pauperes epiſcopali liberalitate conferat.

## II.

### *De vita & honeſtate clericorum.*

Veſtes quas domi privatim clericalis ordinis homines induent, ejuſmodi ſint, quæ non colore, non ulla habitus ſpecie a clericali modeſtia diſcrepent.

Cum in eccleſia verſantur, quo tempore ſuperpelliceum induere non debent, ne ſint ſine toga exteriori, præſertim horis quibus divina celebrantur, aut populus ad eccleſiam accedere ſolet; nec vero abſque ea etiam in diœceſanis locis prodeant, niſi cum eos pedibus iter facientes viæ difficultas & longitudo aliter cogit.

[illegible] quo iter equo faciunt, ne abſque via[illegible] veſte exteriori equitent, ſuccincta interiori tunica, aut alia contractiori decenter adhibita.

Superpelliceis, cum miniſterii uſus poſtulat, omnes utantur, quæ non lacera ſint, non ſordida, non ita elaborata, ut artificii ornatus in humeris nimius appareat.

Singuli autem præterea, præſertim qui in aliquo minorum ſaltem ordinum ſunt, proprium ſuperpelliceum habeant, quo & in eccleſia, cui adſcripti ſunt, & alibi, cum ipſos ſuis fungi muneribus contigerit, uti poſſint.

Nulli ſacerdoti clericove annulum, niſi ea dignitate prædito, in qua conſerenda ille ſibi traditur, geſtare liceat; tuncque unum ſolum & digito dexteræ manus quarto.

Eum vero dum miſſæ ſacrificium facit ſacerdos deponat.

In omni item inceſſu, ſtatu, geſtu, vultu ordinem ſuum ſacerdos & clericus profiteatur, omni clericalis vitæ actione religioſi animi mores exprimens, qui in eccleſiaſtici ordinis hominibus elucere debent.

Ne cum neces & cruciamenta improbis hominibus magiſtratuum judicio illata, multitudini ſpectanda proponuntur, ullo modo eccleſiaſtici ordinis viri interſint; niſi eorum pia opera, conſolandique officium uſui futurum illis ſit qui ad ſupplicium ducuntur.

Sacerdotem, clericumque cujuſvis ordinis, in canticis, hymnis, pſalmis, ceteriſque eccleſiaſtici cultus officiis, religioſa modulatione concelebrandis, diviniſque laudibus ſancte concinendis, ita verſari convenit, ut voce ſua ſacris dicata abuti non debeat ad profana, cantiones & modulationes, atque ad voluptarias delicioſaſque laicorum oblectationes. Quamobrem caveat, ne in nuptialibus, laicalibuſve conviviis, aut menſis canendo operam ſuam navet, ullo quidem vel amicitiæ, familiaritatis, obſequii, alteriuſve rei cauſa, cum præſertim clericalem hominem inter epulas canere, veteri canone plane interdictum ſit.

Omnis etiam ſacerdos, clericuſve publica convivia & comeſſationes ejuſmodi vitet, quibus ſæpe fit, ut contemptui ſit eccleſiaſtici miniſterii dignitas.

Illud autem unuſquiſque clericus ſæpe repetat, ſe non ad inertiam atque ignaviam, ſed ad ſpiritualis & eccleſiaſticæ militiæ labores vocatum eſſe.

Sciat propterea id in officio ſuo poſitum eſſe, ut cum vel in officiis divinis obeundis, vel in frequentandis eccleſiis, quod debet, tempus conſumpſerit; ſi quid ſibi reliquum eſt, id omne non in rerum ſæcularium colloquiis, profaniſque actionibus, ſed in divinarum literarum ſtudiis, & in cæleſtium rerum contemplationibus & ſanctis piiſque officiis traducat. Quare unuſquiſque hujus provinciæ epiſcopus, ac alii item qui illius nomine atque auctoritate viſitationis munus obibunt, videant atque inquirant diligenter quibus in rebus tempus clerici tranſigant, atque in iis potiſſimum, quæ ab illis agi curarique debent, qui in Dei cultum ſe dederunt.

Quod ſi clericos aliquos otioſos eſſe comperierint, inita aliqua ratione ſalutaribus eos occupationibus & eccleſiaſtico homine dignis incumbere procurent, ac provideant omnino, ne iſti ad ſuæ ſalutis diſcrimen & aliorum offenſionem otio abutantur.

Omnes præterea & ſingulos clericalis ordinis homines hoc decreto monitos eſſe volumus, ut ad



ANNO CHRISTI 1576.

ad eos ſe crebro conferant, qui in ſacerdotio conſtituti, in ſpiritualis vitæ ſtudiis, exercitationibuſque verſati, atque ejuſmodi ſunt, de quorum conſilio vitam ad omnes ſancte religioſeque agendi rationes inſtituant.

Ab illorum autem qui in vitiorum luto volutati, ſe maleficiis paſcunt, familiaritate abſtinere, cum eos omnes jubemus, tum præcipue minorum ordinum clericos, qui nondum ætate confirmata ſunt, neque firmo virtutum robore muniti proclivius ad vitia prolabuntur. Aut illud non modo prohibemus, ſed divina conteſtatione obſecramus eccleſiaſtici ordinis homines, eos præſertim qui in ſacerdotii gradu conſtituti ſunt, quive animarum curam gerunt, ut quos in vitiorum fæce verſari animadverterint, caute & ſapienter ſtudeant a peccatis flagitiiſque deterrere, & ad virtutem cohortari; eiſdemque in ſcelerum gurgite laborantibus opem ferre, verbis, conſiliis, exemplis; atque ita quidem, ut dum illos juvare conantur, ne ſe familiaritate inquinent.

Ne clerici apud ſe libros habeant, aut legant, quorum lectione bene agendi ſtudium, morum diſciplina, & timor caritaſque Dei langueſcere poſſit: quales libri ſunt, qui res vel inanes, vel jocoſas, vel ſcurriles, ridiculaſve vel impuras continent.

Rerum novarum curioſitates fugiant: tum ne, quæ ridicula ſunt, unde cachinni, riſuſque ſolutiores exiſtunt, loquantur.

Sacerdos clericuſve ſacris initiatus, aut eccleſiaſticum beneficium obtinens, horarum canonicarum officio cum adſtrictus ſit, meminerit, ſe febri morbove aliquo, vel adverſa valetudine leviter aliquando laborantem, non juſtam propterea excuſationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve. Itaque ſi quando corporis infirmitate affectus eſt, ipſe pro ſua conſcientia recte videat, quid præſtare poſſit, ac ne omittendo graviter peccet, & beneficii quod habet, fructus ſuos non faciat.

Quod diligentius cleri in omni eccleſiaſtica diſciplina progreſſus conſtet, unuſquiſque ſacerdos & cujuſvis ordinis clericus, de frequenti ſacramentorum uſu, de functionibus in eccleſia præſtitis, de lectionibus, ſtudiorumque progreſſione, de ceteris exercitationibus ſibi præſcriptis, teſtimonium ab iis ſingulis, quibus ex præſcripto accipere oportuerit, ſingulis menſibus, vel alio ſtato tempore, per epiſcopum ſtatuendo, afferant: idque ad conſtitutam rationem.

A ſacerdotibus, ab iiſque etiam, qui provectiori ætate ſunt, hoc ſi nunquam per ipſos antea præſtitum eſt, omnino præſtari peroptamus, ut cum omnis anteactæ vitæ ſuæ peccata diligenter riteque confiteantur, tum ſpiritualium exercitationum, prout iis, qui ſubdiaconatum vel diaconatum, vel ſacerdotium ſuſcepturi ſunt, præſcriptum eſt, ſtudium aliquando ſuſcipiant: quo diligentius in via ſalutis ſibi proſpiciant.

## III.

### *De viſitatione.*

Seſſ. 24. c. 3. de ref. Neceſſarium illud ac plane debitum viſitandi munus, quod ex ſanctione Tridentina præſtari oportet, provinciæ noſtræ epiſcopi ita ſollicite exequantur, ut ſuæ quique urbis ac diœceſis viſitationem ſingulis ipſis annis, aut ſi per diœceſis amplitudinem non poſſunt, biennio ad ſummum ipſi per ſe conficiant. Si vero legitima occupatione, cauſave impediti, id muneris aliquando per ſeipſos obire nequeunt, vicarios generales, viſitatoreſve alios, hujus rei uſu peritos atque idoneos adhibeant, qui viſitationis officium ſedulo, ut par eſt, præſcripto tempore exequantur.

Cum vero viſitationis munus ipſi per ſe obeunt, vel unum, vel duos canonicos, vel alios quoſcumque homines eccleſiaſticos, quos uſui & adjumento ſibi fore viderint, pro ut maluerint, ſecum in ea viſitandi cura adhibeant.

Ne deinceps plures quam homines decem, & jumenta ſeptem ad ſummum ſecum in viſitando ducant, ſupputata hoc numero epiſcopi etiam perſona, ac illius eccleſiaſtici viri, quem ex hujus concilii decreto epiſcopus quiſque aliquando præmittet: ſuis tamen propriis ſumptibus licebit eis plures conducere. At vero, qui epiſcopis gradu inferiores ſunt, in viſitatione longe pauciores homines, & jumenta adhibeant.

Hocque decreto derogatum ſit alteri, in concilio primo provinciali edito.

Laicorum hoſpitia, coque magis convivia, ut maxime poſſunt, omnes fugiant; ſin autem ad illos divertere aliquando neceſſe erit, cum cetera ſervent, tum in primis caveant, ut ne extra menſæ epiſcopalis & clericalis modum, regulaſque in viſitatione præſcriptas, quidquam omnino ab hoſpitibus apparetur apponaturve.

Notarius autem cancellariuſve, ne quidquam pro viſitatione ab iis qui viſitantur ullo quovis nomine exigat, neque ullum doni, etiam puſilli quocumque modo oblati, genus accipiat, ac ne item pro decretorum, ordinationumve in viſitatione confectarum actione vel conſcriptione, eaumve exemplo, etiam ſingulis vel eccleſiis, vel clericis, vel aliis qui viſitantur, juſſu viſitantis edito. At pro opera laboreve, quem alterius, cujus intereſt, illarum exempla alio deinceps tempore petentis, cauſa in iis exſcribendis poſuerit, mercedem capiat licet, pro taxæ in foro epiſcopali præfixæ aut præfigendæ ratione.

Epiſcopi, qui ceteris omni bene ſancteque agendi exemplo præire debent, antequam cleri populique viſitationem ineant, a ſe ſuaque familia viſitandi initium utiliter faciant; quo reliqui omnes domeſticæ illius viſitationis actione executioneque incitati, paſtoralia juſſa, quæ ipſi viſitando præſcripſerint, promptius ac ſtudioſius exequantur.

Diligentiam vero omnem viſitando adhibeant, non modo in eccleſiarum cultu & ornamento tuendo, augendove, ſed maxime in omni & cleri & populi priſtina Chriſtiana diſciplina reſtituenda; in utriuſque item moribus cognoſcendis, iiſdemque depravatis corrigendis.

In eaque vel viſitatione, vel morum correctione etiam tamquam ſedis apoſtolicæ delegati, auctoritate Tridentini concilii ſtatuant, moderentur, puniant & exequantur ad ſacrorum canonum præſcriptum, quæcumque illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione & diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur. In iis, neque ulla inhibitio, appellatio, aliudve quidquam impediat, aut retardet executionem eorum, quæ ipſi mandarint, aut judicaverint decreverintve. Seſſ. 24. c. 4. de ref.

Fe-

ANNO CHRISTI 1576.

Feminarum ac marium luxu, immoderatoque veſtium ſumptu utentium, ornatum illum inanem, ac plane ſupervacaneum & a Chriſtianæ vitæ more ſane quam alienum, unde tot malorum ſeminarium extare quotidie cernitur, omni epiſcopalis muneris officio & auctoritate prohibere, tollere, funditusque evellere ſtudeant.

Monialium monaſteria, regularium juri curæve ſubjecta, quod ad clauſuram attinet, diligenter accurateque viſitent, loca ipſa introſpectent, atque ex ſuperiori etiam parte circumluſtrent, & caute ſolerterque inſpiciant proſpectus omnes, aditus, & cetera denique omnia, quæ ad clauſuram recte tuendam ullo quovis modo pertinent.

Hoſpitalia item, aliaque pia ſingula loca & ſodalitia pro auctoritate, facultateve & canonum jure & decretis Tridentinis ſibi data, in ſingulos annos viſitent; & quæ laicalia etiam & mere privata ſunt in iis, quæ ad obſervandam piam teſtatorum voluntatem ſpectent, viſitando corrigant & reforment.

Seſſ. 22. c. 8. de ref.

Epiſcopo, ad cujuſcumque loci vel eccleſiæ parochialis, curatæve viſitationem adventanti, cum illi potiſſimum, ut vetus canon concilii Turonenſis jubet, qui confirmationis ſacramentum ab eo ſuſcepturi ſunt, tum præterea reliqui omnes fideles, exceptis tantum iis, qui morbo adverſave valetudine laborant, ſicut in concilio Rothomagenſi cautum eſt, obviam ordine prodeant: ac ſtatis hymnorum pſalmorumque precibus, & cum gaudio, timore, ſummaque reverentia illum, tamquam vicem Chriſti agentem, excipiant, prout eodem Rothomagenſi concilio ſancitum eſt, cujus canone excommunicatio illis conſtituta erat, qui ei muneri defuiſſent.

Neque ſolum quo tempore ille adventat, ſed aliis etiam diebus, dum viſitatio parochiæ fit, fideles quam frequentiſſimi adſint; ut ipſi omnes ac ſinguli, ſi quid ad animarum ſalutem procurandam opus habent, proprio paſtori parentique libere exponant: eique pro illius officii ratione oportet, interroganti reſpondeant; illum concionantem, monentem, & paterne arguentem, & obſecrantem & increpantem audiant: ejuſdem juſſa, monita & decreta ſuſcipiant, atque Dei denique voluntatem, quam præſentes per ipſum auribus percipiunt, non tantum obediendi propenſione, ſed etiam recte factis omnino exequantur. Id porro omne ut fideles diligenter, promptoque animo præſtent, frequentiſſimique in epiſcopali viſitatione adſint: parochorum & aliorum, quorum intereſt, ſacerdotum ſit, crebro, prout uſuvenerit, intra miſſarum ſolennia illos docere, cum eas officii partes, quas epiſcopo viſitanti ab ipſis præſtari conveniat, tum viſitationum in primis utilitates fructuſque ſalutares.

At vero ex viſitationum laboribus, quo uberiores fructus exiſtant, ac fidelium animi ſalutari aliqua præparatione excitati & ſuffulti, quo promptiores erectioreſque fiant, cum ad bene agendum, tum ad paterna & epiſcopalia juſſa monitave amplectenda & exequenda, tum ad omnem denique Chriſtianæ vitæ diſciplinam ſanctis inſtitutis conformatam ſuſcipiendam; præterea ut viſitatio & diligenter, & breviter, & recte denique conficiatur atque abſolvatur, has etiam de præparatione ab iis præſertim, qui viſitantur, adhibenda, inſtructiones adjungendas cenſuimus iis decretis, quæ hoc ipſo de gene- A nere in hoc & in alio noſtro provinciali primo concilio edita ſunt. Quibus porro inſtructionibus pro perſonarum, temporum, locorumque ſuæ diœceſis ratione ab epiſcopo edita, detrahi liceat.

ANNO CHRISTI 1576.

Primum ubi viſitationis, vel generatim in univerſa urbe, diœceſique inchoandæ, vel ſpeciatim in aliquo opido locove, aut parochia, præſertim frequentiori atque inſigniori obeundæ, certam diem epiſcopus ſtatuerit; paſtoralibus etiam literis eo potiſſimum nomine a ſe confectis, populum præmoneat atque cohortetur, cum ad alia pietatis officia, tum maxime ad peccatorum confeſſionem, ſacram communionem, preceſque pro ſalutari viſitationis B eventu continenter habendas.

Triduo proximo, antequam univerſæ viſitationis initium fiat, in cathedrali eccleſia quadraginta horarum orationem indicat, quam ejuſdem viſitationis nomine a clero & populo, qui in urbe eſt, frequentiori in ea ipſa eccleſia pie celebrari curet.

Hæc ipſa etiam orationis ratio parocho, alioque eccleſiæ rectore, cui intereſt, curante adhibeatur, antequam eccleſiæ parochialis, curatæve, aut opidi, præſertim inſignioris, viſitatio ineatur.

Duobus vero, aut pluribus ante conſtitutum viſitationis tempus diebus archipresbyterum aut archidiaconum ut in concilio Rothomagenſi cau- C tum eſt, aut alium eccleſiaſticum hominem, quem maluerit epiſcopus, præire jubeat per ſingula opida, vicos, parochias, & loca civitatis, & diœceſis, præſertim frequentiora, inſigniorave, quæ ille viſitaturus eſt. Ille vero juſta præſtet: convocatoque clero & populo uniuſcujuſque loci nuntiet epiſcopi adventum, eidemque adventanti obviam, ut juſſum eſt, prodire, ceteraque in promptu haberi moneat ac mandet. Paſtorales item epiſcopi literas, edicta, inſtructiones, ad viſitationem pertinentes, enuntiet atque evulget. Tum præterea quidquid de levioribus cauſis ab eo explicari agive epiſcopus juſſerit, id exequi ſtudeat, ut ne ille veniens diutius ob ejuſmodi cauſas in viſitatio- D nis mora eſſe neceſſe habeat.

Parochus porro aliuſve eccleſiæ rector vel præfectus, in qua animarum curam gerit, cum viſitandus erit, paſtorales epiſcopi literas, viſitationis nomine editas, duobus ante illius adventum proximis feſtis diebus intra miſſarum ſolennia, cum populi frequentia adeſt, de ſcripto recitet.

Itidem præſtet de literis, quas de confirmationis ſacramento rite religioſeque ſuſcipiendo epiſcopus, inſtructionum, monitionumve nomine ediderit.

Hoc ipſum præterea exequatur de aliis item literis, edictis & inſtructionibus, quas ob viſitationem evulgari ille juſſerit.

E Sacerdotibus quoque & aliis, quorum intereſt, epiſcopale inſtructionum literas deſcriptis tabulis, libris, aliiſque rei eccleſiaſticæ monumentis, ceteriſque id generis mature præparandis, quo viſitandi ratio brevior, explicatiorque ſit, ſignificet & recitet, ac ſi opus eſt, earum exempli exſcribendi copiam illis faciat.

Quam literarum, edictorumve epiſcopalium evulgationem recitationemve, & ſermone & concione, & monitionibus, & omni alio tum publico, tum privato cohortationum officio proſequatur, prout expedire animadverterit: quo fidelium animos diligentius præparet atque excitet



ANNO CHRISTI 1576.

citet ad ſuſcipiendum epiſcopalis viſitationis officium uberrimo ac ſalutari cum animarum fructu.

Illud porro curet, ut nemo, qui intra parochiæ ſuæ fines habitat, omnino ſit, qui eo viſitationis tempore confeſſus, ſacram communionem non ſumat, idque ab epiſcopo ipſo, etiamſi in alia parochiali eccleſia ſumere oporteret, ſcilicet eo loci, ubi ille mane viſitans miſſæ ſacrificium offerat.

Nemo item, qui chriſmate non ante confirmatus, modo ætate in confirmationis literis epiſcopalibus præſcripta ſit, illud ab eodem tunc non accipiat.

Quamobrem tum pridie diei viſitationis, tum maxime ubi epiſcopum viſitationis cauſa jam adventare cognoverit, certo aliquo, ſolennique campanarum ſono illius adventum fidelibus ſignificet; quo frequentius etiam ex agro evocati, omni alia prætermiſſa actione conveniant, eique tale quamquam neceſſarium munus obeunti, diligentius præſto ſint, qua debent obſervantia ac veneratione.

Studeat item confeſſariorum ſacerdotum, qui ad id muneris probati ſunt, niſi epiſcopi cura præmittantur, copiam neceſſariam habere, qui biduo, triduove parochiæ ſuæ hominum confeſſiones audiant, aut confeſſos reconcilient, ut ſtata viſitationis, aliave die, quam epiſcopus conſtituerit, præparati ſint ad ſacram communionem, & ad confirmationem, qui nondum confirmati ſunt, ab eo ſancte ſumendam.

Ac propterea confeſſionum cauſa eo tempore confeſſionalia multa ad formulæ demonſtratæ præſcriptum confecta, certiſque locis in eccleſia ſua decenter collocata, ſi totidem non ſunt, quot neceſſaria viderit, aliunde habere curet.

Hoſtias, vinum, vaſa, mappas, & alia ad ſacræ communionis populo miniſtrandæ uſum neceſſaria, accurate paret.

Locum item in eccleſia præparet atque ornet, ubi ab epiſcopo confirmationis ſacramentum fideles religioſe ſuſcipiant.

Suggeſtum item decenti ornatu inſtruat, unde tum ille aliuſve populo ſermonem, concionemve habere poſſit; tum epiſcopalia monita de ſcripto pronuntiari.

Pridie illius diei, quo epiſcopus viſitaturus eſt, chirographa, ſchedulaſve in promptu eſſe curet, eorum, qui confirmationis ſacramentum ſuſcepturi ſunt, & compatrum, commatrumque item ex præſcripto inſtructionis literarum, de confirmationis ſacramento promulgatarum.

Omnium ſingularumque rerum, quæ vel conſecrandæ, vel benedicendæ ſunt, utpote eccleſiæ cœmeterii, altarium, campanarum, veſtium, indumentorum, tabernaculi, calicum, corporalium, crucum, imaginum, ſignificationem, indicis ordine exaratam, epiſcopo ante diem viſitationis ita in tempore det, ut cum de apparatu, tum de certa hora vel die illas ſacras actiones obeundi deliberare poſſit.

Sacriſtiam præterea adornet, atque inſtruat: in qua ex armariis expoſita ſint ſacra indumenta, veſtes, pallia, vaſa, ac reliqua omnia eccleſiaſticæ ſupellectilis inſtrumenta, atque ornamenta, præter illa, quæ in eccleſiæ, altariumque apparatu & uſu tunc erant: eaque ordine, ac pro colorum ratione diſtincte col- A locata ita appareant, ut eo; & loco, & tempore in viſitando recognoſci certe, facileque ac brevi poſſint.

Certo item, decentique ſacriſtiæ loco libri ac volumina eccleſiaſtica, ut miſſalia, breviaria, lectionaria, antiphonaria, & alia id generis ſuis operimentis polite contecta, in oculis epiſcopi appareant.

Tuto item ejuſdem loco in promptu ſint ſcripta, monimenta, codiceſve, quibus teſtificatio fiat ſacrarum reliquiarum in ea eccleſia aſſervatarum.

Eodem loco tabulæ item, ſcriptave indulgentiarum eidem eccleſiæ conceſſarum.

Separatim alio ſacriſtiæ loco, vel in archivo, B ſi illud a ſacriſtia diſtinctum ſit, in promptu habeat, tabulas, ſcriptave ac monimenta quævis, pro ratione annorum diſtincte notata; quæ ad eccleſiæ, altarium, capellarumve jura, privilegia, bonaque teſtificanda pertineant.

Librum item ſtatutorum & conſtitutionum, & tabulam rituum, conſuetudinum, ſi quas peculiares illa eccleſia ejuſve clerus habeat, præſertim in divinis officiis eccleſiaſticiſque functionibus.

In promptu præterea, ac parata inventaria hæc infra ordine præſcripta, recteque confecta habeat, quibus ſingulis manu ſua ſubſcriptum ſit.

C Primo inventarium ſacrarum reliquiarum, in ſua eccleſia reconditarum, ac ſimul monimentorum, literarumve illas vere teſtificantium.

Alterum in quo deſcriptæ ſint indulgentiæ omnes, illi eccleſiæ, ejuſve capellis, aut altaribus perpetuo conceſſæ, aut ad tempus, quod adhuc peractum non ſit.

Tertium, in quo ſacræ veſtes, pallia, indumenta, & ornamenta ſingula; omnia, quæcumque ſupellectilis eccleſiæ ſint, recte ac diſtincte deſcripta notatave appareant.

Quartum, in quo libri, ſcriptave, literæ, ac inſtrumenta id generis, quibus bona, jura, privilegia eccleſiæ, altarium capellarumve teſti- D ficata appareant, notata ſint.

Quæ inventaria, quo tempore, & quibus præſentibus proxime confecta ſint, ex illius ſcriptione appareat, ut, ſi ita opus aliquando erit, recte conferri poſſint, eademque exſcripta in viſitationis acta referantur, prout epiſcopus cenſuerit.

Paratum habeat, ac exhibeat indicem dignitatum, canonicatuum, portionum, & aliorum id generis titulorum, altarium, capellarum, & clericatuum, quicumque ſint in eccleſia, cum explicatione eorum cenſus ac onerum unicuique adjunctorum; tum etiam fundationum, inſtitutionumve; & notariorum, qui fundationum tabulas confecerunt, tum ſingulorum præterea, qui ea altaria, capellas, E portiones, canonicatus, dignitates, aliudve, quovis etiam ad nutum amovibili titulo obtinent.

Indicem etiam ſimilem, cum ſimili explicatione titulorum, & beneficiorum quorumcumque; tum eccleſiarum, tum oratoriorum ſecularium, etiam campeſtrium, quæ ſita ſunt extra illam eccleſiam, intra fines tamen ejuſdem parochiæ.

Indicem item ſcholarum, confraternitatum, locorum, operumve piorum, quocumque modo in ea eccleſia inſtitutorum, quo exprimatur, & inſtitutio, & in-

ANNO CHRISTI 1576.

& inſtitutionis tabulæ, a quo ſcilicet notario confectæ.

Rurſus indicem ſimilem ſcholarum, confratriarum, hoſpitalium, locorumve, & operum piorum quorumcumque, quæ extra illam eccleſiam, intra fines tamen parochiæ ſita ſunt.

Indicem quoque monaſteriorum, præpoſiturarum & hujuſmodi domuum regularium, tam virorum, etiamſi commendatæ ſint, quam feminarum, etiam quæ ab epiſcopi juriſdictione immunes ſint; quæcumque in illius parochiæ finibus ſitæ ſunt.

Paratum item indicem habeat, ac exhibeat, in quo clerici in ſuæ eccleſiæ finibus habitantes deſcripti ſint, notatis eorum uniuſcujuſque tum nominibus, tum domiciliis, habitationibuſve eccleſiaſticis aut ſæcularibus, hoc item adſcripto, an ſoli, an una cum aliis vel eccleſiaſticis, vel laicis habitent.

Indicem item puerorum, adoleſcentiumve, vitæ eccleſiaſticæ diſciplinam ingredientium.

Muſicorum item, cantorum, organoque in quavis eccleſia ſonantium.

Laicorum item hominum, ſi qui ſunt ſacerdoti in miſſæ ſacro, aut divinis officiis, funeralibus etiam, & in aliis eccleſiaſticis muneribus operam aliquam præſtantes.

Indicem item prædiorum, bonorumque eccleſiæ ſuæ; rurſuſque fructuum & cenſuum, quos inde percipit, & aliorum inde redituum, utpote oblationum, eleemoſynarum, quæ ſtatis quibuſdam anni diebus, vel ob ſolennitates, vel ob anniverſaria, aliamve cauſam fiunt.

Huic rurſus alius index adjunctus exhibeatur; uſurpationum bonorum; juriumve illius eccleſiæ, & alienationum præterea triginta ante Tridentini concilii celebrationem & confirmationem annis factarum.

Indicem etiam det reddituum vel veterum, vel recentium, capitulo, clerove illius eccleſiæ communium.

Indicem quoque diſtinctum reddituum, emolumentorum, onerum, & aliarum, ut ſupra, præſcriptarum rerum quæ ad eccleſias tunc vacantes pertinent, notato etiam tempore, quamdiu vacent, & illius item qui earum fructus vel decimas, vel primitias, vel alios cujuſvis generis redditus exigit, nomine deſcripto, & auctoritate qua exigit item.

Indicem præterea cenſus ab eo, qui ſibi tamquam rectori obvenit, diſtincti ac ſeparati, utpote illius, qui vel ad fabricæ illius eccleſiæ, vel ad luminum, vel ad ſacriſtiæ, vel alterius ejuſmodi rei uſum, erogationemve pertinet.

Promptos item habeat codices parochiales, unum ſcilicet baptizatorum, alterum eorum qui matrimonium contraxerint, tertium illorum, qui chriſma ſuſceperint, quartum quem proxime confecerit de numero, ſtatuque animarum.

Regeſtum etiam aut exempla conſtitutionum particularium, ac literarum paſtoralium, aut inſtructionum id generis & edictorum quæcumque ab epiſcopo acceperit. In quibus ſingulis exemplis notatus ſit dies, quo illa promulgarit, legeritve.

Paratos item libros & tabellas ſingulas, indiceſve habeat ac exhibeat, qui debent in ſacriſtia eſſe, ex præſcripto conciliorum provincialium, diœceſanorum, ac inſtructionum.

Si præterea curam adminiſtrationemve habet bonorum eccleſiaſticorum ſeparatim ab iis, quæ ſibi ad vitæ ſuſtentandæ uſum attributæ ſunt, aut fructuum vacantium ſibi commendatorum; ſuſceptæ, adminiſtratæve curæ rationum codicem in promptu habeat atque exhibeat.

Separatim vero in promptu habeat, ut epiſcopo tradat, tabulam decretorum provincialium, diœceſanorumque, quæ vel ad divinorum officiorum cultum, vel ad parochialis curæ, diſciplinæque Chriſtianæ rationem pertinentia, nondum in parochiæ ſuæ finibus executionem habuerunt, cauſis & impedimentis quoque explicatis, cur in executionis uſum adhuc inducta non ſint.

Tum præterea indicem manu ſua confectum det eorum, qui infra notati ſunt, ſi qui in parochiæ ſuæ finibus id generis homines extant.

Hæreticorum, hæreſiſve nomine ſuſpectorum, aut libros hæreticos, prohibitoſve habentium, vel legentium.

Publice, ut infra, potiſſimum delinquentium, maleſactaque committentium.

Blaſphemantium ſcilicet.

Superſtitione, maleficiis magiciſque artibus utentium.

Eorum, qui in paſcha confeſſi, ſacram communionem non ſumpſerint.

Simoniacorum.

Uſuras exercentium.

Concubinariorum, concubinatuſve nomine ſuſpectorum.

Illorum etiam, ſi qui publice, notorieque criminoſi, quibus pro Tridentinæ ſanctionis, conciliique primi & tertii provincialis decretorum ratione, ſolennis vel publica indicenda ſit pœnitentia; ut aut tunc iis epiſcopus eam judicio ſuo ſtatuat, aut illos, quos ſolenniter pro peccati gravitate pœnitere juſſum eſt, a cancellario notatos, ad ſe ineunte quadrageſima venire jubeat, cujus temporis initio illam de eccleſiæ ſanctæ more ipſi ſubeant ritu ſolenni. *Seſſ. de ref.*

Conjugum inter ſe disjunctorum, neque ſimul habitantium.

Eorum, qui cognatione, affinitateve juncti, matrimonium gradu prohibito contraxerint.

In eccleſia parum reverenter, ac non debita veneratione verſantium.

Illorum, qui diebus feſtis miſſæ ſacrificio non interſint; aut ſervilibus operibus dies feſtos violare, aut choreis, comeſſationibus, aliiſque ejuſmodi actionibus profanare ſoleant.

Talis, aleave ludentium; aut iſtis domicilia exponentium.

Libros de rebus obſcœnis, parumque honeſtis conſcriptos, obſcœnaſque item imagines habentium.

Eorum etiam, qui inertiæ, deſidiæ, otio, vel cauponis, taberniſve vinariis, ganeiſve dediti ſunt.

Marium, feminarumque veſtitum immoderatum induentium, non ſine manifeſta Dei, hominumque offenſione.

Omnium denique depravatorum morum, in parochiæ ſuæ hominibus frequentium ac publicorum.

Indicem item eorum hominum, intra parochiæ ſuæ limites habitantium, quibuſcum epiſcopus viſitans pro variis viſitationis officiis,



ANNO CHRISTI 1576.

aliquando colloqui, agereve neceſſe habet; horum ſcilicet;

Patrum familias.

Ludi literarii magiſtrorum, pædagogorum; muſicam etiam, ſcriptionem, arithmeticam; aliaſque artes liberales, profitentium.

Mulierum item docentium, puellaſque ſibi in diſciplinam traditas domi educantium.

Medicorum, chirurgorum, tonſorumque rem medicam exercentium.

Pictorum, & ſculptorum.

Bibliopolarum, impreſſoriamque artem facientium.

Miniſtrorum publicorum, ut ſyndicorum; confratriæ uniuſcujuſque præfectorum, curatorumve & aliorum id generis.

Notariorum.

Opiſicum, artificumve in parochia ſua frequentiorum.

Hominum operibus piis exercendis aptiorum, aut jam deditorum; & eorum qui vitæ ſpiritualis diſciplinæque Chriſtianæ ſtudioſi adjumenta ſubminiſtrare poſſunt, rationibus parochiæ bene inſtituendæ uſui neceſſariis.

Pauperum, viduarum, pupillorum, ceterorumque vere miſerabilium.

Cauponariam, cœnaculariamve exercentium.

Saltandi, tripudiandive, ac ſonandi in choreis artem profitentium, docentiumve.

Exhibeat ipſe ordinum, quibus initiatus eſt, ac beneficii illius, tum ceterorum etiam, ſi quæ alia obtinet, literas, tum facultates ſcriptas, ſi quas ab epiſcopo, ejuſve miniſtris habet, vel ſuo, vel eccleſiæ ſuæ nomine, ut puta ſuſcipiendi munus miſſarum celebrandarum, audiendi confeſſiones eorum, qui non ſint de ſua parochia; cohabitandi cum laicis; vel extra ædes eccleſiaſticas, adhibendi feminas ſibi inſervientes, locandi laicis domum eccleſiaſticam, exponendi capſulam pro eleemoſynis & ejuſmodi.

Exhibeat item libros proprios, quos ex decretis provincialibus, aut ex viſitationum, aliiſve epiſcopi ſui juſſionibus habere debet, utpote breviarium, miſſale, Kalendarium proxime editum, librum ritualem, ſeu ſacramentorum, homiliarium, pſalterium, volumen bibliorum, catechiſmum Romanum, codices conciliorum, ſcilicet Tridentini, provincialium & diœceſanorum, quibus in libris inſcriptum ſit nomen poſſidentis.

Exhibeat præterea indicem aliorum librorum, quoſcumque impreſſos, aut manu exaratos habet.

Quod de ſacris reliquiis, indulgentiis, indumentis, ornamentis, ſupellectili eccleſiaſtica, libris, ſcriptis, inventarii indicibus, fundationum tabulis, reditibus, emolumentis, oneribus, uſurpationibus, alienationibuſque, titulis etiam beneficiorum, & ordinibus, ac ceteris denique parocho, rectorive, aut præfecto eccleſiæ, in qua animarum cura geritur, præſcriptum eſt; id omne & præpoſiti & canonici & capellani, etiam mercenarii & alii dignitatum, canonicatuum, altarium, capellarum, aliorumque beneficiorum titulum obtinentes, aut quovis nomine adminiſtrationem curamve habentes; & rurſus fabricarum præfecti, & confratriarum, hoſpitalium, eleemoſynarum, locorumve, ac operum piorum quivis curatores, cum viſitandi erunt præſtent; quatenus eo de toto genere conſtitutum ullo modo pertineat ad eorum dignitates, beneficia, capellas & altaria; titulos & ordines, aut ad fabricas, hoſpitalia, eleemoſynas, pia loca, vel opera, aut etiam eccleſias, altaria, capellas eorumdem præfectorum, vel curarum adminiſtrationi & procurationi commiſſas. Parochi ſit autem aut præfecti; rectoriſve, ut ſupra, intra cujus parochiæ fines facienda eſt viſitatio, niſi epiſcopus aliis potius id muneris aliquando dederit, illos omnes & ſingulos in tempore præmonere; ut præſcriptum apparatum conficiant; atque in viſitatione præſentes adſint, tum præſcriptam rationem qua id præſtent, diligenter docere.

Epiſcopus porro, quo viſitationis rationem magis explicatam habeat, nec diutius quam par eſt in mora ſit, in omni præſcripto apparatu recte conficiendo ab iis, quorum intereſt, pietatis ſuæ, paſtoraliſque diligentiæ ſtudio omnem diligentiam adhibeat.

Quæcumque de præparatione in epiſcopali viſitatione facienda ſupra præſcripta ſunt, inſtructiones eædem fere omnes adhibendæ erunt in aliis viſitationibus, illa tantum præparatione excepta, quæ pertinet ad ea, quæ epiſcopi tantum, epiſcopaliſve muneris & viſitationis propria ſunt; ut de ſolenni receptione, de chriſmatis ſacri miniſtratione & aliis hujuſmodi.

Quo vero parochorum, aliorumve ſacerdotum, in concionibus vel ſermonibus habendis ratio epiſcopo exploratior ſit, hæc præter alias hujus indagationis conſtitutas rationes ſervare poterit, ut cum viſitantur, ſermonem, convocato populo, præſenteque ipſo epiſcopo ſinguli in ſua eccleſia, vel ubi is maluerit, eo de genere quod idem juſſerit, aliquando habeant.

Viſitationis initio, certæ Chriſtiano more vivendi regulæ, ex œcumenica Tridentina ſynodo, conciliiſque provincialibus & diœceſanis, omnique optima diſciplina collectæ, vulgari ſermone breviter explicatæ, ad communem provinciæ uſum per nos edendæ, præter illam decretorum ad laicos pertinentium denuntiationem in concilio provinciali tertio parochis præſcriptam, de ſuggeſtu populo frequentiſſimo in urbe & inſignioribus locis, ubi epiſcopus expedire cenſuerit, clara voce legantur, ut omnes intelligant ſecumque taciti inquirant an ad præſcriptas leges vitæ Chriſtianæ modum ſuſceperint. Tum ab epiſcopo de illis interrogati, videant ſui muneris eſſe, ſi quas in vitæ inſtitutione executi nondum ſint, earum præſcriptis atque inſtitutis parere quamprimum & quam diligentiſſime, pro ſalutaris diſciplinæ oratione atque uſu, rectis regulis confirmato.

Certas paſtorales monitiones unicuique hominum ordini, ſexui, ætati proprie convenientes, ex ſacrarum literarum fontibus: ſanctorumque patrum diſciplina ex eiſdem conciliis hauſtas, ad omnium etiam magiſtratuum inſtructionem, noſtra cura communi provinciæ uſui conficiendas, unuſquiſque parochus, cum in fine viſitationis urbis & uniuſcujuſque, præſertim inſignioris opidi, tum certis anni ſolennitatibus, prout epiſcopus juſſerit, & illis aliquid pro ratione loci, vel addendum, vel detrahendum cenſuerit, populo de ſcripto recitet atque evulget, ut fideles non ſolum viſitationis juſſis, decretiſque aliis in omne bone agendi partes con-

ANNO CHRISTI 1576.

confirmati, ſed ſæpius ſui quique debiti officii, epiſcopalibus paſtoralibuſque vocibus moniti in dies in via domini majores progreſſiones habeant.

## IV.

### *De concilio provinciali.*

Provincialia concilia, divino munere a ſacra œcumenica ſynodo Tridentina in uſum revocata, ſicut tertio quoque anno ad ejuſdem ſynodi præſcriptum convocari celebrarique oportet; ita maxime conſultum eſſe debet, ut id ipſum recte, ordine atque ex utilitate provinciæ præſtetur.

Itaque & pro illorum uſu in perpetuum retinendo & pro ceteris rationibus ad eorumdem actionem recte utiliterque præſtandam accommodatis, hæc tum auctoritate noſtra, tum etiam de conſenſu patrum ſancimus.

Primo ſingulis provincialibus conciliis, tertio quoque anno ex ipſa Tridentina ſanctione celebrandis, quæ indicere, convocare & celebrare, ejus metropolitani eſt, nos certam diem in poſterum indicimus, decernimus & ſtatuimus, feriam ſcilicet quintam, quæ a paſcha reſurrectionis domini ſub tertiam dominicam cadit; certumque item locum, nempe noſtram eccleſiam, beatæ Mariæ virginis nomine nuncupatam.

Hoc autem perpetuæ indictionis decreto, conſtitutioneve metropolitani juri derogatum abrogatumve ne ſit, quo minus conſtitutum diem locumve, prout neceſſitas poſtularit, vel juſta cauſa ratiove aliqua ei ſuaſerit, prorogare, accelerare, mutare, ex canonum jure, ſanctioneque Tridentina poſſit; modo intra triennii ſaltem ſpatium ad illius ſanctionis præſcriptum ſemel celebret.

Neque rurſus metropolitano legitime impedito, facultati illud convocandi, eadem Tridentina ſanctione coepiſcopo antiquiori conceſſæ detractum ſit.

Ejus autem conſtituti conciliaris diei & loci, atque adeo concilii provincialis indictionem D omnino ratam firmamque eſſe volumus, ac ſine alia vel literarum ſignificatione, vel edicti promulgatione, vel ulla alia denuntiatione aut nuntio, tantum roboris & auctoritatis ad epiſcopos & reliquos quoſvis omnes ac ſingulos, qui in provinciali concilio Mediolanenſi, quacumque ratione adeſſe poſſunt aut debent, quorumve aliquid intereſt, monendos & convocandos habere hoc decreto ſancimus, quantum illa quæ indicendi ejuſdem concilii provincialis ratio literis & nuntio, edictoque publico adhibetur.

Quamobrem propoſitis pœnis, canonum jure ſancitis, cum univerſos & ſingulos epiſcopos, tum ceteros omnes qui quovis jure, conſuetu- E dine, aliave, ut ſupra, ratione debent, Mediolani in metropolitana eccleſia præſentes adeſſe ad eam diem jubemus, quam tertio ſaltem quoque anno, provinciali conſilio de more ineundo, celebrandoque certam & ſtatam hac conſtitutione in perpetuum decrevimus.

Quicumque vero, vel epiſcopi, vel alii intereſſe debent; ne eorum nomine alii, ſed ipſimet, ſtata die adſint; niſi neceſſaria juſtaque cauſa, quamobrem debitum hoc officium præſtare non poſſint, impediti ſint.

A Eam porro cauſam tum metropolitano, ut canonum jure cautum eſt, probent; tum etiam procuratorem certum, eccleſiaſticum hominem mittant, qui ſuo nomine ſuſcipiat, recipiatve, quæcumque canonum, conciliique Tridentini auctoritate, in provinciali ſynodo acta, geſta, conſtituta decreta, ſancitave erunt. Si quis contra fecerit, aliave ratione non paruerit, aut contumax erit, ex canonum ſanctionibus debitas luat pœnas.

Quicumque porro ex iis, quos conſtituta illa die adeſſe hoc decreto juſſum eſt, adeſſe neglexerit aut prætermiſerit, contra eum agatur etiam edicto publico, metropolitanæ aut alterius eccleſiæ, locive ubi concilium habebitur, B ſi mutari quandoque contigerit, valvis affigendo.

Ad conſtitutum etiam illud tempus capitula cathedralium eccleſiarum invitamus ad concilium; quibus certos aliquos procuratores, eccleſiaſtici ordinis homines, mittere licet; qui eorum nomine præſentes in concilio adſint; ac ſi quæ erunt, quæ referre velint, ea metropolitano in concilio coram exponant.

Ut vero omnibus & ſingulis aliis, qui vel invitati, vel alio jure intereſſe poſſunt vel debent, quorumve intereſt, notior plane ſit atque evulgatior ejuſmodi ſynodi provincialis indictio; certam illam concilii inchoandi con- C ſtitutam diem, ac locum in Kalendarium, quod eo tertio anno editur, loco ſuo referri; conciliaremque diem notari, tum in octava natalis diei domini, qui dies eſt Kalendarum Januarii, aut in epiphania, prout in eccleſia ſua moris eſt, ejuſmodi ſolennes promulgationes fieri intra miſſarum ſolennia populo frequenti, una cum paſchæ reſurrectionis domini, aliarumque ſolennitatum denuntiatione de more judici, ſignificari & denuntiari unuſquiſque epiſcopus mandet.

Jubeat etiam eccleſiæ ſuæ cathedralis valvis, aliiſque locis, quæ videbuntur, ſchedulam grandiuſculis literis exaratam, duobus menſibus ante conſtitutam diem adſtante frequenti D populo affigi, his verbis:

Concilium provinciale Mediolanenſe; per reverendiſſimum archiepiſcopum decreto edito & promulgato, indictum & convocatum hoc anno, die menſis N. Deo auxiliante, in metropolitana eccleſia de more inchoabitur & celebrabitur.

Cui ſchedulæ manu cancellarii, notariive epiſcopalis ſubſcribatur, poſito etiam ſigillo conſueto epiſcopali. Conciliarem præterea hanc actionem ſingulis tribus proximis ante diem conſtitutam dominicis diebus per parochos & concionatores fidelibus denuntiari, eoſdemque non modo excitari ad frequentius orationis ſtudium, verum etiam ad id inflammari unuſ- E quiſque epiſcopus curet, ut die dominico, ſtatam concilii diem proxime antecedente, vere pœnitentes & confeſſi, ſacram communionem ſumant, hoc præcipue precantes, ut quæ ad ſuam & ad illorum, quorum curæ commiſſi ſunt, ſaltem pertinent, Dei auxiliante miſericordia, in concilio ſancta ſolicitudine agantur.

Ab eadem tertia dominica ante præfinitum concilii tempus & deinceps, quamdiu de more illud abſolutum aut dimiſſum erit, eadem de cauſa ac nomine, quinta quaque feria miſſæ ſacrificium, tum a ſingulis ſacerdotibus, tum



ANNO CHRISTI 1576.

tum ſolenniter collegiatim, in omni cathedra- A li & collegiata eccleſia, de Spiritu ſancto fiat, prout concilio provinciali ſecundo ſancitum eſt; vel ubi ſolennioris officii ratio hoc quandoque impediat, ſaltem commemoratio: tum etiam ſingulis diebus dominicis & in illis & in omnibus parochialibus eccleſiis proceſſio, ſupplicationeſque, litaniæ ac preces habeantur.

Eccleſiaſtici etiam ordinis homines, & quos una ſecum ad concilium epiſcopi conduxerint, & quos capitula miſerint, & teſtes item ſynodales, qui convenerint, ii omnes & ſinguli antequam in viam ſe dent, peccata confeſſi ſacerdotes miſſæ ſacrificium facere, clerici ſanctiſſimam euchariſtiam ne omittant.

Porro eo religioſius & frequentius epiſcopus B unuſquiſque in oratione & precibus & ſanctiſſimis ſacrificiis illo præſertim tempore verſari ſtudebit, quo planius ſe ad rerum gravium conſultationem & deliberationem vocatum eſſe videat.

Quo autem inſtructior ad ſynodalium rerum tractationem conveniat; perquirat primo, quæ Tridentina & provincialia decreta executus ſit, quæ non item. Videat præterea, quæ ab aliis, quorum intereſt, præſtita ſint, quæve non ſerventur.

Hæc vero accurate inveſtiget in primis, an qui vel jure, vel conſuetudine, vel alia quavis ratione reſidere debent, ipſi reſideant, anque reſidentiæ munera per eoſdem præſten- C tur.

Seſſ. 25. de regul. & monialib.

An regulares exequantur quæ Tridentina conſtitutione de eis ſancita, in defectum capitulorum generalium in provinciali concilio ſupplenda providendave ſunt, ejuſdem concilii Tridentini decreto.

Diligentiſſime quoque indaget, ſi quæ ſuperiorum provincialium ſynodorum decreta ſunt, quæ in ſua diœceſi executionem non habuerint.

Id denique omni Chriſtianæ diſciplinæ ſtudio perſpiciat, ſi quæ ſunt, quæ pro corrigendis moribus, pro abuſibus tollendis, pro controverſiis componendis, aut alias pro univerſæ provinciæ eccleſiaſtica & Chriſtiana mo- D rum gubernatione ſancte inſtituenda vel reſtituenda tractari aut decerni in concilio oportet.

Quo ſtudioſius autem id omne præſtet, paucis ante diebus, quam ſynodi provincialis ſtata & indicta dies venerit, urbis, diœceſiſque ſuæ ſacerdotes aliquot, pietatis zelo flagrantes, rerumque eccleſiaſticarum peritia atque uſu præditos, ut expedire videbitur, convocet: quibuſcum agat de iis ſinguli conciliarium rerum tractationibus, ac præſertim, quæ ad vitæ Chriſtianæ, & ad clericalis diſciplinæ inſtituta intereſſe poſſunt.

Iis omnibus epiſcopus inſtructus, ubi ad concilium venerit, in eo die iis ordine referat E atque agat; & in primis de divini cultus obſervantia, tum de cleri ſui diſciplina, ſpiritualibuſque ejuſdem progreſſionibus, ac de inſtituti etiam ſeminarii rationibus, de populi præterea in ſtudiis pietatis exercitatione, & de piorum hominum ſodalitatibus, de eccleſiæ denique diœceſiſque ſuæ omni ſtatu. Si quid vero ſit, quod epiſcopus utiliter tractari poſſe cenſuerit, ſi metropolitano per literas ante ſignificandum erit, id præſtet, prout expedire judicaverit.

In eccleſia vero, ubi concilium celebrabitur,



A quæ etiam eccleſia de more ornetur, ipſis proximis ante concilii initium diebus, oratio quadraginta horarum inſtituatur, fiatque a clero & a populo frequentiſſimo pro optimo concilii ſucceſſu.

Pridie etiam illius diei, quo futura eſt prima ſeſſio, epiſcopi, quo religioſius rem graviſſimam agant, jejunium celebrent; & epiſcoporum item familia.

Eodem die ſub veſperum, ſolenni more campanæ in eccleſia pulſentur; quod itidem fiat pridie illius diei, quo deinceps alia ſeſſio futura eſt.

Poſtridie, quæ ſtata concilii dies eſt, ſummo mane ſinguli eccleſiaſtici homines, qui con- B cilii cauſa venerunt, ſacerdotes quidem miſſæ ſacrificium faciant, reliqui vero clerici, præſertim qui de epiſcoporum familia ſunt, ſinguli a ſuo epiſcopo, miſſam celebrante, ſacram communionem ſumere ſtudeant.

Hoc deinde frequentius, tum maxime, quo die ſeſſiones habentur, facere ſalutariter procurent.

In prima ſeſſione ſupplicandi cauſa pro re gravi; quæ geritur, proceſſio ſolennis fiat, convocato univerſo clero, ſæculari & regulari; poſt proceſſionem, miſſæ ſacrificium, ut a metropolitano ſolet, eo impedito, ab antiquiori provinciæ coepiſcopo ſolenniter celebretur, & ſermo item Latine habeatur de re C conciliaribus actionibus, diſciplinæque eccleſiaſticæ cultui accommodata. Hoc autem & miſſæ & ſermonis officium ſequentibus aliis ſeſſionibus præſtetur ab alio provinciæ epiſcopo, qui a metropolitano delectus & invitatus, id munus ſuſceperit.

Singulis dominicis & feſtis diebus, dum concilium provinciale habetur, mane ſaltem conciliares actiones intermittantur, ut epiſcopi eccleſiæ & officiis eo tempore vacare poſſint.

Epiſcopi ad rerum, ob quas in concilium evocati ſunt, actionem, tota animi cogitatione intenti, ſicut illas omni pietate ſuſcipere debent, ita ſalutaribus conſiliis adjuvare, ſum- D maque animorum conſenſione, & concordiſſima epiſcopali voluntate perficere pie ſtudeant; id maxime ſpectantes, ut Deo, conſcientiæ ſuæ, religioni, eccleſiarum utilitati, Chriſtianæ diſciplinæ, animarumque ſaluti ſatisfaciant.

Congregationes generales, quæ ſtatæ in ſingulas hebdomadas habebuntur, ſignificentur, tum campanæ mediæ ſono per dimidiam horam dato, tum tabellis ſuo loco de more affixis.

A concilio autem ne cuiquam epiſcopo abire liceat, niſi neceſſaria juſtave cauſa a metropolitano cognita & comprobata, abeundique facultate ſcriptis data, ac procuratore eccleſiaſti- E co homine conſtituto & relicto, qui ſuo nomine, quæcumque in concilio acta decretave ſunt, recipiat.

Antequam a concilio diſcedatur, cum cetera & ad optimos mores inducendos, & ad eccleſiaſticæ diſciplinæ vim uſumque retinendum atque augendum, & ad Tridentinas, provincialeſque ſanctiones omnino exequendas pertinentia quam diligentiſſime agantur; tum quæcumque in ipſa Tridentina ſynodo ad concilium provinciale referuntur, ſtudioſe tum lectione repetantur, tum tractatione in executionis uſum inducantur.

ANNO CHRISTI 1576.

Canonicæ præterea regulæ œcumenicis conciliis, eccleſiaſticæque diſciplinæ monimentis traditæ, quæ epiſcopalis & ſacerdotalis vitæ rationem, officia, parteſque maxime attingunt, de ſcripto legantur, ut canonum auctoritate jam pridem ſancitum eſt.

In iis potiſſimum ſit conſtitutio, de vita epiſcoporum in concilio provinciali primo edita, altera item hoc quarto concilio promulgata.

Formula etiam promiſſionum ad interrogationum præſcriptum, quas pontificalis liber complexus eſt, ac ſi quæ præterea alia erunt, quæ potiora pro ratione temporum metropolitano videbuntur.

In ultima autem uniuſcujuſque provincialis concilii ſeſſione, dies futuri concilii ſupra præſcriptus, metropolitani juſſu denuntiabitur, ut antiqui inſtituti & moris eſt.

Epiſcopi antequam e concilio diſcedant, ſinguli ordine ad altare majus accedentes, decretis & conſtitutionibus in eodem concilio confectis & promulgatis, poſtquam metropolitanus ſubſcripſerit, ipſi etiam aſſentiendo de more ſubſcribant.

Unuſquiſque item procurator epiſcopi abſentis, antequam habeat promulgata decreta, ſui epiſcopi nomine ſuſcipiens, iiſdem ſubſcribat; ſi non fecerit, excommunicationis pœnam incurrat.

Abſoluto denique, ut moris eſt, concilio, & ſanctis acclamationibus factis, tunc omnes epiſcopi ſurgentes, cum reverentia oſculum pacis a metropolitano accipiant, & ſibi invicem dent, cum timore & amore Dei.

Quodque ſancti oſculi ſignificatione oſtendunt, id re ipſa præſtent, ut conjunctiſſimis animis, concordique voluntate, & pacis atque caritatis ſtudio, quæcumque ſancita ſunt, ſolicite exequendo in eam curam incumbant, ut univerſa provincia hæc ſalutaribus diſciplinæ inſtitutis, & ad uſum inductis, in omnes bene pieque agendi partes æque conformetur.

Hac autem omni conſtitutione, ne metropolitani auctoritate & facultati ullo modo derogatum ſit, qua licet ei omni loco intra provinciæ fines concilium provinciale convocare & habere; idemque in aliud tempus prorogare, mutare, aliave agere, & gerere quæcumque de ſynodorum provincialium indictione, celebratione, directione, aliiſque ejuſmodi ab eo agi, jus ſit.

Quæcumque vero ſupra conſtituta ſunt, quæ ad provincialis concilii habendi vim, uſum ac rationem, quovis modo pertinent, quæque ad pœnas non convenientibus, vel abeuntibus, aliiſve propoſitas, ſpectant; ea omnia, ac ſingula, ut mox ſupra decreta ac ſancita ſunt, locum itidem habere ſtatuimus, decernimus & ſancimus, etiam in concilio provinciali in poſterum celebrando, ſi vel conſtitutam diem accelerari, vel prorogari, vel diem aut locum mutari, vel alia quavis occaſione, vel cauſa, a metropolitano, vel antiquiore coepiſcopo concilium indici, convocari, celebrarive contigerit.

V.

*De ſynodo diœceſana.*

Epiſcopus ad Tridentini concilii præſcriptum ſingulis annis ac item ſemper ſex poſt provinciale concilium menſibus, diœceſanam ſynodum habeat, pœna propoſita, canonum jure, & Tridentino concilio renovata.

Quare quod in nonnullis hujus provinciæ eccleſiis moris fuit, in prima proxima diœceſana ſynodo certum diem ſynodalem conſtituat, quo clerus ad illam conveniat. Hic autem dies in ſingulos etiam annos, cathedrali in eccleſia de ſuggeſtu, die epiphaniorum, vel Kalendarum Januarii, ut alios ſolennes dies denuntiari conſuetudinis eſt, indictus, Kalendario etiam adſcribatur, quod in ſingulos annos confici ſolet. Certum autem illum diem, prout cauſa poſtulabit, modo prorogare, modo accelerare, ac mutare epiſcopo liceat arbitratu ſuo; ita tamen, ut neque ſex menſium ſpatium poſt celebratum concilium provinciale, nec rurſus ullus annus prætereat, quo ſynodum non habeat.

In prima quaque diœceſana ſynodo decreta in provinciali proximo concilio edita, promulgentur.

Quod officium ne epiſcopus negligat, vel prætermittat, cum hoc admonemus, ut pœnas meminerit ſacris canonibus contra eum ſancitas, qui id culpæ, vel negligentiæ commiſerit.

VI.

*De teſtibus ſynodalibus.*

Ut teſtium ſynodalium munus, ſicubi intermiſſum eſt, reſtituatur, atque non nomine ſolum, ſed certis officii partibus, recte per eos geratur, quibus in ſynodo, vel provinciali, vel diœceſana committetur, hæc de illis eorumque officio ſtatuimus.

Primo viri eccleſiaſtici ætate, moribuſque graves, prudentes, ac virtutum Chriſtianarum ſtudioſi, & ſpiritualis vitæ amantes, in concilio provinciali metropolitano ex unaquaque diœceſi duo ſaltem in ſynodo diœceſana, ab epiſcopo e diœceſi ſua ſeptem, pluresve, prout expedire viderit, teſtes ſynodales deligantur.

Quo in officio meminerit & metropolitanus, & epiſcopus pœnæ, in concilio Lateranenſi ab Innocentio III. ſancitæ, ſi vel ille in concilio provinciali, vel hic in diœceſana ſynodo nullos ſynodales teſtes nominarit.

Qui a metropolitano delecti & nominati ſunt in eodem provinciali concilio, qui ab epiſcopo in ipſa diœceſana ſynodo jurati, allatis ſanctorum pignoribus, ſancte ſpondeant, ex formula verborum infra præſcripta, muneris ſui partes, infra conſtitutas, ſe executuros eſſe.

Si vero a concilio provinciali abeſt, qui a metropolitano nominatus eſt, tunc epiſcopus, pro cujus civitate, vel diœceſi ille electus eſt, unius menſis a fine concilii ſpatio, cum ad ſe literis accerſat: eumdemque ex ipſa præſcripta formula jureſjurando obſtringat, ac jurisjurandi præſtiti teſtimonium, publica auctoritate munitum, intra alium menſem, ad metropolitanum omnino mittat.

Qui-



ANNO CHRISTI 1576.

Quicumque, ſive abſit, ſive præſens adſit, teſtis nominatus, id vel officium ſuſcipere, vel jusjurandum præſtare recuſarit; id ut præſtet, ſi provincialis ſynodi teſtis eſt, a metropolitano; ſi diœceſanæ, ab epiſcopo compellatur, ac propterea ſi opus videbitur, cum eo mulctis etiam, & pœnis, cenſuriſve agatur.

Jurisjurandi autem formula, ex antiquo canone excerpta, quam præſtabunt, hæc eſt:

*Ego N. teſtis ſynodalis a reverendiſſimo metropolitano, vel ſi in diœceſana ſynodo electus eſt, a reverendiſſimo epiſcopo nominatus, promitto, ſpondeo, & juro, quod amodo inantea quidquid novi, aut audivi, aut poſtmodum inquiſiturus ſum, quod contra voluntatem Dei, & rectam Chriſtianitatem in diœceſi, vel regione mihi commiſſa factum ſit, vel futurum, ſi in diebus meis evenerit, tantum ut ad meam cognitionem quocumque modo, ſi ſcivero, aut indicatum fuerit mihi, ſynodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium reverendiſſimi metropolitani, aut ſi diœceſana ſynodi eſt, reverendiſſimi epiſcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celabo reverendiſſimo metropolitano, aut ſi ſynodi eſt, reverendiſſimo epiſcopo, aut ejus miſſo, cui hoc inquirere juſſerit, quandocumque ex hoc me interrogaverit; ſic me Deus adjuvet, & hæ ſanctorum reliquiæ.*

Jurati teſtes hoc perpetuo meminerint, ſe non amore, non odio, non invidia, non ſpe, non metu, non pœna, non præmio, non cognatione, non ulla denique re commoveri, aut impediri debere, quo minus libere & integre munus ſuum pro ratione infra præſcripta præſtent.

Quo igitur tempore hoc munus geſſerint; perſonas diſcretas interrogando ſimpliciter, & de plano, abſque ulla juriſdictione ſolicite inveſtigent hæc quæ ſequuntur; idque ſinguli, aut in univerſa civitate & diœceſi, aut in regione, unicuique eorum potiſſimum nominatimque commiſſa:

An parochi, canonici, & alii quicumque eccleſiaſtici homines, quos reſidere homines, oportet, præſentes in eccleſiis ſuis adſint; anque rurſus ſi præſentes in parochialibus vel canonicalibus, clericalibuſque ædibus habitent.

An parochi præterea, aliique animarum curatores ſolicite, ut debent, fidelium ſibi commiſſorum ſaluti invigilent.

An in ſacramentis ſancte miniſtrandis, in verbi Dei prædicatione, in ſalutaribus monitis, in rudium, & puerorum ad doctrinam Chriſtianam inſtitutione, & in ceteris omnibus curæ parochialis officiis, diligentis muneris partes præſtent.

An reliqui, quicumque ſint, eccleſiaſtici ordinis homines eccleſiæ, ſi quam obtinent, aut in qua dignitatem vel canonicatum, vel capellam, vel eccleſiaſticum aliquod munus habent, aut in qua adſcripti ſunt, oneribus ſatisfaciant, & præſcriptas ſibi functiones obeant.

An eccleſiæ ſartæ tectæ ſint; an ornamentis, & ſupellectili eccleſiaſtica neceſſaria & congrua inſtructæ; an in illis, aut earum cœmeteriis atriiſve aliquid incultum ſit, quodque ſordibus obſoleſcat, anve aliquid a religioſo cultu & pietate alienum.

Videant item, an populus in via domini ambulent, frequenſque adſit divinis officiis & ſacris concionibus, & in eccleſia pie religioſeque verſetur, atque dies feſtos colat.

An jejunium quadrageſimæ, quatuor temporum, ſtataque reliqua eccleſiæ jejunia obſervet.

An iſdem decimas, primitias, aliaque debita emolumenta, adjumentave præſtare, aut ſolvere recuſet.

An in populo ſacrilegi, blaſphemi, concubinarii, adulteri, inceſtuoſi, virginum raptores, an excommunicati, an hæreſis & magiæ, ſuperſtitionumve nomine ſuſpecti ſint.

An denique aliæ in eodem modum corruptelæ, quæ correctionem, emendationemve requirant.

Diſpiciant item, an quæ Romanorum pontificum conſtitutionibus, œcumenicis, provincialibus, diœceſaniſque ſynodis, epiſcoporumque edictis, quovis de genere decreta, ſancitave ſunt, ab iis ſerventur, quorum intereſt, ſive eccleſiaſtici, ſive laici homines ſint.

Quæcumque vero animadverterint, quæ jam decreta ſancitave nullam adhuc, aut non perfectam executionem habuerint; tum quæ rurſus depravata, correctionem vel reformationem deſiderent: ea omnia & ſingula ordine ad metropolitanum in concilio provinciali, ſi vero diœceſanæ ſynodi teſtes ſunt, ad epiſcopum in ipſa ſynodo referant. Quod officium ut & præſtent utilius, & rurſus ea de cauſa nullus patiatur impenſam, quæ neceſſaria non ſit, ratio hæc omnino ſervetur.

Qui provinciali concilio a metropolitano nominati & conſtituti ſunt teſtes ſynodales, ii tribus ante menſibus quam concilii proxime futuri ſtata dies venerit, quæcumque in urbe, diœceſive, ubi id officium præſtare debent, animadverterint, quæ reformationem aut correctionem requirant, ea in ſcriptum relata ad metropolitanum mittant; teſtes vero diœceſanæ ſynodi menſe ſaltem antequam dies ſynodalis venerit id ipſum epiſcopo præſtent.

Cum vero provincialis concilii dies inſtabit, in unaquaque diœceſi eo nomine electi inter ſe convenient, ut eorum unus, quem metropolitanus maluerit, ſi tamen id illis, vel cum conſtituit ad hoc munus, vel poſtea literis ſignificavit; alioquin is, de quo inter ſe convenerint, accedat: qui conſtituta die concilio præſens adſit; ac ſi quæ interroganda, examinanda, aut cognoſcenda ab ipſo de iis quæ præſcripta ſunt, aut de aliis, quæ metropolitanus cenſuerit, coram fideliter reſpondeat, ſummaque integritate, prout jurejurando ſancte adſtrictus eſt.

Prima vero, vel ſequenti, ſi poteſt, proxima poſt ſynodum inchoatam congregatione, aut certe quamprimum poteſt, referet, & interrogatus reſpondebit. Quod ubi plane præſtiterit, diſcedat licet; neque poſt illud tempus, niſi metropolitanus aliter cenſuerit, ſumptus illi pro victu ſuppeditetur, ſed ſolum tantum pro viatico detur, quantum ad redeundum ſatis ſit.

Viaticum autem teſti ſynodali, ad ſynodum provincialem proficiſcenti, & ſumptus pro victu neceſſarius, quamdiu pro munere commorabitur, ſuppeditetur aliqua pecuniæ contributione, quæ ſatis ſit, a clero ejus diœceſis facta: quæ epiſcopus efficiat ut ſine mora, impedimentove ei omnino perſolvatur.

Ad diœceſanam vero ſynodum teſtibus ſynodalibus venientibus, nihil neque ſumptus,

ANNO CHRISTI 1576.

neque viatici contribuatur; niſi ſint, qui diœceſanæ ſynodo intereſſe non debent, atque iis quidem ſuppeditetur ad præſcriptam provincialibus teſtibus rationem.

Si teſtis ſynodi, vel provincialis, vel diœceſanæ a ſuo domicilio ad aliquem locum pro ſui muneris functione inveſtigaturus acceſſerit; victus, expenſa, viaticumque ab iis detur, quorum cauſa venerit, ad idque dandum epiſcopus compellat.

## VII.

### *Monitiones.*

Pervetus illud inſtitutum eſt, tum ſanctorum patrum uſu tum eccleſiæ auctoritate comprobatum ut quæ ſacerdotalem clericalemque diſciplinam, officia, ac partes ejus maxime attingunt, ea certis monitionibus comprehenſa, ab epiſcopo in ſynodis clero proponantur. Cujus inſtituti ratione atque exemplo nos adducti, de epiſcoporum noſtrorum conſilio atque aſſenſu, monitiones infra ordine præſcriptas, edendas cenſuimus: quibus pro libito ſuo unuſquiſque epiſcopus addat & detrahat, prout eccleſiæ ſuæ clero pro temporum ratione utile eſſe viderit: tum illas in unaquaque diœceſana ſynodo, ſeſſione publica univerſo clero de libro accurate legi, graviterque pronuntiari mandet; ut quo ſæpius repetitæ, frequentiorique ſtudio illæ traditæ atque expoſitæ ſunt, eo diligentius ac religioſius ſanctis eccleſiaſticæ diſciplinæ, vitæque officiis univerſus clerus in omnes ſeſe partes conformet.

Primo, fratres, & filii in Chriſto cariſſimi, memores perpetuo eſtote vocationis, qua vos dignatus eſt dominus noſter.

Qua aſſidua recordatione, memoriaque excitati, eam vos virtutem induite, ut videant alii quaſi lumen aliquod, veſtram ſanctitatem elucere. Quæ ſi magna in aliis vitæ Chriſtianæ inſtitutis requiritur, certe in vobis, qui myſteriorum Dei miniſtri, divinæque gratiæ diſpenſatores eſtis, major ineſſe debet.

Et ſicut ſacro ordine a reliquis hominibus ſejuncti eſtis, ita a communis fidelium vitæ uſu ſejuncti, præcipuum quoddam atque hoc præſtantius vivendi genus ſequimini, quo ordinis dignitate præcellitis.

Cæleſtem in terris vitam, tamquam angeli Dei, moribus veſtris exprimere uſque adeo ſtudete, ut a vobis divinarum virtutum exempla ad ceteros emanent.

Una animi conſenſione, unoque ſpiritu in iis elaborate, ut & divino cultui, & cæleſtium rerum meditationibus, & orationi, & ſacrarum, eccleſiaſticarumque literarum ſtudiis vacetis; tum depoſitis ſæcularibus, vaniſque ſolicitudinibus, ab omni vitio alieni, in via domini recte ambuletis.

Caritatem in primis, quæ ſeminarium eſt omnium virtutum, omni ſtudio amplectimini.

Humilitatem, manſuetudinem, patientiam, juſtitiam, temperantiam, officiaque Chriſtianæ pietatis reliqua colite. Quæcumque denique ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque ſancta, ac religioſa, ea cogitate, eaque agite.

Virtutes ſanctorum patrum, quas præcipuas, & quaſi hereditarias vobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrare ſolum, ſed omnino exprimere certatim contendite.

Utque illi, ſic vos, abſtinentiæ, & jejuniis dediti, clericalis diſciplinæ ac vitæ caſtiſſimæ ſtudioſi, tum patriæ cæleſtis ſitientes, Deo ſervite aſſiduis divinarum laudum officiis, & in eccleſia, quaſi in perpetua veſtra ſacerdotali, clericalique ſtatione continenter verſamini.

Quæcumque demum de muneris veſtri partibus, de vitæ modo, vel pontificum ſanctionibus, vel œcumenicis conciliis, vel provincialibus, diœceſaniſque ſynodis, vel alia ratione præſcripta ſunt, ea vos ſervate, ac præſtate diligenter.

Omnes, qui canonicarum horarum officiis devincti eſtis, ſtatas eas preces horarias recitate ad præſcriptam Kalendarii anniverſarii rationem ac ritum.

Nec vero negligenter, ſed attente, pie, decore, ſupplicique mente illas dicite.

Studioſe propterea legite, quæ præſertim a beato Antonino archiepiſcopo conſcripta ſunt de negligentia in perſolvendis horis canonicis, ut quæ eo nomine errata ſunt, omnino caveatis.

Expletis canonicarum horarum officiis, ſi quid in illis aut negligentia, aut alia culpa commiſeritis, paululum colligentes vos, veniam a Deo petite.

Qui ſacerdotes eſtis, miſſæ ſacrificium ſæpius facite ſancte ac religioſe.

Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti myſterii meditatione toto animo defixi, & quo purius id faciatis, propriam conſcientiam diligenti, accurato, frequentique examine diſcutite, tum ſingulis ſaltem hebdomadis, atque adeo ſæpius & omnino ſemper, cum peccati mortalis conſcii eſtis, uni e confeſſariis ſacerdotibus, ad cleri confeſſiones audiendas conſtitutis, confitemini.

In ea ſanctiſſimi ſacrificii actione ab erroribus vel leviſſimis omnino cavete.

Quæ de illo pie riteque celebrando præſcripta ſunt, ea vos ſtudioſe diligenterque ſervate.

Diaconi, ſubdiaconi & clerici inferiorum ordinum, quicumque eſtis, quæ de confitendis ſæpe peccatis, de communione frequenter ſumenda, vobis juſſa ſunt, integre & ſancte omnia, ut debetis, præſtate.

Confeſſarios ſacerdotes per nos vobis conſtitutos, quos etiam tamquam vitæ veſtræ duces ac magiſtros elegimus, adite.

Eccleſiaſticæ militiæ omnes vos adſcripti eſtis, ad pietatis religioniſque exercitationes vos vocatos eſſe cognoſcite.

In omni in primis ſancta oratione vos aſſidue exercete; tum in meditationis, tacitæque piæ orationis ſtudio ſingulis diebus, certo temporis ſpatio, toto caſtiſſimi animi ſenſu incumbite.

Hæc ſanctis precibus, præter cætera, ſupplices præſertim afflictis rei Chriſtianæ temporibus, orate patrem miſericordiarum & Deum totius conſolationis,

Ut miſereatur populi ſui.

Ut fidelium animos ad vitia fugienda, ad virtuteſque amplectendas ſancti Spiritus ſui ardore inflammet.

Ut e principum, regumque animis evellantur, ſi quæ ſunt, diſcordiæ ſemina.

Ut ii una animi conſenſione Chriſti regnum pro-



ANNO CHRISTI 1576.

propagare ſtudeant, unamque Dei gloriam, atque eccleſiæ matris defenſionem propoſitam habeant.

Quidquid vero temporis a divinis officiis, ab orationis contemplationiſque exercitatione, ab eccleſiaſticis functionibus, & ab aliis neceſſariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in deſidia, nec vero in rerum novarum curioſitatibus illud conterite; ſed cum in ſortem domini vocati ſitis, in ejus lege die ac nocte meditemini.

Sacrarum igitur literarum ſtudia diligentius colite, quæ uſque adeo complecti debetis, ut qui aſpernetur, contra eum dicat dominus: *Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* (Oſea. 4.)

Frequentes ad ſtatas lectiones & ad literarum tractationes vobis præſcriptas convenite.

Attento animo in iis adeſte, atque in dies ad uberiorem ſacrorum ſtudiorum fructum progreſſionem aliquam habete, ut ad epiſcopum aliquando vocati, & diligentiæ & doctrinæ teſtimonium detis.

Si qui eſtis, qui vel tarditate ingenii, vel ingraveſcente ætate magnum in literis progreſſum habere non poteſtis, ne deſiſtite tamen primum oratione frequenti intelligentiam vobis neceſſariam a Deo petere, tum eo diligentius ad pietatis, modeſtiæque ſtudium, ac ſanctorum morum diſciplinam incumbite; tum ſæpius ſacerdotes peritiores conſulite; & ad clericales, ſacerdotaleſque exercitationes convenite, & libentius & frequentius.

Concionibus etiam, atque lectionibus ſacris, quæ in eccleſia, conſtitutis diebus, habentur, cum omnes, quicumque eſtis, tum maxime, quibus potiſſimum conciliaribus decretis juſſum eſt, quo decet habitu frequentiſſimi adeſte.

Lectione librorum ſpiritualium & clericalium, qui probati ſint, animos menteſque veſtras paſcite.

Quatuor præſertim locos, ex catechiſmi Romani doctrina de duodecim fidei articulis, de ſeptem ſacramentis, de decem præceptis, de oratione dominica in promptu, atque explicate habere omni ſtudio contendite.

Cum iis & præceptorum eccleſiæ cognitionem, & preces horarias, recitandi peritiam & eccleſiaſticorum rituum, cæremoniarumque notitiam conjungite.

Pauculos libros, quorum neceſſarius delectus vobis decretis vel provincialibus, vel diœceſanis præſcriptus eſt, habere ne omittite aut negligite.

Qui pro facultatibus, proque ſtudiorum ratione plures habere poſſunt, eorum optamus & laudamus in iis comparandis diligentiam.

At libros de rebus jocoſis, ridiculis, obſcœnis, inanibus, ad poeſiſque profanæ ſtudium pertinentibus, vulgari aut Latino ſermone conſcriptos, procul abjicite.

Nec vero muſicas cantiones ridicule, voluptarie, parumque pudice exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex ſacris bibliis legite; ac ſi per eccleſiaſticas occupationes licet, qui apti eſtis, aliquid item ex ſanctorum patrum opuſculis, Gregorii magni pontificis, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi, Bernardi, & aliorum qui ſanctitatis & doctrinæ laude in eccleſia celebrantur.

In iis ad legendum, ſanctiſſimum patrem Ambroſium epiſcopum vobis potiſſimum proponite.

Illius præcipue librum de ſacerdotali dignitate legite, quo libro eccleſiaſticos homines commonuit de perfectæ vitæ inſtitutione.

Libros item officiorum, quos ubi primum epiſcopus is factus eſt, cleri Mediolanenſis potiſſimum cauſa edidit, in manibus aſſidue habete.

Hos atque alios præterea libros de ſacerdotalis, clericaliſque vitæ rationibus & officiis, de animarum cura, de Chriſtianæ pietatis ſtudiis & exercitationibus, de aliiſque ejuſdem generis pie confectos, ita legite, ut quæcumque ad vitæ ſanctæ normam accommodata ex illis animadvertiſtis ac didiciſtis, moribus exprimatis.

Conciliorum item provincialium & diœceſanorum conſtitutiones & decreta non percurrite ſolum, ſed uſque adeo ſtudioſe legite, ut quæ legeritis, poſt etiam taciti vobiſcum aliquando mente reputetis, ac videatis ſimul, non ſolum ſi quidquam eſt, quod contra illorum præſcriptum egeritis, verum ſi quid etiam aliud eſt, quod ex eiſdem exequi, præſtareve omiſeritis aut neglexeritis. Quod ut præſtetis, curate omnino atque efficite.

Eſtis divina miſericordia in eccleſiaſtico ordine conſtituti, ad gloriam Dei conſervandam, propagandamque: ideo tum ordinis veſtri miniſterium, quod explere debetis, videte; tum dignitatem ac decorem ſervate.

In inceſſu, ſtatu, geſtu ita vos præbete, ut ab ordinis, quem ſuſcepiſtis, nomine & ratione nullo ſane modo diſcrepetis, propoſito vobis beati patris Ambroſii judicio, qui clero adſcribi hominem recuſavit, propterea quod ejus geſtus & inceſſus dedeceret.

Habitu non exquiſito, non delicato nimis, non ſerico, ne ornamento quidem: rurſus non ſordido, non neglecto, ſed gravi & talari, atque ejuſmodi tum domi tum foris pro uniuſcujuſque veſtrum ordinis graduſque ratione utimini, ut a decretis eo de genere editis, nulla in re vel minima diſcedatis.

Coronam, quod inſigne eſt ordinis clericalis, pro ratione ordinis, quo vos ſinguli initiati eſtis, latam & conſpicuam deferte.

Parca & frugali menſa contenti ſitis, & ſupellectile etiam modeſta ac tenui potius.

Ab omni ſplendido apparatu, pompaque ſæculari abſtinete.

Quæcumque acu picta, varie intexta, aulæa item, periſtromata rejicite.

Imagines domi non profanas, ſed eas habete, quæ pietatis & religionis argumentum & adjumentum præbeant.

In omni vita a faſtu, luxu, ambitu, ambitione & a vanitate longe refugite.

Nec verbis quidem præſcriptum vitæ modum pervertite.

Nihil ſcurriliter, nihil jocoſe, nihil indecore, nihil turpiter loquamini,

Abſint a vobis maledicta, obtrectationes, curioſitas, levitas, aſſentationes ac nugæ.

Temperantiæ clericalis diſciplinam vobis præſcriptam in reliquis etiam omnino tenete.

Comeſſationes, compotationes, convivia publica, laicaliave, tum maxime in quibus mulieres interſunt, evitate.

Hoſpi-

ANNO CHRISTI 1576.

Indagate omni ſtudio, ſi qui hæreſi contaminati ſint, aut ſuſpecti aut qui ſint, qui hæreticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant, eoſque ſtatim denuntiate.

Monete etiam populum, ut id ipſum etiam præſtet, ad noſtri edicti præſcriptum: quod ſtatis temporibus de more promulgate.

Perquirite de dictis & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.

Diſpicite, ſi qui e parochiæ veſtræ finibus ad loca proficiſcantur, ubi impune prædicatur quod a catholica fide alienum eſt; tum etiam an ii profectionis facultate impetrata agant ad præſcriptum decreti in concilio provinciali tertio promulgati. Inveſtigate præterea de iis, qui in veſtra parochia docent, eorumdemque mores, vitam, & fidem obſervate; reliqua de iis ipſis præſtate, quæ conciliis provincialibus præſcripta juſſave ſunt.

Videte, & cavete, ne ſuperſtitiones, magicæ cantiones, & ejuſmodi diabolicæ ſuperſtitiones in populo veſtro ſint.

Cognoſcite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, uſurarios, blaſphemos; & denuntiate.

Cognoſcite etiam alios populorum corruptores, qui feſtis diebus non Deo, ſed aleis, ludis, choreis, diabolo ſerviunt, quique feſtorum dierum cultum quovis modo violant quales quales ſint; neque obſervant pontificias, neque provinciales de diebus feſtis colendis conſtitutiones, aut edicta epiſcopalia.

Iſtos ab ea male agendi corruptela revocare, ac deterrere, omni pietatis officio ſtudete, tum epiſcopo etiam, ſicut opus erit, ſignificate, ut pro curæ epiſcopalis officio ſalutare remedium afferatur.

Rurſus agnoſcite etiam pauperes, viduas, pupillos, ceteroſque aliena ope egentes, quibus & ſalutari conſilio, & conſolatione, & re ſubvenite, aut ſi minus re poteſtis, cohortatione alios accendite ad eos ſublevandos.

Sique illorum gravior inopia depoſcit, feſtis etiam diebus a pia fidelium liberalitate aliquid in eccleſia colligendum curate, ut ab epiſcopo præſcribetur, quod ipſis in eleemoſynam conferatur.

Seorſum etiam locupletes parochiæ incolas convenite, quibus pauperum egeſtates proponite, & oſtendite eis divitias a Deo propterea etiam eſſe tributas, ut inopibus ſuccurrant.

Si qui autem potentiorum opibus in cauſa aliqua oppreſſi ſunt, illos unice, atque intime eorum patrocinio commendate, qui vel ex ſuſcepto officio id præſtare debent, vel quibus epiſcopus hanc curam dederit.

Paſcite in primis populum vobis commiſſum prædicatione verbi Dei, ſalutaribus monitis, adminiſtratione item ſacramentorum, exemplo, & oratione.

In verbo Dei exponendo plane obſervate quæ conſtitutione provinciali, & aliis concionatoribus, & vobis præſcripta ſunt.

Pueros feſtis, dominiciſque diebus, in doctrinæ Chriſtianæ rudimentis inſtruite.

Provectioris ætatis homines ad eadem intelligenda invitate.

Patres, matreſque familias monete, ut filios, filias, ceteroſque quos in familia habent, ſtatas doctrinæ Chriſtianæ ſcholas ipſi conducant.

Confratrum, qui iis ſcholis adſcripti ſunt, A operam ad hoc inſtitutum adhibete, curateque ut mutua inter eos caritas, morumque diſciplina conſervetur.

Alios etiam ad tam pium opus amplectendum alacriores reddite, atque excitate tum aſſiduis veſtris cohortationibus, tum promulgatione theſauri ſpiritualis indulgentiarum, iis conceſſi, qui iis ſcholis adſcribuntur, in illiſque operam navant.

Ne omittite diebus feſtis inter miſſarum ſolennia aliquid ex iis, quæ in miſſa leguntur, fidelibus exponere, & ſanctiſſimi illius ſacrificii myſterium aliquod explanare, & aliquando ſanctiores illius ſacrarum ceremoniarum rituumque rationes, & ſignificationes explicare, quo B diligentius inſtructi in dies ſacroſancto illi ſacrificio religioſius interſint.

Docete item, quomodo fideles ſigno miſſæ celebrandæ dato, ſe corde contrito ad eam ſancte audiendam parent.

Curate, atque efficite perpetuis veſtris monitionum officiis, ut in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni ejus parte utroque genu flexo, præterquam in evangelio, adſint.

Inſtruite etiam eos, quam religioſe non ſolum in miſſæ ſacro, verum etiam in divinis aliis officiis verſandum.

Quando ſtandum, quando genua flectenda, quando aſſurgendum.

C Quam valde, dum illa fiunt, celebranturve, fugiendæ confabulationes, colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores, imo vero inanes cogitationes, quibus a pia meditatione, & myſteriorum, quæ aguntur, contemplatione, religioſaque oratione animus diſtrahitur; quam denique ſtudioſe vitanda reliqua omnia ab eorum officiorum ſanctitate, & cultu aliena.

Rurſus quam ſancte item, quam religioſe, & quam demiſſo, humilique habitu in ſupplicationibus, litaniis, & ſtationibus verſandum ſit.

Qua reverentia, quove pietatis ſtudio in eccleſiis, lociſve ſacris manendum ſit, quæve ab aliis procul abeſſe debeant, idque ex ſanctionibus D pontificiis, conſtitutionibus conciliaribus, epiſcopalibus præterea edictis.

Qua etiam, non ſolum intima religioſi animi præparatione; ſed externa etiam cultus, veſtituſque modeſtia, humili genuflexione, & armis depoſitis, ad ſanctiſſimam communionem, tum etiam ad certa ſacramenta accedendum ſit.

Tum docete, ac monete, quomodo dies feſti colendi & ſanctificandi ſint.

Oſtendite indigniſſimum eſſe ſacris illis diebus, non modo a nefariis operibus illicitiſque negotiis non abſtinere, verum etiam religionis, ac pietatis opera non præſtare omni diligentia.

E Ac præterea nefas eſſe, ſacros dies ad maxima Dei beneficia colenda, ſummaſque ei laudes perſolvendas, ac debitum ſanctis honorem tribuendum inſtitutos, ad illa traduci, quæ ab eo cultu abhorrent: qualia ſunt tripudia, ludi, choreæ, ſpectacula, quibus ad turpes illecebras incitantibus ſalutis humanæ hoſtis diabolus oblectatur.

Denuntiate item ſtata ſacrorum temporum jejunia; docete quomodo jejunandum, quæ peccati gravitas in violandis ſacris jejuniis.

Quæ præterea Chriſtianæ pietatis officia in ſanctorum vigiliis.

Quam



ANNO CHRISTI 1576.

Quam ſancte obſervandum quadrageſimale A jejunium.

Statis autem ſolennibus, vel adventus, vel ſeptuageſimæ, vel aliorum temporum celebritatibus præmonete fideles, atque diligenter ex paſtoralium etiam literarum præſcripta recitatione ac ratione inſtruite ad ſacra illorum temporum myſteria ſanctis pietatis officiis religioſe colenda.

Utque iis omnibus pro temporum ſolennitatumque ratione illi inſtrui poſſint, ſæpe monete, ut dominicis aliiſque feſtis diebus, quemadmodum ſacra Tridentina ſynodus optat, ad parochialem eccleſiam conveniant.

Qua in re ſæpius monitionem paſtoralem de B genere hoc frequenti populo legite.

Sæpe autem ac diligenter eoſdem docete, quam aſſidue orandum ſit.

Quomodo & tacita ſupplicis mentis meditatione, & piis ſtatis orationibus precandum.

Quam ſtudioſe ac religioſe ſuſcipiendum veſpertinæ communis orationis inſtitutum, quam diligenter illud ſemel ſuſceptum pie retinendum.

Ideoque cum alias ſæpe in anno eam orandi rationem cum indulgentiis conceſſis per ſumma capita explicate; tum præcipue diebus, concilio provinciali tertio conſtitutis, in maxima populi frequentia de ſcripto pronuntiate atque evulgate.

C Dominicis diebus inſtruite populum, & monete, pro quibus oret, ut eſt in eodem provinciali concilio decretum.

Tum præterea, quas ſingulis hebdomadæ feriis præcipuas precationes, Chriſtianaſque meditationes, atque in orando exercitationes ſibi propoſitas in promptu habere poſſit.

Quamſæpiſſime vero ſermonibus veſtris populo proponite locos perpetuæ Chriſtianæ meditationis, de morte, de judicio, de inferno, de gloria, & de præmio paradiſi.

Monete præterea ſedulo ac frequentiſſime patres, matreſque familias, ut liberos, familiamque ſuam ad pietatis, Chriſtianarumque virtutum diſciplinam religioſe inſtituant.

D Ad hoc propterea patres familias inducite, ut de vitæ ſpiritualis ratione, & piis exercitationibus libros probatos domi ſuæ habeant, in quorum lectione verſentur, ſeſeque ac familiam inſtituant ad ſancte agendum.

De patrumfamilias officio, familiæque inſtitutione editam in concilio tertio provinciali conſtitutionem in parochiali conventu legite, ſingulaſque ejus partes explicate.

Tum alia præterea docete, quæ opportuna exiſtimaveritis; quibus illi ſe, ſuamque familiam in Chriſtianæ vitæ inſtitutis, atque exercitationibus conforment.

In officinis etiam, & tabernis diſciplinæ, vitæque Chriſtianæ ratione obſervate; ſi quid autem vel ab artificibus, vel ab inſtitoribus, E operariiſve committi animadverteritis, quod diſſolutæ diſciplinæ ſit, id officinarum, tabernarumve dominos graviter monete, oſtenditeque ea in re officii ſui partes.

Eſtis participes, & ſocii laborum, curæque epiſcopalis, & in meſſe epiſcopo commiſſa operarii eſtis; elaborate una cum eo, & contendite, ut populus, cujus cura geritur, tamquam purum triticum, auxiliante divina miſericordia, congregetur in horrea cæleſtia.

1. Tim. 6. *Depoſitum cuſtodi*, inquit beatus apoſtolus Paulus, id quod vobis ſingulis dictum eſſe putate, A ut in grege, tamquam depoſito fidei, curæque veſtræ commiſſo diligenter cuſtodiendo, ab omnique peccati labe conſervando cogitationem, ſolicitudinem, curam, ſtudiumque omne collocetis.

Parochiæ igitur unicuique veſtrum concreditæ viciniam, cum a ceteris vitiis omnibus vos ſinguli ſolicite cuſtodite; tum curate etiam, ne odia, ſimultates, inimicitiæ, factiones, nec non temere jurandi, maledicendi, imprecandi pravæ conſuetudines, ac ne detractiones quidem in ea ſint.

At vitia in primis, & peccata, ad quæ populum procliviorem eſſe animadverteritis, reprehendite, atque exagitate.

B Nec vero diſſimulate peccata, ſed annuntiate populo ſcelera ejus: publice peccantes coram omnibus arguite, ut & alii timorem habeant.

Idque agite ſpiritu fortitudinis domini, & ut ſtrenui ejus milites, bonam militiam militate, nihil plane trepidantes.

*Si ab increpatione*, vos monet ſanctus Gregorius, *reticueritis, quia contra vos odia inſurgere reformidatis, non jam Dei lucra, ſed veſtra quæritis*.

Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicujus generis contumeliis illud, vel increpandi, vel palam arguendi officium deſerite, modo Chriſti gloriæ, & animarum C ſaluti ſerviatis.

Rurſus non aucupandæ hominum gratiæ ſtudio id agere deſiſtite; *Servus Dei non eſſem, ſi hominibus placerem*, inquit apoſtolus. Gal. 1.

Væ vobis tacentibus, aut diſſimulantibus, ſi grex curæ veſtræ commiſſus perierit: ſanguinem ejus de manibus veſtris requiret juſtus & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, ne in increpationibus verba veſtra blandientia ſint, ſed, ut a Spiritu ſancto ſcriptum eſt, *ſtimuli ſint, & quaſi clavi in altum defixi*. Eccl. 12.

Inſtate opportune, importune, privatis etiam admonitionibus, conſiliis, correptionibus, objurgationibus, ut peccantes, adjutrice divina D gratia, in viam ſalutis revocetis.

In uſum etiam ſancte ita revocate fraternam correctionem, ut non modo mutua Chriſtiana caritate vos ipſos corripiatis, ſed reliquos item, præſertim parochiæ incolas id caritatis, & correctionis officium recte doceatis.

Ad ſermonum vero, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, præcipue ex doctrina catechiſmi Romani, in quo magna cum populorum veſtrorum ſalutari utilitate verſari diligenter poteſtis.

Neque ad hoc multiplicis veſtræ eccleſiaſticæ tractationis genus negligite adjumenta, quæ aliunde utiliter capere poteſtis.

Cetera autem officia, quæ in ſacramentorum E adminiſtratione, in aſſidua ad frequentem eorum uſum cohortatione, in ægrotum cura, in aliis parochialis muneris functionibus, vobis provincialibus, diœceſaniſque conciliis præſcripta ſunt, præſtate, atque exequimini accurate, ad earumque conciliarium conſtitutionum, decretorumve normam, omni obſervantiæ atque obedientiæ ſtudio vos plane conformate.

Quæ vero decretorum provincialium, vel diœceſanorum partes ad laicos, eorumque Chriſtianam diſciplinam attinent, quo ſæpius evulgatæ atque inculcatæ ſerventur diligentius; illas, ſummatim vulgari ſermone expreſſas, crebro,

bro,

ANNO CHRISTI 1576.

bro, prout uſuvenerit, populis veſtris proponite, denuntiate, explicate, atque in conſuetudinem inducite.

Quæcumque denique vel ad vos, vel ad laicos, curæ veſtræ commiſſos, pertinent, ea decreta, quo maximo poteſtis ſtudio, in omnem executionem, diſciplinæque uſum introducite. Videteque in primis, ac perpendite, quæ ſint, & quam religioſæ muneris veſtri partes: caveteque ut in officiis, & curæ veſtræ functionibus non modo quidquam vos non committatis, ſed ne omittatis quidem: cum in ſacerdotali vita, pro muneris, quod ſuſtinetis, ratione, tum graviores, tam longe plures, quam in ceteris hominibus eſſe poſſint, omiſſionis culpæ.

Vos præterea reliqui ſacerdotes, quicumque eſtis, quibus animarum cura non incumbit, cum alia omnia, quæ eccleſiaſtici ordinis hominibus, de divinorum officiorum cultu, de vitæ honeſtate, & ſtudiis, & vitæ ſpiritualis exercitationibus, præſcripta, aut monita generatim ſunt, tum quæ nominatim, ſigillatimque ad præcipuam veſtram executionem attinent, præſtate omnino.

Vos item reliqui clerici inferiorum ordinum, quæcumque ad vos vel nominatim, vel generatim ſpectant, agite omnia, ſicut clericalis vitæ ratio, canonum, & conciliorum decretis præſcripta, poſtulat.

Chriſti eſtis, nempe de ſorte domini, & ipſe dominus ſors, pars ſcilicet veſtra; tales præbete vos, ut & ipſi poſſideatis dominum, & poſſideamini a domino, vereque dicatis: *Dominus pars hereditatis meæ.* (Pſalm. 15.)

Filii mei nolite negligere: vos elegit dominus ut ſtetis coram eo, & miniſtretis illi.

Videte igitur, quam valde intentos vos eſſe oporteat miniſteriis veſtris, & quam magna vitæ morumque caſtitate.

Proborum hominum tantum, præcipue ſacerdotum, vitæ ſpiritualis laude præſtantium, familiaritate utamini; ex quorum conſuetudine tum fructus vos capiatis, tum epiſcopus meliorem in dies de vobis opinionem concipiat.

Majores vereamini, & obſervate: eiſdemque recte monentibus obtemperate.

Præter Latinæ linguæ, & literarum ſtudia, eccleſiaſticæ imprimis diſciplinæ inſtitutionibus diligenter incumbite.

Sic demum vos moribus, & vitæ modeſtia probate, ut & a parochis, & a præceptoribus veſtris, tum etiam a populo bonum teſtimonium epiſcopus habeat, voſque dignos judicet, quos majoribus ordinibus adſcribat.

Vos vero, qui vel viſitationis munus geritis, vel clericalis diſciplinæ curæ quovis nomine præfecti eſtis, vel in diœceſi foranei conſtituti in explendis muneris atque officii vobis commiſſi partibus ſedulo invigilate atque elaborate.

Onus, quod ſuſtinetis, quam grave ſit, quam plenum curis perpendite; tum quam in eo vobis committendo ſpem, fiduciamque epiſcopus habuit, videte, tum efficite, ut ejus expectationi reſpondeatis vigiliarum veſtrarum ſtudiis, aſſiduaque ſolicitudine.

Eccleſias, quo in uniuſcujuſque veſtrum regione ſunt, ſedulo viſitate: earumque partes ſingulas inſpicite.

Perveſtigate in uniuſcujuſque parochiæ finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes ſit, an flagitia, quibus epiſcopali cura epiſcopus medeatur, neceſſe ſit.

Univerſo clero, pro regione commiſſa, invigilate diligenter, illudque in primis videte, ut in diſciplinæ eccleſiaſticæ moribus, inſtitutis, atque officiis ſe contineat, clericaliſque moderationis legibus congruenter vivat.

Indecentem ejus habitum omnino rejicite; morum, ſanctæ vitæ, ſacrarumque literarum, & inſtitutionis eccleſiaſticæ ſtudia, ſi quæ in eo langueſcunt, excitate.

Clerici autem minorum ordinum in hoc maxime vobis commendati ſint, ut illorum omnes tum in vitæ moribus, tum in literarum, eccleſiaſticæque doctrinæ ſtudiis progreſſiones accurate exploretis, atque, ut maxime poteſtis, paternis cohortationibus atque objurgationibus, iiſque aſſiduis adjuvetis.

Eccleſiarum item cultum, nitorem, ceteraque ejus generis omnia curate veſtra diligentia; quæ totis in Chriſto viſceribus ab unoquoque veſtrum expetitur.

Quæcumque vero, vel provincialium diœceſanarumque ſynodorum decretis, vel præcipuis inſtructionibus; vel viſitationum juſſis præſcripta ſunt, ea omnia, ut re ipſa præſtentur, ſtudioſe perpetuo agite.

Hæc omnia, & ſingula his monitionibus nominatim, ſigillatimque expreſſa, tum cuncta item reliqua, vel conciliis provincialibus, diœceſaniſque ſancita, vel alio modo vobis præſcripta, vos omnes ac ſinguli, quorum intereſt, quanto poteſtis amore & pietate non amplectamini ſolum & legite: ſed mente animoque comprehendite, ſervate, omnique ſolicita executione præſtate, totoſque vos ad cohortationum, admonitionum, decretorum, & conſtitutionum rationem accommodate.

Quod omne ut faciatis, ſicut nos pro epiſcopalis noſtri officii munere vos in hoc diœceſano conventu ex concilii provincialis præſcripto commonefecimus: ita etiam unumquemque veſtrum per unigeniti filii Dei adventum, per ejus crucem, perque animarum veſtrarum ſalutem obſecramus, obteſtamur, divinaque conteſtatione monemus; rurſuſque vobis ipſis univerſis, & ſingulis edicimus, ſi quis veſtrum conſtitutionibus, decretiſque vel provincialibus, vel diœceſanis, veſtra cauſa editis non paruerit, contra eum nos acturos eſſe eccleſiaſticis canoniciſque ſanctionibus.

Cavete igitur ne quem vobiſcum paterno modo agentem, ſolicitequc monentem, & in conſpectu Dei vos hoc ſacro loco deprecantem, audiatis, eumdem rurſus non in hac vita ſolum culpas veſtras animadvertentem, ſed in divino præterea judicio eaſdem accuſantem audiatis.

At ipſe Deus, & pater noſter, & dominus Jeſus Chriſtus dirigat vias veſtras in omni ſancta obedientia; exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono, ita ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, per omnia ei placentes; ſicque ſanctis veſtrarum virtutum progreſſionibus probati, appareatis ante Deum & patrem noſtrum in adventu domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus. Amen.

VIII.



ANNO CHRISTI 1576.

## VIII.

*De foro epiſcopali, eccleſiaſticove.*

Excommunicationum, quæ certis monitionibus primum adhibitis, ad finem revelationis, ut ajunt, pro deperditis, ſubtractiſve rebus ferri ſolent, literæ ne cuiquam, niſi iis concedantur, qui ob eam cauſam ſupplicationis libellum epiſcopo obtulerint, eorumque ipſorum tantum rogatu, quorum civiliter intereſt. Qui ſupplicationis libellus ejuſmodi ſit, quo res ipſa, de qua agitur, & ejus pretium item nominatim, ſpeciatimque exprimatur, niſi eccleſiæ, loci pii, communitatis, univerſitatis, collegii, univerſaliſve ſucceſſoris res ſit, cujus certam notitiam illum, illamve non habere veriſimile eſt: tunc enim ſupplicantis qualitate in libello expreſſa, rei, de qua quæritur, deſcriptio quædam generatim fieri poteſt, modo ne ſit incerta nimis, aut non veriſimilis, ſed ejuſmodi, quæ ſaltem oſtendat rem ipſam, ut eſt Tridentini concilii præſcriptum (Seſſ. 25. c. 3. de ref.), non vulgarem eſſe: id quod epiſcopi concedentis religioſæ conſcientiæ, judicioque pro ratione rei, & perſonæ relinquitur.

Porro ejuſmodi excommunicationum literæ non concedantur, ut infra ſancitum eſt.

Pro re criminoſa, quæve infamiæ notam inurat.

Pro re non occulta omnino.

Pro re, quæ ita jam diu amiſſa; aut ſubtracta eſt, ut illius memoriam amplius non haberi veriſimile ſit.

Neque rurſus cuiquam excommunicato, aut manifeſte ac notorie criminoſo.

Neque vero contra aliquem, quem pro rebus quæ in monitoriis literis exprimantur, ſatisfacere non poſſe conſtet.

Neque præterea in loco, ubi eas veriſimile ſit negligi, contemnive.

Cum vero pro ratione præſcripta aliquando concedentur, ne tamen in ſanctiſſimis his diebus, in nativitate, ſcilicet domini, paſcha reſurrectionis, aſcenſione, pentecoſte, in celebritate ſacri corporis domini, aliiſque anniverſariis ſolemnioribus diebus, ullo modo promulgentur, niſi epiſcopus aliter cenſuerit.

Si item nihil, quod ſupra ſancitum eſt, neque aliud quidquam obſtat, quo minus concedi poſſint, ne ſemper tamen dentur, concedanturve, ſed tantum cum epiſcopus, ſervata forma concilii Tridentini, expedire cenſuerit.

Cui epiſcopo ſoli, neque vero ejus vicario, etiam generali, ſi modo epiſcopus non longius abſit, ejuſmodi monitoriarum literarum conceſſio hoc decreto reſervata ſit.

His vero literis monitoriis aliquando datis, ne excommunicationis ſententiam epiſcopus ferat, niſi de earum promulgatione locis, & temporibus congruis, facta relationem acceperit, & iterum de re ipſa diligentius, accuratiuſque deliberarit, ac gravem præterea cauſam cenſuerit, quam ob rem illam ferat.

Formulæ certis verbis conceptæ, atque explicatæ conciliari noſtra auctoritate, ad hujus provinciæ uſum in lucem emiſſæ, ab omnibus & ſingulis, quorum intereſt, pro concepta conſtitutaque ratione ſerventur.

In omni, & ſcripto, & actione, quæ ſigilli epiſcopalis impreſſionem requirat, epiſcopus ſigillo ſancti patroni eccleſiæ, cui præeſt, imagine aliqua certa expreſſa, utatur: quod cum ad illius ſancti viri memoriam, imitationemque, excitandam, atque ad eccleſiæ ornatum & ſplendorem inſigne eſt; tum pietatis rationi conveniens, & cum eccleſiarum bene inſtitutarum uſu, conſuetudineque conſentaneum.

Ejus vero ſigilli certa forma, imagove, vel pro antiquo illius eccleſiæ inſtituto, ſi id conſtat; vel, prout epiſcopus ſemel ſtatuerit, perpetuo adhibeatur.

Fori epiſcopalis cancellarius, ac notarii certos libros habeant, in quibus cauſarum criminalium actiones, quæſtiones, ac, quos vocant, proceſſus recte ordineque deſcribant, nec vero in foliis.

Mercedem præterea, quam ex uniuſcujuſque cauſæ, vel civilis, vel criminalis ſcriptione, actione, & proceſſu acceperint, cum in libro certo exſcribant, iis ipſis certis diebus ſingulis, quibus eam mercedem, aut partem acceperint, & menſe, annoque notatis; tum in ipſius cauſæ, proceſſuſque acti, conſcriptæ fine adſcribant item.

Quod in concilio provinciali tertio epiſcoporum vicariis vetitum eſt, ut ne eſculenta quidem, poculentave ab litigantibus, aliiſve apud ſe cauſas agentibus, dono accipiant; idem cancellario, & notariis interdictum ſit ab illis ſaltem accipere, in quorum cauſis acta conſcribunt notariive partes agunt.

Pœnæ & mulctæ omnes ac ſingulæ, *cujuſvis* generis ſint, ſive clericorum, ſive aliorum quorumcumque, etiam quas ex *ſuperiorum* conciliorum ſanctionibus irrogare contigerit, deinceps piorum locorum, operumve uſui vere atque omnino attribuantur, nulla prorſus parte reſervata, aut alii uſui attributa.

Rurſuſque ut attributionis, ſolutioniſque certa atque explorata ratio conſtet; epiſcopus certum codicem, in quem eæ explicatæ referantur, confici, in archivoque epiſcopali aſſervari diligenter mandet.

Nec vero vicario, aliive epiſcopalis fori judici ullam omnino pœnarum, mulctarumque partem conſequi, habereque ullo quovis colore liceat.

Quidquid conſenſus, approbationis, facultatis, licentiæve, vel alio hujuſmodi nomine ex hujus, vel ſuperiorum conciliorum provincialium decretis ab epiſcopo impetrandum eſt, ejuſve auctoritate concedendum, id & ab ipſo, & ab ejus cancellario, & quibuſvis miniſtris gratis omnino ſemper detur, etiam quod ad ſcriptionem attinet.

Ut ne ex notariorum imperitia detrimenta, & litium occaſiones exiſtant, quod de iis ipſis, etiam apoſtolica, aut imperiali, aut regia auctoritate creatis, Tridentina ſanctione decretum eſt; id epiſcopi ſtudioſe exequantur, ut eorum peritiam, uſumque etiam examinatione adhibita, perquirant. Quicumque vero notarii, ea per examen diſquiſitione facta, probati non ſint, officii ſui in negotiis, litibus, cauſiſque eccleſiaſticis & ſpiritualibus exercitatione, atque uſu per illos, vel perpetuo, vel ad tempus prohibeantur, ad ejuſdem concilii præſcriptum.

Quod de pontificiarum conſtitutionum promulgationis modo, & loco, vel in hoc vel in aliis conciliis provincialibus præſcriptum eſt; id non ſolum in pontificiis conſtitutionibus, ſed etiam in edictis epiſcopalibus, aliiſve ſcriptis quæ

ANNO CHRISTI 1576.

quæ promulgari contigerit, locum habeat, planeque ſervetur.

Quo autem ſtudioſius tradantur, & inculcentur, quæcumque illis vel conſtitutionibus, vel edictis, ſcriptiſve continentur; epiſcopus, ſi ita expedire cenſuerit, illas ipſas tum conſtitutiones, tum edicta, vel ſcripta ejuſmodi in cathedrali eccleſia ſaltem populo frequenti, de ſcripto primum ita legi curet, ut ne verbum quidem, nedum pars ulla omittatur. In aliis deinde eccleſiis, ac locis, ubi evulgandas cenſuerit, illæ per capita ſummatim, vulgarique ſermone, prout ille maluerit, explicentur.

Certos, ſtatoſque dies ſingulis menſibus, Kalendarii inſtar notatos quibus vel pontificias ſanctiones, vel Tridentina decreta, vel provinciales, diœceſanaſque conſtitutiones, aut paſtorales literas populo evulgari, de ſcriptoque pronuntiari juſſum eſt, epiſcopus parochis præſtituat, ut ordine omnia, pro temporum ratione, diligenter promulgata, ſæpiuſque ſuis certis diebus repetita, accuratius in executionis uſum inducantur ac retineantur.

Cum vel ſanctiones pontificias, vel decreta conciliaria, vel literas, conſtitutioneſve epiſcopales, vel aliquid ejuſdem generis promulgari, aut populo enuntiari, de ſcriptoque legi juſſum eſt, ut uberiorem fructum ferant, ac ſtudioſius ad executionis uſum illæ introducantur; epiſcopus concionatores, qui in urbe ſunt; parochi vero diœceſani, ſi quos in ſuæ parochialis eccleſiæ finibus habent, eos, diligenter hoc præmonere ſtudeant, ut, quod ſidelibus enuntiandum eſt, idem illi inter concionandum cohortationibus adjuvent.

Hoc vero cohortandi munus ipſi etiam parochi ſtudioſe ſemper præſtent.

Liber fiat, in quo ſingula diplomata, ſive ſummorum pontificum, ſive imperatorum, ſive regum, principumve ſint, quæ ad eccleſiæ illius privilegia, jura, aliave id generis quovis modo pertinent, recte atque ordine deſcribantur.

Qui liber in armario, certo archivi loco, diligenter aſſervetur.

## IX.

### *Quæ pertinent ad matrimonium.*

Quæ a ſummis pontificibus, conſtitutiones, literæve decretales, ad Tridentinorum de matrimonii impedimentis decretorum declarationem editæ ſunt, eas cum a ceteris, tum a parochis præcipue non ignorari oportet. Cui rei ut occurramus, illas typis impreſſas, una cum hoc libro concilii provincialis quarti, in ultima parte edi cenſuimus.

Statas illas matrimonii denuntiationes Tridentina ſanctione præſcriptas, epiſcopus ne facile remittat. Si vero pro ſua pietate, ac prudentia earum aliquam quandoque antequam matrimonium contractum eſt, omitti cenſuerit, ac poſtea, ante conſummationem illas plane omnes, aut ſi minus omnes, ſaltem duas, aut minimum, unam fieri curet omnino.

Parochus ſtatas matrimonii denuntiationes facturus, præter notitiam de illis faciendis ſibi datam ab agnatis curatoribus illorum, de quorum matrimonio agitur, primum a mari, tum a femina exquirat, an matrimonii, quod inter eos tractatur, denuntiationes fieri placeat.

Qua in re caveat, nedum matrimonii denuntiandi voluntatem eorum notam, exploratamque inveſtigando habere vult, ea inveſtigatione matrimonii iſtius, aut ſponſalium conſenſum exquirat.

Itaque de ſtatis ſolum denuntiationibus explicate, ac diſtincte, ſeparatimque ab utroque perquirat, idque a femina loco honeſto, & propinquorum conſpectu, ita tamen, ut ne quiſquam audiat, neque ita prope ſit, ut illa præ pudore, vel alia cauſa minus libere animi ſui voluntatem exprimere audeat.

Annulo nuptiali non dexteræ; ſed ſiniſtræ manus ſponſæ digitus, qui annularis dicitur, induatur; cumque induitur, ne a ſponſo, ſed a ſacerdote, cujus eſt benedicere, illa verba proferantur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Quæ in nuptiis indecore fiunt, ea ab epiſcopis omnino eripi concilio provinciali primo juſſum eſt.

In iis porro ipſis cum potiſſimum minime ferendæ ſint illæ duæ depravato morum uſu introductæ corruptelæ: una ſcilicet, cum certa quædam pecunia ab iis extorquetur, qui ex alieno ſolo, alienave parochia uxorem ducunt; altera, cum per vicos, & plateas, qua iterum nupta ducitur, clamores, tumultuoſæque voces a profano gentilium more non abhorrentes, ac ſtrepitus hominum, quaſi exagitandis ſecundis nuptiis eduntur; eas ſane a Chriſtianæ pietatis inſtitutis, atque moribus, & a matrimonii, quod celebratur, ſanctitate alienas epiſcopus, cum omni alia paſtoralis officii ſui ratione, tum propoſitis etiam pœnis, cenſuriſque extirpari, ac plane funditus tolli curet.

Quibus matrimonii contracti in uno aliquo ex impedimentis, quibus illud contractum dirimitur, diſpenſatio a ſancta ſede apoſtolica, aut in foro conſcientiæ, aut in utroque foro delegata eſt; ii caveant, ut ad literarum apoſtolicarum præſcriptum, illos, cum quibus diſpenſari conceſſum eſt, matrimonium contrahere cogant.

Quo ſtudioſius populus in officiis Chriſtianæ pietatis inſtituatur, ex divinæque legis præceptis inſtitutum vitæ genus ſequatur; id parochus præſtet, ut aliquando ineunte præſertim adventu, & quadrageſima, patres familias ſuæ parochiæ omnes ad eccleſiam parochialem convocet hora, quam commodam is cenſuerit. Qui in patrumfamilias conventu, tum conſtitutionem in concilio tertio provinciali de patrum familias officio, familiæque inſtitutione editam de ſcripto legat, ſingulaſque ejus partes explicet; tum alia præterea doceat, quæ opportuna exiſtimaverit, quibus illi ſe familiamque ſuam in Chriſtianæ vitæ diſciplina conforment, ex præſcripto etiam regularum, & inſtructionum, quæ eo nomine auctoritate noſtra edentur.

## X.

### *Quæ pertinent ad regulares.*

Quod ſacroſancti Tridentini concilii decreto de interpretatione ſacræ ſcripturæ in monachorum monaſteriis inſtituenda ſancitum eſt, id epiſcopi omnino efficiant, ut quibus in mo-



ANNO CHRISTI 1576.

naſteriis commode præſtari poteſt, ea inſtituatur, vel ſi intermiſſa eſt, reſtituatur.

Qua in re præſtanda abbatem, atque alios, quocumque nomine vocatos, qui monaſterio præſunt, opportunis juris remediis compellant.

Si quæ femina, cujuſvis etiam conditionis, dignitatis, gradus, ac generis ſplendore illuſtris, virorum regularium cujuſcumque vel ordinis, vel inſtituti clauſtra ubicumque in illis, etiam prioribus, monaſterii, conventus, domuſve clauſtralis porticibus, primariæ ejuſdem januæ exteriori proximis, contra quam apoſtolicis ſummorum pontificum Pii V. & Gregorii XIII. conſtitutionibus ſancitum eſt, ingrediatur pro earum ſanctionum jure epiſcopus pœnarum, cenſurarumque declaratione & irrogatione contra illam ſevere agat.

Ad priores autem illas clauſtri porticus, exteriorique oſtio viciniores, ut a ſancta ſede apoſtolica declaratum eſt, ingreſſus mulieribus non vetatur, quo tempore in iis, cum cœmeteria, ſepulcrave ſint, pro mortuis fiunt a regularium univerſo monaſterii, domuſve illius conventu ſupplicationes, proceſſioneſve publicæ de more aguntur. In clauſtrorum autem finibus cenſeantur horti etiam, ac viridaria, vineæ, & ejuſmodi loca, quæ monaſteriis, domibuſve regularium ita continenter ſunt adjuncta, ut ab illis domibus, vel monaſteriis ad eos hortos, locave aditus ſit nulla via, locove publico interjecto. Sin autem de clauſtrorum finibus, circumſcriptioneve dubitatio aut difficultas aliquando exiſtat, per loci ordinarium, adhibitis regularium ſuperioribus, illa explicetur; certaque demum ipſis limitibus clauſtralibus definitio, circumſcriptione ſtatuatur, ut ne ob varias eorum ſuperiorum regularium interpretationes occaſio præbeatur, quamobrem cenſurarum vinculis fidelium animæ irretiantur.

## XI.

### *De monialibus.*

Aliis decretis, quæ ſuperioribus conciliis de monialibus conſtituimus, hæc, quæ infra præſcripta ſunt, adjungenda ſtatuimus.

Monaſterium januas, per quas ad illius ſepta aditus pateat, duas habeat, & alias præterea nullas. Quarum duarum januarum, una jumentis, curribus, vehiculiſque agendis, altera aliis uſibus, & commodis neceſſariis inſerviat. Quo autem in monaſterio una tantum ad omnem tum actum, tum uſum ſatis eſſe videbitur, in eo illa dumtaxat una ſit.

Janua, utraque e duplici aſſere, eoque firmo conſtet, ac ſine ulla item ſit ne minima quidem rimula. Limen e marmore, ſolidove lapide habeat, quod ſtrictim ipſi portæ cohæreſcat.

Januæ curruum, jumentorumve, altera ex aſſeribus firmis, ad cancelli ſpeciem confecta, in monaſterio ipſo adjungatur, quæ a prima janua paululum diſtet, formaque ſit in fabricæ eccleſiaſticæ inſtructionibus demonſtrata.

Ad januam alteram, aliis uſibus accommodatam, cui rota, quem turnum vocant, adjungitur, moniales duæ ſemper aſſiſtant, quæ janitrices conſtituentur.

Singulæ hæ tres januæ clavibus duabus, fabrili opere inter ſe diverſis, claudantur, quarum unam etiam de die monaſterii præfecta, alteram monialis, quæ profeſſione anterior eſt, apud ſe perpetuo habeat.

Rotæ omnes amoveantur, atque obſtruantur, ac in poſterum vetitæ perpetuo ſint, præter illam, januæ communi adjunctam, & alteram in loco, quem parlatorium vocant, extructam, & tertiam, quæ eſt in cellula confeſſionum, & quartam in eccleſia ad ſacras veſtes, & ornamenta miſſæ ſacro neceſſaria e monaſterio exponenda accommodatam.

Cibus vero in omni monaſterii hoſpitio etiam confeſſarii, e rota communi exponatur.

Singulis rotis a parte interiori monaſterii uncus firmiter impactus ſit, ne pro libito verti extrinſecus queant.

Si vero loca, ut dicunt, parlatoria complura erunt, in uno tantum, aut in altero ad ſummum, ſuperiorum judicio rota ſit.

Rotæ, quæ in eccleſiam ſpectat, valvæ ligneæ binæ apponantur, alteræ interiores, quarum clavis a præfecta teneatur, alteræ exteriores, quarum clavis apud capellanum ſit, aliumve, qui ſuperiori videbitur.

Rotarum altitudo ne major ſit cubito, & unciis octo; latitudo autem cubitalis.

Rota confeſſionum minor ab omni parte ſit dimidia præſcripta quantitate.

Nulla feneſtra, præter illas primo concilio provinciali nominatim præſcriptas, e monaſterio in eccleſiam ſacriſtiamve exteriorem ſpectet, ac ne rima quidem, nedum foramen ullum in ea extet, unde aſpectus, aut collocutio fieri poſſit [illegible].

Feneſtra, qua ſanctiſſimæ euchariſtiæ elevatio proſpicitur, altius ne pateat cubitis duobus, & unciis duodecim, late vero, ut altaris latitudo eſt.

Cui feneſtræ clathra ferrea duo, palmi ſpatio inter ſe diſtantia, firmiter configantur.

Virgæ autem ferreæ, quibus clathra compacta ſunt, ſingulæ inter ſe diſtent non amplius unciis tribus.

Sint autem inter ſe inſertæ, ita ut loco ſuo demoveri non queant.

Claudantur autem feneſtræ ab interiori parte firmis valvis, ſera, & clavi, quæ apud præfectam aſſervetur.

Ubi autem illa e latere altaris, eccleſiæve, aut alio loco, etiam ſuperiori, eſt, unde moniales eos, qui in eccleſia exteriore ſunt, ſpectare poſſunt, efficiat epiſcopus quamprimum, ut ſuper altare, unde miſſæ ſacrificium moniales intuentur, ad inſtructionum præſcriptum extruatur, laterali illa, aliave, quæcumque ſit, penitus obſtructa:

Feneſtella ad eccleſiam verſus ſpectans, per quam moniales ſacram euchariſtiam ſumunt, ita alte apteque ſtruatur, ut ſacerdos illam miniſtrando commode ſtet, non genua flectat. Cui feneſtellæ extrinſecus valvulæ ligneæ præter illas, quæ modo ſunt, apponantur, quæ parietem æquent, earumque clavis apud confeſſarium ſit perpetuo.

Sanctiſſimum ſacramentum ne alibi quam in altari majori aſſervetur, cui lampas in eccleſia interiori ſemper præluceat, & in exteriori, cum illius fores patebunt.

Reliquiæ ſacræ in feneſtella recondantur, quæ ad inſtructionum noſtrarum præſcriptum, in pariete eccleſiæ interioris exædificata, ab ea tantum parte, quæ ad exteriorem eccleſiam ſpectat, aperiri poſſit. Claudatur autem hæc feneſtel-

ANNO CHRISTI 1576.

neſtella tribus clavibus, diverſo opere confectis, quarum una apud epiſcopum, altera apud confeſſarium, tertia apud monaſterii præfectam ſit.

Feneſtella confeſſionum alte uncias ſexdecim, late duodecim, nec vero amplius pateat; ſepta autem ſit firmis clathris ferreis ad formæ præſcriptæ rationem, & lamina item ferrea bene ſolida parieti firmiſſime agglutinata; & foraminum, inſtar ciceris tenuium, pleno panno lineo nigro obducta: qui pannus ligneis tabellis ſic affigatur, ut non facile amoveatur.

Loca collocutionum interna, parlatoria vulgo vocata, quæ in poſterum fient, una eademque ſpatii circumſcriptione, nullo interjecto pariete contineantur, & ad formæ, qua jam pleraque exædificata ſunt, modum accommodentur, ubi id non magno incommodo fieri poterit, ut ab eiſdem auſcultatricibus omnes poſſint collocutiones exaudiri.

Ne feneſtra laminæ ferreæ, ut primo concilio provinciali cautum eſt; unquam aperiatur, niſi perraro, & ob cauſam, quam urgentem epiſcopus judicarit.

Ne in locis ad hoſpitii uſum extructis, quæ foreſteriæ nominantur, ubi interdum ob urgentem neceſſitatem, aut cibus capitur, aut dormitur, feneſtræ ullæ, ne exiguæ quidem, inſint, quæ in monaſterium ſpectent.

Tecta hoſpitii, & aliarum cujuſvis generis domorum a monaſterii tectis, ut ſeparata penitus, ac valde disjuncta ſint, curetur omnino.

Quibus monaſteriis de vicinorum, præſertim religioſorum, proſpectu tollendo ita caveri non poteſt, ſicut concilio provinciali primo juſſum eſt; eorum feneſtræ, ſi lumen excipi aliunde licet, obſtruantur; ſin minus, ab illa ſervitute defendantur operis ſtructura, in inſtructionibus noſtris demonſtrata, quæ in porticibus item, quas logias dicunt, ab eadem ſervitute tuendis, adhibeatur.

Horti, qui in monaſteriis monialium ample nimis patent, quotidianaque hominum opera, atque cultura opus habent, ubi fieri poteſt, in anguſtiores fines concludantur.

Ne feneſtra in ullo cujuſvis ordinis monialium monaſterio, etiam regularium juri curæve ſubjecto, neve oſtium ullum, aliudve id genus foramen, unde aliquis extra monaſterii clauſtra proſpectus ſit, pateſiat, aperiaturve ſine epiſcopi, cui monaſteriorum omnium clauſura commendata eſt, conceſſu. Nec vero id ille permittat, concedatve, niſi ubi locum diligenter inſpexerit, & ita fieri neceſſarium cenſuerit. Tuncque ad impediendum, arcendumve eum proſpectum illa ipſa cautio, ſupra mox præſcripta, adhibeatur.

Miniſtris, quibus ob neceſſariam cauſam monialium ſepta ingrediendi facultas aliquando datur, illæ ſolum moniales, quas præfecta delegerit, imperent; aliæ vero præterea nullæ quidquam illis vel jubeant, vel alloquantur.

Moniales cum in eo loco, ubi ab aliis, qui foris ſunt, etiam a concionatore, aut a ſuperiore videri poſſunt, ſermoni, concionive interſunt, omnes facie ſint operta, & contecta velo uſque ad os deducto.

Idem præſtent, quæcumque etiam medico, aut ſuperiori monaſterii ſepta ingredienti, obviam prodeunt, vel illum excipiunt, deducuntve.

Probentur ab epiſcopo medici aliquot, quos conceſſu etiam monaſterii ſuperiorum, intra illius ſepta adhiberi liceat, ſi quando præter medicum ordinarium alios etiam morbi gravitas requirit.

In unoquoque monaſterio, epiſcopi, furnorum, in quibus panis coquatur, uſum introducant, ut piſtoribus eorumque miniſtris ingreſſus in monaſterium prohibeatur omnino.

Nec vero vir quiſquam ad furnum purgandum, inflammandumve, aut ad aliud quidquam faciendum, quod a monialibus fieri, agive poteſt, introducatur.

Quod in concilio provinciali primo, de facultate ſcripta ad monialium monaſteria accedendi ſancitum eſt; id tum mares, tum feminas, quocumque etiam gradu, dignitate, genereve illuſtres, inviolate ſervare decernimus, etiamſi pater, mater, fratres, ſorores, ſint monialis quam viſitatum veniunt. Idque omnino ubique præſtari cura epiſcopi ſit.

Cauſæ neceſſariæ, ob quas intra ſepta monaſterii ingredi licet, in hac provinciali ſynodo, ex primi concilii decreto, vel explicatæ, vel tamquam nullo modo neceſſariæ rejectæ, in extrema hujus concilii parte editæ, atque impreſſæ in ſingulis monialium monaſteriis, etiam regularium curæ ſubjectis, edicantur, & enuntientur; nec vero ab iis ullo modo, ullave ratione, ac prætextu diſcedi liceat.

Fructuum, florumve vaſa in monaſteriis nullo modo teneantur, eos vel fructus, vel flores vendendi cauſa.

Offulas, & alia hujus generis non modo donandi, ut primo concilio vetitum eſt, ſed etiam vendendi cauſa, a moniali aut monaſterio confici ne liceat.

Abſtineat monialis a muneribus dandis.

Eleemoſynam vero per rotam, portamve monaſterii dari vetitum ſit omnino, quoniam inde non levia pericula, vel damna potius extare compertiſſimum eſt; ſed quibus monaſteriis pro ratione facultatum eleemoſynam dare permiſſum erit ab epiſcopo aliove ſuperiore, ab illis detur pecunia, frumentumve, aut aliud ejuſmodi piis aliquibus viris, præſertim vero locorum piorum curatoribus, qui pauperibus diſtribuant alio loco, quam apud monaſteria.

Medicamenta, ſi quæ epiſcopus, aut alius ſuperior vendi, aut foras dari permiſerit, ab aromataria ſeniori ſolum dentur, & ab alia præterea nulla; nec vero privato, ſed monaſterii nomine, vendantur denturve.

Moniali ne liceat iis, qui extra clauſtra ſunt, vel medicamenta parare, præbereve, vel manum medendi cauſa admovere, vel remedia exponere, vel aliud quidquam ad rem medicam pertinens exercere.

Caminus ſiquis in privatis cellis extructus eſt, perpetuo ita obſtruatur, ut in eo ignis accendi nullo modo queat.

Cum vel feneſtra, vel oſtium, vel caminus obſtruitur, illius cardines ſic evellantur, ut non ad tempus, ſed ad perpetuitatem id actum ſit.

Idem in feneſtris, oſtiis, & caminis jam obſtructis, ſervetur.

Communis ille curationis ægrotantium locus, quem infirmariam vocant, ubi adhuc exædificatus extructuſve non eſt, quamcitiſſime poteſt conſtituatur, extruatur, ædificeturve. Extra cujus loci fines monialis ægrotans ne cubet;



ANNO CHRISTI 1576.

at valetudine recuperata illic ne diutius moretur deliciarum cauſa.

Antiquus & probatus communium dormitionis locorum uſus, ubi fieri commode poteſt, reſtituatur, & ad priſtinam conſuetudinem revocetur.

Intra monaſterii ſepta nemini alii, niſi monialibus, ſepulturæ locus detur, ſitve.

Nec vero monialium cadavera extra ſepta efferantur ad ſepeliendum.

Neminem cujuſvis ſtatus, vel conditionis hominem, neque laicum, neque eccleſiaſticum, in ullo quovis monaſterio monialium hoſpitiis illis, quas foreſterias dicunt, excipi, aut ad ea ſive in urbe, ſive in diœceſi diverſari liceat, excepto confeſſario ſacerdote, cui aliquando ob urgentem neceſſitatem id conceditur. In diœceſi vero, monaſterii etiam viſitatori, & curatoribus, procuratoribuſve, ubi interdum hoc ipſum concedendum neceſſario epiſcopus cenſuerit.

Quod de cantu figurato, & muſico quovis inſtrumento, & muſicis item die feſto eccleſiæ monialium, in exteriori eccleſia non adhibendis, concilio provinciali primo ſancitum per nos eſt; id etiam omni alio die, & tempore illis vetitum eſſe decernimus.

Nec vero quidquam aliud præter miſſam in exteriori illarum eccleſia ab aliis canatur; cum veſperarum, & reliquarum canonicarum horarum officia ab ipſis monialibus cani poſſint.

In unoquoque monaſterio, ubi neque locus communis veſtium, neque alter eſt item, in quo operibus elaborandis moniales exerceantur, uterque, quamprimum fieri poteſt, conſtituatur, conſtruaturve.

Ne monialis, *janitricibus exceptis*, alibi quam loco operibus elaborandis conſtituto, acu pingat, aliudve quidquam manibus elaboret.

Laborum operumve magiſtra librum certum habeat, in quo quidquid ex iis laboribus lucri, emolumentive capitur, enucleate ita præſcribat, ut cerni facile queat, ſi quid in ea re deſideretur.

In operibus vel accipiendis, vel reſtituendis nulla alia monialis ſe ingerat, niſi laborum magiſtra: cui ſecum aliquando, cum neceſſe erit, aliquam monialem, operis alicujus conficiendi uſu peritiorem, adhibere liceat.

Illud porro, quoad ejus fieri poteſt, cavendum erit, ut in monaſterio ne ſint multiplicia, diverſaque genera opera manuum, ſeu laboraria.

Hoc loco laborum communi, non ſolum ad concilii primi præſcriptum lectio de vita ſpirituali adhibeatur, verum etiam ab omni otioſo verbo abſtineatur.

In loco veſtiario indumenta cujuſvis generis, veſteſque omnes aſſerventur.

Nec in cellulis, aliove loco privatim, reponatur quidquam, cuſtodiaturve, quod eo ipſo tempore neceſſarium non ſit.

Monialis nummos, ne modicos quidem; apud ſe quovis nomine ne habeat, neque de præfectæ etiam conſenſu, niſi officii, quod gerit, ratio aliter poſtulat. Alioquin ut proprietatis rea puniatur. Quam pœnam & præfecta, quæ id ullo modo, ullove prætextu permiſerit, & monialis item ſubeat, quæ reſciverit, nec præfectæ bidui ſpatio: aut, ſi hæc in culpa ſit, ſuperiori quamprimum potuerit, non denuntiarit.

Curetur omnino, ut exquiſita illa, ac religioſa communis vitæ ratio, atque uſus in monaſterio ſtudioſe introducatur; utque ſpiritualis vitæ ſanctæque inſtitutionis diſciplinam, ac ſtudia moniales ſectentur diligenter.

Singulis annis, ut primo concilio juſſum eſt, impenſarum, quæ in victum, aliumque monaſterii uſum erogatæ ſunt, rationes per eos, quorum intereſt, a præfecta repetantur. Quantum vero & tritici, & vini, & opſonii, & aliarum rerum ad anniverſarii victus ſuſtentationem unicuique monaſterio ſatis eſſe epiſcopus exiſtimarit, id ipſe accurate præſcribat. In ea autem præſcripta diſpenſatione, adminiſtrationeve, ſi præfecta negligentem ſe præſtiterit, ab officii ſui munere ſuſpendatur.

Æs alienum, quod quinquaginta nummum aureorum ſummam excedat, ne in ullo monaſterio contrahatur, ſine ſuorum curatorum permiſſu, conceſſuve, qui in magni momenti rebus epiſcopum conſulant.

Ne ſæcularibus in negotiis moniales ſe implicent; utque ſimul multis fraudibus ac detrimentis occurratur, hoc ſedulo epiſcopus curet, ut illorum prædia locentur, idque ſub haſta auctione facta; niſi aliter quandoque expedire cenſuerit.

Ad tuendam etiam clauſuram ea cautio adhibeatur, ut neque triticum, neque aliæ fruges, neque annona in ullis monaſteriis, præterquam monaſterii uſum & neceſſitatem aſſervetur.

Monaſterii uniuſcujuſque curatoribus, procuratoribus, patronis, defenſoribus ab epiſcopo certæ regulæ præſcribantur: ex quibus cognoſcant ſingulas muneris ſui partes. Ii vero curatores & id generis miniſtri ab epiſcopo ſingulis monaſteriis, curæ ſuæ ſubjectis, illos non habentibus, conſtituantur: ita tamen, ut ejuſdem epiſcopi arbitratu a muneris illius cura omnes, & ſinguli ſemper amoveri queant.

Bonorum & jurium omnium ad monaſterium quodcumque, etiam regularibus ſubjectum, pertinentium, inventarium, probabili forma conſcriptum, ſex menſium ſpatio, ad archivum epiſcopale ab iis, quorum intereſt, deferatur, ne fraus ullo modo fiat, numero monialium ab epiſcopo præfinito.

Quamobrem ſi quas etiam alienationes eorum bonorum, juriumque fieri deinceps contigerit, de iis epiſcopus certior fiat.

Cum puella monaſterium ingredi poſtulabit, ut locum, ubi profiteri cogitet, illa inſpiciat; primo ſtudioſe diligenterque cognoſcatur, an vere id illius propoſitum ſit, anque illud curioſitate tentet; nec propterea per monaſteria plura vagari permittatur.

Puellæ cum ad cetera, tum ad profeſſionem recipiantur, monialium ſuffragiis occulte latis. Idque ipſum ex concilii provincialis primi decreto, quod auctoritate literarum Pii V. pontificis in monaſteriis etiam eorumdem regularium juri ſubjectis locum habet, in monaſteriis etiam regularium juri curæque ſubjectis plane ſervetur.

Ubi religioſus iſte & vetus moniales ſolenniter velandi mos his temporibus antiquatus eſt, ad priſtinum uſum ex veteri inſtituto & ritu revocetur, dummodo intra monaſterium id fiat.

Ne moniali cujuſvis ordinis albas, & veſtes, aliave indumenta miſſæ ſacrificii uſui dicata, induere liceat.

Confeſſarii, & capellani item ſacerdotes monialium, & miniſtri præterea, quos illarum curæ epiſcopus præfecerit, quicumque ſint, ne munus ullum, ne minimum quidem, nec vero eſculenta, poculentave ab illis ullo nomine, neque publico, neque privato capiant, accipiantve, pœna propoſita ejuſdem epiſcopi arbitratu irroganda.

Neque præterea quidquam capiant dono, ea ſpecie, prætextuve datum, quod res ejuſmodi ſint, quæ eccleſiaſtico uſui inſerviant, qualia ſunt corporalia, purificatoria, indumenta clericalia, ſacræ imagines, & alia id generis.

Nec vero item aliud, manuum opere elaboratum, artificioſeve confectum, ab illis accipiant, ac ne laborem quidem, opuſve, quod in veſtibus vel purgandis, vel ſarciendis, vel reficiendis ponitur.

Caveant item capellani ſacerdotes, ne ab ulla moniali privatim, ſed a monaſterii præfecta, aut ab illa, quæ ſacriſtiæ propoſita eſt, munus miſſas celebrandi ſuſcipiant. Cum qua præfecta, præpoſitave ſolum, nec vero cum aliis monialibus colloquantur, tum de rebus ſcilicet, quæ ad ſuum munus ſolummodo pertinent.

Idemque hoc de genere toto a monialibus ſervetur, pœna tum illis, tum capellanis propoſita, epiſcopi arbitrio.

Quibus vero confeſſariis, capellaniſve ſacerdotibus aliquid annui ſtipendii ad vitæ ſuſtentandæ uſum epiſcopi permiſſu dandum videbitur; id omnino certa pecuniæ ſumma detur, niſi aliquando epiſcopus aliter conceſſerit, nempe loco pecuniæ vel triticum, vel vinum, vel aliquid ejuſmodi dari.

Viri aliquot pii, idemque ſolertes ab epiſcopo deligantur, qui feſtis præſertim diebus, monialium monaſteria, etiam regularium juri, curæve ſubjecta adeant, foriſque undique perſpiciant, ſi quid contra quam de illis præſcriptum eſt, fiat, agaturve, anque quiſquam ſit, qui facultate non impetrata cum illis colloquatur.

Si quando novum monialium monaſterium conſtruetur, hoc in primis curabitur, ut nulla feneſtra, nullave ſpecula alio, quam intus monaſterii ſeptum ſpectet.

Quod ſeptum non ſimplici pariete, ſed ipſis clauſtris, porticibuſve claudatur.

In ejus autem ſepti medio viridarium magna ex parte conſtitui poterit.

Ad hujus formæ modum monaſteria, quæ jam exædificata ſunt, quoad ejus fieri poterit, accommodari, reconcinnarive, id epiſcopo curæ ſit.

## XII.

### *Quæ ad pia loca pertinent.*

Quæcumque bona ſive mobilia ſive immobilia, jurave ad eccleſiam, etiam quæ ſit juriſpatronatus laicorum, quavis ratione pertinentia, a laicis quovis nomine adminiſtrantur; de eorum rationibus diligenter conquirendis, & inventario recte conficiendo, plane præſtetur, quod primo concilio provinciali decretum, ac ſancitum eſt de reliquiis, aliiſve bonis, & juribus eccleſiaſticis. Quarum rationum, & inventarii exempla tria, publici notarii teſtimonio munita, conſcribantur, quorum unum apud eos, qui adminiſtrant, alterum apud ſacerdotem, rectorem eccleſiæ, aſſervetur; tertium ad archivum epiſcopale, ubi cuſtodiendum eſt, afferatur: quo cautius eorum bonorum, & jurium conſervationi conſultum perpetuo ſit.

Præfectis, rectoribus, miniſtris, aut aliis, quocumque nomine nuncupatis fabricæ eccleſiarum, ſodalitatum, ſcholarum, & hoſpitalium, piorumque cujuſvis generis aliorum locorum curatoribus, etiam laicis, hæc, præter illa ſuperioribus conciliis edita, de iis ipſis decreta præſcribenda, & decernenda etiam cenſuimus.

Quicumque piorum locorum adminiſtrationem, procurationemve ſuſcipiunt geruntve, illud in primis ſæpe meminiſſe debent, ſe pauperum, pupillorum, viduarum, ſenum, egeſtate, aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum, aliena ope egentium, prout propria uniuſcujuſque loci inſtituta ratio eſt, curam ſuſtinere, & illam quidem tanti eſſe, ut, cum potiſſimum epiſcopo, tamquam communi omnium, & eorum præcipue miſerabilium hominum parenti, ea ſacroſanctis canonum legibus commiſſa ſit; tum quidquid in illos, vel miſericordiæ, vel beneficii, vel operæ, vel opis, vel officii confertur; quidquidve rurſus damni, detrimenti, injuriæve infertur, id omne Chriſtus dominus ſæpe in evangelio demonſtret, in ſe collatum, aut illatum eſſe, ac propterea ſe in die judicii, prout bene illis factum, aut neglectum, omiſſumve in eorum neceſſitatibus ſublevandis erit, retributurum. Quare primo ii valde curent, ut in omnibus ſuſcepti muneris partibus ſatisfaciant; deinde videant ut nihil quidquam a curæ quam gerunt, ratione alienum ullo modo pactove admittant: tum id ſolicite ſtudeant, ut quæ officia illis pro adminiſtrationis ſuſceptæ munere debent, ea obeant, atque adeo præſtent omni piæ caritatis affectu; ob oculos maxime in iis ipſis propoſito ſemper Chriſto domino, cui illis, & alendis, & veſtiendis cibum, potum, veſtitum, aliamve curam atque operam miniſtrant.

Non ſuis, ſed eorum, quorum curam ſuſceperunt, commodis atque utilitatibus ſerviant. Omnibus pie conſulant, nec ullam partem pro ſuſceptæ curationis, procurationiſve officio negligant.

Munus quod gerunt, ſæpe ſibi proponant ejuſmodi eſſe, in quo non profanæ cujuſquam adminiſtrationis negotiive, ſed ſanctæ ſpiritualiſque actionis partes, atque officia & Deo gratiſſima caritatis opera exequantur pie, religioſe & quamdiligentiſſime.

Cum capitula, congregationeſve habent, tum initio, tum in fine ſanctis precibus & orationibus, in libro officii beatiſſimæ Mariæ virginis, eo nomine præſcriptis, utantur.

Cum vero aliquid aggrediuntur, quod ad curæ ſuæ rationes pertineat, initium a pia oratione faciant, ut quod inchoatur, bene ſalutariterque ſuccedat.

Omni denique morum gravitate, vitæ integritate, pietatis religione & ſpiritualium exercitationum, epiſcopo probatarum, quas inter ſe collegiatim præſtent, ſtudiis tales ſe præbeant, ut eorum locorum rectam adminiſtrationem, piamque inſtitutionem non ſolum conſervent, ſed optimis progreſſionibus Deo auctore adjuvent atque amplificent.

Qui locorum piorum ſumptibus gratis aluntur, curanturve, aut ad literarum, aliarumve







artium diſciplinam inſtituuntur, ratio poſtulat, pietatis ſtudiis, atque exercitationibus eos præ ceteris deditos eſſe, eorumque precibus animas illorum adjuvari, a quibus illud ſubſidii relictum eſt, ad ejuſmodi pii inſtituti ſuſtentationem.

Quare illud eorum locorum curatores, vel præfectos, ac ſacerdotes præſertim, qui in iis ſpiritualem curam gerunt, monemus, ut ab iis, qui ibi aluntur, ſi legere norint, ſtatas de beata virgine preces horarias; ſi vero rudes ſint, ſaltem inſtitutam illam certis ſalutationis angelicæ calculis orandi rationem, ſcilicet de beata eadem virgine coronam, in ſingulos dies pie præſtari ſedulo curent.

Qui præterea eleemoſynam dant, hoc illos, qui accipiunt, ſæpe moneant, ut pro iis, qui bona reliquerunt, pie precentur. Id vero præſtetur cum in locis piis, tum ubicumque eleemoſynarum diſtributio fit. Hoc ſane & epiſcopo curæ ſit item.

Piorum locorum procuratores, miniſtrive etiam inferiores, cavendum eſt valde, ne diutius, quam par eſt, in curatione, adminiſtrationeve ſibi commiſſa perſeverantes, rerum ſibi arrogent imperium. Porro ſi alias idonei ſunt, ad alia munera eorumdem locorum gerenda eoſdem transferri licebit, niſi ex illis ſint, quos ſuperioribus conciliis certo tempore quibuſdam muneribus vacare juſſum eſt. Ad hoc curetur omnino, ut geſtæ procurationis, adminiſtrative muneris rationes ſæpe diligenterque reddant. Quamobrem formula præſcribatur, qua & diaria & codices rationum non conjectos, ſed ordine recteque confectos teneant, ut inde facile ducatur omnis explicata ratio tum accepti, tum expenſi.

Epiſcopus vero, etiam ex Tridentini concilii decreto, ſemel ſaltem in anno, a quibuſcumque, hoſpitalium, confratriarum, & aliorum quorumcumque piorum locorum, etiam quæ mere laicalia & privata ſunt, præfectis, curatoribuſve rationes adminiſtrationis, curæve repetere ne omittat ullo modo.

Decreta, vel quas vocant, ordinationes, in capitulo confectas, in librum præcipuum, capitularium ordinationum nomine inſcriptum, omnes ac ſingulæ a cancellario diligenter ordineque referantur. Quibus ordinationibus manu, quorum id muneris eſt, ante capitulum proxime futurum ſubſcribatur.

Tum præterea in hoc ipſo capitulo illæ ab eodem cancellario de libro ad verbum recitentur.

Codex item alius paretur, in quo præcipue notatis ſingulis diebus ordine exſcribantur, quæ in unoquoque præfectorum, adminiſtratorumve conventu, capitulove proponuntur, aut aguntur: quæque rurſus propoſita, ac ſuffragiis permiſſa, rejecta ſunt; ut quæ deliberata, quæve repulſa ſunt facile omni tempore ex illius codicis monimentis conſtent.

Librum item præcipuum conficiant & habeant, in quo cum omnia ſingulaque annua legata, tum onera illis adjuncta ordine, diſtincte, enucleateque perſcripta omnino ſint. Cujus libri exemplum publici notarii manu, ſigno, auctoritateque munitum, in archivum epiſcopale, ubi aſſervetur, eodem ſpatio deferant. Quod ſane omne deinceps ſingulis annis perpetuo præſtent, quod ad ea legata, onerave attinet quæ iis deinceps annis fieri contigerit, aut facta locum habere.

Epiſcopus autem omnes adminiſtratores piorum locorum, etiam quovis nomine exemptorum, ac mere laicalium & privatorum, compellat omnibus juris remediis, ad ſingulorum onerum ſatisfactionem, iis ipſis locis incumbendo: neque ullo prætextu patiatur, eorum prædia, bonave alienari contra ſummorum pontificum literas & ſacros canones & concilia etiam provincialia noſtra, aut contra piam teſtatorum voluntatem, qui ea bona ad certum illum pium uſum deſtinarunt.

Tabellam item publice propoſitam, quo loco in capitulum convenire ſolent, perpetuo habeant, in qua pro menſium ratione, proque rerum genere ex norma præſcripta, ea ipſa & legata & onera breviter dilucideque notata ſint.

Hoſpitalium locorum, ubi infantes expoſiti aluntur, curatores, præfective caveant, ut illos lactentes nutricibus, quas eo nomine conduxerint, plures non aſſignent, quam earum unaquæque lacte ſuo alere poſſit, ne ob hanc culpam pleroſque illorum fame necari contingat. Quamobrem, quot ad lactandi uſum nutricibus opus habent, totidem ſane ſolicite conquirant, & conducant. Si hæc non poſſunt, alia omni ratione proſpiciant, ut lactentium puerorum vitæ ſuccurratur.

Cum ad pia inſtituta perpetuo retinenda, recteque exequenda plurimum proſit eorum monimentum ad poſteritatem firmiter proditum; epiſcopi ea cura ſit, ut cum vel in urbe, vel in diœceſi locus aliquis pius exædificatur, aut inſtituitur; illius origo, inſtitutum, titulus, & alia ejuſdem generis, quæ opportuna cenſuerit, in marmore, lapideve ſolido, aut in tabula ænea inciſa, loco ejuſdem ædificationis illuſtri collocata, ad perpetuitatem prodita extent, ſicut in nonnullis hujus provinciæ locis aliqua hujus generis adhuc cernuntur: idque ipſum præterea in locis piis, jam exædificatis, inſtitutiſve, ubi commode poteſt, effici ac præſtari curet.

Ubi vel fundationis jure, vel alio probato inſtituto hoſpitales ædes, locave pia aliqua ad pauperes, aut peregrinos, aut ſenes, certoſve alios id generis homines hoſpitio excipiendos, alendoſve extant; epiſcopus, cujus potiſſimum eſt curare, atque adeo efficere, ut piæ hominum voluntates ad eorum præſcriptum rectam executionem habeant, videat, agatque, ut ne ab iis locis per illorum curatores, præfectos, miniſtroſve, ii, quorum cauſa illa exædificata, inſtitutave ſunt, repellantur, ſi illos recipi per facultates licet: ac ne rurſus alii hoſpitio excipiantur, qui excipi non deberent; utque in ceteris etiam ab hoſpitalium, piorumve locorum inſtituto ne diſcedatur, neque contra fiat, quam de illorum curatione, adminiſtrationeve a teſtatoribus, aut ab aliis, qui illa inſtituerunt, præſcriptum eſt.

Illud interdum, prout uſuvenerit, ab epiſcopo moneantur, qui eleemoſynam erogare quovis modo aut nomine debent, ut ſibi in ea erogatione parochi in primis teſtimonium conſiliumque adhibere ſtudeant, quo melius conſultum ſit, ac proſpectum conſcientiæ ſuæ, cum ille pauperum & egentium notitiam magis exploratam habeat. Tum vero quibus locis ita opus eſſe epiſcopus cenſuerit, præſertim ubi compererit in diſtributionibus eleemoſynarum quidquam peccatum eſſe, vel quia non vere pauperibus diſtributio fit, vel alias minus fideliter,

vel non ad præſcriptum piæ teſtatorum voluntatis. Conſtituat etiam vel parochum, vel pios aliquos ex vicinia illa, vel parochia laicos, quorum teſtimonio de paupertate illorum, quibus erogandæ ſunt eleemoſynæ, conſtet, antequam ab illis, quorum id curæ eſt, diſtribuantur, vel alias id generis certas regulas, quibus caveatur ab ejuſmodi erroribus, in poſterum præſcribat in diſtributione ſervandas ab illis locis piis, etiam quæ mere laicalia ſint, ac privata, aut quavis ratione ab epiſcopo exempta.

In pauperum delectu non egeſtatis, inopiæque ſolum, ſed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio habeatur. Quo in genere hæc præter cetera de illis inveſtigentur, an ſcilicet doctrinæ Chriſtianæ ſcholas frequentent; an fidei prima rudimenta teneant, anque religioſe & pie vivant.

Quæ porro eleemoſynæ pauperibus, aut ſingulis etiam ſive hominibus, ſive familiis quavis ratione debentur, ne in alium cujuſcumque rei uſum, ac ne in eccleſiæ quidem inſtaurationem, ornatumve eas erogari liceat, niſi & eorum, quorum intereſt, conſenſu, & epiſcopi præterea conceſſu, eoque literis exarato.

Quæcumque item, quæ ad certos pios uſus relicta ab aliis etiam, quam a piorum locorum adminiſtratoribus perſolvi, aut præſtari debent, in alios etiam ſimiles uſus, ne neceſſitatis quidem prætextu, etiamſi teſtatoris heredes, quicumque ſint, ei rei aſſentiantur; niſi epiſcopus, re perſpecta, eam præſtiterit facultatem, quæ jure permittendi ab eo dari poterit, illius permutationis cauſa.

Quæcumque eleemoſynæ nomine indiſtincte per capita, familiaſve diſtribuuntur, eæ deinceps in illos tantum, qui in iis vere pauperes ſunt, conferantur: niſi ex teſtamento, fundationiſve tabulis, aut aliunde legitime epiſcopo conſtiterit, illis etiam, paupertate non laborantibus, indiſtincte diſtribuendas eſſe.

Qui aliter diſtribuerit, ei pœna ſit dupli reſtitutio, graviorve arbitrio epiſcopi.

Ut piis uniuſcujuſque generis diſtributionibus, quas in urbe, & in diœceſi, vel ex ultima voluntate, vel ex conſuetudine, aliave ratione quis præſtare debet, ſatisfactum eſſe, epiſcopo conſtet, prout concilio primo provinciali per nos decretum eſt, eam rationem is adhibeat, ubi expedire cenſuerit, ut quod vel ab univerſitatibus, vel a ſodalitiis, piiſve locis quibuſcumque, etiam mere laicalibus, & privatis, & exemptis quovis modo, vel a quovis homine eleemoſynæ nomine, aut alias pie erogandum, diſtribuendumque eſt, quidquid illud ſit, adhibitis etiam duobus viris, per univerſitates delectis, ſuo, vel in diœceſi vicarii foranei judicio probatis, & parocho item in opera pietatis præſcripta, erogetur & conferatur.

Parochus autem in codicem certum referat, quæ ejuſmodi diſtributiones, quo die, & quibus adhibitis factæ ſint; eorumque & teſtium ſubſcriptionem adhibere curet.

Si vero vel univerſitas, vel quiſpiam ſe neque hac, neque alia ratione diſtribuiſſe, epiſcopo legitime oſtenderit, ad ſatisfaciendum ab eodem compellatur.

Parochus, tamquam parochiæ ſuæ pauperum pater, ſæpe paterne, diligenterque perquirat primum, an ſi quæ in parochialis ſuæ viciniæ finibus eleemoſynæ ſint, quæ vel a piorum locorum curatoribus, vel ab aliquo collegio, univerſitateve, vel ab ulla familia, vel a ſingulis hominibus in pauperum uſum, aut ſuſtentationem erogari quovis nomine debeant: præterea videat, an illarum erogatio fiat in eos ipſos, qui vere egentes, pauperesque ſunt; anque etiam, illud, quod, qualeve eleemoſynæ nomine in illos conferri debet, integre, ſincereque totum conferatur, erogetur, ac diſtribuatur.

Si quid vero animadverterit, cui cautionem remediumve adhiberi oporteat, ad epiſcopum quamprimum deferat.

Nemo operta, obvolutaque præ pudore facie eleemoſynam ſine epiſcopi, aut, ſi in diœceſi, ſaltem vicarii foranei conceſſu, eoque ſcriptis exarato, quæritet. Nec vero eam facultatem cuiquam epiſcopus, vicariuſve det, niſi illius & egeſtatem, & morum, vitæque rationem ante plane notam exploratamque habuerit.

Primo quoque dominico menſis, aliove die, quem epiſcopus ſtatuerit, in omni eccleſia cathedrali, & parochiali, etiamſi regularis ſit, ut egentium, qui præſertim præ pudore oſtiatim mendicare, eleemoſynamve quæritare non audent, neceſſitati pia fidelium liberalitate ſuccurratur a locupletibus parochiæ incolis, ceteriſque ut antiquæ conſuetudinis eſt, aliquid per eos colligatur, quos huic curæ epiſcopus præpoſuerit. Quæ eleemoſynarum collectio, ſingulis etiam ſtatis quatuor anni temporibus, quibus in hoc opere miſericordiæ promptius impenſiuſque incumbendum eſt, per eoſdem fiat.

Dominica vero proxime præcedenti, quo fideles, & in dando effuſiores ſint, & paratiores ad parochialem eccleſiam cum voluntariis oblationibus veniant, eleemoſynarum collecta intra miſſarum ſolennia indicatur, ſequenti verborum formula ex ſanctiſſimi Leonis pontificis ſermonibus deſumpta.

In eamdem vero ſententiam parochus, prout uſuvenerit, uberius cum populo aget.

## XIII.

*Formula denuntiandi collectas eleemoſynarum.*

Ventura dominica dies, vel feria quarta quatuor temporum, dilectiſſimi, collectarum futura eſt.

Hortor, & moneo caritatem veſtram, ut omnes ad eccleſiam parochialem cum voluntariis oblationibus eleemoſynarum conveniatis; in quo opere, etſi non eſt omnium æqualis facultas, debet eſſe par pietas.

Itaque & animæ veſtræ, & pauperum memores promptam exhibete largitatem, & pro poſſibilitate virium veſtrarum ſpontaneas collectas veſtras ſolicite præparate, ut, quidquid vobis de temporalibus facultatibus dempſeritis, id multiplicatum in æterna retributione ſumatis, in egentibus paſcentes Chriſtum, qui nobis illos tantopere commendavit, ut ſe in ipſis & paſci, & veſtiri, & ſuſcipi teſtaretur idem Chriſtus dominus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ubi mendicorum vagantium & curæ ſpirituali, & victui neceſſario ita conſultum non eſt, ut certo ſcilicet quodam pio loco collecti, non mendicatim victum ipſi quæritent, ſed ex miſericordia ibi habeant unde ſe ſuſtentent; epiſcopus, quod concilio provinciali ſecundo de eorum-





eorumdem vita, moribuſque præſcriptum eſt, in eo exequendo illam iniri rationem curet, ut certo præcipuo libro per ſingulos parochos illi, ſi qui ejuſmodi intra parochiæ fines ſunt, tum alii etiam alia ratione accurate ordineque deſcribantur.

Hæc vero ſedulo ab iiſdem parochus obſervari mandet,

Quo, aut unde illi migrent.

Quod vitæ Chriſtianæ inſtitutum teneant.

An fidei rudimenta norint.

An diebus feſtis ſaltem miſſæ ſacrificio interſint.

An ſæpe confeſſi crebro, etiam per annum, aut certe ſaltem conſtituto paſchæ tempore, ſacram euchariſtiam ſumant.

Quos neque in libro deſcriptos, neque in paſcha confeſſos communicaſſe ex eo animadverterint, quod certum chirographum non oſtendant, quo ſe confeſſos, & ſacram communionem ſumpſiſſe teſtatum faciant, ne pro parochialis eccleſiæ ſuæ foribus, nec intra parochiæ fines eos mendicare parochi permittant, omnemque propterea cautionem, quantum in ſe eſt, adhibeant,

Quos doctrinæ Chriſtianæ rudes mendicos vagantes viderint, feſtis diebus ſtata hora ad ejuſdem doctrinæ ſcholas convenire diligenter curent, eoſdemque inſtruant.

Ne ullæ cujuſvis nominis piæ confratriæ inſtituantur, eriganturve, neve erectæ, aut inſtitutæ collegii ſibi habitum ſumant ſine ſedis apoſtolicæ, vel epiſcopi auctoritate & facultate literis explicata.

Sodalitates illæ duæ, una virginum ſanctæ Urſulæ, altera viduarum ſanctæ Annæ nomine, in aliquot provinciæ hujus urbibus pie inſtitutæ, ac religioſæ ſpiritualis diſciplinæ regulis conformatæ, uberrimos, adjuvante Dei gratia, fructus & populis, & familiis attulerunt, non modo ad retinendum, ſed ad excitandum vehementius in femineo ſexu innocentis vitæ, omnis Chriſtianæ pietatis, & caritatis ſtudium.

Quare unuſquiſque epiſcopus, tum in urbe, tum in opidis diœceſis ſuæ inſignibus, ſodalitatem utramque ut opportunum viderit, quam diligentiſſime erigi, inſtituive curet.

Ut odii diſſidiis, atque inimicitiis occurratur, rurſuſque paci, cujus fideles in primis amantiſſimi eſſe debent, tot ſanctiſſimis vinculis inter ſe juncti, conſulatur, id preter cetera epiſcopi paterna ſolicitudine curent in ſua quique urbe, & diœceſi, aliquam hominum, qui morum gravitate, ſpectata integritate, & auctoritate præſtantiores ſint, confratriam, ut in hujus provinciæ nonnullis urbibus inſtituta jam eſt, inſtituere: cujus officium ſit, diſcordiæ flammas reſtinguere, diſſidia amovere, concordiam inire; pacemque inter omnes reconciliare: aut hoc ipſum componendæ inter diſſidentes pacis officium alteri confratriæ adjungant, quæ recte apteque id ipſum præſtare queat.

## XIV.

*Quæ generatim ad has conſtitutiones pertinent.*

His decretis, conſtitutionibuſque in concilio provinciali quarto ſancitis, ac promulgatis, quicumque vel univerſi, vel ſinguli, quorum intereſt, non paruerint, aut aliquid contra commiſerint, admiſerintve; ii mulctas & pœnas luant iis ipſis decretis ſancitas, ac alias præterea ex eccleſiaſticis, conciliaribuſque ſanctionibus, & canonum jure præſcriptas: compellanturque præterea ad parendum omnibus juris remediis.

Quæcumque etiam de ſacramentorum adminiſtratione, miſſæ ſacrificii celebratione, divinorumque officiorum modo & ratione, in hac & ſuperioribus ſynodis decrevimus, ea plane omnia, & ſingula ad metropolitanam etiam, ceteraſque quaſcumque eccleſias ritu Ambroſiano utentes pertinere ſancimus, ac declaramus; niſi ſi quid ejuſmodi erit, quod vel per nos, vel deinceps per ſucceſſores noſtros archiepiſcopos, nominatim, ſpeciatimque declaretur, Ambroſianis ipſis ritibus, inſtitutiſve expreſſe adverſari.

Si in his decretis ante alteram Mediolanenſis provinciæ ſynodum ulla difficultas orta erit, ejus declarationem, tum vero præterea omnium, quæ eiſdem decretis continentur, interpretationem, & explicationem nobis, & ſucceſſoribus noſtris archiepiſcopis, perpetuo reſervamus, ſalva ſemper ſedis apoſtolicæ auctoritate.

Quamcumque facultatem ex decretis in hac provinciali ſynodo Mediolanenſi quarta per nos editis habent epiſcopi, eam ipſos per ſuos vicarios generales exequi poſſe volumus, niſi in iis, quæ proprie ad ordinem epiſcopalem pertineant, aut in quibus vicarii a ſacris canonibus, aut a concilio Tridentino, vel a nobis expreſſe excluſi ſint.

Ut nemini eorum, quæ in hac quarta provinciali noſtra ſynodo a nobis decreta ſunt, ignorantiam excuſare liceat, edicimus, ut ex quo primum die edita in valvis metropolitanæ eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos menſes, omnes ſe, & his decretis, & ſi contra fecerint, pœnis quæ eis continentur, teneri intelligant. Ab eo etiam affixionis die, eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari jubemus.

Unuſquiſque præterea epiſcopus ea omnia & ſingula in proxima diœceſana ſynodo legi ac recitari jubebit; &, ſi ita expedire cenſuerit, ſuæ quoque cathedralis eccleſiæ valvis proponi, quo ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant.

Singulæ etiam cathedrales, & collegiatæ, & parochiales eccleſiæ hujus provinciæ has noſtras conſtitutiones aliquo loco collocatas perpetuo aſſervent.

Omnia & ſingula, quæ a nobis in hac quarta provinciali ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia, ac reverentia, auctoritati, ac judicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matri, & magiſtræ ſemper emendanda, & corrigenda ſubjicimus.

*EPISCOPI, QUI HUIC SYNODO provinciali quarta interfuerunt & ſubſcripſerunt.*

Nos Carolus ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolani, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum definientes ſubſcripſimus.

Ego Antonius, Laudæ epiſcopus, conſentiens ſubſcripſi.

Ego

Ego Dominicus, epiſcopus Brixienſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Nicolaus, epiſcopus Cremonæ, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Federicus, epiſcopus Bergomenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego F. Dominicus, epiſcopus Aſtenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego F. Benedictus Herba, epiſcopus Caſalenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Guarnerius epiſcopus Alexandrinus, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joannes Franciſcus epiſcopus Vercellenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius Marinus epiſcopus Albenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Galbianus epiſcopus Intimilienſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Romulus epiſcopus Novarienſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Lucas Tortus protonotarius apoſtolicus juris utriuſque doctor & vicarius generalis multum illuſtris & reverendiſſimi domini domini Cæſaris ex comitibus Gambaræ epiſcopi Dertonæ, ejuſdemque in hoc ſpecialis procurator ejus nomine interfui, & ſubſcripſi omnia & ſingula in hac ſancta ſynodo decreta, atque acta, edita, & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Joannes Antonius Cart. archipresbyter ſanctæ Juliæ procurator ſpecialis illuſtris & reverendiſſimi domini Petri Fauni epiſcopi Aquenſis ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſynodo acta, edita, & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Benedictus Citadinus canonicus eccleſiæ majoris Mediolani procurator ſpecialis illuſtris & reverendiſſimi domini I. Ambroſii Fliſci, epiſcopi Savonenſis, ejus nomine interfui & ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſynodo acta, edita, & publicata, ejus, & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

## INDICTIO FUTURI CONCILII QUINTI PROVINCIALIS.

*Carolus miſeratione divina tituli ſanctæ Praxedis ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis, ſanctæque Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopus,*

OMNIBUS & ſingulis reverendiſſimis dominis epiſcopis, qui hic adſunt, & ſynodo provinciali Mediolanenſi, quacumque ratione intereſſe debent, omnibuſque capitulis, & eccleſiarum cathedralium procuratoribus, indicimus, ſignificamus, denuntiamus, & intimamus, proximam ſequentem ſynodum provincialem Mediolanenſem quintam Deo omnipotente auctore, & ad ejus laudem, hac eadem in urbe, hoc ipſo loco, anno MDLXXIX. die ſeptima menſis Maii proxime ſequentis, qui dies erit feria quinta dominicæ ſecundæ poſt paſcha reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti, inchoandam & celebrandam eſſe. Quamobrem eos omnes, & ſingulos reverendiſſimos dominos epiſcopos monemus: procuratores vero eccleſiarum cathedralium invitamus, ut eo die ad ſynodum provincialem quintam, juvante Deo, Mediolani celebrandam, conſtituto, hic omnino interſint, niſi diem celebrationis ipſius ſynodi aliqua ex cauſa a nobis prorogatum fuiſſe noſtris ad eos datis literis intellexerint. Quod ſi ipſorum reverendiſſimorum epiſcoporum noſtrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuntium, procuratoremve ad ſe excuſandum, atque ad id impedimentum probandum, ad nos mittat; cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia, & ſingula, nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ recipiendi, quæ, divina gratia auxiliante, in ipſa ſynodo a nobis de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum conſtituentur, decernenturve.



# CONCILIUM MEDIOLANENSE V.

## PROVINCIALE.

Quod Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, archiepiſcopus Mediolanenſis, habuit anno a Chriſto nato MDLXXIX. Gregorio XIII. pontifice.

### EDICTUM DE CONC. PROVINCIALI V.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

*Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolanenſis eccleſiæ, univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Chriſto domino.*

VINEÆ dominicæ cultura cum in omni alio paſtorali ſolicitudinis officio eniteat, tum valde etiam in conciliis provincialibus, ad Tridentinæ ſanctionis præſcriptum tertio quoque anno celebrandis. Nos igitur pro archiepiſcopalis officii noſtri cura, qua progreſſionibus ſuis tota ad optimam paſcendi rationem ſpectare debet, jam in ſynodo provinciali quarta, quam de illius concilii ſanctione anno MDLXVI. habuimus, decreto promulgato, concilium provinciale quintum denuntiavimus, atque indiximus: quod, auxiliante Dei miſericordia, hoc anno, die VII. menſis Maii, de more celebraturi ſumus. Ea porro indictio, & jure canonum, & decreto provinciali communita, licet tantum roboris, viriumque omnino habeat, quantum illa, quæ edicto publico fieri ſolet: tamen, cum in lucem typis nondum emiſſa ſit, & tempus, atque adeo ſtata dies ejuſdem concilii quinti tunc indicti, jam inſtet; id propterea, ne cuiquam quicumque ſit, qui conciliis provincialibus noſtris intereſſe quacumque ratione poteſt, ac debet, vel rei ignorantia ad excuſationem uti, vel ſe contemptum, neglectumve eſſe dicere liceat: nos univerſis & ſingulis, qui jure, aut conſuetudine, aut privilegio, aut electione ſua, ſuorumve prædeceſſorum, aut alia quacumque ratione ad provinciales noſtras ſynodos convenire debent, aut poſſunt, hoc etiam edicto publice propoſito, eamdem quintam provincialem ſynodum, in ſuperiore illo provinciali concilio IV. jam indictam, ſignificamus, denuntiamus, atque indicimus.





Quamobrem cum univerſos & ſingulos reverendiſſimos epiſcopos provinciæ noſtræ, cum ceteros omnes, quicumque ſunt, qui, ut ſupra, in concilio provinciali Mediolanenſi quacumque ratione intereſſe debent, præter illud indictionis decretum, & literas nominatim ſigillatimque eiſdem reverendiſſimis epiſcopis per nos ſcriptas, hoc etiam archiepiſcopali edicto illud monemus, ut eo ipſo conſtituto, ſeptimo menſis Maii proxime ſequentis die, Mediolanum in baſilicam noſtram metropolitanam conveniant, & in concilio, quod eo ipſo die, ſummo mane juvante domino, inchoabimus, præſentes ipſi adſint, pœnis & cenſuris propoſitis, canonum jure ſancitis.

Curent porro ſinguli provinciales noſtri epiſcopi, ut quod concilio altero Mediolanenſi ſancitum eſt, cum primum edictum hoc acceperint; quinta quaque feria miſſæ ſacrum tum a ſingulis ſacerdotibus, tum ſolenniter collegiatim in cathedrali & collegiatis eccleſiis, de Spiritu ſancto celebretur, vel, ſi pro ratione officii hoc non poteſt, ſaltem commemoratio fiat; ac præterea ſingulis diebus dominicis & in illis & in omnibus parochialibus eccleſiis, ad implorandum in ea conciliari tractatione Spiritus ſancti lumen, proceſſio, litaniæ, ac preces habeantur. Idque peragatur, ac præſtetur, quoad concilium de more abſolutum & dimiſſum erit.

Cum autem conciliaris hæc actio, a nobis indicta, præcipuum quoddam caritatis & pietatis ſtudium a provinciæ noſtræ fidelibus poſtulet; illud etiam curet unuſquiſque provinciæ noſtræ epiſcopus, ut ſingulis ante concilii diem conſtitutam dominicis diebus, per parochos & concionatores excitentur ejus rei cauſa fideles ad frequentius ſanctæ orationis ſtudium; ad idque vehementer omnes inflammentur, ut die dominico, ſtatam concilii diem proxime antecedente, vere pœnitentes & confeſſi, ſacram communionem ſumant, hoc præcipue precantes, ut adjutrice Dei gratia, quæ ad ſuam & ad illorum, quorum curæ commiſſi ſunt, ſalutem pertinent, pia religioſaque ſolicitudine in concilio agantur.

Quo religioſius autem ab iis, qui ad concilium conveniunt, in eam actionem incumbatur, eccleſiaſtici ordinis homines, & quos una ſecum ad ſynodum provincialem epiſcopi conduxerint, & quos capitula miſerint, & teſtes ſynodales, & ceteri tum ſacerdotes, tum clerici, quicumque venerint; ii omnes & ſinguli antequam in viam ſe dent, peccata confeſſi, ſacerdotes miſſæ ſacrum celebrare, clerici ſanctiſſimam euchariſtiam ſumere ne omittant. In quarum rerum fidem & teſtimonium, hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & ſancti Ambroſii ſigillo archiepiſcopali noſtro muneri, tum noſtra etiam manu ſignatum, in vulgus publice proponi, eidemque a vicecancellario noſtro archiepiſcopali ſubſcribi voluimus. Data Mediolani in ædibus noſtris archiepiſcopalibus pridie Idus Martii MDLXXIX.

## ORATIO CAROLI CARDINALIS TITULI SANCTÆ PRAXEDIS, & archiepiſcopi Mediolanenſis,

*Habita in provinciali concilio V.*

JAm ex evangelio, quod modo audiſtis, patres reverendiſſimi, optime intelligitis, apoſtolos a Chriſto domino convocatos, & ad prædicationem regni cæleſtis miſſos eſſe cum poteſtate ſanandi morbos, depellendique dæmones. Sunt etiam vobis ex evangelica illa commemoratione perſpectæ ejus apoſtolicæ legationis apoſtolicique officii leges, ore divinæ ſapientiæ præſcriptæ, rurſuſque cognitum ſtudium quod ſummum in illis exequendis apoſtoli magna cum omnium admiratione præſtiterunt. Cum autem hoc ipſo tempore clerus populuſque hic Mediolanenſis vos, qui apoſtolorum ſucceſſores eſtis, ex legibus Chriſti domini Spiritu in ſacro Tridentino concilio decretis, convocatos, una mecum ad concilium provinciale quintum concelebrandum conveniſſe cernit; is modo illius apoſtolicæ convocationis & legationis, quæ evangelicis verbis commemorata eſt, quaſi ſpeciem quamdam ob oculos propoſitam intuetur. Chriſtus enim dominus cum videret eo tempore turbas, tamquam oves ſine paſtore, huc atque illuc vagantes, varieque disjectas, ac multiplici morborum genere affectas, earum ſtatum pietatis viſceribus miſeratus, non ſatis habuit, ſe vicos, opida, omniaque loca finitima & prædicando, & ſanando peragraſſe: ſed in tanta hominum undique confluentium multitudine, voluit etiam alios evangelicæ prædicationis, ac morborum curationis ſocios adhibere. Diſcipulos igitur orare juſſit, duodecim apoſtolos convocavit, eoſdemque miſit ad illa munera exequenda. Nunc itidem is, qui ab eccleſiæ ſuæ cura & cuſtodia oculos nunquam dejicit, *Erunt*, inquit, *oculi mei ibi ſemper*, cum e ſummo cælo, tamquam ex altiſſima ſpecula, provinciam noſtram Mediolanenſem, præſertim ſuperiorum annorum peſtilentia multis partibus vexatam, miſereque afflictam cerneret, non tam hominum interitu, quam ſpiritualium rerum detrimentis, atque damnis, quæ multa inde conſecuta ſunt, in tanta jactura illam miſericordiæ oculis reſpexit, ac nos, evangelii ſui miniſtros, excitavit, & ad ſanctas orationes, preceſque concelebrandas, & ad procuranda ſynodalibus epiſcopalibuſque laboribus remedia. Adfuiſtis, patres ſanctiſſimi, religioſæ orationi, quam ſine intermiſſione, hoc ſacro loco, in conſpectu ſacroſancti clavi Jeſu Chriſti domini habuimus, ut Spiritus ſancti lumen imploraremus, quo adjuti, provinciæ noſtræ bene gerendæ rationem iniremus, ſpiritualiaque damna inſtauraremus: ob eam ipſam cauſam, nullus vicus, nullum opidum, nulla urbs in provincia eſt, quæ ad preces & ad pœnitentiæ, ſacræque euchariſtiæ ſacramentum, & ad alia pietatis Chriſtianæ ſtudia, atque officia excitata non ſit vehementer. Jam vero, patres, hodie, eodem domini Spiritu duce convocati, hoc loco adſumus, ut & eidem precationum officio, & aliis ſynodalibus actionibus operam miniſteriumque noſtrum præſtemus. Sperandum- 3. Reg. 9.

ANNO CHRISTI 1579. Luc. 18.

dumque eſt, Chriſtum dominum tum preces noſtras exauditurum: dixit enim: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis:* tum etiam nobis in ſalutari hac tractatione verſantibus adfuturum. *Ubi, inquit, fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Omnis porro hæc concilii provincialis actio formam illam, ut diximus exhibet apoſtolicæ miſſionis, & legationis. Dum enim noſtras, noſtrarumque eccleſiarum res inter nos mutua caritate conferimus, dum de caſtiſſimo divinorum officiorum cultu diſquirimus, dum de cleri, populique diſciplina inveſtigamus, dum & noſtrorum, & apoſtolicæ viſitationis in primis decretorum executionem inſpicimus, dum rerum multarum collapſam pene inſtitutionem ob oculos ponimus, dum de inſtaurationis modo conſultamus, dum conſtitutiones alias, ad damna reſarcienda recte accommodatas, Spiritu ſancto auctore, conficere ſtudemus, univerſa hæc via & ratio eo ſpectat, ut iſtis adjumentis, quæ a Deo exiſtunt, mens noſtra illuſtretur, caritas in nobis inflammetur, animarum zelus in cordibus noſtris exardeſcat, animorum noſtrorum epiſcopalis illa vis & ardor magis atque magis incendatur, & quaſi novus quidam ſpiritus in nobis, qui decretorum provincialium virtute & auctoritate munimur, excitetur vehementius ad improbos omnes ſpiritus depellendos, ad vitiorum peſtem propulſandam, ad ſanandas ſpiritales ægritudines, ad afferendum denique populis, curæ noſtræ commiſſis, omnem curationem. O ſalutares epiſcopalium conciliorum labores? Adeſt vobis Chriſtus dominus: actionum veſtrarum dux eſt Spiritus ſanctus: vos morum magiſtri, vos populorum moderatores, vos ſanctarum legum auctores. Sapientia veſtra Chriſtianæ diſciplinæ ratio omnis inſtauratur: prudentia controverſiæ ſedantur: caritate diſſidia tolluntur: ſtudio eriguntur manus remiſſæ: virtute genua diſſoluta roborantur, animiſque vires adduntur. Quid multis? hæc conciliorum actio nos ipſos, qui doctoris officio fungimur, qui eccleſiæ medici ſumus, docet, inſtruit, reficit, recreat, exſuſcitat. Quam miſera igitur ſuperiora tempora, quibus tamdiu intermiſſa ſunt multis partibus, peneque antiquata concilia provincialia, & ſynodi diœceſanæ neglectæ? Quo factum eſt, ut multiplex malorum quaſi ſilva extiterit, baſilicæ incultæ, ornamenta ſupellectilis eccleſiaſticæ pene nulla, ceremoniarum ritus & uſus vix cognitus, divinorum officiorum ratio pene perturbata, chori diſciplina reſciſſa, functionum eccleſiaſticarum munera contempta & ſpreta, ſtationes ſacerdotales clericaleſque deſertæ; omnia demum diſciplinæ officia abjecta, ac pene depoſita; populi præterea inſtitutio depravata, morum corruptelæ undique obortæ, feſtorum dierum veneratio multis peccatis violata, ſacrorum locorum cultus multis partibus læſus, ſacerdotalis ordinis dignitas pro nihilo habita, & cuncta denique ad eum ſtatum deducta, ut lacrymis, luctu, commiſerationeque digna eſſent. Vidimus nos, vidimus provinciæ noſtræ faciem deformatam, nec plane a collacrymabili illo templi Hieroſolymitani aſpectu diſſimilem: cum ſcilicet vaſtatis, & dirutis ab Antiocho rebus omnibus fortiſſimus dux Judas Machabæus templi illius cultum everſum, altare violatum, januas exuſtas, & omnia perculſa, & proſtrata aſpexit: ſciſſiſque veſtimentis, capite cineribus aſperſo, ſuſpiriis, gemitu, luctuoſiſſimiſque vocibus, incredibilem vim lacrymarum in tantis auguſtiſſimi templi ruinis profudit. Gratias tibi agimus, optime Deus, cujus divino munere Tridentinum concilium miſeris his temporibus celebratum eſt: unde præter alia, quæ reipublicæ Chriſtianæ adjumenta ſubminiſtrata ſunt, reſtitutus eſt tandem ſalutaris ille uſus ſynodi, & diœceſanæ, & provincialis: cujus inſtitutum auxiliante tua divina gratia ita ſuſcepimus, ut hodierno die ex Tridentinæ ſanctionis præſcripto jam quinti provincialis concilii initium faciamus. Non eſt igitur, patres, cur noſtra hac concione concilii provincialis neceſſarium uſum, dignitatem, fructus uberrimos, explicemus. Vos ipſi intelligitis ſacroſanctam œcumenici illius concilii auctoritatem, qua nobis juſſum eſt, provinciale concilium tertio ſaltem quoque anno convocari: vos ipſi optime meminiſtis, per nos de veſtro conſilio, & aſſenſu, jam certam diem concilii noſtri provincialis præſtitutam, perpetuamque illius indictionem deinceps decreto provinciali eſſe communitam. Eſt vero cur, unde digreſſi ſumus, ad evangelicam commemorationem redeamus, quæ tota non ſolum hujus noſtri epiſcopalis congreſſus, conventuſque rationem, ſed etiam munera, & officia, quæ in eo præſtare, aut certe ſpectare debemus, ſignificare, & declarare videtur. Primum igitur videamus, patres, cur Chriſtus dominus, cum ſingulos apoſtolos ad apoſtolicæ legationis munera inſtruere ac mittere poſſet, omnes ſimul eam ob cauſam convocavit. Qua ex re perſpicuum nobis fiet, quare jam ab initio fere naſcentis eccleſiæ inſtitutum ſit, epiſcopos provinciæ ad metropolitanum convenire, provinciales leges ſancire, ſancitas, ab omnibus, qui ejuſdem provinciæ ſunt, ſuſcipi ac ſervari. Una vero præter ceteras cauſa eſt, ut qui in varias, diverſaſque mundi partes ad evangelii propagationem mittebantur, eorum omnium & una eſſet doctrina, & unum apoſtolicum munus, & una apoſtolicæ vitæ ratio. Quæ ſane res docet, ejuſdem provinciæ epiſcopos, quamvis diſtinctis diverſiſque diœceſibus præſint, eodem tamen unius provinciæ quaſi vinculo devinctos, una etiam eademque diſciplinæ eccleſiaſticæ ratione ejuſdem præſcriptis legibus, ac morum regulis, fideles ſibi commiſſos ad viam ſalutis dirigere debere. Id ſane oſtendunt, atque adeo jubent ſanctiſſimorum patrum ſanctiones, & conciliorum canones, quibus hoc de genere præter alia illud cautum eſt, ut eccleſiaſticis inſtitutis metropolitanæ eccleſiæ ſeſe reliquæ provinciales diœceſes conforment. Ex hac porro conjunctione, concordique ſolicitudine, & conjunctiſſimo ſtudio maxima commoda, maximaque adjumenta proficiſcuntur, non ſolum ad facilem eccleſiæ commiſſæ gubernationem, ſed etiam ad omnem populorum in via domini progreſſionem. Hinc enim firmiſſimum uniuſcujuſque inſtituti præſidium, hinc rituum eccleſiaſticorum, ſanctarumque conſuetudinum perennis conſervatio, hinc diſciplinæ omnis robur perpetuum, hinc rerum ſalutarium ſanctiſſimum firmamentum, hinc prompta omnium paratiſſimaque ad obediendum voluntas, hinc præclara illa bene agendi, recteque exequendi contentio, & religioſa æmulatio. At vero ubi contra res agitur, vix dici poteſt, quanta inde incommoda, quam multæ difficultates emanent. Vos conſcii eſtis, patres,



ANNO CHRISTI 1579.

quam vera ſint, quæ narramus; ſed aliqua ex parte ob oculos ea proponamus. Si quis veſtrum eſt, qui in oratione frequens ſit, cæleſtium contemplationum ſtudioſus, in epiſcopali eccleſiæ ſtatione aſſiduus, epiſcopalibus item officiis, ſtudiis, & laboribus totus addictus, abſtinentiæ, ac jejunio deditus, hoſpitalis, pauperum, viduarum, pupillorum vere pater & paſtor, piorumque locorum patronus, & ſanctorum inſtitutorum ſolicitus auctor: rurſuſque ſi alius ejuſdem provinciæ epiſcopus hæc omnia vel remiſſe agit, vel negligit, vel quod gravius eſt, contra facit, vel ab alio epiſcopo diligenter acta, minus commendat, certe omnia inde incommoda accidunt non ſine graviſſimo detrimento. Sed locus hic eſt, patres, ut accendamus nos ipſos, ſi attentius rem ipſam ſpectamus. Ille, qui optimi paſtoris regulas ſibi propoſuit, prædicationis munus ad Tridentini concilii præſcriptum perpetuo exequitur. Iſte, qui dignitatis epiſcopalis amplitudinem, non labores, cenſum, non onus, vitæ otium, non perpetuam illam ſolicitudinem, multis curis implicitam, in animo ſibi conſtituit, vel raro, vel fortaſſe nunquam verbi Dei pabulum populo miniſtrat. Ille ſynodum diœceſanam anniverſariam de more celebrat: hic ne ſtatas quidem clericorum & ſacerdotum congregationes habet, nedum ſynodum convocat: ille viſitationem diœceſanam perenni ſtudio obire contendit: hic gregis ſui vultum neque agnoſcit, nec vero ut ab ovibus agnoſcatur, paterna id caritate ſtudet. Ille nihil non agit, nihil non attingit, ut morum corruptelas eripiat, ut vitia & peccata corrigat atque emendet, & quoſcumque aberrantes ad viam ſalutis revocet: hic populari opinione cum omnia metiatur, hominibus placere vult, peccata hominum diſſimulat, ſæpeque cauſam præbet, quamobrem complures a recta deflectant: at vigilantis epiſcopi ſolicitudo in eo etiam verſatur, ut eccleſiarum cultus ſplendeſcat: baſilicæ ſartæ tectæ ſint, omni apparatu inſtructæ, omni ornatu, & precioſo opere illuſtres in omnes partes eluceant: divinorum officiorum pietas floreſcat: ceremoniarum ritus excolatur: chori inſtructio omnis non modo retineatur, ſed plane augeatur: clerus ad ſacras doctrinas erudiatur, in clericalis vitæ officiis contineatur: ſanctiſſimis legibus, edictis, inſtitutionibus devinctus, non modo a flagitiis alienus, ſed ab omni ſuſpicione integer puruſque conſervetur. Quam diſſimilis vero remiſſi, negligentiſque paſtoris, ac ſibi indulgentis, ratio ac forma ſit, vos ipſi videtis. Nulla in ejus clero fere diſciplina, nulla populi inſtitutio, nulla eccleſiarum inſtauratio; omnia denique, quæ undique præclara epiſcopali cura ſplendeſcere deberent, in ſitu, & ſqualore prope jacent. His tam diverſis ſtudiis, patres, tantum abeſt, ut qui accenſo ſtudio ad optima quæque ferebatur, ejus induſtria, & ſolicitudo vehementius inflammetur, ut aliquando pene reſtinguatur: ſicque ſancta illa æmulatio, quæ tantopere nobis epiſcopis expetenda eſt, & valet plurimum ad omnem diſciplinæ propagationem, nulla ſit. Accedit etiam aliud incommodum, idque maximum, quod perſpecta hac diſſimili paſtorum cura, populi epiſcopi vigilantis diœceſi ſubjecti, in obediendo contumaciores, & difficiliores fiunt, paſtori & patri ſuo detrahunt: ejus benefacta ſæpe iniquius inſectantur, monita non audiunt: &, ut eſt hominum genus proclive ad quærendas excuſationes in peccatis, alterius remiſſione, & nimia indulgentia abutuntur ad contumaciæ ſuæ, & culpæ omnis patrocinium. Tanta igitur damna, ac detrimenta rei Chriſtianæ importari perſpicimus ex illo diſſimili ſpiritu, quem in paſtoribus unum, uno caritatis vinculo conjunctum, unoque ſolicitudinis ſtudio incitatum, Chriſtus dominus eſſe voluit. Ad hoc nos epiſcopos is inſtruit, cum apoſtolis in unum convocatis, legationem prædicationis evangelicæ, & ægritudinum curationem hodierno evangelio committit, & certas eis univerſis regulas apoſtolici illius muneris præſcribit. Quamobrem perſuaſum jam habeamus, reverendiſſimi patres, non mediocrem utilitatem hujus provincialis concilii quinti tractatione nos provinciæ noſtræ, Deo in primis juvante, allaturos eſſe, ſi certam rationem exploratamque viam plane jam nunc tandem inierimus, ut conjunctiſſimis animis concordiſſima voluntate, pari ſtudio, æquali zelo, tamquam uno paſtorali epiſcopalique ſpiritu omnes in eam perpetuam curam incumbamus, ut præſcriptas & nobis, & clero, & populo, provinciæque noſtræ leges, inſtituta, diſciplinamque omnem exequamur. At tu, domine Deus omnipotens, qui juſſiſti, ſeniores ſeptuaginta de populo a Moyſe convocari ad oſtium tabernaculi fœderis, illiſque eodem loco commorantibus adeſſe, atque unum eumdemque ſpiritum largiri dignatus es: quique apoſtolis tuis in uno loco congregatis Spiritum ſanctum tuum miſiſti, eorum mentes illuminaſti, corda uſque adeo accendiſti: ut incredibili ardore inflammati, cum ſe divinæ prædicationis legatos agnoſcerent, uno ardentiſſimo ſtudio, iiſdem apoſtolicæ diſciplinæ inſtitutis, toto terrarum orbe, illa legatione tam admirabiliter perfuncti ſint, nobis hodie, nomine tuo in unum convocatis, adeſto quæſumus: mentes noſtras divini tui luminis ſplendore illuſtra: bonitate fove, ſapientia rege, moderare, atque effice ut nos uno conſilio, iiſdem vigilantiæ officiis, iiſdem monitis, iiſdem exemplis, legationis noſtræ etiam munera atque officia exequamur, & ita ſalutariter exequamur, ut tandem nos, & fideles provinciæ noſtrę, unum in te effecti, ſempiterna illa gloria in te uno Deo perfruamur. Amen.

## IN NOMINE

## SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS,

### PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

*Nos Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolani, ad Dei omnipotentis, beatæque Mariæ ſemper virginis, ac ſancti Ambroſii confeſſoris, patroni noſtri, laudem, hac pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum populumque fidei noſtræ concreditum prælucere totis in Chriſto viſceribus expetimus, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum dominorum coepiſcoporum noſtrorum in concilio provinciali Mediolanenſi quinto decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.*

ANNO CHRISTI 1579.

# CONSTITUTIONUM

## PARS PRIMA.

### I.

*Quæ ad fidei tuendæ ſtudium pertinent.*

QUoniam in iis, quæ & ad fidem, & ad pietatem tuendam attinent, omni vigilantiſſima cura ſummaque diligentia paſtoribus maxime elaborandum eſt: nos veterem ſanctorum patrum ſacrorumque conciliorum conſuetudinem, & auctoritatem in primis œcumenicæ ſynodi Tridentinæ ſecuti, de iis ipſis multa ſuperioribus noſtris conciliis provincialibus conſtituimus. Sed in eo genere cum nullum tantum ſtudium, quantum certe maximum requiritur adhiberi poſſit, illis ſuperiorum conciliorum decretis adjungenda hæc etiam cenſuimus.

Nemini, etiam regulari, ne in ſui quidem ordinis eccleſia, concionari permittat epiſcopus, antequam ſibi, ſuoque vicario, ille, quicumque concionaturus eſt, fidei profeſſionem ad ſanctionis pontificiæ, quam Pius IV. edidit, præſcriptam formam præſtiterit. Ubi vero ſemel præſtiterit, non opus erit iterum ob eam cauſam eidem epiſcopo præſtare: ſed ſatis ſit profeſſionis, ei ſemel illo nomine præſtitæ, teſtimonium ſcriptum atque obſignatum afferre & exhibere.

Id omne de confeſſariis ſacerdotibus ſancimus & decernimus.

Hoc ipſum de medicis, & chirurgis item cautum ſit, qui niſi trium menſium ſpatio apud epiſcopum, aut ejus vicarium, ex illius pontificiæ formulæ præſcripta ratione fidem profiteantur, medendi arte ab eodem epiſcopo interdicantur, quoad eam profeſſionem præſtiterint.

At vero in poſterum quiſquam medicus, vel phyſicus vel chirurgus medicinam exercere ne aggrediatur, niſi præſtita primum, ut ſupra, fidei profeſſione.

Advocati præterea, & procuratores in cauſis ſanctæ inquiſitionis ſuſcipiendis agendiſve, nullum ante aditum locumve habeant quam fidei profeſſionem epiſcopo præſtiterint.

Qui eccleſiam parochialem, aliudve beneficium, curam animarum habens, aut canonicatum, aut dignitatem in eccleſia cathedrali quovis modo obtinuit, niſi is tempore, & loco ſanctione Tridentina præſtituto, fidei profeſſionem præſtiterit; ne ei epiſcopus beneficii eccleſiaſtici fructus, quos ex eodem Tridentino decreto ſuos non fecit, aliquo pacto remittat, neque ab eodem exigi patiatur, ſed ſi quos exegerit, illum reſtituere cogat.

Hujus provinciæ principes & magiſtratus pro fidei catholicæ tuendæ officio, proque pietatis ſuæ ſtudio ſperandum eſt, id nunquam permiſſuros eſſe, ut in has regiones, eorum ditioni ſubjectas, ne ad diverſandum quidem itineris gratia, milites a catholicæ Romanæ eccleſiæ fide diſſidentes, veniant; cum certum atque plane exploratum ſit, nulla alia re Deum gravius offendi, nullaque ad vehementiorem iram, quam hæreſeon labe provocari; nihilque rurſus ad provinciarum, regnorumque interitum majores vires habere, quam teterrimam illam peſtem. Verum ſi quando acciderit, quod Deus prohibeat, in eam curam toto animo, omnique ſtudii paſtoralis contentione epiſcopus incumbat, atque adeo elaboret omni ope, ut ne ejus morbi contagione oves, Chriſti ſanguine redemptæ, ſuæque fidei commiſſæ, ullo modo inficiantur.

Itaque ad diœceſis ſuæ loca, ubi peſtiferos illos homines diverſari contigerit, ſe in primis ipſe conferat; populum fidelem etiam atque etiam diligenter moneat, ut ne eorum mores uſquam attendat; ne verbis mentem, aureſve adhibeat; ne cum eiſdem ullo modo verſetur; ne carnis licentiam, & liberam & falſam vivendi ſecuritatem, exemplo illorum conſectetur; ſed in orthodoxa fide, & caritate Chriſti domini cum timore & tremore perſeverans, in ſanctæ Romanæ catholicæ eccleſiæ unitate, & obedientiæ ſtudio, in catholicæque pietatis officiis ſeſe contineat. Parochis vero leges præterea præſcribat, quas in tanto diſcrimine omnino ſequantur.

Atque in iis quidem hæ ſint;

Ne eos mortuos ſacris locis in ſepulturam tradant.

Ut animadvertant præterea, ſi fieri poteſt, non modo ſingulis horis, ſed ſingulis etiam momentis, quid ab illis agatur, quid cogitetur, quid ſtruatur in iis quæ ad fidem pertinent, longe proſpiciant ſatanæ inſidias, & conatum omnem, quantum in ſe eſt, ſedulo reprimant.

Ut videant, ne quidquam vel minimum, unde labes aliqua exiſtere poſſit, ſenſim latius dimanet. Quamobrem de quotidiano hujus rei ſtatu epiſcopum certiorem faciant quam diligentiſſime.

Nec vero, ea omni diligentia contentus epiſcopus, deſiſtat alia ſubſidia ad tuendum gregem comparare.

Proinde cum alios religioſos, prudenteſque viros ad rem omnem inquirendam mittat; tum acres etiam, pioſque concionatores ad cauſam communem adjuvandam.

A magiſtratibus etiam, & principibus, in re quæ non religioni ſolum, ſed univerſo provinciæ ſtatui periculum certiſſimum afferre poteſt, omnem opem, atque auxilium imploret, ut expedire cenſuerit.

Excommunicationis vero pœnam, præter alias, quæ ſummorum pontificum canonumve ſanctionibus expreſſæ ſunt, ipſo facto ſubeundam proponat, atque edicat iis, qui iſtiuſmodi impiis hominibus cibos vetitos vendiderint, aliove modo ſubminiſtraverint, quibus diebus minime liceat illis veſci. Agat vero contra illos, qui non paruerint, ad juris, edictique promulgati præſcriptum. Omnem denique aliam rationem, quæ potiſſima ſibi videbitur, opportune ineat ad eam peſtem propulſandam. Et vero id, quod caput eſt, in tanto ſalutis periculo aſſiduis precibus, omnique ſupplicatione ad Deum confugiat, ut gregem, ſibi in curam traditum, ab omni hæreſeon fœditate integrum, inviolatumque cuſtodiat, & conſervet perpetuo.

De Judæis concilio provinciali primo multa cavimus, quibus hæc addenda ſtatuimus, quo diligentius etiam pernicioſæ eorum conſuetudini, atque divini cultus offenſionibus occurratur.

Quod olim ſummorum pontificum conſtitutionibus, & præſertim Pauli IV. & Pii V. qui ejuſdem Pauli ſanctionem literis XIII. Kalendas Maii MDLXVI. editis renovavit, & auxit, ſancitum fuit de vita, & habitatione Judæorum, cum ad Chriſtianorum hominum fidei integritatem, & morum puritatem tuendam valde pertineat; epiſcopus, in cujus diœceſi illi vel habitant, vel aliquando diverſantur, ſingulis annis ſtata die eam conſtitutionem Pii V. qua etiam illa, quæ ab eodem Paulo IV. jam antea edita erat, continetur, promulget: curetque omni diligentia, ut in primis tum ex earum conſtitutionum, tum etiam ex concilii Lateranenſis præſcripto in civitate, opido, pago locove ubi Judæi habitant, ſi complures ſynagogas habent, ſeu domos ad ſynagogæ officium jam adhibent, tollantur omnino; ceſſentque omnes, una tantum excepta, quæ tamen ab eccleſiis fidelium diſtet.

At vero novas conſtruere, conſtituereve, aut penitus dirutas reficere ne patiatur: nec rurſus veteres altius extolli, aut amplificari, aut magnificentius aliquo modo exædificari. Agat etiam cum principibus, ſi opus erit, ut, quemadmodum olim a nobis decreto provinciali, & eiſdem pontificiis conſtitutionibus cavetur, ſublatis impedimentis, vere tandem Judæi omnes in uno & eodem loco urbis locive, ac ſi ille capax non erit, in duobus, aut tribus, qui inter ſe continentes ſint, & a Chriſtianorum habitationibus ſejuncti ad præſcriptum illarum conſtitutionum habitent; domicilium vero non ſolum proximum, ſed ne in conſpectu quidem eccleſiæ, oratoriive, quo populus convenire ſoleat, conſtituere, habitareve ullo modo patiatur. Ut mares, & feminæ ſignum ſemper patens ferant, quo in urbibus, municipiis, lociſve omnibus, atque adeo in itinere dignoſcantur ad earum conſtitutionum præſcriptum.

Qua de re quidquam a nemine concedi, permittive ullo quovis etiam diſpenſationis nomine poſſe illis ſanctionibus cautum eſt.

Ne dominicis, vel aliis feſtis diebus, quos coli, & ſanctificari, præcepti conſuetudiniſve eſt, Judæi opus quidquam ſervile, mundanumve publice per ſe ipſos, ſeu alios faciant.

Nec vero fidelis quiſquam in eorum ſynagogis ullo modo, ut eo primo concilio vetitum eſt, ſed neque ullo uſquam loco eorumdem ceremoniis ritibuſve interſit.

De Judæis nuper baptizatis, in concilio provinciali primo aliqua conſtituimus, quibus hæc de illis ipſis, & de aliis etiam neophytis adjungenda decernimus.

Epiſcopus igitur, in cujus diœceſi Judæi habitant, cum fieri poſſit ut Deo volente eorum multi e tenebris ad fidei lumen accedant, illud aliqua ratione curet, ut certa domus, locuſve pius, ſi commode poteſt, eo potiſſimum nomine conſtituatur, ubi illi nuper baptizati, neophytive alantur, ad vitæque Chriſtianæ uſum inſtituantur. At vero ſi id fieri nullo modo poteſt; eos, ſi quos in urbe, diœceſique habuerit, certæ alterius loci pii congregationi in curam tradat, aut aliquem certum ſacerdotem; ſpectata probitate virum, ſpiritualiſque vitæ ſtudioſum, deligat, qui illorum vitam inſtituat ac moderetur.

Quo in genere, ejus, qui ab ipſo epiſcopo delectus, eorum curæ quovis modo præerit, ſtudio hæc ratio, quemadmodum infra, ineatur.

Ut non ſolum diebus feſtis, ut alio concilio cautum eſt, ſed in feriis etiam ſingulis, miſſæ ſacrificio interſint; & conciones præterea, ſacras lectiones, ſupplicationes, officiaque divina, veſperas præſertim feſtis diebus obeant: caritatiſque Chriſtianæ opera præſtent, ægrorum publicas hoſpitales domos præcipue viſitando.

Ut ſingulis diebus bis, mane & veſperi, certo brevi temporis ſpatio ſancte orent.

Ut cum ſignum ſalutationis angelicæ ter in die datur, genua flectant, & attente precentur.

Ut ſtationes, eccleſiaſve indulgentiarum frequentent.

Ut octavo quoque die peccata confiteantur, decimoquinto quoque die rurſus confeſſi, ſacram communionem ſumant.

Ut, quo die ſumunt, in ſancta oratione, ſanctiſque exercitationibus, & caritatis operibus illum totum conſumant.

Ut feria ſexta, & ſabbato, qui per ætatem, & valetudinem poſſunt, jejunent.

Ut ſacra anni tempora, utpote adventus, quadrageſima, aliæque ſtatæ anniverſariæ celebritates, cum appropinquant, ad eorum, earumve myſteria inſtruantur, quo ſanctioris vitæ diſciplina, & operibus, Chriſtiana pietate dignis, ſacrorum eorum temporum dierumve curſum religioſius conficiant. Abſtineant a lautioris, & delicatioris vitæ uſu, longeque diligentius ab improborum hominum conſuetudine.

Aliquam quoque cautionem adhibere curet epiſcopus, ut hi homines, cum matrimonium ineunt, non inter ſe contrahant, ſed cum iis, qui a Chriſtianis antiquam perpetuamque originem ducunt.

Non inter ſe item multam conſuetudinem habeant, ut pontificia ſanctione cavetur. Ne ulla in re Moſaicæ legis ritus retineant aut ſectentur.

Hoc in genere ſi epiſcopus negligens erit, ſciat ſe in concilio provinciali, re omni diligenter perquiſita, rationem redditurum ex eadem pontificia conſtitutione; quæ quotannis ſemel, ubi aliquis neophytorum numerus eſt, in eccleſia cathedrali, collegiatiſque de more promulgetur certo die, quem idem epiſcopus præſtituerit.

Quibus provinciæ locis vagum & fallax Cingarorum genus adhuc verſatur, & nondum ex decreto concilii provincialis primi, magiſtratus opera, atque officio a provinciæ finibus arceantur, hæc diligentia adhibeatur.

Primo epiſcopus, in cujus diœceſi eos morari; aut vagari contigerit, diligenter inquirat, an, ut Chriſtianos decet, in omni vita ſe gerant, atque ſanctæ eccleſiæ inſtitutis & præceptis pareant.

Rurſus an quidquam contra agant, quod ſchiſmaticorum morem uſumque præ ſe ferat.

An quadrageſimæ tempore, jejuniique diebus carne & cibis vetitis veſcantur, an novis ritibus utantur. Quod ſi contra eccleſiæ inſtituta ritoſque ab illis aliquid agi, geri, fierive compertum erit, quodque præſertim ejuſmodi ſit, quamobrem hæreſis nomine ſuſpecti eſſe poſſint, in eos epiſcopus graviter agat, animadvertat; etiam pro culpæ ratione ad ſacrorum canonum pontificiarumque ſanctionum præſcriptum.

Si vero eos ullo alio modo publice offendere cognitum erit, ab eccleſia divinorum officiorum tempore ejici jubeat, quoad emendatæ vitæ explorata teſtimonia & exempla viderit.

Quam ſummum in hæreſis crimine profligando ſtudium, & cura quam longe omnium diligentiſſima epiſcopi eſſe debeat, cum aliorum multorum pontificum ſanctiones jubent, tum vero

ANNO CHRISTI 1579.

ANNO CHRISTI 1579.

& Innocentii III. reſcriptum, & Martini V. conſtitutio, jam pridem edita, oſtendunt. Quibus conſtitutionibus tum in virtute obedientiæ diſtricte præcipitur, ut quæ eo de genere in illis ſancita ſunt, ad ea efficaciter exequenda, epiſcopi per diœceſes ſuas diligenter invigilent, ſi canonicam velint effugere ultionem; tum etiam deponi jubetur ab epiſcopali officio, ſi quis eorum ſuper expurgando de ſua diœceſi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus. Proinde in ea perenni ſolicitudine, perpetuaque vigilia epiſcopus verſari in primis debet, ut non modo peſtilentiſſimus ille hæreſis morbus nuſquam in gregem ſibi commiſſum irrepat; ſed omnis plane ſuſpicio ab eo quamlongiſſime abſit. Si vero fortaſſe, quod pro ſua pietate, & miſericordia Chriſtus dominus avertat, irrepſerit; in eo maxime elaboret omni ope, ut quam celerrime depellatur; quique ea labe infecti erunt, vel ſuſpecti, cum illis agatur ad canonum ſanctionumque pontificiarum præſcriptum.

Idem præterea una cum inquiſitore congregationem, quæ certo numero conſtet theologorum & juriſperitorum hominum inſtituat, qui ad cauſarum ſanctæ inquiſitionis conſultationem adhibeantur.

Ea porro congregatio, ut opus erit, convocetur; ſemelque in ſingulos menſes, atque adeo crebrius, cum occaſio tulerit.

Nec vero quidquam aliud in ea agatur geraturve, niſi quod ad ejuſdem ſanctæ inquiſitionis officium pertinet.

Et quoniam ſæpe contingit, cauſarum inquiſitionis acta, proceſſuſve, de quibus deliberandum eſt, iis pateſieri, explicari, atque communicari oportere, quorum conſilio, vel damnationis, vel abſolutionis ſententia ferenda eſt, quo & accuſatorum, denuntiantium, teſtiumque periculis efficacius occurratur: & in iis ipſis inquiſitionis actis, cauſiſque cautius agatur; id propterea omnibus ſinguliſque conſultoribus, & ceteris item, qui in ea congregatione adſcribentur, admittenturve, epiſcopus, ut Bonifacii VIII. conſtitutione cautum eſt, ſecretum, reticentiamve indicat.

Atque ipſi porro ſtatim certa præſcripta formula jurati, eidem epiſcopo ſancte ſpondeant, ſe neque verbis, neque literis, nec nutu, neque alia cujuſcumque generis ſignificatione, ullove modo cuiquam patefacturos, aut evulgaturos eſſe, congregationis, in quam admittuntur, adſcribunturve, arcana, nec vero alia quæcumque ſint, quæ ullis inquiſitionis, vel cauſis, vel hominibus, vel ipſi congregationi officiove præjudicium afferre aliquo modo poſſint.

Pœnam vero excommunicationis latæ ſententiæ proponat, atque edicat etiam in congregatione ipſa ex ea Bonifacii conſtitutione in omnes & ſingulos, qui contra indictum ſecretum, aut jusjurandum quidquam patefecerint ſine licentia ejuſdem epiſcopi.

At præterea notarii ſancti officii hoc jurent, quod nec cauſarum acta, nec teſtium nomina, neque teſtificationes, aliudve quidquam ejus generis patefacient, aut evulgabunt, antea quam judex patefecerit, evulgaritve, aut evulgari juſſerit.

De ſententiis itidem eorum, qui conſultores adhibentur, conſultationibus, deliberationibus, actionibuſque congregationis hujus, id ipſum præſtabunt omnino; ac de ſuo officio in omnibus fideliter exercendo. Si quis eorum quidquam contra ullo pacto fecerit, excommunicationem latæ ſententiæ ipſe ſubeat; ac præterea aliis pœnis pro modo culpæ arbitrio epiſcopi plectatur.

Cuſtodes etiam carceris, priuſquam ſuum exerceant officium, jusjurandum ad præſcriptam formam in concilio Viennenſi præſtent; idemque etiam alii miniſtri ad id officium exequendum neceſſarii.

Ne inquiſitionis cauſarum acta breviter ſummatimque deſcripta, quæ ſummaria proceſſuum dicunt, nec vero actorum relationes, nec facti narratio, neque alia quæcumque tam juris, quam facti itidem explicatio, inſtructiove cujuſvis generis, ad eas cauſas pertinens, nec denique ullæ ſcripturæ ejuſmodi, quæ vel pro reo, vel contra eum conficientur, ullo unquam modo in poſterum typis edantur, imprimanturve: ſed quæcumque acta ſint, quæ eas cauſas attingant, manu ſcripta iis ſolum, vel judicibus, vel conſultoribus, aliiſve miniſtris dentur, quibus dari oportet.

In cauſis ſidei epiſcopus, judexve, cum advocatus, procuratorve reo dandus eſt, eum det, qui probus ſit, de legalitate non ſuſpectus, & procurator quidem utriuſque juris peritus, uterque vero fidei zelator, quique hæreſis nomine nunquam neque ſuſpectus, neque accuſatus, neque ea infamia notatus fuerit: id vero, niſi plane oſtenderit, ſe ex judicis ſententia innocentem eſſe, & ab omnis hæreſis labe, ſuſpicioneve purum atque integrum.

Patrocinii autem in iis cauſis ſuſcipiendi facultas cum datur, literis exarata detur; nec vero aliter quiſquam ſuſcipiat.

Cui porro datur, is, antea quam patrocinium ſuſcipiat, juret ſe bene ac fideliter defenſurum, legitimiſque defenſionibus uſurum eſſe; nec dilationibus captioſis, cavillationibuſque cauſam prorogaturum.

Ubi vero patrocinium ſuſceperit, ſciat ſuas partes eſſe admonere reum, ut veritatem confiteatur, pœnitentiamque petat pro culpa, ſi quam habet, ejuſque reſponſionem curiæ notificare intimareve.

Meminerit vero advocatus, & procurator itidem, nullum unquam patrocinium neque hæreticis, nec ſuſpectis, neque credentibus, neque fautoribus præſtandum eſſe, ne prout Innocentii tertii ſancto eſt ab officio ſuſpenſus, perpetuæ infamiæ ſubjaceat.

Itaque ubi primum ex cauſarum actis, aliave ulla ratione animadverterit, reum, qui delatus eſt, hæreticum eſſe, aut eo nomine ſuſpectum, id cum ipſi reo, judicique denuntiet, tum ſtatim illius defenſionem deſerat.

Nec vero, ſi quid erit, quod ad ſanctum officium pertinens, in ejuſdem cauſa reticeri oportet, cuiquam patefaciat, quod eidem officio præjudicium ferat.

Librorum prohibitorum indicem, juſſu Tridentini concilii confectum, jam pridem promulgatum, omnes ſingulique apud ſe habere curent, ſive theologi, ſive juriſconſulti, ſive medici, ſive aliarum literarum profeſſores, diſciplinarumque ſtudioſi, & alii item, quicumque librorum numeroſam ſupellectilem poſſident. Si quis vero eorum, qualis qualis ſit, cum non habuerit, tantum abſit ut excuſationi legitimæ locus relinquatur, quod neſcierit illos id generis eſſe, ut contra eum pro librorum, quos vetitos retinuerit, ratione ſeverius agatur ad præſcriptum regulæ ejuſdem concilii.





ANNO CHRISTI 1579.

Ut fraudi occurratur, quæ plerumque in opere impreſſorio fit, ea præter ceteras cautio adhibeatur, ut liber, ubi primum impreſſus eſt, per recognitionis præfectos ante conferatur, quam venalis officinis taberniſve librariis proponatur. Qui liber ita accurate collatus, auctoris ſubſcriptione ſignatus, non recognitoribus, ut alio concilio decretum eſt; ſed quo rectius cuſtodiatur, epiſcopo tradatur: qui eumdem certo loco in archivo aſſervari perpetuo jubeat.

Ne literas grandiuſculas, quas initio vel librorum, vel capitum imprimi moris eſt, aliquam obſcœnæ turpiſque imaginis ſpeciem exprimentes, ad librorum impreſſionem adhibeant, qui artem impreſſoriam quovis modo faciunt: cum ejuſmodi ſint, quæ hominum mentes aliquando fœde turpiterque afficiant, & bonos itidem offendant, ut obſcœne ſcripta.

Ad libros vero, qui de rebus eccleſiaſticis aut ſpiritualibus conſcripti ſunt, imprimendos, ne characteribus grandioribus utantur, in quibus expreſſa appareat alicujus rei profanæ, nedum turpis, obſcœnæve ſpecies.

Libellorum famoſorum grave facinus, unde alia præterea peccata, & ſcelera, & mala exoriuntur, ut quantum in nobis eſt, e provincia noſtra profligetur, ſtatuimus, ſancimuſque eos, quicumque ſint, qui illos ſcripſerint, ediderint, divulgarint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſtatim ſubire. Si clericus vero ſit, qui tale crimen admiſerit, beneficiorum etiam, ſi quæ habet, amiſſione mulctetur, præter alias pœnas, eo de genere canonum legibus ſancitas. A qua excommunicationis pœna nemo quiſquam, hujus criminis reus, abſolvi poſſit, niſi fama & honore, cui injurioſe detractum eſt, reſtituto pro arbitratu epiſcopi. Id vero ipſum quanto difficilius eſt præſtare, tanto diligentius, ſtudioſiuſque pro ſuæ quiſque conſcientiæ religione ab eo flagitio ſceleréque cavere debet.

Epiſcopi cura ſit, tum pueros, adoleſcenteſve, tum doctores, ac magiſtros prohibere uſu eorum librorum, quos ex decreto concilii III. provincialis, quoniam obſcœna contineant, aut bonis moribus repugnent, aut ad impietatem inducant, certo indice nos complectemur.

## II.

### *Quæ ad prædicationem verbi Dei, & doctrinam Chriſtianam pertinent.*

Epiſcopus ſi vere legitimeque aliquando impeditus, in cathedrali eccleſia prædicationis munus per ſe ipſe præſtare non poteſt, ut certe concilii Tridentini ſanctione, decretiſque provincialibus debet, id per alios, qui idonei ſint, ex eorum decretorum præſcripto præſtet, impenſis ſcilicet ſuis, niſi immemorabilis conſuetudinis eſt, eas ipſas impenſas ab aliis illo prædicationis nomine fieri.

Seſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. de ref.

Epiſcopi ſolum ſit abrogatis quibuſcumque contrariis conſuetudinibus & privilegiis, & in eccleſia cathedrali, & in aliis, non modo juriſdictioni ſuæ ſubjectis, ſed etiam in exemptis, quæ curatæ ſunt, concionatorem libere deligere, atque conſtituere.

Idemque ad eum ſpectet in regularium etiam eccleſiis, ubi, pro majore commoditate, conſuetudinis moriſque eſt, populi, univerſitatiſve; aut pii loci, ſcholæ, aut confratriæ, etiam laicalis, ſumptibus, vel eleemoſynis collectis, vel legato pio, aliave hujuſmodi ratione quotannis certo ſtato tempore permiſſu epiſcopi concionem haberi.

Nec vero illius deligendi, conſtituendive jus ulla ratione competat, neque ipſis regularibus, etiam per turnum, neque univerſitati, neque magiſtratui, neque loci pii adminiſtratoribus, confratriæ, ſcholæve, etiam laicali, nec alii cuiquam laico, etiamſi ei eleemoſyna, alimentave e publico, aut e confratria, aliove modo, ut ſupra, ſuppeditentur, ſubminiſtrenturve. Quæ ut nihilo minus ſubminiſtrentur, atque adeo perſolvantur ab iis qui ſolent, aut alia quacumque ratione debent, omni appellatione poſtpoſita, epiſcopus cogat, ut concilio provinciali quarto cautum eſt.

Nemini autem concionandi facultatem concedat epiſcopus, niſi præter alia, vel examine, vel ratione pro arbitrio ſuo illius ſcientiam, & peritiam in eo munere probarit.

Magna in verbo Dei vis ineſt ad commovendos animos, ſi qui audiunt, ita ſe inſtituunt, atque adeo parant, ut utiliter audiant. Parochi igitur ſæpe moneant, ac doceant, quo ſcilicet modo fideles ſalutares utilitates, ſpiritualiaque emolumenta, & fructus uberrimos e ſacra concione capiant.

Doceant igitur hæc in primis:

Ut cum quis ad verbi Dei concionem accedit, non concionem profanam, ſed ſacram, religioſam, ſanctæ diſciplinæ inſtitutis excultam, atque caritatis ſtudio elaboratam, ſe auditurum putet, proindeque perſuadeat, ſe a Deo, qui concionatoris ore tunc ſane loquitur, ſalutaribus præceptis, conſiliiſque erudiri ad optime agendum.

Ut in eccleſiam ingreſſus, hæc a Deo precetur, primum ſibi peccata remitti: tum etiam ſibi aperiri aures cordis, ut audiat, oculoſque mentis, ut videat, atque adeo ad inſtituendæ vitæ rationem & uſum accommodet, quæ concionator enuntiarit.

Ut firma fixaque animi deliberatione ſtatuat, ſe velle perficere, atque exequi, quæcumque in ea concione ſibi dicta putavit.

Ut quæ e concione audierit, ne plane ad alium quemquam, ſed ad ſe ipſum omnino referat.

Ut animo non varie diſtracto, ſed collecto, atque attentiſſimo, concionatorem audiat, tamquam eum qui Dei verba, non ſua pronuntiet.

Ut neque eloquentiam, neque actionem, artemve concionantis ſpectet, aut admiretur, ejuſque ſermone, tamquam carmine muſico, inquit propheta, quod ſuavi, dulcique ſono canitur, tantum oblectetur, ita ut verba audiat, & non faciat ea: ſed totus in eo ſit, ut divini verbi ſpiritum hauriat; quo incenſus, quæ audierit, ſtudioſe efficiat atque exequatur. Ezech. 33.

Ut Dei verba, quæ e concionantis ore exeunt, non ſolum aurium ſenſu, ſed diligentia, menteque ita religioſe percipiat, ut animi voluntatem, ardentemque affectum ſimul accendat ad omne ſancte agendi officium.

Ut concione abſoluta, ſi modo ibi moraturus non ſit, quoad miſſæ ſolennis ſacrificium peragatur, ne tamen ſtatim de eccleſia abeat, ſed in oratione paululum conſiſtat, cum verbi Dei, quod audierit, præcipua capita, quæ præſertim ſibi conveniant, tacita cogitatione

ANNO CHRISTI 1579.

ſecum repetat; rationemque certam concipiat atque ineat, qua res tam ſalutares recte exequi poſſit.

Ut de templo a concione, orationeque egreſſus ne de concionante intemperanter loquatur, ne temere judicet. Ne rurſus ad inanes confabulationes, profanaque colloquia ſe conferat; ut ne effluet, quod & audiendo, & meditando caſte ſanɛteque concepit.

Imo vero amicis obviam factus, cum illis ſalutaria inſtituta, quæ concionator explicavit, ſtudioſe & opportune communicet.

Domum reverſus, familiam item ſæpe commonefaciat, quæ de ſanctæ vitæ inſtitutione ab eo accepit.

Ad ſalutem cum omnibus fidelibus admodum neceſſarium ſit, Chriſtianæ fidei rudimenta ſcire; tum certe hujus in primis provinciæ populis; qui hæreticis finitimi, niſi in fidei fundamentis firmi fuerint ac ſtabiles, ſummopere verendum eſſet, ne forte ab eis in aliquam impietatis, ac nefariæ doctrinæ fraudem, facilius adducerentur. Quamobrem nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut omnes ac ſinguli Chriſti fideles in fidei Chriſtianæ rudimentorum inſtitutione erudirentur: ſed cum parum nos hucuſque profeciſſe tanta in re cognoverimus; negotii, periculique magnitudine adducti, hæc præterea decernimus.

Primo omnibus, ſinguliſque animarum curatoribus, & ceteris confeſſariis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, in virtute ſanctæ obedientiæ id præcipimus, ut faciant, antequam confeſſiones audiant, orationem dominicam, angelicam ſalutationem, ſymbolum fidei, & decem præcepta Dei, quæ decalogo continentur, ut pœnitentes recitent, ac ipſis audientibus referant.

Quarum rerum ſi quos ignaros, rudeſque offenderint, hanc eorum ſpiritualem ſocordiam acriter reprehendant, oſtendantque quam gravis eſſe debeat illorum conſcientiæ ignoratio rerum, quæ ad ſalutem tantopere neceſſariæ ſunt. Cum autem eos abſolvunt, præter alias pœnitentias, & actiones ſatisfactorias, id etiam imponant, ut quatuor hæc ſaltem potiſſima doctrinæ Chriſtianæ capita in poſterum accurate ediſcant, certo illis pro arbitratu ſuo præfinito congruo tempore, quod tamen ob neceſſariam aliquam cauſam ſemel, aut ad ſummum iterum prorogari liceat. Eo autem temporis ſpatio confecto ſi eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc ne illorum confeſſionem audiant, niſi conſilio & aſſenſu aut vicarii foranei, ſi diœceſani ſunt, aut illorum, quos huic curæ in civitate epiſcopus præfecerit, ſi in civitate vivunt. Si quibus vero ſemel ita admiſſis ad ſacramentum pœnitentiæ, eos poſtea in rudi hac craſſaque ignorantia perſiſtere compertum erit, de iis ad epiſcopum ipſum referatur, antequam amplius admittantur; qui illorum ſaluti diligentius & efficacius conſulat, ut viderit in domino expedire.

Quo facilius porro perniciosæ hujus ignorantiæ incommodo occurratur, neque aliqua fideles excuſatione ſuam negligentiam prætexant, illud eiſdem animarum curatoribus mandamus, in die feſto, vel intra miſſarum ſolemnia, vel in veſperis, aut paulo ante, ſi frequentior tunc fidelium multitudo præſens in eccleſia aderit, clara voce, ac diſertis diſtinctiſque verbis, quæ ab omnibus exaudiantur, modo unum, modo alterum, aliquando plura ex iis præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus, prout opportunius ſibi videbitur, recitent, ſimulque univerſos, qui aderunt, hortentur, ut eadem verba, quibus ipſi præibunt, illi ſimul referant.

Et vero, quo populus doctrinæ Chriſtianæ præceptis, atque inſtitutis in dies inſtructior fiat; iidem parochi illo tempore nunc unam, nunc alteram eorumdem quatuor illius doctrinæ capitum partem ſtudioſe explicent. Qua in re catechiſmi Romani, aliorumque probatorum auctorum, qui in hoc genere pie, diligenterque verſati ſunt, doctrinam potiſſimum ſequantur.

Nec vero propterea, quę nunc decernimus, quidquam detractum, derogatumve ſit, quo minus tum qui pro captu ſuo apti ſunt majori eruditioni, aut pro ratione ſtatus ſui explicatius, & plenius univerſam doctrinam Chriſtianam diſcere debent, pręſtent quod debent; tum parochi, aliique ad quos illam docere ſpectat, cumulare pręſtent quęcumque in hoc genere olim decretum eſt ab illis pręſtari debere, & reliquas pręterea omnes ſui muneris partes.

Porro confeſſarii graviſſimam pœnitentiam imponant, itemque concionatores divinam ultionem denuntient, & patribus familias, & dominis, qui nulla, aut ſaltem parva diligentia adhibita, omnem rationem non ineant, ut ſui liberi ac famuli Chriſtianam doctrinam addicant; neque eis, quos in famulatu habent, tantum diebus ſaltem feſtis vacui temporis concedunt, quo in eccleſias, aliave loca pia, ubi ea doctrina traditur, ad illam percipiendam convenire poſſint.

Ludi magiſtri quo commodius pręſtent quod ex concilio Lateranenſi in ſynodo noſtra provinciali tertia eis ad pueros in doctrina pietateque Chriſtiana recte inſtituendos pręſcriptum eſt decernimus tum hanc ipſam decreti partem, tum conſcriptum de eadem doctrina libellum cum libris rudimentorum grammaticę conjungi, eiſdemque agglutinari.

Nec vero id generis libros, quos epiſcopus intra ſuę diœceſis fines in frequentiori puerorum uſu eſſe animadverterit, taleſque notarit ac declaraverit, decreveritve, deinceps ſine eo doctrinę Chriſtianę libello imprimi, vendi, in uſumve puerorum adhiberi liceat. Quo autem exploratiores vitę, diſciplinęque Chriſtianę mores magiſtrorum, pręceptorumve ſint, eam epiſcopus cautionem adhibeat, ut, cum illos moribus probat, hujus probationis facultas, literis exarata, ne diutius cuiquam eorum ſuffragetur, quam per annum, vel biennium trienniumve ad ſummum. Quo tempore confecto, cum epiſcopum adierint, qui illam proroget, confirmetve; tunc maxime is de illorum moribus, vita, ac etiam de docendi, inſtituendique rationibus item diligenter perquirat: ſique eos nec pręſtare quę debeat, vel in re aliqua offendere animadverterit; facultatem ne proroget, neve confirmet, antequam illorum vel negligentiam, vel aliam culpam, emendatam cernat.

Si quę profana magiſtri aliquando exponent, omnia ad rectam diſciplinam, egregiamque morum indolem pręclaris interpretationibus traducere ſtudeant; quod facile aſſequentur, ſi quid perpetuo in ſuis explicationibus interponent, quod ad inſtitutionem Chriſtianę pietatis ſtudiis dignam, pertineat.

Quotidianas ludi exercitationes, ac ſtudia inchoent, & concludant item pia aliqua oratione, & prece, quę antequam abſolvantur pueri e ludo ſine urgenti cauſa ne miſſi fiant.



ANNO CHRISTI 1579.

Proinde in gymnaſio, loco decenti, & perſpicuo tabella alicujus ſacræ imaginis appendatur, ad quam diebus ſingulis diſcipuli ſtatas preces faciant.

## III.

### *Quæ ad dies feſtos, & ſacra tempora pertinent.*

Ne quis diebus dominicis feſtiſque ex urbe, opido, aliove loco, cum iter facturus eſt, ante diſcedat, quam miſſæ ſacrificio interfuerit, niſi ad eum locum proficiſcatur, ubi in tempore intereſſe poſſit.

Eccleſiaſtici vero homines, quicumque ſint, & ii præſertim qui divinorum officiorum celebritatibus in choro adeſſe debent, videant, atque adeo caveant, ne ſacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religioſiſque pietatis officiis, & in eccleſia potiſſimum a clero conſumi oportet, iter niſi ob urgentem cauſam ſuſcipiant: ut hoc eorum exemplo excitati fideles, ſacris illis diebus a divinis officiis opere itinerario non avocentur.

Kalendas Maii, qui dies ſanctorum apoſtolorum Philippi, & Jacobi ſolemnitati conſecratus eſt, cum pravum uſum paſſim in provincia noſtra retineri ad nos perlatum eſt, ut inciſæ arbores frondeſcentes per urbes, opida, vicos, & pagos in plateis, ac triviis ludibundo ſpectaculo erigantur.

Id porro grave, atque ejuſmodi eſſe animadvertimus, unde peſtiferum quoddam ſeminarium exiſtit non paucorum malorum, cum quidam homines illius ridiculæ actionis cupiditate, atque voluptate prolapſi, miſſæ ſacrificio adeſſe eo die feſto perniciose negligant; tum arbores alienas, ſæpeque in prædiis eccleſiaſticis conſitas, furtim per vim atque injuriam præcidant.

Hinc illa manant, convitia ſcilicet, rixæ, contentiones, injuriæ, odia, inimicitiæ, & aliquando cædes. Accedit præterea tum vulgi clamor, bellicorum inſtrumentorum vehemens ſtrepitus, quo divina officia, ſacræve conciones valde perturbantur, & comeſſationes deinde, & compotationes fiunt, quibuſcum ebrietates, obſcœne dicta, inhoneſtæ actiones, perniciosæ ad omnia opera carnis illecebræ, & alia plurima mala perpetuo conjuncta ſunt, non ſine nominis Chriſtiani injuria. Nos igitur, & ſacrorum canonum jure, & ſacroſanctis ſanctionibus, & concilii in primis Tridentini decretis, quibus corruptelas a pietatis Chriſtianæ uſu, & a dierum feſtorum præſertim cultu alienas, omni paſtoralis vigilantiæ officio tolli juſſum eſt, & noſtræ etiam curæ, officiique munere adducti, tantæ, tamque publicæ offenſioni occurrendum cenſuimus.

Quare epiſcopus tum pœnis, quovis jure ſancitis, in eos animadvertat, qui in ea occaſione diem illum feſtum vel opere ſervili, vel alia actione, illius rationi, ſanctitatique aliena, violarint; tum præterea expoſitis graviſſimis peccatis, & commonſtratis detrimentis ac damnis, quæ plurima inde animæ, corporique eveniunt, fideles, ſibi in curam traditos, a re illa pernicioſa, quæ tamquam Gentilitiæ ſuperſtitionis ſpeciem quamdam exhibet, omni epiſcopali cohortatione & officio revocare ſtudeat ad omnes partes religioſi cultus, quo eorum apoſtolorum dies feſtus illis Kalendis coli, ſanctificarique debet. Ac proinde quidem abjectis illis ludibundis ſpectaculis, quæ turbulenta illa præciſarum arborum erectione, voluptuario quodam, profanoque clamore, ac multiplici ſtrepitu agebantur, fideles pietatis opera diligentius amplexi, eum diem feſtum de eccleſiæ more celebrent hymnis, canticis, ſupplicationibus, proceſſionibus, aliiſque ſancte agendi officiis. Arborum præterea loco, excitati imitatione ſancti illius apoſtoli Philippi, qui pro Dei gloria cruci affixus eſt, ſacroſanctam arborem crucis, in qua auctor humanæ redemptionis pependit Chriſtus dominus, tanto religioſius locis conſpicuis publice erigant, quanto inutilius olim profanas eas arbores frondeſcentes erexerint.

Atque in omni re hac efficienda, atque exequenda epiſcopus, ſi quando uſui erit, magiſtratuum etiam laicorum auxilium, opemque implorabit, prout expedire cenſuerit.

Sicut in anniverſariis ſolemnitatum ſanctioribus celebritatibus feſtivas canimus laudes, ſolemniuſque eccleſiaſtica celebrantes officia, modulamur organis: precioſiorique veſtium apparatu induimur; ita diligenter nos domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ ejus, curare debemus, ut quo ſpiritalis lætitiæ noſtræ manifeſtiora ſigna demus, divinorum beneficiorum, quæ iis potiſſimum ſolemnitatibus recolimus, memoria excitati, templa etiam ornatiora quam aliis diebus appareant, tum ad auguſtiorem cultum, tum ad fidelium conſolationem.

Itaque die natali domini, & reliquis quatuor deinceps feſtis diebus, in epiphania, paſcha reſurrectionis, in aſcenſione, tribus pentecoſtes diebus, in ſolemnitate corporis domini, feſtoque die ſancti patroni eccleſiarum cathedralium, collegiatarum, parochialium, præſertim inſignium, curet præfectus uniuſcujuſque eccleſiæ pro locorum ratione, proque facultatibus, ut januæ, quemadmodum veteris inſtituti eſt, uſuque Romano comprobati, & a beato Hieronymo laudati, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint, tum parietes interiores, atque intercolumnia, periſtromatis, aulæis, tapetibus, ſacrarumque imaginum tabulis exornata ſint. Quo in apparatu, ornatuque ſacræ imagines etiam in ipſis foribus adhibeantur. Inſignia vero, & alia profana abſint.

Quos dies feſtos epiſcopus in urbe, diœceſique ſua coli, ſanctificarique edixerit, ac præceperit, ii ab univerſis cujuſcumque ordinis regularibus, quavis ratione exemptis, colantur, ſanctificentur, atque obſerventur.

Dierum autem feſtorum, quos in ea urbe, aut diœceſi coli conſuetudinis eſt, ille tabellam conficiendam curet, quam, certo ſacriſtiæ loco affixam, iidem etiam regulares habeant.

Jejunia præterea, quæ certis præcipuis locis, ubi monaſteria illi habent, a reliquo clero, populoque univerſo obſervari moris conſuetudiniſve eſt, curet epiſcopus ut ipſi itidem, ſicut ceteri omnes, rite recteque colant, celebrent, atque obſervent.

Grave eſt, nec propterea ferendum, ut quibus diebus ſancta eccleſia ad jejunium animos fidelium, ad omneque pietatis officium excitare & accendere ſtudet, in iis maxime ſtulti homines operibus ſatanicis operam navent.

Quare corruptelam illam, quam in nonnullis provinciæ hujus urbibus, locisque inſignibus,

ANNO CHRISTI 1579.

bus, depravato uſu adhuc retineri accepimus, ut primis illis ſacri quadrageſimalis temporis diebus larvatorum hominum efficta ſimulacra incendantur, inanes nuptiæ fingantur, concurſationes nocturnæ, tumultuſque fiant, radicitus evellere cum maxime cupiamus, hoc decreto vetitum interdictumque ſit, ut ne quid tale in poſterum, neque quidquam aliud ejus generis religioſo illo tempore uſquam fiat, agatur, committaturve; nec vero agi, fieri, admittive permittatur, pœna iis omnibus & ſingulis, qui contra fecerint, interdicti propoſita, quam eo ipſo ſubeant. Parochus vero, in cujus parochiæ finibus id criminis, etiamſi a pueris ſolum, qui tamen doli capaces ſint, committi ſolet, primo in eam curam ipſe incumbat omni ſtudio, ut ne offenſiones hæ, peccataque id generis fiant. Deinde vero ſi occurrere nullo modo poterit, rem omnem in tempore, ſi in urbe eſt, ad epiſcopum, ſi in diœceſi, ad vicarium foraneum deferat, quo vel aliis rationibus, vel graviori pœna ejuſdem epiſcopi arbitrio, iis morum erroribus conſultum ac proviſum ſit omnino.

*Omnis ſacrorum temporum celebritas, cum ab epiſcopo ſingularem ſolicitudinem, tum a populo obſervantiam cultumque ei ſolennitati debitum plane depoſcit.*

Atque in iis quidem unum eſt, quod pie, religioſe, ſancteque coli a fidelibus maxime oportet, totum quadrageſimale tempus, virtutum Chriſtianarum diſciplinæ, atque exercitationibus dicatum; eſt enim plenum ſacris myſteriis, quodque non ſine myſterio magnam illam paſchæ reſurrectionis domini celebritatem, qua una omnium ſolennitatum dignitas, inquit Leo pontifex, conſecrata eſt, proxime præcedit. Fuit porro jejunium quadrageſimale a Chriſto domino dedicatum, & ab apoſtolicis uſque temporibus in univerſa eccleſia Dei religioſe obſervatum perpetuo: atque ita quidem, ut qui in quadrageſima, quemadmodum olim canone Toletano cautum fuit, neglexerit, contempſeritve quadrageſimalis abſtinentiam, jejuniive diſciplinam, prohibitiſque cibis illam violarit, is non ſolum reus cenſeretur reſurrectionis dominicæ, ſed etiam alienus fieret ab ejuſdem diei communione, ac præterea toto illo anno carnium eſu abſtineret. Quare, ut tempus hoc ſacrum tamque religioſum, in quo colendo, ſancteque obſervando, veterum pietas mirifice admodum eluxit, a provinciæ noſtræ fidelibus, majoris obſervantiæ ſtudio, abſtinentia, jejuniis, eleemoſynarum largitionibus, oratione, continentia, carnis maceratione, omnique ſalutaris pœnitentiæ diſciplina colatur; hæc ut infra ſancimus atque edicimus, præter ea quæ ſuperioribus conciliis ſancita & conſtituta ſunt.

Serm. 10. de quadrageſima.

Concil. Tolet. VIII. c. 9.

Quæ omnia & ſingula epiſcopus curet, ac efficiat, ut vulgari ſermone reddita, quotannis die dominico, quadrageſimæ initium proxime antecedenti, populo in omni ſua diœceſi proponantur, edicantur, ac promulgentur: ita tamen, ut iis ipſis ab illo pro arbitratu ſuo addi liceat.

Omnis igitur, quem urgens neceſſitas, vel imbecilla ætas a quadrageſimali lege non eximit, quocumque etiam gradu, ordine, poteſtate, dignitateve præditus ſit, carne, ceteriſque omnibus, quæ, ut concilio provinciali primo ſtatutum eſt, a carne originem trahunt, utpote ovis, lacte, caſeo, butyro, & aliis id generis, toto quadrageſimæ tempore, abſtineat, iis exceptis, quos ob juſtas cauſas epiſcopus, aut illi, quibus eam curam ipſe delegarit, facultate, ut infra, eaque ſcripta ſpeciatim excuſarint.

Omnis præterea quicumque ſit, qui jejunii lege adſtrictus eſt, ſingulis quadrageſimæ diebus, dominicis exceptis, jejunium ſervet: alioqui enim peccato mortali alligatum ſe eſſe noſſe debet.

Nec cibi vetiti, ad ægrotantium, imbecilliumque hominum uſum paſſim venales publice exponantur, ſed certis tantum conſtitutis locis.

Ne tabernarum valvis omnino patentibus, ſed magna parte clauſis, vendi liceat.

Ne in foro, aut in via publice unquam exponantur, ne a ruſticis quidem, aliiſve cujuſvis generis hominibus.

Neque paſſim item ab omnibus vendi fas ſit, ſed ab iis ſolum, quibus facultatem, literis exaratam, epiſcopus permiſerit.

Nec vero omne carnis genus ab iis vendi liceat, ſed vitulinum, aliudve, quod uſui ſit ægrotantium corpori.

Neque omnibus vendatur licet, ſed iis ſolum, qui ſcriptam ab epiſcopo facultatem habuerint. Quæ facultas, etiam nullo tempore præfinito data, tunc plane extincta ſit, cum primum cauſa, ob quam data eſt, ceſſarit. At vero ſi decem dierum ſpatio diuturnior cauſa erit, iterum ea facultas impetretur: alioqui reſciſſa ſit. Idem deinceps decimo ſaltem quoque die fiat, quamdiu opus erit.

Nec vero ſine ea ſcripta facultate, ac ſigillatim nominatimque data, caupones, tabernarii, & alii, qui cœnaculariam faciunt, eos vetitos in quadrageſima cibos vendant, venaleſve exponant, etiam hoſpitibus, peregrinis, viatoribuſve, quales ſint. Nec vero eos menſæ apponant.

Nec præterea illos, alio loco coctos, condimentiſve apparatos, non modo in caupona, taberna, hoſpitiove ſuo, aut loco, curæ ſubjecto, comedere cuiquam permittant, ſed ne aliunde quidem apportari, nedum in menſa apponi patiantur.

Quicumque vero contra ſanctionis hujus capita quidquam contra fecerit, is pœnis, mulctiſve, in locorum piorum uſum erogandis, & cenſuris, aliiſque canonum jure, pontificiis conſtitutionibus, omnique alio modo contra quadrageſimæ violatores, ſancitis pœnis, vel aliis, quas pro perſonæ ratione, & culpæ, contumaciæve gravitate epiſcopus arbitratu ſuo irrogandas cenſuerit, afficiatur.

Sacro præterea quadrageſimæ, & aliorum jejuniorum tempore, quæ religioſe olim a Chriſtianis hominibus præſtita eſſe, & ſanctiſſimi pontifices, & graviſſimi eccleſiæ patres, & canonum decreta oſtendunt, ut ea, pro gloria Chriſti domini, proque ſtudio ſalutis animarum, in quo quiſque, adjutrice Dei gratia, omni ſanctarum actionum, ſpiritualium exercitationum, & ſalutarium operum contentione, ut maxime poteſt, elaborare debet, a fidelibus provinciæ noſtræ præſtentur, dominum omnipotentem ſuppliciter exoramus, & illos omnes vehementiſſime cohortamur ac monemus.

Atque ea quidem, hæc ſunt, & quæ exequenda ſuum quiſque populum parochus, & concionatores item, ut occaſio tulerit, omni verborum vi ſanctiſſima, omnique ſuaſione accendant.



ANNO CHRISTI 1579.

Primo iis quadrageſimalibus, aliiſve jejunii, pœnitentiæ, & publicæ ſupplicationis diebus, fideles ſe vitæ diſciplina ſeveriori adſtringant: ſanctiſque inſtitutis, & moribus, ſacro illi tempori convenientibus, ſe, ſuoſque qui patresfamilias ſunt, quam rectiſſime in omnes partes conforment.

Precioſas veſtes non induant, ſed amictum, ſi non humilem & demiſſum omnino, at cum pœnitentiæ, jejuniique tempore congruentem.

Simultatem, odium, inimicitias, rixas deponant, pacem cum omnibus concilient.

Carnis vim, & impetum, non modo religioſa abſtinentiæ, jejuniique lege, ſed cilicio, & verberationis diſciplina coerceant, & humi aliquando cubent, ut a piis etiam laicis factum eſſe memoriæ proditum eſt.

Cum autem id olim obſervatum ſit, ut per totam quadrageſimam ab uxore fideles abſtinerent, ad Eliberitani canonis præſcriptum; meminerint, qui matrimonio juncti ſunt, ſtudendum ſibi, ut eo ſacro tempore, mutuo conſenſu, diebus ſaltem dominicis abſtineant, ut hoc de genere ſanctiſſimi pontificis Nicolai primi extat reſcriptum.

Omni tempore a jocis Chriſtianum hominem abſtinere convenit, ac quadrageſimæ, ac jejunii tempore tanto diligentius, quanto frequentius ſtudioſiuſque orationi, abſtinentiæ, omnique pœnitentiæ generi incumbendum eſt. A jocis igitur, a verborum ſcurrilitate, a colloquio inani, otioſo, longeque cautius a noxio & criminoſo ſe continere ſacro pœnitentiæ tempore ſtudeat, ut pontificio, apoſtolicoque illo reſcripto cavetur.

A venationibus item, ut eodem reſcripto continetur, abſtineat idem eo ipſo quadrageſimali tempore, quo neque carne veſci, neque adeo carnalia conſectari licet.

Ciborum quadrageſimalium ſuavitates ac delicias ne exquirat; nec multiplici epularum apparatu menſam exſtruat, ſed frugalem parſimoniam adhibeat.

Convivia autem in quadrageſima non condicat, nec vero apparet, ne dominicis quidem diebus, ut idem Nicolaus pontifex reſcribit.

In orationis ſtudio frequentior ſit: dolenter peccata, & ſua, & aliena lugeat: pro quibus Dei miſericordiam omni pietatis, pœnitentiæque officio imploret.

Eleemoſynas, cum per facultates poteſt, uberiores pauperibus, egentibuſque in ſuſtentationem conferat; in aliaque pietatis officia, atque opera liberali caritate eroget.

Oblationes offerat largiores.

Frequentius ad eccleſiam conveniat; pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, precumque divinis officiis, omni attentione, & religioſa meditatione aſſiſtat.

Miſſæ ſacrificio quotidie interſit, alia omni negotiatione poſthabita.

Divinis colloquiis, ſacriſque concionibus præſens adſit.

Moneatur, ut vitæ ſanctitati ita incumbat, ut ſingulis dominicis ſaltem diebus confeſſus, ſacram euchariſtiam ſumat, ſi ſingulis diebus non poteſt; id quod olim in conſuetudine uſque fuiſſe ex ejuſdem Nicolai pontificis reſcripto liquido conſtat.

Ægroti, cum per invaletudinem corporis jejunare non poſſint, quodam intimo animi dolore gemituque, ut ſanctus Auguſtinus monet, cibum capiant, pro eo quod aliis jejunantibus ipſi abſtinere non poſſint.

Caveant autem, quod alio provinciali concilio ex ejuſdem ſancti Auguſtini ſententia cautum eſt, ne alios ſuo exemplo ad violandum jejunium provocent.

Nihil non aggrediuntur, atque omni actu ſemper agunt hoſtes fidei catholicæ, ut impietatum ſuarum virus diſſeminent; venenataſque ſuas voces in omnium aures infundant. Eccleſiæ igitur paſtoribus omni quo maximo poſſunt ſtudio elaborandum eſt, ut cum omni tempore ac diligenter, tum in quadrageſima, verbi Dei prædicatione, tamquam pabulo vitæ, fideles nutriantur, atque confirmentur.

Quamobrem quod multis hujus provinciæ locis, & aliis bene inſtitutis civitatibus antiqui, religioſique inſtituti eſt, ut eo quadrageſimali tempore, quo frequentiſſimi fideles ad prædicationem conveniant, nullæ neque tabernæ, neque officinæ patentes uſquam ſint, dum concio ſacra habetur, id quod ſanctiſſimæ conſuetudinis eſt, ut perpetuo retineatur, omni officio epiſcopi omnino efficiant: ubi vero hoc ipſum vel intermiſſum, vel in more poſitum non eſt, ut ad uſum inducatur, atque adeo reſtituatur itidem curabunt epiſcopi.

Parochi hebdomada, quadrageſimæ initium proxime præcedente, populum, curæ ſuæ commiſſum, ad ſe convocent: tum hæc cum illo graviter, ſolliciteque agant, prout antiqui, religioſique inſtituti & conſuetudinis in eccleſia ſancta fuit.

Ut canonica auctoritate reconcilient, ſi quos in eo diſſidentes ſcierint, diſſenſionum ſemina extirpare ſtudentes.

Concubinarios homines ab illa peccandi libidine, ut maxime poſſunt, revocent: proinde ſanctiones epiſcopales, eo de genere hominum editas, cum de ſcripto legant, tum communi ſermone planius explicent.

Singulos denique a Chriſtiana vivendi via aberrantes, ad ſemitam juſtitiæ & ſalutis ſtudioſe perducant.

De humilitate, patientia, caſtitate, benignitate, miſericordia, eleemoſynis, pœnitentia, ceteriſque Chriſtianæ religionis virtutibus omnes accurate commonefaciant, ut Cabilonenſis concilii canone pie utiliterque cautum eſt.

Rurſus vitia, & crimina, pro quibus homines, ſicut ejuſdem concilii verbis expreſſum eſt, cum diabolo deputantur, deteſtanda, fugienda, atque adeo abjicienda omnino illa quidem curent, atque in iis, quæ ab apoſtolo commemorantur, fornicatio ſcilicet, immunditia, luxuria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, ebrietates, comeſſationes.

## IV.

### *De votis.*

Si quando ob calamitatem imminentem, aliamve cauſam, a populo, vel ab univerſitate, vel a vicinia parochiali votum Deo fieri deliberandum eſt, ut de hoc genere toto

quam

quam rectiſſime ſtatuatur, parochus epiſcopum, ad quem præſertim in gravi, quæ ad ſpiritua-les res pertineat, deliberatione, confugiendum patres conſueverunt, etiam per literas, ubi opus eſt, conſulat: de cujus ſententia formula voti rite concipiatur. Si vero aliquando temporis anguſtia non patiatur, id quod in peſtilentia evenire aliquando ſolet, ut ille conſuli non poſſit, ſum populo agat, ut votum nuncupetur: at ſane quæ ſpeciatim ad illius recte exequendi modum pertinere poſſunt, eæ rationes omnes in ipſa voti nuncupatione, epiſcopi ſententiæ, judicioque relinquantur; quo ſanctius religioſiuſque voti nuncupati ratio omnis ad executionis uſum perducatur. Caveat item parochus, rectorve eccleſiæ, ut univerſitatis conſenſu, atque omni alia opportuna, neceſſariaque ratione votum nuncupetur, ut firmum, ratumque ſit, ac proinde ab univerſis, quorum intereſt, pie obſervetur atque præſtetur.

Quo præterea, & ardentiori pietatis ſtudio ad illud nuncupandum, & vehementiori ſolicitudine ad idem rite exequendum populus incendatur; hoc præterea parochus curet, ut in voti nuncupatione ſtatæ tum præparationes, tum etiam ceremoniæ adhibeantur omni externæ pietatis, ſanctique cultus ratione, & ſignificatione, in eum qui ſequitur modum:

Primo igitur, ut illius univerſitatis adulti omnes, quo die votum fiet, antegreſſa peccatorum confeſſione, ſacram communionem ſumant, curet idem parochus omni cohortatione.

Pridie etiam diei, quo votum nuncupabitur, ſub veſperum campanarum ſono ſignum detur: quo populus excitatus, ad eccleſiam frequens conveniat, ubi poſtridie illud publice, ſancteque nuncupet.

Videat vero, ut in eccleſia parochiali, primariave, ad altare majus nuncupetur.

Ubi populus convenerit, proceſſio voti cauſa de more agatur.

Miſſarum ſolennia, proceſſione peracta, a parocho rectoreve eccleſiæ eo nomine celebrentur.

In qua miſſæ celebratione de voto concio habeatur, ac de ejus cauſis, tum exponantur rationes, quibus ſanctiſſime devincti, qui voverint, votum quam diligentiſſime præſtare debent.

Huic actioni omnes parochialis viciniæ, aut opidi locive ſacerdotes, & clerici interſint. Parochus autem, aliuſve ſacerdos, qui miſſarum [illegible] eo nomine celebrat, cum offertorii [illegible] qui univerſitatis nomine delecti [illegible], [illegible] formulam in conſpectu Dei de ſcripto ſibi rite diſtincteque pronuntiari mandet. Quod illi genibus flexis ſupplices præſtent. Deinde cum celebrans ipſe corpus, & ſanguinem domini in miſſa ſumpſerit; tum qui præparati acceſſerint, eiſdem ſacram communionem miniſtrabit.

Voti nuncupati inſtrumentum, notarii manu confectum, auctoritateque munitum, ad epiſcopum menſis ſaltem ſpatio afferatur, ut in archivo epiſcopali aſſervetur perpetuo. Cujus inſtrumenti etiam exemplum, ejuſdem notarii teſtificatione fideque roboratum, in eccleſia illius populi, univerſitatiſve, quæ vovit, ut diligentiſſime poteſt, cuſtodiatur ad perpetuam [illegible]

Utque voti, cujus executio in perpetuum præſtanda ſit, monimentum in conſpectu omnium extet; idem curet, in tabella lapidea votum, votique cauſam, & conditiones inciſi, eamdemque loco eccleſiæ conſpicuo, atque illuſtri collocari, atque parieti agglutinari.

Ubi autem, cum votum nuncupatur, præſcripta ratio, ac ceremoniæ, ob peſtem, aliamve cauſam neceſſariam præſtari non poſſunt, tunc omnino eas præſtari curet parochus, ubi primum poterunt.

Hanc omnem rationem, tum celebriores etiam ritus, ceremoniaſque adhiberi epiſcopus curet, ſi civitatis ipſius populus votum nuncupare deliberarit.

*De oratione ante operis inchoationem.*

Non decet Chriſtianum hominem, opus aliquod ante ſuſcipere aggredive, quam Dei auxilium religioſis precibus imploret. Dixit enim dominus; *Sine me nihil poteſtis facere*.

Parochus igitur, cujus eſt populum ad optima quæque inſtituta erudire, concionator item illum, prout uſuvenerit, cohortetur, ac moneat, ut neque publice, neque privatim quidquam aggrediatur, niſi primo ſanctis precibus Deo adhibitis.

Neque cibum ſumat, antequam ſtata prece benedicat. Poſt cibum item, domino gratias precatione agat. Id enim a nobis expectat, qui nos paſcit Deus, ut pro præſtitis ab eo ofcis illi gratias referamus, & ſaturati donis ipſius, laudes ei dicamus; inquit ſanctiſſimus pater noſter Ambroſius.

## V.

*De indulgentiis, & ſacris reliquiis.*

Ne cuivis rectori eccleſiæ, etiam exemptæ, quovis modo, neque alii ordinis regularium, neque cuiquam ſcholæ, confratriæ, etiam roſarii, & cruce ſignatorum, locive pii collegio, prætextu, cauſave vel privilegiorum, etiam antiquorum, vel indulgentiarum, quas ſibi quovis modo confratriarumve urbis Romæ habet, liceat illas ipſas in ſuis eccleſiis promulgare, ſed ut decreto Tridentino cavetur, per epiſcopum adhibitis duobus de capitulo illæ quotannis ſtato tempore publicentur, atque evulgentur.

Eleemoſynæ item, atque caritatis ſubſidia, quæcumque eo nomine, occaſioneve a fidelibus offerentur, per eos ipſos colligantur; & eccleſiæ, locove, cujus cauſa indulgentia conceſſa eſt, omnino attribuantur, idque gratis ac nulla prorſus mercede.

Ne indulgentiarum literæ, inſcriptioneſve, earum nomine exaratæ, eo loco, ubi capſa ad eleemoſynam colligendam apparata eſt, etiam extra eccleſiam, proponantur, affigantur ve, ſed vel in altari majori, vel in alio, ubi indulgentiæ cauſa ſtatio, oratiove conſtituta eſt. Ac proinde ſtatis iis diebus, quibus epiſcopus indulgentiam promulgandam decreverit, cum fideles ad eleemoſynam eccleſiæ, locove pio tribuendam, ubi illius indulgentiæ celebritas agitur, parochus, concionatorve excitabit, doceat ſimul diligenter, ejus conſequendæ cauſa non eſſe neceſſario præſtitutam eleemoſynæ largitionem; ut cæleſtem cum eccleſiæ theſaurum, ſpiritualiaque munera, gratoni omnes





omnes intelligant, non ad quæſtum, ſed ad peccatorum ſatisfactionem, & ad pietatis exercitationem.

Si vero aliquando epiſcopi conceſſu capſa, in quam eleemoſyna fidelium conjiciatur, palam ponatur; intus in eccleſia, loco longe ab altari, ubi indulgentiæ ſtatio agitur, decore collocetur: de eleemoſyna vero ſervetur ratio ſupra præſcripta.

Ne ſacræ reliquiæ, in eccleſia, ejuſve ſacriſtia reconditæ, e loco, ubi aſſervantur, ad ægrotos ullo modo exportentur, ne conſuetudinis quidem prætextu.

## VI.

*Quæ ad ſacramentalia, & ſacramenta generatim pertinent.*

Die ſacro purificationis beatiſſimæ Mariæ virginis, uſus, rituſque benedictionis candelarum, cereorumve, cum plenus myſteriorum eſt, tum ſalutarium utilitatum: quas non ſolum ex orationibus, quibus eccleſia in ea benedictione utitur, ſed ex omni rituali libro probato parochus, concionatorve, eo ipſo die fidelibus ſtudioſe exponat, quo religioſius illas & geſtent & habeant.

Nam cum illius benedictionis precatio ad alia multa referatur, tum ad hæc in primis; ut candelæ valeant ad ſanitatem animæ, & corporis, terra, marique.

Ut de locis, ubi accendentur, dæmon, & quidquid dæmonis ars molitur, machinaturve, depellatur.

Ut mentes, & corda fidelium, igne, & ſplendore ſancti Spiritus accendantur, illuſtrenturque; ac depulſis vitiorum tenebris, videant quæ ſint Deo grata, & ſaluti utilia.

Ut ignis caritatis, cum lumine fidei, in animis accendatur, quo ad lumen æternum vitæ cæleſtis perducamur. Hæc ſibi omnia a Chriſto domino, qui eſt Deus verus, & ſplendor lucis æternæ, ſibi concedi precantur interceſſione, & ſanctiſſimis meritis beatæ Mariæ virginis, quicumque fideles in illius honorem candelas, quibus benedictionis preces eo die adhibitæ ſunt, devote geſtant.

Sacrorum cinerum uſus in eccleſia Dei antiquiſſimus eſt, ac non ſolum ad ſignificandam, ſed ad excitandam etiam pœnitentiam introductus. Quare epiſcopus, parochus, & concionator die dominico, qui feriam aſperſionis cinerum proxime præcedit, populum ſalutares eas utilitates doceat, quas in eorum benedictione multis orationibus eccleſia petit. Atque hæ quidem præter ceteras ſunt:

Ut fideles, qui ſacro cinere aſperguntur, ad intimam cordis humilitatem adjuventur.

Ut in eos benedictio cæleſtis deſcendat, qua adjuti, vere intimeque toto animo peccata doleant: hoc mente ſecum reputantes, ob hominis peccatum terram maledictam fuiſſe, noſque omnes in cinerem, ac terram redituros.

Ut detur corporis valetudo ad pœnitentiam peccatorum peragendam.

Ut anima divino auxilio protegatur.

Ut a Deo impetremus, quæ ad illius voluntatem petimus.

Ut conſtanti animo in bene agendo perſeveremus.

Hæc bona, quæ mater eccleſia pro ſacrorum cinerum ritu a divina benignitate precatur, ut pie fideles conſequantur; parochus illos eo ipſo die moneat, quam religioſa intimi animi pietate, quam humili, contritoque corde, quam humili, demiſſoque veſtitu ad eam actionem conveniant, quamque ſerio ſecum ſtatuant, illos jejunii dies in amaritudine animæ ſuæ traducere ad peccatorum ſatisfactionem.

Hoc aſperſionis cinerum myſterium epiſcopus ſtudeat potiſſimum in cathedrali, propriave parochiali eccleſia ab unoquoque ſuſcipi.

Sanctiſſimi præterea, & antiquiſſimi inſtituti in eccleſia Dei eſt, die dominico, paſcha reſurrectionis domini proxime antecedente, ramos palmarum, & olivarum, ſolennibus precibus benedici, ac fidelibus tradi, qui geſtent, domique religioſe atque decenter aſſervent. Et ſicut ritus is & inſignem illum Jeſu Chriſti domini ingreſſum ad urbem Hieroſolymam, & triumphum illum commemorabilem ſignificat, quem paſſione, & morte ſua ſuperatis hoſtibus, idem dominus reſurgens reportavit, ita aliis etiam myſteriis plenus, a parocho, & a concionatore explicetur, quo ardentius ad religionem illius fideles accenſi, ſpirituales fructus capiant, quos a Deo eis eccleſia precatur; ſuntque hi præſertim:

Ut accipiant mentis, corporiſque vim ad ſalutis opem Deique gratiam implorandam.

Ut quemadmodum rami foliis virent, ita opera noſtra, & juſtitia, & omni virtute ſancta quam ornatiſſima ſint.

Ut ſicut populus Hebræus Chriſto cum ramis obviam factus, una cum eo Hieroſolymam ingreſſus eſt, ita nos ſanctiſſimis officiis, atque piis operibus domino obviam procedamus, illiuſque veſtigia ſecuti in cæleſtem patriam eo auctore & duce recipiamur.

Ut veluti Chriſtus dominus de ſatana hoſte cruce ſua triumphavit; ſic nos quam ſæpiſſime id miſericordiæ opus animo ita repetamus, ut Chriſti amore incendamur ad pugnam, & ad victoriam de dæmone, carne, & mundo reportandam.

Ut quocumque hi rami introducentur, ejus loci incolæ benedictionem Dei conſequantur, omnique re adverſa propulſata, virtute altiſſimi defendantur.

Has & alias ſalutares utilitates parochus, & concionator fidelibus exponat: ut, qua debet pietate, religioſoque animo ſacros ramos capiendo, geſtando, & aſſervando, ita dominum precentur, ut & per paſſionem, mortemque ſuam, qua dæmonem fregit, ac ſuperavit, & per miſericordiam illam immenſam, qua id egit, non ſolum corpora a malis tueatur, ſed animæ gratiam ſuam cæleſtem infundat; ſicque ipſi multis virtutibus, boniſque operibus florentes, Chriſtum dominum ſequantur: hoſtibuſque omnibus ſuperatis ad gaudia cæleſtis Hieroſolymæ introducantur.

Bini omnes ad candelas, & rurſus ad cineres capiendos accedant, ad palmas etiam, ramoſque olivarum ſuſcipiendos, ſine ſtrepitu, ac tumultu, ſed religioſo ſilentio.

Qui extra ordinem acceſſerint, a miniſtris ejiciantur, neque digni ſint, qui ſacrorum ramorum tunc participes ſint, niſi aliud epiſcopus cenſuerit.

Sanctiſſimi item, veteriſque inſtituti eſt, a ſummo pontifice formas illas cereas, quas agnos

ANNO CHRISTI 1579.

agnos Dei, a figura impreſſa vocamus, ſolenni bendictionis ritu, multiſque religioſis ceremoniis non ſolum primo, ſed ſeptimo quoque pontificatus anno conſecrari. In quo conſecrationis munere, ſicut ille Chriſti vicarius; cujus oratio tanto majoris eſt momenti, quanto ejus officium in eccleſia ſublimius, & cum eodem Chriſto domino conjunctius, multa ſancte precetur a Deo illis concedi, qui animo pio, devotoque eos agnos apud ſe habuerint: ita a fidelibus magna devotione iidem geſtandi ſunt, ad eoſque uſus religioſe adhibendi, ad quos ſacræ preces ex eccleſiæ inſtituto referuntur. Quare decreto concilii provincialis tertii, quod ex conſtitutione ſanctiſſimi pontificis Gregorii XIII. de illis minio non inficiendis cautum eſt, hæc etiam adjungenda cenſuimus;

1. Kal. Junii 1572.

Primo cum illi domi aſſervantur, ut piæ conſuetudinis eſt, loculo decenti recondantur: cum autem collo appenſi geſtantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, cryſtallinamve, aut alterius generis decentis, recte incluſi ſint; ita ut tactu violari non poſſint.

Nec vero ad ornatum habeant quidquam, quod profanum ſit, quodque minime deceat.

Thecarum fabri ne ullo modo eos tangant, attrectentve, ne chirothecis quidem, forcipe, aut ullo alio inſtrumento: ſed ad eos thecis includendos clericus, in ſacris conſtitutus, adhibeatur. Ne minimam item particulam ſacræ illius ceræ, e qua agni imago efficta eſt, in eis includant, quo pluris opus ſuum vendant; ſed ab eo accipiant, qui thecam agni cauſa faciendam locarint.

Neque autem quiſquam ſacrum illum agnum annulo geſtet; cum ita parum religioſe geſtetur, ut aliqua fœditate, turpive tactu violari facile queat.

Qui ſacros agnos geſtant, hoc religioſius caveant, ne quid impure turpiterve agant, aut a ſacra ejuſmodi re alienum.

Nec præterea in agri campum hi agni projiciantur, nec vero cuiquam arbori affigantur: neque e ramis ſuſpendantur: ſed, quod antiqui eſt inſtituti, eorum cera adoleatur ad ſuffumigationem in agris vineiſque ob imminentem tempeſtatem, aliaſve diabolicas illuſiones depellendas.

Veterem illum ædibus atque ædificiis benedicendi morem, ritumque ex ſanctæ eccleſiæ inſtituto introductum, ac decreto provinciali, quod in concilio quarto confecimus, reſtitutum, ut parochi, & reliqui animarum curatores, ad quos religioſæ illius benedictionis munus pertinet, pie ſancteque obſervent, & laici, quorum ædificiis, domiciliiſque benedicendum eſt, ſpiritualia inde commoda uberrima in domino capiant, hæc in illis benedicendis ratio ſit.

Primo parochus hujus benedictionis munus aggrediatur pio voluntatis propoſito, & quo debet religionis officio.

Pridie autem illius diei, quo benedicendi munus aggreditur, præcipuo ſanctæ precationis ſtudio, & aliquando jejunio ſe parare curet.

Quo item die ad benedicendum aggreditur, antequam aggrediatur, miſſæ ſacrificium celebrare ſtudeat: in quo ob hanc cauſam orationem de Spiritu ſancto pie recitet.

Ne ædibus benedicat, ubi aliquis excommunicatus habitet,

Nec vero illis, quas feneratores, meretrices; publici peccatores, manifeſtoque criminoſi homines incolunt.

Neque iis item, ſi quæ aleis, ludiſque vetitis publice expoſitæ ſunt.

Ne noctu, ſed interdiu benedictionem peragat.

Ritu utatur ad præſcriptum formulæ, quæ in libro ſacerdotali, ritualive concepta, extat.

Dum ad benedictionis munus accedit, in eoque verſatur, ſuperpelliceo, & ſtola utatur.

Clericus adſit, qui crucem in via, & in benedictionis miniſterio præferat.

Alter item, qui aquæ benedictæ vaſculum cum aſpergillo ferat.

Ceteri ſacerdotes, & clerici, ſi qui alii adſunt, ordine diſtincti, bini præcedant, & ſuo quique ſuperpelliceo de more induti.

Benedictionis hujus cauſa, occaſione, nihil plane quidquam, vel minimum, neque is, neque ſacerdotes, clericive, quos ſibi ſocios, adjutoreſve junxerit, petant, exigant, ac ne ſponte quidem, ultroque oblatum, donove datum capiant.

In hoc benedictionis officio ne omittat, ex inſtructionum præſcripto, conciliique provincialis decreto, patresfamilias docere, recteque erudire ad optimam familiæ educationem. Cujus etiam rei argumentum ſatis amplum habebit ex ſtatis illis religioſis precibus, & orationibus, quæ adhibentur.

Paterfamilias autem, cujus ædibus, domiciliiſve benedicetur, pie ſe præparabit ad eam ſancto deſiderio ſuſcipiendam.

Ideo ante familiam ſuam recte recognoſcet, monebitque univerſos & ſingulos ad præſcriptum regularum, quæ de Chriſtiana familiæ inſtitucione editæ ſunt.

Amoveri curabit quæcumque domi ſuæ ſunt, Chriſtianæ familiæ inſtituto indigna, quæque Dei oculos offendunt.

Libros de rebus obſcœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhoneſtis, ceteriſque id generis, inflammari curabit.

Libros de vitæ religioſæ, ſpiritualiſque inſtitutis, atque exercitationibus introducet.

Imagines obſcœnas, & turpes incendat: profanas vero, quæque ad inanem voluptatem alliciant, amovori ſtudeat.

Sacras Chriſti domini, beatiſſimæ virginis Mariæ matris, & ſanctorum præſertim imagines, quos patronos habet, ubique domi ſuæ locis honeſtis ſtatuat.

Teſſeras, aleas, aleatoriaſve tabellas, pictaſque ad aleæ ludum pagellas, procul abjicere curet.

Sacram communionem in parochiali eccleſia ſimul eo die ut ſumant omnes de familia ſua, procuret.

Sacerdoti, ad benedictionis munus accedenti, obviam, vel ad eccleſiam, vel ad primariam ædium januam ſimul cum tota familia procedat, earumdemque benedictionem omni domus loco proſequatur religioſo pietatis ſtudio.

Dum ſacerdos benedicit, nemo domi, vel in officina, cui benedicitur, quidquam ſervilis mundanive operis faciat.

Ne minoris ordinis clericus, alio, qui majore ordine initiatus eſt, præſente, menſæ benedicat: ſed hoc munus ſit, vel ſacerdotis, vel illius, qui majoris ordinis clericus præſens in menſa adeſt,





ANNO CHRISTI 1579.

Ut ſanctiſſimis ſacramentis debitus religionis cultus, etiam externus, ab iis tribuatur, qui ea ſuſcipiunt, ne epiſcopus, parochuſve patiatur, quemquam ad illa ſuſcipienda accedere, niſi exteriori quoque habitu, veſtium modeſtia debitam illis venerationem, ac reverentiam præ ſe ferat.

Illud in ceteris parochialis curæ officiis maxime a parochis requiritur, ut ſanctiſſima ſacramenta, quæ divinæ gratiæ inſtrumenta, ad ſanctificandas animas a Chriſto domino inſtituta ſunt, non ſolum pure, ſancte, religioſe ipſi tractent, verum etiam ritus, ac cæremonias teneant, atque adhibeant, quæ in illis adminiſtrandis ſanctæ eccleſiæ inſtituto, atque uſu comprobatæ ſunt. Et quoniam liber ritualis ſacramentorum, qui una, & eadem certiſſima cæremoniarum regula conſtet, quique omni ex parte abſolutus ſit ad ſanctam illam adminiſtrationem, in provincia noſtra nullus fere extat; nos propterea jubemus, librum eo de genere, reverendiſſimi Dominici Bolani epiſcopi Brixiæ juſſu jam pridem confectum, a viris peritis, quos delegerimus primo recognitum, & neceſſariis aliis partibus auctum, ab omnibus, ac ſingulis ſacerdotibus provinciæ noſtræ, qui ritu Romano ſacramenta miniſtrant, hujus decreti provincialis auctoritate, cum primum noſtra cura typis in lucem prolatus erit, ad uſum recipi, atque adeo introduci, ut in ſacramentorum adminiſtratione cæremoniis, & ritibus, eo libro præſcriptis, utantur, neque ullis præterea aliis. Id vero tamdiu, quoad ritualis liber Romanus emittetur.

## VII.

### *Quæ ad baptiſmum pertinent.*

Nemo, niſi parochus, aut is, cui ille, epiſcopuſve nominatim conceſſerit, in baptiſmo miniſtrando ſtatas ſolennes cæremonias adhibeat, etiamſi ob neceſſitatem miniſtret. Quo in miniſterio non alterius cujuſquam, ſed albi coloris ſtola utatur.

In baptiſmo etiam compater ne ſit, qui ſacro chriſmate confirmatus non eſt. Eademque de commatre cautio ſit. Proinde parochi erit, ſtudioſe de hoc ante perquirere.

Ne præterea compater adhibeatur, neque in confirmationis ſacramento item, qui minor natu ſit quatuordecim annis, ſed qui major, vel potius ætate ſit provectiori, ut non ore ſolum, ſed animo, atque ſerio ad interrogata, quæ in baptiſmo fiunt, reſpondeat, ac plane intelligat ſuſcepti a ſe muneris partes.

Ne ante ortum; nec vero poſt occaſum ſolis baptiſmus in eccleſia miniſtretur, niſi aliter fieri aliquando temporis ratio neceſſitaſve cogat.

Quoniam in baptiſmo unuſquiſque pie, ac religioſe pollicetur, operibus ſatanæ renuntiare, ejuſque pompas deſerere, id parochus, cum uſuvenerit, populum doceat, præſertimque baptiſmi tempore præmoneat, non ſolum quomodo, & quam ſimplici amictu ad illum infans deferendus ſit, ſed quam religioſa in Deum pietate, quam humili ſpiritu, & quanta etiam veſtitus moderatione compatres, commatreſve adeſſe debeant.

Ne vero ullum vel ornamentum, vel aliud quidquam, quod mundi hujus pompam præ ſe ferat, adhiberi patiatur: cum minime conſentaneum ſit, in ipſo vitæ Chriſtianæ ingreſſu ſtatim iis rebus ſtuderi, quibus potiſſimum ſolenni ſponſione renuntiatur:

In baptiſmo parochus, ſacerdoſve baptizans præſentem adeſſe non patiatur neque Judæum, neque denique alium quempiam a fide Chriſtiana averſum.

Fideles vero, qui præſentes adſunt, pie, religioſe, omnique animi attentione adeſſe ſæpe moneat, memoria tacite, ſtudioſeque repetentes, quæ Deo, cum baptiſmum ipſi ſuſceperunt, ſancte ſpoponderunt.

Si duo, pluresve infantes offeruntur, qui eodem tempore baptizentur, eorum unicuique catechiſmum, exorciſmum, & reliquas ſtatas cæremonias, baptiſmumque parochus ſigillatim miniſtret, atque adhibeat.

Cum duo infantes, mas ſcilicet, & femina, ad baptiſmum offeruntur; is ordo ſervetur, qui antiquiſſimi ritus eſt mari primum, deinde feminæ miniſtretur; niſi neceſſitas aliter cogat. Idemque ſervetur, ſi plures offeruntur, partim mares, partim feminæ.

Ad aquam baptiſmalem, quæ capiti illius infunditur, qui baptizatur, eamve excipiendam, qua ſacerdotis manus, ſacro oleo illitæ abluuntur, pelvis ne adhibeatur, quæ eccleſiæ tantum uſui addicta non ſit.

Libris ritualibus, canonumque legibus permulta tradita, atque explicata ſunt, quæ in adultis baptizandis adhiberi, ritus poſtulat. In iis omnibus epiſcopus cum diligens erit, tum magnam in eo curam ponet, ut illis præter doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, quæ neceſſario ſcire debent, admiſſorum ſcelerum, & male actæ vitæ pœniteat, tum ut iidem in poſterum a peccatis omnibus abſtinere ſtatuant. Vix enim ulla alia cauſa eſſe poteſt, quamobrem qui adulti baptiſmum ſuſcipiunt, non modo ullam in Chriſtianis virtutibus progreſſionem faciant, ſed plerumque flagitiis nefariis inquinati, præcipites ad perniciem, interitumque ruant, præter eam unam, quod non ita, ut par eſſet, affecti ipſi, nec vero ab aliis exculti, ad tantum ſacramentum accedunt.

Quod vero, licet horribile dictu ſit, aliquando tamen eveniſſe compertum eſt, aliquem ſcilicet ad turpem quæſtum iterum baptiſmum ſuſcepiſſe; id ne unquam porro accidat; epiſcopus antequam baptizet, omne diligens ſtudium adhibeat quo iſtos homines, vel Judæos, vel Turcas, Mauroſve, qui baptiſmum ſibi conferri petierint, plane dignoſcat, de illorumque conditione, ac ſtatu omni, quantum licuerit, a probatis viris accipiat teſtimonium obſignatum, idemque exigat omnino.

Obſtetrices, tribus poſt hujus decreti promulgationem menſibus, pœna arbitratu epiſcopi propoſita, officium ne præſtent, niſi per vicarium foraneum, ſi in diœceſi ſunt, & vero in urbe per eum, cui epiſcopus id curæ dederit, ſcripto probatæ ſint idoneæ ad ſacramentum baptiſmi, cum neceſſe erit, miniſtrandum.

Quæ autem probata eſt, cum baptizabit, curet, quoad ejus fieri poteſt, ut duæ ſaltem mulieres, ac mater præſertim, ſi poteſt, teſtes, præſentes adſint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant.

Parochus vero, cum perquiret, ex decreto provinciali, an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget, ut ſibi conſtet, an baptiſmi forma recte adhibita ſit; an vero ſecus; quamobrem oporteat infantem a ſe baptizari.

ANNO CHRISTI 1579.

## VIII.

*Quæ ad confirmationis ſacramentum pertinent.*

Epiſcopus non ſolum ſacris ſolennibuſque pentecoſtes diebus, ſed etiam, ſi ita civitatis ſuæ ingens frequentia multitudoque poſtularit, & paſchæ reſurrectionis tempore, & in adventu ſacro domini, & quoties viſitationem obibit, ſacramentum confirmationis miniſtret: & ob eam cauſam, ut concilio provinciali quarto cautum eſt, ad miniſtrandum ſæpe accurret, quibus in locis diœceſis opus erit.

Quod ſi quis cum periculoſe ægrotat, ſe chriſmatis ſacramento confirmatum non eſſe meminerit, ac propterea id ſibi miniſtrari petat; tunc epiſcopus, ſi eo loci eſt, ubi ille ægrotat, ut ne ſine hoc ſacramento decedat, cum caritate paterna inviſat, & rite confirmet.

Alio decreto, quod in concilio provinciali primo ſancivimus, cautum eſt, ne confirmationis ſacramentum iis præberetur, qui annis ſeptem minores natu ſunt: ſi tamen epiſcopus ob aliquam cauſam juſtam, atque adeo, neceſſariam, parvulo, & infanti, qui non modo eam ætatem expleat, ſed ne attingat quidem, miniſtrandum aliquando cenſuerit, ne ſit vetitum.

Iis vero minoribus natu, atque adeo parvulis, ſi quandoque miniſtrabitur, eorum parentes, vel qui curam gerunt, parochus moneat, ut ætate procedente illos ea de re certiores faciant: ne parentibus, curatoribuſve poſtea mortuis, ipſi aliquando dubitent, an hoc ſacramentum, quod iterari nefas eſt, ſuſceperint. Id vero parochus curet præter eam diligentiam, quæ ſibi præſcripta eſt, de confirmatis, eorumque compatribus in libro certo deſcribendis.

Idem aliquot ante diebus, quam epiſcopus miniſtraturus ſit hoc ſacramentum, ut nemo quiſquam eorum, qui ſuæ curæ concrediti ſunt, illud ſuſcipere negligat, illos per familias diſtincte recteque notet, qui illud nondum ſuſceperint; ac qui ætate ſint ab epiſcopo præſcripta, ordine in eccleſiam vocet ad id rite religioſeque ſuſcipiendum.

Ejuſdem cura ſit, paucis ante diebus, quam epiſcopus ſacramentum hoc miniſtret, non ſolum fideles præmonere, quæ concilio provinciali quarto præſcripta ſunt, ſed etiam in parochiali eccleſia orationem eo nomine inſtituere, ut, qui nondum confirmati, ad id acceſſerint, adjutrice divina gratia, digni ſint, qui Spiritus ſancti dona uberrime recipiant.

Neque hoc quidem is denuntiare omittat, ut, qui proxime confirmationem ſuſcepturi ſunt, pridie illius diei, quo ſuſcipient caput lavent, aliove modo mundent, capilloſque ſibi tonderi curent.

Qui confirmandi ſunt, & qui patrini adhibentur, parochus ante videat, quos rudiores eſſe ſuſpicabitur, an orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & ſymbolum norint. Atque ob eam quidem cauſam epiſcopus, illa fidei rudimenta ſibi ab illis recitari jubebit, Quam diligentiam idem epiſcopus etiam, ut opus eſſe viderit, aliquando præſtet per ſe, vel per alium ſacerdotem, quem in ea recognoſcenda conſtituerit.

Videat item, ut in quacumque eccleſia confirmationem miniſtrarit, ſi pauci ſunt, qui ſuſcipiunt, ubi commode fieri poteſt, ante altare majus decenter exornatum ſemper miniſtret.

Primo mares in eccleſia a parte ſua; feminæ ab altera ſint: ſicque ſeparatim diſtincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, ſuo quique ordine, pie, & religioſe orent: inprimiſque ab omni ſtrepitu, vociferatione, & inani confabulatione caveant, ſed ſilentio ſancto utantur.

Et, quod veteris ritus eſt, primum mares, deinde feminæ confirmentur: niſi aliquando aliter fieri epiſcopus cenſuerit.

Hoc ſacramentum epiſcopus miniſtrare ſtudebit hora tertia potiſſimum, quæ ex antiquo ritu ſtata hujus ſacramenti hora eſt.

Ut ne feminis mares, nec vero contra, maribus feminæ, neque ſenioribus adoleſcentes, cum minime hoc per ætatem conveniat, compatres in confirmationis ſacramento adhibeantur; niſi id aliter neceſſitas aliquando poſtulet.

Quod antiqui ritus eſt, id ſervetur, ut compater dextera ſuſcipiat, & teneat, quem in hoc ſacramento miniſtranti epiſcopo offert. Si vero qui offertur adulta ætate eſt, pedem ſuum ſuper dexterum compatris, qui ipſum offert, ponat: id quod non ſine myſterii ſignificatione fit. Quam ob cauſam, & qui confirmatur, & patrinus tunc coram epiſcopo confirmante ſtet.

Dum ſacramentum hoc epiſcopus miniſtrat, non modo qui illud ſuſcepturi ſunt, quique eos offerunt, ſed omnes quicumque præſentes ſacro illi myſterio adſunt, ſancte pieque orent, ac ſumma animi attentione ſpectent, quod in ea ſolenni myſterii celebritate peragitur.

Tum vero mente ſecum reputent cæleſtia illa Spiritus ſancti dona, quæ illius ſacramenti virtute fidelibus impartiuntur: inprimiſque tacita meditatione videant, quas in illis ipſi progreſſiones habeant; anque vitam agant tanta cæleſtium donorum ubertate dignam.

Curet etiam epiſcopus, ac parochus, ut qui turpe, ridiculumve nomen habet, neque plane conveniens Chriſtiano homini, illud mutet, ſumatque in confirmationis ſacramento nomen alicujus, qui veræ pietatis, ſanctæque religionis laude floruit, ut qui hactenus non ad normam Chriſti domini vitam inſtituit, jam abjecto ejuſmodi nomine, depoſitoque veteri homine, & antiqua ſocordia, rurſuſque novo, ac ſancto ſuſcepto nomine, virilem in ſancte agendo conſtantiam perpetuo deinceps præſtet.

Confirmati frons, chriſmate ab epiſcopo illita, primum bombyce diligenter a ſacerdote abſtergatur: mox a clerico, in ſacris conſtituto, aqua lavetur. Quæ aqua in baptiſterii ſacrarium projiciatur.

## IX.

*Quæ ad ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum pertinent.*

Hoc inſtitutum, quod antiquiſſimi ritus eſt, ſacerdos religioſe ſervet, ut intra miſſarum ſolennia, poſtquam ſcilicet ſanguinem ipſe ſumpſerit, fidelibus ſacram communionem ſumpturus miniſtret.

Nec vero tamen illam miniſtrare vetitum ſit, ſi quando occaſio tulerit, ut quis alio tempore, quam in miſſa ſumpturus ſit.

Cum autem peracto miſſæ ſacrificio, ſtatim



ANNO CHRISTI 1579.

eam miniſtrat, veſtibus ſacerdotalibus, quibus in miſſa uſus eſt, indutus miniſtret, caſula tantum depoſita, & manipulo item. Si vero non ſtatim, ſed alio poſt tempore, quam in miſſæ ſacrificio, tunc ſuperpelliceo, ſtolaque alba, & ubi ritus Ambroſianus eſt, rubra utatur.

Verum pluviali epiſcopus indutus ſit, quando illam non in miſſæ ſacrificio miniſtrabit.

Is ordo præterea adhibeatur, ut primo eccleſiaſticis hominibus, ſuperpelliceo indutis, ſi vero ſacerdos quis eſt, ſtola etiam, quæ ſignum crucis, ad antiqui canonis præſcriptum, in pectore exhibeat: deinde laicis maribus, tum feminis ſacra communio miniſtretur, loco diſtincto, ut in concilio provinciali quarto cautum eſt, eaque ratione diſpoſitis, ut altari majori terga ne vertant.

Sacerdos, illam miniſtraturus, antequam præbeat, unicuique, cui miniſtrabit, ſigillatim illa verba pronuntiet: *Corpus domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.* Et qui ſuſcepturus eſt, prius reſpondeat: *Amen.* Id quod antiquiſſimi inſtituti eſt, nec ſine myſterii ſignificatione fieri, ſanctiſſimus pater, & eccleſiæ catholicæ doctor, Ambroſius ſcribit.

Populus autem ad tabellæ inſtructionis, quæ propterea juſſu noſtro edetur, præſcriptum doceatur, qua ratione ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum religioſe, decoreque percipiatur, ne quid accidat, quod illius auguſtæ divinitati ac ſanctitati non conveniat.

Laici famuli, quicumque regularium monaſteriis operam navant, tametſi in illis habitent, ſtato paſchæ tempore, in ſua quique eccleſia parochiali, ſacram communionem ſumant.

Cum vero ad ægros, omni reverentia, omnique religioſi cultus ſtudio, atque honorifice, quoad ejus fieri poteſt, afferenda illa ſit, neque id noctu commode fieri queat, vetitum propterea ſit, ne noctu afferatur, niſi ægris mortis periculum inſtet.

Parochus, ægroto illam allaturus, accurate hæc præmoneat, primum, ut ægrotantis cubiculum ab omni ſorde, omnique inquinamento purgetur, & amota omni re profana, pio apparatu, & ſacris imaginibus, ubi poteſt, exornetur; tum præterea menſa, mappa nitida, puraque conſtrata, cruce, aliaque effigie ſacra, candelabris, & candelis, cereiſve ſaltem binis inſtructa apparetur, in qua ſuper corporali pyxis cum ſanctiſſimo ipſo ſacramento collocari poſſit; ſit etiam vas vitreum ad ablutionis uſum. Quæ omnia, ut ab iis, qui ægroti curam habent, parentur, cura ſit in primis confratrum ſanctiſſimæ euchariſtiæ. Apud eos vero, qui præ eorum egeſtate, inopiaque id præſtare non poterunt, ipſi ſodales apparent.

Deinde idem parochus, & veſperi pridie illius diei, quo ſacram euchariſtiam allaturus, eſt, ſi eo tempore de hoc officio præſtando certior eſt, & tunc item paulo ſcilicet ante quam afferat, certis campanæ percuſſionibus confratres ſanctiſſimi ſacramenti, & clericos, & reliquos fideles, præſertim illius parochialis viciniæ, evocari mandet, qui illud pia veneratione proſequantur.

Poſt ipſe, ubi manus laverit, ad altare genibus flexis paululum tacitus religioſe oret: tum ſuperpelliceo, ſtola, ac, ut alio concilio decretum eſt, pluviali, ubi poteſt, ſe induat. Sacerdotes vero ceteri, clericive, qui comitantur, ſuperpelliceum adhibeant: ſi canonicorum capitulum ſit, cappam, vel almutiam, aliudve indumentum, ut illis in choro moris eſt.

Reliqui fideles bini proſequantur capite aperto; & quamplurimi candelis accenſis; ac primo loco viri, in quibus ſcholares ſanctiſſimi ſacramenti præcedant, poſtremo feminæ.

Omnes, præſertim eccleſiaſtici homines, hymnos, & pſalmos pœnitentiales, alioſve intima animi pietate ſimul cum parocho, ſed alternatim, pronuntient; atque alii item religioſe orent.

Cum quis ſacerdoti, ſanctiſſimi corporis domini ſacramentum ad ægros ferenti, aut cum eodem inde redeunti, obviam fit, dum vel equo, vel curru, vel jumento vehitur, ubi primum illum id ferentem viderit, inde ſtatim deſcendat, humique flexis genibus tamdiu in adoratione permaneat, quoad ille cum ſacramento tranſiverit.

At vero omnis, ſive ſacerdos, ſive clericus, ſive laicus, quicumque eidem ſanctiſſimo ſacramento obviam fiet, pro Chriſtianæ religionis cultu, domum uſque ejus, cui miniſtrandum eſt, & ad eccleſiam quoque, quo reditur, pia veneratione proſequi, & comitari omnino ſtudeat, niſi neceſſitate, cauſave urgenti vehementer impediatur.

Id omne, ut cuncti fideles ſtudioſe, religioſeque præſtent, illos unuſquiſque parochus, quamſæpiſſime ac diligentiſſime commonefaciat.

Familia vero, quæ domi habitat, ubi ægrotus eſt, ſanctiſſimo ſacramento ad eccleſiam uſque, vel ſaltem extra januæ fines, obviam procedat cum cereis accenſis, & omni illo interiori & externo pietatis cultu, depoſitiſque plane armis.

Sacra communio ad ægrotum non deferatur, niſi ad eum, qui vere illam ſumpturus eſt. Si vero aliquando ſit, ut dum ad eum parochus venit, morbi vi ita affectum illum inveniat, ut eam tunc miniſtrare rite non poſſit, collocata pyxide ſuper corporale in menſa, eo nomine apparata, paululum moretur, dum genibus flexis, una cum ceteris, qui adſunt, ac potiſſimum cum ægroto ipſo ſancte oret: ac poſtea receſſurus, euchariſtia pyxide incluſa, eidem benedicat. Quod ſi ægrotus ipſe id vehementer exoptat, ſacramentum aperta etiam pyxide, liceat oſtendere adorandum.

Cum quis periculoſe ægrotans, ac etiam pene in extremo ſpiritu ſanctiſſimam euchariſtiam, & ſacramentum extremæ unctionis ſuſcepit, ſi poſtea aliquot dies ſuperſtes ſacram communionem ſibi miniſtrari petit, ejus pio, religioſoque deſiderio parochus ne deſit, modo ne pro viatico iterum in eodem morbo præbeat: cum id a ſanctis patribus olim fieri conſueviſſe traditum ſit.

Reus, capitis damnatus, quo die pro viatico ſanctiſſimum corpus domini ſumpſit; Chriſto redemptori, qui pro illius etiam anima ſanguinem in ara crucis profudit, a piis judicibus, magiſtratibuſque illo ipſo ſanguine redemptis, tribuatur, ut ne eo die ſupplicio afficiatur, multis locis piæ & laudatæ conſuetudinis eſt.

## X.

*Quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent.*

Ut ad ſanctum pœnitentiæ ſacramentum fideles ſolicite, diligenterque accedant; id parochus præſtet, ut in hebdomada, quæ quadragesi-

geſimam proxime præcedit, ad patrum familias ædes, quæ intra parochiæ ſuæ fines ſunt, ſigillatim eat; ac videat accurate, qui obligatione hujus ſacramenti ſuſcipiendi, & ſacræ euchariſtiæ paſchæ tempore ſumendæ devincti ſint, eorumque nomina recte deſcribat: ac ſingulos præterea, eoſque præſertim, qui perraro confitentur, moneat, ut ne confeſſionem differant in poſtremos illos quadrageſimæ dies, quibus ſacerdotes vel ob myſteriorum celebritatem, aſſidua divinorum occupatione, ab audiendis confeſſionibus impediuntur, vel frequenti tunc concurſu fidelium defatigati, ita in eo ipſo munere præſtando fere opprimuntur, ut tantum, tamque ſalutare miniſterium in confertiſſima multitudine vix recte illis præſtare queant. Proinde quadrageſimæ hebdomadas, pro populi ſibi commiſſi ratione, ſic partiri curet, ut alias huic, alias illi viciniæ, familiæve, aut partim viris, adoleſcentibus, & pueris, partim mulieribus, virginibus, puellisve præſtituat, quibus ad confitendum diſtincte, atque in tempore accedant.

In iis quæ ad ſacerdotes, pro ſacræ confeſſionis miniſterio vel examinandos, vel probandos pertinent, ne prælatus, etiam regularis, & exemptus, ſe in aliena diœceſi ullo modo ingerat: ſed eam omnem illos examinandi probandique curam epiſcopo diœceſano plane relinquat.

Cum pro temporum varietate, caſuum reſervationem ab epiſcopo aliquando mutari expediat, quo planius illos caſus, ei reſervatos, confeſſarii ſacerdotes perpetuo norint: eos epiſcopus ſingulis annis vel in ſynodo diœceſana, vel ineunte Januario promulget, ita ut quæ illorum caſuum promulgatio proxime facta eſt, vim habeat, quoad altera fiet. Ab iis vero caſibus, proxime promulgatis, ſi quis confeſſarius cujuſvis ordinis ſine facultate ſcripta, ab epiſcopo data, aliquem abſolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat. Si vero ab uno aliquo ſpeciali caſu reſervato, & altero item, aut etiam pluribus abſolvendi facultas aliquando ſigillatim petetur, verbo etiam, ſive ſcripto concedi poterit, tum alias etiam quando epiſcopus ita faciendum cenſuerit.

Ne facultatum, privilegiorumve jura, quæ cuicumque, etiam roſarii, & cruce ſignatorum ſcholæ, confratriæ, collegiove, etiam laicorum, quæve collegis, confratribuſve in eo adſcriptis ante, vel poſt concilii Tridentini confirmationem, conceſſa ſunt; confeſſarius, cujuſvis ordinis ſit, ab iis caſibus, quos ſibi epiſcopus in ſua diœceſi reſervaverit, pœnitentes ſine illius facultate abſolvat. Si contra fecerit, ſuſpenſionem a divinis ipſo facto incurrat.

Epiſcopus, quo decentius, atque adeo religioſius ſacramenti hujus adminiſtratio fiat, presbyteros confeſſarios, etiam qui alicujus congregationis clericorum regularium, alteriuſve ſocietatis regularis ſint, ad audiendæ confeſſionis officium, ne admittat, neve illam audire, etiam in ſuis eccleſiis ſine ſuperpelliceo & ſtola patiatur. Efficiat vero, ut reliqui regulares, tam monachi, quam mendicantes, in hoc miniſterio habitum, veſtitumque adhibeant, quem ex regulæ præſcripto in choro ad divina officia celebranda adhibent. In his canonici regulares congregationis Lateranenſis cenſeantur, cum ad rochetum cappam etiam [illegible] adhibent.

Omnes vero videant, ne extra eccleſiam, oratoriumve confeſſionem audiant, præterquam ægrotantium, etiam virorum, niſi ob urgentem cauſam.

Confeſſarius, quicumque vel ſæcularis, vel regularis ſit, non ſtando, ſed in ſede, tamquam pro tribunali judex, ſedendo, ſacram confeſſionem audiat pœnitentium, quales quales ſint, etiam in ſummo aliquo dignitatis gradu conſtituti. Itidem faciat cum abſolutionis ſententiam pronuntiat.

Quod in eccleſia antiqui inſtituti, veteriſque conſuetudinis eſt, recte omnino ſervet, ut dum abſolutionis formulam, preceſque adjunctas profert, ſupra caput pœnitentis manum dexteram elevet: id quod etiam cum myſterii ſignificatione fit.

In pœnitentiæ ſacramento magna humilitas ſumme neceſſaria eſt. Itaque pœnitentes cum ad confeſſarium, qui Chriſti domini locum in eo miniſterio tenet, accedunt, intimo animi dolore omnique humilitate, non ſubjectis pulvinaribus, ſi neceſſitas aliud non poſtulat, ſeſe ad illius pedes projiciant ac proſternant; id quod ab apoſtolicis uſque temporibus in more uſuque poſitum eſt, ut ſe reos agnoſcant atque profiteantur mortis æternæ.

Dum confitentur, ſint manibus junctis, digitis paululum erectis, oculis demiſſis.

Quod in concilio provinciali tertio de pœnitentia & publica & ſolenni, ſacrorum canonum jure, & œcumenicæ ſynodi Tridentinæ auctoritate ſancitum eſt; id ad uſum inducatur, vel revocetur, atque adeo rite recteque præſtetur, prout inſtructionibus, quæ ad communem totius provinciæ uſum juſſu noſtro edentur, ex canonum fontibus, ſanctorum hominum diſciplina, eccleſiaſticiſque inſtitutis præſcriptum erit.

Confeſſarios omnes, qui in urbe ſunt, tum aliquando per annum, ut in concilio provinciali quarto conſtitutum eſt, tum præcipue ſemel hebdomada prima quadrageſimæ, iterum adventu ineunte, ad ſe epiſcopus convocari curet, cum iiſque agat, ut eodem concilio cavetur.

## XI.

*Quæ pertinent ad ſacramentum extremæ unctionis.*

Ne pueris, qui nondum ullum rationis uſum habent, ſacramentum extremæ unctionis miniſtretur.

Parochus, ſi per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum eſt, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamſi chriſmatis, aut catechumenorum ſit, ut erratum emendet, olei ſacri, quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat: tuncque ſacramenti formam iteret.

Æger, ſi dum ſacro oleo ungitur, extremum ſpiritum emiſerit, parochus ungere deſiſtat. Si vero aliqua morbi vis de repente illum oppreſſit, ut dubitetur, vivuſne ſit, an mortuus, ea conditione in ungendo utatur: *Si es vivus, per iſtam ſanctam unctionem, &c.*

Ne alius ſacerdos, niſi parochus, hoc ſacramentum miniſtret. Si porro is impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat; tunc ſacerdos alius miniſtret licet.

At caveat parochus, ne in eo miniſtrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioqui ſi ad illius miniſtrationem accerſitus ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tum pœna ab epiſcopo graviter plectatur. Is porro ad omnem hujus ſacramenti, in tempore adminiſtrandi, diligentiam, præterquam quod præcipue cura ſua, quæ ſanctæ ſolicitudinis plena eſt, officio valde admodum perpetuo excitetur; propoſito etiam ſibi exemplo ſanctiſſimi epiſcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quod culpa ſua mulier quædam, ſacramenti hujus gratia fraudata, deceſſerit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando conſumpſerit, lacrymarumque vi quaſi maximo imbre, pro oleo ſancto, quod non miniſtravit, mortuam perfuderit. Mane autem exaudivit dominus ſanctum ſuum: ita ut illa e morte, tamquam e ſomno excitata, e lecto ſeſe erigens, ſacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps a morbo convaluerit.

Quod concilio Agathenſi cautum eſt, id unuſquiſque parochus præſtare curet, ut miſſæ ſacrificio peracto, ſi quos in parochiali vicinia ægrotos habet, frequenter, atque adeo quotidie, quantum per alias ſuæ curæ parochialis occupationes poteſt, inviſat, atque eiſdem præſtet quæ ſint ſolicitudinis, muneriſque parochialis officia, prout opus eſſe viderit.

Ut epiſcopo, ejuſque vicariis, aut viſitatoribus aliquando conſtet diligens parochorum in ſalutaribus illis officiis, quæ fidelibus ægrotantibus illi debent, cura; eorum unuſquiſque librum præcipuum habeat, in quo ſigillatim perſcribat ſingulis diebus parochiæ ſuæ incolas qui mortem obierint, & quæ ſacramenta eorum unicuique miniſtrarit, & præterea quando commendationis animæ officium præſtiterit, & quo die hæc ſingula miniſtrarit.

# CONSTITUTIONUM

## PARS SECUNDA.

### I.

*De cura peſtilentiæ.*

SUPERIORIBUS proximis annis funeſta peſtilentiæ contagio primum urbes aliquot Italiæ celeberrimas, opida permulta, & pagos complures, deinde ſenſim longe lateque dimanans, Mediolanum, ejuſque diœceſin fere omnem, & aliquam provinciæ partem ita vehementer invaſit, ut multiplicem variamque ſtragem ediderit.

Quo afflictiſſimo tempore res multas commiſeratione, lacrymis, luctuque dignas, & aliunde audivimus, & oculis noſtris in urbe, diœceſique Mediolanenſi adſpeximus.

Tanta enim illius vis eſt, tamque vehemens, ut, cum occulte in omnes partes progrediens, brevi momento temporis, quaſi repentino quodam impetu turbidæ tempeſtatis, homines obruat, teterrimi contagii metu omnes fere conſternentur. Quamobrem eo pavore animi commoti, atque obſtupefacti plerique tantum abeſt ut officii ſui partes fortiter amplectantur, ut, quaſi e mentis ſuæ ſtatu repente dimoti, ne cogitare quidem, nedum deliberationes, conſiliaque ſuſcipere poſſint, quid in calamitate publica expediat, & quid plane neceſſarium ſit.

Alii vero eo metu affecti, dum humanæ prudentiæ cautionibus ſe tueri volunt, eam ſibi







ſolicitudinem; quæ tota mundanæ diligentiæ præſidiis nititur, ita præpoſtere ſtruunt; ut religionis, pietatiſque Chriſtianæ ſi omnino non obliviſcuntur, ejus tamen officia intermittant. Nam ſæpe fit, ut miſſæ ſacrificio intereſſe, ſacramenta ſuſcipere, eccleſiam frequentare, ad conciones ſacras convenire, ſupplicationes publicas, publicæque orationis munus obire negligant, & quos cognationis gradu conjunctiſſimos, quoſque caros habent, ſi quando fortaſſe ii in peſtiferam labem, aut in ſuſpicionem ejus inciderint; non modo illos non curent, ſed etiam ab iis ipſis longe admodum refugiant. Atque hæc quidem ipſa animi percuſſio cum eos invadit, qui poteſtate, auctoritate & opibus præſtant, certe multis partibus calamitoſior eſt, quam omnis peſtis contagio: cum inde non mora ſolum aliqua, ſed etiam impedimentum non mediocre procurationi & apparatui remediorum afferatur, & alia deinde multa pernicioſa damna exiſtant. Imo, quod grave eſt, inde accidit, ut egentibus aliquando alimenta neceſſaria non ſuppeditentur; peſtiferis plagis medicina non adhibeatur, & ſubſidia ſpiritualia, id quod graviſſimum eſt, interdum non miniſtrentur, eccleſiaſticæ ſtationes nonnullis in locis deſerantur, divinorum officiorum cultus ſæpe negligentior ſit, pietatiſque Chriſtianæ exercitationes langueſcant,

In tanta igitur rerum difficultate pro paternæ caritatis ſtudio, proque archiepiſcopalis officii noſtri munere neceſſe habuimus, multiplicem ſolicitudinem ſuſcipere, multos labores ſubire, multas functiones exequi, quas a paſtore gregi ſibi commiſſo præſtari, & Chriſtiana caritas & paſtoralis curæ ratio efflagitabat. At omni rationi plane conſentaneum eſt, ut, quemadmodum parens optimus, qui filios unice diligit, cum in præſenti, tum in futurum eis proſpicit, ac parat quæ ſunt ad vitæ cultum neceſſaria; ita nos paternæ caritatis officio adducti, omni præcautione fidelibus provinciæ noſtræ, in hoc concilio provinciali quinto conſulamus; provideamuſque deinceps, quæ experiendo cognovimus, peſtilentiæ tempore ſalutaria eſſe adjumenta. Id vero etiam maxime faciendum cenſuimus, cum præſertim ſubverendum ſit, ne aliquando ob eaſdem Dei offenſiones, ob maleque facta, quorum ſeminaria nondum evulſa ſunt, iterum illa peſtifera labes in provinciam noſtram irruat. Atque hæc quidem ipſa ob eam præterea cauſam præcavere volumus, quod cum peſtis vis ſubito irrumpat, atque dimanet, non modo de iis, quæ opportuna ſunt, mature deliberandi, conſultandique tempus relinquit, ſed celerrime agendi neceſſitatem omnem imponit. Accedit etiam, quod illius calamitatis, atque incommodorum recens memoria cum ſit, ac recordatio, hoc tempore facilius multo eſt, quam multis poſt annis eo de genere adjumenta opportuna excogitare, conſiliaque adhibere, dum præſertim ſuperſtites adhuc ſunt, qui ſemel peſtiferæ contagionis mala, & detrimenta experti ſunt. Eſt vero illa item ratio, quod, cum nos in hoc provinciali conventu, ſpiritualibus præſidiis, miſericordiæque operibus, e caritatis fonte manantibus, univerſos & ſingulos omnis generis & ordinis homines in peſtilentiæ tempore inſtruimus; hæc tota noſtra vel inſtructio, vel præcautio eo refertur, ut officiorum ſanctitate, & operum religione, quaſi pro publicæ valetudinis recuperatæ

ANNO CHRISTI 1579.

munere, grati animi erga Deum teſtimonia demus, atque offeramus.

II.

*Partitio officiorum, quæ peſtilentiæ tempore præſtanda ſunt.*

Sunt igitur permulta officia, quæ peſtilentibus temporibus Chriſtiana caritas docet præſtanda eſſe, ſive tempus ſpectetur, quo primum peſtis ſuſpicio, periculumve imminet; ſive locus inſpiciatur, in cujus viſcera, illa miſerandum in modum ſeſe infodit; ſive hoc ipſum conſideretur, cum ſcilicet ea paulatim langueſcente non ſolum ſpes recuperandæ publicæ valetudinis oſtenditur, ſed cum ad omnem a morbo confirmationem major in dies progreſſio fiat, demum omnis inde convaleſcentia exiſtit.

Atque in iis quidem officiis alia propria uniuſcujuſque ſunt, utpote epiſcopi, & parochi, & cleri tam ſæcularis, quam regularis, & magiſtratus, & patris familias, & omnis denique populi: alia vero quædam communia, quæ ejuſmodi ſunt, unde illa, quæ proprie, præcipueque a ſingulis præſtanda, ſunt, proficiſcuntur, atque emanant.

III.

*Officia multiplicis conſiderationis communia.*

In communibus porro officiis, in quorum aſſidua cogitatione, atque uſu omnes ſeſe pie exercebunt, hæc ſane erunt.

Primum ſecum tota mentis cogitatione, totoque animo reputabunt omnes homines, quæ & quanta peſtilentiæ vis ſit, quam tetra illius contagio, quantas & quam varias ſtrages brevi edat; quam multas miſerias quamque horribiles calamitates rebus publicis importet: quam brevi animi conſternatione cunctos vel fortiſſimos viros aliquando afficiat; quam valde ob eam cauſam formidoloſa, quod ita de repente ab hoc ſæculo ad tremendum illud Chriſti domini judicium animas abripit.

Deinde attentiſſima meditatione conſiderabunt, a quo peſtifera illa lues exiſtat, nempe a Deo, cujus voluntati in primis illam acceptam referent. David enim, optione data trium calamitatum, peſtis, famis, & belli, in ea deliberandi facultate peſtilentiam maluit, cum dixerit, malle ſe in manus Dei quam hominum incidere.

Tum cauſas, quamobrem peſte Deus mortales affligat, diligenti indagatione perquirent. Atque in iis quidem cauſis cum multæ aliæ afferantur, ob quas calamitatibus, miſeriis, adverſiſque rebus homines ille divexet, tamen hoc ſibi certo perſuadeant, quod a ſanctiſſimis patribus traditum eſt, cum Dei majeſtatem multis hominum peccatis, flagitiiſque lædi, ac violari vident, hanc ipſam cauſam potius eſſe, cur is calamitates, & plagas infligat, eo tamen conſilio, ut in viam reducat homines, ne, ut ait ſanctus Paulus, cum hoc mundo damnentur.

In eam præterea cogitationem incumbent, quam multiplex, quamque ampla materia, & quaſi ſeges Chriſtianæ virtutis, caritatiſque exercendæ detur illa cum gravi afflictione, graviſſimiſque illis & periculoſis difficultatibus, quas ſecum peſtilentia invehit. Qua in cogitatione videant ſimul meritorum, quibus adjutrice divina gratia ad cælum via munitur, fructus inde extare poſſe & ampliſſimos & uberrimos.

Hæc porro per ſe ſatis explorata ſunt, meditationum, cogitationumque officia, in quibus peſtilenti tempore fideles aſſidue verſabuntur: ſed multa inde conſequuntur, quæ eo ipſo præſertim tempore in omnium animis mentibuſque perpetuo infixa inhærere debent.

Atque in iis illud maxime ſibi propoſitum habebunt, quanto anima corpori præſtat, tanto ſtudioſius animæ cura, & ſolicitudo, corporis incolumitati, & ſtudio in periculo præferenda eſt, in quo & anima, & corpus eo peſtilenti tempore verſantur.

Imo vero illud pro certo exploratoque habeant, a Deo potiſſimum & publicam & privatam ſingulorum incolumitatem, proſperamque corporis valetudinem omni pietatis officio implorari oportere: *Niſi dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*, inquit propheta. Quamobrem ſciant, ſpem omnem irritam, atque inanem eſſe, quæ Dei ope in primis non nititur, ſed tota ſolum vel in humana prudentia, diligentiave, aut in rerum copia, atque opibus, aut corporis robore, & viribus, aut in aliis id generis præſidiis collocatur.

In animum autem perpetuo inducent, recuperandæ & publicæ, & privatæ valetudinis incolumitatiſque eas potiſſimum rationes eſſe, quæ ad Dei gratiam reconciliandam, ad veram peccatorum pœnitentiam, ad pravos uſus emendandos diligentiſſime conferuntur. Iis porro officiis & rationibus neglectis, aut prætermiſſis cetera putabunt parum valere, imo plane inutilia eſſe, illa vero etiam pernicioſa admodum remedia, quæ ſecum peccatum conjunctum habent.

Hæc omnia cum ſibi quiſque perpetuo perſuaſa habeat, tum maxime & privatis colloquiis, & publicis concionibus non ſolum epiſcopus, ſed parochi, & concionatores pro ſuo quiſque munere, hominum mentibus quamdiligentiſſime inſerere ſtudebunt, tamquam ſemina quædam officiorum fere omnium Chriſtianorum, quæ infra explicata & demonſtrata peſtilentibus temporibus præſtanda ſunt.

His porro officiis cogitationum, meditationumque certarum, quas de eo genere ſibi fideles animo rectiſſime conceperint, inſtructi, non modo non langueſcent, ſed valde etiam ſe excitabunt in omnes partes præſtandi Chriſtianæ caritatis opera.

IV.

*De præſentia, & conſtantia omnium.*

Si ullo unquam tempore, vel afflictiſſimo, aut epiſcopi ſolicitudo, aut ſacerdotum miniſterium, aut magiſtratuum, decurionum, & aliorum omnium, qui præſertim prudentia, fortitudine, conſtantia, caritate, aliiſque virtutibus præſtant, ſtudio quamdiligentiſſimo opus eſt; certe in peſtilentia, cujus immaniſſima vi, repentinoque impetu cuncta, niſi eorum virtute fulciantur, brevi labuntur, atque ruunt, eſt maxime neceſſarium. Itaque ii omnes, ſingulique labenti patriæ, & auctoritate, & exemplo, & muneris commiſſi officio opem neceſſario tempore ferre ſtudebunt; proindeque non modo illam non deſerent, ut imperita multitudo aliquando factitare conſuevit, utpote quæ ab omni con-



ANNO CHRISTI 1579.

conſilio inops, vulgo conſternata, ac ſola tantum peſtis voce perculſa, longe refugit, ſed in ejus cuſtodia, quaſique vigilia ita permanebunt, ut a rebus, & publicis, & privatis, quibus eorum poteſtate, aut officio, virtuteque ſuccurrendum eſt, oculos nunquam dejiciant.

Nec vero in tanta omnium perturbatione, ac trepidatione animo demiſſo, & contracto erunt, ſed forti, magno, atque adeo paratiſſimo ad omnia caritatis officia, & miniſteria. Neque propterea in ancipiti deliberatione verſabuntur, aut in quæſtionem adducent, quæ ipſi officia neceſſario præſtare debeant, quæ rurſus minus neceſſaria, quove jure illis præſtandis devincti, ſed ardenti dilectionis, & pietatis ſtudio incenſi, cuncta potius iis officiis metientur, quæ ſibi, in ſumma ea neceſſitate, periculove conſtitutis, præſtari ab aliis maxime velint.

Hanc ipſam porro rationem, atque uſum in populis, etiam finitimis peſte, aliave calamitate ob peſtem afflictis, ſublevandis, & adjuvandis adhibebunt.

Et quoniam cunctis aliis ſtudiis, atque officiis potior multiſque partibus præſtantior eſt ſpiritualis cura, paternaque caritas quam epiſcopus, parochi animarum curatores, ſacerdotes, tamquam optimi parentes de filiorum ſalute ſoliciti, omni paterno ſtudio conferunt: ideo ipſos in primis admonemus, ut præſentes adſint peſtilentiæ tempore, quo fideles opus admodum habent & ipſius epiſcopi auxilio, & eorumdem parochorum, ſacerdotumve miniſterio, cum ad cetera omnia caritatis, miſericordiæque opera, atque officia, tum maxime ad ſpiritualia adjumenta, & ad Deum non ſolum precibus, ſanctiſſimiſque orationibus, ſed etiam omni alia ratione placandum.

Quamobrem ob oculos ſibi propoſito tam magno populi ſibi commiſſi periculo, paternæ caritatis viſcera indutus, conſtantique illa epiſcopalis animi virtute præditus, quæcumque pietatis officia a parente optimo, filiis præſtari afflictiſſimo illo tempore oporteat, ea ſtudio, & miniſterio ſuo ita præſtabit, ut ad omnia caritatis Chriſtianæ opera ceteri homines inflammentur, cum maxime ſingulari, & egregio illo ſuo exemplo, tum vero etiam pio quodam ardore ſanctarum cohortationum, quas ad clerum, ad populum, ad magiſtratus, decurioneſque præſertim adhibebit, ut uniuſcujuſque ſtudium, officiumque tum univerſe, tum ſigillatim excitet, & inflammet, cunctoſque in curæ ſuæ officiis conſtantiſſime contineat.

Parochi autem, animarumve curatores, tantum abeſt ut neceſſario eo tempore populum, cujus curam gerunt, aliquo modo deſtituant, ut fixa animi deliberatione ſibi ſtatuendum putent, omnia prorſus, etiam mortis pericula paratiſſimo animo ſubire potius, quam fideles Chriſti ſanguine redemptos, ac ſibi præcipue in curam traditos, in ſumma pene omnium adjumentorum neceſſitate deſerere.

Reliqui etiam ſacerdotes, & clerici, qui eccleſiæ ſtipendio aluntur, ut Dei laudes concelebrent, preceſque pro populo adhibeant, tunc maxime intelligent, ſibi in ſtatione, & quaſi in perenni vigilia quadam ſacerdotali, & clericali manendum eſſe, cum divinæ iræ placatio exoretur oportet ſupplicationibus, litaniis, ſacrificiis, frequenti ſacramentorum uſu, & aliis Chriſtianæ religionis miniſteriis, quæ potiſſimum ſacerdotalis officii ſunt.

Populus vero non modo longius a patria, quæ una omnes omnium caritates complectitur, non refugiet, ſed præ illius amore perſiſtet, hocque unum ſibi præſcribet, ut ereptis morum erroribus convulſiſque vitiorum ſeminibus, unde peſtiferam labem, atque exitium comparatum eſſe exiſtimare debet, criminum, & peccatorum, quæcumque conceperit, admiſeritve, vere ſancteque pœniteat, & vitæ emendandæ propoſitum, fixa deliberatione ſuſcipiat. Supplex item quamfrequentiſſime ad Deum confugiat, qui in medio etiam nubis, & afflictionis arcum propitiationis ſuæ oſtendit, funeſtaque ærumna oppreſſos, ſuæ item divinæ benignitatis ope ſublevat.

V.

*Epiſcopi ſolicitudo in orationibus publicis.*

Jam vero epiſcopus, ad quem gregis cuſtodiendi perpetua cura refertur, ut univerſi populi ſupplicantis religioſa, ſolennique oratione Deum placet, cum primum in locis finitimis peſtis graſſatur, certas ſtataſque publicas proceſſiones triduanas non ſemel, ſed iterum, atque adeo ſæpius, ſi opus erit, & in urbe, & in diœceſi indicet: quas jejunio, eleemoſyna, ſacco, cilicio, omnique mœſto & lugubri amictu, pedibus nudis, capite aperto, omni pœnitentiæ publicæ modo, vocibus ex intimo animo ad miſericordiæ implorationem emiſſis, gemitu, lacrymis profuſis, intentiſſimo aſſiduarum precum ſtudio, & omni denique non externo ſolum, ſed interno pietatis religioſæ officio ſancte agi, atque celebrari ſtudebit.

Ad quas proceſſiones etiam ſanctorum reliquias ſacras, præſertim, quæ inſigniores ſunt, univerſe aliquando adhibebit.

Statam illam & ſolennem orationem quadraginta horarum, religioſe celebrabit: ad quam univerſus clerus, & populus per certas regiones, & parochias diſtinctus, ex concilii provincialis quarti decreto pie & ordine conveniat. Atque in ejus quidem celebritate, quo religioſius omnis clerus, populuſque ad publicæ precationis ſtudium excitetur, ſermo brevis ſtatis ſingulis horis habebitur perito ſacerdote, qui orantes vehementius inflammet.

Curabit etiam ut omnes & ſinguli peccata confeſſi, certo dominico, aliove feſto die, ſacram communionem ſancte ſumant.

Statas præterea proceſſiones, quæ ſpeciatim ab univerſo uniuſcujuſque collegiatæ eccleſiæ clero, etiam regulari, & ab unaquaque civitatis, vel diœceſis regione in ſingulas hebdomadas fiant, certo præſcripto modo inſtituet.

Certarum eccleſiarum, in quibus præſertim inſignia pietatis, & religionis monimenta extant, viſitationem conſtituet, ut ad eas ſcilicet ſupplicandi cauſa, ac ſtudio, uniuſcujuſque viciniæ parochialis populus collegiatim certis diebus conveniat.

Orationem matutinam ac veſpertinam ardentius excitabit; & vero, ubi intermiſſa eſt, reſtituet quamdiligentiſſime.

Orationem item ſine intermiſſione ubique, & in urbe, & in diœceſi, certa parochialium, collegiatarumque eccleſiarum, ac monaſteriorum præterea diſtinctione, indicet atque ſtatuet.

Lita-

ANNO CHRISTI 1579.

Litaniarum etiam quotidianarum, quas & domi, & foris certis locis, in eccleſiiſque præſertim adhiberi curabit, certam rationem inibit.

Jejunium, ſi minus in hebdomada pluribus diebus, at in feria ſexta ſaltem, vel ſabbato, præter ſtatos vigiliarum dies a populo agi ſuadebit: alia præterea veræ pœnitentiæ ſigna, divinæ miſericordiæ implorandæ ſtudio ſuſcipienda, demonſtrabit.

In iis quoque religioſis adjumentis illud etiam adhibebit, ut uniuſcujuſque parochiæ ædibus, domiciliis, & habitationibus parochi ſinguli ſtata religioſa prece rite benedicant ad inſtructionis, eo de genere in hoc concilio editæ, præſcriptum.

Ut autem denique totius provinciæ populi ſupplicatione etiam adjuventur, eo neceſſario tempore literas de periculo, ſuſpicioneve peſtilentiæ ad metropolitanum, ceteroſque provinciæ epiſcopos celerrime ſcribet.

## VI.

### *Cura metropolitani, & provincialium epiſcoporum.*

Peſtilentiæ, quæ urbi, locove provinciali imminet, periculo audito metropolitanus eam curam, cogitationemque ſuſcipiet, ut non ſolum in metropolitana urbe, ejuſque diœceſi, ſed univerſa provincia ſupplicationem, orationem, & alia pietatis opera indicat literis omni cohortatione plenis.

Reliqui provinciæ epiſcopi ei, cujus diœceſis ex peſtis periculo laborat, caritatis officia navare non different.

Illi animum, ſpiritumque addent; & majorem omni [illegible] epiſcopali, paſtoralique [illegible] tia, ſi irrepſerit, exercendi [illegible]. Quod [illegible] ſæpius præſtabit vicinior epiſcopus. Propoſito etiam exemplo ſanctiſſimi pontificis Cornelii, & beati Cypriani epiſcopi, martyrum, quorum alter alteri, in laboribus, & periculis verſanti, literas plenas conſolationis ſcribebat, epiſcopum crebris literis conſolabuntur item, & confirmabunt.

Curam etiam aliquam inibunt, ut de illius, & diœceſis, & urbis ſtatu certiores aliquando fiant, quo ardentiori ſtudio flagrent ſublevandi neceſſitates.

Studebunt in primis ei opem afferre, tum oratione publiciſque ſupplicationibus, tum etiam eleemoſynarum, prout unuſquiſque poterit, largitionibus.

Omnem aliam præterea rationem quiſque diligentiſſime exquiret, qua fratris epiſcopi, ejuſque etiam populi periculo, & difficultatibus, cum eo conjunctis, opportune ac benigne ſuccurratur.

Id omne pietatis officium metropolitanus longe flagrantiori ſtudio præſtabit, ut ejus exemplo ac documento ceteri provinciales inflammentur ad rei piæ imitationem.

## VII.

### *Solicitudo epiſcopi in morum corruptelis eripiendis.*

Epiſcopus præterea, cujus diœceſis in periculo peſtis verſatur; tunc in primis accurate inveſtiget, quæ potiſſimum corruptelæ, quæ publica peccata ſint, & quæ ſcelera flagitiave, quibus Deus maxime offendatur, ejuſque ira concitetur. Hæc igitur cum funditus convellere ſtudeat, vero ea, quæcumque ſint divino cultui repugnantia.

Ac rurſus, omnia pietatis officia in uſum ut diligentiſſime revocentur, ſedulo curabit.

Sanctioris diſciplinæ initium a ſe faciet, perinde ac ſi peccatis ſuis potiſſimum peſtilentiæ, qua populus affligitur, cauſam dediſſet; proinde in eo attente figet oculos, ut accurate perſpiciat, quid a ſe velit Deus, quid jubeat, quid prohibeat.

Ad normam voluntatis divinæ omnia ſua conſilia, omnes cogitationes, omnia opera, & verba, omnes denique vitæ ſuæ rationes conformabit: & officii ſui paſtoralis momenta divini judicii legibus perpendet.

Et ſua, & populi peccata piis & crebris gemitibus deplorabit.

Aſſidua prece, ſummaque ſanctiſſimæ orationis contentione, divini luminis illuſtrationem ſibi depoſcet, ut omnia videre, omnibus conſulere, eſſe pro omnibus vehementer ſolicitus, & omnia denique quæ ad populi ſui curam rectiſſimam pertinent, circumſpicere, & mentis oculis illuſtrare, neceſſario tempore poſſit, ſupplex perpetuo Deum orabit, ut disjectis peccatorum nubibus pluviam, & rorem divinæ ſuæ miſericordiæ effundat in populum, ſuæ curæ commiſſum. Cum igitur vitæ ſuæ rationes diligenter examinabit, cunctaque videbit, quæ a ſe præſtari oportet, ut non modo in gravi culpa, ſed in nulla quidem, vel minima offenſa ſit apud Deum; tum familiæ inſtituta, mores, omnem denique diſciplinam recognoſcet, & omnia non tantum univerſe, ſed ſpeciatim, ſigillatimque diligentiſſime perluſtrabit.

[illegible] quoad ejus fieri humanitus poterit, [illegible] offenſionis culpæve in ullo quoquam [illegible] patiatur, ut ſtatuat potius, quaſi nexu diſciplinæ ſanctiſſimæ devincire omnem familiam ac domum epiſcopalem, quæ, tamquam officina Chriſtianarum virtutum, ceteris expoſita eſſe debet ad imitationem.

Fori præterea ſui eccleſiaſtici rationem atque uſum omnem explorabit, hocque attentius ac diligentius, quo graviores Dei offenſiones ex iniquo factis, iniquiſque judiciis exiſtere ſolent.

Perveſtigabit etiam ac diſpiciet attentiſſime eccleſiæ ſuæ cathedralis & cleri illius diſciplinam, in qua ſi quid vel univerſe, vel ſpeciatim offendi animadverterit, ſtudioſiſſime emendabit & corriget; cum præſertim inde documenta omnis optimæ inſtitutionis & normæ ſumi conveniat.

Ut vero reliquis omnibus, in quibus aliqua offenſio ſubeſſe poſſit, proſpiciatur & conſulatur, ſynodum diœceſanam, ſi expedire cenſuerit, diligentiſſime habebit, in qua præcavebit quæ opportuna, quæ neceſſaria, quæque ſalutaria maxime erunt, pro temporis ratione.

At ſi minus ſynodum coget; ſaltem vicarios foraneos ob eam ipſam cauſam evocabit, ut non in urbe ſolum, ſed in omni diœceſis parte, etiam atque etiam diligenter, depulſis morum erroribus, profligatis publicis offenſionibus, evulſiſque maleſactorum ſeminibus, omnis



ANNO CHRISTI 1579.

omnis vitæ emendatio, & diſciplinæ Chriſtiano nomine dignæ inſtauratio, atque adeo inſtitutio, procuretur.

Hoc idem quo in omnes partes recte ſanctèque agendi ſtudium vehementius excitetur, cum ſacerdotibus confeſſariis, & concionatoribus aget quam diligentiſſime.

Reliquum etiam civitatis clerum ſæcularem, & parochos potiſſimum ſæpius convocabit; quos omnes cum ad vitæ innocentiam, tum ad virtutes, quæ in ſacerdotali, clericalique ordine elucere debent, eorumque officia uſque adeo excitabit, ut ſalutaris inde fructus in populum derivetur.

Præfectos item monaſteriorum cujuſvis ordinis, quæ in civitate ſunt, ad ſe aliquando acerſet; quibuſcum omni cohortatione, ſanctiſque admonitionibus, & iis quidem frequentibus, ubi opus erit, aget ut in omni monaſterio, tum virorum, tum etiam feminarum, ſi quæ illorum curæ commiſſæ ſunt, ſancte, religioſeque vivatur, quemadmodum ex ſuſcepti ordinis inſtituto ab iis fieri oportet, qui in religionem ſe Deo dicarunt.

Monialium vero, quarum curam gerit, reformationis rationem omnem ſuſcipiet, & exequetur: quo ſanctius illæ, religionis officiis deditæ, ac calamitati publicæ, & vitæ meritis & oratione, precationibuſque ſuccurrant.

Itidem agere non deſiſtet cum præfectis, curatoribus, miniſtriſve locorum piorum, & cum ceteris item piarum confratriarum ſcholarumve hominibus.

Nec vero peccata & offenſiones publicas diſſimulabit, ſi quas in eo, qui civitati præeſt, in magiſtratibus, in decurionibuſque ineſſe perſpexerit: ſed annuntiabit eis errata, in quibus offendunt; ſi nihilque ad ſalutem potius eſſe oſtendet, quam ab illis in primis pietatis Chriſtianæ opera unice coli, quamque juſtitiæ munus & officium, depulſo omnis cupiditatis dominatu, rectiſſime ac æquiſſime omnibus adminiſtrari.

Omni etiam officii genere cum eiſdem aget, atque hoc ſedulo inſtabit & urgebit, ut publica auctoritate, publicoque decreto, ſi modo res ejuſmodi eſt, de qua per illos decerni liceat, tollantur, & radicitus extirpentur, quæcumque ſunt, ob quæ Deus palam præſertim ac publice offendatur.

De populi denique univerſi diſciplina conformanda & peccatis tollendis, ad quæ proclivius frequentiuſve prolabitur, omnem rationem etiam cum ſacerdotibus inibit, totus in ea cura defixus, ut a Dei offenſionibus ad virtutum Chriſtianarum officia illum plane revocet.

Imo vero hoc etiam valde ſtudebit, ut voluptuariæ omnes actiones, in quibus vulgi multitudo aliquando verſatur inani opinione, cum putet peſtilentiam mundanis lætitiis facilius caveri, omnino abjiciantur, quales ſunt ſaltationes, profanæ cantiones, comeſſationes, crapulæ, & cetera ejus generis; quibus plerumque multa peccata conjuncta ſunt.

Populum quoque inducere procurabit & ad conſtituendum profuſis ſumptibus modum, & ad inveteratas malas conſuetudines deteſtandas, atque plane abjiciendas.

Id omne non ſolum cum populo civitatis, ſed etiam cum diœceſano paterna ſolicitudine aget.

Acceſſet præterea ad ſe omnes præfectos uniuſcujuſque collegii, etiam artificum; quorum operam, & diligentiam adhibebit ad reſcindendos pravos uſus, ſi qui in eorum collegiis, aut artificiis ſunt, unde aliqua Dei offenſio exiſtat.

Patribus familias illud magnopere ſuadebit, ut aleatorii ludi, imprecationes, blaſphemiæ, verba impura, turpia, impudicæ choreæ, ſaltationes, pompæ, luxus, profuſa convivia, & cetera, quæ ab intemperantia manant, procul ab omni domo arceantur.

Omnes vero & urbis & diœceſis partes cum ipſe accurrendo inviſet, tum alios probatos viros eccleſiaſticos ob eam cauſam nomine ſuo mittet: & vero quæ opportuna ſunt, curabit, atque adeo exequetur, ut nulla ex parte optimi parentis, vigilantiſque paſtoris cura, ſtudium, vel miniſterium deſideretur.

Singulorum crimina diligentius inveſtigabit, qua præſertim cum diuturniora ſint, ad iræ divinæ concitationem plus roboris habent, ut adulteria, concubinatus, uſura, nefarii contractus, bonorum eccleſiaſticorum uſurpationes, res male partæ, & alia ejuſdem generis, quibus præſens ſalutareque remedium accommodabit.

Quamobrem unumquemque; quaſi ſomno oblivionis in peccatis dormientem, excitabit, ut opus erit, ad pœnitentiam, ac lacrymas & flagitiorum deteſtationem, depulſionemque, ut re ipſa præſtet quæ cum diſciplinæ Chriſtianæ rationibus & ſtudiis conveniunt.

Pacem & concordiam inter diſſidentes conciliabit [illegible].

Lites componere, controverſias dirimere; cuncta cujuſvis generis diſſidia tollere, ſimultatem, & odia reſtinguere, factionum ſemina convellere ſtudebit.

Quæ male parta ſunt, maleque ablata, reſtitui curabit.

Omnes denique paſtoralis officii atque auctoritatis nervos eo intendet, ut & offenſis publicis ſublatis & diſciplinæ Chriſtianæ ſanctioribus inſtitutis & omni recte agendi ſtudio, omnique Chriſtianarum virtutum uſu & exercitatione, ab univerſo clero, populoque imploretur atque exoretur miſericordia Dei.

## VIII.

### *Cura in aliis cautionibus tuenda publica valetudinis.*

Iis adjumentis ſpiritualibus alias cautiones epiſcopus adhibebit. Atque in primis quidem edictis epiſcopalibus, aliaque omni ratione de publica valetudine tuenda certas rationes inibit; atque edicet, quas cum in locis eccleſiaſticis, tum ab hominibus clericalis ordinis, ab aliiſque epiſcopali juriſdictioni ſubjectis, inviolate ob bonum publicum ſervari mandabit.

In omni autem deliberatione & cautione, quam tuendæ publicæ incolumitatis cauſa ſuſcipiet, id ſtudebit, ut conſultationibus cum magiſtratu ſanitatis habitis, quidquid ipſe eo nomine caverit, cum illius publicis edictis, ad valetudinis publicæ commodum pie & recte pertinentibus, non diſſentiat nec diſcrepet; ſed in omni ejus generis ratione, quæ ad bonum publicum tota refertur, unus idemque ſit utriuſque con-

conſenſus, ſummaque in re adjuvanda publica caritatis conſpiratio.

Idem præterea, quæ hac inſtructione demonſtrata ſunt, poteſtatem etiam præfecto regionario, & vicario foraneo ac aliis viſitatoribus faciet, alia non modo generatim, ſed ſpeciatim ſtatuendi, atque exequendi, quæ in peſtifera contagione utilia, opportuna & neceſſaria illi viderint, ad publicam valetudinem tuendam, quæ ab epiſcopalibus præſcriptis & regulis non diſcrepent.

Quidquid vero illi agent, opportuneque ac neceſſario ſtatuent, id quamprimum epiſcopo ſignificabunt.

In omni autem re, quam magiſtratus ſanitatis aget, vel cavebit publicæ valetudinis cauſa, operam dabunt, ut diligentem ejus cautionem, ſtudiaque imitentur ad epiſcopalium regularum præſcriptum.

Parochi etiam ceterique eccleſiaſtici homines id unum quoque maxime ſtudebunt, ut publicam valetudinem omni caritatis officio curent, ac præterea in executionis uſum accuratiſſime perducant quæcumque non ſolum hac inſtructione explicata ſunt, ſed quæ epiſcopus hoc ipſo de genere, prout opportuna viderit, publicæ ſalutis cauſa ſtatuerit, & quæ item præfectus regionarius, aut vicarius foraneus, aliuſve viſitator monuerit mandaritve: imo etiamſi clericalis ordinis homines ſunt, qui intra alicujus parochiæ fines habitant, illa quoque ſervabunt, quæcumque vel ex hac inſtructione, vel ex epiſcopi voluntate, vel alia juſta ratione parochus commonefecerit.

Quæ præterea a magiſtratibus, decurionibuſve ad eam publicæ incolumitatis rationem pie ac utiliter conſtituentur, eadem, ut a populo plane ſerventur, omni cohortationis officio monebunt.

Magiſtratus autem & decuriones, ut eidem publicæ valetudini proſpiciatur & conſulatur, cum omnia ſapienter, Chriſtianæque pietati congruenter agent, tum valde cavebunt, quæ divino cultui & caritatis officiis cum impedimentum offerre poſſint, illa maxime fugienda, ſuo loco infra demonſtramus, ac vehementer in domino monemus.

## IX.

*Sollicitudo in uniuſcujuſque præparatione ſpirituali.*

Epiſcopus in eo præterea ſollicitus erit, ut imminenti illo peſtis periculo, confirmationis ſacramentum, quibus per ætatem ex doctrina Romani catechiſmi miniſtrandum eſt, ubique miniſtret: cum illi, ſi peſtis irruet, in eo ſtatu futuri ſint, ut periculum mortis non modo in ſingulas horas, ſed in ſingula momenta pertimeſcant.

Id etiam ſedulo curabit, ut ſuæ quiſque conſcientiæ latebris diligentiſſime diſcuſſis, omnis anteactæ vitæ peccata confiteatur.

Tum etiam, ut ad tam ſalutare pœnitentiæ ſacramentum omnis frequenter accedat: ita ut cum quis ſe peccati mortalis labe inquinatum eſſe conſcius erit, eo ſacramento illud expiare quam primum ſtudeat; nec vero ad extremum differat, cum non modo ſuſpicari, ſed certe maximo timore poſſit, ac debeat, ſi peſtis Dei permiſſu irruerit, illo peſtilenti tempore maxima cum difficultate ſibi præſto fore ſubſidia tam corporis, quam animæ.

Itidem ad frequentem ſanctiſſimæ euchariſtiæ uſum fideles omni ſtudio accendet. Et ut ſaltem ſemel in hebdomada illam ſumant, ad ea, quibus iram Dei placari, ejuſque miſericordiam implorari compertum eſt, pietatis opera, præſertim ad aſſiduam orationem, ad jejunium, ad eleemoſynam crebro hortetur. Ad cujus largitiones uberiores populum fidelem valde etiam incendet, illud ſingulare exemplum Ethnicorum, qui, euangelicæ lucis expertes, cum in graviſſimam peſtem olim inciderint, opinione perſuaſi, eam ſibi calamitatem inflictam eſſe, quod nullum pietatis ſtudium, nullumque beneficentiæ, liberalitatiſque officium egentibus hominibus contulerint, ad eam propulſandam id conſilii adhibuerunt, ut eorum domus, officinæ, tabernæ indigentibus, ac pauperibus paterent, qui inde res, quas propterea palam omnibus expoſuerant, ad vitæ uſum neceſſarias, gratis libereque ſumerent.

Ab omnibus, eo peſtis imminentis periculo propoſito, domui ſuæ diſponi & conſuli ſuadebit, ut ſcilicet unuſquiſque æs alienum, ſi quod contraxit, recte diſſolvat, nomina quæcumque explicet, lites componat, tranſigatve; teſtamentum conficiat; ne denique res domeſticas contractas, difficultatibuſque implicitas relinquat: ne fortaſſe, ſi mors, ut in peſtilentia evenire ſolet, continuo oppreſſerit, ſibi, liberis, bonisque ſuis recte conſulere minus poſſit, indeque propterea vel litium diſcordiarumve inter filios, agnatoſve, femina, vel æris alieni ſolvendi difficultates, tardioreſve ſolutiones; vel controverſiæ aliæ, & quod grave eſt ſpiritualia incommoda exiſtant, quæ animæ ſaluti detrimentum, perniciemve afferant.

Hæc eadem ſane omnia & ſingula officia, in regione ſibi commiſſa, & præfecti regionarii & vicarii foranei & viſitatores & parochi, in parochiali vicinia ex epiſcopi inſtructione & præſcripto pro ſuo quiſque munere præſtare, atque exequi ſtudebunt.

Hæc itidem ipſa pro ſui muneris partibus cum in collegiis, confraternitatibuſque præfecti, tum in ædibus privatis curabunt diligenti ſtudio, omnique caritatis contentione.

## X.

*Præparatio adjumentorum ſpiritualium peſte imminente.*

Epiſcopus vero omnia adjumenta, antequam peſtis populum invadat, diligenter conquirat & parare ſtudeat, quibus fiat, ut ſi peſtis ingruerit, ne quid illis populis, quos invaſerit, deſit: neque ad animæ ſalutem, neque ad corporis medicamentum, victum & curam.

Confeſſarios, concionatoreſque, quorum miniſterio operave neceſſaria eo tempore adjuvetur, aliunde, ut diligentiſſime poteſt, ad ſe accerſere & conducere, tum ad urbem, tum ad diœceſis opida & loca præſertim inſigniora curabit.

Ac præter parochorum curam, certos etiam alios ſacerdotes undique, quantum poterit, omni pietatis officio conquiret, qui caritatis ardore inflammati, paratiſſimi ſint ad omnia eccleſi-

ſiaſti-





ſiaſtica miniſteria illis præſtanda, quos vel peſtis morbus, vel ſuſpicio invaſerit.

Iis & concionatoribus & confeſſariis & aliis ſacerdotibus neceſſaria alimenta ut ſubminiſtrentur omni ratione curabit.

Alios præterea clericalis ordinis homines, caritatis ſtudio flagrantes deliget, qui modo huc, modo illuc viſitando accurrere poſſint.

Delectum item habebit aliquorum ſacerdotum, atque aliorum quos potiſſimum adhibere poſſit ad curam eccleſiaſticorum hominum, peſtis morbo, ſuſpicioneve laborantium.

Ad omnem porro curam, quo vehementius univerſi & ſinguli peſtilentiæ tempore incendantur, indulgentiam a ſummo pontifice iis procurabit, utpote

Sacerdotibus, qui peſte affectis ſacramenta miniſtrarint.

Medicis, eos curantibus.

Chirurgis, tonſoribuſve, qui venam ſecant, quive plagis medicamentum apponunt.

Nutricibus, quæ infantibus, peſte laborantibus, ſuſpectiſve lac præbent.

Obſtetricibus, quæ mulierum in eo morbo, ſuſpicioneve verſantium, partum adjuvant. Miniſtris, qui peſte ægrotantibus aſſiſtunt. Bajulis, qui peſtifere affectos, ſuſpectoſve ad curationis locum perducunt, feruntve.

Illis item, qui peſte mortuorum corpora ſepeliunt.

Iis denique omnibus, quicumque ſint vel mares, vel feminæ, qui illorum ſuſtentationi & curationi aliquo modo ſerviunt: qui item eleemoſynam, pro facultatum ratione, in eorum adjumentum contulerint.

Facultatem item ſibi dari ab eodem curabit, adjunctis ad eam certis privilegiis, ut regularium cujuſvis ordinis opera, miniſteriove ſine ulla mora, aut impedimento ſuperiorum, peſtilentiæ tempore uti poſſit.

Ut præterea populi caritas ad pauperum, peſtilentiæque morbo, ſi Deus permiſerit, laborantium curam, piumque ſtudium accendantur, & longe lateque progrediantur; libros, eo de genere graviſſime conſcriptos, quos neceſſario eo tempore ſtudioſe legat, ad uſum proponet, utpote Gregorii Nazianzeni homiliam, ſermones duos Gregorii Nyſſeni de pauperibus ſublevandis, & Cypriani martyris ſermonem unum de mortalitate, & alterum item de eleemoſyna; atque aliorum præterea patrum libros ejuſdem generis.

Ut vero quæ ab illis vel tradita, vel præcepta ſunt, in morem atque uſum afflictiſſimo præſertim peſtilentiæ tempore inducantur, eos libellos vulgariter converſos, exiguoque volumine comprehenſos, typis impreſſos, atque editos extare volumus.

Iis præterea libris alios, de rerum ſpiritualium officiis, ſtudiiſque recte conſcriptos, prout opus eſſe viderit, ut legendum cum ob alios fructus, utilitateſque adjunget, tum etiam, ut ne populus, propter intermiſſas magna ex parte, in peſtilentiæ periculis artes & negotiationes, otio langueſcens, ad turpes inaneſque voluptates tempus traducat.

Alias vero facultates, quæcumque peſtis tempore vel neceſſariæ, vel opportunæ a ſummo pontifice impetrandæ erunt, ita in tempore diligenter impetrare ſtudebit; ut ſi peſte ſtatim irruente literarum curſus intercludatur, aut retardetur, ne mora ulla iis adjumenti interponatur, quæ in peſtilentia opus eſſe poſſunt.

In iis facultatibus erunt hæ ſcilicet;

Facultas concedendi plenariam indulgentiam peſte laborantibus confeſſis, aut contritionis ſigna oſtendentibus.

Facultas concedendi indulgentiam iis, qui in quotidiana oratione, per ſeptem horas diſtincta, verſantur.

Facultas, privilegiumve aliquot altarium, ut cum in eis ſcilicet ſacerdos pro aliquo defuncto miſſæ ſacrificium obtulerit, ejus animæ ſuffragetur ad liberationem a pœnis purgatorii.

Facultas, quæ etiam delegari poſſit, abſolvendi ſaltem in foro conſcientiæ a peccatis, delictis & cenſuris ſummo pontifici reſervatis, etiam in literis die cœnæ domini promulgatis.

Facultas etiam aliqua abſolvendi in foro exteriori.

Diſpenſandi item cum ſacerdotibus in quibuſdam irregularitatibus, etiam ob mortem ſecutam contractis, id quod facile evenire peſtilentiæ tempore poteſt in curatione ægrotorum, etiam ſine ulla delicti culpa.

Convertendi etiam alicujus eleemoſynæ legatæ uſum ſaltem ad tempus, ſi quando ad pauperum neceſſitates ſublevandas illud expedire, vel neceſſarium cenſuerit.

Quæ enim ob piam aliquam cauſam legata relictave ſunt, ut videlicet, vel in divinum cultum, vel in puellarum nubentium dotem, vel in alium ejus generis uſum erogentur, ea tunc ſæpe expedit ad egentium hominum victum & ſuſtentationem converti.

Decernendi ſtatuendive utilitatis publicæ cauſa quidquid opus erit, atque adeo compellendi etiam, ut eccleſiaſtici homines ab epiſcopali juriſdictione exempti & regulares etiam, ac locorum præterea piorum, ſi quæ ejuſmodi loca, ab epiſcopi juriſdictione immunia ſunt, præfecti, curatoreſve ſervent, atque adeo præſtent, quæcumque is ob publicam utilitatem decreverit ſtatueritve, pœnis etiam & cenſuris propoſitis.

A metropolitano etiam facultatem impetrabit, qua, dum peſtis eſt, ſibi permiſſum ſit, ab aliquorum decretorum provincialium præſcriptis rationibus, quæ in peſtilentia ſervari minus poſſunt, aliquando diſcedere, utpote a conditionibus loci & altaris, in quo miſſa celebranda erit; a regulis item, quibus vetitum eſt, extra ſedem confeſſionalem in eccleſia confeſſiones audire, & ab inſtitutis etiam celebrandi foraneos conventus, & ab aliis quampluribus ejuſmodi decretis provincialibus; quorum poteſtatem ſibi a metropolitano fieri opus eſſe, aut expedire ipſe viderit.

Et quoniam peſtis tempore tum in civitate difficilis, tum in diœceſi difficilior ad epiſcopum aditus eſſe poteſt; id propterea in iis, quæ epiſcopalem auctoritatem requirunt, tunc expedit, ampliores facultates & parochis & reliquis confeſſariis, ſacerdotibus & vicariis, præſertim foraneis, concedi permittive.

Itaque pro locorum, perſonarumque ratione, proque peſtis periculoſius imminentis gravitate, liberius, præſertim vicariis foraneis, facultates varias delegabit, in quibus erunt hæ:

Facultas abſolvendi, etiam in utroque foro, a peccatis, criminibuſve, interdicto & cenſuris ſibi reſervatis, ea adjuncta etiam facultate, ut

cui

cui delegarit, is ſaltem in foro conſcientiæ eamdem ſubdelegare poſſit.

Permittendi ſacram confeſſionem audire extra eccleſiæ fines, atque adeo etiam a feminis extra confeſſionalem ſedem.

Concedendi, ut miſſa celebrari poſſit in omni eccleſia, & altari etiam ligneo, ut in viis, locisque ejuſmodi; & prorogandi rurſus facultatem datam,

Conſtituendi & approbandi, etiam ſine examine confeſſarios, etiam qui clericorum confeſſiones audiant.

Intermittendi ſacerdotales, clericalesve illos conventus, ſingulis menſibus præſcriptos.

## XI.

*Præparatio annonæ & miniſtrorum ad curationem, & ſuſtentationem publicam.*

Nec vero ea præparatio, atque adeo præcautio negligenda eſt, ut a peſtis contagione incolumis, & tuta ſupellex vel eccleſiæ, vel ſacriſtiæ conſervetur.

Ideo, quæ præſertim precioſior eſt, diligenter ſeligatur, & loco bene munito & remotiori cautiſſime foribus etiam obſignatis aſſervetur. Quo etiam loco monimenta jurium, libri, volumina, ſcriptaque graviora, quæ ad eccleſias pertinent, in armario, aut arca cuſtodiantur diligenter.

Omni officii genere epiſcopus cum magiſtratibus, decurionibusve aget, atque adeo omni ſolicitudine inſtabit, ut propius accedente peſtilentiæ periculo, patriæ, quæ ex horribili funeſtaque illa contagione multis variisque detrimentis affici poteſt, quam opportuniſſime, celerrimeque omni ſua ope ſuccurrant.

Videant in primis, omnique ratione præcaveant, ut cum in peſte difficultas annonæ ſimul ineſſe ſoleat, ne quid ad rei frumentariæ, omniſque annonæ ubertatem deſit, ac proinde cautionem diligentiſſimam adhibeant, ut nemo quiſquam ſit, qui neceſſario eo tempore frumentum ſupprimat: cum præſertim ſæpe fiat, ut graviſſimo illo tempore, longe plures, quemadmodum uſu compertum literiſque traditum eſt, fame necentur, quam peſtilentiæ vi extinguantur.

Quamobrem omnes, qui opibus circumfluunt, & ipſi magiſtratus præſertim, qui civitati præſunt, propoſitum ſibi aliquando habebunt præclarum illud exemplum ſanctiſſimi pontificis Gregorii magni, qui & in peſte, & in annonæ caritate apertis publicis horreis frumentaria largitione uſus eſt ad populi laborantis ſuſtentationem.

Rationem præterea epiſcopus cum eiſdem magiſtratibus inibit, ut tum ex publico ærario, cenſuve, tum etiam eleemoſynis, & omni alia ſubveniendi via multorum inopia egeſtateve laborantium victui neceſſario ſuccurratur; eo præſertim afflicto tempore, quo præ peſtis periculo, & metu, artificia, negotiationes, nundinationes, & quæſtus, mercaturæve, commercium, agrorum cultura, & omnes aliæ cujuſcumque opificii exercitationes languescunt, aut etiam magna ex parte ceſſant, unde homines ſibi victum parare ſolent: quo fit, ut innumerabiles homines, qui alias ab omni re inopes non ſunt, ſæpiſſime ex fame laborent.

Quo in officio omni ita epiſcopus ſe geret,

A ut cum ſe eleemoſynarum largitionibus, pauperum, miſerabiliumque hominum, vere parentem, paſtoremque oſtenderit, exemplo etiam ſuo, non minus quam cohortationibus, omnique alio officio ceteros ad illorum ſuſtentationem alliciat atque inflammet.

Ut vero quod ad ſuſtentationem ſatis eſſe poſſit, omnino procuretur; omnes & ſinguli, quibus ſubveniendum erit, certo libro, recte, ordineque deſcribantur. Qua in re monaſteriorum etiam, & piorum collegiorum, tam virorum quam feminarum, ac pauperum clericorum ratio habebitur, quibus neceſſario eo tempore aliquid in eleemoſynam conferendum erit.

B Tantum vero abſit ut inopes & pauperes, pro quibus etiam Chriſtus dominus ſanguinem profudit, e civitate, opidis, pagiſve, ab omni ope deſtituti, exturbentur, ut non modo aliorum, ſed mendicantium etiam ratio habeatur, ea ſcilicet, ut in unum locum congregentur omnes, ubi cum alimenta corporis, tum maxime omnia adjumenta ſpiritualia ſuppeditentur.

Parochi etiam, ubi inſtituta non eſt, in ſua quiſque regione parochiali confraternitatem ſcholamve hominum, caritatis nomine, epiſcopali auctoritate inſtituent. Cujus confraternitatis erit, neceſſario illo tempore, & eleemoſynas colligere, & cetera caritatis officia obire

C ac præſtare, quibus pauperes, & egentiſſimi homines ſubleventur.

Inſtabit præterea epiſcopus, ut iidem magiſtratus medicos certos conducant, conſcribantve, ac paratos habeant, qui peſte laborantes curent.

Chirurgos, tonſoresve certos deligant, qui venam ſecent, medicamentaque apponant. Medicamenta, reſque ad eorum victum neceſſarias parent, ac ſubminiſtrent.

Famulos, famulaſque, & alios homines caritate Chriſtiana præditos comparant, qui operam, curationiſve ſolicitudinem eiſdem navent.

D Obſtetrices certas habeant, quæ partum mulierum, peſte ægrotantium, eove nomine ſuſpectarum excipiant.

Nutrices item certas ad eorumdem liberos lacte alendos.

Caprarum etiam certum aliquem numerum ad lactis eiſdem præbendi uſum, ſi quando nutricum copia non datur.

Veſpillones item, quos monattos dicunt, plures conducant, quorum alii illa officia præſtent, quæ a contagio integra ſunt, ab omni ſuſpicione vacua: alii ſint, qui peſte affectis ſe duces, ac miniſtros præbeant, qui mortuorum corpora ſepeliant, qui infecta domicilia expurgent, & pannos itidem infectos, & alia id generis exequantur.

E

## XII.

*Præparatio locorum curationis publicæ:*

Domos publicas, hoſpitales, locave complura, ampla, & diſtincta, quæ, alia ſcilicet peſte affectis, alia eo nomine graviter ſuſpectis, alia minus ſuſpectis, alia convaleſcentibus uſui ſint, apparent, neceſſariaque ſupellectile inſtruant.

Quæ diſtincta partim peſte tabeſcentibus; partim ſuſpectis, partim miniſtris, tum in re

ciba-





cibaria, tum in lectiſterniis, tum in pannorum A purgatione & lotione uſui ſint.

Veſtes præterea, & lectiſternia ad commutationis uſum parent illis, qui vel a peſte convaleſcentes, confirmative, aut a ſuſpicione plane liberi inde migrant.

Situm etiam tuguriorum ad multiplicem illum uſum diligant & præfiniant. Qua in re etiam atque etiam caveant, ne loca, ædes, domicilia, aream, ac ſitus ullos, quicumque ſint, ad eccleſiæ, locive pii cujuſcumque jus pertinent, uſurpent, occupent, impediant, aut aliqua ſervitute implicent, ne ad breve quidem tempus. Quod ſi aliquo modo attinent, id ne committant epiſcopus inhibebit, atque interdicet. B

Si vero nullo modo aliunde ſitus, locave haberi poſſunt, ſed ad eam rem neceſſario uſui eccleſiaſtica ſunt: tunc ei, vel eccleſiæ, vel loco, cujus ſunt, ſcriptis publicis, a notario recte, riteque confectis, omnino caveatur, ut quidquid damni, detrimentive eo nomine fecerit, id reſarciatur.

Qui ſitus amplus ſit, ut ægroti a graviter ſuſpectis, hi a leviter ſuſpectis, hi etiam a convaleſcentibus ſeparatim, aliquo ſcilicet interjecto ſepimento, habitare poſſint.

Loco ſit non humido, non uliginoſo, ſed editiori, & aprico, ſicco, & ſalubri. Prope aquam fluentem ſit, non torrentem tamen, unde inundatio, eluviove aliquando extare C poſſit.

Extra urbem, opidum, pagumve, loco tamen propinquo, & commodo, ut adjumenta ad animæ curationem, & corporis uſum, aliaque caritatis officia, atque ſubſidia facile & opportune illis ſubminiſtrari poſſint.

Parent item materiam omnem, quæ idonea, quæque ſatis ſit ad tuguria, capellas, & domicilia, in eo ſitu bene extruenda, ut infra.

In eo ſitu cum tuguria extruenda erunt, hoc videant & ſtudeant.

Ut ita vel denſiſſima palea, vel tabularum ſectilium apta inter ſe commiſſura ſtruantur, ut ab omni aut pluviæ, aut venti impetu, turbine, injuriave temporis tuta ſint. D

Ut ordine recto collocentur, & ſi fieri poteſt, a parte anteriori ad ſeptemtrionem verſus, vel in aliam partem ſalubrem ſpectent.

Ut ſingula, quo magis ab omni uligine, humiditateque defendantur, exiguo rivulo cingantur, per quem aqua pluvia ex eorum culmine defluens, alio extra illorum ſitum derivetur.

Ut eorum ſolum, ſubjectis tranſverſis lignis, aut tabulis, palea inſuper multa ſtratis, ab humo altius ſaltem tribus palmis extet.

Domicilia, ſeu caſas extra ſepta tuguriorum parent ad uſum laicorum præfectorum, curatorum, cuſtodum, & miniſtrorum.

Loca item diſtincta lavationis, & purgationis veſtium, & pannorum cujuſcumque generis. E

Habitationem item diſtinctam, ad eorum uſum, qui illis purgandis, abluendiſve operam navabunt.

Supellectilem etiam neceſſariam ſupra demonſtratam, neceſſariaque inſtrumenta præparent ad horum locorum publicæ curationis uſum.

Proſpiciant quoque, ne peſte ingraveſcente palea deſit, ad quotidianam tuguriorum ſubminiſtrationem.

In omni autem domo hoſpitali, publicove tuguriorum loco, tum crux alta, curante epiſcopo, bene, firmiterque humi ſuffixa, erigetur loco medio, eoque editiori & conſpicuo: tum ea in primis ratio habeatur, ut ſi ibi capella ex pariete jam non eſt, ea cum altari ex tabulis ſectilibus & aſſeribus extruatur.

Imo vero ubi plures ſacerdotes conſtituendi erunt, ſi minus totidem capellæ, ut ſaltem duæ omnino extruantur.

Atque in earum quidem extructione hæ rationes mox infra demonſtratæ adhibebuntur.

Situ eminentiore ſtruantur, ab omnique parte conſpicuo, ut qui in tuguriolis, celliſve ſunt, ab eorum oſtio, quoad ejus fieri poteſt, ſacerdotem celebrantem proſpiciant.

Eo præterea loco ſint, ſi fieri poteſt, ut qui foris ſunt, miniſtri, famuli, cuſtodeſve, miſſæ etiam ſacrificium aſpiciant.

Erunt item forma, quæ quadri ſpeciem exhibeat, longe lateque brachia ſex, aut minimum quinque patebunt.

Partes autem a latere ad ingreſſum capellæ verſus ampliores etiam fiant licet, uſque adeo, ut pars anterior late patens ſit, brachia octo, aut recte ſeptem.

Pavimentum capellæ a tuguriorum ſolo altius extabit brachia quatuor, vel quinque: ad cujus altitudinem aſcenſus fiet gradibus ligneis, ut ſacerdos celebrans e tuguriis paulo remotioribus proſpici recte queat.

Ligna vero, tignave, quibus capellæ ſtructura ſuſtentatur, ita firma, ſolida, fixa, atque inter ſe bene, apteque compacta erunt, ut ventorum impetu [illegible] non modo non corruat, ſed ne labaſcat quidem.

Ab omni latere capella feneſtram cum valvis habebit, per quam miſſæ ſacrificium ſpectetur, cum ſudum, ſerenumve erit: alioqui valvis occludetur, ne ex vento, pluvia, injuriave temporis aliquid incommodi, indecori, offenſioniſve accidat. Quæ vero feneſtra a parte poſteriori altaris ſtruetur, ſi quando ſtruatur neceſſe eſt, ab altaris ſuperficie extabit altius uno brachio.

Pars anterior illius capellæ ita extruetur, ut ſera, clavi, peſſulo, vecte, & valvis bene firmis inſtructa, a furti, rapinæ, alteriuſve injuriæ periculo tuta ſit, quo cautius ſacræ veſtes, ſacraque vaſa ad miſſæ cultum pertinentia in capella ſerventur: & ſanctiſſimum etiam ſacramentum, quod miniſtrandum eſt, ibidem cuſtodiatur.

At vero ubi certus ſacerdos, qui aſſidue aſſiſtat ſpirituali tuguriorum curationi, non conſtituetur, tunc capella non intra, ſed extra eorum fines, loco paulo remotiore, ita procul ſtruetur, ut ſacerdos aliunde acceſſitus, qui ibi miſſæ ſacrificium celebret, a contagionis periculo ac ſuſpicione tutus, peſtilentiæ lege ab epiſcopo præſcripta, non debeat ſtatos illos dies ſeparatim ab aliorum vitæ commercio manere.

Ubi ſacerdotes conſtituentur, qui præcipue illis tuguriorum locis in cura ſpirituali invigilent, domicilium eis parabitur loco finitimo ac ſegregato aliquantulum a tuguriis, &, ut fieri poteſt, ab aliis domiciliis incolarum prope habitantium.

Si vero tale domicilium, lapidibus extructum inveniri non poteſt, ex tabulis ſectilibus aſſeribuſve fiet loco non longe a poſitura capellarum.

At ſiquando illud ſacerdotum domicilium a finibus tuguriorum aliquantulum aberit; eorum unicuique parabitur etiam propinquiori loco tuguriolum forma decenti, ex tabulis ſectilibus, paleiſve confectum, ubi interdiu per pluviam maneat, & cibum ac ſomnum aliquando capiat, quo diligentiori aſſiduitate curæ ſibi commiſſæ incumbat.

Domicilium ſacerdotale tale omnino erit, ut in eo ſacerdos ſeparatim a clerico habitare poſſit, itidemque ab alio ſacerdote, ſi plures ibi conſtituendi erunt.

Si ad mortuorum ſepulturam cœmeterium parochiale, & alia antiqua cœmeteria, locave ſacra, ab epiſcopo ad eum uſum conſtituta, ſatis non fore exiſtimabitur, ſitus alius parabitur, qui tuguriorum loco finitimus ſit, quique peſte ingraveſcente mortuorum numerum capiat; & appoſitus præterea ſit, ut pariete cingi, & ubi aliquando deinceps extrui ſacellum commode poſſit.

Situs hic & ab epiſcopo rite conſecrabitur, & firmiſſima ſepe ſaltem, aut denſis aſſeribus, aut maceria undique ita cingetur, ut & lupis, & reliquis beſtiis aditus omnino obſtruatur.

Capella unaquæque, ubi ſacerdos conſtituendus erit, inſtruetur hac ſupellectile; utpote lapide ſacro, calice, patena, cruce, & alia præterea ſacra imagine, candelabris binis, veſtium apparatu ad miſſæ uſum neceſſario, & mappis item eo numero, ut ſuo tempore commutari queant.

Habebit præterea vaſculum aquæ ſanctæ, aſpergillum, & tintinnabulum.

Superpellicea etiam numero ſaltem totidem, quot ſacerdotes ſunt, & quot item clerici.

Laternas item quatuor cum cereis: quæ ad ſanctiſſimi ſacramenti, cum fertur, cultum adhibebuntur.

Pyxis etiam comparabitur, & tabernaculum ligneum, ubi ſanctiſſimum ſacramentum cuſtodiatur, & umbella item, quæ ſaltem exigua ab uno tantum homine geſtetur.

Sacri olei vas etiam ſit ad uſum miniſtrandæ extremæ unctionis.

Libri rituales ſacramentorum totidem, quot ſacerdotes.

Hæc porro ſupellex etiam, quod ad mappas attinet, conduplicabitur, ubi ſacerdotes plures reſidebunt, prout erit eorum numerus, ſaltem quæ attinet ad mappas, & veſtes.

Feretrum præterea unum, duo, plurave.

Pallium etiam præcipuum apparabitur, quod ad efferenda corpora eorum, qui peſte mortem obierint, uſui erit, & plura item, eaque loco diſtincto & ſeparato ab omni alia ſupellectile aſſervabuntur.

Armarium ſub altari extructum, ad uſum aſſervandi ſupellectilem ſacrarum miſſæ veſtium.

Hoſpitalibus, domiciliis, lociſve tuguriorum, ubi hominum exiguus numerus, peſte irruente, collocandus erit, ſacerdotem ſaltem unum epiſcopus præficiet: ubi vero aliqua multitudo, duos, atque adeo plures pro multiplici varietate, & multitudine eorum, qui eo perducendi erunt: ut unus peſte affectis, pluresve etiam, ſi quando morientium multitudo plures poſtulat, alter ſuſpectis, alius minus ſuſpectis, vel convaleſcentibus, vel miniſtris quoque operam ſpiritualem navet; eamque ob cauſam omnes in locis curationis reſideant, aſſiduique; A quibus ſinguli clerici adjungentur, qui eiſdem in miſſæ ſacrificio, aliiſque functionibus miniſtrent.

Iis ſacerdotibus & clericis, quæ ad victum, veſtitumque neceſſaria ſunt, ſuppeditabuntur a miniſtris publicis ex eo ſumptu, unde alimenta aliis præbentur, qui in eadem hoſpitali domo, locove ſunt.

Cum eiſdem magiſtratibus, & decurionibus epiſcopus aget, ut nihil denique in ſumptibus faciendis, aliiſque officiis præſtandis prætermittant, aut negligant: ut omni externa cura, omnique externa adminiſtratione opportune proſpiciant imminentibus neceſſitatibus. Id porro ſtudium cum laudabile eſt, ac nomine Chriſtiano, & commemorabili pietate dignum, tum plane neceſſarium.

Epiſcopus præterea certas domos, aut domicilia, locave ampla, & a ceteris diſtincta parari ſtudebit, quæ uſui eſſe poſſint, aut eccleſiaſtici ordinis hominibus, qui præſertim collegiatim vivunt, aut monialibus, aut iis, qui in hoſpitalibus curantur, ſi forte peſtis monaſteria, hoſpitaliave loca invaſerit.

Ad quæ domicilia, locave vel ii omnes, qui in peſtem, ſuſpicionemve inciderint, perducantur, aſportenturve; vel contra fiat, ut ſcilicet peſte affectis remanentibus, ad illa ipſa domicilia ceteri bene valentes, & ab omni ſuſpicione liberi, qui ſunt ejuſdem vel collegii, vel monaſterii, vel hoſpitalis ædis, habitatum veniant, ne illorum contagione inficiantur.

## XIII.

*Officia ipſo peſtilentiæ tempore miniſtranda, & conſtans in primis miniſtratio.*

Cum peſtilens contagio, vel in civitatem, vel in aliquam ejus partem, vel in diœceſin, eſuſve locum aliquem ſeſe infuderit, eo diligentior cura & ſollicitudo laborioſior propoſita epiſcopi erit, quo gravius certiuſque periculum fidelibus ſuæ curæ commiſſis inſtat.

Parochorum & ſacerdotum, quos conquiſierit, ſolicitudinem omni cohortatione, omnique officio, atque imitationis exemplo, quo aliis præibit, ardentius accendet.

Quem vero locum peſtis pervaſerit, eo quamprimum epiſcopus certos ſacerdotes mittet, qui ſpirituali curationi incumbant.

Cui rationi interea vicarius foraneus, ſi locus diœceſis ſit, pro videbit, dum epiſcopus illos mittet.

Magiſtratuum, decurionumque ſtudium, & procurationem, quam peſtis periculo imminente paulo ante excitarat, vehementius eo ipſo tempore inflammare non deſiſtet, quo peſtifera lues jam ſerpere incepit.

Populi item caritatem & pietatem ſanctiſſimis, tum orationum, piarumque exercitationum, tum miſericordiæ operum inſtitutis, eo diligentius, ſtudioſiuſque incendet, quo vehementius illum, peſtilentiæ metu perculſum, afflictum, ac pene proſtratum cernit.

Quo in genere illam animi conſternationem, ac ſtupiditatem, quaſi vecordiam quamdam, quæ ex repentinis illis funeſtæ labis eventibus, quamſæpiſſime accidit, ex hominum mentibus ita evellere ſtudebit, ut & ſummi & medii & infimi non modo præ timore partes officii ſui non





deſerant, ſed & erga Deum religione, & pietate in patriam, & amore erga ſuos, & caritate in cives valde accenſi, in omni fortitudinis, conſtantiæque officio ſeſe contineant, atque excitent, non ſolum ad labores, Chriſti domini cauſa neceſſario tempore fortiter ſuſtinendos, ſed ad pericula etiam ſubeunda conſtantiſſime. Itaque omnium animos confirmabit non dictis tantum, ſed factis, epiſcopali robore, epiſcopalique virtute vere dignis.

Perpetuo igitur huc atque illuc accurret, afflictos eriget, mœrentes mœſtoſque conſolabitur, egentes ſublevabit, orationis ſtudium excitabit, opera, atque officia pietatis languere non ſinet; & omnia denique tuebitur, quibus animi exſuſcitantur & majores fiunt ad omnem ſanctarum virtutum exercitationem.

Parochi autem & epiſcopi præclaro documento, exemploque inſtructi, & propoſita in primis etiam ſibi illa immenſa caritate, qua animas ſibi in curam traditas Chriſtus dominus dilexit, precioſoque ſanguine in ara crucis profuſo redemit, non modo unquam non erunt in ancipiti deliberatione officiorum, quæ eis neceſſario præſtare debeant, ſed nihil potius ſtatuent, quam illis in diſcrimine, calamitateque verſantibus, omne ſpirituale pabulum miniſtrare, etiamſi vitæ periculum ſubeant, memoria & recordatione ea excitati, quod ſibi ſpecialis cura commiſſa eſt illas paſcendi.

Et vero meminerit, multo convenientius negligens quoddam ſtudium obiici, quod ipſo ad parochiales ſuos ſpiritualibus adjumentis neceſſario tempore ſoblevandos adhibeant, quam quod vitio iis dari ſolet, qui langueſcente caritate ſunt, nulloque cura ducuntur eoſdem adjuvandi rebus ad corporis uſum neceſſariis.

In ea etiam recordatione verſabuntur, magnam ſibi oblatam opportunitatem & accommodatam, cum ad vitam pro grege profundendam, tum ad operam ei utiliter neceſſarioque navandam, non ſine præclara teſtificatione deſiderii & zeli, quo exardeſcere debent, ſalutis animarum.

In contagionis etiam periculo, quod certe hominum opinione longe minus eſt ob oculos ſibi ponent, præcipuam illam curam, qua ſuos miniſtros Deus admirabiliter tuetur, ab omnique periculo incolumes conſervat, dum ad divinæ majeſtatis gloriam, animarumque ſalutem procurandam, miniſteria ſua religioſe conferunt. Id quod peſtilentia ſuperioris temporis animadverti licet; quo perpauci aut fere nulli animarum curatores, qui in ſuæ curæ bene gerendæ officio conſtantiſſimi, parochialibus ſuis peſte tabeſcentibus cum alia ſacramenta, tum extremam etiam unctionem miniſtrarint, mortem obierunt; contra vero qui a ſui miniſterii functione longe refugerunt, complures morte erepti fuerunt.

Si rurſus contra eveniſſet, hoc ſecum ſtatuerent, nihil ſacerdoti, curam animarum gerenti, optabilius, nihilque ad caritatis meritum ferre præſtantius, quam pro animarum, quæ ſibi, ſuæque fidei concreditæ ſunt, ſalute mortem oppetere. Imo vero non defuerunt ſanctiſſimi viri, qui ſcripſerunt tale mortis genus a martyrii gloria non longe admodum abeſſe.

His atque adeo aliis hujus generis commentationibus & rationibus, quæ permultæ illæ quidem ſacrarum literarum monimentis conſignatæ ſunt, ſanctorum patrum documentis exemplisque explicatæ, parochi, quaſi ſtimulis curæ ſuæ incitati, in dies ardentiori zelo ſeſe inflammabunt, ad recte cumulateque exequendas parochialis ſui muneris partes.

Jam vero igitur & epiſcopus paſtoralis officii ſui religione adductus, & iidem parochi animarumve curatores, muneris ſuſcepti rationibus commoti, ſtudioſe, ſoliciteque præſtabunt muneris miniſteriique ſui officia: ad quæ etiam atque etiam vehementius ſeſe excitabunt, exemplo accenſi ſanctorum virorum, Cypriani martyris, Baſilii magni, & Nicolai epiſcoporum, Bernardini Senenſis, beatique Rochi; quorum omnium mirifica in contagioſo morbo cura extitit, & præterea Auguſtini ſanctiſſimi epiſtola ad Honoratum conſcripta; & præclaris item illis Dionyſii Alexandrini literis, ex quibus ſacerdotalis clericaliſque officii functiones, quas in graviſſima peſte ſacerdotes diaconique executi ſunt a ſe etiam omni caritatis ſtudio ſuſcipiendas præſtandaſque facile intelligent.

Sed ne longe ſolum exempla petantur, domi etiam ſunt, quorum documentis homines eccleſiaſtici ordinis ad omne caritatis officiorum genus in peſtifera labe exequendum inſtruatur. Atque ii quidem ſunt metropolitanæ eccleſiæ Mediolanenſis archiepiſcopi duo, omni laude florentes, Benedictus & * Aſpertus.

Hinc in teterrima peſte, quæ ſuo tempore omnem Italiam, & potiſſimum Mediolanenſem præcipue invaſerat, peſtilenti lue tabeſcentes perpetuo ſtudio viſitaſſe; eiſque ſacramenta omnia miniſtraſſe fertur: idque ipſum officium, ejus exemplo & juſſu, parochi etiam accurate præſtitiſſe dicuntur. Ille omni Europa, Italia & urbe, ditioneque Mediolanenſi præſertim peſtilentiæ morbo vexata atque afflicta, cum ea ipſa officia præſtitiſſet, tum cibum etiam, ac victum tabe languentibus manu ſua miniſtraſſe commemoratur.

Populus denique fidelis eccleſiaſticorum hominum ſtudiis, atque exemplis inflammatus, & ejuſdem Dionyſii præcipuis literis commonitus, non afflictione quaſi tabeſcens, ſed immenſo quodam caritatis Chriſtianæ, benevolentiæque fraternæ ardore incenſus; patriam non deſtituet, conjunctiſſimos non deſeret, fidelium corpora inſepulta non projiciet, neque cetera aget, quæ a pietatis Chriſtianæ officio aliena olim gentes, a fidei religione averſas, in peſtilentia egiſſe, iiſdem Dionyſii literis proditum eſt. Imo is occaſionem nactus ſanctæ exercendi officia caritatis, omniſque religioſæ virtutis, talem ſe præſtare ſtudebit, quales in teterrima illa peſte, quam ipſius item Dionyſii litteræ narrant, extitiſſe dicuntur; qui minime perterrefacti, peſtis morbo afflictos frequentiſſime inviſebant, illis ſedulo inſerviebant, curationemque omnem ob Chriſti amorem pro viribus adhibebant.

* ſ. Anſpertus.

ANNO CHRISTI 1579.

## XIV.

*Cautiones adhibendæ, ne peſtis latius ſerpat.*

Ubi peſtis contagio aliquam vel urbis, vel diœceſis partem invadere cœpit, eam diligentem cautionem epiſcopus adhibebit, primum ut & in parochis & in omnibus eccleſiaſtici ordinis hominibus & in univerſo populo, pietatis Chriſtianæ officia, ſtudia, atque exercitationes: non ſolum aliqua ex parte non minuantur & langueſcant, ſed quam maxime fieri poteſt, diligenti ſolicitudine augeantur, & ſancto religionis zelo ardentius inflammentur.

Deinde hoc ſedulo maxime cavebit, ut dum in eo excitandæ pietatis officio ac ſtudio verſatur, dumque hoc enixe curat, ut celebritate ſumma, univerſique populi conventu & religioſo hominum cœtu res omnis Chriſtiana eo tempore peragatur: at huic neceſſario in primis ſtudio adjungat etiam omnem ſolicitudinem & cautionem, ne peſtilentiæ vis latius ſerpat, ſed reprimatur atque extinguatur.

Et quoniam ſanctarum proceſſionum uſus afflictiſſimo quoque tempore, & in peſtilentia præſertim, graviſſimoque morbo ab eccleſia Dei perpetuo adhibitus eſt: ideo epiſcopus non ſolum imminente, ut narratum eſt, ſed ingraveſcente in dies peſte, proceſſiones & ſupplicationes toties inſtituet, atque adeo peraget, quoties opus eſſe viderit. Quo in proceſſionum officio præſtando, hoc ſtudioſius inhærebit, quod præter ſanctiſſimorum patrum Baſilii epiſcopi, & Mamerti Viennenſis documenta: ex quibus ex proceſſiones quam utiles ad omnem calamitatem propellendam, quam ſalutares ſint facile intelligi poteſt, exemplis etiam vehementius inflammare debet duorum ſanctiſſimorum virorum Gregorii magni pontificis, & Eutychii Conſtantinopolitani. Hic ubi primum proceſſiones inſtituit, peſtis vis tamdiu extincta eſt, dum ille ex hac vita migravit. Ille vero pontifice Pelagio peſtilentia mortuo, non modo non intermittendas, ſed certo diſtincto fidelium ordine, ac ſolemni prece celebrandas illas cenſuit, non repentina morte deterritus hominum, qui octuaginta cum illo in proceſſione obierant.

Ad quod ſane officium perpetuo retinendum, pieque excitandum, apud nos in primis valere debet vel plurimum hoc etiam præclarum, luculentumque exemplum, quod cum ſcilicet ſexaginta [illegible] ante hæc tempora annis civitas Mediolanenſis [illegible] funeſtæ peſtis contagio varia [illegible]plicique ſtrage diu affecta, atque afflicta, tandem nullo alio remedio ſuſtentaretur, divinitus liberata eſt publicarum proceſſionum, & triduanarum ſupplicationum officiis, & ardentiſſimis pietatis, pœnitentiæque ſtudiis atque operibus.

Et ſi, inquit Cyprianus martyr ſanctiſſimus, plurimorum mens ſolida eſt, & anima devota, quæ peſtilentiæ impetu non movetur, ſed tamquam petra fortis & ſtabilis turbidam, violentamque ejus tempeſtatem frangit, tamen quia nonnulli, vel præ imbecillitate animi, vel præ dulcedine ſæcularis vitæ ac quadam quaſi mollitie animos ſtare fortiter, nec pectoris ſui invi[illegible] robur neceſſario tempore præſtare poſſunt, ideo ut iis, qui in peſte ſibi valde ca-

A vendum putant, ad cautiones deſcendimus, quas mox infra demonſtramus.

Id igitur epiſcopus curabit atque efficiet, ut cum in omni eccleſia, omnique celebritate, tum in proceſſionibus homines non conferti, non denſi ſimul & compreſſi inter ſe ſint, ſed ordine diſtincti, & aliquo intervallo ſeparati, ut contagioni locus non detur.

Qua vero in eccleſia pluries mane diebus ſingulis miſſæ ſacrificium celebrabitur, hoc cavebit, ut non eodem tempore ad eamdem eccleſiam, cum præſertim peranguſta eſt, populus conveniat, ſed diverſo tempore tantum, niſi neceſſaria cauſa aliter poſtulet.

Scholæ præterea inſtitutionis Chriſtianæ, lo-
B co aperto, & amplo, utpote in cœmeterio, foro, trivio habebuntur: idem expedire videtur, cum in orationis communis, aliorumque pietatis officiorum exercitatione, tum in concionibus aliquando.

Eccleſia parochialis ſi extra illa ſepta eſt, quibus hominum aliunde venientium, & viatorum, peregrinorumve aditus, & ingreſſus peſtis temporibus præcludi atque obſtrui ſolet; parochos ſi intra ſepta, vel intra opidi, locive mœnia eccleſiam aliam idoneam, & domicilium propinquum, ubi ipſe habitet, invenerit, eo ſanctiſſimum ſacramentum, & curæ parochialis munus de vicarii foranei conſenſu transferat, licebit. At ſi alio juſtis cauſis minus ex-
C pediret, ibi tamen ea parochialia munera geret, ad quæ frequens populi concurſus eſt, qualis eſt diebus feſtis miſſæ parochialis celebratio, prædicatio, veſperarum officium, & orationis communis, ac rei hujuſmodi exercitatio. Id porro omne epiſcopi judicio & voluntate ſtatuetur. Ejuſdem judicium erit, ſi quando peſtis vel periculum, vel contagio aliquem locum vexare incipit, an propterea, ut populo locus amplus & commodus detur, altare extra eccleſiæ parietes, aut intra, ſed in ipſo januæ ingreſſu collocabitur; præſertim cum vel ſacerdos qui celebrat, peſtis nomine ſuſpectus admodum ſit, & eccleſia peranguſta ſatis, vel contagio ad illius loci complures domos familiaſve di-
D manarit. Quod ſi epiſcopus ita faciendum cenſuerit, tunc vicarius foraneus ejuſdem conceſſu miſſæ ſacrificium in altari portatili, quod ob eas cauſas intus in eccleſia prope januam collocabitur, aliquoties celebrare permittet, idque præſertim die feſto, & in eccleſia præſertim, quæ exigua, & anguſta valde eſt pro ratione multitudinis, quæ confertiſſima eo ad miſſæ ſacrificium uno tempore conveniet. Cum vero altaris portatilis facultatem dabit, eam cautionem præſcribet, ut eo loco, & ita collocetur, ut ab omni venti temporiſve injuria, ab omnique rei indecentis, atque offenſionem præbentis, periculo tutum ſit.

Parochialibus ſuis, qui quoniam extra cuſto-
E diæ fines, & cancellorum ſepta habitant, ſuſpicionem aliquando majorem præbent, cum nullus ad eos aditus viatorum, peregrinorumve præcluſus ſit, ſed valde apertus, ac plane liber, epiſcopi conceſſu & auctoritate ita proſpiciet atque conſulet, ut in aliqua propinqua eccleſia, ſacellove probato ad miſſæ ſacrificium conveniant: ubi itidem ſermonibus ſtatis, denuntiationibus, cohortationibus, ſcholis Chriſtianæ inſtitutionis, feſto ſolemnique officio veſperarum, proceſſionibus, litaniis, orationi communi, & aliis pietatis Chriſtianæ exercitationibus interſint.

Quam



ANNO CHRISTI 1579.

Quam ob cauſam eis certum aliquem proprium ſacerdotem diœceſanum conſtituet: cujus ſuſtentationi ſuccurretur eleemoſynis, quas vel ipſi, vel omnes illius parochiæ homines ad eam conferent, aut certe alia inita ejus ſuſtentandi ratione, ut commodius fieri poterit.

Sin hac via non ſuccedet, hanc aliam aggredietur, ut dum peſtilentiæ ſuſpicio & periculum eſt, aliquem ſacerdotem capellanum illius opidi, locive, qui idoneus ad parochialia officia præſtet, epiſcopi conceſſu ad illos homines eo potiſſimum tempore mittet, quo tantum illius miniſterio opus eſt. Si vero complures parochi ſunt, unus aliquis eorum, curæ cauſa, illuc ſe conferet.

Imo ſi vel unus tantum parochus, animarumque curator eſt, eam aliquando cogitationem, atque laborem ſuſcipiet, ut ad parochiales illos ſuos, cum per alias curæ occupationes licet, crebro proficiſcatur, ut tum miſſæ ſacrificium celebret, ſermonem habeat, id generis officia omnibus univerſe præſtet: tum etiam ſpeciatim ſingulis, quibus opus eſt, ſacramenta miniſtret, & alia adjumenta ſpiritualia præbeat, quæ a ſe in primis præſtari, ſuſcepti officii parochialis munus depoſcit.

Sed demum ſi omni ea ratione, ac via ſpiritualibus illorum neceſſitatibus non ſatis proſpectum, conſultumque eſſe poteſt, nullo tamen modo vicarius foraneus, aut præfectus, aut parochus patietur, parochiales illos, qui vere peſtilentiæ morbo non laborant, nec vero certis cauſis in ſuſpicione contagii vere ſunt, eccleſiæ parochialis communis, aliarumve, quæ illius membra ſunt, aut intra ejus fines poſitæ, aditu & ingreſſu excludi, atque adeo prohiberi, quo minus ſibi miſſæ ſacrificio, ſacris concionibus, & ceteris Chriſtianæ pietatis actionibus univerſe interſint, atque præterea unuſquiſque ſpeciatim ſacramenta ibidem, aliaque ſpiritualia adjumenta a parocho ſumat.

Eam quoque rationem parochus epiſcopi conceſſu inire poterit, ut ſi quando, præſertim qui extra cuſtodiæ ſepta habitant, pauciores ſunt, quam illi, qui intra ejuſdem fines domicilium habent, aliqui cancelli, per quos miſſæ ſacrificium inſpici poſſit, intus in eccleſia parochiali, ſi ejus amplitudo hoc tulerit: alioquin in ipſo veſtibulo præfigantur, ut diſtincti & ſeparati inter ſe ſint, qui intra ſepta morantur, ab illis qui pauciores foris manent: atque hac quidem neceſſaria cauſa parochus permittet eos parochiales extra eccleſiæ oſtium miſſæ ſacrificium tunc ſpectare, nullo decreto vel provinciali, vel diœceſano obſtante.

Hæc ipſa cancellorum ratio, & viatorum, & illorum etiam cauſa adhiberi poterit, qui alienæ curæ homines ad aliquam aliam eccleſiam, vicarii foranei juſſu convenient, quod licet fortaſſe locus ubi habitant, ab omni contagione ſuſpicioneve liber ſit; tamen ubi eccleſia parochialis ſita eſt, ad quam convenire debent, locus peſtilentiæ morbo laborat. Cancellorum etiam ſepimento eos quoque parochus ſeparabit, quos ex aliena parochia ad miſſæ ſacrificium, divina officia, & concionem accedere animadverterit. Verum cum iſtis, ut maxime poteſt, admonitione omni aget, ut ad propriam eorum eccleſiam parochialem conveniant.

A Iis qui extra præfixos in eccleſia cancellos manent, aquæ ſanctæ vas præcipuum ab alio diſtinctum, ac ſeparato loco collocatum, apparabitur. Quod extra eccleſiam, dum peſtis ſuſpicio eſt, ponatur licet, modo tamen a canibus, aliiſque brutis animantibus, & omni rei indecentis periculo tutum ſit, aut inde in eccleſiam locumve tutum aſportari poſſit, miſſæ ſacrificio, divinique officiis peractis.

Ubi vel univerſus populus, vel magna pars aut univerſa vicinia ædium ſuarum exitu prohibetur, miſſæ ſacrificium in oratoriis, altaribuſve quæ jam parietibus exædificata ſunt, quæve tunc ex aſſeribus in vicinia, foro, via publica, locove opportuniori extruentur, celebrari
B epiſcopus permittet; qui locum, ubi illa ſtruentur, cum primum inſpiciet, arbitratuque ſuo diliget, tum cavebit ſic extrui, ut ſupra cautum eſt, de omni periculo evitando. Hanc porro curam is, cum per alias occupationes non poteſt, in urbe præfectis regionariis, aliiſve quos maluerit, & in diœceſi vicariis foraneis relinquet.

In iis oratoriis altaribuſve, atque adeo ſingulis viciniis parochus, prout opus erit, ſtatas denuntiationes dierum feſtorum, vigiliarum, matrimoniorum & rerum aliarum, quas de more enuntiare ſolet, promulgabit, atque edicet, edicive curabit.

Parochus quamſæpiſſime parochiales ſuos eti-
C iam de altari moneat, quam graviter peccent, qui præ metu alicujus vel incommodi, vel detrimenti, aut alia cauſa peſtiferam contagio[illegible] qua infecti ſunt, occulte ce[illegible] detrimentum inferant, propterea quod ſi ab initio curationi ſe darent, facilius morbum depellerent: ac ruſus quam vehementius aliis noceant, qui ob eam cauſam, quoniam illos non cavent, ſe facile contagione inficiunt; & vero quod maxime omnium intereſt, certo repentinæ mortis periculo ſeſe ipſi offerunt, ut ne contritionem quidem, qua ſua peccata doleant, animo concipiendi, nedum ſanctiſſima ſacramenta ſumendi ſpatium vel exiguum ha-
D beant.

Parochialis viciniæ, locive decanis, vel ſyndicis conſulibuſve id curæ epiſcopi nomine commendabit, ut diligenter, vigilantique ſtudio ſingulorum morbum explorent, & ſi quem in contagionem incidiſſe compererint, quamprimum ſe, & laicos, etiam eo nomine conſtitutos, certiores faciat, quibus ex legibus magiſtratus ſanitatis, id denuntiare debent.

Id ipſum patresfamilias monebit, ut hoc itidem de iis ipſis ſingulis ſedulo præſtent, qui in ſua familia, famulatuve ſunt.

Populo præterea ſuadebit, ut omnes & ſin-
E guli valetudinis publicæ zelum ſtudiumque ſuſcipiant; ita ut ſi quis aliquem viciniæ ſuæ hominem, aliumve peſte laborare, certo ſciat, aut probabiliter ſuſpicatur, rem omnem confeſtim & ſibi, & laicis illis a magiſtratu conſtitutis denuntiet. Ad quod ſane officium quo vehementius incitet, certis argumentis demonſtrabit, quam graves pœnas Deus ab his repoſcet, quorum negligentia, culpave, tot tamque acerba damna, & mala non modo illis peſte tabeſcentibus, quorum morbum patefacere debuerant, ſed aliis etiam ſingulis, qui contagionem contraxerunt, & univerſitati denique importata ſint.



Aliam

ANNO CHRISTI 1579.

Aliam præterea rationem omnem idem parochus adhibebit; ut de cujuſque morbo certior quam primum fiat.

Illud vero præter cetera populo ſignificabit, ſibi ab epiſcopo illud præſcriptum eſſe, ut ſi quem in parochiali vicinia ægre ſe habere ſenſerit, illum ſtatim inviſat, quo diligentius in tempore ſanctiſſima ſacramenta miniſtret, omneque aliud adjumentum, cum ad animæ ſalutem in primis, tum ad corporis etiam curationem conferat.

Certo libro omnes & ſingulos parochiales ſuos notabit, non modo eos, qui peſtilentia ſuſpicioneve laborarint, ac demum liberati fuerint, ubicumque vel domi, vel in locis publicæ curationis degerint; ſed illos etiam qui peſtifera labe affecti mortem obierint, ubicumque manſerint.

Denique opportune epiſcopus, tamquam populi pater, ut multis rebus, quæ peſtis tempore incommode, acerbeque de repente accidunt, paterna cura proſpicere poſſit, per parochos, & alios tum eccleſiaſticos homines, quos huic curæ præfecerit, tum per pios etiam laicos ſibi nuntiari, & ſignificari curet, quæcumque epiſcopalis officii ſolicitudinem, operam, & ſtudium requirunt.

Magiſtratus porro, & decuriones, ad eas ſolicitudines, quas maximas, prudenterque excogitatas in peſte propulſanda ponunt, illam unam maxime omnium neceſſariam curam adjungent, ut primo pietatis opera, atque officia promovere ſtudeant; tum illa ſummopere caveant, quæ piis officiis, divino cultui, ſanctis caritatis Chriſtianæ exercitationibus, & religioſis publicis orationibus aliquo modo vel repugnant, vel certe obſtant; cum hæc iſtiuſmodi ſint, quæ non imminuant, aut depellant; ſed vehementius excitent, provocentve vim, & impetumque peſtilentiæ. Contra vero illud certum atque exploratum eſt, illam extingui frequenti piorum operum uſu, religioſo divinæ caritatis cultu, & publicis ſupplicationibus. Hoc ex antiquis Chriſtianæ religionis exemplis, quæ narrata ſunt, plane declaratur.

Quamobrem hæc præter cetera videbunt omni pietatis ſtudio.

Ut in ſupplicationibus publicis frequentiſſime ſint.

Ut ſanctarum ſpiritualiumque exercitationum ſtudia atque officia ne quidquam impediant.

Ut nihil obſtent, quo minus ad miſſæ ſacrificium fideles conveniant, conciones adeant, proceſſionibus publicis interſint, orationes item publicas obeant, & privatim quoque precentur.

Nec præterea quidquam impedimenti afferant, quo minus funera eccleſiaſtico more ducantur, & ſepulturæ locus ſacer detur, ejuſdemque item officium peragatur.

Nec vero prohibeant liberis parentes, rurſuſque parentibus liberos, & cognatis cognatos, cum vel peſtilentia affecti ſunt, vel contagionis nomine ſuſpecti, inſervire: neque publicorum miniſtrorum ſuorum, aut eorum, qui opidorum vel univerſitatum adminiſtrationi, curationique præſunt, miniſtrationibus aut perterrefactionem patiantur illos ab iis pietatis, caritatiſque officiis avocari, abduci, abſtrahive.

Ut caveant, ne parochos, animarumque curatores, & certos illos ſacerdotes, qui in publicis curationum locis ad ſacramenta miniſtranda conſtituentur, alioſve eccleſiaſtici ordinis homines ullo quovis modo, vel nomine, vel prætextu impediant, quin & ſacramentorum adminiſtrationem, & debitas muneris parochialis functiones, debitave curæ officia, tum univerſe generatimque populo, tum ſpeciatim ſingulis, contagione etiam affectis ſuſpectiſve præſtent.

ANNO CHRISTI 1579.

Hoc item ab illis in domino vehementer petimus.

Ut ne aditu, exituve opidorum, pagorum, locorumve eoſdem prohibeant, contra eccleſiaſticæ libertatis jura, & epiſcopi præſcripta, cui ſalutem, incolumitatemque populi, ſuæ curæ commiſſi, non minus ſibi, quam ipſis cordi eſſe perſuaſum habere debent.

Quo in genere tanto gravius peccarent eo periculoſo tempore, quo eccleſiæ miniſtros huc atque illuc confeſtim die noctuque in ſingulas horas, vel in momenta potius, ad ſalutem animarum procurandam accurrere magis neceſſarium eſt, quam alios etiam publicos præfectos, curatoreſve valetudinis corporum, quibus aditus, atque exitus in omnes partes dari & patere ſolet.

Ut longe refugiant ab eo deteſtabili uſu, peſte affectos, ſuſpectoſve, tamquam pro derelicto habitos, abjecta ſcilicet omni eorum cura, ab urbe, municipio opidove inhumane exturbandi.

Ut ne in iis ipſis e domicilio ad tuguriola abripiendis, plus exquiſitæ diligentiæ adhibeant, quam pro caritatis Chriſtianæ ratione adhiberi par eſt.

Ut ne in illis ſecludendis, domique cuſtodiendis ſeverius agant, quam cum Chriſtiana caritate conveniens eſt. Ut denique in omni cautione non magis prudentiæ ſuæ, quam divino auxilio innitantur.

Cum vero ex eccleſiaſticis monimentis nuſquam compertum ſit, fidelem populum unius civitatis, opidive univerſum unquam in peſtilentia, ut contagionem evitaret, hoc commiſiſſe, ut diuturno admodum tempore totus ab eccleſiæ conventu penitus abſtineret, ejuſque ſtationes plane deſereret; imo vero contra perſpici poſſit, crebrius, ardentiorique divinæ caritatis ſtudio, quam antea conſueverat, eccleſias frequentare: ob eam cauſam magiſtratus diligenter videbit, ut ne quarantenæ, quam dicunt, lege, illum univerſum domo exire prohibeat, quo fiat, ut diutius, quam religionis pietas poſtulet, officia prætermittat, quæ in eccleſia Deo præſtare debet.

Nam, ut ſilentio prætereantur difficultates, incommoda, detrimenta, damna, mala, quæ inde multa reipublicæ gubernationi evenire poſſent, cavendum etiam maxime eſt, ne, cum populi multitudo ſanctarum cæremoniarum quæ oculorum aſpectu cernuntur, uſu & ritu ad pietatis ſtudium incendatur, ſi domi recluſa, aliquamdiu ad eccleſiam non conveniat, magna ex parte religionis officia non modo inculta ſint, ſed plane defloreſcant.

Qua quidem ex re longe gravior pernicies pertimeſcenda eſt, quam ex omni vel funeſtiſſima peſtilentia.

Quare magiſtratus de quarantena diligenter, accurate, & pie in primis, etiam atque etiam videbit matura deliberatione, & re omni cum epiſcopo communicata, ut non minus animarum peſti, quam corporum contagioni, quæ infinitis partibus inferior eſt, recte proſpiciatur.



ANNO CHRISTI 1579.

Quod ſi aliquando indicetur, illud maxime prævidendum erit, ne in adventum, quadrageſimam, ſolennitates domini, ſacraque alia tempora incidat, quibus pro ſacroſancta divinorum officiorum celebritate populi fidelis conventus in eccleſia, & frequens, & ſolennis itidem eſſe debet, ut ſolennia ſacra ſunt, quæ ex Spiritus ſancti doctrina, religioſis cæremoniis, divinoque ritu celebrantur.

Ea præterea ratio ineunda erit, ut ſpeciatim potius quam univerſe, & in ſumma inſtanti neceſſitate quarantena fiat; ita ut vel feminæ ſolum cum pueris, vel aliquando viri, vel unius viciniæ tantum, quæ gravius e ſuſpicione laborat, homines certo illo temporis ſpatio, eoque non diuturniori domi ſe contineant.

## XV.

*Cautio in ſacerdote miniſtrante.*

Si parochus ob aliam cauſam, quam ob miniſterii parochialis occaſionem, in peſtis ſuſpicionem inciderit, plures ſane dies domi ſe continebit, quot ſcilicet pro ſuſpicionis ratione epiſcopus boni publici cauſa ſtatuerit. Quod vero ad miniſteria parochialibus ſuis præſtanda attinet, ea ipſa ratio ſervabitur, quæ parocho ſupra propoſita eſt, ſi quando miniſterii ſui occaſione in ſuſpicionem incidit.

Idem parochus, aliuſve ſacerdos, qui peſte laborantium curam gerit, quoties hominem ſibi commiſſum habet, qui in peſtilentiam, ſuſpicionemve inciderit, ut & nullo loco officiis deſit, quæ in eum conferre debet, & quam cautiſſime poteſt omne periculum evitet, ubi ſe ad Dei voluntatem totum accommodarit, deliberationemque ſuſceperit mortis in ſingulas horas obeundæ, ut animabus, ſibi in curam traditis, ad ſalutem proſit; præſidium vero incolumitatis ſuæ in Dei potiſſimum cuſtodia poſuerit; has etiam cautiones adhibere poterit:

Ut ſi quando hominis peſte affecti, ſuſpective confeſſionem audit, loco audiat, qui aliquantulum a lecto diſtet. Cum vero ſine magno illius incommodo id fieri poteſt, curet licet, ut ad feneſtram, aut oſtium, aut in porticum, veſtibulumve, aut ad impluvium, aliumve locum apertum accedat, ubi illum confitentem audiat; ut cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri ſolet.

Ut eadem cautione in ſanctiſſimæ euchariſtiæ miniſtratione utatur.

Ut aliis remediis ſe præmuniat, quæ religioſorum hominum in primis conſilio probata medicorum judicio vim aliquam repellendæ contagionis habent.

Ut dum intra ſepta curationis publicæ ſunt, veſtes contractiores, aut ita ſuccinctas, quæ infra genua vix protendant, adhibeat.

Ut in iis miniſtrationibus non pluviali, ſed ſolum ſuperpelliceo, & ſtola utatur.

Sacræ hoſtiæ particulam unam, aut plures, quæ ad communicantium uſum tunc ſatis erunt, ferre poterit: nec vero aliam præterea, quæ de more reportetur, dum ad eccleſiam capellamve redit.

At vero in omni ſacramento, multoque magis in ſanctiſſima euchariſtia miniſtranda, cavebit, ut evitandi periculi, vel ſuſpicionis cauſa, ne quid vel minimum, quod nocivum ſit, adminiſtrationis ritum introducat, neve inſtrumentum, aliudve quid ſimile ad miniſtrationem pro digitis vel adeo in ipſis adhibeat.

ANNO CHRISTI 1579.

Extra domicilii januam, aut tuguriorum ſepta, eos conſiſtere jubebit, qui ſanctiſſimum ſacramentum luminibus proſequuntur, clerico excepto.

Quorum luminum loco aliqua, ſi fieri poteſt, per eos accendi mandet, qui intra illud domicilium, eave ſepta habitant, cum jam ſuſpecti ſint.

Sacerdotes, præfecti curationi ſpirituali hoſpitalis domus, alteriuſve loci, ubi morbo infecti ſuſpective curantur, abſtineant ab omni vel conſuetudine, vel alio contrahendæ contagionis periculo, quod aliunde exiſtere poſſit, quam ex ſacris functionibus, & miniſteriis, & aliis caritatis officiis, quæ præſtanda ſuſceperunt.

Eorum ſacerdotum, ſi plures ſunt, unus deligetur, qui ægrotis ſacram communionem præbeat, ceteraque miniſteria præſtet, quibus obeundis propius accedat neceſſe eſt: at vero plures etiam pro multitudine ægrotorum; alius autem qui peſte ſuſpectis curam operamque ſuam in iis ipſis miniſteriis navet, alius minus ſuſpectis, & convaleſcentibus cuſtodibuſve, & famulis ceteriſque miniſtrabit, qui a ſuſpicione liberi in hoſpitalitatis domus, aut loci tuguriorum finibus extra ſepta degunt.

In ſacramento autem pœnitentiæ miniſtrando, in ſacra concione habenda, in doctrina Chriſtiana tradenda, & aliis functionibus, quibus præſtandis ad eos peſte vel affectos, vel ſuſpectos appropinquare non eſt neceſſe, unus, & item alter viciſſim, prout inter ſe convenerint, aut, prout epiſcopus maluerit, operam ſuam curamque non ægrotis ſolum, ſuſpectiſve navare poterit, ſed ceteris etiam, atque adeo illis, qui recte valentes, extra tuguriorum fines collocati conſtitutique ſunt ad locorum eorum cuſtodiam, uſum, & famulatum.

Cum eorum ſacerdotum unus ægrotis curam miniſteriumve navat, alter iis, qui tantum in ſuſpectis habentur; caute etiam ii ambo mutua inter ſe conſuetudine utentur; ne præ ſuſpicione fideles a ſuſcipiendo eorum miniſterio avertantur. Atque ſi in iiſdem domiciliis habitant, eorum tamen commercium aliquo intervallo disjunctum erit.

Eorum unuſquiſque ad miſſæ ſacrificii uſum diſtinctas ſacras veſtes, mappas altaris, diſtinctoſve etiam calices, ſi fieri poteſt, habebunt.

In capellis quoque altaribuſve diſtinctis celebrabunt.

Si vero una tantum capella eſt, unumve altare; ne unus alterius indumenta, mappaſve adhibeat, tangatve.

Si aliquando vel in miſſæ ſacrificio, vel in ſanctiſſimæ euchariſtiæ miniſtratione, cum clericus deſit qui miniſtret, alter alteri miniſtrare neceſſe habet; utriuſque cautio eadem erit.

XVI.

## XVI.

*Cautio in ſacerdote, qui miniſtravit.*

Parochus aliuſve ſacerdos, cum vel peſte tabeſcenti extremam unctionem miniſtraverit, vel in ejus cubiculo confeſſionem propius audierit, aut aliud denique egerit, unde apud populum in probabilem peſtis ſuſpicionem inciderit, tunc aliorum commercio, conſuetudineve per aliquot dies abſtineat, ne bene valentibus contagii periculum, aut certe timorem injiciat,

Dum is, tamquam ſuſpectus, domi ſe continet, ſi forte acciderit opus eſſe alicui, itidem ſuſpecto, aut infecto, qui parochiæ ſuæ ſit, aut alienæ, aut curæ ſuæ commiſſus, huic miniſterium ſuum operamve ſacramentis miniſtrandis præſtabit.

Quo tempore ab aliorum commercio abſtinet, in parochiali tantum eccleſia, aliave quam præfectus regionarius, aut vicarius foraneus conſtituerit, miſſam celebrabit, & in eo præterea ſolum altari, in quo nemo alius ſacerdos eo tempore celebrabit;

Quod altare, ſi fieri poteſt, cancellis muniatur, quibus populo ingreſſus præcludatur. Quo ipſo tempore ad miſſæ celebrationem veſtes ſacras, & mappas altaris adhibebit, quæ ſeparatim loco diſtincto aſſervabuntur; nec aliis ſacerdotibus tunc uſui erunt.

De ſuggeſtu, aliove ejus generis loco, qui a populi frequentia aliquo intervallo disjunctus ſit, ſermonem, concionemve habere poterit.

Confeſſionem in eccleſia intus, & foris, at in ſede confeſſionali audiet; quæ præter laminam perforatam aliquid etiam intermedium interjectum habeat, unde chartacea confe- [illegible]

Extra etiam confeſſionalem ſedem audiat licet, ita tamen, ut confitens ab eo diſtet tribus, quatuorve cubitis.

Parochialem etiam viciniam, aliamve curæ ſuæ commiſſam, obeat licet, cum vel funus curare, vel alia parochialia officia præſtare neceſſe habebit.

Alia præterea loca adire poterit, cum peccata confeſſurus ad alium parochum, confeſſariumve qui propius abſit, ſe conferat opus eſt.

At ſane expediet eum confeſſarium ad eum potius in parochiæ finibus accedere.

Cavebit autem, ne in chorum eccleſiæ, ubi alii ſacerdotes ſunt; neque alio item, ubi frequens hominum conventus eſt, proxime ad eos accedat.

Nec vero idem ſacerdos extra parochiæ fines, excepta cauſa, quæ commemorata eſt, ſine epiſcopi, aut præfecti regionarii, vicariive foranei facultate ſcripta diſcedet. Neque porro facultas dabitur, niſi cum aliis ſuſpectis ſacramenta miniſtraturus eſt; aut bene valentium etiam adhibita paulo ante demonſtrata cautione, confeſſionem, epiſcopi juſſu, auditurus; aut, ad epiſcopum res ad curam ſuam pertinentes relaturus; aut aliquid acturus, quod ſua cauſa agi neceſſe eſt. Quamdiu vero ab aliorum conſuetudine ſuſpicionis cauſa abſtinet, cum domo aliqua cauſa, facultateve egredietur; ſemper, præterquam cum ſanctiſſimam euchariſtiam feret, ferulam albi coloris, quatuor cubitis longam, quod ſignum ſuſpicionis erit; manu geſtabit, ut omnes ejus congreſſum proximumque acceſſum cavere poſſint.

Eo ipſo tempore, dum ſuſpectus eſt, baptiſmum infuſionis, non immerſionis ritu, ubi hujus ritus conſuetudo aliis temporibus eſt, miniſtrabit; ſtatas vero baptiſmi cæremonias ad id tempus differet, quo a ſuſpicione liber erit: aut alium ſacerdotem adhibebit, qui baptiſmum ſtatis cæremoniis miniſtret. Alterius etiam ſacerdotis miniſterio utetur ad ſanctiſſimam euchariſtiam, extremamque unctionem, parochialibus ſuis miniſtrandam peſtis ſuſpicione non laborantibus.

Quamobrem parocho, dum eo loco peſtis eſt, ubi curam gerit, facultas detur, alium ſacerdotem ſubſtituendi, qui ab ordinis munere non ſit ſuſpenſus, ut parochialis curæ munera obeat. Ne tamen audiendis confeſſionibus alium ſacerdotem ſubſtituere poſſit, quem antea epiſcopus non probarit, niſi hujus ſubſtitutioni poteſtatem idem feciſſet. Clericus, famulusve parochi ſuſpecti, aliuſve, cujus opera uti velit, quo tempore ille domi ſe continet, inde etiam ne ipſi quidem egrediantur ad præſcriptum: ſi quando autem exire neceſſe habebunt, ferulam de more geſtabunt.

Ubi ſeptimus dies, aut aliud tempus ab epiſcopo præſcriptum, prout viderit expedire, præterit, quo parochus in peſtis ſuſpicionem, ob miniſterium incidit, neque aliqua parte ſe læſum ſentit, nec vero ſuſpicatur ſe contagione infectum eſſe; libere, ut antea, & ſine ferula omnia loca adire, parochialiſque curæ munera obire poterit, niſi aliter epiſcopus juſſerit. Idem de parochi clerico, famulo, familiave cenſendum erit; quæ ex parochi ob miniſterium ſuſpicione ſeſe domi continuit.

Parochus autem, & ſacerdotes, in loco curationis publicæ conſtituti, caveant, ne propius accedant, congrediantur've cum iis, qui a peſtis ſuſpicione liberi ſunt: neve alia ratione eis periculum, aut ſuſpicionem contagionis afferant.

Quamobrem e loco, in quo collocati ſunt, facultate ab epiſcopo, præfectove regionario, aut a vicario foraneo in diœceſi non impetrata, ne diſcedant. Nec vero illi, præfectus ſcilicet regionarius, & vicarius foraneus, epiſcopo inconſulto, dent, niſi ob cauſam, quæ vel ad ſpirituale miniſterium, vel ad publicam curationem ſpectet; ob quas cauſas ſæpe accidit, eos ad alia loca mitti oportere. Cum autem foras quavis cauſa facultateve exeunt, ferulam albam parochis ſupra conſtitutam geſtabunt.

## XVII.

*Cautio in homine eccleſiaſtico, ob aliam cauſam ſuſpecto, aut peſte etiam infecto, adhibenda.*

Ad tuendam publicam valetudinem epiſcopus eam facultatem parocho dabit, ut non modo eccleſiaſticis hominibus, qui in parochiali vicinia habitant, ſed etiam ſocio curæ parochialis, & parocho item proxime habitanti, ſi quis eorum in peſtilentiam, ejuſque ſuſpicionem inciderit, hæc, ut infra, præcipere jubereve poſſit.

Ut is, ſcilicet vel infectus, vel ſuſpectus, intra domicilium, certi præſcripti temporis lege, ſe contineat, aliorumque conſuetudine abſtineat.







Ut neminem alium intro ad ſe domum recipiat, admittatve.

Ut illius familia hoc ipſum omne itidem præſtet. Hanc eamdem poteſtatem præfectus regionarius cum in reliquos eccleſiaſticos homines, tum in parochos ipſos exequetur, non ſolum ſi quando eorum quiſpiam peſte afficitur, peſtiſve ſuſpicionem præbet, verum etiam alia de cauſa. Ad cujus rei exequendæ uſum pœnis arbitrii ſui contra contumaces aget.

Hæc ipſa facultas erit etiam uniuſcujuſque vicarii foranei, cui præterea laicos homines, cum eccleſiaſticos idoneos non habebit, qui hæc exequantur, ſubſtituere licebit; ſi quid præſertim de repente acciderit, quod aliena opera opus habeat.

Eiſdem præterea ſingulis licebit, etiam laicorum miniſtrorum cuſtodiam, ſi ita quandoque expedire cenſuerint, adhibere.

Parochus igitur, ubi primum eccleſiaſticus homo in ſuſpicionem peſtis incidit, facultate ſibi data, ut opus eſſe viderit, ſtatim diligenter & prudenter utetur.

Eccleſiæ autem veſtes, & præcipue quibus ille proprie utebatur, unde contagium exiſtere poſſit, omni diligentiſſima cautione, ut nihil plane amittatur, certo loco, ab aliorum conſuetudine ſemoto, reponi & cuſtodiri curabit. Qui locus bene ſepietur & munietur, & ſupellectilis, quæ in eo recondetur, index, omniſque alia opportuna cautio, adhibebitur.

Epiſcopum præterea, aut præfectum regionarium, aut vicarium foraneum, de tota re certiorem itidem faciet, ut ubi rem ipſam diligenter cognoverit, vel aliquid aliud, vel idipſum diligentius ſtatuat, prout expedire videbitur.

Rem item omnem curatoribus publicæ valetudinis, in ea vicinia conſtitutis, quamprimum ſignificabit, ut & ſubminiſtrentur quæ eorum opera, miniſteriove ei tunc ſubminiſtrare neceſſe eſt; & omnis alia diligens cautio ab illis adhibeatur, quæ neceſſaria eſſet ad alios homines conquirendos, qui cum eo, aliiſve illius familiæ, domuſvæ commercium habuiſſent, aut alio modo ejus rei cauſa ſuſpecti eſſe poſſunt.

Si vero parochus eſt, aut ejus clericus, aut familia, domuſve, quæ in ſuſpicionem incidit; hæc ipſa officia ſocius parochialis curæ, ſi quem habet, alioquin parochus propinquior, præſtabit.

Curabit porro præfectus regionarius, aut vicarius foraneus impenſe admodum, ut & domicilia, & ſupellex eccleſiarum, vel eccleſiaſticorum hominum quam diligentiſſime expurgentur. Ad cujus expurgationis rationem omne exquiſiti ſtudii, cautioniſque genus epiſcopus adhiberi jubebit, quod ex magiſtratus præſcripto in laicalibus rebus expurgandis adhiberi ſolet. Et, ubi opus eſſe cenſuerit, ad expurgationem eorumdem miniſtrorum operam utendam curabit.

Cum ex facti, quod evenerit, ratione dubium exiſtit, an quis peſte mortuus ſit, anve illius ſupellex eo nomine ſuſpecta, anve alio genere morbi affectus; tum parochus medicos in conſilium adhibebit, alioſve peritos, eoſque potiſſimum, quos magiſtratus curæ ejuſmodi præfecerit, ut de re tota certius ſtatuatur.

Parochus aliuſve eccleſiaſtici ordinis homo, qui loca incolit, quorum commercium ob ſuſpicionis cauſam vetitum edicto publico eſt, ne inde egrediatur, prohibeat vicarius foraneus, ſicut ceteris eorum locorum incolis prohibitum eſt; ita tamen, ut certis iis regulis, & facultatibus, quæ eccleſiaſticis hominibus peſte ſuſpectis, ſupra conſtitutæ ſunt, utatur, & fruatur, præſertim, qui animarum curam quovis modo aut nomine gerit.

Hæc omnis cautio tum in ſacerdote miniſtrante, tum in eo qui miniſtravit, tum etiam in eccleſiaſtico homine peſte ſuſpecto, quicumque ſit, ut diligentiſſime adhibeatur atque ſervetur, parochi, ut ſupra, cura erit. Quæ ſane cura omnis cautioque in urbe ad præfectum regionarium, & in diœceſi ad vicarium foraneum maxime pertinebit.

## XVIII.

*Cautio in monaſteriis, & collegiis piis adhibenda.*

Si regularium hominum monaſterium, aliudve collegium eccleſiaſticum, aut domus, ubi collegiatim vivitur, in peſtilentiam ejuſve ſuſpicionem inciderit, eadem tota ratio & cautio, quæ mox ſupra demonſtrata eſt, ab epiſcopo, & præfecto regionario, vicariove foraneo ipſius epiſcopi nomine ita diligenter adhibeatur, ut omnes qui in eo monaſterio, collegiove habitant, niſi aliquos ſolum peſte ſuſpectos eſſe manifeſto conſtet, ab aliorum hominum conſuetudine, converſationeve abſtineant, & intra monaſterii, domuſve ſepta ſe contineant ad epiſcopi præſcriptum. Eam vero cautionem inter ſe adhibebunt, ut alter ab altero ita ſeparatim in conſuetudine verſetur, ut ne contagium contrahere poſſit.

Quamobrem etiam in hortis tuguria ſtrui expediet.

Verum ne propterea in eorum eccleſia divinus cultus intermittatur, ſed divina officia in choro, ut moris eſt, obeant, ita tamen, ut ibi alter ab altero ſeparatim aliquo exiguo ſpatio interjecto ſit.

Miſſas ſinguli in ſingulis altaribus diſtinctis celebrent, ſacris adhibitis indumentis, & inſtrumentis, quæ ex communi ſacriſtiæ ſupellectile ſumpta, ad ſuum quiſque uſum eo tempore ſigillatim, locoque ſeparato ſervabit, & cuſtodiet.

Ne vero ullum populo periculum inde exiſtat, a capellis, ubi celebrabitur, & choro aditus ipſius populi ſecludatur cancellis ferreis, ligneiſve, aut alio ejuſmodi ſepimento.

At ne, dum ſe intra monaſterii ſepta ab aliorum conſuetudine abſtinent, quidquam ad victum eis deſit, e publico illo ſumptu, qui neceſſario eo tempore ad pauperum ſuſtentationem conſtitutus eſt, eleemoſynam, ut opus erit, ſubminiſtrari curandum erit.

Si eccleſiaſticorum hominum in eodem monaſterio, locove collegiatim viventium, magnus admodum numerus eſt, qui peſtis nomine ſuſpectus ſit, nec vero domus habitationiſve amplitudo ejuſmodi eſt, ut omnes tuguriis etiam extructis commode ſeparatim habitare poſſint: expedit, vel eos omnes, qui ex peſte, ſuſpicioneve laborant, vel, his relictis, alios recte valentes, ſuſpicioneque liberos ad aliam domum, monaſteriumve, aut etiam ad plura traduci, quæ tamen vacua ſint, & ita con-

A ſtructa, ut dum curationis, aut ſuſpicionis cauſa in illis manent, regularem modeſtiam, eccleſiaſticamque ordinis ſui diſciplinam recte ſervare poſſint.

Hæc ipſa cura & cautio adhibebitur, ſi quando fortaſſe monialium, in eodem monaſterio viventium, magnum numerum peſtis pervaſerit.

Sed in earum monaſteriis, peſtis nomine ſuſpectis, magna ab epiſcopo cautio adhibenda erit, ne ex ea occaſione intra ſepta monaſterii aditus ſit ſine neceſſaria cauſa.

Nec vero extra clauſuræ ſepta, ſineſve egrediendi facultas, niſi urgente, neceſſariaque item cauſa, monialibus permittatur.

B Si vero aliquando neceſſitas efflagitat, ut illæ intus viſitentur, aut inſpiciantur: hoc ne a viris fiat, ſed a fœminis honeſtis, curabit epiſcopus.

Hoc ipſum itidem ſervabit, ſi quando monaſteriorum opera, aut alia ejuſmodi neceſſaria erunt.

## XIX.

*De baptiſmo infanti, peſte laboranti, ſuſpectove miniſtrando.*

Infans nuper natus, peſte laborans, aut eo nomine ſuſpectus, quia a matre, peſtifero morbo affecta, ortus eſt, quamprimum ob in- C ſtans mortis periculum a ſacerdote, peſte laborantium curam gerente, infuſionis ritu baptizabitur, aliis ſtatis cæremoniis tunc non adhibitis. Si ſacerdos abeſt, idem confeſtim ab alio præſtabitur, qui præſens baptizandi formam norit. Nec vero compater adhibeatur, aut talis, qualis infans eſt, compater, aut commater aſciſcetur, nempe ex morbo laborans, aut ex eadem cauſæ origine ſuſpectus, niſi alii, qui liberi ſunt, ſuſpicione contagionis deterriti, id munus refugerint. Poſtea, ſi infans ſuperſtes erit, quamprimum ab omni ſuſpicione liber erit, in eccleſiam parochialem ſuam ſacerdoti parocho offeretur, qui ex eccleſiæ inſtituto reliquas ſtatas ceremonias ei D adhibebit.

Idem in baptiſmo ſervabitur infantum, qui expoſiti, dubium eſt, an peſtilentia ſuſpecti ſint. Hoc ipſum quoque præſtabitur in baptiſmo infantum, qui non ita manifeſto ſuſpecti videntur, quales ii ſunt, qui e mulieribus bene valentibus naſcuntur, quæ tamen ex aliqua ſuſpicione vel domi incluſæ, vel ad loca publicæ curationis perductæ ſunt, quoniam vel in loco ſuſpecto fuerunt, vel cum homine ſuſpecto conſuetudinem habuerunt. Sacerdotes locorum curationis publicæ, quibus baptiſmum miniſtrarint, eorum, & parentum nomina, & reliqua de more in librum E certum referant: quem deinceps a peſtifera lue purgatum ad archivum epiſcopale ferant. Uniuſcujuſque autem, quem baptizarint, baptiſmum exſcriptum proprio etiam ejus parocho tradant: quem etiam, cum primum inde illi emittuntur, certiorem faciant de ceremoniis reliquis, quas non adhibuerint, ut ille in parochiali eccleſia rite ſuppleat.

## XX.

*Officia confratrum caritatis, & collectio eleemoſynarum, ac diſtributio.*

Scholæ caritatis homines parocho deſcribendis parochiæ pauperibus operam navabunt, quos ſemel diligenter deſcriptos, ſæpe generatim recognoſcent.

Qua in recognitione ſi quid vel addendum, vel mutandum viderint, id parocho nuntiabunt; qui in deſcriptionis libro notabit, quod eo in genere opus erit, & epiſcopo etiam referet.

Iidem ſingulis diebus ſedulo pauperes viſent, eoſque præſertim qui peſte tabeſcunt ſuſpective ſunt.

Si quos invenerint, qui recenter in morbum inciderint, quive ſpiritualis alicujus adjumenti indigeant, de iis eumdem parochum certiorem facient.

Ipſi vero ſolicito ſtudio in id incumbent, ut quæ ad corporis uſum neceſſaria ſunt pauperibus, peſteque affectis, undique conquirant. Ut autem omni ex parte cumulatoria caritatis ſubſidia comparent, cum ad epiſcopum, tum ad præfectos regionarios, vicarioſve foraneos, & parochos perfugium ſæpiſſime habebunt: quorum etiam auctoritate ad omnem eleemoſynæ, piique ſubſidii conquiſitionem, atque apparatum utentur; ſæpe etiam magiſtratum, & decuriones convenient, ut opus erit.

Id parochus præter cetera maxime parochiales ſuos cohortabitur, ut his præſertim peſtilentiæ temporibus, omni commiſeratione digniſſimis, quantam maximam per facultates poſſunt, eleemoſynam conferant ad ſublevandas neceſſitates, non ſolum peſte laborantium, ſuſpectorumve, ſed aliorum etiam omnium, qui rerum inopia premuntur.

Quam ob cauſam ſingulis hebdomadis, ſemel atque adeo ſæpius, rariuſve, prout neceſſitas urget, parochialiumque opes ferunt, viciniam ſuam, adhibitis caritatis ſodalibus, in omnes partes obibit, omniqueſtudio, & caritatis pia contentione eleemoſynam, quæ in eorum miſerabilium uſum erogetur, ab omnibus efflagitabit.

In eccleſia præterea parochiali, in omnique viciniæ parte, præſertim pro foribus eorum, qui peſte infecti, ſuſpective ſunt, capſulas aliquas duabus clavibus inter ſe diverſis ſingulas clauſas, certoque ſigno, quod præcipuum epiſcopus conſtituerit, notataſque & diſtinctas publice proponet atque affiget; in quas oblatæ eleemoſynæ eo nomine conjiciantur. E clavibus illis duabus unam ipſe parochus, & alteram ille ex confratribus caritatis aſſervabit, quem epiſcopus, præfectuſve, vel vicarius foraneus delegerit.

Si qua in parochiali vicinia complures ſunt, vel peſtifera labe inquinati, vel ſuſpecti, vel alii inopes homines, quibus aliunde non ſatis ſuccurri poſſit; parochus ad epiſcopum confugiet, cujus conceſſu in finitima etiam vicinia parochiali capſulam eleemoſynæ proponere, aut alia ratione ſubſidia caritatis comparare poſſit ad illorum ſuſtentationem.

Ut autem neceſſario eo tempore pauperum egeſtati undique ſuccurratur, eam facultatem, ſi ita neceſſitas tulerit, epiſcopus aliquando per-





permittet, ut piorum locorum præfecti, curatoreſve eleemoſynarum, quas certo præſcripto A tempore dari moris eſt, diſtributionem anticipent, utpote quæ eleemoſyna ſemeſtri, aut longioris temporis ſpatio in egentium uſum erogari conſueverat, ea omnis duobus, tribuſve menſibus, aut breviori tempore, prout opus erit, diſtribuatur.

Ea autem cautio adhibebitur, ut ne eleemoſynæ diſtribuendæ ratio, atque uſus ſine legitima auctoritate, & facultate unquam immutetur; Verbi gratia, quod puellis, virginibuſve nuptui dandis in dotem pia liberalitate erogari ſolet, aut debet, ne in panis eleemoſynam, aliudve genus convertatur.

Nec vero piorum locorum prædia, aliave bo- B na immobilia hypothecæ, pignorive dentur, aut alienentur contra ac teſtatorum voluntate, canonum jure, pontificiis conſtitutionibus, & conciliorum, aut ſynodi provincialis noſtræ primæ decretis cautum eſt.

Omnis eleemoſyna, quæ a caritatis confratribus congeretur, de parochi, aut præfecti regionarii, aut vicarii foranei conſilio & aſſenſu, in eorum hominum uſum neceſſarium erogabitur.

In eleemoſynæ autem erogatione habebitur ratio cum in primis inopiæ, paupertatiſque ſacerdotum & monaſteriorum cujuſvis generis, & ordinis, tum hoſpitalium ædium, locorumve, quæ intra parochialis viciniæ fines ſita C ſunt.

Quibus ſacerdotibus, & monaſteriis, ex ærario etiam publico, aut cenſu, unde reliqui pauperes ſuſtentantur, neceſſaria alimenta ſubminiſtrari oportebit, cum ob alias cauſas, tum quia publico eccleſiæ nomine religioſi illi homines quotidianis ſacrificiis, ſupplicationibus, divinorumque officiorum cultu, & moniales etiam ſacra lacrymarum vi, peccatorum deploratione, gemitu, vigiliis, jejunio atque aſſidua oratione, Dei iram afflictiſſimo illo tempore placare contendunt.

Cavebit autem parochus, ne rei cujuſquam, quæ ad corporales quorumvis hominum, etiam peſte laborantium ſuſpectorumve, neceſſitates D pertineat, præcipuam curam præcipuumque onus ſibi ſuſcipiat, quo retardetur, aut impediatur, quin proprium curæ ſuæ officium exequatur: quod totum in rerum ſpiritualium procuratione, atque adminiſtratione verſari in primis debet. Ideo ab ordinario munere eleemoſynæ diſtribuendæ, ſubventioniſque publicæ erogandæ abſtinebit.

Si quo autem in loco, & pauperum ingens neceſſitas, & penuria hominum, ut id muneris recte gerere poſſit, aliquando hoc ſuadebit, ut iſtiuſmodi pondus ipſe ſuſcipiat, ac ſuſtineat, ad epiſcopum adibit, cujus facultate illud ſubeat ac gerat.

Adhibere autem ſecum ſemper ſtudebit pios E aliquot parochialis viciniæ homines, aut confratres caritatis, quos tum adjutores, tum etiam teſtes fidelis diſpenſationis habebit.

Hoc etiam ipſum & præfectus regionarius, & vicarius foraneus exequi, præſtareque curabunt.

Ut omnis eleemoſyna, quæcumque ſit quæ colligetur, quibus oportet, recteque diſtribuatur, nec vero imprudenter uſurpetur, atque abſorbeatur ab iis, qui aliunde cum habeant unde vivant; iniqua illa uſurpatione exitium animæ ſuæ pariant, & vitæ periculum illis præbent, qui ſumma rerum omnium anguſtia premuntur; ideo regionarius præfectus, vicarius foraneus, viſitator epiſcopalis, & parochus in primis omni opportuna ratione, ubicumque ſunt, qui peſtis, ſuſpicioniſve cauſa domi incluſi, aut etiam inopiæ nomine illam etiam pro foribus, aut de feneſtris efflagitant, iſtos, & aliquando populum univerſum, prout occaſio tulerit, id graviter monebit, docebitque peccati mortalis vinculo irretitos teneri, ſi qui ſunt, qui conſequendæ eleemoſynæ cauſam aliquam prætexunt, & aſſimulant, atque adeo, ſi quam eo nomine, & cauſæ ſimulatione conſequuntur, plane reſtituere debent.

Quamobrem graviſſime peccabunt, quicumque eleemoſynam capient, illis egentibus hominibus ſolum conſtitutam, qui aliunde certo recluſionis, aliove præſtituto tempore non habent, unde victum ſibi parent; ſi re vera ipſi in eo paupertatis ſtatu non ſunt: nec vero eam eleemoſynam ſine conſcientiæ offenſione & labe retinere ullo modo poterunt præſertim, ſi ipſius eleemoſynæ curatores aliqua ſignificatione rationeve præcaverint, ſe conſtituiſſe iis tantum, qui ea inopia, paupertateve premuntur illam diſtribuere.

## XXI.

*Cura præſtanda, & exercenda pietatis in locis publicæ curationis ac domibus occluſis.*

In omni initio crux loco decenti erigetur, ad quam omnes & procul ſpectent.

Ibidem, ad epiſcopi præſcriptum altaria extruantur, in quibus miſſæ ſacrificium offeratur; ita ut qui ſacerdos, etiam regularis in illis obtulerit, celebraritve epiſcopi juſſu, ſatisfeciſſe cenſeatur muneri, quo adſtrictus eſt, celebrandi in alio cujuſvis eccleſiæ altari.

In capella domus hoſpitalis, locive publicæ curationis perpetuo ſanctiſſimum ſacramentum aſſervetur, cui lampas accenſa præluceat.

In qua capella ſacerdos, qui ſpirituali curationi præeſt, aliquando orationem ſine intermiſſione inſtituet, religioſeque atque ordine haberi ſtudebit.

Ubi ob peſtilentiæ propagationem, obitumve, vel egritudinem ſacerdotum, deſunt, qui ſpiritualem peſte languentium, vel ſuſpectorum curam ſuſtineant, gerantve, ut quam diligentiſſime conquirantur, vicarius foraneus in diœceſi epiſcopum certiorem celerrime & ſæpiſſime faciet, præfectus in civitate: interea vero eorum curam parochis, aliiſve ſacerdotibus probatis, qui proxime habitant, magnopere commendabit.

Idem officium præſtabunt, ſi quando ob ſuſpicionem peſtis in parocho, vel etiam infectionem inciderit, ut ſcilicet alium ſacerdotem in ejus locum ſubſtituat, qui parochialis curæ partes neceſſario tempore exequatur, quas ille per ſuſpicionem iis, qui ſuſpicione carent, præſtare minus poteſt.

Cum nemo ſacerdos eſt, qui publici tuguriorum loci curationem gerat, hoc ſaltem curabitur, ut in die feſto, & in hebdomada etiam certis aliis diebus eo loci aliquis ſacerdos eccleſiæ, aut viciniæ parochialis miſſæ ſacrificium in oratorio ob eam cauſam extra tuguriorum ſepta extructo offerat. Si vero ne id quidem fieri poteſt, quoniam nemo alius ſacerdos eſt,

eſt, niſi unus tantum parochus, hic ipſe aliquando per hebdomadam eo ſe conferet ad miſſæ ſacrum celebrandum.

Ubi in tuguriorum loco ſacerdotes plures ſunt, tum id curabunt, ut omnes quicumque ibi ſunt, miſſam ſpectent, audiantve; tum ipſi ob eam cauſam inter ſe rationem inibunt, ut cum præſertim una tantum capella ſit, alius bene mane, alius paulo tardius miſſam celebret; aut certa alia hora commodiore id quiſque præſtet.

Præcipue parochus hoc valde curabit, ut ſi quando vel univerſi cives, vel aliqua vicinia, familiave parochialis domo egredi prohibentur; omnes & ſinguli, antequam ſe in ſuis quiſque domiciliis per illud dierum ſpatium includant, peccata confeſſi, ſacram communionem ſumant. Si vero præ temporis exiguitate id tunc non præſtabunt, præſtent ſaltem eo ipſo ineunte tempore, & deinceps præterea ſingulis hebdomadis, aut quintodecimo quoque die, prout ſe illis per alias occupationes poſſe ſacramenta miniſtrare viderit.

At pro curæ ſuæ ratione, quæ ad ægrorum ſalutem ſpiritualia adjumenta ſpectant, hæc omnibus aliis anteponet.

Certam aliquam Chriſtianæ vitæ normam eo tempore cum populus intra domeſticos parietes aliquamdiu ſe continet, paſtoralibus literis epiſcopus commonſtrabit, ut quotidianas habeat pietatis Chriſtianæ exercitationes, quibus perpetuum curſum teneat in via ſalutis.

Pietatis autem ea officia proponet patribusfamilias, ut non ſolum mane, ſed veſperi, & meridie, ſinguliſque horis ac momentis habeant ſpirituales exercitationes, in quibus omnis familia pie verſetur.

Quamobrem, præter cetera, libros in ſingulas familias introducendos curabit, non ſolum eos, quos ſupra commemoravimus, ſed ſacrorum bibliorum partem aliquam, utpote hiſtoriam Job, Tobiæ, epiſtolam ſancti Jacobi, & volumen præterea de vitis ſanctorum: e quibus ſeliget præſertim vitam ſancti Sebaſtiani, ſancti Gregorii magni, ſancti Rochi, ſancti Macarii, ſancti Eutychii patriarchæ Conſtantinopolitani, ſancti Nicolai epiſcopi, ſancti Bernardini Senenſis, qui omnes peſtilentiæ documenta, & exempla præbuerunt ſanctiſſimarum virtutum.

Ad alias religioſas orationes introducet certos pſalmos, & hos potiſſimum, nempe pſalmum ſextum, decimumſextum, vigeſimumquartum, trigeſimumprimum, trigeſimumſeptimum, quinquageſimum, ſeptuageſimumoctavum, centeſimumprimum, centeſimum item, & vigeſimumnonum.

Stata præterea illa oratio parochi, & ſacerdotis, quæ in ſingulos dies ſepties certis horis adhibebitur, etiam a cuſtodibus & miniſtris inſtituetur in omnibus tuguriorum ſeptis, hoſpitalibus ædibus, ſingulis familiæ incluſæ domiciliis, omni loco, & publice, & privatim.

Quæ oratio ut recte religioſeque peragatur, curandum eſt diligenter ad epiſcopi præſcriptum.

Itaque orationis hujus ſignum in univerſi, vel partis populi reclusione, dabitur campanis primariæ eccleſiæ, collegiatarum item, tam regularium, quam ſæcularium, ſi quæ ibi ſunt, dabitur. Itidem in eccleſia parochiali fiet, cujus viciniæ homines, familiæve aliquæ contagionis nomine ſuſpectæ, domi ſe continent.

Itidem fiet percuſſione parvulæ campanæ hoſpitalis, aut alterius loci curationis publicæ.

Signi ratio hæc ſervabitur, ut diſtincto certo temporis ſpatio, nempe ſecunda quaque hora, aut longiori, breviorive intervallo, prout dies contractiores, vel longiores ſunt, ſepties in die campana pulſetur.

Initio orationis ſignificandæ percuſſio campanarum fiet, ut de more fit, cum ſalutationis angelicæ, quæ Ave Maria dicitur, ſignum datur; poſtea continenter per horæ quadrantem, certis campanæ ictibus, brevi intervallo diſtinctis, ejuſdem ſignificatio fiet, quæ ſono terminabitur, ut oratio veſpertina ſolet. Dum vero campanis pulſatur, litaniæ, ſupplicationeſve ad epiſcopi præſcriptum concinentur, recitabunturve, ita ut vel e feneſtris, foribuſve ædium ab una parte ſint, qui illas precinant, & viciſſim ab altera, qui religioſe ſuccinant, & reſpondeant. Quod ſicubi ita præſtari non poteſt, intus in ædibus ipſis, loco omnium communi, aut ubi optime poteſt, ſtatis illis ſignificationis horis præſtabitur.

Quam ob cauſam in unaquaque vicinia, ubi hæc precatio horaria celebrabitur, unus, pluresve eccleſiaſtici homines, aut ſi tales non adſunt, alii pii viri, orationis uſu inſtructi, ad feneſtram, foreſve ædium adhibebuntur, qui ſtata quaque hora, qua ſignificatio fiet, orationis hujus inſtitutum, atque uſum recte, riteque moderentur & dirigant, & ejus ſtudium in horas fere ſingulas ardentius excitabunt.

Curabit præterea parochus, ut diebus ſaltem feſtis, ubi ſunt qui bene norint, de beata Maria virgine officium precum horarium ſtatis illis ſeptem horis diſtincte recitent.

Sæpe evulgabit, atque edicet, quo fidelium mentes ad hujus precationis uſum, ſtudiumque inflammet, indulgentias eo nomine conceſſas.

Ac præterea quidem unicuique parocho, & ſacerdoti, brevium illorum librorum, quibus epiſcopi juſſu certæ preces, & litaniæ, ejus orationis cauſa editæ continentur, copia fiet, & gratis aliquo modo ſuppeditabitur, ut parochialibus ſuis, & aliis, prout uſuvenerit, recte diſtribuat.

His, atque adeo aliis omnibus pietatis exercitationibus parochus, aliive ſacerdotes, curationi ſpirituali præfecti, homines, ſibi commiſſos, tempus in domibus occluſis, aliiſque locis tuguriorum ſalutariter & religioſe conſumere ſtudebunt quamdiligentiſſime, ut ne otio tabeſcentes proclivius prolabantur ad Dei offenſiones, & ad turpia flagitia.

## XXII.

*Cura disciplinæ morum in eiſdem locis.*

Parochus, animarumque curator, & alii item ſacerdotes, curæ ſpirituali in locis præfecti, ubi infecti, ſuſpective morantur, caritate paterna, & diligenti ſtudio videbunt vitam, mores, pietatem, & religionem non modo eorum, qui peſtis morbo ſuſpecti, in hoſpitalibus, publicis domiciliis, aut intra tuguriorum ſepta ſibi commiſſa, habitant, & illorum qui præſertim recluſi intra parochiæ ſuæ fines in privatis domiciliis manent, ſed monaſteriorum, & famulorum, & miniſtrorum, quicumque illis operam navant, & eorum præterea, qui in illorum cuſtodia collocati ſunt.

Mulierum pudicitiæ, & adoleſcentum honeſtati proſpicient, qui intra ea ſepta, hoſpitaleſve domos, aut domicilia privata incluſi degunt.





Præcipuam autem curam ſuſcipient & ſuſtinebunt puellarum, virginum, & feminarum, quæ vel parentibus, vel conjugibus mortuis, diſcrimini, & periculo pudoris, ac pudicitiæ magis obnoxiæ atque expoſitæ ſunt.

Eas ſenioribus feminis, & ſpectata honeſtate, pietatiſque ſtudio inſignibus, quæ in illis locis morantur, diligentiſſime committent, quaſique in manum tradent, & commendabunt omni caritatis officio.

Pupillorum item, præſertim infantum, curam gerent, eamque potiſſimum rationem habebunt, ut certo loco ſeparato, dum in publicæ curationis domiciliis, lociſve ſunt, pie, recteque educentur:

Cura eorumdem erit hæc etiam, ut, quoad ejus fieri poteſt, a feminis mares ubique ſeparatim degant, præterquam ſi qui ſunt ejuſdem familiæ.

Curabunt præterea, ut non ſolum evitandæ contagionis, & honeſtatis in primis tuendæ cauſa, qui in uno cubiculo, tuguriolove degunt, nullum ſuſpectum commercium, conſuetudinemve habeant cum aliis, qui vel ſunt diverſæ familiæ, vel in alio diverſo tugurio, cubiculove manent.

Sæpe fit ut in iis curationis publicæ locis non modo palam, ſed occulte futuri matrimonii ſponſiones fiant: ideo epiſcopus curabit; ut qui in illis locis, aut paulo poſtquam inde egreſſi ſunt, matrimonium conficere volunt, illis ſtatæ denuntiationes cum in eccleſia parochiali, tum eo etiam loci, ubi incluſi peſtis cauſa ſunt, aut paulo ante fuerunt.

Ne quid vero de matrimonio contra agatur, quam Tridentina ſanctione præſcriptum eſt, ideo quam ſæpiſſime illa in locis publicæ curationis promulgetur, atque exponatur.

Ne præterea puellæ in fraudem inducantur, omnis alia diligens ratio per parochum, ſacerdotemve, qui ſpirituali curationi præeſt, adhibebitur.

Ubi aliqua, vel concubinatus, vel vitæ turpis ſuſpicio ſuborietur, aut indicium exiſtet, de hac re omnis parochus, ſacerdoſve, ſpiritualis curæ præfectus vicarium foraneum, aut præfectum regionarium, & hi epiſcopum certiorem ſtatim faciant; ut in tempore, primum re inveſtigata, cum remedium opportunum periculo adhibere poſſit, tum flagitioſa vita, omnique vitio diffluens, reprimatur, & coerceatur.

Illæ vero morum corruptelæ, quæ in iis locis magna cum Dei offenſione vulgo exiſtere ſolent, quales ſunt, comeſſationes, exhilarationes, cachinnationes, inhoneſtæ congreſſiones, obſcœnæ collocutiones, detractiones, maledicendi uſus, ludificationes, geſticulationes, luſiones, ludi aleatorii, ſaltationes, tripudia, crapulæ, compotationes, congreſſuſque illi, tot peccatis conjuncti, omneſque demum turpes actiones, ut tollantur, radicituſque extirpentur, iidem ſacerdotes, & privatis colloquiis, & concionibus, & ſuaſionibus, & cohortationibus, & omni officii genere agent plane diligenter.

Quod ſi iis rationibus aſſequi non poterunt, quod ex diſciplinæ Chriſtianæ uſu erit, epiſcopum ipſum adibunt, qui offenſionibus ejus generis omni via occurrat.

Quam ob cauſam, quo diligentius ſcilicet, idem epiſcopus nota atque explorata habeat quæcumque in iis locis ad morum emendationem, correctionemque opus erunt; certos etiam aliquos laicos homines, Chriſtianæ, ſanctæque diſciplinæ ſtudioſos, non modo in tuguriorum finibus, hoſpitalibuſque ædibus publicis, ſed in omni parochia ſecreto conſtituet, qui omnia inhoneſtæ, turpiſque vitæ pericula, flagitioſas actiones, & corruptam omnem eorum diſciplinam, qui ibi degunt, prudenti exploratione diligenter indagent, quæque in offenſa eſſe viderint, de iis vel epiſcopum ipſum, præfectumve regionarium, vel vicarium foraneum, vel parochum, vel ſacerdotem etiam curatorem ſæpiſſime, atque adeo quotidie, ſi opus erit, certiorem facient.

## XXIII.

*Quæ diſciplinæ ratio parocho, & ſacerdotibus curationis publicæ tenenda ſit.*

Parochus, & ſacerdotes curationis publicæ cum diligentem in aliis morum ſpeculationem, curam, exercitationemque pietatis adhibuerint; hoc etiam maxime ſtudebunt, ut ipſi pie, ſancteque vivendi ſtudio, omnique religionis officio, atque omni documento, & exemplo ceteris omnibus præluceant, ac ſumma quidem cautione in eo utantur, ut non modo quidquam non offendant, peccentve, ſed ab omni peccati ſuſpicione plane liberi ſint.

Omni igitur intima, & externa pietate in illis publicæ curationis locis ſervient Dei gloriæ, cujus religioſus cultus perpetuo ob eorum oculos verſari debet.

Studio caritatis, quæ in eorum animis fixa ſemper inhæreat, agent omnia.

Quo ſtudio ducti, & curæ ſuſceptæ officio commoti, longe ab iis actionibus refugient, quæ offenſionem, aut mali ſuſpicionem parient.

Cavebunt, ne eos, qui peſte, ſuſpicioneve laborant, ad teſtamenti factionem, aut ad aliud ultimæ voluntatis genus, ne agnatis quidem illorum flagitantibus, ullo modo inducant, atque impellant: niſi aliquando vel Chriſtiana caritas, vel propinquorum ſtatus, commiſeratione dignus, aliter ſuaſerit; tuncque ſi temporis ſpatium datur, rem ipſam, ut eſt, cum epiſcopo, aut præfecto regionario, aut vicario ſuo foraneo communicabunt.

A teſtamenti, codicillorum, donationis, & alterius id generis ultimæ voluntatis conſcriptione abſtinebunt, niſi urgens neceſſitas aliter depoſcat, cum alii ſcilicet æque idonei non ſint, neque aliunde acciri poſſint, qui conſcribant: tuncque ut avaritiæ, & ſordidi quæſtus ſuſpicioni occurratur, teſtes, quoad ejus fieri poteſt, auctoritate, & vitæ moribus inſignes adhibebunt.

Idem præſtabunt, ſi quando aliorum pecuniam, ſupellectilemve aſſervandi, aut in aliquem uſum erogandi, curam ſuſcipient.

## XXIV.

*Speculatio in miniſtris publicæ curationis adhibenda.*

Parochus, & ſacerdos, qui in hoſpitalibus, publicis ædibus, lociſve tuguriorum ſpiritualem curam gerit, hæc diligenti ſpeculatione videbit:

Primo, ut eorum locorum præfecti, curatores, ceterique omnes, qui vel operam vel officium, vel famulatum in illorum hominum curam, ſub-

ſublevationemque conferant, ne quid negligant, prætermittant, deſerantve, quod ad operæ, curæ, officii, miniſteriive ſuſcepti partes attinet.

Ut ne quid præterea committant, quod illis fraudi, & detrimento ſit: quodque pia ſolicitudine, & ſinceta cura, quam navare debent, indignum exiſtat.

Quare ipſe parochus, ſacerdoſve præcipua capita mox infra demonſtrata, in primis animadvertet, in quibus ſcilicet frequentes eorum offenſiones eſſe ſolent:

Ut potiſſimum *illi ipſi*, quicumque ſint caritatis *ſtudio*, *non negligenti* opera, non langueſcenti *miniſterio*, nec vero immodeſte, non petulanter, non proterve, non contumaciter exequantur debiti officii partes.

Ut mulieris morboſæ, ſuſpectæve corpus, aut cadaver dumtaxat inſpiciatur cum neceſſe maxime eſt. Et vero inſpectioni neceſſarii ſolum miniſtri interſint, ut pote medicus, chirurgus, mulier aliqua, & alius præterea nemo.

Ut inſpiciendis item marium corporibus miniſtri tantum adhibeantur, qui videlicet neceſſarii ſunt.

*Videbit* item parochus, ſacerdoſve, ut præfecti, veſpillones, viciniæ curatores, quos antianos dicunt, aliique miniſtri, nihil omnino pecuniæ, muneris denique extorqueant, cum vel domicilia clauduntur, vel aperiuntur, vel alia quavis occaſione, modove.

Ut ne pecunia, reſque aliqua, aut ſupellex peſte languentium, vel ſuſpectorum, vel mortuorum diripiatur, diſſipeturve unquam, & maxime cum vel domo educuntur, vel moriuntur, vel in ſepulturam traduntur, vel eorum domicilia, aut eorum ſupellex ad loca purgationis exportatur.

Ut qui ad loca publicæ curationis perducuntur, vehunturve, non veſperi, aut ſub noctem, ſed bene mane, ſi fieri poteſt, perducantur, aſportenturve; quo ſacerdotibus, qui in iis curationis locis reſident, temporis ſpatium detur audiendi eorum confeſſiones, & alia, quæ domi non ſuſceperant, ſpiritualia adjumenta miniſtrandi, antequam nox adveniet, in qua, ut pleriſque accidit, morte eripiant.

Ut ne eodem curru, vehiculove mortui ſimul, & vivi, aut morbo tabeſcentes una cum his, qui ſolum ſuſpecti ſunt, aſportentur; ſi modo tamen ſuſpecti non illi quidem ſunt, qui ſua ſponte morbo affectis operam, curam, & ſtudium navent.

Ut hæc ipſa cautio diligenſque diſtinctio in exportanda, importandave ſupellectile adhibeatur, ut illa ſcilicet, quæ peſte langueſcentis eſt, diſtincto curru, ac ſeparatim vehatur ab ea quæ ſuſpecti hominis eſt.

Ideoque curandum erit, ut vehicula plura, quæ ad eum diſtinctionis uſum ſatis ſint, in tempore apparentur.

Ut iis, qui ad loca publicæ curationis domo abducuntur, temporis ſpatium detur colligendi pecuniam ſuam, ſupellectilem diſponendi, conſtituendique ceteras res domeſticas; ita tamen, ut ne diuturnior mora fraudi ſit, & detrimento valetudini publicæ.

Ut ſpatium etiam detur colligendi ſarcinulas, & advehendi ſecum lectum, culcitras ſtramentitias, lodices, linteamina, tegetes, ſtoreaſve, veſtes, & alia id generis uſui neceſſaria. Sin autem ab initio tempus non habuerunt, detur poſtea, adhibita cuſtodia, ut moris eſt, & cautione.

Ut evitandæ contagionis cauſa, tuguria morbo languentium, aliquo interjecto ſepimento, vere ab illis ſejuncta ſint, quæ ſuſpecta habitant. Eadem cautio adhibeatur tuguriorum, ubi ſunt minus ſuſpecti, ut ſeparentur ab iis, qui graviſſime ſuſpecti ſunt. Itidem de convaleſcentibus.

Ut ordine deſcribantur certo libro quicumque ad loca publicæ curationis abducuntur.

Quæ deſcriptionis ratio uniuſcujuſque tugurii, cellæve numero reſpondeat, ut ſinguli a parocho, ſacerdoteve conſtituto, medico, chirurgo, ceteriſque miniſtris, facile & diſtincte inveniantur.

Ut ob eam ipſam cauſam, quoties qui recens ad loca curationis venit, aut inde abit, aut de uno in alterum commigrat, id omne eiſdem miniſtris ſignificetur, & ſacerdoti præſertim, ut miniſterii ſui partes ei præſtet.

Ut in uniuſcujuſque tugurio, cubiculove, ad lectum ſternendum, quoad ejus fieri poteſt, ſatis paleæ ſit, culcitra item ſtramentitia, & cento, lodixve.

Ut quibus, vel ex morbo laborantibus, vel ſuſpectis, lectus, ſtramentis laneis, aliaque ſupellectile apparari, & ſterni debet, ii, pro ratione, ſtatuque perſonarum, illud ipſum commodum conſequantur, & miniſtri item publice ad locum curationis conſtituti.

Ut iiſdem miniſtris, aliiſque recte valentibus victus certa ratione ſuppeditetur, qui ſatis ſit.

Ut ægrotis item ſtata hora ſubminiſtretur, quibus etiam ratio adhibeatur cibi, qualis ſit, quantus, & quo item modo præbeatur.

Ut medicinæ, medicamentave in tempore certiſque præſcriptis horis, & ordine apparentur, conficiantur, & præbeantur.

Ut & veſtes, & ſupellex, & tuguria, cubiculave, quæ ex aſſeribus conſtructa ſunt, ubi peſte infecti, ſuſpective manſerunt, aut mortui ſunt, prout opportunitas tulerit, diligenter purgentur. Illa vero tuguriola ex paleis inflammentur, nec vero uſui ſint aliis, qui ſolum ſuſpecti ſunt.

Ut ea ipſa tuguriola, cum opus eſt, palea recenti, cum intrinſecus optime circumveſtiantur, tum extrinſecus recte undique obtegantur, ut ne quando pluvia influat.

Ut in mortuis efferendis, & ſepeliendis nihil contra agatur, fiatve, quam de efferendi, ſepeliendive modo, & de loco, ubi ſepeliendi ſunt, epiſcopus ſtatuerit.

Ut vero hæc omnia in executionis uſum recte inducantur, parochus, omniſque alius ſacerdos, quicumque intra tuguriorum ſepta curam gerit, præfectus regionarius, & vicarius foraneus, ut diligentiſſime poterunt, curabunt, crebris cohortationibus, aſſiduiſque admonitionibus, omni caritate plenis, atque adeo, ubi opus eſt, reprehenſionibus. Et omni præterea paterno officio cum illis aget, ad quos ſumma curationis ſpectat, ut ordine, & quam rectiſſime cuncta gerantur. Quod ſi ne his quidem officiis, quidquam adjumenti ad rem optime adminiſtrandam non afferent; perfugium, ut primum poſſunt, ad epiſcopum habebunt, cujus conſilio, ſtudio, ope, & auctoritate, etiam apud magiſtratum, ut opus erit, ſi quæ perperam aguntur, ad rectam normam redigantur.

XXV.



## XXV.

*Viſitationis officium multiplex.*

Ea omnia, quæ paulo ante, & mox infra demonſtrantur, vel ad cautiones, vel ad curas, vel ad pietatis exercitationes, vel ad hominum mores, vel ad ſacerdotum in primis vitæ honeſtatem, & diſciplinam pertinent, ut rectam omnem executionem habeant; hoc præfecti regionarii, aut vicarii foranei, aliique epiſcopales viſitatores videbunt, curabuntque diligentiſſime.

Quare loca publicæ curationis frequenter, vel quotidie potius, cum opus erit, viſitabunt, cunctaque perſpicient, atque explorabunt, tum quæ ad peſte languentium, ſuſpectorumve, aut animæ ſalutem, aut corporis curationem ſpectant, tum etiam quæ de eo genere omni ſpeciatim, univerſeque conſcripta ſunt.

Ac ſi quid vel deeſſe, vel in aliqua re peccari, offendive viderint, ad ipſum epiſcopum referent: qui de omni cautione, cura, piaque exercitatione, & diſciplina ſolicitus, in omnium executione, ut opus erit, ſtudioſe evigilabit.

Epiſcopus vero frequens in eo erit; ut univerſos & fere ſingulos, peſte vel infectos, vel ſuſpectos inviſat, paterna caritate conſoletur, epiſcopali liberalitate, & eleemoſyna, quam manu ſua præbebit, ſublevet, ſi quos inopia laborantes viderit: documenta opportuna det, atque accommodata ad ſancte, & cum Dei voluntate congruenter vitam agendam, mortemque fortiter, Chriſtianoque more in domino obeundam.

Crebro item familias, quæ domi ob ſuſpicionem ſe continent, brevi ſermone alloquetur, & oſtendet in primis quæ unicuique agenda ſint, quæ rurſus fugienda.

Sæpe præterea in diœceſis loca infecta, ſuſpectave, excurret, cunctaque oculis, paterna caritate incenſus, luſtrabit, ut populo ſuo afflicto, perculſo, & pene proſtrato, conſolationes, remedia, ſubſidia, & alia epiſcopalis dilectionis officia adhibeat & præſtet.

Non viſitatores ſolum, ſed alios etiam ſæpe mittet, qui hæc eadem officia præſtent.

Præfectorum, curatorum, & miniſtrorum publicæ curationis operam, ſtudiumque excitabit.

Si quos negligentes, & delinquentes in officio compererit, cum iis non modo cohortatione, monitione, ſed aliquando etiam ſeveriore objurgationis acerbitate aget: ut ſui quique muneris partes recte, diligenter, & ſalutariter exequantur.

Si vero aliquando monitos obſtinate operam dare cognoverit, ut contumaciter, maleque agant; ut iſti ab officio ſuſcepto amoveantur, curabit atque efficiet.

Monattorum vitia, quæ in eo genere hominum graviſſima ineſſe ſolent, increpabit acerrime. Sique hac via non ſuccedet, ut in officio recte agendi ſe contineant, illam aggredietur, ut magiſtratus pœnas repoſcant flagitiorum quæ admiſerint.

Et quoniam per epiſcopales occupationes omnibus locis præſens adeſſe non poteſt, eam etiam rationem aliquando inibit, ut ad populos literas paſtorales ſcribat, quibus illos conſoletur, confirmet, & excitet ad optima quæque, prout occaſio tulerit.

## XXVI.

*Cura ſpiritualis ſigillatim unicuique peſte affecto, vel ſuſpecto, a ſacerdote adhibenda.*

Ubi primum parochus, aliuſve certus ſacerdos conſtitutus, aliquem, curæ ſuæ commiſſum, peſtilentiæ morbo laborare certior factus eſt, eum, ut celerrime poteſt, paterna caritate inviſet, atque in primis diligentiſſime pœnitentiæ ſacramentum miniſtrabit, & alia deinceps omnia adjumenta ſpiritualia ad animæ ſalutem.

Quamobrem diligenter plane cavebit, ut ne, cum morbi, ex quo aliquis laborat, vis, ſuſpicionem peſtilentiæ præbeat, falſa inanique ſpe ductus, eum diutius in vita permanſurum, id culpæ contrahat, ut abſque ſacramentis ille diſcedat. Itaque hoc præſertim nullo modo prætermittet, quin pœnitentiæ ſacramentum, mora non interpoſita, miniſtret.

Sacram autem euchariſtiam (niſi ob vomitum, aliudve impedimentum neceſſe eſt, aliquid moræ interponi) quam primum pro viatico ægrotanti, etiamſi cibum ſumpſerit, omnino miniſtrabit; niſi manifeſto apparet, illum a morbo convaleſcere: peſtilentia enim ægrotans in eo ſtatu verſatur, ut timendum ſit, ne vel ad punctum temporis mortem obeat.

Quare extremæ etiam unctionis ſacramentum, ſine cunctatione moraque ei miniſtrare poterit.

In ſacramento pœnitentiæ miniſtrando videbit, ut facultate, vel epiſcopali, vel etiam pontificia, qua etiam a criminibus illis, quæ apoſtolicis literis, die cœnæ domini editis, continentur, abſolvi permiſſum erit, prudentiſſime atque ſalutariter utatur.

Denique ægrotanti omnia illa caritatis miniſteria & officia præſtabit, quæ in extremo vitæ ſpiritu, aliis, curæ ſuæ commiſſis, præſtare alias debet.

At vero præterea dum æger aliquo ſenſu viget, earum pontificalium literarum auctoritate indulgentiam ei concedet, epiſcopique nomine benedictionem impertiet.

Conſolationes proponet, quibus illum ad bene ſancteque in domino moriendum excitet.

Ubi illum obiiſſe audierit, ejus animæ auxilium feret orationibus, precibus, & in primis ſanctiſſimo miſſæ ſacrificio.

Eam ipſam diligentiam, quam peſte laboranti adhibendam eſſe, paulo ante demonſtratum eſt, idem parochus & ſacerdos in ſpirituale adjumentum illius conferet, qui ex morbi ſolum ſuſpicione laborat.

Sed quod ad ſanctiſſimæ communionis miniſtrationem pertinet, dum ille in ſuſpicione tantum eſt, ſemel ab initio eam, non pro viatico tamen miniſtrabit, & deinceps aliquoties etiam, atque adeo ſæpius, aut rarius, pro pietatis ſtudio, quo ille tenetur, proque curæ occupationibus; quibus ipſe parochus vel ſacerdos diſtinetur.

Et vero, quamvis paucis ante diebus ſacram ei communionem præbuerit, cum tamen indicium ejuſmodi erit, ex quo perſpicue manifeſtum ſit, atque adeo certum, peſtifera labe illum infectum eſſe, ſanctiſſimum viaticum, etiam

iam poſteaquam cibum ægrotans ceperit, ſine mora, pro illius præparatione & ſtatu miniſtrabit.

Quod ſane omne ut diligentiſſime præſtetur, videbit epiſcopus omni accurata exploratione & ratione, quam a præfectis regionariis & vicariis foraneis adhiberi mandabit. Mox item extremæ unctionis ſacramentum miniſtrare poterit, ut paulo ante narratum eſt.

## XXVII.

*Cura homini eccleſiaſtico, peſte laboranti, vel ſuſpecto, adhibenda.*

Clericalis ordinis homo, dum in peſtem, ejuſve ſuſpicionem inciderit, illius maxime præcipuam ſingularemque curam parochus, aliuſque ſacerdos, qui in publicæ curationis loco ſacramentis adminiſtrandis præfectus erit, ſuſcipiet atque geret, ita confeſtim, atque adeo in primis ad ſpiritualia auxilia, remediaque confugiens, ut documento atque exemplo ſuo pietatem laicorum accendat, quo in genere ei propterea nullo ſane loco deerit. Quæ vero ad corporis uſum neceſſaria ſunt, ea qua via & ratione ſupra demonſtratum eſt, ſatis abundeque eidem ſubminiſtrabuntur. Itaque idem parochus cum opus eſt id præcipue ſtudebit, ut cum ipſe ad illius uſum eleemoſynæ aliquid conferat, tum caritatis ſubſidia ab hominibus tam eccleſiaſticis, quam laicis conquirat ſtudioſe, ac præterea, ſi neceſſitas urget, ab epiſcopo item.

*De hominis eccleſiaſtici peſtilentia aut ſuſpicione parochus urbis præfectum regionarium, eumve, cui tale munus epiſcopus commiſerit; diœceſanus parochus vicarium foraneum*, ut celerrime poteſt, & quamdiligentiſſime certiorem faciet; at vero epiſcopum uterque, ut & hic & eorum unuſquiſque illa præterea opera, atque officia præſtare, aliaque ſtudia ad illius auxilium conferre poſſit, quæ illa temporum ratio ſuadet atque depoſcit.

Parochus ſacerdoſve, qui ſpiritualem curam intra loci publicæ curationis ſepta adminiſtrat, ſi morbo inficitur, aut aliquam ejus ſuſpicionem præbet; ei ſocius, ſi quem in cura parochiali habet, omnia ſacerdotalia miniſteria & officia præſtabit, ordine, qui mox ſupra expoſitus eſt cura ſpirituali unicuique adhibenda. Si vero plures ſacerdotes eorum ſeptorum curatores ſunt, qui ſuſceptæ curæ munere prior eſt, ea præſtabit, niſi inter illos aliter convenerit. Ubi autem ſocius nemo eſt, aut alius, in partem illius curæ evocatus, iis plane officiis curandum erit, ut parochus, qui proximus eſt, ſatisfaciat.

Verumtamen ex peſte laboranti parocho, nec curæ ſocium habenti, ſacramenta, præſertim ſanctiſſimam euchariſtiam & extremam unctionem, ſi ille in diœceſi eſt, ab ejus præpoſito, aliove, qui plebis totius curæ præeſt, ſi in civitate, ab archipresbytero cathedralis eccleſiæ, vel etiam ab ipſo epiſcopo, aliove ſacerdote, quem ſibi adjutorem eo tempore epiſcopus aſciverit, ubi nullum in mora periculum ſubſit, miniſtrari, cum proprium valde eſt, & cum caritatis fraternæ officio maxime conjunctum, tum etiam ad parochi langueſcentis conſolationem longe accommodatiſſimum. Quod ut in morem omnino inducatur, & plane præſtetur, hoc epiſcopus ſuo in primis exemplo ſtudebit.

Eccleſiaſticus homo, morbo affectus, aut ſuſpectus, ut ad loca publicæ curationis perducatur aſporteturve, hoc maxime ſtudeat is, cui epiſcopus id curæ dederit, ſi modo curæ quam gerit, aut officii, cui præeſt, ratio, vel ætas ejus ingraveſcens, vel alia ejus generis cauſa aliter non poſtulet: nam iis locis longe melius, quam domi ſuæ, ſubminiſtrabuntur quæcumque tum ad animæ ſalutem, tum ad corporis curationem neceſſaria ſunt.

Atqui illius perducendi, aſportandive ea ratio adhibeatur, quæ ejus ſtatui, & ordinis eccleſiaſtici dignitati conveniens eſt.

Ut ne ſimul cum aliis, ut vulgo fit, & tamquam unus de populo, ſed ſolus, & ut is, cui præ ordinis dignitate honor deferendus eſt, perducatur.

Ut ne vehiculo, curruve communi aſportetur.

Tugurium habeat, quamvis intra aliorum ſepta collocatum quo commodius & medici & medicamentorum copiam, aliorumque miniſtrorum operam habeat, ut a reliquis tamen opere diſtinctum & longius aliquando ſeparatum.

Diligenter inſtructum ſit ſtoreis, tegetibuſve, ſtramentis, lecto, culcitris ſtramentitiis, culcitris laneis, cervicalibus, linteaminibus, & omni alia neceſſaria ſupellectile.

Is prope habeat famulum, aliumve pium hominem, qui operam ei navet in rebus corporis uſu neceſſariis.

Ex miniſtris, qui extra ſepta famulatum operamve præbent, unum aliquem habeat, qui præcipue ei victum, medicamenta, & alias res neceſſarias opportune extrinſecus apparet.

Ejus cura ſaltem alicui medico & chirurgo, aliive curatori, aut miniſtro commendetur diligenter ac ſigillatim.

Sæpius & ab epiſcopo ipſo & a parocho & a præfecto, ſeu vicario foraneo, & aliis epiſcopi etiam nomine viſitetur.

Si aliquando acciderit, epiſcopum peſtis nomine ſuſpectum fieri, domi ſe continebit, quamdiu expedire cenſuerit. Dum autem ſe domi continet, ſi pro ſuæ ſpeculationis munere, tempore tam neceſſario, ſibi aliquid oculis perluſtrandum ſit, ut opportunius proſpiciat, & conſulat, in urbe, diœceſive, foras prodibit, ut opus erit.

De familia autem ſua ſi quis in peſtis ſuſpicionem inciderit, eum ſervare jubebit quæ de parocho, parochique familia demonſtrata ſunt.

Sin autem peſtilentia afficietur, de ejus periculo per capitulum, vel duos priores de capitulo, certior ſtatim fiet epiſcopus, qui propius abeſt, & metropolitanus item; cujus erit, fratrem epiſcopum, ita laborantem, omni ſolicitudine & caritatis officio conſolari, eique ſalutaria adjumenta, ut accuratiſſime poterit, adhibere.

At ne epiſcopus, ſi forte in peſtilentiam inciderit, ulla ope ſpirituali in primis deſtituatur, id ſibi ſubſidii comparabit, antequam peſtis in diœceſin irrumpat, ut certos ſibi ſacerdotes, caritatis zelo flagrantes, ſpiritualiſque vitæ uſu peritos, præſertim ex capitulo, conquirat & paret, qui laboranti ex peſte epiſcopo conſtanter miniſtrent quæ ad animæ ſalutem pertinent.

Is vero, dum æger eſt, ſe etiam piis, cæleſtibuſque meditationibus conſolabitur, tum ſpiritualium ſacerdotum aſſiſtentium colloquiis, atque etiam, ſi per morbi vim licet, lectione aliqua de ſanctis, utpote Cypriano martyre, Bernardino Senenſi, & beato Rocho, & aliis, quorum divinæ virtutes in peſtilentia eluxerunt.

Neque, dum morbo laborat, ex ædibus epiſcopalibus ſe alio conferet, ſed in iis perſiſtet; ut ſi forte obeat, clero & canonicis, præſertim eccleſiæ cathedralis, id quod ſanctiſſimi epiſcopi religioſe fecerunt, tum quis, etiam extremum fere ſpiritum agens, ſalutaria monita tradat, atque in ſtatione ſua epiſcopali, quemadmodum epiſcopum decet, ex hac vita migret ad dominum.

Erit autem capituli cathedralis eccleſiæ præ omnibus, dum ille in peſtis ægritudine eſt, ſupplicationi inſtare; ac præterea vicarii generalis, orationem ſine intermiſſione in urbe, diœceſique indicere & habere, ut pro eo, communi omnium parente, precatio aſſidua, religioſaque ab univerſo clero, populoque habeatur ad Deum.

## XXVIII.

*Cura adhibenda ubi quis convaleſcit, a peſte aut ab ejus ſuſpicione liberatur.*

In eam etiam curam totus incumbet parochus, ut omnes & ſinguli, qui a morbo convaleſcunt, aut a peſtis periculo, ſuſpicioneve liberi evadunt, tunc maxime fixa animi deliberatione propoſitoque vere novæ vitæ ſuſcepto, & diligentiſſime, religioſeque diſcuſſa conſcientia, peccata omnia, quæcumque in antea vita admiſerint, probato confeſſario ſacerdoti confiteantur; ſi quando peſtis initio id minus præſtiterint.

Ut ſanctiſſimorum ſacramentorum frequentem uſum adhibeant.

Ut precationis, & orationis aſſiduæ, & frequentis, præſertim matutinæ, & veſpertinæ item, uſum & conſuetudinem ſuſcipiant, aut ſuſceptam retineant perpetuo.

Ut alia Chriſtianæ religionis officia, quibus vitæ ſpiritualis ſtudium exardeſcit, amplectantur & colant diligenti exercitatione.

Ut ab omni male agendi conſuetudine, ab omnique peccandi occaſione ſeſe abducant; hominum, qui vitiorum, flagitiorumque impuritate inquinati ſunt, commercium, & familiaritatem refugiant; & peccatorum, in quibus antea pravo quodam uſu verſati ſunt, ſeminaria præcidere ſtudeant.

Alia præterea grati animi officia illis commonſtrabit, quæ infra, cum de peſte extincta agitur, uberius explicata ſunt.

Quoniam autem ſæpe fit, ut in iis puellæ, & virgines, & mulieres florenti ætate, parentum, aut aliorum, qui proxime propinqui ſunt, morte ab omni ope deſtitutæ ſint, ac proinde periculum ſit, ne ad impudicitiam turpiter prolabantur; ideo parochus, ſi quas in parochiali vicinia habet, aut etiam ex parochia ſua in communis curationis hoſpitali, aliove loco collocatas illas ſingulas matronæ honeſtæ, illis propinquitate, aut vicinia conjunctæ, aliive feminæ lectiſſimæ, quo maximo poteſt caritatis ſtudio commendet, ut eas, ſi neceſſe eſt, eleemoſynæ etiam largitione ſublevet; in omnibuſque rebus cum earum curam illa ſuſcipiat; tum maxime, id quod caput eſt, in timore Dei, ſanctæque vitæ ratione eaſdem inſtituat, præſertim ab omni labe puras atque integras conſervet.

Atque in omni quidem hujus cuſtodiæ, officiive genere ille ipſe parochus curam præcipuam maxime ſuſtinebit. Ideoque ubi primum vel convaluerit, vel a ſuſpicione liberæ erunt, illius cura & ſtudio in monaſterio, locove pio collocabuntur, aut matronæ honeſtæ famulatui addicentur; aut alia honeſta conditione earum neceſſitatibus, ac ſimul pudori proſpicietur. Et quo rectius, & cautius id omne agatur, ad epiſcopum etiam, ſi opus erit, confugiet.

Puerorum, & adoleſcentum, qui mortuis parentibus & propinquis in eodem ſtatu verſantur, & infantum etiam lactentium, & aliorum præterea, qui ab omni re inopes, aliorum auxilio deſtituuntur, eamdem ipſam curam, & ſolicitudinem paternam ſuſcipiet ac ſuſtinebit.

## XIX.

*Cura mortuorum.*

Hæc pro mortuis peſtilenti tempore præſtanda epiſcopus curabit, eoque vigilantius, quo gravior culpa multorum in eo caritatis officio aliquando exiſtit.

Si quis igitur peſte effectus, eove nomine ſuſpectus mortem obierit, ejus corpus ne citius duodecim horis, nec vero tardius quatuor & viginti horis, vel eo circiter temporis ſpatio, ſepeliatur, poſtquam obiit.

Noctu ne efferatur, niſi epiſcopi conceſſu ſcripto aliter aliquando juſtis cauſis permiſſum ſit.

Curru item ne vehatur, niſi præ mortuorum multitudine, aliave cauſa ſecus fiat neceſſe eſt.

Ne humeris unius tantum, tamquam onus geſtetur, ſuccolleturve; nec vero nudum, nulloque operimento tectum, etiamſi curru feratur, nec alio modo indecenter, atque inhumane.

Porro a duobus efferatur decore binis longuriis, aut haſtilibus ſolidis, beneque firmis, quibus feretrum ſuſtineatur, aut ſcala decenti, aliove ejus generis opere.

Si autem incluſum in capſa, vel linteamine recte involutum; tum pallio præterea ad hunc uſum conſtituto, corpora operiantur, etiam quando vehiculo efferuntur.

Ad efferendum veſpillones, qui monatti vulgo dicuntur, adhibebuntur: qui ſi minus publico ſtipendio conducti ſunt, curandum erit, ut corporis & efferendi, & ſepeliendi curam ſuſcipiant & gerant, qui in ea ipſa domo, familiave ſunt, in qua erat qui peſtis morbo obiit: aut illi, qui vel cognatione, vel amore, & caritate conjunctiores, cum ejus, peſtilentiæ contagio laborantis, curam præcipuam habuerint, & ab illius latere non diſceſſerint, mortui etiam funus, & ſepulturam libentius, atque minori periculo curabunt ac præſtabunt, cum officio caritatis adducti, tum etiam quia nihilo minus aliquo temporis ſpatio ex lege magiſtratus, qui ſanitati præeſt, ſecluſi ab aliorum conſuetudine ſint oportet.

Funeris ſtatis precibus, & pſalmorum, aliarumque orationum officio, ut eccleſiæ ritus eſt, proſequendi, celebrandive munus ad ſacerdotes, locis

locis illis peſte laborantium conſtitutos, pertinebit, ſi qui ſunt: alioquin id officium præſtabit una cum clerico proprius mortui parochus.

At unicuique tamen parocho, animarumve curatori liberum integrumque erit, ſuis impenſis certum alium ſacerdotem una cum clerico conſtituere: qui parochialibus ſuis, peſtilentia mortuis, officium funerale præſtet; cum ſcilicet non in parochiali eccleſia, ſed in cœmeteriis ſepelientur, quæ præcipue ad ſepulturam conſtituta ſunt peſtis morbo morientium.

Si mortuus aliquid in bonis reliquit, heredes omnem & ceræ & funeris totius impenſam facere cogantur pro illius, qui obiit, dignitate, proque cleri, qui ad funus adhibetur, ratione, ac pro ſepulturæ, quam ſibi in aliqua certa ſede delegit, modo.

Sin autem vel in ædibus hoſpitalibus, vel in iis locis tuguriorum, mortem obiit, in earum ædium, locorumve cœmeterio humabitur; cujus funeris ſepulturæve officium ſacerdotes & clerici obibunt, qui ibi curam gerunt, ubi ſi complures non ſunt, is unus tantum qui eſt, ad funus ſatis erit. Ceræ porro ſumptus ab hoſpitalibus, eorumve locorum curatoribus fiet: iſque a bonis mortui, ſi quæ in illis vel hoſpitalibus domibus, vel tuguriolis relicta ſunt reſarcietur.

Ubi nulla alia ratio ſumptus ſit pro funere defuncti, ceram in funeris ſumptum conferre, & ſepulturam in cœmeterio curare, parochi ſit: ut ceteris parochialibus ſuis, ab omni re inopibus, qui obeunt, itidem præſtare debent.

Et campanarum ſono, & cruce prælata, & luminibus accenſis, & ceteris ceremoniis, ſtatoque omni ritu eccleſiaſtico, a parocho aliove ſacerdote, & clerico ſaltem uno funus ducatur; etiamſi, epiſcopi conceſſu noctu fiat, & curru item non unus ſolent, ſed plures, peſte extincti, efferuntur. Quo in funere idem parochus aliuſve ſacerdos, & clericus, ſuperpelliceo induti, cum pro ædium, alteriuſve loci foribus, unde efferuntur, tum in via, tum loco demum ubi ſepeliuntur, pſalmorum, precumque officium, ut moris eſt, pro mortuis præſtent.

E domicilio autem, locove, ubi quis peſte mortuus eſt, non antea effertur ſepulturæ cauſa, quam parochus, aliive illius curæ ſacerdotes, de obitu certiores in tempore per veſpillones, alioſve miniſtros fiant; atque certa ſepulturæ hora conſtituta parochus, aut conſtitutus ille ſacerdos advenerit, præſenſve aderit: qui ut in tempore adſit, curet omnino. E loco, unde effertur, parochus, aliive clericalis ordinis homines, qui funus obibunt, non ante ad eccleſiam, cœmeteriumve diſcedent, quam mortui corpus veſpillones feretro, aut curru, aliove modo efferendum ſumpſerint, ut illi, quod ritus eccleſiæ ſanctę poſtulat, ſtatis precibus funus rite ducant. Funeris, ſepulturęve cauſa ne parochus, aliuſve ſacerdos, neque clericus item, plus eleemoſynę, ne ſponte quidem oblatæ, ullo quovis nomine pretextuve capiat, quam vel dari ob funus alio tempore ſolet, vel ab epiſcopo pręſcriptum eſt, aut conceſſum. Nec vero emolumenti cujuſquam ſocietatem cum veſpillonibus, aliiſve funerum curatoribus, ceteriſque id generis eo nomine ineat: cui rei, aliiſque avaritię ſordibus atque ſuſpicionibus, ut occurratur, quidquid fructus eleemoſynęve in ſingulos menſes ab exequiis, quę peſte mortuorum nomine fient, acceperit, in urbe pręfecto regionario, aut, ſi in diœceſi eſt, vicario foraneo ſingulis item menſibus ſcripto ſignificet.

Peſte mortui corpus ne extra loci ſacri fines ſepeliatur, ne eo quidem nomine, quod aliquo poſt tempore ad locum conſecratum transferatur: ſed in parochialis eccleſiæ, intra cujus fines obiit, cœmeterio humetur; aut ubi illud non eſt, in ea ipſa eccleſia, vel communi ſepulturæ loco, vel ſi conſenſus jus habentium acceſſerit, privato. Si vero præ cœmeterii, eccleſiæve parochialis anguſtia, aut præ mortuorum multitudine, aliud ab epiſcopo cœmeterium vel in vicinia parochiali, vel in hoſpitalibus, vel in tuguriorum loco conſecratum eſt in eo ipſe ſepeliatur licet. In ſepeliendi officio ea cautio adhibeatur, ut in cœmeteriis, præſertim quæ in urbe, opido, aut vico ſunt, altius foſſæ effodiantur, ubi in ſepulturam corpora tradantur, ne inde fœtor contagioſus exhalet. Earum igitur altitudo tanta erit, ut ſupra cadaver terra extet alte congeſta, tres quatuorve cubitos. Ubi vero ſæpius ſepulcrum aperiendum eſt, eo altius erit; & quoties ſepelietur, toties terra, aut calx, aut arena coniiciatur, qua corpus bene obtegatur. Hæc atque adeo alia potior ratio adhibebitur ad corporum fœtoris vim continendam.

Clericalis ordinis homo ſi forte decedit, ejus funus ab aliquo cleri numero celebretur, & corpus intus in eccleſia ſepeliatur; ſi ſecus fieri non cogit loci longinquitas, ad quem effertur.

In altaribus privilegiatis ſaltem pro eccleſiaſtici ordinis hominibus tot miſſæ pro defunctis celebrabuntur, quot ex illis peſte mortui ſunt, ita ut ſingulæ miſſæ ſingulis mortuis applicentur.

Si epiſcopum mori contigerit, ejus funus, & exequiæ curabuntur, & celebrabuntur ad concilii primi, & quarti provincialis præſcriptum. Pro qua defuncti anima fiet, ut eodem concilio quarto cautum eſt. Nec vero quidquam obſtabit, quo minus ei defuncto omnia debita pietatis officia præſtentur; hocque ardentiori caritate, quod paternam illius, accenſamque dilectionem periculoſo illo tempore gregi ſibi commiſſo præſtitit: pro quo non modo facultates, ſed vitam conſtantiſſime in domino profudit.

Et quoniam illud in peſtilentia, quamſępiſſime accidit, ut parentes ſimul, & liberi, eodem fere tempore obeant, neque heredem, ſucceſſoremve ullum relinquant; aut, ſi quos relinquunt, illi quidem ſint cognationis gradu non arctius conjuncti, aut aliquando, ſi liberi ſuperſtites ſunt, ii vel minores natu, vel ſępe eodem morbo affecti, vel ſuſpecti, ob eamque cauſam a ceteris ſecluſi ſint: quo fit, ut nemo fere ſit, qui miſſę ſacrificiis, & ſtatis divinarum precum officiis, aliiſque pietatis operibus eorum animas adjuvare curet. Quamobrem pręfectus regionarius, & vicarius foraneus in ſua quiſque regione, ubi peſte laboratur, pro mortuis miſſę ſolenne ſacrificium, pręter aliam miſſam conventualem, ſingulis hebdomadis, quoad peſtilentia ceſſaverit, feria ſecunda a clero uniuſcujuſque collegiatæ celebrari jubeat; ſi modo per diei feſti celebritatem, quæ in illam feriam incidit, id præſtari licet.

Hoc idem ſacerdotes ſinguli miſſæ ſacrificium facient.

In ea ipſa feria, quæ primum in ſingulos menſes inciderit, in unaquaque urbis regione, & in ſingulis diœceſis partibus, quibus vicarius





foraneus præeſt, ab omnibus ejuſdem regionis, & partium illarum diœceſanarum parochis ſolemne pro mortuis officium, ſolemneque etiam miſſæ ſacrificium peragatur: Quod ſi in ea feria per officii ritum peragi non poteſt, in alia proxime ſequenti præſtetur.

Huic autem rei præſtandæ modum epiſcopus pro diœceſis ſuæ ratione præſcribet. Singulis præterea diebus, præterquam cum pro officii ratione, aut ob aliam cauſam non poteſt, ſacerdos unuſquiſque in miſſæ ſacrificio orationem, collectamve pro mortuis religioſe dicat.

Moniales etiam certo hebdomadæ die, ab epiſcopo præſcripto, officium mortuorum recitent.

Singulis quoque diebus dominicis unuſquiſque parochus, animarumve curator populum intra miſſarum ſolemnia admonebit, ut non modo tunc, cum in miſſæ ſacrificio præſens adeſt, pro mortuis ſimul precetur, ſed poſtridie illius diei, quo pro illis fiet, in eccleſiam ad divina officia, ſolemneque miſſæ ſacrificium frequens conveniat. Qui vero impeditus adeſſe non poteſt, ſaltem vel domi, vel in officina, tabernave, vel ubicumque erit, pro eis paulum oret, religioſis precibus adhibitis, prout eſt pietatis ſuæ diligens ſtudium.

Singulis denique dominicis diebus prima hora noctis certum campanarum ſignum de more ſolemne detur, quo & oratio, quæ tunc a fidelibus pro mortuis facienda eſt, & divinorum officiorum celebritas, quæ poſtero die eorum cauſa agetur; omnibus univerſe ſignificetur.

Hæc autem omnis defunctorum animabus pie ſuffragandi ratio, epiſcopo curante, ita inibitur, ſtatueturque in tota diœceſi, vel in ejus parte, ut peſtis ſeſe diffuderit, vel epiſcopus idem cenſuerit.

Hoc ipſum omne ut in ſuis eccleſiis a regularibus præſtetur, omni cohortationis officio ille curabit. Quin etiam literis cum metropolitano, & aliis provinciæ epiſcopis aget, ut par pietatis ſtudium in ſua quiſque eccleſia iis defunctis præſtent.

## XXX.

*Peſte reſtincta quæ præſtanda.*

Dei munere, beneficioque cum primum peſtilentiæ vis paulatim langueſcere incipit, in eo potiſſimum epiſcopi cura verſabitur, ut omni officii genere is populum excitet atque inflamet, non modo ad orationem, obſecrationem, & gratiarum actionem, ſicut apoſtolus monet, ſed ad præcipua quædam religionis Chriſtianæ ſtudia, atque adeo opera, quibus divinum illud beneficium ac ſingulare pia grataque memoria proſequatur perpetuo.

Primo ut omnes & ſingulos ad gratiarum actionem inſtruat ac paret, illud curabit, efficietque ut peccata ſancte confeſſi; certo religioſo die ſacram communionem frequentiſſimi ſumant.

Deinde ſtatam illam orationem quadraginta horarum indicet, & celebrabit religioſiſſime: ad quam cum populus, per vicinias parochiales diſtinctus, certis præfinitis horis conveniet, in omni illa horaria ſtatione, concionantis vel breviſſimo ſermone incitetur, atque accendatur ad ea officia, quæ ſanctiſſima ob accepti beneficii memoriam præſtare quiſque debet.

Poſtea vero ſupplicationes triduanas indicet: quas ſolemni apparatu, & omni religioſorum ordine, & frequentiſſimo univerſi populi concurſu, & præterea tertio ſcilicet eorum die, ſacra omni pompa ſanctarum reliquiarum rite, religioſe, recte, atque ordine celebrari ſtudebit.

Atque ut rectiſſimam quidem viam emendationis, ſanctioriſque vitæ populus univerſus ſuſcipiat ac teneat, curabit in primis, ut vicinia parochialis omnis, & unaquæque familia, ſi minus id peſtis tempore fecit, nunc tandem Dei offenſiones, morum corruptelas, pravos uſus, quibus antea ſeſe ullo tempore implicuerat, perpetua deliberatione perpetuaque omni deteſtatione pellat, abhorreat, planeque abjiciat.

Certas vero Chriſtianæ inſtitutionis regulas unicuique hominum generi, ordini, & conditioni accommodatas, epiſcopus commonſtrabit.

Curabit item hoc diligenter, ut ſi quæ vota vel publice, vel privatim nuncupata ſunt, quamprimum & pie, & religioſe, riteque perſolvantur ad præſcriptum hujus concilii.

Ut legata, aliove nomine relicta, aut donata, quæcumque in peſtilentia pii uſus cauſa ſunt, recte ſeduloque præſtentur.

Ut quæ vitia, & quas morum corruptelas, dum peſtis vis, atque impetus irruebat, publice, palamque populus deteſtabatur, hoc item iiſdem profeſſus, ſe illa, tamquam peccatorum ſeminaria, unde peſtilentia extitit, abjecturum: ea plane in perpetuum profliget, eorum malorum fibras, & radices præcidat.

Ut in primis quæ Chriſtianæ pietatis officia, ac quæ ſtudia peſtifero morbo languerunt, diligentius excitentur.

Quamobrem viſitationis munus quamprimum aggredientur diligentiſſime: in quo munere hoc potiſſimum ſtudebit, atque exequetur:

Ut eccleſiæ præſertim parochiales, ſi quæ ob peſtem damni, detrimentive aliquid fecerunt, reſarciantur, & neceſſaria ſupellectile apparatuve inſtruantur.

Ut loca inſtaurentur, caritatiſque opera, & ſubſidia, ſi quæ vel neglecta, vel prætermiſſa, vel intermiſſa ſunt, omnino reſtituantur, atque excitentur religioſius.

Ut academiæ, ſcholæ, collegiave pie inſtituta renoventur flagrantiori ſtudio.

Ut divinorum officiorum cultus omni parte floreſcat.

Ut ſacræ conciones, & frequentiores ſint, & omni ſanctiſſimæ diſciplinæ officio inſtructiores itidemque ſacræ lectiones.

Quamobrem lectiſſimos concionatores undique conducere ſtudebit ad ſuæ diœceſis loca.

Ut in primis doctrinæ Chriſtianæ ſcholę ſtudioſius, frequentiorique multitudine exerceantur.

Ut piorum hominum ſcholę frequentiſſimę ſint, ardentiuſque verſentur in omni pie agendi curſu & progreſſione.

Ut alię confraternitates erigantur, aliaque item pie inſtituta opera, exercitationeſque excitentur.

Ut cauſæ piæ diligentiſſime explicentur, & ſi quæ in foro ſunt, ad exitum perducantur.

Ut omnes denique & ſinguli officia, ſtudiaque

ANNO CHRISTI 1579.

que ſanctæ Chriſtianæ diſciplinæ diligentius amplectantur & colant.

Frequentiſſimi ad indulgentiarum & ſtationum celebritatem concurrant.

Eccleſias crebrius, religioſiuſque frequentent.

Dierum feſtorum celebritatem ab omni ſervili, mundanoque opere abſtinentes, ſancte venerentur & ſanctificent officiis, atque actionibus, cæleſti præmio dignis.

Ut patresfamilias omnibus & ſingulis, quos in familia, famulatuque habent, ſancte vivendi leges accuratius tradant ad præſcriptum regularum, quas ipſe epiſcopus eo nomine ediderit.

Quanto autem quiſque generis ſplendore, dignitate, opibus præſtat; tanto ardentiori ſtudio omnis pietatis inſtituta, progreſſiones, atque officia tueatur.

Ut mercatores, artifices, inſtitores & ceteri cujuſcumque opificii homines, miniſtrive, peſte reſtincta, non tam in excitandis induſtriæ artiſque ſuæ ſtudiis, reſumendiſque ipſis artificiis diligentes ſint, quam ſoliciti admodum & ſtudioſi non modo in ſuſcipiendis ſancte agendi inſtitutis, ſed in rejiciendo omni vitio, quod in artis ſuæ uſu, atque exercitatione aliquando ſubeſſe ſolet: ita ut quæſtui ſalutem animæ in negotiationibus, actionibus & artificiis plane anteponant.

Monebit præterea crebris ſermonibus, in mercatura, quam faciunt, in omnique commercio nihil fraudis, nihil doli, nihil quæſtus nefarii, nihil falſi, perjurii committendum concipiendumve eſſe: ab officinis & tabernis omnem vivendi intemperantiam & turpiter dictorum obſcœnitatem profligandam eſſe: a judiciali foro omnem avaritiam, rapinas, ambitionem, iniquitates, & pupillorum, viduarum, egentiumque hominum vexationes exterminari oportere: a privatorum ædibus intemperantiæ profuſæque vitæ conſuetudinem, ludos aleatorios, immoderatos ſumptus, ſervorum greges, conviviorum exquiſitos apparatus, ingentem veſtium pompam, & omnia denique quaſi peccatorum ſeminaria convellenda: a civitate capitales inimicitias, odia, ſimultates, factiones, improborum hominum cœtus, ludos publicos & ſpectacula omnia profana abjicienda.

Hæc enim cum ejuſmodi ſint, ob quæ Deus iratus peſtifero morbo populum contuderit ac debilitarit, poſteaquam ejus ſingulari miſericordia donoque publica valetudo recuperata eſt; ſunt omni cura ſtudioque evitanda, ne accepto beneficio fideles abutantur ad Dei iram gravius concitandam.

Hanc vero viſitationem, quæ omnibus officiis cumulata eſſe debet, epiſcopus quo ſtudioſius præſtet atque adeo perfectius, alios etiam viſitatores adhibebit; qui omnes commonſtratæ viſitationis partes adjuvent atque exequantur.

In qua viſitatione illud etiam curæ erit libri de matrimoniis & baptiſmis in peſtilentia miniſtratis, proprio parocho confeſtim tradantur: qui in codicem parochialem, quæcumque de eo miniſtrationis genere notata ſunt, referat ad præſcriptum.

Ut item infantibus, in peſtilentia natis, quibus ob periculum ſtatæ ſolemnes baptiſmi ceremoniæ adhibitæ non ſunt, quam primum illis de more rituque adhibeantur.

Et quoniam ſæpe fit ut peſte depulſa fames populum adoriatur; ideo eam etiam cogitationem & curam epiſcopus ſuſcipiet, ut re cum magiſtratibus, decurionibuſve deliberata, populo in rei frumentariæ caritate, quæ exiſtere poſſet, aliqua ratione ſuccurratur: ne fame conficiantur qui peſtilentia extincti non ſunt.

Viduarum præterea, pupillorum & pupillarum eam curam ſuſcipiet, quæ ſupra commonſtrata eſt.

Sacerdotum & religioſorum hominum, qui peſtis tempore pieque ſe geſſerunt, ac pericula non reformidarunt, ut ſpeciali adjumento ægrotantibus ſubvenirent, patrocinium, curamque habebit.

Idem laicis, & mulieribus præſertim, quæ infectis morbo operam navarunt, ipſe præſtabit.

Pro iis vero, qui peſtilentia confecti obierunt, per annum poſt recuperatam publicam valetudinem omnis diligentia, quæ ſupra præſcripta eſt, ſervabitur in eorum animabus ſuffragandis.

Porro epiſcopus cum metropolitano, is vero cum provinciæ epiſcopis aget, ut ſupplicationibus proceſſionumque ſolemnitate & omni pietatis ſanctæ officio, ubique in provincia de recuperata valetudine Deo gratiæ habeantur.

Rurſus epiſcopi provinciæ coepiſcoporum, cujus diœceſis urbſve Dei beneficio a peſte liberata eſt, paterna caritate inviſent, eidemque cum privatim pio colloquio, tum publice populo ſanctiſſima concione gratulabuntur.

Ut porro ſingularis beneficii, quod peſtis morbo depulſo a Dei miſericordia populus accepit, perpetuo memor ſit, id epiſcopus omni in primis ratione curabit; ne ob ingrati crimen, quod grave eſt, graviſſimaſque Dei offenſiones parit, graviora deinceps mala, pernicioſiuſque exitium ſentiat: ac propterea gravitate exemplorum quæ ex ſacris utriuſque teſtamenti literis ſumuntur, ſæpiſſime declarabit, quam valde oderit Deus ingrati animi crimen.

Itaque id unum ſtudebit, ut populus beneficium agnoſcat, & quale ſit & quantum quamque omni munere & dono, non corporali ſolum ſed ſpirituali plenum & cumulatum; ita ut plane ille intelligat, ſe peſte liberatum, non modo priſtina commoda publicæ valetudinis recuperaſſe, ſed etiam ſpirituales utilitates, ſpiritualiaque emolumenta, quibus aliquando in peſtilentia caruerat magno cum periculo ſalutis.

Crebro illum excitabit ad ſanctarum exercitationum, quibus in peſtilentia difficulter utebatur, religioſum ſtudium, ad frequentem ſacramentorum uſum, ad ſtationes obeundas, ad conciones & lectiones ſacras audiendas, ad dies feſtos in eccleſiis, piis orationibus, ſanctiſque meditationibus, conſumendos. Ad quæ officia ardentius eum incendet, propoſitis incommodis, difficultatibuſque, quibus non ſine quadam animi acerbitate & cruciatu tunc implicati erant; cum præſertim vel in ipſa media morte non haberent aliquando unde ſpiritualibus adjumentis & conſolationibus ſuſtentarentur.

Id ſtudebit, ut peſtis extinctæ beneficium plane agnoſcat non ab hominum prudentia, conſilio, medicamentorum procuratione exiſtere, ſed a Deo in primis, qui mortificat, & deducit ad inferos & reducit.

Itaque inſigni illius miſericordia factum eſſe populus ſciat, ut, ſedatis peſtilentiæ tempeſtatibus, tranquillitate vitæ perfruatur.

Alioqui verendum eſſet, ne gravius plecteretur ut olim populus Hebræus, qui ab Ægypti ſervitute Dei ope mirabiliter liberatus, divinum beneficium grati animi pietate cum non agnoviſſet, pœnis deinde acerbiſſimis affectus eſt.



ANNO CHRISTI 1579.

Cum igitur parochi, tum concionatores ob eam cauſam ſæpiſſime eum monebunt, & locis, quos ex ſacrarum literarum fontibus haurient, uberrime tractatis, oſtendent, in rebus proſperis, & ad voluntatem fluentibus, arrogantiam & ſuperbiam fugiendam eſſe; ſed Deo in primis omnium bonorum parenti & auctori, quidquid proſpere, & optime ſucceſſit, tribuendum eſſe. *Ne dixeris in corde tuo; Fortitudo mea & robur manus mea hæc mihi omnia præſtiterunt, ſed recorderis domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit*, inquit ipſe Deus.

Id quo gravius in fidelium mentibus inſerant flagitia & peccata aliquando exagitabunt, quæ populus admiſerit, rurſuſque Dei beneficia præclare commemorabunt; ita ut is non auditione ſolum percipiat, ſed intimo animi ſenſu cognoſcat, ſe non meritis ſuis, ſed ſingulari Dei benignitate a peſtilentia liberatum eſſe. Cum illis, qui peſtifera ærumna correpti, vitam, moreſque emendarunt, quique a domino caſtigati, inquit propheta, eruditi ſunt ad divinas juſtificationes, ita agent, ut cum emendationem, tum liberationis a peſte munus a Deo potiſſimum agnoſcant; ac de utroque beneficio perpetuas ei gratias agant; & cum mortifero morbo jam affecti, eoque divinitus liberati, omnis male anteactæ vitæ pœnitentes, viam ſancte agendi ingreſſi ſint, in ea longius progrediatur perpetuo, neque eorum pœnitentia ficta ſit & ſimulata, vel brevis, quæ ſolum metu periculi nixa fuerit, quemadmodum de Antiochi & Eſau falſa pœnitentia literis divinis proditum eſt.

Eorum autem mentis cæcitatem graviſſime increpabunt, qui carnis ſenſu ducti & mundi illecebris deliniti, quoniam opibus affluunt, cum omnia ſibi licere putent; non modo certiſſimo peſtilentiæ periculo, ſed neque recuperatæ valetudinis beneficio meliores facti ſunt: *Attrivisti eos & renuerunt accipere diſciplinam, & induraverunt faciem ſuam ſuper petram, & noluerunt reverti*: de iſtis ita narrat propheta Jeremias. (Jerem. 5.)

Illos denique, qui peſte reſtincta, obſtinato, obfirmatoque animo ſunt ad peccandum, vehementius deterrebit, ut ſcilicet, quamvis peſte liberati ſint, graviora ſibi pertimeſcenda proponant, cum cauſa etiam adhuc ſubſit, unde ſempiternam plagam accipiant. Recuperatio enim valetudinis magnam ſuſpicionem & metum perito medico affert, qui rurſus multa ſigna videt, ex quibus animadvertit, cauſam ſublatam non eſſe morbi, ex quo æger perículoſe laboraverat.

Illos monebit etiamſi una cum bonis piorumque operum ſtudioſis viris, valetudinis publicæ fruuntur beneficio, fore tamen aliquando, ut divino judicio ab illis ſegregati, ſempiternæ ſalutis fructu careant.

Id ipſi præterea quo ſecundioribus rebus in hac vita utuntur, eo magis illis timendum eſſe oſtendant; certoque perſuadeant nullum denique malum, nullumve flagitium concipi, admittive, de quo Deus pœnam juſtiſſimam non repoſcat.

Ac proinde etiam illis metuendum ſit, ne ſempiternis illis cæleſtis hereditatis bonis priventur, qui caducis & fluxis hujus vitæ rebus & muneribus, doniſque temporaneis aucti ſunt.

Ne item cum eleemoſynas, orationes, jejunia, aliaque pia opera Deus reſpexerit; eo liberationis beneficio ſolum illa officia compenſet, tamquam cæleſti præmio indigna, quod e caritatis fonte non emanarint.

Et quod gravius multo eſt, illud extimeſcendum demonſtrent, ut ne ſcilicet, cum iſti deſperata vitæ emendatione ſint, Deus propterea, peſte depulſa, dimiſerit eos ſecundum deſideria cordis eorum, illoſque libere, & impune peccare permiſerit, ut poſtea acerbiſſimis cruciatibus ac ſempiternis torqueantur, quippe cum maxime tunc iratus ille ſit, cum minime iraſcitur. Sic enim populo Hebræo iratior fuit, cum iratus non erat amplius: *Et requieſcet*, inquit, *indignatio mea in te, & auferetur zelus meus a te, & quieſcam, nec iraſcar amplius, eo quod non fueris recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, & provocaſti me in omnibus his.*

Docebunt, niſi ex Dei munere fructum fideles ferant, inde hoc aliquando fore, ut non ſolum illud amittant, ſed eo gravioribus pœnis afficiantur quod ſe divino beneficio indignos præbuerint, divinaque benignitate abuſi ſint ad offenſiones ipſius Dei, a quo tale munus donumque acceperunt.

Recuperatæ valetudinis beneficium tributum, ob eamque cauſam vitæ ſpatium datum eſſe ſuadebunt, ut illud in pœnitentiæ operibus, & in ſanctioris diſciplinæ rationibus conficiatur.

Accendent populum ad omnia pietatis officia, quæ memoris gratique animi ſint. [illegible] intimis ſenſibus, mortalique homini & [illegible] beneficium a Deo ſolo extitiſſe agnoſcat, [illegible] omne ad Deum conferat. *Præbe mihi*, ille inquit, *cor tuum*.

Ut omni ratione, prece, ſupplicatione, divinarum laudum concelebratione gratias Deo agat.

Ut tale beneficium liberis commemoret, exteris hominibus, quam ſingulare fuerit, narret, & omni mutua gratulatione ita proſequatur, ut commemorando & gratulando ſeſe magis atque magis accendat ad ſanctiora & diuturniora, vel perpetua potius gratiarum actionis officia.

Ut ſe totum Deo offerat, reſtinctiſque cupiditatibus & exultantis animi ſenſibus repreſſis ita ſe comparet, ut malit omnes res vel ampliſſimas rejicere, quam a Dei voluntate, diviniſque præceptis, & monitis diſcedere; idque ſibi propoſitum habeat, quæcumque poſſidet, cum a Deo habere, tum ad illius gloriam, & ad ſuam, ſuorumque liberorum, agnatorum, propinquorum ſpiritualem ſalutem procurandam ſe libenti animo, liberalique voluntate erogaturum.

Ac propterea, quæ a peſtis incendio facultates liberatæ ſunt, earum partem Deo tribuat: decimas & primitias libentius perſolvat: ſupellectilem & ornamenta eccleſiis ad religioſum illius cultum libenter, ſtudioſeque conferat.

Ut recuperata publica valetudine non omnibus mundi lætitiis, ut fit, exultet; ſed intelligat, quæ fidelis populi lætitia in recuperata publica incolumitate eſſe debeat, quam moderatum gaudium, quam cum veræ pietatis officiis conjunctum.

Nec vero mundi lætitiis elatus inſolentius ſe extollat, quod una ſcilicet incolumitate publica, divitiis, opibus, auri, argenti, rerumque omnium copia circumfluat: ſed hæc homo in domino gaudeat, & lætetur, quod peſte, Dei beneficio depulſa, tot tantiſque ſpiritualibus commo-

modis, quibus in peſtilentia caruerat, libere fruatur; quod eccleſias frequentet, quod ad ſupplicationes frequens conveniat, quod proceſſiones ſolennes obeat: quod in ſacris concionibus, rerumque divinarum interpretationibus audiendis verſetur: quod frequenti ſacramentorum uſu ſeſe ſalutariter paſcat. Hæc ſane ſunt ſalutaria commoda, ex quibus ſolidum, perpetuumque in domino gaudium capiat. Quantam enim conſolationem fideles ex ſacramentorum uſu percipiant, vel ex hoc uno cognoſci poteſt; quod dignum omni commemoratione eſt. *Fuit Mediolani, dum peſtis proximis annis ſæviebat, in publica hoſpitali domo ſancti Gregorii* homo quidam, qui peſte mortuus putabatur: inde igitur ad locum aſportatur, unde ceteri mortui ad cœmeterium efferuntur. Eo loci cum in magno cadaverum acervo tota nocte pene ſepultus fuiſſet, mane dum publicæ curationis ſacerdos, qui peſte ægrotantibus ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ferre conſueverat, illac tranſiret, ubi ille, cadaveribus pene opertus jacebat, de repente ardenti ſumendæ euchariſtiæ deſiderio excitatus, ſe in genua erexit, & hac divina occaſione exhilaratus, voce, quam ab illo animam exhalante conſolatio vix elicuerat, a ſacerdote ſupplex petiit, ſibi quoque ſanctiſſimum viaticum dari; quod ubi ſacerdos libentiſſime miniſtravit, & ille religioſe, ſummaque cum veneratione accepit, eodem loco ſtatim in peſtis acerbitate cum ſummo percepti ſacri viatici gaudio ex hac vita migravit. Quem fidelem hoc pii hominis exemplum non afficit? cui non jucunda hæc plena conſolationis commemoratio?

Iidem præterea & concionibus & ſermonibus agent, ut valetudinis publicæ recuperatæ munus proſequantur non voluntate ſolum obediendi divinis præceptis, ſed operibus & affectionibus ſanctiſſimis, quæ in divinis monitis exequendis elucent.

Ut gratiarum actio, quæ ex ſanctiſſimo omni opere conſtare debet, in perpetuis bene vivendi officiis perſeveret.

Ut hæc ipſa a toto populo, non a parte ſolum, celebretur, ita ut alii bene agendo ædificent, alii male agendo deſtruant.

Ut hæc ipſa non diviſa ſit, ut partim ſcilicet Deo, partim mundo tribuatur, ſed omnis ad Dei gloriam referatur.

Sacerdotes autem & curatores animarum in primis ſolicitudines ſuas & vigilias in eo conſument, ut populi, ſibi, culturæque ſuæ commiſſi, diſciplinam ſtudioſe inſtaurent, quo uberiores fructus, eoſque ſempiternæ vitæ præmio dignos ferant.

Joan. 5. Tuendæ autem recuperatæ publicæ valetudinis regulam proponant, a Chriſto domino traditam his verbis: *Vade & noli amplius peccare, ne quid gravius tibi contingat.*

Atque in hujus quidem argumenti genero omnem progreſſionem ſpiritualem, libro memoriali Mediolanenſi uberrime explicatam, excitabunt ſummo ſtudio, ſumma omnis officii contentione, & rationum momentis ex eodem libro depromptis, quem ob eam cauſam ad omnis ejus generis tractationem adhibebunt.

Epiſcopus autem in univerſam hanc curam & ſolicitudinem cum perpetuo incumbet, tum curabit, ut perpetuum ſit aliquod beneficii hujus monimentum. Quamobrem rationem aliquam ſuſcipiet, ut ad colendam ejus memoriam, aut eccleſia, altareve ædificetur, aut hoſpitalis domus eo nomine ſtruatur, aut anniverſariæ eleemoſynæ, alteriuſve rei pium opus erigatur, aut dies feſtus aliquis potiſſimum inſtituatur, quo miſſa ſolennis & ſupplicatio anniverſaria celebretur, aut piorum hominum confratria præcipua inſtituatur certis religioſi officii rationibus.

# CONSTITUTIONUM
## PARS TERTIA.
### Quæ ordinis ad ſacramentum pertinent.

### I.

### *De ſeminario.*

Seßion 23 de ref.

SEminarii inſtitutio quam utilis, ac neceſſaria ad cleri diſciplinam in ſingulis eccleſiis propagandam, cum ex concilii Tridentini decreto facile intelligi poteſt, tum ex eo etiam, quod rei illius ſalutaris ratio aliquando intermiſſa, damna, & detrimenta non mediocria rei eccleſiaſticæ attulit. Cum igitur in nonnullis provinciæ noſtræ eccleſiis jam omnino, aut aliqua ex parte deſitum ſit, decimas, fructuum portiones, quæ concilii provincialis primi decreto ex ſacroſanctæ œcumenicæ ſynodi Tridentinæ auctoritate ad illius ſuſtentationem conſtitutæ ſunt, exigi: atque inde in iis ipſis eccleſiis pene collapſum ſit tam ſalutare inſtitutum: ob eam cauſam provinciali hoc decreto id cavemus, ut quæ decimarum, fructuumve exactio illo Tridentino provincialique decreto jampridem ſeminarii nomine inſtituta eſt, de ea nihil plane quidquam per epiſcopos remitti liceat, niſi ut & jam eo ipſo concilio provinciali, & nunc hac ipſa ſanctione infra cavetur. Quod ſi hactenus quidquam de eo genere, aut plane totum remiſſum eſt, id ad priſtinam exactionis rationem revocari, atque omnino reſtitui jubemus. Ubi vero nihil unquam eo nomine exactum eſt, ibi epiſcopus menſium duorum ſpatio exactionem ad illius concilii provincialis primi præſcriptum ita plane inſtituat, ut dimidiam tamen partem decimæ illa non excedat.

Atque eam quidem exactionem, ſic præfinitam, tamdiu durare decernimus, quoad ſeminarium eo cenſu, iiſque redditibus conſtitutum, atque auctum erit, quos pro locorum, diœceſeon, cenſuumque amplitudinis ratione, ſingulis provinciæ eccleſiis re mature deliberata infra præſtituimus; ea tamen lege, ut pro rata parte redditum, quos jam nunc, aut in poſterum beneficiorum acceſſione, aliave ratione ſeminarium poſſidere habereve contigerit, tantumdem de exactione remittatur ad ejuſdem concilii, & Tridentini, & provincialis primi præſcriptum. Ne vero in poſterum aliqualis, & controverſia ex eo exiſtat, quod ſæpe dubitatur, cui potiſſimum ſeminario illam præſcriptam decimæ partem certa quædam beneficia in ſuſtentationem conferant: de iis ſic decernimus. Beneficia porro, quæ diœceſis nullius ſunt, illam ſubminiſtrent, & ſolvant diœceſis ejus ſeminario, intra cujus limites ea olim erant, & cenſebantur. At vero quæ beneficia in hac, & in illa diœceſi prædia, bonave habent, ea præſcriptæ decimæ dent ſeminario diœceſis, locive, ubi ſita eſt primaria eccleſia beneficii, cui ea prædia attributa olim fuerant; etiamſi alia eccleſia, quæ beneficio illi primario adjuncta eſt, ædificata deinceps ſit cenſu illorum prædiorum. Sin autem in iis prædiis eccleſia ante ædificata eſt, quam illa adipiſceretur, poſteaque una cum illis aliis eccleſiæ primariæ adjuncta eſt, tunc ejus contributio ad ſeminarium pertineat, in qua prędia una cum eccleſia ſita ſunt.





Ut autem ſeminarium & ſuis facultatibus perpetuo ſuſtentari poſſit, & aliquando brevi fore ſperetur, ut ea exactio denique ceſſet; ei epiſcopus, deputatis in conſilium adhibitis, decreti Tridentini auctoritate tot beneficia ſimplicia adjungat, attribuatve, quot, iis etiam ſupputatis, qui jam quovis nomine, aut jure eidem attributi ſunt redditibus, ſummam conficiant annui cenſus mox infra præfinitam. At cum primum ad eam ipſam ſummam pervenerit, ſi quę beneficia, antea quam vacaverint, jure unionis adjuncta ſint, neque dum ea adjunctio, uniove ſuum adhuc ſortita effectum, illam jam nunc reſciſſam ac plane irritam eſſe declaramus. Atque ut quidem ab eo onere quam citiſſime fieri poterit, clerus liberetur & eximatur; epiſcopus caveat, ne beneficia ſimplicia, qualia qualia ſint, quæ interea vacare contigerit, cuiquam conferat, aliive uſui attribuat: ſed quęcumque illa ſint, ſeminario jure unionis conjungat: niſi fortaſſe quędam vel eccleſię parochiali, quę tenuiori cenſu eſt, vel alii eccleſię, vel loco, operive pio potius attribuenda, adjungendave cenſuerit, pro ratione facultatis, ſibi canonum jure, Tridentinoque concilio datę, ac permiſſę. Si contra epiſcopus ullo modo fecerit, ſeminarii detrimento, damnove, quod inde inferetur, de ſuo primum ſatisfaciat: deinde iſtiuſmodi culpę norit ſe in concilio provinciali proximo rationem redditurum; tum pretęrea illa ipſa beneficiorum collatio, proviſiove, quam aliter contra hujus decreti pręſcriptum fecerit, irrita nihilo minus ſtatim ſit, nullaque omnino.

Cenſus vero, quem de reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum aſſenſu & conſilio unicuique ſeminario eccleſiarum provincię noſtrę, auctoritate hujus conſtitutionis pręfinimus, atque adeo pręſcribimus, certa ratio, ęſtimatiove hęc ſit, infra ordine exſcripta.

Metropolitanę Mediolanenſis eccléſię ſeminarii ſit annuus cenſus nummi aurei ſexies mille.

Detornenſis nummi aurei ſexcenti.
Laudenſis mille.
Aquenſis quadringenti.
Brixienſis bis mille.
Cremonenſis bis mille.
Bergomenſis mille.
Aſtenſis ſexcenti.
Alexandrinę quadringenti.
Vercellenſis mille.
Albenſis ſexcenti.
* Vigintimillienſis ducenti, (* Vintimilienſis.)
Savonenſis trecenti.
Caſalenſis quingenti.
Viglevanenſis ducenti.
Novarienſis mille & ducenti.
Placentinę mille & quingenti.

In omni ſeminarii inſtitutione, cura atque adminiſtratione epiſcopus ſeſe rationibus conformet decreti concilii Tridentini; quod cum in omnibus partibus exequatur, tum in ea maxime, ut certum locum deligat, ubi collegiatim certus puerorum numerus alatur, atque adeo inſtituatur literis, diſciplinisque eccleſiaſticis.

Eligat duorum menſium ſpatio, qui nondum elegerit, canonicos duos, quorum conſilio in iis utatur, quę ad puerorum ejuſdem ſeminarii inſtitutionem, diſciplinam, moreſque attinent.

Duos item de capitulo, & duos pretęrea de clero civitatis deligat, quos adhibeat in conſilium, conſultationemve adminiſtrationis, quę in rebus temporalibus ineunda ſit.

Ii porro omnes, ubi ſemel delecti ſunt, ne unquam, niſi ob cauſam, quę cum ratione conveniat, eo munere abdicentur.

Meminerit autem epiſcopus ſibi Tridentini concilii decreto omne ſeminarii adminiſtrandi beneque gerendi onus impoſitum eſſe, quod ipſe propterea ſuſtinere, tuęrique debet etiam atque etiam diligenter. Eorum igitur, quos delegerit, conſilium ſequi cum non cogatur, ubi illorum ſententiam de re, quæ in conſultationem cadit, audierit, ipſe tamen deliberet, ſtatuat, & exequatur, quæcumque pro ſua pietate, & prudentia, quæ coram Deo potiora, atque præſtantiora eſſe exiſtimaverit, ad inſtituti ſeminarii optimam tum conſervationem, tum adminiſtrationem.

Quotannis apud ſe rationes adminiſtrationis ſupputari omnino curet: qua in ſupputatione duos a capitulo, totidemque a clero civitatis ex præſcripto Tridentini concilii delectos adhibeat.

Præſcriptam fructuum portionem ſeminarii cauſa ipſe exigat: ſi quis eam ſolvere recuſarit, aut longius quam par eſt diſtulerit, contra illum cenſuris, & aliis eccleſiaſticis pœnis agat, ut plane perſolvat; implorato etiam, ſi ita expedire judicaverit, magiſtratus ſecularis auxilio, ad illud concilii Tridentini præſcriptum. Nec vero eſt, cur in ea re optime exequenda locum vel gratiæ, vel precibus, vel metui, vel alii humano affectui unquam relinquat.

De ſeminarii ſtatu, progreſſioneque epiſcopus ad metropolitanum ſæpe, aut ſexto quoque menſe ad minimum literas det, quibus ſi quæ difficultates inciderint, quæ optimum illius inſtitutum impediant, in primis exponat. Is vero ex concilii Tridentini præſcripto, quibus rebus poteſt, aut debet, omnem operam, ſtudium, aliamque omnem rationem adhibeat, ut ſublatis iis rebus, quæ difficultatem pariunt, ſeminarii inſtitutio longe ad optima quæque progrediatur.

Is in omni ſeminario perpetuus uſus ſit, ut catechiſmus Romanus pueris, atque adeo adoleſcentibus prælegatur, & explicetur quamdiligentiſſime.

Nullaque ejus pars prætermittatur, cujus doctrinis eorum animi non imbuantur, ut fieri poteſt omni maximo ſtudio.

In omni provinciæ ſeminario, ubi commode poteſt, præter cetera, quibus & ad pietatis exercitationem, & ad literarum doctrinam adoleſcentum animi erudiuntur, ſtudia etiam ſacrorum rituum hiſtoriæque omnis eccleſiaſticæ certis ſtatis diebus inſtituantur, quæ clericalis ordinis hominibus maxime accommodata ſunt ad optimam religioſæ diſciplinæ rationem.

II.

*De examinandi ratione.*

In eccleſiæ adminiſtratione, ut neceſſarium, ita multiplex eſt examinis de literarum peritia, & diſciplina officium. Modo namque ab epiſcopo, cum ad eorum qui ordinis ſacramento initiandi ſunt, tum etiam ad concionatorum, confeſſariorumque approbationem adhibetur; tum præterea ad indagandam proſpiciendamque cleri in literarum ſtudiis rationem progreſſionemve, ad aliaque item multa epiſcopo idem adjumento, atque uſui eſt. Modo autem non ſolum de illis, qui in eccleſiis parochialibus, aliiſque curam animarum habentibus, præficiuntur, illud inſtituitur, & conficitur, ſed de iis etiam, quibus beneficia eccleſiaſtica cujuſcumque generis, ut literarum apoſtolicarum, quæ in forma Dignum, conſcribi ſolent, auctoritate, vel alio jure conferuntur, quive ad ea præſentationis, nominationis, electioniſve nomine inſtituuntur. Quamobrem, ut omnis, quacumque cauſa ſuſcipitur, hæc examinandi ratio per examinatores, ut fieri poteſt, quam rectiſſime conficiatur præter aliqua, quæ præſertim concilio provinciali quarto enucleatius decreta ſunt, has etiam inſtructiones conficiendas cenſuimus, quæ partim ad univerſum hunc examinandi modum pertinent, partim vero certorum examinum propriæ ſunt.

Atque iis quidem omnibus pro ſua quiſque pietate epiſcopus, & prudentia, alias etiam inſtructiones adjungat, aut de iis aliquid remittat licet, prout e ſuæ diœceſis rationibus atque uſu eſſe viderit.

Quas inſtructiones ut in morem & uſum inducantur, cura ſit ejuſdem epiſcopi, & vicarii, qui examini præeſt:

Porro in primis examinatores in ſynodo diœceſana conſtituti, cum eorum, qui eccleſiis parochialibus præficiendi ſunt, examen ineunt, jurisjurandi, quo publice in ſynodo, quo primum tempore delecti ſunt, ſeſe obſtrinxerint, memores videant, ut omni humana affectione depoſita, munus a ſe ſuſceptum recte curent, atque adminiſtrent, ne quod ſancte, religioſeque ſpoponderint, violent, ac propterea perjuri fiant.

Examinis cauſa, occaſioneve, nihil quidquam ne minimum quidem, neque ante, neque poſt accipiant: alioqui ſciant, qui dant, ſe ſimoniæ crimen ex ſanctione Tridentina ſubiiſſe, nec vero præterea ſe, neque adeo illos qui dant, abſolvi licere, niſi dimiſſis beneficiis eccleſiaſticis quæcumque obtinent; ac inhabiles item factos ſe eſſe, quibus in poſterum ea, vel alia conferantur.

Seſſ. 24. c. 18. de ref.

De omni vero culpa, in ſuſcepto munere commiſſa, ii rationem etiam in ſynodo provinciali reddant, in eaque graviter auctoritate Tridentini concilii puniantur.

Nec vero item qui examinatores libere pro arbitratu epiſcopi ad alios quocumque nomine, cauſave examinandos aſciſcuntur, examinis occaſione unquam quidquam, ne eſculenta quidem, poculentave capiant. Qui contra fecerit, cum indignus deinceps cenſeatur, qui id munus gerat, tum alia pœna arbitrio epiſcopi afficiatur.

Omnes vero examinatores, quicumque ſint, noverint ſibi munus uſque adeo grave committi, ut ſi negligenter, aut male ſe ullo modo geſſerint, Deo in primis culpæ in eo munere admiſſæ exactam rationem reddituri ſint.

Quare non ſpe, non metu, non præmio, non perſonarum ratione, non aliquo affectu ducti, muneris ſibi commiſſi curam gerant.

Propoſito ſibi in tempore Dei, ne quemquam, quem indignum norint, probent: rurſus, quem experimento, periculove facto, idoneum dignumque comperiunt, ne rejiciant. Itaque graviter, mature, prudenter, recteque tum de probando, tum de rejiciendo deliberent.

Cum in locum convenerint, ubi moris eſt, clericorum experimentum fieri, priuſquam aggrediantur, ſtata prece, orationeque congregationum uſui præſcripta, quam de libro pronuntiet, qui examini præſidet, initium faciant, hoc pie intimeque precantes, ut Dei ope in primis illud recte, prudenter, divinæque voluntati congruenter conficiant.

Ne quempiam, de quo examen periculumve fiat, examinator alii collegæ ulla ratione commendet.

Ne ad alicujus examen accedat, nec vero ſuffragii jus habeat, niſi epiſcopi, vicariive juſſu ad illud evocatus.

Si quis quempiam privatim docuerit, qui examen ſubiturus eſt, cum id ſubibit, ne præſens quidem ille adſit, nedum ad examen adhibeatur: ſed alius in locum, epiſcopi, vicariive juſſu tunc vocetur.

Cautio diligens ſit, ne alterius nomine quis examen experiatur, experimentumve ſubeat, quod aliquando factum eſſe compertum eſt.

Quæratur item diligenter de iis, qui ad examen ſubeundum acceſſerint, an alias inſtitutis de more examinandi quæſtionibus, experimentum, periculumve ſui fecerint, anque ſi quid aliud, quod de illis compertum, vel deliberatum ſit.

Ne examinis initium fiat, niſi præſentes adſint tum epiſcopus vel vicarius, tum examinatores ex præſcripto concilii Tridentini, ad minimum tres, cum de beneficio curato quavis ratione conferendo examen inſtituitur. Id quod locum etiam habeat deinceps, cum vel de aliquo majoribus ordinibus initiando, vel de concionatore, confeſſariove approbando examen conficitur.

Cum quis in examen venerit, ejus vultus, & habitus corporis, & veſtitus, & inceſſus, & geſtus, & ſermo inſpiciatur diligentor.

Si quis vel clericali veſtitu deformi ab ordinis eccleſiaſtici decore aut diſciplina alieno indutus, vel ſine congrua pro ſui ſtatus & ordinis ratione tonſura acceſſerit ne ad ullam examinis, experimentive rationem ei aditus fiat, niſi decenti veſte amictus, & tonſura præſcripta ad illud redierit.

Ne de ullo quoque initiando, ſi modo non aliter epiſcopus aliquando cenſuerit, examen, experimentumve antea fiat, quam ætatis, natalium, aut diſpenſationis conceſſæ, beneficii eccleſiaſtici, vel penſionis patrimoniive teſtificationes ſcriptas, eaſdemque a vicario epiſcopali recognitas, illiuſque ſubſcriptione ſignatas, ac probatas attulerit, exhibueritve, niſi aliquando epiſcopus eas poſt examen adhiberi, recognoſcive juſſerit.

Neque item, niſi alias præſcriptas decretis pro-





provincialibus, edictove epiſcopali teſtificationes dederit.

Nec vero præterea, niſi de eo a cancellario epiſcopali examinatores audierint, cognoverintve, quæcumque epiſcopi juſſu inquiſitiones de eo factæ, atque ex officio præſcriptæ, aliorum literis ſignificatæ, vel denuntiatæ, vel delatæ ſint.

Teſtificationes vero omnes, tum ab eo, qui initiandus eſt, tum ab alio quovis examinis occaſione exhibitæ, cancellario epiſcopali reſtituantur, tradanturve.

Cujus ſit illas ipſas in codicem certum, eo nomine confectum, ſummatim referre, eumdemque in archivo epiſcopali aſſervare. Verum teſtificationes ætatis, natalium, ac ſi de eo, qui majoribus ordinibus initiandus eſt, agitur, patrimonii, beneficiive eccleſiaſtici idem cancellarius aſſervet: ac literis publicis, quas de eo, qui ordinem ſuſceperit, conficiet, de illis pro ratione ſibi præſcripta teſtatum faciat.

Cum examen initur illius, cui in curam certa eccleſia parochialis tradenda eſt, videant ante examinatores, qui, qualis, & quam numeroſus populus ſit, cujus parochialem curationem is ſuſcipiet.

Qua ſane re diligenter explorata in examine, quod inibunt, ſibi proponant accurate perſpicere, an ad eam curam ſuſcipiendam, gerendamve idoneus omnino ille ſit.

His omnibus ita præſcriptis examinatores ordine ad interrogationes, quæſtioneſve veniant. Atque in examine quidem ea ratio ineatur, ut interrogationes quæſtioneſve is examinator proponat, quem pro viciſſitudinis ratione, & pro doctrinæ diſciplinæve genere, modo hunc, modo illum in eo ipſo examine epiſcopus, vicariuſve, examinis præſes, interrogari juſſerit, ne unus alterum vario, multiplicique interrogationum modo certatim interpellet.

Interrogationum porro, & quæſtionum rationem examinatores ita teneant, ut illis inter ſe ſic diſtributis, examinis inſtituti rationibus, prout oportet, cumulate ſatisfactum ſit: atque eorum unuſquiſque quo de genere quærere inſtituerit, ita de eo quærat, interrogetve, ut quemadmodum par eſt, illius generis quæſtiones, interrogationeſve ſatis explicatæ ſint.

Silentio, dum examen habetur, utantur: nec inter ſe colloquia, confabulationeſve habeant: nec mutuas itidem quæſtiones, dubiorumque explicationes ſibi proponant: ſed ad illius, de cujus doctrina interrogationibus quæritur, reſponſiones attenti; animum attentionis ſtudio eidem addant, ad recte explicandas propoſitas ſibi quæſtiones. Nec vero examinatorem, loco ſuo interrogantem, alius interturbet: ſed unuſquiſque expectet, dum ſibi ordine, pro quæſtionis genere, rationeve interrogare contigerit.

In quæſtionibus, interrogationibuſve proponendis, non verbis, non aſpectu, non ullo modo ſeveros, vehementeſque ſe præbeant: ut qui examen ſubeunt, ſeveritate deterriti, animum ne deſpondeant, memoriaque langueſcant ac vacillent non ſine aliquo dedecore: at benigni, gratique animi ſignificatione illos, vel diſſerentes, vel reſpondentes audiant: nec vero quibuſdam interrogatiunculis, aliave ulla ratione interpellent.

Si quid autem vel in diſſerendo, vel in legendo, vel in pronuntiando vel in reſpondendo eos offendere animadverterint: ne tunc illos doceant, objurgentve, ac ne moneant quidem, niſi quid ad examen recte inſtituendum perficiendumve pertineat: ſed examine peracto eos brevi admoneant, doceantve, ſi quid neceſſario tunc illos admonendos, docendoſve duxerint.

In omnibus porro & ſingulis examinis interrogationibus ſpectetur non ſolum uniuſcujuſque eorum qui examinantur, ſcientia: ſed etiam uſus, judicium, ingenii vis, ac ſolertia.

Examinis autem omnium ea ratio inſtituta ſit:

Ut primo de toto vitæ ſtatu, genere, patria, domiciliove ejus quæratur, qui examen ſubit.

An impedimentum aliquod habeat, quo irretitus, vel initiari, vel beneficium eccleſiaſticum, cujus nomine experimentum fit, vel prædicandi munus, vel confeſſiones audiendi ſuſcipere, ac exercere non poſſit. Quo impedimento, ſi quis etiam occulte illigatus tenetur; id plane epiſcopo ſaltem patefaciat, ne quiſquam illegitime, vel initietur, vel beneficium conſequatur, vel aliud munus ſuſcipiat, geratve.

An in orationis ſanctæ ſtudio, uſuque verſatus.

Quibus meditationibus inſtructus, Deum tacitus oret.

Qui orationis modus.

Qui illius fructus, quæve utilitates.

Quot, quibuſve partibus illa conſtet.

Quæ regulæ præparationis ad orationem: Et cetera multa ejuſdem generis, prout prudens, piuſque examinator pro ratione aut perſonæ, de qua quæritur, aut cauſæ, ob quam fit examen, opus eſſe viderit.

His perquiſitis, examinatores ad ſcientiæ, eruditioniſve experimentum deſcendant. Ut autem ii certam ſibi formulam proponant, qua illorum qui examinantur & literarum doctrinam, & vitæ clericalis diſciplinam, & rei eccleſiaſticæ peritiam experiantur, in omni experimenti, examiniſve ratione, ſacris bibliis, catechiſmo Romano in primis, concilio Tridentino, ſacrorum canonum decretis, & aliis pontificiis conſtitutionibus, ſynodiſque tum provincialibus, tum diœceſanis utantur, unde ſuas interrogationes hauriant, quibus, prout eſt illorum ingenii captus, explorent eorumdem & ſcientiam & eccleſiaſticarum rerum notitiam atque uſum.

Cautio autem ſit, ut ſi, dum quis interrogatur, ita rudem atque ignarum ſe oſtendat, qui rerum facilium, minimarumque nullam ſcientiam uſumque teneat, ne aliarum rerum difficilium interrogationibus tempus conteratur.

Rurſus cum quempiam, quanta doctrina & uſu literate peritus ſit, exploratum erit, non eſt cur pluribus interrogationibus ſecum diutius agatur.

Nunc igitur univerſe infra præſcribemus, quæ ad rationem pertinent uniuſcujuſque examinis eorum, qui vel ordinis ſacramento initiantur, vel parochialium eccleſiarum curam, vel alterius beneficii munus ſuſcipiunt, vel ſacræ confeſſionis audiendæ officium ſumunt, vel ad verbi Dei prædicationem mittuntur. At vero ſpeciatim longe plura atque adeo pauciora, prudentum examinatorum, ac præſertim epiſcopi ejuſve qui examini præeſt, judicio relinquuntur, & pro eorum captu, qui ad examen accedunt, & pro ordine quo quis initiandus eſt, & pro ratione locorum, quo mittuntur, & pro genere doctrinæ, quam profitentur.

ANNO CHRISTI 1579.

Qui vero earum rerum, quæ certis interrogationibus demonſtratæ in hac inſtructione continentur, ſe minus eruditos eſſe oſtenderint; eos epiſcopus admoneat, ut diligenter in poſterum doctrinis incumbant, atque harum ipſarum rerum in primis peritiam & ſcientiam percipere ſtudeant: ita ut cum viſitationis munus, aliave eorum ſtudii & progreſſus in literis recognitio adhibetur, recte periteque omni eo doctrinæ genere inſtructi comperiantur.

Ac primo quidem eum, de quo examen faciendum eſt, legere examinatores jubeant, quod experiundo videant, an ille recte, explicateque legat.

Poſt, ſi ordinis, aut beneficii, aut recognoſcendæ clerici cujuſquam in literarum ſtudio progreſſionis cauſa experimentum fit, grammaticorum more, verborum conſtructionem proponant: quo in genere, ſi quid is errat, labiturve, ita ut ne pro grammaticæ quidem ratione, illorum uſum, peritiamve teneat, ne propterea eum interturbent, interpellentve, aut impediant, quo minus ad propoſitum grammaticæ inſtructionis modum redire poſſit.

Tum verborum, quæ legerit, conſtruxeritve ſenſum ab eo quærant quem ut recte eliciat atque exprimat, quod ei legendum proponunt, ejuſmodi ſit, quo tota ſcientia, ſenſuſque perfectus concludatur, nihilque in ſe habeat, quod ſub hiſtoriæ intelligentiam cadat, aut ex antecedenti, conſequentive alio capite explicatio exiſtat: deinde ad alia graviora ejus doctrinæ, diſciplinæve experimenta examinatores progrediantur.

Qui primam tonſuram, aut minores, majoreſve ordines ſuſcepturi, ad experimentum, examenve accedent, ab unoquoque eorum univerſe ac ſigillatim quæratur præterea, an impedimentis, quæ concilii provincialis quarti decreto de initiandis, commemorata ſunt, irretiti teneantur, utpote, an ſcilicet ſint,

Majores natu.
Rudes, & ignari.
Criminoſi.
Solemniter pœnitentes.
Neophyti.
Ebrietati & gulæ dediti.
Impudici.
Lapſi poſt ordinem ſuſceptum.
Perjuri.
Uſurarii manifeſti.
Infames.
Ratiociniis obligati.
Servi.
Corpore viciati.
Inſigniter deformes.
Illegitime nati.
Peregrini & ignoti.
Bigami.
Irregulares quovis alio modo.

Quo in genere cautio ſit, ut præter alia, ſpeciatim perquiratur ab eo,

An ſtipendium belli fecerit, unde cædes hominum extiterit.

An judicis criminalis in foro laicali officium geſſerit.

An ſententiam capitis tulerit.

An criminis, cujus nomine capitis quis damnatus ſit, acta, ſententiam, teſtificationeſque dictaverit, aut conſcripſerit.

An in eo procuratoris, advocatique fiſcalis munus adminiſtrarit, aliaque exercuerit, unde irregularitatis maculam contraxerit.

An ſuſpenſi.
An interdicti.
An excommunicati.
An amentes.
An morbo caduco laborantes.
An energumeni.
An vero non examinati & probati.

Exploretur item, an furtim, per ſaltumve, ordinem ſuſceperit.

Inveſtigetur præterea, cum quis ordinem aliquem ſuſcepturus ad examen venit, quamdiu eſt, quo alium ordinem ſuſcepit, ut nemini ad altiorem gradum pateat aſcenſus, niſi in ſingulis aliis inferioris ordinis gradibus congruo temporis ſpatio perſtiterit ad præſcriptum Tridentinæ ſanctionis.

An vim & naturam, myſteriaque ordinis, quem ſuſcepturus eſt, norit.

An item ritus & ceremonias, quæ ex libro pontificali adhibentur, cum initiatur.

An eorum item ſignificationes ſanctiores.

An ſacrarum veſtium, quibus induuntur, myſteria item & ſignificata.

An functionum notitiam habeat ordinis, quo quiſque initiandus eſt.

An earum uſum, exercitationemque recte teneat, cum in literis, tum etiam in cantu: in quo experimento adhibeantur cantus periti.

Hæc generatim ab omnibus & ſingulis explorentur: nunc præterea ſequuntur quæ ſigillatim cujuſque ordinis propria, ſuo loco præſcripta, perquirenda ſunt: ita tamen, ut examinatores pro prudentiæ ſuæ ratione, quæ in ordinis inferioris examine exploratione ve requirantur, aliquando etiam perquirant ab iis, qui ſuperiore ordine initiantur.

De iis, qui prima tonſura initiandi ſunt, quæratur & inveſtigetur primum; Quam ob cauſam ſe clericos fieri velint.

An ſæcularis judicii vitandi cauſa initiari curent.

An contentioſis litibus implicati.

An rixam, ſimultatemque exerceant.

Quod item artificium teneant, quave in arte, quove in vitæ genere hactenus verſati ſint.

An tales ſint, qui ſpem præbeant, eccleſiæ miniſtros utiles ſe fore.

A quo ſacerdote, ſanctioris vitæ magiſtro, inſtituti ſint ad clericalis vitæ modum.

An legere, & pronuntiare, & ſcribere norint; tum in utroque genere de iis periculum fiat.

An doctrinæ Chriſtianæ præcepta inſtitutaque ſciant.

An epactæ intelligentiam habeant.

Præterea an ſacramentum confirmationis ſuſceperint.

De iis vero, qui in minoribus ordinibus adſcribi volunt, quæratur, experiundoque cognoſcatur.

An ſaltem primordia grammaticæ, & linguam Latinam intelligant.

An ſcientiæ ſpes tales eos oſtendat, qui digni ſint ut ad majores ordines aliquando aſcendant.

Qui vero ſacris ordinibus, utpote ſubdiaconatu, diaconatu, ſacerdotio initiandi ſunt, cum ornati, excultique iis virtutibus eſſe debeant, quæ in clericis inferiorum ordinum requiruntur, ſicut ad altiorem ordinis gradum aſcendunt; ita virtutum, & probitatis, & doctrinæ quodam quaſi aſcenſu præſtare debent.

Quam-



ANNO CHRISTI 1579.

Quamobrem hoc in primis examinatores videant, an qui ordinis ſacramento initiantur, per ſingulos illius gradus, & in vitæ ſpiritualis diſciplina majorem progreſſionem fecerint.

An breviarium, anque ſacra biblia, an item ſanctorum patrum volumina, concilium Tridentinum, & provincialia quoque, ſynodos epiſcopi diœceſani, catechiſmum Romanum, rationale divinorum officiorum, & libros aliquos, de vitæ ſpiritualis rationibus conſcriptos, ſui muneris uſui accommodatos habeant.

A ſubdiaconis potiſſimum de ordinum minorum quæratur, & majorum differentia.

An in minoribus probatus ſit.

De voto item continentiæ, quod ſubdiaconatus ordini conjunctum eſt.

De ſacramentorum etiam doctrina, ſaltem generatim. Tum eorumdem periculum experimentumve fiat in officii divini recitandi ratione.

Diaconorum examen; experimentumve fiat præterea aliquanto diligentius de ſacramentorum doctrina.

Experimentum item aliquod fiat in concionibus habendis, ex ratione concionatorum examini infra præſcripta.

Ab iis, qui ſacerdotio initiari volunt, hæc ſigillatim ſtudioſe perquirantur.

An pie, & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint.

An ſpectata pietate, anque caſtis moribus.

An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ documenta ab eo expectari poſſint.

Hæc præterea quærantur:
Quid ſit miſſæ ſacrificium.
Qui illius ſacrificii effectus.
Quæ ejuſdem partes.
Quæ myſteria in eo inſint.
Quæ ſacrarum geſtium ſignificationes.
Quæ in eo officio offerendo requiruntur.
Ubi, & quando illud fieri non liceat.
Quæ dubia aliquando incidere poſſunt.
Quæ explicatione opus habeant, ut illud recte fiat.

Tum experimentum eorum ex præſcriptis infra regulis fiat

An ſacræ confeſſionis aliquam peritiam habeant.

An ad alia item ſacramenta recte riteque miniſtranda idonei ſint.

An eorum cognitionem explicatiorem habeant, ex interrogationum præſcripto, ut infra de parocho.

An doctrinam item teneant, qua verbum Dei recte tractare, concionemve habere poſſint.

Anque de ſe ſacra, de Chriſtianarum virtutum officiis, atque de omni re, ad ſalutem neceſſaria, apte populum inſtruere, aut docere poſſint.

Cum vero a ceteris omnibus, ut præſcriptum paulo ante eſt, qui clericali militiæ adſcribuntur, de vitæ ſpiritualis ſanctioriſque inſtitutis, atque exercitationibus perquiratur, tum maxime ab iis, qui vel ſacerdotio initiantur, vel parochialem curam ſuſcipiunt, vel ſacræ confeſſionis audiendæ munus ſumunt, vel in tractatione verbi Dei, ſacriſque concionibus verſari volunt.

A quibus omnibus & ſingulis, cum ad examen veniunt, præter cetera quæ ad ſanctæ ſpiritualis vitæ uſum pertinent, ea maxime explorentur, quæ de orandi modo, deque omni ſanctarum meditationum, cæleſtiumve contemplationum exercitatione ab aliis, qui in eo genere religioſe ſe exercuerunt, tradita ſunt.

De iis vero ſacerdotibus, qui eccleſiarum parochialium curationem ſuſcepturi ſunt, quæratur præterea, experiundoque cognoſcatur, in primis.

An apti ad ſenſus percipiendos, non ſolum qui ad grammaticæ intelligentiam ſumuntur, verum etiam interiores illos, ſanctioreſque, tam ad Chriſti eccleſiæque myſteria, quam ad ſpiritualis vitæ modum pertinentes.

An ſermones contexere, habereve ſciant.

An ſi quos habuerint, unde ſumpſerint, aut quam illis contexendis, conſcribendiſve rationem adhibuerint; & vero ſi quos apud ſe conſcriptos tunc habeant, eos oſtendant atque tradant.

An in eo genere aliquid ex tempore poſſint; tunc extemporaneo, brevique ſermone periculum fiat, quantum concionando valeant.

Atque ſi tractationis quidem verbi Dei uſu peritiorem parochum, eccleſiæ parochialis, quæ committenda eſt, ratio depoſcit; examen aliqua ex parte, quæ potior examinatorum judicio videbitur, ineatur ad interrogationum normam, concionatorum examini infra conſtitutam.

Quæratur præterea, an alias unquam animarum curam geſſerint; quod ſi affirment, tum interrogentur etiam, ubi geſſerint, & cur inde diſceſſerint.

An intelligant, quanti illud ſit, animarum curam ſuſcipere, rurſuſque quæ ſint, quæque partes, ac virtutes illæ ſint, quibus bonum & vigilantem animarum curatorem præditum eſſe oporteat.

An item norint impedimenta omnia, quorum cauſa interdictum eſt, ne quis ſacramenta miniſtret, & ne quis ſuſcipiat.

An ſacramentorum, præſertim vero quorum ille miniſter eſt, vim, & naturam intelligant: atque hæc ſigillatim in primis interrogentur;

Quæ uniuſcujuſque ſacramentorum materia, quæ forma item.
Quæ eorum efficiens cauſa, & principalis.
Quæ cauſa efficiens inſtrumentalis.
Quæ cauſa finalis.
Quæ eorum differentia.
Qui effectus, quive fructus.
Qui eorum ritus, quæve ceremoniæ.

An maxime omnium peritiam teneant audiendæ ſacræ confeſſionis.

Quos hujus generis libros, atque adeo ſummas habeant.

Tum periculum fiat, quam valde caſuum conſcientiæ uſu periti ſint, quamque tum in illis, tum in aliis id generis perite verſati, præſertimque in eccleſiaſticis conſtitutionibus, quæ ad rectum vitæ uſum, populique Chriſtiani mores, & virtutes pertinent.

An noverint caſus, ſanctiſſimo papæ, & epiſcopo item a jure, & ab homine reſervatos.

Atque adeo diligentius, prout opus erit, de ſingulis interrogentur, quæ infra præſcribentur rationi examinandi confeſſarios ſacerdotes.

Videant præterea examinatores, an aliquam ſacrorum canonum notitiam habeant, & præcipue quod ad Tridentinum, & provincialia concilia, ſynodoſque diœceſanas attinet, an illi hæc norint quæ ſequuntur:

An ſcilicet doctrinam de præcipuis Chriſtianæ religionis articulis, quos œcumenica illa ſy-

ANNO CHRISTI 1579.

ſynodus Tridentina contra hæreticos definivit.

An item, quæ de reſidentia præſcripſit.

An quæ etiam de parochis parochialibuſque eccleſiis, & de divinorum officiorum cultu, ceteriſque ejuſdem generis ſtatuit.

An quæ præterea de clericorum honeſtate ſancivit.

An cetera denique, quæ vel ad cleri, vel ad populi diſciplinam, vel ad aliarum rerum reformationem conſtituit, quæ parochi ſcire, beneque noſſe interſit.

Ex provincialibus conciliis ſigillatim quærant.

Quæ de clericalis vitæ honeſtate, & de parochorum officiis conſtituta ſunt.

Quæ item de ſacramentorum recta adminiſtratione, quæ de miſſæ ſacrificio, quæ præterea de divinis officiis.

Quæ etiam de ſacramentalibus, & quæ de feſtorum dierum veneratione, quæ de eccleſiarum cultu, quæ de ſcholis doctrinæ Chriſtianæ, quæ de populi Chriſtiana inſtitutione, morumque diſciplina, deque aliis ad parochialis vitę munus potiſſimum pertinentibus ſancita ſunt.

Ex ſynodis diœceſanis, eam ipſam, certis capitibus diſtinctam, examinandi rationem ineant, prout genus decretorum eſt, quę in illis epiſcopus confecit.

Qui cauſa beneficii cujuſvis generis, quod tamen curatum non ſit, ad examen accedit, de eo hęc inveſtigentur:

An canonicarum horarum officium ex breviarii inſtituto, rubriciſque recte recitare ſciat.

An doctrina diſciplinaque omni inſtructus ſit, quam ordo depoſcit, quo initiari debet, pro beneficii, officii, dignitatiſve ratione, cujus cauſa examen inſtituitur.

An peritiam item teneat functionum, quas illius beneficii, dignitatis, munerisve ratio poſtulat [illegible].

An teneat quę ſcitu neceſſaria ſunt ad functiones illas vel beneficii recte, riteque preſtandas, etiam quæ ad recte canendi modum rationemve pertineant.

Atque hęc quidem ſunt, quæ ad examinis inſtructionem pertinent eorum, qui aut ordinis ſacramento initiandi ſunt, aut eccleſiis parochialibus præficiendi, quibuſve beneficia conferenda. Nunc vero ſequitur examinis ratio confeſſariorum, de quibus pręter cetera, quę cum ſacerdotis & parochi officio, munereve conjuncta ipſis ſunt, hęc etiam ſigillatim, atque exploratiori ratione perquirantur.

De ſacramenti pœnitentiæ neceſſitate.

Quare inſtitutum ſit hoc ſacramentum, & a quo inſtitutum.

Quę hujus ſacramenti materia.

Quę forma.

Qui illius effectus.

Qui miniſter.

Quę conditiones in eo requirantur.

Quæ regulę ad dignoſcendum, & diſtinguendum peccatum mortale a veniali.

Quæ pœnitentię partes.

Quę earum partium ratio.

Quid contritio.

Quę ad veram contritionem ſint neceſſaria.

Qui contritionis fructus, & utilitas.

Qua quiſquam ratione ſe ad contritionem excitare poſſit.

Quæ ſigna ſint veræ contritionis.

Perquiratur item, quæ confeſſionis, quæ ſecunda pars pœnitentiæ eſt, natura ſit, atque ſubſtantia.

An diligenter inquirere ſciat, & peccatoris circumſtantias, & peccati item.

Quę mutent ſpeciem peccati, & quę in confeſſione explicanda ſint.

Quę reſtitutionem expoſtulent; quę radices, cauſęve reſtitutionis.

An dubios, ſuſpectoſve contractus norint, aut ſaltem de iis dubitationes, & quęſtiones inſtituere, inireve ſciant.

Quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ.

An item illarum peritiam, & vim teneant.

An caſus, in quibus irregularitatis macula contrahitur:

An ſaltem in iis omnibus, & aliis, quæ ad verum, perfectumve hujus ſacramenti pœnitentiæ miniſtrum pertinent, ſciant dubitare, & noverint conſulere peritos, quomodo agendum ſit id de quo in dubitationem adducunt.

Qui item ritus, & ſacræ ceremoniæ confeſſionis.

Quæ conditiones ad confeſſionem vere pœnitentis neceſſariæ.

Qui ordo confitendi, quando quis ſtatim confiteri debeat; quando item confeſſionem iterare.

De ſatisfactione, quæ tertia pars pœnitentiæ eſt, quæratur.

Quæ ſatisfactionis partes.

Quis ſatisfactionis finis.

Qui fructus, quæve utilitates ſatisfactionis.

Quæ in ſatisfactione requirantur.

Qualis, & quanta pœnitentia pœnitenti imponi debeat.

An ſalutares & convenientes ſatisfactiones pro gravitate criminum, & pœnitentium facultate injungere ſciant.

An item ex Innocentii III. præſcripto, more periti medici, ſciant infundere vinum & oleum vulneribus ſauciati, ac quale debeant præbere remedium, aut conſilium.

An præterea canones pœnitentiales recte teneant.

Quæ differentia ſit ſatisfactionum, pœnitentiarum, &c.

De abſolutione indagetur:

Quæ verborum formula requiratur.

Quæ preces, orationeſve præterea adhibeantur.

Quis ordo ſervandus in abſolvendo, tam a peccatis, quam ab excommunicatione, ſuſpenſioneve.

De ſigillo item confeſſionis plura quærantur, ac præſertim quæ vis, & quanta ſigilli.

Quæ ſub illud cadunt.

Ex ſanctionibus eccleſiaſticis, Tridentino concilio, ſynodis tum provincialibus, etiam diœceſanis indagetur, tum quæ in illis conſtituta ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent, quæque de cleri, & populi diſciplina, & moribus conſtituta ſunt, ut paulo ante in parochorum examine demonſtratum eſt.

Sed hactenus de ratione interrogationum, quæ examinandis confeſſariis, ſacerdotibus adhibentur: jam eſt locus examinis concionatorum, & ſacræ ſcripturæ interpretum; a quibus hæc quærantur.

Primo de doctrinæ articulis, dogmatibus in concilio Tridentino explicatis, utpote de traditione ſcripturæ, de peccato originali, de juſtificatione, de ſacramentis, & generatim ſacrificio miſſæ, de purgatorio, de invocatione & veneratione ſanctorum, de indulgentiis, poteſtate, & auctoritate papæ, de jejuniis, & diebus feſtis, & reliquis multis.

An



ANNO CHRISTI 1579.

An præterea habeat reliquos theologiæ notos & tractatos locos.

Quem in ſcholaſticis præſertim auctorem familiarem habeat.

An ſæpius ſacrorum bibliorum volumina cum gloſſa, aliove commentario ſtudioſe evolverit; anque in iis ipſis ita diligenter verſatus, ut inde locos facile apteque promere poſſit ad omne ſacræ tractationis genus.

An in ſanctarum interpretationum uſu literate verſatus.

An ex antecedentibus & conſequentibus verum ſcripturæ ſenſum elicere norit: anque item ex evangeliſtis, in eodem narrationis genere verſantibus.

An rurſus temere, pro ſuoque libito ſacram ſcripturam a vero ſenſu detorqueat.

An tropologicos, moraleſve ſenſus, cum literali ſenſu non cohærentes, commentetur.

An explicandis parabolis rectum, præcipuumque rerum ſenſum ſpectet, prætermiſſis explicationibus, quæ nihil ad propoſitum faciunt.

An traditionum apoſtolicarum, eccleſiaſticarumque notitiam habeat.

An in ſanctorum patrum ſcriptis, atque ſermonibus perite verſatus ſit.

Quem item e patribus maxime in concionando ſequatur atque imitetur.

An ſacrorum myſteria temporum norit, anve ſacrorum rituum ſignificationes * habeat.

An rerum, in eccleſia ſancta geſtarum, & conciliorum præſertim univerſalium cognitionem teneat.

An ſanctorum vitas, hiſtoriamque veram norit.

An congruam canonum ſcientiam teneat.

An ſummorum pontificum jura atque inſtituta ſciat.

An conciliorum, provincialium præſertim, & diœceſanorum decreta in promptu habeat, ut in parochorum examine præſcriptum eſt.

An caſuum conſcientiæ doctrina inſtructus ſit:

An theologiæ illius myſticæ, quæ tota in ſpiritualis vitæ conſtitutis tradendis, quæque in purgandis affectibus, in reformationeque interiori verſatur, præcepta atque exercitationes bene norit.

An denique ſanctarum meditationum, orationiſque mentalis uſum habeat.

An morum doctrinæ, Chriſtianæque diſciplinæ locos, non ſolum ordine collectos, ſed recte notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur, vel ad Dei amorem, vel ad cæleſtis patriæ deſiderium, vel ad virtutum ſtudium, vel ad deteſtationem ſcelerum, vel ad miſericordiam, vel ad certas præterea affectiones, quæ ad cælum excitatæ Chriſtianas virtutes pariunt.

An apti denique ſint atque idonei ad concionem concipiendam, & explicandam, non ſolum theologiæ locorum tractatione, ſed ſimilitudinibus, quæ ab agricultura, vinea, ſemente, aliiſque rebus ducuntur, quæ ſub ſenſum cadunt atque intelligentiam, præſertim eorum, etiam rudium, ad quos concio habetur.

An ad concionis ingreſſum recta ratione utatur, & ab iis vitiis refugiat, quæ plerique eo in genere admittunt.

An totam concionem recte ordineque diſponat.

An dilucide, diſtincteque enarret.

An bene pronuntiet.

An illius verba pondus habeant, atque vim item, ut non ſolum audientium aures attingant, ſed animos intime penetrent.

An in tota concione, pro cujuſque rei, de qua agit, ratione, recte, apte, decore, & congruenter agat.

Quo in genere omni & perquirendo, atque explorando, tum in aliis diligentius indagandis, examinatores, prout occaſio tulerit, quamdiligentiſſime inſtructiones adhibebunt, quæ de concionatoribus ad provinciæ univerſæ uſum ex concilii provincialis auctoritate, juſſu noſtro editæ ſunt.

Cum non certæ curæ, alteriuſve beneficii, vel officii, muneriſve, ſed doctrinæ tantum, aut in literarum ſtudiis progreſſionis recognoſcendæ cauſa examen alicujus inſtituitur, diligenti etiam illa, præcipuaque diſquiſitione, & interrogationibus, ſupra varie deſcriptis, pro uniuſcujuſque conditione indagetur illius doctrina, & in miniſteriis eccleſiaſticis peritia atque uſus.

Horum vero claſſes quatuor ſaltem, vel etiam plures conſtitui poterunt, quibus pro peritiæ ratione, experimento illorum facto, adſcribantur.

Primæ claſſi adſcribantur, qui perfecte concionandi peritia & conſcientiæ caſuum explicationibus ſe tales oſtendant, qui aliis multis prodeſſe, atque præeſſe poſſint, proindeque idonei ſint, non modo ad parochi, ſed etiam ad præpoſiti, vicarii foranei, vel viſitatoris munus, vel ad pœnitentiariæ etiam, aut doctoralis, aut theologalis præbendæ obeundæ officium, dignitatemve, in eccleſia cathedrali aſſequendam, atque ad alia id generis.

Secundæ claſſi erunt adſcribendi, qui ſi minus ut illi concionari perfecte, at mediocriter, tum etiam de ſuggeſto poſſint; quique in caſuum conſcientiæ ſummis ſtudioſe verſati ſint; & vero catechiſmi etiam Romani doctrinam diligenter teneant.

Tertiæ erunt claſſis, qui intelligentiæ tantum aſſequuntur, ut ſi minus accurata, doctaque concione, at ſermonem de altari ſaltem habere, ac evangelium, prout uſuvenerit, enarrare, & explicare poſſint; & adminiſtrationis ſacramentorum & caſuum conſcientiæ uſu ita periti ſint, ut qui frequentius incidere ſolent, eos aliquo ſtudio adhibito enodare, atque explicare apte queant.

Quartæ claſſis; qui ſi non magno literarum ſtudio, aliquo tamen uſu apti ſunt ad aliquam evangelii brevem explicationem; & notitiam quamdam habent rerum ad docendum populum, quæ ſaluti neceſſaria ſunt, & ad ſacramentorum adminiſtrationem, caſuumque conſcientiæ explicationem pertinent: ita ut iis ob ſacerdotum paucitatem, neceſſariamque cauſam, aliquando curatio aliqua ſpiritualis pro loci ratione præſertim ad tempus committi poſſit.

In inferiori claſſe reliqui adſcribantur, quorum nulla ratio omnino haberi debeat in curatione animarum committenda, ſacramentique miniſtrandi facultate, neque in ſermonibus ad populum habendis.

In omni hac examinandi ratione cancellarius pro ſui officii munere hæc præſtet.

Certum librum habeat proviſionum eccleſiarum parochialium, aliorumque beneficiorum, quæ examine adhibito, etiam ex literis apoſtolicis, conferenda ſunt.

* forte deeſt notas

Quo in libro recte, atque ordine ab eo notentur hæc:

Acta examinis, quæ in ſingulos dies, prout examinandi occaſio tulerit, fiunt.

Dies vacationis certi beneficii, & modus item vacationis, aliaque id generis.

Dies etiam promulgationis; aut prorogationis edicti, quod de concurſu proponi ſolet, cum beneficii vacationis ratio id poſtulet; & reliqua etiam, quæ ad promulgationem pertinent.

Nomina quoque examinatorum, quos epiſcopus certi illius beneficii vacantis nomine ad examen conficiendum nominatim delegerit.

Nomina etiam eorum, qui eo nomine examinandi proponuntur.

Dies præterea, quo quiſque examen ſubiit.

Nomina etiam examinatorum, qui interfuerint.

Approbatio, aut rejectio, quam eorum judicio ſinguli tulerint.

Nomen item, & cognomen ejus, quem epiſcopus tamquam aptiorem, magiſque idoneum delegerit, cui beneficium ab eo conferatur, ad quem ſpectat.

Cui libro alia præterea adſcribat, quæ epiſcopus cenſuerit.

Librum alterum conficiat, in quo omnes & ſingulos, quos vel concionandi, vel confeſſionis audiendæ, vel ſacræ lectionis interpretandæ cauſa epiſcopus, adhibito examine vel probat, vel improbat.

In hoc ipſo libro notet etiam & nomina examinatorum, & diem quo examen confecerint & cauſas item repulſæ, ſi quam aliquis tulerit.

Id ipſum de certo die, examine, probatione, aut rejectione eorum ſervet, quorum experimentum ſacræ ordinationis cauſa ſit.

Tertium librum habeat, in quem examina referat, quæ generatim inſtituuntur, atque adeo conficiuntur ad cleri progreſſionem in literarum ſtudiis inveſtigandam atque explorandam.

## III.

### *De initiandis ordinis ſacramento.*

In iis, quæ œcumenica ſynodus Tridentina de ſacra ordinatione ſtatuit, uberius etiam provincialium conciliorum decretis explicata, multa ſunt, quorum diligens ratio etiam in regularibus habenda eſt: atque eorum quidem capita quædam præcipua infra hoc decreto complexi ſumus. Videat igitur epiſcopus, ut quidquid de iis ipſis capitibus, vel eodem Tridentino concilio, vel ſynodis provincialibus, etiam generatim conſtitutum eſt, in illis initiandis quamdiligentiſſime ab ipſo ſervetur.

Culpæ, impedimentave canonica ordinis ſuſcipiendi quarto concilio enumerata.

Literæ teſtimoniales ſuperioris.

Teſtimonium de natalibus, & ætate præſcripta Tridentino concilio. *Seſſ. 23. c. 12. de ref.*

Teſtificatio ordinis proxime ſuſcepti.

Progreſſio in eccleſiaſtica diſciplina.

Teſtimonium bonum.

Denuntiatio nominis in eccleſia.

Adſcriptio, & miniſterium in eccleſia, cui adſcriptus eſt.

Exercitatio functionum ordinis ſuſcepti.

Frequentia ſacræ communionis.

Reverentia, atque obſervantia erga ſacerdotes, & ſuperiores.

Intervallum anni inter poſtremum ordinum minorum gradum, & ſubdiaconatum, ac rurſus inter unum & alterum ex ſacris ordinibus, niſi neceſſitas, aut eccleſiæ utilitas judicio epiſcopi aliud poſtulet.

Diligens examen epiſcopi.

Literarum ſcientia, & cantus peritia, ac aliæ inſtructiones ad ordinis ſuſcipiendi functiones rite, recteque obeundas.

Uſus & peritia recitandi divinum officium.

Loco tituli, cenſuſve teſtificatio præſtitæ profeſſionis regularis præſcripta in concilio provinciali ſecundo.

Quod de ordine ſacro annectendo jam pridem decreto concilii provincialis primi ex Tridentina ſynodo conſtitutum eſt; id in executionis uſum ita ab epiſcopo inducatur, ut vel presbyteratus, vel diaconatus, vel ſubdiaconatus non ipſis quidem canonicis, ſed canonicatibus, & portionibus ſingulis, quæ in cathedrali eccleſia ſunt, annectatur: nec vero annexionis decretum locum habeat in illis canonicatibus, præbendiſve, quibus in fundatione jam certus ordo annexus eſt. Quod autem canonicorum ſaltem dimidia pars, cautum eſt, ut ſacerdotio, presbyteratuve initietur; in ea cum dignitates non cenſeantur, totidem canonicatus ſacerdotales conſtituendi ſunt, quot præſcriptam illam dimidiam partem ſaltem conficiant. *Seſſ. 24. c. 12. de ref.*

Ubi primum unicuique vel canonicatui, vel portioni ſacer aliquis ordo annexus ab epiſcopo eſt, ad eum ordinem ſuſcipiendum canonicus etiam, qui jam illud obtinebat, compellatur.

Si quis autem monitus, non ſuſceperit privatus ab illo declaretur, ad ejuſdem Tridentini concilii præſcriptum.

Si quis etiam ſedis apoſtolicæ literis facultas permiſſa eſt, ſibi licere ordinis ſacramentum ab alio quam ordinario ſuo ſuſcipere, is, antequam initietur, etiam ſui ipſius ordinarii literas obſignatas habeat, quibus vitæ ſuæ mores, diſciplina, probitas, & cetera id generis teſtificata commendentur.

Quod provinciali tertio concilio decretum eſt de ratione ſervanda in concedendis literis dimiſſoriis ab epiſcopo impedito ſuis diœceſanis pro ordinibus ſuſcipiendis, id locum etiam habeat epiſcopo abſente.

Clericos vero, a diœceſi abſentes, qui dimiſſorias literas petunt, epiſcopus ad ſe examinis cauſa evocet; licet tamen ei aliquando, ſi hoc minus commode præſtari poſſe cenſuerit; examen illud ſpeciatim epiſcopo delegare, in cujus diœceſi illi morantur: at vero tunc literas dimiſſorias ne det, antequam examinis facti literas ab eo acceperit, cui illud delegavit.

Ne abbates, etiam baculi, & mitræ jure utentes, alioye ejuſmodi privilegio, & auctoritate conferendi minores ordines, munitos, patiatur epiſcopus diœceſanus, tonſuram, neque minores ordines, id quod Tridentina ſynodus vetuit, aliis conferre, quam iis, qui regulares ſunt, & eorum juriſdictioni ſubjecti, niſi & ipſius epiſcopi conſenſus ante accedat, & illi initiandi a ſuo epiſcopo, vel regulari ſuperiori tulerint literas dimiſſorias, non generatim ſed ſpeciatim conceſſas. Nec vero quibuſvis abbatibus id permitti liceat, ſed iis tantum, qui ſacerdotio initiati ſunt, & ſtatis benedictionis precibus conſecrati.







Qui ſubdiaconatus ordini adſcriptus eſt, cum ſtatim lege adſtrictus ſit, canonicarum horarum officium ex breviarii præſcripto recitandi; nemo ad eum ordinem capeſſendum recipiatur, qui in horarii illius officii, cujus lege devinctus tenetur, recte, ac rite recitandi uſu peritus non ſit. Inferioribus vero ordinibus initiandi, qui nullum beneficium obtinent, verſati ſint in beatæ Mariæ officii recitatione.

Quod alio concilio vetitum eſt, ne ſeminarii titulo cuiquam epiſcopus ordinem aliquem ſacrum conferat, id decernimus locum habere, niſi cum beneficii, ſeminario unionis jure adjuncti, uſui, & cultui miniſterium eſt ab illo præſtandum: tuncque certus annuus cenſus conſtituatur, unde qui eo titulo ordinem ſuſcepit, ſuſtentari queat epiſcopi judicio.

Nec vero tamen is in illo cenſu ullum jus habeat, cum primum aliunde habuerit, unde itidem vitæ ſuæ ſuſtentationi epiſcopi judicio conſultum & proviſum ſit. Quod ſi aliunde ex parte tantum ejus ſuſtentationi proviſum ſit, tunc extincta cenſeatur illa cenſus attributio pro tanta parte, quantam ad illam ſuſtentationem aliunde habet.

Penſionis, & patrimonii, quod quis habet, & bonorum itidem, quæ perpetuo etiam eo nomine ab aliquo ei donantur, titulo epiſcopus ſacrum aliquem ordinem alicui, etiam familiari, etiamſi alienæ diœceſis ſit, modo poſt triennium ab initio familiaritatis, ſi eccleſiarum ſuarum vel neceſſitatem vel utilitatem hoc flagitare judicarit, ut ſacris ille initietur.

At vero etiam, ſi quis ei, qui ſacris initiandus eſt, vere ſpondeat certa cautione, ſe quæ ad vitæ cultum uſui neceſſaria ſunt, ſuppeditaturum, ſaltem donec ei aliunde proviſum ſit, huic ob ſacerdotum penuriam ab epiſcopo ſacer ordo conferatur, licet, ſine alicujus etiam vel beneficii, vel patrimonii titulo.

At vero hæc in primis epiſcopus diligentiſſime videat, ut penſionem, patrimoniumve illud vere obtineat, utque ea donatio, ſponſiove vere ac ſine fraude, dolove facta ſit: ejuſque tabulæ ut rite, & recte confectæ ſint; utque penſio, patrimoniumve, & quæ dono data ſunt, tantum inde cenſus percipiatur, ut ſatis eſſe poſſit ad illius honeſtam vitæ ſuſtentationem; qua in re omni cognoſcenda promulgationes adhibeat, & reliquam diligentiam, quarto provinciali concilio in hoc genere præſcriptam.

Videat etiam omnino, ut quemcumque ejuſmodi titulis ordinabit, etiam familiarem ſuum, certæ illum eccleſiæ addicat, ubi ordinis ſuſcepti functiones, ac munera, ut ipſius concilii decreto cavetur, ipſe vere præſtet.

Eo ſermone, quem pridie, quo ſacra ordinatio celebratur, provinciali decreto haberi inſtitutum eſt, illud in primis ſpectetur, ut quæ monitiones poſtero die de libro pontificali leguntur, diſertis verbis, iiſque vulgariter conceptis explicentur uberius.

Unuſquiſque porro eorum, qui ſacris ordinibus initiabuntur, etiam atque etiam diligenter admoneatur, quod, quamque ſanctum munus ſuſcepturus eſt.

Verum ejus ſermonis vis in ſubdiaconis potiſſimum monendis verſetur, quo rectius, dum integrum eſt, deliberare poſſint, an caſtitatem, quæ perpetua illi ordini eſt annexa, profiteri velint; eoque accuratius propterea in gravi illa deliberatione videant, quod Deo auxiliante præſtare poſſe ſperent, neque in eo eccleſiaſtico, ſpiritualique munere ſuſcipiendo quidquam agnatorum, vel hujuſmodi aliena voluntate, ſed ſua ſpontanea deliberatione agant, nec vero in ſacri ejuſdem ordinis ſuſceptione, vitæ hujus commodum, aut aliud quidquam ejuſmodi, ſed Dei honorem ſibi propoſitum habeant. Hujus generis ſermo, a quocumque apposite habeatur, utilis ille quidem eſt, at multis partibus longe utilior erit, atque opportunior, ſi eumdem epiſcopus accurate, ſtudioſeque habuerit.

Quicumque clericus, alicui eccleſiæ adſcriptus, ubi ordinis a ſe ſuſcepti functiones obeat, memor complurium ſanctorum, qui vel toto vitæ tempore, vel multis ſaltem annis, in alicujus etiam minoris ordinis miniſterio, munereve religioſe verſati, ad altiorem ſe ordinis gradum provehi paſſi non ſunt; eorum recordatione, exemploque excitatus illud ſedulo curet, atque adeo efficiat, ut ordinis, quo proxime initiatus eſt, præſcriptas functiones, non elate, ſed humiliter, non raro, ſed frequenter, non negligenti ſtudio, ſed accurata, vereque clericali ſolicitudine, & diſciplina, pie, recte atque rite præſtet. Alioqui ſi in ſanctis iis functionibus negligenter, contraque ac præſcriptum eſt, ſe geſſerit; illud norit, eo voluntatis ſuæ teſtimonio, ſibi apud epiſcopum aditum præcludere ad altiorem gradum aſcendendi.

Præfectus autem, rectorve eccleſiæ teſtimonium de clerico facturus, qui functiones in ſua eccleſia obierit, hæc teſtificationis ſuæ literis ſpeciatim, apteque exprimat; quas ſcilicet functiones, & quam diu, & quam diligenter, & quam pie, & quam decenter, recte riteque præſtiterit.

Exorciſtæ munus cum ſit, energumenis manum imponere, a quibus, ut mali ſpiritus ejiciantur, jejunia, & orationes Chriſti domini teſtimonio adhiberi juvat: eos porro clericos, qui in exorciſtatum numero adſcribentur, curet epiſcopus in jejuniis, & orationibus frequentius ſeſe exercere.

Ut acoluthi munus, quod præter ceteras functiones fuit, epiſcopum comitari, ad eam ipſam functionem aliqua ex parte reſtituatur; curet epiſcopus clericos, quos in eo ordine adſcripſerit, eam in loco, ubi ipſe eſt, aliquando præſtare, ut opus eſſe cenſuerit, præſertim cum ad aliquod epiſcopale munus obeundum accedit. Sique complures ejuſdem ordinis ſunt, rationem certam ineat, ut per regiones diſtincti in orbem id muneris præſtent.

## IV.

### *Quæ ad clericorum honeſtatem attinent.*

De tonſura clericali decretum in concilio provinciali primo confecimus: ſed ut pro ordinis quo quiſque initiatus eſt, ratione, illam magnitudine diſtinctam, conſpicue ferat, certam, atque præfinitam illius formam hoc decreto deſcribi placuit; quam omnes ita ſervare jubemus, ut neque ea minorem, nec vero etiam majorem quiſquam omnino, epiſcopo inferior, gerat, quacumque dignitate ille præditus ſit.

Sacerdotalis igitur tonſuræ forma, in orbem ducta, late, & ample pateat unciis quatuor.

Diaconalis, uncia una minor.

Subdiaconalis, aliquanto anguſtior, quam diaconalis.

Minorum denique ordinum corona lata ſit undique unciis duabus.

Unciæ autem menſura eſt ad præſcriptum inſtructionum fabricæ eccleſiaſticæ.

Clericus, qui amictu clericali indutus incedit, ne in propinquorum, ne parentum quidem obitu, veſtes lugubres more laicorum induat geſtetque. Neque vero veſtis formam, aut panni genus, quo clerum univerſum uti moris eſt, commutet, ſed pium erga propinquos mortuos caritatis ſtudium officiumque præ ſe ferat omni alia ratione, quæ cum clericalis ordinis decore, dignitateque omnino conveniat.

Quæ in concilio provinciali primo iis, qui ſacris ordinibus, & ſacerdotio initiati ſunt, quique eccleſiaſticum beneficium obtinent, de ſæcularibus negotiis fugiendis conſtituta ſunt; eadem pœnis iiſdem, vel aliis, quas arbitratu ſuo epiſcopus edixerit, irrogaritve, illis præſcribimus, qui minorum ordinum clerici ſunt, etiamſi nullum beneficium obtinent, ſi modo clericalem veſtitum deferant, cum præſertim jam inde uſque a teneris annis ſe religionis, pietatiſque inſtitutis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ moribus imbuant oportet, qui in ſortem domini vocati ſunt. Atque in iis quidem, quæ illis vitanda ſunt, hæc etiam cautio ſit, ne ſine epiſcopi conceſſu, eoque literis exarato, laicis in ſervitute, famulatuve operam navent.

Nec vero cuiquam clerico eam facultatem det epiſcopus in aliqua re inſerviendi, quæ clericalis vitæ rationibus, pietatiſque officiis non admodum conveniat.

## V.

### *Quæ ad beneficiorum collationem attinent.*

Cum aliquis examinatur ad aliquod beneficium eccleſiaſticum, cui providendum ſit, de eo experimentum fiat examine non ſolum in literarum ſcientia, ſed etiam in cantus peritia, ad illius beneficii functiones rite, & recte obeundas; tum præterea in uſu, ac notitia quam in recitandis divini officii horariis precibus habeat.

Ubi primum præbenda, vel theologalis, pœnitentialiſve vacaverit, etiamſi illius conferendæ jus ad alium, quam ad epiſcopum, præterquam ad ſedem apoſtolicam, pertineat, edictum de more proponatur, quo ad concurſum evocentur, quicumque ſint, qui illius muneris cauſa examen ſubire velint, alioſve nominare, qui ſubeant. Confecto autem conſtituti temporis ſpatio, uniuſcujuſque eorum, qui illo nomine convenerint, periculum, experimentumve in literis ac doctrinis omni vel diligentiſſima percunctationum, quæſtionumve ratione fiat. Epiſcopus, adhibitis ſibi pro arbitrio ſuo aliis peritis, probiſque viris, tum etiam de illorum vita, moribus, ætate, gradu, ordine, ceteriſque conditionibus, ad tale munus neceſſariis, accurate perquirat. Tum demum epiſcopus ipſe ſolum rebus iis omnibus accurate perpenſis, mature in domino deliberet, & libere deligat, quem pro conſcientiæ religione digniorem, aptioremque exiſtimet, cui tale munus, tantique ponderis recte committatur. Qui in deliberatione idem videat, quod præſertim ad pœnitentiarium attinet, cum peritiam neceſſariam ſpectarit, tum maxime vitæ innocentiam, morum gravitatem, ſpiritualium exercitationum ſtudium, & uſum diuturniorem in audiendis confeſſionibus, exercitatiorem prudentiam, ceteraſque religioſæ pietatis virtutes perpendat.

Ei autem, quem potiſſimum elegerit, nec vero alii cuiquam conferatur ab eo, cui jus competit, etiamſi capitulum ſit.

Quicumque præbendam theologalem, vel Tridentino decreto, vel alia auctoritate rationeve inſtitutam, in cathedrali, collegiatiſve eccleſiis obtinet, is & quæ ſacrarum lectionum genera, & quibus diebus epiſcopus præſcripſerit, ut interpretationis ſuæ munere fungatur, accurate ad illius præſcriptum præſtet: ita ut etiam ſi expedire cenſuerit, & in ſeminario, & in aliis clericalibus, ſacerdotalibuſve collegiis doceat: in baſilica vero cathedrali ſaltem die feſto ſemper ſacram ſcripturam publice interpretetur & exponat, niſi aliquando aliud juſſerit epiſcopus.

Idem ab epiſcopo, aut ab alio conſultus, theologiæ quæſtionibus, aliiſve ejus generis gratis reſpondeat: ceteraque denique omnia præſtet, quæ pro ſuſcepti muneris ratione ab eo præſtari debere idem epiſcopus cenſuerit.

Perlatum ad nos eſt, in nonnullis provinciæ hujus eccleſiis clericos aliquos, qui ob beneficia, officiave, quæ in iis obtinent, non ſolum in choro adeſſe, ſed alia miniſteria, aliaſque functiones clericales ibi præſtare debent, a capitulis certo illi canonicorum numero adjungi, eamque ob cauſam ſupranumerarios vocari, hocque ipſum fieri, nulla eis collata præbenda, nulloque ſæpe attributo cujuſvis generis emolumento, cenſuve, ii autem eo ſolum titulo contenti, cum id ſibi ſumant, ut inferiora miniſteria, quæ antea obire conſueverant, præſtare plane recuſent; hæc ſane incommoda, gravia illa quidem, accidunt, quod & eccleſiæ debitis munerum functionibus fraudantur, & divinus cultus minuitur, ac labefactatur, & ordo eccleſiaſticus, cum unus plurium partes, officiumque præſtare non poſſit, contra ac legibus canonum cavetur, non ſine magna offenſione pervertitur, & perniciosa ambitionis occaſio hominibus eccleſiaſticis manifeſto datur. His porro incommodis atque adeo malis, decreti hujus provincialis auctoritate occurrendum cenſuimus.

Itaque ſi quos aliquando, ut jure permiſſum eſt, canonicos ſupranumerarios creari contigerit; id juſtis ſolum cauſis, ac pene neceſſariis, iiſdemque comprobatis, & perraro quidem fieri ſtatuimus. At vero qui in ea ipſa eccleſia beneficii, quod ibi obtinet, cauſa, operam, miniſteriumve navare debet, quod cum canonicali officio & gradu non conveniat, neque præſtari ſimul poſſit, ſupranumerarium fieri, creative prohibemus. Quicumque vero ita adſcriptus eſt, ne a muneribus miniſteriiſve, quæ priorum beneficiorum nomine in ea eccleſia a ſe præſtari debent, liber, aut immunis ullo modo ſit: imo ut illa præſtet, & fructuum mulcta, & omni alio jure, ut canonibus decretiſque Tridentinis cautum eſt, epiſcopus omnino agat.

Vacante eccleſia parochiali cujus conferendæ jus non ad epiſcopum diœceſanum, ſed ad alium, etiam ab epiſcopali juriſdictione exemptum, & regularem item ſpectat, edictum de concurſu proponat epiſcopus diœceſanus, & quicumque examen eo nomine ſubire volent, ad ipſum conveniant, qui exploratione per examinatores ſynodales facta, ex probatis digniorem, & magis idoneum deligat, cui vacans illa eccleſia ab illo conferatur, cujus jus eſt. Si ſecus fiat, collatio reſciſſa, nullaque ſit.



Eadem ratio omnis adhibeatur in parochiali eccleſia vacante, quæ juriſpatronatus eſt eccleſiaſtici, vel mixti, cujus inſtitutio non ad epiſcopum diœceſanum, ſed alium quemcumque, etiam exemptum, & regularem, item, ut ſupra, pertinet; tamen, ut quem epiſcopus diœceſanus digniorem elegerit, is a patrono præſentetur ei, ad quem ſpectat inſtitutio.

Si vero ad ſummum pontificem inſtitutio ſpectat, vel quia in menſibus reſervatis vacavit, vel alia cauſa, tunc epiſcopus digniorem eligat, & ex præſcripto earumdem literarum Pii V. a ſummo pontifice inſtituendum. Interea vero dum hujus generis examina, & approbationes fiunt, & inſtitutio locum habet; idem epiſcopus diœceſanus idoneum vicarium, qui onera vacantis illius eccleſiæ ſuſtineat, attributa ei congrua pro arbitrio ſuo fructuum portione, conſtituat, donec ei rector præficiatur.

In eccleſiarum curatarum permutatione, coram ordinario facienda, ne locum habeat quod primo provinciali concilio decretum eſt de proponendo edicto examinis cauſa in vacatione eccleſiarum parochialium. Si tamen vel parochialium hominum multitudo valde inæqualis eſt; vel qui permutant, quo tempore parochiales illas eccleſias adepti ſunt, examen præſcriptum non ſubierunt, fiat tunc de illis experimentum examinis, ſed abſque concurſu.

Idem examen ſine concurſu adhibeatur de eo, qui beneficium ſimplex commutat cum alio, quod curam animarum habeat, ſi quando ejuſmodi permutatio coram ordinario fieri jure poteſt.

Quamvis Pii V. conſtitutione, ſublata non ſit facultas illa, quæ in eccleſiis parochialibus conferendis data eſt, tum ſynodo provinciali addendi, ac detrahendi præſcriptæ formæ examinis, tum unicuique epiſcopo, ſi certis quibuſdam de cauſis pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire cenſuerit, loco concurſus privatum aliud examen ineundi: videat tamen epiſcopus ne facultate ſibi data abutatur, neque vero illam adhibeat ullo modo, niſi opus eſſe viderit, certis illis expreſſis cauſis.

Quod ſynodi Tridentinæ auctoritate quarto concilio provinciali noſtro permiſſum eſt, ſimplex beneficium habenti, alterum etiam ejuſdem generis, quod perſonalis reſidentiæ munus non requirat, ob honeſtam illius vitæ ſuſtentationem conferri; id ita locum habeat, ut ne tamen eo prætextu cauſave vitæ honeſte ſuſtentandæ, plura, quam duo, beneficia ſimplicia uni eidemque conferri liceat, ſine conceſſu, permiſſuve ſedis apoſtolicæ.

Si capellania etiam ſimplex, aliudve beneficium, etiam juriſpatronatus, ex præſcripto erectionis, fundationiſve, aut alterius conſtitutionis certum ordinem, aut alias conditiones requiret in eo, de quo vel collationis, vel inſtitutionis, vel alio nomine providendum eſt illud beneficium; ne epiſcopus deinceps, etiam patronorum conſenſu, permittat, concedatve, ut quiſquam ſine ſedis apoſtolicæ diſpenſatione illud beneficium aſſequatur, quod vere eo ordine non ſit initiatus, quamvis ætate congrua ſit pro illo ordine ſuſcipiendo, neque qui aliis conditionibus præditus non ſit, & quas illa vel erectio, vel fundatio, vel conſtitutio requirit.

Quibus in eccleſiis optionis jus eſt, ubi dimidia pars fructuum præbendæ in illius vacatione, vel ſacriſtiæ, vel fabricæ eccleſiæ ſolvitur, ea pars pro ratione præbendæ, quæ primo vacavit, ſolvatur.

Idque ab omnibus præſtetur, qui ordine deinceps ſinguli occaſione illius vacationis vel ad eam ipſam obtinendam optionis jure uſi ſunt, vel ad alias conſequendas, quæ occaſione optionum ſucceſſive vacarunt; ita ut unuſquiſque ſolvat pro rata tantum acceſſionis redituum, ſibi illo ipſo optionis jure factæ. Hæc porro ſolutio, ubi quiſque primi anni fructus ex præbenda, quam ſibi jam optavit, perceperit, ſtatim ab eo præſtetur. Reliqua item, quæ de parte fructuum dimidia perſolvenda olim decretis provincialibus conſtituta ſunt, ad eorum præſcriptum ſerventur.

Auctoritate concilii Tridentini, & conſtitutionis a Pio V. pontifice maximo editæ, jam nunc ſtatuta, privilegia, conſuetudines, & illas denique cujuſvis eccleſiæ conſtitutiones reſcindimus, planeque abrogamus, quibus cautum eſt, vacantium in eccleſia dignitatum, canonicatuum, præbendarum, portionum, beneficiorum, atque ideo officiorum fructus, vel diſtributiones etiam quotidianas, quæ inde primo vacationis anno, aut longiori, breviorive tempore obvenerint, menſæ epiſcopali, vel canonicali, aliive loco omnes, vel partem aliquam obventium, attribuere, aut in communes uſus cedere, aut inter alios canonicos, miniſtroſve illius, alteriuſve eccleſiæ dividi. Hæc tamquam reſciſſa, penituſque ſublata ejuſdem Pii pontificis ſanctione, declaramus nulla eſſe, nulliuſque plane roboris.

Nec vero loco eorum fructuum, qui eo nomine, ut ſupra, attribuebantur, ne conſenſu quidem capituli, ab epiſcopo ſtatui liceat, ut deinceps, qui illiuſmodi dignitates, canonicatus, beneficiave, qualia ſint, conſequentur; aliquid, vel minimum, ſolvant, conferantve in uſum ſacriſtiæ aut fabricæ, aut alterius ejuſmodi operis. Quod ſi poſt Tridentini concilii editionem id uſquam in provincia ſtatutum, decretumve ullo modo ſit, ne tamen quidquam eo nomine accipi, exigi, aut perſolvi, ullo pacto, rationeve liceat, quacumque conſuetudine, decreto, ſtatuto obſtante; niſi ſummi pontificis auctoritate munitum, corroboratumve ſit.

Quamobrem nec epiſcopus, neque capitulum, collegium, aliive eccleſiaſtici ordinis homines, quorum intereſt, iſtiuſmodi fructus, diſtributioneſve, ne ullam quidem eorum partem, retineant, neve illorum ceſſionem petant, exigantve, nec aliud quidquam, nec eo quidem nomine quod prædia meliora reddita ſint. Neque etiam ab iis, qui illa beneficia, etiam a ſede apoſtolica, obtinuerint, jusjurandum exigant, ut tale quidquam obſervent; neve illis ipſis, qui non paruerint, moram, impedimentumve afferant, quo minus illorum poſſeſſionem aſſequantur. Meminerint porro omnes, quicumque contrafecerint, ex illa Pii quinti ſanctione, ſi epiſcopus eſt, ſuſpenſionis; ſi capitulum, interdicti; ſi alius quiſquam, excommunicationis pœnam ſtatim ſubire; cujus vinculo tam diu irretitus eſt, quoad reſtitutione primum facta ex beneficium relaxationis,

ANNO CHRISTI 1579.

tionis, abſolutioniſve a ſede apoſtolica obtinuerint,

Ubi vero ſex ante Tridentini concilii editionem menſibus fabricæ, aut ſacriſtiæ, alteriuſve pii loci uſibus diſtributiones ejuſmodi, & fructus conceſſi reperiuntur, eorum pars tantum dimidia eidem, vel ſacriſtiæ, vel fabricæ, vel pio loco attribuatur: reliquam autem partem omnem ad illius pontificiæ ſanctionis preſcriptum ii capiant, quorum beneficia ſunt.

Cum animarum ſalutis, viteque ſpiritualis curam parochi paternam gerant, illis, tamquam parentibus, debetur amor, obſervantia, cultus, atque obedientia. Si igitur hoc ipſo honore dignantur, illud certe etiam æquiſſimum eſt, atque adeo cum omni ratione conjunctum, B ut cum primum eorum aliquis ad eccleſiæ, ſibi in titulum, curamve traditæ, ſtationem venerit, aliqua externæ obſervantiæ ſignificatione ab iis ſuſcipiatur, ad quorum parochialem curam accedit. Quare fideles, ubi primum ab epiſcopo literas formatas acceperint de parocho, qui parochiali eorum eccleſiæ præfectus fuerit, diem certum ſtatuant, quo ei adventanti frequentes ad parochiæ fines obviam facti, eumdem, ut moris olim fuit, ſuſcipiant, atque ad eccleſiam deducant, perpetua illum dilectione, amore, obedientia, atque obſervantia proſequentes.

Literæ autem formatæ, quas epiſcopi nomine cancellarius de parocho conſcribat, ejuſmodi erunt, C quæ a vicario foraneo, aliove publice legantur.

Filii dilectiſſimi, veſtræ iſti parochiali eccleſiæ parochus præfectus eſt presbyter N. quem ætate, vita, moribus, doctrina, virtutum diſciplina, prudentia, aliiſque rebus ad iſtius parochialis curæ bene gerendæ rationem opportunis, idoneum eſſe, examine recte confecto cognitum eſt. Veſtræ igitur partes ſunt, debito honore, ex decreti provincialis præſcripto, illum ſuſcipere, neque ſolum externa quadam obſervantia, ſed intime, atque ex animo illum loco parentis diligere, & colere, præceptiſque ejus, atque monitis concordi voluntate, libentique animo parere. Quod ſane facere cum veſtra potiſſimum interſit, tum quo accuratius faciatis, nos epiſcopali noſtra auctoritate, paterna caritate, vos univerſos & ſingulos monemus. Valete in domino.

## VI.

### *Quæ ad divina officia pertinent.*

Ut paſſio Chriſti domini redemptoris a fidelibus in hora redemptionis ſuæ digna veneratione coleretur, illud in eccleſia ſancta perpetuo inſtitutum, religioſoque uſu, ac ſolenni ritu pie retentum eſt, ut in feria ſexta paraſceves, in qua idem Chriſtus dominus myſterium crucis explevit, certa ſtata hora ab univerſo clero, & populo, certis peractis precibus, & orationibus adoretur. Sed quoniam factum eſt, ut in multis provinciæ locis non poſt, ſicut inſtituti, rituſque veteris eſt, ſed ante ſtatas illas preces ea adoranda proponatur, aut ſaltem adoratio fiat a multo populo, antea quam ex ritu eccleſiæ ſolemniter proponatur, & a clero adoretur: nos, tamquam non ſine myſterii ſignificatione eccleſia inſtituit; ad ſtatæ horæ [illegible] ſolennemque adorationem revocemus; id ſtatuimus, ut in omni provincia eccleſia cathe- A drali, ſacroſanctæ crucis, per quam redempti ſumus adoratio religioſe celebretur, recitato ſcilicet de paſſione evangelio, & peractis illis ſtatis precibus, & orationibus, ut inſtituti ratio poſtulat. Quare unuſquiſque provinciæ epiſcopus efficiat, non ſolum ut ſtata ea hora in ſua baſilica cathedrali præſtetur; ſed caveat etiam, ut in omni eccleſia collegiata, & parochiali, in omnique oratorio ſocietatum, ubi fit ea adoratio, non ante, quam in eadem baſilica cathedrali, primariave, ſi locus diœceſis ſit, celebretur.

Nec propterea concionator deſiſtat, quin pro ſanctæ eccleſiæ uſu ad excitandam populi fidelis compunctionem eo ſacro die eam de ſuggeſtu proponat & oſtendat.

Quin etiam curet epiſcopus, concionem illam ſtatim poſt recitatam paſſionem domini haberi, niſi aliter aliquando magis expedire cenſuerit.

Et quoniam ſacra ea feria Chriſtus dominus humiliatus eſt pro nobis pati uſque ad mortem, mortem autem crucis; illius humilitatis imitatores in ſanctiſſimæ crucis ſtata illa adoratione ita eſſe oportet, ut quod antiqui ritus eſt, non tantum genibus flexis, ſed proſtrato humi corporis habitu fixam, conſtantemque animi noſtri humilitatem demonſtremus: ideo epiſcopus curet, ut corporis proſternatione, quæ Chriſtianæ humilitatis index eſt, ea ſolennis adoratio celebretur.

Gravia pericula, offenſiones, atque adeo ſæpe injurias ſanctiſſimo miſſæ ſacrificio fieri compertum eſt, quod quidam ſacerdotes non ſemel tantum, ſed pluries in die illud offerant. Quod ne in poſterum fiat, præterquam ſalutari illo die dominicæ nativitatis, quo unuſquiſque ſacerdos non ſine magna myſteriorum ſignificatione ter celebrare debet, decreti hujus auctoritate vetitum ſit, ne ob ullam neceſſariam cauſam, neque etiam ob parochialis, alteriuſve eccleſiæ egeſtatem, neque ob ſacerdotum penuriam, nec vero ob locorum diſtantiam epiſcopus cuiquam ſacerdoti pluries in die divinum illud miſſæ ſacrificium offerendi facultatem det, aut permittat, cum beatus admodum ſit ille ſacerdos, qui ſemel tantum in die illud digne obtulerit. Si qua vero ejus generis facultas antea vel certo loco, vel ſacerdoti data eſt, eam plane ſtatim reſciſſam; irritamque ac nullam omnino eſſe jam nunc decernimus.

Epiſcopus, in cujus diœceſi eccleſiæ, locave olim ordinis Humiliatorum extiterunt, ubi Pii V. pontificis conſtitutione certus ſacerdotum numerus præfinitus eſt, in eo evigilet, ut ne, fratribus illius olim ordinis decedentibus, illæ eccleſiæ debitis officiis, ac muneribus defraudentur; ſed cum eorum aliquis mortem obit, in ejus locum ſacerdotem alium ſubrogari curet.

At in quibus eccleſiis certus numerus conſtitutus non eſt; efficiat, ut quot antea ſacerdotes ibi ſuſtentari conſueverant, totidem retineantur. Atque id quidem omne is exequatur pœnis etiam, & cenſuris arbitrio ſuo propoſitis, ut nihil plane pereat, quod earum eccleſiarum cultui debeatur.

In capella, canonicatu, aliove beneficio etiam ſimplici quod quis una cum alio incompatibili ex legitima diſpenſatione jam obtinet, epiſcopus, conſtitutis etiam vicariis, certaque fructuum parte attributa, conſulat, & provideat, ut ea beneficia



ANNO CHRISTI 1579.

ficia debitis miniſteriis, debitoque cultu non fraudentur.

Idem efficiat, ſi ejuſmodi beneficiis quis ob aliud legitimum etiam abſentiæ impedimentum munera ſua non præſtet.

Epiſcopus pro ceremoniarum ratione, rituve, cum miſſæ conventuali, aut divinis chori officiis in baſilica cathedrali, vel in aliis collegiatis eccleſiis intereſt, & item cum proceſſiones agit, aliave ejuſmodi, adhibeat ſibi aſſiſtentes duos de capitulo, qui ei, etiam cum pontificale officium non celebrat, in omnibus his, aliiſque actionibus aſſiſtentium munera omnia præſtent.

Organiſta, dominicis, feſtiſque diebus, epiſcopum ad divina officia adventantem, ubi primum pro baſilicæ foribus eſt, decora, gravique organi modulatione excipiat: neque ſonare deſiſtat, quouſque ad altare genibus flexis oraverit, locoque ſuo ſederit.

Idem præſtet, cum peractis de more officiis inde diſceſſerit.

Item, dum ille miſſæ ſacrificium, aut veſperarum officium ſolenniter celebraturus, aliove pontificali munere perfuncturus, veſtes ſacras induit, nec quidquam canendum a choro eſt.

Hoc vero omne agat ſemper, cum in divinis officiis, ad quæ epiſcopus convenit, organa pulſanda ſunt.

Chori diſciplina, plena religionis eſt, plena pietatis; ac propterea ſancte ab iis obſervanda eſt, qui in eum locum conveniunt ad Dei laudes concelebrandas.

Quare præter illa, quæ in concilio provinciali primo, de illius cultu præfinivimus, hæc admonemus, quo religioſius non modo excolatur, ſed multis partibus augeatur ſancta ejuſdem chori inſtitutio.

Primo, ut ſtudio quodam intimæ pietatis, cujus ſplendor foris etiam eluceat, unuſquiſque vel canonicus, vel alius miniſter, quicumque ſit, qui chori officiis aſtrictus eſt, ad chori diſciplinam ſeſe inſtruat.

Antea vero quam eo conveniat, paululum attente ſecum cogitet & loci illius ſanctitatem, & conveniendi cauſam, & divinarum laudum, quarum munus angelorum eſt, officia, quæ caſtiſſime ab omnibus concelebrari oportet.

Hac ipſa in cogitatione firmiter inhærens, nec quidquam quidem mente, animoque concipiet, ab illius loci religione alienum, nedum aget, quod Dei oculos offendat.

Paret ſe propterea etiam atque etiam diligenter ſancta intimi animi meditatione, & religioſa oratione, ut exteriorem quoque cultum divinorum officiorum ſalutariter exequatur.

Dum ſuperpelliceum, qui amictus ex tela linea candida conſtat, induit, cogitet, quam perſonam ſuſtineat, nempe a ſordibus, labeque puram, qualem veſtitus ille indicat.

Cum almutiam pelliceam, quod inſigne canonicorum eſt humeris, vel brachiis, prout moris eſt, canonicus imponit, eam cogitationem ſuſcipiat, in ſe reſtinctas, ac plane mortuas eſſe oportere rerum mundanarum affectiones, atque cupiditates, ut ejus rei ſignificans eſt illa animalis intermortui pellis, quam de more induit.

Si vero, ut pleriſque in eccleſiis inſtituti, conſuetudiniſve eſt, cappam induit, quæ humeros contegit, & brachia quaſi devincit, ex eo amictu intelligat, ſe expreſſas, quaſique devinctas habere oportere appetitiones, ac ſe totum ad Dei voluntatem accommodare.

Cum igitur iis chori veſtibus indutus, alium veſtitum, quo foris utitur, contegat, ſicque aliam perſonam habitu gerat; caveat, ne quidquam, etiam in ſacriſtia, agat, admittatve, quod cum actione non recte conveniat, ob quam illum habitum induit.

Ne in colloquiis quidem ab ea actione alienis ſe occupet; niſi curæ præſit, quæ id neceſſario poſtulet.

Abſtineat autem ſemper, ſed maxime dum chori veſtibus indutus eſt, ubi ſit, vel in ſacriſtia, vel alio loco, & a jocis, a ridicule dictis, facetiiſve, a cachinnationibus, a verbis futilibus, atque inanibus, quæ temere, & imprudenter effunduntur.

In chorum ne properanter, quaſi diſtributionum quæſtu incitatus, accedat, ſed gravi inceſſu.

Dumque ad chorum procedit, quamquam alii comes adjunctus, at quaſi ſolus accedat, in ea meditatione fixus, ut ſecum cogitet, ſe ad chorum, nempe ad ſancta ſanctorum, ut canone antiquo cautum eſt, & ad publicæ orationis ſacrificium accedere.

Cum in choro eſt, animum, mentemque ab omnibus curis, perturbationibus, & cogitationibus a rei, quæ geritur, ſanctitate alienis, quoad ejus fieri poteſt, abducat, ſeſeque totum in Dei cultu colligat.

Illud etiam cogitet, quam ob cauſam eo ſe [illegible], ſe in conſpectu Dei omnipotentis, & in corona innumerabilium angelorum, & ſanctorum eſſe.

Qua in cogitatione videat, perpetuoque reputet, ſe eo loci conſiſtere, ut Deo ſanctiſſimum cultum, venerationemque tribuat, atque ab eo, & ſibi, & aliis omne bonum deprecetur.

Conſideret vero ipſum Deum, tamquam patrem, & redemptorem amantiſſimum, optimum, ſapientiſſimum, miſericordiſſimum, quique omnia intuens, ubique & ſemper eſt,

Tum cordis caſtitatem, beneque orandi donum, & gloriam a Deo ſupplex petat, orationiſque ſacrificium ſimul cum meritis Jeſu Chriſti, & ſanctorum, ejus præſertim cujus memoriam eccleſia illo die celebrat, ad gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, & ad ſuam proximorumque utilitatem dirigat.

Cum pſallendum eſt, primum pſalmi argumentum mente, animoque concipiat.

Obſervet præterea, quis in pſalmo loquatur, an Deus, an eccleſia, an pœnitens, an aſpirans ad perfectionem.

Attendat item, ad quem præcipue ſalutarem affectum pſalmus referatur.

Cum ita ſe religioſe pararit, magna animi attentione ſe ad verba, ſententiaſque pſalmi accommodet, ita ut laudet, gemat, extimeſcat, ſicut pſalmorum voces indicant: & quod denique ore profert, animo primum concipiat.

Tum verba ſingula notet, interpretationem ſtudio aſſequatur, unde mens, animuſque ad aliquem ſalutarem affectum incendatur.

Ad verba etiam adjungat animo cogitationem vel amoris, vel reverentiæ, vel humilitatis. Atque ita quidem affectum aliquem excitet, ut ſi de virtute verba pſalmi profert, deſiderio accendatur

tur imitationis; ſi de peccatis, intime doleat, quod in eo ſtatu ipſe fuerit, aut certe proximi ejus, Et ſic de aliis item, quæ pſalmo ſignificantur.

Eam porro attentionem initio uniuſcujuſque pſalmi, orationis, & aliarum divini officii partium, tum ſingularum horarum canonicarum renovare, atque excitare ſtudeat, præſertim dum illa verba, quæ ad ſanctæ orationis ſpiritum inflammandum valent, pronuntiat; Deus in adjutorium meum intende, *&c.*

Itidem faciat, cum aliorſum ſe cogitationibus diſtrahi animadvertit.

In fine etiam uniuſcujuſque pſalmi ſeſe excitet illis verbis; Gloria Patri, *&c.*

In concluſione item orationum, cum dicitur: Per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ſpe ſancta erga illum redemptionis noſtræ auctorem ſeſe confirmet.

Et quoniam attentio valde admodum excitatur, ſi quæ quiſque profert, recte intelligit: ideo in ea potiſſimum expoſitione pſalmorum aſſidue verſetur, quæ non varia ſit, ſed quæ tota in excitandis, exercendiſque ſanctis affectibus verſetur.

Cum autem magnus pſallendi fructus in pſalmorum affectibus verſetur, ſive quis in choro, ſive privatim, ſive ſubmiſſa, ſive alta voce oret: idcirco certos ſibi locos pſalmorum præfiniat, quibus omnis hæc ratio concludatur.

Loci præcipui præter ceteros hi ſint, unde ſalutares affectus exiſtunt, laus Dei, memoria bonorum noſtrorum, commemoratio noſtræ miſeriæ, & reprehenſio male agentium.

Pſalmorum verbis cum Dei bonitas prædicatur, ad illius dilectionem, & ad gratiarum actionem de beneficiis, quæ a divina benignitate proficiſcuntur, ſe toto animo accendat. Cum illius infinita ſapientia, aut potentia commemoratur, admiratione afficiatur: tum intime gratuletur, cum aliquid Dei auxilio bene geſtum narratur.

Cum bonorum memoria, recordatioque pſalmorum vocibus excitatur; deſiderium quoddam concipiat illa ſibi, & aliis conſequendi; tum illa eadem a Deo petat, tum in Deo ſpem animo capiat fore, ut divina ejus ope, non modo quæ bona ſunt, quæque ſalutaria, aſſequatur, ſed quæ mala, ac quæ perniciem afferunt, vitet.

Aliquando etiam intime in domino gaudeat, ſe bona, Deo juvante, adeptum eſſe, & mala caviſſe.

Ex miſeriarum commemoratione timorem concipiat, dolorem, ac humilitatem, cum ſuas cognoſcit infirmitates.

Ex reprehenſione male agentium agnoſcat zelum divinæ vindictæ, & indignationem contra nequitiam. Atque ita quidem ex ſalutaribus his affectibus fructum pſallendi uberrimum capiet.

Peroratis pſalmis, abſolutoque canonicarum horarum officio, paululum tacitus conſiſtat, genibuſque flexis veniam deprecetur, & negligentiæ, & diſtractionis, aliuſve culpæ, quam in eo precationis officio admiſerit: tumque hoc oret, ut pro Chriſti totiuſque eccleſiæ meritis, orationis ſuæ obſequium, ac miniſterium gratum ſit, atque acceptum.

In eo pſallendi officio, cum ea mentis attentio, & ſalutaris affectus, tum corporis decens compoſitio requiratur.

Ideo, præter ea, quæ de genibus flectendis, de capite inclinando, de ſtando, de ſedendo, ac de ceteris partibus in primo concilio conſtituta ſunt, quædam etiam in choro cavemus; quæ, utpote minus decentia, & a loci illius cultu aliena, vitari oportet; ea vero tabella deſcripta ſunt, quæ cura noſtra edetur, ac in ſingulis ſacriſtiis eccleſiarum, tum cathedralium, tum collegiatarum, tum parochialium affixa perpetuo ſit. Tum vero etiam hæc ipſa monita, alia tabella deſcripta, itidem in ſingulis ſacriſtiis habeantur.

Lumina duo candelabris, cereo, ferariiſve infixa, cum proceſſiones publicæ, etiam quæ in eccleſiæ ambitu aguntur, ab omni cujuſvis ordinis clero, tam regulari, quam ſæculari, ad crucem adhibeantur, quæ unicuique capitulo, clerove de more præfertur.

Epiſcopus in cathedrali ſua eccleſia, loco, & forma, quæ in inſtructionibus fabricæ eccleſiaſticæ, ex decreto provinciali editis, præſcripta eſt, ſepulcrum epiſcopale primo quoque tempore faciendum curet ad communem uſum epiſcoporum illius eccleſiæ. Cujus quidem ſepulcri operimento inſculpta ſit, ita tamen, ne e ſolo æquato extet, mitra, & baculus paſtoralis, tantummodo cum his literis, SEPULCRUM EPISCOPORUM. N.

Hoc ipſum unuſquiſque parochus ad parochorum, & capitula ad dignitatum, & canonicorum uſum itidem præſtent.

Poſtridie illius diei, quo ceſſio ultima ſynodi provincialis habita eſt, pro omnibus provinciæ epiſcopis defunctis, præſertimque pro iis, ſi qui poſt proximum provinciale concilium diem obierint, miſſa ſolennis a provinciæ epiſcopo, cui id muneris metropolitanus mandarit, canatur: & ſermo item Latinus appoſite habeatur; officiumque item pro illis a quatuor etiam provinciæ epiſcopi junioribus rite mox peragatur ad pontificalis libri præſcriptum. In ſynodo quoque diœceſana, die ſecunda, pro clericis diœceſis defunctis oratio & commemoratio ſolenniter fiat.

## VII.

### *Quæ ad diſtributiones pertinent.*

Pœnitentiarius, tamquam in choro præſens, diſtributionum particeps ſit, quo tempore in audiendis confeſſionibus verſatus, non eorum ſolum, qui in caſibus, epiſcopo reſervatis, peccarint, ſed aliorum etiam quorumcumque.

Nec vero illas, quaſi præſens, capiat, cum mane aliquando, ante ſtatam divinorum officiorum horam, quo opportunius pœnitentibus ſatisfaciat, eorum confeſſiones audit, & quo deinceps tempore illa celebrantur, ipſe interea miſſæ ſacrificium facit, aut privatim horarium canonicale officium præſtet; etiamſi id in fraudem non faciat.

Neque diſtributiones item illi, quicumque ſint, percipiant, qui infirmitate, neceſſitate, aut manifeſta eccleſiæ utilitate occupati, impeditive non adſunt in choro, ſi antea nullo legitimo impedimento diſtenti, perſonale canonicatus ſui munus obire non conſueverant; hoc enim addendum cenſuimus decreto, quo in concilio provinciali primo hoc ipſo de genere cautum eſt.

Qui peregrinationis cauſa abſunt, ne jure quidem, facultateve ſtatutorum eccleſiæ, cui perſonalis reſidentiæ operam, miniſteriumque debent, diſtributionum participes ſint. Imo etiamſi trium menſium ſpatio diutius abſunt, non propterea excuſantur, quo minus fructuum præbendæ amiſſione mulctentur, aliiſve pœnis ejuſdem concilii, de diuturniore abſentia ſancitis.





Qui ſtudiorum cauſa, quacumque facultate, abſunt, ne diſtributiones quotidianas eo ipſo abſentiæ tempore, nec vero illam præbendæ ſuæ partem tertiam, in ejus generis diſtributiones, Tridentini decreti auctoritate jam converſam, capiant.

Itidem de quotidianis diſtributionibus, eaque tertia parte cautum ſit, etiamſi a ſede apoſtolica facultas abſentiæ ob ſtudia data ſit.

Epiſcopus, quæ decreta de tertia fructuum parte in concilio & primo & quarto, olim confecimus, ita præſtet ut nec qui ſacris ordinibus initiati non ſunt, nec qui diſtributiones non capiunt, ab illa præſcripta tertia parte conferenda liberi immuneſve ſint.

Tertiæ porro partis, quæ in diſtributiones convertenda eſt, fructuum æſtimatio ſit, non veteri taxa etiam in codices capitulares relata, ſed tanti ſit, quanti cenſus, redituſve præbendarum re vera valet, deductis primo penſionibus, aliiſque oneribus, legitime impoſitis, pro ratione temporis, quo duraverint.

Cujus tertiæ partis percipiendæ jus habeant omnes canonici, tum qui præbendam obtinent, tum qui ſine illa ſunt, dum ii ſtatis diebus ſuum in eccleſia munus præſentes obierint.

## VIII.

### *De reſidentia.*

Perſonalis reſidentiæ munus; ut re vera per eos præſtetur, qui illius generis beneficia eccleſiaſtica obtinent, omnem rationem, canonum jure, Tridentiniſque ſanctionibus præſcriptam epiſcopus ineat.

A quo munere non excuſetur, neque qui beneficium, eccleſiamve habet, de cujus titulo adhuc lis & controverſia pendet; nec vero item, qui nondum ſacerdotio, aut eo ordine, quem beneficium illud requirit, initiatus eſt: nec præterea qui juſta aliqua cauſa, impedimentove diſtinetur, quo minus eo initietur.

Nec vero a reſidentiæ munere liberi ſint, qui tertiam partem fructuum, qui ſibi ex dignitatibus obveniebant, quas in eccleſiis cathedralibus obeunt, in diſtributiones contulerint. Imo vero ii cetera etiam, quæ Tridentino decreto in ſeſſione 24. promulgato, ipſis præſcripta ſunt, præſtare ab epiſcopo cogantur.

Ne ille quidem excuſetur, cujus eccleſia, aut beneficium ejuſmodi eſt, unde omnis, aut certe magna pars fructuum, aliquo modo reſervata ad alium pervenit.

Ne epiſcopus, propterea quod ſibi liberum, integrumque eſt, facultatem permittere, qua liceat, aliquem ab eccleſia commiſſa, beneficiove perſonalis reſidentiæ abeſſe, ea poteſtate, facultateve deinceps ob cujuſvis generis cauſam utatur: ſed in illa concedenda modum & rationes adhibeat, concilii Tridentini ſanctione præſcriptas.

Ne vel ad ſeminarii quidem curam, vel ad vicarii munus, vel ad ſanctæ etiam inquiſitionis officium, nec vero ad aliud quidquam opera ſacerdotis, curam animarum gerentis, epiſcopus ita utatur, ut ab eccleſia, beneficiove, in ejus curam tradito, diutius abſit, ac muneri debitæ reſidentiæ perſonalis deſit.

Ne parochus, animarumve curator ob ſenectutem, aut ob adverſam valetudinem, cælive gravitatem, ab eo reſidentiæ munere excuſetur. Si vero ejus invaletudo id generis eſt, quæ curari poſſit, atque eo loci, ubi eccleſia parochialis ſita eſt, non datur, nec aliunde facultas medici & medicamentorum; tunc parocho, ex infirma illa valetudine laboranti, epiſcopus curationis cauſa facultatem dare poſſit, qua liceat ei tribus, quatuorve menſibus ad ſummum, loco propinquiori, in quo ejuſmodi neceſſaria non deſint, manere, ubi valetudinem curet.

Interea ad illius eccleſiæ parochialis curam gerendam vicarium epiſcopus conſtituat, parochi ſumptu.

Nec præterea ſimultatis, odiive ſolum cauſa parochum ab eccleſiæ parochialis ſtatione, locove abeſſe permittat, ac ne inimicitiarum quidem, quæ vel leves, vel fictæ ſint, cauſa, prætextuve. Si vero unquam graves illæ erunt, ac veræ ortæque poſteaquam parochialis curæ munus obit, idque ſine culpa parochi, permittere epiſcopus poterit, illum inde abeſſe, locoque propinquo, ubi tuto ſit, morari, eo ſolum tempore inimicitiarum, non tamen ultra annum, etiamſi diuturniores anno ſint inimicitiæ.

Cum antea jure canonum, tum nuper concilii Tridentini decretis & ſynodorum provincialium conſtitutionibus juſſum eſt, unumquemque parochum, animarumve curatorem in eccleſia ſibi commiſſa, dominicis, aliiſque præcipue feſtis diebus ſtata hora miſſæ ſacrificium celebrare, ſacramentorum adminiſtratione, verbique Dei prædicatione populum paſcere; doctrinæ Chriſtianæ rudimenta docere; veſpertinas preces, aliaque divina officia canere, vel recitare publicam ſæpe orationem, ac proceſſiones varias cum populo ſuo obire, pacem conciliare, controverſias componere, pauperum & egentium, miſerabiliumque hominum curam paternam gerere; aliaque munera ſtudioſe & accurate agere, quæ cum parochialis officii ratione conjuncta ſunt; tum illis diebus maxime in quibus populus artibus, operibus & negotiis mundanis non eſt diſtentus, occupatuſve, facilius ac fructuoſius præſtare poſſunt.

Quæ omnia, prout cautum eſt, & quemadmodum certe oportet, conſtituto tempore is parochus exequi nullo modo poteſt, qui non ſine animarum ſibi commiſſarum detrimento, conſtitutis illis horis parochiali eccleſiæ non inſervit, ſed ea relicta ad eccleſiam cathedralem, vel collegiatam, ubi canonicatum, aut aliud reſidentiæ beneficium jam obtinet, frequenter nimis accurrit, non ſine ea avaritiæ ſuſpicione & cupiditatis illarum diſtributionum, quas capiet, propterea quod ibi in divinis officiis, miſſaque ſolemni præſens adſit, feſto præſertim die, quo pluribus in eccleſiis vel duplicatæ, vel majores, quam aliis diebus dari ſolent. Quamobrem hoc decreto epiſcopos id monemus, ne quem parochum, animarumve curatorem, qui in cathedrali, collegiatave eccleſia dignitatem aut canonicatum habeat, aliudve beneficium, aut officium, cui perſonalis in choro reſidentiæ onus injunctum ſit, deinceps dominicis, feſtiſve diebus, eccleſiæ commiſſæ ſtatione relicta, in choro illius ca-

ANNO CHRISTI 1579.

cathedralis, collegiatæve præſentem adeſſe, diſtributionumque quotidianarum participem ullo modo, pactove fieri patiantur: ſed parochiali eccleſiæ, ſtatis horis, operam, curam, muneraque ſuſcepti parochialis officii uſque adeo præſtare cogant, ut ei nulla ſtata hora deſit, nullumque officium omnino prætermittat ſuæ curæ, ſolicitudinique commiſſum.

Eccleſia parochialis, ſi eo loco ſita eſt, ubi minor pars hominum parochialium habitet, multoque plures illi ſint, qui extra urbis, municipii, locive mœnia, ubi illa eſt, domicilium habeat: eo tamen loci parochus in ſtatione parochiali maneat, ubi eccleſia eſt. Parochialibus vero, qui longius abſunt, epiſcopi officio & auctoritate ſuccurratur, ad concilii Tridentini præſcriptum.

Epiſcopi cura ſit, ita agere, ut qui parochialis eccleſia, intra diœceſis ſuæ fines poſita, ab alio inferiore, etiam regulari, qui illius conferendæ jus habet, collata eſt, is in illius ſtatione reſideat, perſonaliſque reſidentiæ munera præſtet. Nec vero id ad illum inferiorem, qui contulit, ſpectet.

## IX.

*De eccleſiis, earum ſupellectile & fructibus.*

Sæpe accidit ſontes homines, qui ad eccleſiam, ſacrave loca, & alia eccleſiaſticæ immunitatis jure munita, præſertim ubi primum crimen patrarint, ſtatim confugiunt, non ſolum a ſatellitibus magiſtratuum judicumve ſæcularium, ſed a conſanguineis etiam & affinibus eorum, quibus cædes, injuriave illata eſt, armatorum quoque hominum collecta manu cuſtodiri, magno cum eo periculo ut ne graviora interdum facinora, ac aliquando eccleſiaſticæ immunitatis violatio, flagitiaque turpiſſima admittantur. Quamobrem ut iis ipſis offenſionibus & malis, quæ inde ſæpe exiſtunt, occurratur, licere decernimus juſſu epiſcopi, ob eam ſolum cauſam, ut cognoſcatur, an qui tunc ad eccleſiam perfugium habuerit, jure uti poſſit immunitatis eccleſiaſticæ, per ſatellites fori epiſcopalis ad carcerem clericalem, vel ſæcularem, ſi eo loco clericalis carceris cuſtodia tuta non eſt, ejuſdem epiſcopi judicio, inde abduci, tamdiuque epiſcopi nomine cuſtodiri, quoad re perpenſa ipſe epiſcopus deliberet.

Is vero quamprimum deliberationem ineat; ſique libertate, immunitateve eccleſiaſtica illum uti fruive cenſuerit, ab omni detrimento, omnique impenſa liberum atque immunem loco reſtitui ſtatim mandet, unde abductus eſt; ſin autem ſecus faciendum duxerit, foro, judicioque magiſtratus ſæcularis, prout juris erit, illum relinqui jubeat, ad canonum & conciliorum, aliarumque apoſtolicarum conſtitutionum præſcriptum.

Interea vero dum in cuſtodia eſt, ne cuiquam liceat de eo quæſtiones, examenve inſtituere, neque adeo contra illius perſonam quidquam agere, quo præjudicium illi ejuſve cauſæ afferatur.

Id autem ut ab omnibus inviolate ſervetur, nec vero hujus decreti nomine, prætextuve quidquam contra immunitatem eccleſiaſticam a judice, magiſtratuve ſæculari fiat, geratorve, omni diligentiſſima curatione in eo utatur epiſcopus, cenſuraſque etiam proponat arbitratu ſuo.

Ut in omni eccleſia, altari, ſacriſtia, omnique ſacra ſupellectile nitor, munditiaque eluceat: id quod etiam Innocentius III. pontifex in concilio Lateranenſi cavit, magna cura, & diligentia a ſacerdotibus, clericis, aliiſque eccleſiæ miniſtris adhibenda eſt.

Quamobrem, quæ de hoc genere toto regulæ, concilii hujus auctoritate, per nos enucleate præſcribentur inſtar inſtructionum, eæ ab omnibus & ſingulis, quorum intereſt, ubi primum in vulgus edentur, accurato ſtudio ſerventur, atque inducantur in uſum.

Pulvinaria, miſſalium uſui addicta, ne epiſcopi quidem, nedum alterius cujuſquam genibus, cubitiſve, ullo loco, nec vero in eccleſia ſupponantur, neque præterea ad ullum profanum uſum adhibeantur.

Ac ne ad ſuggeſti quidem ornatum pallia altarium uſui ſint. Curandum igitur erit, quamcitiſſime per facultates eccleſiæ fieri poterit, ut pro ſolennium temporum feſtorumque dierum ratione ornamenta ſuggeſtis ipſis proprie appoſita comparentur.

Quæ eccleſiæ, neceſſe eſt reſtituantur, atque inſtaurentur; earum omnis cenſus, parſve huic ſumptui neceſſaria, etiamſi equitibus ordinis Hieroſolymitani obvenerit, ab epiſcopo ſequeſtri nomine apud virum bonum deponi jubeatur, qui in illarum inſtaurationem ejuſdem juſſu erogetur.

Quæ vero labentes, propeque cadentes, nullum cenſum habent unde reſtituantur, civitatis, municipii, locive ubi ſitæ ſunt, impenſis inſtaurentur, epiſcopi cohortatione diligenti. Id omne de oratoriis conſtitutum ſit.

Lapides, cæmenta, tigna, omniſque materia eccleſiæ dirutæ, profanatæve, ad uſum quoque profanum, non ſordidum tamen, averti, adhiberique arbitratu epiſcopi liceat.

Pecunia vero, quæ inde colligetur, illius etiam judicio in ſumptus eccleſiæ utiles conferatur.

Miſſarum autem munus, quod in ea jam diruta præſtandum erat, niſi epiſcopus ad aliam potius legitima facultate transferre cenſuerit, ad eccleſiam primariam, quam matricem vocant, transferatur, ubi illius, ad quem profanæ eccleſiæ cenſus pervenit, impenſis, altare ſancti, ſanctæve nomine extruatur, cujus titulo, quæ profanata eſt, nuncupabatur.

Illius porro cœmeterium ad eamdem eccleſiam transferatur, ad eumdemque locum oſſa mortuorum aſportentur.

Ut litibus, & controverſiis, quæ ubique in hac provincia permultæ, & variæ de fructibus beneficiorum inter hæredes ſacerdotis, clericive mortui, & illos exiſtere ſolent, qui in ea beneficia ſuccedunt, plane occurratur, cum in ea, illa Julii III. pontificis maximi conſtitutio, eo ipſo de genere edita, in uſum, moremque inducta numquam ſit, jus commune in toto hoc genere omnino ſervari decernimus; ſublata quacumque etiam conſuetudine, ſtylove etiam quavis epiſcopali, archiepiſcopalive auctoritate confirmato.

Univerſitates, laicive homines, etiam qui jus patronatus habent, qui bona, cenſum, juraave beneficii eccleſiaſtici, aut loci pii quocumque modo uſurpaverint, aut eorum poſſeſſionem detinuerint, anathema, & alias pœnas ſubeant decreto Tridentino conſtitutas, non obſtante quocumque antiquo uſu poſſeſſioneve. Hoc vero decretum cum illo vulgariter redditum,

popu-



ANNO CHRISTI 1579.

populo edici, atque promulgari ſæpe jubemus, quo diligentius tale crimen caveatur.

## X.

*Quæ ad ſynodum, congregationeſve alias clericales, & viſitationem attinent.*

Si quando epiſcopus, juſta, eaque metropolitano probata cauſa, ad concilium provinciale non acceſſerit, virum eccleſiaſticum mittat, qui non modo legitimam abſentiæ excuſationem, ut canonum jure, conciliique provincialis quarti decreto cautum eſt, recte afferat, decretaque ſuſcipiat; ſed hoc etiam præſtet, ut a metropolitano interrogatus, rationem diligenter recteque reddat omnium, quæ ad ejus eccleſiæ, cujus cauſa ab epiſcopo hujus decreti auctoritate mitti debet, rationes attinent.

Seſſ. 24. c. 2. de ref.

Ad ea vero, quæ in concilio provinciali quarto de ſynodi diœceſanæ, ad Tridentini concilii præſcriptum, quotannis celebrandæ, perpetua indictione decreta ſunt, hæc etiam, quæ ſequuntur, addenda cenſuimus, ut cum uſui, tum rationi illius recte ordineque habendæ proſpectum, & conſultum ſit.

Synodo diœceſanæ univerſi, & ſinguli ſacerdotes, & clerici cujuſcumque ordinis interſint, quicumque canonum jure, vel eccleſiaſticis ſanctionibus, vel Tridentino decreto, vel conſuetudine, aliave ratione intereſſe poſſunt, aut plane debent.

Adſint vero inter ceteros quicumque beneficium eccleſiaſticum, cujus cauſa, de jure, conſuetudineve adeſſe debent, in ea diœceſi obtinent, cujus ſynodus celebratur, quamvis in alia domicilium habeant. Atque in iis quidem, quæ ad beneficium illud pertinent, ejuſdem ſynodalibus decretis, juſſiſque obtemperent.

Ante ſtatam ſynodi diem per menſem, quinta quaque feria in miſſæ ſacrificio, ſi quadrageſima eſt, oratio de Spiritu ſancto dicatur: alio autem tempore, die eodem miſſa celebretur, ceteraque præſtentur, prout ſecundo provinciali concilio ſancitum eſt.

Synodalis hæc actio aliquot ante diebus per parochos populo denuntietur, eorumque uniuſcujuſque officium ſit, parochialis quæ ſuæ eccleſiæ homines docere, tum quam ſanctum, ſalutareque ſit, ſynodalis diœceſanæ actionis inſtitutum: tum quam ob cauſam quotannis ea actio ſuſcipiatur.

Quo de genere editas ab epiſcopo literas parochus ſuo quiſque populo, cum in miſſæ parochialis ſacrificio is frequens adeſt, accurate legat: cui muneri adjungat hoc etiam paternæ cohortationis officium, quo non modo illum excitet ad frequentius orationis ſtudium, ſynodalibus illis diebus adhibendum, ſed etiam ad id ſingulos inflammet, ut die dominico ſtatam ſynodalem diem antecedente, vere pœnitentes, & confeſſi, ſacram communionem ſumant; hoc præcipue precantes, ut quæ ad eorum ſalutem pertinent, Dei auxiliante miſericordia per epiſcopum in ſynodo diligenter ſancteque agantur.

Quo puriores autem eccleſiaſtici ordinis homines, qui in ſynodo adeſſe debent, ad eam actionem, quæ religioſam animi præparationem ab illis depoſcit, conveniant; omnes & ſinguli dominico illo die, ſynodum præcedente, peccata primum confeſſi, non ſolum ſacerdotes miſſæ ſacrum faciant, ſed reliqui ſinguli cujuſvis ordinis clerici, ſanctiſſimam euchariſtiam ſumant.

Antequam ſtata ſynodi dies veniat, & in civitate ii, quibus id curæ epiſcopus dederit, & in diœceſi vicarii foranei, & parochi præterea, tum urbani, tum diœceſani, ut ipſi epiſcopo adjumentum afferant, diligenti taliique earum rerum indagatione, ac relatione, quibus per eum conſuli, aut provideri in ſynodo præſertim oportebit, hæc quæ infra generatim, vel univerſe mox præſcribentur, ſedulo videant, ac notent, ut ea omnia ad præſcriptam ab eo rationem, & normam tum literis, tum coram conſtituto tempore deferant;

Idque omnes, præter diligentiam, quam de hoc genere toto teſtes ſynodales ex decreto provinciali adhibere, & præſtare debent.

Primo igitur ii omnes pro ſuorum quique munerum, officiorumve ratione & cura diſpiciant, quæ cleri ſit in clericalis vitæ moribus progreſſio: quæ in vita ſpirituali diſciplina, & quam ſolicitum in divinorum officiorum cultu ſtudium; quam diligens in eccleſiaſticis functionibus obeundis ſolicitudo; quæ etiam, & quam frequens in literarum exercitationibus cura: qui in earum ſtudiis progreſſus item.

Vicarii autem foranei & regionarii in civitate præfecti, aliive eccleſiaſtici homines, quos ob eam cauſam epiſcopus delegerit, exquirant, qui præterea parochorum in primis zelus in animarum ſalute procuranda; quæ in ſacramentis miniſtrandis ſedula diligentia; quam frequens in paſcendis verbo Dei fidelibus officium; quæ denique in omnibus parochialis muneris partibus vigilantia, quæve aſſiduitas.

Deinde ii omnes & ſinguli pro ſui officii munere inveſtigent, quæ populi in Chriſtianæ caritatis operibus exercitatio, quam religioſus feſtorum dierum cultus, quam pia in eccleſiis converſatio, quæ in doctrinæ Chriſtianæ ſcholis frequentia: tum de aliis piis ſodalitatibus diſquirant, tum denique de reliqua omni ejuſdem populi diſciplina, & in via domini progreſſu.

Poſt videant, qui ſingularum eccleſiarum, præſertim parochialium ſtatus, an ſi quæ inſtaurationem deſiderant; an debito cultu fraudantur; an ſacris veſtibus, ornamentis, ſupellectileque eccleſiaſtica, ad cultum neceſſaria, inſtructæ ſunt; an denique ulla ex parte incultæ.

Poſtremo an ſi aliqua ſunt provincialium, diœceſanarumque ſynodorum decreta, edicta, viſitationum præſcripta, aliave epiſcopalia juſſa, quæ executionem non habeant; quid item impedimenti, aut difficultatis, aut denique cauſæ ſit, quamobrem eorum executioni non ſit locus.

Id autem omne, quod ad executionem attinet, notent, tum iidem, vel præfecti, vel delecti eccleſiaſtici homines; tum vicarii foranei, tum parochi, aliique, qui eccleſiaſtica beneficia obtinent, prout eorum uniuſcujuſque in illis exequendis partes ſunt.

Cum autem ſynodalis dies prope adeſt, vicarii foranei pridie illius diei adſint ſummo mane in ædibus epiſcopalibus; eoque ipſo die quamprimum epiſcopo nomina, & cognomina tradant, eaque ordine deſcripta, ſacerdotum, & clericorum ſingulorum, qui ad ſynodum conveniunt, ac rurſus abſentium cauſis ſigillatim item deſcriptis, quamobrem ſynodo non adſint. Idque præter officium legitimæ excuſationis, quam, qui abſunt, epiſcopo afferre,



& pro-

& probare debent. Hoc ipſum triduo, vel biduo ante eum ſynodalem diem, qui ab epiſcopo in urbe regionibus ſunt præfecti aut delecti, præſtent de ſuæ quique regionis clericis.

Singuli autem ſacerdotes, ceterique clerici, qui canonicarum horarum officium præſtare debent, breviarium, cum ad ſynodum veniunt, afferant; quod initio notatum ſit nomine & cognomine poſſidentis.

Iidem vero, ne in itinere quidem, quod ſynodi cauſa ad civitatem facturi ſunt, a clericalis vitæ diſciplina, & ſacerdotali morum gravitate, noſtris decretis præſcripta, diſcedant.

Ubi in civitatem venerint, ne ad cauponas, ſed ad amicorum, ſi quos habent, præſertim eccleſiaſticorum hominum, neceſſitudine, familiaritate, aut aliquo hoſpitii jure conjunctorum, domicilia divertant; tumque deinceps ſtatim ad eum ſe conferant, quem occaſione ſynodalis illius actionis, clericalis hoſpitii præfectum conſtituerit epiſcopus; eique chirographum dent, quo ſuum quique nomen inſcribant; notentque hoſpitii locum, & hoſpitem, apud quem diverterint. Si vero quis neminem certum hominem habet, apud quem diverſetur; primum eumdem præfectum adeat, qui certum eccleſiaſtici hoſpitii locum aſſignabit.

Cum porro clericalis ordinis homines omni tempore alios vitæ exemplo ad virtutem inflammare debeant, tum maxime cum ſynodales actiones habentur, ita ſe gerant in verbo, in converſatione, in caritate, quemadmodum apoſtolus monet, ut cum eos poſuerit Deus in acquiſitionem ſalutis, atque in ædificationem, officii ſui memores, *ambulent digne Deo*, ſancteque, ſicut decet miniſtros myſteriorum Dei, vivant. Nec vero, ut plerique ſolent, cum in civitate ſunt, per plateas vagentur, aut præ curioſitate hac atque *illac* circumcurſent; ſed ad cauſam, ob quam convocati ſunt, tota animi cogitatione tunc attenti, in eo verſentur ut & epiſcopo in ea actione puris caſtiſque precibus auxilium, & ſibi, & populis ſalutarem inde fructum ferant.

Qui ſacerdotes ſunt, ſingulis diebus, quibus ſynodalis conventus habetur, ut juſſum eſt, miſſæ ſacrificium celebrent: reliqui clerici ſaltem prima die ſynodi ſacram communionem ſumant, idque ſummo mane: facientes *obſecrationes, orationes, & gratiarum actiones, poſtulationes* pro ſancta eccleſia Dei, pro ſummo pontifice, pro principibus Chriſtianis, pro uberrimo ſynodalium, & aliarum paſtoralium actionum fructu.

Ut autem epiſcopus, ſynodalium actionum officiis; & curis multis tunc occupatus, aliorum miniſtrorum ſtudio & opera adjuvetur; triduo, aut biduo ante ſynodi diem, eccleſiaſticum hominem, juris peritum ſtatuat, qui promotoris munus obeat; & unum, duoſve eccleſiaſtici item ordinis, qui eorum, qui a ſynodo, cui intereſſe debent, abſunt, cauſam, rationemque abſentiæ ejus nomine cognoſcant; qui præterea querelas, controverſias, & accuſationes eodem nomine audiant, & ipſi epiſcopo referant; cui liberum, integrumque ſit, etiam dum ſynodus habetur, quandocumque libuerit, illas ſibi advocare, & aliis etiam delegare.

Quæcumque porro vel decreta, vel conſtitutiones, vel edicta, vel ſcripta cujuſvis generis in ſynodo legi, promulgarive oportebit: iis legendis vel archidiaconum, vel canonicum diaconum ſuæ cathedralis eccleſiæ conſtituat, qui id muneris recte obire poſſit, ſi modo is, qui cancellariæ epiſcopalis officium gerat, canonicus illius eccleſiæ non ſit, aut in ea dignitatem non obtineat. Ad illum enim potius hoc officium pertinere decernimus, quo tunc impedito, ad alium canonicum, quem epiſcopus, ut ſupra, delegerit.

Pridie item illius diei, quo futura eſt ſynodus, ſub primam horam noctis in omni eccleſia civitatis ſolenni campanarum ſono ſignificatio detur ſynodi poſtero die inchoandæ.

Poſtridie, quæ ſtata ſynodi dies eſt, ſummo mane, & ceteris deinceps ſynodalibus diebus in cathedrali eccleſia certis campanæ ictibus ad ſynodum clerus convocetur: cujus etiam rei ſignificatio fiat tabella, cura magiſtri ceremoniarum publice loco ſuo affixa, qua ſynodalis ſeſſionis certa hora indicatur.

Qua hora univerſi, & ſinguli, qui ſynodo intereſſe debent, in eccleſia cathedrali, non raptim, ſed gravi inceſſu conveniant. Ubi convenerint, loco conſtituto, ſuperpellicea, quæ munda, ac decentia ſint, & almutias, cappaſve, pro eccleſiæ inſtituto & uſu induant, quicumque dignitates, canonicatuſve in eccleſia cathedrali obtinent, & qui collegiatis eccleſiis quocumque nomine præpoſiti ſunt, quibus recte & decenter induti, inde ad ſtatum ſeſſionalem locum, non turbulenter, ſed quiete, &, quoad ejus fieri poteſt, bini veniant, atque ordine conſideant.

Nec vero quiſquam mane, priuſquam conveniat, cibum capiat, ſed jejunus adſit.

In loco igitur benedictionis conſidentes domini ſacerdotes, & reliqui inferiorum ordinum clerici, ne vocibus obrepant, ne tumultibus rem ſynodalem perturbent, ne confabulationibus operam dent; ſed hæc omnia, ceteraque maxime caveant, quæ eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſynodalis actionis dignitati, & loci venerationi non conveniunt.

Synodali celebritati triduum veteri ritu præſtitutum eſt; at pro rerum, quæ gerendæ ſunt, ratione, epiſcopus non ſolum breviori, ſed etiam longiori tempore ſynodum agat, & ſynodales actiones tractet licet.

Primo ſynodi die epiſcopus, proceſſione ſolenni primum peracta, miſſæ ſacrificium celebret: tum precibus ſtatis & cerimoniis ad ejuſdem ſynodi inchoationem e libro pontificali rite adhibitis, ſermonem clero habeat eo de genere, quod ſynodalibus tractationibus, & ſanctæ diſciplinæ accommodatum ſit.

Quo ſermone peracto, archidiaconus, vel alius epiſcopi juſſu indicat ſilentium.

Deinde idem archidiaconus, vel canonicus diaconus decreta lecturus, ad epiſcopum accedat, a quo illa, quæ legenda ſunt, cum acceperit, de ſuggeſtu alta voce pronuntiet.

Decreta, quæ initio ſynodi legat, hæc ſunt:

Unum, monitiones complectens, quæ ex hoc ipſo decreto, atque aliis provincialium conciliorum conſtitutionibus, ac patrum regulis, prout epiſcopus maluerit, confectæ ad vivendi modum, celebrandæque ſynodi rectam rationem pertineant. In iis vero monitionibus illa cohortatio etiam ſit, ut triduano jejunio, quemadmodum inſtitutum olim fuit, ſynodalis triduana actio a clero celebretur.

Alterum, quo ſynodi miniſtrorum, & judicum, querelarum, itemque excuſationibus, abſentiæ uniuſcujuſque audiendis ab epiſcopo conſtitutorum nomina promulgentur.





Tertium, quo cavetur eorum, qui ſynodo intereſſe debent, nomina, recte ordineque ſcripta, ad cancellarium epiſcopalem deferri.

Quartum, quo cavetur item, ſi cui in ea ſynodo contigerit ſuo loco non ſedere, aut incedere, aut aliud quidquam agere, id præterea nemini jus acquiri, acquiſitumve eſſe, neque quidquam de cujuſquam jure, poſſeſſioneve detrahi, ſed omnia in eo ſtatu permanere, quo antea fuiſſe compertum erit.

Quintum, quo excommunicationis propoſita pœna prohibeatur, ne, quo tempore ſynodus habetur, cuiquam ſacerdoti, clericove a civitate diſcedere liceat, niſi miſſione ab epiſcopo impetrata.

Sextum, quo jubeat, ſi quæ publica calamitas, vel civitati, vel diœceſi, cujus ſynodus habetur, vel univerſo populo Chriſtiano imminet, aut inſtat, orationem, in miſſæ ſacrificio ab omnibus ſinguliſque ſacerdotibus fieri, preceſque a reliquo clero adhiberi: cum inſtituti ſit & ritus in ejuſmodi ſynodali conventu pro publicis rebus ſupplicationes publicas agi.

His de more promulgatis decretis, nominatim decoreque vocentur, qui ſynodo præſentes adeſſe debent, ſicque vocati, ſinguli reſpondeant: Adſum.

Vocationis ratio ea ſit, ut primo civitatis, inde diœceſis clerus vocetur.

Idque diſtincte, ſigillatim & ordine præſtetur.

In hac actione primo hæc legantur;

Decretum Tridentinum profeſſionis fidei in ſeſſione 25. adſcriptum, capite ſecundo, cujus initium eſt: *Cogit temporum calamitas, &c.*

Decretum concilii provincialis primi de profeſſione fidei, quod decretum incipit: *Sacri, &c.*

Tum formula profeſſionis fidei ex conſtitutione Pii IV. pontificis maximi legatur.

Qua lecta, & fidei profeſſione præſtita, eorum nomina qui perſtiterunt, a cancellario ſcribantur, & in codicem diſtinctum referantur.

Decretum Tridentinum de examinatoribus in beneficiorum parochialium cura committenda adhibendis, ſeſſione 24. capite 18. conſcriptum in hæc verba: *Examinatores, &c.*

Deinde ab epiſcopo proponantur examinatores nominatim.

De iis probandis ſuffragia recte ſerventur.

Decretum itidem Tridentinum de iis deſignandis, quibus cauſæ delegentur, pronuntietur, ſeſſione 25. cap. 10. quod incipit: *Quoniam ob malitioſam, &c.*

Poſt eo de genere conſtitutio Bonifacii VIII. cujus initium eſt: *Statutum, &c.*

His lectis illi ab epiſcopo deſignentur, ac demum pronuntientur.

In ſuffragiis autem ferendis ſinguli ſpectent, ut non humanis affectibus obſequantur, ſed Deo; & tum conſcientiæ ſatisfaciant, religioni, eccleſiæ utilitati, animarumque ſaluti conſulant.

Tum hæc promulgentur;

Conſtitutio Pii II. contra clericos edita, qui ſine canonica diſpenſatione extra ſtata tempora, ante legitimam ætatem, vel abſque dimiſſoriis ordinarii ſui literis, ſe ad aliquem ordinem promoveri fecerint, ex concilio provinciali tertio.

Conſtitutio item Pii V. de confidentiis, ex eodem concilio; & illa etiam de canonicarum horarum officio recitando, per eumdem edita.

Decretum Tridentinum de reſidentia, ſeſſione 23. capite primo.

Decretum alterum de reſidentia, item ſeſſione vigeſimatertia, capite primo.

Decreta provincialis concilii primi de vita & honeſtate clericorum.

Decreta concili provincialis quarti de honeſtate clericorum.

Decreta provincialis primi concilii de divinis officiis.

Decreta item hujus concilii provincialis quinti de chori diſciplina.

Aliæ denique, vel pontificiæ ſanctiones, vel provinciales conſtitutiones, vel decreta diœceſana, quæ epiſcopus legenda cenſuerit.

His lectis punctatores pronuntientur, ab epiſcopo delecti, qui ex decreto concilii provincialis quarti ibidem jurent.

Deinde teſtes item ſynodales, ab epiſcopo delecti, renuntientur, qui ad præſcriptum formulæ, in eo concilio editæ, jurati, munus ſuum obeant. Quo in jurejurando hæc cautio ſit, ut mane in ſeſſione per eos præſtetur, qui adſunt. Si qui vero abſunt, vicario foraneo, in cujus regione illi teſtes renuntiati habitant, id curæ delegetur, ut ad formulæ præſcriptum ab illis jusjurandum exigat atque ſuſcipiat.

Id vero jusjurandum in altari majori ſacris reliquiis, quæ e loco ubi aſſervantur, accenſis luminibus afferentur, decore collocatis ſancte præſtetur:

Alia præterea agantur, quæ epiſcopus agi, fierive expedire cenſuerit.

At vero neque ſeſſio ſecunda dimittatur, niſi primo, ut ſupra, oratione publica peroſata. Tum tertia ſeſſio indicatur.

Quo tertiæ ſeſſionis die demum decreta; ſi quæ epiſcopus nova conficienda cenſuerit, de ſuggeſtu promulgentur.

Monitiones ex concilio provinciali quarto legantur.

Poſt, certa dies ſynodi, quæ ſequenti anno celebrabitur, decreto edito promulgetur. Tum epiſcopus, antequam ſynodum dimittat, ſermonem habeat, paternis monitionibus plenum, & dimiſſioni accommodatum.

Proceſſio ſolennis deinceps ab univerſo clero agatur.

A qua cum reditum erit; clerus univerſus, genibus flexis, tacitus per horam dimidiam oret pro rebus publicis, quarum cauſa oratio epiſcopi juſſu indicatur.

Tum poſtea acclamationes ſanctæ fiant, ex formula ab epiſcopo præſcripta.

Acclamationibus factis, omnes ſacerdotes & clerici ſurgentes, cum reverentia oſculum pacis ab epiſcopo accipiant, & ſibi invicem dent, cum timore & amore Dei. Si vero cleri, qui convenerit, numerus is eſt, ut longius hic oſculi ritus ducatur, ea ratio ineatur, ut præpoſiti & archipresbyteri ſolum ab epiſcopo illud accipiant; deinceps ſuo quique clero dent; iſque inter ſe mutuo item.

Quod vero ſancti oſculi ſignificatione oſtendunt, id re ipſa præſtent, ut conjunctiſſimis animis, concordique voluntate, & pacis atque caritatis ſtudio, quæcumque lecta, ſancitave ſunt, ſolicite exequantur.

Demum epiſcopus clero ſolenniter benedicat.

Archidiaconus vero præſcriptis illis pontificalis libri verbis ſynodi dimiſſionem ſignificet.

Poſt primæ ſeſſionis diem, reliquis deinceps diebus a canonico, vel ab eo, qui dignitatem obtinet, hebdomadario, miſſa ſolennis ſtata hora canatur.

ANNO CHRISTI 1579.

Pluvialia item induantur, qui in cathedrali eccleſia dignitates, aut canonicatus habent, & ſinguli collegiatæ eccleſiæ quovis nomine præfecti, peracto ſcilicet miſſæ ſacrificio, cum initium ſit ſeſſionis ſynodalis.

Ac in miſſis etiam ſolennibus, cum epiſcopus celebrabit.

Mane item ſingulis ſeſſionis diebus, cum ſacræ preces, libro pontificali pręſcriptę, rite habitæ erunt; concio, ſermove eccleſiaſticæ diſciplinę rationibus accommodatus ab epiſcopo, vel ab alio ejus juſſu habeatur.

Seſſio autem, cum ad horas pomeridianas prorogatur, ſtata hora ſignum campanę ad illius ſignificationem detur.

In qua continuata ſeſſione epiſcopus amictum etiam, albam, ſtolam, pluviale rubri coloris, pectorale, & mitram precioſam induet, duobus de more aſſiſtentibus.

Pronuntietque epiſcopus initio orationem, *Adſumus, &c.*

Veſperi autem, antequam uniuſcujuſque diei ſeſſio dimittatur, clerus univerſus paulum tacitus ſancte, religioſeque oret pro re, de qua orationem fieri, in eadem, vel in prima ſeſſione indictum eſt.

Cancellarius autem a promotore rogatus, omnis quotidianę ſeſſionis, tum matutinę, tum pomeridianę acta publica conſcribat, in librumque certum referat.

Peracta demum tota uniuſcujuſque diei ſeſſione, epiſcopus de more ſolenniter benedicat.

His decretis de ſynodi diœceſanę habendę ratione, atque uſu per nos editis, addi atque de his mutari aliquid in iis quę aut ad dirigendę ſynodi rationem, ordinemve, aut ad decretorum provincialium, aliarumque ſanctionum promulgationem pertinent, epiſcopo ex cauſa liceat, prout ex ſynodi ſuę diœceſanę uſu eſſe videbitur.

Quo diligentius, atque adeo accuratius & in urbe ii, quos unicuique regioni epiſcopus pręfecerit, & in diœceſi vicarii foranei muneris, atque officii ſibi commiſſi partes exequantur: quo item crebrius ac vigilantius diœceſis ſtatus, cui aſſidua paſtorali ſpeculatione proſpiciendum eſt, exploratus ipſi epiſcopo ſit, atque cognitus, cum ex omni alia ratione, tum ex eo, quod illi certo anni tempore, ad ipſum ſtudioſe referant, non ſolum quę de ſynodo diœceſana decreto generatim univerſeque pręſcripta ſunt; verum etiam quęcumque ſigillatim, ac pręcipue, pro temporum ratione idem epiſcopus illis pręſcribenda cenſuerit: in hoc genere ita conſultum ut, ut illi in civitate, in diœceſique, vicarii foranei, in ſua quiſque regione commiſſa, præter illam in ſuo munere gerendo curam, ſuaſque frequentiores per annum viſitationes, pręterque epiſcopi & epiſcopalium viſitatorum in viſitando diligentiam, ipſi etiam ſingulari, accurata, diligentique ratione viſitationem concreditę ſibi regionis cumulatius, exactiuſque obeant, a die ſancti Martini, uſque ad diem feſtum ordinationis ſancti patris noſtri Ambroſii. Si quis vero, vel pro regionis, quę ſibi commiſſa eſt, magnitudine, vel alia cauſa ad ſtatę viſitationis munus longiori tempore opus habeat, ei integrum, ac liberum ſit, aliquot ante pręſcriptum tempus diebus viſitationis ſuę initium facere.

Vicarii autem foranei ſinguli, pro ratione, ut eo decreto generatim præſcripta, tum ab epiſcopo ſigillatim præſcribenda, de regione, quæ uniuſcujuſque eorum vicariæ curæ demandata eſt, ad eumdem relaturi, in civitatem quotannis hebdomadæ ante dominicam in ſeptuageſima penultimæ, duodecimo ſcilicet ante ejus dominicæ celebritatem, de ſummo mane in epiſcopales ædes ad illum conveniant. Id vero, niſi aliquando ob temporis, quod inter epiphaniam & ſeptuageſimam incurrit, brevitatem, aut aliam ob cauſam, eum vicariorum conventum, alio commodiori tempore habendum eſſe, per literas epiſcopales ſignificatum ſit.

Quo diligentius vero relationem ſinguli vicarii præſtent, id ſubſidii ſibi comparent, ut antequam ſtati conventus dies veniat, congregationem parochorum ſuæ quique regionis habeant, a quibus quæcumque, vel univerſe, vel nominatim, præſcripta ſunt, diligenter animadvertant & colligant. Parochorum propterea cura ſit, certo ante conventualem diem tempore videre, atque exquirere ſuarum parochiarum, parochialiumve hominum, ſtatum, vitam & mores. Si quæ vero animadverterint, quibus ſalutariter conſuli, aut provideri oporteat, & ſigillatim & ordine deſcripta ſuo quique vicario tradant, ut ad conſtitutum tempus epiſcopo referant.

Ubi a conventu, qui anniverſarius ipſis vicariis ſtato die indictus eſt, ad ſuam quique eccleſiam redierunt, ſtatim quique ſuæ regionis parochorum congregationem iterum habeant de iis quæ ab ipſis, vel ſynodi proxime celebrandæ, vel alterius rei cauſa agi, præſtarive monuerit, aut juſſerit epiſcopus.

Conſtituti vero in urbe ab epiſcopo regionum præfecti, quæcumque ad præſcriptam illam rationem idem referenda ſunt, eam tum diligenti ſtata viſitationis cura, tum parochorum, quorum paulo ante relationis diem congregationem habebunt, adjumento uſi, poſt referent, quam vicariorum foraneorum dimiſſa erit conſtituta congregatio.

Feria præterea ſecunda poſt octavam reſurrectionis domini, ſi dies feſtus non eſt; ſin minus, proximo primo feriali die, quo ſolenniter officium non fit, iidem tum præfecti regionum in urbe, tum vicarii foranei congregationem iterum habeant, in qua & a parochis etiam colligant, & inter ſe item videant, ſi qua reliqua ſunt, quæ poſt illum conventum, qui ante dominicam in ſeptuageſima habitus eſt, inciderint, quæ item ad epiſcopum ante ſynodi diem referri oporteat: qualia ſunt de iis, qui proximo paſcha confeſſi non communicarint, & de aliis, quæ ad eumdem deferenda ſint:

Sin autem aliqua de cauſa ad conſtitutam eam diem ſynodus non habebitur; ne propterea per illos omittatur, quin & præſcriptam viſitationem diligenter obeant, & ante dominicam ſeptuageſimæ ad epiſcopum conveniant, & ſingula alia præſtent, ut ſupra, vel illis omnibus univerſe, nominatim, præcipueque vicariis foraneis conſtitutum eſt, & tertia etiam poſt paſcha reſurrectionis domini hebdomada ad præſcriptum eidem epiſcopo cum præfecti de ſcripto referant, ac tradant, tum ii vicarii ſingula mittant.

Regulares, quicumque ſint, qui in quavis eccleſia parochiali, etiam quæ in ſuo monaſterio exigit, quæve eidem adjuncta eſt, curam animarum gerunt, ſynodo diœceſanę interſint; ad ſtatas illas congregationes, lectionesve, quibus parochos intereſſe juſſum eſt, conveniant; menſtruos item illos parochorum conventus, quos

in



ANNO CHRISTI 1579.

in diœceſi haberi, decreto cavimus, tum ipſi adeant, tum in eccleſiis, ubi animarum curam gerunt, monaſterii ſumptu habeant: & omnia denique munera, onerave parochialia, quę ceteris parochis impoſita ſunt, pręſtent omnino.

Curatas eccleſias, quę regularium monaſteriis, etiam ubi abbas generalis domicilium, ſedemque ordinis primariam habet, unionis jure adjunctę ſunt, epiſcopus ex Tridentini concilii decreto, ſeſſione ſeptima, capite ſeptimo viſitet.

Viſitationis munus ad Dei honorem, animarumque ſalutem utiliter inſtitutum, quo fructuoſius pręſtetur, maxime videbitur expedire, ut antequam ab eccleſia, plove loco, cujus viſitatio agitur, diſcedatur, decreta, eaque pręſertim, quę de ſtructura, ſupellectilive eccleſiaſtica, conſtituta erunt, rectori, aliive cujus intereſt, relinquantur, ut quam primum fieri poteſt, diligenter inducantur in executionis uſum. Atque in eo quidem genere decretorum, quę de illius vel fabricę, vel ſuppellectilis ratione ſunt, cum in inſtructionibus, ea ipſa de re ex provinciali decreto editis forma pręſcribatur, non multum temporis ponetur.

Si quę vero, utpote de legatis & aliis ejuſmodi cauſis cognoſci oportebit, de iis, loci etiam viſitatione confecta, ſtatui, decernive poterit, decerni, quam ex ipſa plebe, vicariive regione abeatur, ſi diœceſis locorum viſitatio fit.

Atqui in decretis non erit generatim, ſed ſigillatim, & quantum fieri poſſit, diligenter ſtatuendum, & a quo cujus ſumptu, & quo temporis ſpatio quidquam fieri, pręſtarive oportebit, & quę pręterea pœna negligentibus, aut contumacibus erit irroganda. Et vero ſi quę in decretis exequendis difficultas, vel controverſia videbitur oriri poſſe, curandum erit ut planę tollatur. Verum hac ſalutari diligentia videat epiſcopus, ne in viſitando tempus, niſi neceſſario, protrahatur ad majorem cleri, vel populi, vel eccleſiarum ſumptum.

Nec propterea tamen vetitum ſit, quo minus aliquorum decretorum confectionem, vel editionem differre diutius poſſit, ſi ita pro difficultate rei, aliave ratione opus eſſe, aut expedire judicaverit.

Viſitationis autem decretorum exempla ſemel primum gratis omnino, etiam quod ad ſcriptionem attinet, edantur iis ſingulis, quibus pro executionis uſu edi, exhiberive oportet, iterum etiam atque adeo ſępius itidem gratis ut ſupra edantur, ſi quę jam edita ſunt, aliquo modo, ſine eorum culpa tamen, amiſſa, deperditavę ſunt.

Quę porro decreta, cum primo eduntur, in libro, bene confecto, accurate, recteque exſcribantur. Iſque liber in ſacriſtia eccleſię, aliove decenti, tutoque loco aſſervetur.

Subſcribet præterea manu ſua iiſdem decretis in eo libro epiſcopus, vel qui ejus nomine viſitavit, vel cancellarius, vel notarius viſitationis. Ejuſdem vero cancellarii erit, publicis tabulis notare, in actaque viſitationis referre, quo die ſingula decreta, ordinationeſve ſingulæ editæ ſint.

## XI.

### *De epiſcopo, epiſcopali juriſdictione & foro.*

Quod de epiſcopo hoſpitio excipiendo [a] Clemens pontifex & martyr apoſtolica quadam conſtitutione ſcribit, & beatus Ambroſius ſtudioſe ſervavit, id epiſcopi provinciæ noſtræ ad uſum revocare ſtudeant, ut epiſcopum, qui aliunde venerit, benigne hoſpitio accipiant; cum eoque agant, ut die feſto, ſi permanſerit, ſermonem in primis habeat. *Eſt enim*, inquit idem Clemens, *hoſpitis hortatio grata, atque utilis*. Hoc præterea, etiamſi ille renuat, facere cogant ſancta quadam vi caritatis, ut populo benedicat.

[a] Lib. II. conſtitutionum apoſtolicarum S. Clementi papæ adſcriptarum cap. 58. ſupra Tom. I.

Si quando contigerit, vel legatum pontificium, vel cardinalem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, vel metropolitanum hujus provinciæ adventare, aut divertire in aliquam provinciæ diœceſin, aut in ea diutius etiam commorari, tunc epiſcopus diœceſanus cum ei obviam prodit, aut congreſſum, colloquiumve cum eo habet, aut denique in ejus conſpectu præſens, ſive publice, ſive privatim adeſt, ne rochetum detectum ferat, ſed ſuperiori veſte contegat. Eumdem honorem tribuat, deferatve apoſtolico ſuæ eccleſiæ viſitatori, & illi item, qui in ea regione internuntius apoſtolicus eſt.

Si quando aliquem ex coepiſcopis noſtris in belli, famis, peſtis, aut alias ejuſmodi neceſſitates, aut difficultates, quas Deus pro ſua pietate prohibeat, publice vel privatim incidere contingat, reliqui provinciæ noſtræ epiſcopi opem illi afferre ne differant tum oratione & publicis ſupplicationibus, tum eleemoſynarum, ut quiſque poterit, largitione.

Tum omnem etiam aliam rationem quiſque ineat, qua fratris epiſcopi, ac ejus etiam populi laborantis calamitatibus large, atque opportune ſuccurratur;

Sacroſancti concilii Chalcedonenſis canon jubet, ab epiſcopo œconomum deligi, & conſtitui, qui eccleſiæ cathedralis prædia, bona, reſque de illius ſententia, & arbitrio adminiſtret, ut non modo illa non diſſipentur, ſed teſtis ſit rectæ adminiſtrationis ac diſpenſationis.

Act. 15. can. 26.

Id ut a provinciæ noſtræ ſingulis epiſcopis ſervetur, hoc decreto ſtatuimus; nec vero ſolum quo diligentius bonorum eccleſiæ rectę adminiſtrationi ad illius concilii præſcriptum conſuletur, verum etiam quo ſtudioſius epiſcopus, cum cenſus, ſupellectilis, bonorumque eorum curatorem, adminiſtratoremque habuerit, in rerum ſpiritualium officiis, quæ epiſcopalis muneris propria ſunt, ipſe omni cogitatione, totoque animo incumbat.

Eum vero œconomum, vel, ut alio canone cavetur, vicedominum conſtituat epiſcopus, non laicum, neque ſibi cognatione, affinitateve, aut favore conjunctum, ſed eccleſiaſticum hominem: qui & de clero ſuo, & vero, ſi talem, qui idoneus ſit, habere poteſt, diaconatu initiatus ſit, quique in eo adminiſtrationis genere & recte & perite verſari poſſit.

Concil. Tolet. IV. can. 47.

Cujus adminiſtrationis rationes in codicem certum recte, ordineque relatas, tertio quoque anno ad concilium provinciale epiſcopus afferat, atque exhibeat, ſolicitę pro conſcientiæ ſuæ religione, totius illius diſpenſationis rationem in eodem concilio redditurus.

Ne prælatus exemptus, etiamſi epiſcopus ſit, in alienam diœceſin, intra cujus fines eccleſiam

quo

ANNO CHRISTI 1579.

quomodocumque exemptam obtinet, quæ jam inde etiam ab immemorabili uſque tempore juriſdictionem ſpiritualem babet, alium epiſcopum inducat, neque ad ſacrum oleum conficiendum, neque ad chriſma miniſtrandum, neque ad conſecrandam eccleſiam, neque ad alia pontificalia munera obeunda, exercendave: nec vero ipſe illa ipſa officia, munerave miniſtret, aut exerceat ſine epiſcopi diœceſani conceſſu.

Ne item prælatus inferior, etiam exemptus, in eccleſia, locove ubi juriſdictione ſpirituali utitur, epiſcopo extraneo poteſtatem faciat miniſtrandi pontificalia munera.

Regulares, quibus ex privileglo jus competit conſervatores eligendi, ad quos in judicium vocentur, quos ſemel delegerint, ne mutent; eorumque præterea nomina, menſis ſpatio, epiſcopo diœceſano ſignificent: alioquin ad epiſcopale forum in jus illos vocari liceat.

Quibus in actionibus, aut deliberationibus œcumenicis, ſynodo Tridentina, aut provincialibus conciliis conſtitutum eſt de capituli, clerive conſilio aliquid agendum eſſe, non propterea tamen illud ſequendi neceſſitatem ſibi impoſitam eſſe epiſcopus exiſtimet, niſi in iis tantum, de quibus id ſpeciatim, nominatimque cautum eſt.

Quoties epiſcopus, etiam tamquam ſedis apoſtolicæ ex decretis concilii Tridentini delegatus, ſententiam in iis cauſis tulerit, in quibus ante concilium, tamquam ordinarius, eadem juriſdictione, poteſtateve uti poterat; ſi ab illius ſententia ad metropolitanum appellabitur, non propterea, quia alia ſententia tamquam a ſedis apoſtolicæ delegato pronuntiata eſt, a metropolitani juriſdictione ſubterfugiatur, ſed appellationis cauſæ cognitio omnis libere eidem permittatur.

Seſſ. 14. c. 10. de ref.

Quod concilii Tridentini decretis ſancitum eſt, ut in viſitationis, correctionis, habilitatis, inhabilitatis, & criminum cauſis ab interlocutoria ante diffinitivam ſententiam, aut ab alio quocumque gravamine ne appelletur; ita omnes, ad quos pertinent, id exequantur, ut non modo appellationi non deferatur; ſed neque metropolitanus, ad quem appellatum eſt, ante diffinitivam ſententiam cognitionem gravaminis ſuſcipiat, adhibeatve: ita ut ne ſimpliciter quidem mandet, acta cauſæ ſumptibus appellantis mitti. Ubi vero ſententia diffiniens lata eſt, quæ ad cauſas viſitationis & correctionis pertinent, appellari liceat; ita tamen, ut illius executionem non retardet, impediatve appellatio. Quod ſi de gravamine agitur, quod per appellationem a diffinitiva reparari nequeat, quale eſt gravamen indebitæ carcerationis, tunc appelletur licet, & appellatione plane differatur: Nec vero prohibeatur, quo minus acta cauſæ ad judicem appellationis deferantur. Interea vero idem, cujus cauſa agitur, in carcere permaneat, quoad cauſa cognita judex, ad quem appellatum eſt, aliter juſſerit, decreveritve. Si vero cauſa correctionis eſt, utpote, cum quis inique in carcerem ſe conjectum eſſe, aut diutius in eo fuiſſe conqueratur, & ad metropolitanum propterea appellet; de prætenſo exceſſu is cognoſcat licet, dummodo quæ ordinarius judex decreverit, eorum executio interea non impediatur.

Ut apud judicem eccleſiaſticum omni ſinceritate judicia exerceantur, ſtatuimus atque edicimus, illum non ſolum litis principio, ſed in omni ejus parte, cum expedire cenſuerit, atque ex officii ſui munere, tam ab actore, quam a reo calumniæ jusjurandum exigere poſſe.

Jusjurandum, ſicut vinculum iniquitatis eſſe non debet, ita ejus relaxatio, abſolutiove æquum nullo modo eſt, ut cuiquam præjudicium afferat.

Quamobrem ne cuiquam in poſterum jurisjurandi, quo aſtrictus eſt, relaxatio, abſolutiove unquam detur, niſi ad agendum tantum alias ex ſacrorum canonum præſcripto, at vero nullo modo ad excipiendum; ac præterea, ne ad agendum quidem, poſteaquam quis perjurium admiſit: a quo crimine epiſcopus abſolvit neminem.

Literæ monitionum de rebus ſurreptis, ablatiſve, ne deinceps dentur, niſi præſcriptis rationibus, quæ partim in concilio provinciali quarto explicatæ ſunt, partim in hoc enucleatius ut infra præſcribuntur.

Non ſolum excommunicationis, ut tertio concilio decretum eſt, ſed etiam interdicti, aliarumque cenſurarum vim & poteſtatem parochus iis ſermonibus, concionibuſve aliquando explicet, quos ad populum habet.

Et vero publice excommunicatos, interdictoſve, qui a ſacerdote celebrante, ut ab eccleſia exeant, nominatim moniti permanere auſerint, excommunicationis vinculo irretitos eſſe; neque ab alio, niſi a ſede apoſtolica ſolum abſolvi poſſe, oſtendat, ut Clementis quinti ſanctione cautum eſt.

Interdicta, ab epiſcopo promulgata, non ſolum, quæ univerſos, ſed quæ ſingulos etiam attingunt; ab ordine omni regularium in ſuis eccleſiis & promulgentur, & ſerventur item, ut Tridentinum decretum jubet.

Parochus cum aliquos, vel excommunicatos, vel interdictos pronuntiarit, eorum nomina, cognomina, & diem, quo excommunicati, interdictive ſunt, quamprimum ad fori epiſcopalis cancellarium deferat.

Hic vero in tabella, eo potiſſimum nomine confecta, recte exſcribat quæ a parocho acceperit.

Ei præterea tabellæ, quam in cancellaria diligenter certo loco aſſervet, addat, detrahat; quidquid in dies ſingulos addi, detrahi, mutarive acceperit.

Item de clericis, qui vel ſuſpenſionis cenſura affecti, vel exilio mulctati ſunt, accurate etiam ſervet cancellarius, notato tempore, quo in ea ſuſpenſionis cenſura, aut in exilio permanere decretum eſt.

Quo diutius in excommunicationis, interdictive cenſura aliquis permanſerit, cum abſolvitur, eo graviori pœnitentia afficiatur.

Judiciorum, cauſarumque forenſium, tum etiam omnium literarum, expeditionum formula, quæ ad fori epiſcopalis rationem, recte inſtituendam, & tuendam, quæque ad depravatos uſus tollendos pertineat, concilii hujus auctoritate per nos conſcripta, cum in lucem emittetur, in omni epiſcopali provinciæ tribunali accurate, diligenterque ſervetur.

Illud præter cetera munus epiſcopi, ut in ſuo epiſcopali foro univerſis & ſingulis jus gratis reddatur.

Quamobrem præter id, quod alio concilio provinciali de muneribus, & donis cavimus, hoc decreto ſtatuimus, in ordinariis cauſis nihil quidquam, vel minimum, ne ſportularum quidem nomine, nec a ſponte etiam dantibus, aut ullo quovis modo a judice illius fori accipi licere.



ANNO CHRISTI 1579.

Si quis acceperit, pœnam, lege Julia repetundarum ſancitam, ipſo facto ſubeat.

Nemo quiſquam neque vicarius, etiam foraneus, neque procurator, advocatuſve fiſci epiſcopalis, neque auditor, nec vero alius, qui in familia, famulatuve epiſcopi ſit, cauſarum, quæ in epiſcopali foro aguntur, procurationem, defenſionem, ac patrocinium, nec nomine, ne re ipſa ſuſcipiat, agatve, præter illas, quas debet pro ſuſcepti officii munere, & quas præterea pias cauſas epiſcopus, ab illo ſuſcipi, agive juſſerit. Nec vero quiſpiam eorum patiatur, famulos ſuos in eo epiſcopali foro cauſas non modo agere, ſed ne commendare quidem, minus vero quidquam, vel minimum operæ ponere, quo præjudicium, damnumve cuiquam inferatur.

Neque præterea ipſi vel fori epiſcopalis miniſtri, vel epiſcopi familiares in cauſarum commendatione auctoritatem ſuam interponant: niſi ii ſint, quibus pro muneris ſui ratione diligenter curandum eſt, ut lites, controverſiæ, & cauſæ præſertim miſerabilium hominum, quam celerrime & rectiſſime in primis definiantur.

Illud maxime expedit, cum omnique ratione conſentiens admodum eſt, ut vicarii epiſcopales, quoad ejus fieri poteſt, alienæ potius diœceſis, quam illius ſint, ubi commiſſum vicariæ curæ officii munus obire, atque exequi debent. Sæpe enim fit, ut cum juſtitiæ quaſi oculis tenebras cognatorum, affiniumve illa innata vis offundat; tum gratia, metuque eorum, quibuſcum vixerunt, vivendumque deinceps eſt, etiam boni, conſtanteſque viri ab æquitatis norma, rectaque via facilius deflectant.

Si præterea id vacarii officium eis committitur, qui in aliqua eccleſia perſonalis reſidentiæ munus ſuſtinet, id incommodi, quod permulti intereſt, manifeſto exiſtit, ut non facile, neque cumulate, uti par eſt, utriuſque muneris partes expleat, atque exequatur.

Quare epiſcopus, cum alia via, rationeque in eo vicario munere ſibi, ſuæque eccleſiæ recte conſulere poteſt; videat, ut ne illius generis viros ad illud adhibeat.

Ne epiſcopi vicarius, miniſterve, judicandi officium, parteſve ab eo commiſſas, ante aggrediatur, ſuſcipiatve, quam eidem jusjurandum præſtiterit ad formulæ conceptæ præſcriptum.

Piarum voluntatum executio, bonorumque eccleſiaſticorum defenſio omnis, jure canonum, eccleſiaſticiſque conſtitutionibus, epiſcopique curæ, fidei commiſſa eſt.

Quamobrem is vel cathedralis eccleſiæ canonicum, vel alium eccleſiaſticum hominem arbitratu ſuo conſtituat, qui idoneus earum piarum cauſarum patrocinium ſuſcipiat, atque agat.

In earum curam delectus ab epiſcopo protector incumbat ſtudio diligenti, ut & voluntatibus piis ſatisfiat, & bona eccleſiæ recuperentur, & locis, operibuſve piis fraus nulla, vel minima, quoad ejus fieri poteſt, adhibeatur.

Præcipue autem in eo evigilet, ut piarum cauſarum advocati, & procuratores ne officio uſquam deſint, quod earum procuratio, ac defenſio ipſis commiſſa depoſcit.

Singulis hebdomadis, ſemel ad minimum, & procuratorem fiſci epiſcopalis, & illos convocet, quibuſcum deliberationem, rationemque omnem, ut diligentiſſime poteſt, ineat, tum de piis legatis exequendis, tum de eccleſiæ bonis recuperandis atque tuendis.

Quæ vel ab ipſis advocatis, procuratoribuſve, vel ab aliis, quorum intereſt, in dies ſingulos, prout uſuvenit, exponi ſolent, ea ſtudioſe attenteque audiat: ſi quæ vero cognoverit in eo ſtatu verſari, ut neceſſe habeant aliquo officio adjuvari, aut tandem ad exitum perduci, is omni ſtudio, etiam pro officii ſibi commiſſi munere, videat, ac procuret opportuna ad rem adjuvandam conficiendamve remedia.

Quamobrem, & vicarium generalem, & aliquando epiſcopum, & judices alios, quibuſcum agendum eſt, toties adeat, quoties adjumento opus erit ad cauſam.

Sit etiam fori epiſcopalis carceris protector unus e canonicis eccleſiæ cathedralis, vel alius eccleſiaſtici ordinis vir: quem ſecundo quoque anno, aut breviori temporis ſpatio, prout maluerit epiſcopus, ei curæ, protectionive præficiat: rurſuſque ab illo munere libere amoveat, etiam ante præfinitum tempus pro arbitratu ſuo.

Ejus officium erit, exquirere diligenter, ac ſimul curare, ut advocatus, procuratorve pauperum, ſatellites, & cuſtodes carceris muneri ſuo ne in aliqua re deſint, neve quidquam committant, quod iis, qui in cuſtodia ſunt, fraudi damnove eſſe poſſit.

Inveſtiget præterea ſolicito, diligentique ſtudio, quæ illorum cura adhibeatur, cum in primis ad animæ ſalutem, tum etiam ad corporis ſuſtentationem: & quæ vero de toto eo genere in concilio provinciali primo, & ſexto cauta ſunt, an præſtentur quam rectiſſime: & quid denique officii erga ipſos ſinguli ii præſtent, quibus commiſſum eſt.

Cauſæ item eorumdem, & quamcelerrime fieri poteſt, recte, cum æquitatiſque ratione congruenter diffiniantur, etiam atque etiam ſtudioſe videat ac procuret.

Singulis hebdomadis ſæpe, vel minimum bis, unumquemque, qui in carcere eſt, inviſat. Ac ſi qui ſunt, qui arctiori ſecretiorive cuſtodia incluſi tenentur, eos item viſitatum eat: ſed hoc omne officium, vicario conſentiente, eodemque præſente, aut procuratore fiſci epiſcopalis, aliove, quem idem vicarius maluerit; ſi ita magis expedire cenſuerit, ipſe præſtet, nec vero alias.

Carceris item cuſtodes ſæpius per hebdomadam adhibeat, quibuſcum agat quæcumque non ſolum ad mores corrigendos, ſed ad vitam ſuſtentandam, neceſſitateſque ſublevandas eorum pertinent, qui in vinculis, cuſtodiave ſunt. Ac proinde libenter, benigneque audiat, quæ quotidie ſibi eo de genere ab illis exponentur: & quibus opus eſſe viderit ut conſulatur ac provideatur; in iis omnes curæ ſolicitudiniſque partes, ut oportebit, quam diligentiſſime præſtet.

Si porro vel univerſos, vel ſingulos, qui in carcere ſunt, ita ſe male gerere perſpexerit, ut correctione, monitioneve opus habeant ad morum diſciplinam, eos prout opportunitas tulerit, & monere, & hortari, & objurgare, & corripere ne deſiſtat.

Si vero alios muneri ſuo deeſſe, aut in eo peccare animadverterit, cum illos ſui officii, atque adeo errati moneat in primis, tum ſi opus erit, ob eam cauſam epiſcopum, aut vicarium generalem adeat, cujus auctoritate malorum pertinaciæ occurratur.

XII.

## XII.

*De procuratore fiſci epiſcopalis.*

Eam curam, atque adeo cogitationem procurator, advocatuſve fiſci epiſcopalis ſuſcipiat, ut ſibi putet procurationis munus commiſſum eſſe in inquirenda veritate criminis, de quo agitur; ideo ne eo unquam abutatur ad innocentes opprimendos, neve item cauſam & occaſionem præbeat, ut calumniis quis vexetur, atque exagitetur.

Ne ullam criminis cauſam ſuſcipiat, procuretve, quam calumnioſam eſſe noverit: ſed cum vel calumniæ, vel rei delati innocentia conſtiterit, ſtatim ab ea cauſa deſiſtat.

Evigilet item una cum vicario, ac ſine eo etiam, ut collateralis, & ſatellites, ne quidquam vel minimum extorqueant.

Teſtes pro informatione curiæ, & ſancti officii inquiſitionis ipſo per ſe, etiam vicario non præſente, aut de illius tamen mandato excipiat licet. Iis præterea, quæ de teſtibus etiam ad defenſionem cauſæ adhibitis, inſtituentur, quæſtionibus adeſſe poſſit: nec vetitum ſit, quin & judici quæſtiones, interrogatave, quæ ad cauſam pertinent, in mentem revocet, atque adeo ſuggerat: & teſtes etiam ipſos, ſi modo judici placuerit, interroget: imo vero reos item, at ipſo tamen judice præſente.

Denuntiationum quoque, quæ de rebus, pie legatis, relictiſve, in dies ſingulos fient, indicem a cancellario apud ſe habeat.

## XIII.

*De præfecto reformationis, tribunalis, & taxarum.*

Epiſcopus ſingulis annis, aut ſecundo quoque anno, eccleſiaſticum virum decernat, qui certis illis legibus exequendis præſit, tum provincialibus, tum epiſcopalibus, quæ ad rectum fori eccleſiaſtici uſum, rectamque forenſium cauſarum normam, tum ad certam taxæ rationem, omnemque denique judiciorum conformandam diſciplinam pertinent.

Is, quæcumque de omni eo genere ſancita ſunt, omni cautione videat, ut ab iis, quorum intereſt, plane ſerventur, & in morem quam diligentiſſime fieri poteſt inducantur.

Cauſarum acta & codices item, in quos ſolutiones ſigillatim relatæ ſunt, de improviſo inſpectet, quo facilius comperiat, ſi quid culpæ in taxæ præſcriptæ ratione contrahatur. Si vero præ quæſtus cupiditate cancellarius, notariuſve plus pecuniæ quam præfinita taxæ ratio poſtulat, ejuſque tabella oſtendit, ab ullo unquam exegerit, id totum eidem reſtitui jubeat.

Et vero qui in eo genere deliquerint, pœnis etiam illos affici ab epiſcopo, vicariove procuret. Ad epiſcopum præterea illorum nomina deferat, quos in illis exequendis, quæ ſibi præſcripta ſunt, muneri ſuo deeſſe aliquo modo animadverterit.

## XIV.

*De cancellario, & notariis.*

Maxime intereſt, non modo eum, qui officium tanti ponderis, tamque valde cum epiſcopali cura conjunctum gerit, quale eſt cancellariæ epiſcopalis munus, ſed illos etiam qui vel ſubſtituti nomine operam ſimul in eo ipſo munere ponunt, vel in cancellariæ ſcriptorum numero cenſentur, cum ab omni alio negotio expeditos eſſe, quo attentiores ſint ad operam, curamque ſuſceptam, tum maxime vacuos, ac plane liberos ab omni, vel minima ſuſpicione cupiditatis, pravæque affectionis, nedum corruptelæ. Quare præter ea, quæ olim hoc de genere a nobis conſtituta ſunt, hoc decreto etiam vetamus, atque interdicimus, ne eorum quiſquam ab ulla cujuſvis loci, ordiniſve univerſitate, collegio, homineque ullo, ne diœceſis quidem alienæ, qui in foro epiſcopali cauſas, lites & negotia, cujuſcumque generis ſint, duobus ante annis habuit, aut jam nunc habet, aliquod, vel minimum, donum, munuſve, etiam ſponte oblatum, ac ne rem quidem eſculentam, quæ ſtatim conſumi poſſit, accipere directe aut indirecte, ullove modo poſſit.

Ne præterea in eo foro eccleſiaſtico, vel in alio, lites, cauſas, negotiave cujuſquam ſuſcipiat, neque agat, nec vero diſpenſationes, neque alias ejus generis actiones, expeditioneſve perſequatur, procuretve, niſi officii, quod geritur, ratio aliter depoſcit, aut epiſcopus juſſit. Qui contra fecerit, a muneris exercitatione ſuſpendatur, atque eo etiam mulctetur, aliiſve pœnis plectatur, arbitratu epiſcopi.

Ne epiſcopus quidquam, vel ſponte oblatum, ne exiguum quidem, a ſecretario, ſcribiſve dono accipi, aut capi ullo nomine patiatur; ne occaſione quidem literarum, etiam quas pro officii munere etiam privatim aliquando ſcribunt.

Hebdomadæ dies, antiquato Gentium a fide Chriſtiana abhorrentium more, non ſtellarum errantium, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris & Saturni nominibus, ſed feriæ appellatione & diſtinctione nominari, ſanctiſſimus pontifex Silveſter decreto ſancivit.

Quod cum non ſine multiplici ratione ab eo inſtitutum ſit; id provinciæ noſtræ epiſcopi curent, ut omnis eccleſiaſtica actio, qualis qualis ſit, quæ uni in ſynodis diœceſanis, vel ſacerdotalibus, clericalibuſve conventibus, vel in canonicalibus capitulis, vel in foro epiſcopali, vel ullo alio loco, temporeve celebretur, non dierum, qui illarum ſtellarum appellationem adhuc etiam vulgo retinent, nomine, ſed feriæ diſtinctione & ordine recte notetur.

Cancellarius & notarii cauſarum, tam civilium, quam criminalium acta, geſta, tabulas, inſtrumentave, & proceſſus originales, ne ullo nomine, ne inſpiciendi quidem tantum cauſa, uſquam exhibeat; niſi in proprio pluteo aut cancellariæ, archivive loco, idque ſine ulla mercede. Illa vero inde alio aſportari ne liceat; etiam de eorum conſenſu, quorum intereſt, etiamſi cui certo homini transferenda, recte ac tuto committi poſſint, præterquam judici cauſæ oſtendenda. Qui ſecus fecerit, cum ab epiſcopo plectatur gravi pœna, tum damnum reſar-





ſarciat, etiam ſi quid quiſquam eo nomine fecerit.

Et cautio cancellario & notariis adhibenda eſt, ne cuipiam alicujus cauſæ actorum, atteſtationum, ſententiæ ulliuſque ſcripturæ exemplum edant, facultate ſcripta editionis a vicario non data. Qui in eo genere deliquerit, officii amiſſione mulctetur, aliaque pœna puniatur pro epiſcopi arbitrio.

De certa taxæ ratione, forenſibus tribunalis eccleſiaſtici actionibus præſcribenda, in concilio etiam provinciali tertio cavimus: ſed quoniam nondum quidquam præſtitutum eſt, quod omnibus partibus perfectum ſit; ſex menſium ſpatium poſt ſynodi hujus provincialis editionem præſtituimus: quo tempore ſinguli epiſcopi provinciæ cauſis, negotiis, rebus & actionibus ſingulis fori ſui, certas taxæ rationes, quæ metropolitano probentur, quam rectiſſime præſtituant, ut nulli avaritiæ, cupiditatiſve ſuſpicio inde exiſtat. Si qui non fecerint, metropolitani ipſius cura ſit, intra annum totum id præſtare.

Præter alia, quæ hoc de genere olim & nunc ſancita ſunt generatim, vel ſigillatim, hoc decreto ſtatuimus quæ infra ordine ſigillatim quaſi in tabella notantur, ea ipſa ſingularum inſtrumenta, tum literas, ſcriptave a cancellario gratis & ſcribi & confici & edi. Id vero omne ut præſtetur, epiſcopus omnino efficiat, ac de negligentia, aliave culpa in concilio provinciali rationem reddat.

## XV.

*Quæ gratis in cancellaria conficienda ſunt, & etiam addenda, quod ad ſcriptionem attinet.*

Acta viſitationis, eorumque exempla; quæ iis eduntur, qui viſitant ad præſcriptum decreti hoc concilio editi.

Facultates, quarum auctoritate vicarii, miniſtrique epiſcopales decernuntur.

Literæ teſtimoniales, dimiſſoriæve de ſuſcipiendis ordinibus.

Facultas pontificalia exercendi, quæ epiſcopo, aliive aliquando conceduntur.

Atteſtationes, quibus teſtatum fit, aliquem idoneum eſſe, cui beneficium conferatur, quive ad illud inſtituatur, ſive ea collatio, inſtitutiove Romæ facienda ſit, ſive ab inferiore collatore, ſive ab epiſcopo.

Rogatus ceſſionis beneficii libere coram ordinario.

Proceſſus & de natalibus & ætate, aliiſve conditionibus eorum, qui initiandi ſunt, aut recipiendi in ſeminarium.

Inſtrumentum jurisjurandi, quod ab iis præſtandum eſt, qui beneficia obtinent.

Inſtrumentum, ac teſtimonium profeſſionis fidei, quæ a quovis præſtanda ſit.

Inſtrumentum fidejuſſionis eorum, qui in ſeminarium recipiuntur.

Mandatum de aliquo recipiendo in ſeminarium.

Facultas & probationum omnium & pertinentium ad receptionem novitiæ, vel ad profeſſionem præſtandam.

Confirmatio abbatiſſæ, ſeu prioriſſæ.

Facultates, quæcumque monialibus earumve monaſteriis conceduntur.

Facultas ingrediendi monaſteria.

Facultas accedendi ad monialium loca collocutionibus præfinita.

Facultas erectionis, inſtitutioniſve confratriæ, ſcholæve.

Confirmatio regularium alicujus ſcholæ, confratriæve.

Scriptum, quo ſcilicet certæ eccleſiæ, ſcholæve quis adſcribitur.

Approbatio ludimagiſtri.

Literæ dimiſſoriæ, teſtimonialeſve.

Facultas abſentiæ cauſa ſtudii.

Facultas eleemoſynam colligendi.

Facultas faciendi ſepulcrum.

Facultas abſolvendi a caſibus reſervatis.

Facultas celebrandi ubique, vel certo loco.

Facultas prædicandi.

Facultas audiendi confeſſiones.

Literæ indulgentiarum, vel earum ſummæ.

Teſtimonium conſecrationis, reconciliationis eccleſiæ, cœmeterii, altarium & campanarum.

Conſtitutio coadjutoris.

Reductio miſſarum, & de commutatione piorum operum.

Facultas abeundi extra fines diœceſis, vel peregrinandi.

Literæ quæ pro officii munere quavis de cauſa ad parochos, vicarios foraneos, alioſve ſcribuntur.

Executio literarum gratioſarum protonotariatus & equitum: harum tamen literarum cauſa ſcripturæ merces capiatur, & ſi quid preterea epiſcopus conceſſerit.

Proceſſus & acta omnia, quæ conficiuntur ad [illegible] perquirendam.

Itidem de iis, quæ conſcribuntur ad ſacrarum reliquiarum veritatem indagandam.

Facultas aſportandi cadaver de loco ad locum.

Exempla editioneſve decretorum, ordinationum, ſtatutorum, preceptorumve, quæ epiſcopus, aut ejus vicarius ex officio confecerit, ſervarique mandarit.

Conſtitutio vicarii in quavis eccleſia ad tempus.

Diſpenſationis & proceſſus de defectu natalium, irregularitate, vitio aut defectu corporis, etiam auctoritate ordinaria.

Inſtrumenta & ſcripta, quæcumque pro menſa epiſcopali & capitulo conficiuntur, quæ item ſeminarii cauſa fiunt, ita tamen, ut hoc decreto, ſolutionis immunitate, capitulum & ſeminarium dumtaxat fruantur. Clerici vero, aliive, ad quorum cauſam, commodumve illa ſcripta, inſtrumentave interſunt, quive earum exempla ſibi edi petunt, a ſolutione immunes ne ſint.

Literæ & expeditiones, quæcumque conficiuntur nomine rerum mere ſpiritualium.

Expeditiones, quæcumque pro pauperibus, vel miſerabilibus hominibus, de quorum egeſtate, aut neceſſitate epiſcopi, aut vicarii judicio conſtet.

Literæ preterea & expeditiones omnes aliæ, quas gratis dandas epiſcopus cenſuerit.

Diſpenſationes & facultates, quæcumque ex decretis, vel provincialibus, vel diœceſanis, aut eorum occaſione dantur.

De emolumentis cancellariæ epiſcopalis, quam concilio provinciali primo, vendi, locari, eorumve nomine quidquam perſolvi vetitum eſt, nihil prorſus utilitatis privatæ ad epiſcopum, ejuſve menſam, aut vicarium, neque ad alios, præterquam ad cancellariam, cancellariumve, cete-

ANNO CHRISTI 1579.

ceteros ejuſdem cancellariæ miniſtros, perveniat. Qui aliquid etiam a ſponte dantibus perceperit; tum in conſcientiæ foro ne uſum faciat, ſed pauperibus loci erogare omnino debeat; tum quadruplo mulctetur, quod vel in eccleſię inſtaurationem, vel in ſacriſtiæ uſum erogetur.

## XVII.

### *Quæ ad matrimonium pertinent.*

Matrimonium cum ſacramentum ſit, & maxime liberum, ſi quæ municipales leges, ſtatuta, decretave ſunt, quibus huic ſacramento, ſanctæque illius libertati contra ſacrorum canonum, & conciliorum pręſcriptum ullo quovis pacto impedimentum afferatur; eas irritatas, reſciſſas, ac plane nullas decernimus, ac declaramus.

Omnibus vero, quacumque etiam dignitate, poteſtateque prȩditis, interdictum jam nunc perpetuo ſit, ne earum etiam legum, ſtatutorum, decretorumve auctoritate, nec vero alia quavis ratione quidquam ſtatuant, decernant, jubeant, agantve, quo matrimonii libertas ullo pacto, neque directe, nec vero indirecte lædatur.

Qui contra fecerit, pœnas & cenſuras conciliorum, & canonum jure ſancitas ipſo facto ſubeat. Epiſcopus vero, ubi probabilem pro ſua conſcientia ſuſpicionem habeat de puellę minus libera voluntate, tum exquirat rem diligentiſſime; tum prȩterea, ſi opus eſſe cenſuerit, illam certo loco tuto, ac honeſto collocet, ubi illa eidem proferat, & explicet liberius ſuam voluntatem, qualis vere ſit.

Matrimonii denuntiationes, quas aliquando ab epiſcopo remitti conſtitutione Tridentina permiſſum eſt, eis videat, ne ob aliam cauſam, quam ea ipſa conſtitutione cavetur, remittat; cum ſcilicet ordinarii judicio veriſimilis ſuſpicio eſt, matrimonium malitioſe impediri poſſe. At vero ſi hęc cauſa non ſubeſt, quamobrem illas remittat, ea certe ſola, quod inſtat ſacri adventus, quadrageſimęve tempus, neque neceſſaria eſt, nec vero cum ratione conſentiens, cum prȩſertim eo ſacro tempore, qui jam matrimonio juncti ſunt, ab illius uſu abſtinere potius conveniens ſit, nedum ſponſos una conjungi.

Sess. 24. c. 1. de ref. matrimonii.

Illas vero ab epiſcopo, cum præſens in urbe, vel diœceſi adeſt, ſolum remitti deinceps liceat, ab alio præterea nemine, ac ne a vicario quidem generali.

Matrimonii futuri denuntiationibus in eccleſia de more factis, ſi forte hoc accidit, ut illud duorum menſium ſpatio poſt non contrahatur, ne idem antea parochus celebret, quam iterum denuntiationes ex concilii Tridentini præſcripto fecerit, edixeritve, ſi modo aliud epiſcopus non concesserit.

Parochus, quorum matrimonium ex concilii Tridentini præſcripto publice ter denuntiaturus eſt, eos primum gravi cohortatione diligenter moneat, ut cum ad illud ineundum, jejuniis, orationibuſque ſe parent; tum etiam, ut eo rite celebrato, ſacerdotalique benedictione a proprio parocho accepta, orationi frequentiori interim vacantes, triduo abſtineant pro reverentia: ſicque contra ſpirituales nequitias, & carnis pro[illegible] castitatem ſancte [illegible], fidemque, & gratiam Dei ex eo ſacramento uberiorem ſibi comparare ſtudeant.

ANNO CHRISTI 1579.

Si qui ætate etiam legitima, & parocho præſente, teſtibus duobus adhibitis, & notario item, jurati ſpoponderunt, ſe matrimonium inituros, ac deinde non contracto legitime per verba de præſenti matrimonio, copulationem inter ſe inierunt; eorum matrimonium nullum ab epiſcopo declaretur, ac decernatur. Id vero ne accidat, parochus quamſæpiſſime populum, ut opus erit, moneat, ad præſcriptum concilii Tridentini.

Eos præterea, qui ita contraxerint, graviter pro arbitratu ſuo epiſcopus puniat. Quod ſi iidem poſtea de præſenti matrimonium contrahere velint, ne prohibeantur, modo ſerventur, quæ ad Tridentini concilii præſcriptum ſervari oportet, ſi nullum aliud inſit legitimum impedimentum.

Caveat parochus, ſi quando ſponſalibus interſuerit, ut ne de præſenti, ſed de futuro matrimonio illa contrahantur, ſicque propterea verborum formula dilucide concipiatur, ut de eorum ſenſu nulla deinde quæſtio, difficultaſve oriatur.

Parochus, quos ſponſos experiundo viderit doctrinæ Chriſtianæ rudimenta plane ignorare, ne matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratione cognorit, didiciſſe quæ eo de genere illos plane ſcire oportet:

Qui teſtibus adhibitis, at ſine parocho, aliove ſacerdote, cui is, vel ordinarius facultatem dederit, matrimonium de facto contraxerint, ne eos cogi liceat, ut denuo inter ſe contrahant, nec rurſus eo nomine impediri, quo minus eorum unuſquiſque cum aliis libere contrahat, cum illud eorum factum, ne ſponſalium quidem, nedum matrimonii vim habeat.

Qui quarto, & quinto affinitatis, conſanguinitatiſve gradu juncti ſunt, cum inter ſe matrimonium, non impetrato diſpenſationis beneficio, libere inire, contrahereve poſſint, ne a parocho, aut ab alio quopiam in poſterum impediantur, quo minus libere contrahant, ſervatis regulis, Tridentina ſanctione præſcriptis.

Parochus, cum matrimonium celebrare voluerit, moneat contrahentes, propoſitam eſſe pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, ultra alias pœnas a jure inflictas in eos, qui in gradu prohibito conſanguinitatis, vel affinitatis matrimonium contrahere ſcienter præſumpſerint, ac eos omni ſpe conſequendæ diſpenſationis carere, ex præſcripto concilii Tridentini.

Eadem sess. c. 5.

Epiſcopus vero ſevere animadvertat in eos, qui divino timore poſtpoſito in ſuarum periculum animarum ſcienter hujuſmodi conjugia prohibita, etiam ex cauſa fornicationis, quod frequentius accidere ſolet, inire ſub ſpe forſan futurę diſpenſationis prȩſumpſerint; ac ſtatim illos, quos ei conſtiterit taliter contraxiſſe, adhibita ſeparatione ex concilii Viennenſis præſcripto excommunicatos publice denuntiari jubeat, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem, abſolutionis obtinere beneficium mereantur.

Irritum nullumque ab epiſcopo matrimonium declaretur, quod a parocho loci, ubi illud fit, non ab eo, qui parochus proprius eſt contrahentium, celebratur.

Tridentina œcumenica ſynodus illud epiſcopi diligentiæ quamdiligentiſſime commendavit, ut ſi quæ vel hominum vitio, vel temporum injuria corruptelæ in nuptiis celebrandis irrepſerint, illæ [illegible]citus extirpentur. Atque eo quidem vehementius in ejuſmodi curam incumbendum eſt, quo gravius, atque adeo ſæpius in illis peccatur; Qua-



ANNO CHRISTI 1597.

Quare ad nuptias matrimoniaque impedienda, vel dirimenda eo cum ventum ſit, ut veneficia, faſcinationeſve homines adhibeant, atque uſque adeo frequenter id ſceleris committant, ut res plena impietatis, ac propterea gravius deteſtanda: itaque ut a tanto, tamque nefario crimine, pœnæ gravitate deterreantur, excommunicationis latæ ſententiæ vinculo faſcinantes, & venefici id generis irretiti ſint. Quam ipſam pœnam etiam illos ſubire decernimus, ſi qui in illis ſolvendis verba improbata, ſuperſtitioſa, atque adeo alia, quam quæ epiſcopo primum probata ſunt, adhibuerint; cum id non ſine divini cultus offenſione maxime faciant.

Quo etiam genere pœnæ afficiantur, quicumque vel ſuaſerint, vel mandarint, vel conſenſerint.

Ne quis, cujuſcumque gradus, conditioniſve ſit, ſtatis temporibus, quibus nuptiarum ſolennitates celebrari interdictum eſt, domum ſponſam traducat, aut nuptialia convivia celebret, aliave ejus generis vetita agat.

Qui autem, vel per ſe, vel alium contra fecerit, aut ejus culpæ quovis modo particeps fuerit; is pœnam interdicti ab ingreſſu eccleſię ipſo facto incurrat: eamque pœnam illum tamdiu ſuſtinere volumus, quoad ſponſi, epiſcopi juſſu ſeparati, meritas pœnas pro eorum conditione dederint, arbitrio ejuſdem epiſcopi, & interdicto liberati ejuſdem judicio meruerint.

In diſpenſationibus matrimonialibus, dotis non competentis cauſa conceſſis, ſi modo eo loci, ubi mulier, de cujus matrimonio agitur, habitet, virum pari, æqualique conditione non inveniri vere conſtet, qui ſibi cognationis, affinitatiſve vinculo conjunctus non ſit, progrediatur epiſcopus ad exequendam ejus generis diſpenſationem, etiamſi in locis finitimis aliqui eſſent, qui nullo gradu cognationis affinitatiſve juncti, eam cum exigua dote in matrimonium ducerent.

Satis enim eſt, in eo municipio, locove, ubi mulier eſt, diligentiam matrimonii contrahendi adhibitam eſſe.

Pro diſpenſationum matrimonialium executione nihil quidquam prorſus muneris, præmiive, etiam ſponte oblati, ac ne pro labore quidem, qui in teſtibus ea cauſa examinandis, aliiſve teſtificationibus excipiendis, ponitur, epiſcopus aut vicarius ejus capiat.

Notarii vero pro examine teſtium, quartam dumtaxat partem aurei ad ſummum capiant licet.

Ubi certus locus meretricum habitationi prȩfinitus, conſtitutuſque eſt, cum extra ejus fines eas habitare non liceat, ſi quis cuiquam earum alio, quam præſtituto eo loco, domum, domiciliumve locarit, excommunicationis pœna contra eum agatur.

Proſtitutas feminas, meretriceſve in cauponis, diverſoriis, ganeiſque ad quæſtum alere, cum id & gravi Dei offenſione, & magno animarum detrimento, & diſciplinæ Chriſtianæ injuria fiat, hoc decreto prohibendum cenſuimus.

Quare ne quiſquam vel caupo, vel tabernarius, vel qui cœnaculariam facit, illas in ipſis cauponis, ac diverſoriis habeat, alatve ad turpem quæſtum.

Qui contra fecerit, poſt hujus decreti promulgationem, in ejus parochiali eccleſia factam, tamquam is, qui in ſtatu damnationis notorie verſatur, præmiſſa monitione, interdicti pœna afficiatur, & aliis præterea etiam gravioribus arbitratu epiſcopi.



ANNO CHRISTI 1597.

Parochi ſinguli, quam maximam poſſunt, in eo ſolicitudinem, perſuadendique ſtudium adhibeant, ut omnem luxum, cincinnorum ornatum, inaures, quod ſignum diaboli ſanctus Auguſtinus nominat, fucum, & veſtes in primis, quas caudatas dicunt, parochiæ ſuæ mulieres omnino deponant.

Qua in re perſuadenda argumentorum vim, rationumque momenta ſibi comparent, cum ex ſancti Ambroſii patris noſtri, illarum luxum graviter exagitantis, libris, tum ex ſancti Chryſoſtomi, aliorumque patrum monimentis, in primiſque ex homilia, quam eo de genere graviſſimam vir doctiſſimus, idemque religioſiſſimus, Jacobus Vitriacus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis olim habuit.

Hoc autem omne uſque adeo ab eccleſia vetitum eſſe ille ipſe affirmat, ut ſi caudatæ ad eccleſiam accederent, ſacra communione interdicerentur.

Nulla eſt amplior hereditas, nec præclarius patrimonium quod parentes ſuis liberis relinquere, neque majus precium honeſtioremque mercedem, quam domini iis, qui ſibi in ſervitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere ac perſolvere poſſunt, quam ſi effecerint, ut boni Chriſtiani evadant; quæ virtus omni terreno theſauro multo precioſor eſt cenſenda. Quamobrem qui in aliqua domo, atque familia duces ſunt, curabunt diligenter, ut omnes, quicumque ſuo ſub imperio, & ditione vivunt, jejunia colant, divini verbi prædicationem crebro audiant, ſacramentis frequenter [illegible] & [illegible] ant; famul[illegible] diebus feſtis tantum [illegible] temporis concedere curent, ut ejuſmodi officiis vacare poſſint, ſed crebris item eos, ac paternis hortationibus excitare non deſiſtant, ne in ſtudio ejuſmodi tam ſalutari ſegniores, neque negligentiores exiſtant. In quo ſi parentes ipſi, aut domini ſuo officio in his defuerint, procul dubio expectent fore, ſibi ut ante ſeveriſſimum Chriſti domini tribunal culpæ tribuantur peccata omnia, quæ liberi, vel famuli non commiſiſſent, ſi ſuas illi partes, in hoc, aliiſque ejuſmodi decretis præſcriptas, ſibique maxime debitas præſtitiſſent. Atque id quidem multo magis timendum illis erit, qui aliquo modo impedierint, quo minus pia ſupraſcripta, & alia hujuſmodi officia perſolvantur; contra quos agat epiſcopus pro culpæ ratione.

His temporibus tanta puerorum licentia eſt, atque adeo effrenata, ut cum peccandi materiam afferat, tum diſciplinæ Chriſtianæ detrimenta importet non levia: hinc in ſcholis nimia petulantia, in eccleſiis irreverentia, turbulenta foris concitatio, atque in omni loco ſeſe efferens impudentia, & pene projecta audacia.

Quare epiſcopi, qui omni morum ſpeculationi ſancte invigilare debent, videant ne graviores offenſiones inde exiſtant: proinde & cum magiſtratibus, decurionibuſve agant, ut aliqua inita ratione ei rei occurrant; & præterea ſacerdotes aliquot vitæ probitate, caſtiſſimiſque moribus præſtantes, alioſque pios viros, & ſalutis animarum zelo accenſos deligant: qui puerorum ſcholas ſæpe inviſant, mores, & vitam eorum perquirant; in Dei timore, officiiſque Chriſtianæ inſtitutionis illos contineant, idque omne cum parentibus, magiſtris, præceptoribuſque agant. Curentque ut prius aliquis civitatis locus, piave confraternitas id oneris ſuſcipiat, quem-

ANNO CHRISTI 1579.

quemadmodum alicubi fit, ut hujus generis vagantes pueri colligantur, eorumque effrenatis moribus opportune conſulatur. Quod ſi hac non ſucceſſerit, aliam omnem, quæ ſibi potior videatur, rationem ineant, ut puerorum effrenatæ libertati, quæ multa ſpiritualia incommoda parit, rectiſſime occurratur.

Nullo vero modo patiantur, ut hujuſmodi pueri eccleſiam perturbent; quod ea maxime ratione præſtabitur, ſi parentes, vel ii ad quos id pertinet, liberos ſuos teneræ ætatis apud ſe teneant, ſecum ducant, eiſque oſtendant pie, ſuppliciterque orare, & ſacris intereſſe.

## XVIII.

### *Quæ ad ſcholas, confratrias, & ad loca pia pertinent.*

Ne cujuſvis confratriæ, ſcholæve præfectus in ſcholæ ſuæ numero quemquam doctrinæ Chriſtianæ rudem atque ignarum adſcribi permittat, cujuſcumque ætatis, aut conditionis ille ſit. Id vero curæ ſit ſacerdoti proprio illius ſcholæ, vel parocho, in cujus finibus eſt.

Ne facinoroſi homines, neve turpis vitæ, aut infamiæ labe notati, in diſciplinatorum, alteriuſve generis confratriis adſcribantur. Si qui vero jam adſcripti ſunt, ſi moniti, honeſtæ vitæ rationibus ſe non conformarint, a confratrum numero, epiſcopali auctoritate, & cura amoveantur.

Ne a diſciplinatorum, confratrumve alterius generis præfecto cuiquam, qui in confratria adſcribendus ſit, amictum, quod inſigne confratriæ eſt, dari liceat, niſi præſente parocho aliove ſacerdote, qui amictum illum ſtatis precibus benedicat. Quem amictum confratres ne unquam domi, aliove loco, ſed in ſchola aſſervent.

Qui vero e confratria aut abibunt, aut ejicientur: illum confratriæ ipſi dimittant, præfectoque ſine ulla exceptione tradant.

Laici confratres cujuſcumque confratriæ, de fidei dogmatibus ne diſceptationes, colloquia, ſermoneſve habeant. Videat præterea epiſcopus diligenter, ut in oratoriis ſuis collocutiones de iis tantum rebus inſtituant, quarum tractatio & collocutio laicalis ordinis hominibus conveniat.

Ne quidquam, quod vulgari ſermone conſcriptum ſit, in ulla cujuſvis generis confratria, ſcholave legi, recitarive liceat, niſi primum ab epiſcopo, vel ab eo, cui ille mandarit, recognitum ſit, & ſubſcriptione comprobatum.

Quo tempore in baſilica cathedrali, eccleſiave parochiali officium veſperatum celebratur, tunc ut in ullis confratriæ, ſcholæve oratoriis civitatis, aut loci illius, ab eiſdem confratribus recitari liceat officia, ſed vel ante, vel poſt recitentur, ita tamen ut non ſolum ejuſmodi officiorum occaſione non divertantur illi a divinis officiis publicis; ſed nec etiam a ſcholis doctrinæ Chriſtianæ, in quibus ejuſmodi confratres utiles adjutores, & operarii eſſe ſolent.

Diſciplinati, confratreſve cujuſcumque ſcholæ, cum proceſſiones, ſupplicationeſve collegiatim ipſi agunt, capellanum, ſacerdotemve alium adhibeant, cujus ſit, eam religioſam actionem dirigere, niſi cum aliquando ſine ſacerdote proceſſionis, ſupplicationiſve agendæ facultatem a parocho, aut ab epiſcopo impetrarint.

Ne confratres [illegible] ad confratriæ eccleſiam, oratoriumve [illegible] ullius generis ferre li-

A ceat, niſi pro dignitatis ſuæ, aut officii, quod gerit, ratione, hoc alicui conveniens ſit. Nemini autem unquam, cum confratriæ amictu indutus eſt, id liceat.

Ne in confratriarum, ſcholarumve oratoriis, eccleſiiſve cadavera, etiam ſodalium, ſepeliri liceat, niſi id licere ex certis privilegii tabulis, aut probatæ conſuetudinis immemorabili uſu conſtiterit epiſcopo. Ubi vero confratribus jus ſepulturæ tantum conceſſum eſt, alii nemini, neque electionis etiam jure, ibi ſepeliri liceat, ſed ne confratribus quidem ipſis, niſi per ſex menſes ante obitum in ſodalitio rite adſcriptus ſit.

Ne cuiquam confratriæ uſquam eleemoſynam quæritare liceat, niſi facultate, quæ li-

B teris exarata ſit ab epiſcopo impetrata.

Ne in ullo diſciplinatorum, aliarumve ſcholarum confratria officiales, miniſtroſve creari, aut eligi liceat, niſi vel alio ſacerdote ab epiſcopo conſtituto, præſente, ſi modo aliud epiſcopo non videatur.

Quæcumque & in hoc quinto concilio, & in aliis ſuperioribus de diſciplinatorum ſcholis, aliiſve confratriis, etiam laicalibus conſtituta, aut præſcripta ſunt, ea epiſcopus ab illis inviolate, integreque ſervari mandet; etiamſi in eccleſiis regularium illæ ſcholæ, confraternitateſve erectæ ſint, exerceanturve; ita ut ſi quid contra ab eiſdem uſquam factum erit, id pro culpæ modo ab epiſcopo graviter puniatur arbitratu ſuo.

C Caritatis, beneficientiæque omnibus officiis, quæ in proximos conferuntur, magnam cæleſtis gloriæ mercedem propoſitam eſſe, ſacræ literæ oſtendunt; ſed illa maxime Deo grata, atque accepta opera ſunt, quibus benigne fit, ac ſuccurritur egentiſſimis hominibus, ægrotis ac peregrinis. Itaque, ut quæ ad eam rationem pertinent, legibus & ſanctionibus communita, recte obſerventur, hæc pro paſtoralis curæ noſtræ munere decernimus:

Primo hoſpitalarius, iſve, cui hoſpitalium ædium cuſtodia committitur, vir ſit, cujus fides, pietas, vitæ innocentia, ſedulitas, caritas gravium virorum teſtimonio commendata ſit.

Caveat, ne a quoquam, cum hoſpitium in-

D greditur, aut, cum inde diſcedit, quidquam, vel minimum, ac ne ſponte quidem oblatum exigat, petat, accipiatve.

Ne cum mendicis, qui ad quæſtum omni ſimulandi arte utuntur, aliquam turpis lucri, pactionem pro iis recipiendis ineat.

Curet item, ne quid peregrini, advenæ pauperesque hoſpitio excepti, contra Chriſtianam pietatem, bonoſque mores admittant.

Quinimo certam horam, tum mane, tum veſperi præſcribat, qua, ictibus parvulæ campanæ datis, omnes ſimul aliquantiſper orent.

Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutionem introducat, qua præfinito aliquo temporis ſpatio erudiantur.

E Si enim iis ad corporis victum, curamque benigne ſuppeditatur, illud etiam maxime curandum eſt, ut ſpiritale doctrinæ Chriſtianæ poculum eiſdem tribuatur.

Ne pueros una cum adoleſcentioribus, majoribuſque natu in eodem lecto cubare permittat.

Neque item eos, qui integra valetudine ſunt, cum ægrotis, aliquo morbo laborantibus.

Qui autem integra ſunt valetudine, ne diutius triduo in hoſpitio morentur, niſi aliter ex ipſius hoſpitalis inſtituto permittatur.

At cum eoſdem paucis poſt diebus redire animadverterit, inveſtiget diligenter, quouſque iter fecerint: ac ſedulo videat, ne ii modo ad hoc, modo ad illud hoſpitale domicilium divertentes, ſe peregrinos fingant; de urbe, opidove tamen vere non exeant, turpi quæſtui, atque etiam aleis, multiſque aliis flagitiis operam dantes, quod aliquando evenire compertum eſt.



ANNO CHRISTI 1579.

Studioſe epiſcopus curet, ut in ædibus hoſpitalibus, quæ unionis, ut vocant, jure, alii domui hoſpitali adjunctæ ſunt, ubi longo temporis ſpatio hoſpitalitas intermiſſa eſt, quamprimum reſtituatur, ut juris eſt.

## XIX.

### *Quæ ad moniales pertinent.*

Seſſ. 25. de reg. & mon. c. 5.

Meminerit epiſcopus, ſe, ut eſt Bonifacii VIII. pontificis & concilii Tridentini edita ſanctio, divini judicii obteſtationem, ac maledictionis æternæ exterminationem eſſe ſubiturum, ſi in monialium, etiam quæ ab ſua juriſdictione liberæ, immuneſque ſunt, clauſura reſtituenda, atque adeo conſervanda ſe negligenter geſſerit. Quare ſtudioſe in eo evigilet, paſtorali ſolicitudine, ut non modo in monaſteriis ſuæ curæ, jurique ſubjectis, verum etiam in illis, quorum curationi regulares cujuſvis ordinis præſunt, illa omni ex parte, ut diligentiſſime fieri poteſt, ſervetur, propoſitis etiam Tridentini ejuſdem concilii, & arbitrii ſui pœnis.

Contra moniales item, & illas etiam, quarum curam regulares gerunt, ſi quando e clauſuræ finibus exierint facultates a ſede apoſtolica non impetrata, cenſuris eccleſiaſticis, aliiſque juris remediis agat, prout e re eſſe viderit.

Si quando moniales, legitima facultate, ad aliquod monaſterium transferri contigerit; eam curam, cogitationemque epiſcopus ſuſcipiat, ut quo a pauciſſimis conſpiciantur, bene mane, ſub auroram ſcilicet, a viris ætate, morumque honeſtate gravibus cognationeque propinquioribus eo deducantur.

Caveant, qui ab epiſcopo, ſuperioreve facultatem habent ingrediendi monaſterium, ne pro libito intra ejus ſepta, datæ facultatis prætextu, ingrediantur, ſed tunc ſolum, cum urgens neceſſitas depoſcet, ut ne ex ſanctiſſimi pontificis Gregorii XIII. ſanctione, excommunicationis pœnam ſtatim ſubeant, a qua, niſi per ſedem apoſtolicam abſolvi non poſſunt.

Idibus Junii 1575.

Ne præterea religioſis hominibus ſepta monaſterii, etiam ſuæ curæ commiſſi, ingredi liceat, ne ea quidem cauſa, ut teſtantium, qui in monialium eccleſia vel ſepeliri, vel anniverſaria quotannis agi voluerunt, piæ voluntati ſatisfaciant: ſed quæ anniverſaria ex teſtamento debentur, in earum exteriori eccleſia præſtentur.

Nec vero proceſſionis in ſolennitate corporis domini agendæ cauſa, confeſſarius ſacerdos, aut alius ſuperior eo ingrediatur, ac ne epiſcopus quidem eo nomine, neque alios ingredi patiatur.

Neque item cauſa vel monialium cubiculis benedicendi, vel eas, locave monaſterii aqua benedicta aſpergendi.

Nec etiam cum veſtitus ſacer puellis tradendus eſt, vel illæ ad profeſſionem admittendæ ſunt, vel miniſtrandum ſacramentum confirmationis, epiſcopus, ſuperiorve tam regularis,

A quam ſæcularis, aut confeſſarius, aliuſve ad ſepta monaſterii introeat: ſed in eccleſia exteriori, ubi ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum ad feneſtellam miniſtratur, hæc illis, vel puellis, vel monialibus in eccleſia interiori manentibus præſtentur.

Neque miſſæ celebrandæ cauſa, ad interiorem eccleſiam, monaſteriive ſepta, epiſcopus, ſuperiorve introeat unquam; niſi tantum, cum præfecta monaſterii, aut alia monialis conſecranda eſt; tuncque ne moniales egrediantur, ſed is adjunctis etiam, quos ad miniſterium conficiendum neceſſarios habet, miniſtris, introeat licet, intus miſſam celebret, ritumque conſecrandi adhibeat, ad pontificalis libri præ-

B ſcriptum.

Monialis ne atramentarium, calamum, aliudve cujuſvis generis inſtrumentum, quod ad ſcribendum uſui ſit, in cella, aliove loco privatim habeat.

Quod ſi quando ſcribere neceſſe habet, id ne faciat, niſi præfectæ conceſſu.

Hæc vero ne facile concedat, permittatve, ſed explorata, perſpectaque ſcribendi cauſa, eaque gravi, & neceſſaria, facultatem de atramentario, ceteriſque ad ſcriptionem neceſſariis accommodet: quæ ubi monialis adhibuerit, quam primum præfectæ reſtituat, ſimulque recte oſtendat, quæcumque ſcripſerit.

C Moniales libros cujuſvis generis apud ſe minime retineant, niſi quos epiſcopus, vel is, cui id curæ dederit, ſcripto approbarit.

Seſſ. 25. c. 17. de regul. & monialibus.

Cum novitiæ, antequam profeſſionem emittat, voluntatem epiſcopus pro facultate ſibi decreto Tridentino data, explorare volet, hoc agere ei liceat loco, ubi crates monaſterii ſunt, nec propterea a ſeptis illa egrediatur, niſi cauſa ſit, probabiliſve ejuſdem epiſcopi judicio ſuſpicio, quamobrem potius eſſe cenſuerit, ut alio loco ejus voluntas perquiratur: tuncque vel in eccleſiam monaſterii exteriorem, vel in aliam proximam prout commodius, decentiuſve fieri viderit, illam perduci jubeat. Qua in eccleſia, præſentibus matronis duabus, ætate

D gravibus, honeſtis, & novitiæ gradu cognationis, quantum poteſt, propinquioribus, quas ipſa, aut moniales delegerint, ejus animum voluntatemque epiſcopus recte indaget, loco paulo remotiori, ita ut quæ adſunt matronæ videre, non tamen auribus percipere poſſint indagationem, reſponſionemve.

Ut & in puellis, moniali veſtitu induendis, & in admittendis ad profeſſionem novitiis, unus idemque ritus ab provinciæ epiſcopis adhibeatur, cum ejus generis regulæ variæ illæ quidem, ac plane inter ſe diverſæ, diſſimileſque ſint; liber de eo ritu, hujus ſynodi provincialis auctoritate per nos edetur, ad cujus præſcriptum omnis ea ratio ineatur tum puel-

E las induendi, tum novitias ad profeſſionem admittendi.

Si quæ monialium præfecta, earumque ſuperior regularis, virginem aliquam non explorata per epiſcopum illius voluntate, examineve adhibito, religioſum veſtitum ſuſcipere, aut profeſſionem conficere permiſerit; ab ipſo epiſcopo pœna afficiatur.

## XX.

*Quæ generatim ad hæc decreta, conſtitutioneſve pertinent.*

Omni epiſcopalis ſolicitudinis officio, ſtudioque vigilanti epiſcopi pro ſui muneris ratione in eam curam incumbant, ut quæcumque & in ſuperioribus noſtris conciliis, & in hac quinta ſynodo provinciali, decreta, conſtitutaque ſunt, diligentem; atque adeo omnem executionem, quemadmodum par eſt, plane habeant. Quicumque vero vel univerſi, vel ſinguli, quorum intereſt, non paruerint, aut aliquid contra commiſerint, admiſerintve, ii mulctas, & pœnas luant iis ipſis decretis ſancitas: tum alias præterea eccleſiaſticis, conciliaribuſve ſanctionibus, & canonum jure præſcriptas. Compellanturque præterea ab epiſcopo ad parendum omnibus juris remediis, aliis etiam pœnis, & cenſuris conſtitutis, & irrogatis pro arbitrio ſuo.

Quæcumque etiam de ſacramentorum adminiſtratione, miſſæ ſacrificii celebratione, divinorumque officiorum modo & ratione, in hac, & ſuperioribus provincialibus ſynodis decrevimus, ea plane omnia & ſingula ad metropolitanam etiam, ceteraſque quaſcumque eccleſias, ritu Ambroſiano utentes, pertinere ſancimus ac declaramus; niſi ſi quid ejuſmodi erit, quod vel per nos, vel deinceps per ſucceſſores noſtros archiepiſcopos nominatim, ſpeciatimque declaretur, Ambroſianis ipſis ritibus inſtitutiſve expreſſe adverſari.

Si in his decretis ante alteram Mediolanenſis provinciæ ſynodum ulla difficultas orta erit, ejus declarationem, tum vero præterea omnium, quæ eiſdem decretis continentur interpretationem & explicationem nobis, & ſucceſſoribus noſtris archiepiſcopis perpetuo reſervamus, ſalva ſemper ſedis apoſtolicæ auctoritate.

Quamcumque facultatem ex decretis, in hac provinciali ſynodo Mediolanenſi quinta per nos editis, habent epiſcopi per eam ipſos per ſuos vicarios generales exequi poſſe volumus, niſi in iis quæ proprie ad ordinem epiſcopalem pertineant, aut in quibus vicarii, a ſacris canonibus, aut e concilio Tridentino, vel a nobis expreſſe excluſi ſint.

Ut nemini eorum, quæ in hac quinta provinciali noſtra ſynodo a nobis decreta ſunt, ignorantiam excuſare liceat, edicimus; ut ex quo primum die edita in valvis metropolitanæ eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos menſes, omnes ſe, & his decretis, &, ſi contra fecerint, pœnis quæ eis continentur, teneri intelligant. Ab eo etiam affixionis die, eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari jubemus.

Unuſquiſque præterea epiſcopus ea omnia & ſingula in proxima diœceſana ſynodo legi ac recitari jubebit; ſi ita expedire cenſuerit, ſuæ quoque cathedralis eccleſiæ valvis proponi, quo ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixo inhæreant.

Singulæ etiam cathedrales, & collegiatæ, & parochiales eccleſiæ hujus provinciæ, has noſtras conſtitutiones aliquo loco collocatas perpetuo aſſervent.

Omnia & ſingula quæ a nobis in hac quinta provinciali ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati, ac judicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris & magiſtræ, ſemper emendanda, & corrigenda ſubjicimus.

## SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Nos Carolus ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolanenſis, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum ſubſcripſimus.

Ego Cæſar epiſcopus Dertonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Hieronymus epiſcopus Laudenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Petrus epiſcopus Aquenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Dominicus epiſcopus Brixienſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Nicolaus epiſcopus Cremonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Hieronymus epiſcopus Bergomi conſentiens ſubſcripſi.

Ego Frater Dominicus epiſcopus Aſtenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Guarnerius epiſcopus Alexandrinus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joannes Franciſcus epiſcopus Vercellenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius epiſcopus Albenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus epiſcopus Vintimillienſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Cæſar epiſcopus Savonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Alexander epiſcopus Caſalenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Alexander epiſcopus Viglevanenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego P. Cotta epiſcopus Novariæ conſentiens ſubſcripſi.

## INDICTIO FUTURI CONCILII SEXTI PROVINCIALIS.

*Carolus miſeratione divina, tituli ſanctæ Praxedis ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis, ſanctæque Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopus.*

OMNIBUS & ſingulis reverendiſſimis dominis epiſcopis, qui & hic adſunt, & ſynodo provinciali Mediolanenſi quacumque ratione intereſſe debent, omnibuſque item capitulis, & eccleſiarum cathedralium procuratoribus, indicimus, ſignificamus, denuntiamus, & intimamus proximam ſequentem ſynodum provincialem Mediolanenſem ſextam, Deo omnipotente auctore, & ad ejus laudem, hac eadem in urbe, hoc ipſo loco, anno MDLXXXII. die decimo menſis Maii proxime ſequentis, qui dies erit feria quinta dominicæ tertiæ poſt paſcha reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti, inchoandam & celebrandam eſſe. Quamobrem eos omnes & ſingulos reverendiſſimos dominos epiſcopos monemus; procuratores vero eccleſiarum cathedralium invitamus, ut eo die ad ſynodum provincialem ſextam, juvante Deo Mediolani celebrandam conſtituto, hic omnino interſint, niſi diem celebrationis ipſius ſynodi aliqua ex cauſa a nobis prorogatum fuiſſe, noſtris ad eos datis literis intellexerint. Quod ſi ipſorum reverendiſſimorum epiſcoporum noſtrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuntium procuratoremve ad ſe excuſandum atque ad id impedimentum probandum ad nos mittat: cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia & ſingula nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ recipiendi, quæ divina gratia auxiliante in ipſa ſynodo a nobis de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum conſtituentur decernenturve.







# CONCILIUM MEDIOLANENSE VI. PROVINCIALE.

Quod Carolus Borromæus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, archiepiſcopus, habuit anno a Chriſto nato MDLXXXII. Gregorio XIII. pontifice.

*Carolus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus ſanctæ eccleſiæ, Mediolanenſis univerſis provinciæ Mediolanenſis fidelibus ſalutem in domino.*

HABUIMUS ſuperiore anno, ut ſcitis, quintam epiſcoporum provinciæ noſtræ ſynodum, in qua nihil prætermittendum curavimus, quod a nobis pro noſtro epiſcopali officio, quo veſtrum omnium ſaluti omni ratione ſervire in domino debemus, eſſet expectandum. Inter alia autem quæ veſtræ ſpiritualis utilitatis cauſa acta ſunt, nonnulla quoque ex inſtituto ſunt decreta, quibus morum, Chriſtianæque diſciplinæ reſtitutionem, jam multis ante annis inchoatam, proſecuti ſumus. Pauca ſunt illa quidem, ſed veſtrum eſt eo diligentius, majorique ſanctæ obedientiæ ſtudio ea amplecti, tenere, uſuque obſervare. Videte clerici, videte fideles omnes, veſtrum in iis exequendis officium, quæ ſacerdotes paſtoreſque, vobis gregi ſuo, ut apoſtolus præcipit, attendentes, ad animarum veſtrarum ſalutem præbent. Caveat unuſquiſque diligenter, ne, quod ad ſe attinet, vigiliæ, curæ, & labores, quibus divina ope ſuſtentati, veſtra cauſa exercemur, fruſtra ſuſcepti videantur: quod quidem in die domini, & probro, & crimini graviſſimo illi daretur. Efficite potius prompto animo & voluntate, rei ipſius effectu præſtando, ut etiam hoc nomine in dies magis ac magis ſtudia noſtra excitentur, quibus animarum veſtrarum ſalutem tota mente, omnique caritatis ardore in Chriſto curandam ſuſcepimus: quod ut conſequi poſſitis, uberrimas vobis divinæ gratiæ opes precamur. Data Mediolani VI. Kalendas Maii 1582.

Indicendi concilii provincialis ratio formulaque edicto concepta, in provincia Mediolanenſi uſque ad id temporis ſervata eſt, quo primum in ſynodo provinciali quarta, ad uſum decreto revocatus eſt vetus ille canone Toletano olim introductus indictionis ſynodalis mos, ut quæ ſcilicet ſynodus deinceps futura eſſet, ejus conſtitutus dies denuntiaretur, indiceretur que in ſynodo, quæ illam ordine ſequentem proxime antecederet. Atque hæc quidem ratio Mediolani ad conſuetudinem revocata, ita ex decreto provinciali adhibita eſt, ut concilii provincialis futuri dies ita in ſeſſione præcedentis concilii ultima indictus, & in Kalendarium ejus anni, in quem illius celebritas caderet, loco ſuo relatus, de more etiam in baſilica metropolitana die epiphaniorum denuntiaretur certis conceptis verbis. Quorum etiam formula grandiuſculis literis exarata, duobus menſibus ante conſtitutum concilii ſexti diem loco edicti eccleſiarum cathedralium valvis affixa eſt, ut infra.

Concilium provinciale Mediolanenſe ſextum, per illuſtriſſimum & reverendiſſimum dominum dominum archiepiſcopum decreto edito & promulgato indictum & convocatum, hoc anno MDLXXXII. die 10. menſis Maii, Deo auxiliante, in metropolitana eccleſia de more inchoabitur & celebrabitur. Ex cancellaria archiepiſcopali, die VI. Martii 1582.

## ORATIO CAROLI CARDINALIS TITULI SANCTÆ PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS.

*Habita in provinciali concilio VI.*

DIVINÆ ergo nos miſericordiæ munere ſingularique dono, jam concilium provinciale ſextum, patres ſanctiſſimi, concelebramus. Hæc ipſa concilii provincialis vox, nobis, qui ob eam cauſam duce Spiritu ſancto hic adſumus, rem magnam, gravem, in omnes partes maxime utilem, ſalutarem provinciæ rationibus, atque adeo omni eccleſiaſticæ diſciplinæ uſui inſtaurationibuſque neceſſariam ſignificat & plane oſtendit.

Hæc quidem actio provincialis, ab apoſtolicis uſque temporibus divinitus inſtituta, & diuturna eccleſiæ conſuetudine in omnes terrarum partes derivata, ſanctionibus pontificiis corroborata, œcumenicis conciliis communicata, olim florentiſſima fuit. Quo factum eſt, ut ea jampridem in omni provincia fructus tulerit & uberrimos & maximos. At vero ubi intermiſſa vel neglecta fuit, quanta & quam gravia damna inde importata ſint rei univerſæ Chriſtianæ, non eſt cur pluribus explicemus, res ipſa loquitur. Iis autem detrimentis ſacra Tridentina ſynodus ut tandem occurreret, ſalutare conciliorum provincialium inſtitutum renovavit: quod nos ex illius præſcripto cum ſæpenumero operante domino adhibuerimus, aliquos illius fructus experiundo cognovimus. Et vero quorſum ſane re-

ANNO CHRISTI 1582.

fertur omnis provincialium epiſcoporum conventus? annon ad res quæ non modo ſunt utiles, ſed quæ longe omnium graviſſimæ? Agitur in eo gloria Dei, agitur ſalus animarum, agitur inſtitutio cleri, agitur diſciplina populi, agitur denique ſpiritualium ægritudinum curatio, nobis qui in apoſtolorum locum ſucceſſimus commiſſa, ut ex evangelio jam modo audivimus.

Eſt porro curatio hæc multiplex, & late præterea patet, magnum ſane negotium ac grave, in unius tantum animæ (pro cujus ſalute Chriſtus dominus ſanguinem profudit) curam incumbere; multo gravius, plurimos varie languentes ſanare; longe graviſſimum provinciæ univerſæ ampliſſimæ & ægrotanti medicamenta opportuna apponere; ſed infinitis partibus difficillimum eſt, morbis qui unius epiſcopi ſtudio vix aut ne vix quidem aliquando curari poſſunt, (cum pene inſanabiles ſint) remedia adhibere; quæ cura maxime ad provincialium epiſcoporum conventum, tamquam ad aliquod ſapientum medicorum collegium pertinet. At cum omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, & ipſe circumdatus ſit infirmitate; ægritudinum quoque noſtrarum epiſcopalium curatio, cujus magna ex parte in ſynodis provincialibus ratio habenda eſt, explicari non omnino poteſt quam gravis, quam ſalutaris item.

Sed eſt cur jam hoc initio orationis noſtræ paucis rem complectamur. In conventu epiſcopali propoſitum eſt nobis ſtudium curationis & noſtræ & noſtri gregis. Cum igitur concilii hujus provincialis ſexti cauſa hoc ſacro loco ſimus, vocem *illam* apoſtolicam & divinam, non modo omnes *muneris* noſtri partes ſignificantem, ſed nos magnopere moventem audiamus: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Quare & unam & alteram item curationem pro officii noſtri munere præſtemus. Res duæ ſunt, quæ nobis in ſolemni hac actione proponuntur; una provinciæ ægrotantis ſtatus, altera diligentiſſima diſquiſitio ſalutarium medicamentorum. Atque de his quidem rebus duabus in præſenti aliquid & brevi ſane dicemus.

Primum igitur, patres reverendiſſimi, ſpectate quæſo una mecum provinciam univerſam, quaſi publicam hoſpitalem quamdam domum amplam, in qua multitudo ingens ſit hominum graviter periculoſeque ægrotantium. Proponamus hic nobis ob oculos tam infinitos homines ægre affectos, quos Chriſtus dominus ab apoſtolis ſanari juſſit: At eos in provincia frequentiſſimos conſpiciemus; cum præſertim his temporibus tanta malorum lues in mortalium viſcera ſeſe infuderit. En hydropi laborantes; en febri & phreneſi æſtuantes; en dæmonum impetu agitati; en lepra fœda affecti; en paralytici, & permulti claudi; en alii aridi debileſque; en gibboſi plurimi; en muti complures; en lippientium genus; en & cæcorum & ſurdorum quam infinitus numerus; quam multos alios lethargiæ morbus occupavit? O commiſerantium & languentium ſpectaculum! An hic, patres, dolor noſter ſupra dolorem? an in nobis cor noſtrum mœrens? Quæ (malum) iſta hydropiſis quaſi intus in omnium provinciæ partium cute inhæreſcens? [illegible] vitio quam multi turgeſcunt? quanta inde morborum peſtis? quam profuſus veſtium luxus? quam novus & inauditus pomparum apparatus? quam varius

A barbarico opere ornatus? quam innumerabilis ſervorum grex? quam effuſa denique omnium rerum profluvies: quæ tamquam morbus internus in omnem provinciæ partem ſeſe longe lateque diffudit? At vero quam late patet alia hydropiſis, inexhauſta illa pecuniæ ſitis, & idolorum ſervitus avaritia, & illa malorum omnium radix cupiditas? Ex hoc morbo nefaria quæque exiſtunt. Hinc feneratitii contractus; hinc mendacia perjuriaque commerciis contrahendis; hinc falſa quæque, hinc adulterinæ & corruptæ merces; hinc doli, fallaciæ, fraudes, & ſubdola quæque artificia; hinc alienorum bonorum quaſi aucupia; hinc judiciorum iniquitas judicum corruptelæ, pupillorum oppreſſiones, B viduarum deſolatio, & injuria denique omnis. Quam pernicioſa ſitis, quam effrenata iſtorum cupiditas: qui nullos ſibi fines concupiſcendi præſcribunt; uſque adeo ut alios poſſeſſionibus ſuis, etiam ſæpe per injuriam pellere manibus pedibuſque enixe operam dent. Horreant iſti judicia Dei omnipotentis, voce Iſaiæ conquerentis & comminantis: *Væ vobis*, inquit, *qui conjungitis domum domui, & agrum agro copulatis uſque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? in auribus meis ſunt hæc, dicit dominus exercituum, niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes & pulcræ, abſque habitatore.* Horribilis certe eſt hæc Dei comminatio: at iſtorum quam ardens, patres, quam effuſa C cupiditas? En rurſus circumfuſa undique alia hominum multitudo febris multiplici & gravi ardore æſtuantium. Juvenes, quibus cupiditatum flammis quaſi ſummis febrium caloribus, & concupiſcentiæ igni non exardeſcunt? deliciis affluunt, oculos habent plenos adulterii; & flagranti iſto ardore concitati, bibunt quaſi aquam iniquitatem omnem; nihilque non agunt, nihilque non attingunt; nihilque non elaborant, ut male agant: imo male agendo gloriantur; & quæmale facta non patrarint, illa ipſa quaſi a ſe commiſſa inſolenter ubique jactitant; uſque adeo turpiter agere, ſibi glorioſum opinantur. Atque præ iſto ardore, furore eo etiam præcipites feruntur, D ut cum ne ſacrorum quidem locorum rationem aliquando habeant; tum vero ſanctum matrimonium, ſicut gentes quæ ignorant Deum, ineant atque ſuſcipiant, ſuæque libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus. O rem commiſeratione dignam! Febrilis hic furor non modo juvenes, & adoleſcentes, ſed pueros, & pene infantes his temporibus aliquo modo invaſit. Quam iſti petulantes? quam contumaces? quam effrenati? quam projecta audacia præcipites? quam turbulenti, & domi, & foris? quam impudenti licentia ad nefaria quæque concitati? nolumus plura præ dolore. Sunt plerique alii qui tamquam fanatici homines, Ethnico more, & jo- E culari quadam licentia ſatanæ aſtu introducta, larvis induti furiantur & bacchantur, choreas ducunt, tripudia agunt, ſpectacula profana edunt; atque in aliis iſtiuſmodi actionibus uſque adeo inſaniunt, ut in tanta peccatorum, quæ inde exiſtunt, colluvione, ne culpam quidem agnoſcant. Alii porro non tam phreneſi furore, quam dæmonis æſtu agitati, eo præcipites ruunt, ut non modo medicamenta aſpernentur, ſed medicos & curatores ſalutis ſuæ inſanabili quodam odio inſectentur: & vero (quod deteſtabile nefandumque facinus eſt) violentas manus eorum parentibus ſacerdotibus

quos

Epheſ. 5. — Iſai. 5. — Pſal. 31.



ANNO CHRISTI 1582.

quos venerari & colere tota in Chriſto viſceribus debent, afferant & injiciant, eoſque aliquando truculenter, impie; ſceleſteque contrucident. At lepra quamplurimi laborant? iſti & maleſactis, & flagitiorum impuritate, & vitiorum exemplis, provinciam fœdiſſime inficiunt. At vos, patres, quos huic provinciæ ſpeculatores dominus dedit, recte cernitis quam exitioſa ſit iſtorum perditiſſimorum hominum contagio, & quam in omnes partes diffuſa. Paralyticorum præterea numerus magnus eſt: qui præ quadam virtutum torpedine, tamquam in mollitie carnis jacentes, ne deſideria quidem recte agendi concipiunt, nedum ſanctarum actionum officia exequantur: Sed en claudi alii: iſti optime vident, quam valde in Chriſtianarum virtutum diſciplina progrediendum ſit, non longe tamen uti oportet progrediuntur; imo a recta via, quam ſemel ingreſſi ſunt, ad vitiorum diverticula profluunt. Alii aridi ſunt, qui manu cum debiles ſint, in operibus caritatis deſunt, nomineque tantum Chriſtiano gaudent. At gibboſi quamplurimi: qui ad terram proni, humi repentes, non cæleſtia, ſed terrena tantum ſpectant; & tamquam filii terræ, animo demiſſo, ut pecudes ad paſtum, ad crapulas & comeſſationes abjecti, gulæ, ventri, & ganeis dediti, plane ſtatuerunt oculos declinare in terram; horum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt, uſquequo gravi corde? Iſta hominum lues provinciam noſtram late inquinat. Eſt etiam infinitus numerus mutorum: ſunt, qui in divinis laudibus muti, at in maledictis, blaſphemiis, diris, imprecationibus, convitiis, detractionibus, contumeliis, lingua celeri & exercitata ſunt. O deteſtabilem hominum peſtem! Copulandis diſſidentium voluntatibus ſilentio utuntur: ſed lingua tamquam ſeditionum flabello abutuntur ad diſcordias diſſeminandas. Certe lingua eorum ignis, univerſitas iniquitatis, & ſepulcrum patens eſt guttur eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Sed quouſque iſta hominum lues proceſſit? *Attendi*, inquit dominus, *auſcultavi, nemo eſt qui loquatur bonum*. Lippos alios ſcitis, imo & cæcos quamplurimos. En ſpectaculum tenebricoſum & horribile. Eſt quædam hujus ſæculi cæcitas, qua in terra nocte circumfuſi homines oculis fidei, cum & ſempiternam illam cæleſtem gloriam, & perpetuos inferni cruciatus, & mortem, & horribilia Dei judicia propoſita habeant, nolunt tamen videre ut bene agant. Permulti item rerum divinarum atque adeo rudimentorum fidei ignari, veri cæci ſunt; qui plane abjecta ſuæ ſalutis cura, viam cum ignorent quæ ducit ad vitam, illa imperita cæcitate prolabuntur ad ſempiternum interitum. Verum plerique alii cæci ſunt: qui rerum futurarum, quæ ſempiternæ ſunt, nihil proſpiciunt; res autem præſentes, quæ caducæ, quæ fluxæ, quæ vix ad punctum temporis permanent, cæca quadam aviditate rapiunt. Ecquæ tandem eſt iſta hominum cæcitas, qui res procreatas creatori, res viles & abjectas ſummo Deo præferunt? At ſurdi quam infiniti? quam miſeranda eorum conditio? Iſti in male agendo ſunt pertinaci animo, voluntateque obfirmata, Dei vocibus obſurdeſcunt, pietate non molliuntur, minis non cedunt, precibus non commoventur; mentis ſenſu hebeſcentes, periculo ſalutis non timent; homines non metuunt, & quod graviſſimum eſt, Deum non verentur. Jam cernitis, patres reverendiſſimi, aliquam provinciæ partem ægrotam: aliam vero quæ ad

Pſalm. 13. — Jerem. 8.

A clericales ægritudines pertinet, vos etiam optime perſpicere poteſtis. Jampridem clericali ordini remedia appoſuimus, quæ pro temporum ratione opportuna judicavimus: ſed alii morbi ſunt, quibus jam clericalis diſciplina langueſcit. Vitæ honeſtati & morum caſtitati conſuluimus, ejuſque generis vitioſas aliquas partes ſanavimus: ecce alia labes, quæ valde illius ordinis dignitatem inficit: in eo inhæreſcit avaritia: quam ob cauſam, ut alia ſilentio præteream, quæ paſtoralis animi noſtri ſenſum excruciant, deſerta ſæpe ſtatione, in fori ſolicitudinibus illius ordinis homines excubias agunt, lites appetunt, lites intendunt, & frequentes plerique in judiciis ſunt. Clericis ſtudia præſcripſimus: alii negligunt, B alii clericalium ſtudiorum fines tranſiliunt: alii ſtudiorum prætextu ab eccleſia abſunt, a functionibus eccleſiaſticis ſeſe abducunt, & a clericali diſciplina refugiunt; alii ſcientia inflati, præ ſe alios etiam ſeniores, quos vereri debent, ſuperbe contemnunt; beneficia eccleſiaſtica tenuia contumaciter reſpuunt, ampla præpoſtere ambiunt. Quam alii clericales morbi, patres, quam alia vulnera recruduerunt? quibus potius medeamur oportet, quam enumerando refricemus.

Nihil vero attinet, cur hoc ipſo loco ægritudines noſtras enarremus, non enim dubitamus, quin vos; quos dominus conſtituit ſanare infirmos, pro conſcientiæ veſtræ religione non modo diligenter etiam atque etiam ipſi ſpirituales no- C ſtros omnium morbos videritis; ſed medicamenta exquiſieritis, quibus appoſite curentur. Verum etiam quo rectius omnia nobiſcum iterum atque iterum repetentur, illud unum nobis omnibus perſuaſum eſſe volumus, ad ordinis noſtri dignitatem auctoritatemq; muneris non ſatis eſſe, ſi certis quibuſdam virtutibus, quibus ceteri homines præditi eſſe ſolent, nos exculti ſumus; ſed harum ipſarum virtutum ornamentis nos longe excellere oportet. In gradu enim epiſcopali collocati ſumus: qui ut aurum ceteris metallis præſtat, ſic aliis vel ampliſſimis dignitatibus cum præcellentior ſit, tanto perfectioribus virtutibus uſque adeo prælucere debet, ut inde ad alios ſplendor ſingularis dimanet. Vitæ inno- D centia, morum integritas, religionis pietas, juſtitiæ cultus, & aliæ ejus generis virtutes, ſunt quidem nobis communes cum reliquis: ſed cum multo præſtantiores eæ ipſæ in nobis ſingularis vitæ officiis ſplendeſcere debent; tum vero aliæ ſunt, quæ propriæ præcipuæque epiſcoporum ſunt, & cum præſtantiſſima Dei caritate, & ardenti ejus zelo in primis conjunctæ: quibus virtutibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros: iiſdemque exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Si igitur epiſcopali perfectione noſtras actiones & officia metimur, certe diligentius aliquas etiam ægritudines noſtras ſpecula- E bimur.

Quamobrem cum omnes provinciæ partes, ſive populum, ſive clerum, ſive nos etiam ſpectemus, ſi diligentiori ſpeculatione, quam nos dicendo commonſtravimus, intuebimur, qualem eam aſpiciemus: ægrotantem, ſcilicet, & multis adhuc morbi offenſionibus perculſam; & ita perculſam, ut reliqua cura opus ſit; non mediocri, ſed magna. *Proh dolor, quid hoccine eſt? Numquid reſina non eſt in Galaad?* Numquid nulla medicinæ ratio in provincia & in provincia ampliſſima? *Numquid medicus non ibi?* Numquid tot & tam ſapientes epiſcopi, optimi animarum curatores, & præcellentes animarum me-

Jerem. 8.

ANNO CHRISTI 1582.

medici? *Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Quam ob cauſam provincia ſanata non eſt? *Tranſit meſſis, finitas eſt æſtas, & nos ſalvati non ſumus*, inquit mœrens & deplorans Jeremias. Jam diu abiit tempus, quo ſacra Tridentina ſynodus ſalutares ſanandis morbis leges tulit; jam pridem etiam tam ſæpenumeros nos, tamquam medici qui collegiatim de curandis corporibus conſultationem ineunt, huc ad concilium convenimus, ac provincia nobis in curam tradita nondum ſalutariter curata eſt: imo adhuc pene attrita, pene percuſſa jacet? *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum & contriſtatus, ſtupor obtinuit me*. Exagitate una mecum quæſo patres, dolorem veſtrum; intimeque accenſi, afferte remedia & opportuna & ſalutaria, quæ provinciæ ægrotæ adhibeamus. [Ibidem.] *Tempus eſt medela*, inquit propheta: vos ſtatum provinciæ ægrotantis videtis: tempus medendi eſt, tempus concilii. Non eſt igitur cur a propoſito illis quæ vulgo diſſeminari ſolent vocibus dimoveamur: Quorſum tot ſynodalia remedia? quouſque tandem tam multæ medicamentorum ſynodalium leges? næ iſtæ plane quibus nos epiſcopi conſtantiſſimo mentis epiſcopalis ſtudio obſurdeſcamus. Aliud enim nos Spiritus ſancti doctrina docet, aliud apoſtolorum inſtituta monent, aliud patrum exempla declarant, aliud canonum leges jubent, aliud vetus eccleſiæ uſus in omnes partes utilis poſtulat, aliud Tridentinæ ſanctiones nuper inſtituunt, aliud nos in hac provincia jam diu ad conſuetudinem revocavimus. Quid? aliter muneris noſtri epiſcopalis religio depoſcit. Quam inanes & pene nefariæ? eamque ob cauſam ſumma animi noſtri epiſcopali confeſſione, una conſpiratione, uno ſpiritu explodantur illæ voces hominum, qui populum noſtrum decipiunt; [Jerem. 6.] *Dicentes, Pax, & non eſt pax*: quam imperite hoc jactitant? quam iniquo etiam animo ſunt, qui curant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: [Ibidem.] *Pax, pax, & non eſt pax*? An ubi malorum lues; pacis, concordiæ, & bonorum ſtatus? an ubi varia morborum ſpecies, recta valetudo? an ubi adhuc morum corruptelæ, diſciplinæ Chriſtianæ perfectio? Attendite, quæſo, qui iſti homines ſunt, cum talia dictitent: [Ezech. 13.] *Liniunt parietem luto abſque paleis, abſque temperatura: & vident viſionem pacis, & non eſt pax*. Cernunt iſti in ſuperioribus noſtris conciliis umbram quamdam diſciplinæ, qua populum informare ſtuduimus; at ejus imago nondum omnibus partibus abſoluta; imo cum imperfecta eſt, tum neque undique etiam communita, eamque ob cauſam verendum nobis eſt, ne illo tamquam paries male materiatus, luto tantum abſque paleis illitus corruat. Longe abſint a nobis voces iſtorum, [Ezech. 13.] *qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*. Næ iſti his adulationum vocibus vocumque blanditiis cum nos fallere ſtudent, tum iſtis etiam illecebris populos noſtros decipiunt: [Iſai. 5.] *dicunt enim bonum malum, & malum bonum*. O popule meus, quis poterit omnia mala, quæ te undique premunt, enumerando perconſere? audent tamen iſti a ſalutis via te adulationibus longius abducere. *Populo meus, qui te in tanta malorum colluvione beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant*.

Propoſuimus jam vobis ante oculos, patres, quamdam pene neceſſitatem ſanandæ provinciæ. Diſquiramus igitur oportet in hoc ipſo

A concilio ſexto ſalutares curationes, ſalutaria medicamenta, & præſentia remedia. Quo in officio diſquiſitionis, evangelium, quod nuper audivimus, nos valde inſtituit, cum curationis munus apoſtolis Chriſtus dominus commiſit his verbis: [Luc. 9.] *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis*. Quorſum hæ leges? quid oſtendunt? quid loquuntur? quid præſcribunt? rerum certe humanarum deſpicientiam, terrenarum curarum abjectionem, vitæ hujus contemptum, animi abalienationem ab iis quæ noſtra ſunt, & illam a noſtris, quos cognationis vinculo natura conjunxit, quamdam quaſi ſejunctionem, atque illas iſtiuſmodi virtutes, quæ in apoſto- B lis eluxerunt; Atque iis quidem hoc etiam unum adjungendum eſt, quod in curatione ſpirituali plurimum valet, ut ne mundi prudentiæ neque noſtræ innitamur. Prudentia carnis mors eſt, prudentia mundi cæca & fallax: ut prudentia ſpiritus, vita & pax. Quæ Chriſti ſunt, Chriſti ſpiritu agamus: ab illo pendeamus, non vulgi judicio, non populari plauſu, non privatis rationibus curæ noſtræ partes commetiamur. Hoc ſane eſt apoſtolos, quos miſit Deus infirmos ſanare, ſalutariter imitari; hoc plane evangelii leges ſervare, hoc ipſum gerere, eſt ſalutares curationes adhibere. Illis virtutibus communiti, voluntatem etiam inſtaurandæ provinciæ ardore quodam inflammatam & paratam adhibeamus. C *Paravit cor ſuum ut inveſtigaret legem*, ſacris literis proditum eſt: alio loco; [1. Eſdr. 7.] *Elegit ſacerdotes habentes voluntatem in lege*: eo animo cordiſque deſiderio ad provinciæ curationem accenſi, imitemur duos graviſſimos viros Joſuam & Eſdram. Hic inſtaurandæ diſciplinæ ſtudio exardeſcens, librum legis, quem manu ſumpſit, aliquot diebus diſtincte legit, quater diu & totidem noctu, populumque ad illius executionem mirabiliter excitavit. Joſuas itidem quo poſſet accuratius omnia legis inſtituta vitæ ſuæ moribus exprimere, librum legis perpetuo in manu habere, & ſingula expendere jubetur: [Joſ. 1.] *Non recedat*, inquit Deus, *volumen legis hujus*; & quoniam lectionis ſtudium parum utile eſt, niſi animi com- D mendatio accedat, ea verba adjunguntur: *& meditaberis in eo diebus & noctibus*; nempe tanta aſſiduitate, quæ omnem prorſus negligentiam excludat. Cum autem hæc ipſa animi voluntas & meditationis ſtudium parum quoque proſit, niſi quæ legibus inſtituta ſunt, ad executionis uſum inducantur; ſequuntur illa verba: *Ut cuſtodias & facias omnia*. Hoc præclaro exemplo nos optimo jure eam rationem nobis ineundam cenſemus, ut decretorum quæ ſuperioribus primis conciliis confecimus libros, in hac ſexti provincialis concilii actione numquam de manibus deponamus: ad quorum præſcriptum ordinem (id quod in omni ſynodo moris olim fuit) officii noſtri partes diligentiſſime perſcru- E temur; quas executi ſumus; quæcumque illæ ſint, vel de nobis ipſis, vel de clero, vel de populo, vel de eccleſiis, vel alia quavis de re conſtitutæ. Hic recrudeſcit vulnus doloris noſtri: hic morbus gravis lethargia laborantium: hic deſidia pene omnium: hic dormitatione quadam hebeſcimus & tabeſcimus: hic nos etiam paſtores & medici congelaſcimus: hic nos, qui alios e ſomno excitare debemus, ſopore quodam torpeſcimus. Ubinam decretorum quæ confecimus cumulata executio? ubi morum corruptelæ erepiæ? ubi peccatorum publicorum ſemina convulſa; ubi vitiorum publica exempla ſublata?



ANNO CHRISTI 1582.

ubi diſciplina publica introducta? ubi juvenum petulantia emendata? ubi tabernis meritoriis, & malorum quaſi officinis finis præſcriptus? ubi ludis publicis, ac lenociniis remedia adhibita? ubi proſtibula amota? ubi popularis concurſus ad ſpectacula publice abrogatus? ubi antiquata ſpectacula? ubi bacchantium Chriſtianorum hominum fœda illa licentia repreſſa? ubi peccatorum colluvioni modus præfinitus? Quid multis? lethargiæ morbus ubique in provincia eſt: lethargia omnes langueſcimus, rebuſque exequendis omnes dormitamus: At dicet quis: Hujuſce executionis atque adeo curationis opus multis partibus difficile eſſe fatemur omnes, & agnoſcimus: Nec vero eſt, cur hoc loco difficultates, multas illas quidem ac ſummas, ſummiſque anguſtiis implicitas proponamus, in quas curæ noſtræ munus incurrit. At nos contra quærimus; num viribus noſtris, an ope Dei tam grave onus ſuſtineamus: ſi viribus noſtris; profitemur plane impar omnino eſſe humeris noſtris: ſi Dei ope nitimur, non eſt cur illius magnitudine frangamur ac debilitemur. *Qui ſperant in domino*, inquit Iſaias, [Iſa. 40.] *mutabunt fortitudinem: aſſument pennas ſicut aquilæ: current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*. Atqui ad omnem in curanda provincia dimicationem vocamur, fortitudinem epiſcopalem induamur, & confortati manu Dei excelſi, miniſterium noſtrum impleamus. Quam præclare Timotheum diſcipulum & epiſcopum Paulus apoſtolus ad omnem epiſcopalem conſtantiam inſtituit his verbis? *Erit tempus, cum ſanam doctrinam non* [2. Tim. 4.] *ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Quid hic apoſtolus epiſcopo jubet? an ut taceat? an ut diſſimulet? an ut ne reſiſtat? an ut ab epiſcopali contentione deſiſtat? an ut ab opere ſuſcepto ceſſet? an ut dormitet? imo in omnes partes eum etiam atque etiam excitat. *Tu vero*, inquit, *vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliſtæ, miniſterium* [Ibidem.] *tuum imple*. An vero fortaſſe accuratione noſtra deterremur, quia hoc noſtro frequenti provinciæ ſanandæ ſtudio exulcerantur animi quorumdam paſſim dictitantium: Non ferunt hæc tempora veterum canonum & antiquæ diſciplinæ medicamenta. Imo ardentius progrediamur: quoniam hæc una medicina præſtantiſſima eſt, maximeque opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus diſciplina Chriſtiana ſata & propagata fuit, iiſdem ipſis & inſtauretur & conſervetur. Jam vero demum, patres ſanctiſſimi, vos optime noſtis, quam præſtanti erga Deum caritate nos accenſi, quam cæleſtibus pene virtutibus nos inſtructi, quam inflammato voluntatis deſiderio nos flagrantes, quam conſtanti epiſcopali fortitudine nos muniti ad provinciam varie langueſcentem non modo accedamus, ſed ita progrediamur oportet, ut aditum omnem nobis aperiamus, cum ad ea quæ decreta ſunt accurate præſtanda, tum ad illa, ſi quæ deſunt, quamrectiſſime ſupplenda. Sed inſtat, urget, & magnopere nos etiam impellit grave periculum animarum noſtrarum. Hujus provinciæ ſalus nobis commiſſa eſt: ſi culpa noſtra aliquis morbo langueſcens perit, væ nobis. Vos eſtis presbyteri in populo Dei, *& ex vobis anima* [Ezech. 33.] *illorum requiretur*, inquit Spiritus ſanctus. Quæ nos ſpoponderimus, & quam ſancte & quam

A religioſe ſpoponderimus, pro grege nobis commiſſo, pro ejus curatione, pro ejus ſalute, vos recte noſtis: religioſe adſtricti ſumus, conceptis verbis multas curæ paſtoralis partes earumque executionem promiſimus: ſpopondimus pro grege, devincti ſumus verbis oris noſtri, capti propriis ſermonibus curationis promiſſæ & ſuſceptæ, fidem præſtemus. *Fili ſpopondiſti*, ut digito Dei ſcriptum eſt, [Prov. 6.] *illaqueatus es verbis oris tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis: ne dormitent palpebræ tuæ*. Sed vos ipſi videtis ſummam vigilantiam, quam ſanctis ſponſionibus debemus. Ad accenſæ autem voluntatis noſtræ ſtudium atque officium, nos etiam in- B flammet deſiderium gregis. Proponamus nobis hic ob oculos probaticam illam piſcinam, amplam, porticus quinque habentem; & in iis iterum ex hac provinciali ſpecula proſpiciamus multitudinem magnam languentium, cæcorum, claudorum, expectantium aquæ motum. Hi omnes (intuemini quæſo provinciam omnem ægrotam) expectant motum aquæ, agitationem conſultationum noſtrarum, actionemque ſalutarem noſtrarum deliberationum: ac jam denique exardeſcentem paſtorali ſtudio animum noſtrum etiam atque etiam, excitet filiorum noſtrorum clamor, quem audire videor in ea verba prorumpentem, quibus olim populus Hebræus Eſdræ opem implorans: [1. Eſdr. 10.] *Confortare* C *& fac, tuum eſt diſcernere*. Nos, inquit, ſalutaribus curationibus opus habemus: veſtrum eſt ægritudines noſtras diſquirere, appoſitaque curatione curare quæſumus, animoque magno ſanare pergite. Veni, o filii cariſſimi, conſolamini, conſolamini; erige ſpem tuam provincia Mediolanenſis. Patres iſti venerunt tibi, ut morbos & vulnera tua ſanent. [Iſa. 60.] *Leva popule meus in circuitu oculos tuos & vide: iſti congregati venerunt tibi*. Quorſum enim tot tantique labores, quos & ſæpenumero antea & hoc tempore cauſa tua ſuſceperunt, ſpectant, niſi ut ſalutis fructum ipſe reportes uberrimum. Tu exurge igitur, exurge, excita te ad orationis ſtudium, ad pietatis opera; quibus im- D plorata divina ope, parentum tuorum perennis hæc ſolicitudo adjuvetur in perpetuum. Amen.

# CONSTITUTIONES

## ET DECRETA PROVINC.

### SYNODI MEDIOLAN. VI.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

E *Nos Carolus ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus Mediolani, ad Dei omnipotentis, beatæque Mariæ ſemper virginis, ac ſancti Ambroſii confeſſoris, & beatorum martyrum Protaſii & Gervaſii, patronorum noſtrorum laudem, hac pro Chriſtiana morum diſciplinæ conformatione, qua clerum populumque fidei noſtræ concreditum prælucere totis in Chriſto viſceribus expetimus, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum dominorum coepiſcoporum noſtrorum in concilio provinciali Mediolanenſi ſexto decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.*

I.

ANNO CHRISTI 1582.

I.

*Quæ ad fidem tuendam pertinent.*

DE commercio hæreticorum quam diligentiſſime cavendo, nos pro noſtri officii munere ſuperioribus conciliis decreta aliqua confecimus, atque edidimus: quibus etiam ex ſanctiſſimi domini noſtri Gregorii papæ XIII. juſſione & præſcripto, hæc, quo diligentior porro cautio in genere adhibeatur, adjungenda cenſuimus.

Optandum eſt, omnique paſtorali ſtudio atque officio id valde curandum, ut quem hæreſis labe infectum eſſe conſtet, nemini unquam, quicumque ſit, impune permittatur ex hæreticorum, eove nomine ſuſpectorum finibus ac regionibus finitimis ad provinciæ hujus loca venire: verum ſi quandoque aliter acciderit, ubi ei rei alia ratione occurri non poſſit, hæc ſaltem caveantur atque plane ſerventur:

Ne cuiquam, quem ex iis locis proficiſcentem hæreticum eſſe certum ſit, hoſpitium diverſoriumve præberi liceat, præterquam in caupona publica, vel in domicilio ſui procuratoris, ſi quem fortaſſe ipſe habet.

Is vero qui præbuerit, illius adventum habitationemque epiſcopo, inquiſitorive, aut parocho, ſi in diœceſin venerit, confeſtim denuntiet. At eccleſiaſticus homo, quicumque ſit, ne eum ullo modo excipiat.

Neque rurſus illum in eccleſia ingredi permiſſum ſit, niſi ſacræ concionis tempore.

Nemini ad hæreticorum fines, locave, ne diſcendæ etiam mercaturæ cauſa, mittere filios liceat, qui annum ſaltem vigeſimumquintum non agant.

Ne cuiquam item, ut alio concilio cautum eſt, ad hæreticorum loca proficiſci liceat, niſi primum ab epiſcopo, aut inquiſitore ejus rei facultatem impetrarit.

Atque hæc quidem facultas ne cuiquam permittatur deturve, niſi a parocho teſtimonium ſcriptum attulerit, ſe more catholico vixiſſe, ſanctaque ſacramenta frequentaſſe, hac præterea adjecta conditione, ut ſi cui facultas permittatur diutius illic commorandi, is quotannis ſemel ſaltem inde redeat, ut & confiteatur, & ſanctiſſimam euchariſtiam ſumat; aut teſtimonii literas mittat, quibus legitime teſtatum fiat, ſe confeſſum conſtituto tempore ſacram euchariſtiam ſumpſiſſe, catholicæque fidei congruenter vixiſſe.

Qui vero prope hæreticorum loca habitant, iis a parocho eam facultatem dari licebit ad breve ſane tempus: ita tamen, ut cum iis exiguum illud brevis moræ ſpatium certum proficiſcenti præſcribat; tum illam præterea conditionem, ne die feſto illic opus faciat, nec vero mercaturam ullo modo exerceat, aliave agat quæ ſacro feſto die agi, fieri, exercerive prohibitum eſt. Imo feſto eo ſaltem die domum omnino redeat, & miſſæ, veſperis, doctrinæque Chriſtianæ ſcholis interſit.

Nec vero cuiquam fas ſit, patrimonium, bonaque ſua vendere, alienareve, ut in hæreticorum loca migret, ibique domicilium conſtituat.

Si quis in hujus rei ſuſpicionem venerit, contra eum agatur ad canonum pontificiarumque ſanctionum præſcriptum.

Bibliopolæ, quique impreſſoriam faciunt, ne quam aggredi volunt artem prius exerceant, quam jurati, fidei profeſſionem epiſcopo conceptis formulæ ſtatutæ pontificiæ verbis præſtiterint.

Ne liber vel exiguus, quamvis ſuperiorum conceſſu alias ſæpe editus, ſine facultate iterum impetrata typis in vulgus emittatur, imprimaturve.

Moris olim fuit, vitandæ gloriæ oſtentationiſve cauſa, libros aliquando alterius nomine etiam aſſimulato evulgari; ſed quoniam hæc tempora, quibus impreſſoria editione aditus eſſe poteſt ad nefaria quæque proſeminanda, diligentiorem cautionem requirunt; interdictum eſſe volumus, mentito fictove alterius auctoris nomine, libros, volumina, literas, ſcriptave cujuſvis generis argumentive, de quibus in indice ſeu concilio Tridentino cavetur, evulgari, edi, typiſve imprimi, niſi conſenſu illius cujus nomine edentur, & epiſcopi permiſſu. Alioquin in delinquentem animadvertatur pro gravitate criminis arbitrio ejuſdem epiſcopi.

Gravis illa ſanctio, qua ſummus pontifex Gregorius XIII. Judæorum blaſphemiis & flagitiis obviam ire voluit, in omni noſtra provincia, præſertim ubi Judæos habitare permiſſum eſt, quotannis non ſemel atque iterum, ſed etiam ſæpenumero, prout epiſcopus opus eſſe cenſuerit, de more promulgetur. Atque ob eam cauſam concilio huic ſexto in fine illam adjungi ſtatuimus. *(Kal. Jun. 1581.)*

II.

*Quæ ad concionatorem pertinent.*

Concionator in urbe ne ſine ſcripta epiſcopali facultate pecuniæ collectam inter concionandum proponat, faciatve; neque itidem in diœceſi, ſine vicarii foranei licentia. Liceat tamen concionatoribus regularibus in eorum eccleſiis, abſque facultate illis tradita ab epiſcopo ſive ejus vicario, ſua monaſteria populo commendare.

Nec vero eleemoſynæ cauſa concionatori ſeipſum commendare liceat: ab aliis tamen piis honeſtiſque hominibus ejus cauſa de epiſcopi licentia conquiri & colligi vetitum non ſit.

Ne in monaſteriis quidem, & locis ubi regulares ſpiritualem temporalemque juriſdictionem habent, quiſquam eccleſiaſticus homo etiam regularis exemptus prædicationis munus obeat, niſi primum ab epiſcopo probatus, intra cujus diœceſis fines ea monaſteria locave ſunt. Regulares vero a ſuis ſuperioribus approbati, ac de eorum licentia in eccleſiis ſuorum ordinum prædicaturi, antequam prædicare incipiant, coram epiſcopo perſonaliter cum ipſa licentia ſe præſentent, ab eo benedictionem accepturi, ſine qua benedictione, aut epiſcopo contradicente, prædicare non præſumant. Si quis contra fecerit, ei pœnæ & cenſuræ conſtitutæ ſint contra alios ſancitæ.

III.

*De cultu ſanctorum.*

Æquiſſimum eſt, cum rationeque pietatis conjunctum, ſanctorum patronorum uniuſcujuſque civitatis provinciæ hujus ſacris imaginibus eccleſiam metropolitanam ſplendeſcere, cum





ANNO CHRISTI 1582.

eorum etiam interceſſionem patrociniumve ibi divinis officiis & litaniis implorari moris ſit. Quamobrem id cum in primis ad religionis cultum, tum ad ejuſdem eccleſiæ ornatum ſplendoremve præſtetur.

*(Greg. XIII. Const. 15. Feb. 1583.)* Ne ſine epiſcopi conceſſu facultateve literis conſignata, extra diœceſin ſacras reliquias aſportari, nec vero quæ etiam aliunde allatæ ſunt, intra diœceſis quoque fines ab una eccleſia ejuſve rectore, etiam de conſenſu capituli, alteri eccleſiæ donari, minus vero cuiquam eccleſiaſtico aut laico homini earum particulam aliquam privatim concedi, tradi, donarive liceat, propoſita excommunicationis pœna, quam ſubeat, tum is qui dederit conceſſeritve, tum ille, qui acceperit, vel aſportarit, etiam eccleſiæ ſuæ nomine. Idque omne quod de reliquiis neque dandis neque transferendis hoc decreto aliis præceptum eſt, ut regulares etiam atque exempti ſervent, eos in domino monemus.

IV.

*De diebus feſtis.*

Dei munere beneficioque cum eccleſia Mediolanenſis prædicatione ſanctiſſimi apoſtoli Barnabæ primum fidei myſteriis imbuta, tum aliæ pleræque hujus provinciæ civitates evangelii lumine illuſtratæ, cauſam omnem feſti illius diei præcipue colendi habent. Quamobrem dies ejus natalis, qui eſt 3. Idus Junii, ut de more aliorum dierum feſtorum, qui a clero populoque ex præcepto coluntur, pie & religioſe ſanctificetur, epiſcopus curet, ubi in ſua diœceſi non colatur, ſanctificeturve.

Quo religioſius in unaquaque vicinia tam urbis quam diœceſis dies feſti colantur & ſanctificentur, epiſcopus certum librum conſtituat, in quem a cancellario, cum omnes ſinguli que dies feſti parochiales, aliive qui ubique in vicinia aliqua vel urbis, vel diœceſis univerſe ſigillatimve aguntur, tum reliqui etiam dies recte atque ordine referantur, quibus indulgentiæ, jubilæi, aliuſve celebritatis cauſa ad eccleſias concurſus eſſe ſolet. Quo libro depravati præterea mores, abuſuſve notentur, ſi qui illis celebritatibus eſſe in iis ipſis viciniis ſolent. Atque iis quidem diebus exſcribendis, epiſcopus ad cognitionem certam parochos ſingulos adhibeat; quorum etiam officium ſit, ſi quæ nova in dies indulgentia eccleſiis ſuis acceſſerit, ſi quæve alia celebritas cauſave denuo inciderit, quamobrem populi concurſus in parochiali vicinia ad aliquam eccleſiam fiat, de ea epiſcopum certiorem facere, ut illa quæcumque ſit, in eumdem librum referatur.

Porro cum ipſum librum accurate exſcriptum, notatis menſibus & diebus, quibus præcipue illæ celebritates ſingulis in viciniis lociſve aguntur, epiſcopus ad ſe in ſingulos menſes afferri jubeat, ut cum uniuſcujuſque regionis, atque adeo pagi locive celebritatem certo die agi perſpexerit, de illius ſanctificatione cultuque literas etiam paſtorales opportune ſcribat, tum aliam præterea omnem diligentiam eo nomine adhibeat. Et vero iis literis officii ſui populus cleruſque monitus, uſque adeo parochorum ſtudiis etiam adjuvetur, ut & vitæ ſancti, quem præcipua veneratione colit, exempla ad imitandum, & epiſcopi monita paterna, & decreta quoque provincialia diœceſanaque eo de genere ad exequendum ſibi plane proponat; ſicque a morum corruptelis, quas prava conſuetudo introduxit, in feſtorum dierum ſanctificatione abſtineat.

Si quando dies feſtus ſancti ſanctæve, cujus celebritas clero populoque colitur, in diem vigiliæ jejuniique incidit, quod ex præcepto eccleſiæ ſervatur; ne fideles ob feſti diei ſolennitatem quam agunt (id quod a pleriſque committi ad nos delatum eſt) jejunium ullo modo violent, ſed ut inſtituti ratio, eccleſiæque magis præceptio poſtulat, recte pieque colant.

Quare epiſcopus, ſi quid iſtiuſmodi in ſua diœceſi patrari committive animadverterit; huic gravi peccato & offenſioni, omni paſtoralis officii ſui ratione occurrere quamdiligentiſſime ſtudeat.

V.

*De indulgentiis orationis cauſa conceſſis.*

Quo uberiores ex orationis inſtituto fructus exiſtunt, eo ſæpius ad illius exercitationem fideles cohortandi ſunt. Officium igitur parochi ſit, quo magis illos propoſito ſpirituali dono alliciat, crebro, cum occaſio tulerit, indulgentiam evulgare eis conceſſam, qui orationi quadraginta horarum ordinariæ aut extraordinariæ epiſcopi juſſu expoſitæ vacaverint.

Hoc officium ut is præſtet, indulgentiæ literas una cum hoc concilio in fine edi volumus.

Idem præſtet de indulgentiis iis datis, qui in oratione, quæ dicitur ſine intermiſſione, verſabuntur.

Idque ex literis pontificiis, infra hujus concilii ultima parte eo nomine editis.

Idipſum præterea ſæpenumero agat de indulgentia fidelibus data, qui ubi ubi fuerint, in elevatione corporis domini oraverint.

Cujus etiam indulgentiæ literarum monimenta infra eo nomine impreſſa ſunt.

VI.

*De parocho & parochiis.*

De cura parocho ægrotanti præſtanda in iis quæ ad ſalutem animæ pertinent, jam pridem in altero concilio provinciali conſtitutum eſt.

Et quoniam caritatis officium eſt, rationem etiam habere curationis corporis; hoc decreto itidem ſtatuimus, ut cum parochiæ alicujus ſacerdos in febrim morbumve inciderit (ſi præſertim ſuorum neminem habet, cujus opera adjumentove ſublevetur) propinquior parochus nullum a ſe officium deſiderari patiatur, quod ad ejus valetudinem recte curandam neceſſarium fuerit.

Atque in primis vicarium foraneum, ſi parochus ægrotus in diœceſi eſt; ſi in urbe, epiſcopum de ejus ægrotatione certiorem faciat.

Quibus locis ex concilii Tridentini præſcripto parochias novas inſtitui erigive liceat; epiſcopus etiam in parochiis, quæ regularium quovis modo ſunt, illas conſtituat, certa fructuum portione attributa ad præſcriptum conſtitutionis Pii V. pontificis. *(Seſſ. 21. c. 4. de ref.)*

Et canonum ratio & diſciplina eccleſiaſtica id maxime poſtulat, ut ad eccleſiam parochialem fideles quam frequentiſſime conveniant: id quod ab epiſcopis accurate eos moneri *(Seſſ. 24. c. 4. de ref.)*

occu-

œcumenica ſynodus Tridentina pie ſalutariterque decrevit.

Ejus decreti auctoritate, ut pro eo quod debemus, plane obtemperemus, in uſumque provinciæ noſtræ inducamus, quod bene agendi rationibus uſuique optime conſultum eſſe animadvertimus; literas monitionis eo de genere infra explicatas hoc provinciali concilio VI. edimus, quas in omni parochiali totius provinciæ noſtræ eccleſia certis feſtis diebus, quos pro ſuæ diœceſis ratione epiſcopus præſtituerit, de more promulgari decernimus: quo diligentius parochiales admoniti, cum officii religioſi partes facile intellexerint, quas ſuæ quique eccleſiæ parochiali debent, incitata quadam voluntatis propenſione exequantur, quod de ſacroſancti illius concilii ſententia eos ſalutariter & quamſæpiſſime monitos eſſe volumus.

Id vero non hac noſtra ſolum provinciali cohortatione monitioneque contenti, provinciæ noſtræ epiſcopi præſtandum curent; ſed omni alia præcipua paſtoralis curæ ratione, quam ejus rei uſui accommodatiorem potioremque eſſe cenſuerint.

Porro monitionis hujus noſtræ literas, quo facilius planiuſque populus intelligat, indeque partes officii ſui non ſolum cognoſcat, ſed recte exequatur; eas in vulgarem etiam ſermonem totas de verbo ad verbum converti, vel ſummatim vulgariter explicari, & ita fidelibus enuntiari iidem curent, prout diœceſis ſuæ rationibus magis expedire viderint.

Fuit olim tanti apud antiquos patres ille frequens ad eccleſiam propriam parochialem fidelium conventus; ut ad hanc diſciplinam populi Chriſtiani inſtitutioni valde accommodatam retinendam, certis decretis cautio aliqua adhibita ſit.

Primo enim hoc juſſum eſt, ut dominicis feſtiſque diebus parochi, antequam miſſam celebrent, plebem interrogent, an alterius parochiæ fidelis adſit, qui proprio contempto presbytero ibi miſſam audire velit; quem ſi invenerint, ſtatim inde ejiciant, & in parochialem ſuam eccleſiam ad miſſam audiendam redire compellant.

Deinde illud plane vetitum fuit, alienæ parochiæ fidelem a parocho ad miſſam non recipi, niſi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit.

Cujus veteris diſciplinæ reſtituendæ, in uſumque revocandæ deſiderio flagrans olim ſummus pontifex Urbani VI. eo de genere apoſtolica ſanctione diligentiſſime cavit; & nuper ſacra Tridentina ſynodus œcumenica ab epiſcopis fideles non ſolum hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias parochiales eccleſias ſaltem dominicis diebus feſtiſque majoribus accedat; ſed illud etiam diligenter oſtendit, unumquemque teneri, ubi commode fieri poteſt, parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei; ac proinde id præterea ſtatuit, a parochis animarumve curatoribus inter miſſarum ſolemnia aliquid ex iis quæ in miſſa leguntur, exponi, & ſanctiſſimi illius ſacrificii myſterium aliquod explanari; plebes ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſci, eaſdemque doceri, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; in lege domini eas erudiri, & ſacra eloquia illis explanari; tum in unaquaque eccleſia parochiali pueros fidei rudimenta inſtrui.

Hi igitur ejuſdem Tridentinæ ſynodi decretis & veteri ſalutarique exemplo adducti, cum

A populum urbis, diœceſis, provinciæque Mediolanenſis noſtræ, rebus ad ſalutem neceſſariis inſtructum, per bona opera ad præmium ſempiternum perducere ſummopere in domino cupiamus, hac noſtra monitione eos univerſos & ſingulos cohortamur, ac per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obſecramus atque obteſtamur, ut quamvis in ſuis viciniis, opidis, & ſuburbiis, oratoria, capellas, aliaſve eccleſias habeant, ubi ſanctiſſimo miſſæ ſacrificio intereſſe poſſint, frequenter tamen dominicis ſaltem aliiſque ſolemnibus feſtis diebus ad ſuam quique parochialem eccleſiam conveniant: ubi a parocho, cui cura commiſſa eſt, verbo Dei paſcantur, fidei Chriſtianæ rudimentis, aliiſque animarum B ſaluti neceſſariis præceptis erudiantur, ad ſanctiſſima ſacramenta religioſius percipienda inſtruantur, ad eorumdem frequentem uſum, ut illa ſacra ſynodus optat, paternis ejus cohortationibus in dies magis inflammentur: tum ab eodem item audiant qui dies feſti, ſi qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ jejuniave ſervanda ſint: diſcant ab ipſo item, quæ Chriſtianæ pietatis officia in illis religioſe colendis præſtari oporteat; ac quæ præterea ſupplicationes, proceſſioneſve, aut ſtationes, orationes, indulgentiæ, jubilea indicantur; quæ matrimoniorum denuntiationes fiant; quæ item, pro ratione temporum, admonitu juſſuve epiſ- C copali ad diligentiorem eorum inſtitutionem promulgentur.

His atque adeo aliis fructibus, qui ex paternis parochi vel in cohortando vel in monendo officiis exiſtunt, eos carere continget, qui ad miſſam iis diebus in ipſam parochialem eccleſiam non conveniunt.

Imo vero quod hoc audiendæ illis diebus miſſæ parochialis munus a fidelibus minus diligenter præſtatur, & a quibuſdam plane negligitur, multa incommoda inde exiſtunt.

Hinc in pleriſque ſæpe fidei articulorum, & Dei, ſanctæque matris eccleſiæ præceptorum, quæ ad ſalutem conſequendam Chriſtianum hominem noſſe oportet, imperitia; feſtorum dierum cultus neglectus, debita Chriſtianæ pieta- D tis opera non exculta, non cognita Chriſtianæ familiarum inſtitutio, langueſcens ſacerdotum parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus; ſanctiſſimorum inſtitutorum, & ſacrorum canonum violatus uſus; hinc denique eccleſiis parochialibus, quæ a majoribus tanto pietatis ſtudio exædificatæ ſunt, inſtaurandis, ornandis, ſartis tectiſque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illiſque nulla aut pene exigua eccleſiaſtica ad divina officia obeunda neceſſaria ſupellex.

His tot tantiſque malis atque incommodis unuſquiſque occurrere ſtudeat, id diligenter exequendo, quod ſanctorum patrum ſuadet aucto- E ritas quod Tridentina ſynodus moneri jubet, quod ex illius juſſu nos de uniuſcujuſque veſtrum ſalute ſoliciti, paternis vocibus cohortamur & monemus in domino.

Nec vero quemquam aliquod, quod vel ex parochialis eccleſiæ aliqua diſtantia, vel ex pluvia, frigore, æſtu, temporumve viciſſitudine exiſtit incommodum, ab hoc officio deterreat: imo vero ad illud diligentius exequendum, prout in domino confidimus, ſe quiſque eorum accendat neceſſe eſt; qui ſalutis ſuæ memores, hujus rei gravitatem eorum quæ commemorata ſunt ratione perpendent, quique aliquando ſecum animo reputabunt, non ſolum parochialem



eccleſiam ſibi datam eſſe, in qua primum A baptiſmo ſuſcepto Chriſto domino renati, aliis ſacramentis aluntur ad perpetuam ſalutem; ſed parochum etiam ſacerdotem ſibi loco parentis eſſe debere, quem diligant, colant, atque obſervent; hoc ſibi proponentes, illum pro fidelibus ſibi commiſſis apud Deum internuntium ac deprecatorem eſſe, divinæ legis interpretem, diſpenſatorem myſteriorum Dei, Chriſtianæ vitæ & morum diſciplinæ magiſtrum, a quo omne petant pie recteque agendi conſilium, ac denique miniſtrum omnium fere, quæ ad ſalutem eis neceſſaria ſunt.

Huic autem noſtræ monitioni, etſi omnes pro præcipua ſuæ ſalutis cura audientes eſſe debent; in primis tamen patresfamilias, tutores, B curatores, ludimagiſtros, ceteroſque aliorum moderationi curationive præfectos cohortamur, divinaque conteſtatione admonemus, ut de ſua, & aliorum quorum curam gerent, ſalute ſoliciti, primum ipſi hæc paterna monita amplectantur, tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inflamment; idque curent, ut non ſolum miſſæ & divinorum officiorum tempore illi in parochialem eccleſiam conveniant; verum etiam ut inſtitutas in ea doctrinæ Chriſtianæ ſcholas illis diebus frequentent.

Cum eccleſiæ alicujus parochialis ejuſque rectoris neceſſitati epiſcopus primitiarum decimarumque aſſignatione, aut parochialium ſymbo- C lis collectiſve providendum eſſe ex decreto Tridentino cenſuerit; ad id præſtandum illos ex ejuſdem Tridentini & provincialis decreti præſcripto compellat, propoſitis arbitratu ſuo pœnis, & cenſuris, atque etiam interdicto generali, præſertim ubi ipſi parochiales id præſtare promiſerint ſpoponderintve.

Quo inſtructiores in ſuis officiis parochi ſint ob eamque rem diligentiores, cura metropolitani ſit; ut quemadmodum canone Toletano præſcribitur, officiorum parochialium liber conficiatur atque emittatur ad communem parochorum provincialium uſum.

## VII.

### *De ſacramentalibus.*

Ne quis epiſcopo inferior, veſtes, indumenta, vaſave ad miſſæ ſacrificium divinorumque officiorum cultum, aut ad altaris ornatum parata, ſine ſedis apoſtolicæ facultate benedicat; niſi alicui de jure talia benedicendi facultas competeret.

Quæ autem ab epiſcopo, aliove auctoritatem habente benedicta non ſunt, ut alio concilio cautum eſt, ſtata ſolemni prece benedicantur.

Sacra prece ex formula libri pontificalis tabernaculum, etiam ligneum, in quo ſanctiſſima euchariſtia recondatur, ante benedicatur, quam ad illius recondendæ uſum adhibeatur.

Aquæ benedictæ, qua vel ſabbato ſancto, vel in vigilia ſacra diei natalis domini, vel alio tempore pro locorum conſuetudine, ædes parochialium hominum aſpergi ſolent, aſperſio cum plena myſteriorum eſt, tum propria parochorum.

Quamobrem ſtato tempore ne alius ſacerdos quam proprius parochus illas aſpergat, aliuſve ab eo conſtitutus; neve item ſabbato ſancto ante ille aſpergat, quam benedictio ſolemnis fontium celebrata ſit.

Aſpergendo autem precibus rite utatur parochus ad præſcriptum libri ritualis.

Illud autem in hoc aſperſionis munere caveat omnino, ut ne ſigno quidem aliquo, ac nutu, nedum verbis, eo ſanctæ aſperſionis nomine quidquam petat exigatve.

Monachi regulareſve cujuſvis ordinis; etiam exempti, non aliunde, ſed ab eccleſia cathedrali, intra cujus diœceſis fines habitant, olea ſacra ſumant. Si ſecus fecerint, arbitrio epiſcopi, in cujus diœceſi manent, puniantur.

## VIII.

### *De baptiſmo.*

Eorum, qui domi, aut in eccleſia tamquam compatres ad baptiſmum adhibiti ſunt, nomina in libro baptizatorum parochus notet: ne impedimentum matrimonii contrahendi ignoretur.

Religioſi inſtituti olim fuit, diem baptiſmi quotannis a fidelibus pie celebrari; id quod ſanctus Gregorius Nazianzenus aliquando oſtendit: quæ ſane inſtitutio cum ad pietatis Chriſtianæ cultum piamque morum diſciplinam non parum adjumenti, in primis adjutrice Dei gratia afferre poſſit: eam in uſum revocari vehementer in domino cupimus.

Itaque parochus & confeſſarius, prout occaſio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, ut fidelium, quorum curam gerunt, unuſquiſque quo die baptizatus eſt, quotannis ardentiori prece, eleemoſyna, ſi per facultates poteſt, omnique caritatis opere atque officio ſpiritualiſque gaudii celebritate recolat, memor ſe chirographo damnationis deleto, hereditatis cæleſtis participem in Chriſto domino factum eſſe.

Qua in cogitatione, cum ſemper alias, fereque in ſingulos dies, ut beatus Chryſoſtomus monet, tum eo potiſſimum die ſancte ſeſe ex- D citet ad præclaram illam ſponſionem & Chriſtianam profeſſionem, quam in ſacro lavacro per ſponſores ſolemniter edit. *Repete*, inquit ſanctiſſimus pater noſter Ambroſius, *quid interrogatus ſis; recognoſce, quid reſponderis. Renuntiaſti diabolo & operibus ejus: Mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus: Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis.*

Parentum cura ſit, diem ob eam cauſam notare, quo eorum filius Chriſto renatus eſt: ideoque parochus, cum baptizaverit, moneat etiam, ut id ab illis fiat, præter ſcriptionem quam ipſe eo de genere in codicem ſtatum parochialem referre debet.

E Baptiſmi vero dies, qui ſolemni illa abrenuntiationis ſponſione profeſſioneque inſignis eſt, ad omnem pietatis exercitationem uſumque non pompis ſæculi, non conviviorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis ſit, celebretur; ſed ſanctæ caritatis erga Deum, ergaque proximum officiis.

Graviſſimo ſuffocationis infantum, qui nondum ætatis ſuæ annum expleverunt, periculo ut occurreretur, pœna excommunicationis, quam mulier in eo genere delinquens ipſo facto ſubiret, in concilio provinciali IV. ſancita eſt.

Verum cum aliquando cauſæ & difficultates incidant, ob quas non omnino præſtari poteſt quod

ANNO CHRISTI 1582.

quod ſalutariter cautum eſt; ideo hoc provinciali decreto eam cautionem adhibere nobis viſum eſt, ut pro conſcientiæ ſuæ religione, epiſcopus in gravioribus cauſis diſpenſare, diſpenſandique aut habilitandi facultatem eo in genere vicariis foraneis delegare poſſit, aliiſque item eccleſiaſticis hominibus prudentia & rerum uſu præditis.

Quod ſi quis, quicumque ſit, etiam præter nutricem & matrem, non adhibita illa cautione, neque diſpenſatione impetrata, infantem contra præſcriptum *in lecto* tenuerit, aut matrem *nutricemve id facere* coegerit, aut impedierit quo minus eo decreto præſcripta cautio adhiberetur: is eadem pœna irretitus ſit, quæ illo decreto mulieri in eo genere delinquenti conſtituta eſt.

## IX.

### *Quæ ad ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum pertinent.*

Paſchæ tempore a ſuo cuique parocho proprio ſanctam euchariſtiam miniſtrari eccleſiæ inſtitutum ac præceptum eſt.

Quamobrem is, ſi quem parochialem habet, qui ex morbo laborans, aliave neceſſitate vere impeditus non poteſt ſacro paſchæ tempore ad eccleſiam convenire, ubi ſanctiſſimam communionem cum ceteris fidelibus percipiat, ad illum (etiamſi paucis ante diebus perceperit) ipſe illo paſchali tempore de more deferat.

Parochus hortetur & curet, ut unuſquiſque paterfamilias, præſertim dato campanæ parochialis ſigno, quo ſacræ euchariſtiæ ad ægrum deferendæ ſignificatio fit, ſine mora in eccleſiam parochialem conveniat, vel alium de familia digniorem mittat, ad illam cerei candeleve lumine proſequendam.

Si quando autem is, qui paterfamilias eſt, per neceſſariam occupationem non poteſt, ſaltem certum aliquem hominem, vel filium natu majorem, vel denique famulum, aliumve mittat, qui id pietatis officium præſtet.

Atque eam ob cauſam domi etiam omnis paterfamilias perpetuo funale, cereum aut candelam unam, pluresve habeat, quot ad id pietatis opus officiumque uſui ſint.

## X.

### *Quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent.*

Epiſcopus a confeſſionibus audiendis ſuſpendat, aut omnino amoveat confeſſarios etiam regulares jam approbatos, quos pro ſuæ timoratæ conſcientiæ religione viderit in eo munere non ita ſincere, integreque, & cum ædificatione ſe gerere, quemadmodum & tanti miniſterii illis commiſſi ſanctitas poſtulat, & animarum ſalus depoſcit, quæ ſuæ fidei concreditæ ſunt.

[illegible]ariter ex doctrina Spiritus ſancti cautum eſt, Chriſti fideles de peccatis confiteri debere, quandocumque rem actionemve aliquam aggrediuntur, in qua præſens mortis periculum pertimeſcendum ſit.

Quamobrem parochus curet atque efficiat, ut [illegible] id quod Pii V. conſtitutione, decretoque [illegible] ſancitum eſt, ut [illegible] parochialis eo profecturus eſt, ubi [illegible], aut hæreſis, aut ubi nullam confeſſarii copiam habere poſſit, aut ad bellum iturus ſit, aut pugnam initurus, aut iter infeſtum navigationemque periculoſam facturus, anteaquam viæ navigationive ſe committat, peccata confiteatur.

Idem officium præſtet de mulieribus proxime parituris.

Id præterea cohortetur, ut quis navigationem, iter longum, negotiumve periculoſum ſuſcepturus, religioſe etiam ſumat ſacroſanctæ euchariſtiæ ſacramentum: mulier item proxime paritura, frequentius.

Moneat quoque ſæpenumero, cohorteturque ut quoties quis rem arduam & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimeſcendum ſit, aggredietur; primo confeſſus idem faciat: ut tanto ſacramento corroboratus, ſpe erectior fiat rei bene gerendæ.

Cum autem vel ab itineris, vel a navigationis, vel a belli, alteriuſve rei periculo, aut negotii [ utcumque ſucceſſit ] cura difficili bene juvante Deo liber erit, hoc eum hortetur item ut quamprimum pie confeſſus, Deo gratias agat hujus ſacramenti ſumptione; in qua præcipua quædam ratio ineſt, qua Deo pro immenſis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referamus.

Epiſcopi cura præter ceteras illa etiam præcipua eſſe debet, ut quantum in ſe eſt, fideles peccatorum laqueis implicitos a turpiſſima peccandi occaſione ſolicitudinis epiſcopalis ſtudio atque officio revocet, animarumque vulneribus remedia opportuna adhibeat.

Ineunte igitur in primis quadrageſima quam diligentiſſime inveſtigabit, ſi qui vel in urbe vel in diœceſi ſunt, qui opera carnis ſectantes turpiter vivant: ſi qui item odia & inimicitias exerceant: ſi qui alii denique qui in aliqua peccandi conſuetudine uſque jaceant: ſi quos porro ejuſmodi ille compererit, omni ratione atque officio illos ad id inducat, ut a via quæ ducit ad interitum ſine mora ſe abducentes, viam ſalutis omnino vereque ſuſcipiant.

Quamobrem eos ipſos, ut pro facti ratione magis expedire judicabit, vel privatim ad ſe accerſat, atque adeo inſtet, quemadmodum ait apoſtolus, *opportune, importune, arguat, obſecret, increpet cum omni patientia*, vel ſeveriori quoque diſciplina in eos agat omni jure omnique officio, ad ſacrorum canonum ſanctionumque pontificiarum præſcriptum.

Nec vero antea quam ipſe perſpexerit, iſtos ab ea male agendi via receſſiſſe, peccandique occaſionem ac publicas offenſiones præcidiſſe, permittat (etiamſi qui teſtimonium confeſſarii afferant) ne in paſchali quidem celebritate ſacram communionem eis miniſtrari: quinimo illam tam diu differri jubeat, quoad eorum veram vitæ emendationem epiſcopus cognoverit: imo vero contra eos, qui quondam ſalutaria monita ſpernentes, in offendiculis perſeverant, neque flagitioſam vitam deſerunt, & a ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſumptione rejiciuntur, agat epiſcopus, agive jubeat, ut concilio provinciali ſecundo agi contra illos ſancitum eſt, qui paſchæ tempore euchariſtiæ ſacramentum non ſumpſerint; ſi vero in contumacia perſeveraverint, in eos præterea ſeverius, prout juris eſt, animadvertat.

Jubeat epiſcopus in omni ſacriſtia certo conſpicuo loco tabellam affigi, in qua eorum, qui interdicti aut excommunicationis vinculo irretiti ſunt, nomina & cognomina recte deſcripta



ANNO CHRISTI 1582.

in omnium conſpectu ſint: ut & ſi quandoque fortaſſe præſentes ſint, a divinis officiis eccleſiaque ejiciantur; & ſi contra concilii provincialis decretum in ea cenſura perſtiterint, in ſingulos menſes ad ejuſdem præſcriptum de more denuntientur.

Illorum præterea ſingulorum nomina, & cenſuræ item qua affecti ſunt genus, octo poſt dies quam interdicti excommunicative ſunt, ad regulares quoque mittantur; ut cum iſtis ipſi etiam agant ad præſcriptum conſtitutionis quam ſummus pontifex Bonifacius VIII. eo de genere edidit.

Quod ſi contra fecerint, pœnas ſubibunt ea ipſa conſtitutione ſancitas.

Quo faciliorem executionem habeat decretum in concilio provinciali V. editum, de quatuor præcipuis illis doctrinæ Chriſtianæ capitibus confeſſario ante confeſſionem a pœnitente recitandis, nos decernimus & declaramus epiſcopi judicio & prudentiæ hoc permiſſum eſſe, ut certis confeſſariis, quibus concedendum eſſe ipſe cenſuerit, concedat, detque facultatem, quæ illam fidei rudimentorum recitationem eo provinciali concilio decretam ac præſcriptam poſſint pœnitentibus aliquando remittere, quos certo ſciant illa capita recte noſſe; & iis maxime quibus pœnitentiæ ſacramentum frequentius miniſtrabunt.

At vero illud confeſſarius caveat, ne ejus recitationis munus illis condonet, quos certo non ſcierit fidei rudimenta memoriter tenere ac recte noſſe. Verum cum illis, qui ea ignorant, agat ad præſcriptum ejuſdem concilii V.

Quod ſuperioribus conciliis ex ſanctæ ſedis apoſtolicæ decreto confeſſariis ſacerdotibus etiam regularibus vetitum eſt, ne pœnitentem quemquam ex privilegiorum, quæ ipſis regularibus aut confratribus data ſunt, vi auctoritateque abſolvant: idem iis interdictum eſt, etiam indulgentiarum literis, quæ eccleſiis conceſſæ ſunt.

Ne in monaſteriis quidem, & locis ubi regulares ſpiritualem temporalemque juriſdictionem habent, quiſquam ſacerdos etiam regularis & exemptus confeſſiones audiat; niſi primum ab epiſcopo, intra cujus diœceſis fines ea monaſteria locave ſunt, ad id probatus fuerit.

## XI.

### *De viſitatione infirmorum.*

30. Decem. 1580.

Sanctiſſimus pontifex Gregorius XIII. ut ſalutarem aliquam ægrotis medicinam afferret, certis apoſtolicis ſuis literis epiſcopis hujus provinciæ auctoritatem dedit indulgentiæ ægris concedendæ, quos vel ipſi, vel eorum nomine alii viſitaverint.

Quæ literæ ut omnibus notæ ſint, proindeque ægroti ſalutare medicamentum contriti & confeſſi capiant ex viſitatione epiſcopali, illæ a parocho, prout uſuvenerit, ſtudioſe accurateque evulgentur.

## XII.

### *Quæ ad ordinis ſacramentum pertinent.*

Ne quis patrimonii ab alio cujuſvis conditionis homine aſſignati, aut promiſſionis titulo, quæ certa cautione de re omni victui neceſſaria ſuppeditanda facta ſit, ſacris ordinibus majoribus initietur; niſi præter ceteras præſcriptas cautiones, illud etiam publico inſtrumento caveatur, ea certa adjecta clauſula, uterque & qui patrimonium aſſignat, & cui aſſignat, jurejurando affirmet, id patrimonium vere poſſideri, obtinerique, ac nihil præterea ineſſe doli & fraudis, nullamque eſſe eo nomine contractum initum, nullumque promiſſum factum, nec vero in poſterum ſe aliquid acturos facturosve eſſe, quo minus clericus, qui initiandus eſt, aſſignato patrimonio vere recteque ipſo utatur, ac fruatur: proinde ſi quod contra actum, geſtum, factumve erit, id omne irritum, reſciſſum, atque plane ipſo jure nullum, nulliuſque roboris eſſe velle. Si quid autem contra actum erit, ei præterea qui ſacris initiatus eſt pœna ſit, ut ſtatim ipſo facto epiſcopi arbitrio ab ordinum quos ſuſcepit munere functioneque ſuſpenſus ſit, nec aliis majoribus ordinibus adſcribi poſſit.

Verum ne qui patrimonium aſſignat, aliquo timore deterreatur, quo minus illud vel aſſignet, aut cautionem victus, qui clerico ſatis ſit, præſtet: ſed quo magis ad id ipſum excitetur, ſtatuimus, patrimonium eo nomine aſſignatum cautionemque item ita ei uſui annecti, ut qui initiatus eſt, illud patrimonium aut cautionem alienare vel remittere nullo modo poſſit, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere poſſit: ſed nec delinquendo amittere; uſque adeo, ut [illegible] cauſa præſcribi [illegible]: ſed eum qui aſſignavit, donavit, cavitque, & ad ejus heredes, aut ad alios qui ab inteſtato clerico initiato ſuccederent, ipſo jure redeat.

## XIII.

### *Quæ ad capitula pertinent.*

Quod concilio provinciali ſecundo ſancitum eſt, ut qui eccleſiaſtici beneficii poſſeſſionem adipiſcuntur, ejuſdem beneficii titulum etiam non moniti menſis ſpatio ordinario ſuo oſtendant; hoc decreto conſtituimus canonicos etiam tam cathedralium quam collegiatarum eccleſiarum comprehendere, in quibus jure legitimo præbendarum optiones fiunt: ita ut a die adeptæ poſſeſſionis, optionis inſtrumentum in cancellaria epiſcopali intra præſcriptum temporis ſpatium exhibere debeant omnino: alioquin contra eos pœna eadem decreto contra beneficia obtinentes ſancita, ac aliis arbitratu ordinarii agatur.

Capitulum ſede epiſcopali vacante vicarium conſtituat, confirmetve, qui omnino juris canonici doctor ſit: quod ſi hujuſmodi vir in collegio capitulove non extat, alium de capitulo, qui quam maxime poteſt idoneus ſit, deligere poterit.

Eidem vicarium ſemel electum mutare ob cauſam licebit, modo alium octo dierum ſpatio conſtituat: alioquin illius eligendi facultas ad metropolitanum, aut ad ejus antiquiorem ſuffraganeum ſede metropolitana vacante pertinebit.

Electione vero in controverſiam aut in dubium adducta, is electus cenſeatur, qui a capituli majori parte delectus fuerit.

Ne vero œconomus ceterive officiales ſemel electi

electi a capitulo mutentur, niſi ea electio etiam vivente epiſcopo ad capitulum pertineat.

Vicario autem aliiſve officialibus abſentibus, ſubſtitutorum electio ad vicarium, non ad capitulum ſpectet.

Cum vicarius aliuſve ex officialibus a ſuo munere amovendus erit, fas ſit capitulo vicarium ipſum officialeſve ad reddendam rationem adminiſtrati muneris compellere; eoſque pro modo culpæ etiam non expectato novo prælato punire: qui nihilo minus eamdem adminiſtrationis rationem quam ſede vacante reddiderint, exigere poſſit, atque in eos, quamvis per capitulum abſoluti eſſent, animadvertere ut juris erit.

## XIV.

### *Quæ ad cleri diſciplinam attinent.*

Quod ab epiſcopis prælatiſve ob dignitatem, qua præcellunt, ex inſtituto fieri decet, ut manu ad pectus admota, ſi quando oportet, jusjurandum præſtent: id ſane ubique & ſemper ita rite ſervent, niſi cauſæ gravitas, prout jure cautum eſt, aliter poſtulat.

Reliqui autem eccleſiaſtici homines, utpote clerici inferiorum ordinum, ſubdiaconi, diaconi, & presbyteri, ſi jurare neceſſe habent, id tactis ſacris literis agant.

In cauſis porro levibus, ubi opus eſt, jurent, manu ſcilicet pectori admota; ſi modo ſuperior præſens non adeſt: quo præſente contactis ſcripturis jusjurandum præſtent.

Sacerdotes miſſæ celebrandæ munere ſuſpenſi impeditive, frequenter, & vero præſertim diebus dominicis ac feſtis, ſacram communionem ſumant.

Si quem cujuſvis ordinis clericum epiſcopus concubinam, mulieremve eo nomine ſuſpectam habere, aut illius conſuetudine commercíove uti compererit; in eum pœnis a ſacris canonibus vel ſtatutis eccleſiæ ſuæ impoſitis animadvertat, quod ſi monitus ſpeciali monitione, ſecundo deliquiſſe repertus fuerit; tertia pars fructuum proventuumque ſuorum beneficiorum, qua ipſo facto privatus exiſtit, juxta decretum ſacri Tridentini concilii, fabricæ eccleſiæ aut alteri pio loco arbitrio epiſcopi applicetur.

Si autem in eodem delicto perſeverans, ſecundæ monitioni non paruerit, omnibus ſuorum beneficiorum fructibus privatus, prædictis locis ſimiliter applicandis, ab ipſorum etiam adminiſtratione ejuſdem epiſcopi arbitrio ſuſpendatur, & diſtributiones quoque quotidianas, quas alioquin intereſſendo divinis perciperet, amittat.

Et ſi ita ſuſpenſus nihilo magis reſideerit; in eum epiſcopus pro contumaciæ pertinacis ratione, culpæve gravitate, ſententiam privationis omnium beneficiorum proferat, & indignus atque inhabilis ad quæcumque beneficia & officia declaretur; & præter prædictas pœnas, excommunicatione, & aliis ad præſcriptum ejuſdem concilii, & pro ipſius epiſcopi arbitrio plectatur.

Liberum autem erit epiſcopo, monitiones has facere, tum in viſitatione, tum aliis etiam temporibus; inter unam & aliam monitionem tempus quod ſibi videbitur interponendo; procedatque ex denuntiatione, vel ex inquiſitione vel ex officio, vel alio quovis modo; & prædictam executionem nulla exemptio aut appellatio, ſive poſt definitivam ſententiam, ullo caſu ſuſpendat.

Hæc eadem, quæ de concubinatu, vel aliis impudicitiæ ſordibus clericorum ſtatuta ſunt, ſervanda erunt etiam ſi quis clericus modo cum una, modo cum alia impudica muliere deliquiſſe comprehendatur.

Quoniam clerici in fornicationem prolapſi, quorum peccatum ejuſmodi notorium eſt, per ſententiam ſeu per confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit, aliquando tamen ante & ſæpenumero poſt pœnitentiam actam, ordinis quo initiati ſunt, proprium munus ſine diſpenſatione obeunt; quippe cum fortaſſe non animadvertant, neque Dei offenſionem, neque canonicum impedimentum, quo ob tale crimen ſeſe devinciunt; idcirco clerum cum ſæpiſſime omnique ſtudio periculi hujus epiſcopi commonefaciant; tum hoc etiam diligenter curent, ut ii ipſi clerici uſque adeo manifeſta concubinatus fornicationiſve labe contaminati, pœnitentiam vero peragant & ordinis ſui muneris, a quo ſuſpenſi ſunt, fungendi facultatem diſpenſationemve ante obtineant, quam illud ipſi obeant: alioqui meminerint ii, qui in male agendi conſuetudine perſeverantes, antequam pœnitentiam præſtiterint, & cujuſcumque vel peccati, vel offenſionis publicæ occaſionem præciderint, ordinis ſui functionem miniſteriumve epiſcopo invito executi ſint, ſe præterea irregularitatis maculam, quæ a ſolo ſummo pontifice deleri poteſt, ſuſcipere.

Si vero præſtita etiam pœnitentia & peccati offenſioniſque publicæ remota præciſaque occaſione idipſum egerint, nulla ſaltem impetrata ab epiſcopo diſpenſatione, qui eam concedere poteſt: norint ſe peccato mortali illigari.

## XV.

### *Quæ ad miſſam pertinent.*

Curet epiſcopus, ut in unoquoque altari, in quo miſſa celebranda eſt, crux adſit.

Ut quæ pia legata ad remedium animæ fidelibus relicta ſunt eo nomine, ut miſſæ pro ſe de defunctis celebrentur, executionem prout pia eorum voluntas depoſcit, recte habeant, id epiſcopus quam diligentiſſime curet.

Quibus autem in eccleſiis ob multa variaque defunctorum legata miſſas uſque adeo multas celebrari oportet, ut ratione ſingulorum dierum, quos teſtamento aliave ultima voluntate teſtatores præſcripſerint, muneri, quod eorum piis voluntatibus debetur, ſatisfieri non poſſit; aut eleemoſyna eo nomine adeo tenuis eſt, ut non facile inveniatur, qui velit huic ſe muneri ſubiicere: idem epiſcopus in ſynodo diœceſana re accurate cognita & perſpecta, ſtatuat quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque eccleſiarum utilitatem viderit expedire; ita tamen, ut in ſingulis miſſis, quas jure reductionis celebrari continget, eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ad pios uſus reliquerunt: debitæ autem commemorationi ſatisfiet per intentionem applicationis miſſarum, per preces in ſecundo Memento, & per collectas faciendas in illis miſſis, in quibus collectæ fieri poſſunt.





Ceterum intelligendum eſt, fructuoſiores eſſe, magiſque prodeſſe preces & orationes ab eccleſia pro defunctis inſtitutas cum applicatione ſacrificii, quam applicationem ſolam; licet recompenſari poſſit per majorem devotionem, vel ejus qui dicit miſſam, vel ejus qui facit dici, vel per interceſſionem ſancti cujus ſuffragium in miſſa imploratur.

Epiſcopus de capellarum oneribus, deque miſſarum numero fundationis jure aliove nomine illis adjuncto, ne concilii Tridentini (quod piarum voluntatum relictis legatis ſolum proſpexit) auctoritate quidquam ſtatuat, ſed eo de genere quod jure cautum eſt, id plane ſervet atque decernat.

Clericus qui in miſſæ ſacrificio miniſtrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neve aliud quidquam de libro aliove officio recitet; ſed toto intimæ pietatis ſtudio ad miniſterium attentus ſit, quod tunc pie religioſeque exequi debet.

## XVI.

### *Quæ ad divina officia pertinent.*

Quo die ſanctiſſimus pontifex conſecrationis coronationiſve inſignia accepit, pietatis ratio poſtulat in eo precationem a clero pro illo pie adhiberi.

Quamobrem omnis ſacerdos; quo die ſummus pontifex conſecratus coronatuſve eſt, in miſſæ ſacrificio ſtata illa oratione, *Deus omnium fidelium;* loco ſuo in miſſali adſcripta, pro eo precetur: atque ob eam quidem cauſam conſecratio pontificia, cum in Kalendario anniverſario die ſuo notetur, tum etiam de more denuntietur; ut reliquus etiam clerus & populus item excitetur ad preces pro illo pie adhibendas.

Summo pontifici univerſalis eccleſiæ paſtori & parenti, ſi quando illum ægrotare contigerit id caritatis officium, prout morbi gravitas tulerit, epiſcopus præſtari curet; ubi ob eam cauſam in cathedrali, collegiata, parochialique unaquaque eccleſia, clerus populuſque certa ſtata hora pro ipſo pontifice oret.

Si quando autem is ex hac vita migrarit, nuntio certo mortis allato id curet, ut cum omni eccleſia campanarum ſono, ut pro mortuis fit, de more pulſetur; tum in baſilica cathedrali eccleſiiſque collegiatis, miſſa ſolennis & officium pro eo mortuo rite pieque celebretur.

Sacerdotes vero ſinguli pro eo defuncto miſſam celebrent: aut ſaltem in ea precentur ſtata oratione.

Pro epiſcopo, qui pater, magiſter, duxque cleri & populi eſt, ſi quando ex febri aliove morbo laborans decumbit, omnis debitæ pietatis ratio depoſcit, ſupplicationem orationemve & publice & privatim ſancte celebrari.

Quamobrem cum occaſio tulerit, ejus vicarii officium erit certis diebus illam inſtituere atque indicere: ita ut cum in urbis, tum etiam ſi ægritudo diuturnior erit, in diœceſis omni eccleſia, tam collegiata quam parochiali, pro epiſcopo ægrotante a clero populoque prece religioſa oretur, & ab unoquoque ſacerdote in ſacroſancto miſſæ ſacrificio ſtata etiam oratio frequenter fiat.

Epiſcopus divinorum officiorum, quibus præſens in eccleſia adeſt, initium ſtatis precibus verſibuſve faciat, orationeſque ſtatas ipſe dicat, binis accenſis luminibus in ejus conſpectum allatis.

Solennes miſſæ, veſperæ, aliaque divina officia, quæ ab epiſcopo ritu pontificali ſolenniter celebrabuntur, quo populus frequentior conveniat, cum in baſilica cathedrali, tum in eccleſiis collegiatis & parochialibus item civitatis die feſto proxime præcedenti denuntientur, eamque ob cauſam in Kalendarium anniverſarium referantur, ut ordine deſcriptæ ſunt in concilio provinciali IV.

Si quæ autem miſſæ aliave officia, ob cauſam quæ extra ordinem inciderit, aliquando pontificali ritu ſolennique celebranda erunt, epiſcopi juſſu iis in tempore ſignificentur, a quibus populo denuntianda ſunt.

Libri qui certis antiphonarum modulationibus olim notati, ex breviarii nuper editi præſcripto nondum emendati ſunt, in ſua quiſque diœceſi epiſcopus curet, ut quamprimum & accurate emendentur, atque accommodentur ad breviarii novi editionem.

Feria quinta cœnæ domini, quo religioſius colatur & cuſtodiatur locus, in quo ſanctiſſimi Chriſti domini corpus recondi ſolenne eſt: epiſcopus diligenter curet, ut & in baſilica cathedrali, & in eccleſiis tam collegiatis quam parochialibus ſemper unus ſaltem ſacerdos, aut ſacris initiatus, eo ſacro loco tamquam in ſtatione collocatus excubet, atque evigilet in aſſidua precatione ſanctaque meditatione.

## XVII.

### *Quæ ad funera pertinent.*

Parochus illius qui proxime præceſſit parochi, univerſaria ſtato die quo ille obiit, celebratione miſſæ parochialis agat, ſin autem pro feſti ſolenniſque diei ratione tunc agi non licet, alio die proxime antecedente, quo licebit, pro illius animæ ſalute pie religioſeque exequatur.

Clericus mortuus veſtitu clericali eccleſiaſtico, quem ordinis ſui ratio depoſcit, indutus efferatur: diaconali eccleſiaſticaque veſte diaconus: ſacerdotali ſacerdos; clericus ſuperpelliceo tonſuraque ornatus: itidemque alii pro ordinis eccleſiaſtici gradu.

Mortuum quovis etiam generis, gradus, dignitatiſve nomine illuſtrem laicum eccleſiaſtici homines ne efferant: ne item inferioris ordinis clericum, qui in ſuperiori ordine conſtituti ſunt.

At vero ſubdiaconum ſubdiaconi, diaconum diaconi, & ſic ordine ceteri; niſi neceſſitas aliquando ſuadeat, digniores ab inferioris ordinis hominibus efferri.

Epiſcopum vero mortuum, ii qui in eccleſia cathedrali dignitates obtinent, & canonici ſacerdotes, & ii digniores efferant.

Laicum autem laici ordinis homines: quod officium etiam laici qui piæ alicui confratriæ adſcripti ſunt, præſtare poterunt.

Lumina, cerei, funalia, intortiatave in funere ne reſtinguantur, niſi ſacro officio etiam ſepulturæ rite abſoluto atque expleto.

Miſſa, cum mortui corpus ſepelitur, quando commode fieri poteſt, pro eo pie celebretur: id quod & canonum jure & ſacrorum rituum libris cautum eſt.

Ne laici etiam confratres, aut alii ſocietati ad-

ANNO CHRISTI 1582.

adſcripti, ſed eccleſiaſtici homines, mortuo cujus funus agitur, totum officium ſepulturæ præſtent: ita ut quæ preces quive ſepeliendi ritus ei ex eccleſiæ inſtituto conſuetudineve adhibentur, eorum & omnium officium non ipſi laici, ſed ſacerdotes & clerici eo nomine vocati perfecte expleant, quoad illius corpus humatum ſepultumve ſit.

Ne die dominico & feſto qui eccleſiæ præcepto, conſuetudine votove colatur, anniverſaria agantur; quæ ſi certo aliquo feſto is qui deceſſit pro ſe agi præſcripſerit; alio proxime præcedenti die cum pro officii ratione licet, celebrentur.

Si quando autem die dominico feſtove mortuum efferri in ſepulturamque tradi contigerit; pro eo miſſam conventualem ad præſcriptum Romani ritualis celebrari licebit.

In omni eccleſia cathedrali & parochiali ſingulis dominicis anniverſaria, quæ in hebdomadam proxime ſequentem in ea eccleſia celebranda erunt, fidelibus denuntientur.

Idem de ſeptimo, & trigeſimo, & alio ejuſmodi officio præſtetur. Qua in denuntiatione parochus cohortatione illos excitet ad orandum pro mortuis, propoſita etiam humanæ vitæ conditione.

Pro fidelibus defunctis religioſas Deo preces orationemque adhibere, officium eſt ſalubre illud quidem, ſanctum, Chriſtianæque pietatis ſtudio plane dignum.

Quam ob cauſam ſummus pontifex Gregorius XIII. Romæ inſtituit prima hora noctis pro illis in ſingulos dies pie orari. Cujus exemplo nobis ad imitationem propoſito maximopere excitati, cum jam pridem proximis annis orationem veſpertinam, quam communem dicimus, pro vivis decreverimus, hanc alteram pro mortuis jam nunc conſtituimus.

Itaque unuſquiſque provinciæ epiſcopus, pro ſalutis animarum zelo, quo præcipue incenſus eſſe debet, in eam curam incumbat, ut ubique locorum in ſua diœceſi religioſe celebretur, omnique ardentiſſimo caritatis & precationis ſpiritu.

Illius horam pro ratione temporis vel brumalis vel æſtivi, proque prudentia ſua, ſub primam noctis vigiliam ita ſtatuat, ut jam decreta oratio veſpertina nullo modo impediatur.

Præfiniat in urbe baſilicam cathedralem, & certas alias eccleſias, in quibus ſtata hora, ſtatoque campanæ ſigno ſignificatio hujus orationis precationiſve fiat.

Unuſquiſque autem fidelis, ubi ubi ſit, vel domi vel foris, ad memoriam mortis excitatus, primum paulliſper tacitus in mortis ſuæ, quam brevi fortaſſe obibit, meditatione verſatus, tum ſe accendat ad orationem pro mortuis, quam pſalmo *De profundis*, aut precatione dominica, & ſalutatione angelica ſæpius repetita, intimo religioſi cordis affectu perorabit: ut defunctorum animæ e purgatorii ſuppliciis ereptæ, Dei miſericordia ad ſempiterna cæleſtis vitæ præmia perducantur. (10. Aprilis 1560.)

Parochi præterea, quo magis atque magis hujus pietatis ſtudium exardeſcat, ſæpe accurata cohortatione ad illius ſtudium uſumque perpetuum parochiales ſuos inflammare ſtudeant; & quo magis eoſdem alliciant, indulgentiam proponant iis conceſſam, qui ſono campanæ moniti atque excitati ad orationem pro mortuis, pie recitaverint pſalmum *De profundis*, aut orationem dominicam ſalutationemque angelicam ter dixerint; cujus indulgentiæ pontificias literas ut parochi aliquando de ſcripto evulgent, in fine concilii loco ſuo impreſſas extare volumus.

Delatum ad nos eſt, nonnullas ex eo offenſiones oriri, quod corpora mortuorum, eorumque præſertim qui repentina morte deceſſerunt, in ſepulturam nimis præpropere, atque adeo celerius quam par eſt, tradantur.

Quibus offenſionibus ut opportune occurratur, decernimus, ne in poſterum corpus aliquod ſepeliatur, niſi duodecim ſaltem horis poſtquam ſpiritum exhalaverit.

Verum ſi quem de improviſo mors aut morbi alicujus repentina vis occupavit, is ne in ſepulcrum inferatur ante vigeſimamquartam hujuſmodi repentini eventus horam: niſi ſecus epiſcopo eive videbitur cui ipſe id curæ dederit.

## XVIII.

### *Quæ ad proceſſiones pertinent.*

Stati dies proceſſionum, quæ pro gratiarum actione fiunt, ut antiquis rituum monumentis traditum eſt, hi ſint, dominicus ſcilicet dies, vel feria quinta. Si vero pro calamitatibus, peſte, bello, fame, aliiſque id generis ſupplicandum eſt, proceſſiones publicæ agantur feria quarta, ſexta, & ſabbato: quibus proceſſionibus agendis etiam certas eccleſias, pro eccleſiæ ſuæ conſuetudine, ac pro populi commiſſi pietate epiſcopus ſtatuet libero arbitratu ſuo.

Supplicationibus publicis obeundis, fideles ſuæ quique eccleſiæ parochialis vexillo prælato, ut frequentes ordine procedant, eos parochus ſæpenumero, prout occaſio tulerit, accurate moneat, valdeque accendat dono munereque indulgentiæ, quam ſummus pontifex Gregorius XIII. pro ſua paterna caritate provinciæ Mediolanenſi conceſſit: cujus indulgentiæ pontificias literas in fine hujus concilii VI. impreſſas, ob eam cauſam frequenter parochialibus ſuis evulget.

Quo frequentiores item in concione ſacra, in miſſa majori, veſperis, & completorio præſentes adſint; iiſdem indulgentiæ literis illos crebro cohortetur & moneat.

## XIX.

### *Quæ ad cultum eccleſiarum pertinent.*

Sacrarum rerum munditia divinorum officiorum religioni debita, eccleſiaſticis ſanctionibus cum præcepta ſit, tum decretis provincialibus generatim univerſeque renovata eſt, ut certis regulis editis ſpeciatim diligentius præſcripta, pro curæ commiſſæ officio ab iis, quorum intereſt, in omni eccleſia ſervetur, metropolitani cura auctoritateque eo de genere omnis inſtructio diligenter ordine contexatur, atque ad uſum provinciæ edatur; quo magis rerum divinarum cultus, ſupellectiliſque eccleſiaſticæ nitor, undique decore & religioſe collocetur.

Si quæ delicta in eccleſia committuntur, parochi, intra cujus parochiæ limites ſita eſt eccleſia, (etiamſi illa regularis ſit & exempta ubi delictum patratum,) officium ſit, quamprimum epiſcopo vicariove literis ſaltem ſignificare. Idem de eo parocho, capellano, rectoreve



ANNO CHRISTI 1582.

reve decernitur, in cujus eccleſia crimen commiſſum eſt.

Quod de velo mulierum non ſine multiplici myſterio, & voce apoſtolica inſtitutum, & pontificio canone corroboratum, & ſanctiſſimarum feminarum exemplis uſitatum, ac diuturno uſu retentum, nos concilio III. provinciali commonendum, & ab provinciæ epiſcopis omni ratione curandum ſtatuimus; quo diligentius in poſterum præſtetur, hoc præterea decernimus: Mulieres cujuſvis ordinis, ſtatus, & conditionis ſint, pœna interdicti ab ingreſſu eccleſiæ ſancita, velato in eccleſia capite ſint.

Quæ vero non paruerint, poſtquam ter, aut ſemel (quæ unica monitio pro tribus ſatis ſit) etiam generatim monitæ, in contumacia perſtiterint, ab epiſcopo, prout expedire judicaverit, puniantur. In baptiſterii ſacello nullum ſepulcrum ſepulturamve extrui liceat.

Si quod autem baptiſterium extra ſacellum ædificatur, permittiturve; ne ſepulcrum proxime fiat: ſed tam longe, ut ab illius ſepimento ſupulcrale os diſtet ſpatio cubitorum ſaltem trium, ac præterea concavitas ſepulturæ ne ſepimentum attingat.

## XX.

### *De bonis & juribus eccleſiaſticis.*

Seſſ. 15. c. 11. de ref.

Quibus judicibus auctoritate concilii Tridentini & ſynodi provincialis primæ facultas data eſt, qua rerum eccleſiaſticarum locationes ad longum tempus factas reſcindant nullaſque decernant; perpetuas etiam locationes cognoſcere, itidemque reſcindere, ac irritas facere ad ejuſdem concilii Tridentini præſcriptum, ii ipſi & poſſint, & debeant.

Quamquam de piis legatis, decimis, primitiiſque decreta permulta contra debitores ſynodis provincialibus promulgata ſunt: nihilo minus iſtorum calliditatibus, rurſuſque eorum quibus debentur commodo non adhuc ſatis conſultum ac proviſum eſt.

Quamobrem epiſcopus, vel ipſe per ſe, vel per vicarios viſitatoreſve ſuos, etiam in viſitationis munere, de piis legatis accurate diligenterque inquirat; accerſitiſque etiam ad ſe, ſi videbitur, heredibus, aliiſve qui ea exequi præſtareve debent, de illis ipſis decernat: certumque præterea tempus quo illi præſtent omnino conſtituat. Atque eorum quidem omnium, & ſingulorum qui illa præſtare debent, nomina edi, in tabellamque certam referri jubeat; quæ in uniuſcujuſque eccleſiæ parochialis ſacriſtia loco conſpicuo affixa propoſitave ſit.

Si quis vero eorum qui in eam tabellam relatus eſt, ad conſtitutum tempus legata quæ debet præſtare neglexerit prætermiſeritve, arbitrio epiſcopi puniatur, niſi re ipſa quamprimum legata quæ debet, perſolvat.

Id quoque ipſum de illis qui decimas & primitias debent, hoc decreto plane conſtituimus & ſancimus.

## XXI.

### *De epiſcopo, epiſcopali juriſdictione, & foro.*

Pro ea qua epiſcopus abundare debet præſtanti cura, proque illa perfectionis epiſcopalis ratione, ad quam omnes ejus rationes referuntur; nihil vel minimum ei prætermittendum eſt, quo munus, quod multiplex graveque gerit, non modo ſuſtinere, ſed explere ſalutariter poſſit, aliorum etiam ſubſidiis ad officii ſui executionem comparatis.

Quamobrem ſibi duos ſacerdotes pietatis zelo flagrantes, ſpiritualique uſu peritos ac prudentes, pro conſcientiæ ſuæ religione ſecreto in civitate deligat: quorum ſacerdotum officium in primis ſit, epiſcopum aſſidue omni caritate, & humilitate, omnique debitæ obſervantiæ officio privatim ſincere admonere, quid in eo vel deſiderari vel opus eſſe viderint, cum ad omnis diſciplinæ, tum vero ad ſacri Tridentini noſtrorumque provincialium conciliorum perfectam atque abſolutam executionem. Ob eam etiam cauſam aliquem provinciæ epiſcopum item deligat, cui cum aliquando per literas paſtoralis adminiſtrationis ſuæ rationes, conſilia, omnemque eccleſiæ ſibi commiſſæ bene gerendæ modum familiariter communicet; ita ut hoc ſubſidio ſibi in omni deliberatione atque actione opem atque adjumentum paret.

Vicini quoque epiſcopi ad muneris ſui functionis [illegible] exemplis ſe in dies ad id excitent, [illegible] eodemque ſpiritu, parique diligentia, imo vero ſancta quadam paſtoralique piæ æmulationis contentione, ipſe curæ ſuæ partes exequatur; cum hæc accenſi ſtudii conjunctio ad conſtituendam, perpetuoque communiendam omnem diſciplinam permultum interſit. Sin autem fratrem epiſcopum, cujus diœceſis finitima eſt, aliquid vel in officii paſtoralis partibus, vel in Tridentinis provincialibuſve decretis exequendis, vel in aliis officiis paſtoralibus aliquid prætermittere animadverterit; cum eo fraterne agat, ut omni vigilantia decretorum, muneriſque epiſcopalis executionem præſtet, quæ eorum utrique præſcripta eſt. Si quando autem ad epiſcopum provinciæ divertet; cum eoque congredietur, illud ſibi magnum præcipuumque negotium propoſitum ſit; ut cum eo eccleſiæ ſuæ adminiſtrandæ rationes conferat, conſultationeſque ineat: id quod ſanctiſſimos epiſcopos feciſſe memoriæ proditum eſt.

Nec vero has rationes ſolum ineat, ſed etiam longe diligentiores, quo accuratius commiſſa officia exequantur.

Ut autem familiam ſuam in bene vivendi regulis atque officiis perpetuo contineat, deligat aliquem ex ſuis virum prudentem, ſpiritualiſque vitæ ſtudioſum: cui id plane mandet, ut quæ in moribus familiæ emendationem aliquando deſiderant, ea quamprimum ſibi referat animo ſimplici ac puro; ut ipſe prout opportunum eſſe viderit, remedium adhibere poſſit.

At præterea quo diligentius familiæ ſuæ inſtitutioni conſulat, cum fraternam etiam correctionem in ea inſtituendam curet, tum vero frequentes ſpiritualium rerum collationes, & alias exercitationes, diſciplinæ etiam regulas ex conciliorum provincialium decretis præſcribat.

Quas regulas in tabella ordine deſcriptas, ipſi

ipſi familiæ in conſpectu propoſitas certo loco affigi jubeat.

Cum vero aliquem in ea adſcribet, illas eiſdem proponat, anteaquam in familia illum adſcribat.

Quod epiſcopus ſancte juratus in ſua conſecratione promiſit, ſe ſingulis annis viſitare limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, cum longe ab urbe Roma abſit, nec propterea id, perſonalis reſidentiæ munere adſtrictus, quotannis facile præſtare poſſit, certum ſaltem nuntium ex jurisjurandi præſcripto ad urbem Romam mittat, qui id obedientiæ officium nomine ſuo præſtet. Is vero quem miſerit conſtitueritve, recte inſtructus ſit cognitione rerum ad eccleſiæ ſuæ ſtatum pertinentium: ut & cleri ſui diſciplinam, & populi in via domini progreſſionem, & omnis eccleſiæ diœceſiſque ſuæ rationes, pontifici, aut iis quibus ille mandarit, quam rectiſſime exponat.

Metropolitanum, ſi quando febri morbove periculoſe laboraverit, decanus epiſcopus provinciæ, aliique epiſcopi duo provinciales qui propius abſunt, de illius invaletudinis periculo a vicario illius certiores facti, nulla mora interpoſita inviſant, fraterna caritate conſolentur, ſalutaribuſque conſiliis opportune juvent. Si vero illum obire contigerit, ejus funus exequiaſque itidem ſolenni ceremonia rite concelebrent, iis omnibus pie recteque ſervatis, quæ hoc de genere conſtituta ſunt: eoque accuratius, quo præſtantior eſt archiepiſcopalis dignitas.

Si quando ex febri aliove morbo epiſcopus laborat, ægrotationis initio, ac deinceps aliquando, prout expedire cenſuerit, cathedralis eccleſiæ ſuæ capitulum, cum quo de ſpiritualis ſanctæque vitæ officiis ac ſtudiis colloquia ſalutaria ineat, ad ſe convocet. Quod vero a ſanctiſſimis epiſcopis hujus provinciæ, præſertim Ambroſio, Euſebio Vercellenſi, Gaudentio Novarienſi, aliiſque factum eſſe memoriæ proditum eſt, id propoſito etiam ad imitationem illorum exemplo epiſcopus exequatur; ut cum periculoſe ægrotans prope diem mortem obibit, cathedralis eccleſiæ capitulum clerumque ante convocet: cui cum pacem, caritatem, ſanctarumque virtutum diſciplinam ſuadeat, eamque quaſi hereditariam quamdam diſciplinam relinquat; tum & univerſe & ſigillatim religioſis eorum precibus, ſanctis ſacrificiis ſeſe intime commendet.

Epiſcopus, cum ægrotans in lecto jacet, frequentiſſime tamen ſacræ euchariſtiæ pabulo ſe ſalutariter reficiat, ac recreet; cui (ſaltem cum primum, tum pro viatico illam ſumet, & ſemper denique, niſi cum ipſe ſecus juſſerit) univerſo clero & capitulo cathedralis eccleſiæ proſequente, archipresbyter, aliuſve deferat & miniſtret, qui ſecundum epiſcopum primariam dignitatem ſacerdotalem obtinet.

Si quando epiſcopus ad actionem ſolennem, quæ in alia provinciæ civitate locove celebratur, accedit, itidem excipiatur ut eum excipi decretum eſt, cum ad concilium provinciale venit: ac præterea obviam ei procedat epiſcopus, ad cujus civitatem venit.

Epiſcopus, ad quem univerſi cleri ſui cura etiam paterna refertur, zelo caritatis accenſus, ſi quem eccleſiaſticum hominem, etiam minoris ordinis, intra alicujus parochialis viciniæ fines ægrotantem audierit, ipſe, aut alius ejus nomine viſitat, & conſolationibus paternis & conſiliis & officiis: quæ ſi illi præſtare debet, certe multo accuratius, atque adeo ardentiori dilectione exequetur erga eos, quos habet baſilicæ ſuæ cathedralis miniſtros, & parochos in animarum ſalute procuranda adjutores.

Quo vero cumulatius id præſtet, pro ſollicitudinis paternæ zelo id etiam curæ ſuſcipiat, ut cum is ſtatis urbis regionibus, tum in diœceſis partibus diſtinctis, præter parochum vel proprium vel propinquiorem, de quo in altero concilio alias cautum eſt, certos etiam ſacerdotes caritate flagrantes, vitæque ſpiritualis moribus & uſu præditos decernat: quorum munus ſit, ægrotantibus clericis, cujuſcumque ordinis ſint, præſertim ope deſtitutis, præcipuam operam, ſolicitudinem, & curam navare, ſi qua opus eſſe viderint, cum in primis ad pie ſancteque juvandum animæ ſalutem, tum ad corporis bene curandi rationem.

Epiſcopus qui totis in Chriſto viſceribus egentium curam gerere debet, cum ceteras rationes ineat, quibus in difficultate annonæ populi ſibi commiſſi egeſtas ſublevetur, tum vero quam diligentiſſime caveat, ut in rei frumentariæ inopia, eccleſiaſtici homines frumentum aliudve alimenti genus, quod ad ſublevandam annonam pertineat, ne ſupprimant abſcondantve.

Ac præterea eos omnes & ſingulos pœnis propoſitis, omnique juris remedio cogat, quidquid frumenti habent, ſive proprium ſive alienum, in privatis aut eccleſiaſticis ædibus reconditum, apud eccleſiaſticum hominem (quem ſi ita expedire cenſuerit, eo nomine ipſe conſtituat) ſine dolo & fraude ſcripto profiteri; eidemque frumenti illius omnis numerum & conditionem recte ſincereque denuntiare.

Et vero ſi quando annonæ gravitas difficultaſque ita tulerit, id omne frumentum venditioni exponi jubeat; ac vendi, quo pretio illius annonæ temporibus in foro frumentario vendi ſolet.

Sæpenumero accidit, de ſervitute aquæ, per alienos agros deducendæ, de oryzis intra certos fines non ſerendis, atque de aliis ejus generis rebus & cauſis, controverſias liteſque inter homines eccleſiaſticos & laicos exitari.

Quamobrem epiſcopus, cujus etiam præter cetera munus eſt, litium occaſiones præcidere, & in commune etiam utilitatibus publicis conſulere; quæ ad eccleſiaſtici ordinis homines pertinere ex canonum ſanctionibus cognoverint, ea edicto etiam epiſcopali, ſi ita expedire cenſuerit, æquo jure ſtatuat ac decernat.

Videat tamen antea diligenter, qua in cauſa ſedes apoſtolica conſulenda ſit: neque vero tunc in eo inconſulte quidquam agat deliberetve.

## XXII.

*Quæ de viſitationem pertinent.*

Singulis annis epiſcopus ad præſcriptum concilii Tridentini eas capellas viſitet, quæ hiſce etiam conditionibus erectæ inſtitutæve ſunt, ut ordinarius aliuſve ſuperior eccleſiaſticus non poſſit, ne viſitationis quidem correctioniſve cauſa, aut alia quavis ratione id ſibi vindicare: uſque adeo ut ſi contra attentatum erit, nulla irritaque ſit & erectio, & ejuſmodi voluntas teſtatoris.

Si vero capellarum erectio fundatiove, ac teſtatoris voluntas hiſce conditionibus præſcripta, ſedis apoſtolicæ auctoritate comprobata erit: tunc ordinarius earum capellarum adminiſtrationis, viſitationis, correctioniſve jus nullo modo ſibi ſumat: niſi fortaſſe, quibus teſtator illarum adminiſtrationem curationemve reliquerit aut commiſerit, eos negligentes eſſe cognoverit. Eccleſias præterea equitum ordinis Jeroſolymitani is itidem viſitet, ut ſummi pontificis Pii V. conſtitutio præſcribit.

## XXIII.

*De concilio provinciali.*

Concilii provincialis celebrationi atque actionibus, ut ejus diligentiorem uſum normamque in dies teneremus, certas quaſdam rationes in ſynodo provinciali IV. conſtituimus: quibus ſane rationibus operæ precium cenſuimus hæc adjungere, quo magis ſplendeſcant illæ actiones; indeque fructus ſalutares exiſtant.

Aliquot ante ſynodi provincialis celebritatem diebus, literæ paſtorales eo de genere a metropolitano editæ cum in omni provinciæ civitate, tum in uniuſcujuſque diœceſis locis, ubi promulgationem fieri moris eſt, epiſcopo curante recte promulgentur: quo ſtudioſius fideles excitentur ad precandi ſtudium, pietatiſque opera, quibus implorata divina ope, actiones conciliares adjuventur.

Atque iis quidem literis, ſi quid epiſcopus pro diœceſis ſuæ rationibus atque uſu addendum cenſuerit, addat licet.

Quod antiquæ diſciplinæ fuit, ut epiſcopus iter faciens duos ſaltem eccleſiaſticos homines, unum ſubdiaconum, alterum diaconum in comitatu haberet: id pro ſanctæ ſolicitudinis ſuæ zelo ipſe ad uſum revocare curet, cum præſertim ad concilium venit.

Epiſcopo ad concilium venienti, metropolitanæ eccleſiæ vicarius generalis, & alii prælati, eccleſiaſticique viri, quos archiepiſcopus delegerit, duo aut tria millia paſſuum obviam prodeant.

Urbem locumve ubi concilium celebratur mula is vectus, & inſigne dignitatis epiſcopalis viatorium indutus, decore ingrediatur. Cum ingreditur, ſancta caritate, rogatu & conceſſu metropolitani, quodam modo impulſus, in via populo benedicere non recuſet.

Primo urbem locumve concilii ingreſſus ad baſilicam metropolitanam primariamve accedat; ubi pauliſper Deum ſancte precetur.

Ad baſilicæ valvas ei obviam veniant, & qui dignitates obtinent, & canonici, & clerici quicumque illius baſilicæ.

Quod ſi fortaſſe tunc divinis officiis in choro occupati ſunt, duo tamen, quatuorve, qui ex ordine ſacerdotum & diaconorum digniores ſunt, e choro mittantur; qui epiſcopum ingredientem excipiant, & ad altare majus deducant. Dum atrium limenve eccleſiæ ille ingreditur, ejus adventus & ingreſſus ſolenni campanarum ſono, &, niſi divina celebrantur, organo etiam piaque cantus modulatione excipiatur.

Inde a baſilica ad metropolitanum ipſe veniat; qui obviam procedens, fratrem epiſcopum omni caritate & oſculo pacis benigne excipiat.

Quod concilio provinciali IV. de miſſa & oratione Spiritus ſancti decretum eſt, id in poſterum ita ſervetur, ut a dominica tertia ante conſtitutam concilii diem, uſque ad id tempus quo illius initium fiet ſingulis diebus collecta de Spiritu ſancto in miſſæ ſacrificio dicatur.

Miſſa autem de eodem feria quinta celebretur, & ſupplicationes item fiant ſtatis diebus ad præſcriptum illius concilii IV. Ubi autem concilii initium factum erit, in omni eccleſia provinciæ, cathedrali & collegiata, ſtata ſolenniſque miſſa, quæ pro concilio dicitur, quinta quaque feria celebretur; aliis autem feriis collecta pro concilio a ſingulis ſacerdotibus in miſſa pie recitetur. Cum vero concilii provincialis dies inſtat, oratio ſine intermiſſione, quæ a clero & a regularibus & a monialibus religioſe ob eam cauſam fiat in civitate, inſtituatur.

Idem in tota diœceſi præſtetur; ita ut inſtituta quadam parochiarum regionumve viciſſitudine, in primaria eccleſia clerus populuſque concilii cauſa Deum pie oret.

Hæc ipſa omnia & ſingula de oratione ut præſtentur, in ſua quiſque civitate & diœceſi epiſcopus curet.

Ubi primum operante domino concilii provincialis initium decreto ob eam cauſam promulgato rite factum erit, tunc hymnus, Te Deum; a choro cantoribuſve pie concinatur. Ubi præterea in aliqua ſeſſione conſtitutiones decretave nova de more promulgata erunt epiſcoporumque aſſenſu a metropolitano comprobata; tum chorus concinat etiam hymnum, Te Deum; &c.

Singulis feſtis diebus, dum concilium provinciale habetur, ſolenni ritu ab aliquo epiſcopo miſſa celebretur; cui reliqui epiſcopi ordine conſidentes interſint; & concio præterea ſynodalibus actionibus accommodata, ab eodem aliove epiſcopo habeatur.

Feſto item die, dum concilium habetur, epiſcopi frequentes ad veſperarum divinum officium conveniant, ſacræque tractationi interſint, quam metropolitanus vel alius epiſcopus habuerit.

Quo tempore concilium provinciale celebratur, clerus populuſque Mediolanenſis, quo frequentiori pietatis ſtudio provinciales actiones adjuvet, ſeptem ſtationales eccleſias inſtar baſilicarum urbis Romæ, a pontifice Gregorio XIII. indulgentiarum dono ornatas, ex certa parochiarum viciſſitudine, quam archiepiſcopus præſcripſerit, ſupplicationibus obeat.

Dum item concilium habetur, in hebdomada quotidie, aut ſaltem tribus diebus ſacræ conciones in eccleſia metropolitana primariave habeantur, quibus explicetur in primis omnis diſciplinæ Chriſtianæ ratio.

Singulis concilii diebus clerus civitatis in capella ædium archiepiſcopalium clericales aliquas ſtudiorum exercitationes ineat ad præſcriptum archiepiſcopi.

De eccleſiaſtica diſciplina certis partibus diſtincta ordineque diſpoſita, orationes Latinas & frequentes eccleſiaſtici homines habeant, quibus ille juſſerit.

Diſputationum etiam de clericalibus diſciplinis ſtudiiſque curſum pene aſſiduum eo tempore teneat: aliaſque ejus generis exercitationes habeat ex præſcriptis rationibus.

Tri-

ANNO CHRISTI 1582.

Triduo præterea, ſtatis ſcilicet illis feriis congregationis publicæ, in eadem capella explicatio diſciplinæ clericalis, quæ in certas partes diſtributa ſit, a perito ſacerdote, quem archiepiſcopus elegerit, toto concilii tempore quamdiligentiſſime habeatur, adhibeaturque ob eam rem cohortatio ejus generis graviſſima: cui cohortationi & explicationi clerus omnis urbanus interſit. Ut autem omnis epiſcoporum familia concilii tempore ſtudioſe utiliterque occupata ſit; quo tempore congregatio habebitur & mane & veſperi a theologo metropolitanæ eccleſiæ, aut ab alio quem archiepiſcopus delegerit, pſalmi, vel aliæ ſacrarum literarum partes ſtudioſe explicentur: cui explicationi atque interpretationi familiæ epiſcopales præſentes attente adſint.

Quotidie concilii tempore dimiſſa congregatione, veſperi ad capellam inde epiſcopi frequentes veniant ad orationem veſpertinam.

Concilio rite abſoluto & dimiſſo, metropolitanus unumquemque epiſcopum, qui ad ſe ſalutandum advenerit, diſcedentem ſancto oſculo pacis dimittat, ejuſque orationibus & precibus ſeſe intime commendet.

E concilio cum ad ſtationem epiſcopalem epiſcopus redibit, paulo ante quam itineri ſe committat, ad eccleſiam metropolitanam primariamve veniat, ubi pauliſper oret.

Synodalium teſtium, qui conſtituto concilii tempore a metropolitano in unaquaque provinciæ diœceſi de more electi pronuntiabuntur, ſi qui abſunt, nomina literis edantur & conſignentur; quibus literis ipſe metropolitanus, epiſcopo cujus diœceſis cauſa nominati ac delecti ſunt, poteſtatem faciat adſtringendi illos jurejurando, quod certis conceptis verbis ex decreto concilii provincialis IV. ab iis præſtari oportet.

Id epiſcopus ubi concilio ad ſtationem epiſcopalem redierit, duorum menſium ſpatio exequatur: deque re ea accurate præſtita metropolitanum per literas eo tantum nomine ſcriptas certiorem faciat.

Teſtium vero, qui vel metropolitano in ſynodo provinciali, vel epiſcopo ex illius auctoritate delegata jusjurandum præſtiterunt, nomina a cancellario fori epiſcopalis certo libro ejus juſſu notentur.

Si quando teſtis ſynodalis a metropolitano in ſynodo provinciali delectus, qui juratus in aliqua provinciæ diœceſi officium illius ſuſcepti muneris gerat, antequam concilii proxime futuri dies indicta venerit, diem ſuum obierit: epiſcopi cura ſit de illius obitu metropolitanum certiorem facere, qui alium in illius locum eligat; qui ex verborum formula concepta etiam juratus, illius muneris partes in illa diœceſi teſtis ſynodalis officio, caritatis zelo, ſinceroque debitæ ſolicitudinis ſtudio ſtrenue in domino proſequatur.

Epiſcopus teſti ſynodali ad concilium provinciale venienti viaticum ſumptuſque victui neceſſarios a clero aliquot ante conſtitutum concilii tempus diebus contribui ex ſynodi provincialis quartæ præſcripto jubeat, aut alia ratione quam potiorem cenſuerit pecuniam eo nomine neceſſariam, quæ poſtea, ut ex illa contributione mutuanti reſtituatur, quam primum curet, ne ulla difficultate impeditus, [illegible] veniendi [illegible] interponat; ſed ad conſtitutum tempus in concilio præſens adeſſe poſſit.

Quoniam non ſolum ad hujus provinciæ commodum, ſed ad rectam quamdam diſciplinæ conciliis provincialibus decretæ exequendæ rationem valde intereſſe poteſt, ſi quæ his ipſis conciliis conſtituta ſancitave ſunt, pro ſubjectæ materiæ ratione certis titulis ordine diſtincta (cum jam quinque libris, prout quinquies itidem eorum conciliorum celebritas acta eſt, varie diſperſa ſint) in unum volumen colligantur: ideo metropolitani cura & auctoritate, ut alia editio omnium uſui accommodatior ſit; illa quæ iis quinque libris continentur, quæque in hac ſexta ſynodo ſancita ſunt, recte, prout materiæ quæ agitur, quæque tractatur, ratio poſtulat, diſpoſita, (ſalva tamen uniuſcujuſque conſtitutionis & decreti provincialis ſententia) uno volumine contexantur, atque ita ordine contexta quamdiligentiſſime edantur.

## XXIV.

*Quæ ad ſynodum, & congregationes ſynodales pertinent.*

Judices, & examinatores in ſynodo diœceſana conſtituti, etiam, ſi quando longius quam unius anni ſpatium ſynodi actio differatur, ſuum munus exequantur.

Indulgentia, cujus etiam literæ in ultima parte hujus concilii editæ ſunt, congregationis nomine conceſſa, ſingulis menſibus a ſacerdotibus foraneis ex decreto provinciali in ſingulos menſes evulgetur, quo die miſſa illius congregationis celebratur.

## XXV.

*Quæ ad beneficiorum collationem pertinent.*

In beneficiis etiam parochialibus juris patronatus laicorum ſimul, eccleſiaſticorumque hominum, illud epiſcopus ſervet atque exequatur; quod de beneficiis quæ juris patronatus eccleſiaſtici ſunt, concilii Tridentini decretis cautum eſt.

Idipſum quoque præſtet, etiamſi ex una parte ad eccleſiam, & vero ex duabus, ad laicum hominem electio ſpectet.

Epiſcopus quoque, beneficiorum, quorum inſtitutionis jus collationiſve ad quoſcumque exemptos alioſve epiſcopo inferiores pertinet, jus patronatus, lites, cauſas, & controverſias omnes quæcumque ſint, cognoſcat & definiat; Clericum autem præſentatum, qui inſtituendus erit, ad inferiores inſtitutionis tantum cauſa remittat; niſi iidem inferiores juriſdictionem ordinariam haberent, cujus vigore de controverſis ſuper jure patronatus alioqui cognoſcere poſſent.

Beneficia quæcumque ſint, etiam parochialia; quæ per ceſſionem vacant, epiſcopus ne ſuo, aut cedentis conſanguineo, nec vero item ſuo familiari conferat provideatve, ut Pii V. pontificis apoſtolica ſanctione vetitum eſt.

Nec vero alicui familiari propinquove ſuo ad illius beneficii concurſum aditum patefieri permittat: quod ſi aliter unquam factum erit, cum omnis collatio proviſione reſciſſa, irrita, nullaque ſit, tum præterea illius pontificiæ ſanctionis pœnæ eo nomine conſtitutæ locum habeant.

## XXVI.

*Quæ ad forum pertinent.*

Stata illa oratio, quam in ſynodis de Spiritu ſancto dici ſolenne eſt, illa ſcilicet cujus initium eſt. Adſumus domine; rite ſancteque, ut liber pontificalis vetus oſtendit, congregationum initio recitetur, quæ de ſanctæ inquiſitionis officio, de judiciis, de ſententia cauſæ ferenda habebuntur. Itidem fiat in omni conventu ubi de clericalibus examinibus, de electione, inſtitutioneve ejus agetur aut deliberabitur, in quem alicujus beneficii eccleſiaſtici cura adminiſtratiove conferatur.

Quam ob cauſam ea oratio recte in tabula literis conſignetur: certoque congregationum loco affixa, cum uſuvenit, in promptu ſit, una cum alia ſtata oratione quam in initio & in fine aliarum actionum congregationumve ex officio beatæ Mariæ adhiberi inſtituti moriſque eſt.

Æquiſſimum eſt, & canone concilii Pariſienſis traditum, eum qui vicariam epiſcopi perſonam & munus vicarium ſuſtinet, ſacris initiatum eſſe.

Quamobrem curet epiſcopus vicarium generalem ſibi conſtituere, qui præter cetera quæ in vicarii ejuſmodi perſona requiruntur, ſaltem ſubdiaconus ſit.

Quoniam ſæpe fit, ut in cauſarum controverſiis (id quod vir & ſanctitate & juris ſcientia celebris Ivo pluribus exponit) inimicitiæ oriantur, ſimultates, odia, rixæ, ceteraque id generis maxime fideles cavere debent, valde exerceantur, & multa eaque gravia crimina inde aliquando conſequantur, ac rurſus bona ſalutariave opera poſtponantur, aut negligantur: ideo in foro eccleſiaſtico, in quo concordiæ potiſſimum, paci, litium tranſactionibus, atque ſedationibus controverſiarum plane conſulendum eſt, epiſcopus eam ineat rationem, ut vicarii aut judices fori ſui, aut alii eccleſiaſtici homines, quos ei curæ præfecerit, antequam litis reive alicujus judicium conſtituatur, ſtudeant omni æquitatis officio paterno conſilio lites dirimere, controverſias ſedare, quæ ad eam rem facilius conficiendam, factum de quo controvertitur, ab ipſis litigantibus, ſeorſum ſingulis ad ſe vocatis, ſtudeant plane intelligere, quantum quidem commode fieri poterit, etiam remotis utriuſque partis advocatis & procuratoribus; ſin autem id aſſequi non poterunt, id ſaltem curent, ut lites brevius quam in foro laicali moris eſt definiantur.

Locum vero nullum patronis, advocatis, procuratoribus, ceteriſque litium miniſtris dent aut relinquant, qui quæſtus forenſis avidi atque appetentes, cauſas prætexunt, calumniaſque adhibent, tum ad cauſarum tranſactionem impediendam, tum ad exulcerandos litigantium animos.

Iſtorum etiam malitiam epiſcopus pœna privationis ſuſpenſioniſve officii poſtulandi & procurandi in ſuo foro, aliiſve pœnis ſuo arbitratu pro ſua conſcientia coerceat, etiam ſine ulla judiciali cauſæ cognitione.

Quicumque in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, etiam exempti qui intra fines diœceſis ſunt, & reliqui præterea inferiores epiſcopo, ne privilegiorum, conſuetudiniſve prætextu, matrimoniorum, & criminum item cauſas etiam viſitando cognoſcant; ſed epiſcopi juriſdictioni judiciove relinquant, ad præſcriptum concilii Tridentini.

Non tamen abbates, quibus alias legitime talis juriſdictio competit, aliive inferiores (ſi de immemorabili conſuetudine ejuſmodi legitime doceant) quo minus de his etiam cauſis cognoſcant prohibeantur. Seſſ. 24. c. 20. de ref.

Conſtitutio decretorum & taxarum a metropolitano confecta, & apoſtolicis literis ſanctiſſimi domini noſtri Gregorii papæ XIII. confirmata & renovata, quæ per judices ſynodales, & conſervatores regularium exemptorumve quorumcumque, & per ordinarios etiam in cauſis delegatis, ac per eorum omnium & ſingulorum notarios ſervanda, atque ad executionis uſum inducenda eſt, ab univerſis, & eorum unoquoque cujus intereſt, ſervetur diligenter inviolateque: ita tamen ut ſi quibus in rebus, cauſis, negotiiſve, aliquo ſtatuto aut conſuetudine laudabili, nihil vel minus quam ea taxa præſcribitur, per judices a ſynodo deputatos, ac regularium exemptorumve quorumcumque conſervatores exigi deberet; conſuetudo illa ſtatutumve omnino retineatur, ſerveturque ad ejuſdem conſtitutionis præſcriptum. 4. Junii 1580.

Quam item conſtitutionem ſeu taxam judicibus ſynodalibus & conſervatoribus præſcriptam, ſervet etiam ordinarius: niſi quibus in rebus conſuetudine, decretis, vel conſtitutionibus, taxiſve epiſcopalibus, taxa minor ei ſervanda propoſita eſſet, quam omnino ſervet.

Si vicarius, judexve ordinarius in cauſis ordinariis vel delegatis, aut conſervatores regularium & exemptorum quorumcumque ſuis in cauſis, aut judex in ſynodo deputatus pro cauſis commiſſariis, eorumve notarii aut miniſtri, quicumque contra præſcriptum ſanctionis illius pontificiæ quidquam commiſerit, deliqueritve; cum eo, quicumque ſit, ad præſcriptum ejuſdem conſtitutionis agatur.

Dierum utilium librum, quibus a fori ſui eccleſiaſtici judiciis feriari liceat, epiſcopus conficiendum edendumque pro fori ſui ratione curet.

Ut frequentius clericorum cujuſcumque gradus & ordinis, quos in foro ſæculari conceſſu epiſcopi examinari ſæpe contingit, periculis occurratur, epiſcopus, ejuſque vicarius, antequam ejus examinis facultatem concedat, rerum de quibus in eo foro interrogationes quæſtioneſve inſtituendæ erunt, capita diligenter & matura deliberatione perpendat.

Clericum præterea de cujus examine agitur, ad ſe, ſi libuerit, accerſat, ac de iiſdem rerum capitibus extra judicium interroget. Illud autem magnopere caveat, ne dum unius defendendi cauſa, quæſtiones examenve de clerico haberi permittit, alteri aliquam vel rei familiaris, vel pecuniæ, vel corporis, vel ſtatus, honoriſve offenſionem aut diminutionem afferat: unde cum ſæpenumero ſimultates & cædes exiſtunt, tum clericus etiam aliquando irregularitatis pœnam maculamve contrahit.

Quarum rerum ſi aliquam epiſcopus ſuſpicionem ex iis ipſis capitibus cognoverit, de quibus quæſtio inſtituenda eſt; nullam clerici examinandi facultatem ullo modo permittat.

Ubi vero illam aliquando dandam eſſe judicaverit: tunc certis capitibus nominatimque explicatis, judicio ſuo præſcriptam, literiſque comprehenſam concedat permittatve.

At

ANNO CHRISTI 1582.

At vero ſemper clerico a ſacerdote jusjurandum deferri jubeat.

XXVII.

*Quæ ad matrimonium pertinent.*

Quod concilio provinciali quinto cautum eſt, matrimonium verbis de præſenti ſine parocho teſtibuſque contractum nullum eſſe, ac ne ſponſalium quidem vim roburque habere: id ita intelligendum eſt; eos qui ita contraxerint, poſſe tamen concilii Tridentini conditionibus adhibitis, denuo matrimonium contrahere, dummodo intra parochiæ fines, & coram parocho proprio, teſtibuſque illud contrahatur celebreturve.

Matrimonium futurum parochus antequam in eccleſia denuntiet, præter id, quod ex concilio provinciali quinto perquirere a ſponſis debet, illos etiam ſeorſum moneat; ut videant, ne matrimonio quod inter ſe contrahere volunt, aliquod impedimentum obſtet, quod mox infra explicatum eſt, neve alia, quæ ipſe pro ſuo judicio & prudentia patefacere exprimereque debebit. Viderint igitur, an alteri fidem adſtrinxerint, aut jurejurando ſpoponderint.

An caſtitatis religioniſve votum ediderint.

An aliquod impedimentum inter eos intercedat cognationis etiam ſpiritualis aut affinitatis uſque ad gradum jure Tridentinoque concilio prohibitum.

Seſſ. 24. c. 2. 3. 4. & 5. de ref. matrimonii.

Si vero filiifamilias ſint, hoc parochus valde cohortetur; ut parentibus, in quorum poteſtate ſunt, eum honorem tribuant, ut illis ne inſciis quidem, nedum invitis, rem tanti momenti ineant.

Id præterea ſtudioſe paterneque etiam utrumque hortetur; ut ſingulari quadam animi pietate, & oratione in primis frequentiori, in re tam gravi ad Deum confugiant.

Quo in genere Tobiæ adoleſcentis, cum uxorem duxit, commemorabile exemplum imitationeque dignum proponat.

Magnam in eo diligentiam adhibuimus, ut corruptelam atque adeo peccatum tolleremus, atque radicitus extirparemus, quod paſſim in provincia noſtra a ſponſis committitur; qui mutua copulatione antea utuntur, quam matrimonium per verba de præſenti rite confectum celebratumque ſit. Verum cum nihil ferme in hoc genere hactenus profeciſſe animadvertamus; pro officii paſtoralis munere, pernicioſæ iſti corruptelæ peccatoque gravi nos diligentius accuratiuſque providendum & conſulendum eſſe ſtatuimus.

Itaque epiſcopi cura ſit, pœnis & cenſuris, quas arbitratu ſuo conſtituerit, ſancire, ne ſponſi, priuſquam matrimonium in eccleſia per verba de præſenti ex ritu celebraverint, non modo ſimul non habitent, ſed ne ullo quidem modo mutua conſuetudine commerciove utantur.

Grave concubinatus crimen eſt, proptereaque quam ingens in eo funditus convellendo ſolicitudo, & quam longe omnium diligentiſſima cura epiſcopi eſſe debeat, cum canonum leges, ſacrique œcumenici concilii Tridentini decreta jubeant; tum vero Pii quinti pontificis maximi apoſtolica ſanctio jampridem edita perſpicue oſtendit.

Seſſ. 24. c. 8. de ref. matrimonii.

Qua ſanctione ſanctæ obedientiæ virtute illud juſſum eſt, ut quæ contra concubinarios ejuſdem concilii Tridentini decretis conſtituta ſunt, in iis ipſis omnino inviolateque exequendis, epiſcopi in ſua quique diœceſi diligenter ſancteque invigilent; Deo Romanoque pontifici rationem reddituri, ſi in eo turpi crimine radicitus extirpando negligenter aut remiſſe ſe geſſerint.

Quamobrem epiſcopus, nemine etiam poſtulante aut accuſante, ex officio, ſine ſtrepitu & forma judicii, ſolaque facti veritate inſpecta, contra iſtiuſmodi concubinarios, cujuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatiſque illi ſint, ſevere agat: proindeque pœnis ſacrorum canonum jure, ſummorum pontificum conſtitutionibus, conciliorumque auctoritate ſancitis, & aliis præterea etiam pecuniariis arbitrio ſuo graviter puniat.

Quos autem ter admonitos in contumacia perſiſtere animadvertet eos non ſolum aliis pœnis, ſed excommunicatione etiam ex eodem decreto Tridentino afficiat.

Paſtoribus non ſolum pericula propellenda ſunt; ſed etiam omnis perículoſa peccandi occaſio pro paſtoralis officii munere eripienda eſt.

Quamobrem cum quæ facile exiſtere poſſunt fornicationes, inceſtus, & flagitia, univerſaque carnis vitia, re alia plane ulla facilius quam fuga, adjutrice in primis divina gratia, ſuperentur; parochus ut diligentiſſime poterit, & epiſcopus in primis, tum auctoritate ſua; tum etiam, ſi opus erit, ſæcularis magiſtratus ope implorata, id maximopere curet, ut ne cum femina, quocumque vel arctiſſimo propinquitatis gradu conjuncta, mas ſimul cubet, etiamſi ambo puerili ætate ſunt, ita tamen grandiuſculi, ut aliqua inde ſuſpicio, periculum, occaſiove impuri flagitii committendi exiſtere poſſit.

Nec vero paupertatis, anguſtæve habitationis excuſationi locus facile relinquatur, quo minus iſtiuſmodi impuritatum occaſio omnis præcidatur: cum humi potius, atque adeo ſub dio jacere ſatius eſſet.

Parochi autem tota hac de re judicium, officiumve intercedat: qui & conſilium det, & opem præſentem ut accuratiſſime poteſt, tantæ impuritatis periculo præſtet.

Eam ipſam curam epiſcopus & parochus ponant in eripiendis morum corruptelis, flagitiis, peccatis, peccandive occaſionibus, quæ graviſſima cum Dei offenſione exiſtunt ex nocturnis illis excubiis, quæ ruſticorum concurſu, juvenili turpium verborum licentia, promiſcua marium feminarumque turba, hieme in ſtabulis paſſim fieri ſolent:

Offenſionibus & peccatis, quæ in cauponis committi ſolent, paſtorali etiam cura & officio occurrendum eſt; ut ereptis corruptelis ſalutariter conſulatur vitæ Chriſtianæ moribus.

Quamobrem cum epiſcopus, cujus officium eſt in omnium cujuſvis generis hominum curam incumbere, tum parochus etiam, ſi quas vel cauponas vel tabernas intra parochiæ ſuæ fines habet, quamſæpiſſime iis qui cauponariam tabernariamve exercent, monita proponat, quæ infra eorum vitæ Chriſtianæ, Chriſtianiſque moribus præſcribuntur, ad eorum ſalutem procurandam.

Primum igitur caupo, non ſolum familiæ ſuæ, ſed etiam hoſpitibus, peregrinis, aliiſve quos hoſpitio exceperit, & verbis, & vitæ exemplis, & humanitatis officiis prodeſſe ſtudeat: ita,





ANNO CHRISTI 1582.

ut ejus familia quique in famulatu ipſius ſunt, ceteris pietatis, caſtitatis, modeſtiæque ſpecimen atque indicium dent.

Proinde impudicos homines; ejuſve infamiæ nota inquinatos, blaſphemos, concubinarios, ejuſve nomine ſuſpectos, aleatores, publicoſve luſores, & id generis nebulones, qui advenas atque hoſpites dolis fallaciiſque decipere ſolent, e familia domoque ſua ejiciat; quorum loco in familia famulatuque pios homines diſciplinæ Chriſtianæ ſtudioſos habeat; qui advenas ad orationem veſpertinam invitent, quam is domi ſuæ curet nullo unquam pacto ſtata hora prætermitti.

In cauponæ veſtibulo porticuve, & in ſingulis præterea cubiculis, ſacram imaginem apponere ne omittat: profana autem omnia, ac turpiter obſcœneque inſcripta pictave inde amoveat omnino.

Ne lenones, meretrices, hiſtriones, mimos, & ceteros malæ conditionis homines, nugatoreſve apud ſe diutius hoſpitari patiatur.

Religioſos & eccleſiaſticos homines ad ſe divertentes, ſeparato, ſi commode poterit, præſertim a feminis, hoſpitio menſaque excipiat: in honore habeat, nec verbis factiſve violari patiatur.

Pauperibus item ſe talem præſtet, qualem ſe præbere Chriſtianum hoſpitem decet. Hæreticos vero, ſi quos divertiſſe animadverterit, illico denuntiet; nec ullo pacto feria ſexta & ſabbato, aliis item præſcriptis diebus, ulli vetitos cibos quovis prætextu præbeat.

Menſæ initio, ab hoſpite, vel ab aliquo familiari benedici curet, adhibita in fine etiam gratiarum actione.

Ne virum ſimul & mulierem cubare ſinat, quos ſuſpicetur matrimonio copulatos non eſſe.

Si quem, dum in caupona verſatur, in febrim morbumve incidere contigerit, de ejus ægritudine ſtatim parochum certiorem faciat, qui illum inviſat, & ſpiritualia remedia eidem quamprimum adhibeat.

Caupo denique Chriſtianus ita in hoſpitii munere agat, ut æquitate, ſinceritate, & caritate utatur; & per opera juſtitiæ progrediens, damnationem æternam fugiat, ac in æterna tabernacula recipi mereatur.

XXVIII.

*De diſciplina Chriſtiana militum:*

Chriſtianorum militum diſciplina his temporibus eo prolapſa eſt, ut in multis Dei offenſionibus, quæ a militum corruptelis exiſtunt, operæpretium etiam ſit invigilare epiſcopalibus monitis.

Ubi igitur militum præſidium conſtitutum eſt, illud cum eorum ducibus præfectiſve epiſcopus ſtudioſe paternaque caritate agat, ut illi in militari ſtatione conſtituti, piæ Chriſtianæque vitæ inſtitutis congruenter vivant: cum præſertim in militum Chriſtianorum laude poſitum ſit, ut pietatem in primis & religionem erga Deum obſervent atque colant.

Quod ergo ad pietatis uſum atque officium attinet, id omne maxime curetur:

Ut doctrinæ Chriſtianæ rudimentis milites inſtituantur.

Ut frequenti ſacræ & confeſſionis & communionis uſu ſe ad bene vivendum communiant.

Ut quotidie & mane & veſperi certa ſtata hora Deum precentur.

Ut roſario quotidiano beatæ Mariæ virginis, quod militibus bello contra Turcas ſuſcepto olim præſcriptum fuit, religioſe utantur.

Ut ſingulis diebus mane in ſtatione communi collecti litanias recitent.

Ut in ſtationis loco ſacram imaginem beatæ Mariæ virginis, aut ſancti alicujus, quem patronum ſibi atque interceſſorem in cælis delegerint, ob oculos propoſitum habeant.

Ut ſacerdotem item habeant ſpiritualis vitæ amantem, epiſcopi judicio delectum, cujus monitis in militiæ ſpiritualis exercitationibus curſum teneant.

Ut in otio militari, a librorum obſcœnorum, quique Chriſtianos viros non decent, lectione abſtineant; ſed martyrum vitis legendis, in quibus fortitudo ac virtus vere militaris elucet, totos ſeſe occupent, cum per occupationes militares poſſunt.

Illud vero etiam maxime epiſcopus cum militum præfectis valde agat, ut jejunia & ciborum delectum ex præcepto eccleſiæ ſervent; a blaſphemiis omnino abſtineant, quas radicitus extirpare ille omnino conetur: cum militis Chriſtiani officium proprium ſit, etiam ſanguinis profuſione tueri gloriam Dei, ſine cujus divina ope nihil reliquum militi Chriſtiano eſt, quod glorioſum eſſe poſſit.

Ut a furto, rapiniſve abſtineant; idque plane eis perſuadeat, ejus generis criminibus perpetuam infamiam inuri militi.

Ut denique detractiones, mendacia, ingluviem, aleam, luxuriam, pompamque abhorreant: ſed etiam omnes virtutum Chriſtianarum partes exequantur, quo cum in omni diſciplina, tum in re militari ſplendeſcunt, utilitateſque uberrimas ſalutariter afferunt.

Atque ob has quidem cauſas inter illos pias confratrias inſtituere epiſcopus curet.

XXIX.

*Quæ ad confratrias, piave loca pertinent:*

Unicuique confratriæ epiſcopus ſacerdotem conſtituere ſtudeat, vitæ ſpiritualis uſu peritum, beneque in ſanctis exercitationibus verſatum; qui ſalutaribus conſiliis, monitis, documentis, aliiſque officiis, confratres in omnem agendi partem tamquam pater & dux ſpiritualis conformet.

Ut multarum controverſiarum, diſſenſionumve, quæ in pleriſque confratriis, ex eo quod priorem locum appetunt, multis provinciæ locis magna cum populi offenſione oriuntur, occaſio tollatur; Nos decernimus, eas confratrias, earumque confratres ſcholareſve, qui in poſterum locum in publicis proceſſionibus, ſumpto de epiſcopi aut ſanctæ ſedis apoſtolicæ facultate habitu, ſibi dari petierint, atque obtinuerint, debere locum digniorem aliis confratribus cedere, qui habitu antiquiores conſueverunt illas ſupplicationes antea obire; etiamſi ipſæ tempore antiquiores ſint, majoribuſque privilegiis communitæ.

Id vero ita decretum in omni confratria ſervetur, niſi cum ob cauſam epiſcopo aliter videbitur.

Quæ ad ſanctæ pietatis inſtitutum atque uſum ſalutariter inſtituta ſunt, paſtoralis curæ eſt cavere, ne depravatis moribus corrumpantur.

ANNO CHRISTI 1582.

Quoniam igitur in proceſſionibus, quæ a nonnullis confratriis ſocietatibuſve noctu fiunt, religioſe quidem illis primum inſtitutis, offenſio aliqua ineſſe poteſt: idcirco ne illas in poſterum noctu agi liceat, niſi & epiſcopi conceſſu, & regulis certis ab eo præſcriptis.

Mulieres autem proceſſiones nocturnas obire interdictum omnino ſit.

Epiſcopus non ſolum, ut ſuperioribus conciliis cautum eſt, locorum piorum adminiſtrationis rationibus interſit, ſed etiam liberationi illius adminiſtrationis.

Quæ liberatio ab eorum locorum præfectis ſolum ne fiat, ſed præſente, conſentienteve epiſcopo; alioqui ſi ſecus fiet, reſciſſa ſit, planeque nulla, ad Tridentini concilii præſcriptum.

## XXX.

*Quæ ad moniales pertinent.*

Quoniam ſuperioribus conciliis provincialibus, non ſatis quantum rei gravitas depoſcit adhuc monialium periculo conſultum ac proviſum eſt; quod cum ex frequenti ad earum monaſteria acceſſu, tum ex ingreſſu etiam ſeptorum clauſuræ exiſtere poteſt: idcirco eo de genere hæc addenda cenſuimus.

Ut autem hæc ipſa notoria ſint, edicto epiſcopali duorum menſium ſpatio, & deinceps quotannis, ſermone vulgari frequenter, prout opus erit, populo promulgari, ſingulisque præterea monialium monaſteriis, earumque præfectis edici denuntiarive epiſcopus mandet.

Ne quis clericus, laicuſve, cujuſcumque generis, ordinis, conditionis, ſexus, ætatiſve ſit, abſque epiſcopi aut ejus vicarii conceſſu literis exarato, ad monialium monaſteria quovis prætextu, cauſave, ac ne eo quidem nomine inviſendi, alloquendive puellas tantum, quæ ibi educantur, unquam accedat, propoſitis pœnis & cenſuris arbitrio epiſcopi.

Ne quis item abſque ejuſdem epiſcopi facultate ſcripta, intra ſepta monaſterii monialium in poſterum ingredi audeat.

Seſſ. 25. c. 5. de regul. & monialibus.

Si quis contra fecerit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat, ex concilii Tridentini, apoſtolicarumque ſanctionum, quas ſummi pontifices, Pius quintus, & Gregorius decimus tertius, eo nomine ediderunt, præſcripto.

A qua excommunicatione non ab alio niſi a ſummo pontifice Romano abſolvi poſſit.

Neque in poſterum aliquis eccleſiaſticus ſæcularis, regularis, aut laicus, quocumque gradu, auctoritate, dignitateve præditus, cuiquam homini eccleſiaſtico, etiam regulari aut laico, facultatem ad monialium monaſteria accedendi, ne colloquendi quidem gratia concedat; nec vero monaſterii ſepta ingrediendi poteſtatem faciat, quavis conſuetudine, ſtatuto, lege, privilegiiſve, etiam ſedis apoſtolicæ auctoritate ante concilii Tridentini promulgationem roboratis & communitis non obſtantibus.

Si quis contra commiſerit, pœnam excommunicationis ipſo facto ſubeat, aliaſve arbitrio epiſcopi.

Abbatiſſæ, prioriſſæ, & aliæ moniales, quæ eccleſiaſticos, aut laicos homines quavis cauſa, prætextuve intra monaſterii ſepta abſque epiſcopi conceſſu literis conſignato ingredi permiſerint, ipſo facto excommunicationis pœnam ſubeant; a qua e ſanctionis ſanctiſſimi domini noſtri Gregorii papæ XIII. præſcripto, non poſſint niſi a ſummo pontifice abſolvi, præter alias pœnas eadem conſtitutione propoſitas.

Quæ vero moniales abſque epiſcopi conceſſu ſcriptis exarato, quemquam vel marem, vel feminam, contra quam ſupra præſcriptum eſt, ad collocutionum, rotarumve loca admiſerint, biennio mulctatæ ſint ſuffragio omni.

Si vero iterum in hoc genere deliquerint, arbitrio epiſcopi puniantur; tum deinceps ſi iti dem offenderint, excommunicationis etiam pœnam ipſo facto ſubeant.

Præfecta autem monaſterii, facultates omnes ſcriptas, quas unuſquiſque exhibuerit, ſive de accedendo ad monaſteria, ſive de ingrediendo illæ ſint, accurate aſſervet; epiſcopoque clauſuram viſitanti, & alias quoties poſtulabit, exhibeat, ut eas cum libro, quod regeſtum nuncupatur, conferre poſſit.

Epiſcopus autem, cum clauſuras monialium, etiam earum quæ regularium curæ, juriſdictionique ſubjectæ ſunt, viſitabit; de clauſuræ cuſtodia, & decretorum, quæ ad eam recte tuendam quovis modo pertinent, uſu atque obſervatione, moniales etiam ſingulas, ut opus eſſe viderit, diligenter interroget.

Collocutionum loca in monialium monaſteriis, tam intrinſecus quam extrinſecus conſtituta, clavi clauſa perpetuo ſint, niſi cum ibi quis eſt collocutionis cauſa, ex facultate legitima: clavis autem apud præfectam cuſtodiatur.

Ut autem quod de vetito ad monialium monaſteria acceſſu cautum eſt, certis diebus retineatur; clavis etiam adhibeatur oſtio loci exterioris collocutionum in monaſteriis: quæ clavis noctu præſertim ab epiſcopo committatur confeſſario, aliive pio viro arbitratu ſuo.

Is vero illis diebus ne aperiat, neve clavem aperiendi cauſa tradat, niſi facultatem epiſcopi ſcriptam exhibenti.

Quo autem ſanctior hujus clauſuræ cautio adhibeatur; epiſcopus, ubi expedire cenſuerit, peſſulum, vectemve oſtiis ſingulis clauſuræ ab exteriore parte claudendum apponi mandet arbitratu ſuo, clavemque noctu præſertim ei committat, quem fidum, probum, aptumque eſſe judicarit.

Occaſione correctionis, pœnitentiæ, ſeu examinis, in cauſis etiam criminalibus & gravioribus, monialis clauſura ne educatur, etiamſi in aliud monaſterium, locumve pium conducenda, ne ad breve quidem tempus.

Facultas ingrediendi ſepta monaſterii nulla detur niſi in ſcripto: neque vero quæ ſine ſcriptis conceſſa eſt, cuiquam ſuffragetur, niſi quando una cum epiſcopo is monaſterium ingreditur.

Epiſcopus autem ſolummodo, at nullo modo vicarius generalis, hanc poteſtatem faciat, niſi ſpeciatim ei epiſcopus auctoritatem delegarit, qua aliis ingrediendi facultatem dare poſſit: atque epiſcopus quidem eam auctoritatem minime alii demandet, niſi vicario ſuo generali; ac neque ei item, cum ipſe præſens eſt.

Regulæ, conſtitutioneſve ſpeciatim editæ de pœ-



ANNO CHRISTI 1582.

pœnitentibus mulieribus, quæ profeſſionem emittunt, ſerventur; ut in iis recipiendis conſenſus duarum partium monialium requiratur, ut concilio provinciali primo ſancitum eſt, (id quod in aliis ſolum monialibus locum habere hoc loco declaratur) ſed major pars ſatis ſit etiam in profeſſione emittenda.

Nec vero in earum mulierum domiciliis certus numerus conſtituatur: nec rurſus in iis locum habeat, quod de eleemoſyna loco dotis alimentive, ejuſque ſumma & addictione in monialium monaſteriis præſtari decretum eſt; ſed illud in neceſſariis alimenti expenſis erogetur: reliquum autem in alias monaſterii neceſſitates, aut in bonorum immobilium emptionem arbitrio ſuperioris convertatur.

Iis mulieribus liceat profeſſionem emittere, ea ætate, eoque temporis probationis ſpatio, quibus jure communi licet, aut eorum conſtitutionibus ſpeciatim cautum eſt.

In earum præterea renuntiatione & obligatione, conſtitutiones earum, & earum ſuperioris, aut jus commune ſervetur.

Neque novitiæ, ſi quid in anno probationis dederint, mulieresve acceperint, pœnis plectantur, niſi ſpeciatim aliter caveatur.

Mulieres item, quas abſoluto probationis anno non habiles eſſe, neque idoneas ad profeſſionem compertum eſt, aut ſi profiteri illæ recuſaverint, e monaſteriis niſi cauſis jure permiſſis ne ejiciantur.

Verum epiſcopus probationis, novitiatuſque tempus proroget licet.

Nec vero item quæ mulieres habiles non ſunt ad officium, velumque nigrum ſuſcipiendum, etiamſi domus illa converſis opus non habeat, contra inſtitutum repellantur.

Epiſcopi & prælati omnes tam ſæculares quam regulares, quibus monaſteriorum monialium quovis modo cura concredita eſt; facultate ſibi ex officio data in ea ingrediendi ita demum utantur, ut ſcilicet cum neceſſaria cauſa urget, ingrediantur, paucoſque comites, & eos quidem ſeniores ac religioſos homines ſecum adhibeant: ne pœnas ac cenſuras Gregorii papæ XIII. ſummi pontificis conſtitutione ipſo facto inflictas ſubeant, quam conſtitutionem accurate ſervent.

13. Decemb. 1581.

## XXXI.

*Quæ generatim ad has conſtitutiones & decreta pertinent.*

Quæcumque etiam de ſacramentorum adminiſtratione, miſſæ ſacrificii celebratione, divinorumque officiorum modo & ratione, in hac & ſuperioribus provincialibus ſynodis decrevimus, ea plane omnia & ſingula ad metropolitanam etiam, ceteraſque quaſcumque eccleſias ritu Ambroſiano utentes, pertinere ſancimus & declaramus: niſi ſi quid ejuſmodi erit, quod vel per nos, vel deinceps per ſucceſſores noſtros archiepiſcopos nominatim, ſpeciatimque declaratur Ambroſianis ipſis ritibus inſtitutiſve expreſſe adverſari.

Si in his decretis ante alteram Mediolanenſis provinciæ ſynodum ulla difficultas orta erit, ejus declarationem, tum vero præterea omnium quæ eiſdem decretis continentur interpretationem & explicationem, nobis uſque ad proxime futuram provincialem ſynodum reſervamus; ſalva ſemper ſedis apoſtolicæ auctoritate.

Quamcumque facultatem ex decretis in hac provinciali ſynodo Mediolanenſi ſexta per nos editis habent epiſcopi; eam ipſos per ſuos vicarios generales, aut per alios quibus conceſſerint & delegarint, exequi poſſe volumus; niſi in iis quæ proprie ad ordinem epiſcopalem pertineant, aut in quibus vicarii, a ſacris canonibus, aut a concilio Tridentino, vel a nobis expreſſe excluſi ſint.

Ut nemini eorum, quæ in hac quinta provinciali noſtra ſynodo a nobis decreta ſint, ignorantiam excuſare liceat, edicimus, ut ex quo primum die de illis edictum promulgationis eccleſiæ metropolitanæ valvis propoſitum erit, ad duos menſes, omnes ſe, & his decretis, &, ſi contra fecerint, pœnis, quæ eis continentur, teneri intelligant.

Ab eo etiam affixionis die, eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari jubemus.

Unuſquiſque præterea epiſcopus ea in proxima diœceſana ſynodo, ad præſcriptum ſacrorum canonum, & concilii Tridentini promulgari jubebit; & quo ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant, ſingulæ etiam cathedrales, & collegiatæ, & parochiales eccleſiæ hujus provinciæ, has noſtras conſtitutiones aliquo loco collocatas perpetuo aſſervent.

Omnia & ſingula quæ a nobis in hac quinta provinciali ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati, ac judicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris & magiſtræ, ſemper emendanda, & corrigenda ſubjicimus.

*SUBSCRIPTIONES REVERENDISSIMOrum dominorum epiſcoporum, qui concilio provinciali ſexto interfuerunt.*

Nos Carolus ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mediolanenſis, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum ſubſcripſimus.

Ego Cæſar epiſcopus Dertonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Nicolaus epiſcopus Cremonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Hieronymus epiſcopus Bergomi conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joannes epiſcopus Brixiæ conſentiens ſubſcripſi.

Ego F. Dominicus epiſcopus Aſtenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Guarnerius epiſcopus Alexandrinus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius epiſcopus Albenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus epiſcopus Intimilienſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Alexander epiſcopus Caſalenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius Picaluva archipresbyter opidi Caſſinarum, procurator ſpecialis illuſtriſſimi & reverendiſſimi epiſcopi Aquenſis, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi; & omnia & ſingula in hac ſancta ſexta ſynodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Joannes Paulus Albergonus canonicus eccleſiæ cathedralis Novariæ, procurator ſpe-

cialis illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini Franciſci epiſcopi Novarienſis, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſexta ſynodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Paulus Granutius juris utriuſque doctor, protonotarius apoſtolicus, perilluſtris ac reverendiſſimi domini Joannis Franciſci epiſcopi Vercellenſis ſanctiſſimi domini noſtri papæ & ſanctæ ſedis apoſtolicæ nunc apud sereniſſimum Rodulphum imperatorem nuntii vicarius generalis, ejuſdemque in hoc ſpecialis procurator, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, omnia ac ſingula in hac ſexta ſynodo decreta, acta, edita, & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Joannes Antonius Jordanus clericus Savonenſis, illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini Dominici Grimaldi epiſcopi Savonenſis, hoc tempore ſanctiſſimi domini noſtri papæ apud Avenionem gubernatoris, ad hoc ſpecialis procurator ejus nomine ſubſcripſi; & omnia ac ſingula in ſexta ſynodo provinciali Mediolanenſi acta, decreta, edita, & promulgata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Marcus Antonius Amidanus presbyter Cremonenſis multum illuſtris & reverendiſſimi D. Ludovici Tabernæ Laudenſis epiſcopi, & nuntii apoſtolici ad sereniſſimum & catholicum Hiſpaniarum regem Philippum generalis vicarius, ac ad id etiam procurator ſpecialis, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine, omnia & ſingula in ſexta ſynodo provinciali Mediolanenſi acta, & decreta, edita, & promulgata recipio.

## INDITIO FUTURI CONCILII

### SEPTIMI PROVINCIALIS.

*Carolus ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis tituli ſancti Praxedis, ſanctæ eccleſiæ Mediolanenſis archiepiſcopus*, &c.

OMNIBUS & ſingulis reverendiſſimis dominis epiſcopis Dertonenſi, Aquenſi, Cremonenſi, Bergomenſi, Brixienſi, Aſtenſi, Alexandrino, Novarienſi, Vercellenſi, Albenſi, Intimilienſi, Caſalenſi, Laudenſi, Savonenſi, Viglevanenſi, Placentino, Albingaunenſi, aliiſque univerſis & ſingulis, qui ſynodo provinciali Mediolanenſi, quacumque ratione intereſſe debent, omnibuſque item capitulis, & eccleſiarum cathedralium procuratoribus, hoc publico decreto indicimus, ſignificamus, denuntiamus, & intimamus proximam ſequentem Deo omnipotente auctore, & ad ejus laudem, hac eadem in urbe, hoc ipſo loco, anno MDLXXXV. die vigeſimonono menſis Aprilis, qui dies erit feria quinta dominicæ tertiæ poſt paſcha reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti, inchoandam & celebrandam eſſe; Quamobrem eos omnes & ſingulos reverendiſſimos dominos epiſcopos monemus, procuratores vero eccleſiarum cathedralium invitamus; ut eo die ad ſynodum provincialem ſeptimam juvante Deo Mediolani celebrandam conſtituto, hic omnino interſint, niſi diem celebrationis ipſius ſynodi aliqua ex cauſa a nobis prorogatum fuiſſe noſtris ad eos datis literis intellexerint. Quod ſi ipſorum reverendiſſimorum epiſcoporum noſtrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuntium procuratoremve ad ſe excuſandum, atque ad id impedimentum probandum ad nos mittat: cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia & ſingula nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ recipiendi, quæ divina gratia auxiliante in ipſa ſynodo a nobis de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum conſtituentur decernenturve.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S.J.

Perfectis jam atque ad felicem exitum perductis ſancti Caroli Borromæi Mediolanenſis archiepiſcopi provincialibus ſex conciliis (conſulto enim poſt Binium alioſque diœceſanas undecim ſynodos ab eodem celebratas omiſimus) quæ continua ſerie ac ſub unum veluti aſpectum lectoribus noſtris exhibere maluimus, quam a ſe invicem divulſa variis aptare temporibus; nunc ad inſtitutum noſtrum revertimur, ac ſervata quæ ubique dominatur chronologica ratione repræſentamus nonnullas ſynodos ſub Romanis pontificibus Pio IV. & Pio V. ejuſque ſucceſſore Gregorio XIII. interim habitas in diverſis orbis Chriſtiani provinciis. Initium porro ducemus ab Hiſpania, in qua illuſtriſſimus annalium eccleſiaſticorum ſcriptor Henricus Spondanus Apamiarum epiſcopus aſſerit ad annum 1565. num. 21 celebrata fuiſſe quinque provincialia concilia, *Toletanum* ſcilicet, *Salmantinum*, *Bracarenſe*, *Cæſar-Auguſtanum* ac *Valentinum*. Unum ex iis nancisci hactenus potuimus, *Toletanum* dumtaxat, quod nobis cum quibuſdam aliis ſubminiſtravit locupletiſſima bibliotheca Thuana excuſum in 4. Compluti anno 1566. apud Andream de Angulo. Optandum quippe foret, ut reviviſceret aliquis Garſias Loaiſa, qui Hiſpanica concilia a tempore domni Pelagii regis ex bibliothecis, & bibliopoliis diligenter educta uno pluribuſve voluminibus includeret ac publicaret.

ACTIO





# ACTIONES CONCILII

## PROVINCIALIS TOLETANI

In ejuſdem urbis templo cathedrali eccleſiæ aſſumptioni deiparæ virginis Mariæ conſecrato celebratæ, ſub ſanctiſſimis dominis noſtris Pio IV. & Pio V. regnante invictiſſimo rege noſtro Philippo II. præſidente domino Chriſtophoro Rogio de Sandoval, epiſcopo Cordubenſi.

### D. CHRISTOPHORUS ROGIUS DE SANDOVAL.

DEI GRATIA EPISCOPUS CORDUBENSIS, ſacri concilii provincialis Toletani præſes, reverendiſſimis epiſcopis, & clero hujus provinciæ, ſalutem in eo qui eſt vera ſalus.

CUM *ſator ille cæleſtis ſacerrimis doctrinis, quas a profundiſſimis illis paterni pectoris horreis adduxerat, agrum eccleſiæ ſuæ tamquam probatis ſeminibus compleviſſet: jamque læta ſeges fidei, ſimul cum ſanctiſſimis moribus conjuncta longe lateque per univerſum orbem ſuccreſceret: hoſtis humani generis tantam hominum felicitatem ferre non ſuſtinens, numquam ab illis eccleſiæ incunabulis ceſſavit ſuperſeminare zizania, & lucem clariſſimam evangelii teterrimis errorum tenebris offundere. Nempe, ut ait dominus, de naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque ferventis: fervet nimirum in noſtrum exitium, & habet fiduciam ut influat Jordanis in os ejus. Proh dolor! jam pene majorem eccleſiæ partem deglutivit, ſed numquid obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Exurge, quare obdormis domine? exurge, & ne repellas in finem: verum ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael: nemo poteſt eripere oves electas de manibus ejus. Nam qui tam noſtris, quam priſcis temporibus decepti, ab unione catholicæ fidei diſceſſerunt, licet ex nobis prodierint, non erant ex nobis. Neque enim portæ inferi prævalere unquam potuerunt adverſus eccleſiam Dei, quæ ſupra ſoliditatem petræ fundata oppugnari poteſt, corruere non poteſt. Et quidem navicula Petri ſemper diverſis errorum fluctibus a malignis ſpiritibus concitatis agitata eſt, ita ut pene mergeretur: apoſtoli tamen eorumque ſucceſſores eccleſiarum prælati, ſemper laboraverunt in remigando, atque Spiritu ſancto afflati convenientes, ſanctiſſimis decretis ſervaverunt. Id quod factum videmus Nicææ adverſus Arium, Conſtantinopoli adverſus Macedonium, Epheſi adverſus Neſtorium, Calchedone adverſus Eutychen: quæ quatuor concilia generalia Gregorius poſt quatuor evangelia ſe recipere eſt profeſſus. Poſt hæc tamen alia generales ſynodi coactæ ſunt, ſuborientibus novis hæreſibus, aut veteribus reſurgentibus. Extremis etiam hiſce noſtris temporibus ſingularis ille ferus Lutherus ab Aquilone, unde panditur omne malum, ſingulari ſuperbia turgidus, ejuſque mores æmulatus qui dixit, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, divinas humanaſque leges conculcans, ſedit in cathedra peſtilentiæ, rabidiſque dentibus ſuis (id eſt, doctrina mordaci atque furibunda) vineam domini ſabaoth vaſtare contendit; & ungulam equi (id eſt, finem mundi) adortus eſt, ut omnes aſcenſores ejus in tartari voragines præcipitet. Tanto opere vero ſerpſit virus quod evomuit, ut juſto Dei judicio propter ingentia noſtra crimina permittente, bonam Chriſtianæ reipublicæ partem infecerit: integraque regna & provinciæ cum principibus ſuis, proceribus & plebe, catholicis inſtitutis nuntium remiſerint. Quid faceret pia & ſancta mater eccleſia, intuens tot filios ſuos ab hac fera peſſima ejuſque ſequacibus devoratos, inque putida viſcera nefandæ hæreſeos trajectos? Utique confugit ad ſolitum remedium. Convenerunt ergo paſtores ejus atque doctores Tridenti, videre de verbo hoc: Et ecce almum Spiritus lumen cælo delapſum pectora eorum tanto ſplendore perfudit, ut vere etiam in illis cernamus impletum, quod dominus apoſtolis ſuis de paracleto promiſit: Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Illo enim ſuggerente atque docente profunda, ſcripturarum ſanctarum ingreſſi veritatem, catholicam, ſanamque doctrinam [illegible] fortiter demonſtraverunt, ut nemo ſapientiæ & ſpiritui, qui per eos locutus eſt, reſiſtere valeat. Ecce enim nobis produxerunt tabulas ab ipſis quidem delatas, a Dei autem digito exaratas atque conſcriptas, quibus recta fides & ſancta morum norma continetur. O vere ſacer conventus, qui conventicula Satanæ deſtruxit, atque damnavit, eccleſiam Dei priſtinæ pulchritudini & decori reſtituit, menteſque fidelium in fide apoſtolica confirmavit! Nec tantum præteritis malis finem imponere eſt conatus, ſed etiam futuris proſpicere: perſpectum enim habens, pravos corruptoſque mores, & paſtorum negligentiam lectum hæreſibus ſternere, præcepit ut concilia provincialia ſaltem tertio quoque anno celebrarentur, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris canonibus permiſſis. Igitur favente Deo optimo maximo, reverendiſſimi epiſcopi, & patres hujus provinciæ, juxta præſcriptum ſanctæ generalis ſynodi, Toleti convenientes, concilium, cui nos (licet indigni) præfuimus, celebraverunt: id etiam agente atque curante invictiſſimo & religioſiſſimo principe & domino noſtro, Philippo Hiſpaniarum rege catholico: cui tantus ardor conſervandæ rectæ fidei, tantus amor reſtituendi eccleſiaſticas leges inſedit, ut merito cum ſanctiſſimis illis imperatoribus Conſtantino & Theodoſio Dei dilectis conferri poſſit & debeat. Hi enim principes, tametſi maximo fidei zelo ferbuerunt, nequierunt tamen a regnis ſuis nefandas hæreſes Arii, aliorumque hæreticorum extirpare: at noſtra Hiſpania hujus noſtri pii regis ſtudio prudentiaque mirabili immaculatam fidem conſervat & tenet, cum tamen pleraque regna finitima ab apoſtolicis dogmatibus deſciverint.*

*Quantam vero lætitiam his diebus, cum eſſemus in hac urbe congregati pietas ejus exhibuit! quem hiſce oculis aſpeximus, ſacras reliquias Eugenii martyris primique hujus metropolitanæ ſedis antiſtitis,*

*quas e Gallia deferendas curaverat, ſuis ulnis, ſimul cum cariſſimo ejus filio Carolo principe ac domino noſtro, in hanc matricem eccleſiam intuliſſe. Quidni epiſcopi gauderemus, reliquias ab hereticis in hac tempeſtate contemptas, tanta veneratione ſuſceptas? tanta religione & pietate a rege potentiſſimo deportatas? Favente ergo tanto rege, & ſuis literis patres hortante, ut eas leges conderent, quę maxime reipublicę Chriſtianæ conducerent: cœpit concilium celebrari ſub ſanctiſſimo domino noſtro Pio papa quarto felicis recordationis, ad finem autem eſt perductum ſub ſanctiſſimo domino noſtro Pio papa quinto, qui nunc a Deo optimo maximo eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. In quo diutina deliberatione, ſolicitaque diſcuſſione prœmiſſa, decreta ſunt quæ noſtræ provincię juxta canonicas ſanctiones, utiliora commodioraque fore putavimus. Qua in re nec nobis ipſis pepercimus, ſed eas leges condidimus, quæ non modo gregem in officio eccleſiaſtico continerent, ſed etiam epiſcopos ad ea præſtanda conſtringerent, quę dignitas eorum & cura paſtoralis expoſceret. Sed quid profuerit utilia præcepta ſanxiſſe, ſi negligantur? aut (quod magis dolendum eſt) contemnantur? ſi plerique non jam factores, ſed judices legis inſurgant: & venenati ſerpentis diabolicam illam vocem uſurpent: Quare præcepit vobis dominus? filii contumaces & perverſi, quibus omnis eſt diſciplina moleſta, & audiunt a domino per prophetam: A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea: dixiſti non ſerviam. Quod ſi laici extrema etiam pœna digni cenſentur, ſi temporalibus regibus ſuis in iis quæ ad corpora gubernanda præceperint, minus obtemperent: quibus quæſo ſuppliciis expiabitur clericorum quorumdam rebellis pervicacia, qui præcepta patrum ſacrorumque pontificum totis viribus infringere violareque nituntur? Cumque clerici militum vicem gerant, pontifices vero atque epiſcopi imperatorum, ut facto agmine contra poteſtates aereas, ſæculariaque hominum vitia, & vita & verbis dimicamus; quamnam obſecro victoriam ſperabimus, ſi milites in acie hac imperatoribus ſuis parere recuſent? ſi ut hæretici contentioſis litibus, ut acutiſſimis ſpinis obſiti, correctionem ſynodi prælatorumque juſſa propellant? Certe concilia Toletana, quę ante nos celebrata noſcuntur, tanta acceptione digna ſunt habita, ut veluti ſacra oracula univerſa pene eccleſia ſuſceperit: tantamque auctoritatem & fidem aſſecuta ſunt, ut & ſummi pontifices, & concilia generalia ea in fide confirmanda, & in moribus corrigendis, magna veneratione citare non dedignentur. Quibus merito conjicimus, ſpiritum veritatis pręcipua dilectione complecti, pręcipuis ſavoribus proſequi conventus, qui in hac ſancta civitate pręſentia etiam ipſius matris domini conſecrata, coguntur. Quod ſi totus pene Chriſtianorum orbis tantum conciliis Toletanis detulit, tantum tribuit, tanta aviditate ſuſcepit: pudeat clerum ditionis Toletanę provinciæ ſubjectum, iis vel modicum reluctari, quæ noverit a tam ſancto fonte fluxiſſe. Confidimus autem de vobis, fratres, parochi & presbyteri eccleſiarum, meliora & viciniora ſaluti: Tametſi ita loquimur propter quoſdam, qui ne forte non per oſtium in ovile ingreſſi ſunt, ſed aſcenderunt aliunde; ita clare demonſtrant nulla ſe dominicarum ovium cura teneri, quos ſi ad reſidentiam, ſi ad miniſterium quod ſemel ſuſceperunt obeundum impuleris, protinus velut furiis quibuſdam agitati, univerſa præceptorum vincula conantur abrumpere. Nos epiſcopi hujus ditionis primi [illegible] admovere debemus: memores [illegible] Chriſti, dum bonum paſtorem [illegible] in evangelio, [illegible] cum proprias* *oves emiſerit, ante eas vadit, & oves illum ſequuntur. Præcedet ergo pontifex in omnibus, quæ ad pietatem cuſtodiamque ſanctionum canonicarum ſpectant: alioqui quomodo oves ſequi, atque imitari poterunt paſtorem non præcedentem, ſed in deſidia otioque remanentem, & reddituus tamen corpuſque curantem? Patere, ait ſapiens, legem quam ipſe tuleris; pudeat, pudeat nos a patres, ſi ſubditi merito de nobis verbum illud evangelicum obmurmurent: Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere. Caveamus ne juſti quique & boni viri noſtras ipſas oves ad aurem moneant, & dicant: Omnia quæcumque dixerint vobis facite, ſecundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Patres, apoſtolorum locum indigni peccatores tenemus, apoſtolorum ergo vitam imitemur & actus, apoſtolorum ſemper veſtigiis inſiſtamus. Agite ergo, patres & fratres, jam aliquando reſipiſcamus & vocationis noſtræ rationem habentes, ſedulo nos ad opus miniſterii accingamus, noſtramque provinciam ad ſanctos eccleſiæ primitivæ mores, felicemque ſtatum totis viribus revocare conemur. Aderit Deus ipſe tam piis votis, & quod in hiſce decernendis operatus eſt in nobis ſolita pietate & clementia confirmabit.*

## ACTIO PRIMA.

*Concilii provincialis Toletani, in ejuſdem urbis templo cathedralis eccleſiæ, aſſumptioni deiparæ virginis Mariæ conſecrato, celebrata die octava Septembris, anno a Chriſto nato MDLXV. indictione octava, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri papæ Pii quarti anno ſexto: ac regni invictiſſimi regis Philippi ſecundi anno decimo.*

### DECRETUM SANCTÆ SYNODI Tridentinæ de celebrandis conciliis provincialibus.

PROVINCIALIA concilia ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris canonibus permiſſis, renoventur. Quare metropolitani per ſeipſos, ſeu illis legitime impeditis, coepiſcopus antiquior intra annum a fine præſentis concilii, & deinde quolibet ſaltem triennio, poſt octavam paſchæ reſurrectioni D. N. Jeſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore pro more provinciæ non prætermittant ſynodum in provincia ſua cogere, quo epiſcopi omnes, & alii qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent, exceptis his quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet, convenire omnino teneantur: nec epiſcopi comprovinciales prætextu cujuslibet conſuetudinis ad metropolitanam eccleſiam in poſterum accedere inviti compellantur. Itidem epiſcopi qui nullo archiepiſcopo ſubiiciuntur, aliquem vicinum metropolitanum ſemel eligant, in cujus ſynodo provinciali cum aliis intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſervent, atque obſervare faciant: in reliquis omnibus eorum exemptio & privilegia ſalva atque integra maneant. Synodi quoque diœceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur: ratione tamen parochialium, aut aliarum ſæcularium eccleſiarum etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi ſint, ſy-





ſynodo intereſſe. Quod ſi in his tam metropolitani, quam epiſcopi & alii ſupraſcripti negligentes fuerint, pœnas ſacris canonibus ſancitas incurrant.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Sancta & provincialis ſynodus Toleti in cathedralis eccleſiæ templo aſſumptioni immaculatæ virginis Mariæ conſecrato, auctoritate veterum ac generalium conciliorum, & ſacroſanctæ ſynodi Tridentinæ, ſanctæ ſedis apoſtolicæ, ac ſanctiſſimi domini noſtri Pii quarti ſummi ac Romani pontificis, & invictiſſimo domino noſtro ac rege catholico Philippo ſecundo conſentiente, & invitante, ad publicam hujus provinciæ utilitatem, ac reformationem cleri, & populi Chriſtiani, ad pravos mores comprimendos, & ad alia extirpanda, quæ Chriſtiano nomini nocuerunt, & nocere ſolent, legitime congregata, præſidente in ea (juxta ejuſdem Tridentinæ ſynodi decretum) reverendiſſimo in Chriſto patre Chriſtophoro Cordubenſi antiquiori coepiſcopo, præſente admodum illuſtri domino Franciſco a Toleto a catholica majeſtate miſſo, ut huic ſanctæ ſynodo ejus nomine intereſſet & aſſiſteret, ac ſimul in ea convenientibus reverendiſſimis patribus & epiſcopis, Petro Siguntino, Didaco Segobienſi, Bernardo Conchenſi, Honorato Oxomenſi, & admodum reverendo Didaco abbate de Alcala, quæ regalis dicitur, ac procuratoribus hujus metropolitanæ ſedis Toletanæ, eccleſiæ capitulo, & ejuſdem urbis clero, ac multis procuratoribus a cathedralium eccleſiarum capitulis, & clero hujus metropolis ad eamdem ſynodum miſſis ac deſtinatis, lecto prius publice decreto ſanctæ ſynodi Tridentinæ de provincialibus conciliis celebrandis; ante omnia exemplum patrum ſecuta, fidei confeſſionem præmittendam eſſe decrevit, eamque præmiſit; ſymbolum fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur totidem verbis exprimendo, in hunc qui ſequitur modum.

### *SYMBOLUM FIDEI.*

CREDO in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum: Et ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine: Et homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt: Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per prophetas: Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurrectionem mortuorum: Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admittit & amplectitur.

Sacram ſcripturam, juxta ejuſdem ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia (cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum) admittit, nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiet & interpretabitur.

Profitetur quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria: ſcilicet, baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam-unctionem, ordinem & matrimonium: Illaque gratiam conferre; & ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos eccleſiæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione, recipit & admittit.

Omnia & ſingula quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo diffinita & declarata fuerunt, amplectitur & recipit.

Profitetur pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, ac propitiatorium ſacrificium pro vivis ac defunctis: atque in ſanctiſſimo ſacramento euchariſtiæ eſſe vere & realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat.

Conſtanter tenet purgatorium eſſe; animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.

Sanctos confitetur una cum Chriſto regnantes venerandos eſſe, eoſque orationes pro nobis Deo offerre: atque eorum reliquias venerandas eſſe firmiter tenet.

Imagines Chriſti ac deiparæ ſemper virginis Mariæ, necnon aliorum ſanctorum habendas ac retinendas eſſe: atque iis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Poteſtatem indulgentias conferendi a Chriſto in eccleſia relictam eſſe; illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmat.

Sanctam catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem agnoſcit.

Romanoque pontifici, beati Petri apoſtolorum principi ſucceſſori ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondet.

Cetera item omnia, quæ a ſacris canonibus & œcumenicis conciliis ac præcipue ab eadem ſacroſancta Tridentina ſynodo diffinita ſunt, tam in his quæ ad extirpandas hæreſes, quam in iis quæ ad morum reformationem pertinent, ejuſdem ſanctæ ſynodi decretum ſecuta recipit, & omnino recipienda ab omnibus eſſe decernit. Hæreſeſque omnes ab iiſdem ſacris canonibus, & generalibus conciliis, & præſertim ab eadem ſancta ſynodo Tridentina damnatas, deteſtatur & anathematizat.

Ceterum cum hujus ſanctæ ſynodi ea ſit præcipue cura & ſolicitudo, ut omnium mentes in ea dirigantur, quæ ad ſpiritualem ſalutem a domino ac Deo noſtro Jeſu Chriſto impetrandam, magis conducant; utque divina majeſtas quæ Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit, his qui ad eamdem ſynodum acceſſerunt, dignetur

gnetur tribuere gratiam, quo eorum actiones Chriſtianæ reipublicæ ſalutares ſint, atque apoſtolicis inſtitutis conveniant. Hortatur ſancta ſynodus epiſcopos omnes, abbates, ſacerdotes, & quoſcumque alios qui ad eamdem ſanctam ſynodum convenerunt, atque omnes in Chriſto fideles, ut pro ejuſdem ſynodi optato exitu, ſaltem ſingulis ſextis feriis jejunent: aſſidue in Dei laudes incumbant: preces offerant: ſacrificium miſſæ peragant: non immemores in eiſdem piis operibus, precibus & ſacrificiis, pro ſanctiſſimo domino noſtro Pio quarto, & catholico rege ac domino noſtro Philippo, divinam majeſtatem orare; ut eis tranquillam vitam agentibus, ad victoriam adverſus Chriſtiani nominis hoſtes obtinendam, in hæreſibus extirpandis, & Chriſtiana republica ab infidelium invaſione defendenda atque amplianda, benigno atque propitio favore aſſiſtat.

Et ut omnia maturius ac conſultius abſque ullo ſtrepitu tractari queant, in ſententiis dicendis in loco benedictionis conſidentibus domini ſacerdotibus, juxta conciliis in hac eadem urbe olim celebratis ſtatutum, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare: nullis etiam falſis vaniſque aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quicquid dicatur, ſic mitiſſima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inſectatur.

Eadem denique ſancta ſynodus omnes, & ſingulos ad eam accedentes certiores facit in illuſtriſſimi ac reverendiſſimi archiepiſcopi domo congregationes habendas fore, ut qui velit aliquid vel petere, vel proponere, quod publicæ ſit utilitatis, libere id facere poſſit, atque eamdem ſanctam ſynodum rationem habituram eorum, quæ ad publicum commodum pertinere videbuntur.

Placentne vobis, patres reverendiſſimi, hæc decreta.

Omnes reſponderunt, Placent.

Ego Chriſtophorus epiſcopus Cordubenſis ſubſcripſi.

Ego Petrus Seguntinus ſubſcripſi.

Ego Didacus epiſcopus Segobienſis ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus epiſcopus Palentinus ſubſcripſi.

Ego frater Bernardus epiſcopus Conchenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Honoratus epiſcopus Oxomenſis ſubſcripſi.

Ego Didacus abbas de Alcala la Real ſubſcripſi.

## ACTIO SECUNDA

*Concilii provincialis Toletani, in ejuſdem urbis templo cathedralis eccleſiæ, aſſumptioni deiparæ virginis Mariæ conſecrato, celebrata: die dominica Idibus Januarii, anno a Chriſto nato MDLXVI. indictione nona, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri Pii quinti anno primo, ac regni invictiſſimi regis noſtri Philippi ſecundi anno decimo.*

CUPIT [illegible] ſancta ſynodus veterum [illegible] canonum ad [illegible] reformationem diſciplinam revocare, [illegible] generalium conciliorum decreta, ſanctiſſimorum pontificum conſtitutiones, & provincialium ſynodorum ſtatuta minime cenſeat ſuperfluum eſſe, epiſcopos omnes, ſacerdotes, & quoſcumque alios eccleſiaſtici ordinis, nec non & laicos ſui officii admonere: quo Chriſtianam pietatem vere ſectantes digni illo nomine exiſtimentur, quod in ſacro baptiſmatis lavacro dederunt Chriſto Jeſu, in cujus cruce nos gloriari oportet. Reformationis vero initium ab his fieri decet, qui ad hoc conſtituti ſunt, ut præſunt aliis: & tamquam facti forma gregis illis exemplo ſint doctrina & moribus, eos docentes quonam pacto Chriſtianæ religionis inſtituta ſequi ac tenere debeant.

### *Primum.*

Hortatur igitur primum epiſcopos omnes, & per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obteſtatur, hæc ſancta ſynodus, ut decretum a ſacroſancta Tridentina ſynodo de reſidentia prælatorum, ad Chriſtiani populi ſalutem editum ſecuti, non ſolum aſſidua præſentia, ſed & ſimul cura & ſolicitudine diligenti miniſterium ſuum impleant: gregis ſibi commiſſi regimini vere aſſiſtant: atque omnibus juxta Pauli apoſtoli præceptum laborent: ejus reſidentiæ rationem apud ſynodum hanc provincialem teſtimonio publico reddituri: ut eadem ſynodus prævio examine judicet, an ex cauſa juſta quis ab ejus diœceſi & diſceſſerit, & abſens fuerit: atque adverſus eos, qui contra decreti Tridentini diſpoſitionem abfuerint, pœnas ab eadem ſynodo indictas, & præſertim eam quæ de fructibus pro rata temporis abſentiæ, fabricæ eccleſiæ, aut pauperibus reſtituendis agit, abſque ulla indulgentia exequatur.

Nec enim quævis cauſa, quæ vel ad Chriſtianam caritatem, urgentem neceſſitatem, debitam obedientiam, evidentem eccleſiæ vel reipublicæ utilitatem cuiquam pertinere videbitur, a reſidentia excuſare debet: ſed ea tantum, quæ ſuperioribus diligentiſſimo examine, maturo judicio, exactaque cenſura ſic probata fuerit, ut vere ſecluſa omni indulgentia, aliqua ex prædictis ratione dubio procul, juſta ſit omnino cenſenda: atque ei utilitati, quæ ipſius paſtoris præſentiam exigit, & quæ non poteſt non eſſe publica, ſit nihilominus præferenda.

Caveant tamen epiſcopi, ne extra ſedem cathedralis eccleſiæ locum aliquem diœceſis ad continue habitandum eligant: cum ad totius diœceſis negotia commodius expedienda illic oporteat epiſcopos habitare, ubi ſedes epiſcopalis fuit conſtituta. Alioqui ſint epiſcopi memores, eam reſidentiam neque Deo gratam eſſe, neque ſacris canonibus conſonam, & ab hac ſynodo potius abſentiam, quam reſidentiam cenſendam fore.

### *Secundum.*

Vigilent epiſcopi ſuper gregem ſibi commiſſum, ne eis dormientibus inimicus homo veniat, ac zizania ſuperſeminet; errores nempe doctrinæ, ac morum corruptionem. Quæ quidem frequenti viſitatione extirpanda [illegible] ne creſcant, & pereunte grege, ſanguis ovium ab eorum manibus requiratur, qui, juxta prophetam, & apoſtolum ſpeculatores a Deo conſtituti ſunt. Viſitent ergo epiſcopi per ſe, vel per alios proprias diœceſes, omnino ſervantes quæ a ſacroſancta ſynodo Tridentina ſtatuta





ſunt: modo per ſeipſos quolibet anno ſaltem tribus menſibus continuis, aut interruptis, quam poſſint commode diœceſeos partem extra cathedralis eccleſiæ locum viſitare teneantur. Neque excuſentur ab hac perſonali viſitatione quovis impedimento, quod alioqui benigna quadam indulgentia ſolet admitti; ſed eo tantum, quod neceſſitate quadam ſic urgeat, ut niſi maximo cum detrimento vel publicæ, vel propriæ ſalutis, ſpiritualis, vel corporalis, per ſeipſos eam viſitationem exequi non valeant: apud hanc provincialem ſynodum de eo fidem facturi, ejuſque judicium ea de re ac cenſuram non qualemcumque, præter divinam ultionem, ſubituri. Cum & dominus apud Ezechielem prophetam capite trigeſimo quarto duriſſime epiſcoporum negligentiam in hoc viſitationis munere exercendo increpet, dum inquit: Super omnem faciem terræ diſperſi ſunt gregis mei, & non erat qui requireret: Non erat, inquam, qui requireret. Viſitatio vero eccleſiarum, & earum rerum, quæ ad templorum majeſtatem, & ornamentum pertinent, fieri debet ea adhibita ſolennitate, quæ a libris pontificalibus & his ſimilibus traditur: ad populorum animos per hæc exteriora, ad ea quæ interiora ſunt excitandos.

### *Tertium.*

Sed & illud maxime epiſcopi meminerint, quantum ad decorem dignitatis pontificiæ attineat, eos domi familiares habere & alere, qui vitæ integritate, & doctrina ceteros antecellere conentur: quique ſic inſtituti ſint, ut ipſis epiſcopis in miniſterio proprii muneris adeſſe poſſint; & veræ honeſtatis exemplo quoſcumque alios ad ſincerum, ſobriumque & caſtum vivendi modum inducere valeant.

Sic & epiſcoporum ita modeſta ſuppellex, ut nec auro contexta, nec aureis telis filiſve ornata, extra altaris & eccleſiæ miniſterium, ſervire debeat. Hoſpites vero, quicumque hi futuri ſint, cum ad epiſcoporum domum venerint, ſciant ſe fore ad epiſcoporum, non ad principum ſæcularium, aut regum hoſpitium recipiendos. Nam quanto digniores hoſpites fuerint, tanto magis oportet, epiſcopum eos modeſtiæ & decoris pontificii teſtes habere.

Quin & exemplo epiſcopi eſſe debent laicis, utcumque illuſtribus, ut & hi ab immoderatis ſumptibus qui temere ac frequenter in nimium ſplendidis ſupellectili menſaque maximo cum patrimoniorum, ac totius reipublicæ detrimento fieri ſolent, prorſus abſtineant. Nec ſancta ſynodus eos ſumptus probandos eſſe cenſet: imo catholicam majeſtatem hortatur in Chriſto, eique ſupplicat, ut in his abuſibus extirpandis, regio ac Chriſtiano imperio uti velit.

Menſæ vero frugalitatem ſic a ſanctis patribus, & canonibus commendatam eſſe videt ſancta ſynodus, ut non poſſit non dolere graviter, eas delicias in epiſcoporum menſas irrepſiſſe, quæ jure poſſent a laicorum menſis, utcumque ſplendidis ablegari. Proinde ſint memores epiſcopi divinam majeſtatem non leviter offendi, dum non paucis pauperibus, qui ob egeſtatem & famem vitæ periculum experiuntur & expectant, ex his ſubveniri poſſet, quæ menſis epiſcoporum contra indictam a canonibus frugalitatem maxima cum ignominia veri ſplendoris apponuntur. Sit igitur epiſcoporum menſa ſacræ ſcripturæ, librive alterius eccleſiaſtici lectione, doctorum piorumque virorum conceſſu ſplendida: ab eaque procul quævis profana colloquia, & argumenta cujuſque turpitudinis abſint: ac prorſus eorum ferculorum eliminetur ſplendor, qui falſo cujuſdam decoris nomine ſe menſis pontificum ingeſſit. Sit denique frugalis epiſcoporum menſa: non plura quam tria, aut ad ſummum, ſi convivarum conditio id poſtulet, quatuor, præter olera & ſimplices arborum fructus, fercula apponantur. Epiſcoporum ſi quidem auctoritas non his deliciis, vaniſve ſplendoribus, ſed fide ac vitæ meritis quærenda eſt. Si quis vero in his quæ hoc decreto prohibentur, aut eorum quolibet exceſſiſſe fuerit convictus, a ſynodo provinciali juxta exceſſus qualitatem, pecuniaria mulcta piis operibus applicanda, puniatur.

### *Quartum.*

Curent epiſcopi, ut eorum familiares ac domeſtici, præmiſſa peccatorum confeſſione, ſaltem diebus nativitatis, reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti, pentecoſtes, & aſſumptionis deiparæ virginis Mariæ, ſacram euchariſtiam ſumant: ſcientes, non ipſis tantum familiaribus, ſed & ipſoſmet epiſcopos graviter increpandos, ſi eorum domeſtici, moribus & pietate Chriſtiana, non fuerint aliis manifeſto ad vitam inſtituendam exemplo.

### *Quintum.*

Epiſcopi, quo facilius in ſynodo provinciali rationem muneris ſibi commiſſi reddere poſſint, & ea impedimenta vitari queant, quæ ſacroſancti concilii Tridentini executionem (quod abſit) impedire contigerit, librum habeant, in quo omnes parochiales eccleſiæ propriæ cujuſque diœceſis, earumque rectores nominatim ſcribantur: quique ex eis per ſeipſos, quique per vicarios eiſdem eccleſiis ſerviant: ratione expoſita, quo titulo eaſdem eccleſias obtinuerint: & qua ex cauſa a reſidentia abſentes fuerint excuſati: aut quo impedimento ad ſerviendum per ſeipſos cogi non potuerint: & quibus modis adverſus non reſidentes actum ſit, ad Tridentini decreti executionem. Habeant & librum alium, in quo cujuſque diœceſis viſitatio, quæ per ipſos epiſcopos, & per eorum viſitatores facta fuerit, in ſumma contineatur: ſubſcribaturque ab ipſis epiſcopis, vel viſitatoribus, & eorum notario: ut ſaltem ex eo apud provincialem ſynodum conſtare poſſit, quæ eccleſiæ fuerint ab epiſcopis, vel eorum viſitatoribus viſitatæ.

### *Sextum.*

Diœceſana ſynodus ab epiſcopis quolibet anno celebretur, ut non ſolum oves ipſis commiſſas viſitatione paſtores cognoſcere poſſint, ſed & ea ſtatuere, quæ ad inferiorum rectorum ſegnitiem vitandam neceſſario viderint expedire: & ad ipſarum ovium paſtum ſalutarem conducere valeant: non obliti in prima ſynodo, eos omnes qui eidem intereſſe debent, admonere, & ſi fuerit opus cogere, ut ſacroſanctam Tridentinam ſynodum, quemadmodum ejus decreto conſtitutum eſt, omnino recipiant.

*Septi-*

*Septimum.*

Epiſcopi, & eorum viſitatores, eo tempore quo viſitationis munus exercent, nihil præter id quod ratione viſitationis jure debetur, etiam ab ſponte dantibus accipiant: etiamſi id eſculentum fuerit, aut poculentum: non ſolum ab ipſis clericis, vel ab eccleſiæ œconomo, ſed nec ab ipſa plebe quæ viſitatur aut viſitanda eſt. Alioqui ad dupli reſtitutionem juxta Tridentini concilii decretum teneantur: eaque reſtitutio fabricæ illius eccleſiæ fiat, quæ eo tempore viſitabatur.

*Octavum.*

Epiſcopi in eccleſiarum cathedralium viſitatione ſolicite curent, ut ipſarum eccleſiarum ſtatuta, quæ alioqui diſperſa oblivioni tradi ſolent, & in deſuetudinem abire, in unum volumen redigantur: & ſi quæ emendatione indigere videbuntur, juxta canonicas ſanctiones, & juris ordine ſervato emendentur: atque omnia publice in capitulo, ſaltem quolibet anno ſemel, tempore ab eodem epiſcopo conſtituto, omnibus canonicis præſentibus legantur.

*Nonum.*

Metropolitanus, epiſcopi, & alii quicumque inferiores ordinarii, quibus eccleſiaſtica juriſdictio quocumque jure competit, non alios poſſint conſtituere proviſores aut vicarios, quam eos, qui vel ſacerdotes ſint, vel intra ſex menſes ab ea die qua juriſdictione ſibi commiſſa uti cœperint, ad ſacrum ordinem, & intra annum ab eadem die numerandum, ad ſacerdotium promoveri poſſint. Quod ſi intra id tempus ad dictos ordines promoti non fuerint, officio & munere ipſo jure privati, eo nullo modo uti valeant, nec utantur. Viſitatores vero ſint omnino ſacerdotes, nec alias viſitatorum officio uti poſſint, nec ad id admittantur.

*Decimum.*

Proviſores & vicarii, ubi ex delegatione apoſtolica de quibuſcumque cauſis eos cognoſcere contingat, nihil etiam ab ſponte dantibus, aſſeſſoris ratione ac titulo accipiant, imo in ſportulis recipiendis, tam ipſi quam notarii cauſarum nihil aliud exigant nec accipiant, quam quod ex publico ejus tribunalis inſtituto, jure ordinario aliorum actorum ratione exigere poſſunt, & accipere. Quicquid vero contra hujus decreti prohibitionem exactum aut acceptum fuerit, his qui dederunt reſtituatur: & qui receperint arbitrio ſuperioris puniantur.

*Undecimum.*

Fiſcales ab epiſcopis hi deputentur qui ſacerdotes ſint, vel intra ſex menſes ad ſacrum ordinem, intra annum ad ſacerdotium promoveri poſſint, & promoveantur. Alioqui ad officium proprii muneris nequaquam admittantur.

*Duodecimum.*

Promotor fiſcalis apud eccleſiaſticum judicem neminem deferat, ut ex ejus delatione inquiſitio fiat, niſi quem legitima, ac frequens gravet infamia: neque ex ea delatione judices inquirere audeant, imo priuſquam ad inquiſitionem procedant, diligenter curent inveſtigare an ea infamia a malevolis, an a providis & honeſtis orta fuerit. Quod ſi promotor fiſcalis quemquam accuſare velit, eo caſu, quo jure accuſatio ei ſit permiſſa: accuſatoris officio functus eas leges ſequatur, quæ publicis accuſatoribus, hiſve quibus juris publici ratione accuſare permittitur, jure vel conſuetudine datæ fuerint. Sed ſi accuſatus ab accuſatione fuerit abſolutus: nullo modo is in expenſis condemnetur: imo fiſcalis, ſi temere eum accuſaſſe conſtiterit, non ſolum expenſarum ſolutione, ſed & alia pœna judicis arbitrio propter accuſationis temerariæ calumniam, omnino puniatur.

*Decimumtertium.*

Epiſcopi ſaltem quolibet menſe carceres; quos ad reorum cuſtodiam opportunos habere debent, ipſoſque reos illic detentos viſitare per ſeipſos, ſi præſentes in eodem loco ſint, teneantur.

*Decimumquartum.*

Pœnæ pecuniariæ, ſi quando a judicibus ordinariis juxta rationem delicti, vel delinquentis qualitatem eas imponi contigerit, in pios tantum uſus, & pro executione juſtitiæ, non pro privata epiſcoporum utilitate expendantur arbitrio epiſcopi, vel ejus vicarii. Deputeturque ab eodem epiſcopo, qui eaſdem pœnas recipere debeat, earumque rationem reddere teneatur.

*Quintumdecimum.*

Notariorum eccleſiaſticorum, promotoris fiſcalis, publici executoris, & aliorum officia quorumcumque, qui juriſdictionis epiſcopalis, & aliorum inferiorum miniſterio operam dare tenentur, nullo modo vendantur: nec ob aliud quodcumque lucrum dentur temporale. Dentur autem hæc officia gratis his, qui ſint idonei ad eorum munus exercendum, quique per ſeipſos illis ſervire debeant, ac teneantur. Nec ullo unquam tempore qui hæc officia ab epiſcopis, vel ordinariis quibuſcumque etiam inferioribus gratis obtinuerunt, vel in poſterum quocumque modo obtinuerint, illa vendere vel locare poſſint, nec in alios recepto aliquo temporali lucro transferre; vel in eorum favorem illis renuntiare. Alioqui ſi quis contra hoc decretum fecerit, temporale lucrum nequaquam acquirat: Imo illud etiam in conſcientiæ judicio, fabricæ cathedralis eccleſiæ reſtituere teneatur: & qui officium fuerit aſſequutus illo privetur. Stipendia autem, quæ pro labore notarii, & alii miniſtri eccleſiaſtici tribunalis habere debeant, epiſcopi in diœceſanis ſynodis certis quibuſdam limitibus moderentur, eaque moderatio ad primam provincialem ſynodum approbata deferatur.





*Decimum ſextum.*

In diœceſanis ſynodis, & earum qualibet, quæ poſt hanc provincialem primo celebrabuntur, de augendo ac diminuendo notariorum numero ubi viſum fuerit expedire, ſic tractetur, ut in metropolitano tribunali non plures quam octo, in aliis vero non plures quam ſex juriſdictionis eccleſiaſticæ miniſterio ſervire poſſint. Ubi vero plures ſint ad hoc miniſterium deputati, cum primum coram officia quocumque modo vacaverint, prorſus ſupprimantur.

*Decimum ſeptimum.*

Vicarii, proviſores, viſitatores, promotor fiſcalis, & alii quicumque eccleſiaſtici, & ordinarii tribunalis, metropolitani, epiſcoporum, & aliorum inferiorum miniſtri, etiam hi judices, qui ad audiendas appellationum cauſas a metropolitanis, & aliis ſuperioribus deputantur quolibet triennio ab eo, qui per ipſum metropolitanum in propria, & epiſcopos in ſua quemlibet diœceſi deputatus fuerit, & electus, interim propria munera exercentes viſitentur omnino: ut ex ea viſitatione conſtare poſſit vera & acta publicæ adminiſtrationis, juriſdictionis, officiorum, & cujuſcumque eorum muneris ratio: atque is, qui male fuerit officio functus eo privari, ac puniri poſſit: denique a ſuo judice & epiſcopo privetur ac puniatur. Quod ſi cui ex prædictis ante triennium quacumque ex cauſa ab officio & munere ceſſandum ſit, is teneatur prius quam alio diſcedat, adminiſtrationis, & cujuſcumque publici muneris rationem reddere: eaque ſpatio triginta dierum ab eo exigatur, qui per metropolitanum, vel epiſcopos in propria quemlibet diœceſi, ad id fuerit deputatus, qui de querelis, & accuſationibus, & aliis ad culpam malæ adminiſtrationis pertinentibus, intra id tempus judicare debeat: eoque tempore omnino ſit ejus officium ſuſpenſum, a quo ratio reddenda erit. Notarius vero ad viſitationem & ad prædicta examinanda ſpecialis ab epiſcopo deputetur, qui non ſit ex illis qui rationem reddituri ſunt, vel viſitari debent. Sed ſi prædictorum aut alicujus eorum officia, per obitum metropolitani, aut epiſcopi vacaverint, ratio adminiſtrationis & muneris publici ab epiſcopo vel metropolitano, qui ad vacantem eccleſiam promotus ſit, vel ab eo qui per eos nominatus fuerit, non ab alio exigatur. Epiſcopi vero qui in exequendis his quæ hoc decreto ſtatuta ſunt, negligentes fuerint, a provinciali ſynodo pecuniaria pœna fabricæ eccleſiæ applicanda puniantur.

*Decimum octavum.*

Bona quæcumque eorum clericorum, qui inteſtati moriuntur, ad epiſcopum vel conſuetudine, vel alio quocumque jure pertinentia ac devoluta, per eundem epiſcopum in pios tantum uſus ejus arbitrio expendantur.

*Decimum nonum.*

Quæ pro ſepulturis aperiendis, epiſcopis aliiſve inferioribus quibuſcumque ſolent in aliquot hujus provinciæ diœceſibus ſolvi, non in proprios epiſcoporum, aliorumve inferiorum uſus expendantur: ſed æquis portionibus fabricis cathedralis eccleſiæ, & ejus in qua ſepultura aperienda eſt, earumque œconomis ſolvantur.

*Vigeſimum.*

Nemini dubium eſſe debet ſanctiſſimos Chriſtianorum religionis cauſa conventus ac pervigilationes, quæ olim a ſanctis patribus apud ſacra Dei genitricis, & aliorum ſanctorum templa, ac martyrum ſepulcra, fuere propter piam venerationem & cultum ſancte permiſſæ, ſi modo caute & religioſe fiant, ullo modo improbandas, imo ſummis laudibus extollendas fore: eo tamen ventum eſt hominum malitia, & delinquentium audacia, ut nemo qui præſentis ſæculi mores noverit, eas quæ nocte fiunt, non improbet, atque improbandas eſſe cenſeat. Statuit igitur ſancta ſynodus, ad illa ſcelera vitanda quæ in his nocturnis conventibus contingere ſolent, eas pervigilationes nequaquam permittendas eſſe; eaſque ſub excommunicationis pœna, in quam qui contra fecerint ipſo facto incidant, prohibendas eſſe decernit, & omnino prohibet. Clerici vero qui eas permiſerint, ab epiſcopo præter eamdem excommunicationis pœnam, quo ipſo itidem facto ligati cenſeantur, graviter ejus arbitrio punientur.

*Vigeſimum primum.*

Cum templa ad hoc fuerint divino numini conſecrata, ut in eis cultus Deo cum debita veneratione pacificus Chriſtianæ plebis exhibeatur, prohibet ſancta ſynodus hunc veterem turpem illum abuſum, quo die Innocentium, intra eccleſias theatrales quidam ludi edi publice conſuevere magna cum ordinis eccleſiaſtici ignominia, nec non & divinæ majeſtatis offenſa: quippe qui Chriſtianorum oculos, quos oportet ad ſpiritualia provocari, ab his ad peccandi libidinem avertant. Quod ſi qui contra fecerit, aut cum prohibere poſſit, permiſerit, ab epiſcopo præter ſuſpenſionem ab officio, quam ipſo jure ad ſex menſes incurrat, pecuniaria pœna fabricæ eccleſiæ applicanda puniatur.

Decernit etenim ſancta ſynodus, ut prorſus hic turpis abuſus eſſet in eccleſiis cathedralibus & collegiatis nullo modo permitti debere, ne ficta illa ac puerilis epiſcopatus electio fiat, quæ certis anni ſolemnitatibus fieri ſolet: imo illam omnino eiſdem indictis pœnis fieri prohibet: cum & ea plurimum pontificiæ dignitati vere detrahat, & prædictis abuſibus, & aliis quæ eccleſiaſticæ diſciplinæ, divinorum officiorum majeſtati, templorumque ſacrorum venerationi minime conveniunt, occaſionem dederit.

Spectacula vero, ludi quicumque, & choreæ quæ alioqui præmiſſo examine permittente ordinario, non alias, in aliquot ſolemnitatibus, ac proceſſionibus agenda ſint, nullo modo dum divina officia vel celebrantur, vel dicuntur, intra eccleſiam ipſam agi permittantur; cum hæc divina officia perturbare ſoleant, & ſanctitudinem illam interrumpere, quam domum Dei decere David divino Spiritu docuit.

Caveant tamen epiſcopi & eorum vicarii, ne dum ſolemnitatis divinæ cauſa ludos aliquot, & ſpectacula edi publice permittere velint, ea permittant, quæ vel in minimo Chriſtianam religionem offendere, vel ſpectantium animos in pravos mores quoquo modo inducere valeant; ne eo tempore & loco, quibus eſt venia peccatorum

ANNO CHRISTI 1566.

torum a Deo poſtulanda, vel peccandi detur occaſio, vel quod gravius eſt, peccata turpiter comitantur. Decernit etenim ſancta ſynodus, non alios ludos, non alia ſpectacula permittenda epiſcopis fore, ab quam quæ ad pietatem ſpectantium animos movere, & a pravis moribus deterrere poſſint.

Et ne quid fiat quod ordini eccleſiaſtico ſit indecens, prohibet ſancta ſynodus quoſcumque in ſacris conſtitutos, aut beneficium eccleſiaſticum habentes, ne in quocumque loco, & tempore larvis perſonati incedant, aut cujuſque in quibuſcumque ſpectaculis, ac ludis perſonam agant; alioqui & ſuſpenſione ab officio, & beneficio, mulctaque pecuniaria arbitrio ordinarii graviter puniantur.

*Vigeſimumſecundum*;

Clericis in ſacris conſtitutis non liceat fœminas, cujuſcumque conditionis & ætatis ſint, nec manu, nec ſecum equitando eodem jumento ducere: alioqui tam ipſe fœminæ, quam clerici eas ſic ducentes, ſint ipſo jure excommunicati, nec epiſcopi poſſint ullo modo, quod hoc decreto prohibetur cuiquam permittere.

*Vigeſimum tertium.*

Clerici quicumque in ſacris conſtituti, vel beneficium eccleſiaſticum habentes, ea quæ de menſa, & ſupellectili epiſcoporum ab hac ſancta ſynodo ſtatuta ſunt, ſervare teneantur: alioqui vel a ſuperioribus excommunicentur, vel pœna pecuniaria eorumdem ſuperiorum arbitrio fabricæ eccleſiæ vel pio loco applicanda puniantur.

*Vigeſimum quartum.*

Ut eorum qui ad parochiales eccleſias ſunt promovendi, majori cum utilitate animarum, quarum cura eis committi debet, electio fieri poſſit, juxta ſacroſanctæ Tridentinæ ſynodi mentem, teneantur epiſcopi per edictum eos omnes qui examinari velint, omnino vocare: ſic tamen, ut qui poſt diem præfinitum ante renuntiationem ab examinatoribus epiſcopo faciendam venerint, æquo cum aliis jure examinari poſſint: ut & examinatores, & epiſcopi, vel eorum vicarii generales ſervata ſynodi Tridentinæ forma eorum rationem habeant, & parochiarum regiminis ſalubrius conſulatur.

Examinatores vero qui ad id examen ſunt ab epiſcopo in ſynodo diœceſana nominandi, ſic proponantur, ut qualibet in ſynodo mutari debeant, ne iidem ſemper ſint examinatores, ſed ſaltem qui ſemel nominati fuerint, in proxime ſequenti ſynodo nec nominari, nec admitti poſſint.

In hac autem nominatione epiſcopus rationem habere teneatur & eorum, qui ex capitulo eccleſiæ cathedralis in ſacra theologia vel jure canonico ſint adeo verſati, ut ad id munus idonei cenſeantur: nec non & regularium, qui in monaſteriis vel collegiis ejuſdem civitatis, vel oppidi commorantur propter eorum eruditionem eam operam hac in re præſtare poſſint, quam eadem ſancta Tridentina ſynodus præſtari voluit. Sit deſtinata [illegible] examinatorum pars ex capitulo cathedralis [illegible] tertia item ex regularibus, [illegible] alia vero pars ex his clericis, qui [illegible] capitulo ſint nec [illegible]. Ex quibus omnibus ab epiſcopo in ſynodo nominatis & ab eadem probatis, tres eligat quos maluerit epiſcopus cujuslibet eccleſiæ vacatione adveniente. Collatio vero cujuſcumque parochialis eccleſiæ quocumque modo ea vacaverit, contra Tridentini & hujus decreti formam facta, irrita ſit & inanis.

Horum vero examinatorum cuilibet pro muneris ſuſcepti labore, ordinarius poſt beneficii collationem, ex redditibus eccleſiæ vacantis, qui alioqui rectori debeantur, juſtam aliquam mercedem ejus arbitrio reddi curabit; cum & dignus ſit mercenarius mercede ſua.

Quæ quidem omnia ſancta ſynodus, etiam in diœceſi Giennenſi ſervanda fore decernit; in qua conſtitutio reverendiſſimi Stephani Gabrielis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, ejuſdem Giennenſis eccleſiæ epiſcopi a ſede apoſtolica confirmata, ſic ex mente Trindentinæ ſynodi in eccleſiis parochialibus inſtituendis (quas prioratus vocant) intelligi debet, ut ſi epiſcopo viſum fuerit ex juſtis & rationabilibus cauſis, eos qui examinandi ſunt, per edictum longioris, quam ſex dierum temporis ſpatio, præfinitum ad id examen vocare, facere id juſte poſſit. Teneaturque epiſcopus in ſynodo diœceſana juxta formam decreti Tridentini examinatores nominare: a quibus, & ab epiſcopo, ex forma in nominatione atque electione eorum qui ad parochiales eccleſias ſeu prioratus ſunt promovendi omnino ſervetur, quæ ab eodem Tridentino decreto fuit ad majorem animarum ſalutem præſcripta.

Sed & in parochialibus eccleſiis quibuſcumque, quæ dignitatibus, præbendis, capitulis, monaſteriis, collegiis, aliiſve locis piis unitæ ſunt quocumque modo, vicarii perpetui, ſervata forma quæ in eligendis atque inſtituendis preſbyteris parochialibus a Tridentina ſynodo, & hoc decreto præſcripta extat, deputentur: ita tamen ut is ad quem parochialis eccleſia jure unionis pertinet, quem digniorem inter probatos ab examinatoribus judicaverit, præſentare ordinario teneatur, ut ab eo perpetuus ejuſdem eccleſiæ vicarius inſtituatur.

*Vigeſimum quintum.*

Etſi a ſacroſancta Tridentina ſynodo ſatis conſultum fuiſſe videatur parochialium eccleſiarum regimini, in his decretis quæ de reſidentia, & eorum examine, qui ad eaſdem eccleſias promovendi ſunt, edita fuerunt: tamen ne ſuperiorum negligentia, magno cum animarum periculo preſbyteros parochiales, qui veri paſtores ſunt, ab eccleſiis ſibi commiſſis abeſſe contingat: Statuit hæc ſancta ſynodus, quoſcumque ordinarios debere, eos omnes qui beneficium aliquod eccleſiaſticum obtinant, cui animarum cura incumbit, ſi abſentes ſint, per edictum vocare: ut intra diem ab eiſdem præficiendum ad eccleſias ſibi commiſſas accedant, in eiſque reſideant, nec ab earum miniſterio diſcedere auſint, niſi præmiſſa licentia, alioqui juxta ejuſdem ſynodi decretum, non alias obtinenda: ſub comminatione ſequeſtrationis fructuum, & privatione beneficii, ſi intra id tempus ad reſidendum non venerint, aut juſtas excuſationes non allegaverint & probaverint, quæ eos a reſidentia perſonali excuſare poſſint: Poſt prædictam vero diem ſtatim fructuum ſequeſtratio fiat: nec id ſequeſtrum ullo modo remittatur, niſi abſentes (qui reſidere omnino jure tenentur) & reſidere cœperint, & de reſidendo aut reſtituendis fructibus, ſi non reſi-



ANNO CHRISTI 1566.

derint, cum ſemel contumaces fuerint, cautionem idoneam præſtiterint. Eam autem partem fructuum, quam abſentes acquirere ſibi non poſſunt, & quæ fabricæ eccleſiæ, aut pauperibus loci eroganda eſt, curent ordinarii œconomo fabricæ tradi, ejus rationem reddituro. Quod ſi abſentes adhuc contumaces fuerint, eiſdem beneficiis priventur, citati prius perſonaliter, ad domum, ſi intra diœceſim ſint, ſi extra per edictum: ut eccleſiis ſic vacantibus opportunius conſulatur. Ceterum ſi (quod abſit) ordinarii hac in re negligentes fuerint, ſciant ſe, præter divinam ultionem, & hujus provincialis ſynodi cenſuræ ac mulctæ obnoxios fore.

*Vigeſimumſextum.*

Parochiarum rectores continuam habitationem intra parochiam ipſam habeant: & in eo parochiæ loco, qui ad adminiſtranda ſacramenta, & altaris, eccleſiæque miniſterio ſit aptior.

*Vigeſimumſeptimum.*

Quoniam in pleriſque locis cauſa commodioris agrorum culturæ parochiani ita diſperſi ſunt, ut nec diebus feſtis ad parochialem eccleſiam accedere, nec eis ſacramenta miniſtrari facile queant: curent epiſcopi, ut eccleſiæ opportunis locis erigantur, ad hoc ut parochiani ſic diſperſi, commode valeant & divina officia audire, & ſacramenta percipere. Ea vero erectio fiat ex fructibus ad eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus juxta canonicas ſanctiones, quæ de expenſis ad eccleſias parochiales nove erectas ædificandas, tractaverunt. Atque eadem ratione competens portio illis ſacerdotibus ac miniſtris aſſignetur epiſcoporum arbitrio, qui eiſdem eccleſiis noviter erectis erunt præficiendi: ſervata in omnibus his decreti Tridentini forma, & Alexandri tertii conſtitutione, quæ incipit, Ad audientiam.

*Vigeſimumoctavum.*

Qui in eccleſiis cathedralibus, aut collegiatis præbendas obtinent, quibus ſacram ſcripturam interpretandi munus incumbit, ſedulo dent operam, ut cum ſacram ipſam ſcripturam interpretantur, quoniam non omnes auditores eo ſunt ingenio præditi, quo ea percipere poſſint, quæ ab ipſis lectoribus explicantur, facili quadam utantur interpretatione: Et ex ipſis ſacræ ſcripturæ locis quotidie vel de ſacramentis, vel de articulis fidei, deque aliis ad doctrinam Chriſtianam pertinentibus, & caſibus his, aut dubiis, quæ in conſcientiæ judicio tractari ſolent, aliquid auditoribus exponant, quod eorum ſaluti ſpirituali prodeſſe valeat: idque fiat juxta modum ab epiſcopo cum conſilio duorum de capitulo, qui ab eodem capitulo nominentur in principio cujuslibet anni, præſcribendum: quo tempore die primo, qui feſtus ſit, in ipſa cathedrali eccleſia, & in omnibus parochiis publicetur, quid in eo, anno, & qua hora, quoque loco ſit ab eo, qui ejuſmodi legendi munus obtinet, tractandum.

Hortatur vero hæc ſancta ſynodus canonicos juniores, & alios eccleſiæ cathedralis miniſtros; necnon & quoſcumque civitatis, vel oppidi clericos, quibus ea lectio non poteſt non eſſe utilis, ut lectorem ſic prælegentem audiant, quo & animos divinis ſtudiis excolant & exerceant, atque ab otio, quod multorum malorum cauſa eſſe ſolet, removeantur.

Et ut ea præbenda, quæ juxta Tridentinæ ſynodi decretum ad hoc legendi munus deputata perpetuo fuit, illi conferatur, qui per ſeipſum injuncto muneri ſatisfacere poſſit, per edictum viri in ſacra theologia docti vocentur, qui doctoris, magiſtri, aut licentiati gradu in aliqua publica univerſitate prævio examine ſint inſigniti: ex quibus ille eidem muneri præficiatur, qui magis idoneus ad id explicandum viſus fuerit. Aliter facta proviſio ſit irrita, & inanis. Eorum vero omnium, ex quibus unus eſt ad id munus deputandus, mores, vita, & aliæ a Tridentina ſynodo requiſitæ qualitates inquirantur, examinentur, & approbentur, priuſquam de uno eorum deputando tractetur.

Sed & in hac metropolitana eccleſia qui primo vacaverit canonicatus omnino juxta præſcriptam formam doctori, vel magiſtro, aut licentiato in ſacra theologia conferatur: cum ea præbenda ſacroſancta Tridentina ſynodo ad eum uſum fuerit perpetuo conſtituta, ac deputata. Idem etiam fiat in aliis hujus provinciæ eccleſiis, in quibus nondum fuit canonicatus aliquis ad id legendi munus exequendum alicui collatus.

*Vigeſimumnonum.*

Cum ſacroſancta Tridentina ſynodus ad ſalubrius eccleſiarum regimen hortetur, ut in provinciis, ubi id [illegible], dignitates omnes, & ſaltem [illegible] canonicatuum in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis inſignibus, conferantur tantum magiſtris, vel doctoribus, aut licentiatis in ſacra theologia, vel jure canonico, & in hac provincia fieri poſſit commodiſſime: decernit hæc ſancta ſynodus dignitates omnes in eccleſiis & cathedralibus & collegiatis inſignibus hujus provinciæ, non aliis eſſe conferendas, quam magiſtris, vel doctoribus, aut licentiatis in theologia, vel jure canonico: qui præmiſſo alicujus publicæ univerſitatis examine, ad aliquem ex prædictis gradibus fuerint promoti.

Idem omnino ſervandum eſſe ſtatuit in canonicatibus conferendis, donec dimidia ſaltem canonicatuum pars magiſtris, vel doctoribus, aut licentiatis in theologia vel jure canonico, ſit collata. Qui quidem canonicatus, cum ſemel fuerint juxta præſcriptum modum collati, non aliis in poſterum quocumque modo vacaverint, conferantur, quam his qui prædictam gradus qualitatem habuerint. Per hoc tamen nequaquam mutata cenſeatur conferendi forma: imo ab illo tantum collatio dignitatum & canonicatuum fiat; a quo, & qua forma earumdem dignitatum, & canonicatuum collatio alioqui fieri poſſet, & ſolet. Nec ullum ex hoc præjudicium juri optionum fiat, quod circa dignitates, & canonicatus conſuetudine legitime præſcripta in aliquot eccleſiis jamdiu obtinuit: ſed id illæſum maneat & ſervetur.

*Trigeſimum.*

Qui dignitates quaſcumque, perſonatus, officia, canonicatus, & præbendas in eccleſiis cathedralibus & collegiatis obtinent, ab ordinariis juxta ſacroſanctæ Tridentinæ ſynodi decreta omnino reſidere cogantur: ſic quidem, ut præmiſ-

ANNO CHRISTI 1566.

miſſa vocatione per edictum, ſequeſtratione fructuum, & applicatione eorum partis, quæ quidem pars vel in pios uſus, vel in fabricæ eccleſiæ utilitatem expendi debet, ejuſque œconomo tradi, adverſus abſentes procedatur. Qui ſi contumaces fuerint, citati prius perſonaliter, vel ad domum, ſi id commode fieri poſſit, alioqui per edictum, etiam privatione puniantur. Sint & epiſcopi memores, ſe rationem in hac provinciali ſynodo reddituros, ſi in hac re, & prædictis decretis exequendis fuerint negligentes.

*Trigeſimum primum.*

Si quis poſt reſignationem beneficii cujuslibet partem aliquam ex ejuſdem beneficii fructibus quoquo modo acceperit abſque ſanctæ ſedis apoſtolicæ permiſſione, etiam ab ſponte dantibus, eo ipſo tam ipſe, quam is qui beneficium poſt renuntiationem conſequutus fuerit, ſuſpecti de ſimoniaca pactione tacita vel expreſſa cenſeantur. Et ideo contra eos ut ſuſpectos procedatur ad hujus criminis punitionem juxta canonicas ſanctiones, aliaque decreta, quæ hac in re quocumque modo promulgata fuerunt.

Placentne vobis, reverendiſſimi patres, hæc decreta.

Omnes reſponderunt, Placent.

Epiſcopus Cordubenſis præſidens hujus concilii.

Epiſcopus Seguntinus.

Epiſcopus Segobienſis.

Epiſcopus Palentinus.

Epiſcopus Conchenſis.

Epiſcopus Oxomenſis.

Abbas de Alcaſa quæ regalis dicitur.

*Licentiatus Martinus Acoſta, Secretarius.*

Ego Chriſtophorus epiſcopus Cordubenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Petrus Seguntinus diffiniens ſubſcripſi.

Ego Didacus epiſcopus Segobienſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus epiſcopus Palentinus diffiniens ſubſcripſi.

Ego frater Bernardus epiſcopus Conchenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Honoratus epiſcopus Oxomenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Didacus, abbas de Alcala la Real, diffiniens ſubſcripſi.

Lecta fuere publice in principio tertiæ actionis decreta de reſidentia concilii Tridentini, quæ ſub felicis recordationis Paulo tertio & Pio quarto pontificibus maximis edita fuere.

## ACTIO TERTIA.

*Concilii provincialis Toletani, in ejuſdem urbis templo cathedralis eccleſiæ, aſſumptioni deiparæ virginis Mariæ conſecrato, celebrata die viceſima quinta Martii, anno a Chriſto nato ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo ſexto indictione nona, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri Papæ Pii quinti anno primo, ac regni invictiſſimi regis noſtri Philippi ſecundi anno decimo.*

*Primum.*

EPISCOPI publicum archivum habeant, in quo ſcripturæ omnes ad dignitatem epiſcopalem ejus jura, & actiones pertinentes in tutiſſimam cuſtodiam deponantur, cum earum diligenter confecto inventario, quod ſubſcriptum ab eodem epiſcopo, vel ejus vicario generali, & notario ſimul cum eiſdem ſcripturis ſervetur. Neque ex eo archivo aliqua originali ſcriptura amoveantur, niſi ex ea cauſa, quæ juſtiſſima ſit, & ad utilitatem ipſius dignitatis, vel eccleſiæ pertineat: & tunc non aliter, quam coram duobus teſtibus, & notario, qui in eodem inventario in publicum teſtimonium ſcribat quæ ſit illa ſcriptura, quæ inde abducitur, quo die, & a quo, atque ad quem effectum abducta fuerit. Hoc vero archivum in aliquo monaſterio conſtituatur, quod in oppido ubi ſedes eſt epiſcopalis, ſi id commode fieri poſſit, alias intra diœceſim, prout epiſcopo viſum fuerit magis expedire, ab eodem epiſcopo eligatur.

Sede tamen vacante duæ ſint epiſcopalis archivi claves: quarum una capitulo, aut ei qui ab eo deputatus fuerit, altera prælato illius monaſterii, in quo archivum ipſum depoſitum extat, a vicario epiſcopi tradatur, juramento ab eodem prælato præſtito de fida ejus clavis cuſtodia: quo etiam promittat, ſe non permiſſurum aliquam ſcripturam ex eodem archivo abduci abſque metropolitani, vel ſuperioris licentia. Ei vero qui ad vacantem eccleſiam promotus fuerit, utraque clavis a capitulo, monaſterii prælato libere tradatur, cum ratione earum ſcripturarum, quæ juxta hujus decreti formam ſede vacante ab eodem archivo fuerint abductæ, & earum, quæ ad capitulum pervenerunt, quemadmodum decreto Tridentino cautum extat.

Sed & archivum hoc epiſcopale quolibet biennio ab epiſcopo coram notorio, & teſtibus omnino viſitetur. Sintque epiſcopi memores juramenti, quod in conſecratione de rebus eccleſiæ non alienandis præſtiterunt: non enim erunt a culpa alienationis immunes ſi ob eorum negligentiam ea perierint inſtrumenta, quibus res, ac jura eccleſiarum defendi, aut inique occupata vindicari poſſent.

Illæ vero ſcripturæ quarum cuſtodia capitulo eccleſiæ cathedralis, aut collegiatæ incumbit, in publico archivo quod in eccleſia ſit, cuſtodiantur: cujus archivi duæ ſint claves, quarum unam habeat decanus, aut is qui eam habere ſolet, altera vero penes canonicum ſit, qui præbendam doctoralem juris pontificii obtinet: atque in conficiendo inventario, & abducendis ex eo archivo ſcripturis, ea ſerventur omnino, quæ hoc decreto de archivo epiſcopali ſtatuta ſunt. Deputeturque quolibet biennio unus ex canonicis, qui cum his, qui claves habeant, id archivum viſitare teneatur. Loco autem illius, qui præbendam doctoralem habet, cum vel ea vacaverit, vel is ſit aliqua ratione impeditus, alter a capitulo eligatur, qui alteram clavem archivi habeat.

*Secundum.*

Epiſcopi non alios ad primam tonſuram admittant, quam eos, quibus ſtatim beneficium aliquod eccleſiaſticum ſit conferendum, aut quos conſtiterit eo ſtudio literis operam dare, ut in via ad majores ordines ſuſcipiendos juxta decreti



ANNO CHRISTI 1566.

creti Tridentini formam, verſari videantur: vel quos viderint expedire miniſterio alicujus eccleſiæ deputari. Eccleſiarum vero miniſteriis non alios deputent, quam eos, qui ſecundum conſuetudinem cujuſque eccleſiæ in altaris & chori vero eccleſiaſtico miniſterio, aut in his quæ ad ordinarios ritus, & ceremonias divinorum officiorum pertinent, eiſdem eccleſiis ſervire debeant. Sic tamen eorum miniſtrorum numerum moderari curabunt, ut nullus in fraudem, judicii ſæcularis fugiendi cauſa, deputatus eſſe cenſeri poſſit.

*Tertium.*

Parochi omnes, & alii quicumque, qui prædicando verbo Dei, ac docendæ plebi Chriſtianæ operam dederint, prorſus a quæſtionibus difficilibus ac perplexis, denique a quovis oſtentationis genere abſtineant, ſe ad captum auditorum eorumque ædificationem demittentes; evangelium ipſum interpretatione facili, eaque communi ſanctorum patrum atque orthodoxorum virorum conſenſu recepta auditoribus exponant: eoſque ſanam doctrinam docentes, toto ſtudio omnique conatu a malo abſtinendum, & bono incumbendum eſſe, inſtituto nimirum ſalutari inſtruere conentur. Sint etiam memores, non eoſdem eſſe omnium mores, atque ideo oportere varietate, quæ ſemper Chriſtianam caritatem exigat, uti: ut juxta auditorum conditionem nunc hoc, nunc illud vitium improbent: ſic tamen ut vitia tantum reprehendant, perſonas vero nec nominatim, nec certis quibuſdam notis perſtringant: modo acres, & vehementes ſint in criminibus reprehendendis: vincat vero ſeveritatem benevolentia. Curent ſolicite, & interim in concionibus ad plebem de articulis fidei, de ſacramentis, deque aliis, quæ ad Chriſtianam doctrinam pertinent ſic agere, ut horum myſteria quæ Chriſtiana plebs intelligere poſſit, ex ore paſtorum, imo ab Spiritu ſancto qui in eis loquitur Chriſtiana pietate percipiat. Commendent & populo eccleſiaſticos mores, ritus & ceremonias, quibus catholica eccleſia utitur; quanta in his lateant myſteria, eaque omnia ad animarum ſalutem pertinentia ſignificantes. Abſtineant vero ab his quæ fabuloſa ſunt: martyrum tamen & ſanctorum hiſtorias, quæ communi conſenſu eccleſiæ receptæ ſunt, vel a fide dignis ſcriptoribus traditæ, referre opportune non prætermittant. Tandem depoſitum ſervent, profanas vocum novitates devitent, oppoſitioneſque falſi nominis ſcientiæ; quam quidam promittentes (ut divus Paulus ſcribit) circa fidem exciderunt.

*Quartum.*

Canonicus, qui præbendam, quam magiſtralem vocant, obtinet, & qui ad id eligitur, ut prædicationis muneri incumbat, teneatur in eccleſia cathedrali, cui hoc in miniſterio ſervire debet, his diebus verbum Dei prædicare, quibus epiſcopus propria conſtitutione ad hoc edita illi id muneris injunxerit: alioqui ab ordinario pena pecuniaria ejus arbitrio fabricæ eccleſiæ cathedralis applicanda puniatur; atque ejuſdem canonici expenſis alius concionator ſubſtituatur. Hi vero, qui dignitates in eccleſia cathedrali obtinent, canonici, & alii quicumque perſonatus aut præbendas habentes, quemcumque in eadem eccleſia cathedrali ad majorem miſſam concionantem audiant, nec ab ipſo choro, niſi ex legitima cauſa diſcedant: alioqui tanquam ab illius diei proceſſione, & miſſa abſentes nihil acquirant: diſtributioneſque illis ea ratione alias debitæ, præſentibus non obſtante quacumque remiſſione accreſcant.

*Quintum.*

Presbyteri parochiales per ſeipſos, aut ſi fuerint impediti, per alios ab ordinario examinatos omnibus diebus feſtis paulo poſt meridiem Chriſtianam doctrinam pueros & puellas in unum locum prope eccleſiam, vel in ipſam eccleſiam convocatos docere teneantur: parenteſque eorum admoneant, quos & ſancta ſynodus admonet, ut proprios liberos domi bonis moribus, verbo, & exemplo inſtituentes, ea quæ ad Chriſtianam doctrinam pertinent, ſedulo doceant: eadem crebro repetentes, quæ illos parochus docuerat. Quod ſi presbyter parochialis in hoc munere exequendo negligens fuerit, ab ordinario & ejus viſitatoribus graviter puniatur. In tradenda vero doctrina Chriſtiana parochus & alii quicumque, qui eo munere fungi debent, non alio catechiſmo utantur, quam eo qui ab epiſcopo, ejus propriæ manus ſubſcriptione probatus & traditus fuerit; interim dum ſanctiſſimus dominus noſter catechiſmum generalem, quo totus Chriſtianus orbis utatur, edendum eſſe decreverit.

*Sextum.*

Qui in eccleſiis cathedralibus, collegiatis, & aliis quibuſcumque dignitates, canonicatus, perſonatus, præbendas, & officia quæcumque eccleſiaſtica habent, & alii earumdem eccleſiarum miniſtri quicumque hi ſint, diebus nativitatis, dominicæ cœnæ, reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti, pentecoſtes, ſancti Petri, aſſumptionis divæ virginis Mariæ, omnium ſanctorum; & eccleſiæ cujuſque advocationis, ſacrum euchariſtiæ ſacramentum ab eo, qui miſſarum ſolennia, quæ in ipſis eccleſiis majora dicuntur, peragit, ſi eadem die ipſi miſſam non celebraverint, ſumere teneantur. Alioqui his ſtipendiis, quæ octo ante diebus, etiam ratione reſidentiæ lucrati fuerint fabricæ eccleſiæ applicandis, & ſtatim ejus œconomo tradendis omnino priventur: & ab epiſcopo, vel eo abſente ab illo qui capitulo, vel eccleſiæ præſidet, coram omnibus ejuſdem eccleſiæ miniſtris acerba, Chriſtiana tamen, & fraterna correptione notentur. Hujus vero mulctæ ſignandæ is curam habeat, qui onus incumbit notandi eos, qui divinis officiis non interſint. Quod ſi & is negligens fuerit, ab epiſcopo, vel ab eo qui eo abſente præſidet, graviter puniatur.

*Septimum.*

Cum nemini dubium eſſe debeat divinæ indignationi eos omnino ſubjacere, qui eccleſiarum redditus, canonicis decretis a Dei lege derivatis, principum munificentia, & piæ ac Chriſtianæ plebis liberalitate ad divini miniſterii ſuſtentationem collatos, accipere & abſumere otioſe conantur, debita pro his obſequia nequaquam præſtare curantes: eoſque maledictos eſſe ex Hieremiæ quadrageſimo octavo qui officium, cui addicti ſunt, peragunt negligenter: decernit ſancta ſynodus, patrum decreta, & ta-

ANNO CHRISTI 1566.

rationem ipſam, quæ hac in re neminem non admonet, omnino ſequuta, eos omnes qui eccleſiis cathedralibus, collegiatis & aliis quibuſcumque in altari, & choro ſervire debent, dum divina officia celebrantur, & horæ canonicæ publicæ dicuntur, prorſus debere a quibuſcumque colloquiis, muſſitationibus, & aliis quæ ſacra perturbare ſolent, abſtinere. Nulla etenim alia ex cauſa in chori locum convenitur, quam ut omnes pariter ſenes cum junioribus nomen domini hymnis, & canticis laudare debeant: ab ipſo Chriſtiani populi, pro quo preces effundere tenentur, pro ipſius benignitate ſalutem ſpiritualem, & corporalem impetraturi; non ſolum oris ſono, ſed & voce cordis pſallente, Deumque ipſum dum voce pſallunt animo cogitantes. Atque ideo epiſcopus, eoque abſente is cui id muneris incumbit, diligenter curent, ne quid contra hujus decreti prohibitionem, imo nec contra ſanctiſſimorum patrum inſtitutiones fiat: non immemores tam ipſos, quam eos, qui ob eorum negligentiam in choro pſallentes perturbant, vel a pſallendo retrahunt, aut a pſallendi, devoteque ac reverenter laudandi dominum officio ceſſant, divinam ultionem effugere non poſſe. Epiſcopus igitur, & qui in choro præſidet, ſic hujuſmodi culpam punire conentur, ut indicta mulcta, appellatione quacumque executionem non impediente, præſentibus, & ut decet divina officia celebrantibus accreſcat. Neque is qui peccaverit, illius diei diſtributiones quaſcumque, neque quidquam aliud quod ratione reſidentiæ alioqui habiturus foret, in conſcientiæ judicio acquirat.

*Octavum.*

Ut, quæ a ſancta Tridentina ſynodo de diſtributionibus quotidianis, in eccleſiis omnibus tam cathedralibus quam collegiatis ad divini cultus decorem & ornamentum aſſignandis, ſtatuta fuere commodius fieri, & ſemel inſtituta retineri valeant: decernit hæc ſancta ſynodus juxta ejuſdem Tridentinæ ſynodi decreta, ſeparari debere ab epiſcopo tertiam partem quorumcumque fructuum & redituum, ad dignitates, canonicatus, perſonatus, portiones, & officia, etiam ex annexis & unitis beneficiis, ac præſtimoniis, etiam ratione veſtiarii, & aliunde quam ex menſa, quam vocant capitularem, pertinentium: & ſic ſeparatam in diſtributiones quotidianas inter dignitates, canonicos, & ceteros divinis officiis intereſſentes proportionabiliter dividendam, ac diſtribuendam fore; ſic tamen, ut habeatur ratio earum horarum quæ majores dici ſolent, & feſtorum quæ ſolennius celebrari conſuevere, ut in illis majores diſtributiones dentur. Illi vero redditus, qui ex donationibus, ultimis voluntatibus, aut alia quavis piorum hominum liberalitate ad quædam divina officia ſpeciali quodam ordine fuere deputati, nullo modo ad hanc tertiam partem deducendam æſtimari, aut conferri debent: imo illorum diſtributio ea lege fiat, quæ fuerit ab ipſis donatoribus, aut teſtatoribus præſcripta.

Quod ſi dignitates, canonicatus, aut præbendæ, vel ratione præſtimoniorum, aut beneficiorum quæ illis ſunt annexa, vel veſtiarii, aliave quacumque ex cauſa, valore redditûum ſint inæquales, cuilibet dignitati, canonicatui, & præbendæ, juxta integrum valorem tertiæ partis, majores vel minores diſtributiones aſſignentur; ita ut qui dignitatem illam, canonicatum, aut præbendam obtinet, acquirat, ſi divinis officiis interſit: eo vero abſente diſtributiones iſtæ præſentibus acquirantur, ubi illi reditus ex quibus diſtributio conſtat, vacante dignitate, canonicatu, vel præbenda, ceteris eccleſiæ miniſtris competeret: alioqui ſi reditus illi vacationis tempore non ſolent ceteris acquiri, dimidia pars diſtributionum quæ abſenti non acquiruntur, illis competat, qui eo die fuerint præſentes majoris miſſæ celebrationi: ſic tamen ut celebranti dupla detur diſtributionibus portio: altera vero pars æquis portionibus fabricis eccleſiæ cathedralis, & collegiatæ, in quibus ſedem habet, qui dignitatem aut officium obtinet, acquiratur. Quod ſi in altera tantum ſedem habuerit, illius fabricæ ea pars integre detur. Illi autem redditus, qui in frumento, pecoribus, avibus, aut alia quavis ſpecie dividi juxta cujuſque eccleſiæ conſuetudinem ſolent, pecunia æſtimentur, ut ex illorum æſtimatione tertia pars, de qua hoc decretum agit, ad diſtributiones ſeparetur, reliqua vero parte ſtatutis temporibus acquirenda: modo quod alioqui acquiri ſolet, ſi quis præſens fuerit uni & cuilibet horæ canonicæ, non aliter acquiratur, quam ſi vel majori miſſæ, vel ejuſdem diei veſperis interſit,

*Nonum.*

Cum dignitates, canonicatus, & præbendæ in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis non alia ratione fuerint inſtitutæ, quam ut qui ad eas aſſumuntur, in divinis officiis celebrandis eccleſiæ ex qua fructus percipiunt, ſedulo inſerviant, illiſque muneribus incumbant, quæ vel jure, vel conſuetudine ipſis fuere præſcripta: cumque pauci admodum ſint, qui per ſeipſos hæc præſtare velint, curent epiſcopi cum conſilio capituli decretum Tridentinum ſequuti, ea quæ ad ſacrorum ordinum miniſterium pertinent, in eiſdem eccleſiis ſic inſtituere, ut in poſterum quis ordo cuique canonicatui, ac præbendæ ſit annexus, certa ſit lege conſtitutum: modo dimidia ſaltem canonicatuum ac præbendarum pars ſacerdotii, altera vero diaconatus, & ſubdiaconatus ordinem annexum in poſterum omnino habeat. Quod ſi conſuetudine aut alio quocumque jure ſit obtentum, ut plures canonicatus, ac præbendæ, vel omnes habeant ſacerdotii ordinem annexum, cum id ſervari debeat, atque illæ præbendæ ſacerdotium annexum habere dicantur, quibus celebratio miſſæ vel incumbit, vel indici ex conſtitutionibus, aut conſuetudinibus ſolet, tunc ab epiſcopo cum conſilio capituli ſic altaris miniſterio conſulatur, ut non tantum ſacerdotii miniſter, ſed & is, qui in diaconatu & ſubdiaconatu qualibet hebdomada ſervire altari debeat, ſit ordine quodam deſignatus.

Hi vero qui canonicatus, aut præbendas obtinent, quibus ſacerdotii, diaconatus, aut ſubdiaconatus ordo ſit annexus, in choro & capitulo juxta gradus dignitatem, non receptionis diem, ſedeant, ac ſententiam dicant.

Miniſtris autem altaris ſpecialis quædam portio major quidem vel minor gradus habita ratione diſtribuatur: neque hanc portionem, nec aliud quodvis jus, aut emolumentum, quod alioqui quovis modo celebranti competeret, is obtineat; qui per alium, non per ſeipſum quacumque cauſa impeditus, altari inſerviat: imo loco illius per ſeipſum celebranti tam portio prædicta, quam omnia alia jura omnino acquirantur.





ANNO CHRISTI 1566.

Sed & is, qui abſque juxta cauſa a miniſterio altaris ſe excuſaverit, puniatur arbitrio epiſcopi, & præter pœnam ab epiſcopo indictam teneatur etiam in conſcientiæ judicio intra quindecim dies fabricæ eccleſiæ tantumdem reſtituere, quantum ipſe ſi per ſeipſum altari miniſtraſſet, habiturus foret. Cauſa autem juſta, præter eam ægritudinem quæ ad tempus accedat, ea tantum cenſeri debet, quæ ab epiſcopo, vel eo abſente ab ejus vicario cum duobus de capitulo, quorum unus ab epiſcopo vel ejus vicario, alter a capitulo eligatur, probata præmiſſa cauſæ cognitione, & in ſcriptis fuerit conceſſa.

Qui dignitates obtinent ſimul & præbendas quæ non ſint perpetuo ipſis dignitatibus unitæ, teneantur in altari celebrare miſſarum ſolennia quæ ratione præbendarum eiſdem incumbant. Quod ſi præbendas non habeant, ſerventur in qualibet eccleſia ea, quæ circa miniſteria ad eos, qui dignitates obtinent pertinentia, fuerint ſtatutis, aut conſuetudinibus recepta.

*Decimum.*

Qui dignitates, canonicatus, aut præbendas in eccleſiis cathedralibus & collegiatis obtinent, & eiſdem ſervire tenentur, horis canonicis, & divinis officiis præſentes in choro eſſe debent non tantum ad momenta temporis, ſed & horarum initio ad finem uſque, quo debitum eccleſiæ obſequium, cujus ratione percipiunt ſtipendia, abſque ulla fraude ab eiſdem præſtetur: Et qui integras diſtributiones habituri ſunt, Chriſto & eccleſiæ integrum officium perſolvant. Is igitur qui in horis canonicis ante finem primi pſalmi, in miſſa ante ultimum Kyrie eleiſon, & in matutinis ante finem pſalmi, Venite exultemus, uſque in finem divino officio non interfuerit, niſi quem urgens neceſſitas, petita ac obtenta licentia ab epiſcopo, vel eo abſente ab eo qui choro præſidet, diſcedere ante horæ finem coegerit, diſtributiones illius horæ nequaquam acquirat: imo abſens a choro cenſeatur. Quod ſi illi ab aliis earum remiſſio, etiam libere fiat, eaſdem fabricæ eccleſiæ, etiam in animæ judicio reſtituere teneatur: cum ea remiſſio juſte fieri non poſſit in eccleſiaſtici miniſterii, quod eccleſiæ debetur, præjudicium. Diſtributiones autem quæ proceſſionibus ſunt, aut fuerint aſſignatæ, ſimili modo illis tantum acquirantur, qui eiſdem ab initio ad finem præſentes omnino perſeveraverint.

Quod ſi in aliqua hujus provinciæ eccleſia circa præmiſſa ſint arctiores vel conſuetudines, vel conſtitutiones, illæ omnino ſerventur.

Is vero, qui non ſolum a choro abeſſe, ſed & dum divina officia dicuntur in eccleſia deambulare, aut cum aliis colloqui auſus fuerit, totius diei diſtributionibus careat: nec eas, etiam in animæ judicio acquirere, aut ſuas facere poſſit.

Hæc autem quæ ad diſtributiones aſſignandas, & ad debitum divini cultus miniſterium ſtatuta ſunt, ſic exiſtiment epiſcopi ab hac ſancta ſynodo illis fuiſſe demandata, & commiſſa ad Tridentinæ ſynodi executionem, ut graviter ſint incuſandi, ac ſevere in proxime futura provinciali ſynodo increpandi, ſi qua fuerit eis hac in re ob eorum negligentiam culpa imputanda: cum & exactam rationem reddituri ſint eorum, quæ in his & decreverint, & executioni mandaverint.

*Undecimum.*

Cum ea, quæ in eccleſiis cantantur ad Dei laudem celebrandam, eo debeant cantari modo quo populi intelligentia, quantum fieri poſſit erudiri valeat; & religioſa pietatis, ac devotionis moderatione piorum auditorum mentes ad divinæ majeſtatis cultum, & cæleſtia deſideria excitari queant: caveant epiſcopi, ne dum in chorum muſicorum modulos vocum omnis generis diſcrimine confuſos admittunt, pſalmorum & aliorum, quæ cantari ſolent, verba obſcurentur, ac ſimul ſtrepitu incondito ſenſus ſepeliatur: ſic denique muſicam, quæ organica dicitur, retineant, ut eorum quæ cantantur verba & intelligi poſſint, & potius pronuntiatione, quam curioſis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur. Sed & illud maxime cavendum erit, ne ipſius muſicæ ſonus quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumve claſſicos modulos referat, in Dei laudibus decantandis imitetur.

*Duodecimum.*

Capitulorum conventus, qui a canonicis cathedralium, vel collegiatarum eccleſiarum fieri ſolent, bis tantum in qualibet hebdomada fiant: ne toties divina officia ob illos, vel negligantur, vel ipſis canonicis abſentibus celebrentur. Hi vero canonici, qui ad examinandas rationes redditunm vel eccleſiæ, vel capituli deputati fuerint, poſt meridiem, non ante, eidem muneri incumbant, ne divinis officiis abeſſe cogantur.

*Decimumtertium.*

Qui vel jure, vel conſuetudine vocem non habent in capitulo, nequaquam ad eum conventum admittantur, etiam ut præſentes ſint: ſed ipſis prorſus expulſis negotia ab his tantum tractentur, qui jure vel conſuetudine vocem in capitulo ad ejus, & eccleſiæ res tractandas habere debent.

*Decimumquartum.*

Canonicus, qui præbendam doctoralem, aut magiſtralem, vel illam obtinet cui munus legendi ſacram ſcripturam incumbit, nec non & pœnitentiarius, metropolitani, vel epiſcopi vicarius proviſor, aut viſitator, judex ordinarius, vel delegatus univerſalis appellationum eſſe non poſſit. Idem in presbyteris parochialibus omnino ſervetur, ne ab eccleſiis, quarum cura paſtoralis ipſis commiſſa eſt, eos abeſſe contingat.

*Decimumquintum.*

Cum ab ipſo Chriſtianæ religionis exordio eccleſiaſticis legibus, moribus, & continua traditione fuerit receptum, non ſolum laicos a choro, qui ſolis patebat clericis, excluſos fuiſſe, ſed & in eodem choro quibuſdam ſtationum gradibus clericos ipſos ſic fuiſſe diſtinctos; ut nec inter ſacerdotes diaconi, nec inter diaconos ſubdiaconi ullo modo admitterentur: cupiens hæc ſancta ſynodus, dum videt eccleſiarum choros hac ætate non magis clericorum, quam laicorum conventus dici poſſe, ac divina

ANNO CHRISTI 1566.

officia ob hanc cauſam eo quo decet modo minime celebrari, priſcum ordinis decorem ad divinæ majeſtatis obſequium revocare, decernit, laicos dum divina officia dicuntur intra cancellos chori, in quo clerici in eccleſiis cathedralibus & collegiatis ea ex cauſa convenire ſolent, nequaquam fore admittendos: his tantum præter cantores & alios hujuſmodi chori miniſtros in eum locum ingreſſuris, qui eccleſiaſtici ſint, & honeſto ac decenti veſtitu utantur.

Hi vero laici, qui titulo ſint illuſtres, vel catholicæ majeſtatis conſiliarii, aut ex militaribus ordinibus admitti poterunt intra chorum, ſi eo in loco divinis officiis intereſſe velint: ſic tamen ut ab epiſcopo priores poſt cancellos ſedes eiſdem deputentur, nullo unquam caſu inter clericos ipſis ſedere liceat. Quod ſi quis, etiam genere, & titulo illuſtriſſimus intra chorum adverſus hujus decreti ordinem divinis officiis interſit, ipſo jure ſit excommunicatus: & ſi manere in eodem loco contenderit, officia divina ſtatim ceſſent.

Feminæ vero cujuſcumque conditionis, & ſtatus ſint, nullo unquam tempore, nullave ex cauſa dum divina officia celebrantur, aut verbum Dei prædicatur, denique his horis, quibus clerici in choro præſentes eſſe debent, intra eumdem chorum, aliquemve ejus locum ſecretum, etiam ſuperiorem admittantur: quod ſi adverſus hanc prohibitionem factum id fuerit, aut permiſſum, ipſæ feminæ ſint ipſo jure excommunicatæ: & qui earum ingreſſum permiſerit præter excommunicationem, in quam ipſo facto incurrat, & pecuniariam multam ab ordinario indicendam, ſit ab officio & beneficio per ſex menſes ipſo itidem facto ſuſpenſus.

### *Decimumſextum.*

Etſi ſacroſancta Tridentina ſynodus de parochialibus eccleſiis, quæ collapſæ fuerint, inſtaurandis ac reficiendis ea decreverit, quæ huic damno commode reparando opportuna viſa fuere: cupiens tamen hæc ſancta ſynodus id vitari damnum, decernit ordinarios debere curare diligenter: ne parochiales eccleſiæ dolo, fraude, aut cujuſquam arte parochianis alio migrantibus inane parœciarum nomen retineant. Quod ſi caſu quocumque id contigerit, qui vitari non potuerit, ex earumdem eccleſiarum redditibus eccleſiæ ſic parochianis deſtitutæ ne funditus corruant, opportune reficiantur, & illæſæ conſerventur, atque in eiſdem ſaltem diebus feſtis, ac dominicis miſſarum celebrentur ſolennia, etiamſi nullus illarum eccleſiarum parochianus ſuperſit. Si qui vero vel in eiſdem parœciis manſerint, aut ad eaſdem redierint, quotcumque & quicumque hi ſint, his rectores parochiales ſacramenta miniſtrare E teneantur.

### *Decimumſeptimum.*

In his locis, in quibus eccleſiarum parochialium fabricis nulla decimarum pars dari ſolet, nec alii ſint deputati annui redditus, aut ita tenues ſint, ut ad onera neceſſario ſublevanda nequaquam ſufficiant: ex omnibus decimis ad quoſcumque & quomodocumque pertinentibus, ea pars fabricis eccleſiarum parochialium depu[illegible] deputata cenſeatur, quæ ejuſdem

A diœceſis vicinioribus eccleſiis ad fabricam communiter dari, & in ejuſdem fabricæ utilitatem expendi conſuevit. Alioqui arbitrio ipſius ordinarii eccleſiæ parochiales ex omnibus decimis reficiantur ac reparentur, quæ vel in ædificiis, vel ornamentis reparatione indigere videbuntur. Per hoc tamen non intendit ſancta ſynodus conſuetudinibus, quæ laudabiles jure cenſentur, aliiſque juribus derogare, quibus plebs, aut alii ad eccleſiarum reparationem tenentur, aut illis ornamenta, aliaque neceſſaria ſuppeditare conſuevere.

### *Decimumoctavum.*

B Qui in ſortem domini vocati ſunt, & divinarum rerum miniſterio, ac ſpirituali addicti militiæ meminerint juxta divum Paulum, ſe Deo ſub cujus ſignis militare decreverunt, placere non poſſe, ſi quid præter ſui ducis militiam agant, & ſæcularibus negotiis vacaverint, quæ a divinis ac ſpiritualibus diſtrahere frequentiſſime ſolent: prohibet igitur ſancta ſynodus, clericos in ſacris, & eos qui beneficium eccleſiaſticum obtinent, laicorum eſſe œconomos, ac ſæcularium rerum diſpenſatores, necnon & in foro civili procuratores; exceptis his negotiis, quibus juxta canonicas ſanctiones pietatis cauſa vacare juſte poſſint: alioqui ab ordinario pœna ſuſpenſionis ab C officio, & beneficio ad ſex menſes puniantur.

### *Decimumnonum.*

Tanta eſt in Chriſtiana republica eccleſiaſtici ordinis dignitas, ut eccleſiarum miniſtri cum aliis rationibus a naturali ac divina lege deductis, tum vel ex eo honeſte vivere teneantur, quod ceteris morum probitate, vitæque ſanctitate & exemplo, magnam auctoritatem ad Chriſtiane ac pie vivendum afferre debeant: cui tamen dubio procul graviſſime læditur cum tantus ordo fœdiſſima incontinentiæ ac concubinatus ignominia infectus decorem illum retinere nequeat, qui ad continendos in officio D ſæculares non tantum utilis, ſed & maxime neceſſarius eſſe videtur. Idcirco hæc ſancta ſynodus decernit, epiſcopos omnes, ac quoſcumque ordinarios ſolicite debere adverſus incontinentes clericos, non ſolum juxta ſacros veteres canones, & concilii Tridentini decreta procedere, ut a præſenti concubinatu recedant: ſed & veteris ac jam præteritæ incontinentiæ argumenta, ac publica teſtimonia penitus abolere cogantur. Ordinarii igitur quibuſcumque pœnis ad privationem uſque beneficiorum, quoſcumque clericos diſtricte compellant, ne ſecum domi illegitimos liberos quoſcumque habeant, ut incontinentiæ labes, ac memoria omnino aboleri valeat.

### *Vigeſimum.*

Quoties ordinarius ob aliquod crimen quemcumque in eccleſia cathedrali, vel collegiata dignitatem, perſonatum, officium, canonicatum, aut præbendam habentem, ſuſpenſione ab officio, vel beneficio, exilio aut pœna pecuniaria puniendum duxerit: non poſſint alii ejuſdem eccleſiæ miniſtri, nec capitulum ipſum negotia eccleſiæ, vel capituli ſic exulanti committere, nec eidem, aut aliis ſupradictis e redditibus menſæ, quam capitularem vocant, vel di-

ſtri-



ANNO CHRISTI 1566.

ſtributionibus quicquam; etiam gratuito donare, aut remittere. Alioqui ſic donantes aut remittentes teneantur tantumdem fabricæ eccleſiæ reſtituere, etiam in animæ judicio: cum his modis frequenter ordinariorum punitionibus, & eiſdem juſtiſſimis fraudem fieri contingat: imo plerumque pœna delinquentibus indicta in eorum lucrum malo cum exemplo eccleſiaſticæ diſciplinæ cedat. Quod ſi ratio pietatis, caritatis, aut publicæ utilitatis aliud expoſcat, re ad ordinarium delata, eoque ſciente, capitulum poſſit vel abſenti ſubvenire, aut illi eccleſiæ, vel capituli negotia committere: ſervata ſemper ea forma, quæ in dicendis ſententiis, rebuſque diffiniendis ab eodem capitulo ſervari ſolet.

Idem ſancta ſynodus ſtatuit ſervandum eſſe, quando ordinarius in aliquem, vel aliquos de capitulo ſententiam excommunicationis indixerit: ut capitulum ipſum nequaquam poſſit, quod ſic excommunicati ex præbendæ redditibus, aut diſtributionibus acquirere jure non valent, eiſdem vel remittere, aut gratuito, vel alio quovis modo, aut quæſito colore in fraudem canonum & ſententiæ donare.

### *Vigeſimumprimum.*

Qui in eccleſiis parochialibus beneficia quæcumque etiam ſimplicia, & quibus alioqui nulla incumbit animarum cura obtinent, quorum ratione in eiſdem eccleſiis ſervire tenentur, & qui eorum loco ſerviunt, tempore quadrageſimæ, & quo plebs ad indulgentias ex jubilæi forma conſequendas confiteri peccata debet, teneantur omnino ipſos presbyteros parochiales in audiendis ſubditorum confeſſionibus coadjuvare, licentia prius ab ordinario legitime obtenta: alioqui ab ipſis ordinariis eorum arbitrio puniantur.

### *Vigeſimum ſecundum.*

Viſitatores ab epiſcopo deputati, teneantur, dum viſitationis officio fungi debent, ſolicite operam dare, ut in his domibus in quibus pueri prima ſolent addiſcere elementa, a præceptoribus & magiſtris, qui bonis moribus præditi eſſe debent, doctrina Chriſtiana quolibet die ſummatim tradatur: idem fiat & ab his feminis, quæ puellas ea docent, quæ eas ſcite oportet; ut recte inſtitutæ matrisfamilias munera exercere valeant. Eoſdemque præceptores, & magiſtras per cenſuras, & ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis ad id agendum compellere non prætermittant.

### *Vigeſimum tertium.*

Quoties ab ordinario vel licentia, vel conſenſus petatur, ut quis ſtudiorum gratia ad certum tempus abſens, beneficii fructus recipiat, & a reſidentia perſonali excuſetur; non aliter is conſenſus vel licentia detur, quam diligenti præmiſſa inquiſitione, an qui eam petit ad literarum ſtudia ſit aptus, & an temere, vel in fraudem hanc licentiam petat. Quam ſi ordinarius omnibus mature diſcuſſis & examinatis, duxerit concedendam: tunc ad annum tantum, ut in univerſitate in qua generale ſtudium vigeat, ſacræ theologiæ vel juri canonico operam det, eam licentiam dare poſſit, vel datæ conſentire. Poterit tamen eam prorogare, modo quo-

A libet anno prorogatio ad ſequentem petatur ac detur: viſo prius publico teſtimonio rectoris univerſitatis, & unius publici præceptoris, quo conſtet, quem in literis progreſſum faciat is qui licentiæ prorogationem petit, quamque vitam agat: ne falſa ſtudiorum cauſa ſacris canonibus fraudem fieri contingat.

### *Vigeſimum quartum.*

Cum omnes Chriſtianam religionem profeſſi teneantur ſaltem ſemel in anno, juxta concilii generalis conſtitutionem, die dominicæ reſurrectionis ſacram euchariſtiæ communionem ſuſcipere, & poſſint eidem præcepto ſatisfacere, B ſanctæ ſedis apoſtolicæ vel conſtitutionibus, vel ſpeciali jure, ſi aliis quibuſdam diebus idem ſacramentum ſumpſerint: declarat ſancta ſynodus, neminem præcepto huic ſatisfacere, niſi a proprio parocho, aut ab alio de ipſius parochi, vel ordinarii licentia ſacramentum euchariſtiæ ſuſceperit; quocumque tempore id ex eodem præcepto ſumendum ſit.

### *Vigeſimum quintum.*

Tanti fuere in Chriſtiana republica ſacroſancta ac veneranda virginitatis & caſtitatis vota, ut eccleſia catholica poſt domini noſtri Jeſu Chriſti aſcenſionem, ex ejus inſtitutione ab apoſto-C lorum ætate nuſquam ceſſaverit, vel [illegible] commendare, vel continua traditione ea inſtituere, [illegible] exactam rationem habere voluit eorum quæ ad clauſuram pertinent virginum, quæ ſemel Deo earum ſponſo dicatæ ac devotæ, virginitatem perpetuam ei ſponte offerentes, tot periculis ac dæmonum calumniis infeſtari, atque oppugnari ſolent, ut non ſatis conſultum, tot editis canonibus ac decretis, earum tutelæ videri poſſit, niſi epiſcopi, & alii quibus earumdem virginum cura commiſſa eſt, diligentiſſime curent, ne ullius unquam hac in re culpæ notari poſſint: eo maxime, quod quævis in adeo imminenti peri-D culo negligentia non poteſt non eſſe maxima: cum & eccleſia catholica non alia ratione his feminis, quæ profeſſione ſolenni cum paupertate & obedientia continentiam ac caſtitatem voverunt, editis hac de re canonicis conſtitutionibus clauſuram indixerit, quam quod vel eam neceſſariam, vel ſaltem commodiſſimam huic inſtituto, tamquam tutiſſimum virginitatis præſidium, eſſe decreverit. Duo igitur ſancta hæc ſynodus maximopere præcavenda eſſe decernit: alterum ne quævis cauſa exiſtimetur eſſe juſta, ut moniali liceat monaſterii clauſtra exire: ſed illa tantum, quæ ſic ad ejus ſalutem corporalem pertineat, ut niſi maximo cum vitæ periculo intra clauſtra manere nequeat: vel quæ huic ſimilis E diligentiſſimo examine cenſeri valeat: alterum ne quis exiſtimet abſque graviſſimo animæ periculo poſſe ſanctimonialium clauſtra ingredi: cum id, etiam ſuperioris licentia nequaquam liceat, niſi in caſibus neceſſariis: extra quos nec licentia dari poteſt, nec data cuiquam ſuffragari valeat: maxime viris cujuſcumque ætatis & conditionis ſint, quibus prælati licentiam hujuſmodi omnino negare debent: etiam ut cum ſanctimonialibus ipſis, etſi filiæ ſint, alio in loco, quamvis ipſis clauſtris contiguo, quam per cancellos loquantur. Eodem ſiquidem jure, quo quis clauſtra ſanctimonialium ingredi prohibetur, & ipſæ

ſan-

ſanctimoniales exire eadem interdicuntur. A Meminerint tandem epiſcopi, & alii quibus hujuſmodi munus incumbit, quanta eis ſacroſancta Tridentina ſynodus Spiritu ſancto inſpirante poſt tot ſacros canones fuerit comminata, ſi quid eorum culpa commiſſum fuerit, quod vel minima ex parte virginitati, quæ divinæ majeſtati devota fuerit, nocere poſſit.

*Vigeſimum ſextum.*

Cum ſpectacula, in quibus a plebe in foro vel circo, tauri agitari ſolent, nulla ratione ad vota, quæ religionis cauſa fiunt, pertinere poſſint: Idcirco ſancta ſynodus decernit hæc ſpectacula adeo non eſſe religionis cauſa vovenda, ut & B ipſa vota, quæ hactenus etiam totius populi conſenſu, quocumque juramento præſtito emiſſa fuerint, irrita eſſe declaret, & omnino irritet: imo ea in poſterum fieri vetat excommunicatione ipſo jure indicta his, qui vel hæc vota voverint, vel cum ea ne fiant prohibere poſſint, fieri permiſerint. Dies enim, qui publica in veneratione, vel ſacratiſſimi Jeſu Chriſti corporis, vel divæ virginis, aut aliorum ſanctorum ſolennitate ſunt a Chriſtiana plebe colendi, non hiſce ſpectaculis, ſed divinis laudibus, precibuſque continuis, & gratiarum actionibus ſunt ſanctificandi.

Clerici autem in ſacris conſtituti, vel beneficium eccleſiaſticum obtinentes, quicumque hi C ſint, & cujuſcumque dignitatis, cum indecorum ſit ordini eccleſiaſtico, ejus miniſtros hiſce ſpectaculis præſentes eſſe, eiſdem quacumque ex cauſa vel ratione edita fuerint, intereſſe nequeant. Alioqui ab ordinario ejus arbitrio puniantur.

*Vigeſimum ſeptimum.*

Quia in hujus provinciæ locis, & eccleſiis non eadem eſt, nec eſſe poteſt erigendi ſeminarii facultas: epiſcopi ſeminaria erigere non prætermittant, habita tamen ratione eorum, quæ a decreto Tridentino tradita fuere: & aliorum quæ huic erectioni juxta cujuſque loci faculta- D tem & conditionem commodiora ſint: quo ſemel erecta ad adoleſcentium inſtitutionem cum progreſſum habeant, qui ordini eccleſiaſtico ſit aptior.

*Vigeſimum octavum.*

Cum ex ſanctorum patrum inſtitutis ad hoc ſint provinciales ſynodi congregandæ, ut in eis de corrigendis exceſſibus, moribus reformandis, ac de his ſtatuendis agatur, quæ ad communem provinciæ utilitatem viſa fuerint pertinere: atque ea ratione ſacris canonibus cautum fuerit, idoneos proboſque viros per ſingulas diœceſes ſtatuendos fore, quo ſynodus ipſa de his certior E fieri valeat, quæ vel correctione, vel reformatione indigere videbuntur: idcirco hæc ſancta ſynodus canonicas ſanctiones ſecuta, decernit in poſterum ab hac provinciali ſynodo viros bonis moribus præditos, prudentes, & alioqui rerum cognitioni aptos eligi debere ex ſingulis diœceſibus, qui abſque ulla juriſdictione diligenter inquirere debent [illegible] ſint illa quæ corrigi, emendari aut reformari [illegible] utile, vel neceſſarium: [illegible] tamen coram cujuſque diœceſis epiſco- [illegible], quod juxta formam teſtibus [illegible] ſcriptam ſit [illegible], ut & ipſi noverint graviſſimo perjurii ſcelere notandos fore, ſi odio, favore, amore, pretio, aut alio quovis humano affectu, ſive negligentiæ culpa, quid inquirere prætermiſerint, vel deferre ad cujuſque diœceſis epiſcopum, & ad provincialem ſynodum neglexerint, quod jure & ratione accepti muneris inveſtigare & deferre teneantur.

Quod ſi ad hoc munus exercendum aliquot expenſæ fuerint neceſſariæ: hæ ab illis exigantur auctoritate ordinarii, qui eas vel jure, vel conſuetudine præſtare tenentur.

Ad hujus decreti executionem hæc ſynodus eligendos eſſe cenſet, atque eligit in hac Toletana diœceſi, & primum in hac urbe Alfonſum de la Paz presbyterum parochialem ſanctæ Juſtæ: licentiatum de Mora presbyterum parochialem ſancti Andreæ, & doctorem Farfanum presbyterum parochialem ſancti Jacobi. In ſuburbiis. Talaveræ Franciſcum de Hoyos canonicum, & Chriſtophorum Buſtamanten presbyterum parochialem Alcaudeti. Compluti doctorem Joannem Mendez canonicum, & doctorem, Meſſiam presbyterum parochialem Moratæ. Madriti. Gregorium Ovetenſem in eccleſia ſancti Andreæ, licentiatum Blaſium Martinez parochialem presbyterum Pinti, & licentiatum Mathiam de Uroſa. Guadalajaræ Ludovicum de Hineſtroſa, & doctorem Joannem Alfonſum. Alcarazii, Joannem de Aquila, & Chriſtophorum Reguiſſum. Ocannæ, protonotarium Calatayud, Gonçalum Chaconem Siliceum presbyterum parochialem del Pozuelo. Caçorlæ, licentiatum Martinum Tero vicarium. Almoguera, Melchiorem Collaços Ordoñez, ejuſdem oppidi parochialem presbyterum. Alcoleæ de Torote, licentiatum de los Rios. Guardiæ, Franciſcum Maldonadum. Mondejaris, doctorem Petrum Martines. Illeſcis, bachalaureum Sanctium Garſiam, & Franciſcum de Avila. Canallis, Chriſtophorum de Herreza. Uzedæ, Philippum Vacca. Buitragi, Joannem Carrança. Talamancæ, licentiatum Plaça. Coritæ, licentiatum Pradum. In populo de Alcocer, bachalaureum Villalobos, & bachalaureum Lucam Ferdinandum. Montalvani, donum Joannem Baptiſtam. Rodillis, licentiatum Meneſium. Maquedæ, Enecum Lopez de Medrano, & Joannem de Herrera Hybarra. Sanctæ Eulaliæ, licentiatum Caſtroverde. Scalonæ, Petrum Sahagun, & Lucam Lopez.

In diœceſi Cordubenſi, Franciſcum Pachiecum, decanum eccleſiæ Cordubenſis. Petrum Ferdinandum de Valençuela. Alfonſum de Barajas. Magiſtrum Gaytanum Franciſcum Lopez incolam oppidi de Bujalançæ, bachalaureum Portachuelum oppidi Aquilaris, Ferdinandum Pinum vicarium Lucenæ, Melchiorem de Regibus vicarium Ramblæ, Piedrahitam vicarium Palmæ, Franciſcum Lopez bachalaureum, incolam oppidi Belli Alcaçaris, magiſtrum Fenuſcam vicarium de villa Pedroche, licentiatum Rayum vicarium Chilloni. Petrum Martinez de Laſtres, incolam oppidi de Vaena.

In diœceſi Burgenſi, in ipſo archidiaconatu Burgenſi Alfonſum de Cuevas, & doctorem Benedictum Ugochonium canonicos cathedralis eccleſiæ. In ipſa urbe, bachalaureum Joannem Garſiam confeſſarium in ſancta Dorothea, atque item bachalaureum Baeça presbyterum parochialem ſancti Stephani. In archidiaconatu. Treviani bachalaureos Alfonſum Melendez, & Joannem del Gadum, & bachalaureum Nietum. In archidiaconatu Valpueſtæ, licentiatum Joannem Hugartem, & Didacum Martinez de Ceſpedes vicarium.





In archidiaconatu Palençuelæ, Cutiel archipresbyterum, & bachalaureum Vega. In archidiaconatu Laræ, licentiatum Nebredam, priorem de Covarruvias. In archidiaconatu Virbieſcæ, bachalaureum Balthaſarem Arcinicgam.

In diœceſi Seguntina, & in ipſo archipresbyteratu Seguntino. Franciſcum Salazarium capellanum majorem, & canonicum Lucam de Spinoſa. In archipresbyteratu Medinæ-cæli doctorem Roxo, & doctorem Riberam.

In archipresbyteratu Atiençæ doctorem Ocaña, & bachalaureum Cendejas.

In archipresbyteratu Ayllonis doctorem Seguntiam, & licentiatum Capatam.

In archipresbyteratu Ciſontano magiſtrum B Romum, & bachalaureum Lacunam.

In archipresbyteratu Almaçani bachalaureum Lazarum, & bachalaureum Torralva.

In archipresbyteratu Berlanguæ, Petrum de la Roa, & bachalaureum Ximenez.

In archipresbyteratu Caracenæ, bachalaureum Alemanum, & bachalaureum Sanchez.

In archipresbyteratu Haricæ bachalaureum Ruiz, & Petrum Garſiam.

In archipresbyteratu Molinæ, Petrum Garçez de Marcilla, & bachalaureum Madrid.

In diœceſi Sagobienſi, & in ipſa urbe doctorem Valderum, & Petrum de Frias canonicos. Antonium de Trinitate, & Dominicum Ortegum, & bachalaureum Tardon. C

In archidiaconatu Sepulvedæ, licentiatum de Proaño, & licentiatum Vera.

In archidiaconatu Cuellaris, Franciſcum de ſancto Romano.

In diſtrictu Coquenſi bachalaureum Alva archipresbyterum, & bachalaureum Cerbera. Turvegani: Truxillum presbyterum. In diſtrictu Pedrazæ, licentiatum Vizcaia. In diœceſi Palentina, & in ipſa urbe licentiatum Meridam, & doctorem Vadillum canonicos.

In archipresbyteratu Carrionis, bachalaureum Joannem Ceanum.

In archipresbyteratu de Poblacion, Beradinum Gonçalez.

In archipresbyteratu de Avia, Bernardinum D Antonium.

In archipresbyteratibus de Herrera, Hojeda, & Ordejon, bachalaureum Peracancas.

In archipresbyteratibus de Caſtrejon, Cardaño, Poblaciones, & Vedoya, licentiatum Caloca.

In archipresbyteratibus de Paredes, Bezerril, y la Cuença, bachalaureum Thomam Ferdinandum [illegible].

In archipresbyteratu de Caſtro Mocho, bachalaureum Tintorem.

In archipresbyteratibus Medinæ de Rioſeco, Tor de humos, & Urueña licentiatum Didacum de Valbas Moreno.

In vicariis Empudiæ, Pedraza, Villæ Mar- E tini, & Grijota licentiatum Vallejo.

In archipresbyteratibus de Aſtudillo, Valtanas, y Cebico licentiatum Muñoz, & bachalaureum Mancebo.

In archipresbyteratu de Peñafiel, bachalaureum Muñoz.

In archipresbyteratu Portilli, & vicaria Tudellæ, bachalaureum Marquez.

A In archipresbyteratibus Septimancenſi, Tordeſillas, & turris Lobatonis, bachalaureum Gallecum.

In archipresbyteratu de Dueñas, Lupum Brabum.

In diœceſi Conquenſi doctorem Alfonſum Ramirez de Vergara, canonicum in eccleſia cathedrali. Martinum Salmeronium, Laurentium de Oſma, & Millanam presbyterum parochialem ſancti Petri in urbe Huete. Velaſcum Carillum ſcholaſticum eccleſiæ Bellimontis, doctorem Gonſalvum Lopez. Petrum de Velaſco Caſtanneda, bachalaureum Fromeſtam de Lomas, bachalaureum Irançum, Joannem de Mozillas, archipresbyterum Moyæ, Joannem de B Arriba, Antonium Turencum, vicarium Hortæ, & licentiatum Meſſiam, Æmilianum Ruiz de la Cova, vicarium Hinieſtæ, & bachalaureum Brabum.

In diœceſi Oxomenſi in ipſo archipresbyteratu Oxomenſi licentiatum Alfonſum de Medina, archidiaconum Oxomenſem: Arandæ, Joannem Brabum: Roæ bachalaureum vocos priorem eccleſiæ collegiatæ: Açæ, Julianum de Ortigoſa. Soriæ, Joannem de Tormes.

In archipresbyteratu Gomaræ, bachalaureum Joannem Ruizium. Crunnæ, Alfonſum de la Cal vicarium.

In diœceſi Giennenſi, in ipſa urbe Didacum Gonçalez canonicum, & Didacum Salazarium C portionarium, & doctorem Valentinum, priorem ſancti Illefonſi. Baeçæ, Joannem Oconium, archidiaconum Ubedæ, doctorem Carlovalium, & [illegible] Ferdinandum de Ortega, [illegible] Ubedenſis. Andujaris, Joannem de Collados. Alcaudeti, Gonçalum Vilches. Et Villæ novæ, quæ archiepiſcopi dicitur, licentiatum Poyatos.

In abbatia de Alcala, quæ regalis dicitur, bachalaureum Caſtellum, & bachalaureum Seguram.

Quos omnes ſancta ſynodus in Chriſto Jeſu hortatur, ne quid agere prætermittant, quod ad tam ſalubre munus ſancte & in reipublicæ utilitatem exercendum conducere poſſit.

D Placentne vobis, reverendiſſimi patres, hæc decreta? Et huic ſanctæ provinciali ſynodo finem imponi ad laudem Dei omnipotentis?

Reſponderunt, Placet.

Ego Chriſtophorus epiſcopus Cordubenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Petrus Seguntinus diffiniens ſubſcripſi.

Ego Didacus epiſcopus Segobienſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus epiſcopus Paletinus diffiniens ſubſcripſi.

Ego frater Bernardus epiſcopus Conchenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Honoratus epiſcopus Oxomenſis diffiniens ſubſcripſi.

E Ego Didacus abbas de Alcala la Real deffiniens ſubſcripſi.

In cujus fidem ſubſcripſi.

Ego Gundiſalvus Melendez de Valdes, licentiatus, Cordubenſis proviſor, & ſancti concilii Toletani, ſecretarius,

Domingo de Cavala.

ANNO CHRISTI 1565.

# SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA

Qua Joaſaphus, ſive Joſeph, ex metropolita Hadrianopolitano elapſis centum ac duodecim ferme annis poſt captam a Mahomete II. Urbem patriarcha electus & ob ſimoniam dejectus eſt circa annum Chriſti 1565. & nonnulla alia adverſus idem teterrimum vitium.

*Ex hiſtoria eccleſiaſtica, ſive patriarchica Emanuelis Malaxi Peloponneſii, ab anno 1454. ad 1578. quam Martinus Cruſius Tubingenſis academiæ profeſſor Latine vertit, ediditque libro II. Turco-Græciæ.*

## XXIII. PATRIARCA JOASAPHUS METROPOLITA HADRIANOPOLEOS.

POſtquam hic patriarchicæ dignitati præpoſitus fuit; concurſu totius populi, ſacri & profani ordinis, ſeniorum & juniorum, ei congratulantium & venerationem exhibentium exceptus eſt. Erat autem tunc temporis peſceſium trium millium, uti diximus, aureorum: vitio eorum qui ad tantam id auctionem perduxerant. Eam certe ſummam ſuperior patriarcha Dionyſius dederat. At hic Joaſaphus ſedem Indeptus, magna arte, multis machinationibus, plurium donorum diſtributione tantum effecit, ut uno mille defecto, peſceſium poſt hac bis mille aureorum remaneret. His ſecum acceptis, ad conſilium perrexit, manumque ſultani oſculatus inſigne poteſtatis accepit.

*Peſceſium 2000. ducati.*

Paucis diebus elapſis, totum ſeptum quo patriarcheium circumdatum erat, cum veteribus & putrefactis tuguriis deſtruxit, advectiſque calce, lapidibus, tegulis & coctilibus lateribus murum ipſi patriarcheio circumdedit; ita ut id nunc caſtri pulcherrimi & muniti ſpeciem habeat: ædificavit quoque duo ſpecioſa & ampla palatia in parte ſiniſtra exeunti e patriarcheio prope ſacratiſſimam patriarchæ cellam. Ad hæc coquinam, & molendinum; inſuper vaſis ſacris magnam eccleſiam auxit, & ornavit: thuribulo, pelvi, candelabris duobus, ex argento omnibus; necnon aliis magni precii & ſplendoris, ex auro utenſilibus ſacris & veſtibus.

*Præclara patriarchæ opera, & vaſa ab eo facta.*

Erat porro hic patriarcha admodum ſuperbo ingenio, & gloriæ præter modum avido. Hinc in magnas concertationes cum venerando clericorum cœtu, & cum viris nobilitate præſtantibus venit. Atque ut ſibi adjutores adverſæ factionis proſternendæ cauſa paratos haberet, nuntiis emiſſis, cunctos Orientis, Occidentis & Peloponneſi pontifices congregavit. Qui cum veniſſent in magna eccleſia congregati ſunt ſynodo autem facta ipſum ſimoniæ convicerunt: & ex ſententia ſacrorum apoſtolicorum canonum pontificio throno, patriarchicoque honore dejecerunt.

*Elatio animi ejus, & cum præcipuis viris diſſidium.*

*Propter ſimoniam depoſitio.*

*Exemplum dejectionis.*

Numquam ſatietatem capit inimicus ille ſalutis noſtræ, & inſidiator, qui humano generi mox ab initio adverſarius extitit, & adverſus Chriſti eccleſiam ſemper arma capit: Nam interdum per hæreſes, quas varias excitat; interdum nonnumquam per homines irrequietos [illegible] aures ei adhibentes, corruptiones ſacrorum apoſtolicorum, & a ſanctis patribus traditorum canonum tentat. Sicut nunc quoque peccatorum noſtrorum abundantia, aperte perſecutorem ſuſcitavit, & hoſtem & eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptorem, iſtum qui patriarcha fuit, Joaſaphum. Hic enim morbo animi, Dei timorem aſpernatus, ut homo ſine metu, & a ratione alienus omne genus iniquitatis, & a præſcripto ſacrorum canonum recedens, deſignavit. Unde nos, qui ad hoc concilium inquirendi cauſa convenimus, antiſtites, certiores facti, antequam quicquam rerum eccleſiaſticarum attingeremus, patriarchæ acta exquiſite nobis conſideranda duximus. Oculis itaque ad crimina adjectis, quæ contra ipſum allata ſunt primum a magno ſacellario catholicæ magnæ eccleſiæ presbytero Anaſtaſio, item a magno logotheta Hierace: deinde ab illuſtribus viris, Antonio Cantacuzeno, & Michaele Gabra, adhibitaque quam par erat, accurata inveſtigatione & examinatione, deprehendimus ipſum non ſolum injuſtum, & avarum, ſed etiam ſententiæ de ipſo a pontificibus latæ contemptorem: denique eum qui aperte ſe iniquiſſimo, & ſumme impio Simonis ſcelere aſtrinxerit; atque ut ſuomet ore confeſſus eſt, vigeſimum nonum canonem ſanctorum apoſtolorum conculcaverit, diſerte ſic dicentem: Si quis epiſcopus, pecunia data, hujus dignitatis compos factus fuerit, aut presbyter, vel diaconus, deponitor & ipſe, & qui eum deſignavit, atque prorſus a communione exſcinditor: ſicut Simon magus a me Petro. Inſuper deprehendimus eum nulla neceſſitate urgente, injuſſu illius ſynodi, nemine clericorum ſciente, alienaſſe poſſeſſiones catholicæ magnæ eccleſiæ, in Creta inſula, ante tempora memoriam effugientia conſecratas: ſicuti de hoc quoque confeſſus, quod contra vigeſimum ſextum Carthagineſis concilii canonem eſt, qui ſic habet. Similiter placuit ne quid eccleſiaſticum ullus vendat. Quod ſi non habuerit proventum, & magna incubuerit neceſſitas, id indicetur primati ejuſdem provinciæ, & adhibito certo numero epiſcoporum, conſultetur quid agendum ſit. Quod ſi tanta neceſſitas eccleſiæ urſerit, ut non poſſit ante vendendum deliberari, ſaltem vicinos ad hoc teſtandum vocabit epiſcopus, curam adhibens ut omnes, qui eccleſiæ ſuæ acciderint, caſus ſynodo demonſtret. Quod ni fecerit, reus Deo & ſynodo tenebitur, qui vendidit: & a ſuo alienus honore. Deprehenſus eſt etiam abrogationes pontificum præter rationem faciens, & eorumdem reſtitutiones: videlicet neophyti apud Labalam (cum quo etiam ſacerdotem Clonaram, qui mulierem bis nuptam in Thaſo

*Accuſatio illius.*

*Canon. 26. Carthag. concilii.*

*Plura crimina.*



ANNO CHRISTI 1565.

ſo duxerat, dejecit) & Gregorii, apud Elaſſonem, & Doſithei apud Peritheorum, antiſtitum. Eodem modo multarum extra legitimos fines ordinationum factarum compertus eſt, tum in Chalcedonenſis, tum in Heracleenſis, tum in Theſſalonicenſis Theonæ, tum in Methymnæi, præſulum provinciis. Sed & citra examen probationemque factarum ordinationum. Quæ accuſationes ipſius plurimis aliis criminibus cumulatæ ſunt, iiſque manifeſtis & teſtatis. Hæc itaque cum nos cerneremus, metuentes ne & nos dejectioni & eidem anathemati obnoxii fieremus, tanquam communicantes cum incommutabili jam ipſum pontificatu indignum judicavimus; ut primum violationis divinorum & ſacrorum canonum auctorem; & dejicimus ipſum ac pro ejecto & abalienato habemus, tum a dignitate patriarchæ, tum a nomine; ita ut nullo modo in poſterum, nec ad thronum patriarchicum, nec ad ejus adminiſtrationem poſtliminio redire poſſit, ſed tantummodo monaſticam vitam degere. Unde & majoris horum omnium notitiæ ac certitudinis cauſa, lata quoque eſt noſtra ſynodica ſententia, propoſito ante oculos ſacrorum evangeliorum libro, & excommunicatione antea pronuntiata. Actum anno ſepties milleſimo ſeptuageſimo tertio, menſe Januario, indictione octava. Eodem modo ſtatuimus, ſi quis noſtrum, quorum nomina hic ſubſcripta ſunt, pontificum voluerit progreſſu temporis purgare ipſum & abſolvere; cum tamen ſit ex præſcripto legum & canonum de ſolio detractus, ſuamque legitimam ſubſcriptionem irritam facere; ſeu licentia quadam & petulantia, ſeu voluntatis erga hominem propenſione, talem eſſe ſuo ipſius judicio & facto dejectum, pontificioque honore exutum.

*Spoliatur patriarchatu excommunicatus.*

*Anno Chriſti 1565.*

Ego Paiſius archiepiſcopus Achridarum volens ſubſcripſi.

Ego vilis metropolita Cæſareæ Metrophanes volens ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Heracleæ Cyrillus volens ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Tornobi Arſenius ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Cyzici Joaſaphus ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Theſſalonicæ Theonas ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Nicææ Cyrillus ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Chalcedonis Euthymius ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Lariſſæ Neophytus ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Adrianopoleos Arſenius.

Ego humilis metropolita Joaſaphus.

Ego humilis metropolita Anchiali Xenophon ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Corinthi Sophronius.

Ego humilis metropolita Gregorius Pruſæ.

Ego humilis metropolita Philippopoleos Arſenius.

Ego humilis metropolita Parinaxiæ Benjamin.

Ego humilis metropolita priſcarum Patrarum Germanus.

Ego humilis metropolita Thebarum Joaſaphus.

Ego humilis metropolita Lacedæmoniæ Gregorius.

Ego humilis metropolita Mitylenæ Macarius.

Ego humilis metropolita Meſembriæ Matthæus.

Ego humilis metropolita Hieriſſi, & ſancti montis David.

Ego humilis metropolita Rhyzæi Joachimus.

Ego humilis metropolita Athenarum Sophronius.

Ego humilis metropolita Naupacti & Artæ Joachimus.

Ego humilis metropolita Varnæ Gabriel ſubſcripſi.

Ego humilis metropolita Chriſtianopoleos Macarius habens & conſenſum præſulis Monembaſiæ.

Ego humilis metropolita Trajanopoleos, ſive Matoneæ, Gabriel.

Ego humilis metropolita Didymotechi Sophronius.

Ego humilis metropolita Driſtæ Parthenius.

Ego humilis metropolita Midiæ Joachimus.

Ego humilis metropolita Soxopoleos Philotheus.

Ego humilis metropolita Zichnarum Gregorius.

Ego humilis metropolita Lemni Neophytus.

Ego humilis epiſcopus Citri Damaſcenus ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus [illegible] Coſmas ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Pobanninæ & Bardioritarum Maxarius ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Zetumii Jacobus ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Drinopoleos Macarius ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Damalarum & Polyphengis Joaſaphus ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Phanarii Gregorius ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Olenæ Siſoes ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Aulonis Laurentius ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Solonis Anthimus ſubſcripſi.

Ego Belas Antonius, humilis epiſcopus metropolita Joanninorum, habens & aſſenſum ejus ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Phanarii Gabriel, cum conſenſu etiam Thaumacenſis ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Demetriadis Theophilus, aſſentientibus quoque Litzæ & Agraphorum metropolitis.

Ego humilis epiſcopus Rhendinæ Damaſcenus, aſſentiente * & Servitiorum metropolita ſubſcripſi.

** f. Serviorum.*

Ego humilis epiſcopus Metrorum & Athyrorum Procopius, aſtipulante quoque Myriophytenſi.

Ego humilis metropolita Caſtoriæ Joaſaphus, & Prothronus totius Bulgariæ, volens mea manu ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Struminitzæ Ananias volens meo conſilio ſubſcripſi.

Ego humilis epiſcopus Meleniei ſubſcripſi.

Ha-

ANNO CHRISTI 1565.

*Hactenus ſubſcriptiones antiſtitum Orientis, & Occidentis, & Peloponneſi.*

Hoc modo everſus patriarchatu Joaſaphus, ſurrexit de loco ubi ſederat, & reverentiam pontificibus exhibuit, dextrorſum ſiniſtrorſumque converſus. Tunc e magna eccleſia egreſſus in ſuas domos abiit, quas emerat, ibique manſit. Mox exiit judex & ſervus conveniens ipſum. Hi rationes ab eo pecuniis repetundis propoſuerunt. Tunc *perſolvit*, quæ injuſte abſtulerat pontificibus, aliiſque ſacri ordinis viris. Ita impletum ſuper eo fuit illud Davidis: *Revertetur in caput ipſius labor ſuus*, & quæ ibi ſequuntur.

*Repetundæ a patriarcha perſolutæ.*

*Pſal. 7.*

Peracta dejectione illius, concilium a pontificibus coactum eſt: in quo hi ſuis locis, pro dignitate muneris ſui eccleſiaſtici quiſque conſederunt, patriarchæ faciendi cauſa. Tunc una eademque mente & voce decretum *ibi ab eis* factum eſt, quo Simonis ſceleſtiſſimum, impietatiſque plenumvitium exſcindebatur: *videlicet* ne ullam caperent in *deſignationibus* pecuniam, ſed divinorum & ſacrorum canonum, viceſimi noni & trigeſimi ſententiam inviolatam retinerent. *Quod ſi ullus*, quicumque eſſet præſulum hos canones tranſiret, *jam tum* per ſe functione muneris ſui dejectum eſſe. Nihilominus tamen embaticium (eſt doni neſcio quid, quod daretur) accipi permiſere. O indulgentiam pœnis dignam! Malæ arboris decuſſere folia, & ramos exciderunt, atque ipſam adeo arborem; ſed radicem reliquerunt. Quod dico, hoc eſt, nundinationem quidem ſimoniacam ordinationum amputarunt; ſed radicem nempe munus, quod initio datur, reliquerunt, ut ſcilicet ne deeſſet cauſa rurſus germinandi & creſcendi punitionis apud inferos arbori.

*Contra Simoniam ſynodicum decretum.*

*Embaticii improba conceſſio.*

*Audite quid in libro actorum apoſtolorum dicatur.*

Cum vidiſſet autem Simon, per impoſitionem manuum apoſtolorum dari Spiritum ſanctum; obtulit eis pecunias, ac dixit: Date & mihi poteſtatem, ut ad illum, cuicumque manus meas impoſuero, veniat ſanctus Spiritus. Petrus vero dixit ei: Pecuniæ tuæ, & tu, ſitis a communione piorum ſegregati, & in exitium æterni ignis execrati, quod gratiam Dei putaſtis dari pecuniis. Væ veſtris pontificibus, qui, quæ gratis dantur a Spiritu ſancto, pecuniis vendunt. Verum ad inſtitutam narrationem redeamus.

ANNO CHRISTI 1565.

*XXIII. Patriarcha Metrophanes Caſareæ metropolita.*

Exturbato ad hunc, quem diximus, modum patriarchica ſede in pontificum conſeſſu Joaſapho, ſuffragiis eorumdem deſignatus eſt Cæſarienſis patriarcha; ſucceſſitque is, utraque ſignificatione accepta, in ſublimi throno. Ceterum ſub hujus patriarchatu fuerunt quidam pontifices, qui non accipiebant ob ſacerdotes creandos pecuniam; ſed tantum embaticium aliquis capiebat, quando ſacerdotem aliquem faceret, dante id eccleſia. Atque cognoſcite, quæſo, quodnam embaticium quidam acceperint, cum in ipſa ordinatione nullos caperent nummos; ut ne ſanctionem ſacrarum legum & antiſtitum tranſirent: neu eodem cum Simone mago crimine condemnarentur: capiebant exinde duplum embaticium. Ita e tali nundinatione nihil eis decedebat, ſed ad idem ſatiandæ avaritiæ ſuæ principium redibant: væ væ illis. Non patitur ſe irrideri Deus: neque in perſonam intuetur, nec regis, nec principis, nec pontificis, nec cujuſquam alius; verum ſingulis ſecundum facta ſua gratiam refert, quippe Deus juſtus.

*Metrophanes patriarcha.*

Idem dehinc patriarcha ſcripto reſignavit patriarchicum ſolium & pontificatum, ad quartum nonas Maii, die dominica, Nicomediæ præſulis deſignationem. Eam reſignationem pontifices & clerici acceptam in codicem magnæ eccleſiæ retulere, &c.

*Reſignatio patriarchæ 4. Maii 1571.*

# V I T A
## P I I P A P Æ V.

PIUS V. Inſuper prope Alexandriam in vico quodam Boſco ab incolis nominato, ex nobili Ghiſileriorum proſapia natus, in juventute monaſticam vitam profeſſus, a Paulo IV. primum epiſcopus, deinde cardinalis creatus, & ſupremus inquiſitorum declaratus; tandem Pio IV. e vivis ſublato, præter omnium expectationem ſurrogatus eſt in locum ejuſdem Pii IV. anno domini 1566. 7. Idus Januarias, tempore Maximiliani II. imperatoris. Borromæi Columnæque cardinalium precibus Pii V. ſibi nomen impoſuit, ac decimoſexto Kalendas menſis inſequentis, qui dies ei natalis erat, coronam pontificiam accepit. Pileum ſuum Michaeli Bonellino ſuo ex ſorore nepoti ceſſit, qui cardinalis Alexandrinus nominatus eſt. Porro ut gratum animi ſui affectum, quo erga Paulum IV. promotorem ſuum ferebatur, manifeſtaret, cardinalem Carafam ejus nepotem, ſub Pio IV. ut ante jam dictum eſt, morte affectum, abſolvi procuravit, quod non uſque adeo criminalem inveniſſet. Imperatori Ferdinando bellum contra Turcas in Hungaria gerenti, ſuppetias tulit. Officio inquiſitionis tria aureorum millia adjecit, ex certis arcibus colligenda. Bullas contra aulicos & eccleſiaſticorum luxum ſevere publicavit. Judæum quemdam locupletiſſimum, quem ad Chriſtianam religionem converterat, baptizavit, ſuæque familiæ adoptatum libere ſuis bonis frui permiſit. Concilii Tridentini rigidus obſervator, epiſcopos omnes ad propriam reſidentiam redire mandavit. Cumque ſtatuiſſet neminem ſine prævio examine ad beneficium admittendum eſſe, eaque de cauſa quidam illi dixiſſet, id eſſe curiam deſtruere, reſpondit: minus malum eſt deſtruere curiam, quam cultum Dei negligere. Solo ſuo verbo obſeſſum a malo dæmone liberavit. Contra hæreticos in Galliis ſuccreſcentes catholicis auxilium per comitem ſanctæ Floræ miſit, qui etiam victor inde rediit. Coſmæ Medicæo titulum ma-

*Pius V. quando pontifex electus.*



gni ducis Etruriæ attribuit. Sanctum Thomam Aquinatem in numerum ſanctorum eccleſiæ doctorum retulit. Diverſis ordinationibus viginti duo cardinales creavit. Fœdus inter regem Catholicum & Venetos ad optatum finem feliciter deduxit; unde omnium celeberrima contra Turcas navalis victoria Nonis Octobris anno 1571. conſecuta eſt: quem diem ſolennem & feſtivum eſſe voluit. Plures legatos ad principes Chriſtianos deſtinavit, quibus eos ad majus bellum Turcis inferendum inflammaret. Gravi calculi morbo preſſus ſolebat exclamare: Adauge domine dolorem, ſed da patientiam. Ex eodem morbo Kalendis Maii anni 1572. cum maximo omnium dolore e vivis exceſſit, cum pontificatum annis ſex, menſibus quatuor minus ſex diebus obtinuiſſet. Sepultus eſt apud ſanctum Petrum. Sedes duodecim diebus vacavit. Maximo ſemper zelo, quoad vixit, Chriſtianam rempublicam promovere conatus eſt; in victu frugalitatem, in audientiis aſſiduitatem, erga pauperes amicitiam reſervavit, ab omni ambitione alienus. Ab omnibus principibus ſumma ipſi reverentia exhibebatur, nulluſque erat, qui ei & ſatisfacere & placere non contenderet. Quod ad juſtitię adminiſtrationem ſpectat, ad ſeveritatem propenſior habitus eſt.

ANNO CHRISTI 1570.

# D E C R E T A E T S T A T U T A
## S Y N O D I P R O V I N C I A L I S

Mechlinienſis, die undecima menſis Junii, anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini noſtri, D. PII divina providentia papæ quinti, anno quinto inchoatæ, & quarta decima die menſis Julii ejuſdem anni concluſæ.

*Præſidente in ea reverendiſſimo in Chriſto patre, ac domino, D. Martino Rythovio, epiſcopo Yprenſi, tanquam ſeniori comprovinciali, nomine & loco illuſtriſſimi & reverendiſſimi in Chriſto patris ac domini noſtri, D. ANTONII PERRENOT, archiepiſcopi Mechlinienſis, & tituli ſancti Petri ad vincula Cardinalis Granvellani.*

*Decretum de apertione concilii provincialis Mechlinienſis, pronuntiatum a reverendiſſimo domino præſidente.*

CHRISTI nomine invocato, præſentem ſynodum provincialem Mechlinienſem, primo ab illuſtriſſimo cardinale Granvellano, D. reverendiſſimo archiepiſcopo provinciæ Mechlinienſis convocatam & coactam, & iterato, quatenus opus erat, a nobis indictam, poſt debitam deliberationem cum noſtris confratribus epiſcopis comprovincialibus de eorumdem conſilio & aſſenſu, tanquam legitime congregatam, aperiendam eſſe decernimus & aperimus; apertamque indicamus & declaramus in his ſcriptis, inhibentes ne quis ab ea recedat ſine noſtro conſenſu.

*Decretum ſuper abſentia illuſtriſſimi D. cardinalis & reverendiſſimi D. archiepiſcopi Mechlinienſis.*

Etſi non dubitet ſynodus provincialis ſuæ ſanctitati notas eſſe cauſas, propter quas illuſtriſſimus cardinalis, & reverendiſſimus D. archiepiſcopus Mechlinienſis, provincia ſua ad tempus relicta, ad urbem ſe contulerit; volens tamen officio ſuo ſatisfacere juxta decreta Tridentina; excuſationem ſibi a generali vicario exhibitam & poſitam recepit & admiſit; ſed ex ſingulari affectu, quo erga ſuum archiepiſcopum tenetur, illum rogat & hortatur, ut quamprimum ceſſantibus cauſis licebit ad eccleſiam ſuam redeat, ut ipſius præſentia & auctoritate univerſi ordines eccleſiaſtici in hac provincia in officio ſuo rectius contineantur.

*Decretum, quod nulli præjudicium fiat ex ordine evocationis aut ſeſſionis in hac ſynodo, pronuntiatum a reverendiſſimo domino præſidente.*

Habita cum noſtris confratribus epiſcopis comprovincialibus ſuper ordine eccleſiarum matura communicatione, de ipſorum conſilio & aſſenſu, ad evitandas quæſtiones, quæ inde in principio oriri poſſent; declaramus omne id ſine præjudicio ordinis & honoris futurum, quidquid in præſenti provinciali concilio accidet, ex eccleſiarum evocatione, aut deputatorum ſeſſione: quodque nemo per hoc aliquid novi juris quoquo modo prætendere poterit in futurum. Ne tamen quæſtiones de ordine eccleſiarum cum alicujus injuria diſſimulare velle videamur, liberum erit omnibus, ſuo tamen loco, rationes, ſi quas habeant, proponere a patribus examinandas.

*De recipiendis decretis concilii Tridentini.*

Hæc ſynodus provincialis Mechlinienſis in ſpiritu ſancto legitime congregata, imprimis & ante omnia, volens ſatisfacere diſpoſitioni concilii Tridentini capite ſecundo, ſeſſione vigeſima quinta, in quo de recipiendis decretis ejuſdem concilii Tridentini, & obedientia, profeſſione fidei, ac hæreſeon deteſtatione agitur, poſt publicam decretorum ejuſdem concilii lectionem, ſtatuenda duxit, & ſtatuit ea quæ ſequuntur.

*Decretum primum.*

Imprimis ordinat & præcipit ut omnes & ſinguli, qui ad hanc ſynodum convenerunt, ſimpliciter & ſine ulla proteſtatione ea omnia & ſingula, quæ a ſancta ſynodo Tridentina definita

& ſtatuta ſunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeant & profiteantur, ſimulque omnes hæreſes a ſacris canonibus, præſertimque ab eadem ſynodo Tridentina damnatas deteſtentur & anathematizent ſecundum tenorem ſchedulæ ſequentis.

*Tenor receptionis decretorum & profeſſionis fidei.*

Ego N. omnia & ſingula quæ a ſancta ſynodo Tridentina ſtatuta, & definita ſunt, palam recipio; nec non veram obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeo & profiteor, ſimulque hæreſes omnes a ſacris canonibus & generalibus conciliis, præſertimque ab eadem ſynodo Tridentina damnatas deteſtor & anathematizo.

*Decretum de abſentibus & eorum procuratoribus.*

Eadem ſynodus attendens, quod procuratores abſentium ſpeciale mandatum non habeant ad hoc, ut in hac ſynodo provinciali conſtituentium nominibus, & pro eis decreta concilii Tridentini recipiant, obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeant ac profiteantur, & hæreſes deteſtentur; ſtatuit & ordinavit, ut abſentes ad hanc ſynodum evocati, infra decem dies proxime ſequentes ſuis aut aliis ad hoc ſpecialiter conſtituendis procuratoribus mandatum mittant ſpeciale, cujus virtute ipſorum nominibus, & pro eis, dictam receptionem, profeſſionem & deteſtationem ſimpliciter & ſine ulla proteſtatione realiter & cum effectu faciant, ſicuti præſentes in hac eadem ſynodo univerſi, tam epiſcopi, quam alii, fecerunt. Si qui autem in tranſmittendo mandato ſpeciali fuerint defectuoſi, & in hac ſynodo provinciali dictam receptionem, profeſſionem & deteſtationem non fecerint; mandat eadem ſynodus, ut in proxima ſynodo diœceſana poſt hanc provincialem celebranda compareant, & dictam receptionem, profeſſionem & deteſtationem ſecundum formam in hac ſynodo provinciali deſcriptam & obſervatam ſimpliciter & ſine ulla proteſtatione faciant.

*Decretum de facienda decretorum receptione, profeſſione & deteſtatione in ſynodo diœceſana.*

Statuit & ordinat eadem ſynodus, ut omnes & ſinguli, qui de jure vel conſuetudine, aut ex diſpoſitione concilii Tridentini ſynodo diœceſanæ intereſſe debent, & in hac ſynodo provinciali decretorum receptionem prædictam, obedientiæ profeſſionem, & hæreſeon deteſtationem non fecerint, in proxima futura ſynodo diœceſana illam faciant, ſub pœnis in concilio Tridentino expreſſis, non obſtante exemptione quacumque. Mandat etiam, ut epiſcopi hujuſmodi receptionem, profeſſionem & deteſtationem in ſuis ſynodis non admittant, niſi ſecundum formam in hoc provinciali concilio obſervatam.

*Decretum de reviſendis ſtatutis, & juramentis eccleſiarum.*

Ut autem decreta concilii Tridentini ab omnibus præſentibus in hac ſynodo provinciali jam recepta, & ab aliis, ſive in hac eadem, ſive in futuris diœceſanis recipienda, ab omnibus fideliter obſerventur, ne quid ſucceſſu temporis contra eadem decreta ex lectione antiquorum ſtatutorum aut juramentorum [quæ omnia, qua parte decretis aut ſtatutis Tridentinis repugnant, irrita decernit & inania] in uſum recipiatur; voluit & præcepit eadem ſynodus omnibus & ſingulis provinciæ Mechlinienſis epiſcopis, ut in eccleſiis ſuarum reſpective civitatum & diœceſum etiam exemptis ſtatuta & juramenta diligenter viſitent, examinent, & ſi in ullo decretis concilii Tridentini repugnent, mutent & reforment, & Tridentinis decretis accommodent. Injungit etiam earumdem eccleſiarum univerſis prælatis, præpoſitis, decanis & capitulis, ut epiſcopo viſitanti, & ſtatuta vel juramenta, ut præmittitur, corrigenti, & reformanti pareant, ſub pœnis arbitrio ipſorum imponendis.

*De ſacramentis.*

De legitimo uſu, virtute & efficacia ſacramentorum, ceteriſque eodem pertinentibus, non minus copioſe, quam catholice & religioſe ſtatuit ſacroſanctum concilium Tridentinum, cujus decreta & canones omnes, cum ſynodus provincialis Mechlinienſis reverenter receperit, ea non aliter obſervari præcipit, quam ſi de verbo ad verbum hic inſerta forent: Et quæ ſequuntur ſuperaddenda cenſuit.

CAPUT I.

Imprimis ut ſtudiis anabaptiſtarum (quorum hæreſis late ſerpit) potentius occurratur, & ut certius deprehendantur, qui multis artibus infantes ſuos ſacro baptiſmo ſubtrahunt, & quo cautius lateant, ſubinde alio atque alio migrant; ſynodus provincialis Mechlinienſis hortatur & requirit omnes & ſingulos magiſtratus quarumcumque civitatum, oppidorum, & locorum, ne quam obſtetricem ad obſtetricandum parientibus admittant, niſi prius a curatis loci, ubi dictæ obſtetrices morantur, teſtimonium ſinceræ & catholicæ fidei habeant, & niſi jurent ſingulis ſeptimanis die ſabbati cujuſque loci paſtori denuntiare nomina & cognomina puerperarum, quibus adfuerunt, cum numero prolium ſuſceptarum: curati vero infra quindecim dies a tempore ſcientiæ indicabunt epiſcopo, aut ejus vicario nomina & cognomina matrum quæ proles ſuas baptizari non fecerint; idque ſub pœna ſuſpenſionis, aliiſque arbitrariis.

CAPUT II.

Si quis proles habeat non baptizatas, aut grandiores aliquæ ſint non baptizatæ; mandat ſynodus parentibus, ut curent proles ſuas infra decem dies a publicatione præſentium in parochia, in qua natæ ſunt aut morantur, baptizari; ipſæque non baptizatæ, ſi ad annos diſcretionis pervenerint, ſtatim faciet ſe in fide





inſtrui, ſive catechizari & baptizari in eccleſia parochiali, in qua morantur; quas curatus, ubi noverit, tenebitur infra quindecim dies a tempore ſcientiæ epiſcopo, aut ejus vicario denuntiare ſub pœnis prædictis.

CAPUT III.

Quoniam in admittendis patrinis in baptiſmo non eadem adhuc ubique ſervatur ab omnibus ratio; diſtricte mandat hæc ſynodus, ut ſerio ſtatutum concilii Tridentini capite ſecundo de reformatione ſeſſione vigeſima quarta obſervetur a paſtoribus, ita ut ad ſuſcipiendum infantem in baptiſmate unum tantum virum ſive mulierem, aut ad ſummum unum & unam admittant, quorum nomina in libro deſcribant, aliosque a ſuſceptione prohibeant. Et ſi qui ſint, qui paſtoribus invitis ſe ingerant, præter deſcriptos, ad tangendum baptizandum inſtar patrinorum, declarent aperte illos vere non eſſe patrinos, nec cognationem ſpiritalem contrahere.

CAPUT IV.

Quia ſuperioris temporis negligentia, probatiſſimus ille Chriſtianæ eccleſiæ mos quibuſdam in locis eſt collapſus, quo puerperæ certo poſt partum die referre domino Deo gratias ſolent; ſtatuit ſancta ſynodus, ut ubique conformiter in uſum revocetur, ac puerperæ ad miſſæ ſacrificium veniant, & contra negligentes, ceu piæ conſuetudinis violatores, procedatur.

CAPUT V.

Quod ad ſacramentum pœnitentiæ attinet; mandat ſynodus paſtoribus omnibus, ut regiſtrum conficiant omnium, quorum tempore quadrageſimæ confeſſiones recipiunt, atque ut in illud omnes alii etiam religioſi ad confeſſiones audiendas admiſſi, eos deſcribi curent, quorum confeſſiones exceperunt, & a paſtoribus auditi non ſunt, nec alios, quam ſic deſcriptos ad ſacramenta, etiam matrimonium aut ſepulturam, admittant: & proinde etiam omnibus ſubditis mandat, ut in hoc regiſtro tempore opportuno ſe inſcribi faciant.

CAPUT VI.

Paſtores & alii confeſſarii extra caſum neceſſitatis a caſibus epiſcopis reſervatis neminem abſolvant, niſi ad hoc ab epiſcopis ſpecialem commiſſionem habuerint. Caſus autem epiſcopis reſervati ſunt hi: raptus virginum, homicidium, incendium ex deliberata voluntate procuratum, ſimonia, ſodomia, hæreſis, apoſtaſia, inceſtus cum conſanguineis aut ſanctimonialibus, injectio manuum violenta deliberato propoſito cum læſione in parentes facta, ſortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem majorem a canone vel ab homine latam annexam habent, & omnia alia delicta prædictis graviora. Meminerint autem epiſcopi ut in notoriis criminibus pro temporum & perſonarum qualitate publicam pœnitentiam in uſum revocent.

CAPUT VII.

Sacroſancta euchariſtia pie & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis ſupplicationibus defertur, potiſſimum vero in feſto ſacro Chriſti corpori proprie conſecrato, ejuſque octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non niſi in arduis cauſis pacis, aut publicæ neceſſitatis: in illis autem proceſſionibus, ad quas populus non tam orandi, quam ſpectandi gratia confluere ſolet, abſtineatur: in communibus autem ſupplicationibus circumgeſtari poterunt ſanctorum reliquiæ.

CAPUT VIII.

Paſtores etiam venerabilis corporis Chriſti ſacramentum ad ægros numquam perferent, niſi decenter & reverenter ornati ſtola & ſuperpelliceo, & cuſtos ſuperpelliceo indutus, lumen & campanulam ſonantem præferat, quo populus ſui moneatur officii, tum erga ſacramentum, tum erga laborantem infirmum: Et quando fieri poteſt, antequam ſacra euchariſtia ad ægrotum deferatur, præmittatur confeſſio.

CAPUT IX.

Sed neque ſacrum oleum infirmorum, etiam ſine ſacra euchariſtia, unquam ad ægrotos deferant paſtores, niſi ſuperpelliceum induti & ſtolam.

*De ordinandis.*

De qualitatibus eorum, qui ad ſacros ordines promovendi ſunt, accurate ſtatuit concilium Tridentinum, de quibus hæc ſynodus quædam, diligentioris obſervationis cauſa, repetenda duxit & ſtatuenda.

CAPUT I.

Nullus ad minores ordines deinceps admittatur, ſine teſtimonio probitatis & litteraturæ a proprio parocho & magiſtro ſcholæ, in qua ſtuduit: Ad majores autem promovendus etiam teſtimonium habeat de præmiſſis proclamationibus, juxta ordinationem concilii Tridentini, capite ſexto, ſeſſione vigeſima tertia.

CAPUT II.

Ad ſingulos majores promovendi feria quarta vel quinta ante ipſam ordinationem tempeſtive in civitate aut loco, ubi epiſcopus ordines conferre decreverit, adſint, ſuper ætate, vita, doctrina & natalibus, nec non ſuper valore beneficii, patrimonii, aut penſionis cujus titulo promoveri intendunt, ab epiſcopo ſeu deputatis examinandi.

CAPUT III.

Nemo ad ſacros ordines in poſterum promoveatur, qui ex beneficii, patrimonii, aut penſionis fructibus, ſeu emolumentis annuis non habeat ad minimum triginta carolinos. Qui titulus erit in regiſtris epiſcopi & literis ordinationum exprimendus.

### CAPUT IV.

Jurent etiam ordinandus, quod titulum, quem pro ſua futura promotione exhibet, vere & ſine ulla fraude poſſideat; quodque illum non reſignabit, alienabit, aut in illius extinctionem conſentiet, niſi ſibi de novo ſufficienti titulo fuerit proviſum.

### CAPUT V.

Poſſint nihilominus epiſcopi, ob eccleſiæ neceſſitatem, quoſdam ætate & moribus idoneos, etiam ſine titulo, ad ſacros ordines promovere; cum conditione tamen, quod illis de congruo titulo providebunt.

*De ſponſalibus & matrimoniis.*

Quæ de ſponſalibus ex diſpoſitione juris communis & de matrimoniis per concilium Tridentinum decreta ſunt, eadem provincialis ſynodus hic innovat, & ad eorum commodiorem obſervationem ordinat quæ ſequuntur.

### CAPUT I.

Quum concilium Tridentinum matrimonia clandeſtina annullet, & omnes inhabilitet ad contrahendum aliter, quam ſecundum formam ab eodem concilio deſcriptam; ex ordinatione ejuſdem concilii mandat paſtoribus, ut ſæpius populo in ſuis concionibus hanc matrimonii nullitatem, & perſonarum inhabilitatem in memoriam revocent.

### CAPUT II.

[illegible] triſtem plerumque, & luctuoſum habent exitum, diligenter inquirant paſtores, an matrimonium contracturi ſponte & animo deliberato, non vi aut metu parentum, amicorum aut aliorum coacti ad matrimonium procedant. Quod ſi invenerint aliquem vel aliquam ex contrahentibus coactum ad contrahendum, nullo modo ad conjunctionem eorum procedere audeant, neque alteri vices ſuas committant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio.

### CAPUT III.

Si ſponſalia & matrimonium contrahere volentes diverſarum ſint parochiarum ſub eodem decanatu, parochus, in cujus manibus ſponſalia contracta ſunt, literas teſtimoniales hujuſmodi ſponſalium alteri parocho dirigat, ut ad proclamationes neceſſarias procedat, atque ad matrimonii ſolemnizationem non admittantur deſponſi, niſi prius conſtito de neceſſariis proclamationibus hinc inde in facie eccleſiæ, & in diebus dominicis ſeu feſtivis factis; neminemque eſſe, qui matrimonio contrahendo ſe opponere velit, aut impedimentum aliquod canonicum denuntiare.

### CAPUT IV.

Si ſponſalia & matrimonium contrahere volentes diverſorum [illegible] decanatuum, ſub eodem tamen epiſcopatu, [illegible] a ſuis decanis, tam ſuper ſponſalibus contra[illegible] ſuper proclamationibus, atteſtationes ſignatas & approbatas habere debeant: nec ante ad matrimonii ſolemnizationem deſponſi admittantur, quam tota res hoc modo ad decanos delata fuerit: decani autem ratione examinis hujus negotii non ultra ſex ſtuferos recipiant, & paſtores non ultra quatuor.

### CAPUT V.

Si autem ſponſalia & matrimonium contrahere volentes diverſorum ſint epiſcopatuum, paſtores a ſuis epiſcopis, tam ſuper ſponſalibus contractis, quam ſuper proclamationibus, atteſtationes approbatas habere debeant; neque ante ad matrimonii ſolemnizationem deſponſi admittantur, quam ſuorum epiſcoporum literis ad hoc expreſſam facultatem habuerint: atque epiſcopi ratione hujuſmodi literarum pronotario & ſigilliſero non ultra octo ſtuferos recipi permittant.

### CAPUT VI.

Ut quoque multis periculis, quæ ex hominum malitia & fraude provenire poſſunt, in matrimoniis contrahendis occuratur; inhibet ſynodus omnibus paſtoribus, eorumque vicem gerentibus, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, ne quem alterius regni vel regionis, aut vagum & ignotum ad matrimonium admittant, ſine licentia epiſcopi ſui in ſcriptis obtenta. Hortaturque ſynodus ordinarium, ne dictam licentiam ſine cauſæ cognitione & matura deliberatione concedat.

### CAPUT VII.

Tempus clauſum a concilio Tridentino reſtrictum eſt; proinde diligentius obſervetur. Si tamen ex legitima & urgente cauſa aliqui per epiſcopum ad matrimonium illo tempore contrahendum admittantur, abſtideatur a ſolemnitate nuptialis convivii, a choreis, & ſimilibus inſolentiis, quæ tempori non congruunt, ſub pœna viginti florenorum Rhenenſium ad pium uſum applicandorum.

*De officio & cultu divino.*

Quæcumque ſacroſanctum concilium Tridentinum ſtatuit & ordinavit de officio divino debite peragendo, hæc omnia provincialis ſynodus Mechlinienſis mandat diſtricte obſervari, & quæ ſequuntur ſuperaddenda cenſuit.

### CAPUT I.

Ante omnia divinum officium fiat ſtatis horis, tractim, ſemper integre, diſtincte, devote & reverenter per eos ad quos proprie pertinet: & obſervato tamen diſcrimine dierum ſolemnium a ferialibus, & minus ſolemnibus.

### CAPUT II.

Diſtributiones chori diſpenſentur ſecundum præſcriptum concilii Tridentini arbitrio epiſcopi, ſic tamen quod in majoribus horis, ſcilicet matutinis, ſumma miſſa, & veſperis notabiliter majores ſint, quam in minoribus horis; nec tamen in minoribus tam exiguæ ſint ut negligantur.



### CAPUT III.

Deinde non alii diſtributiones recipiant, quam qui ſtatis horis in choro interſunt, videlicet in matutinis ante finem primi pſalmi, ſimiliter in veſperis & in aliis horis: in miſſis vero tam de tempore, quam anniverſariarum ante primam collectam, & inibi a principio uſque ad ultimam cujuſque officii orationem incluſive, excepta neceſſitatis cauſa, permanſerint: Et tum demum, & non antea, plumbetorum ad hoc ab epiſcopis ordinandorum diſtributio fiat; cæteri vero quavis colluſione aut remiſſione excluſa, diſtributionibus careant, niſi excuſentur ex cauſis expreſſis in capitulo, Conſuetudinem, de clericis non reſidentibus in ſexto. Si autem in quibuſdam eccleſiis ex fundatione, ſtatuto, vel conſuetudine, citius intereſſe divino officio teneantur, vel diutius in eo permanere, non vult ſynodus illis derogatum eſſe.

### CAPUT IV.

Et ne conſtitutio dicti capituli, Conſuetudinem, ac decretum concilii Tridentini reddantur illuſoria prætextu alicujus ſtatuti de diebus luſivis aut recreationis; ſtatuit eadem ſynodus provincialis hujuſmodi ſtatutum tanquam corruptelam ex regiſtris capitulorum delendum & expungendum eſſe, & loco illius obſervandum, quod dicto capitulo, Conſuetudinem, diſponitur; ita videlicet, ut ſi quis in negotiis eccleſiæ, aut epiſcopus, vel ob infirmitatem aut corporalem neceſſitatem ſtatis horis intereſſe nequiverit, pro intereſſente divinis habeatur; atque ut talis diſtributionibus gaudeat. Sub quibus quidem exceptis caſibus etiam eos comprehendi cenſet ſynodus, qui pro conſervanda aut recuperanda valetudine aerem ad tempus mutare, aut alias publica aut legitima cauſa, juxta dictum cap. Conſuetudinem abeſſe coguntur.

### CAPUT V.

Intelligit autem ſynodus provincialis in eccleſia negotiis occupari non ſolum eos, qui capituli vel fabricæ negotia tractant, ſed & epiſcopum, archidiaconum, pœnitentiarium, atque illos omnes, qui propria dignitatum vel præbendarum ſuarum munia obeunt, aut epiſcopis ordines conferentibus, viſitantibus, ac in aliis epiſcopatus negotiis occupatis adſunt, vel aliquo ab eis miſſi conſilium & operam ſuam impendunt: quos pro eo tempore, fraude & dolo ſecluſis, decernit pro præſentibus reputari, & omnibus emolumentis gaudere debere, ſicuti ſi perſonaliter divinis intereſſent.

### CAPUT VI.

Illos quoque, qui ſub dictis divinis officiis aut celebrant, aut ad celebrandum ſe præparant vult hæc ſynodus pro eo tempore præſentes in divinis reputari, modo tamen abſoluto ſacrificio, ſine notabili mora in chorum redeant.

### CAPUT VII.

Quoniam in divino officio quandoque, & potiſſimum in feſtis, quæ certis diœceſibus propria ſunt, in hiſtoriis quæ leguntur, & ſequentiis miſſarum quædam occurrunt, quæ ſubinde pios offendunt, curent epiſcopi, ut quod in eo officio purgandum videtur & corrigendum, expurgent & corrigant, aut loco officii hujuſmodi jubeant officium de communi cantari.

### CAPUT VIII.

Nemo quoque, cum publice preces horariæ cantantur, vel ſacrificium miſſæ peragitur, prophanum quippiam, aut ab inſtituto alienum legat; neque etiam dormiat, aut fabuletur, ſub pœna privationis diſtributionum ejus officii; & ſi ſemel correptus, ſecundo aut tertio circa præmiſſa deliquerit, ultra amiſſionem diſtributionum, graviter puniatur.

### CAPUT IX.

Inſolentiæ omnes e ſacris locis omnino arceantur, & nemo eccleſiæ beneficiatum aut habituatum ſerius cum habitu decenti chorum intrantem, audeat manuum vel pedum plauſu, vel ſibilis, aut alia quacumque ratione [illegible] ſuffi[illegible]ciat autem [illegible] diſtributionis mulctari.

### CAPUT X.

Cohibeant epiſcopi cantores, organiſtas, & campanarios, & alios quoſcumque a laſciva, militari & quavis indecora muſica in cantu, organis & campanis, ſub pœna decem ſtuferorum, ad pios uſus arbitrio epiſcoporum applicanda. Et ſi ſemel puniti non abſtinuerint, pœna carceris ac alias arbitraria plectantur. Deambulationes quoque ac prophana colloquia impediant, ac delinquentes tempore divini officii pœnam trium ſtuferorum, & extra tempus divini officii duorum incurrant ipſo facto: quam pœnam epiſcopi exequi curent.

### CAPUT XI.

Convivia quoque & negotiationes in ſacro loco nullo modo admittantur: Proclamationes vero forenſes non niſi extra templum, & poſt divinum officium plene abſolutum fiant; atque, ut laici ab his efficacius comprimantur, magiſtratuum locorum aſſiſtentiam implorent epiſcopi, ut etiam ipſorum auctoritate ordinario ad impediendum hujuſmodi inſolentias fiat & publicetur.

### CAPUT XII.

Requirantur quoque locorum magiſtratus, ut in omnibus parochiis edicto publico mandent tempore quo divinum officium peragitur, aut verbum Dei prædicatur, tabernas non niſi pro viatoribus aperiri, neque aliquod genus ludi publice aut privatim inſtitui, & omnino abſtineri, a tripudiis, & aliis inſolentiis, quibus parochiani a viſitatione divini officii, & verbi Dei an-

auditione diſtrahi poſſent, ſub pœnis arbitrio eorum imponendis: ipſi quoque epiſcopi per ſuas diœceſes in ſingulis parochiis ſub certis pœnis ſuis nominibus ſimilem inhibitionem fieri procurent.

## CAPUT XIII.

Denique ut omnes irreverentiæ circa divinum officium, maxime autem circa ſacrificium miſſæ, tollatur occaſio; ſtatuit & ordinat, ne quis ſæcularis aut regularis in privatis ædibus, atque omnino extra eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab epiſcopis deſignanda & viſitanda, aut olim ad divinum cultum deſignata ac appropriata, ſanctum miſſæ ſacrificium peragere præſumat. Si quis autem huic ordinationi contravenerit, tam ipſe qui celebrat, quam is, qui ſacerdotem ad celebrandum requiſivit, aut admiſit, arbitrio epiſcopi puniatur.

## CAPUT XIV.

Altarium portatilium uſus ad populi commoditatem urgente neceſſitate, late permiſſus fuit; ſed ne quod ad tempus tantum, & ex gravi cauſa conceſſum eſt, contra canones, & ad irreverentiam ſacroſancti myſterii miſſæ trahatur in conſuetudinem, curent epiſcopi, ut quamprimum fieri poteſt, in ſingulis eccleſiis altaria iterum conſecrentur; eoque facto ibidem altarium portatilium uſus interdicatur.

## CAPUT XV.

In eccleſiis autem, in quibus biennationes in uſu fuerunt, ut ancillis & famulis de matutinali miſſa provideretur; vult ſynodus, ut illis ſublatis, epiſcopi commodam rationem ineant retinendæ miſſæ matutinæ, & imprimis accurate ſe informent de qualitatibus & oneribus ſacellaniarum in eccleſiis parochialibus erectarum, ut illarum poſſeſſores ad perſonalem reſidentiam compellant, aut etiam per contributionem parochianorum honeſto ſacerdoti ſtipendia vitæ conſtituant, qui & miſſam matutinalem peragat, & paſtori occupato aut infirmo in adminiſtrandis ſacramentis ſubveniat: idque conditione tali, quod conſuetum in ſimilibus ſtipendium a parochianis recipere & retinere poſſit.

## CAPUT XVI.

Mandat etiam ſynodus, ut omnes ſe accommodent in lectione horarum tenori bullæ apoſtolicæ per Pium papam quintum editæ, & hic publicatæ.

## CAPUT XVII.

Cætera autem, quæ circa divinum officium ſtatuenda & ordinanda hic deſiderantur, quia varia ſunt, & commode uniformiter definiri non poſſunt, epiſcopis cum duobus canonicis eccleſiarum cathedralium, quorum unus ab epiſcopo, alter a capitulo eligetur, ſynodus committit, ut viſitatis [illegible] eccleſiarum ordinationibus & cæremoniis, ſtatuant quod videbitur pietati, decori [illegible], & populi ædificationi convenire.

## DE FESTIS.

Cum capite duodecimo ſeſſione vigeſima quinta ſub titulo de regularibus & monialibus cautum ſit, dies feſtos in qualibet diœceſi conſtitutos ab omnibus, exemptis etiam regularibus, uniformiter obſervandos eſſe; Operæ precium fuerit declarare, quos feſtos dies ſynodus provincialis per totam provinciam Mechlinienſem obſervari decreverit.

## CAPUT I.

Sunt autem iſta, præter dies dominicos, feſtum nativitatis Chriſti, Stephani protomartyris, Joannis apoſtoli & euangeliſtæ, ſanctorum Innocentium, circumciſionis domini, epihaniæ, converſionis Pauli, purificationis beatæ Mariæ, cathedræ Petri, Matthiæ apoſtoli, annuntiationis Mariæ, feſtum paſchæ cum feria ſecunda & tertia ſequente, Marci euangeliſtæ, Philippi & Jacobi, inventionis ſanctæ Crucis, feſtum aſcenſionis domini, feſtum pentecoſtes cum feria ſecunda & tertia ſequentibus, Trinitatis, venerabilis ſacramenti, nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ, ſanctorum Petri & Pauli, viſitationis beatæ Mariæ, Magdalenæ, Jacobi, Laurentii, aſſumptionis beatæ Mariæ, Bartholomæi, nativitatis beatæ Mariæ, Matthæi apoſtoli, Michaelis, Lucæ, Simonis & Judæ, omnium ſanctorum, Martini, Catharinæ, Andreæ apoſtoli, Nicolai, conceptionis beatæ Mariæ, & Sancti Thomæ apoſtoli.

## CAPUT II.

In prædictis feſtis, & etiam aliis patronorum parochialium eccleſiarum principalibus, ſynodus provincialis interdicat omnibus ſuæ provinciæ Chriſti fidelibus opera manualia & ſæcularia quæcumque, mercatum item & forum rerum venalium, atque judicialia exerceri; ita tamen ut epiſcopis in illis feſtis, quæ minus celebria ſunt ad populi commoditatem, liceat aliquid pro ſua diſcretione relaxare. Si quis autem huic ordinationi contravenerit, mulctetur pœna pecuniaria unius floreni ad pium uſum applicanda.

## CAPUT III.

Si forum aut nundinæ incidant in aliquod ex celebrioribus feſtis, ſerventur illæ, vel ante, vel poſt feſtum, prout magiſtratus cujuſque loci judicaverit maxime expedire. Et vetat ſynodus provincialis omnibus magiſtratibus & ſæcularibus judicibus, ne cuiquam ex omnibus prædictis feſtis violandi ſeu prophanandi licentiam concedant, ſed eos, qui ab ipſis licentiam hujuſmodi requirunt, ad epiſcopum ſive vicarium vel paſtorem remittant; alioquin contra eos tanquam ſynodalium ſtatutorum tranſgreſſores, & alias prout de jure procedatur.

## CAPUT IV.

Quoniam ſanctus Rumoldus archiepiſcopus & martyr, patronus eſt eccleſiæ metropolitanæ Mechlinienſis, ideoque per totam provinciam Mechlinienſem merito veneramur; Ordinat ſynodus, ut primo Julii, quo martyrium





rium ſubiit, aut proximo die convenienti, per civitatem & totam diœceſim Mechlinienſem tanquam duplex, & in reliquis eccleſiis ſeu monaſteriis ejuſdem provinciæ, ad inſtar feſti novem lectionum celebretur. Similiter etiam feſtum patroni ſingularum eccleſiarum cathedralium intra civitatem, tanquam duplex; extra vero, tanquam novem lectionum celebretur.

## CAPUT V.

Feſtum annuntiationis beatæ Mariæ ſi quando inter dominicam palmarum, & dominicam quaſimodo, venerit, feria tertia poſt dominicam quaſimodo, tam a populo quam a clero celebretur: & ſi aliud feſtum in hac feria tertia inciderit, illud in feriam quartam ſequentem transferatur.

## DE JEJUNIIS.

## CAPUT I.

Vigiliæ ſingulis annis per totam provinciam Mechlinienſem ab univerſis ætatem habentibus, nec legitime excuſatis ſub periculo peccati mortalis jejunandæ, præter quadrageſimam & quatuor anni tempora, ſunt vigilia pentecoſtes, nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ, beatorum Petri & Pauli apoſtolorum, ſancti Laurentii martyris, aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, ſancti Matthæi apoſtoli, ſanctorum Simonis & Judæ, omnium ſanctorum, ſancti Andreæ apoſtoli & nativitatis domini. Quæ ſi diebus dominicis aut Lunæ evenerint, ſabbatis præcedentibus jejunentur. In locis autem ubi vel plura, vel ſtrictius obſervata fuerint, hortatur ſynodus, ut piam conſuetudinem obſervent.

## CAPUT V.

Inſuper in feſto ſancti Marci, quo ſupplicationes pro laudabili eccleſiæ more fiunt, & in diebus rogationum abſtineatur per totam diem a carnibus, & jejunetur ad minus uſque ad prandium.

*De imaginibus.*

## CAPUT I.

Cum domum Dei deceat ſanctitudo pro executione decreti de invocatione & veneratione, ac reliquiis ſanctorum, & ſacris imaginibus, ſeſſione vigeſima quinta, ſtatuit ſancta ſynodus, ut e templis & locis ſacris tollantur imagines, ſculpturæ, aulæa, quæ gentilitatem, aut mendaces ethnicorum fabulas, Satyrorum, Faunorum, Sirenarum, Terminorum & Nympharum, ac id genus alia repræſentant. Similiter quæcumque figuræ laſcivæ, procaces, & ob pudendam nuditatem, vel alias obſcænæ & ſuperſtitioſæ, quæ fidelium mentes a religione & devotione diſtrahunt, & ſæpius graviter offendant. Neque poſthac ulla imago, aut ſtatua in eccleſiam vel locum ſacrum recipiatur, niſi ab epiſcopo admiſſa fuerit. Proinde epiſcopi in viſitationibus curabunt imagines ſupradictas reformari, aut prorſus tolli, prout judicaverint expedire.

## CAPUT II.

Provideant præterea epiſcopi, ne ad ornatum ſupplicationum venerabilis ſacramenti, aut reliquiarum quarumcumque exponat quiſquam ullas ſimiles imagines, ſculpturas aut aulæa, idque ſub pœna arbitrio eorum infligenda: implorato etiam ad hoc, ſi opus ſit, contra ſæculares auxilio brachii ſæcularis.

## CAPUT III.

E domibus & hortis eccleſiaſticorum ſimiliter prædictæ imagines tollantur, præcipue quæ laſcivæ, procaces, & ob pudendam nuditatem, vel alias tam obſcænæ, ut pias mentes offendant. Et ſi clerici poſt publicationem hujus concilii prædictas imagines infra trimeſtre e ſuis domibus non ejecerint; curent epiſcopi, ut contra illos ad condignam punitionem procedatur.

*De indulgentiis.*

Monet pios ſuos filios eadem hæc ſynodus, ne circumforaneis quibuſdam, aut etiam cum privilegio impreſſis libellis temere fidem habeant, qui ex levibus aut ſuperſtitioſis cauſis, incertiſque revelationibus immodicas & plus æquo exorbitantes pollicentur indulgentias, potiſſimum ſi promiſſiones contineant certorum [illegible] tormentis, [illegible] aut liberationem certam a purgatorio, quemadmodum & miſſis quibuſdam & precibus certo numero recitandis affixas alicubi videre licet.

*De ſuperſtitione.*

Cum recte moneat ſacroſancta Tridentina ſynodus, ut omnis ſuperſtitio tollatur; Docet hæc ſynodus omnem illum rerum uſum eſſe ſuperſtitioſum, qui ſine verbo Dei, & eccleſiæ doctrina fit præſcriptis aliquibus ritibus & obſervantiis, quarum rationabilis cauſa reddi non poteſt, & fiducia in eis collocatur, certo expectandi aliquem eventum, qui ſine illis ritibus ex ſanctorum interceſſione non ſperaretur, aut quæ in cultu ſanctorum ex temeritate, ac quadam levitate potius, quam pietate, & vera in Deum religione fieri videntur.

*De epiſcopis, & eorum officio.*

Quæ de epiſcopis œcumenica ſynodus Tridentina pro eccleſiæ collapſæ reformatione, ſalubriter ſtatuit & ordinavit, eadem ſynodus Mechlinienſis hic repetenda & innovanda duxit, ſicuti etiam repetit & innovat, ac ad illorum obſervationem ea quæ ſequuntur, ſtatuit.

## CAPUT I.

Vacante eccleſia cathedrali, obſervatiſque iis, quæ de indicendis ſupplicationibus & precibus concilium Tridentinum ordinavit; ſancta ſynodus Mechlinienſis ſtatuit, quod ubi de electione, poſtulatione, aut nominatione per eos, vel eum, quorum intereſt, ſatis conſtiterit, ſtatim auctoritate & juſſu metropolitani, ſi in provincia adfuerit, aut eo abſente, ſenioris

ris ſuffraganei in provincia præſentis, literis denuntiatoriis, ſeu monitoriis legitime expeditis, tam ad valvas eccleſiæ vacantis, quam ad valvas eccleſiæ principalis loci reſidentiæ electi, vel nominati affixis, moneantur omnes & ſinguli qui ſciunt canonicum impedimentum quodcumque, quare electus, poſtulatus aut nominatus ad eccleſiam vacantem aſſumi non debeat, idipſum infra certum tempus in literis prædictis exprimendum metropolitano, vel ſeniori ſuffraganeo reſpective denuntiare.

## CAPUT II.

Nemine vero infra præfixum terminum ſe opponente, metropolitanus aut ſenior ſuffraganeus ex officio inquiret & informationem faciet cum duobus per eum aſſumendis, de natalibus, ætate, vita, moribus, doctrina & gradu promovendi, & de eccleſiæ vacantis ſtatu, aliiſque omnibus, quæ a ſacris canonibus, & concilii Tridentini decretis requiruntur. Quæ omnia fideliter deſcripta, & in publicum inſtrumentum redacta, una cum profeſſione fidei a promovendo coram epiſcopo cum iiſdem facta, quamprimum ad ſanctiſſimum Romanum pontificem tranſmittantur.

## CAPUT III.

Inter cæteras epiſcoporum functiones non infimum locum habet oratio pro populo, & communis ſacrificii oblatio; de quibus ſi bonum habeant teſtimonium, non parum inde eis auctoritatis accedet. Quapropter ſæpius publice & religioſe in ſuis eccleſiis celebrent, & ut canonicis ad frequentationem divini officii incitamentum præbeant; ipſi etiam quando per epiſcopalia munera licet, divinis officiis interſint [illegible]

## CAPUT IV.

Prædicationis quoque officium, quod epiſcopis proprium eſt, tum per ſeipſos, tum per alios cum omni diligentia & ſolicitudine exerceri curent.

### *De ſigillis.*

In epiſcoporum functionibus præ cæteris conſpicuum eſſe debet, quod ait Chriſtus, gratis accepiſtis, gratis date. Cum autem in gratioſis conceſſionibus & diſpenſationibus; item in collationibus, & aliis quibuslibet proviſionibus, quæ gratis fieri debent, occaſione ſigilli varia jura ſoleant exigi; ſtatuit provincialis ſynodus omnia illa jura, tamquam non ſatis probata conſuetudine introducta, plane remittenda, & relinquenda eſſe, & nihil inde accipi poſſe.

## CAPUT II.

Pro literis autem & ſigillis ac regiſtratione, cæteriſque eodem ſpectantibus, qui id oneris habent, & inſtrumenta examinare, regiſtra conficere & conſervare debent, ratione illius ſumptus, & pro qualitate laboris, quem ſubeunt, ſtipendium moderatum pro conſuetudine [illegible] poſſint. Sed quod in communibus & mediocribus negotiis non excedat ſum-mam viginti vel triginta ſtuferorum; nunquam vero, ne in maximis quidem, accipere poſſint ultra coronatum.

## CAPUT III.

Cæterum ſi in relaxatione bannorum matrimonialium, aut ſimilium ordinationum, quod interdum quidem, ſed tamen non niſi ex legitima cauſa fieri debet, eleemoſyna aliqua in pium uſum deſtinata ditioribus imponatur; id non debet a quopiam in calumniam trahi, nec ſupradicta conſtitutione vetari intelligimus.

## CAPUT IV.

Quod autem de epiſcopis eorumque ſigillo nunc conſtitutum eſt, id etiam, eodemque jure ad omnes alios præſentatores, collatores, eorumque præſentationes, collationes, inſtitutiones, & quamlibet aliam proviſionem, cujuſcumque gradus, aut ordinis ſint, omnino pertineat; nec ulli eorum liceat prætextu jurium ſigilli ultra prædictum ſtipendium quidquam accipere.

## CAPUT V.

In eccleſiis autem tam cathedralibus quam collegiatis & parochialibus in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia quavis proviſione; item in admiſſione ad poſſeſſionem, cæteriſque ſimilibus id obſervetur, quod capite decimo quarto, ſeſſione vigeſima quarta in concilio Tridentino conſtitutum eſt, & ſub eiſdem pœnis.

## CAPUT VI.

Ne quis vero pium uſum in dicta conſtitutione alio trahat, quam quo vere pertinet; decernit ſynodus hoc demum in pium uſum pro præſentis loci intelligentia converti, quod vel in fabricam eccleſiæ, vel in pauperum eleemoſynas, vel in ſeminarii ſubſidium deſtinatur.

### *De miniſtris eccleſiæ eorumque reſidentia.*

In deſignandis miniſtris, & officio eccleſiæ tanto major delectus adhiberi debet, quanto digniora officia obeunt, & ut omnia ab eis decenter, & bono ordine fiant, & vagabundi errones excludantur, imprimis quæcumque concilium Tridentinum huc ſpectantia ſtatuit, ea omnia, velut repetita, provincialis ſynodus firmiter obſervari præcipit, pauca ſuperaddenda cenſuit.

## CAPUT I.

Itaque mandat ſynodus, ut epiſcopi circa electorum, aut nominatorum examen, juxta concilii Tridentini diſpoſitionem, ſint diligentes, quo indoneis ad miniſteria eccleſiæ præcludatur via.

## CAPUT II.

Denique cum dignitates in eccleſiis cathedralibus & collegiatis ad conſervandam augendamque eccleſiaſticam diſciplinam ſint inſtitutæ, ut qui eas obtinent, pietate præcellant, & aliis ſint exemplo; ſtatuit eadem ſynodus omnium eccleſiarum & monaſteriorum abbates, præpoſitos, prælatos, decanos, archidiaconos, archipreſbyteros, pœnitentiarios, cantores, ſcholaſticos, & theſaurarios, & alios beneficiorum, quibus aut cura animarum annexa eſt, aut onus ſimile incumbit, poſſeſſores, ad perſonalem reſidentiam in eccleſiis ſuarum dignitatum, aut beneficiorum obligari, & perſonaliter reſidere debere: Et ſi ultra tres menſes, poſtquam a locorum epiſcopis moniti fuerint, perſonaliter reſidere neglexerint, aut diſtulerint, fructibus ſuarum dignitatum, aut beneficiorum priventur.

## CAPUT III.

Si qui autem ex prædictis ſeſe privilegio perpetuo, aut temporali tutos & exemptos a perſonali reſidentia putent, dictum privilegium epiſcopo, ſeu ejus vicario infra tres menſes exhibeant, ut cognoſcat, an ex veris & rationabilibus cauſis conceſſum ſit, nec ne. Si vero intra dictos tres menſes non exhibuerint, effectu & fructu privilegii omnino careant.

## CAPUT IV.

Omnes tam exempti, quam non exempti, ſæculares & regulares, & quicumque monachi, per epiſcopum ad publicas proceſſiones, ex quacumque cauſa indictas vocati, accedere & tempeſtive intereſſe compellantur, exceptis iis, qui ob clauſuram ſtrictiorem excuſantur: in quibus proceſſionibus, & aliis quibuſcumque; necnon in omnibus conſeſſibus quæcumque collegia, & monaſteria capitulis ſeu clero cathedralium eccleſiarum primum ſeu digniorem locum deferant, non ſolum in eccleſiis, & locis patronatus cathedralium, ſed etiam in eccleſiis, & locis dictorum collegiorum & monaſteriorum. Cætera autem collegia non cathedralia & monaſteria, quoad præcedentiam, hactenus inter eos obſervatam conſuetudinem, & concordiam (ſi quæ ſit) teneant & ſequantur.

## CAPUT V.

In eccleſiis cathedralibus hic ordo tam in choro, quam capitulo, & proceſſionibus, omnibuſque conſeſſibus, ad ſopiendas de præcedentia controverſias, perpetuo obſervandus decernitur: primo quidem qui in dignitate conſtituti ſunt, omnes non conſtitutos in dignitate præcedant, & inter eos, qui in dignitate ſunt, poſt decanum eccleſiæ cathedralis primum locum archidiaconus habeat.

## CAPUT VI.

Monet & hortatur ſynodus omnes, & ſingulos preſbyteros, ne tantæ dignitatis gradum otioſe ſuſcepiſſe videantur, ut diebus dominicis & feſtis majoribus ſacrum miſſæ officium peragant. Cæteri vero clerici beneficiati in loco ſuorum beneficiorum actu reſidentes, ſive ſint ſimplicis tonſuræ, ſive in ſacris, aut minoribus ordinibus conſtituti, ſaltem in quatuor majoribus feſtivitatibus anni, paſchæ videlicet, pentecoſtes, nativitatis Chriſti, & aſſumptionis beatæ Mariæ, vel omnium ſanctorum, in eccleſiis, in quibus reſident, publice ſub ſummo ſacro de manibus celebrantis reverenter & devote ſumant ſacroſanctum corpus domini noſtri Jeſu Chriſti, ſub pœna ſuſpenſionis & privationis fructuum, ad ratam unius menſis, mediatim fabricæ, mediatim ſeminario applicandorum, & alias arbitraria, niſi apud epiſcopum, vel ejus vicarium ſe legitime excuſaverint.

## CAPUT VII.

Ut autem digne valeant accedere ad ſacratiſſimam menſam domini, & acceptum Deo offerre ſacrificium, omnia peccata, ſaltem mortalia, ſincere proprio paſtori, aut prælato, vel alteri legitime admiſſo ſacerdoti confiteantur: Et ſi ſcienter aliis confeſſi fuerint, veram abſolutionem non conſequuntur.

## CAPUT VIII.

Præcipit etiam paſtoribus, & eccleſiarum rectoribus ne quem vagum & ignotum ſacerdotem, ſine licentia epiſcopi ſui diœceſani in ſcriptis obtenta, ad celebrationem miſſarum, aut ſacramentorum adminiſtrationem admittant, ſub pœna duorum florenorum per paſtores ſeu rectores incurrenda, & vagorum ſacerdotum correctione arbitraria: epiſcopi autem prædictam licentiam non concedant, niſi viſis literis ſacerdotii, & commendatitiis, & teſtimonialibus epiſcopi vel vicarii loci ultimæ eorum reſidentiæ.

## CAPUT IX.

Nullus quoque extradiœceſanus, ſive peregrinus, quantumcumque notus, recipiatur ad habitationem, & deſervituram alicujus beneficii in aliena diœceſi, ſine literis commendatitiis epiſcopi, a quo ultime diſceſſit.

### *De decanis Chriſtianitatum, paſtoribus, & eorum officiis.*

De his, qui ſub epiſcopis populi curam gerunt, eorumque officio in concilio Tridentino multa præclare ſtatuta ſunt; quæ omnia ſynodus provincialis pro dignitate rerum obſervare præcipit; & quæ ſequuntur in ſupplementum ſuperaddidit.

## CAPUT I.

Cum a concilio Tridentino conſtituta ſit certa ratio providendi rectoribus eccleſiarum parochialium de competentia vivendi; mandat ſynodus provincialis epiſcopis, ut iiſdem, juxta præſcriptum dicti concilii, de portione canonica provideant. Quæ quidem computatis certis fructibus & emolumentis, ac incertis ſeu accidentalibus, quæ ad certam ſummam communibus tribus, aut quatuor annis ultime præteritis redigi poſſint, in ſingulis parochiis non infra viginti, in nullis autem ſupra quadraginta libras groſſorum Flandriæ conſtituatur, moderatione tamen epiſcopi ſemper ſalva.

## CAPUT II.

Cum eadem ſit ratio de paſtoribus & archipre-

presbyteris, ſeu decanis ruralibus, qui & ipſi paſtores paſtorum ſunt, & eorum officium in obſervatione morum, tam paſtorum, quam laicorum ſui diſtrictus conſiſtat; ſtatuit hæc ſynodus, ut ſicuti paſtores in ſuis parochialibus, ita omnes archipresbyteri, ſeu Chriſtianitatum decani in ſuorum decanatuum limitibus ad perſonalem reſidentiam compellantur.

### CAPUT III.

*Archipresbyteri rurales in ſingulis diœceſibus pro diſcretione epiſcoporum aſſumantur, qui poſſint paſtoribus vita, conſilio & exemplo prodeſſe; & non pluribus præficiantur eccleſiis, quam poſſint commode regere; ac ſint arbitrio epiſcoporum amovibiles.*

### CAPUT IV.

Pro traditione novi chriſmatis nihil accipiant, expenſas tamen ſeu ſumptus, ejus cauſa neceſſario factos, arbitrio epiſcopi recipere poterunt tempore convocationis aut viſitationis.

### CAPUT V.

Caveant Chriſtianitatum decani, ne alibi, quam in templo, aut loco ſaltem decenti & honeſto, neque aliis, quam perſonis eccleſiaſticis, & in mundis ac diſtinctis capſulis ſacrum chriſma, & reliqua ſacramentalia diſtribuant; aut deferenda committant. Illis autem, qui hæc ſacramentalia ſuſceperint deportanda, mandat ſynodus ſub pœna duorum florenorum ad uſus ſeminarii applicandorum, & alias arbitraria, ut ſacro chriſmate, & aliis ſacramentalibus acceptis, ſtatim ſe domum modeſte & reverenter conferant, ac tum maxime a crapula & ebrietate abſtineant.

### CAPUT VI.

Vacatione eccleſiæ parochialis occurrente, licet ſynodus plurimum optaret circa examen promovendi illam obſervari diſpoſitionem concilii Tridentini, attendens nihilominus, quod in quibuſdam diœceſibus propter nimiam ſacerdotum inopiam illa ſervari non poteſt, omnia & ſingula circa hujuſmodi examen neceſſaria, locorum epiſcopis auctoritate ejuſdem concilii committit, decernens collationes & proviſiones, poſt examen ipſorum judicio neceſſarium, factas, firmas eſſe & validas.

### CAPUT VII.

Paſtores inſtituti diligenter advigilent ſuper ſuorum parochianorum vita, converſatione & religione, ac illos frequenter moneant, viſitent, hortentur, & corripiant, infirmos conſolentur, & ad patientiam inſtruant, ac eccleſiaſtica ſacramenta, non ſolum quando ad hoc requiſiti fuerint, ut adminiſtrent, ſed propoſita ipſis ſacramentorum utilitate ac neceſſitate, etiam ſe ad illa adminiſtranda offerant paratos, & illos ad petendum ea ſibi adminiſtrari ſalubri admonitione inducant.

### CAPUT VIII.

Cum frequenter varia ſequantur incommoda, lites & contentiones ex eo, quod in una eademque eccleſia plures paſtores auctoritate pares toti parochiæ præſint; ſynodus provincialis in ſequendo diſpoſitionem concilii Tridentini ſtatuit & ordinat, ut epiſcopus in hujuſmodi locis unicuique paſtori ſuum proprium & peculiarem aſſignet populum, deputando cuique certas plateas, vicos & regiones, quarum quiſque curam gerat, aut diverſas portiones ad unum paſtorem reducat; qui tamen ſub ſe tot habeat adjutores, quot erunt populo neceſſarii, aut utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, providcat.

### CAPUT IX.

Etſi diverſi catechiſmi & alii libelli extent, ex quorum lectione paſtores parvo negotio poſſint populum ſibi creditum utiliter inſtituere, nihilominus hæc ſynodus, ſecundum concilii Tridentini diſpoſitionem, ſtatuit & ordinat ex catechiſmo Tridentino colligendam & edendam eſſe lingua vernacula quandam epitomen, quæ pro ſingulis ſacramentis brevem formam contineat, qua illorum vis & uſus clare & diſtincte explicetur. Quam epitomen, cum extiterit, paſtores diligenter ediſcere, & populo opportune proponere, tam in concionibus, quam in ſacramentorum adminiſtrationibus teneantur, ac ſemper, quantum fieri poteſt, in ſuis concionibus ſerio aliquid inculcent, non ſolum quod ad bonos mores, ſed etiam quod ad ſinceram fidem pertinet, veris & vivis rationibus doctrinam catholicam explicando citra diſputationem. Inſtruant etiam populum de ceremoniis & myſteriis miſſæ, dum ſe offert occaſio.

### CAPUT X.

Paſtores quoque ab omnibus ad ſuas parochias commigrantibus ſuper vita & fide illorum literas teſtimoniales ultimi ipſorum paſtoris requirant; quas ſi non exhibeant, curiæ epiſcopali inſinuent, ut eas exhibere compellantur.

### CAPUT XI.

Paſtoribus & quibuſcumque ſacerdotibus inhibet ſancta ſynodus ſub pœna ſuſpenſionis, ne per ſe, vel alium, directe vel indirecte ſtipulentur pro miſſis votivis, ad piorum poſtulationem celebrandis; ſed quod eis ſponte oblatum fuerit, accipiant: caveant quoque ne ſtipendium plurium miſſarum ſimul veneantur, ſed qui ratione beneficii aut alterius fundationis ad miſſam certo die celebrandam obligantur, ab aliis eodem tempore abſtineant, niſi ſubſiſtente cauſa, & per alium ſibi incumbens onus adimpleant; qui contra fecerint ſeveriter puniantur.

### CAPUT XII.

Pro exequiis atque ſeptenariis, tricenariis, aut anniverſariis ſimiliter nihil ſtipulentur, ſed officiis peractis demum recipiant, aut a recuſantibus, & poſt monitionem ſolvere differentibus juridice exigant; quod ex laudabili conſuetudine ſolvi conſuevit.

*De vita & honeſtate clericorum.*

Quæ a ſummis pontificibus, & ſacris ſynodis maxime a ſynodo Tridentina de clericorum habi-





habitu, vita, honeſtate, & modeſtia retinenda, & ſimul de luxu, comeſſationibus, luſibus, & quibuſcumque criminibus vitandis, copioſe & ſalubriter ſancita ſunt, eadem ſub iiſdem, aut etiam majoribus pœnis, tamquam hic repetita ſynodus provincialis ſervari præcipit & mandat: Et ſtatuit ea quæ ſequuntur.

### CAPUT I.

Nulli clericorum, omnium autem minime hi, qui in eccleſia actu miniſtrant, barbam nutriant, & capillitium dependens a fronte ad auriculas ſenſim & rotunditer præcidatur: Tonſuram & coronam in vertice conſpicuam, & notabilis magnitudinis pro gradu ordinis ſui ſemper gerant.

### CAPUT II.

Quo autem luxus vani hujus ſæculi a Dei miniſtris arceatur, nullus clericorum nimis pretioſis, aut ſtatui incongruentibus in poſterum utatur veſtibus, neque caligis follicantibus, & peregrina forma levitatem præferentibus.

### CAPUT III.

Dum in publicum prodeunt, qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt, pileum ſacerdotalem & veſtem geſtent talarem, potiſſimum qui in oppidis agunt: Qui vero ruri, ut minimum ad dimidium tibiarum uſque promiſſam habere debeant. Porro clerici viatores aut peregrinantes ita ſe decenter ſuaque profeſſione digne gerant, ut eorum moribus, verbis, habituque modeſto per omnia glorificetur Deus.

### CAPUT IV.

Clerici qui in academiis, aut ſcholis majoribus vel minoribus vivunt, & in alio quam in ſui beneficii loco reſident, intra menſem a die publicati hujus concilii provincialis, corona, pileo, caligis ſimplicibus, & veſtitu ordini ſuo & vocationi congruo utantur; & ſingulis annis hujus rei teſtimoniales literas ſigillo univerſitatis, ſi in ea reſideant, munitas, aut ludimagiſtri manu, ſi in privatis ſcholis agant, conſcriptas, ei, cui literas teſtimoniales ſtudii exhibere debent, tempore congruo tranſmittant. Qua in re ſi defectuoſi fuerint, fructibus ſuorum beneficiorum priventur.

### CAPUT V.

A tabernarum frequentatione, ebrietate, comeſſationibus, & ſuſpecta cum mulieribus converſatione & cohabitatione omnino abſtineant; neque prandia ad veſperarum horas protrahant, neque choreas ducant, aut per plateas vel domos nocte & interdiu larvati incedant; & ſi per quemquam contrarium factum fuerit, privatione diſtributionum & fructuum ſui officii ſeu beneficii per menſem puniatur; & creſcente contumacia creſcat ſimiliter & pœna.

*De correctione clericorum.*

Multa præclare ſtatuta ſunt in concilio Tridentino de correctione delinquentium, ſine qua diſciplina conſiſtere non poteſt; quæ quidem ut nihil attinet repetere, ita diſtrictiſſime obſervari ſynodus provincialis mandat: & ne res neceſſaria moras patiatur, ſi de juriſdictione, aut per quos correctio fieri debeat, ſuboriatur quæſtio, ſtatuit ſynodus provincialis breviter quod ſequitur.

### CAPUT I.

Ut litium & diſcordiæ occaſio præſcindatur, quoniam in aliquibus decretis concilii Tridentini de juriſdictione & correctione loquentibus dubitari poſſet, an capitulis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum, omnis juriſdictio & correctio extra formam decretis concilii Tridentini præſcriptam ſublata ſit; placuit ſynodo provinciali per modum proviſionis, & donec declaratio ſuæ ſanctitatis ſuper difficultatibus circa præmiſſa occurrentibus obtenta fuerit, capitula cathedralium & aliarum eccleſiarum, tam quoad canonicos aut in dignitate exiſtentes, quam quoad capellanos, vicarios, & alios eccleſiarum habituatos, retinere juriſdictionem, & cognitionem, tam in criminalibus, quam civilibus per præventionem: hoc eſt, poterunt capitula epiſcopum, dolo & colluſione ſublatis, prævenire; iis tamen tantum caſibus, quibus hactenus juriſdictionem habuerunt. Quam quidem præventionem auctoritate epiſcopi citatio etiam ſine ſcitu deputatorum facta excludet.

### CAPUT II.

In canonicos vero, etiam ſi in dignitate exiſtant collegiatarum eccleſiarum, nec non capellanos, vicarios & alios quoſcumque eccleſiarum cathedralium ſeu collegiatarum beneficiatos, epiſcopi in criminibus & civilibus cauſis juriſdictionem & correctionem ſine deputatis capitulorum exercere poterunt, niſi a capitulis præventi fuerint, ut dictum eſt; ſic tamen quod capitula in illis caſibus, in quibus conceditur eis punitio, ſequantur decreta concilii Tridentini, alioquin illorum correctione non obſtante, poterunt delinquentes per epiſcopos iterato puniri.

### CAPUT III.

Nullus poſthac archidiaconus, archipresbyter, aut decanus ruralis cauſas concubinatus, aut criminales, ſicuti nec matrimoniales, audeat cognoſcere, aut etiam inchoatas terminare, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, & alias arbitraria epiſcopi judicio in refractarios aut temerarios infligenda.

*De ſcholis.*

Ab inſtitutione inchoanda eſt Chriſtiana diſciplina, ut rudiores nonnihil deguſtent doctrinæ veritatem, & obedientiæ neceſſitatem, priuſquam pœnis urgeantur. Proinde provincialis ſynodus Mechlinienſis attendens, quod inſtitutionis labor erit facilior, & fructus uberior, ſi juventus a teneris annis aſſueſcat religionis initiis; ſtatuit & decrevit ea quæ ſequuntur.

CA-

### CAPUT I.

Curent epiſcopi, ut quamprimum in oppidis & pagis ſuarum diœceſium parochiales ſcholæ, ſi collapſæ ſint, reſtituantur; ſi conſervatæ, collapſæ ſint, reſtituantur; ſi conſervatæ, colantur & augeantur: ſed præter parochiales, non admittantur multæ: nullæ autem omnino de novo inſtituantur, niſi de conſenſu epiſcopi, aut ejus vicarij; & a ſcholaſtico, aut aliis, quibus id oneris incumbit, omnes interdum viſitentur.

### CAPUT II.

Scholis tantum præficiantur præceptores probe examinati, & qui fidei ſuæ integram profeſſionem fecerint: In inſtitutione ſequantur antiquam, & probatam formam; ac juventutem ſibi concreditam, omnium primo orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum fidei, decalogum præceptorum, & formulam confeſſionis, ſi neſciant, lingua vernacula edoceant.

### CAPUT III.

His qui ad linguam Latinam conſtituuntur, unica in ſcholis prælegatur grammatica, eaque Deſpauterii in compendium contracta. Inter auctores, eos tantum juventuti proponant, de quibus conſtat quod probati ſint, & ſi quidem de aliquo non certo conſtet, epiſcopum aut vicarium conſulant, priuſquam prælegendum ſuſcipiant. Illi autem auctores, qui per gentilitatem, aut turpes amores juvenum mores corrumpere ſolent, a ſcholis arceantur.

*De ſchola dominicali.*

### CAPUT I.

Cum non omnes quotidianas ſcholas frequentare poſſint, ſed multi per hebdomadam, artificiis aut aliis domeſticis occupationibus diſtineantur, quorum tamen parentes ſæpe ad inſtituendas ſuas proles inidonei ſunt, ideo ad ſatisfaciendum decreto concilii Tridentini curent epiſcopi præter quotidianas, etiam dominicales in omni parochia inſtitui, in quibus una aut altera hora diebus dominicis & feſtivis lingua vernacula bene & diſtincte, omnes prima principia religionis, videlicet orationem dominicam, ſymbolum apoſtolorum, & alia ſupradicta memoriter edoceantur, addita per paſtorem vel ſacellanum facili, & qualem illa ætas admittit, explicatione ad guſtum aliquem intelligentiæ, ut omnes rebus ſacris debitam reverentiam ab initiis primæ ætatis tribuere diſcant.

### CAPUT II.

Etſi hæ ſcholæ non proprie inſtituantur ad literas diſcendas, autem artem ſcribendi atque legendi, poterit nihilominus juventus in his doceri, poſtquam in prædictis utcumque inſtituta fuerit; & curent epiſcopi quoſdam libellos deſignari ad inſtituendam juventutem ſecundum hanc formam aptos.

### CAPUT III.

Ad petulantiam cohibendam, & vitanda pericula in omnibus parochiis, maſculi a puellis, quantum fieri poterit, ſeorſum inſtituantur, atque puellis, quæ ſæpe erant grandiuſculæ, una aut altera honeſta matrona præficiatur, quod ad ſexus illius inſtructionem magis congruit; maſculis autem viri ad hoc idonei.

### CAPUT IV.

Et niſi aptior locus inveniatur, poterunt hæ ſcholæ in templis inſtitui, ut etiam reverentia cohibeantur; atque illis paſtores ſinguli in ſuis parochiis ſuperintendant: ſed quia his etiam ſua incumbunt officia, ac ſæpe ad ægrotos, aut alia paſtoratus exercitia vocantur, alii paſtorum magiſtratuum, ſeu notabilium judicio deſignentur neceſſe eſt, qui juventuti ad ſtatutam horam fere ſemper adſint, ne diffluat.

### CAPUT V.

Paſtores tam e ſuggeſtu, quam privatim, parentes frequenter admoneant, ut ad has ſcholas pueros ſuos mittant: Et quia pauperes plerumque negligentiores ſunt circa ſuarum prolium inſtitutionem, debent & illi per ſubtractionem eleemoſynarum menſæ pauperum cogi, ut quas habent proles, ad has ſcholas mittant. Publicent quoque paſtores, quod ad euchariſtiæ, aut matrimonii ſacramenta admittere non poſſint, niſi imprimis fidei principiis ſufficienter inſtructos; ac ut conſulatur verecundiæ, ſi quos pudor ab his remoretur, præcipit ſynodus paſtoribus, ac aliis concionatoribus, ut quando tempus patitur, in fine concionum ſuarum, lingua vernacula diſtincte & clare orationem dominicam & ſalutationem angelicam, & ſymbolum apoſtolicum pronuntient.

### CAPUT VI.

Ut autem ſcholæ iſtæ non fruſtra inſtitutæ videantur, ſed cum fructu frequententur, incumbenda erit magiſtratibus loci cujuſque ratio a parentibus obtinendi, ut juventus has ſcholas diligenter frequentet, tantiſper ſaltem, donec quæ religionis Chriſtianæ ſunt, noverit; idque ſub certa mulcta a parentibus, ſi moniti ſuas proles ad ſcholas venire non curent, exigenda.

### CAPUT VII.

Epiſcopi magiſtratus requirant, & mandent in omnibus parochiis abſtineri, tempore quo in ſcholis juventus inſtituitur, a tripudiis & aliis inſolentiis, quibus juvenes a viſitatione harum ſcholarum diſtrahi poſſent; idque ſub pœnis arbitrio eorum imponendis. Ipſi quoque epiſcopi per ſuas diœceſes in ſingulis parochiis ſub certis pœnis ſimilem inhibitionem ipſorum nomine fieri procurent.

### CAPUT VIII.

Cum hæc res maximi momenti ſit, & ad reſtitutionem religionis proximum gradum ſervet, non debet grave videri, quod magiſtratus ſumptuum aliquid vel moleſtiæ ſubeant, (quod in quibuſdam diœceſibus factum eſt) oſtiatim deſcribant parentes, & proles in quodam catalogo, qui tradatur his, qui ſcholæ præſunt, ut ex eo deprehendi poſſint, qui negligentiores ſunt.



### CAPUT IX.

Sumptum, qui neceſſarius erit, ut honorariis donentur, qui labores ſubeunt, ſi forte non inveniantur, qui pietatis intuitu gratis facere velint, ex publico ærario ſumere licebit, impetratis ad eam rem, ſi opus erit, ſuæ majeſtatis literis, quales in quibuſdam locis pro hujuſmodi ſcholarum inſtitutione libenter dedit, cum nihil in meliores uſus collocari poſſit, quam quod ad recte inſtituendam juventutem, & a teneris annis ad pietatem imbuendam impenditur. Paſtores autem etiam nulla remunerationis oblata mercede, officia ſua in dirigenda hac ſchola, & in brevi admonitiuncula pro captu juventutis facienda præſtent, ut ſuo exemplo alios ad imitationem invitent. Magiſtratus autem ſæculares decet non ingratos eſſe erga eos, ſi diligentes ſint, cum qui bene præſunt, duplici honore ſint digni.

*De ſeminariis.*

### CAPUT I.

Ne diutius ut pia, ita prorſus neceſſaria ſeminariorum inſtitutio a concilio Tridentino decreta differatur; ordinat & mandat ſynodus provincialis, ut, ubi hactenus illorum inſtitutio facta non eſt, in proxima ſynodo diœceſana, aut alias commodiori tempore, ita tamen, ut ultra ſex menſes non differatur, epiſcopi diœceſani omnia, & ſingula ad hanc rem opportuna, & neceſſaria conſtituant, ſecundum ejuſdem concilii Tridentini ordinationem: & prima futura ſynodus diœceſana non ſolvatur, donec certa erigendi ſeminarii ratio in ſingulis diœceſibus fuerit conſtituta.

### CAPUT II.

Atque ante omnia, quæ ad inſtituendos vel alendos pueros ſunt in aliquibus eccleſiis deſtinata ſeminaria, ſub epiſcopi cura cenſeantur applicata.

*De unionibus.*

Ut beneficiorum uniones & miſſarum reductiones aliquando neceſſariæ ſunt, potiſſimum in ejuſmodi caſibus, quales in concilio Tridentino expreſſi ſunt, tamen ut citra juſtam cauſam non obſcurentur fundationes per uniones, aut reductiones non legitimas; ſtatuit ſynodus provincialis quæ ſequuntur.

### CAPUT I.

Omnes uniones perpetuæ, a quadraginta annis citra factæ ſeu conceſſæ, ſive in totum ſortitæ ſint effectum, ſive non, infra ſex menſes a præſentis ſtatuti publicatione epiſcopo, aut ejus vicario ſeu officiali exhibeantur, ut ab ipſo examinentur, viſitentur, & approbentur, aut reprobentur.

### CAPUT II.

Miſſas quoque tenuiter fundatas, & in beneficii titulum non erectas, ſtatuit per epiſcopos, vocatis quorum intereſt, ad proportionem quatuor, quinque, aut ſex groſſorum Flandriæ, prout attentis circumſtantiis judicaverint expedire; ſed non ultra in ſingulas miſſas reduci poſſe.

### CAPUT III.

Quoad beneficia certis miſſis onerata, ſi præter id, quod ex miſſarum celebratione poſſeſſor pro ſuſtentatione ſua habet, nihil amplius emolumenti ex eodem beneficio ratione groſſorum fructuum, aut diſtributionum recipiat, ſimilis miſſarum reductio fieri poterit. Qui vero alios fructus aut diſtributiones ex beneficiis, quæ obtinent, accipiunt, eorum in reductione facienda, aut deneganda diligens conſideratio habeatur; ita nimirum, ut ſi omnibus computatis honeſte vivendi competentiam rector beneficii habeat, reductio negetur; ſin minus, pro diſcretione & prudentia epiſcoporum, juxta taxam præſcriptam fieri poſſit. In poſterum vero nullæ novæ fundationes miſſarum infra dictam taxam admittantur.

### CAPUT IV.

Minuta beneficia etiam quidam eccleſiæ ſic nominantur, ut ſi non ſufficiant ad honeſtum & tolerabilem victum, ſaltem ad titulum in promotione ad ſacros ordines requiſitum poſſint ſufficere.

*De elocatione & conſervatione bonorum eccleſiaſticorum.*

### CAPUT I.

Elocationes bonorum eccleſiaſticorum, quæ anticipatis ſolutionibus fiunt, nullatenus ſucceſſores obligent quocumque privilegio, vel indulto fulciantur, ſicut capite undecimo, ſeſſione vigeſima quinta concilii Tridentini latius decernitur.

### CAPUT

Nullæ locationes rerum eccleſiaſticarum fiant ultra novem annos, ſine obſervatione ſolemnitatum, quæ de jure requiruntur in alienatione bonorum eccleſiæ.

### CAPUT III.

Locationes autem infra tempus currentis arendæ non prius renoventur, quam uno anno quoad decimas; & quoad alia bona, ad ſummum triennio ante finem currentis arendæ; quodque pro renovatione dictæ arendæ poſſeſſores beneficiorum non recipiant arræ nomine ultra ſex florenos. Collegia vero & monaſteria nihil exigant ſupra conſuetas pitancias, ſed in omnibus epiſcopi moderamine: locationes autem, quæ ad longum tempus factæ ſunt, & per ſedem apoſtolicam, aut ordinarium confirmatæ, examinentur per epiſcopum cum aliquo de capitulo per epiſcopum aſſumendo.

## CAPUT IV.

Quamvis longo rerum uſu apud omnes receptum ſit, neminem ad poſſeſſionem alicujus beneficii admitti, niſi jurejurando promittat bona ſui beneficii fideliter conſervare, & alienata pro virili recuperare: attamen multorum a ſuis beneficiis abſentia, aut negligentia plurima quotidie deperdi aut obſcurari experimur. Hinc ſynodus provincialis omnibus & ſingulis beneficiatis mandat, ut bonorum & redituum ad beneficia per eos poſſeſſa ſpectantium ſpecificationem in ſcriptis ſuperiori eccleſiaſtico, aut paſtori cujuſque eccleſiæ ſeu loci, in quo beneficia fundata ſunt, infra trimeſtre poſt B publicationem præſentium, ſub pœna duorum florenorum adhibeant, & ſuperior ex dictis ſpecificationibus, addita etiam ſpecificatione bonorum ſui beneficii, unum regiſtrum in archivis eccleſiæ conſervandum fideliter conficiat, atque ipſius copiam authenticam epiſcopo tradat.

## CAPUT V.

Literas vero originales, regiſtra & alia quæcumque munimenta, quæ vetuſtate conſumuntur, curent iidem beneficiorum rectores infra præfixum tempus in authenticam formam tranſſumi, eaque tranſſumpta in qualibet eccleſia C reſpective ſub tuta & fideli cuſtodia trium clavium (quarum unam ſuperior eccleſiaſticus, aliam ſenior rector fabricæ, & tertiam ſenior rector menſæ ſancti Spiritus habeat) cum aliis munimentis conſerventur; & ſi quid ex prædictis munimentis, pro creditorum aſſecutione levari neceſſum ſit, rectoribus beneficiorum non aliter tradatur, quam ſub recepiſſe, & promiſſione de reſtituendo.

## CAPUT VI.

Si vero aliqua monimenta ex prædictis apud poſſeſſores beneficiorum, aut hæredes, aut executores eorum exiſtant, infra dictum tempus D trium menſium ad dictam cuſtodiam deferant, & in ea recludi curent; quod ſi neglexerint, & eorum culpa vel negligentia aliquid deperditum inveniatur, damnum omne reſarcient, & graviter punientur. Quapropter mandat ſynodus archipresbyteris ſeu decanis Chriſtianitatum, ut diligenter hujus ſtatuti executioni invigilent, literas, manualia, & quæcumque beneficiorum munimenta, quæ in domibus mortuariis invenerint, fideliter ſervari, & ad cuſtodiam prædictam tranſportari curent.

## CAPUT VII.

Quia frequenter bona eccleſiarum, monaſteriorum, beneficiorum, & aliorum piorum locorum pereunt, aut obſcurantur continuata poſſeſſione longiſſimi temporis, in una eademque familia, ſine ullo arendæ renovatæ documento, ſynodus provincialis volens huic malo providere, mandat omnibus prælatis, capitulis, paſtoribus, & quorumcumque beneficiorum & locorum piorum rectoribus, ut tempore ſupra ſtatuto arendas bonorum ſuorum in ſcriptis renovent, cum expreſſa ſpecificatione [illegible], quantum fieri poteſt, quodque [illegible], in archivis prædictis poſtquam

A plenariam ſolutionem aſſecuti fuerint deponant.

*De regularibus & monialibus.*

Religioſorum conventus, & univerſa monaſteria ſecundum regulam ſuæ profeſſionis recte inſtituta, id ſunt in populo Chriſtiano, quod arces militum præſidio bene inſtructæ in regione hoſtium incurſionibus expoſita; ac proinde etiam totius populi intereſt, ut quæ de monaſteriorum reformatione in concilio Tridentino copioſe conſtituta ſunt, executioni fideliter mandentur; quod ut citra longiorem dilationem fiat, hæc ſynodus diſtricte præcipit quæ ſequuntur.

## CAPUT I.

Imprimis autem, ut ſubſtantialia vota in omnibus cœnobiis, tam virorum, quam mulierum, veraciter obſerventur, plurimum conferet, ſi ea auferantur, quæ proprietati totius religionis pernicioſæ peſti occaſionem, & fomenta ſubminiſtrant. Præcipit ergo hæc ſynodus, ut victus, veſtitus, cæteraque vitæ ſubſidia ſingulis ex communi, pro neceſſitate indigentiæ, & monaſterii facultatibus ſubminiſtrentur, non in pecuniis, ſed in ſpecie rerum: Penſiones autem vitales, aut reditus perpetuos nulli permittantur recipere, neque liceat eis ratione officiorum, vel miniſteriorum pecuniam corradere, aut conſervare, etiamſi in pios uſus convertere velint; ſed omnia in communem uſum convertantur.

## CAPUT II.

Deinde ut vitæ puritas ſit integrior, introitus mulierum a virorum cœnobiis penitus excludatur, nec in clauſtrum viris ullo modo aditus, niſi de expreſſo ſuperioris conſenſu, & in cauſis plane neceſſariis.

## CAPUT III.

Hoſpites in virorum monaſteriis juxta regulam excipiantur in menſa abbatis, præpoſiti, vel prioris, vel alio honeſto loco; cui præficiatur monachus a ſuperiori nominandus, qui eos benigne excipiat, maxime religioſorum conſanguineos, advocatis iis, quorum cauſa venerint: ſit tamen menſa frugalis, viteturque prorſus ebrietas & potationes ad æquales hauſtus; ſed nec protrahatur refectio ultra ſeſqui horam, nec deſit ſacra lectio. Ad dormitorium autem ſe conferant veſpertino tempore ante horam nonam, qui hoſpitibus adfuerunt.

## CAPUT IV.

E Quod de clauſura in monialium cœnobiis, vel reſtituenda, vel confirmanda, tam ſerio in concilio Tridentino conſtitutum eſt, ut nihil fere religioſius commendetur epiſcopis, nihil etiam magis formidanda comminatione præcipiatur, hæc ſynodus citra moram ex decreto inchoandam, & executioni mandandam cenſuit, ab excluſione omnium cujuſcumque generis, ordinis, aut ſtatus ſint, ſive eccleſiaſtici, ſive ſæcularis, juxta formam, & ſub pœnis in eodem concilio comprehenſis.

CA-

## CAPUT V.

Hoſpitalitati in monaſteriis ſanctimonialium deputetur conveniens locus, ubi amici, & potiſſimum conſanguinei monialium decenter & honeſte, frugaliter tamen excipiantur: ſed ſit locus ille ſic ſecluſus a clauſtro, ut in eum non pateat ulli monialium, imo ne abbatiſſæ quidem, ulterior introitus, quam uſque ad cancellos, per quos colloquia cum amicis haberi poterunt.

## CAPUT VI.

Sed & hoc in utriſque tam virorum, quam B monialium cœnobiis diligenter obſervetur, ut ad divinum officium ſimul conveniant & collaborent, in eodem refectorio omnes comedant, & in eodem dormitorio cubent, niſi quos ætas, aut infirmitas, vel aliud legitimum excuſet impedimentum. Ad dormitorium ſe recipiant mox poſt completorium, & ſic claudatur, ut nemo inde exire poſſit ſine conſenſu ſuperioris.

## CAPUT VII.

Quod ad libertatem profeſſionis Deo dicandarum virginum de examine per epiſcopum faciendo utiliter admodum ordinavit concilium C Tridentinum capite decimo ſeptimo ſeſſionis vigeſimæ quintæ, diſtrictiſſime, & ſub pœnis ibidem expreſſis ſervetur. Caveatur autem diligenter & ſerio, ne pactionibus illicitis, aut ſimoniæ vitio obnoxiis ſacræ religionis profeſſio contaminetur; nec ulli omnino in mulierum monaſteriis profiteri liceat, etiam examine jam facto, niſi ſolemniter & verbo expreſſo; idque in manu profeſſionem recipiendi poteſtatem habentis: Et ſi quis non habens ad id legitimam poteſtatem, profeſſionem recipere attentaverit, ſecundum canones puniatur.

## CAPUT VIII.

Etſi veſtis non adferat ſanctitatem; non tamen ſine gravi cauſa a patribus ſemper ſtudioſe curatum fuit, ut religioſis ejuſdem ordinis & D regulæ uniformis eſſet etiam exterior habitus, quem canones ſine legitima cauſa, abſque periculo cenſurarum, ne ad breve quidem tempus, permittunt deponi.

## CAPUT IX.

Hanc concordem patrum religioſorum ſententiam ſecuta ſynodus provincialis ordinat & mandat abbatibus, præpoſitis & aliis religioſorum ſuperioribus univerſis, ut citra dilationem inter ſe ineant commodam rationem E reſtituendæ conformitatis in ſuo quiſque ordine, non tantum in habitu, ſed etiam in divino cultu & ritibus agendi; & quantum fieri poteſt in cæteris omnibus monaſticæ vitæ exercitiis; ac nullo modo patiantur, ſic deformari religionis habitum, ut non ſit certum & notorium judicium ſui ordinis. Neque ſic occultari, aut transformari, ut religioſi, dum foras prodeunt, a ſecularibus vix diſcernantur.



## CAPUT X.

Si autem abbates, præpoſiti, & alii ſuperiores regularium, iſta, vel non curent, vel negligenter differant, ab epiſcopis moneantur; & ſi moniti non pareant, epiſcopi in abbatiis & præpoſituris ſibi ſubjectis, ordinaria; in aliis apoſtolica auctoritate negligentiam ſuppleant.

## CAPUT XI.

Hæc autem ſic conſtituta ſint, ut ad fideliorem obſervationem eorum, quæ in concilio Tridentino ordinata ſunt, pertineant. Quod ſi forte, licet meliora ſperet ſynodus, moniales alicubi ita inobedientes aut refractariæ ſint, ut ſupradictis ordinationibus pertinaciter reſiſtant, aut parere recuſent, nulla ibi vel veſtiatur, vel ad profeſſionem admittatur, donec ad obedientiam veniant; & contra rebelles procedatur juxta decreta concilii Tridentini.

*De literis apoſtolicis, & judicibus delegatis.*

## CAPUT I.

Synodus provincialis Mechlinienſis mandat, C ut diſpenſationes ad incompatibilia beneficia, per illos qui ea obtinent, infra trimeſtre a die publicationis hujus concilii epiſcopis præſententur examinandæ, ſub pœna in conſtitutione Gregorii decimi expreſſa, ad quam ſe refert concilium Tridentinum.

## CAPUT II.

Inhærendo quoque ordinationi concilii Tridentini de deſignandis in ſingulis conciliis provincialibus aliquot perſonis pro judicibus delegatis, de conſilio reverendiſſimorum patrum epiſcoporum provinciæ Mechlinienſis; ſtatuit & declarat præſenti decreto infraſcriptas perſonas aptas eſſe, & D juxta conſtitutionem Bonifacii octavi idoneas, ut ipſis, præter ordinarios locorum, poſthac cauſæ eccleſiæ & ſpirituales, ac ad forum eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ, a ſua ſanctitate committantur. Quarum perſonarum nomina, cognomina, & qualitates decernit eadem ſynodus in hunc finem ad ſuam ſanctitatem tranſmitti debere.

*In archiepiſcopatu Mechlinienſi*, pro idoneis nominati & deſignati ſunt.

D. Rumaldus Vergheeſt V. I. licentiatus, & eccleſiæ metropolitanæ decanus. D. Renobertus de Malpas, V. I. doctor, ejuſdem eccleſiæ cantor & canonicus. D. Ægidius Mermans, jurium E licentiatus, & prædictæ eccleſiæ canonicus.

*Lovanii*. Reverendus pater D. Joannes Hanterus, abbas Ulierbacenſis; Reverendus pater Linden, abbas Parcenſis; Reverendus pater D. Joannes Vander Linden, abbas ſanctæ Gertrudis.

*Bruxellæ*. D. Maximilianus Morillon, jurium licentiatus, archidiaconus eccleſiæ metropolitanæ Mechlinienſis, & reverendiſſimi archiepiſcopi noſtri vicarius generalis; D. Laurentius Sterck, cantor & canonicus eccleſiæ collegiatæ Bruxellenſis.

*In epiſcopatu Antuerpienſi*, D. ac M. Roge-

ANNO CHRISTI 1570.

rus a Taxis, I. V. licentiatus, decanus eccleſiæ cathedralis, & officialis; Reverendus pater D. Guillelmus de Greve, abbas monaſterii ſancti Michaelis Antuerpienſis, D. Cornelius Cornelii, cantor ejuſdem cathedralis eccleſiæ; D. Godefridus Veuſels, I. V. doctor, & canonicus ejuſdem eccleſiæ. Franciſcus Doncker canonicus & ſcholaſter ejuſdem eccleſiæ, ſacræ theologiæ baccalaureus.

*In epiſcopatu Gandenſi*, D. ad M. Marcus Sterck, eccleſiæ cathedralis decanus; D. Clemens Gabeels, S. theol. licentiatus, & ejuſdem eccleſiæ archidiaconus; D. Andreas Zutter, I. V. doctor; & D. ac M. Henricus Eydeghem, eccleſiæ collegiatæ ſanctæ Pharaildis decanus.

*In epiſcopatu Buſcoducenſi*, D. ac M. Lucas Dielen, V. I. licentiatus, & eccleſiæ cathedralis decanus; Reverendus pater D. . . . . . . abbas monaſterii Bernenſis; Joannes Typoots V. I. licentiatus, canonicus dictæ cathedralis eccleſiæ, & officialis; & Petrus Coolem, ejuſdem eccleſiæ cathedralis canonicus; M. Henricus Verrepæus, collegiatæ eccleſiæ Bekenſis decanus.

*In epiſcopatu Brugenſi*, D. ac M. Nicolaus de Heere V. I. licentiatus, & cathedralis eccleſiæ Brugenſis decanus; reverendus pater D. Petrus Belchier, monaſterii de Eeckhout abbas; D. Jacobus Eckius V. I. licentiatus, ejuſdem eccleſiæ archidiaconus, D. Jacobus Pamele, S. theologiæ licentiatus, & dictæ eccleſiæ canonicus.

*In epiſcopatu Yprenſi*, D. Joannes Suick, eccleſiæ cathedralis decanus; Reverendus D. Hieronymus a Grimberge, monaſterii S. Winnoci abbas; D. Nicaſius Ghriiſel V. I. licentiatus & ejuſdem eccleſiæ cathedralis archipreſbyter; Reverendus D. Matthæus Moerman cœnobii de Vormezele præpoſitus; D. Joannes a longa cruce, præpoſitus collegiatæ eccleſiæ ſancti Petri, oppidi Caſletenſis; ac D. Godefridus Lanrcyns, ejuſdem eccleſiæ decanus.

*In epiſcopatu Ruremond.* Magiſter Theodoricus Haen, decanus eccleſiæ cathedralis. Ruremond. M. Albertus Darius, juris canonici licentiatus, ac eccleſiæ Neomagenſis præpoſitus; M. Stephanus Heidanus eccleſiæ Neomagenſis ſcholaſticus; D. Guillelmus Wert, canonicus dictæ eccleſiæ cathedralis.

Si vero quempiam ex prænominatis ante proximam ſynodum provincialem aut diœceſanam ex hac vita diſcedere contigerit; epiſcopus cum conſilio capituli, alium uſque ad proximam ſynodum ſubſtituet; quam ſubſtitutionem epiſcopus quoque ad ſummum Romanum pontificem tranſmitti curabit.

*De uſuris.*

Quoniam uſura jure divino & canonico omnibus Chriſtianis ſub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda ſunt mala, ut eveniant bona; ſynodus ſtatuit & ordinat, ne quis tutor aut curator ſub prætextu augmentandi patrimonii pupillorum, aut ſub eorum tutela exiſtentium, pecunias illorum ſub certo lucro ſingulis annis ultra ſortem recipiendo mutuo dent, retenta facultate repetendæ ſortis, quando ad majorem ætatem pervenerint, aut matrimonium contraxerint, aut alias ad illorum voluntatem & arbitrium, declarando omnes hujuſmodi contractus uſurarios, & contra, ut præmittitur, mutuantes, tamquam contra uſurarios, ad pœnas juris procedendum.

*De viſitationibus.*

Quæ de epiſcoporum viſitationes S. ſynodus Tridentina ſtatuit & ordinavit, ea omnia ſynodus provincialis Mechlinienſis a viſitatoribus quibuſcumque fideliter obſervari præcipit.

CAPUT I.

Caveant epiſcopi, ne occaſione viſitationis, ſive per ſe, ſive per vicarios ſuos, cuiquam graves & oneroſi, ſed victualibus quæ ſibi ac ſuis frugaliter & moderate pro temporis neceſſitate, & viſitandorum qualitate miniſtrabuntur, contenti ſint; relicta tamen his, qui antiquitus taxam habent, optione ſubminiſtrandorum victualium, aut ſolvendæ taxæ juxta decretum concilii Tridentini, ubi autem taxa non invenitur, ſervetur apud eos juris communis diſpoſitio.

CAPUT II.

Decani Chriſtianitatis viſitare debeant ubique etiam ubi hactenus non viſitarunt, & ſubſidia viſitationis, ubi hactenus non fuerunt, epiſcopi judicio conſtituantur, & ſi quid immoderatum alicubi fuerit, ejuſdem judicio moderetur.

Etſi alia ſint quæ reformatione opus habeant, tamen cum non omnia eodem tempore fieri poſſint, & quædam in concilio diœceſano commodius peragantur, ut de reparatione eccleſiarum, de emolumentis pecorum, & lucris ex venditione vinorum, non niſi in pium uſum convertendis, poſt deductos ſumptibus; ſimiliter de non onerandis illis, qui ad beneficii poſſeſſionem admittuntur, ſolutione jurium poſſeſſionis, priuſquam ad perceptionem ſuorum fructuum pervenerint, & id genus aliis; epiſcopi in proxima diœceſana ſynodo ſtatuant pro æquitate. Interim mandat eadem provincialis ſynodus, ut omnia & ſingula ſupradicta, & imprimis quæ in ſacro concilio Tridentino decreta & ſtatuta ſunt, inviolabiliter obſerventur, ſub pœnis in iiſdem contentis, ſubmittens ſe ſuaque omnia beneplacito ſanctæ ſedis apoſtolicæ, quam humillime rogat, ut eadem, quo meliorem habeant progreſſum, ſua auctoritate roborare dignetur. Actum Mechliniæ, anno domini milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo, menſis Julii die decima quarta.

*Sic ſubſignatum erat:*

Martinus Rithovius epiſcopus Yprenſis, præſes hujus concilii, ſubſcripſi.

Franciſcus Sonnius epiſcopus Antverp. ſubſcripſi.

Wilhel. Damaſi Lindanus, epiſcopus Ruremond. ſubſcripſi.

Cornelius Janſenius epiſcopus Gandavenſis ſubſcripſi.

Remigius Drujtius epiſcopus Brugenſis, ſubſcripſi.

Laurentius Methius epiſcopus Buſcoducenſis ſubſcripſi.

Maxi-



ANNO CHRISTI 1570.

Maximilianus Morillon vicarius generalis illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. cardinalis Granvellani archiepiſcopi Mechlinienſis, ejus nomine ſubſcripſi.

*Et ſic ſubſcriptum inferius:*

Lecta & publicata fuerunt hæc decreta per me Antonium Roboiin ſcribam juratum concilii provincialis Mechlinienſis, die decima quinta menſis Julii anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi.

*Et ſignatum* Per me Antonium Robiin:
*Et in eodem ſigno ſic ſcriptum.* Suſtine & abſtine.
*Et inferius ſic ſcriptum & ſignatum:*

Similiter per me Philippum Boeſtium, ſcribam & ſecratarium.

# VITA

## GREGORII PAPÆ XIII.

GREGORIUS XIII. patria Bononienſis, Chriſtophoro Boncompagno parente natus, qui Hugonis nomine appellatus, honeſte educatus, & liberalibus diſciplinis optime inſtructus, in juriſprudentia doctorali laurea inſignitus; multis officiis & dignitatibus ſub variis pontificibus magna cum laude perfunctus a Pio IV. in numerum cardinalium ſub titulo ſancti Sixti relatus, ac in Hiſpaniam legatus, Pio V. e vivis ſublato, ſucceſſor renuntiatus eſt 13. Maii anno domini 1572. tempore Maximiliani & Rudolphi II. imperatorum. Pontificiam dignitatem pro tuenda & amplificanda republica Chriſtiana admodum egregie ſuſtinuit; qua ratione expeditionem adverſus Turcas promovere, confœderatos principes animare, & pecunia aliiſque ſubſidiis liberaliter juvare cœpit, Marco Antonio Columna claſſi pontificiæ præfecto. Verum enimvero quia in oriente minus proſpere res ſuccedebant, ſequente anno ad regem catholicum archiepiſcopum Lancianum, ad regem Chriſtianiſſimum cardinalem Urſinum legatos miſit, qui eos in ſocietatem fœderis adducerent. Sed longe aliter quam propoſuerat accidit; ſiquidem Veneti fœdus deſerentes inducias cum Turca pacti ſunt. Quo intellecto optimus pontifex omnes cogitationes, curas, conſiliaque eo contulit, ut imperatori ſuccurret, regem Chriſtianiſſimum & Catholicum ad exſtirpandos Lutheranos & Calviniſtas, quibus potuit mediis & ſumptibus adjuvit. Idem quoque archiduci Carolo, & Melitenſibus pietatis officium præſtitit. Ad fidem catholicam tuendam propagandamque viginti duo collegia in variis regionibus erexit atque dotavit. Annonæ conſervandæ ergo publica granaria in Urbe conſtrui curavit. Vias aperuit & ſtravit; publicæque commoditati limpidiſſimos in eam fontes derivavit. Anno 1575. confluentibus ad Urbem religionis ſtudio exteris, annonæ paterna vigilantia & caritate providit. Tumultuantibus Genuenſibus cardinalem Moronum ſummæ prudentiæ & auctoritatis virum legatum miſit, qui eorum animos ad concordiam reduxit. In diverſas factiones ob regis electionem diſtractos Poloniæ ordines unanimes reddidit; unde Batorius ad capeſſenda regni gubernacula electus eſt, qui pontifici poſtmodum obedientiam juravit, & per oratorem præſtitit. Peſte Italiam totam pervagante ad ſpiritalia medicamenta indicto jubilæo perfugit. A contendentibus inter ſe acriter Polonis & Moſcovitis legationem perhumaniter excepit, ac Antonium Poſſevinum oratorem miſit, qui utriuſque principis animum ſumma dexteritate reconciliavit. Synodum Tridentinam Pauli III. temporibus cœptam & affectam, Pii vero IV. abſolutam & confectam, ab omnibus obſervari mandavit, veluti orbi terræ neceſſariam; ſeminariaque variis locis religionis Chriſtianæ amplificandæ ergo plurima inſtituit; ſacellum ſumptuoſiſſimum apud ſanctum Petrum, quod Gregorianum dicitur, extruxit & dotavit, corporeque magni doctoris Gregorii Nazienzeni nobilitavit. In palatio porticum ſive ambulacrum artificioſe poliri variiſque picturis adornari curavit. Anno 1582. Kalendarium emendavit anni curſu ad ſolitum reducto. Sub eodem pontifice 1585. 22. Martii Japoniæ principum legati poſt longam trium annorum & amplius navigationem Urbem ingreſſi, principum ſuorum nomine ſanctæ ſedi apoſtolicæ obedientiam jurarunt & præſtiterunt. Eſt autem Japonia in extrema Indiæ parte, uſque adeo vaſta, ut amplitudine Italiam duplo excedat, tantaque locorum intercapedine a nobis diſſita, ut ejus incolæ nobis antipodes dici poſſint. Tandem poſt exhibita reipublicæ Chriſtianæ tot & tanta beneficia Gregorius curriculum vitæ ſuæ beata morte abſolvit anno domini 1585. cum ſediſſet annos 12. menſes decem & dies 27. diverſiſque temporibus triginta tres cardinales creavit. Corpus ejus ſacello Gregoriano illatum eſt. Vir fuit ſane manſuetus, benignus erga pauperes, ac eos qui religionis cauſa exulabant; in reſponſis brevis, acutus & gravis, ad audiendum patiens; omnibus acceſſu facilis; ſtudiis piis & maxime legum ſic addictus, ut quidquid temporis contemplationi gravibuſque curis ſupereſſet, lectioni & ſtudio impenderet.

## ☞ GREGORII XIII. PAPÆ BULLA, CONTRA PROPOSITIONES MICHAELIS BAII.

Ex Hard. Conc. Coll. tom. X. p. 1105.

GREGORIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei: Ad futuram rei memoriam. Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio; ut ea, quæ a prædeceſſoribus noſtris emanarunt, ſuadente maxime fidei Catholicæ conſervatione, ubicumque ipſis opus eſt, producantur; Quare nos tenorem litterarum fel. rec. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri in ejus regiſtro repertum deſcribi, & præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt:



PIUS

*PIUS Epiſcopus, Servus ſervorum Dei: Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino conſtituti tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipue excruciat dolor, quod religio Chriſtiana, tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie propoſitis opinionibus conflictetur; Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim & promiſcue deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illi ſimul atque proſiliunt, penitus opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quod plerique ſpectatæ alioquin probitatis & doctrinæ, in varias ſententias offenſionis & periculi plenas, cum verbo, tum ſcriptis prorumpunt, deque eis etiam in ſcholis invicem controverſantur; cujuſmodi ſunt ſe-* B *quentes.*

I. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.*

II. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.*

III. *Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo permanſiſſent uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.*

IV. *Vita æterna homini integro, & Angelo, promiſſa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.*

V. *In promiſſione facta Angelo & primo homini,* C *continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.*

VI. *Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.*

VII. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ non recte vocantur gratia: quo fit ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

VIII. *In redemptis per gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.*

IX. *Dona conceſſa homini integro & Angelo, forſitan non improbanda ratione poſſunt dici gratia:* D *ſed quia ſecundum uſum Scripturæ nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur, quæ per Jeſum male merentibus, & indignis conferuntur; ideo neque merita, nec merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.*

X. *Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpe manet, & corporis reſurrectionem, proprie nonniſi meritis Chriſti adſcribendam eſſe.*

XI. *Quod pie & juſte in hac vita mortali uſque in finem converſati vitam conſequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ juſto Dei judicio deputandum eſt; nec in hac retributione bonorum ad Chriſti merita reſpicitur; ſed tantum ad primam in-* E *ſtitutionem generis humani, in qua lege naturali inſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

XII. *Pelagii ſententia eſt: Opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſt regni cæleſtis meritorium.*

XIII. *Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; ſed tantum ex eo, quod ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.*

XIV. *Opera bona juſtorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam* A *juſto Dei judicio mererentur accipere.*

XV. *Dicit rationem meriti non conſiſtere in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum ſanctum, ſed in eo ſolum quod obedit divinæ legi: quam ſententiam ſæpius repetit, & multis rationibus probat fere toto libro.*

XVI. *In eodem libro ſæpius repetit,* Quod non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine caritate.

XVII. *Dicit ſentire cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum deificum.*

XVIII. *Dicit opera catechumenorum, ut fidem, & pœnitentiam ante remiſſionem peccatorum factam, eſſe vitæ æternæ merita quam vitam non conſequentur catechumeni, niſi prius præcedentium delictorum* B *impedimenta tollantur.*

XIX. *Videtur inſinuare quod opera juſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerint majorem valorem.*

XX. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

XXI. *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis: & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.*

XXII. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli Rom. 2.* Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt; *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

XXIII. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt* C *hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, caritate, Deum ſupernaturaliter coleret.*

XXIV. *A vanis, & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam philoſophorum excogitata eſt ſententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus & in Dei filium adoptatus: & ad Pelagianiſmum rejicienda eſt illa ſententia.*

XXV. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia.*

XXVI. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio; quam ſententiam repetit, & probat per plu-* D *ra capitula.*

XXVII. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.*

XXVIII. *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

XXIX. *Non ſolum fures ii ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliunde, quam per Chriſtum in viam juſtitiæ, hoc eſt, ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe dicunt.*

XXX. *Aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur.*

XXXI. *Caritas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt* E *eſſe ſine remiſſione peccatorum.*

XXXII. *Caritas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.*

XXXIII. *Catechumenus juſte, recte & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat; ac legem implet per caritatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in baptiſmi lavacro demum percipitur.*

XXXIV. *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.*

XXXV.



XXXV. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.*

XXXVI. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis doctoribus.*

XXXVII. *Cum Pelagio ſentit, qui bonum aliquod naturale, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

XXXVIII. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

XXXIX. *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſitate* B *fiat, libere tamen fit.*

XL. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

XLI. *Is libertatis modus, qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.*

XLII. *Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia; non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur; ut ſic per Spiritum ſanctum renovatus deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.*

XLIII. *In hominibus pœnitentibus ante ſacra-* C *mentum abſolutionis, & in catechumenis ante baptiſmum eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.*

XLIV. *Operibus pleriſque, quæ a fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cujuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vera legis juſtitia: non tamen iis obtinent incrementa virtutum.*

XLV. *Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt ſacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut ſancta ſocietate Deo homo inhæreat.*

XLVI. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ originis, utrum omne peccatum debeat* D *eſſe voluntarium?*

XLVII. *Unde peccatum originis vere habet rationem peccati ſine ulla relatione ac reſpectu ad voluntatem, a qua originem habuit.*

XLVIII. *Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.*

XLIX. *Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens ſine regenerationis ſacramento, quando uſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.*

L. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præ-* E *cepto,* Non concupiſces.

LI. *Concupiſcentia, ſive lex membrorum & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.*

LII. *Omne ſcelus ejus eſt conditionis, ut ſuum auctorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.*

LIII. *Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quam qui cum majoribus.*

LIV. *Definitiva hæc ſententia; Deum homini ni-* A *hil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.*

LV. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.*

LVI. *In peccato duo ſunt, actus & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus ſive obligatio ad pœnam.*

LVII. *Unde in ſacramento Baptiſmi, aut ſacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, & miniſterium ſacerdotum ſolum liberat a reatu.*

LVIII. *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio ſacerdotis abſolventis, ſed a ſolo Deo; qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat: miniſterio autem ſacerdotis ſolus rea-* B *tus tollitur.*

LIX. *Quando per eleemoſynas, aliaque pietatis opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant: nam alioquin eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores: ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur.*

LX. *Per paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem caritatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

LXI. *Celebris illa doctorum diſtinctio, divinæ* C *legis mandata bifariam impleri: altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum; altero quantum ad certum quendam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt, ad modum meritorum, commentitia eſt, & explodenda.*

LXII. *Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum; vel quia ex objecto & omnibus circumſtantiis rectum eſt, & bonum; quod moraliter bonum appellari conſuevit: vel quia eſt meritorium regni æterni, eo quod ſit a vivo Chriſti membro per Spiritum caritatis, rejicienda putatur.*

LXIII. *Similiter & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ: alterius, quæ fit per Spiritum caritatis* D *inhabitantem: alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus ſancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, qua divinæ legis juſtificatio impleatur; odioſiſſima, & pertinaciſſima rejicitur.*

LXIV. *Denique & illa diſtinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur; commentitia judicatur, & Scripturis minime congruens.*

LXV. *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt* E *uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus: & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit & docet.*

LXVI. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

LXVII. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.*

LXVIII. *Infidelitas pure negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

LXIX. *Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos facit implere legem.*

LXX.

LXX. *Homo exſiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram caritatem: & caritas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.*

LXXI. *Per contritionem etiam cum caritate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi ſacramentum conjunctum, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione ſacramenti.*

LXXII. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum: unde Job & martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.*

LXXIII. *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali; hinc beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum: omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

LXXIV. *Concupiſcentia in renatis, relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.*

LXXV. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto,* Non concupiſces: *unde homo eos ſentiens & non conſentiens, tranſgreditur præceptum,* Non concupiſces: *quamvis tranſgreſſio peccatum non deputetur.*

LXXVI. *Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

LXXVII. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

LXXVIII. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

LXXXIX. *Falſa eſt doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari & inſtitui ſine juſtitia naturali.*

*Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpective, ac quæcumque ſuper iis verbo ſcriptoque emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus: atque eiſdem, & ſimilibus poſthac quocumque pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus; vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipſos, excepto mortis articulo, liberare. Ceterum ut jam commoti his de rebus tumultus; & contracta odia facilius comprimi poſſint, ſimulque animarum ſaluti plenius conſulatur, dilecto filio noſtro Antonio, tituli ſancti Bartholomæi in inſula presbytero Cardinali Granvelano nuncupato, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ipſe quid ad perpetuam dictarum ſententiarum & ſcripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujuſmodi proloquia & diſputationes, quid denique ad unionem & pacem, cum communi omnium & eccleſiæ catholicæ ſatisfactione componendam facto opus ſit, in primis diligenter expendat: deinde in iis omnibus, quæ pro communi ſalute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, ſalva ſemper eccleſiæ prædicta unitate, etiam per alium ſeu alios fide, doctrina, & religione præſtantes, ocius exſequatur; faciatque, quidquid decreverit, inviolate ab omnibus obſervari: contradictores quoſlibet per cenſuras & pœnas prædictas, ceteraque juris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus quod forſitan aliquibus ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis, ſpecialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum exſiſtant; per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, circumſcriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.*

*Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Ceterum volumus, ut earumdem litterarum tenori hic inſerto illa ipſa omnino fides adhibeatur, ubicumque, & quandocumque, ſive in judicio, ſive alibi ille fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ſicut illius originalibus litteris prædictis adhiberetur, ſi ipſæ exhiberentur, vel oſtenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno octavo.

**DE-





# ** DECRETA SYNODI PROVINCIALIS.

## HABITÆ ROTHOMAGI ANNO DOMINI, MDLXXXI.

Sub illuſtriſſimo principe & reverendiſſimo domino domino Carolo Cardinale Borbonio, civitatis Avenionenſis, & S. S. Ap. de latere Legato, Archiepiſcopo Rothomagenſi, primate Normaniæ.

CArolus miſeratione divina tituli ſancti Chryſogoni ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyter cardinalis a Borbonio nuncupatus, Rothomagenſis archiepiſcopus, ac Neuſtriæ primas omnibus præſentibus & futuris ſalutem. Notum facimus, quod anno domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo, pontificatus ſanctiſſimi D. N. papæ Gregorii decimi tertii anno nono, necnon & regni Chriſtianiſſimi regis noſtri Henrici tertii anno ſeptimo. Cum ex omnibus partibus noſtræ provinciæ Rothomagenſis plures epiſcopi, abſentium procuratores eccleſiarum cathedralium & capitulorum delegati, abbates, priores, aliique viri eccleſiaſtici in noſtram eccleſiam metropolitanam veniſſent, in qua Deo auſpice concilium noſtrum provinciale die dominicæ vigeſima tertia Aprilis apertum & inchoatum eſt, nihil omnibus potius fuit, quam cum ſummo affectu, ut ſancti concilii Tridentini decreta hoc in regno promulgata eſſent, exoptare. Cujus rei cauſa noſtra hæc ſynodus unanimi conſenſu ipſum Chriſtianiſſimum regem noſtrum, ut pro ſua ſingulari pietate illud Tridentinum concilium (quo labenti reipublicæ Chriſtianæ accuratiſſime ſubvenitur) ſicut non ita pridem hujus regni ordines ſive ſtatus Bleſiis, & clerus nuper Meloduni congregatus flagitarunt, promulgari juberet, humillimis precibus ſolicitare decrevit. Verum quoniam multa viſa ſunt, quæ dilatione non indigent, ordinanda, de fratrum noſtrorum coepiſcoporum conſenſu, eorumque qui huic ſynodo interfuerunt conſilio, dum hujuſmodi promulgationem ſperamus & exſpectamus, quæ ſequuntur pro temporum neceſſitate & provinciæ noſtræ ſtatu, ſub ejuſdem domini noſtri beneplacito, ad Dei laudem, & eccleſiæ amplificationem, in nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, ſtatuere duximus.

### INDEX CAPITULORUM.


*De fide & religione.*
*Formula profeſſionis fidei.*
*De cultu divino in genere.*
*De ſacramentis.*
*De ſacrificio miſſæ.*
*De matrimonio.*
*De epiſcopis & capitulis.*
*De epiſcoporum officiis.*
*De curatorum & aliorum presbyterorum ac parœcianorum officiis.*
*De monaſteriis.*
*De juriſdictione eccleſiaſtica.*
*De ſcholarum & ſeminariorum fundatione & regimine.*


*De fide & religione.*

1. IMprimis vetera concilia tam generalia quam provincialia imitati, ut profiteamur unius ſanctæ, catholicæ, & apoſtolicæ eccleſiæ fidem & religionem, excommunicamus & anathematizamus, juxta Lateranenſe concilium, omnem hæreſim extollentem ſe adverſus orthodoxam & catholicam eccleſiam; univerſos inſuper, qui aliter quam catholica, apoſtolica, & Romana credit & prædicat eccleſia, credere, & pertinaciter aſſerere attentant, ejuſdem concilii auctoritate velut hæreticos & pertinaces, atque a communione fidelium ſeparatos declaramus. Eccleſia quippe univerſa errare non poteſt, quæ regitur ſpiritu veritatis ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet uſque ad conſummationem ſæculi; quæ etſi diverſa ac nonnunquam pugnantia propoſuiſſe videatur decreta de morum diſciplina, nihil tamen eſt in tanta decretorum multitudine, quod fidei orthodoxæ adverſetur, ſed ab uno eodemque ſpiritu edocta pro conditione temporum ſtatuit quod videbatur commodius. Ejus itaque doctrinæ & fidei inhærentes: quam noſtrorum pro neceſſitate hæreſeon & temporum edidit veritatis confeſſionem in generali ſynodo amplectimur, & profitemur: & ex ea tanquam ex fidei regula, probari & internoſci in noſtris eccleſiis ſtatuimus veros fideles a quibuſcumque hæreticis, atque a fictis & ſimulatis in fide catholica & religione Chriſtianis.

2. Propterea eandem confeſſionem ſtatuimus exigi & ſignari ab omnibus promovendis ad ſacros ordines, & ad quæcumque beneficia, officia atque onera eccleſiaſtica antequam de illis provideantur, ſeu ad illa recipiantur, juxta formam præſcriptam in bulla fel. rec. Pii papæ IV. ſuper forma profeſſionis fidei. Inter ipſos autem volumus comprehendi ſcholarum, fabricarum, hoſpitalium, fraternitatum, & quarumcumque communitatum piarum, magiſtros, rectores, ſodales & adminiſtratores: & ſingulis annis in ſynodis epiſcopalibus ſive Calendis eandem confeſſionem a curatis ſeu vicariis repeti, ſicut ab omnibus canonicis, capellanis ac religioſis in capitulis ſuis generalibus, quæ quotannis celebrantur. Idem decernimus fieri a redeuntibus a quacumque hæreſi ad catholicam eccleſiam, ut ad ipſam quaſi ad Lydium lapidem examinentur. Ad eum igitur finem illius confeſſionis formulam hic tranſcribi ad verbum & inſeri curavimus.

*Formula profeſſionis fidei.*

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lu-

lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurrectionem mortuorum: Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto & amplector.

2. Item ſacram ſcripturam, juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis neceſſaria) Scilicet: baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam-unctionem, ordinem & matrimonium, illaque gratiam conferre. Et ex his baptiſmum, confirmationem & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto. Omnia & ſingula quæ de peccato originali & juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium & propiciatorium ſacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem. Quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum [illegible] ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre. Atque eorum reliquias eſſe venerandas firmiſſime aſſero. Imagines Chriſti ac Deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem eſſe impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro. Cetera item omnia a ſacris canonibus & [illegible] conciliis, [illegible] a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc vero catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo: eamdem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo juvante, retinere & confiteri, atque a meis ſubditis vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idem N. ſpondeo, voveo, & juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

*De cultu divino in genere.*

1. PRIMA ac præcipua pars cultus divini in animo conſiſtit, ut prius diligamus & veneremur Deum in veritate ac corde perfecto: deinde verbo atque opere, ut de nobis non dicatur, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me: ita ut Chriſti atque ejus ſponſæ eccleſiæ mandata obſervemus, nec diabolicæ fraudis figmenta, nec humanæ rationis inventa, nec privatas quorumcumque locorum conſuetudines, ac plerumque potius corruptelas, præceptis ejuſdem Chriſti, & eccleſiæ anteponamus, aut ex illis iſta irrita faciamus.

2. Quocirca hortamur noſtræ provinciæ epiſcopos, ut diligenter inſpiciant & examinent ſuarum diœceſum preculas horarias, breviaria, miſſalia, agendas ſeu manualia curatorum, atque alios libros eccleſiaſticos ac cæremonias, ne quid contineant contrarium doctrinæ catholicæ, aut veris hiſtoriis ſanctorum, aut fortilegiis affine, aut aliquid quod ad ædificationem eccleſiaſticæ diſciplinæ, & morum pietatem non pertineat: ſed libros emendatos quoad fieri poteſt, ſervato uſu diœceſum; juxta tamen conſtitutiones ſanctæ memoriæ Pii V. ſuper breviario Romano & miſſali, ex decreto ſacroſancti concilii Tridentini reſtituto et edito, procurent imprimi, & provideant ut in omnibus monaſteriis, parœciis & aliis eccleſiis, atque ab omnibus ad ſacros ordines promovendis, libri ad divinum officium neceſſarii habeantur. Promoti vero ſciant ſe ad breviarium obligari, ac Romanum trium quotidie lectionum a cardinale ſanctæ Crucis compoſitum, a ſacroſancta ſede apoſtolica ſublatum ſibi omnino prohiberi: ſciant inſuper beneficiati, qui breviarium recitare neglexerint abſque legitima excuſatione, graviter peccare, & ſuorum beneficiorum fructus pro rata omiſſi officii & temporis ſuos non facere, ſed eos tamquam injuſte perceptos, in fabricas hujuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneri, ex proximi Lateranenſis concilii decreto per ſanctæ memoriæ Pium V. declarato. In breviariis, quæ epiſcopi curabunt imprimi, videant ut feſta novem lectionum, ſemiduplicia & minora quæ diebus dominicis occurrerint, transferantur in proximam feriam ſimili feſto carentem, & fiat de dominica. Invigilent etiam epiſcopi, ut cæremoniæ cordis & religionis indices, fidei, veritati, puritati cordis & devotioni decenter reſpondeant, atque alios ædificent & excitent.

3. Admoneri per omnes dominicas jubemus







populum, nemini licere libros ſortilegiorum, libertinorum, quorumcumque hæreticorum, aut alios damnatos a ſede Romana apud ſe ſcienter retinere aut legere ſine licentia ſanctiſſimi domini noſtri papæ, ſed retinentes aut legentes, excommunicationi ſubjacere. Et pro excommunicatis, in eodem pronao, per eoſdem dies inter ſortilegos & uſurarios volumus denunciari: A confeſſariis quoque de hoc pœnitentes interrogari. Idem fieri ſtatuimus de retinentibus apud ſe, & fidem adhibentibus aſtrologorum libris, & prognoſticis de occulta Dei providentia. Nam a Dei metu & cultu avertunt, atque ad idololatriam inducunt, ad ſerviendum creaturæ potius quam creatori, tribuentes cœlo quod debetur ipſi Deo, & quod eo permittente poſſunt homines aliquando reſcire ex diabolo, ad noſtram propter peccata deceptionem & pœnam.

4. Sicut omnes hæreſes fere deſierunt in magiam, ac regnum Sathanæ: ita dolendum in nobis in hoc regno pleriſque in locis ab hæreſeum licentia, maleficia paſſim invaleſcere, & matrimoniis atque vitæ hominum ac fortunis inſidiari: quibus qua ratione poſſumus ut occurramus, præter excommunicationem per omnes dominicas iterandam, volumus in noſtris diœceſibus contra maleficos, atheiſtas, & libertinos inquiri, eoſque ſecundum canonicas ſanctiones invocato (ſi opus fuerit) brachii ſecularis auxilio puniri:

5 Novimus & experimur aſtutias diaboli ad derogandum cultui Dei, ac ſanctorum, & ad ſuum ſubſtituendum in illius locum. In noſtris enim diœceſibus nundinas publicas & mercatus per omnia feſta ſolemnia apoſtolorum & aliorum ſanctorum fere deprehenditur diſpoſuiſſe: in quibus non ſolum avertit populum ab eccleſiis frequentandis, & officio divino ac ſacris concionibus audiendis, necnon ad negotia ſæcularia diligentius quam aliis diebus exercenda provocat, contra feſtorum inſtitutionem: ſed inſuper ad augendum ſacrilegium, fallacias, fraudes, perjuria, blaſphemias, contumelias, proximorum offenſiones & injurias, atque impudica & obſcœna ludiera in his admiſcet, ut totum hominem perdat in ſabbato, ac ſibi ſubiiciat. Dies dominicos vero videbatur ab illis nundinis eximere, ſed eos non diſſimili ſacrilegio fœdavit ac profanavit. In ipſis enim ab antiquo, maxime per æſtatem, ſicut in peculiaribus parœciarum feſtis, conventus & proceſſiones vicinorum populorum ad vicinas eccleſias indicebantur, ad audiendum verbum Dei, orationem & ſacrum publicum faciendum, atque ad eleemoſynas pauperibus impertiendas, quas a Græca dictione χάριτας, id eſt gratias per vocis corruptionem caroncas vocabant: Sed diabolus eleemoſynas vertit in crapulas, orationem in choreas, & concionem in ſcurrilitatem.

6. Ad has feſtorum profanationes mundandas decernimus nundinas omnes ac negotiationes a quibuſcumque feſtis in alios dies reiicit. Dominos vero locorum eorumque procuratores & actores ſeu judices excommunicari, ſi Dei mandatis & eccleſiæ de obſervatione feſtorum parere noluerint, & ad ſuas nundinas alios delegerint. Diebus autem dominicis, atque aliis feſtis ſub eadem pœna, & aliis a ſacris canonibus & eccleſiaſticis conſtitutionibus ſancitis vetamus vecturas; atque omnia alia opera ſervilia fieri; approbantes & renovantes conventus & proceſſiones populorum ad devotionem, & in quibus locis convenerint præcipimus curatis, ut paratum habeant concionatorem, qui verbum Dei prædicet bis in die, ſi fieri poſſit, ut contineatur populus in pietate, mane ſcilicet & a prandio, & hortamur antiquas eleemoſynas eiſdem in locis reſtitui.

7. Comeſſationes, ebrietates, ſumptus, lites, luſus improbos & inhoneſtos, choreas plenas inſaniis, cantilenas turpes, breviter omnem luxum & laſciviam, atque omnem feſtorum profanationem damnamus & reprobamus. Denunciari autem volumus a curatis ſeu vicariis eorumdem locorum in pronao, eo die quo conventus fiet, omnes ex hujus ſynodi decreto excommunicandos, qui per contemptum feſtorum & eccleſiæ, aut per contumaciam, prædictis rebus & non ſervitio divino vacaverint, dominoſque locorum, aut eorum procuratores, actores ac judices, ſi permiſerint, nec pro viribus impedierint.

8. Ut in urbibus & pagis omnes eodem die vacent ab operibus manuum, & ab illis ceſſent, eodem quoque die in omnibus parœciis unius diœceſis feſta dedicationis eccleſiæ placuit celebrari, quem prout expeditius videbitur, epiſcopus in ſynodo diœceſana aſſignabit. Quod ſi die pro dedicatione conſtituto inciderit feſtum patroni in aliqua eccleſia, in proximam dominicam ipſum transferetur.

9. Cum deceat domum Dei ſanctitudo, ut cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus ſit cum debita veneratione pacificus: [illegible] quieta converſatio Deo grata, inſpicientibus devota: quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed reficiat. Ceſſent in eccleſiis fraternitatum & ſocietatum quarumlibet concilia & negotia: ceſſent confabulationes quælibet: ceſſent vana, & multo potius fœda & profana colloquia: eo nec libri niſi orationis & pietatis, nec alia niſi ſancta inferantur. Ceſſent poſtremo quæcumque divinum poſſunt perturbare officium, aut oculos divinæ majeſtatis offendere: ne ubi peccatorum eſt venia petenda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendatur peccata committi. De quibus ſingulis curati monebunt gregem ſuum, & per cenſuras eccleſiaſticas auctoritate præſentis ſynodi ferendas ad obedientiam cogent. Prohibemus inſuper ne in eccleſiis cathedralibus aut aliis, pueri, aut alii quicumque, in feſto SS. Innocentium theatralia aut ridicula exerceant.

10. Atque cum nihil magis ornet eccleſiam, quam rerum omnium in ea ordo, ſacrarium ſeu chorus, presbyteris ſacra facientibus ſemper fuit aſſignatus. Eo tamen progreditur quorumdam laicorum arrogantia, ut vix relinquant altare ſacerdotibus. Hos monemus in domino, ut potius publicanum imitentur in imo loco templi pro peccatis ſupplicem, & per humilitatem juſtificatum, quam Phariſæum præ ſuperbia ad inferos uſque dejectum; Pro ſua vero dignitate, ſtatu & gradu, locum ſibi unuſquiſque in eccleſia capiat, ſed ſacrarium ad obeunda ſacra ſciat eſſe ſacerdotibus deſtinatum. Quiſquis hac in re eccleſiam per ſuos miniſtros monentem & rogantem non audierit, per hanc ſynodum excommunicetur.

*De ſacramentis.*

1. UT populus fidelis ad ſuſcipienda ſacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipitur curatis,

ANNO CHRISTI 1581.

cum erunt administranda, ut potius illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicent; ex doctrina in catechiſmo Romano tradita, ac ſtudeant ex digna, decenti & devota eorumdem ſacramentorum adminiſtratione, populum excitare ad ipſorum ſalutarem perceptionem. Prohibemus autem curatis ac quibuſcumque presbyteris, ne ullum ſacramentum conferant, ac ne quidem confeſſiones audiant, niſi in ſuperpelliceo, ſtola ac habitu ſacerdotali, ſed maxime in conſcientiæ puritate.

2. Antea in pleriſque noſtrarum diœceſum locis baptizati ab hæreticis, præſertim a Calviniſtis, redeuntes ad eccleſiam catholicam, iterum tingebantur, hac ſub verborum forma, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*: quia dubitabant nonnulli de valore baptiſmi, ab hujuſmodi hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptizandi ſub conditione fuit introducta propter baptiſmata occulta, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri ſeu alteri privatim baptizanti credi debebat. Contra vero conſtabat Calviniſtas in cœtu publico baptizare in forma verborum & materia a Chriſto inſtituta, nec de hoc facto ambigi poterat: vetamus ablutionem repeti cum quibuſcumque verbis a Calviniſmo aut aliis hæreſibus ſimiliter baptizantibus ad noſtras eccleſias tranſeuntibus, ne de anabaptiſmo redarguamur.

3. Ex antiquorum Chriſtianorum more & traditione præcipimus, quamprimum commode fieri poterit, natos pueros ad baptiſmum deferri propter ejus neceſſitatem: nec niſi ad eorum ſalutem ſpectantia, & quæ pietatem Chriſtianam fidemque de ſacramentis ſapiant, adhiberi. Aliter ſine juſta cauſa agentes, cum curatis ſeu vicariis id fieri non improbantibus, excommunicatione & ſuſpenſione dignos judicamus, ſicut & ſacerdotes privatis in domibus, vel noctu (citra neceſſitatem) baptizantes.

4. Parœcus antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos ſpectabit, ſic ſcitetur, quem virum aut quam mulierem elegerint ad baptizandum de ſacro fonte ſuſcipiendum, & videat an ad minus ſint quatuordecim annorum, aut alterius competentis ætatis, ut religionis & ſalutis alterius ſint fidejuſſores & ſponſores: nec ſinat paganorum aut alia ridicula nomina infanti imponi.

5. Nomina vero parentum atque baptizati necnon ſuſcipientium, cum die & anno parœcus deſcribat, ac doceat eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant.

6. Ceterum cum ex ſacro concilio Tridentino unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter eos & baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum ſpiritualem cognationem contrahi declaramus.

*De ſacramento confirmationis.*

1. [illegible] ſuis armis [illegible] ſacramentum [illegible] qua negligentia in noſtris diœceſibus accidit, ut ne quidem a pleriſque ſciatur an ullum ſit confirmationis ſacramentum, & pauci de illo ſuſcipiendo ſint ſolliciti. Qua de cauſa monemus omnes parœcos, vicarios & concionatores, ut initio quadrageſimæ, & quoties occaſio ſe obtulerit, de ejus virtute & utilitate doceant populum.

ANNO CHRISTI 1581.

2. Epiſcopi ad levamen populi per oppida ſuæ diœceſis frequentius ad hoc ſacramentum confirmationis gratis conferendum obambulent: adultis non niſi confeſſis & profitentibus ſymbolum apoſtolicum tradant. Jubeant vero ut munda & nitida fronte accedant, & nomina confirmatorum in libro deſcribi, ne forte contingat ipſum ſacramentum iterari.

3. Caveant autem pater & mater, ne liberos ad ſacramentum confirmationis teneant, propter cognationem quæ in hujuſmodi ſacramento inter confirmatum & tenentem, quem patrinum appellant, contrahitur.

*De ſacrificio miſſæ.*

1. Ex indigna adminiſtratione & perceptione ſacroſanctæ euchariſtiæ apoſtolus non ſolum mortem æternam & judicium imminere teſtatur, ſed & morborum popularium cauſam & originem procedere: quod noſtris ſæculis & eccleſiis terrorem maximum incutere debet, propter ſacerdotum in celebrationem miſſarum ſummam & quotidianam fere irreverentiam. Quam enim illota conſcientia ac polluta accedant ad ſacrificandum, aut quam parum ſtudioſe ac pie dijudicent corpus domini, ſatis arguunt ſordes calicum, corporalium, mapparum, atque omnium ornamentorum, quibus decet venerari tantum religionis Chriſtianæ ſacramentum & ſacrificium.

2. Ad medendum itaque huic indignitati, præcipimus ut ſacerdotes ſibi conſcii alicujus mortalis peccati non niſi confeſſi, quoties copia alterius ſacerdotis illis fuerit, nec niſi mundo corde & jejuni audeant ad altare accedere. Quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit quamprimum confiteatur.

3. Suos calices ſtanneos (ut toti niteant) omnibus ſeptimanis linteo atque etiam ſabulo cum aqua ne negligant detergere, quod in piſcinam aut alium ſacratum locum effundant. Corporalia quoque a ſe aut ab honeſtiori quopiam ſacerdote, aut etiam tantum ſubdiacono ablui de trimeſtri in trimeſtre curent, ſed albas & mappas frequentius: ita ut nitor & munditiæ maxima in illis, & decor in aliis ornamentis luceat.

4. Porro venerabunda ac devota ad altare eorum actio & pronunciatio præ ſe ferat & oſtendat fidem & intentionem, quam habere debent de Chriſti & angelorum in ſacrificio præſentia.

5. Ad excitandam & intercipiendam quorumdam in hac re ſocordiam & incuriam, epiſcopi per ſe aut per ſuos officiarios ſicut per alios qui de jure vel conſuetudine poſſunt, quoties voluerint (etiam ſi illo anno archidiaconus viſitaverit) gratis viſitent eccleſias, & presbyterorum ſacram ſupellectilem, necnon de ipſorum officio inquirant. Compertos vero negligentes gravius coerceant aut carcere aut alia pœna: quinetiam curatos puniant, qui ſuis in parœciis abominandos illos presbyteros admittunt aut ferunt. Archidiaconi & decani rurales, ſi in his



ANNO CHRISTI 1581.

his exequendis negligentes fuerint, ſciant ſe quoque pœnis canonicis coercendos.

6. Neminem præterea, qui publice & notorie criminoſus ſit, præſertim per ſententiam declaratus, altari miniſtrare permittant: neve patiantur parœci privatis in domibus, atque omnino extra eccleſiam, aut ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eiſdem quoque ordinariis viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium miſſæ a quovis ſacerdote peragi.

*De matrimonio.*

1. Optaremus ſane publicatum eſſe in hoc regno primum decretum concilii Tridentini de reformatione matrimonii, ut nobis liceret ex eodem matrimonia irrita & nulla declarare & decernere, quæcumque contrahuntur ſine parœci aut alterius ſacerdotis (de ipſius parœci ſeu ordinarii licentia) & duorum vel trium teſtium præſentia, atque inde gravibus peccatis occurrere, quæ de conjugiis clandeſtinis ortum habent: præſertim eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerint, relicta cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Quibus malis nullum efficacius quam quod a patribus Tridenti congregatis remedium adferri poteſt.

2. Attamen ne omnino noſtro officio hac in re deeſſe videamur, moneri in concionibus fideles jubemus de hoc peccato & decreto concilii Tridentini: clandeſtinas vero conjugationes antiquis ſanctionibus eccleſiaſticis excommunicationi & aliis pœnis ſubiici: presbyteros inſuper qui contra formam illius decreti clandeſtine aliquos copularint, ſuſpenſos a divinis ipſo facto pronunciamus.

3. Antequam contrahatur matrimonium, ter a proprio utriuſque contrahentium parœco tribus continuis diebus dominicis, aut feſtis ſolennioribus, in eccleſia inter miſſarum ſolennia publice denuncietur, inter quos matrimonium ſit celebrandum. Quod ſi nullum denunciationibus factis, opponatur legitimum impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie eccleſiæ procedatur: ubi parœcus viro & muliere interrogatis, & amborum conſenſu intellecto, vel dicat, *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: vel aliis utatur verbis, juxta receptum provinciæ noſtræ ritum.

6. At quando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impeditum iri, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem parœco cum duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur: Deinde ante illius conſummationem denunciationes in eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur.

7. Denunciationes autem vel omnino vel ex parte remitti poſſunt pro ſolius ordinarii judicio non tamen abſque cauſa legitima & rationi conſentanea, præſertim ſi qua ſit juſtarum oppoſitionum ſuſpicio. Petitur vero frequentius denunciationum remiſſio ad cavenda maleficia, quæ in celebratione nuptiarum nonnunquam exercentur, vel ad declinandam populi inſultantis diu noctuque, nuptiis maxime ſecundo aut tertio repetitis, laſciviam.

8. Contra maleficia, & ut digne ſacramentum recipiant hortamur conjuges, ut antequam contrahant vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum accedant. Sacerdos vero ne ullum det maleficiis locum, cautius & circumſpectius in nuptiarum benedictione ſe gerat. Nec omittant parœciarum rectores, populi circa nuptias petulantiam, ſub interminatione excommunicationis, advocato etiam (ſi opus fuerit) brachii ſæcularis auxilio, compeſcere.

ANNO CHRISTI 1581.

9. Nuptias ſolenniter fieri omnibus temporibus præterquam ab adventu domini noſtri Jeſu Chriſti uſque ad diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum, uſque ad octavas paſchatis incluſive permittitur. Contra quos dies non eſt poteſtas epiſcopis diſpenſandi, ſicut nec contra concilium univerſale, quod illos dies ad nuptias illicitos eſſe conſtituit.

10. Pervenit ad hanc ſanctam ſynodum, nonnullos, ut in gradibus prohibitis ſcienter contrahant, vel ut oppoſitiones juſtaque nuptiarum impedimenta devitent, vel ut extra tempora a jure ſtatuta ſine diſpenſatione conjugia ineant, alienas parœcias adire, ut in ipſis benedictionem accipiant nuptialem. Quibus fraudibus ut occurratur, opportunum exiſtimamus quædam ſuper hoc negotio ſtatuere.

11. Si quis igitur parœcus, vel alius ſacerdos ſive regularis ſive ſæcularis (etiam ſi id ex privilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat) alterius parœciæ ſponſos, ſine ſuorum parœcorum licentia matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit: pœnis a ſacris canonibus & generalibus conciliis impoſitis puniatur.

12. Plerique ſcientes vel ignorantes in gradibus prohibitis & juſtis impedimentis, matrimonium nihilominus contraxerunt, & in contracto perſeverare non erubeſcunt, non obſtante quacumque ſeparatione illis indicta, ſententia excommunicationis in eos lata. In tales nihil ſupereſt quod agere poſſimus, niſi quod ſub anathemate ab omnibus vitari, & ab eccleſiis repelli, atque contra eos brachium ſæculare per promotores epiſcoporum ex officii debito invocari præcipimus. Alios vero in divortio ita obſtinatos cernimus, ut nulla ratione conciliari queant, aut reconciliationem ad paucos dies in paſchate ſimulant, contra quos procedi ſimiliter jubemus.

13. Cum nefarium ſit matrimonii libertatem violare, & a quibus jura expectanda ſunt, injurias naſci, omnibus cujuſcumque gradus, ordinis, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, in quam ipſo facto incurrunt, ſedis apoſtolicæ & conciliorum generalium auctoritate præcipitur, ne quovis modo directe vel indirecte ſubditos ſuos vel alios quoſcumque cogant, quominus libera matrimonia contrahant. Parœcis tamen mandamus, ne facile ad matrimonia liberos invitis parentibus contrahentes, aut vagos recipiant & ignotos homines, qui plerumque relicta uxore aliam, & nonnulli plures, diverſis in locis ducunt: ſed prius diligentius inquirant de re, & ea ad ordinarium delata, & ab eo quod decebit faciendi licentiam obtineant.

14. Grave peccatum eſt, homines uxore ſolutos concubinas habere: graviſſimum vero & in hujus magni ſacramenti ſingularem contemptum, uxoratos in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxo-

ANNO CHRISTI 1581.

uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo opportunis remediis provideatur, decreta ſanctorum conciliorum inſequendo, ſtatuimus concubinarios, tam ſolutos quam uxoratos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab ordinario etiam ex officio ter admoniti concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe: a qua non abſolvantur, donec reipſa & cum effectu admonitioni paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum neglectis cenſuris permanſerint, contra eos ab ordinario pro qualitate criminis ſevere procedatur.

15. *Mulieres*, ſive conjugatæ ſive ſolutæ, quæ cum concubinariis ſeu adulteris publice vivunt, ſi ter monitæ obedire noluerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur: & ab eccleſia ejectas, per brachium ſeculare extra oppidum, atque etiam extra diœceſim, ſi expedire videbitur, iidem ordinarii procurent eiici, aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

*De epiſcopis & capitulis.*

1. EPiſcopi in ſpecula conſtituti, & ſupra montem poſiti, ſicut debent omnium inferiorum actiones inſpicere, ita meminerint ſe omnium aſpectui exponi, nec poſſe abſcondi; propterea & in ſuis promotionibus, & in converſatione vitæ, oportet ipſos eſſe irreprehenſibiles, ut de aliorum proviſionibus, & geſtis poſſint efficacius cenſuram agere, omnibus prælucere, ac bonorum operum exemplum præbere.

2. Optamus omnes a Deo, atque a Chriſtianiſſimo noſtro rege ſupplices precamur, electiones reſtitui cum veteri & ſyncera eligendi forma. Sed quoniam impetrandi ſpes nondum oſtenditur, cum contigerit ſedem vacare, preces & ſolemnes ſupplicationes ad Deum, ut gregi paſtorem det idoneum, fieri mandamus.

3. Præter inquiſitionem atque eloquium de fide, moribus, atque ſufficientia ad epiſcopatum provehendi, quod ad ſedem apoſtolicam mittitur, ſupplicandum duximus ſanctiſſimo D. N. papæ, & ad dictam ſedem nomine hujus ſynodi ſcribendum, ne ulli ad epiſcopatum in noſtra provincia proviſio expediatur, priuſquam noſter metropolitanus conſultus reſcripſerit, de ratione & modis, quibus providendus perveniat ad epiſcopatum, de ætate & ejus natalibus, ſi ſit de legitimo matrimonio procreatus, fide, vita, & doctrina ſufficienti. De quibus antequam reſcribat, conſulere debebit ſuffraganeos ſi forte aliquid reſciverint, quod ignoret, ut omnimodo obſtruatur via ſimulatis catholicis, ſimoniacis, alieni ſacrilegii cuſtodibus & fautoribus, aut aliter indigne epiſcopatus ambientibus & occupantibus.

4. Poſtquam obtenta fuerit proviſio, niſi epiſcopus intra tres menſes conſecrationis munus ſuſceperit, fructus quos ex conciliorum definitionibus, ſuos non facit, ſeminariis, atque aliis pauperum familiis, necnon fabricis eccleſiis applicandos judicamus, ſicut eos quos epiſcopi ex conciliorum decretis, ſine debita licentia non reſidentes, amittere debent.

5. Obſervet capitulum abſentiæ ſpatium & ad metropolitanum, ( aut ejus ſede metropolitana vacante ) ad antiquiorem provinciæ epiſcopum, vel ad concilium provinciale, tempore quo celebrabitur referat, ut fructus quibus debentur locis aſſignentur.

6. Epiſcopus non recipiatur a capitulo, niſi fidei profeſſionem, quæ ante promotionem ad epiſcopatum requiritur, juxta formam in hoc concilio provinciali ſupra inſertam repetierit, & ſolemne juramentum præſtiterit, quod nec per ſimoniam nec aliis illicitis modis intraverit in ovile.

7. Non recipiatur etiam epiſcopus, niſi in tonſura, & totius corporis habitu convenienti, ac rogetur, ut in ea decentia permaneat, & fiat forma gregis ex animo.

8. Suſcepti ad epiſcopale miniſterium intelligant ſe non ad propria commoda, non ad divitias, non ad luxum, ſed ad labores & ſollicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe.

9. Nec enim dubitandum reliquos fideles ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, ſi præpoſitos ſuos viderint, non ea quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, & cœleſtem patriam cogitare. Imprimis ergo quod eſt præcipuum prædicandi genus, ita mores ſuos componant, ut ceteri ab eis, pietatis, frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, & humilitatis ( quæ nos tantopere commendat Deo ) exempla petere poſſint.

10. Quoniam omnis pontifex ex hominibus aſſumitur, in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia, epiſcopi, ſi non quotidie, ſtudeant tamen omnibus diebus dominicis ac feſtivis, miſſam celebrare, eccleſiæ ſuæ cathedralis quam frequentiſſime officiis intereſſe & præeſſe prædicationique verbi Dei, quoad poterunt, inſiſtere, ac cetera paſtoralia munera exequi.

11. Sint epiſcopi modeſto cum dignitate veſtitu, menſa, familia, ac frugali victu contenti, atque in toto vitæ genere ac tota domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quod non ſimplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum præ ſe ferat.

12. De ordine cleri aliquos ſibi retineant epiſcopi ad ſuum miniſterium, qui ad eorum menſam libros ad pietatem & ædificationem ſpectantes legant, atque aliis de eorum converſatione fidele teſtimonium præbeant: nec mulieres alant, de quibus ipſi aut eorum familia infamari queat.

13. Epiſcopi videant, ne de redditibus eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ditent. Sed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant, nec eorum cauſa bona eccleſiæ diſtrahant & diſſipent: ſed ut boni diſpenſatores ſicut animarum, ita rerum eccleſiaſticarum parati ſint Deo, & omni poſcenti reddere rationem.

14. Non patientur epiſcopi in ſuis familiis ullos de hæreſi, aut alio crimine, aut ſcandalo notatos, aut ſuſpectos. Decet enim epiſcopum ſuæ domui bene præeſſe, & eam non ſolum criminibus ſed etiam criminum ſuſpicione carere.

15. Canonici cathedralium eccleſiarum, ea ſint morum integritate ornati, ut nomen ſuum tueri & retinere poſſint, ac præ aliis clericis canonici ſeu regulares ex obſervata eccleſiaſticæ diſciplinæ perfectius regula nomini mercantur, a quibus ceteros ſtudium & amorem ac tamquam regulam cultus divini non pigeat accipere.

16.



ANNO CHRISTI 1581.

16. Propter ſimoniacos, aliaſque illicitas pactiones hoc tempore magno noſtro dolore frequentiores, nemini provideatur de dignitate, aut præbenda, aut canonicatu, nec per capitulum aliquis admittatur, aut recipiatur, niſi prius inquiſitum fuerit de cauſis & modis quibus ad tale beneficium pervenitur:

17. Quod ſi vehemens aut apparens mali ſuſpicio acceſſerit, nec tamen ſatis probari poteſt, ille cui proviſum fuerit, ad purgationem canonicam ab Innocentio III. pontifice max. in capite Quoties, & cap. Inter ſollicitudines, titul. de purgatione canonica, in antiquis præſcriptam, teneatur.

18. Inquiratur etiam de ejus cui proviſum eſt fide & anteacta vita ac conditione, ne ſit de quo poſtea capitulum pudeat aut pœniteat. Idem fiat de his, quibus a ſede Romana provideatur in forma *Dignum*:

19. Omnes in ſua proviſione & receptione coram epiſcopo, ac etiam in capitulo, fidei confeſſionem ex forma in hoc provinciali concilio recepta canonici emittant, ac quotannis in ſuis capitulis generalibus repetant; alioqui fructus non facient ſuos, nec illis aliqua poſſeſſio ſuffragetur.

20. Canonici ad ſacros ordines intra ætatis tempus a jure præſcriptum promoveantur: & cum honorem ſacerdotalem adepti fuerint, ante ſemeſtre miniſterio altaris inſervire incipiant, ac deinceps omnibus dominicis & feſtivis diebus, atque etiam frequentius celebrent, niſi juſtum ab epiſcopo & capitulo probandum interveniat impedimentum.

21. Modeſto, & abſque ſericis in eccleſia togis, & extra eam decenti veſtitu utantur, ac coronam in vertice capitis, morem antiquum inſequendo deferant; vitam & familiam ad præſcriptam epiſcopis normam componant, atque a cohabitatione & ſcandalo mulierum maxime caveant: deprehenſi vero concubinariorum pœnis ſubjaceant.

22. Quod ſi præterquam ex legitimo matrimonio filios ſuſceperint, ſpurii ex ipſis nati, non in eadem eccleſia, in qua pater canonicus extitit, beneficium ullum, aut penſiones ſuper fructibus beneficiorum obtinere valeant. Quod etiam ad epiſcopos & alios omnes provinciæ beneficiarios extenditur.

23. Omnes canonici, & qui dignitatem in eccleſiis cathedralibus obtinent, ad reſidentiam actualem obligari decernimus, ſub pœna omiſſionis fructuum, niſi ex legitima cauſa explicanda, & ſcriptis tradenda abſentes fuerint: ita tamen ut contra dignitatum, canonicatuum, & præbendarum fundationes & inſtitutiones, non poſſit capitulum judicare.

24. Inter juſtas abſentiæ cauſas habeatur, ſi unum aut duos de dignitatibus vel canonicis epiſcopus mittat, aut ſecum pro conſilio deducat, ad viſitandum diœceſim, vel ad concilium provinciale, aut ad aliud pro religione vel diœceſi urgens negotium: non tamen diutius excuſabuntur, quam duraverit negotii neceſſitas.

25. Cum dignitates in cathedralibus eccleſiis ad conſervandam augendamque eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ, ut qui eas obtinerent, præcellerent pietate, aliiſque eſſent exemplo, merito qui ad eas vocantur tales eſſe debent, qui ſuo muneri poſſint reſpondere. Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus cura animarum ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit, & clericali in ordine verſatus doctrina ad ſuum munus neceſſaria ac morum integritate commendetur.

26. Decani ſeu præpoſiti, archidiaconi, & pœnitentiarii ſint in omnibus eccleſiis, ubi fieri poterit, magiſtri in theologia ſeu doctores, aut licentiati in jure canonico, non tamen per ſaltum promoti, & in quibus eccleſiis non eſt præbenda annexa pœnitentiariæ, nec pœnitentiarius canonicales diſtributiones percipit, annectatur. Non liceat autem pœnitentiario beneficium curatum aut aliud onus ſuſcipere, quod ab aſſidua reſidentia & quotidiano officio poſſit eum divertere.

27. Archidiaconi quotannis per ſe viſitent, & diarium ſuæ viſitationis ad epiſcopum referant. Quod ſi neglexerint, aut alia de cauſa per epiſcopum aliquis doctor in theologia, aut alius idoneus repertus, & ab ipſo approbatus ad viſitandum deputetur.

28. Cum certum ſit eccleſiam cathedralem ab epiſcopi cathedra denominari; ac epiſcopum ad eam inſtitui, & de ea poſſeſſionem capere, ſatis abſurdam quorumdam opinionem exiſtimamus aſſerentium, omnem in cathedralibus eccleſiis auctoritatem penes capitulum & decanos permanere. Proinde declarat hæc ſancta ſynodus, præcipuam in ipſis eccleſiis auctoritatem, & rerum gerendarum poteſtatem ad epiſcopos pertinere. Eoſque conſilio & opera capitulorum & dignitatum juvari debere, ut membrorum capiti cohærentium, & obſequentium, & ut omnia in domo Dei ordinate & cum reverentia tractentur. Ceteris autem in rebus, capituli dignitatum, & canonicorum juriſdictio & poteſtas, ſi qua eis competit, ſalva & intacta omnino relinquatur. Quod autem de epiſcopo hac in re dictum eſt, perſonam ipſius epiſcopi non excedat, nec ad ejus vicarium extendatur.

29. Cum itaque maxime ſit congruum rationi, ut epiſcopis his honos tribuatur, qui eorum dignitati par eſt, illorum arbitrio relinquatur, primam ſedem in choro eligere, in qua nemini liceat ſedere. In his vero eccleſiis, in quibus ab antiquo non eſt illis qui dignitates obtinent certus ſedendi deſignatus locus, epiſcopus aut capitula eiſdem ſedem dignitati convenientem, in qua aliis canonicis ſedere non liceat, aſſignari curabunt.

30. Ceterum cum de ratione celebrandi officii divini accurate in concilio Baſilienſi fuerit ordinatum, præcipit hæc ſancta ſynodus in illo decreta, quomodo divinum officium ſit ordinandum, & quo tempore quiſque debet eſſe in choro ſtatuant renovari, ac diligenter & ſine fraude ab omnibus obſervari.

31. Tempore miſſæ majoris, maxime diebus feſtivis, capitula ſeu actus capitulares, aut alii tractatus per canonicos non celebrentur, niſi forte urgens & evidens ingruerit neceſſitas. Qui vero ad talem horam capitulum indixerit, a diſtributionibus quotidianis per hebdomadam ſit ſuſpenſus, neque ipſi canonici pro illa hora diſtributiones ipſas lucrentur, & præterea liceat epiſcopis poſt trinam admonitionem præſentis decreti contemptores excommunicatione ferire.

32. Quod non ſit licitum ulli, quam epiſcopo, dignitatibus & canonicis ad majus altare miſſam celebrare: quam ipſi decani & qui dignitates obtinent, ſuo ordine per hebdomadas,

ANNO CHRISTI 1581.

ſicut & alia divina officia perſolvere, ſuaque munera per ſe & non per ſubſtitutos adimplere, atque epiſcopo epiſcopalia officia exercenti inſervire teneantur. Multa ſane pro eccleſiæ decore ſtatuenda viſa ſunt, quæ tamen certis de cauſis ad futurum concilium provinciale remittenda exiſtimamus: & interim hæc ſancta ſynodus eccleſiarum capitula hortatur, ut his in rebus morem eccleſiæ metropolitanæ quoad fieri poterit, inſequantur.

33. Præcipimus capitulis, ut intra tres menſes omnia ſua ſtatuta bona fide ſuis epiſcopis communicent, quæ ad hanc ſynodum debuerint adferre. Curent autem epiſcopi de ſtatutorum illorum obſervatione, in quibus cum ipſorum capitulorum conſilio, aut immutent aut addant quæ videbuntur expedire, dummodo juri communi & ſacris canonibus non adverſentur.

34. Si quis ejuſmodi ſtatuta aut alia inſtrumenta fundationum, bonorum, redditnum, privilegiorum & jurium ad epiſcopatum, aut ad capitulum, aut ad aliquam dignitatem, aut præbendam, aut capellaniam, vel etiam ad quamcumque eccleſiam & monaſterium ſpectantium, apud ſe celaverit, nec intra ſpatium trium menſium a die publicationis hujus ſynodi reſtituerit epiſcopo, aut capitulo, vel ipſarum eccleſiarum & monaſteriorum præpoſitis, maneat per hanc ſynodum ipſo facto excommunicatus, nec ab epiſcopo abſolvatur, donec juramento affirmaverit omnia a ſe reſtituta. Quod præſens decretum volumus quotannis in ſynodis diœceſanis & capitulis generalibus publicari.

35. Cetera quæ ad vitam & honeſtatem canonicorum ſpectant, diligenter obſerventur: nec ſinantur ſæcularium hominum, aut litium, aut negotiorum procuratores eſſe, aut actores, aut in laicorum domibus habitare, & quas habent de capitulis* inopis lucri gratia laicis locare, aut mercaturam exercere, aut ad uſuram dare, aut alium inhoneſtum quæſtum ſectari, aut illicitis luſibus, cibis & epulis, aut aliis rebus vetitis deditos eſſe, aut cum ſuſpectis & ſcandalo notatis viris & mulieribus verſari: ne propter illos Dei & eccleſiæ nomen blaſphemetur; & capitula ipſa infamentur.

* ſ. turpis.

36. Sicut non licet epiſcopo res eccleſiæ alienare ſine conſenſu capituli vel ſuperiorum auctoritate: ita viciſſim, nec capitulo ſine cognitione, & licentia epiſcopi, atque aliorum ſuperiorum. Propterea declaramus ſingulos de capitulis excommunicationis ſententia innodari, nec eorum contractum valere, qui res mobiles miniſterio eccleſiæ deſtinatas, ſive fundos & alias res immobiles capituli aut dignitatis alicujus, aut præbendæ, aut capellaniæ in eccleſia conſtitutæ, aut fabricæ, inconſultis epiſcopis, aut ſine eorum & ſuperiorum permiſſione, ac prætermiſſis aliis ſolemnitatibus, a ſacris canonibus requiſitis diſtraxerint, & in ſua commoda verterint, ſed de ſacrilegio commiſſo teneri ad reſtitutionem. Quod idem de epiſcopis ſentiendum eſt. Idcirco jubemus diligenter hinc inde inquiri, juxta decretum concilii Tridentini, ſi forte inique alienata poſſint in integrum reſtitui, aut ex vendentium bonis compenſari. & deinceps ſi quid hac in re peccatum fuerit, volumus ad dominum metropolitanum aut ſynodum provincialem referri, ut de ſacrilegorum pœnis ſtatuatur.

37. Quæ de cathedralibus eccleſiis & canonicis dicta ſunt, placet ad collegiatas & earum canonicos, quoad fieri poterit extendi. In quibus ſi extra civitatem, in qua ſedes epiſcopalis exiſtit, conſiſtunt, optamus & decernimus, ſi fuerint ſaltem ſex præbendæ, unam doctori theologiæ ſeu bacchalaureo, viro bono, exponendi & interpretandi ſacram ſcripturam perito, juxta decretum concilii Tridentini: ea tamen lege & conditione, ut ipſe non deſinat extra prædicationis & lectionis tempora, eccleſiæ cum aliis canonicis deſervire: alios vero canonicos, ut favore ſtudiorum aliquid de ſummo jure & horis ordinariis remittant & indulgeant, hortamur. Patronos autem, & illos ad quos illarum præbendarum diſpoſitio pertinet, rogamus in domino, ut ſuæ & ſubditorum ſaluti & neceſſitati conſulentes, noſtræ propter Deum conſtitutioni obediant. Eccleſiæ vero, in quibus ſacræ ſcripturæ lectio commode haberi non poteſt, ſaltem magiſtrum habeant, qui clericos alioſque pauperes ſcholares grammaticam gratis doceat, cui de congrua aliqua mercede juxta ejuſdem concilii decretum provideatur.

*De epiſcoporum officiis.*

1. EPiſcopo creato, atque ſibi & eccleſiæ cathedrali tanquam domui ſuæ bene præſidenti incumbit, alios inferiores ex ſua conſecratione ordinare, & ſuper populum ſibi commiſſum conſtituere, eccleſias atque alia neceſſaria conſecrare: ordinata vero, conſtituta & ſacrata ex ſua juriſdictione viſitare, explorare ac judicare. De quibus per ordinem in noſtris eccleſiis providendum.

2. Epiſcopus ante menſem quam ordines conferat, per decanos rurales in tota diœceſi ſignificet, ut qui ad ſubdiaconatum admitti deſiderabunt, mandatum ab eodem epiſcopo accipiant, quo ordinandorum parœcus, aut alter cui magis expedire videbitur, committatur, qui nominibus ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, per tres dies dominicos aut feſtivos publice in eccleſia proclamatis, ſicut fit in matrimoniis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & literas teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum epiſcopum quamprimum tranſmittat.

3. Ordinationes ſacrorum ordinum ſtatutis a jure temporibus ac in cathedrali eccleſia vocatis, præſentibuſque ad id eccleſiæ canonicis, etiam ad majus altare, & inter miſſarum ſolemnia publice celebrentur. Si autem in alio diœceſis loco, præſente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, eccleſia ſemper adeatur.

4. Prima tonſura non initientur, niſi qui attulerint in ſcriptis fidele teſtimonium a parœco quod nati ſint de legitimo matrimonio, & quod confirmationis ſacramentum ſuſceperint, quique fidei rudimenta, & imprimis ſymbolum apoſtolorum noverint recitare, & de quibus fuerit probabile, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

5. Promovendi ad ſacros ordines duobus ſaltem diebus ante ordinationem, ad locum ab



ANNO CHRISTI 1581.

epiſcopo deſignatum veniant, in habitu & tonſura decenti, alioqui non recipiantur.

6. Epiſcopus, aut illi quibus examinis committet negotium, ordinandorum genus, perſonam ac membrorum integritatem, ætatem, inſtitutionem, mores, anteactam vitam, doctrinam & fidem diligenter inveſtigabunt, & utrum in his quæ ad exercendum ordinem pertinent, ſint inſtructi: ſed ante omnia, ſi poſſint expedite & diſtincte legere in eccleſia ac cantare atque etiam ſcribere, ne poſtea ſit omnibus manifeſta eorum inſcitia; deinde ſi provectioris ſint ætatis, rogabunt de bigamia, de titulo patrimoniali, aut beneficiali, & quibus in eccleſiis intendant inſervire, ad eaſque ordinari: nec ullus ordinetur, qui illi eccleſiæ; aut pio loco, pro cujus neceſſitate aut utilitate judicio ſui epiſcopi aſſumitur, non aſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus. Ut poſtea in omnibus literis ordinum ſuſceptorum apponatur, ordinatos ad talem eccleſiam, a qua ſine epiſcopi licentia in ſcriptis tradenda, non liceat ad alienam etiam ejuſdem diœceſis tranſire.

7. In examine archidiaconi præſentes, aut canonicus theologalis, ab admiſſis & probatis fidei confeſſionem ex forma in hoc concilio provinciali recepta exquirant, & pœnitentiarius interroget, an aliqua irregularitate, vel excommunicatione obſtricti teneantur, unde a ſuſcipiendis ordinibus impediantur. Eoſdem vero ipſe, vel alius idoneus per ipſum commiſſus in confeſſione audiat, antequam ab epiſcopo conſecrentur.

8. Si epiſcopus ægritudine vel aliquo juſto impedimento ab ordinibus conferendis avocatur, non aliter ſubditos ſuos, quam hoc modo jam probatos & examinatos ad alium epiſcopum ordinandos dimittat.

9. Ex ſacri concilii generalis præſcripto, nullus ad ſubdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad diaconatus ante vigeſimum tertium, ad presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveri debet.

10. Moneantur in ſua promotione ſubdiaconi, ut intelligant deinceps Deo auctore ſe obligari ad continentiam, & ſaltem diebus dominicis & ſolemnibus, cum altari miniſtraverint, ad ſacram communionem percipiendam, ſicut & diaconi, & utroſque ad breviarium recitandum teneri declaramus. Qui vero ad presbyteratus ordinem aſſumuntur, diligentiori examine comprobentur, an ſint periti & idonei ad docendum populum, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, necnon ad ſacramenta adminiſtranda, diſcernendumque inter lepram & lepram, & peccatorum differentiam, ac caſus parœcis conceſſos, & epiſcopis atque pontifici Romano in foro conſcientiæ reſervatos. Sint vero ita pietate & caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum omnium exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari.

11. Moneantur inſuper, ut intra ſemeſtre ſine alterius cujuſcumque licentia, miſſam primam celebrent, & deinceps repetant ſaltem omnibus diebus dominicis & feſtivis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant. Sin contra hoc negligentes aut contumaces deprehenſi fuerint, cujuſcumque conditionis & qualitatis extiterint, per parœcum, in cujus parœcia habitarint, vel per decanum iterum moneantur de debito officio: contemnentes vero deferantur ad epiſcopum, qui poſt trinam admonitionem, contra eoſdem ad excommunicationem procedat. Id quod fieri jubemus primo quoque tempore, contra eos qui a multis annis ſacro presbyteratus ordine initiati necdum acceſſerunt ad ſanctum ſacrificium miſſæ celebrandum, ſed laicam tantum communionem, eamque raro ſumunt: quam, niſi intra ſemeſtre ſe presbyteros in altari præbuerint, illis quoque denegari jubemus, & poſt trinam admonitionem excommunicatos denunciari: in qua excommunicatione ſi per annum permanſerint, contra eos tamquam ſuſpectos de hæreſi procedatur.

12. Simonia ſicut Giezi vultum immutavit ac lepra fœdavit, ita univerſæ eccleſiæ faciem deformat, & pulchritudinem variis rugis & maculis contaminat. Sed ut ſerpens cunctis animantibus terræ aſtutior Evam corrupit, ſic ad eccleſiæ corruptionem hæc peſtis variis & occultis artibus ſe inſinuat, ita ut vix poſſit intercipi. Merito prima hæreſis vocatur, quæ nec Deum timet tanti ſacrilegii ultorem, & Spiritum ſanctum quantum in ſe eſt venalem habet. Sicut impius cum venerit in profundum contemnit, ita noſtrorum temporum completam malitiam cernimus, ex eo quod ſimonia potius ridetur, quam puniatur.

13. Ad tantæ igitur impietatis deteſtationem & extirpationem, ſingulis diebus dominicis in pronao & in omnibus concionibus declarari præcipimus, vivere in perpetuo ſtatu damnationis, jure & ipſo facto excommunicari, nec facere fructus ſuos, ſed teneri ad reſtitutionem, & tituli ceſſionem, quicumque pecunia aut alterius rei temporalis pretio expreſſo vel tacito beneficium eccleſiaſticum adipiſcuntur, vel alteri procurant; & ab eccleſiaſticis viris irregularitatem incurri, quoties in eodem ſtatu celebrarint divinum miſſæ officium.

14. In confeſſionibus de ſimonia diligenter inquirendum, ac confitenti ſe aliquod beneficium pecunia aut alia re temporali ſibi aut alteri comparaſſe, abſolutionem (ſicut de caſu ſummo pontifici reſervato) niſi in mortis articulo denegari ſtatuimus. In eadem confeſſione moneri jubemus de peccato mortali, eum qui vel ſolam intentionem & mentem habuerit ad beneficium pervenire per ſimoniam, & eum qui uſque ad aliquam conventionem progreſſus fuerit gravius peccaſſe: ſed indicta debita pœnitentia per legitimum ſacerdotem abſolvi poſſe.

15. Omnes conſcii, participes ac ſcientes ab aliquo commiſſam ſimoniam, niſi quantocius epiſcopo aut proprio parœco revelaverint, ut ab eccleſia ſimoniacus eliminetur, ne abſolvantur in foro conſcientiæ.

16. Propter nonnullos intrepide vendentes & ementes ſacerdotia ſpe veniæ per indulgentias comparandæ, cenſuit hæc ſancta ſynodus ſanctiſſimo D. N. papæ ſupplicandum; ne deinceps ſimoniæ crimen, niſi cum expreſſa obligatione cedendi beneficio per ſimoniam quæſito remittat.

17. Reſignationes quorumcumque beneficiorum cum retentione fructuum, vel penſione, quæ poſtea ab his qui reſignationes illas acceptaverint, præſertim pretio ſine auctoritate ſedis apoſtolicæ redimitur, pro ſimoniacis habendas judicamus. Præterquam enim quod mentalem ſaltem ſimoniam, aut etiam pactum illicitum anteceſſiſſe frequentius deprehenditur, experientia docet, hoc unum eſſe velamen ad con-

ANNO CHRISTI 1581.

contegendam ſimoniæ turpitudinem & malitiam.

18. Reſignationes factæ prius incognitis, aut his quos nulla virtus, aut ſingularis eruditio, aut alia honeſta cauſa commendat, ſuſpectæ de ſimonia redduntur, præſertim ſi quid illicite actum fama proclamet.

19. Tales igitur reſignationes non debent ab ordinario abſque purgatione canonica, ex decreto Innocentii III. renovato, cum de canonicis cathedralium eccleſiarum tractatum eſt, admitti.

20. Omnes penſiones & pactiones ſuper beneficiis, in quibus non intervenit ſedis apoſtolicæ approbatio, illicitas & ſimoniacas declaramus.

B 21. Non levius malum noſtris temporibus aut exortum aut longius propagatum eccleſiam affligit, ac perdit, per aliorum beneficiorum clitellarios aſinos & cuſtodes, qui confidentiarii vocantur, quorum nomine & miniſterio viri laici ac mulieres hæreditate poſſident ſanctuarium domini, ac profanant. Tam illos cuſtodes, quam eos quorum cupiditati deſerviunt, denunciari quoque in pronao & concionibus pro excommunicatis, & teneri ad reſtitutionem fructuum atque eorumdem hæredes, ex bulla ſanctiſſimi domini noſtri papæ Pii V. per omnes dies dominicos jubemus. Quamvis autem ſicut ſimoniaci vix detegi, ita cuſtodes illi vix C latere poſſint, attamen a confeſſariis in foro conſcientiæ de his quoque volumus inquiri, & confitentibus laicis viris & mulieribus ſe hujus ſacrilegii participes eſſe, minime abſolutionem dari, nec ad communionem admitti quocunque modo compertos, præterquam in mortis articulo, niſi prius reſtituerint pro viribus fructus perceptos pauperibus aut fabricis eccleſiarum, & a tanto crimine abſtinuerint, atque a ſanctiſſimo Romano pontifice abſolutionem obtinuerint.

22. Eodem crimine tenentur, & eiſdem pœnis ſubduntur omnes patroni, ſive eccleſiaſtici ſive laici, qui colore patronatus beneficia eccleſiaſtica in ſervitutem redigunt, dum per D ſuppoſitas clericorum perſonas, aut ex pacto tacito vel expreſſo cum ipſis inito in præſentatione ſuorum beneficiorum, ſeu quacunque arte; aut quocunque quæſito colore jura aut fructus eorumdem, aut partem ipſorum in uſus proprios convertunt: Alii vero ſine jure patronatus, atque etiam ſine ullo titulario, aut per aliquem ſuppoſitum aliena beneficia vi occupant, eorumque jura aut fructus deprædantur: contra utroſque prædicto modo procedatur, qui etiam ex decreto concilii Tridentini dictis patronatibus ipſo jure privati exiſtunt.

23. Quicunque vero clerici tam nefandæ fraudis & uſurpationis fabricatores ſeu conſentientes, atque alieni ſacrilegii fautores fue- E rint, eiſdem pœnis per generalia concilia & decreta pontificum ſubjacent, necnon quibuſcunque beneficiis privantur, & ad quæcunque beneficia inhabiles efficiuntur, atque a divinis ordinibus ſuſpenſi, nec in foro conſcientiæ poſſunt abſolvi, aut ſuorum ordinum executioni per ordinarium reſtitui, niſi poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem prædictam. Celebrantes vero in eo ſtatu irregularitatem ſubeunt, & multiplicem damnationem, tam in præſenti quam in futuro ſæculo ſibi accumulant.

A 24. Ad detegendas autem iſtas & alias ſimoniacas fraudes in ſacramento confeſſionis de his inquiratur, doceaturque de peccatorum gravitate & pœnis. Ordinarii vero de ſemeſtri in ſemeſtre cenſuras eccleſiaſticas mittat per ſuas eccleſias, ad fines revelandi illorum criminum conſcios & participes: & revelationes niſi parœci ſtatim ad ipſos miſerint, pro modo culpæ puniantur.

25. In beneficiorum reſignationibus, & aliis ceſſionibus, multæ fraudes a notariis apoſtolicis committuntur, quibus ut obſiſtatur, præcipimus ut in omnibus diœceſibus, qui ſe dicunt notarios, ſe præſentent epiſcopo intra tres menſes, cum ſua notariatus promotione B & immatricolatione. Scrutetur autem epiſcopus eorum ſufficientiam & fidelitatem, & quos idoneos non judicaverit, aut quomodocumque in officio delinquentes, ipſis officii exercendi in negotiis, litibus & cauſis eccleſiaſticis & ſpiritualibus perpetuo aut ad tempus uſum prohibeat. Omnes vero ad legitimum numerum ex edicto regio redigat. Ceterum quia notarii apoſtolici, aut nulli aut rari admodum nunc creantur a ſede Romana cum poteſtate alios creandi, cum jam in noſtris diœceſibus deficiat legitimus numerus, ac periculum ſit, ne tandem nulli veri inveniantur: ſupplicandum ſanctiſſimo D. N. papæ judicamus, ut epiſcopis largiatur facultatem creandi notarios apo- C ſtolicos tantum pro ſua diœceſi neceſſarios. Moneantur inſuper notarii, ut ſingulis annis ſuas notas ſive minuta atque procurationum authentica ad epiſcoporum ſecretariatum referant, & curent in regiſtris inſcribi atque inſeri.

26. In diœceſana ſynodo ſingulis annis ab epiſcopo ſex examinatores conſtituantur ab eadem ſynodo approbandi. Sint autem magiſtri ſeu doctores ſeu licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici ſeu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam ſæculares, qui ad id magis videbuntur idonei: jurentque omnes ad ſancta Dei evangelia, ſe quacumque humana affectione depoſita fideliter munus executuros. Quoties parœcialis eccleſiæ, D quomodocumque vocatio acciderit, aut præſentatus ad parœcialem eccleſiam, ſive a patronis laicis ſive eccleſiaſticis collationem ab epiſcopo requiret, aut promotus ad illam a ſede Romana in forma *Dignum* literas de viſa ſignatura poſtulabit, antequam ab epiſcopo collatio decernatur, qui promovendus eſt examinetur, juxta Tridentini concilii decreta intra diem præſentationis, ſi fieri poſſit, idque gratis, a tribus de illis examinatoribus cum epiſcopo ſive ejus vicario, de fide & religione, de anteacta vita, de ſufficienti doctrina, de his quæ ad parœci officium in ſacramentorum adminiſtratione ſpectant: atque tam interrogata quam reſponſa in ſcriptis redigantur, & ſecre- E tario tradantur ſervanda, ſi forte lis de capacitate aut incapacitate ſuborta fuerit. Secundum vero conſcientiam, de ejus ſufficientia aut inſufficientia pronuncient examinatores, confeſſionemque fidei ab illo exigant, & juramentum de ſimonia non commiſſa, nec accipere beneficium ad cuſtodiam aut aliam injuſtam penſionem. Caveant examinatores illi, ne declinent ad dexteram, aut ad ſiniſtram: ſed coram Deo ac pro ſalute animarum, quæ providendo committuntur, judicent. Qui autem ſemel examinatus fuerit, pro diverſitate proviſionum iterum examinari debebit. [a] Nec vero patronis eccle-

a Forte, Ne vero ... illos examinatores ...



ANNO CHRISTI 1581.

ſiaſticis, qui nequeunt variare, fiat ullum præjudicium per illos examinatores. Synodus illis conceſſit, ne prius cogantur ſuam exhibere præſentationem in ſcriptis, quam per examen fuerit judicatus idoneus, quem intendunt præſentare epiſcopo.

26. Si præſentato & petenti collationem ſibi dari de quocumque beneficio, renuerit epiſcopus dare, cogatur cauſas recuſationis ſuæ in ſcriptis exprimere: nec liceat ſuperiori collationem decernere, niſi prius diſcuſſis cauſis & judicatis, propter quas epiſcopus recuſaverit collationem dare, alioquin ſuperioris collatio nulla erit.

27. Inter epiſcopalis officii munera, præcipua eſt, & ad ſalutem gregis neceſſaria, viſitatio. Viſitationum autem omnium præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & monitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere. Cetera, prout locus, tempus & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere. Ante ſuum acceſſum, epiſcopi curabunt omnes moneri de ſacramento confirmationis ſuſcipiendo: omnes ad pœnitentiam cohortabuntur, & quos aliquo peccato teneri cognoverint, cujus abſolutio epiſcopo reſervatur, eos pie confitentes, ipſi per ſe aut per alios abſolvent. In ſingulis locis a viris ætate, uſu & probitate commendatis ſubtiliter inquirent de omnibus, quæ eos pro officii ſui munere ſcire oportebit: An clerus, an populus ambulet in viis domini, an aliquid ſit quod epiſcopi cognitionem & medicinam deſideret, an aliquid quod corrigi & emendari debeat. In eccleſiis fabricam, ſacramentorum & reliquiarum capſas, vaſcula, ornamenta omnia, an quo debent ſtatu, nitore, & integritate ſint, inveſtigabunt. De iiſdem reliquiis & de imaginibus cenſuram ferent. Si conſecranda ſint altaria, aut eccleſiæ, aut cœmeteria polluta, conſecrabunt & reconciliabunt, aut ad id opportunius tempus deſignabunt. An beneficiarii eccleſias ſuas legitime poſſideant: an adminiſtrationi ſacramentorum, feſtorum, miſſarum, & omnium divinorum officiorum, atque etiam fundationum pro defunctis celebrationi, aliiſque oneribus & muneribus ſatisfaciant, interrogabunt. Videbunt etiam quæ ſit clericorum vita morum ratio, veſtitus, converſatio & familia, & circa eccleſiæ officia cura & diligentia. Deinde diſpicient an populus debitis horis & diebus eccleſiam frequenter. An legitima matrimonia contrahantur & celebrentur, ſi qua ſint divortia & adulteria: ſi hæretici, uſurarii, ſacrilegi, concubinarii, aliique flagitioſiſſimi homines, qui quadrageſimam, alia jejunia, feſtos dies & reliquos eccleſiæ ritus non ſervent, aut qui ſaltem in anno peccata ſua ſtatuto tempore non fuerint confeſſi, aut euchariſtiam non ſumpſerint: qui pia legata defraudaverint, qui parœco inobedientes ſint, aut in domeſtica diſciplina negligentes. Si monaſterium, ſi hoſpitale, aut alius pius locus occurrerit, ſuo ibi defungetur officio, nec aliquem gravabunt, aut ab aliquo exigent, præterquam quod a jure vel conſuetudine ipſis eſt præſtitutum. Archidiaconi, & decani, & alii inferiores, in his eccleſiis, ubi hactenus viſitationem exercere conſueverunt, hanc propoſitam viſitandi regulam obſervabunt, & viſitationis a ſe factæ infra menſem rationem in

A ſcriptis reddent epiſcopo, & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere tenebuntur. Si qui alii habuerint jus viſitandi, eam præſtabunt, nec propter eos epiſcopus, vel eo impedito ejus viſitator, eaſdem eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur: Nec ullis, ubi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut appellatio debet patrocinari, aut executionem eorum, quæ judicata fuerunt, ſuſpendere. In his enim epiſcopus cenſetur ſaltem ſedis apoſtolicæ auctoritate & delegatione defungi, ſicut a generalibus conciliis & præſertim Tridentino ſtatuitur.

29. Quicumque indebite jura epiſcoporum, archidiaconorum, aut illorum viſitatorum ſol- B vere recuſaverint, poſt trinam admonitionem excommunicentur.

30. Ad epiſcopos ſpectat etiam pauperum & miſerabilium perſonarum paternam curam gerere: Sed ſicut fabricarum eccleſiaſticarum regimen ipſis primum fuit ablatum, & ad laicos translatum, ita poſterius portio pauperum in leproſarias & hoſpitalia diverſi generis diviſa de manibus epiſcoporum & aliorum clericorum, ad laicorum adminiſtrationem tranſiit. Sed quanto eccleſiarum & pauperum bono utraque commutatio contigerit, res ipſa loquitur. A pleriſque laicorum fabricarum dilapidantur poſſeſſiones, & in alios uſus diſtrahuntur: per eoſdem leproſariæ ſine leproſis, & hoſpitalia ſine pau- C peribus aut raris admodum gubernantur, & res eorum, videntibus nobis, nec potentibus obſiſtere, alienantur. Rogamus itidem in domino eos, in quorum adminiſtrationem ſunt illa conceſſa, ut impoſitum ſibi onus, officiumve adminiſtrent, atque ſolicitudinem infirmorum, pauperum, & miſerabilium perſonarum, & hoſpitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant. Quod ſi hoſpitalitatis munus adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, neceſſariis re ipſa obire ceſſaverint, aut bonis & poſſeſſionibus atque proventibus, ſive ad ſuas, ſive ad ſuorum civium neceſſitates aut commoditates, contra fundationes fuerint abuſi, hoſpitalium quidem & leproſariarum ad- D miniſtratione ac cura perpetuo privari debent, aliique eorum loco ab his ad quos ſpectat ſubſtitui, & nihilominus ipſos teneri in conſcientia declaramus ad poſſeſſionum & fructuum reſtitutionem, quos contra hoſpitalium & leproſariarum inſtitutionum abalienaverint & prodegerint, quæ nulla eis remiſſione aut compoſitione indulgeri poteſt. Tutius tamen eſſet gubernationem ejuſmodi locorum uni & eidem perſonæ ultra triennium non committi & ſtatim rationem adminiſtrationis peti. Quod ſi leproſariæ & hoſpitalia ad aliquarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta, nec ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiuntur, tum fructus poſſunt in alium pium uſum, qui eorum fundationi pro- E ximior ſit, ac pro loco & tempore utilior, converti, prout ordinario cum duobus de capitulo magis expedire videbitur. Quoniam vero in aliquibus hoſpitalibus aut leproſariis ſunt viri & mulieres regulari obſervantiæ addicti, ſed ut plurimum valde corrupti, ad eorum reformationem ſaltem auctoritate apoſtolica ſibi in viſitatione, etiam contra exemptos conceſſa, procedat epiſcopus ex decreto concilii Tridentini: quem ad hoc etiam ſpecialiter committi, ſupplicandum duximus Chriſtianiſſimo noſtro regi, & magno ejus eleemoſynario: ne per defectum viſitantium clamor pauperum & flagitiorum enormitas aſcen-

aſcendant in cælum coram Deo. Si qua vero hoſpitalia in epiſcoporum poteſtate manſerint, ad eorum reformationem ex his procedunt. Sed ſi qua bonorum, quæ pauperum ſunt, adminiſtratione epiſcopus a quibuſdam ſæcularibus contra *jus & æquum* ſpoliatur, ſciant ſe ex ſacris *conciliis*, ſicut omnes uſurpantes jura & bona *eccleſiaſtica*, anathemati ſubjici.

31. Synodi diœceſanæ quotannis ſuis temporibus celebrentur. Liceat tamen epiſcopis ad levamen ſui cleri, ſi ita expedire videbitur, de duabus in eodem anno unam remittere, & alteram diligentius convocare: ad eas accedere teneantur exempti etiam omnes, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec capitulis generalibus ſubduntur. Debent etiam illis ſynodis intereſſe ratione parœcialium, aut aliarum ſæcularium eccleſiarum, etiam annexarum, qui illarum curam gerunt, quicumque illi ſint. Non alium in his præſidere oportet, quam vicarium generalem epiſcopi in ejus abſentia, niſi ſede vacante: Tum enim ad decanum & capitulum eccleſiæ cathedralis redit diœceſis adminiſtratio. In ipſis archidiaconi & decani rurales de curatis tam præſentibus quam abſentibus epiſcopo debent reddere rationem, & omnia in viſitatione & Calendis audita & comperta referri, examinari ac judicari & ſtatuenda publicari.

32. Curati ne deinceps in ipſis compareant ſine ſuperpelliceo, ſtola, ac toto habitu ſacerdotali: alias dure increpentur & mulctentur. Cenſura ibi fiat de ſingulorum moribus, & de offenſionibus inquiſitio, ac inſligatur pœna potius pœnitentiæ quam pecuniæ. Adhortatio vero publica adhibeatur, ſive ab epiſcopo, ſive ab alio, de vita & honeſtate clericorum, & rebus pro tempore ſtatuendis. Ibi denique eligantur teſtes ſynodales, ſive per decanatus, ſive aliunde ad arbitrium epiſcopi, qui omni exceptione majores explorent in tota diœceſi per parœcias ſingulorum, atque etiam archidiaconorum & decanorum actiones, de quibus in proxima ſynodo epiſcopo renuntient.

33. Controverſias omnes de præcedentia, quæ plerumque cum ſcandalo oriuntur inter eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares quam regulares, cum in ſynodis & in proceſſionibus publicis, tum in his quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, ferenda cruce, & aliis ſimilibus, epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque componat. Exempti autem omnes tam clerici regulares, quam ſæculares, quicumque etiam monachi ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur: his tamen exemptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

34. Calendarum antiquiſſimus eſt uſus, & abuſus, nec aliud ſignificant quam cleri vocationem ad cenſuram morum agendam. In his perpetuo fuit damnata pecuniarum exactio, & ebrietas, quæ plerumque in his exercentur potius quam ulla reformatio. Ad cleri levamen tres in anno ſufficere judicamus: unam epiſcopi ſeu pro eo viſitatoris, & duas decanorum ruralium. Nec deinceps in tabernis & popinis convocetur clerus, ſed in eccleſiis, celebreturque miſſa, cui omnes aſſiſtant in habitu ſacerdotali, & omnia [illegible] agenda ſicut coram [illegible] tranſigantur. Si [illegible] cibum capere, in [illegible] loco præparetur [illegible] & non [illegible]. Quiſquis vero a cibo ſurrexerit inebriatus, aut indecore ſe geſſerit, graviſſime puniatur.

35. Indulgentiarum poteſtatem in eccleſia a Chriſto datam, & earum uſum Chriſtiano populo ſalutarem confitemur & veneramur. Sed ſupplicandum duximus ſanctiſſimo D. N. papæ, ut in his concedendis moderatio juxta veterem & probatam in eccleſia conſuetudinem adhibeatur: quandoquidem vileſcunt propter frequentiorem uſum, & earum in omnibus feſtis ſolennioribus multitudinem, quam ad quæſtum omnes interpretantur. Deinde nimia facilitate & frequentia indulgendi omnia graviora crimina, etiam reſervata, ſine expreſſa reſtitutione & ſatisfactione aut confeſſione proprio parœco facienda, eccleſiaſtica diſciplina enervatur, & ad eadem aut majora perpetranda creſcit hominum audacia. Vileſcunt inſuper ex curatorum in his publicandis irreverentia, qui populo nec annunciant ſua ſcelera, nec peccata, nec pœnas norunt explicare, quibus illa ſunt obnoxia, & quanta egeant indulgentia. Abuſum præſertim in noſtris eccleſiis cathedralibus diſſimulare non poſſumus, in quibus a multis annis conceſſæ indulgentiæ, ſed poſtea revocatæ, nihilominus proponuntur, tanquam vigorem ſuum retineant. Præcipimus illarum confirmationem a ſede apoſtolica peti: ſunt enim neceſſariæ, ad veterem Chriſtianorum conſervandum & inſtaurandum viſitandi cathedralem & matricem eccleſiam in paſchate & pentecoſte, & tum confluendi ad ſuſcipiendam benedictionem epiſcopalem. Quoniam plerique ſuſpicantur indulgentias, quæ quotannis nec ſemel de majoribus hoſpitalibus per noſtras eccleſias circumferuntur, non alia quam judicum ſæcularium niti confirmatione & auctoritate, ſtatuimus ne deinceps a noſtris officiariis recipiantur, aut ſubſignentur, priuſquam epiſcopis de ſanctæ Romanæ eccleſiæ diplomate per ipſius inſpectionem conſtiterit. Monemus autem epiſcopos ne addant quicquam aut detrahant ſibi oblatis indulgentiis, ac ne adhortationem quidem ad alias eleemoſynas, quam in ipſis contentas, quoniam indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant de mente & intelligentia concedentis. Sit autem in poteſtate epiſcopi eleemoſynas occaſione indulgentiarum provenientes aſſignare & diſtribuere piis locis & pauperibus, prout ſibi videbitur expedire: niſi de intentione concedentis indulgentias, & eleemoſynas offerentium aliter appareat: De quibus ejus conſcientiam oneramus. Et excommunicatos declaramus quicumque contra ejus conſenſum de illis eleemoſynis voluerint diſponere.

*De curatorum & aliorum presbyterorum ac parœcianorum officiis.*

1. IN curatis duo primum requiruntur, capacitas & poteſtas: nihil enim magis officit eccleſiæ Dei, quam quod indigni præficiuntur curæ animarum, & ad aliorum aſſumuntur regimen, qui ſeipſos regere non poſſunt. De hoc provideatur per examen. Deinde poteſtas expoſcitur, quæ per inſtitutionem & collationem committitur. Nam niſi curati ligandi atque ſolvendi poteſtate a prælatis legitime acceptam ſe oſtendant prædicti, decipiunt populum, nec abſolvunt a peccatis. Si qui igitur, etiam presbyteri, ſine eccleſiaſtico & legitimo titulo parœciarum adminiſtrationi ſe immiſcuerint, quacumque laica ſe fulciant potentia & violentia, fures





fures ſunt & latrones, non paſtores ovium: quos ipſo facto ſuſpendimus a divinis, ac prohibemus ne quis ab ipſis ſacramentum ullum recipiat, aut miſſam audiat.

2. Monemus & adhortamur curatos, ut divinorum præceptorum memores gregem paſcant & regant in judicio & veritate: ac declaramus eiſdem præceptis parœcialibus eccleſiis quocumque nomine & titulo præfectos obligari ad perſonalem in ſua eccleſia & parœcia reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur, neque abeſſe poſſe, niſi ex juſta, legitima & canonica cauſa ab ordinario in ſcriptis approbanda juxta concilii Tridentini decretum.

3. Si quis autem contra decreti hujus diſpoſitionem abfuerit, præter mortalis peccati reatum, quem incurrit, pro rata temporis abſentia fructus ſuos non facit: nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poteſt, ſed per ipſum, aut per ſuperiorem eccleſiaſticum, fabricæ eccleſiarum, aut pauperibus erogari debent. Quod ſi abſentes ultra bimeſtre curati etiam non perſonaliter citati contumaces fuerint: liberum volumus ordinariis per cenſuras eccleſiaſticas, ſubſtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem compellere ad reſidentiam.

4. Plerique, ne reſideant, prætexunt litigia, aut ſuſcitant ipſimet devoluta, ne videantur ſua beneficia pacifice poſſidere. Verum quiſquis beneficio vel ejus fructibus gaudet, aut reſideat, aut fructus non percipiat, quos ſuos ſine reſidentia facere non poteſt, & aliis decreti pœnis ſubjaceat.

5. Alii cauſantur nobilium aut parœcianorum vexationem & oppreſſionem. Sed ſi nihil ipſis de fructibus, aut ſaltem major portio non deperit, reſidentiæ ſunt obnoxii, aut ad fructuum reſtitutionem obligari. Obteſtamur autem in domino nobilitatem, atque alios quoſcumque, ut reſidentem parœcum, ſicut ovis paſtorem, ament & ſequantur, atque ut filii patrem honorent. Unde cum gaudio, & non gemens gregem paſcat: hoc enim coram Deo non expedit parœcianis. Quiſquis vero proprio parœco injuriam fecerit, & ad reſidentiam impedierit, ſit ille maledictus ſicut Cham, & ipſo facto anathema. Sit ſuſpenſus quoque a divinis ipſo facto, qui ſciens & volens illi communionem aut aliud ſacramentum, niſi in mortis articulo ſubminiſtraverit. Obſecramus judices ſæculares, ſub divini judicis interminatione, ut in favorem reſidentiæ contra oppreſſores curatorum ſeverius inſurgant.

6. Fruſtra præcipitur reſidentia, niſi reſidendi fiat poteſtas: Curatis itaque venientibus ad reſidentiam ex Dei & eccleſiæ mandato par eſt vicarios poſſeſſione & presbyterio cedere, & de damno atque intereſſe cum curatis amice paciſci, ſi quod evidens fuerit aut apparens: alioqui Dei & eccleſiæ mandatum fieret irritum & abſurdum. Neque enim reſidere poteſt in beneficio, cujus poſſeſſionem non habet, nec habitationem, nec ſacramentorum in eo adminiſtrationem, aut aliam functionem niſi vicarii licentia & indulgentia.

7. Ad reſidentiam presbyterio opus eſt, & pro parœciæ conditione habitaculo opportuno: ut in neceſſitate conſtituti, ſciant quo debeant confugere, & ubi medicum invenire. Si defuerit, provideatur curato de domo commoda juxta eccleſiam parœcialem, ſi fieri poteſt, idque fabricæ, ſeu parœcianorum ſumptibus; qui de jure, vel conſuetudine tenentur. Sicut autem illi obligantur ad habitationem ſuis rectoribus præparandam, ita oportet iſtos, in ædibus ſibi aſſignatis habitare; neque excuſari, niſi ex evidenti & legitimo impedimento: quo occurrente, non liceat presbyterum laicis quibuſcumque locare, aut ad manendum etiam gratis tradere, ſed tantum presbyteris, qui curatorum in neceſſaria ſacramentorum adminiſtratione vices gerant. Contra aliter agentes per cenſuras eccleſiaſticas procedatur.

8. Sicut populus ſuos rectores & quoſcumque clericos eo magis reveretur, quo eos honeſtiore vita eſſe cognoverit: ita ſatis res ipſa teſtatur, quanta ſit communis omnium fidelium offenſio, & clericalis militiæ dedecus, ſi verſantur in impudicitiæ ſordibus, qui ſe divino cultui addixerint. Proinde ex ſanctis conciliis, curatis, ac quibuſcumque clericis prohibemus, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus haberi poſſit ſuſpicio, in domo, vel extra retinere, nec cum his ullam conſuetudinem habere audeant. Si non abſtinuerint a ſuperioribus moniti, tertia parte fructuum, & obventionum ac proventuum beneficiorum ſuorum quorumcumque & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ eccleſiæ, aut alteri pio loco pro arbitrio epiſcopi applicentur. Sin in eodem delicto perſeverantes non paruerint, non tantum fructus omnes amittant, ſed a beneficiorum adminiſtratione, quoad ordinarius etiam uti ſedis apoſtolicæ delegatus arbitrabitur, ſuſpendantur. Sin ſuſpenſi non deſtiterint a peccato, beneficiis priventur, atque inhabiles & indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in poſterum reddantur: donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum ſuperioribus cum his ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquam illas mulieres dimiſerint, repetere, aut ſimiles adjungere ſibi non fuerint veriti, excommunicationis gladio plectantur. Quæ omnia contra quoſcumque beneficiarios conſtituta eſſe intelligantur. Clerici vero beneficia eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perſeverantiam & qualitatem, carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſve modis, juxta ſacros canones puniantur. Supradictorum vero omnium diligentem inquiſitionem ab archidiaconis & decanis, aut aliis inferioribus fieri jubemus, ſed ad epiſcopos deferri, ut ſine ſtrepitu, & forma judicii, ac ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſint. Epiſcopi quoque, ſi ab ejuſmodi crimine non abſtinuerit, & a ſynodo provinciali admoniti, ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi: Et ſi perſeverent, etiam ad ſanctiſſimum Romanum pontificem ab eadem ſynodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem (ſi opus fuerit) in eos animadverti jubeat.

9. Nihil adeo curatum, atque totum clerum commendat, & eccleſiam ædificat, quam ſanctæ ac honeſtæ vitæ exemplum, in verbo, in converſatione, in caritate, in caſtitate: quemadmodum apud apoſtolum eſt. Illorum itaque tota converſatio ſit irreprehenſibilis, ac potius præeat ac præluceat ſubditis ad bene & ſancte vivendum: ut videntes opera bona, non ſolum libenter ea imitentur, ſed glorificent patrem qui in cœlis eſt. Oculus, inceſſus, vultus, ac veſtitus annuncient de homine, ut ſcrip-

ſcriptura tradit. Idcirco nec in exteriori cultu presbyteri ſint negligentes. Probrum eſt noſtræ provinciæ a pleriſque, etiam ditioribus, affectari ſordes, in familia, in veſtibus, atque in eccleſiis, ſacramentis, & altari: quod immundi cordis eſt indicium. Alii contra, præſertim nobiliores clerici, exquirunt delicias, ac ſui ſtatus & ordinis pertæſi, more induuntur ſæculari. Omnes ut revocemus ad modeſtiam, hortamur & præcipimus, ut tonſuram in capite & coronam habeant ſuis ordinibus congruentem & honeſte raſam, nec barbam alant miniſterio altaris indecoram, nec galeros, ſed ſacerdotales pileos intra eccleſiam ferant, veſtibus oblongis, minime laceris, aliiſque omnibus veſtimentis eccleſiaſticæ dignitati & modeſtiæ convenientibus utantur. Qui ſi poſtquam ab epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, non paruerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ab officio, & beneficio, ac fructibus & proventibus ipſorum beneficiorum, necnon ſi ſemel correcti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujuſmodi coerceantur.

10. Si quis a reſidentia ex legitima cauſa ab epiſcopo prius cognita & probata abeſſe contigerit, vicarium idoneum ab ipſo ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquat: Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, nullus obtineat. Quod ſi quis diutius ab eadem reſidentia excuſari potuerit, viſitet tamen parœciam, ſaltem de bimeſtri in bimeſtre, ne prorſus ſine officio beneficium poſſideat, niſi juſto impedimento per epiſcopum dijudicando detineatur.

11. Ne ſint curati & alii presbyteri, in alienis præſertim laicorum familiis, rerum domeſticarum diſpenſatores, & œconomi, aut ſæcularium aut ſordidarum rerum miniſtri; aut litium, præterquam eccleſiaſticarum, ſive miſerabilium viduarum & pupillorum procuratores & promotores: nec ad beneficiorum cuſtodiam, nec ad voluptatem, nec ad ſcurrilitatem cuiquam inſerviant, nec inhoneſtum quæſtum facere ſtudeant ex uſura, negotiatione, aut alio quocumque modo illicito, pro gravitate delicti per cenſuras eccleſiaſticas & alias pœnas contra non obedientes procedatur.

12. Curatorum nomen, ne in reſidentia deſideant, curæ animarum eos memores efficiat: atque imprimis agnoſcant vultum pecoris ſui. Singulis annis quatuor volumina conficiant. Primum, in quo baptizatorum, & ſuſcipientium ac parentum nomina, cum die & anno deſcribant. Alterum, in quo diſtinguant eos qui ſtatuto ab eccleſia tempore ad confeſſionem & communionem venerint. Tertium, in quo eos recenſeant qui matrimonium in facie eccleſiæ contraxerint. Quartum, in quo mortuos, & ſepulturæ Chriſtianæ traditos cum fide in qua deceſſerunt, & teſtamentorum brevi nota enumerent. Hæc enim diligentia cum ad multa utilis: [illegible] vero ad hoc præcipue, ut paſtoribus ovium ſuarum ratio melius conſtet, & ut epiſcopo & per eum miſſis, quoties petierint, de eiſdem ovibus rationem reddant. Obſervent inſuper ſui populi vitia & peccata, & his corrigendis cum manſuetudine omnem diligentiam adhibeant. De accedentium ad parœciam inhabitan- [illegible], religione, vita & matrimoniis inquirant, nec per aliorum contagionem ullos ſinant corrumpi. Nullum autem abſque literis proprii parœci recipiant.

13. Sciant parœci aut vicarii ſe obligari per ſe vel alios idoneos, ſi impediti fuerint, aut incapaces, ſaltem dominicis & feſtis ſolennibus ad plebes ſibi commiſſas, pro ſua & earum capacitate paſcendas ſalutaribus verbis, docendo quæ omnibus ſcire neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum ſermonis brevitate & facilitate vitia quæ populos declinare, & quas ſectari virtutes oportet, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero ſi præſtare neglexerint, & moniti ab epiſcopo trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras eccleſiaſticas, ſeu alias ad ipſius epiſcopi arbitrium cogantur, & ex fructibus beneficii alteri qui id præſtet, aliqua honeſta merces perſolvatur. Ut autem quilibet parœcus ſuo officio defungi queat, catechiſmum Romanum Latine & Gallice habeat, & ex ejus præſcripto doctrinam de ſymbolo apoſtolorum, legis decalogo, ſacramentis, atque aliis ad ſalutem neceſſariis tradat. Frequenter quoque ac libenter in bibliis ſacris & homiliis patrum legat, unde ad captum populi ſui & ædificationem, quæ videbuntur conducere, ſeligat. Habeat inſuper conſtitutiones ſynodi provincialis & diœceſanæ: ut cognoſcat quomodo ſe ac populum admonere & regere debeat.

14. In quacumque parœcia, quoad fieri poterit, presbyter, vel clericus conſtituatur, fabricæ ſumptibus, aut populi eleemoſynis, per eccleſiam diebus dominicis & feſtivis, aut per domos conquiſitis, atque etiam curatorum adjumento, qui ad ſacramentorum adminiſtrationem & ad officium divinum parœcum adjuvet: ſed præcipue qui pueros rudimenta fidei, & obedientiam erga Deum & parentes doceat: atque ad hoc per cenſuras eccleſiaſticas compellendos eos qui tenentur, concilia ſtatuerunt.

15. In ſingulis parœcialibus eccleſiis non ſolum dicatur miſſa dominicis, ſed etiam aliis per hebdomadam diebus divina officia ſecundum primam fundationem ipſius eccleſiæ, vel augmentationem, vel conſuetudinem antiquam celebrentur: ac ne divinus cultus minuatur, fundatorumque intentio fraudetur, per diœceſanos compellantur omnes & ſinguli rectores parœciarum, capellani, aliique beneficiati, leproſariarum, aliarumque piarum domorum adminiſtratores, ad oſtendendas exhibendaſque literas fundationis & augmentationis beneficiorum & adminiſtrationum: ut omnibus viſis, de divinis officiis juxta fundatorum intentionem, quod opportunum fuerit ab eiſdem diœceſanis ſtatuatur: Ad hoc autem per cenſuras eccleſiaſticas ad juramenti præſtationem compellantur.

16. Contigit ſæpe in quibuſdam eccleſiis vel tam magnum miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus a teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri: vel eleemoſynam hujuſmodi pro illis celebrandis adeo tenuem eſſe, ut non facile inveniatur qui velit huic ſe muneri ſubjicere: unde depereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur: ſanctum concilium Tridentinum cupiens ad pios uſus iſta relicta, quo plenius & utilius po-





poteſt, impleri, dat epiſcopis poteſtatem, ut in ſynodo diœceſana, re diligenter inſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque eccleſiarum utilitatem viderint expedire: ita tamen ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt. In poſterum vero non facile recipiantur fundationes, niſi habita ratione temporum & locorum.

17. Dominicis & feſtivis diebus ſervitium, ac præſertim matutinæ ſi dicuntur, miſſa ſolennior, & veſpertinum officium, certis & deſignatis horis in regione aſſuetis fiat: ut omnis populus interſit, nec diutius a familia abſit, ſi per curatum aut vicarium ſteterit, quominus adimpleatur, delatus a parœcianis graviter puniatur ab epiſcopo pro menſura delicti. Si per alium, ſciat ille ſe excommunicationem ipſo facto incurrere, niſi deſtiterit poſt auditam hujus decreti publicationem in pronao factam.

18. Ad ſervitium parœciale perficiendum, præſertim dominicis diebus & feſtivis, non ſolum obligantur curati & vicarii, ſed omnes ejuſdem parœciæ presbyteri, qui illi adſcripti ſunt, ſicut omnes parœciani ad audiendum. Niſi ergo presbyteri prædicti in habitu ſacerdotali cum ſuperpelliceo hora competenti convenerint, quo ut conveniant etiam qui non ſunt adſcripti hortandi ſunt, & in officio divino ad finem uſque cantantes; aut adminiſtrantes perſtiterint, damus curatis poteſtatem poſt trinam admonitionem eos ſuſpendendi a divinis: & ut ordo in omnibus ſervetur in eccleſia, omnes presbyteros parœciæ, ſicut omnes alios parœcianos, curatis decet eſſe obedientes, & correctioni eorum ac directioni ſubditos: de ipſorumque vita & officio ad epiſcopum referri, eique rationem reddere, aut decano, aut archidiacono. Curati vero, quoties poterunt, auxiliarios presbyteros vocent in participationem aliquarum obventionum eccleſiaſticarum, ut qui altari ſervit, de altari vivat.

19. Curati iidem diligenter animadvertant, ſi parœciani dominicis aut feſtivis diebus divinis officiis interſint, & de abſentiæ cauſis inquirant, aut jubeant per aliquem puerum abſentes obſervari: ut poſt admonitionem debitam quos noverint pertinaces, ad epiſcopum deferant, & ab eo diſcant quid agendum. In pronao pro excommunicatis denuncient, qui poſt admonitionem auſi fuerint, dominicis & feſtivis diebus tempore ſervitii, parœcianos in domum ſuam ad potandum, ludendum, aut aliud non neceſſarium agendum recipere: mercaturam, aut vecturas non neceſſarias, aut aliud opus exercere. Non deſinentes perſonaliter increpet, & poſtea non obedientes nominatim in pronao excommunicatos proclamet, nec ad eccleſiam nec ad ſacramenta admittat.

20. Indignum nobis viſum eſt dominicis ac feſtis diebus de domo orationis facere domum negotiationis, aut fori ſæcularis. Nam pro populi exhortatione, & divini verbi prædicatione, coguntur curati ſacris operantes, lictorum & præconum, atque etiam publicanorum vices gerere, auctiones vectigalium, venditionum, licitationum, & quæcumque mandata ſæcularium judicum & officiariorum recitare ac promulgare. Ad purgandam domum Dei his profanationibus, prohibemus ſub interminatione divini judicii quicquam in ſacrificio & in templo niſi ſacrum & ſanctum dici aut fieri. Atque hortamur & monemus omnes judices magiſtratus, ut ſua quæcumque mandata per ſuos miniſtros & fabricarum rectores, aut alium de parœcianis deputatum publicari extra cœmeterium & eccleſiam, quo loco ipſis videbitur convenientius. Eoſdem obteſtamur in domino ne liceat his diebus parœcianos venientes aut redeuntes ad eccleſiam, aut in ipſa inventos in jus vocare, aut prehendere aut aliter vexare. Ob id enim miſeri homines coguntur abſtinere a cultu divino & feſtis diebus, quibus prodeundum in eccleſiam eſt, latitare.

21. Pervenit ad nos, in multis parœciis diebus dominicis, aut feſtivis, propter raritatem ſacerdotum nullam miſſam matutinalem fieri, cui poſſint ſervi & ancillæ aſſiſtere: unde accidit ut parœcianorum pars religione ac cultu divino careat. Interea dum placuerit altiſſimo plures ſervos mittere, curati ex vicinioribus ſeu monaſteriis, ſeu aliis locis advocent, quam frequentiſſime poterunt, qui illis diebus ſacrum obeat. Sin defuerit, precibus Deo fuſis, brevi adhortatione de his quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria adhibita, & ad evangelicam illius diei lectionem accommodata præſentes dimittat.

22. Ne populus diſtrahatur a miſſa parœciali, & ab auditione mandatorum Dei & eccleſiæ, optamus ne in capellis ab antiquo, etiam epiſcoporum auctoritate fundatis, aliæ miſſæ celebrentur, quam illæ quæ de fundatione extiterint: & ſi quæ ſunt miſſæ quæ ex tenore fundationis dici debeant die dominico in eccleſia parœciali, aut ex devotione, non dicantur niſi ante aut poſt miſſam parœcialem, aut ſaltem poſt communionem factam. Prohibemus quoque in quibuſdam eccleſiis, quæ ſimul collegiatæ ſunt & parœciales, eadem hora cantari miſſas canonicorum & parœcianorum: ſed ſub pœna excommunicationis ſtari in his judicio epiſcopi: nec corpora mortuorum dominicis inferri inter miſſarum ſolennia, ſed ſi fieri poteſt, poſt veſperas ſervari.

23. Quoniam videmus multos adduci ad præceptorum eccleſiæ & miniſtrorum ejuſdem contemptum, non facile admittantur fundationes, & erectiones capellarum & fraternitatum, in quibus ordinatur celebratio miſſæ dominico die, ea potiſſimum hora, qua populus univerſus convenire debet ad audienda divina præcepta Dei & eccleſiæ. In miſſis vero caritatum atque aliarum fraternitatum ab antiquo eo die conſtitutarum, nec aqua nec panis benedicantur: & inter illarum miſſarum ſolennia moneatur non eſſe prætermittendas miſſas parœciales, propter aſſiſtentiam in ea miſſa, quæ ex devotione & conſilio celebratur. Quiſquis vero presbyter in alia miſſa quam parœciali, aquam & panem benedixerit, ſit ſuſpenſus a divinis.

24. De eccleſiarum refectione prius admonuimus. Sed quoniam multarum dedicatio & conſecratio contemnitur, & in pleriſque locis, pollutis & fractis altaribus utuntur: mandamus curatis, ut quam citiſſime fieri poterit, ſinguli de ſuarum eccleſiarum defectibus certiores faciant epiſcopos, ut illis provideatur. Mandamus inſuper cœmeteria quocumque modo claudi, ne brutis animantibus pateant, & aliis pro-

ANNO CHRISTI 1581.

profanationibus, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis. Eiſdem curatis præcipimus ne ſinant in eis choreas duci, aut alios luſus & inſanias fieri, ſed potius ea quæ luctus & mortis memoriam inducunt, atque ſanctam & ſalubrem cogitationem pro mortuis exorandi excitant.

25. Propter periculoſa tempora in quæ incidimus, curati ne de nocte exeant ad ſacramentorum adminiſtrationem, niſi vocentur a bonis & notis hominibus, & propter neceſſitatem: Admoneant vero frequenter mulieres & viros, de quorum neceſſitate timetur, ut in die ſumant ſacramenta.

26. Quamvis nefaria ſit ſimoniaca pro ſacramentorum adminiſtratione pactio & licitatio: nihilominus qui catechizatur debet miniſtrare in omnibus ei qui catechizat, & rependere temporalia ſeminanti ſpiritualia. Proinde ſicut damnamus curatorum & presbyterorum exactiones: ita non tantum ingrati animi, ſed contra naturæ debitum, & jus divinum nitentis & corrupti eſſe judicamus, diſpenſanti ſacramenta ad ſalutem requiſita, non ſuppeditare victui neceſſaria, & operæ pretium & laboris mercedem non reddere, ſcriptum eſt enim: Non alligabis os bovi trituranti. Et, Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Quis plantat vineam, & de genimine vitis non bibit? Ita & his qui altari deſerviunt, de altari vivere conſtituit Deus. Proinde noverint omnes Chriſtiani, non libertatis eſſe, ſed debiti miniſtranti ſacramenta atque alia ſpiritualia ſtipendium aliquod ſolvere, unde vivat. Sed cum pretio nummario ſacramenta nequeant æſtimari, nec quanti ſit cuique neceſſarium ad victum poſſit niſi ex ratione temporum, locorum, & perſonarum definiri: recte majores noſtri ad laudabiles conſuetudines, ad evitandum avaritiæ & ſordium ſuſpicionem, occurrendum duxerunt: quæ cum hominum malitia intermittantur, obteſtamur in domino curatos & parœcianos de his amice inter ſe convenire pro temporum varietate & difficultate. Quod ſi parœciani in contumacia contra jus naturæ & divinum perſtiterint, volumus eos vocari a curatis coram epiſcopis, ut circumſpectis omnibus, quod ratione videbitur convenientius conſtituatur, præſertim in civitatibus & oppidis, ubi refrigeſcit caritas, & abundat iniquitas, nec curatis ullæ decimæ, aut alii ſuppetunt proventus. Eodem jure obligantur parœciani ad oblationes, & alias quaſcumque diebus dominicis ac feſtivis ad eccleſiam pro miniſtris altaris offerendis, ne appareant vacui coram domino, necnon ad alia quæcumque jura ex antiqua conſuetudine obſervata, quibus ſuos parœcos defraudare, quaſi ſacrilegium eſt, & debitæ rei ſacræ furtum.

27. A Lateranenſi concilio, & conſtitutione Pii V. arcentur ab eccleſiæ ingreſſu, aliiſque pœnis afficiuntur medici, qui ægrorum ſuſcipiunt curam, niſi paulo ante confeſſi fuerint de peccatis idoneo ſacerdoti, aut promittant ad hoc ſtatim ſe vocaturos proprium parœcum, a quo debent viſitari, quamprimum audierit illos in lecto jacere, & moneri morbos ſæpe provenire ex peccatis, quæ per confeſſionem, tamquam infirmitatis cauſæ, prius ſunt purganda, ac alia ſacramenta in tempore percipienda. Si non vocaverint, ac ſine ſacramento, ſaltem pœnitentiæ deceſſerint, Chriſtiana careant ſepultura. Si curati in eo fuerint negligentes, animæ morientium ſine ſacramentis, de eorum manibus repetetur, & ad epiſcopum deferantur.

ANNO CHRISTI 1581.

28. Sacratiore, & quoad fieri poterit ornato, ac tuto loco, ſacram euchariſtiam curati reponant: ante quam lumen cerei aut lampadis diu noctuque indeſinens ardeat, ut teſtificetur verum corpus Chriſti, qui eſt candor lucis æternæ, ibi aſſervari.

29. Curati ſtudeant cum omni reverentia ac cautione euchariſtiam ad ægrotos deferre interdiu, & in hominum frequentia (ſi fieri poteſt) nec ſine præeuntibus luminibus, ac tintinnabulo, quo omnes admoneantur ad venerationem tanti ſacramenti, & orandum pro infirmo.

30. Ex intermiſſa quibuſdam in locis conſuetudine ſepulturarum, deſiit quoque Chriſtiana conſuetudo & caritas aliquid legandi pauperibus & eccleſiis, atque etiam orandi pro mortuis. Ut fidelium animabus & ſaluti conſulatur, decernimus, cum curatus ad ægrotos vocatus fuerit, poſt debitam adhortationem, & ſacramentorum adminiſtrationem, admoneat de teſtamento, de cura animæ poſt mortem agenda, ac ſuffragiis eccleſiæ. Decernimus inſuper, ut contra heredes ex laudabili conſuetudine ſepulturarum agat, poſtquam ſepulturæ officia impenderit, & ſuffragia publica & aſſueta exolverit, quos ad ſolutionem via juris compellat, niſi paupertas obſtiterit.

31. Non adeo promiſcue (ut nunc fit) mortui ſepeliantur in eccleſiis, ac ne quidem ditiores, ne is honor detur pecuniis potius quam gratiis Spiritus ſancti: ſed hoc ſervetur Deo ſacratis ſpecialiter hominibus, eo quod præ aliis eorum corpora templa ſint Chriſti & Spiritus ſancti, & aliis in ſublimitate & dignitate, tam eccleſiaſtica quam ſæculari conſtitutis, quandoquidem & iſti Dei miniſtri ſunt, atque organa Spiritus ſancti: Aliis inſuper qui nobilitate vel virtutibus, vel meritis erga Deum & rempublicam fulgent. Ceteri pie & religioſe in cœmeteriis ad hoc dedicatis ſepulturæ tradantur. Nec indifferenter pro quibuſcumque habeantur funebres orationes, ſed pro his tantum qui glorioſi ſunt & illuſtres in generationibus ſuis & populis: aut quorum tantum eſt meritum, ut eorum ſapientiam narrare debeant populi, & eccleſia laudem eorum nunciare, ſicut apud ſcripturam eſt. Non igitur eccleſiaſticorum aut aliorum domeſtici intra eccleſias, præſertim cathedrales, aut alii de plebe, niſi præter opes ſit aliud quod eos commendet, tradantur ſepulturæ: nec ipſi præter ſtatum & decorum exequiarum pompam affectent, ſed potius eccleſiæ ſacrificiis aut ſuffragiis aut in pauperes eleemoſynis ambiant & ſtudeant adjuvari.

32. Ad pauperiorum curatorum ſubventionem & favorem reſidentiæ, liceat epiſcopis, vel plures parœcias in unam redigere, vel eis beneficia ſimplicia unire, aut penſiones, aut partem congruam de decimis in eorum parœcia conſtitutis attribuere, aut loco portionis congruæ eiſdem minutiores decimas, & quæ in noſtra provincia virides & hortenſes appellantur: ſed omnia tranſigantur vocatis & auditis decimarum dominis, & poſſeſſoribus, & aliis quorum intereſt. Omnia vero juxta formam decretorum concilii Tridentini peragantur.

33. Non ſunt ferendi, qui variis artibus decimas eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in ſuam utilitatem vertunt: cum decimarum ſolutio debeatur Deo: & qui eas dare noluerint, aut



ANNO CHRISTI 1581.

aut dantes impedierint, res alienas invadant. Præcipitur itaque omnibus, cujuſcumque gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in poſterum quibuſcumque eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur. Judices vero ſæculares obteſtamur in domino, ut contra eoſdem ſeveritate regiarum legum agant.

34. Quæ ex pietate & devotione ortum duxerunt, caritatis & aliorum nominum fraternitates & ſocietates, ſpiritalia opprimunt & deformant in eccleſia, temporalia vero abſumunt, atque homines dementant. Etenim in unaquaque eccleſia altare contra altare, ſacrificium contra ſacrificium, & ſacerdotem contra ſacerdotem, ac denique parœciam contra parœciam erigunt & opponunt. Earum quidem abolitionem non judicamus expedire propter piorum operum & ſuffragiorum, quæ exercent, bonitatem, earumque neceſſitatem in peſte, & publica calamitate, ſed eorum deſideramus reformationem propter abuſum. Imprimis earum fundationes & ſtatuta in viſitatione ab epiſcopis examinari jubemus, nec in poſterum ullam innovari, niſi de expreſſa epiſcopi licentia, & confirmatione in ſcriptis habita, congrue ducimus a curatis parœciarum, in quibus celebrantur, quæ ſacra ab ipſis fiunt, regi ac diſponi, & non ab alio ſacerdote, niſi de curatorum conſenſu, ſine quibus quidquam agi non putamus æquum, cum debeant Deo & epiſcopis, de omnibus quæ fiunt in eorum eccleſiis, rationem reddere, & plecti pœna, ſi quid permiſerint perperam aut impingeri. Inhibemus etiam in dominicalibus earum miſſis aquam & panem benedici, aut conciones haberi, ſed ea ſervari parœciali miſſæ, a qua populos avertunt. Vetamus imagines baculis impoſitas a mulieribus deferri intra eccleſias, ſed omnia cum pietate & decentia fiant: frequentiam & ſumptum conviviorum, quæ a Caritatis fratribus; & aliis tam ſeparatim per ordinem, quam conjunctim impenſa fraternitatis agitantur, ebrietates, laſcivias & ſcurrilitates quæ in ipſis committuntur, ac denique omnia quæ ad caritatem & ædificationem non pertinent, damnamus, & ea perpetrantes anathematizamus. Quidquid vero de collectis & conſcriptorum fratrum contributionibus celebrationi officii divini ſuperfuerit, ſuffragiis faciendis pro mortuis, fabricis & ornamentis eccleſiarum, atque aliis piis operibus impendi præcipimus.

35. Ad tollendos abuſus circa fabricarum adminiſtrationem, decernimus nemini licere, ſine ordinariorum judicio & auctoritate, bona ad eas pertinentia vendere, aut cuiquam dare, aut in alios uſus convertere, quam quibus aſſignantur: Et omnes declaramus ſacrilegos, qui quacumque de cauſa illis fuerint abuſi, & ad reſtitutionem teneri, ad eamque cogi per cenſuras eccleſiaſticas, atque alia juris remedia. De illorum itaque alienationibus a triginta annis volumus per epiſcopos diligenter inquiri, & provideri: ab ipſis etiam procedi per eaſdem cenſuras contra bonorum illorum detentores & occupatores, ut nec dominis locorum liceat ipſa poſſidere, & ad cenſum tenere. De adminiſtratione vero eorumdem, & aliis ad fabricas ſpectantibus, ratio ordinario reddenda eſt, ut eccleſiarum paſtori & tutori. Quod ſi ex conſuetudine aut privilegio, aut conſtitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda fuerit, tunc cum his etiam adhibeatur ordinarius, aut ad ipſum priuſquam obſignentur, referatur, ne qua fraus committatur. Aliter factæ liberationes dictis adminiſtratoribus minime ſuffragentur. Propter infinitas de his querimonias, cogant epiſcopi ſibi illas rationes redhiberi, ut examinentur, idque gratis, & ad ſuum ſupplementum viros bonos ad id committant. Pervenit ad hanc ſynodum a quibuſdam officiariis ſæcularibus illas rationes expoſci, & pro illis audiendis magnam argenti copiam exigi, aliaque gravamina fabricis & curatis ab illis infligi, idque etiam contra Chriſtianiſſimi noſtri regis ſuper hoc ſtatibus noſtræ provinciæ declarationem. Idcirco ſtatuimus illos ad receptorum reſtitutionem teneri: & in poſterum perſeverantes excommunicationi ipſo facto ſubjicimus.

ANNO CHRISTI 1581.

36. Quoniam natura & ratio judicii poſtulat, nullius momenti abſolutionem eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem: magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis patribus viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat ſacerdotibus, abſolverentur: Inde manarunt caſus reſervati tam ſedi apoſtolicæ, quam epiſcopis, quos noſſe inferiores ſacerdotes oportet. Hanc autem delictorum reſervationem conſonam eſt divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem eccleſia Dei cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ita omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris, tum abſolvere poſſint: extra quem articulum ſacerdotes cum nihil poſſint in his caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus ſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos judices cum convaluerint, pro beneficio abſolutionis mittant. Intelligant autem poſt concilium generale Tridentinum conceſſum epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus, etiam ſedi apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſe ipſos aut vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantum, non eorum vicariis eſſe permiſſum. Curati itaque, quoties inciderit circa hæc difficultas, conſulant ſuos epiſcopos, a quibus cum videbitur expedire, poteſtatem accipiant quoſdam abſolvendi a caſibus reſervatis.

37. Quamvis presbyteri in ſua ordinatione; a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant: nullus tamen, etiam regularis poteſt confeſſiones ſæcularium etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut parœciale beneficium, aut ab epiſcopis, per examen, aut alias idoneus judicetur, & approbationem atque exercitii poteſtatem, quæ gratis detur, obtineat. Nullus itaque ſacerdos, atque etiam regularis, ne quidem in ſuo conventu, audeat, maxime per omne tempus quadrageſimæ, & octavas paſchæ, audire confeſſiones quorum-

ANNO CHRISTI 1581.

cumque, & aliquem abſolvere, niſi de licentia epiſcopi expreſſa, atque etiam in ſcriptis habita.

38. Prædicationis munus epiſcoporum eſt præcipuum, quod in ſuis eccleſiis, per ſe debent exequi: Sin legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus aſſument. Nullus autem ſæcularis ſive regularis, etiam in eccleſiis ſuorum ordinum, contradicente epiſcopo prædicare præſumat. Regulares cujuſcumque ordinis, niſi a ſuis ſuperioribus de vita, moribus & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in eccleſiis ſuorum ordinum, nullo modo prædicare poſſunt. Cum qua licentia perſonaliter ſe coram epiſcopis præſentare, ab eiſque benedictionem petere tenentur, antequam prædicare incipiant. In eccleſiis vero quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuperiorum ſuorum, etiam licentiam epiſcopi habere debent, ſine qua in ipſis eccleſiis non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſunt. Ipſam autem licentiam gratis epiſcopi concedant. Ordinarii vero, ſeu ſtationarii regulares, in qua diœceſi licentiam petere obligantur; juſto ſpatio ante tempus adventus, & quadrageſimæ petant: utpote in ſynodo diœceſana æſtivali, ut ſi illi non fuerint capaces, ſibi de aliis providere poſſit epiſcopus. Nec liceat ulli nominato per epiſcopum, ad certum locum prædicationis, ſine conſenſu ipſius, illo relicto, ad alium tranſilire, ac pro arbitrio, in loco ſibi ab epiſcopo aſſignato alterum ſibi ſupponere.

39. Si quis aliter munus prædicandi uſurpaverit, aut ſi quis quacumque fulgeat dignitate, prædicatores in præjudicium epiſcoporum committere præſumpſerit, excommunicetur.

40. Quoniam ex conciliis parœci debent ſuis in eccleſiis prædicandi munus, ſi capaces & irreprehenſibiles extiterint, non impediantur a regularibus, etiam ab epiſcopo miſſis: quandoquidem in defectum & ſupplementum curatorum mittuntur, & non ut parœcos a ſuis officiis excludant, aut impediant. Miſſi regulares teneantur licentiam ſuam exhibere curatis, ac cum ipſis de correctione populi, prædicationis ædificatione, atque hora & loco convenire. Monemus autem curatos & parœcianos ſemipantibus pro ipſis ſpiritualia, in temporalibus pro viribus miniſtrare, & tamquam angelos Dei ſuſcipere, populorumque devotioni atque eleemoſynis commendare.

41. Si prædicator errores aut ſcandala diſſeminaverit in populum; etiam ſi in monaſterio ſui vel alterius ordinis prædicet, epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundum juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, etiam contra exemptum ſedis apoſtolicæ auctoritate epiſcopis hac in re conceſſa. Moneantur autem regulares, ne juniores ad concionem & eleemoſynarum collectionem emittant, niſi quorum vita diu fuerit ſpectata, & capacitas, propter ſcandala quæ per ipſos oriri poſſunt in populis. Epiſcopi vero ſubſidiarios regulares tueantur, & charos habeant atque alant, ſicut coadjutores, omneſque illis factas injurias & contumelias ſuas eſſe exiſtiment & propulſent. Juniores ad [illegible] foveant: atque conventus [illegible], tamquam concionatorum [illegible].

42. Pervenit ad [illegible] ſynodum de quibuſ[illegible] qui cum ſint [illegible], extra clauſtra tamen & obedientiam religionum ſuarum vivunt, & concionandi munus uſurpant. Pervenit etiam de aliis habitum Franciſcanorum, ſed diverſi coloris geſtantibus, qui conventus aliquot in hac provincia poſſident. Sed nec eorum ordo a ſede Romana probatus eſt, & vita multis ſcandalis ſubjacet. Præcipimus prioribus regularibus ſub anathematis pœna, ut ad ſuos conventus redeant: & contumaces tamquam apoſtatas comprehendi. Poſteriores vero jubemus aut Franciſcanorum ordini a ſede apoſtolica approbato, ſi divi Franciſci regulam profeſſi ſunt, ſeſe adjungere, aut ex approbatis alicui, ſi religioni obſtricti fuerint: ne religionis obtentu regularis diſciplinæ contemptus inducatur, & in noſtris diœceſibus invaleſcat.

43. Reſipiſcentibus ab hæreſi miniſtris & clericis numquam fuit in eccleſia facile creditum, aut commiſſum apud catholicos concionandi munus, propter impreſſam animis eorum labem, quæ vix prorſus eluitur. Idcirco monemus epiſcopos ne talibus dent leviter licentiam prædicandi verbum Dei, ſed potius eos adhortentur ad præteriti temporis lamentum in ſilentio, & pœnitentiæ fructus edendos, memores Origenis ad concionandum poſt lapſum invitati, & nihil aliud in concionem loquentis, quam ex pſalmiſta peccatori dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis nomen meum per os tuum? Multo vero minus ad ſacerdotia admittantur. Attamen ex pœnitentiæ menſura, & ædificationis ſpe ac probabilitate, poteſt cum hujuſmodi diſpenſari atque indulgentius agi.

44. Poſtremo ne aliqui beneficiarii noſtris in diœceſibus lateant intruſi, ac ſine titulo, præcipimus a quibuſcumque tam parœcialium, quam aliorum quorumcumque beneficiorum poſſeſſoribus, ut intra ſemeſtre exhibeant ſuis epiſcopis proviſiones ſuas & diſpenſationes, & procedatur contra deficientes per cenſuras eccleſiaſticas, retentionem fructuum, atque etiam privationem eorumdem beneficiorum.

*De monaſteriis.*

1. OPTANDUM magis quam ſperandum noſtris diebus monaſteria in antiquum ſtatum reſtitui. Neque enim dici poteſt, quanta paſſa fuerint detrimenta tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ex mala eorum adminiſtratione, quibus commiſſa ſunt: ut tamen ad aliquam tolerabilem formam reducantur, imprimis reſervationum omnium de ipſis petitionem & conceſſionem, atque aliorum quorumcumque beneficiorum, declaramus, pœnis de voto captandæ mortis alterius, & de voluntario homicidio ſubjacere ac affines eſſe: ac ſupplicamus Chriſtianiſſimo noſtro regi, & principibus, a quibus ad beneficia electiva aliqua fit præſentatio, necnon & ſenatibus, ut ſanctiones canonicæ ſuum ſortiantur effectum, quibus inhabiles pronuntiantur ad obtinenda quæcumque beneficia, qui per reſervationem eccleſiam viventis ambierunt. Sanctiſſimo vero D. N. papæ ſupplicamus, ut non prius de illo monaſterio, ſeu electivo prioratu cuiquam expediatur proviſio, quam inquiratur, & intra tres menſes audiatur reſponſio metropolitani noſtri, aut epiſcopi, ſive capituli, in cujus diœceſi exiſtunt, de modis quibus jus ad illa acquiſierit, cui providendum eſt, an per reſervationem ipſi aut alteri datam, an per ſimoniam, fideicommiſſionem, an per aliquam de partitione fructuum, aut jurium promiſſionem, aut alia illicita ratione, & de illius religione ac ſufficientia.



ANNO CHRISTI 1581.

2. Supplicandum inſuper a parte hujus ſanctæ ſynodi exiſtimavimus Chriſtianiſſimo noſtro regi, ut electiones juxta morem antiquum aliquando reſtituere dignetur: & interim intra ſex menſes juxta concordata, aut ad ſummum intra novem, teneantur nominati ad monaſteria & prioratus proviſiones a ſede apoſtolica impetrare: aut omni jure excidant, & fructus pietatis operibus per epiſcopum applicentur, donec eiſdem aut aliis proviſum fuerit ab eadem ſede Romana.

3. Abbates & priores electivi, ſive regulares, etiam exempti, ſive commendatarii, non recipiantur ad capiendam poſſeſſionem, niſi prius edita in manibus epiſcopi confeſſione fidei catholicæ ex formula in hoc concilio provinciali recepta, & poſt adeptam poſſeſſionem bullas ſuas in ſecretariatu, ſicut olim fiebat, ſive apud actuarium inſinuationum curent in regiſtris deſcribi: unde liceat epiſcopis cognoſcere de facultatibus, indultis, aut oneribus a ſanctiſſimo D. N. papa ipſis impoſitis. Nam pleriſque in titulum providetur, atque ad onus ſuſcipiendi regularis habitus, qui tamen in ſæculari remanent, ac ſe commendatarios jactant. Propterea jubemus, ut intra tres menſes omnes abbates, & priores noſtrarum diœceſeon huic decreto pareant, & inobedientes poſt tertiam admonitionem excommunicatione feriantur.

4. Abbates & priores regulares, atque etiam exempti, aut commendatarii, ſi ætatem præſcriptam a jure ad ſuſcipiendos ſacros ordines attigerint, intra annum promoveantur: facultateſque de non promovendo, præter quam in caſibus a jure expreſſis conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur: alias epiſcopus pro ſuo jure agat, uſque ad declarationem vacantium omnium beneficiorum. Promoti vero iiſdem legibus ad celebrandam miſſam, quibus omnes presbyteri, atque epiſcopi obligentur, & compellantur ab ordinariis, ſi fuerint contumaces aut contemptores. Commendatarii, quamvis ad regularem obſervantiam non obligentur, ne tamen ſint ſine jugo atque omni regula, decet eos medium ſtatum atque ordinem ſequi, & oſtendere inter regulares & ſæculares clericos in veſtitu, in victu, & in omni ornatu. Tonſura utantur ampliori quam ſacerdotali, habitu propius ad regularem accedente: nec exiſtiment ſibi commendatum monaſteriorum regimen, ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem ſuam & conſanguineorum familiam, ſed ad piam & juſtam alienarum rerum diſpenſationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam eſſe rationem.

5. Fundationibus monaſteriorum nihil magis adverſatur, quam conventui monachorum laicos aut mulieres præeſſe, ac pro abbatibus ſive abbatiſſis ſe gerere, atque etiam in his habitare. Quiſquis ſciens tales, aut quaſcumque mulieres intra ſepta monaſteriorum illorum reſidentes & commorantes, ad ſacram communionem admiſerit, ſit ſuſpenſus a divinis. Quod etiam ad eas extendatur, quæ monaſteria adminiſtrant, & monachis victum partiuntur, aut indebite frequentant.

6. Nemini abbatum, aut priorum, aut clericorum, aut aliorum eccleſiaſticorum liceat decimas, fructus & adminiſtrationem monaſteriorum, prioratuum, aut quorumcumque beneficiorum locare aut committere recipiendos aliis, quam catholicis viris, & qui ante contractum non ediderint confeſſionem fidei Romanæ eccleſiæ in manibus capituli monachalis, aut epiſcopi. Præterquam enim quod ab alienæ religionis hominibus monachi ad omnia vitia, atque etiam ad hæreſim invitantur, coloni bonorum eccleſiæ, & curati, quibus aliquid ex illis fructibus debetur, multis modis affliguntur & divexantur, aut etiam ad hæreſim ſollicitantur.

7. Epiſcopi inquirant & provideant de his omnibus quæ ad Dei cultum & ſervitium ſpectant in monaſteriis, ut totum & debitis horis fiat cum decenti reverentia, ſurgaturque media nocte ad matutinas, ſi fuerit loci, aut regulæ antiqua conſuetudo. Ad hoc enim omnia fere monaſteria fundantur, ut orent & excubias agant, ne dormientibus aliis hominibus, inimicus ſuperſeminet zizania. Poſtea videant ſi ſaltem ad ſatisfaciendum divinis officiis numerus religioſorum ſufficiat pro fundationum inſtitutione, aut ſaltem pro facultatum copia. Deinde an ſuppetant in eccleſia omnia quæ ad ſerviendum Deo ſunt neceſſaria: An ipſius eccleſiæ ac locorum regularium ſint ſarta tecta: & proſpiciendum qua ratione omnibus his provideri queat, per cenſuras eccleſiaſticas, & retentionem fructuum, invocato brachio ſæculari (ſi opus eſt.)

8. Viſitante epiſcopo, teneatur abbas regularis, ſeu commendatarius adeſſe; niſi juſta cauſa per epiſcopum judicanda impediatur, aut eo caſu vicarius legitime conſtitutus, qui quod ordinatum fuerit, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, exequatur: aut canonicis pœnis coerceatur.

9. In quacumque religione, tam virorum quam mulierum, juxta decretum concilii Tridentini, profeſſio non fiat ante decimumſextum ætatis annum expletum, neque qui minori tempore quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ vel religionis vel ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus. Finito tempore novitiatus, ſuperiores ipſi novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut monaſterio ejiciant. Abeuntibus vero ante profeſſionem omnia reſtituantur quæ ſua erant, & monaſterio contulerant deductis alimentis & veſtimentis. Quod ut recte fiat epiſcopus per cenſuras eccleſiaſticas (ſi opus fuerit) compellat. Ante profeſſionem nemo capax habeatur aut officii, aut beneficii monachalis, aut ſi quod obtinuerit, vacare cenſeatur.

10. Religioſi ad regulæ, quam ſunt profeſſi, præſcriptum vitam inſtituere & componere debent: atque imprimis obſervare obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis vota, & præcepta ad votorum reſpective eſſentiam, necnon ad communem vitam, victum & veſtitum conſervanda pertinentia, ab hiſque numquam recedendum. Neque enim poſſunt a ſuperioribus ea quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Nam ſi illa quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

ANNO CHRISTI 1581.

11. Conſtituto in regulari vita, cujuſcumque qualitatis fuerit, non licet bona mobilia, vel immobilia, etiam quovis modo acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea tradere ſuperiori, conventuique incorporare. Nec licet ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, vel commendam. Attamen poteſt ſuperior alicui tamquam officiario, ad tempus aut ad vitam rem committere, cujus conditionem faciat meliorem, & acquirat non ſibi, ſed monaſterio. In his exequendis & reformandis prudentia & manſuetudine opus eſt, ne frangamus potius quam corrigamus, quæ in pravum longa conſuetudine induruerunt.

12. Monaſteria reformentur ſecundum regulas, quas profitentur in unoquoque ordine. Sit in omnibus menſa, veſtitus, cohabitatio, & clauſura communis. Quamdiu durabunt commendæ, priores clauſtrales, ac in prioratibus conventum habentibus ſuperiores, qui correctiones & ſpirituale regimen exercent, a capitulo abbati, ſeu priori commendatario præſententur. Quod ſi diſſenſerint, ad epiſcopum negotium diſcutiendum referatur, qui de priore regimini apto providebit. Non probamus a ſolis capitulis inſtitui: quandoquidem plerumque deteriorem, modo ſibi indulgentiorem, ſolent poſtulare. Hos amovibiles decet eſſe, ſicut omnes officiarios clauſtrales, præſertim ſi deſiierint recte ad utilitatem monaſterii ſuo fungi officio. Sed viciſſim cavendum, ne per vindictam, quia nolunt abbatum aut religioſorum cupiditatibus obſequi, petantur amoveri: de quo epiſcopus aut viſitatores judicabunt.

13. Omnes officiarii teneantur in capitulis generalibus rationem reddere de ſuis officiis, & coram viſitatoribus vocato abbate, etiam commendatario, aut ejus procuratore ſeu vicario, ne quid reticeatur quod in adminiſtratione fuerit perperam geſtum. Nullus in eodem clauſtro plura exerceat, aut poſſideat officia. Eſt enim æquum, ut omnes pro ſua antiquitate honorentur & invitentur ad bene agendum.

14. Præſentatio beneficiorum ſive regularium ſive ſæcularium quæ ad monaſteria pertinent, de jure communi, tam ab abbate quam a conventu conjunctim fieri debet in capitulo, niſi aliter inter eos fuerit conventum, aut ab antiquo obſervatum. Cui de beneficio proviſum fuerit, aut ad ejus reſidentiam vadat, aut ſi reſidentia in beneficio fieri non poſſit, conveniat de fructibus ejus cum abbate, & conventu, ut cum aliis vivat. Nullus tamen ſinatur beneficium obtinere, aut clauſtrum egredi ad beneficiorum regimen, niſi cujus ſpectata aut probata fuerit fides, & ſanctitas, ut laicis potius ædificationem quam ſcandalum afferat.

15. Abbas vel prior nulli monacho det licentiam egrediendi monaſterio ſine urgenti neceſſitate: numquam autem ut ad nundinas, vel ad vicinorum pagorum feſta, vel conſanguineorum nuptias, vel ad miſſas per parœcias aut pagos celebrandas, niſi ob maximum defectum presbyterorum rogati vadant: numquam autem ut infantes a ſacro baptiſmatis fonte ſuſcipiant, niſi cogat neceſſitas.

16. Menſæ, & victus regularium, ſtatui paupertatis, quam ſunt profeſſi, non deroget. Sed ſi quid de frugali ſumptu ſuperfuerit, colligatur, ne pereat, ac de communitatis redditibus

A diligenter rationes reddantur coram religioſis, aut viſitatoribus in præſentia abbatis, etiam commendatarii, maxime ſi presbyter extiterit. Quod vero reliquum fuerit, impendatur ornatui, aut fabricæ eccleſiæ, pauperibus, aut aliis rebus monaſterio neceſſariis. Deficientium a ſtatis horis chori, aut aliter delinquentium portio, nec abbati, nec conventui accreſcat, ſed eccleſiæ cultui aut pauperibus applicetur. Sine gravi culpa, & poſt omnia tentata, quibus emendari poſſit, nemo tamquam incorrigibilis ad aliud tranſmittatur monaſterium: ne tacitis aut clandeſtinis odiis abbatum, aut aliorum regularium detur vindictæ locus. Qua in re, ne quidem vicariis epiſcoporum, ipſis incon- B ſultis, libera judicandi poteſtas debet concedi.

17. Quicumque regularis prætenderit ſe per vim & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum, non audiatur, niſi infra quinquennium tantum a die profeſſionis: Et tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo atque ordinario. Quod ſi prius ſponte habitum dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur. Interim vero nullo privilegio ſuæ C religionis juvetur juxta decretum ſacri concilii Tridentini. Ordinarius, quoniam ejuſmodi cauſæ maximi ſunt momenti, ipſemet judicet, nec ad vicarios, niſi legitime impeditus, tranſmittat.

18. Abbates & priores conventuales etiam de ſuo monaſterio minores aliquos emittant ad famoſas univerſitates, qui tamen in conventibus tantum habitent, eiſque aſſignent portionem congruam ad victum, ut poſtea bene inſtituti proſint monaſterio & ejus viciniæ.

19. Poſtremo ut paternitatis publicæ erga omnes, ſed maxime pauperes, maneat in monaſteriis aliquod veſtigium: obteſtamur omnes abbates & priores conventuales ſub intermina- D tione divini judicii, ut hoſpitalitatis & pauperum nolint oblivisci: & in monaſteriis eleemoſynarii, non ſeipſos, ſed pauperes paſcant, ac de quotidianis eleemoſynis rationem diligentem per ſingulos menſes conventui & viſitatoribus, coram abbate, etiam commendatario presbytero reddant.

20. Synodus ſalva & inviolata vult ſtatuta & privilegia monaſterii ſancti Martini Sagienſis diœceſis in Normania, de congregatione & reformatione Caſalis-benedicti, nihilque de eiſdem ſtatutis & privilegiis dicti monaſterii abrogare intendit, ſalvo jure epiſcopali.

21. De ipſis monaſteriis in prioratus, in quibus vigere debet regularis obſervantia, tot re- E gulares mitti jubemus ad divinum explendum officium, quot ex fundatione requiruntur, aut quot ferre poſſunt eorum facultates. Excommunicationi vero ſubjicimus priores ac quoſcumque alios, qui poſt trinam admonitionem, advenientes non receperint, vel ad victum aut habitationem neceſſaria ſuppeditare recuſaverint. Sub eadem pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, ut quarumcumque eccleſiarum fundationes diligenter obſerventur, nihilque immutetur, præſertim ſi approbatæ fuerint ac confirmatæ ab archiepiſcopo, aut epiſcopo diœceſis, in qua dictæ eccleſiæ exiſtunt. Nec liceat his

qui



ANNO CHRISTI 1581.

qui ſe dicunt fundatorum hæredes eſſe, aut illarum eccleſiarum poſſeſſoribus hujuſmodi fundationes intervertere, aut immutare, in aliosve uſus etiam pios convertere. Sanctorum enim patrum conſtitutionibus ſancitum eſt, ſtandum eſſe voluntati fundantium, & dotantium eccleſias: ut pro animabus ipſorum, & prædeceſſorum, atque ſucceſſorum Deo preces in ipſis fundantur.

22. Noſtris peccatis ita merentibus, in hoc regno pleriſque in locis jacent monaſteria diruta prioratus, capellaniæ atque etiam parœciales eccleſiæ collapſæ, & in prophanos uſus transferuntur, earumque fructus a laicis occupantur. De his valde curandum eſt, ne ea quæ ſacris miniſteriis dedicata ſunt, temporum injuria obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant. Epiſcopi itaque congruentibus remediis invigilent, etiam per retentionem fructuum, uſque ad eam partem quam judicarint congruere, ut monaſteriorum eccleſiæ, quæ renovatione, aut reſtauratione indigent, reficiantur, & in eis debita obſequia recte exerceantur, invocato (ſi opus fuerit) brachii ſæcularis auxilio, & remota omni appellatione. Profanatores vero prioratuum & capellaniarum cogant quibus poterunt modis, etiam per excommunicationem, ad earum purgationem & reparationem, ac fructuum reſtitutionem. Si vero vetuſtate, vel alias collapſæ fuerint, & ob earum inopiam nequeant inſtaurari, vocatis his quorum intereſt, in matrices, aut alias eccleſias locorum eorumdem, ſeu vicinorum arbitrio ſuo transferant, atque in iiſdem eccleſiis erigant altaria, vel capellas, vel prioratus, ſub iiſdem invocationibus, vel in jam erecta altaria, vel capellas, vel prioratus, traducant cum omnibus emolumentis & oneribus prioribus eccleſiis impoſitis. Parœciales vero eccleſias, etiam ſi juris patronatus ſint, ita collapſas refici procurent ex proventibus quibuſcumque ad eaſdem eccleſias quomodocumque pertinentibus: qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes qui fructus aliquos a dictis eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parœcianos, ac quoſcumque qui ſecundum loci conſuetudinem tenentur, aliosque quoſcumque juxta concilii Tridentini decretum contribuere compellant. Omnibus vero remediis opportunis ad prædicta cogant, etiam per interminationem divini judicii & excommunicationis. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborant, ad viciniores eccleſias transferantur cum facultate tam dictas parœciales, quam alias eccleſias dirutas in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

23. Anathemati ſubjiciuntur omnes & ſingulæ perſonæ, cujuſcumque qualitatis & conditionis fuerint, tam clerici, quam laici, ſæculares, regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocumque coegerint virginem, vel viduam, aut mulierem invitam, præterquam in caſibus a jure expreſſis, ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque religionis vel ad emittendam profeſſionem: quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint: quique ſcientes eam non ſponte ingredi monaſterium aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Similiter quoque anathemati ſubjiciuntur, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi veli, vel votum emittendi quoquo mo-

A do, ſine juſta cauſa impedierint. Eaque omnia & ſingula quæ ante profeſſionem, vel in profeſſione fieri oportet, ſerventur, non ſolum in monaſteriis ſubjectis epiſcopo, ſed aliis quibuſcumque.

24. Libertati profeſſionis virginum Deo dicandarum, ut proſpicerent ſancta concilia, ſtatuerunt, ut ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit epiſcopus, vel eo impedito vicarius, aut alius ab ipſis eorum ſumptibus deputatus, virginis voluntatem, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat. Quod ſi voluntas ejus pia ac libera cognita fue- B rit, habueritque conditiones requiſitas, juxta monaſterii & ordinis regulam, necnon monaſterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cujus profeſſionis diem ne epiſcopus ignoret, teneatur præfecta monaſterii eum ante menſem certiorem facere. Quod ſi præfecta certiorem epiſcopum non fecerit, quamdiu epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.

25. Sacræ virgines videant quomodo corpore & ſpiritu placeant Deo, & non cogitent quæ mundi ſunt, ſed quæ facultatem præſtent ſine impedimento dominum obſecrandi. Sponſæ fiant Chriſti, non adulteræ, nec in profeſſione fidem datam irritam faciant: ſperent in Deum, inſtent orationibus nocte & die, ſaltem ſemel ſin- C gulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſalutari præſidio muniant ſe ad omnes oppugnationes dæmonum fortiter ſuperandas.

26. Non ſint otioſæ, non verboſæ, non curioſæ, loquentes quæ non oportet, nullam dent adverſario occaſionem maledicti gratia, nec in victu, nec in ſermone, nec in velo, nec in omni habitu, in quibus omnibus delicias fugiant. Viventes enim in deliciis mortuæ ſunt, & facile convertuntur poſt Satanam.

27. Præcipitur a ſanctis conciliis univerſis epiſcopis ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, ut in omnibus monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis ve- D ro ſedis apoſtolicæ auctoritate, clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtituere, & ubi inviolata eſt, conſervare maxime procurent. Inobedientes atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita compeſcentes, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) brachii ſæcularis auxilio. Quod ut præbeatur, omnibus magiſtratibus ſæcularibus ab eiſdem conciliis injungitur ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Nemini autem ſanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire a monaſterio etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & pri- E vilegiis non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta monaſterii nemini liceat, cujuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine epiſcopi licentia, vel ſuperioris in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum epiſcopus vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſariis, neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis & indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.

28. Quia per injuriam noſtrorum temporum multæ moniales profeſſæ relicto monaſterio, vel cum parentibus, vel in hominum conſor-



tio,

tio, nec ſine multorum ſcandalo vivunt excommunicationis laqueis irretitæ, omnibus præcipimus, ut ſingulæ ad ſuos conventus quamprimum redeant, clauſuram & regularem obſervantiam cum aliis obſervaturæ. Inobedientes vero apoſtatrices declaramus. In qua excommunicatione ſi uſque ad mortem permanſerint, Chriſtiana careant ſepultura, nec in loco ſacro ſepeliantur. Poſtremo epiſcopi viſitantes videant, quonam pacto poſſint providere circa moniales hoſpitalium, de quibus infinitæ ſunt querimoniæ.

29. Quæ monaſteria ſanctimonialium in pagis, vel extra mœnia urbium, vel oppidorum conſtituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus, ſine ulla ſæpe cuſtodia ſunt expoſita: curent epiſcopi & alii ſuperiores, ſi ita videbitur expedire, ut ſanctimoniales ex his ad nova, vel antiqua monaſteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio (ſi opus fuerit) brachii ſæcularis. Impedientes vero & non obedientes per cenſuras eccleſiaſticas parere compellant.

30. Non deputentur monialibus confeſſarii, atque aliorum ſacramentorum, & officii divini *miniſtri*, *niſi* de epiſcopi conſenſu & prævio *examine* per eum, aut etiam vicarium faciendo: & præter ordinarium confeſſorem alius extraordinarius ab epiſcopo, & aliis ſuperioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat.

31. Nemini liceat monaſteria, vel domos tam virorum quam mulierum etiam mendicantium, aut parœcias, aut etiam oratoria erigere ſine epiſcopi (in cujus diœceſi eriguntur) licentia prius obtenta, & in eis non major numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, aut onera imponantur, quam ex redditibus, vel conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

32. Magno noſtro dolore per noſtrorum temporum invaleſcentem malitiam plerique ex monaſteriis tam virorum quam mulierum, atque etiam mendicantium, abierunt retro poſt ſatanam: nec ſolum ſuis ordinibus renuntiarunt, ſed matrimonia contra vota contraxerunt. Omnes rogamus & obteſtamur in domino, ut reſipiſcant a laqueis diaboli, & cum redeuntibus ad ſuorum ordinum conventus, miſericorditer, ac cum vere pœnitentibus indulgentius agere ſuperiores hortamur, modo de irregularitate & apoſtaſia a ſede apoſtolica veniam impetrarint. Qui vero in ſua nequitia contumaces perſtiterint, omnibus modis tamquam oves perditas ab eiſdem ſuperioribus quæri & compelli ad intrandum præcipimus, etiam brachio ſæculari invocato.

33. Prohibemus autem curatis, & aliis quibuſcumque, ne tales cognitos admittant ad communionem, ac ne quidem ſinant ingredi in eccleſiam, atque etiam mortuis denegent Chriſtianam ſepulturam.

34. Pervenit ad nos, a quibuſdam ſuperioribus de ordinibus religioſorum, etiam mendicantium, prætextu ſuæ regulæ, aut privilegiorum a ſede apoſtolica obtentorum, quos etiam presbyteros in ſuis conventibus judicarunt incorrigibiles, habitu monachali exui, & ſæculari ac presbyterali indui, fierique de eorum indulgentia apoſtatas; ipſis denique poteſtatem dari, ut in noſtris diœceſibus vagentur presbyteri ad celebrandam miſſam, & prædicandum verbum Dei. Interea fiunt pejores clerici quam fuerant monachi, unde infinita naſcuntur ſcandala. Monemus in domino ſuperiores ordinum etiam mendicantium, ne ad eccleſiæ deſtructionem abutantur indultis apoſtolicis, aut regula ſuorum ordinum, nec ſuos incorrigibiles a ſuis domibus dimittant, ſed in firma cuſtodia detineant, ac potius alios a ſuis monaſteriis fugitivos inveſtigent, ne ſuis ordinibus & noſtris eccleſiis ſcandala præbeant. Si ſecus fecerint, contra ipſos juxta ſanctiones canonicas procedetur. Quiſquis vero, etiam de eorum licentia vagus presbyter & apoſtata inter noſtros deprehenſus & cognitus fuerit, non permittatur celebrare miſſam, nec prædicare, ac ne quidem admittatur ad laicam communionem, ſed cogatur ad clauſtrum redire, aut incarceretur, aut fiat ſicut unus de apoſtatis.

35. Ut autem hæc omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta in omnibus monaſteriis & domibus virorum, ſeu mulierum ſub quavis gubernatione & ſubjectione exiſtentibus obſerventur, præcipitur epiſcopis, ut in monaſteriis ſibi ſubjectis, & in aliis etiam non ſubjectis in caſibus a ſacris canonibus, præſertim concilii Tridentini decretis, ſpecialiter ipſis commiſſis, ſtatim prædicta exequantur: quæ vero extra caſus prædictos in monaſteriis & perſonis ab epiſcoporum juriſdictione & ſubjectione exemptis ordinata ſunt, ea ſtudeant abbates aliique ordinum ſuperiores, ad quos ea cura ſpectat, executioni demandare: quibus negligentibus juxta ejuſdem concilii Tridentini ultimum decretum de regularibus, erit providendum.

### *De juriſdictione eccleſiaſtica.*

1. CUM & canonicis & regiis conſtitutionibus juriſdictio eccleſiaſtica ſemper ſejuncta fuerit a ſæculari, tam in perſonalibus, civilibus, quam in criminalibus cauſis: ita ut nec a ſæcularibus judicibus eccleſiaſtici debeant compelli ad debita ſolvenda, nec ab his puniri, ſi quid animadverſione dignum commiſerint, ſed ad judices eccleſiaſticos debeant remitti in caſibus præſcriptis a ſacris canonibus. Monemus in domino dictos judices ſæculares, ut dictis canonibus parcant, nec falcem in meſſem alienam mittant. Quod ſi moniti non paruerint, excommunicationis vinculo ſe noverint ſubjacere. Præcipitur vero omnibus eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis, ne coram judicibus laicis litigent, neve voluntarie ſe eorum juriſdictioni ſubjiciant in caſibus ad judices eccleſiaſticos pertinentibus, ſive actores, ſive rei ſint. Quod ſi ſententiam excommunicationis non veriti fuerint, aliis canonicis pœnis graviſſime puniantur.

2. Studeant officiales brevi compendio lites dirimere: Ideoque præcidant dilationes, quibus hactenus uti conſueverunt: ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant, & * incautis criminalibus, humanæ ſortis memores, aut nocentes reos damnare, aut inſontes cito abſolvere debent.

* f. legendum in cauſis.

3. Publicatis elogiis teſtium ſeu inqueſtis, non admittant reos ſeu defenſores dare recuſationes ſeu reprobationes teſtium, nec hujuſmodi recuſationum probationem fieri, ne poſt diſcita (ut ajunt) teſtimonia, detur teſtes ſubornandi & fabricandi locus.





4. Caveant in poſterum promotores excommunicationes & abſolutiones decernere, cum hæ ſint partes judicum. Procurare enim ſolum promotores debent, ut ſarta tecta conſervetur eccleſiaſtica diſciplina, & tamquam accuſatores poſtulare & requirere, ut in eos qui illam diſciplinam violarint, corruperint, ſeu quid vitii & ſceleris commiſerint, inquiratur: unde promotores nomen ſortiti ſunt. Iniquiſſimum autem, eumdem & accuſatoris & judicis partes agere.

5. Monet ſancta ſynodus eoſdem officiales, ne quemquam coram ſe citatum, eo quod prima die aſſignata non comparuerit, ſuſpenſum a divinis, ſeu excommunicatum declarent: ſed jubeant tantum non comparentem iterum citari: qui ſi rurſum non comparuerit in judicio, vel per procuratorem non reſponderit, procedant per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi exiſtentibus eo ipſo quod exactæ fuerint aſſignentur, retentionem fructuum, beneficiorum privationem, aliaque juris remedia. Quod ſi executio realis vel perſonalis adverſus eos hac ratione fieri non poterit, fitque erga judicem contumacia: tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio ſuo, præter alias pœnas ferire poterit. Excommunicatus vero quicumque, ſi poſt legitimas monitiones, non reſipuerit, non ſolum ad ſacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur: ſed ſi obdurato animo cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit.

6. Meminerint officiales non temere & leviter executorum ſchedulis ſeu relationibus credendum eſſe, niſi diem & horam, necnon locum, ubi perſonam, cui aſſignatio denunciata fuerit, invenerint, & coram quibus teſtibus facta fuerit, dictæ relationes contineant.

7. Excommunicationes quæ ad finem revelationis, aut pro deperditis rebus fieri ſolent, a nemine prorſus, præterquam ab epiſcopo, ac niſi de re non vulgari, cauſaque per eumdem diligenter examinata decernantur: nec ad eas concedendas cujuſvis magiſtratus auctoritate adducantur, ſed totum hoc in illorum arbitrio & conſcientia poſitum ſit. Eaſdem tamen poterit etiam vicarius epiſcopi concedere, ſi hæc facultas ei ſpecialiter ab epiſcopo fuerit demandata.

8. Non liceat epiſcopis ſigillum ſuum ad certum pretium locare, ſed illud probo viro, nec indocto, tamen eccleſiaſtico committant.

9. Præcipitur vero epiſcopis, ut certum locum ſecretariis ſuis aſſignent, ubi regiſtra ordinationum, proviſionum, collationum, & aliorum actorum a dictis epiſcopis, ſeu eorum vicariis emanatorum perpetuo cuſtodiantur, ne earum rerum pereat memoria, & inde exempla, ſeu extractus, cum neceſſarium fuerit, petantur.

10. Actuarios quoque ſeu graffarios curiarum eccleſiaſticarum & capitulorum, clericos ſeu notarios non uxoratos & ſcribendi peritos inſtituant: quibus non liceat ſuum aliis delegare officium. Quod ſi illud aut morbo impediente, aut alia urgente neceſſitate, explere non poſſint, in eorum locum officiales notarium aliquem, aut probum virum ſubſtituant.

11. Caveant autem illi actuarii, ne abſente officiali ſuos teſtes examinare præſumant (cum ſit id omni jure vetitum) ſub pœna nullitatis.

12. Sportularum & ſalarii pro actorum expeditione, ac pro apparitoribus, & ceteris eccleſiaſticæ juriſdictionis miniſtris, & operis moderata ſit erogatio, & a turpi quæſtu aliena, nec ſit ejus major taxatio quam in curia archiepiſcopali & metropolitana eſſe conſuevit.

13. Sancta ſynodus ſanxit ſeminaria per diœceſes erigi juxta formam in concilio Tridentino contentam, pro quorum ſuſtentatione ordinata & decreta fuerunt quædam, in qualibet diœceſi ab epiſcopis clero proponenda: ut ſi quæ opportuniora videbuntur, intra bimeſtre ad dominum metropolitanum approbanda remittantur, quatenus illius beneficio a ſummo pontifice, & a Chriſtianiſſimo noſtro rege confirmatio (in quantum opus fuerit) impetretur.

14. Quæ omnia judicio & beneplacito ſanctiſſimi domini noſtri papæ ſubmittimus.

### *Epiſcopi qui huic ſynodo interfuerunt & ſubſcripſerunt.*

Nos C. cardinalis a Borbonio, archiepiſcopus Rothomagenſis, primas Normaniæ definientes ſubſcripſimus.

Ego Bernardinus de S. François epiſcopus Bajocenſis ſubſcripſi.

Ego Ludovicus du Moulinet epiſcopus Sagienſis ſubſcripſi.

Ego Claudius de Sainctes epiſcopus Ebroicenſis ſubſcripſi.

Ego Joannes de Vaſſe epiſcopus Lexovienſis ſubſcripſi.

Nos Cl. Sedille, & P. le Got canonici E. Abrincenſis, procuratores & deputati a capitulo ejuſdem E. ſede vacante, approbavimus & ſubſcripſimus.

Ego Nicolaus de Briroy vicarius generalis & procurator reverendiſſ. Conſtantienſis epiſcopi ejus nomine interfui, approbavi, & ſubſcripſi.

Nomina deputatorum a capitulis ſupradictarum diœceſium, abbatum, priorum, procuratorum, & ceterorum, qui huic ſynodo interfuerunt, relata ſunt cum actis in commentarios qui in archivis ejuſdem eccleſiæ Rothomagenſis aſſervantur.

*N. CLERET, & M. BELLIN,*
*ſecretarii concilii.*

### *DE SCHOLARUM ET SEMINARIORUM fundatione & regimine ſtatuta in eadem ſynodo provinciali, per illuſtriſſimum ac reverendiſſimum dominum cardinalem a Borbonio archiepiſcopum Rothomagenſem.*

1. EPISCOPI per ſuas diœceſes veteres ſcholas inſtaurent, & contra occupatores rerum & poſſeſſionum, quæ ad illas pertinent, procedant per cenſuras eccleſiaſticas, tam in monaſteriis & prioratibus, quam in collegiatis & parœcialibus eccleſiis: Et ubi deſunt, omnem operam dent, ut aperiantur ad inſtituendam juventutem in viis domini & bonis diſciplinis, ad normam autem & regulam ſeminariorum, quoad fieri poterit, in ipſis docendi methodum introducant, ut in eadem diœceſi omnes ſcholæ inter ſe conſentiant. Omnes autem dictarum ſcholarum magiſtri fidei profeſſionem juxta formulam præſcriptam, & in hac ſynodo inſertam emittere teneantur.

2. De ſeminariorum erectione in unaquaque civitate cathedrali, aut in alia, ſi qua in diœ-

ceſſi viſa fuerit commodior, conventum fuit in hac ſynodo provinciali, ut fiat per contributionem ex fructibus integris menſæ epiſcopalis, & capituli, & quorumcumque beneficiorum, ſicut præcipitur a generali concilio Tridentino. Sed ut tolerabiliorem ipſam redderemus, habita ratione infinitorum gravaminum, quæ patiuntur potiſſimum in hac provincia beneficiarii, formam contribuendi præſcripſimus, quam omnes ſequi oportet, ipſamque ad ſingulas diœceſes tranſmiſimus.

3. Ad ipſius formæ executionem, epiſcopus ſecum aſſumet duos quos voluerit, modo ſit de capitulo unus, & alter de civitatis epiſcopalis clero, quibus capitulum de ſuo gremio tertium adjunget, & clerus civitatis quartum. Procedent autem ad contributionis taxam quam citiſſime poterunt, ita ut proximo menſe Octobri facilius ac minori ſumptu recipiantur cum ſubventione regia a quibuſcumque beneficiariis.

4. Quoniam non niſi tenuis admodum poteſt fieri contributio, quæ multis alendis, & habitationi comparandæ atque ædificandæ, aliiſque ad ſeminarii ſupellectilem neceſſariis ſufficere nequeat, in pronais & concionibus, atque etiam per domos ditiorum tam eccleſiaſticorum, quam ſæcularium, in tota diœceſi fiant adhortationes, & eleemoſynarum petitiones ad hoc tam ſanctum opus promovendum, cujus nec obliviſci debebunt in teſtamento pii viri, præſertim eccleſiaſtici.

5. Adhortamur autem in domino omnes ad quos ſpectat beneficiorum aliqua diſpoſitio, ne graventur ad vivendum dare amplioris redditus beneficia, quam ferat eorum contributio: ut ex his major numerus clericorum aliqueat, & ſeminarium augeri. Obteſtamur etiam in domino alios omnes patronos tam eccleſiaſticos quam laicos qui ad contributionem non tenentur, ut pietatis ac publicæ utilitatis intuitu, ne male aut illicite collocari beneficia ſua ſimplicia, aut penſiones ſuper parœcialibus judicent, ſi ſeminariis attribuerint. Præterquam enim quod auctoritate ſedis apoſtolicæ confirmabitur, ſeminaria obligabuntur ad onera fundationum; & alia ſibi per dictos patronos imponenda. Quicumque vero patroni intelligant ſibi licere ex nunc ad unionem offerre quæ voluerint beneficia, aut penſiones, ſine detentorum & poſſeſſorum, quamdiu vixerint, præjudicio: a quibus tamen reſignari non poterunt, etiam in curia Romana jam unita beneficia, ac ne quidem alia, niſi cum onere penſionis ſeminariis ſolvendæ, ſi prius fuerit attributa.

6. Ex monaſteriis & prioratibus conventualibus, ſi ad vivendum ſeminario beneficia ſimplicia magni proventus ſupra debitam contributionem contulerint, unus ſaltem regularis aſſumetur ad ipſum ſeminarium ſine ulla alia penſione, & liberabuntur de alio mittendo ad ſtudia literarum in famoſas univerſitates: regularis vero de ſeminario tenebitur omnibus feſtis ſolenníoribus ad monaſterium aut prioratum ire, ne regularis diſciplinæ obliviſcatur: ſed poſt ſtudiorum decurſum ſpatium, ac presbyteratum adeptum, redire ad clauſtrum, ibique novitios ad regulam, quam in ſeminario didicerit, docere, donec alius in ipſius locum ſeminario traditus revertatur ad idem clauſtrum, ſuſcipiatque munus docendi eoſdem novitios.

7. Ad fabricam ſeminariorum, & redditum eorum augmentum, atque ad alia neceſſaria proderunt, quæ de leproſariorum, hoſpitalium, fabricarum, ac confraternitatum ſuperfluis redditibus poterunt impetrari. Præbenda inſuper præceptorialis attributa ſcholis vel attribuenda, & ſi qua alia ſunt ad inſtituendos & alendos pueros in eccleſiis & locis deſtinata, in quibus ſeminaria collocabuntur, ipſis debent applicari, ea tamen lege & conditione, ut in eiſdem ſcholæ & collegium totius diœceſis ſit publicum, & provideatur de ſtipendiis præceptoribus idoneis ad docendam per claſſes juventutem, ſive in ſeminario manentem, ſive aliunde advenientem. Sic enim fiet, ut non ſolum ad eccleſiæ regimen provehendi, ſed cujuſcumque ſtatus pueri pietatem cum bonis literis imbibant, & cum adoleverint rectam ſuam educationem, atque inſtitutionem eccleſiæ referant acceptam.

8. Ad inchoandam perficiendamque ſeminariorum fabricam, & gubernationem, epiſcopi eligant de capitulo duos de ſenioribus ad gerenda negotia non inhabiles, & ineptos, de quorum conſilio omnia adminiſtrabunt, eorumdemque utentur opera & auxilio. Nec propterea quibus dignitatibus eccleſiarum cathedralium cura ſcholarum in tota diœceſi incumbit, ſuo jure privabuntur, quin obſervent, ſi in iiſdem ſeminariis omnia ſecundum fundationem, inſtitutionem & ſtatuta gerantur & adminiſtrentur, ut ad epiſcopum referant, & cum eo atque aliis deputatis canonicis, abuſibus, ſi qui irrepſerint, provideant.

9. Principio videbunt, ſi quod in civitate ad ſeminarium opportunum ædificium, aut loci ſpatium commodum ſcholis jam aſſignatum, & eo utentur de conſenſu omnium quorum intererit: ita tamen ut non admittatur ad oppoſitionem, cui nihil privati damni acceſſerit. Ne metiantur autem ædificium & locum ex numero alendorum in præſenti tempore, ſed potius ex propagandi ſeminarii ſpe, & poſteritate. Ideoque futuris ſæculis ſaltem de amplitudine loci, quoad fieri poterit, proſpiciant.

10. Ad locum comparandum, atque extruendam fabricam ſeminarii, contributiones primi anni, atque etiam ſecundi, ſi opus ſit, nec non alia undecumque provenientia pecuniarum ſupplementa pro ſua prudentia diſponant, & impendant, nec ultra facultates ædificent, ne videantur, ſi cœperint ædificare, quod nequeant conſummare. Habitationis vero ſtructura concipiatur ad finem plurimorum in eodem loco ſtudentium, manducantium, & dormientium. Idcirco manſiones ſatis amplas & commodas contineat: ad alios tamen convictores & penſionarios intra ſeminarium & collegium recipiendos, ne deſint alia ædificia cubiculis, & muſeis diſtincta, prout expedire videbitur.

11. Computabunt poſtea quanta pecuniæ ſumma ex conſtitutionibus, atque aliis adjumentis quotannis ſuppetat: ut pro ratione redditum de numero alendorum in ſeminario ineant conſilium. Ad alimenta autem, veſtitum & alia ſeminario neceſſaria pro unoquoque deputamus centum libellas argenti, ex quibus duæ partes inſumentur tenuitati victus, & veſtitus ſingulorum: Tertia vero pars præceptorum & aliarum perſonarum ſtipendiis, atque aliis rebus in ſeminario neceſſariis & requiſitis. Mutabitur tamen iſta impenſarum partitio pro ratione loci & temporis, ut ei detrahatur vel addatur.

12. Quo major numerus clericorum ad eccle-





ſiaſm aſpirantium juvari poſſit & inſtitui, in electione eorum qui ad ſeminarium admittentur, triplex delectus habebitur: inopum prorſus, deinde mediocrium, qui parentum impenſa non omnino ad ſtudia ſuſtentari valeant, ſed egent alieno ſubſidio: poſtremo ditiorum, quibus opes paternæ abundæ ſubvenient. Ad hæc cogitandum non ſolum inopes ad presbyterium informandos eſſe & adſcribendos, ne nimium gravetur eccleſia, aut contemptui habeatur, ſed melioris ſortis & conditionis adoleſcentes, qui non tantum eccleſiæ poſtea præſint, ſed pauperioribus opitulentur, ut ſuum miniſterium atque eccleſiam ornent & amplificent.

13. Quocirca utilius videatur mediam partem ſeminarii ex a) exigentioribus componere, & alteram ex mediocribus: ita ut pro uno inope duo vel tres de ipſis aſſumantur, quibus penſio unius inopis dividatur, & de parentum ſubventione ſuppleatur quod defuerit ad alimentum & veſtitum. De ditioribus vero tot cooptentur, quod capere poterit habitatio ſupra numerum aliorum. Nam præter multiplicationem cleri, & rectam inſtitutionem, de iſtorum penſionibus poterit aliquid comparari ad onera ſeminarii ſublevanda.

a) *Forte*, egentioribus. H.

14. Ad faciendum delectum eorum, epiſcopus ante Calendas cujuſque decanatus ſignificabit per decanum ruralem omnibus curatis, ſive vicariis ejuſdem decanatus, ut die Calendarum ſecum adducant ad locum aſſignatum omnes ſuæ parœciæ juvenes a duodecimo anno ætatis uſque ad vigeſimum, qui ſcholas literarum frequentarint, & in eccleſia cantare aſſueverint, atque presbyteratus deſiderio teneantur. Ad diem dictum & locum epiſcopus ipſemet proficiſcetur, aut mittet canonicos ſuos in hoc operæ coadjutores, qui inſpectis juvenibus interrogabunt de legitimo parentum matrimonio, fide, vitæ honeſtate & conditione: deinde contemplabuntur juvenum vultum, pronuntiationem, ac totius corporis habitum: quodnam præbeant ingenii ac virtutis ſpecimen, atque ad presbyteratum aptitudinem, & quem progreſſum in literarum ſtudio fecerint. De quibus ſpem meliorem conceperint, eorum nomina, parœcias, genus, ætatem, & facultates diligenter deſcribent, cum annotatione inopum, mediocrium, et ditiorum. Quamvis autem plures in uno decanatu inventi fuerint idonei, non tamen poterunt in ſeminario ſimul recipi plures, quam requirat facta diſpoſitio. Verbi gratia, ſi ſeminarii proventus nequeat ſuſtentare plures quam viginti, et ſint in diœceſi decem decanatus, non licet de uno decanatu plures quam duos ſimul admittere, niſi pro uno paupere placuerit duos mediocres, vel tres ſubſtituere. Quod ſi contra in uno decanatu nulli extiterint ſatis apti, ex viciniore decanatu conveniet alterius defectum ſupplere. Nec mirum videatur, quod de ſingulis decanatibus ſeligi optamus. Cum ſeminaria non ad unius civitatis, ſed ad totius diœceſis utilitatem & miniſterium conſtituantur.

15. Recipiendus moneatur ab epiſcopo, aut ab alio per eum deputato de ſtatu eccleſiaſtico, de ſeminario non niſi pro ſervitutis Deo & eccleſiæ fundato, de mendacio in Spiritum ſanctum, & de ſacrilegio quod committet, ſi non libenti animo, ſed ficto ad ſacrum miniſterium venerit, aut ab ipſo poſt alimoniam atque inſtitutionem ab eccleſia acceptam receſſere. Poſtea proponentur ei omnia inſtituta, officia & onera in ſeminario ſubeunda. Quibus obedientiam præſtare debebit, aut de ſodalitio expelli. Ac ne quis a propoſito, aut leviter reſiliat, non erit incommodum, ſi duo aut tres de propinquis ſpondeant atque etiam obligentur ad reſtitutionem omnium ſumptuum pro tempore quo receptus vixerit in ſeminario, ſi ſponte ſuæ vacationi renuntiarit. Quod ſi propinqui illi vel non fuerint ſolvendo, vel epiſcopo placuerit hanc ipſis obligationem remittere, ſi forte deſertor militiæ eccleſiaſticæ ad pinguiorem fortunam pervenerit, ſaltem ſumptus illos teneatur rependere.

16. Receptionis vero non alia ſit ceremonia, quam in vertice capitis raſura, atque habitus clericalis.

17. De rectoribus & præceptoribus ſeminariorum maxima cura eſſe debet. Magiſtrorum enim virtutes, aut vitia facile ſolent imbibere diſcipuli. Quoniam ſeminariorum fundatio eo tendit, ut clerici ad pietatem, religionem, eccleſiaſticam diſciplinam, bonos mores, & literas erudiantur: ad eum finem ſunt ipſis præficiendi viri pii, ac religioſi, graves & prudentes, quique ſuo exemplo & cohortationibus, tam privatis quam publicis omnes ſibi commiſſos ad ſtudium illarum rerum accendant. Nec antea tam rectores, quam præceptores præficiantur, quam fidei profeſſionem juxta inſertam ſupra formulam emiſerint. Primas, ſeu rector ſit venerandæ ſenectutis presbyter & ſacerdos, ſi fieri poſſit multum diuque in miniſteriis eccleſiaſticis verſatus, cui, ſicut de beato Auguſtino ſcribitur, diſpliceant omnia quæ aguntur in ſæculo præ dulcedine Dei, & decore domus ejus. Severitatem potius præ ſe ferat, quam exerceat: ſua præſentia, & ſolicitudine omnes in officio contineat.

18. Sub ſe præceptores habeat, quot videbuntur neceſſarii, de quorum religione catholica, probitate & capacitate nemo dubitare, aut conqueri jure queat, & de quibus fidele teſtimonium reddat diſcipulorum in devotione & doctrina profectus. Expediret ſaltem decanos, ſeu denis pueris in ſeminario aliquos præponi, ut privatim diu noctuque eorum curam gerant, non ſolum ad lectionum repetitionem, ſed ad eorumdem in omnibus actionibus directionem. Si ſeminariorum facultates non ferunt, ut tot hominibus ſtipendia dentur, ſaltem provectioribus juniores pro ſua capacitate committantur, de quibus cogantur rationem reddere omnium curatori & præfecto, aliquo propoſito operæpretio, atque etiam pœna.

19. Ad pietatem & religionem a teneris imbibendam, imprimis doceantur clerici omnibus feſtivis diebus mane, antequam ad eccleſiam vadant, atque a prandio poſt veſperas; catechiſmi catholici compendium memoria tenere, & per mutuas interrogationes de ipſo omni poſcenti rationem reddere: quamvis hujus compendii numquam debeat intermitti repetitio propter parvulos aliunde venientes, quibus erit ſemper inculcandum: tamen ubi clerici de ſeminario provectiores evaſerint, iiſdem diebus & horis, atque etiam in feſtorum vigiliis admiſcenda erit lectio de catechiſmo Romano: ut inde addiſcant ſacramentorum doctrinam & miniſterium, necnon de aliis libris ad totum officium presbyterorum pertinentibus. Bis autem in hebdomada pomeridianis horis ad

ANNO CHRISTI 1581.

ad canticum eccleſiaſticum, & pſalterium intelligendum cum hymnis exerceantur, atque ad decentem pronuntiationem epiſtolarum, evangeliorumque, collectarum, & omnium quæ dicuntur in officio divino, & adminiſtratione ſacramentorum.

20. Exerceantur etiam, ſaltem ſemel aut bis in menſe, ſuo ordine, pro captu ingenii & doctrinæ, in declamationibus, & exhortationibus, tanquam habeantur ad populum, de præceptis legis, & eccleſiæ, de articulis fidei, virtutibus ſequendis, & vitiis evitandis, aut de aliqua ſcripturæ ſententia, ut ſint ad omne opus bonum inſtructi. Nullos libros norint a ſede apoſtolica damnatos, nec illis ulli legantur niſi pudici, & qui ad morum correctionem, & ædificationem conducunt.

21. Sicut in omni a teneris aſſueſcere multum eſt, valde mane a ſomno ſurgentes clerici, ſive in duas partes diviſi, ſive bini, ac bini diſcant memoriter recitare voce ſubmiſſa ſeptem pſalmos pœnitentiales cum litania & collectis, ad Dei & ſanctorum implorandam opem pro his qui in dignitate conſtituuntur, ac toto populo Chriſtiano, ſed maxime pro benefactoribus vivis atque defunctis. Poſtea ſacris ordinibus initiati bini quoque ac bini breviarium dicant, & devote debitæ ſuum Deo ſervitutis penſum perſolvant. Alii vero juniores, horas beatæ Mariæ eodem modo exolvant. Inde vero omnes ſtudio ſe dedant uſque ad ipſam miſſam: in cujus fine canent proſam: Veni ſancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium: aut hymnum, Veni creator, cum aliquibus ſuffragiis & collectis de ſancto Spiritu, beata Maria, aliis ſanctis pro pace eccleſiæ, ſanctiſſimo D. N. papa, & Chriſtianiſſimo rege, ac toto populo Chriſtiano, ſed præcipue pro benefactoribus vivis ac defunctis. Per claſſes ad ingreſſum præceptoris ante lectionum inchoationem unus de ſeminario precationem ad invocandum Spiritum ſanctum diſtincte pronunciet, cui omnes reſpondeant, Amen.

22. Initio prandii aut cœnæ, atque etiam in fine benedictionem, & gratiarum actionem cum ſuperioribus ſuffragiis, ac pſalmo, De profundis, ne intermittant; legaturque aliquid de ſacra Scriptura, aut homiliis patrum, quo paſcatur animus cum corpore: atque a rectoribus, ſeu provectioribus juniores interrogentur, quid de auditis memoriæ mandarint, ut aſſueſcant & attentiores aures præbere, & audita retinere. Cum de claſſibus poſt lectiones pomeridianas pueri erunt dimittendi, non ſinantur exire, priuſquam omnes in ſacello convenerint ad fundenda ſuffragia ſicut prius in miſſa. Aliis vero abeuntibus, qui erunt de ſeminario, ſaltem ter in hebdomada, feria ſecunda quarta & ſexta, vigilias cum collectis, vel litanias, vel commendationes pro mortuis, ad arbitrium rectorum in duas partes diviſi, vel bini ac bini, ſubmiſſa voce cum devotione proferant, eodemque modo, atque in eodem loco veſperarum officium quique pro ſuo gradu atque ordine exolvant.

23. Poſtremo antequam diſcedant cubitum, doceantur meditari de peccatis & actionibus tranſacti diei, de quibus Deo ſit reddenda ratio uſque ad [illegible], de beatitudine [illegible] incertitudine, & miſeriis vitæ humanæ, futuri judicii, & infernæ [illegible] damnatione. [illegible] concludant bo[illegible] præcedentibus ſuffragiis. Quoties vero domi precabuntur, genua flectant & caput aperiant.

24. Omnibus diebus feſtis ad miſſam majorem, & veſperas cathedralis eccleſiæ, in cujus civitate ſeminarium extiterit, prodeant ſuperpelliceis induti, ibique locis deſignatis ordine ſtent, aut ſedeant, atque inde ad officia, & onera injuncta reverenter accedant. Eiſdem diebus concionibus interſint, unde reverſi a moderatoribus moneantur recondere in animo & executioni demandare, ſi quid præclarius auditum fuerit.

25. Feſtis ſolemnioribus, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & juxta confeſſoris ipſis deputati judicium ſumant corpus domini noſtri Jeſu Chriſti: diſcant etiam ab eodem confeſſore proprias conſcientias exonerare & repurgare, atque alienas examinare ad arbitrium epiſcopi & rectoris, vel ſimul omnes in eodem die feſtivo cujuſque menſis ad communionem veniant, vel per ſingulas dominicas ſeparati & diviſi: atque id fiat in majori miſſa cathedralis eccleſiæ, ut quoſcumque de populo invitent ad frequentiorem communionem. Ad eam autem præparentur adhortationibus rectoris, ſive confeſſarii, aut alterius pii viri, librorum & religioſarum meditationum ac precationum lectione & uſu.

26. Obteſtamur autem in domino omnes ſeminariorum præceptores & moderatores, ut ſibi commiſſos adoleſcentes ad omne opus bonum exerceant, nec ſinant eos averſari ullum miniſterium, aut obſequium, ſed fiant omnia omnibus, ut omnes Chriſto lucrifaciant. Non permittant eos torpere & otioſos eſſe, aut ſordidos in veſtitu & omni ſupellectile: ſed eos ad omnem honeſtatem, & munditiam, & diligentiam efforment. In ſpiritu lenitatis & manſuetudinis eoſdem de omnibus erudiant, & corripiant, ne prius oderint eccleſiaſticum miniſterium, quam noverint. Ament eos, & foveant tanquam filios, quos generant in Chriſto, miniſtros Dei futuros. Deſiderent potius ab eiſdem amari, quam timeri: & ad Chriſti imitationem invitent potius cum debita reverentia ad ſe venire, quam a ſuo conſpectu fugere. Ad bene agendum, & proficiendum incitent ipſo magis pudore, virtutis amore, atque etiam aliqua liberalitate & præmii ſpe, quam formidine pœnæ. Non tamen erga deſperatos aut aliorum corruptores ſint indulgentiores, aut aculeo careant; ſed poſt tentata omnium monitionum & diſciplinæ remedia agant maturius cum epiſcopo, & canonicis de aliorum a ſeminario expulſione, ne totus grex inficiatur aut pereat.

27. Viciſſim clerici obediant ſuis præpoſitis, tanquam patribus, & ab eorum nutu toti pendeant, prompti & parati ad omnia quæ fuerint illis præſcripta, nec minus patientes ad perferenda quæcumque incommoda. Nec vagari, nec tempus perdere aut vanis colloquiis inſumere, ne alios ab officio divertere, aut depravare ſtudeant: Ne ſine licentia egrediantur ſeminario: nihil ſine eadem, ac ne literas quidem recipiant, aut mittant; nec pecunias retineant, nec quidquam omnino agant.

28. Ut aliis fiat locus, ordinibus ſacris initiati, & ad miniſtrandum in eccleſia, aut ad docendum apti pro neceſſitate eccleſiarum, aut aliquorum poſtulatione, de ſeminario dimittantur, vel ad curam animarum ſuſcipiendam, vel ad ſcholas regendas, ſed ſi fieri poterit, intra decanatum a quo fuerint aſſumpti. Quod ſi enu-



ANNO CHRISTI 1581.

enutriti & ad ſacros ordines promoti, ſine licentia epiſcopi, alicui loco, perſonæ ſe manciparint, aut extra diœceſim, in qua ſervire debent, transfugerint, teneantur ad reſtitutionem alimentorum, & aliorum ſumptuum quos fecerint in ſeminario, ac ipſo facto ſint ſuſpenſi a divinis, donec redierint: niſi aliter cum illis diſpenſaverit epiſcopus. Quorum vero aliqui evaſerint capaces ad eccleſiaſtica munera perficienda, epiſcopus ipſos patronis tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus in decanatu unde oriundi ſunt, commendabit, ut aliis omnibus præferantur, ſi occurrerit beneficiorum vacatio. Omnes vero in ſeminario inſtituti, & ordinati, ſint memores, & erga ipſum grati, nec ſaltem prætereant in teſtamento, ſi prius in vita non habuerint, aut potentiam, aut occaſionem agnoſcendi beneficium acceptum. Interea quocumque locorum venerint, juventutem curent informari, educari & doceri ad eam regulam quam de ſeminariis retulerint. In omnibus vero ſuis orationibus & ſacrificiis, pro ſeminariorum benefactoribus intercedant.

## LITERÆ, SERMONES, DIFFICULTATES. CUM DICTO CONCILIO ROTHOMAGENSI PUBLICATÆ.

*Sanctiſſimus D. N. audita relatione congregationis concilii, reſpondit ad ſingulas difficultates & ſupplicationes, ut infra, & ad unamquamque habetur reſponſio.*

### I. DIFFICULTAS, ET SUPPLICATIO.

PROPTER intermiſſionem conciliorum in archiepiſcopatu Rothomagenſi, ultra hominum memoriam primum, dubitatum fuit de ſeſſione epiſcoporum & ordine. Sagienſis enim epiſcopus contendebat ſibi primas deberi, tanquam antiquiori, idque ex antiquis conciliis, & ex poſtremo Tridentino. Bajocenſis vero ſe decanum epiſcoporum, in iſta provincia aſſerebat, & prædeceſſores ſuos eo ſemper uſos fuiſſe privilegio. Addebat alium eſſe ordinem epiſcoporum ſingularem in quaque provincia, alium generalem in congregatione eorumdem extra provinciam; Tunc enim antiquitatis habendam eſſe rationem, & promotionis quam acceperunt ab eccleſia Romana. Deinde quod ſicut eccleſiæ cathedrales, & earum capitula habent aliquem inter ſe ordinem, qui non mutatur in quaque provincia: ita & earum eccleſiarum Epiſcopos eumdem ordinem tenere oportere: Bajocenſem vero eccleſiam ſive capitulum abſque controverſia primum eſſe, Abrincenſe ſecundum, Ebroicenſe tertium, Sagienſe vero poſtremum: Quia ſedes Abrincenſis vacat, procuratores ejus petierunt nullum præjudicium fieri futuro epiſcopo, quem oſtendebant ſemper habitum provinciæ ſubdecanum.

Deputati cum domino metropolitano per proviſionem Bajocenſi epiſcopo decanatum adjudicaverunt, pro hac vice tantum, & ſine præjudicio aliorum epiſcoporum, ad evitandas contentiones, donec conſuleretur ſua ſanctitas, & amplius inquireretur ex archivis Romanis & provinciæ.

Supplicatur humillime ſanctitati ſuæ, ut jubeat inquiri ſi ex regiſtris curiæ poſſit hæc difficultas decidi.

### RESPONSIO.

*In actibus conciliorum provincialium attendendum eſſe tempus ordinationis epiſcoporum, non autem dignitatem aut ordinem Eccleſiarum.*

### II. DIFFICULTAS.

1. ALTERA difficultas orta eſt de abbatibus commendatariis, an deberent inter abbates ad ſedendum & ad deliberandum recipi. Remiſſum eſt negotium ad ſedem apoſtolicam. Sed ne per oppoſitionem, aut appellationem retardaretur, aut impediretur concilium, pro hac vice tantum, ac ſine præjudicio, conceſſum illis fuit ſedere inter abbates & deliberare. Quoniam hæc difficultas paritura eſt magnas controverſias in conciliis aliarum provinciarum, inter capitula eccleſiarum cathedralium, & monaſteriorum contra commendatarios: Supplicatur humillime ſanctitati ſuæ, ut dignetur de hoc ſtatuere, & quid juris in monaſteriorum adminiſtratione & diſciplina, atque eccleſiarum hierarchia commendatariis debeatur.

### RESPONSIO.

*Commendatarios inter abbates recipiendos eſſe.*

### III. DIFFICULTAS.

1. ALIA difficultas ſubſecuta eſt inter dignitates, ac procuratores capitulorum cathedralium, contra abbates regulares & commendatarios de præeminentia in proceſſione, ſeſſione, & deliberatione. Capitula dicebant ſe, cum ſuis epiſcopis unita, ſicut membra cum capite, nec ullos interponendos inter ſe & epiſcopos ſuos. Abbates nitebantur antiquitatis more, & addebant indignum, ut inſigniti mitra, & aliis ornamentis ad epiſcopalia accedentibus, poſtponerentur ſimplicibus clericis & presbyteris. Ne res generaret lites, & afferret impedimentum concilio, quoniam pauci erant abbates regulares, tantum fuit reſponſum, ut pro hac vice abbates aſſiſterent in proceſſione domino metropolitano ſacram euchariſtiam ferente, & dicerent ſententiam quando rogarentur, nullo ſervato ordine. Sed quoniam in aliarum provinciarum conciliis magnas contentiones pariet, dignetur quoque ſua ſanctitas de hoc ſtatuere.

### RESPONSIO.

*Canonicos cathedralium eccleſiarum præferendos eſſe quando capitulariter procedunt: abbates benedictos, & qui uſum mitræ habent, præcedere commendatarios: poſt hoc locum obtinere dignitates: Et poſt dignitates, collocandos eſſe procuratores.*

### IV. DIFFICULTAS.

1. ALIA difficultas eſt de monaſteriis & aliis exemptis, an tenerentur intereſſe conciliis provincialibus epiſcoporum. Pleri que miſerunt ad proteſtandum, quibus nihil fuit reſponſum ad fugiendas oppoſitiones & lites. Capitula eccleſiarum cathedralium dicebant ſe etiam exempta & ad concilium obligari: idcirco & monaſteria. Sup-

Supplicatur humillime ſuæ ſanctitati, ut dignetur declarare an ejuſmodi monaſteria & alii exempti obligentur ad decreta concilii provincialis, & quomodo erit procedendum contra non obedientes.

RESPONSIO.

*Non teneri, niſi eos qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent: capitula tamen eccleſiarum cathedralium ſpecialiter invitanda eſſe, obligari autem ad decreta concilii provincialis omnes qui epiſcoporum juriſdictioni ſubduntur: exemptos etiam in caſibus in quibus a jure communi & concilio Tridentino ſpecialiter epiſcopis aut concilio provinciali in ipſos poteſtas tributa eſt. Et contra inobedientes juris remediis procedendum.*

V. DIFFICULTAS.

1. QUando omnibus compoſitis ad rem ventum fuit, quæſitum eſt primum, quam vocem abbates præcipue commendatarii, capitulorum deputati & epiſcoporum procuratores habere deceret. Conſtabat ex formula conciliorum provincialium, & actis omnium habitorum poſt concilium Tridentinum, tantum illis fuiſſe conceſſam deliberativam vocem, ſeu conſultivam, non autem deciſivam. Quoniam tamen videbantur illi paratiores ad impediendum concilium, & lites coram ſenatu movendas ad ipſum retardandum: nihil quoque de hoc judicatum fuit: Sed cum D. metropolitano cenſuerunt epiſcopi nihil agendum pro hac vice, niſi de omnium voto ex conſenſu. Ex quo factum eſt, ut nec de exemptione capitulorum, nec de reſidentia curatorum, nec de diſpenſationibus plurium eccleſiarum parœcialium decerni potuerit juxta concilium Tridentinum: niſi legitima forma conciliorum provincialium reſtituatur, futurum eſt, ut jam non dicantur concilia epiſcoporum, ſed inferiorum eccleſiaſticorum contra epiſcopos. Ideo dignetur ſua ſanctitas unicuique ſuos limites ponere.

RESPONSIO.

*Abbates, commendatarios, capitulorum deputatos votum dumtaxat conſultivam habere: epiſcoporum procuratores poſſe, ſi concilio provinciali placuerit, & deciſivam habere.*

VI. DIFFICULTAS.

1. CIrca decretum de baptiſmo a Calviniſtis collato dubitatum fuit, an redeuntibus ad eccleſiam taliter baptizatis, omnes ceremoniæ a Calviniſtis omiſſæ, eſſent adhibendæ & ſupplendæ. Negarunt plerique, quoniam legebant in antiquis, redeuntes ab hæreticis, recipiendos cum manuum impoſitione, quam exiſtimabant eſſe confirmationis ſacramentum.

Dicebant inſuper multos adultos non redituros ex verecundia recipiendi tales ceremonias, ſi exactius obſervarentur.

Alii dicebant quod antiquos de baptizatis in hæreſi, cum [illegible] ceremoniis intelligi, quibus redeuntibus [illegible] manuum impoſitio, quæ non eſſet confirmationis ſacramentum, ſed [illegible], & reconciliationis ceremonia. [illegible] fuiſſe aſſuetum in antiqua eccleſia, ut ſupplerentur omiſſæ ceremoniæ baptiſmi, aut chriſmatis, quia omitteretur a Novatianis, atque ita aliæ ab aliis. Alii cenſuerunt ceremonias explendas, præter exorciſmos. Concluſum tandem, de hoc conſulendam eſſe ſedem apoſtolicam, ut ſopirentur contentiones.

RESPONSIO.

*Ceremonias baptiſmi ſupplendas eſſe, præcedente in adultis adjuratione hæreſis; & reconciliatione.*

VII. DIFFICULTAS.

1. CIrca decretum de ætate promovendorum ad ſacros ordines hæſitandum fuit. Plures enim fuerunt promoti ad presbyteratum, & alios ordines ante tempus præfixum a concilio Tridentino, propter raritatem ac defectum ſacerdotum in noſtra provincia, & pauciores accedent ad ipſos ordines, ſi tantum temporis pro unoquoque ordine expectetur. Multæ vero parœciæ jam carent etiam proprio ſacerdote & curato, & plures carebunt, ſi tantus rigor ſervetur. Idcirco humillime ſupplicant epiſcopi ſanctitati ſuæ, ut det ipſis poteſtatem diſpenſandi cum hactenus promotis ante tempus legitimum, & poſſint aliquos promovere circa ætatem vigeſimi ſecundi & tertii anni poſt factam probationem neceſſitatis, morum integritatis, ac capacitatis. Ita ut probatio literis promotionis inſeratur, vel ſub ſigillo epiſcopi annectatur.

RESPONSIO.

*Indulgebitur facultas diſpenſandi cum hactenus promotis. De cetero intellecta neceſſitate, ſeu utilitate eccleſiarum, ſingulatim [illegible] diſpenſabitur.*

VIII. DIFFICULTAS.

1. CIrca decretum de reſidentia, vix obtineri potuit, ut diceretur eſſe de præcepto, & de jure divino: & interpoſitum fuit, niſi cauſa legitima & canonica obſtiterit. Dignetur ſua ſanctitas declarare manifeſtius, utrum reſidentia in parœciali eccleſia ſit de jure & præcepto divino: & an ulla cauſa poſſit eſſe canonica, ut omnino quis excuſetur a reſidentia, an tantum ad certum tempus ex particulari aliqua cauſa. Videtur enim pugnare expreſſe contra concilium Tridentinum, aliquem omnino excuſari a reſidentia parœcialis eccleſiæ. Deinde volunt plerique extendere etiam cauſam canonicam non reſidendi ad plures parœciales eccleſias, quas volunt poſſidere, nec in ulla reſidere ex cauſa legitima & canonica, quales eſſe fingunt quæ ſibi proſunt, ut ſi ſunt ſenatores in aliquo foro judiciali, ſi canonici, vel capellani, vel alii officiarii in aliqua eccleſia cathedrali vel collegiata. Si habeant diſpenſationes obtentas ante concilium Tridentinum ad plura curata, addendum eſſet in decreto: niſi ad tempus legitima & canonica per epiſcopum judicanda.







RESPONSIO.

*Declaratum & ampliſſime proviſum per concilium Tridentinum. Illius decreta obſerventur.*

IX. DIFFICULTAS.

1. INſuper dubitatur quid agendum cum canonicis cathedralium ſeu collegiatarum eccleſiarum, ſeu earundem capellanis, cantoribus & aliis officiariis, quibus non ſuppetunt juſtæ facultates & ſtipendia, quibus ali queant, & ſervire illis eccleſiis, ſi careant ſaltem unius eccleſiæ parœcialis beneficio. Nam ſi ad hujus beneficii reſidentiam coguntur, cathedrales eccleſiæ canonicis & miniſtris privabuntur. Si vero coguntur parœcialem dimittere, præbenda, & ſtipendia in majore parte eccleſiarum cathedralium & collegiatarum non ſufficiunt ad victum. In omnibus autem nulla ſunt fere beneficia ſimplicia, quæ poſſint uniri, nec tantus numerus præbendarum, ut aliquæ poſſint ſupprimi, totque ſunt gravamina & ſubventiones pecuniariæ in clero hujus regni, ut vix poſſit ſatisfieri: Huic difficultati non invenimus quomodo poſſit provideri, niſi ſi declaretur habendos pro reſidentibus in parœciali eccleſia; qui actu deſerviunt in cathedrali; vel collegiata, modo parœcialis non diſtet ultra ſemidiem: ita ut bis vel ter in ſeptimana curatus in ea faciat officium, & eodem die ad eccleſiam cathedralem, vel collegiatam redeat.

Supplicatur humillime ſanctitati ſuæ, ut dignetur ſtatuere, quid in hac difficultate ſit agendum.

RESPONSIO.

*Quoad retentionem parœcialis cum canonicatu, pro neceſſitate, & utilitate eccleſiarum, & regionis, in caſibus particularibus providebitur.*

X. DIFFICULTAS.

1. CIrca decretum de caſibus reſervatis, ubi dicitur ex concilio Tridentino epiſcopos abſolvere ab hæreſi, videtur contra bullam de cœna domini, & reſervationem factam per DD. Pios quartum & quintum. Sed plures potius manebunt in hæreſi, quam propter eam mittant ad ſedem apoſtolicam, & interea dum mittitur, & expectatur abſolutio, multæ incidere poſſunt tentationes & mutationes. Ideo humillime ſupplicant epiſcopi, ut dignetur ſua ſanctitas illis poteſtatem ex decreto Tridentino concedere.

RESPONSIO.

*Pro neceſſitate provinciæ concedetur ad tempus hæc facultas abſolvendi juxta decretum concilii Tridentini, cui magis viſum fuerit.*

XI. DIFFICULTAS.

1. CIrca decretum de clauſura monialium; ſunt quæ ex fundatione dicunt liberum ſibi relinqui exitum, & introitum monaſterii: Aliæ prætexunt ſe non emiſiſſe votum clauſuræ, nec unquam ingreſſuras monaſterium, ſi audiſſent ullam fuiſſe clauſuræ obligationem. Pleræque minantur ſe potius reverſuras ad ſæculum, quam patiantur eandem clauſuram, & per parentes nobiles necem etiam epiſcopis intentant, ſi auſi fuerint ingreſſum prohibere. In his perplexitatibus ſupplicatur quid agendum, maxime ubi timetur, ne per clauſuram aliquid deterius contingat, & magiſtratus ſæcularis non adjuvat.

RESPONSIO.

*Executioni demandentur decreta concilii Tridentini & bullæ ſummorum pontificum, quibus ſublata ſunt omnia privilegia, & fundationes.*

XII. DIFFICULTAS.

1. PRopter exemptiones capitulorum non poteſt reſtitui eccleſiaſtica diſciplina, nec emendari ullus abuſus eccleſiarum cathedralium. Exemptiones vero nequeunt ad moderationem concilii Tridentini reduci propter capitulorum reſiſtentium multitudinem, eorumdemque potentiam. Epiſcopi Rothomagenſis provinciæ conſenſerunt ſalvas manere exemptiones, ne propter eas concilio provinciali poneretur obſtaculum: ſed ſalvis illis viderunt jam ſibi viam paratam a D. metropolitano, ad ingrediendum capitula, & eis præſidendum, in ipſiſque reformandum omnia. Nam antea archiepiſcopi noſtri impetrarunt a ſede Romana bullas ad uniendum canonicatum & præbendam archiepiſcopatui, ut ita archiepiſcopus, tanquam canonicus, intraret capitulum, quoties vellet, & in ipſo præſideret: quo jure nunc etiam utitur. Supplicant humillime epiſcopi ſanctitati ſuæ, ut dignetur omnibus ejuſdem provinciæ epiſcopis bullam communem conferre ad uniendum epiſcopatui canonicatum, & præbendam quam vacantem deligere voluerint, ad inſtar unionis archiepiſcopo Rothomagenſi dudum conceſſæ, atque ad eundem effectum & finem.

RESPONSIO.

*Habebitur hujus rei ratio, & prout ſingulis eccleſiis magis expedire viſum erit, providebitur.*

XIII. DIFFICULTAS.

1. DEnique poſtulandum humillime ſanctitati ſuæ, ut dignetur ſupplicationes in decretis hujus concilii ſibi factas benigne ſuſcipere, & omnia, cum ſeminariis, prout ſibi videbitur, confirmare.

BREVE
APOSTOLICUM,
SUPER CONFIRMATIONE
CONCILII PROVINCIALIS
ROTHOMAGENSIS.

GREGORIUS PP. XIII.

*Dilecto filio, Carolo, tituli ſancti Chryſogoni presbytero cardinali, Borbonio nuncupato, civitatis noſtræ Avenionenſis noſtro & Apoſtolicæ ſedis de latere legato.*

DIlecte fili noſter, ſalutem, & apoſtolicam ben. perlata fuerunt ad nos decreta ſynodi

ANNO CHRISTI 1581.

nodi Rothomagenſis. Miſimus ea ad cardinales
congregationis concilii, qui hujuſmodi negotiis
ſunt præfecti; Illi omnia diligenter conſidera-
runt: expoſuerunt etiam nobis quæ maxime ad-
denda, demenda, mutanda eſſe exiſtimarent:
Remittuntur nunc omnia: aſcripta ſunt etiam
in margine nonnulla ad rem ipſam magnopere
pertinentia. Ubi omnia fuerint eo modo quo
mittuntur accommodata, tum vero edentur, cu-
rabiturque ut quam diligentiſſime ſerventur.
Reſponſum eſt etiam in extrema ad ſynodi ip-
ſius propoſita, & quæſita. Datum Romæ apud
ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die 19.
Martii 1582. Pontificatus noſtri anno decimo.

*Ant. Buccapadulius.*

BREVE

# APOSTOLICUM,

## DE SYNODO PR. ROTHOMAG.

## INDICENDA, ET CELEBRANDA.

## GREGORIUS PP. XIII.

*Dilecto filio noſtro, Carolo, titul. S. Chryſogoni presbytero Cardinali, Borbonio nuncupato.*

DIlecte fili noſter, ſalutem & apoſtolicam
benedictionem. Ex frequenti concilio-
rum provincialium celebratione quantas ſupe-
rioribus temporibus provinciæ ipſæ perceperint
utilitates, ſatis docent ea, quæ ob eorum in-
termiſſionem & clero & populis orta ſunt, &
quotidie oriuntur detrimenta: ea igitur ex con-
cilii Tridentini præſcripto ubique, maxime ve-
ro in Galliæ regno nobis multis nominibus ca-
riſſimo, pro moderatione morum, exceſſuum
correctione & compoſitione controverſiarum re-
novari, a prædictoque concilio ſtatuta juxta
formam ab eo traditam palam recipi cupientes
plurimum lætamur, te eccleſiæ Rothomagenſis
ex diſpenſatione apoſtolica præſulem talem, ta-
li pietate, generis nobilitate atque auctoritate
præditum, in iſta tua provincia, atque adeo in
dicto regno habere, per quem ſanctum hoc o-
pus in uſum & lucem revocari poſſe ſperamus,
conjicientes fore ut quod ipſe feceris, multi a-
[illegible] & nominis tui ſplendore adducti
imitentur, tuoque exemplo excitati Dei cau-
ſam ſpiritualiaque provincialium ſuorum com-
moda libenter amplectantur. Quare nos pater-
næ in te noſtræ caritatis affectu (quod ſatis fo-
re arbitramur) dilectionem tuam etiam horta-
mur, ut quamprimum provincialem ſynodum
in dicta tua provincia indicere, & congregare,
in eaque, quo decet religionis zelo, iis quæ
in provincialibus hujuſmodi conventibus agi-
dem ſancta Tridentina ſynodus demonſtrat ſe-
rio pertractes, & communi conſilio exequi man-
des: ut Chriſtianæ religionis rebus ſummo tuo
in catholicam fidem ſtudio ibidem optime con-
ſtitutis, [illegible] hujus ſancti inſtituti
[illegible] nos non fruſtra [illegible]
[illegible] poſſimus, & tu hu-
juſmodi pietatis atque obedientiæ meritis pro-
miſſam a Deo fidelibus [illegible] retributionem in
[illegible] ſeculo conſequaris. Datum Romæ apud

A ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die
xv. Aprilis 1580. pontificis noſtris anno octavo.

ANNO CHRISTI 1581.

*M. Datz.*

## LITERÆ INDICTIONIS.

CAROLUS miſeratione divina tituli ſancti
Chryſogoni, ſacroſanctæ Romanæ eccle-
ſiæ presbyter cardinalis, a Borbonio nuncupa-
tus, Rothomagenſis archiepiſcopus, ac Nor-
maniæ primas, reverendis fratribus epiſcopis,
decanis, capitulis, abbatibus, prioribus, cete-
riſque eccleſiaſticis perſonis, quæ de jure vel
B conſuetudine concilio provinciali intereſſe de-
bent, ſalutem in domino. Neminem veſtrum
latere arbitramur, fratres dilectiſſimi, eccleſia-
ſticæ diſciplinæ inſtaurandæ, morumque abuſi-
bus corrigendis, priſcos illos patres, qui a pri-
mis Chriſtianorum temporibus eccleſiam rexe-
runt, ſacrum generale concilium Tridentinum,
regemque noſtrum Chriſtianiſſimum, ac cun-
ctos hujus regni ſtatus & ordines nihil magis
congruum & neceſſarium, quam frequentem in
unaquaque provincia ſynodorum celebrationem,
exiſtimaſſe, in quibus & attrita reſarciantur:
collapſa reſtituantur: maculæ, quibus facies
ſponſæ Chriſti fœdata eſt, abluantur: & ſta-
tuantur denique quæ ſuo reddendo eccleſiæ ſplen-
C dori duce Spiritu ſancto judicantur neceſſaria.
Quæ cum mentem noſtram pro injuncto nobis
munere ſæpiſſime ſollicitarent, optavimus ſane
nobis cœleſti favore donari, ut tempus convo-
candi concilii provincialis opportunum ſuccede-
ret: quo aliqua ex parte noſtræ eccleſiæ colla-
benti mederi poſſemus, ac manus præberemus
adjutrices. Verum huic noſtro deſiderio turbu-
lentiſſimas procellas quibus Gallia noſtra tur-
bata eſt, quæ animum noſtrum variis anxieta-
tibus publice & privatim diſtorſerunt, vidimus
adverſari. Quarum & ſi aliquando fluctus ceſ-
ſaturos Deo propitio ſperandum, tamen ve-
rentes ne dum malorum finem & publicam
quietem expectamus, videamur potius deplo-
D randis calamitatibus tempus terere, quam ad-
hibendis remediis inhiare: exiſtimavimus no-
ſtri officii eſſe convocationem ipſius concilii
non diutius protrahere. Ad quam noſtram in-
tentionem acceſſit graviſſimum quidem, ſed
nobis gratiſſimum, ſanctiſſimi domini noſtri
papæ Gregorii pontificis maximi judicium, qui
nos ad illius ſynodi celebrationem non ita du-
dum ſuis literis excitavit, & currentibus (ut
dicitur) calcar addidit. Quapropter quod uni-
verſo clero populoque nobis ſubjecto fœlix fau-
ſtumque ſit, concilium provinciale in noſtra
metropolitana eccleſia Rothomagenſi, domini-
ca prima adventus proximi inchoandum, & ſe-
quentibus diebus celebrandum & terminandum
E indiximus, ac præſentibus literis indicimus &
conſtituimus, ſperantes ea quæ in noſtro illo
conventu Deo auctore pro bono eccleſiæ ſumus
tractaturi, optandum finem conſecutura. Ita-
que hortamur vos fratres dilectiſſimi, & ſub di-
vini obteſtatione judicii monemus atque in-
jungimus, ut poſito omni excuſationis (niſi
quæ legitima fuerit, & per ipſum concilium
approbanda) obtentu, die præſtituta Rotho-
magum nobiſcum conveniatis: ubi conjunctis
animis communibuſque ſtudiis & precibus a
Spiritu ſancto conſilium impetremus, eoque
ductore



ANNO CHRISTI 1581.

ductore & moderatore conſtituamus, & decerna- A
mus ſalubria pro Dei cultu, populorum nobis
commiſſorum utilitate, & eccleſiarum noſtrarum
ſplendore & regula: ut ſit illud futuris norma,
& præſentibus vitæ veteris emendatio, ſedulita-
te noſtra in priſtinum ſtatum revocantes quic-
quid ab antiquis patribus fuit ſtatutum: ſed quod
incuria noſtra, & corruptorum temporum licen-
tia, modo cernimus imminutum vel potius ob-
literatum, ut vigore diſciplinæ recepto poſſint
mala commiſſa corrigi, & non admittenda damna-
ri. Ceterum quo paratiores, & eorum de qui-
bus certius fieri concilium voluerit, rationem
reddere poſſitis, rogamus ac præcipimus in do-
mino, ut diligenter inquiratis, ſi quid per
veſtras eccleſias temporum injuria, & hæreſium B
labe, animadverſione & cenſura dignum ob-
repſerit, maxime circa ritus & obſervationes mo-
naſteriorum, cathedralium, & aliarum eccleſia-
rum, quarum ſtatuta per deputandos ab eiſdem
volumus, in dicto noſtro concilio exhiberi, co-
gnituro ſi quid fuerit neglectum, vel additum,
aut pro ratione temporis expediret immutan-
dum vel innovandum. In quorum fidem & te-
ſtimonium præſentibus literis manu propria ſub-
ſcriptis ſigillum noſtri archiepiſcopatus apponi
mandavimus & juſſimus. Datum in caſtro re-
gio Fontis blaaldi, anno domini milleſimo,
quingenteſimo octuageſimo, die vigeſima ſepti-
ma Septembris.

*C. Cardinalis a Borbonio.*

Per illuſtriſſimum & reverendiſſimum D. meum
D. cardinalem.

*Teſtu.*

## LITERÆ PROCURATIONIS.

CAROLUS miſeratione divina tituli ſancti
Chryſogoni ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ
presbyter cardinalis, a Borbonio nuncupatus, ar-
chiepiſcopus Rothomagenſis, Normaniæ primas,
reverendis fratribus epiſcopis, decanis, capi-
tulis, abbatibus, conventibus, prioribus, ce-
teriſque provinciæ noſtræ perſonis, quæ de jure
vel conſuetudine concilio provinciali debent in-
tereſſe, ſalutem in domino. Synodum provin-
cialem in metropolitana eccleſia noſtra Rotho-
magenſi dominica prima adventus proximi in-
choandam & quoad terminaretur celebrandam
vobis indiximus, & pro officii ratione præcepi-
mus, eo omnes nullum excuſationi locum relin-
quentes conveniretis. Sed quoniam paucis abhinc
diebus in adverſam incidimus valetudinem, qua
nos levari quando Deo placebit incertum eſt, co-
gimur in aliud tempus magis idoneum, domi-
nicam ſcilicet quæ dicitur Quaſimodo, proximam
poſt reſurrectionem domini ſynodum illam dif-
ferre & prorogare. Quamobrem vos iterum ro-
gamus, hortamur & in domino præcipimus, ut
hac indicta die in eamdem eccleſiam noſtram
omnes ad eccleſiarum noſtrarum diſciplinam &
morum noſtrorum integritatem reſtituendam
mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce con-
ſentientes: & ad ea quæ ſuperiori noſtræ con-
vocationis edicto continentur agenda omnia ac
ſtatuenda conveniatis. In cujus rei fidem & te-
ſtimonium, præſentes literas manu noſtra ſub-
ſignatas per ſecretarium noſtrum ſignari, ſigil-
lique noſtri appoſitione muniri juſſimus. Datum



in caſtro noſtro de Gallione, anno domini 1580.
die vero 28. menſis Octobris.

ANNO CHRISTI 1581.

*C. Cardinalis a Borbonio.*

Per illuſtriſſimum & reverendiſſimum D. meum
D. Cardinalem.

*De Mainteternes*

## ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

# DOMINI CARDINALIS,

## ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS,

## AD SYNODUM PROVINC. COHORTATIO.

TANDEM aliquando, FF. RR. diuturni deſide-
rii noſtri finem hodiernus dies attulit, ſe-
rius omnino quam optamus, ſed opportunius
quam ſperare potuiſſemus. Graves enim reipu-
blicæ noſtræ Chriſtianæ caſus, ut ex regis Chri-
ſtianiſſimi literis facile perſpexiſtis, aliæ ſemper
ex aliis remorandi cauſas attulerunt, quæ me ab
hoc jucundiſſimo conſpectu conſeſſuque veſtro
invitum avocarunt. Quamobrem magna Deo
habenda eſt gratia, cujus ſingulari beneficio ne
diutius ſuſpenſa expectatio veſtra teneatur, li-
cet vos iiſdem verbis affari, quibus Judas Ma-
chabæus fratres ſuos hortabatur. Aſcendamus
C mundare ſancta, & renovare. Nam quemadmo-
dum fortiſſimus ille dux populi Dei [illegible]
bus aſcendit ſuo [illegible], ubi
cum ſanctificationem deſertam, & altare profa-
natum viderent, ſciderunt veſtimenta ſua, plan-
xerunt planctu magno, & id ſibi negotii credi-
derunt ſolum dari, inſtaurarent everſum Dei tem-
plum, & quod pollutum fuerat mundarent: Sic
nos exiſtimet homo miniſtros Chriſti, & diſpen-
ſatores miniſteriorum Dei, ut convocato & co-
acto hoc noſtræ provinciæ concilio huc nos pa-
remus, hæc cogitemus, hæc moliamur, ut divi-
ni ſpiritus auxilio labentem eccleſiæ noſtræ ſta-
tum, cujus ſplendor omnis in diſciplina & mo-
ribus noſtra omnium culpa penitus obſolevit,
D in integrum quoad fieri poſſit reſtituamus. Quam-
vis autem clariſſimus hic ordinis eccleſiaſtici con-
ſeſſus, juxta ſanctorum conciliorum decreta con-
vocatus, unica iſtius curandæ & agendæ rei ra-
tio atque via eſſe poſſit: tamen exiſtimare de-
bemus provinciale concilium eſſe inſtar probati-
cæ piſcinæ, ut malis noſtris mederi nequeat, niſi
deſcendat angelus de cælo qui moveat aquam, &
ſanctificationem noſtram deſertam ſanctificet.
Tunc enim deſcendit angelus cum in nomine Dei
ſumus congregati, id eſt quando quærimus non
quæ noſtra ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Et aquam
movet, ut ſani ſimus, ſi, quoniam omnes de re-
cto curſu deflexerunt, quiſque noſtrum culpam
ſuam libere fateatur, contentionem omnem hac
E ſancta ſynodo prorſus indignam fugiat, nec ex
alienis peccatis ſuis quærat excuſationem. Ju-
ſtus enim, ut ait ſapiens, eſt accuſator ſui: at-
que ſi nos ipſos judicaremus non utique dijudi-
caremur. Quare ſi Moſi, & poſtea Joſue dictum
fuerit, Locus ubi ſtas, terra ſancta eſt: Solve
calceamentum de pedibus tuis: quid agere nos
oportet? nos inquam qui non ſolum pedibus ter-
ram ſanctam premimus, ſed quem cœli & terra non
capiunt, manibus ipſi attrectamus, non calcea-
menta tantum, verum etiam pallium Ægyptia-
cæ mulieri, id eſt omnia quæ nos ab hoc ſanctiſ-
ſimo opere & inſtituto avocant, debemus miſſa

ANNO CHRISTI 1581.

facere. At vero ſi honoris & ſalutis noſtræ negligentes adeo fuerimus, ut nos non moveat hujus noſtri ratio officii, moveat ſaltem animarum ſalus, quas cum Chriſtus non auro, non argento, ſed pretioſo ſuo ſanguine redemerit, de manibus noſtris quibus commiſit, eſt repetiturus. Moveat nos omnium expectatio, qui in nos oculos habent conjectos, & quicquid in hac ſancta ſynodo pro communi eccleſiæ noſtræ bono ſtatuerimus, ad idem agendum occaſionem ſibi datam fore putabunt. Tria ſunt enim in rebus omnibus peragendis neceſſaria, ſcire, poſſe, & velle. Scimus omnes quæ ſit noſtri cauſa, & medicina mali. Poſſumus ei divino freti numine mederi. Reſtat igitur velimus. Itaque vos reverendiſſimi & omnes amantiſſimi FF. per viſcera miſericordiæ Dei oro, obſecro & moneo, ut conjunctiſſimis animis, quod ait apoſtolus, idem ſentiamus, idem loquamur idem agamus omnes, in ſpiritu humilitatis & manſuetudinis, ne tempus hoc nobis divinitus oblatum & conceſſum ſine optato & expectato ſtudiorum laborum noſtrorum fructu dilabi ac prætermitti patiamur. *Aſcendamus igitur mundare ſancta & renovare*. Sed tu domine qui dixiſti, quoties duo aut tres congregati fuerint in nomine tuo, te fore in medio eorum, memor eſto congregationis hujus quam poſſediſti ab initio. In illam ſpiritus tui gratiam effunde, in cujus lumine videamus lumen. Tu qui via, veritas es, & vita, viam qua nobis ingrediendum & incedendum ſit, facilem & rectiſſimam aperi, ut qua fide invictiſſimi populi tui duces Machabæi aſcenderunt in montem ſanctum Sion, ubi loca ſancta everſa ædificarunt, polluta mundarunt, & renovarunt; Nos qui jam aſcendimus in hunc habitationis tuæ locum, poſſimus eodem animo, cura, ſtudio & virtute neglectam & intermiſſam in domo tua fidei noſtræ commiſſa diſciplinam reparare ac revocare, & quod noſtris corruptis moribus dilapſum eſt, corrigere, firmiſſimiſque conſtitutionibus & decretis vincere, ut quam optamus hujuſce concilii vim & effectum, feliciſſime conſequamur.

*CAROLUS SANCTÆ ROMANÆ eccleſiæ tituli ſancti Chryſogoni presbyter, cardinalis, a Borbonio, Dei, & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Rothomagenſis, primas Normaniæ,*

*Reverendiſſimis fratribus noſtris epiſcopis noſtræ provinciæ Rothomagenſis, & univerſo ejuſdem clero & populo, ſalutem in domino.*

CUM ex malis moribus bonæ leges oriantur, quæ pœnam vitiis, præmium virtutibus, arctiſſima duo ſocietatis humanæ vincula, conſtituunt, earum ſervi ſimus oportet, ut liberi eſſe poſſimus. Eſt enim libertas ubi ſpiritus domini, qui populum Iſraeliticum in ſacerdotale regnum & gentem ſanctam deligens, ejuſque rempublicam e Pharaonis ſervitute in libertatem aſſerens, non aliis quam ſanctiſſimarum legum præſidiis ſeptam, vallatam, ac munitam eſſe voluit. Priuſquam autem eas Moyſi de vertice Sinai montis ederet, ecce cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, nubem denſiſſima operire terram, clangoremque buccinæ vehementius perſtrepere: ut inde nobis eſſet exploratum, mandata Dei penes quem vitæ & mortis eſt arbitrium bonorum animos excitare, inflammare, & tanto amore penitus incendere, ut quando amanti nihil eſt difficile, ſuavia illis & levia eſſe videantur, quibus etiam ſolent terrorem incutere. Ad quem enim reſpiciam, ait dominus per prophetam, niſi ad trementem ſermones meos? At vero quoniam ſumus quaſi duabus a natura perſonis induti: una quæ communis eſt, ex quo ſumus omnes participes rationis: altera quæ proprie ſingulis eſt tributa: non ſolum leges illæ ſancitæ ſunt nobis & irrogatæ, quæ omnibus una & eadem voce loquuntur: ſed etiam ut impoſitam quiſque ſibi perſonam induat, debet certam ejus agendæ normam & regulam habere ſemper ob oculos, ad quam omnia officii ſui momenta diligentiſſime perpendat, & tamquam ſagitarius ſcopum intuens facile propoſitum ſibi finem aſſequatur. Quamobrem ubi Deus Levitas pro primogenitis filiorum Iſrael ſibi conſecraſſet, & ſuper cultum ſacerdotii conſtituiſſet, eorum ritus & officia juxta cujuſque familiam diſtribuit, juſſitque ſolum Aaronem cum filiis ſancta ſanctorum ingredi, & diſponere opera ſingulorum. Atque quanto ad altiorem dignitatis gradum eos evexit, tanto gravius ubi peccarunt in ipſos animadvertit. Nadab & Abiud in quadam divini cultus ceremonia deliquerunt; proſiliit ignis repente a domino, quo ipſi conflagrati ſunt. Sanctificabor enim, inquit dominus, in iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor. Plures in ipſo cœtu aliis in rebus peccaverant, ſed a domo domini judicium incipit. Et quantum differt paſtor ab ovibus, tantum ſacerdotes debent ceteris virtutum gloria prælucere. Hinc tot ſanctiſſimorum patrum canones, & decreta, quæ nobis eam ob rem muneris obeundi noſtri rationem præſcribunt, ſeveris legibus vitia coercent, impiorum imprimunt libidinem, frangunt ac retundunt audaciam. Imperatores & reges Chriſtiani liberam ſemper eccleſiaſticis poteſtatem reliquerunt, ea tutati ſunt, & ſua auctoritate exequi mandarunt. Sic Conſtantinum, Valentinum, Theodoſium, Arcadium, Honorium, ac alios feciſſe legimus. Quare præclara illa vox, & primi imperatoris Chriſtiani majeſtate digna, mihi homini peccatis obnoxio nefas eſſe videtur eccleſiaſticorum virorum accuſationes recipere & audire, earumque libellos combuſſit. Nam ut ſapienter divus Ambroſius Valentiniano, ad imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem eccleſiæ: aliud Paulus in eccleſia, aliud Papinianus in foro. Quæ cum ita ſint, feliciter & præclare nobiſcum agitur, quod tanta pietate regem Chriſtianiſſ. habeamus, qui ubi intellexit ex ſynodis generalibus, & Tridentina maxime petenda eſſe remedia quæ ægrotæ mederentur eccleſiæ, & quæ in illis ſanctiſſime ſtatuta temporum injuria exaruerunt, provincialibus conciliis reviviſcere, nobis de concilio in noſtra provincia ineundo cogitantibus non ſolum addidit animum, ſed ut ceteri idem in aliis ſui regni provinciis agerent pro incredibili ſuo religionis amore & ſtudio ſibi gratiſſimum fore demonſtravit. Illud igitur indiximus, convocavimus, convenimus, & cœptis a Deo opt. max. tantæ rei agendæ primordiis nudata ſunt palam, quæ ſananda eſſent vulnera: medicinæ faciendæ locus liberis ſingulorum ſuffragiis datus eſt: unde vobis unum & idem ſentientibus, atque pro ſanctiſſimi iſtius operis felici ſucceſſu plaudentibus; quæ communi calamitate & noſtrum omnium vitiis eccleſia noſtræ provinciæ perdiderat ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ, ea ſacroſanctis canonibus & decretis divini ſpiritus auxilio freti reſtituenda curavimus. Quæ omnia, qua



ANNO CHRISTI 1581.

qua debemus obedientia, auctoritati ac judicio, S. R. E. omnium eccleſiarum matris & magiſtræ emendanda & corrigenda ſubiecimus, atque a ſua ſanctitate confirmata & ex ejus etiam mandato in lucem edita ad vos mittimus: hortamurque atque præcipimus in domino, & per viſcera miſericordiæ Dei rogamus omnes & ſingulos volumen legis hujus habeant, non modo ante oculos Phariſæorum more, ſed in animo penitus inſitum. De cujus ſpatio & curriculo deflectere noſtrum nemo poterit, quin ſit ei pœna ab ira Dei, & ab ipſis legibus expectanda, atque maximæ levitatis & inconſtantiæ fama ſubeunda. Quamobrem ſi honori noſtro, & ſaluti conſulere, ſi eccleſiæ utilitati proſpicere, ſi dignitati noſtræ ornamento & ceteris qui in nos oculos habent conjectos, exemplo eſſe velimus, in hujus ſacroſanctæ ſynodi amplectendæ, tuendæ, & exequendæ ſtudium incumbamus, ut quod coram Deo & angelis magna lectiſſimorum virorum frequentia ſacris ſolennibuſque verbis promiſimus, id ultro & ſponte, omni ſtudio, cura, labore & diligentia re ipſa cumulatiſſime expleamus. Vos autem qui eſtis oves domini, populus Dei dilectus, ſi quid in vobis Chriſtianum redolet, illud etiam ſuſcipere: & quantum diſtant oves ab hircis, lupis & leonibus, tantum efficere ne ulla cupiditatis, malevolentiæ & arrogantiæ in animis veſtris macula reſideat. Vos inquam, quorum eſt, legem Dei de labiis ſacerdotis requirere, nolite extinguere ſpiritum domini, sed ut eſtis oves, ita humilitate & obedientia mitem & innocentem ovium naturam quoad fieri poterit imitemini. Valete in domino. Dat. Lutetiæ primo Calend. Septemb. 1582.

ANNO CHRISTI 1582.

# MEMPHITICA SYNODUS.

Ex tomo II. apparatus ſacri ad bibliothecam ſelectam R. P. Antonii Poſſevini, Mantuani, ſoc. JESU, atque ex annalibus eccleſiaſticis illuſtriſſimi Henrici Spondani ad an. MDLXXXII.

MEMPHITICA ſynodus auctoritate Gregorii XIII. pont. max. anno 1582. in menſem Decembris indicta, tres habuit ſubinde ſeſſiones, in quibus de ablegandis antiquis Neſtorii, atque Dioſcori hæreſibus, jungendiſque animis Cophtorum, qui & Chriſtiani præcincturæ dicuntur, cum catholica Romana eccleſia eſt actum.

Interfuere primo conſeſſui epiſcopi, & principes viri.

Secundo autem patriarcha Alexandriæ, qui in eos, atque Æthiopiam habet antiquitus juriſdictionem, abbates cœnobiorum, & primarii virii triginta.

Tertio itidem iidem, cum patribus ſocietatis JESU, Joanne Baptiſta Romano in primis, quos pietas ejuſdem pontificis maximi eo, ſuo nomine ut præeſſent ſynodo, cum pontificio diplomate allegaverat.

Et Memphis quidem Ægypti civitas eſt ingens, quam vulgus *Alcayrum* appellat, Turcis ſubdita: quæ quinquaginta circiter Cophtorum millia numerat, ut fere innumeros Æthiopia.

In primo conſeſſu. De occaſione disjunctionis ejus gentis a Romana eccleſia locuti ſunt ita noſtri, ut in pſeudoſynodum Epheſinam conjicerent culpam, quam Dioſcorus hæreticus epiſcopus coegerat haud legitimam, neque ſynodi nomine dignam. In ea enim monſtrarunt receptam fuiſſe Eutychetis inſaniam, duas negantis in Chriſto naturas, quam hæreſim legitimum Chalcedonenſe concilium e ſexcentis ac triginta patribus, Leone I. pontifice maximo, ſumma conſenſione damnaſſet. Quo facto eorum Cophtorum majores, homines minime malos, certe non doctiſſimos, idem fuiſſe ratos duas naturas in unam verbi conjunctas hypoſtaſim, ac duas cum Neſtorii hypoſtaſes copulare. Id quod antea vera Epheſina ſynodus exploſerat. Inde igitur conſequentium errorum fontem, ac ſeminarium extitiſſe.

Cum autem demum indagandi e ſuis ſcriptis (quæ vix habebant, & ea quidem exeſa vetuſtate) tempus petiiſſent, dimiſſa tunc eſt ſynodus.

In ſecundo igitur conſeſſu, cum ſeſe Cophti mordicus ſuas hæreſes eſſe retenturos aſſererent, contra quæ noſtri antiquiſſimas ſynodos, fidemque, quam illi a beato Marco accepiſſent, obiicerent, urgerent quoque, duas in Chriſto naturas denegare, nihil eſſe aliud quam miſcere, ac perturbare univerſa; & eodem ſimul negare mendacio, divinum Verbum humanam induiſſe naturam, id quod Chriſtianæ aures non ferunt, in alterum menſem rejecta eſt ſynodus.

At in tertio conſeſſu, Deo aſpirante, circumciſionis lex primum fuit abrogata. Deinde poſt ſex horarum diſputationem de duabus Chriſti naturis, tandem ſynodus univerſa divino afflatu concordiſſime ſanxit, quod ad rem attinet, una cum catholicis ſentiendum, anathematis pœna propoſita. *Si quis Chriſtum altera natura ſpoliaret. Qui cum idem Deus, idem ſit verus homo, & divinam habet a patre jam inde ab omni æternitate naturam, & humanam ſumpſit ex matre definitis temporum ſpatiis: Copthos autem, quamquam duarum abſtineant naturarum appellatione, non tamen ab iis Deum & hominem, Chriſtum eſſe negari: ſed ab ea loquendi ratione idcirco refugere, ne conſuetudo ipſa loquendi duas inducere videatur hypoſtaſes.* Sic peracta quidem res eſt kal. Februarii anni 1583.

Sed etſi manus dedere veritati, ſatanas tamen omni conatu prohibuit, quin chirographo, quod confeſſi fuerant, confirmarent, tum patriarchæ vicario id procurante, homine peſſimo, quique ea ratione conſequi ſe poſſe patriarchatum ſperaverat, tum morte ipſius patriarchæ, a Turcis quoque noſtris in teterrimum carcerem conjectis, quaſi orientalem illum tractum, ſive pontifici maximo, ſive regi catholico ſubiicere vellent. Quæ calumnia licet paulo poſt fuit agnita, Turcæ tamen pro-regi accepta fuit occaſio, ut quinque aureorum millia noſtri perſolverent, ſi vellent liberari. Quam ſummam Cophtis & mercatoribus numerantibus caritas Gregorii pont. max. liberaliter reſtituit. Tum redire coacti ſunt noſtri Romam, ubi & deinceps

ANNO CHRISTI 1582.

inceps Maronitarum, qui degunt in monte Libano, ſeminarium auctum eſt, ac fides ſubinde in eas oras propagatur: De qua vide in verbo *Maronitæ*, & in verbo ᵇ *Diamperienſe concilium*. Ceterum hæc noſtrorum expeditio fuerat primo tentata anno 1563. Pio quarto pont. max. per ipſos noſtræ ſocietatis JESU homines, ſed cum divina ſapientia ſenſim, ac fortiter incedat, tum quidem ceſſiſſe irrita viſa eſt, quamvis annua fuerit. Nos hic rem exponere voluimus, tum ne hæc narratio a noſtris fideliter accepta intereat, tum ut intelligi poſſit, quo collineandum ſit ab iis, qui poſthac tantum negotium ſint in oriente tractaturi.

ᵇ De quo poſtea ſuo tempore ex eodem Poſſevino.

ANNO CHRISTI 1583.

# DECRETA CONCILII

## PROVINCIALIS RHEMENSIS.

Quod Gregorio XIII. pontifice, & Henrico III. Chriſtianiſſimo Francorum rege illuſtriſſimus princeps, & reverendiſſimus D.D. Ludovicus S.R.E. presbyter cardinalis, a Guyſia nuncupatus, archiepiſcopus dux Rhemenſis, primus par Franciæ, ſanctæque ſedis apoſtolicæ legatus natus Rhemis habuit, anno domini 1583.

*Ab eodem ſanctiſſ. D.D.N. Gregorio PP. probatum, atque confirmatum.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.

*Nos Ludovicus miſeratione divina S. R. E. presbyter cardinalis, a Guyſia nuncupatus, archiepiſcopus dux Rhemenſis, primus par Franciæ, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatus natus. Interim dum ampliorem ſacroſancti œcumenici Tridentini concilii in hoc regno promulgationem quotidie ſperamus, & expectamus, pro eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutione, Chriſtianorumque morum compoſitione, quibus clerum, populumque noſtræ fidei concreditum prælucere totis in Chriſto viſceribus expetimus, de aſſenſu reverendiſſimorum fratrum noſtrorum coepiſcoporum, & concilio plurimorum gravium virorum ex omnibus provinciæ noſtræ partibus in prima noſtra provinciali ſynodo Rhemenſi congregatorum, quæ ſequuntur ſtatuenda eſſe duximus.*

INDEX CAPITULORUM.


1. *De fide catholica, & eamdem profitendi ratione.*
2. *Formula profeſſionis fidei.*
3. *De cultu divino.*
4. *De breviario, miſſali, & agendis, ſeu manuali.*
5. *De diebus feſtis.*
6. *De ſortilegiis, & aliis Chriſtianæ pietatis contrariis.*
7. *De ſacramentis.*
8. *De baptiſmo.*
9. *De confirmatione.*
10. *De pœnitentia.*
11. *De euchariſtia.*
12. *De ordine.*
13. *De matrimonio.*
14. *De reformatione matrimonii, decretum concilii Tridentini.*
15. *De extrema unctione.*
16. *De ſepulturis.*
17. *De ſeminariis.*
18. *De clericis in genere.*
19. *De regularibus, & eorum monaſteriis.*
20. *De curatis.*
21. *De capitulis & canonicis.*
22. *De epiſcopis.*
23. *De ſimoniacis, & fiduciariis.*
24. *De fœnore ſeu uſura.*
25. *De juriſdictione.*
26. *De viſitatione.*
27. *De ſynodo diœceſana.*
28. *De ſynodo provinciali.*
29. *Nomina epiſcoporum, qui huic provinciali concilio Rhemenſi interfuerunt, & ſubſcripſerunt.*
30. *Breve apoſtolicum ſuper confirmatione concilii provincialis Rhemenſis primi.*


### *DE FIDE CATHOLICA, ET EAMDEM profitendi ratione.*

QUONIAM catholica fides humanæ ſalutis fundamentum eſt, & totius Chriſtianæ religionis veriſſimum ac certiſſimum ſymbolum, quo fideles ab infidelibus, & orthodoxos ab hæreticis maxime diſcerni oportet, ideo illam omnes in primis ac lubenter amplectimur & profitemur: ac quoslibet Chriſti fideles noſtræ curæ commiſſos doceri, clericos vero quotquot poſtmodum ad ſacros ordines, vel ad aliquod eccleſiaſticum beneficium aut officium promoveri contigerit, antequam admittantur, etiam profiteri volumus, juxta eam quæ a fel. record. Pio PP. IV. præſcripta eſt, formulam, quam proinde hic ad verbum inſeri curavimus ad hunc modum.

### *Formula profeſſionis fidei.*

EGO N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: CREDO in unum Deum, patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.

Et in unum dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum.

Et ex Patre natum ante omnia ſæcula.

Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.

Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.

Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.

Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt.

Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt.

Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas.

Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis.



ANNO CHRISTI 1583.

Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit.

Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus eſt per prophetas.

Et unam ſanctam catholicam, & apoſtolicam eccleſiam.

Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item ſacram ſcripturam, juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis) neceſſaria. Scilicet: Baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium: illaque gratiam conferre. Et ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula quæ de peccato originali & juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem. Quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.

Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre. Atque eorum reliquias eſſe venerandas firmiſſime aſſero. Imagines Chriſti ac deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem eſſe impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam, catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc vero catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo: eamdem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo juvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

### *De cultu divino.*

1. POSITO ita fidei fundamento, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, quæ ſuperſtruenda videntur, omnia ad divinum cultum referantur, neceſſe eſt. Quapropter monemus omnes noſtræ provinciæ epiſcopos, omniumque eccleſiarum rectores, omni ſtudio ac diligentia populum doceant, in quo conſiſtat Dei cultus, & quomodo Deus vere coli & adorari debeat, hoc eſt (ut ipſe in evangelio ait) in ſpiritu & veritate.

2. Et quoniam non ſola animi voluntate, ſed etiam externo ritu colitur Deus, iidem dabunt operam, ut in eccleſiis omnibus certo, & tamen pro qualitate dierum feſtorum, diverſo campanarum pulſu fideles omnes ad eccleſiam convocent, ubi conveniant geſtu corporis bene compoſito, & (quod clerici præ ceteris diligentius obſervabunt) verborum prolatione non præcipiti vel inarticulata, ſed integra, ac certis quibuſdam cæſuris & intervallis diſtincta, ad Deum preces fundent, pſalmoſque decantabunt.

3. Ac ne cui precum multitudo tædium generet, nemoque earum partem aliquam tacitus prætereat, aut volubilitate linguæ illas omnes ita percurrat, ut plerumque mentem lingua præveniat, poterunt epiſcopi, adhibito ſaltem duorum canonicorum & aliorum gravium virorum judicio, preces ad eum modum reducere, ut & eccleſiæ dignitati reſpondeant, & facile ab omnibus exſolvi, pieque decantari poſſint: dummodo non recedatur a præſcripto conſtitutionis Pii V.

4. Cleri ſimul conveniant in chorum, nec confabulentur, aut aliquid legant, ne privatum quidem officium, nihilque dicant, faciantve, quo alios perturbent, aut ulli deſint officio, cui ſunt aſtricti.

5. In pronunciatione nominis Jeſu, & cum dicitur verſus, *Gloria Patri*, caput aperiant, & inclinent.

6. Omnes denique in templo ita ſe, ſuaſque actiones componant, ut ſibi non cum homine, ſed cum Deo rem eſſe intelligant.

7. In officiis quoque divinis obſervari volumus, ne in producendis ſyllabis & dictionibus, per numeroſiorem notularum ſonum tempus conſumatur, neve neuma in fine ſingularum antiphonarum, ſed in ultimis tantum apponatur: & lex accentuum, atque ſyllabarum quantitas exacte teneatur, & ſervetur.

8. Ratio precandi, rituumque ſervandorum in divinis officiis certa ſit in ſingulis eccleſiis, ſcriptiſque mandetur, quæ ab epiſcopo, & capitulo ſubſignabitur: quam obſervari curabit aut cantor, aut alius a capitulo nominandus (ſi

(ſi nullius erat hæc propria provincia) idque ſub certa mulcta fabricæ, aut pauperibus, aut aliis piis operibus, arbitrio capituli applicanda, de quo fidem faciet epiſcopo id requirenti.

9. Quod ſi inter epiſcopum & exemptum capitulum oriatur quæſtio, de ritibus ſervandis diſtribuendiſque per tempora officiis, donec illa a metropolitano dirimatur, loci conſuetudo ſervabitur.

10. Dum autem divinum celebratur officium, aut habetur concio ad populum, nullibi in eccleſiis permittantur pauperes mendicare.

11. Et ut orationes noſtræ Deo ſint acceptiores, in eis locis quos Chriſtus nomine domus paternæ dignatus eſt honorare, volumus, ut omnes baſilicæ, earumque altaria ab epiſcopo diœceſano conſecrentur, ac in ejus abſentia (ſed de ejus tamen vel vicarii licentia) alius quivis epiſcopus hanc functionem obire queat.

12. Quamvis imagines, quæ ſtatuuntur in templis, myſteria noſtræ redemptionis exprimant, vel ſanctorum res geſtas referant, ut erudiatur populus in fidei articulis, & ad ſanctorum imitationem provocetur: valde tamen diſplicet, quod quædam procaci venuſtate pingantur, & alienum quid a divino cultu referant, quod plebi ſcandalo poſſit eſſe, vel eam in errorem inducere. Ut igitur id deinceps non accidat, nullus etiam exemptus, imagines novas in templo collocare præſumat in poſterum, ſine epiſcopi vel illius vicarii licentia. Et quæ hujuſmodi fuerint hactenus in templis collocatæ, permittit ſancta ſynodus eas auferri: ita tamen ut omnia ad ædificationem, & citra ſcandalum fiant.

Porro, nemo ingrediatur in templum, vel ab eo diſcedat, niſi cum debita veneratione & reverentia.

*De breviario, miſſali, & agendis, ſeu manuali.*

1. PORRO quoniam omnes ritus, formulæque precandi breviario, miſſali, & agendis, ſeu manuali continentur, hortamur epiſcopos noſtræ provinciæ, ut adhibitis ſaltem duobus canonicis, quorum unus ab epiſcopo, alter a capitulo eligatur, diligenter inſpiciant & examinent hujuſmodi libros, illiſque ſimiles, ſicut preculas horarias, ne quid contineant contrarium doctrinæ catholicæ, & veris hiſtoriis ſanctorum, aut ſuperſtitionibus affine, aut quod aliqua ratione diſciplinam eccleſiaſticam, morumque probitatem labefactet: atque ubi indigeſta minuſque pietati conſona breviaria vel miſſalia repererint, curent quamprimum, & quam proxime fieri poterit; ad uſum eccleſiæ Romanæ, juxta conſtitutionem Pii V. reformari, & in lucem emitti, impenſis diœceſis.

2. Quiſquis beneficium aliquod eccleſiaſticum adeptus eſt, ſive cum cura, ſive ſine cura, & quiſquis ſacris ordinibus eſt initiatus, ſciat ſe ad preces quotidianas, quæ breviario continentur, recitandas obligari: quas ſi omiſerit, legitimo ceſſante impedimento, fructus beneficii pro rata parte omiſſionis amittat: & ſi eos receperit, reſtitutioni ſe ſciat obnoxium.

3. Quod attinet ad manuale, deputentur a domino metropolitano eccleſiaſtici viri periti, qui in certam formam redigant, qua univerſa provincia utatur; ad cujus finem exhortationes ... ad ſacramentorum adminiſtrationem adjun...

*De diebus feſtis.*

1. ET ſi omnibus diebus preces Deo fundi debent, unum tamen ſibi ſanctificavit ſabbatum, quo nos ab opere ſervili voluit abſtinere, ut erectiore mente contemplatemur illum, atque precaremur. Porro diem ſabbati in dominicum eccleſia commutavit, alioſque feſtos dies addidit, quibus acceptam a Deo gratiam in memoriam revocaret, & ad ſanctorum imitationem fideles provocaret. Ne tamen populus multitudine dierum feſtorum gravetur, non alii quam epiſcopo dies feſtos liceat inſtituere: & quos inſtituerit, ab omnibus etiam regularibus & exemptis obſerventur.

2. Diebus dominicis & feſtis in ſuas parœcias populus conveniat, & miſſæ, concioni, ac veſperis interſit.

3. Iiſdem diebus nemo luſibus, aut choreis det operam: maxime dum divinum celebratur officium, monebiturque ab ordinario, vel parœco, magiſtratus, ut id nequaquam fieri permittat.

4. Nemini a propria parœcia liceat abeſſe ſanctiſſimis diebus paſchæ, pentecoſtes, & natalis domini, niſi quem infirmitas vel alia legitima cauſa, cum parœci licentia, excuſabit.

5. Venditiones quarumcumque rerum (his exceptis quæ ad divinum cultum, & victum neceſſarium pertinent) nundinæ publicæ, mercatus, & auctiones, ne fiant diebus feſtis, ſub pœna excommunicationis, a parœcis in pronao denuntianda.

6. Ludos theatrales etiam prætextu conſuetudinis, exhiberi ſolitos, & puerilia, ceteraque ludicra, quibus eccleſiæ inquinatur honeſtas, & ſanctitas, in Chriſti & ſanctorum feſtivitatibus omnino prohibemus: contra nitentes autem pœnis coerceri volumus a ſuperioribus.

7. Fraternitatum ſocietates ne diebus dominicis hora miſſæ parœcialis, quæ competenti hora celebretur, fiant: neve in iiſdem panis, aut aqua benedicatur a ſacerdote, ſub pœna ſuſpenſionis, multoque minus permittantur in hujuſmodi conventibus crapulæ, comeſſationes, monopolia, & alia divino cultui repugnantia. Quæ autem erogabitur pecunia, in capſula recondatur, & ad uſum eccleſiaſticum, aut aliquod aliud pium opus referatur, & applicetur.

8. Nullæ deinceps fraternitates, ſine epiſcopi licentia inſtituantur: quæ autem ſunt inſtitutæ hactenus, aut approbentur ab eo, aut aboleantur.

*De ſortilegiis, & aliis Chriſtianæ pietati contrariis.*

1. UT autem ea vitent fideles, quibus cultus divinus impediri poteſt, ſtatuimus, ne quis ſcripturæ ſacræ verba ad ſcurrilia, detractiones, ſuperſtitiones, incantationes, ſortes, aut libellos famoſos audeat uſurpare. Si quis contra fecerit, juris & arbitrii pœnis coerceatur.

2. Sortilegiis matrimonii uſum impedientes, vel aliud nocumentum inferentes, genethliaci, & qui divinationibus & prædictionibus ad artem judiciariam pertinentibus (quas impie prophetias appellant) utuntur, vel eiſdem fidem adhibent, excommunicentur,

3. Ne



3. Nemo a carnibus ſuperſtitioſe diebus ſolennibus abſtineat, ut ſacro die paſchæ, ne toto anno febre laboret, aut ſimile quippiam faciat, ſuadeat, aut credat. Nemo utatur ſuperſtitioſe ſignis occultum vel expreſſum cum dæmone pactum præ ſe ferentibus, ut ligaturis, & characteribus, quamvis ex aliquo eventu ſalubria eſſe forte quiſpiam ſibi perſuaſerit.

*De ſacramentis.*

1. QUONIAM vero ſeptem ſacramentis, quaſi mediis quibuſdam præſtantiſſimis, cultus Deo ſanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis exhibetur, in primis parœcis omnibus, divinique verbi miniſtris præcipimus, ut ſedulo doceant, quid ſint ſacramenta, quorſum inſtituta, quam vim habeant, ſeu quis ſit eorum effectus, quæ utilitas, quæ virtus: ut ſimul intelligant fideles quanta pietate, fide, & religione, ad eorum perceptionem accedere debeant.

2. Deinde ut eorum poſſit eſſe debita collatio vel perceptio, vetamus, ne quis citra epiſcopi vel parœci licentiam, audeat conferre ſacramenta, aut ſine ſuperpelliceo & ſtola, niſi aliud poſtulet inſtans neceſſitas.

*De baptiſmo.*

1. AC cum omnium ſacramentorum primum locum ſibi vendicet baptiſma, præcipimus omnibus hoc ſacramentum adminiſtraturis, ut in ejus adminiſtratione decenter & honeſte ſe gerant, conferantque illud cum primum fuerint rogati: ne propter moram puer incidat in periculum.

2. Si parœcus alicujus pueri parentes diutius diſtuliſſe baptiſmum animadverterit, graviter eos increpet de periculo, in quod eorum culpa puer incidere potuit: & ſi neglexerint, ſignificet epiſcopo, ut huic malo remedium afferre conetur.

3. Idem moneat ſuſceptores, fidei pro ſuſcepto ſponſores eſſe, itaque eos obligari cum infans ad adultam ætatem pervenerit, eum docere fidei rudimenta ſeu ſymbolum, ut ſaltem ejus verba memoria tenere & recitare valeat, niſi id a parentibus præſtari poſſit.

4. Sciat itaque ad hoc munus non facile debere admitti pueros, qui rationis uſum nondum habent: & caveat, ne plures ſuſceptores duobus admittat, ſcilicet unum virum, & unam feminam, propter cognationem ſpiritualem, quæ inde contrahitur.

5. Multo autem minus hæreticos, vel etiam hæreſi ſuſpectos ſinat eſſe fidei ſponſores.

6. Quod ut vitari queat, rogabit ſacerdos clara voce omnes qui puerum baptizandum ad eccleſiam comitati ſunt, vel ſaltem patrinum & matrinam, numquid velint vivere ac mori in eccleſia catholica apoſtolica & Romana, abnuenteſque ab officio ſuſcipiendi repellat.

7. Convenire etiam judicamus, ut epiſcopus in propria diœceſi, parœcus in ſua parœcia, & initiatus ſacris ordinibus in ſuæ reſidentiæ vel beneficii loco pueros de ſacro fonte non ſuſcipiant: nunquam vero monachus patrinus, vel monialis matrina eſſe queat.

8. Parœcus etiam moneat, ne in baptiſmo nomina paganorum pueris imponantur.

9. Atque antequam baptizet infantem, diligenter inquirat, num ſit perfuſus aqua, & qua, quibuſque verbis: & ſi jam baptizatus fuerit, & verba ſacramentalia pronuntiata (de quo ſufficienti duorum ſaltem teſtimonio ſacerdoti conſtare debet) non baptizetur iterum, ne ſub conditione quidem, ſed tamen omnes ceremoniæ ſuppleantur, atque etiam exorciſmi pronuntientur. Quod cur fiat, populum ipſe monebit.

10. Idem obſervabitur in his qui ab hæreticis baptizati fuerint, quos nec baptizabit quidem, etiam adhibita conditione eorum verborum, *Si tu non es baptizatus*, &c. Quinimo, etiam ſi adulti fuerint, poſt abjurationem hæreſis, & reconciliationem, ſupplebuntur baptiſmi ceremoniæ.

11. Parœcus autem diligenter caveat, ne aqua benedicta ſit ſordida, neve oleum, vel chriſma diutius uno anno ſervatum: ſignum crucis etiam in aquæ effuſione, ſupra caput pueri obſervet, poſt quam effuſionem, ſoluni campanas vel organa in ſignum lætitiæ, & adoptionis filiorum Dei pulſari permittat. Prius autem monuiſſe debet omnes, qui baptiſmo interſunt, ne futilia verba effundant, aut rideant, ſed ſua oratione eccleſiæ miniſtrum adjuvent.

12. Extra eccleſiam in prophanis locis, baptiſmus citra neceſſitatem non conferatur. Ea vero ſi urgeat, ſola verborum forma cum materia obſervabitur. At ſi valetudo pueri permittat, ad eccleſiam poſtea deferatur, ut illi ceremoniarum uſus adhibeatur.

13. Poſt baptiſmum, ſacerdos moneat aſtantes, ne verbis ludicris, & geſtibus obſcœnis, ſeu compotationibus, aut alio quovis modo, gratiæ in baptiſmo collatæ videantur illudere.

*De confirmatione.*

1. QUEMADMODUM humanæ militiæ tyrones, etſi jam aſcripti ſint in numerum militum, nondum tamen illis ſumma belli committitur, niſi fuerint exercitatiores: ſic quamvis unuſquiſque per baptiſmum catalogo fidelium ſit aſcriptus, ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac ſuperandas, non niſi per impoſitionem manuum epiſcopi plus roboris & gratiæ recipit. Moneant ergo parœci, divinique verbi præcones, ſacramentum confirmationis non debere negligi vel prætermitti a vere Chriſtianis, hoc præſertim tam calamitoſo, & hæreſeon pleno tempore.

2. Epiſcopi autem frequenter illud conferant, ita tamen ut non omittant ſingulis annis, in præcipuis ſuæ diœceſis urbibus, & locis, adventu ſuo prius publicato, in eorum locorum vicinia.

3. Conferent vero gratis, & iis qui uſum aliquem rationis habent, confeſſis, & ſi commode fieri poteſt, jejunis, admoneanturque ut ſymbolum apoſtolorum, & orationem dominicam memoriæ mandent.

*De pœnitentia.*

1. CUM prædicationis evangelicæ ... ſit pœnitentia, quæ ad delenda peccata veluti ſecunda tabula poſt naufragium inſtituta eſt, moneant parœci & concionatores, neminem

nem

ANNO CHRISTI 1583.

nem poſſe peccatorum veniam conſequi, priuſquam de peccatis confiteatur, & diligenter totius ante actæ vitæ, ſaltem a tempore noviſſimæ confeſſionis, rationem ineat, licet aliquando contingat contritione caritate perfecta, cum hujus ſacramenti voto peccata remitti.

2. *Huic* rationi peccatorum integram confeſſionem ſubjungat, eaſque peccatorum circumſtantias explicet, quæ peccati ſpeciem mutant: nec credat ſe abſolutum, ſi partem aliquam peccatorum uni, & reliquam alteri confiteatur: aut dum uni tantum confitetur, ſive pudore, ſive metu, peccatum aliquod reticeat.

3. *Aſſueſcant* omnes a juventute frequenter, & ore proprio confiteri: quod ut præſtare poſſint, diſcant, & memoria teneant formulam confeſſionis ex hujus ſynodi decreto in manuali deſcribendam.

4. Ut autem injunctæ pœnæ ſatisfacere valeant pœnitentes, ſacerdos non ſe præbeat nimis ſeverum, neque tamen ita lenem, ut pœnæ contemptu ad rurſum peccandum pœnitentem potius invitet, quam ad novæ vitæ genus ineundum.

5. Nemo exiſtimet ſibi licere cuicumque volet ſacerdoti confiteri, ſed proprio tantum parœco. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa, ſua confiteri peccata, licentiam poſtulet, & obtineat a proprio ſacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, vel ligare.

6. Capitula & communitates quæ ſuos ſolent habere pœnitentiarios, vel confeſſarios, non quoſvis, ſed eos ſive de ſuo corpore, ſive aliunde, vel eligant (ſi ante conſueverunt) vel a decano aut ſuperiore accipiant, qui ſint probatæ vitæ atque doctrinæ, & juxta concilium Tridentinum ab ordinario approbati, ut poſſint agnoſcere gravitatem peccatorum, & agnitam judicare, pœnitentiamque fructuoſam imponere.

7. Similem quoque confeſſariorum delectum habere jubentur parœci.

8. Poſt confeſſionem abſolutio nemini concedatur, qui non fuerit reconciliatus cum proximo, ſi quem oderat, ſaltem in voto.

*De euchariſtia.*

1. CUM nihil habeat Chriſtiana religio ſacramento euchariſtiæ præſtantius, & auguſtius, nihilque ad ſancte & inculpate vivendum efficacius ejuſdem frequentiſſima participatione, dolemus tantam eſſe Chriſtianorum hujus temporis incuriam, ut ſemel tantum in anno ſumant, tam ſalutaris ſacramenti ſubſidia.

2. Quare parœci, & qui ad divini verbi prædicationem aſciſcuntur, deinceps de frequentis communionis antiquo uſu, ejuſdemque miris fructibus & utilitate diſſerant, & fidelibus perſuadere nitantur, nullum eſſe modum aptiorem & compendioſiorem, quo ſopitis & extinctis hæreſibus, eccleſiæ apoſtolicæ facies noſtro ſæculo redeat. Nos quoque fideles omnes hortamur, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, ut quam ſæpiſſime, ſaltem vero diebus ſolennibus communicent, & quotieſcumque poſtulaverit ingruens aliqua neceſſitas, quæ vitam humanam in diſcrimen & periculum adducat.

3. Aliis vero diebus etiam non feſtivis, quam ſæpiſſime, devotiſſimeque interſint miſſæ ſacrificio, ante cujus finem, & datam a ſacerdote benedictionem nullus e templo diſcedat.

4. Dum legitur evangelium, vel præfatio, omnes aſſurgant.

5. Sacerdote vero celebrante, & clero concinente, laici preces horarias, non niſi ſubmiſſa voce recitent, nec confabulentur, aut rideant, aut aliud quicquam agant, quo res ſacra interturbetur. Qui tamen inter eos doctiores, reique Chriſtianæ peritiores extiterint, præclarius agent, ſi loco precum ex ſcripto recitandarum, a præfatione, qua pertractantur myſteria, animo defixo mentiſque fervore complectantur atque contemplentur.

6. Pueri vero a choro arceantur, niſi qui chorum & clerum canendo adjuvant.

7. Imo dum divina celebrantur, ad altare vel intra chori cancellos nulli laici, multo minus feminæ, ſeſe intrudant. Quod ſi præſumpſerint aliqui, maxime ex eis qui dignitatis alicujus ſplendore ſint inſignes, nullus eis honos eccleſiaſticus, ut thurificationis, & oſculi pacis, ac evangeliorum exhibeatur.

8. Sacerdotes vero non diebus tantum ſolennibus, ſed etiam dominicis, ſæpiuſque ſi fieri poteſt, ſacrificent. Nullus tamen ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque prævia ſacramentali peccatorum confeſſione celebret. Quod etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, ſervandum erit, modo non deſit illis copia confeſſoris. Si vero neceſſitate urgente, ſacerdos abſque præmiſſa confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.

9. Sacerdotum autem hunc delectum obſervabit parœcus, ut neminem admittat ad miſſæ celebrationem in ſua eccleſia, niſi qui illi ſit aſcriptus, aut ſibi notus, aut literas teſtimoniales, & commendatitias ab epiſcopo proprio habuerit.

10. Miſſam quiſquis celebraturus eſt, nec accedat illotis (ut ajunt) manibus, & habitu ſordido veſtimentorum, aut ornamentorum altaris.

11. Sacrum autem faciens, clara diſtinctaque voce ita pronuntiet, ut ab aſſiſtentibus, ſaltemque a miniſtris altaris, poſſit intelligi.

12. Miniſtrorum vero nomine cenſemus etiam eos hoc loco, qui ſacrificanti reſpondent, & inſerviunt: quos non pauciores duobus (ſi fieri commode poteſt) volumus adhiberi, eoſque vel clericos, vel ſaltem idoneos laicos.

13. Hoc autem facilius futurum ſperamus, ſi miſſis celebrandis hic modus & ordo ſtatuatur a ſuperiore, ut unicuique certum tempus & ſtata hora præfigatur. Vetamus itaque plures ſimul miſſas celebrari in quavis eccleſia, niſi ſit tantus ſacerdotum numerus, ut hoc noſtrum ſtatutum commode ſervari nequeat.

14. Diebus autem dominicis, ac populo feſtivis, dum majus ſacrum, concio, vel ſupplicationes fiunt, in alio aliquo altari eccleſiæ miſſam celebrari omnino prohibemus.

15. Et ad altare majus, in eccleſiis metropolitanis, cathedralibus & collegiatis, in quibus eſt major quam quindecim canonicorum numerus, nemo celebret, qui non ſit canonicus, vel in dignitate conſtitutus.





ANNO CHRISTI 1583.

16. At extra eccleſiam, & oratoria divino cultui dicata, nemini rem ſacram facere liceat.

17. Itemque in loco polluto, tali per ſententiam epiſcopi vel ejus officialis declarato, ante reconciliationem illius, nemo celebrare præſumat: pendente vero declaratione miſſam celebrare permittimus in altari portatili, petita & obtenta ab epiſcopo licentia.

18. Ut autem ad tanta myſteria poſſit animus fidelium eſſe devotior, cultuſque ſincerior, muſica illa levis & garrula procul omnino arceatur, ſed ſi qua adhibenda videtur, ſit illa gravis & æqualis, non redolens impudicas cantilenas, ſed integra canticorum eccleſiaſticorum verba, ſenſumque referens. Idem volumus obſervari in organorum ſono (niſi quod verba referre nequeant) quæ omnino ſilere jubemus, dum ſymbolum fidei decantatur, & ab elevatione corporis Chriſti, uſque ad hymnum, *Agnus Dei*.

19. Inter miſſarum ſolennia, maxime eodem, cujus meminimus tempore, id eſt, a conſecratione ſanctiſſimi corporis Chriſti, uſque ad hymnum prædictum, & ſanctiſſimam communionem quivis pſalmi (etiam ille cujus eſt initium, *Lætatus ſum*) antiphonæ, reſponſoria, preces, & ſuffragia, alia ab his quæ in miſſali continentur, non admiſceantur, ſi aliqua fuerint hactenus recepta quacumque occaſione vel inſtitutione, ante vel poſt miſſæ celebrationem, recitentur.

20. Quoniam autem apud omnes fere catholicos uſus modo obtinuit, ut procumbentes adorent divinam euchariſtiam, eo quod hujuſmodi ritus ad Chriſtianam humilitatem & devotionem exprimendam, deteſtandaſque hæreſes noſtræ tempeſtatis videatur eſſe accommodatior, ſancta ſynodus hortatur, ut ſi qua eccleſia altero more adhuc utatur, & ſtans Chriſti corpus in hoc ſacrificio adoret, procumbat deinceps, dum ſancta myſteria proponuntur adoranda.

21. Quod ſi a ſacerdote plures hoſtiæ conſecratæ fuerint, recondantur in honeſto ciborio, cujus clavem ſolus parœcus apud ſe habeat, eaſque tam frequenter mutet, ut ratio loci ac temporis poſtulare videbitur.

22. Et cum ſacram hoſtiam deferet ad ægrotos, velo aliquo honeſto, aut peplo vaſculum tegi curet, præeunte uno ſaltem clerico, cum campanula, & tæda accenſa.

23. In ſolenni vero feſto ſupplicationeque corporis Chriſti, obſervetur exacte canon *De ludicris prohibendis diebus feſtis*, ſuperius expreſſus, neque larvæ & perſonati homines adeſſe permittantur, qui populum a religioſa contemplatione, & adoratione tanti myſterii avocent.

*De ordine.*

1. PERSPICUUM eſt ſacramentum ordinis eſſe ſignaculum, quo ſuſcipiendi traditur poteſtas prædicandi, baptizandi, conſecrandi corpus Chriſti, & peccata dimittendi: Ideoque monendos in primis ſacerdotes putavimus, ut ad tantæ poteſtatis adminiſtrationem, noverint ſe ſanctos eſſe debere, quia ſanctus eſt, qui illos ad tam ſublime miniſterium vocavit.

2. Deinde præcipimus epiſcopis ut caveant, ne in illo conferendo, modum a concilio Tridentino præſcriptum excedant, neve quemquam ſine prævio diligenti examine admittant.

3. Quod etiam intellectum volumus de literis dimiſſoriis, priuſquam concedantur.

4. Ad ſacrorum ordinum ſuſceptionem epiſcopi, pro neceſſitate, ſeu utilitate ſuarum eccleſiarum, cogant beneficiatos, dummodo alias idonei ſint, cum ad ætatem legitimam, id eſt, a ſacris canonibus præſcriptam, pervenerint. Tempus vero præſcriptum pro ſubdiaconatu, eſt annus vigeſimus ſecundus: pro diaconatu, vigeſimus tertius: pro ſacerdotio, vigeſimus quintus. In quo ſi negligentes fuerint, quarta parte fructuum beneficiorum, pauperibus, & fabricæ eccleſiæ applicanda, priventur.

5. Literas dimiſſorias ne quis poſtulet aut obtineat, cum a proprio epiſcopo poterit ordinari: ne examen illius judiciumque ſubterfugiſſe videatur, ut ab alio epiſcopo facilius admittatur.

6. Qui ſub titulo alicujus beneficii eccleſiaſtici, ad ſacros ordines promotus fuerit, hujuſmodi beneficio nullo modo cedere queat, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi prius conſtet, quod aliunde habeat, unde commode vivere poſſit: alias ceſſio nulla ex concilii Tridentini decreto cenſeatur.

7. Qui autem titulum beneficii promovendus non habuerit, habeat patrimonium, arbitrio epiſcopi æſtimandum, an illi ſit ſatis ad vitam ſuſtentandam: quod alienare nequeat, niſi aliunde ſuppetat illi commodi victus facultas, ac niſi conſultus epiſcopus conſenſerit, atque permiſerit.

8. In promovendis vero ad beneficia eccleſiaſtica obſerventur ea quæ præſcripta ſunt a concilio Tridentino, ſeſſione 24. cap. 18.

9. Nemini beneficium quantumvis exiguum, ante decimum quartum ætatis annum committatur.

*De matrimonio.*

1. MATRIMONII quanta ſit dignitas, ratio ſacramenti ab apoſtolo explicata non obſcure inſinuat: quanta vero in hujuſmodi fœdere conciliando hodie ſit hominum perverſitas, vel ipſa plus ſatis docet experientia.

2. Quoniam igitur de clandeſtinis matrimoniis; atque adeo de tota ineundorum conjugiorum ratione multa utiliter, & ad hæc tempora accommodate ſtatuit ſacroſancta Tridentina ſynodus, ideo ut quæ ab ipſa ſancte decreta ſunt, ab omnibus plane intelligi, & inviolabiliter obſervari poſſint, hic ad verbum inſeri voluimus.

*De reformatione matrimonii decretum concilii Tridentini ex ſeſſ. 24.*

1. TAMETSI dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos ſancta ſynodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, quique falſo affirmant, matrimonia a filiiſfamilias, ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe: nihilominus ſancta Dei eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. Verum cum ſancta ſynodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodeſſe, & gravia peccata perpendat, quæ ex iiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua

clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco ſacri Lateranenſis concilii ſub Innocentio tertio celebrati, veſtigiis inhærendo præcipit, ut in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parœco tribus continuis diebus feſtivis in eccleſia, inter miſſarum ſolennia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie eccleſiæ procedatur, ubi parœcus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu interjecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum.

Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem parœco, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denuntiationes in eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur: niſi ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio ſancta ſynodus relinquit.

Qui aliter, quam præſente parœco, vel alio ſacerdote, de ipſius parœci, ſeu ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.

Inſuper parœcum vel alium ſacerdotem, qui cum minori teſtium numero, & teſtes, qui ſine parœco, vel ſacerdote hujuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri præcipit.

Præterea eadem ſancta ſynodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: ſtatuitque benedictionem a proprio parœco fieri; neque a quoquam, niſi ab ipſo parœco, vel ab ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii ſacerdoti concedi poſſe, quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante. Quod ſi quis parœcus, vel alius ſacerdos, ſive regularis, ſive ſæcularis ſit, etiam ſi id ſibi ex privilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parœciæ ſponſos ſine illorum parœci licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiu ab ordinario ejus parœci, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur.

Habeat parœcus librum, in quo conjugum & teſtium nomina, diemque, & locum contracti matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Poſtremo ſancta ſynodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum eucharistiæ ſacramentum pie accedant. Si quæ provinciæ, aliis ultra prædictas laudabilibus conſuetudinibus, & ceremoniis, hac in re utuntur, eas omnino retineri ſancta ſynodus vehementer optat.

Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in ſingulis ſuarum diœceſum parœcialibus eccleſiis: idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat: deinde vero, quoties expedire viderint.

Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque parœcia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parœcia factæ numerandos.

3. Nos igitur cum hujuſmodi decreti obſervationem ad coercendam plurimorum hodie nimium effrænem petulantiam, & Chriſtianorum conjugiorum revocandam, conſervandamque ſanctitatem omnino neceſſariam eſſe videamus, in manuali, quod pro tota provincia edi ſtatuimus, Gallicis verbis expreſſum volumus inſeri: omnibus parœcis diſtricte præcipientes, ut tribus quatuorve continuis diebus dominicis, vel aliis feſtis, quibus in eccleſiam major frequentia populi ad ſacra myſteria convenire ſolet; ſed & primo quoque dominico die cujuslibet menſis hujuſce anni, ac deinceps quoties expedire videbitur, illud publice & vernacule in pronao inter miſſarum ſolennia recitent, & ipſi quæcumque in eo præſcripta ſunt, diligenter obſervent, non impune laturi, ſi neglexerint.

4. Sponſalia vero non niſi coram parœco, vel ejus vicario, deinceps fiant, idque in eccleſia, & non alibi, niſi de ordinarii licentia gratis concedenda, quatuor vel tribus ſaltem teſtibus præſentibus, atque ſine aliqua juvenum petulantia, quam pœnis etiam prohiberi volumus.

5. Porro matrimonii benedictio non niſi ſub finem miſſæ, cui interfuerint, contrahere volentes, nec ante quartam matutinam, nec poſt meridiem conferatur. Peccare autem graviter admonemus eos, qui noctu vel clanculum benedictionem nuptialem ſibi dari procurant, propter metum maleficii. Maleficium enim ſe vitare poſſe credere debent, ſi eo pietatis affectu ad conjugium accedant, qui præſcribitur in ſacris literis, videlicet ut cum timore domini, & amore filiorum, magis quam libidine impulſi copulentur, devote ſuſceptis, ut ante diximus, pœnitentiæ & eucharistiæ ſacramentis.

6. Cum vero matrimonium non faciat contractus, ſed conſenſus, ac proinde contrahentium libertas nulla vi premi debeat, qui ad illud aliquem compulerint, ipſo facto excommunicationem incurrere moneantur. Liberi autem invitis parentibus contrahere volentes, non inconſulte vagique homines, & incogniti, facile non admittantur ad matrimonii celebrationem: ſed poſtuletur a ſuperiore licentia, quam non concedat ſine diligenti ac ſolerti inquiſitione de naturali eorum ſolo, parentibus, moribus, ac univerſa præcedentis vitæ ratione.

7. Quælibet anni pars celebrandis nuptiis cenſeatur eſſe commoda, præterquam a dominica prima adventus, uſque ad epiphaniæ diem, & a quarta feria cinerum uſque in octavam paſche incluſive. Quibus temporibus prohibemus etiam fieri nuptiarum convivia, choreas, ſponſarumque traductiones ſolennes juxta, cap. ult. ſeſſ. 24. *De ref. matrimonii*.

8. Dies porro aliquos infortunatos ſeu infauſtos





ſtos matrimonio eſſe putare, non minimum ſuperſtitionis genus eſſe, populo ſignificetur.

9. Benedictionem conjugum quam proxime fieri poterit, benedictio thalami, ubi aſſueta eſt, ſequatur, neque prorogetur in tempus ſerotinum, propter aliquorum petulantiam, quæ eo maxime tempore effrænis eſſe conſpicitur.

10. Quicumque vero ebrietatibus, impudicitiis, aut aliis actibus a vera pietate alienis, ſeu in templo, ſeu in aliis locis, prætextu nuptiarum indulſerit, mulcta vel cenſuris cohibeatur.

11. Nuptiis denique rite completis, ita ſe componant conjuges, ut putent ſe non a ſacerdote, ſed per eum a Chriſto conjugiorum præſule, conjunctos, in quem peccatur, quoties fides promiſſa ſolvitur. Neutri ergo liceat ab altero diſcedere, etiam quoad thorum, niſi cauſa legitima prius a ſuperiore approbata: conceſſoque divortio, neutri licere novum matrimonium inire diligenter admoneantur. Si autem concubinam vir alere comperiatur, vel uxor adulterum, ter moniti, nec reſipiſcentes, excommunicatione percellantur: quam ſi neglexerint, pœnis ſeveriſſimis coerceantur.

12. Impedimentum cognationis ſpiritualis ſecundum concilium Tridentinum vim tantum habere populo ſignificetur inter ſuſceptorem, ſeu ſuſceptricem, ac ſuſceptum, ſuſceptique patrem & matrem: & inter baptizantem & baptizatum, & hujus utrumque parentem. Præterea, quod contracta per fornicationem affinitas non dirimat matrimonium, niſi in primo & ſecundo gradu. Quod denique impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, hodie nullum extet, ſi ſponſalia invalida præceſſerint: ubi vero fuerint valida, primum gradum conjunctionis non excedat.

*De extrema unctione.*

1. SAcramentum extremæ unctionis a domino Jeſu Chriſto fuiſſe inſtitutum ſicut nemo pius ambigit, ita a D. Jacobo promulgatum fuiſſe teſtatur ejus epiſtola: in qua cum illius vis & efficacia luculenter explicetur, hortamur omnes ad quos hoc negotium ſpectabit, præſertimque parœcos, & eorum vicarios, ne permittant ut fidelium aliquis e vivis exeat, ſine hujus unctionis perceptione, modo illius capax extiterit.

2. Parœcus etiam non expectet, ut rogetur de eo conferendo, ſed ſedulitate ſua præveniat ægrotum de vita periclitantem: caveatque ne vel mors unctionem præveniat, vel morbo invaleſcente ſemimortuus non ſentiat.

3. Antequam parœcus, aut alius de ejus licentia, ſacerdos templo egrediatur, oleum ad infirmum laturus, pulſetur campana aliqua, cujus ſonus eo modo & numero temperetur, ut unctionis extremæ conferendæ certum poſſit eſſe indicium: moneanturque fideles, ut hoc ſigno dato, aut ſacerdoti ſe præbeant comites, aut ſaltem erecta mente Deum pro ſalute decumbentis precentur, cum eo præſertim tempore fidelium precibus indigeat.

4. Nec putet ſuo ſatisfactum officio ſacerdos, ſi ſemel tantum ægrotum inviſerit, dum unctio fuit adhibenda: ſed quam diutiſſime poterit, eum conſoletur, & inculcet quæ ſpectant ad ſalutem, ſicut in manuali præſcriptum reperiet, eique quouſque e vivis exceſſerit, aſſiſtat, & operam impendat. Qui autem in ea re ſe negligentem præſtiterit, a decano vel archidiacono ad epiſcopum deferatur increpandus graviter, & incuriæ ſuæ pœnas arbitrarias luituros.

5. Epiſcopos etiam obſecramus in domino, ut Chriſtianæ caritatis humanæque conditionis memores, ſi quos reſcierint graviter laborare, eoſque maxime qui vitæ ſpiritualis ſtudio, & pietatis nomine laudeque ſunt inſignes, inviſant ſedulo, ſuam illis benedictionem imperrituri.

*De ſepulturis.*

1. QUantum autem attinet ad Chriſtianorum ſepulturam, quam nec ſuperbam, nec neglectam eſſe decet, aut deſpectam, parœci in hanc officii ſui partem diligenter incumbant, ut piorum funera Chriſtianæ ſimplicitatis ac modeſtiæ limites non excedant.

2. Id autem fiet, ſi ipſi primum mercede conſueta & honeſta contenti, deinde ſuperfluas impenſas, quæ propter ambitionem ac faſtum fiunt, vel hæredibus relinqui, vel pauperibus erogari ſuadeant.

3. Pauperes quibus adeo tenues fuere facultates, ut propriis impenſis humari nequeant, gratis, ac honeſte tamen ſepeliant, alioqui pœnas arbitrarias exoluturi.

4. Faces omnes, ac cereos funebres, niſi ad certas perſonas de jure vel conſuetudine pertineant, parœcis competere decernimus, nec hæredibus licere eos repetere.

5. Omnes Chriſtiani, præſertim laici, quibus eccleſiaſtica ſepultura non eſt interdicta, in cœmeteriis, non autem in eccleſiis ſepeliantur, niſi forte de conſenſu ſuperiorum.

6. Superiores aut non paſſim omnibus id privilegii concedant, ſed in hujuſmodi conceſſionibus delectum habeant perſonarum.

7. Cœmeteria vero ne beſtiis ſint pervia, muro, ſeptis, vel cancellis cingantur, nec in eis quicquam profanum committatur.

8. Nec liceat tumulos ipſa humo altiores erigere, nec ibi cuiquam ſtatuas, aut vexilla militaria, vel trophæa ponere.

9. Atque humata ſemel corpora fidelium exhumari, & in alia loca quantumvis pia & religioſa deferri, ſine expreſſa epiſcopi licentia, vetamus.

10. Et ſi qua controverſia de efferendo corpore, vel de alia aliqua re ſimili oriatur, ad ejuſdem epiſcopi judicium referatur, ac illius arbitrio terminetur.

11. Ubi vero epiſcopum e vivis excedere contigerit, ab omnibus, tum clericis, tum laicis honorifice ad ſepulcrum deducatur, & funebria ipſo digna perſolvantur.

12. In ejuſdem, & aliarum ſpectabilium perſonarum funeribus tantum, non paſſim in ceteris, orationes quæ vocantur funebres, habeantur, quæ ad pietatem & preces pro mortuis faciendas ſpectent, potius quam defunctorum enarrandis laudibus inſumantur.

13. Qui autem ſunt publici ſimoniaci, fiduciarii, hæretici, ſciſmatici, venefici, ſortilegi, uſurarii, & qui ſibi manus violentas attulerunt aut in duello ſuſcepto mortui ſunt, & qui ſubita morte præventi, paſchali tempore nec confeſſi ſunt, nec eucharistiæ communionem ſuſceperunt: omnes denique infideles, & excommunicati, Chriſtianæ ſepulturæ honore, loco-

coque priventur. Qui autem eos ſepeliendos quacumque ratione procuraverint, excommunicatione feriantur.

14. Horum autem ſepultura in cœmeterio, cœmeterium ipſum tantum: in eccleſia autem, & eccleſiam, & cœmeterium illi contiguum juxta ſacros canones pollucre cenſeatur.

*De ſeminariis.*

1. QUEMADMODUM autem agricola, niſi ſerat tempeſtive, non poteſt metere: ita eccleſia Dei prædictis ſacramentis fructus uberes per idoneos operarios afferre nequit, niſi ſeminaria juventutis erudiendæ, & moribus informandæ cauſa foveat. Ideoque præcipimus in unaquaque diœceſi noſtræ provinciæ, ſeminaria ſic inſtitui, ut epiſcopus, cum duobus canonicis eccleſiæ cathedralis, quorum alter ab epiſcopo, alter a capitulo eligatur, totidemque de clero diœceſis, quorum unus ab epiſcopo, alter a clero ſimiliter eligetur, curam erigendi ſeminarii, & auctoritatem conſtituendi quæ ad illud pertineant, habeant: illi vero quatuor ſelecti, quotannis eligantur.

2. Habebunt autem in primis rationem primariæ urbis diœceſis, ut juventus vicinarum urbium & oppidorum ad illius gymnaſia, tanquam ad mercaturam bonarum artium poſſit confluere.

3. In ea urbe ſi veteres ſcholæ erigendo ſeminario idoneæ videbuntur, reſtaurabuntur, ſi opus ſit: aut ſi ſint minus commodæ, pro arbitrio epiſcopi & ſelectorum virorum commutabuntur, & novæ pro facultate diœceſis ædificabuntur.

4. Et quoniam parum eſt ædes habere, niſi ſit unde alantur & foveantur qui eas incolunt, ideo epiſcopus, capitula, abbates, abbatiſſæ, moniales, priores, præfecti leproſariarum, omnes denique ordines nominatim expreſſi in concilio Tridentino, *ſeſſione* XXIII. *cap.* XVIII. (exceptis parœcis, quorum proventus non excedunt ſeptuaginta aureos annui redditus, deductis oneribus ſolitis) aliquid ex facultatibus, ad ſeminarii inſtitutionem conferant, juxta taxationem ab epiſcopo cum duobus de capitulo, ſecundum concilii Tridentini decretum faciendam.

7. Seminario autem præficietur ab epiſcopo, & viris ſelectis moderator, moribus integris, & eruditione celebri: qui præceptores claſſicos probos & doctos aſſumet, ad erudiendam juventutem, propoſitis ſtipendiis honeſtis, eoſque eiſdem epiſcopo & ſelectis ſiſtet, & offeret, prius quam admittantur.

6. Idem moderator quotannis, conſtituto die, jurabit ſolemniter, præſente domino epiſcopo & ſelectis viris, ſe ſtatuta religioſe ſervaturum, & curaturum, ut eadem religione, a præceptoribus & diſcipulis obſerventur.

7. Pueri in ſeminario gratis alendi & erudiendi ad certum numerum reducantur: nec præſcriptus numerus imminuatur, vel augeatur, ſine auctoritate epiſcopi, conſenſu virorum ſelectorum. Sint pauperes de diœceſi, viciſſimque per oppida & decanatus, remoto favore, eligantur, ad minimum annos nati duodecim; juratuntque certa juramenti formula, ſecundum quam in ipſo ingreſſu jurare teneantur, ut ſint de legitimo matrimonio nati, non ſpurii, ut matrimonii ſacramentum honoretur, non iniquitas foveatur.

9. Et quoniam vultus morum index eſſe ſolet, eligantur pueri bona indole præditi, & apta membrorum compoſitione conſpicui: nec ſint notabili deformitate ſignati, qui ſpirent ab infantia pietatem, & ad ſacros ordines promoveri optent, quoſque omnino ſpes ſit, eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros.

10. Quod ſi violato juramento, a ſancto propoſito reſiliant, expenſas in ſeminario factas refundant, vel per fidejuſſores, ſi qui ab epiſcopo, & viris ſelectis inveniri poſſint, antequam recipiantur, vel per ſe, poſtquam ad pinguiorem fortunam pervenerit.

11. Quod ſi poſt biennium ad literas diſcendas probati, fuerint inepti, aut tam pervicaces, ut correctionibus emendari nequeant, ſeminario ejiciantur.

12. Si autem fraude aliqui divites fuerint in ſeminarium introducti, & poſt profeſſionem egeſtatis, tales fuerint reperti, expellantur, tanquam mentiti Spiritui ſancto, & egenorum hereditatem invadere non veriti, ſumptus jam factos pro ratione temporis ſeminario refundere cogantur.

13. Ditiores tamen a ſeminario excludi nolumus, dummodo parentum ſumptibus foveantur, duobuſque qui ſunt mediocris fortunæ, penſionem unius pauperis dari permittimus ea lege, ut alteram ſolvere teneantur.

14. Adoleſcentes autem, qui educati & nutriti ſeminarii ſumptibus fuerint, confecto ſtudiorum curriculo, ſi ætatem convenientem attigerint, ad ſacros ordines ſuſcipiendos compellantur, ut Deo & ejus eccleſiæ deſerviant, nec a limitibus & terminis diœceſis diſcedant, ſine licentia epiſcopi, & virorum (ſecundum præſcriptum concilii Tridentini) ſelectorum judicio: quoniam æquum eſt, & rationi maxime conſentaneum, ut ei operam noſtram præſtemus, cujus beneficio ad dignitatis alicujus faſtigium conſcendimus.

15. Optaret quoque ſancta ſynodus, ut hi qui ex ſeminariis hujus Rhemenſis provinciæ gradum magiſterii vel doctoratus adipiſci cupiunt, ſi minus in urbe ſui ſeminarii id liceat conſequi; ad ſeminarium vel academiam urbis metropolitanæ ſeſe conferant, ibi eos gradus decentius quam in alia civitate, quæ non ſit de provincia, recepturi.

16. Cetera quæ ad adminiſtrationem ſeminarii conducere videbuntur, judicio epiſcopi, & ſelectorum virorum relinquantur, qui rationes reddituum annis ſingulis audient: vacationes autem omnes, operaſque ſuas (iis exceptis quæ ad quæſtoris officium ſpectabunt) gratis impendant.

16. Porro non in ſeminariis tantum, ſed in locis omnibus, maxime vero in quibus ſcholæ exiſtunt, caveant diligenter epiſcopi, & alii omnes ad quos id ſpectare poteſt, ne quis privatim detineat libros contra religionem, & bonos mores conſcriptos, vel imprimat, vel vendat.

*De clericis in genere.*

1. HOC poſito fundamento, facile erit ædificium, quale deſideramus, ſuperſtruere, ut clerum habeamus, qui ſuæ vocationi reſpondeat, niſi ſui nominis obliviſci velit, quo ſemper admonetur ſe in partem & ſortem, domini vocatum. Quod haud dubie conſequetur, ſi ſe



ſi ſe a crimine, & omni criminis ſuſpicione vel ſpecie reddens immunem, ceteris etiam pietatis & virtutis exemplo præluceat.

2. Prohibemus itaque, ne clerici ſacris initiati, aut beneficiati, ſe ſuamque operam laicis quantumvis nobilibus, addicant, ad rerum domeſticarum diſpenſationem, negotiorum civilium procurationem, cellæ vinariæ, vel annonæ regimen, aut aliquod aliud vile indecorumque ſuo ordini miniſterium: nec ſcutrilia exerceant, & menſarum aſſeclas ſe exhibeant. Alioqui pro delicti gravitate ſeveriſſime coerceantur.

3. Ne poſſeſſiones alienas conducant, aut aliorum cauſas lucri gratia ſuſcipiant: non fidejubeant, aut ſæcularibus implicentur negotiis, quibus ab altari divinoque officio avocentur.

4. Ebrietati, libidinis parenti, crapulæque, quæ menti eſt exitio, ne indulgeant: tabernas, niſi peregre profecti, non intrent: ad æquales hauſtus nec ſeipſos, nec alios aſtringant, vel provocent. Si ſecus fecerint, & ſuperiori monenti non paruerint, ab officio vel beneficio ſuſpendantur, & aliis pœnis canonicis afficiantur.

5. Continentiæ ſint amantes; peſtemque libidinis, cane pejus & angue, quod dicitur, exoſam habeant. Qui autem concubinarii reperti fuerint, & moniti juxta formam per concilium Tridentinum præſcriptam, *ſeſſione* XX. *cap.* XIV. non reſipuerint, excommunicatione percellantur, nec niſi peccato relicto, abſolvantur. Si vero cenſuris neglectis, in ejuſdem voluptatis cœno quaſi ſues perſeveraverint, durius coerceantur, adhibito ſi opus fuerit, ſæculari brachio, plectanturque nihilominus aliis pœnis contra concubinarios decretis, quas vim ſuam retinere volumus, etiam contra ſuperiores, qui prudentes ac ſcientes ad ea crimina connivent, nec emendant: cum juxta apoſtolum, non ſolum ſint in vitio qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

6. Ab alea, venatione, & omni ludorum genere eccleſiaſticis perſonis interdicto, & indecoro prorſus abſtineant: nec unquam aliis, quam honeſtis recreationibus ſeſe exerceant, nulla ducti ſordidi lucri cupiditate. Quod ſi cum injuria ordinis eccleſiaſtici deinceps quiſquam eccleſiæ bona, quibus pauperes ali oportuit, in ejuſmodi luſus profudiſſe convictus ſit, & qui quæſtum fecit, rem pauperum male partam reſtituere: & qui jacturam paſſus eſt, tanquam ſacri patrimonii dilapidator, graves pœnas exolvere cogantur.

7. Et ut nedum morum probitate, ſed etiam univerſo exteriore cultu ceteris modeſtiæ exemplo ſint, mentis honeſtati honeſtus corporis reſpondeat habitus, nihil obſcœnum, nihil leve referens: ſitque gravitate referta omnis illorum actio, atque oratio.

8. Præterea veſte eccleſiaſtica, eaque talari ac decenti utantur omnes clerici: nec ſine illa pallium breve aut longum deferant, aut unquam prodeant in publicum: nec criſpatis induſiis, vel arte ſciſſis calceis diſſolutorum laicorum perſonas referant.

Galero numquam quidem in templis, in plateis vero, & viis publicis, niſi propter aeris intemperiem, non utantur. Porro tonſura clericali pro qualitate gradus, & ordinis ſui, in capitis vertice aperte conſpicua ſemper inſigniantur. Barbam vero aut omnino non geſtent (quod magis probamus) aut ſaltem totam a ſuperiore labro ob ſacræ communionis reverentiam tondeant, vel radant. Qui vero in his ſe negligentes præſtiterint, & ter moniti etiam per edictum a ſuperioribus non paruerint, ſuſpenſione ab ordinibus, officiis, beneficiis, & horum fructibus ſeu proventibus annuis plectantur. Si autem correpti deinde deliquerint, eorum beneficiorum privatione coerceantur, juxta conſtitutionem Clementis quinti in concilio Viennenſi, cujus initium eſt, *Quoniam innovanda*.

*De regularibus, & eorum monaſteriis.*

1. MONACHORUM autem inter clericos humilitate præſtantium, inſtitutum quam proxime ad apoſtolorum tempora accedens, libenter quondam amplexus eſt quiſquis [ut divus Baſilius loquitur] cæleſtis vitæ cupiditate flagravit, & evangelicæ perfectionis ſtudioſus extitit negotiator. Sed quoniam vita tam præclara hominum negligentia, vel malitia peſſum nunc abiit, hoc in primis volumus eſſe ſtatutum, cum de monaſteriis agitur, ut collapſa diſciplina reſtauretur, & ad avitam poſſeſſionem quantum fieri poteſt, revocetur. Quod fore ſperamus, ſi ſuperiores huic negotio ſerio invigilent, & magiſtratus rogati ipſis auxilium ad Chriſti laudem, & in ſacræ religionis favorem lubenter impendant.

2. Primum autem ſtatuimus, ne qui invitæ tradantur in monaſteria, ne quod Chriſtus dominus conſilii eſſe voluit, libertatis conſenſum expectans, ac ita pronuncians, Qui poteſt capere, capiat, vim jam præcepti aut neceſſitatis habere videatur. Quiſquis vero virginem, vel mulierem invitam ad monaſticam vitam adegerit, (præterquam in caſibus a jure expreſſis) vel qui conſenſum, auxilium, conſilium, vel auctoritatem ſciens & prudens interpoſuerit, anathema ſit.

3. Et quoniam arma hujus ſanctæ militiæ non debent eſſe carnalia, (ut verbis apoſtoli utamur) adulti monaſterium ingreſſuri, vel puerorum parentes qui illos offerunt, moneantur, ut alia non ſubeat ipſorum animos cogitatio, quam ſempiternorum bonorum. Quiſquis igitur otium, honores, beneficia, vel alia temporalia quaſi ſcopum ſibi proponit, vitam monaſticam ſuſcepturus, vereatur ne mittatur in tenebras exteriores, non afferens veſtem nuptialem, cui periculo ſe etiam obnoxios parentes noverint, qui liberis ingreſſum religionis procurant, vel quod naturæ ſint ad res gerendas inepti, animo hebetes, vel corpore vitioſi, aut valde deformes: vel certe ut aliis liberis iſtorum quaſi ablegatione ampliores opes relinquant.

4. Multum Deo diſplicet infidelis & ſtulta promiſſio: ideo monaſteriorum novitii non munuſculis, vel blanditiis alliciantur, ſed prædicentur potius eis dura & aſpera. Et dum tempus novitiatus exegerint (quod vel unius ſaltem anni, & non niſi poſt finem decimi ſexti anni, debet expleri) aut profiteri teneantur, aut ſi ad religionis onera ſint inepti, emittantur cum his bonis, quæ ad monaſterium ſecum attulerunt, deductis tamen veſtibus & alimentis.

5. Operæ pretium eſſe putamus, ut aliquot ex junioribus, qui ſint bonæ indolis, in academias bene Chriſtianas proficiſci permittantur, literis humanioribus theologiciſque operam daturi, modo in collegiis regularibus, habitu

ANNO CHRISTI 1583.

tu religionis ſervato, vivant ex portione congrua illis aſſignata, ab his qui proventus annuos percipiunt. Qui ſi gradum poſtea conſequantur in aliqua facultate, non tamen ab officiis monaſterii, & regulæ ſuæ obedientia ſint immunes.

6. *Aliis* præficiatur vir pius & doctus, cujus monitis & ductu diſcant aſſueſcantque jam ab ipſa adoleſcentia meditari die ac nocte in lege domini, quique illos in ſacris literis diligenter exerceat, aſſidue commonefaciens de aſſumendo gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Rem quippe nullis ſatis dignam lacrymis putamus, aliquot jam ſæculis verbum Dei neque prælegendo, neque conciones habendo in illis locis explicari, in quibus olim omnis doctrinæ atque virtutis ſcholas fuiſſe eccleſiaſticæ teſtantur hiſtoriæ.

7. Semper aliquid boni operis agant monachi, monialeſve, ut ſemper diabolus eos inveniat occupatos: qui ſi maxime ſcientiam ſcripturarum amaverint, carnis vitia non amabunt: quietique dent operam, non otio: jejuniaque & orationes diligenter obſervent, ac media nocte ſemper ad pſallendum, & confitendum domino ſurgant, juxta tamen ſuæ regulæ inſtituta, præſertim ſi antique conſuetudo ita tulit: piiſque legatis & fundationibus ſatisfaciant, quantum fieri poterit.

8. Nullus ex monachis ſine expreſſa ſuperioris licentia audeat litigare, vel prætextu prædicationis, vel lectionis, aut pii alicujus operis egredi monaſterio præſumat, vel in alicujus communitatis, vel magnatis obſequium convolare.

9. Tria vota præcipua omnes monachi monialeſve diligenter obſervent, juxta præſcriptum regulæ, quam profeſſi ſunt, & loci conſuetudinem, in cujus ſtabilitatem obſervandam jurarunt: neque putent ſibi licere quicquam contra illa gerere, etiam quod longa conſuetudinum corruptela viderint in monaſterio eſſe ſervatum. Quicquid etiam mali exempli, vel improbæ conſuetudinis irrepſit, penitus tollendum & abolendum eſſe decernimus.

10. Ergo religioſi, quantum fieri poterit, ad eam antiquæ eccleſiæ ſpecioſam formam redeant, quando nullus quicquam ſibi proprium dicebat: nec aliquid poſſideant proprio vel conventus nomine, de bonis monaſterii, quibus qui præficiuntur officiarii, ut fructus monaſterii vel accipiant, vel expendant, elapſo anno reddant rationem: alii quorum officiis res aliqua eſt annexa, ſeu, ut loquuntur, affecta, ea non utantur quaſi propria, ſed noſint ita ſibi committi, ſeu ad tempus, ſeu ad vitam, ut ejus conditionem in melius augeant, nec diſſipent.

11. Iidem monachi, etiam officiarii, ſeptis monaſterii non egrediantur, niſi de ſuperioris licentia, quæ non concedetur, ut ad nundinas, nuptias, feſtaque pagorum ſe conferant, ſed quando neceſſitas, vel honeſtas poſtulabit.

12. Locos monachorum regulares mulieres non ingrediantur, viciſſimque viri non intrent feminarum clauſtra, imo nec aliæ feminæ. Quiſquis vero clauſtra monialium ſine ſuperioris licentia, (quam non niſi in caſibus neceſſariis impertietur) fuerit ingreſſus, ſententiam excommunicationis ſe incurriſſe noverit.

13. Menſam [illegible], ciborumque delectum regularem, ſimiles tonſuras ac veſtes do- [illegible], commune dormitorium, [illegible], convenientemque ſtatui ſupellectilem, id eſt habitu profano armiſque vacuam, ita ſuperiores monaſteriorum pro virili procurent, ut etiam in privatis domibus quæ officiis ſunt annexæ, nihil ſinant contra regulam ſervari: locorum tamen & temporum circumſtantias ea moderabuntur prudentia, ut conſcientiam propriam non gravantes, nihil non ad pietatem, & vitæ ſanctimoniam referendum eſſe putent.

ANNO CHRISTI 1583.

14. Monachi non ſacerdotes, qui percipiendæ euchariſtiæ legitimam attigerint ætatem, monialeſque omnes, ſaltem ſemel ſingulis menſibus, ac præterea feſtis præcipuis peccata confiteantur, & eamdem ſacroſanctam percipiant euchariſtiam. Adhibeantur vero confeſſarii viri periti & diſcreti, quibus ſolis ſit abſolvendi conceſſa poteſtas. Probamus tamen alios a conſuetis confeſſarios ab epiſcopo, & aliis ſuperioribus bis aut ter in anno offerri debere, qui omnium confeſſiones audire debeant, juxta decretum concilii Tridentini: at ubi frequentior eſſe ſolet communio, conſuetudo ſervetur.

15. Religioſis regularia beneficia conferantur, quorum fuerit ſanctitas conſpicua, ea lege, ut aut reſidere cogantur, aut ſi non patiatur beneficii exilitas, de fructibus cum abbate & conventu paſciſci compellantur, ut legibus monaſterii vivant cum aliis. Qui autem a recto tramite deflectunt, pœnis regularibus quas in uſum revocandas ſtatuimus, coerceantur.

16. Si monachus monialiſve in tantam labatur proterviam (quod abſit) ut in apoſtaſiæ crimen incurrat, nec ſponte redire velit, ab ordinariis vel ſuperioribus cogatur, implorato ſi opus eſt, brachio ſæculari, & in proprio monaſterio excipiatur, & ita pœnas luat, ut tamen miſericordia ſuperexaltet judicium.

17. Sanctimoniales, quæ ſolæ degunt apud parentes, vel numero paucæ in xenodochiis, aut monaſteriis quæ ruri exiſtunt, ne ſatanæ, vel malorum hominum prædæ ſint expoſitæ, ſi fieri poteſt, in urbes, vel oppida proxima monaſteriis occludendæ ducantur, etiam invitæ, & quamvis earum privilegia reclament, juxta decretum concilii Tridentini, & conſtitutionem Pii V.

18. Ceterum omne cor mœrens in monaſteriis eſſe conſpicitur, quia omne fere caput in eis eſt languidum, nec monaſteriis præficiuntur bene meritæ de religione monaſtica, zeloque fidei ſuccenſæ perſonæ, ſed quæ vel reſervationem ante petierint, vel ſimoniæ fiduciæque labe conſpurcatæ ſint, aut fructus cum aliis ſint partitæ. Nihilque niſi deſiderium nobis ſupereſt, ut abbatiæ, prioratuſque non niſi regularibus ſpectatæ virtutis, & per electionem conferantur. Quod a Deo optimo maximo, ſupplicibus votis, contendimus, ut ad id excitare dignetur dominos noſtros, ſanctiſſimum Romanum pontificem, & regem noſtrum Chriſtianiſſimum.

19. Si monaſterium aliquod ſæculari commendetur, iiſdem legibus de promotione & re ſacra facienda teneatur, quibus ceteri clerici: & propiuſque habitu, & tonſura quam alii ad regularem vitam accedat.

20. Monaſteriorum ſuperiores cum viſitant, conſtituant priores in abbatiis, & in prioratibus conventualibus ſuperiores, conſentientibus, & eos nominantibus commendatariis, aut etiam, ſi incapaces nominaverint, reluctantibus. Ut autem conſtituti ceteros in diſciplina contineant, habeant ab illis vicariatum, ſaltem in ſpiritualibus, quantum attinet ad morum correctionem, & diſciplinæ regularis obſervationem.



ANNO CHRISTI 1583.

21. Iidem viſitatores antiquum ritum divini cultus reſtituant, cum a probatis perſonis hac de re rogatis, reſcierint eſſe collapſum, nec permittant prioratus, in quibus monachi ex fundatione debent eiſdem deſtitui, modo facultates ſint ſufficientes. Compellantur quoque commendatarii, vel eorum vicarii, ut interſint viſitationibus, viſitatoreſque honeſte excipiant, & executioni mandent, quæ in eis ſtatuta fuerint.

22. Dabunt etiam operam ſuperiores, ut in templo ceteriſque locis ſint omnia ſarta tecta ædificia, cultui divino & diſciplinæ regulari neceſſaria reſtaurentur, ſi collapſa ſint: provideatur eccleſiæ ſufficiens nitidaque ſupellex: monachorum numerus ſecundum leges antiquas, vel monaſterii facultates, compleatur, illiſque conferatur redituum congrua debitaque portio, chartulæ, librique rationum diligenter aſſerventur: Nihil de poſſeſſionibus depereat, & alienata, ſi quæ ſint, repetantur: Reliquiarum, & aureæ, argenteæque ſupellectilis conſcribatur catalogus: Monaſterii poſſeſſiones non niſi catholicis viris committantur, & locentur. Denique jus hoſpitii, & eleemoſynarum aſſueta ab antiquo largitio reſtituantur: Ut abbates, priores, & eleemoſynarii non tam ſeipſos paſcant, quam pauperes, nec lucrum marſupii, ſed inopis refectio fiat jejunantium abſtinentia: pœnæ item addictorum temperantia, menſarumque reſiduum quod colligendum a domino præcipitur, pauperibus diſtribuatur.

*De curatis.*

1. QUANTUM ad curatos attinet, qui ab epiſcopis in partem ſolicitudinis vocati ſunt, ſtatuimus in primis, ut obſervent diligentiſſime quæ ſupra dicta ſunt, cum de euchariſtia, ordine, & clericis egimus. Atque quod dictum eſt de celebrandis divinis officiis, certo pulſu ſtatiſque horis ita cuſtodiant, ne pro cujuſquam arbitrio mutent.

2. Aſſidue reſideant in ſuis beneficiis, nec ea deſerant, ut alteri beneficio, vel negotio vacent.

3. Ut autem id faciant commodius, animarumque curam non negligant, ordinarii ſeu illi quibus jus competit, per congruæ portionis aſſignationem illis providebunt, quam non minorem centum libris, omnibus deductis, volumus conſtitui, privilegiis, inhibitionibus, & exemptionibus contra hoc decretum nemini ſuffragantibus.

4. In cujus congruæ portionis poſtulatione & cauſa ne cogantur parœci multam pecuniarum temporiſque facere jacturam, ſtatuimus, ut definitivæ latæ ſententiæ quam primum executioni demandentur, pro re præcipua, per modum proviſionis, & ſub cautione, non obſtantibus appellationibus & inhibitionibus quibuslibet, quas ſacrum concilium Tridentinum decrevit in præmiſſis non ſuffragari.

5. Adjudicatam vero portionem congruam non percipiant parœci, niſi actu reſidentes, juxta præſcriptum ejuſdem concilii Tridentini.

6. Et quoniam parum prodeſt paſtorem non abeſſe, niſi præſens & bonæ vitæ exemplo competentis doctrinæ munere gregis ſibi commiſſi ſalutem promoveat, præcipimus parœcis, ut non ſolum inculpate vivant, verum etiam ſemper habeant præ manibus, aſſidueque lectitent librum aliquem, de ratione adminiſtrandorum ſacramentorum, vel catechiſmum editum auctoritate concilii Tridentini, ſive Latine ſcriptum ſive in linguam vulgarem ad verum ſenſum linguæ Latinæ optime verſum, & legitime approbatum. Ex quo ſingulis diebus dominicis aliquid depromant, quod evangelio aptari & populo proponi poſſit.

ANNO CHRISTI 1583.

7. Et præter librum nubentium, quem habere juſſi ſunt in capite de matrimonio, duos adhuc conſcribant, in quibus deſignent ex nomine baptizatos cum ſuſceptoribus, ac fideles parœcianos vita functos, & diligenter annotent locum atque diem.

8. Curent etiam res ſuæ eccleſiæ, moneantque epiſcopos, ſi quid de illius vel fabricæ fundo fuerit alienatum.

9. Pecunias autem fabricarum, & eas quæ ſupererunt ex collectis, impendi curent vel ſuffragiis faciendis pro mortuis, vel fabricis reparandis, vel comparandis ornamentis, vel aliis piis, non autem prophanis uſibus. Et ſi ſecus factum fuerit ab æditui, epiſcopo vel ejus officiali ſignificent.

*De capitulis & canonicis.*

1. UT autem canonici cohærentes epiſcopis, quaſi membra corpori ad regulam, quam eorum nomen præ ſe ferre conſpicitur, componantur; ſtatuimus in primis, ut ad canonicatum nemo admittatur, niſi prius coram ordinario loci, & in capitulo catholicam fidem profeſſus ſit, juxta formam a Pio quarto præſcriptam. Capitulum porro diligenter inquirat etiam per juramentum, quibus rationibus ad canonicatum pervenerit: & ſi qua ſimoniæ labes, vel alia aliqua illicita pactio intervenerit, non recipiatur.

2. Qui ad canonicatus & dignitates, in eccleſiis cathedralibus ſive collegiatis inſignibus aſſumentur, ſint magiſtri vel doctores, aut etiam licentiati in theologia, vel jure canonico: qua eminenti ſcientia ſi decorari nequiverint, ſaltem competentem habeant, quam hi cenſentur habere qui poſſunt expedite, quæ ſui ſunt officii, explicare & exequi.

3. Admiſſus vero reſideat, nec ei diutius quam trimeſtri liceat abeſſe, (ſi tamen tantam temporis abſentiam patiatur illa eccleſia, nec majorem aſſiduitatem deſideret) ſub pœnis in concilio Tridentino contentis. Quod ſi legitimam abſentiæ cauſam proferat, de ea ita ſuperior judicet, & nihil ei ſtatuere liceat contra dignitatum, canonicatuum, & præbendarum conſtitutiones, & fundationes.

4. Ut autem reſidens munus quod incumbit, melius exequi valeat, diſcatque primum quid in templo, deinde quid in aliis locis debeat præſtare, præter ea quæ de euchariſtia, ordine, & clericis diximus, quæ volumus a canonicis ſervari. Statuimus inſuper, ut qui ex illis non ſunt adhuc ſacerdotes, aliique non clerici ad eumdem ordinem nondum promoti, qui canonicorum eccleſiis inſerviunt, communicent ad majus altare in miſſa, diebus paſchæ, pentecoſtes, natalis domini, aſſumptionis beatæ Mariæ, omnium ſanctorum, & patroni eccleſiæ, alioqui per ſuperiorem ſuſpendi poterunt, ſalva interim conſuetudine illarum eccleſiarum, ubi

ubi ſacræ communionis frequentior uſus eſſe ſolet.

5. Qui autem ante aliquot annos ſacerdotium adepti ſunt, necdum miſſæ ſacrificium obtulerunt, aut celebrent primo quoque tempore, aut omnibus fructibus ſuæ præbendæ priventur. Qui autem ad eumdem ordinem deinceps promovebitur, miſſam primam intra trimeſtre, a die promotionis celebrare compellatur.

6. Omnes canonici, etiam dignitates obtinentes, ſua quiſque hebdomada miſſam magnam celebrare, aliaque divina officia peragere, per ſeipſos, vel, ſi nequeant, per alios canonicos cogantur, non obſtante qualibet conſuetudine, & privilegio.

7. Cum autem epiſcopus rem divinam faciet ſolemniter, qui dignitates obtinent, & antiquiores atque capaciores ex canonicis, ei inſerviant, debitamque præſtent aſſiſtentiam.

8. Omnes etiam canonicis horis, maxime vero matutinis, miſſæ & veſperis interſint, ceſſante impedimento legitimo, per capitulum judicando, nec eccleſiam diſcurrant vel choro egrediantur ſine præſidis licentia, priventurque diſtributionibus ſingularum horarum, in quibus illos abeſſe contigerit.

9. Statuimus quoque, ne capitula habeantur tempore magnæ miſſæ, ne quis aliquam excuſationem abſentiæ ab illa prætexat.

10. Et ne qua fraus in prædictis committatur, nominetur a capitulo punctuator, probatæ fidei, qui præſtito prius fidelitatis juramento, diligenter annotet eos qui divinis non interfuerunt officiis.

11. Quoniam autem in quibuſdam eccleſiis aut nullæ ſunt illis horis aſcriptæ diſtributiones: aut certe ſunt adeo tenues, ut earum jacturam facere non dubitent canonici; & ſe a divino officio ſubtrahant, tertia pars de tota maſſa diſtrahatur, quæ in diſtributiones convertatur, & ſingulis cujuslibet diei horis & miſſæ diſtribuatur. Quod ſi quæ diſtributiones quondam fieri ſolitæ exoleverint, reſtituantur. Hanc autem legem in obitibus, & aliis fundationibus locum habere volumus.

12. Pacis ubique ſint amantes canonici, nec cum epiſcopis animoſe contendant, aut ſuperbe reſpondeant, ſed illis honorem & reverentiam, cum ſumma modeſtia exhibeant: & ſi quæ lites inter ſe ſuboriri cœperint, utique amice componant.

13. Canonici, vicarii, capellani, & alii capitulorum miniſtri, mulieres malæ famæ, concubinarias, focarias, aut alias de incontinentia ſuſpectas nec clam nec publice domi retineant: nec ibidem alant ſpurios, ſub pœna excommunicationis, quam incurrent ex decreto concilii Tridentini, ſi ter admoniti utroſque non reliquerint, vel eos eaſve reſumpſerint, & revocaverint. Quod ſi in concubinatu permanſerint, cenſuris neglectis, aut ad eumdem maximeque publicum recidivo vomitu redierint, poſt trinam monitionem ſuorum beneficiorum fructibus, per ſpatium trium menſium priventur, pœniſque ſubjaceant latius in titulo de publicis concubinariis contentis. Ejuſmodi vero obſcœnæ mulieres, quæ in eorum domibus repertæ fuerint, eccleſiarum ballivis tradantur ejiciendæ & puniendæ.

14. Ut ſine ſuperpelliceo, almutio, & aliis canonicorum inſignibus in eccleſia comparere plane irreligioſum eſt: ita ad loca publica eorum veſtium deferre, prorſus indecorum ac ſordidum eſſe, nemo eſt qui non videat. Quamobrem utrumque ſancta ſynodus diſtricte prohibet: ſicut & ſine illis res emptas manibus vel caniſtris ſervulorum more, publice domum referre: hortaturque omnes eccleſiaſticos, ut ſui ordinis, atque dignitatis ubique memores eſſe velint.

*De epiſcopis.*

1. Cum in epiſcopos velut ſupra montem poſitos, omnium oculi conjecti eſſe ſoleant, hortamur illos, ut epiſcopi eſſe, quam dici malint: invigilentque diligenter juxta nomen ſuum gregibus ſuis, & lupos ab ovili Chriſti pro virili arceant.

2. Ut autem eccleſia poſſit deinceps tales habere epiſcopos, optamus omnes jus antiquum electionum clero reſtitui: ſed quoniam tanti boni modica aut nulla adhuc ſpes effulget, deinceps tamen cum ſedem aliquam vacare contigerit, preces & ſupplicationes ad Deum a clero & populo fieri jubemus, ut gregi ſuo paſtorem dare dignetur idoneum.

3. Ad epiſcopatum vero nemo promoveatur, niſi prævio examine ſuper fide, ætate, vita, moribus, & natalibus promovendi, deque modo & ratione, quibus ad epiſcopatum pervenerit.

4. Et quoniam epiſcoporum reſidentia maxime neceſſaria eſt, quæ de ea ſacris canonibus, & præſertim a Tridentina ſynodo ſancita ſunt, obſerventur. Reſidentes vero Chriſtum magnum animarum noſtrarum paſtorem, & epiſcopum imitentur, qui primum cœpit facere, deinde docere, ne plus damni pravo morum exemplo, quam commodi, doctrinæ verbo afferant.

5. Et quo melius primum ſibi, deinde ſuis proſint eccleſiis, in privatis ædibus verſentur aſſidue in lectione ſacrarum literarum, ac ea lectitent ut plurimum, quæ animos ad pietatem exerceant: hæc enim exercitatio ad omnia utilis eſt.

6. Laicorum eorumque maxime qui de crimine, vel facinore convicti ſunt, aut etiam ſuſpecti, familiaritatem immoderatam declinent, nec ullos de hæreſi ſuſpectos, vel ſcandalo notatos in ſuis familiis detineant.

7. Hortamur quoque ut menſas habeant ſobrias, ciboſque moderatos, divinarum ſcripturarum ſale, lectioneque conditos.

8. Et ut non familiæ tantum, ſed etiam bonorum ac proventuum eccleſiaſticorum curam gerant, qualem eos habere decet, caveant diligentiſſime, ne de eccleſiæ bonis propinquorum facultates augeant, niſi ad eorum levandam inopiam, ſi penuria laborent: videantque, ne pauperum loco aſſentatores, mimos, & id genus perditos homines menſuram habeant aſſeclas, vel equos, canes venaticos, & aves alant, ne vellicationis potius quam villicationis aliquando reddant rationem.

9. Provideant itidem, ne bona, prædia, reſque eccleſiæ alienentur, aut ad emphyteuſin, ſive cenſum perpetuum locentur, niſi juſta cauſa, & canonica ſolemnitate interveniente, ſub pœna lata a ſacris canonibus: & quæ alienata comperint, revocari procurent, juxta ſacri concilii Tridentini decretum, ſeſſ. 25. cap. XI.

10. Porro in ſuis eccleſiis ita præſint epiſcopi, ut eis ſedem in choro liceat eligere, quam putarint honoratiorem, in qua nullus canonicus eis præſentibus ſedere audeat, qualibet etiam dignitate ornatus.





11. Eiſdem quoque præſentibus benedictionem cereorum, palmarum, & rerum ſimilium nemo facere præſumat: monebunt tamen illi capitulum, ſi facere nolint. Cum autem aberunt, decanus, vel hebdomadarius eo poterit officio defungi.

12. Quod autem ſpectat ad illorum munus præcipuum, & magis neceſſarium, quod eſt paſcere gregem domini, qui illorum curæ ſolicitudinique commiſſus eſt, ſequantur divi Petri præceptum, ut illi provideant non coacte, ſed ſpontanee, ſecundum Deum, non ſicut dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo.

13. Primum itaque murum; ac ſeptem pro populo ſe interponant, ac divinis, officiis ſæpiſſime interſint, remque ſacram omnibus ſolennibus diebus faciant: aliis vero, præſertimque dominicis ac feſtis, quam frequentiſſime poterunt.

14. In correctionibus autem eum modum teneant, ut nec diſciplinam ſine miſericordia nec miſericordiam ſine diſciplina reliquiſſe videantur: ſed ſit in eis juſte conſulens miſericordia, & pie ſæviens diſciplina: cum plus agat aliquando erga corrigendos benevolentia, quam nimia ſeveritas: plus cohortatio, quam comminatio: plus caritas, quam poteſtas.

15. Non ſint appetentes vindictæ, ſed eam domino relinquant, conenturque ſibi morum ſuavitate, ac vitæ probitate omnium conciliare animos, & ſtudio cum Dei gratia efficere, ut poſſint puſillanimes conſolari, pios cohortari, & eos qui contradicunt, arguere.

16. Quod ſi præſtare per ſe nequeant, viros doctrina & vita inſignes ſubſtituant, qui vicariam illis præſtent operam, nec ſine eorum licentia quiſquam ad verbi Dei prædicationem admittatur, juxta præceptum concilii Tridentini.

17. Præterea probos ac doctos habeant officiarios, maxime officiales & promotores.

18. Qui ſi tantam doctrinam non habeant quanta forte deſiderari poſſet, defectum ſaltem eruditionis, morum probitate compenſent.

19. Si præſentato, & collationem beneficii poſtulanti epiſcopus dare renuerit, cauſas recuſationis teneatur ſcripto exhibere, & niſi illis diſcuſſis ac judicatis, ſuperior ejuſmodi beneficium conferre nequeat, alioqui ejus collatio nulla ſit.

*De ſimoniacis & fiduciariis.*

1. Cum autem nihil adeo totum clerum deformet, quam ſimoniæ labes, non abs re pridem cenſuit eccleſia omnes ſimoniacos, & fiduciarios excommunicatione percellendos: quorum nequitia tam late jam diffunditur, ut univerſum pene corpus illius labefactare conetur. Contra quos, ut omnibus viis juris & pœnis ſeveriſſimis inquiratur, atque procedatur, optamus, volumus & decernimus. Præcipimus quoque, ut ſingulis diebus dominicis omnes ſimoniaci & fiduciarii denuncientur excommunicati eo ipſo, quod tales exiſtant.

2. Beneficiis etiam adeptis utroſque privat ſancta ſynodus, & ea ipſo facto vacare vult, eoſdemque ad alia obtinenda declarat incapaces. Qui autem ex eis ſunt ad ſacerdotium promoti, noverint ſe contraxiſſe irregularitatem, ſi iis peccatis, ac eorum ſententiis implicati, rem ſacram facere præſumpſerint.

3. Confeſſarii de utroque peccato ſimoniæ & confidentiæ diligenter inquirant, & cum commiſſum audierint, abſolutionem, excepto mortis articulo, ad ſummum pontificem remittant.

4. Concionatores moneant frequentiſſime eos, qui per ſimoniam vel confidentiam beneficia captant, obligari ad integram reſtitutionem fructuum, quos ſuos facere nequeant, nec prius poſſe culpæ remiſſionem conſequi, quam beneficio ceſſerint.

5. Quicumque ſacerdotis ſimoniaci, vel fiduciarii lata ſententia declarati ſacrificio vel orationibus adfuerint, atque quorumcumque qui tales extiterint, uſi fuerint contubernio, eadem plectantur pœna, qua illi qui cum aliis excommunicatis majori excommunicatione familiaritatem ineunt.

6. Ut autem noſcant omnes, quinam utriuſvis criminis rei habendi ſint, illi in primis & proprie habeantur, prout ſunt, ſimoniaci, qui beneficia reſque ſpirituales pecuniis comparant, vel conferunt, vel certe rebus, quæ pecunia æſtimari queant. Nam eorum impudentiſſimum prætextum deteſtamur, qui de ſolo proventu reque temporaria ſe paciſci dicunt, cum ea ſpirituali tam arcto ſit annexa vinculo, ut non magis una ab altera divelli queat, quam in homine vivo manente corpus a ſua anima.

7. Si quis beneficium propter obſequium, vel impenſæ ſervitutis mercedem conferat, vel de retinenda penſione ſibi vel alteri paciſcatur, aut partem fructuum, vel aliud beneficium in compenſationem collationis ejus alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem a ſede Romana non approbatam fecerit, ſimoniacus eſſe cenſeatur.

8. Epiſcopus qui pro conferendis ordinibus ſacris, vel minoribus, vel etiam tonſura clericali aliquid acceperit, quod pretio æſtimari queat, vel qui aliquid poſtulaverit pro literis dimiſſoriis, vel teſtimonialibus, earumque ſigillo, notam ſimoniæ vel avaritiæ incurrit. Secretarius tamen illius decimam aurei partem accipere queat, juxta concilium Tridentinum.

9. Sacerdotes qui de pretio paciſcuntur, ut miſſas celebrent, & parœci, qui pro ſacramentorum adminiſtratione, vel funere, vel ſepultaris aliquid exigunt, præter ea quæ de jure, lege vel conſuetudine laudabili conferuntur, habeantur ſimoniaci, non autem ſi ſponte oblata recipiant.

10. Qui pro religionis ſeu monaſterii ingreſſu aliquid extorſerit, ſimoniacus eſſe cenſeatur. Nam licet opes monaſterii ſint adeo tenues, ut vix ingredientem alere queant, cumque oporteat aliquando pro alimentis & veſtibus aliquid monaſterio conferre, tuta conſcientia, modo id fiat ante votorum emiſſionem: tamen ut deinceps omnis nequitiæ amputetur occaſio, ſynodi Tridentinæ decretis admoniti, ſtatuimus ne deinceps in quibuſcumque monaſteriis major monachorum, vel monialium numerus admittatur, quam qui ex propriis redditibus monaſterii, vel eleemoſynis aſſuetis, educari queat. Approbamus tamen & laudamus eleemoſynas etiam copioſas ab ingredientibus ſponte collatas.

11. Rerum exactio, quæ pro canonicorum, & aliorum beneficiariorum ingreſſu in pleriſque locis ſuſpicione ſimoniæ vel ſordidæ avaritiæ non caret, fieri nullo modo permittatur: quamvis laudabiles conſuetudines in concilio Tridentino non

ANNO CHRISTI 1583.

non damnatas approbemus eorum, quæ in pios uſus conferri ſolent.

12. *Qui* non exarſerit in ſimoniacos pro officii ſui ratione, vel qui rogatus agnitam de hac peſte veritatem, ſubticuerit, eorum particeps habeatur.

13. *Quiſquis* autem acceptat beneficium, ut ei *poſtea* cedat in favorem cujuſcumque perſonæ capacis vel incapacis, ſæcularis vel regularis, laicæ, vel alicujus ex clericis, fiduciarius eſſe cenſeatur. Idemque eſto judicium de eo qui per reſignationem ejus beneficium recipit, cujus prius erat illi facta promiſſio.

14. Qui eamdem confidentiam verbo, vel facto juverit, vel procuraverit, ejuſdem criminis particeps habeatur.

15. Qui beneficium acceptat, non ut cedat, ſed ut alius fructibus, vel eorum portione, ſub ipſius nomine, gaudeat, fiduciarius eſſe judicetur.

16. Patroni etiam ſeu eccleſiaſtici, ſeu laici, qui clericorum perſonas interponunt, ut ex pacto vel expreſſo, vel tacito, fructus beneficiorum quæ præſentent, vel eorum partem aliquam in proprios uſus convertant, vel qui alieo ſuppoſito, vel etiam nullo titulario exiſtente, fructus beneficiorum occupant, non ſolum hujus criminis rei, ſed etiam injuſtiſſimi raptores cenſeantur, & jure patronatus ipſo facto privati exiſtant.

### *De fænore.*

1. SIMONIÆ vitio peccatum uſuræ eſſe affine nemo non conſpicit. Cum igitur ſacræ literæ excludant eum a divino tabernaculo, qui pecuniam dederit ad uſuram, aperteque nuncient, ut mutuum demus, nihil inde ſperantes: quiſquis præter ſortem præcipuam ex mutuo aliquid amplius exegerit, vel acceperit, cujuſcumque generis illud ſit, modo pecunia æſtimari poſſit, uſurarius eſſe cenſeatur.

2. Quæ autem per uſuram parta ſunt, vel accepta uſurarii reſtituere teneantur.

3. Parœcus in pronao ſingulis diebus dominicis annunciet uſurarios eſſe excommunicationi obnoxios.

4. Actuarii, ſeu notarii, uſurarum proxenetæ, omneſque qui contractibus uſurariis aliquam operam, vel conſenſum præbent, ejuſdem criminis cenſeantur eſſe participes.

5. Si quis in ſacros ordines cooptatus, compertus fuerit uſuram exercuiſſe, ſive nomine proprio, ſive alieno, juxta Nicæni concilii ſententiam dejiciatur a clero, & alienus habeatur ab eccleſiaſtico gradu.

### *De juriſdictione.*

1. CUM autem æquum ſit munus aliquod exiſtere, quo, qui parere debent, in officio contineantur, juriſdictionis epiſcoporum habenda ratio eſt, quæ maxime elucet in viſitationibus, & diœceſeon provinciarumque ſynodis. Primum itaque volumus judices ſæculares admoneri, ut cauſas coram ſe motas, & ad eccleſiæ juriſdictionem pertinentes, ad eccleſiaſticum judicem relegent, nec mittant falcem in meſſem alienam.

2. Caveant omnes eccleſiaſtici, ne coram judice ſæculari litem intendant, ſive agentis, ſive de[illegible] partes ſuſcipiant, niſi in caſibus a jure permiſſis. In perſonalibus autem meminerint ſuos habere judices, alioqui pœnas a ſacris canonibus impoſitas non effugiant.

3. Archidiaconi, & decani rurales ſingulo quoque trimeſtri contra ſontes inquirant, & informationes ad promotorem eccleſiaſtici fori remittant. Qui viſis illis quamprimum juxta delicti qualitatem poſtulet, ac ſuas concluſiones ſcriptis exhibeat: nec tamen archidiaconorum juriſdictioni præjudicium ullum afferat.

4. Nulli promotores, vel officiales cum partibus epulentur, vel ab eis munera accipiant: alioqui pœnæ arbitrariæ ſubjaceant.

5. Summarie quantum fieri poterit, iidem lites dirimant, & publicatis teſtium elogiis reprobationes nullatenus admittant.

6. Monitiones ad finem revelationis, & excommunicationis ſententiæ a nullis, præterquam a poteſtatem habentibus, nec niſi pro cauſa gravi concedantur. Nec vicarius epiſcopi eas concedere poſſit, niſi facultas ab ipſo epiſcopo fuerit ei ſpecialiter demandata.

7. Si quis autem cenſuris implexus animo obdurato & contumaci per annum in eis permanens inſorduerit, nec ſe curaverit abſolvendum, contra eum tamquam de crimine hæreſeos ſuſpectum procedatur.

### *De viſitatione.*

1. QUOTANNIS epiſcopi totam diœceſim vel per ſeipſos, aut ſi legitime impediti fuerint, per ſuum generalem vicarium, aut viſitatorem viſitent. Verum ſi totam propter ejus latitudinem, viſitare non poterunt, ſaltem ejus majorem partem, ita tamen, ut tota biennio per ſe, vel viſitatores ſuos compleatur. Viſitare non omittant etiam parœcias a militibus ſancti Joannis Hieroſolymitani dependentes, ſervata tamen forma literarum fel. mem. Pii V.

2. Iidemque vel per ſe, vel vicarium eumdem quotannis ſemel viſitent monaſteria, prioratus, & præpoſituras, & capitula ſuæ juriſdictioni ſubdita: ut in eis omnia ſartatecta habeantur, accepta tamen procuratione ſolita.

3. Viſitent, ac etiam curent, ut hoſpitalia, & alia loca nomine pietatis conſecrata, integra teneantur, diſſipata inſtaurentur, ac nondum conſtituta, ſi tempus & locus poſtulent, conſtruantur. In quibus provideant primum de ſacramentorum adminiſtratione, deinde de corporis alimento & medicamento.

4. Efficiant quoque ut eadem pia loca miſerabilibus perſonis ſint aſſidue pervia, ſed mendicantibus validis ac otioſis claudantur.

5. Inquirant num eorum locorum redditus in alios uſus, quam pauperum convertantur, & reliquam pecuniam, ſi qua ſit, in locorum reparationes converti curent.

6. Eorumdem locorum præfecti, ſeu adminiſtratores ac procuratores diligenter ſubducant rationes dati & accepti, ſubductaſque infra ſemeſtre a die homologationis hujus concilii epiſcopis communicent cum literis ſuarum proviſionum, ac deinceps ſingulis quibuſque annis id præſtent.

7. Non autem ſoli epiſcopi, ſed etiam capitula, aut quævis perſonæ ſive eccleſiaſticæ, ſive laicæ quarum inter eſt, videant an cultus divi-



ANNO CHRISTI 1583.

vinus perſolvatur in ſacellis, ſeu (ut vocant) capellis quibus aſſignati ſunt proventus annui.

8. Quod ſi ſacer locus belli, vel temporis injuria dirutus exiſtat, & inſtaurari nequeat, illius beneficia ſimplicia in eccleſiam parœcialem, intra cujus limites ſitus erat, cum omnibus emolumentis & oneribus prioribus eccleſiis impoſitis transferantur, juxta decretum concilii Tridentini, ſeſſ. 21. cap. 7.

9. Epiſcopi quoque cum viſitant, de titulis locorum & proventuum diligenter inquirant, curentque ſedulo, ut contra amiſſorum detentores viis juris & cenſuris eccleſiaſticis procedatur.

10. Archidiaconi autem in his eccleſiis ubi hactenus viſitationem exercere legitime conſueverunt, eas ſingulis annis aſſumpto notario de conſenſu epiſcopi viſitent, accepta ſolita procuratione.

11. Inquirant diligenter de curatorum, matriculariorum, ceterorumque parœcianorum, ac maxime obſtetricum vita, moribus, munere, officio, diligentia, ac debita ſuis locis aſſiſtentia, ac ſingulos ſui officii moneant, exhortenturque.

12. Acta autem ſuæ viſitationis ſecundum conſuetudinem locorum intra duos menſes a peracta viſitatione, epiſcopis exhibeant.

### *De ſynodo diœceſana.*

1. SYNODI diœceſanæ ſingulis annis ſemel dumtaxat ad cleri levamen tempore commodiori celebrentur.

2. In eis præſideat epiſcopus, vel eo abſente, ejus vicarius generalis. Curati quoque quamvis ſint canonici, & alii omnes qui de jure vel conſuetudine tenentur, comparere cogantur.

3. Aſſiſtere quoque parœci teneantur cum habitu & tonſura ſtatui congruentibus, necnon cum ſtola & ſuperpelliceo.

4. In eis decani rurales rationem reddant eorum quæ in ſuis Calendis & viſitationibus egerint, & compererint.

5. Illæ Calendæ bis ad ſummum in anno habeantur, ne clerus nimio labore & ſumptu gravetur, & in eis aſſiſtant curati, & vicarii, cum habitu & tonſura decenti, ſintque omnes modico cibo, potuque contenti, ne populo ſua intemperantia aliquod ſcandalum afferant.

6. Controverſias cauſaſque perſonales, quas inter viros eccleſiaſticos ſuboriri compererint, qui ſynodo vel Calendis præerit, amice, ſi fieri poſſit, componat.

7. In ſynodo vero orationem exhortatoriam habeat epiſcopus, aut alius, cui provinciam hanc commiſerit: clerumque moneat eorum quæ ſunt ſui officii. Legantur etiam ſtatuta ſynodalia, ac pro temporis opportunitate, & ratione augeantur, minuantur, vel immutentur, prout epiſcopo videbitur.

### *De ſynodo provinciali.*

1. AD Dei gloriam, eccleſiaſticæque diſciplinæ conſervationem ſingulo quoque triennio habeatur ſynodus provinciæ, ſeu provinciale concilium in ea civitate provinciæ quam opportuniorem judicaverit, nominaveritque dominus archiepiſcopus, aſcito ſuorum ſuffraganeorum conſilio: atque ad eamdem ſynodum omnes qui de jure, vel conſuetudine vocandi ſunt, edicto publico ſolenniter citentur: & ea peracta, de loco dieque proxime futuri concilii provincialis decernatur.

2. Statuit etiam ſancta ſynodus omnes epiſcopos, tam dominum metropolitanum, quam ceteros concilio provinciali debite indicto perſonaliter intereſſe debere: & ſi legitime impediti fuerint, per procuratores ad hoc ſpecialiter conſtitutos. Et quoniam pœnæ per antiquos canones conſtitutæ hoc tempore quaſi leves negliguntur, judicavit eis & hanc addendam, ut qui in poſterum conciliis provincialibus non intererunt, & contumaces per præſentes judicabuntur, pœna privationis quartæ partis fructuum unius anni ſuorum epiſcopatuum ſeminario, pauperibus, vel aliis piis uſibus arbitrio concilii applicanda mulctentur.

3. Peracta ſynodo provinciali epiſcopi ſuis ſubditis, procuratores vero capitulorum, cathedralium, collegiatarumque eccleſiarum juriſdictionem habentium ſuis fratribus & ſubjectis, intra duos menſes a publicatione ejuſdem ſynodi numerandos, illius decreta promulgent, atque ad eorumdem obedientiam reſpective quemque exhortentur, & compellant.

4. Si quæ autem controverſiæ ſuper decretorum hujus concilii interpretatione oriantur, conſulatur dominus metropolitanus, ac ejus judicio ſtetur, donec per proximum futurum concilium provinciale judicatum fuerit.

5. Hæc eadem ſancta ſynodus futurum concilium hujus provinciæ in civitate Sueſſionenſi habendum [illegible] dominica ſecunda poſt paſcha, anno domini 1586. celebrandum indicit & decernit.

Publicatum in eccleſia metropolitana Rhemenſi poſt miſſarum ſolemnia, feria quinta, ipſo celebri feſto aſcenſionis dominicæ, anno domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, decima octava menſis Maii. Sic ſignatum.

*Ludovicus cardinalis a Guyſia archiepiſcopus Rhemenſis.*

*Et infra.*

De mandato præfati illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini mei, domini Ludovici cardinalis archiepiſcopi ducis Rhemenſis, primi Franciæ Patris.

*JOAN. DE PELES concili Rhemenſis ſcriba.*

### *EPISCOPI QUI HUIC SYNODO interfuerunt, & ſubſcripſerunt.*

NOS Ludovicus cardinalis a Guyſia archiepiſcopus Rhemenſis definientes ſubſcripſimus.

Ego Carolus de Roucy epiſcopus Sueſſionenſis ſubſcripſi.

Ego Valentinus du Glas epiſcopus Laudunenſis ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Fumee epiſcopus Bellovacenſis ſubſcripſi.

Ego Coſmus Clauſſe epiſcopus Catalaunenſis ſubſcripſi.

Ego Claudius epiſcopus Noviomenſis ſubſcripſi.

Ego Geoffridus Martonius epiſcopus Ambianenſis ſubſcripſi.

Ego

ANNO CHRISTI 1583.

Ego Ludovicus de Creil procurator reverendiſſimi Silvanectenſis epiſcopi ejus nomine interfui, approbavi & ſubſcripſi.

Nomina deputatorum a capitulis cathedralium, & collegiatarum eccleſiarum Rhemenſis provinciæ, nomina item abbatum, priorum, procuratorum, & ceterorum qui huic ſynodo interfuerunt, relata ſunt cum actis in commentariis, qui in archivis eccleſiæ Rhemenſis aſſervantur.

Promotores concilii H. Morus decanus Rhemenſis, & C. Goyenne decanus Bellovacenſis.

Secretarii concilii N. COLIN theſaurarius, & I. DE PELES canonicus Rhemenſis.

## BREVE APOSTOLICUM SUPER CONFIRMATIONE CONCILII PROVINCIALIS RHEMENSIS.

### GREGORIUS PP. XIII.

*Dilecto filio noſtro Ludovico ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero, cardinali Guyſiæ nuncupato.*

DILECTE fili noſter, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Mandavimus decreta ſynodi provincialis archiepiſcopatus tui, quæ ad nos miſiſti, per venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales ſuper dubiis in materia concilii Tridentini occurrentibus deputatos diligenter cognoſci, atque, ubi opus eſſet, emendari. Remittimus nunc tibi eum librum emendatum. Facies ut quæ pie prudenterque decreta atque emendata ſunt, quam diligentiſſime ſerventur: hæc enim reliqua pars eſt curæ tuæ, ſine qua omnis hactenus labor fruſtra ſuſceptus eſſet. Speramus id te pari ſtudio, & diligentia curaturum eſſe. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo piſcatoris, die 30. Julii 1584. pontificatus noſtri anno decimo tertio.

ANT. BUCCAPADULIUS.

### *LITERÆ INDICTIONIS.*

LUDOVICUS miſeratione divina S. R. E. presbyter cardinalis, a Guyſia nuncupatus, archiepiſcopus dux Rhemenſis, primus par Franciæ, ſanctæque ſedis apoſtolicæ legatus natus, reverendiſſimis fratribus epiſcopis, necnon venerabilibus decanis, capitulis, abbatibus, conventibus, prioribus, ceteriſque noſtræ Rhemenſis provinciæ eccleſiaſticis perſonis, quæ de jure, vel conſuetudine, concilio provinciali intereſſe debent, ſalutem in domino.

Cum tantis hactenus eccleſia noſtra Gallicana hæreſeon procellis, & civilium bellorum tumultibus fuerit agitata, ut ſummæ ac ineffabili Dei clementiæ plane tribuendum ſit, quod illa jam non penitus a fundamentis diſturbata corruerit: illud etiam profecto dici non poteſt, quanta ejus bonitate ac providentia ſit effectum, ut non tantum eadem eccleſia in aliquo [illegible] verumtamen illa nobis relicta ſint remedia, quibus in priſtinum ſplendorem reſtitui, & in antiquam libertatem vindicari poſſe videatur. Neque enim præſentius aliquod tantis malis remedium a mortalibus excogitari, aut a divino immenſoque clementiæ fonte peti potuit, quam ea quæ nobis generalium conciliorum decretis, & ſacrorum canonum conſtitutionibus præſcripta, & nuper a ſacroſancta & œcumenica Tridentina ſynodo ſingulo quoque triennio haberi juſſa ſunt, concilia provincialia. Quibus olim patres noſtri, eccleſiam catholicam hæreticorum injuriis pene proſtratam, vel etiam abuſuum multitudine valde deformatam, & vitiorum mole ferme penitus oppreſſam, inſtaurarunt, ſartamque tectam poſteritati tandem reliquerunt. Et quidem ejuſmodi conventuum provincialium uſus quanto orbis Chriſtiani incommodo aliquot jam ſæculis intermiſſus ſit, adeo cunctis notum eſt, ut ipſorum revocationem nedum ſummopere utilem, ſed etiam prorſus neceſſariam eſſe nullatenus dubitari poſſit. Nos igitur divino favore freti, ſanctorumque patrum exemplo adducti, graſſantibus eccleſiarum noſtrarum morbis pro virili mederi cupientes, huc etiam accedente ſanctæ ſedis apoſtolicæ auctoritate, necnon Chriſtianiſſimi regis noſtri Henrici conſenſu ſimul & hortatu, concilium provinciale in eccleſia noſtra Rhemenſi, dominica prima poſt feſtum epiphaniæ, hoc eſt, nona Januarii proxime venturi celebrare decrevimus, & ſtatuimus. Quamobrem omnes & ſingulos fratres noſtros reverendiſſimos coepiſcopos monemus, & quo poſſumus caritatis affectu rogamus, necnon venerabiles decanos, capitula, abbates, conventus, priores, & alias noſtræ provinciæ eccleſiaſticas perſonas, quæ de jure, vel conſuetudine provinciali concilio adeſſe debent, invitamus, ut eo ipſo die, ad ſynodum provincialem (juvante Deo) Rhemis celebrandam, per ſe, vel per legitimum procuratorem, (ſi quod forte juſtum impedimentum, ab ipſa tamen ſynodo probandum, obrepſerit) omnino compareant: ut quo decet religionis divinique honoris zelo, & noſtræ oviumque noſtrarum ſalutis ſtudio, ad ſananda hujus ampliſſimæ provinciæ vulnera, tollendos abuſus, extirpandos errores, moreſque componendos accommodatiſſima quæque, duce Spiritu ſancto, omnium actionum & conſiliorum moderatore, provideamus & exequamur. Datum Pariſiis in ædibus noſtris Dionyſianis, anno domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, die 27. menſis Septembris.

### *COMMISSIO CONVOCATORIA* *epiſcopo Atrebatenſi directa, ut concilio compareat.*

LUDOVICUS a Lotharingia miſeratione divina ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis a Guyſia nuncupatus, archiepiſcopus dux Rhemenſis, primus par Franciæ, ſanctæque ſedis apoſtolicæ legatus natus, reverendo in Chriſto patri, ac fratri cariſſimo domino epiſcopo Atrebatenſi ſalutem in domino. Cum tantis hactenus noſtra eccleſia Gallicana procellis, & calamitatibus fuerit agitata, ut id ſummum atque ineffabili ſolius Dei clementis, & pietati acceptum referri debeat, quod illa jam non penitus a fundamentis diſturbata corruerit; illud etiam profecto dici non poteſt quanta ejus bonitate, & providentia effectum ſit, ut non tantum eadem eccleſia, in eo quo nunc eſt, licet peſſimo, & periculoſiſſimo ſtatu quodammodo retineatur, verum etiam ea nobis relicta ſunt remedia quibus præclariſſimum illud primitivæ eccleſiæ ornamentum eidem reſtitui, inque priſtinos honores, & libertates ea vendicari poſſe videatur, neque enim certe præſentius tantis malis remedium a mortalibus excogitari, aut a divino immenſoque clementiæ fonte peti potuit, quam eæ quæ nobis generalium conciliorum decretis, & ſacrorum canonum conſtitutionibus ordinatæ & inſtitutæ ſunt ſynodi provinciales. Quibus etiam nobis patres noſtri eccleſiam catholicam hæreticorum injuriis pene proſtratam cum vitiorum deformitate labefactata videretur reſtaurarunt, ſartamque tectam conſervarunt. Et quidem earumdem conſtitutionum obſervatio quanto orbis Chriſtiani præjudicio prætermiſſa ſit, adeo notum eſt, ut illarum reſtitutionem non modo utilem ſed etiam neceſſariam eſſe nullatenus dubitari poſſit. Hinc eſt quod nos priſtino laudabilique eccleſiæ more malis eccleſiarum noſtrarum morbis mederi cupientes, matura ſuper eo quorumdam comprovincialium noſtrorum & de capitulo noſtro Rhemenſi præhabita deliberatione & conſilio, prædictis canonibus & decretis inhærendo concilium provinciale in eccleſia noſtra Rhemenſi, die dominica prima poſt feſtum epiphaniæ domini proxime venturum celebrare decrevimus & ſtatuimus. Quo ut eadem die in dicta eccleſia ſemotis omnibus aliis impedimentis compareatis, ſub pœnis ab eiſdem conciliis & canonibus indictis, vobis mandamus & ſignificamus, idemque ut præſtent, diœceſis veſtræ capitulis, abbatibus, ceteriſque qui de jure & conſuetudine intereſſe debent, mandetis & ſignificetis: & quoniam ea eſt veſtra pietas, deque grege dominico cura, & ſolicitudo, & id vos pro ovium epiſcopi ſalute, proque ſalutari totius eccleſiæ exemplo, non modo non recuſaturos, ſed libenter ſubituros eſſe confidamus, vobis etiam in hujus tam ſancti tamque neceſſarii negotii procuratione ſtudium noſtrum, & operam omnem noſtram pollicemur, Deum optimum maximum deprecantes, quatenus nobis omnibus in tam ſalubris concilii proſecutione adeſſe, & cordibus noſtris Spiritum ſanctum ſuum immittere dignetur, quo adjuvante ea decernamus quæ Chriſti corporis unitati, afflictiſſimæque eccleſiæ noſtræ ſolatio conſentanea eſſe videbuntur.

Datum Pariſiis in ædibus noſtris diœceſanis, die vigeſima ſeptima menſis Septembris, anno domini MDLXXXII.

*Et ſur le dos eſt ecrit.*

Le Ieudy 8. Novembre 1582. par l'ordonnance de Monſieur l'Archidiacre (qui eſtoit grand Vicaire) c'eſt fait en parchemin trois coppies, l'une pour Cambray, une pour Tournay, & une pour Arras, le tout ſignè, DEPELES, ecrites par Meſſire Marcial Rolin, qui eſtoit lors commis Secretaire en l'Archeveſche de Rheims.

## APOSTOLICA FACULTAS PRO SYNODO RHEMENSI, NONDUM SUSCEPTO PALLIO CELEBRANDA,

*Dilecto filio noſtro Ludovico S. R. E. presbytero cardinali, a Guyſia nuncupato.*

### GREGORIUS PP. XIII.

DILECTE fili mi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Exquiſita tuæ circumſpectionis induſtria promeretur, ut Romana eccleſia, cujus honorabile membrum exiſtis, & quam tuorum honoras magnitudine meritorum, te ſpecialis gratiæ favore proſequatur. Cum itaque pro nonnullis cauſis urgentibus concilium provinciale proximo quoque tempore adhuc celebrandum ſit, cumque, qui eccleſiæ Rhemenſis ex diſpenſatione apoſtolica adminiſtrator exiſtis, Pallio nondum ſuſcepto id facere nequeas, niſi noſtra & ſedis apoſtolicæ tibi licentia ſuffragetur, & facultas: Nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, eidem circumſpectioni tuæ, ut pro hac vice tantum, Pallio etiam per te nondum ſuſcepto, concilium provinciale convocare poſſis ad effectum, & illud, prout moris eſt, celebrare, ac eidem præſidere libere & licite, etiam pro hac vice tantum valeas, apoſtolica auctoritate, de ſpeciali gratia concedimus, & indulgemus, non obſtante felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Cuncta*, & aliis apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die prima Martii, anno domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio, pontificatus noſtri anno undecimo.

## ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. CARDINALIS ARCHIEPISC. DUCIS RHEMENSIS,

*Ad ſynodum provincialem cohortatio.*

PERMAGNUM & perilluſtre gratulandi mihi, & gratias Deo omnium bonorum auctori cumulatiſſimas agendi, argumentum præbuit hodiernus dies, reverendi fratres, quod mihi vixdum inaugurato divini numinis beneficio conceditur munus noſtrum ab hujus ſacri concilii exordiri convocatione: quo negotio nullum aut majus, aut illuſtrius, nullum ad laborantis eccleſiæ ægras ac prope poſitas partes accommodatius, nullumque honorificentius eſſe poteſt. Suppeditat nobis exemplum ſapientiſſimorum regum maximus, & maximorum ſapientiſſimus Salomon, qui in regem aſſumptus, nihil prius antiqui uſque habuit, quam ut in Dei optimi maximi domo magnifice extruenda, omnibuſque aliis ad ejus cultum neceſſariis religioſe conſtituendis acceptæ a Deo gratiæ & ſapientiæ primitias conſecraret. Chriſtus etiam dominus Hieroſolymam ingreſſus, flagrantiſſimo domus Dei zelo incenſus, ab ea expurganda, verrendaque, & ſacerdotalis auctoritatis, & eccleſiaſticæ diſciplinæ exordium potiſſimum ducere voluit. His igitur præclaris exemplis, tum adepti ſacerdotii magnitudine com-

ANNO CHRISTI 1583.

ANNO CHRISTI 1583.

commotus, nulla interpoſita mora conor efficere, ut eccleſiæ noſtræ provincialis ſtatus collapſus reſtauretur, vitia radicitus extirpentur, moreſque ad optimam diſciplinam revocentur: ut patrum denique noſtrorum orthodoxa fides hæreticorum furore prope dejecta, nova animi virtute excitetur, & velut in avitam poſſeſſionem reſtituatur. Huc nos communis noſtri ordinis pernicies cum magna reipublicæ Chriſtianæ calamitate conjuncta, atque ſanctiſſima Chriſtianiſſimi regis voluntas (quam ſane plurimi omnes facere debemus) advocat: ſed ſtimulum non mediocrem admovet *Caroli* cardinalis patrui cariſſimi, & maxime colendi pia recordatio, qui poſt ſynodum œcumenicam Tridenti habitam, concilium ex ſummis ingeniis præditis coegit. Nam & ſi quæ in eo ſumma & admirabilia fuerunt ad tantum munus exequendum, illa in me vix agnoſco mediocria: benevolentia tamen omnium veſtrum incredibilis, reverendi fratres, admirabilis ſapientia, ſingularis pietas, perſpecta mihi & ſatis explorata fides, me in re tam ſancta, licet difficili, animo debilitari, aut frangi non ſinit. Agite ergo, & illud precor, mecum omnes acri & attento animo intuemini, quod monebat apoſtolus: Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Quibus verbis apertiſſime præcipit, ut nos ipſos primum, deinde fidei noſtræ commiſſos inſpiciamus atque examinemus: & quicquid depravatum, corruptum, atque ſordibus conſpurcatum reperietur, id non tam noſtra, quam ſacrorum conciliorum auctoritate ſanemus, emendemus, abſtergamus: & noſtris auribus frequentiſſime inſonet, quod monebat Chriſtus: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Non poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita. Quod ſi ea quæ noſtrarum ſunt partium, accurate recognita animo complectamur, haud dubie futurum eſt, ut omnium ſuffragiis atque conſenſu ea decernamus, quæ ad mores emendandos, & diſciplinam, religionemque, quam a majoribus accepimus, revocandam atque retinendam pertinere ſerio videbuntur. Quod niſi ſedulo fecerimus, verendum ne contra nos illud pronuntiet dominus, quod eſt apud Ezechielem: Requiram gregem meum de manu eorum: & plebs exclamet quod vulgo circumferri ſolet, O præclaros cuſtodes ovium, lupos! Sed video meliora, magnaque me ſpes tenet, eo animo nos omnes huc convenire, ut nihil niſi quod pium, ſanctum, & noſtræ, noſtrique gregis ſaluti commodum ſapienter ſtatuamus: & quicquid ſancitum fuerit, lubenter ex animo exequamur, obſervemus & obſervandum curemus. Sed quoniam ſine te, o Deus optime, atque maxime, nihil præclarum, nihil ſalutare, neque ſtatuere, neque peragere poteſt humani ingenii imbecillitas, animis noſtris, quæſumus, propitius illabere: & qui dixiſti, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo ibi ego ſum in medio eorum, nobis hodie in nomine ſancto tuo congregatis, adeſſe dignare: mentes noſtras [illegible] tui luminis ſplendore illuſtra, bonitate fove, ſapientia rege, moderare: atque effice, ut privata commoda communi officio poſthabeamus: eorum tantum utilitati, quibus præſumus, non noſtris rationibus ſerviamus: & quæ [illegible] exempla [illegible] aliis tradere paramus, ea ipſi primum [illegible] auxiliante ſedulo ac [illegible] exequi valeamus.

# LITERÆ SYNODI

## PROVINCIALIS RHEMENSIS

### AD OMNES COMMUNITATES,

Et eccleſiarum rectores ſibi ſubditos, quibus mandat, ut preces ad Deum fundant, ac ſupplicationibus inſiſtant, pro felici ejuſdem ſynodi progreſſu atque ſucceſſu.

*Ludovicus miſeratione divina ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis a Guyſia nuncupatus, archiepiſcopus dux Rhemenſis, primus Franciæ par, ſanctæque ſedis apoſtolicæ legatus natus: Carolus de Roucy epiſcopus Sueſſionenſis: Valentinus du Glas epiſcopus dux Laudunenſis, par Franciæ: Nicolaus Fumee epiſcopus comes Bellovacenſis, par Franciæ: Coſmus Clauſſe epiſcopus comes Cathalaunenſis, par Franciæ: Claudius epiſcopus comes Noviomenſis, par Franciæ: Geoffridus Martonius epiſcopus Ambianenſis, una cum aliorum ſuffraganeorum coepiſcoporum & capitulorum cathedralium procuratoribus, abbatibus, prioribus, aliiſque ad concilium Rhemenſe congregatis, omnibus provinciæ Rhemenſis capitulis, conventibus, communitatibus, & parœcis, gratiam & pacem a Deo per Jeſum Chriſtum.*

ANNO CHRISTI 1583.

ETUS eſt conſuetudo jam inde ab apoſtolorum temporibus ducta, ut ad extirpandas hæreſes per ſynodorum convocationem a divina clementia remedia quærantur. Hæc enim numquam deſerit ſuos, juxta promiſſionem domini, cum ait: Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum ſum. Cum igitur non ſine magna animi moleſtia hodie videamus, in quam varias opinionum ſectas pleriqne miſere diſſecti ſint, operæpretium nos facturos exiſtimavimus, ſi ſaluberrimam conciliorum auctoritatem & uſum revocando, ad provincialem ſynodum Rhemos conveniremus: ut ſecundum Deum, aliquam ineamus rationem, qua religio unitati & eccleſia per reformationem ſuæ reſtituatur puritati & dignitati. Sed quoniam divino auxilio potius quam ullo hominum conatu & induſtria res tantæ peraguntur, ut recte atque ex ordine noſtrum inſtitutum proſequeremur, divi Jacobi concilium ſecuti, ſapientiam a Deo poſtulavimus in fide. Ex [illegible] communi malo, quod omnium noſtrum culpa evenit, communibus fidelium precibus ſubſidium opportunum inveniatur, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus vos, & hortamur in domino Jeſu, ut eadem nobiſcum fidei & caritatis ſocietate conjuncti, & tantum eccleſiæ malum experti, pro felici hujus concilii progreſſu, executione, & ſucceſſu, quoque Chriſtianiſſimi regis, & catholicorum omnium ſalute, pace, ac tranquillitate, veſtris orationibus Jeſum Chriſtum, qui eſt pax noſtra, interpellare velitis, Danielis exemplo nobiſcum dicentes, Peccavimus, inique egimus. Sed quoniam non eſt confuſio confidentibus in te, fac nobiſcum domine, ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Quamobrem, ut hæc noſtra exhortatio, & in re tam ſancta ſalutare conſilium Chriſti eccleſiis ad profectum innoteſcat, omnibus capitulis tam cathedralium, quam collegiatarum eccleſiarum, & ceteris communitatibus tam abbatiarum, quam conventuum, mandamus, ut ſingulis diebus ſuppli-



ANNO CHRISTI 1583.

cum litaniis, & collectis de Spiritu ſancto, unitate eccleſiæ, & proſpero concilii ſucceſſu faciant: ac curatis omnibus, ut ſingulis diebus feſtis eiſdem precibus, & ſupplicationibus vacent, ut tandem adjuvante Spiritus ſancti gratia, in hac deploranda religionis perturbatione fiat in eccleſia Dei omnium credentium cor unum & anima una, ſub uno capite Jeſu domino ſalvatore noſtro, qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula. Amen. Datum Remis, die 27. Aprilis, 1583.

*ACTA CONCILII PROVINCIALIS Rhemenſis, quod illuſtriſſimus princeps, & reverendiſſimus D. D. Ludovicus S. R. E. presbyter cardinalis a Guyſia nuncupatus, archiepiſcopus dux Rhemenſis, primus par Franciæ, ſanctæque ſedis apoſtolicæ legatus natus, Rhemis habuit, anno domini 1583.*

*Prima congregatio in palatio archiepiſcopali Rhemenſi.*

DIcta itaque die Lunæ vigeſima quinta menſis Aprilis, in prædicto palatio archiepiſcopali Rhemenſi, convenientibus omnibus ad ſynodum deputatis, cum illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus præſidens in capite menſæ in eam rem erectæ & ſtratæ ſedis, & reverend. domini qui aderant epiſcopi ordine ſequenti ſederunt, videlicet a dextris ejuſdem illuſtriſſimi domini cardinalis præſidentis, primus propter abſentiam reverendi domini epiſcopi Sueſſionenſis dominus epiſcopus Bellovacenſis, & ſecundus reverendiſſimus dominus epiſcopus Noviomenſis: qui poſt illos a dicta parte dextra ſedere conſueverunt, Tornacenſis & Silvanectenſis epiſcopi aberant, a ſiniſtris vero ſedit primus reverendus dominus epiſcopus Laudunenſis, & poſt eum, abſente reverendiſſimo domino epiſcopo Cathalaunenſi, ſedit reverendiſſimus dominus epiſcopus Ambianenſis: Reliqui, videlicet Bononienſis epiſcopus olim in Morinenſis epiſcopis locum ſuffectus, Atrebatenſis epiſcopus, qui reliquas dictæ ſiniſtræ partis ſedes occupare conſueverunt, abſentes erant: Aberat & reverendiſſimus dominus epiſcopus Cameracenſis cui ex oppoſito illuſtriſſimi domini Ludovici cardinalis ſedes conſtitui ſolita erat. Sedentibus igitur hoc ordine ſupradictis illuſtriſſimo domino Ludovico cardinale archiepiſcopo, & præſidente, & reverendiſſimis dominis epiſcopis, idem R. D. epiſcopus Ambianenſis ſe eum qui [illegible] præſcribebatur ſedendi locum accepiſſe proteſtatus eſt, ea lege & conditione ut præjudicium aliquod in poſterum generari non poſſet ſibi ſuiſque ſucceſſoribus, & eccleſiæ ſuæ; deque proteſtatione hujuſmodi actum ſibi confici & regiſtrari requiſivit. Quia vero qui de hujuſmodi proteſtatione rogaretur, nullus adhuc erat conſtitutus & deputatus ſecretarius, viſum eſt illuſtriſſimo cardinali, & reverendis epiſcopis & deputatis, antequam aliud ageretur; ſcribas & promotores concilii eligere, nominare, & deputare: quod cum omnium & ſingulorum deputatorum collectis ſuffragiis fieri cenſuiſſet præfatus illuſtriſſimus dominus; idque eo temporis propter præcedentes contentiones certo ordine fieri commode non valeret, ſuffragia & deputatorum vota ac ſententias promiſcue nulloque ſervato ordine roganda eſſe cenſuit. Sedibus itaque relictis, ſurrexerunt, præfatuſque illuſtriſſimus dominus Ludovicus archiepiſcopus & præſidens ſingulorum ſententiam ſciſcitatus magiſtros Joannem de Piles ejuſdem Rhemenſis eccleſiæ canonicum, monaſterii Orbacenſis, ordinis ſancti Benedicti Sueſſionenſis diœceſis abbatem commendatarium, diœceſis Rhemenſis a multo tempore ſecretarium, ac Nicolaum Colin ejuſdem Rhemenſis eccleſiæ theſaurarium & canonicum, ejuſdem concilii ſcribas & ſecretarios pronuntiavit: quam provinciam ſuſcipere iidem de Piles & Colin non recuſarunt. Tum demum ad promotorum electionem ventum eſt, unanimique omnium conſenſu venerabiles, dominus Hubertus Maurus in ſacra theologiæ facultate doctor ac Rhemenſis eccleſiæ prædicator, decanus & canonicus, ac Claudius Gonge jurium licentiatus, eccleſiæ Bellovacenſis decanus & canonicus, futuri concilii promotores ab eodem illuſtriſſimo domino cardinale archiepiſcopo nominati & pronunciati ſunt; quod minime lubenti animo etiam ſuſceperunt. His peractis, præfati illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus & præſidens, ac reverendiſſimi domini DD. Laudunenſis, Bellovacenſis, Noviomenſis, & Ambianenſis epiſcopi ordine ſupradicto ſederunt, iteratis per reverendiſſimum dominum epiſcopum Ambianenſem de ſeſſione proteſtationibus, de quibus actum illi conficere dicti ſynodi ſecretarii juſſi ſunt.

Orta eſt etiam inter eccleſiarum cathedralium capitula & reverendiſſimos dominos abbates regulares, de ſedendi & deliberandi ordine non parva controverſia, [illegible] reverendis dominis abbatibus propter illorum dignitatem ſibi primas partes, dictis capitulis itidem primas ſibi deberi prætendentibus, quod reverendiſſimorum dominorum epiſcoporum aſſeſſores, & conſiliarii exiſtant, & ut dicti reverendiſſimi domini epiſcopi eccleſiarum capita, itaque canonici, capitula ſive parva capita, ex divo Bernardo nuncupari ſunt ſolita. Ad quam dirimendam controverſiam cum reverendi patres congregati ſententiam ferre parati eſſent, primus D. Geoffridus ſancti Vincentii Laudunenſis abbas, ceterorum abbatum nomine, hujus rei deliberationem in adventum reverendiſſimorum dominorum Præmonſtratenſis, & ſancti Martini Laudunenſis abbatum, aliorumque qui proximo quoque die venturi erant, differre & protrahere poſtulavit: quod æquum eſſe a patribus judicatum eſt, quodque eorumdem reverendiſſimorum dominorum, capitulorum & abbatum ſeſſiones & deliberationes, quoquomodo & ordine fierent, antequam de hujuſmodi controverſia pronuntiatum eſſet, nullum eorum juribus ac prætentionibus afferret præjudicium.

Porro qui aderant aliorum nominibus deputati, juſſi ſunt eorum nomina & procuratoria inſtrumenta, ut de eorum validitate judicaretur, exhibere; cui mandato obtemperantes infra ſcripti domini dominus Carolus de Blandecq prior de Uregin procuratorium reverendiſſimi domini Caroli de Roucy epiſcopi Sueſſionenſis, de die 22. Aprilis 1583. ſignatum Quique & Raoulet exhibuit.

Venerabilis dominus Petrus Remy, archidiaconus major eccleſiæ Rhemenſis, & officialis ac vicarius Rhemenſis, procuratorium reverendiſſimi D. Claudii Andreæ Dormy epiſcopi Bolonienſis & capituli eccleſiæ cathedralis Bolonienſis de die 23. Decembris 1582. ſignatum A. Dormy & de mandato

dato prædictorum dominorum F. Vœſier cum epiſcopali & capitulari ſigillo.

Venerandus dominus Antonius Muldrac doctor theologus & canonicus Silvanectenſis, procuratorium reverendiſſimorum D. Petri Chevalier epiſcopi Silvanectenſis, de die 23. Januarii 1583. ſignatum Potileni & Vigneron notarii regii. A deputatis ſciſcitatum eſt num quis illorum mandatum a reverendiſſimis D. Cameracenſi, Tornacenſi, & Atrebatenſi epiſcopis haberet, nec inventus eſt procurator, idem de ſancti Audomari & Hiprenſi epiſcopis, in Germaniæ inferioris partibus, loco Morinenſis epiſcopi nonnullis ab hinc annis erectis, actum eſt.

Demum venerabiles domini Ægidius Richer præpoſitus, Hubertus Maurus decanus, P. Gilbault cantor, Petrus Remy archidiaconus minor ſeu Campaniæ, & Joannes le Beque cancellarius, & canonici eccleſiæ Rhemenſis, concluſionem capitularem de die 22. menſis Decembris 1582. ſignatam Gueriot.

Venerabilis D. Attroſius de Gonnelica archidiaconus de Reparia, & Gervaſius Tournay ſcholaſticus, & canonici eccleſiæ Sueſſionenſis, actum capitularem illorum eccleſiæ, de die 21. præſentis Aprilis ſignatum Boucher ſcriba capituli, cum ſigillo capituli.

Venerabilis D. D. Joannes Bertrand decanus, & Dionyſius Haugaret canonicus eccleſiæ Laudunenſis per capitularem actum de die 22. Aprilis præſentis ſignatum de mandato Geget cum ſigillo capitulario.

Venerabilis D. Claudius Gonyve juris canonici doctor, decanus eccleſiæ Bellovacenſis, & Germanus Carre archidiaconus & canonicus eccleſiæ Bellovacenſis, per actum capitularem de die 15. Aprilis 1583. de Marailliere cum ſigillo capitulari.

Pro reverendiſſimo domino epiſcopo Cathalaunenſi, ejuſque capitulo nemo comparuit, ſed quidam eos in celebratione ſuæ ſynodi diœceſanæ detineri, & die Jovis vel Veneris proximi hic affuturos nunciavit.

Venerabiles domini Joannes Feuillette decanus, & Petrus Boytre archidiaconus eccleſiæ Noviomenſis capituli procuratores, actum capitularem de die 4. Februarii 1383. ſignatum, de mandato Lavoque, cum ſigillo capitulari.

Venerabiles domini Nicolaus Goudran doctor theologus & canonicus eccleſiæ Ambianenſis, & Joannes le Roy canonicus ejuſdem eccleſiæ, & regius ipſe Ambianenſis conſiliarius, nomine capituli Ambianenſis, per actum capitularem de die 18. Aprilis 1583. ſignatum de mandato Godes, cum ſigillo capitulari.

Pro Tornacenſi capitulo nemo comparuit.

Venerabilis dominus Petrus Remy archidiaconus major eccleſiæ Rhemenſis, nomine procuratorio capituli Bolonienſis, per procuratorem ſupra deſignatum in epiſcopo Bolonienſi, pro capitulis eccleſiarum ſancti Audomari & Hiprenſis nemo comparuit.

Venerabilis Antonius Muldrac canonicus theologus eccleſiæ Silvanectenſis, nomine capituli Silvanectenſis, procuratorium ſeu actum capitularem de die 22 Novembris 1582 ſignatum de mandato domini I. Pulbas, cum ſigillo capitulari reſpective exhibuerunt.

Pro capitulo eccleſiæ Atrebatenſis nemo comparuit ſicut & pro capitulo Cameracenſi.

Abbates regulares præſentes fuerunt reverendus Claudius Cauchon abbas ſancti Dionyſii Rhemenſis, ordinis ſancti Auguſtini.

Reverendus Geoffridus de Billy abbas ſancti Vincentii Laudunenſis, ordinis ſancti Benedicti.

Abbates commendatarii præſentes fuerunt Claudius Regius abbas commendatarius monaſterii Calvimontis, ordinis Præmonſtratenſis, Rhemenſis diœceſis.

Philippus de Gournay abbas commendatarius monaſterii de Genlis, ordinis Præmonſtratenſis, Noviomenſis diœceſis D. dominus Nicolaus Chertemps magnus prior monaſterii ſancti Remigii Rhemenſis, ordinis ſancti Benedicti, doctor theologus, prior de Soma, nomine procuratorio abbatis & conventus ſancti Remigii, procuratorium de die 25. Aprilis 1583. ſignatum A. Souyn, H. Morlet & Regnault.

Venerandus D. Petrus Remy archidiaconus major eccleſiæ Rhemenſis, nomine procuratorio reverendi domini Aymari Hannequin epiſcopi [a] Renarum, abbatis commendatarii monaſterii d'Eſparnay, ordinis ſancti Auguſtini Rhemenſis diœceſis procuratorium, de die 17. Januarii 1583. ſignatum Æmarus epiſcopus Rhedonenſis, abbas Sparnacenſis, & inferius de mandato l'Ermite, cum ſigillo.

a Redonenſis

Venerabilis D. Petrus Gilbault juris canonici doctor, cantor & officialis Rhemenſis, nomine domini Dominici le Clerc abbatis commendatarii ſancti Theodorici in monte aureo, ordinis ſancti Benedicti Rhemenſis diœceſis, procurator die 10. Januarii 1583. ſignatum, Veriet notarius apoſtolicus cum ſigillo.

R. D. Claudius Rohius abbas commendatarius monaſterii Calvimontis per procuratorem oblatum R. D. Joannis de Coucy abbatis commendatarii monaſterii beatæ Mariæ Bonifontis, Ciſtercienſis ordinis, Rhemenſis diœceſis, de die 26. Aprilis 1583. ſignatum de Coucy, & I. Broyart cum ſigillo.

Reverendus dominus Goffridus de Billy, abbas ſancti Vincentii Laudunenſis, nomine procuratorio abbatis & commendatarii conventus monialium ſancti Nicolai in Boſco Laudunenſis diœceſis procuratorium de die 18. Januarii 1583. cum pluribus ſignis & duobus ſigillis.

Religioſus D. Pantaleon Bigot religioſus in monaſterio ſancti Symphoriani Bellovacenſis diœceſis, ordinis ſancti Benedicti, nomine procuratorio domini Jacobi de Thou abbatis commendatarii, procuratorium de die 24. Decembris 1582. ſignatum le Noir & Luſſon.

Venerabilis D. Germanus Carre archidiaconus major & canonicus Belvacenſis, nomine domini Joannis de Vulcop, abbatis commendatarii de Beaupre, Bellovacenſis diœceſis, procuratorium de die 30. Aprilis 1582. ſignatum de Brigues & Marchant.

Venerabilis D. Petrus Remy archidiaconus major Rhemenſis, nomine D. Jacobi Belleau abbatis commendatarii de Cheminon, ordinis ſancti Benedicti, Cathalaunenſis diœceſis, procuratorium de die 20. Januarii 1583. ſignatum Cothereau & Broſet.

Venerabilis D. [a] Caromagnus ab Esloma doctor theologus procuratorium domini Petri Drouy abbatis commendatarii monaſterii Hamenſis, ordinis ſancti Auguſtini, Noviomenſis diœceſis, de die 21. Decembris 1582. ſignatum du Val, Oger.

a Infra, Carolus Magnus Eſlomia. H.

Reverendus D. Rodulphus le Blon prior [illegible] mo-







monaſterii ſancti Quirini in inſula, ordinis ſancti Benedicti, Noviomenſis diœceſis, procuratorium nomine abbatis commendatarii & conventus, procuratorium de die 24. menſis Aprilis pluribus ſignis & ſigillo munitum.

Significatum ſeu declaratio Oliverii le Pot, prioris clericalis monaſterii ſancti Bartholomæi Noviomenſis, vicarii reverendiſſimi domini Baltazaris Granger, ejuſdem monaſterii abbatis commendatarii, in abſentia domini abbatis, qui ſuſcipiendi ſacri presbyteratus ordinis gratia, Romam ſit profectus, in illius excuſationem de die 22. Aprilis 1583. ſignatum Novembris ſyngraphis & ſigillo ejuſdem ſub cera viridi.

Procuratores eccleſiarum collegiatarum videlicet nomine eccleſiæ collegiatæ ſancti Martini de la Fere ſur Oiſe, diœceſis Laudunenſis, D. N. procuratorium de die 7. Decembris 1582. ſignatum pluribus ſyngraphis [a] de ſigillo capitulari munitum.

a) Forte, ac ſigillo. H.

Simile procuratorium capituli capellæ matris Mariæ de Prælate in caſtro de la Fere ſur Oiſe, de dicta die 7. Decembris, ſignatum pluribus ſyngraphis.

Simile procuratorium capituli capellæ in caſtro de Mouy Sveſſionenſis diœceſis de die 23. Decembris 1582. ſignatum de Froullio.

Venerabilis D. Dionyſius Haugart canonicus Laudunenſis, procuratorium ſeu actum capitularem capituli eccleſiæ ſancti Joannis in Burgo Laudunenſi, de die 23. Aprilis, ſignatum Geger cum ſigillo capitulari.

Procuratorium ſeu capitularem actum capituli eccleſiæ ſancti Petri in foro Laudunenſi, de die 23. Aprilis 1583. ſignatum C. Collart cum ſigillo capitulari.

Venerabilis D. Bartholomæus Bauſſetus canonicus eccleſiæ collegiatæ ſancti Gervaſii & Protaſii de Guiſia Laudunenſis diœceſis, officialis & vicarius Laudunenſis, procuratorium dictæ eccleſiæ de Guiſia, de die 26. Decembris 1582. ſignatum A. la Court, cum ſigillo capitulari.

Idem dominus Bartholomæus procuratorium capituli eccleſiæ collegiatæ ſancti Wedaſti de Originaco O ſancti Benedicti, Laudunenſis diœceſis de die 22. Decembris 1582. ſignatum R. Molard cum ſigillo capitulari.

Venerabilis dominus Antonius de Planques decanus & Pariſienſis eccleſiæ officialis, canonicus eccleſiæ collegiatæ ſancti Quintini oppidi de ſancto Quintino Noviomenſis diœceſis, procuratorium capituli ejuſdem eccleſiæ de die ultima menſis Decembris 1582. ſignatum de mandato R. Senechal cum ſigillo capitulari firmatum.

Venerabilis dominus Antonius Mannonon canonicus eccleſiæ collegiatæ beatæ Mariæ de Nigella Noviomenſis diœceſis procuratorium capituli dictæ eccleſiæ de die 21. Aprilis 1583. ſignatum Capelle, cum ſigillo.

Venerabilis dominus Urſinus de Tournay canonicus Rhemenſis, procuratorium capituli eccleſiæ collegiatæ ſancti Furſei de Perona Noviomenſis diœceſis, de die 23. Aprilis 1583. ſignatum Morel, cum ſigillo capitulari.

D. Joannes de Piles abbas Orbacenſis procuratorium prioris commendatarii de Bellomonte, ordinis ſancti Benedicti Rhemenſis diœceſis, Joannis a ſancto Andrea canonici Pariſienſis, de die 8. Januarii 1583. ſignatum Gilleberte.

Dominus Philippus de Gonelan abbas commendatarius de Genliaco, Noviomenſis diœceſis, procuratorium Adriani Braſſeur baccalauri theologi, prioris commendatarii conventualis de Heliriari ſanctæ Margaretæ Cluniacenſis ordinis Belvacenſis diœceſis, de die 17. Februarii 1583. ſignatum a Braſſino N. Prouffit & G. Bougeriſe.

Prior de Rivecour Bellovacenſis diœceſis per dominum Joannem de Piles abbatem Orbacenſem ſe excuſari curavit.

Pantaleon Bigot prior ſancti Paterni Bellovacenſis diœceſis, procuratorium priorum dictæ diœceſis, de die 6. Decembris 1582. ſignatum Pelle & le Comte.

Franciſcus Canterel rector parochialis eccleſiæ ſancti Pauli Bellovacenſis, procuratorium rectorum dictæ civitatis & diœceſis, de die 7. Decembris 1582. ſignatum Pelle & le Comte.

Venerabilis dominus Jacobus Leſtourneaux ſacræ theologiæ profeſſor, canonicus & pœnitentiarius Ambianenſis, a reverendiſſimo domino epiſcopo Ambianenſi nominatus, ut abbatum, priorum, & curatorum ſuæ diœceſis nomine in concilio compareat, juxta facultatem eidem reverendiſſimo domino epiſcopo conceſſam, prout ex proceſſu apparet confecto die 28. Decembris 1582. ſignatum N. de la Voypiere.

D. Joannes de Piles abbas Orbacenſis, procuratorium domini Petri Hubert, prioris commendatarii prioratus conventualis ſancti Arnulphi de Creſpeyo in Valleſio, Cluniacenſis ordinis, Silvanectenſis diœceſis, de die 28. Decembris 1582. ſignatum P. Hubert Peron & Croiſet exhibuit.

Quæ quidem omnia procuratoria mandata ſupradicta reverendiſſimi patres decreverunt & juſſerunt tradi dominis promotoribus videnda, recognoſcenda, & examinanda, & in proximam congregationem referenda, ut de eorum validitate aut invaliditate, congregatio patrum ex dictorum dominorum promotorum relatione judicet, & eadem die domini promotores animadvertendum eſſe monuerunt, abbates tam regulares quam commendatarios, ac eccleſiarum collegiatarum capitula, priores, & curatos invitati quidem ad ſynodum provincialem, ſed non compelli potuiſſe, ideo nullam eis vocem in eadem ſynodo competere, ſaltem deciſivam, etiam ſi perſonaliter compareant; procuratoribus abſentium nullam omnino continuari congregationem decreverunt reverendiſſimi patres, in diem ſequentem Martis, vigeſimam ſextam menſis Aprilis, in prædicto palatio archiepiſcopali Rhemenſi, hora ſeptima matutina, celebrato prius miſſæ ſacrificio in ſacello ejuſdem palatii per unum ex dominis deputatis.

## *SECUNDA CONGREGATIO in palatio archiepiſcopali.*

DIE ſequenti Martis, vigeſima ſexta menſis Aprilis ejuſdem anni 1583. in præfato palatio archiepiſcopali miſſa per D. Hubertum Maurum Rhemenſis eccleſiæ decanum, & alterum dicti ſacri concilii promotorem celebrata, præſidente ſupradicto illuſtriſſimo D. Ludovico cardinali archiepiſcopo, ac aſſiſtentibus ſibi a dextris reverendiſſimis dominis Bellovacenſi, Noviomenſi, necnon religioſo domino Carolo Blandec, reverendiſſimi domini Caroli epiſcopi Sveſ-

ANNO CHRISTI 1583.

Sveſſionenſis procuratore; a ſiniſtris reverendiſ- A ſimis dominis epiſcopis Laudunenſi & Ambianenſi, cathedralium eccleſiarum, capitulorum procuratoribus: a dextris illuſtriſſimis & reverendiſſimis dominis abbatibus, tam regularibus quam commendatariis præſentibus, & abſentium procuratoribus a ſiniſtris ſedentibus, proteſtatione denuo per eos facta, quod ſedendi ille ordo ſuis juribus & dignitatibus præjudicare minime cenſeretur, domini promotores ſignificarunt & renunciarunt ſe reverendiſſimorum dominorum epiſcoporum abſentium, & capitulorum procuratoria mandata juxta provinciam eis a patribus in heſterna congregatione delegatam, diligenter inſpexiſſe & examinaſſe, & ex his procuratorium reverendiſſimi domini Silvanectenſis B epiſcopi minime ſufficiens videri ad illius abſentiam excuſandam, niſi validum & legitimum probetur impedimentum quominus ſe ad concilium conferre potuerit. Legitime itaque eumdem reverendiſſimum dominum Silvanectenſem epiſcopum abſentem, & contumacem cenſeri pœnaſque in contumaces de jure illatas, aut etiam ſi patribus bene viſum foret, graviores incurriſſe, judicare requirebant; cumque ad hæc reverendus dominus Antonius Muldrac canonicus theologus Silvanectenſis, ejuſdemque reverendiſſimi domini epiſcopi procurator excuſator, eumdem reverendiſſimum dominum graviter podagra a multis menſibus laborare & detineri conſtanter affirmaſſet, dignaque excuſa- C tione afferret, decretum eſt contumaciæ ſententiam contra dictum reverendiſſimum dominum Silvanectenſem epiſcopum in octavum diem differendam eſſe, quo temporis ſpatio ille de adverſa valetudine, aut alio legitimo impedimento, aut authentico inſtrumento, aut fide dignorum atteſtatione dare teneretur, quod ſi facere negligeret, in eum via juris ageretur.

Reverendum dominum Bolonienſem epiſcopum per procuratores admittendum non eſſe prefati domini promotores poſtularunt; quæ enim de inferioris Germaniæ bellorum tumultibus & injuriis ut nemini non innoteſcebat afflictæ vicinitate de militum e Gallia ad dictam Germa- D niam confluentium, viris eccleſiaſticis maxime infeſtorum invaſionibus, deprædationibus, demonſtrationibus, venerabilis dominus P. Remy archidiaconus major Rhemenſis illius procurator, impedimenta exponebat, & obiiciebat illorum tempore initi procuratorii mandati rationem haberi quidem potuiſſe, videlicet de menſe Decembri. Cum vero impedimenta hujuſmodi ceſſarint, nulloque milite provinciam illam tunc temporis affligi & labefactari, tutumque ab illa in hanc civitatem acceſſum cuilibet patere potuiſſe ſatis conſtet, eumdem reverendiſſimum dominum epiſcopum Bolonienſem contumacem declarare, pœniſque de jure in contumaces epiſcopos indictis mulctari debere re- E quirebant, cum ille de ſynodi hujus convocatione & indictione illiuſque prorogationibus omnibus, præſertim de noviſſimis, ut a reverendiſſimo domino Ambianenſi epiſcopo, qui illum de ultima indictionis dilatione & remiſſione admodum curaviſſe teſtatus eſt, certior factus fuerit, quam requiſitionem reverendiſſimi patres inſequentes eumdem reverendiſſimum dominum epiſcopum Bolonienſem contumacem pronunciarunt, ſi infra quindecim dierum ſpatium ad ſynodum non conveniret; inſtantibus [illegible] & requirentibus dictis dominis promo- A toribus, dictorum reverendiſſimorum patrum, judicio decretum eſt, quod deinceps qui ad concilium procuratores mitterent, ſive epiſcopi, ſive eccleſiaſticorum capitula, aut aliæ perſonæ eccleſiaſticæ procuratoria inſtrumenta Latino ſermone, non vulgari, coram notariis apoſtolicis conſici, eorumque ſigillis formari curarent, eidemque manibus propriis ſubſcriberent, alias nulla eorum haberetur ratio. Cameracenſis & Atrebatenſis epiſcopi de concilii indictione certiores facti, ut venerabilis D. Petrus Remy archidiaconus & officialis, reverendiſſimi illuſtriſſimique domini Ludovici cardinalis archiepiſcopi vicarius generalis, ſcripto docuit, ob non comparitionem contumaces nunciati & de- B clarati ſunt, & quia ob levitatem pœnarum de jure contra contumaces inflictarum quæ ſuperioribus temporibus plus ponderis habebant, nonnulli epiſcopi ſe negligentius gererent, ob eamque cauſam nonnulla provincialia concilia, utpote Burdegalenſe noviſſimum, graves pœnas in eoſdem contumaces ſtatuiſſent, videlicet privationem tertiæ partis fructuum piis uſibus applicandæ, pro eo anno quo concilio non comparuiſſent, requirebant domini promotores aliquid de dicta pœna ſtatui in contumaces, de qua re judicium in proximas concilii ſeſſiones, poſtquam apertum fuerit, reverendiſſimi patres differendum & protrahendum eſſe cenſuerunt, ac eiſdem inſtantibus dominis promotoribus ſta- C tuerunt quod reverendi domini epiſcopi S. Audomari & Hiprenſis in Morinis, qui ab olim inter Morinenſem eccleſiam & Rhemenſem, cui ordinario jure ſubſunt, præſidum accedente conſenſu, erecti ſunt, ad proximum concilium provinciale convocarentur, idemque de illorum cathedralium eccleſiarum, necnon de Cameracenſi, Tornacenſi, & Atrebatenſi capitulis judicium latum eſt. Quod vero attinet ad procuratorium mandatum a capitulo eccleſiæ cathedralis Noviomenſis initum, in perſonas venerabilium D. D. Joannis Fraullette decani, & Petri Bertel archidiaconi Noviomenſis quo eis facultas conceditur vocem deliberativam & deciſivam in hoc concilio habendi & petendi, di- D cti domini promotores, aut novum a dicta eccleſia mandatum afferri, aut ex prædicto verba illa de deciſiva voce deleri poſtulabant, aut etiam ſimilem vocem deciſivam ceteris capitulis dari & concedi volebant, ex ſacrorum ſiquidem canonum decretis eccleſiarum cathedralium capitulis conſulendi & deliberandi, non autem judicandi & decidendi poteſtatem & auctoritatem datam eſſe aſſerebant. Dicti vero domini Noviomenſis capituli procuratores reſponderunt, fruſtra ad concilium eccleſiarum capitula vocari niſi eorum ſuffragia & ſententiæ numerentur: reverendiſſimi vero domini epiſcopi eccleſiarum canonicos ad ſynodum vocari non ad judicandum & decidendum, ſed ad deliberandum & E tractandum dumtaxat, tamquam epiſcoporum conſiliarios, contendebant, magnaque inter eos & capitulorum procuratores propterea quæſtio & contentio nata eſt, de qua judicium ferri cum dicti domini promotores expoſtularent, dictorum capitulorum procuratores illud in horas pomeridianas differri petierunt, ad hoc enim negotium maturiori conſilio & deliberatione opus eſſe dicebant: quibus annuentes reverendiſſimi patres, congregationem in horam ſecundam pomeridianam protrahendam duxerunt, qua hora dicti domini capitulorum procuratores, quod ſibi [a] videtur ſuper hoc negotio

in

a) Forte, videretur H.



ANNO CHRISTI 1583.

in medium afferre juſſi ſunt, ut de eo judicium A & decretum fieret. Interim domini promotores, graviores ex hujuſmodi controverſiis turbas excitari pertimeſcentes, omnes & ſingulos deputatos in nomine domini Jeſu Chriſti monuerunt, ut ſe eorumque mentes & ſenſus ad modeſtiam componerent, contentione aut tumultu rationem præferrent, nihilque dictis domini epiſcopi Noviomenſis de ſuis juribus cederent, ut majorem gloriæ & honoris Dei, cultuſque domini, quam propriorum commodorum rationem præ oculis habuiſſe exiſtimarentur.

Procuratorium autem mandatum cujuſdam prioris monaſterii de Nongento Laudunenſis diœceſis ſe pro illius abbate fortem facientis, B & qui eo nomine ad comparendum concilio procuratores conſtituerat, nullius eſſe momenti, illiuſque propterea procuratores non eſſe admittendos, decretum eſt.

De domino Rodulpho le Blon priore monaſterii ſancti Quintini in inſula Noviomenſis diœceſis, vicarius ſubſtitutus abbatis dicti monaſterii, admiſſus eſt ad concilium, ita tamen ut in eo nullam habere ei vocem liceat. Itaque ſibi recedendi copia id expoſtulanti facta eſt.

Reverendiſſimus dominus epiſcopus Ambianenſis expoſuit, quod cum exceptis de convocatione, indictione, & prorogatione concilii ab illuſtriſſimo domino Ludovico cardinale archiepiſcopo & præſide, mandatis, clerum ſuum C etiam convocari juſſiſſet, indictiones hujuſmodi illi ſignificaturus, plerique diœceſis ſuæ abbates, priores, collegiatarum eccleſiarum capitula, & parochialium eccleſiarum rectores, eidem reverendiſſimo domino epiſcopo facultatem, poteſtatem, & auctoritatem conceſſerunt eorum nominibus talem perſonam nominandi & eligendi quæ pro eis in conſilio comparere, omniaque in hanc rem negotia gerere valeret, prout proceſſu deſuper confecto & reverendiſſimis dominis patribus adhibito decebat. Itaque ſe, ſi ita patribus videretur, nominare venerabilem & ſcientificum dominum Jacobum Leſtourneaux, ſacræ paginæ profeſſorem, eccleſiæ ſuæ Ambianenſis pœnitentiarium & canoni- D cum, qui id muneris exequatur. Cui nominationi reverendiſſimi domini annuerunt, dominumque Leſtourneaux admittendum cenſuerunt, ac de ceteris deputatis procuratoribus cum domini promotores dixiſſent, ſe eorum mandata diligenter vidiſſe, legiſſe, & obſervaſſe, eaque valida eſſe, nulloque vitio laborare, pronunciatum eſt; eos admittendos ac deinceps ad cetera concilii negotia tractanda procedendum eſſe.

Rurſus hora ſecunda pomeridiana patres reverendiſſimi convenerunt, & ordine quo ſupra ſederunt, eccleſiarumque cathedralium procuratores monuerunt, ut ſi quid haberent juxta matutini decreti ſententiam de prætenſa voce, in E medium afferrent. Ceterorum itaque nomine dominus Dionyſius Haugar Laudunenſis canonicus, doctor theologus, alter ex capituli Laudunenſis procuratoribus, ſibi licet inſufficienti, & ab aliis capitulorum procuratoribus de hac re coram agendi provinciam demandatam eſſe dixit, multaque ex ſacris canonibus, præcipue ex C. *quanto* de his quæ fiunt a prælato ſine conſenſu capituli, in medium attulit, quibus cathedralium eccleſiarum canonicos tanquam fratres ad negotia eccleſiaſtica cum epiſcopis tractanda & peragenda, adhibendos eſſe mon- A ſtrabat; illorumque conſilium & conſenſum neceſſarium eſſe, eoque argumento eos vocem deciſivam habere contendebat, cum tractare & peragere nihil aliud ſit quam judicare: eos demum longa & inveterata conſuetudine niti, ipſos enim habere præ manibus vetus quoddam provinciæ hujus concilium ſub Joanne Antiquo archiepiſcopo, cujus decreta cathedralium capitulorum una cum illuſtriſſimo archiepiſcopo & epiſcopis lata & edita reperiebantur. Demum ſede epiſcopali vacante juriſdictionem ad capitulum devolvi argumento eſſe maximo, capitulum partes facere judicii & exercere, quod non ei licere poſſet, ſi vocem deciſivam non haberet. Multiſque aliis dedu- B ctis rationibus, non modo deliberativam, ſed etiam deciſivam vocem capitulis competere contendebat. Dicti promotores reſponderunt ex dicto C. *quanto*, epiſcopos in negotiis eccleſiæ, utpote conceſſionibus, confirmationibus, & aliis fratrum conſilium requirere debere, ſed longam differentiam eſſe conſilium & conſenſum, inter tractare aut conſulere, aut judicare; canonicos quidem ad tractatum admitti, ſed non ad judicium, ut annotatum eſt per Panormitanum ad dictum C. *quanto*, in his maxime rebus, quæ capitulorum, privilegia, exemptiones, aut alia commoda peculiaria non concernunt. Itaque prioribus eorum requiſitionibus & concluſionibus inſiſtebant. Quibus au- C ditis conſentire ſe dixerunt prædicti domini capitulorum procuratores, quod in his negotiis dumtaxat quæ ad exemptiones, juriſdictiones, jura, privilegia, & commoda peculiaria capitulorum ſpectare & pertinere comperirentur, ipſi vocem deliberativam & deciſivam, in reliquis vero deliberativam tantummodo habeant. Inſuper cum de invenienda compendioſa & expedita via qua totius concilii negotia celerius & maturius deciderentur, reverendiſſimi patres laborarent, tandem longo & examinato conſilio ſancitum eſt, eoſdem reverendiſſimos patres, ac omnes ad concilium convenientes deputatos, in tres claſſes ſeu cameras dividi, & ex illis tres claſſes comparari & conflari, qua- D rum claſſium ſingulis [a] par, & certa omnium negotiorum & materiarum in ſynodo tractanda, diſcutienda, agitanda & examinanda adſcribatur, ut quidquid per ſingulas claſſes deſuper deliberatum fuerit in proxima congregatione per dominos promotores reſolvendum referretur, ut deſuper reverend. PP. decretum & judicium edatur: quod cum conſeſſui placuiſſet, modo ſequenti claſſes nuncupatæ & compoſitæ ſunt.

Priorem videlicet claſſem occupabant illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus, & reverendiſſimus dominus Nicolaus epiſcopus Bellovacenſis, quibus aſſiſtebant & aſſidebant frater Carolus Blander & reveren- E diſſimi domini epiſcopi Sueſſionenſis procurator, Ægidius Richer canonicus & præpoſitus, & Joannes le Beque doctor theologus, eccleſiæ & univerſitatis Rhemenſis cancellarius, & canonicus a capitulo Rhemenſi deputatus; Athiotus de Gonnelieu archidiaconus de Riparia, & Gervaſius de Tournay ſcholaſticus eccleſiæ Sueſſionenſis, capituli ejuſdem eccleſiæ procuratores. Reverendus dominus Joannes de Pintis abbas monaſterii Præmonſtratenſis, Laudunenſis diœceſis, cum primum venerit, Goffridus de Billy abbas monaſterii ſancti Vincentii Laudunenſis, Philippus de Gourvery abbas commendatarius mona-

(a) Forte, pars certa. H.

ANNO CHRISTI 1583.

naſterii de Genliaco Noviomenſis diœceſis, & Franciſcus Canturrel rector parochiæ eccleſiæ ſancti Pauli Bellovacenſis, omnium diœceſis Bellovacenſis rectorum ſeu parochorum procurator, ac dominus le Boſſu ſacræ paginæ doctor, monaſterii ſancti Dionyſii in Francia religioſus, de licentia & permiſſione illuſtriſſimorum dominorum eidem claſſi adſcriptus, & eidem concilium ingrediendi copia facta eſt, inſtante illuſtriſſimo domino Ludovico cardinale, cui a concionibus & ſpiritualibus conſiliis exiſtit.

Secundæ claſſi adſcripti ſunt reverendiſſimi domini Valentinus Laudunenſis, & Claudius Noviomenſis epiſcopi, illiſque aſſeſſores & aſſiſtentes dati venerabiles domini Petrus Remy archidiaconus major, & Franciſcus Bruſlart archidiaconus Campaniæ in eccleſia Rhemenſi, ab illius capitulo deputati. Germanus Carré archidiaconus major eccleſiæ Bellovacenſis, illius capituli procurator, Nicolaus Goudran doctor theologus, & Joannes le Roy, eccleſiæ Ambianenſis canonicus, & illius capituli procuratores. Antonius Muldrac doctor theologus & canonicus eccleſiæ Silvanectenſis, ejuſdemque capituli procurator. Antonius Viſcontinus abbas ſancti Martini Laudunenſis, cum primum venerit dominus Claudius Regius abbas conventus monaſterii Calvimontis Rhemenſis diœceſis. Nicolaus Chertemps doctor theologus prior de Hemia & magnus prior monaſterii ſancti Remigii Rhemenſis, illius abbatis & conventus procurator. Carolus magnus Eſconia procurator reverendiſſimi domini Petri Dreux abbatis conventus monaſterii Hamenſis, Noviomenſis diœceſis, & Jacobus Leſtourneaux canonicus & pœnitentiarius eccleſiæ Ambianenſis, ſacræ paginæ profeſſor & prædicator, nomine abbatum, priorum, & curatorum diœceſis Ambianenſis, ac Bartholomæus Boſſetus officialis Laudunenſis deputatus, pro capitulo Guiſienſi, & Originiacenſi. Tertiæ claſſi præerant reverendiſs. domini Thomas Clauſſe epiſcopus Cathalaunenſis, & reverendiſſimus dominus Geoffridus epiſcopus Ambianenſis: aſſeſſores ſeu aſſiſtentes habebant venerabiles dominos dominum Joannem Bertrand decanum, & Dionyſium Haugart doctorem theologum & canonicum eccleſiæ Laudunenſis, capituli procuratores; & Joannem Freuillette decanum, & Petrum Boitel archidiaconum eccleſiæ Noviomenſis a capitulo deputatos; Antonium des Planques decanum eccleſiæ collegiatæ ſancti Quintini, & Paridem Taffu in utroque jure doctorem canonicum & officialem dictæ eccleſiæ ſancti Quintini Noviomenſis diœceſis; reverendiſſimum dominum Claudium Cauchon abbatem monaſterii ſancti Dionyſii Rhemenſis, ordinis ſancti Auguſtini; Radulphum le Blon priorem monaſterii ſancti Quintini in inſula, & ejuſdem abbatis vicarium ſubſtitutum, & Pantaleonem Bigot canonicum ſancti Symphoriani Rhemenſis ejuſdem capituli procuratorem.

Quibus claſſibus ita conſtitutis mandatum eſt dominis promotoribus omnia in concilio tractanda negotia in ſumma capita redigere, & ex iis ita redactis tres partes conflare, & ex his tabulas conficere, & craſtino die ad congregationem referre, ut cuique ex dictis tribus claſſibus, quæque pars [illegible] capitum diſcutienda & tractanda [illegible].

Poſtremo cum præfati reverendiſſimi domini patres quæcumque a ſacroſancto concilio Tridentino de fide & doctrina decreta & ſancita ſunt, ea inviolabiliter credere & obſervare ſtatuerunt, & ſecundum antiquum conciliorum provincialium ritum, antequam aperiantur ſolitum ſit profeſſionem fidei emittere, decretum eſt quod per dictos reverendiſſimos patres, omneſque deputatos fieri profeſſio fidei juxta articulos præfati concilii Tridentini in certa bulla Pii papæ IV. ſub data Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis dominicæ 1564. Idibus Novembris, pontificatus ſui anno quinto contentos, & continuata eſt congregatio in diem craſtinam Mercurii vigeſima ſeptima præſentis menſis hora & loco ſolito poſt miſſarum ſolennia.

## III. CONGREGATIO.

*Die Mercurii vigeſima ſeptima menſis Aprilis 1583. in palatio archiepiſcopali ſupradicto, ſacrificio miſſæ in ejus ſacello per dom. Carolum de Baudx reverendiſſimi dom. epiſcopi Sueſſionenſis procuratorem peracto.*

DOMINI promotores protulerunt tabulas materiarum concilii in ſumma capita, juxta reverendiſſimorum patrum mandatum redactarum, & in tres partes diſtributarum, quarum partium ſingulæ ſingulis ex præfatis tribus claſſibus aſcriptæ ſunt, ut ſequitur.

Primæ claſſi, cui illuſtriſs. dom. Ludovicus cardinalis præerit, una cum reverendiſſimo epiſcopo Bellovacenſi.

De cultu divino.

De breviario, miſſali, agendis, ſeu manualibus, & aliis libris ad officia eccleſiaſtica pertinentibus.

De obſervandis vel cavendis in miſſarum celebritate & ſacris ceremoniis.

De feſtis.

De ſortilegio, & aliis Chriſtianæ pietati contrariis.

De ſimoniacis, fiduciariis, & fœneratoribus.

De vita & moribus clericorum.

De monaſteriis.

Secundæ claſſi cui præſunt reverendi domini Laudunenſis, & Noviomenſis epiſcopi.

De ſacramentis, in genere.

De baptiſmo.

De confirmatione.

De euchariſtia.

De pœnitentia.

De ordine.

De matrimonio.

De extrema unctione, ſepulturis, & exſequiis mortuorum.

Tertiæ claſſi cui reverend. dom. Cathalaunenſis & Ambianenſis epiſcopi præſunt.

De epiſcopis & capitulis & canonicis.

De parochis.

De examine promovendorum ad beneficia.

De ſcholis & ſeminariis.

De rebus eccleſiaſticis non alienandis.

De capellis, hoſpitalibus, & aliis piis locis.

De juriſdictione & viſitatione.

De concilio provinciali & ſynodo diœceſana.

Inſtanter rogantibus dominis promotoribus mandatum eſt univerſis in hac ſynodo deputatis, ut habitu & tonſura decenti & convenienti ince-



ANNO CHRISTI 1583.

incedant, nec non mandata decerni per hanc civitatem & totam provinciam Rhemenſem ad ſupplicationes & proceſſiones faciendas, cum litaniis, & collectis de ſancto Spiritu, pro unitate eccleſiæ, pro prælatis & congregatione: cujus rei provincia domino Mauro procuratori demandata eſt, ut proceſſionibus, aliiſque ſacrificiis ſolennibus, in quibus reverend. patres & omnes deputati convenient, procederetur, & ſedebitur ordine præſcripto ultimo concilio provinciali, ſub piæ memoriæ Carolo cardinale a Lotharingia, anno domini milleſimo vigeſimo quarto celebrato.

Reverend. domina Catharina de Bourbon monaſterii monialium beatæ Mariæ Sueſſionenſis, & capitulum eccleſiæ Sueſſionenſis per proprios nuncios literas ad illuſtriſſimum dominum Ludovicum cardinalem miſerunt, in excuſationem reverendiſſimi domini Caroli Sueſſionenſis epiſcopi, de illius infirmitate, & aliis impedimentis fidem facientes, quibus rationibus moti reverendiſſimi patres literis ad eumdem reverendiſſimum dominum epiſcopum Sueſſionenſe eorum nomine ſcriptis, illum pro legitime excuſato haberi ſignificarunt.

Hodierno die poſt meridiem, & die Jovis craſtina congregabuntur reverendiſſimi domini per claſſes ad concilii negotia, cuique claſſi commiſſa tractanda & agitanda, ac ad proximam congregationem generalem quæ fiet die Veneris vigeſima nona menſis Aprilis, in palatio archiepiſcopali hora octava, referenda.

## IV. CONGREGATIO.

*Die Veneris vigeſima nona menſis Aprilis 1583. in palatio archiepiſcopali Rhemenſi hora octava ſacrificio per D. Dionyſium Haugard theologum, Laudunenſem canonicum peracto.*

MULTA a reverendiſſimis patribus, ac dominis promotoribus, aliiſque congregatis, circa certum caſuum reſervatorum præſcribendum numerum, qui hodie prope infinitus eſt, & alia in bulla cœnæ domini contenta, quorum deciſionem in aliud tempus prorogare viſum eſt.

Reverendiſſimus dominus Claudius epiſcopus Noviomenſis non ſine mœrore conqueſtus eſt ab eo tempore quo eccleſiæ Noviomenſi apoſtolica auctoritate præfectus fuit, nihil non * concertum eſſe ut omnia ſibi cum ſuæ eccleſiæ capitulo quieta & pacifica eſſent, nihilominus tamen effectum eſt; ut propter prædeceſſorum ſuorum epiſcoporum a multis annis non reſidentiam de ritibus, juriſdictione, ac certis aliis rebus & juribus eccleſiaſticis, multæ inter eos controverſiæ ſint, de quibus ſæpius illius capitulum monuit & interpellavit, ut aliquorum bonorum & piorum virorum judicium ſubirent, indecorum enim eſſe viros eccleſiaſticos de rebus hujuſmodi, ut plurimum parvi momenti, coram judicibus laicis diſceptare, quod certe abſque expenſis atque etiam litigantium contemptu fieri non poterat; ſed tamen a dicto capitulo hactenus precibus conſequi non potuit: idcirco ex concilii provincialis indictione occaſionem nactus, dictum capitulum moneat ut procuratores cum munimentis aliiſque ad eorum controverſias facientibus, ad concilium mitterent, illiuſque judicio de omnibus ſe ſubmitterent. Quod certe ſummopere cupiebat, idque humiliter ſibi concedi ſupplicabat, proteſtans ſe ejuſdem concilii decretis & ſententiis obtemperaturum, ejuſque mentis non eſſe aliquid contra dicti ſui capituli exemptiones, libertates, privilegia, immunitates, jura, ac de quibus ſibi legitime innotuiſſet, agere, & attentare, aut eis aliquo modo præjudicare. Quibus domini dicti capituli procuratores organo domini Joannis Freuillette decani reſponderunt, ſibi in eam rem nullum a capitulo mandatum datum eſſe, ſed hoc tantum conveniſſe ad ea quæ fidem & religionem cultumque divinum ac morum reformationem ſpectarent, tractanda. Domini promotores obtenta dicendi facultate expoſuerunt, controverſias, quæ inter epiſcopos & capitula excitatæ eſſent, juxta canonum decreta in concilio provinciali dirimendas & judicandas eſſe, itaque poſtulabant ſumma cum inſtantia, eodem reverendiſſimo domino epiſcopo ſubmittente ſe prædicto concilio, prædicto capitulo Noviomenſi mandari, ut de omnibus, præſertim ſpiritualibus controverſiis, & cauſis ſuis, ſynodi præſentis judicio, & ſententiæ ſe ſubmitterent, quæque ad rem hujuſmodi facerent, omnia infra certum tempus ſub pœna excommunicationis ad concilium apportarent. Egreſſis itaque dictis reverendiſſimo epiſcopo Noviomenſi, ac illius capituli procuratoribus e cubiculo congregationis, dictus dominus illuſtriſſimus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus, & reverendiſſimorum patrum, & aliorum ad concilium congregatorum conſilio ſtatuit & decrevit ipſe reverendiſſimus epiſcopus Noviomenſis, illiuſque capitulum, omnia & ſingula documenta, & alia quæ ad controverſias, & cauſas ſpiritualia & eccleſiaſtica jura concernentes inter eos quolibet modo motas, & pendentes, & in quorumcumque litis ſtatu exiſtentes dirimendas & judicandas pertinere ſibi videbuntur, nec non dictum capitulum mandatum procuratorium ſufficiens ad ſubeundum de his rebus concilii provincialis judicium, ad dictum concilium infra diem Jovis proxime futurum ſub excommunicationis pœna deferant, ut juribus illorum diligenter & mature examinatis, controverſiæ & cauſæ hujuſmodi Deo juvante a patribus terminentur, in quarum judicio pro hac vice dumtaxat, id requirentibus dominis promotoribus, conceſſa erit facultas ſingulis eccleſiarum cathedralium capitulis, ac reverendiſſimis dominis abbatibus vocem etiam deciſivam habere, & interim donec his finem ſancta ſynodus impoſuerit, ſub eadem excommunicationis pœna eidem reverendiſſimo domino epiſcopo Noviomenſi, illiuſque capituli procuratoribus, his præſentibus a civitate Rhemenſi diſcedere inhibetur, & de his mandatum eſt tradi a ſecretariis actum dictis dominis capituli Noviomenſis procuratoribus, ut capitulum hujuſmodi moneant.

## V. CONGREGATIO in palatio ſupradicto.

*Die Lunæ ſecunda menſis Maii, ſacrificio miſſæ peracto in ſacello ſolito.*

REVERENDUS dominus Carolus de Roucy, epiſcopus Sueſſionenſis, qui die ſabbati Rhemis appulerat, ad congregationem venit, ſeditque primus a dextra parte illuſtriſſimi domini Caroli archiepiſcopi præſidentis.

Eadem die comparuit reverendiſs. dom. Coſmus

ANNO CHRISTI 1583.

mus Clauſſe Cathalaunenſis par Franciæ, qui etiam die ſabbati præcedente ad civitatem venerat, & ſedit a ſiniſtris illuſtriſſimi domini Ludovici cardinalis archiepiſcopi a reverendiſſimo domino epiſcopo Laudunenſi primus, cum tamen potiorem ſibi locum deberi ratione ſuæ promotionis aſſereret, qui ne aliquod ex dicto ſedendi ordine fieret præjudicium proteſtatus eſt. Comparuerunt & venerabiles domini Joannes Godier doctor theologus, & Jacobus Becheſer archidiaconus de Virtute, & canonici eccleſiæ Cathalaunenſis procuratores capituli eorum eccleſiæ, cum procuratorio mandato, actu capitulari de die 22. menſis Aprilis, ſignato Galloys, & ſigillo capitulari firmato. Comparuit etiam reverendiſs. Guydo de Cornuat abbas monaſterii Vallis-Claræ Ciſtercienſis ordinis, Laudunenſis diœceſis.

## CONTINUATA EST CONGREGATIO IN HORAM SECUNDAM

### POST MERIDIEM LOCO SOLITO.

HORA prædicta convenientibus prædict. illuſtriſſimo domino Ludovico cardinale a Guyſia archiepiſcopo & duce Rhemenſi, & reverend. dominis Sueſſionenſi, Laudunenſi, Bellovacenſi, Cathalaunenſi, Noviomenſi, & Ambianenſi coepiſcopis, atque capitulorum procuratoribus, abbatibus, & aliis eccleſiaſticis perſonis ad dictum concilium congregatis, cum de profeſſione fidei poſtridie facienda reverend. domini id requirentibus dicti concilii promotoribus retuliſſent, procuratores eccleſiarum tam cathedralium quam collegiatarum admiſerunt ſe profeſſionem fidei facturos juxta formam a concilio Tridentino præſcriptam, abſque tamen præjudicio exemptionum, privilegiorum, & libertatum dictarum eccleſiarum tam cathedralium quam collegiatarum, abbatiarum, monaſteriorum, & prioratuum, juriumque totius eccleſiæ Gallicanæ, & potiſſimum quantum ad eam clauſulam attinet in qua dicitur omnia ſtatuta declarata in concilio Tridentino recipi & profiteri, quam ſi quis extendere vellet, tam late ut per eam præjudicium aliquod eccleſiarum & monaſteriorum exemptionibus, & privilegiis, totiuſque eccleſiæ Gallicanæ juribus & libertatibus aſſerretur, proteſtati ſunt dicti domini procuratores, proteſtationiſque ſuæ pro ſuis exemptionibus privilegiiſque ſupradictis actum petierunt, quem prædicti reverend. DD. a dicti concilii ſecretariis eiſdem dominis procuratoribus tradi juſſerunt. Decretum eſt præterea dictam profeſſionem fidei faciendam juxta prædictum concilium Tridentinum, & bullam domini Pii IV. deſuper editam, die ſequenti Martis, tertia Aprilis in dicto palatio archiepiſcopali hora 6. matutina, ab omnibus deputatis qui moniti ſunt illuc ea de cauſa convenire, & ad ſacram communionem eadem die poſt miſſarum ſolennia ab illuſtriſſimo domino Ludovico cardinale eadem peragente, recipiendam ſe decenter præparare, ut ea facta concilium Deo juvante aperiretur.

## APERTIO CONCILII.

ANNO CHRISTI 1583.

*Die Martis tertia Maii anno ſupradicto milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio, in palatio archiepiſcopali, ut pridie decretum erat, hora ſexta, convenientibus prædictis.*

ILLUSTRISSIMO domino Ludovico cardinale archiepiſcopo, reverendiſſimis dominis coepiſcopis, ceteriſque ad concilium convocatis & deputatis, illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus profeſſionem fidei juxta articulos a ſacro Tridentino concilio emendatos in manibus reverendiſſimi domini, epiſcopi Sueſſionenſis, ac poſtmodum dictus reverendiſſimus dominus Carolus Sueſſionenſis epiſcopus, ceterique reverendiſſimi domini coepiſcopi ac reverendiſſimi domini abbates, capitulorumque procuratores aliique deputati in ejuſdem illuſtriſſimi domini Ludovici cardinalis archiepiſcopi manibus ſimilem fidei ſuæ profeſſionem jurejurando ad ſacroſancta euangelia præſtito reſpective emiſerunt, eamque ſuis ſignis firmarunt ſub forma quæ ſequitur. *Ego N. firma fide, credo & confiteor, &c.* ſicut in decretis, omneſque & ſinguli dictæ profeſſioni fidei manibus propriis ſubſcripſerunt, hiſque peractis ad eccleſiam cathedralem profecti ſunt, ubi de mandato illuſtriſſimi domini Ludovici cardinalis epiſcopi totum officium matutinum, etiam miſſa ſolennis juxta eccleſiæ ritum, a canonicis illius hora ſeptima peractum fuerat, ut reliquis ad concilium aperiendum neceſſariis, & requiſitis ceremoniis locus eſſet.

Paulo poſt ſeptimam venerabilis dominus Jacobus Leſtourneaux pœnitentiarius & canonicus eccleſiæ Ambianenſis, ſacræ theologiæ profeſſor, e ſuggeſto concionem doctam, & elegantem de diſciplina eccleſiaſtica habuit, hoc argumentum ex præſcripto pontificalis de conciliorum provincialium celebratione ſequutus, ſumptoque themate ex pſalmo 59. & pſalmo 107. *In Deo faciemus virtutem & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos*, hortatus illuſtriſſimos patres ceteroſque ad concilium convocatos, ad reſtituendam antiquam diſciplinam eccleſiaſticam, paſtorum negligentia aut etiam ignorantia, ac temporum injuria depravatam, & pene extinctam. Finita concione magno populi concurſu, & applauſu illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis epiſcopus ad ſacriſtiam eccleſiæ, una cum ceteris reverendiſſimis dominis epiſcopis, aliiſque ad concilium convocatis, omnibuſque Rhemenſis eccleſiæ canonicis, ſe recepit, ac cathedræ ſedit in contiguo & recondito ſacello ad eam rem deſtinato paratæ, omnibus, & ſingulis pontificalibus ornamentis præſuli ſacrificaturo neceſſariis, & congruentibus ſe indui per miniſtros, ut moris eſt, curavit: dum ille ſolitas preces, & orationes recitaret, paribus etiam indumentis reverendiſſimus dominus epiſcopus Sueſſionenſis in ſacriſtia amictus eſt: ceteri reverendiſſimi domini Laudunenſis, Belvacenſis, Cathalaunenſis, Noviomenſis, & Ambianenſis epiſcopi, ac Præmonſtratenſis, ſancti Dionyſii Rhemenſis, ſancti Vincentii Laudunenſis, Vallis-claræ Laudunenſis diœceſis, & ſancti Martini Laudunenſis reſpective abbates, rochettis ſeu ſuperpelliceis & pluvialibus ſeu cappis, necnon mitris albis ornati erant, ſingulique pedum paſtorale manu dextera geſtabant. Reverendiſſimi domini



ANNO CHRISTI 1583.

domini epiſcopi Silvanectenſis procurator, abbates commendatarii de Calvomonte, Orbaco, & Juliaco, ceterique ad concilium convocati, & eccleſiæ Rhemenſis canonici vicarii cantores, & ſacellani ſuperpelliceis, & pluvialibus parabantur venerabiles domini, Petrus Remy archidiaconus major, & Franciſcus Brulard archidiaconus minor, ſeu de Campania in eccleſia Rhemenſi, decantandis ſeu recitandis euangelio, & epiſtola deſtinati, necnon Ægidius Richer præpoſitus, Hubertus Maurus decanus, Nicolaus Colin theſaurarius, Joannes le Beque cancellarius, Nicolaus Vvyas ſcolaſticus, R. Legones vicedominus, & ejuſdem eccleſiæ canonici ad illuſtriſſimo domino ſacrificaturo aſſiſtendum, & altare circumſtandum tunicis, ut plurimum aureis vel auro-ſericis lineis albis ſuperpoſitis veſtierant, eoque modo ornati omnes a ſacriſtia ad chorum eccleſiæ acceſſerunt, ibique poſtquam illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis ſacrificaturus, & reverendiſs. dominus epiſcopus Sueſſionenſis ad majus altare procumbentes aliquando oraſſent, ſanctiſſimum corpus domini, in capſula aurea reconditum, [*] arte inſtrumento in modum lecticæ compoſito inſidens e majore altari ſuſtulerunt, humeriſque impoſuerunt, præeunte reverendiſs. domino Sueſſionenſi epiſcopo detectis capitibus, ſeque ſub badalchino auroſerico per quatuor ex eccleſia Rhemenſi canonicos delato collocarunt, hinc inde circumſtantibus prædictis dominis diacono, ſubdiacono, & reliquis aſſiſtentibus: præibant vero a dextris, reverendiſs. domini Bellovacenſis & Noviomenſis epiſcopi, ac Præmonſtratenſis, Vallis-claræ, & ſancti Martini Laudunenſis abbates initiati, Silvanectenſis epiſcopi procurator ac de Juliaco commendatarius abbas, tum Sueſſionenſis, Bellovacenſis, Noviomenſis & Silvanectenſis capitulorum procuratores, & ante eos canonici aliqui, & alii miniſtri eccleſiæ Rhemenſis. A ſiniſtris vero reverendi domini Laudunenſis, Cathalaunenſis & Ambianenſis epiſcopi, ac ſancti Dionyſii Rhemenſis, ſancti Vincentii Laudunenſis abbates mitram, & pedum geſtantes, ac poſtmodum Calvimontis, & Orbacenſis monaſteriorum commendatarii, tum demum Laudunenſis, Cathalaunenſis, Ambianenſis capitulorum procuratores, præeuntibus canonicis & aliis eccleſiæ Rhemenſis miniſtris, & cantoribus, præcentore, & ſuccentore compoſitis baculis chorum moderantibus, eoque ordine a duobus ejuſdem eccleſiæ Rhemenſis ſeneſchallis præſcripto, & conſtituto chorum egreſſi per navem, & a dextera adjacentia clauſtra ad publicas ſupplicationes proceſſerunt, demum e dictis clauſtris in eccleſiam, & per ſiniſtram illius partem ad navem reverſi, aliquot antiphonis, reſponſoriis, & aliis precibus ad gloriam omnipotentis Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctique Spiritus invocationem accommodatis, oratione dicta, repoſitoque ſuper majus altare ſancto ſacramento, illuſtriſſimus dominus cum diaconis miniſtrantibus, & aſſiſtentibus ad ſacriſtiam ſe recepit. Reverendiſs. vero Sueſſionenſis depoſita caſula, & accepto pluviali & mitra, ac Bellovacenſis, Noviomenſis epiſcopi, & reverendiſs. Silvanectenſis epiſcopi procurator, ac Sueſſionenſis, Bellovacenſis, Noviomenſis, & Silvanectenſis capitulorum procuratores, aliique Rhemenſis eccleſiæ canonici dextrum latus exhedrarum chori, ſiniſtrum vero reverendiſs. D. D. Laudunenſis, Cathalaunenſis & Ambianenſis epiſcopi, ac capitulorum eorumdem eccleſiarum procuratores, & ejuſdem Rhemenſis eccleſiæ canonici occuparunt, ſecundum autem majus altare ſubſelliis hinc inde collocatis & diſpoſitis; dextrorſum in ſecundo ſubſelliorum ordine, reverendiſſimi domini abbates Præmonſtratenſis, Vallis-claræ & ſancti Martini Laudunenſis mitras geſtantes, ac abbas commendatarius de Juliaco Noviomenſis diœceſis, ſiniſtrorſum abbates ſancti Dionyſii Rhemenſis, & ſancti Vincentii Laudunenſis, mitrati, ac Orbacenſis, & Calvimontis abbates commendatarii conſedebant: Introitu itaque miſſæ ſolenniter jam decantato illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis ſacrificium peracturus mitra auriphrygiata amictus præeuntibus diaconis, ſubdiaconis, aliiſque aſſiſtentibus, ac duobus capellanis crucem archiepiſcopalem & pedum paſtorale geſtantibus, ad majus altare acceſſit, in quo confeſſione habita ſacra ex conſuetudine eccleſiæ, celebravit: quæ dum celebrarentur ex more, ſub pulpito recitato euangelio, diaconus ſacrum euangeliorum codicem ad majus altare, ubi ſacrificium fiebat reverſus illuſtriſſimo domino ſacrifico apertum dedit deoſculandum, poſtmodum illum ſubdiacono tradidit, qui illum & apertum reverendiſſimis dominis epiſcopis, & clauſum ceteris deputatis ad concilium, & canonicis ſacris intereſſentibus, ſuo cuique ordine & loco etiam deoſculandum dedit: idem porro de pacis oſculo per pueros ſymphoniacos actum eſt. Benedictione pontificali habita, ac ſumpta per dictum illuſtriſſimum dominum cardinalem communione, reverendiſs. domini coepiſcopi ad majus altare communicaturi acceſſerunt, bini: poſtmodum reverendiſs. abbates mitrati, tum commendatarii, demum capitulorum procuratores, ceterique ad concilium convocati, & aliquot eccleſiæ Rhemenſis canonici, procedentes orarunt, & ſacram euchariſtiam e manibus illuſtriſſimi domini ſacrificantis ſuſceperunt, & ad ſuas ſedes reverſi ſunt, dum miſſæ ſacrificium omnibus numeris eſſet completum. Quo peracto illuſtriſſimus dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus depoſita caſula, pluviale induit, ac faldiſtorio ante medium altare parato inſedit, diſpoſitæ ſunt hinc inde cathedræ ſex pro reverendiſs. dominis coepiſcopis, & ſcabellum pro reverend. dom. epiſcopi Silvanectenſis procuratore, ad quas acceſſerunt, & eis ſinguli ſuo ordine inſederunt mitram, & pedum paſtorale ac pluviale geſtantes: cumque illorum ſingulis, ſandalia imponi cœpiſſent, eccleſiæ præcentor cœpit cantare pſalmum 83. *Quam dilecta tabernacula.* Et poſtea reliquas preces, ut ſunt in rituali eccleſiæ Rhemenſis pro concilio provinciali. His peractis illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus, & coepiſcopi ſe in ſuas ſedes receperunt cum mitris, vocatiſque dominis Joanne de Piles abbate Orbacenſi, & Nicolao Colin eccleſiæ Rhemenſis theſaurario concilii ſecretariis, illuſtriſs. dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus his verbis uſus eſt.

Reverendiſſimi patres, venerabiles fratres, dilectiſſimi filii, placetne vobis ad Dei gloriam & honorem, & ad catholicæ eccleſiæ amplificationem, concilium provinciale Rhemenſe, legitime convocatum, & hic congregatum hodierno die aperiri, & inchoari? Juſſitque ſecretariis ut a reverendiſſimis abbatibus, aliiſque ad concilium convocatis, ſecundum eorum ordinem & dignitatem vota & ſuffragia rogarent, quibus juſſis obſequentes a capitulorum procuratoribus in dex-

[*] apte.

dextro exhedrarum ordine ſedentibus primis, A deinde ab his qui in ſiniſtro ſedebant; poſtmodum a reverendiſſ. dom. abbatibus dextris, & poſtmodum ab aliis ſiniſtris ſubſelliis inſidentibus ſigillatim ſciſcitati ſunt, num eis placeret ſacrum concilium provinciale Rhemenſe legitime convocatum, & congregatum hodierno die aperiri, & inchoari, & ſinguli reſponderunt, *placet*. Secretariis itaque ad illuſtriſſimum archiepiſcopum reverſis, dominus Joannes de Piles, ita retulit. Illuſtriſſime & reverendiſſime domine a reverend. domin. abbatibus, aliiſque dignitate eccleſiaſtica ornatis, & ceteris hic congregatis ſciſcitati ſumus, num eis placeret ſacrum concilium provinciale Rhemenſe legitime convocatum, & congregatum hodierno die aperiri, B & inchoari, & ſinguli unanimes reſponderunt, *placet*.

Tum verſus ad reverendiſſimos dominos coepiſcopos illuſtriſſimus dominus cardinalis archiepiſcopus ab his, & epiſcopi Silvanectenſis procuratore ſciſcitatus eſt his verbis:

Quid igitur vobis videtur, reverendiſſimi patres, & ſinguli reſponderunt alta voce, *aperiatur*: tunc illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus, tam ſuo quam coepiſcoporum nomine, ita ad populum converſus pronuntiavit.

Chriſti nomine invocato decernimus ſanctam ſynodum provincialem Rhemenſem eſſe apertam, & ita judicamus, & cœpit cantare, *Te Deum laudamus, te dominum confitemur*, C ſtetitque cum coepiſcopis verſus altare ſine mitris donec a choro abſolveretur hymnus, quo abſoluto ſe in medio altaris conſtituit, verſa ad populum facie, pedum gerens in manu ſiniſtra, ante eum capellano cum cruce archiepiſcopali conſtituto, ceteris coepiſcopis ſtantibus ſine mitra, & pedum geſtantibus benedixit ſynodo, ut ſequitur.

*Sit nomen domini benedictum.*

Chorus.

*Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.*

Archiepiſcopus.

*Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

Chorus.

*Qui fecit cælum & terram.*

Archiepiſcopus.

*Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius; & Spiritus ſanctus.*

Chorus.

*Amen.*

Omnes poſtmodum ad ſacriſtiam profecti ſunt, ut ſe ornamentis eccleſiaſticis ſpoliarent, tum demum illuſtriſſimum dominum archiepiſcopum ſequuti ad palatium archiepiſcopale devenerunt in ejus aulam quæ Tau nuncupatur, menſis paratis accubuerunt: a prandio gratiis Deo actis omnes illuſtriſſimus archiepiſcopus monuit, ut a veſperis rurſus ad dictum palatium convenirent. Convenientibus itaque omnibus hora quarta poſt veſperas decretum eſt; ut die ſequenti quarta menſis Maii, dictum palatium repeterent hora ſeptima matutina, mandatumque eſt præpoſito eccleſiæ Rhemenſis, ut majorem ex illius campanis quæ Richarda nuncupatur pulſari dicta hora curaret, in ſignum convocationis, & moniti ſunt prioris claſſis præfecti, ut ea quæ de rebus ſibi commiſſis ſelegiſſent capita, ad conventum referrent, ut de eis judicium fieret: hiſque ita dictis, & peractis omnes domum ſe receperunt.

A *Die Mercurii 4. menſis Maii, 1583. miſſæ ſacrificio in ſacello palatii de beata virgine Maria per illuſtriſſimum dominum. Ludovicum cardinalem archiepiſcopum peracto, ubi reverendi domini Præmonſtratenſis, & ſancti Martini Laudunenſis abbates ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ſuſceperunt, hora circa octavam ad locum congregationis convenerunt.*

ILLUSTRISSIMUS dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus recitata oratione prædiſerta, *Adſumus domine ſancte Spiritus*: quæ in ſingulis congregationibus ſeu ſeſſionibus ante- B quam aliquid tractetur recitari ſolet, ſedit, ſederunt & reverend. DD. coepiſcopi, reliquique domini abbates, procuratores, & deputati eo ordine, & loco quo conſueverant: ad eos itaque dictus illuſtriſſ. D. Ludovicus cardinalis ſequenti exhortatione uſus eſt.

Per magnum, &c. *pag.* 918. D

Hac peracta oratione, & reliquis ex tabulis domini Nicolai Colin, theſaurarii eccleſiæ Rhemenſis conſecretarii quæ novem folia continent manu ſua ſcripta, uſque ad ea quæ geſta fuerunt feria dominicæ quintæ poſt paſcha, quæ fuit 16. menſis Maii feria tertia ejuſdem dominicæ quintæ 17. dicti menſis Maii, nulla fuit generalis congregatio patrum.

C Feria quarta 18. menſis Maii, convenerunt patres hora & loco ſolitis poſt miſſarum ſolennia, cumque capituli eccleſiæ Cathalaunenſis procuratores expoſtulaſſent declarari a concilio nunquid eis vox deciſiva attributa eſſet a patribus, reſponſum eſt juxta promotorum requiſitionem, ponderatas quidem ſed minime numeratas eorum, & ceterorum capitulorum ſicut reverend. dominorum abbatum voces extitiſſe, quemadmodum in hujus ſynodi principio ſtatutum, & decretum fuerat, de quo ipſi Cathalaunenſes procuratores proteſtati ſunt, actumque ſibi confici petierunt, & obtinuerunt, aliiſque Rhemenſis, & aliorum capitulorum procuratores fecerunt, de quo eis actum D mandatum eſt.

Porro illuſtriſſimus dominus cardinalis archiepiſcopus rogantibus ceteris patribus confirmandi, & dirigendi manualis negotium ſuſcepit, & ad perſonas ſufficientes deputare qui illud quam citiſſime fieri poſſet abſolverent. Proviſum ſuper contumacia per dominos procuratores concilii contra reverendiſſimum dominum epiſcopum Bolonienſem requiſita, ex eo quod debite, & legitime ad dictum concilium vocatus non acceſſerit, ſancta ſynodus eum voce contumacem declaravit, & contumaciæ pœnam a jure ſtatutam incurriſſe, videlicet pœnam a communione, & ſocietate dominorum coepiſcoporum dictæ contumaciæ, E donec ſe coram illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino metropolitano contumaciam ſuam purgatione repræſentaverit, & ordinatum eſt quod decretis per dictum concilium provinciale factis ſubjicietur perinde ac ſi præſens fuiſſet, quæ omnia eidem ſuis expenſis per unum ex apparitoribus vel notariis curiæ ſpiritualis Rhemenſis, vel alium ex curiis ſpiritualibus totius provinciæ Rhemenſis ſignificabuntur, ne quam ignorantiæ cauſam prætendere poſſit: idemque contra eccleſiæ capitulum debite vocatum, pronunciatum eſt.

Inſuper eadem ſancta ſynodus ſtatuit, ut de cetero





cetero omnes epiſcopi ad concilium provincia- A le debite vocati etiam metropolitani compareant perſonaliter, & legitime impediti per procuratores ſpecialiter ad hoc conſtitutos: & quoniam pœnæ per antiquos canones ſtatutæ hoc tempore quaſi leves negliguntur, judicavit eis hanc addendam ut qui contumaces judicarentur pœna privationis quartæ partis fructuum ſuorum epiſcopalium ſeu archiepiſcopatus, ſeminario ſuo vel pauperibus, aut aliis uſibus arbitrio concilii applicandæ, mulctarentur.

Quo ad vero Cameracenſem, Tornacenſem, Atrebatenſem, ſancti Audomari, & Hyprenſem epiſcopos hujus provinciæ Rhemenſis ſuffraganeos debite ad hoc concilium provincia- B le vocatos, non obſtante contumacia per concilii promotores contra eos requiſita, ſancta ſynodus attentis bellorum tumultibus qui in ſuis diœceſibus notorie urgent eos pro hac vice excuſatos habet, & ſtatuit ut niſi ad futura concilia debite vocati acceſſerint, contra eos via juris procedatur, idemque earumdem eccleſiarum capitulis pronunciatum eſt.

*Die Jovis ſequenti decima nona menſis Maii, feſti aſcenſionis dominicæ, illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus Ludovicus cardinalis archiepiſcopus dux Rhemenſis ſacroſanctum miſſæ ſacrificium in eccleſia ſua metropolitana, poſt publicas ſupplicationes ex eccleſiæ conſuetudine* C *quotannis fieri ſolitas.*

QUIBUS reverendiſſimi domini epiſcopi abbates, & alii deputati interfuerunt, ſolenniter celebravit, illique dominus Petrus Remy archidiaconus major eccleſiæ Rhemenſis diaconum, & Joannes de Piles abbas commendatarius ſubdiaconum reſpective agentes, cum pluribus aliis diaconis, & ſubdiaconis aſtiterunt & inſervierunt. Peracto ſacrificio illuſtriſſimus epiſcopus depoſita caſula aſſumpto pluviali faldiſtorio ad eam rem parato ante altare majus inſedit; ceteri reverendiſſimi domini epiſcopi ſuffraganei ad paratas ſedes, & hinc inde juxta D dictum altare diſpoſitas acceſſerunt, eodemque ornatu & ordine tam ipſe quam reliqui domini deputati ſederunt, quo ſediſſe memoratum eſt in concilii apertione, omnibuſque pſalmis, hymnis, orationibus, & reliquis precibus, ut in dicta apertione, aliiſque ceremoniis peractis recitatis excepto evangelio cujus loco, ſequens enuntiatum eſt per dictum dominum archidiaconum majorem.

*Sequentia ſancti evangelii ſecundum Matthæum. In illo tempore: Reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro, &c.*

Expleto demum hymno *Veni creator*, & recitata oratione *Deus qui corda fidelium*, E illuſtriſſimus dominus ſedens cum mitra ut dictum eſt, ſynodum ſequentibus verbis eſt allocutus.

Venerabiles & dilectiſſimi fratres, ut ea quæ eccleſiis, officiis, & ſacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis ſanctionibus, propter diverſas occupationes, aut, quod negare non poſſumus, propter noſtram aliorumque deſidiam, non tam pleniter ut oportuerit executa ſunt, omnium veſtrum unanimi conſenſu, & voluntate requirantur, & humiliter coram caritate veſtra moveantur, & quæ digna ſunt emendatione ad meliorem ſtatum auxiliante domino deducantur,

A & ſi fortaſſe alicui diſplicet quod digeſtum eſt, caritas veſtra omni benignitate, & modeſtia intimare non differat, quatenus totum quod noſtra provinciali ſeu ſynodali commendatione ſive conſtitutione ſtatutum fuerit vel renovatum, abſque omni contrarietate, concordia ſanctæ pacis ab omnibus æque cuſtodiatur, & teneatur ad augmentum æternæ beatitudinis omnium noſtrum. Deinde juſſit per magiſtrum Joannem de Piles, ſecretarium concilii alta voce legi ſingula concilii decreta ut ſequitur.

*Teſtantur antiqua patrum monumenta non ob aliam cauſam populum Dei in hæreſim delapſum eſ-* B *ſe, &c.*

Quibus perlectis illuſtriſſim. dom. eorum nomina qui concilio intereſſe debent legi per ſecretarium mandavit, abſenteſque notare, ac poſtmodum ad ſynodum ſequente exhortatione uſus eſt.

*Fratres cariſſimi conſacerdotes, & cooperatores noſtri, novit fraternitas veſtra nos licet indignos locum tenere Aaron, vos autem Eleazari, & Itamari; nos fungi vice duodecim apoſtolorum, vos autem ſeptuaginta duorum diſcipulorum; nos de vobis, vos autem de plebibus vobis commendatis domino noſtro Jeſu Chriſto rationem eſſe reddituros, ut in die tremendi judicii inter bonos diſpenſatores inve-* C *niamur, & ideo cariſſimi, videte periculum veſtrum. Admonemus, itaque, & obſecramus fraternitates veſtras, ut quæ vobis ſuggerimus memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis: ut per hæc & alia bona opera una cum populo vobis credito perpetua beatitudine perfruamini, præſtante domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.*

Tum dimiſſa mitra ſurrexit, & verſus ad altare dixit abſolute.

Oremus.

*EXaudi domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, & quia conſcientiæ* D *remordente tabeſcimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forſan voluntas impulerit a juſtitia declinare: ob hoc te poſcimus, te rogamus, ut ſi quid offenſionis in hac ſynodi ſeu concilii celebritate contraximus remiſſibile facere, & condonare digneris, illiuſque te miſerante indulgentiam ſentiamus, ut in eo quod ſoluturi ſumus aggregatam ſynodum, a cunctis primum abſolvamur noſtrorum nexibus delictorum: & quoniam nulla eſt, domine, humana conſcientiæ virtus quæ offenſæ tuæ voluntatis poſſint judicia experiri, & imperfectum noſtrum vident oculi tui, perfectionem deputa miſericors Deus, quæ perfecto æquitatis fine per te ſingula concludi peroptamus, & ſicut te in noſtris principiis occurſorem popoſcimus, ita quoque* E *in hoc fine judiciorum noſtrorum exceſſibus te adeſſe deprecamur, ut ignorantiæ parcas, errores corrigas, perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris, Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.*

Qua oratione expleta rurſus ſederunt illuſtriſſimi archiepiſcopus & epiſcopi, mitriſque acceptis idem dominus illuſtriſſimus archiepiſcopus reverendiſſim. coepiſcopos, ceteroſque deputatos ſic affatus eſt: Reverendiſſim. fratres, & dilectiſſimi filii, placet ne vobis, ad Dei gloriam & honorem, & catholicæ eccleſiæ amplificationem, decreta concilii noſtri provincialis Rhemenſis, vobis perlecta

cta approbari, & concilium ipſum finiri, & concludi.

Juſſitque ſcribas a dominis capitulorum procuratoribus, abbatibus, aliiſque deputatis eorum deſuper ſententias rogare, quibus mandatis obtemperantes ordine præſcripto dictos deputatos rogarunt, num eis placeret concilii provincialis decreta approbari dictumque concilium finiri, & concludi: & capitulorum procuratores reſponderunt, ſibi placere, ſalvis tamen eorum proteſtationibus, & oppoſitionibus antea factis. Reliqui abbates, & deputati reſponderunt hoc verbo, placet: reverſis ad illuſtriſſimum dominum archiepiſcopum ſecretariis, dominus Joannes de Piles, ita retulit.

*Illuſtriſſime & reverendiſſime domine*, ab omnibus, & ſingulis ad hanc ſynodum convocatis juxta illuſtriſſimæ dominationis veſtræ mandata ſciſcitati ſumus, num eis placeret concilii veſtri decreta approbari, & ipſum concilium finiri, & concludi. Capitulorum procuratores ſalvis proteſtationibus, & oppoſitionibus per eos hactenus factis, reliqui domini abbates, & deputati ſibi placere abſolute reſponderunt. Tum ad reverendiſſimos dominos coepiſcopos converſus ita interrogavit. Quid igitur vobis videtur, reverendiſſimi fratres, & ſinguli reſponderunt *placet*, ſalvis etiam noſtris contra proteſtationibus. *Ad populum*, itaque converſus illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus, ſynodum provincialem finitam, & concluſam eſſe ſignificavit, & cœpit cantare canticum, *Te Deum laudamus*.

Et abſoluto cantico in medio altaris ad populum converſus cœpit ei benedicere hoc modo.

*Chriſtus Dei filius qui eſt initium, & finis, complementum vobis tribuat caritatis.*

Chorus.

*Amen.*

*Et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire concilii, abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti.*

Chorus.

*Amen.*

*Et ab omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiam per donum Spiritus ſancti felici reditu ſedium veſtrarum cubilia repetatis illæſi.*

Chorus.

*Amen.*

*Quod vobis ipſe præſtare dignetur, cujus regnum, & imperium ſine fine permanet, in ſæcula ſæculorum.*

*Amen.*

*Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper:*

Chorus.

*Amen.*

Tunc archidiaconus ſurgens alta voce dixit; *Recedamus cum pace.* Omnes reſponderunt: In nomine Chriſti. Amen. Et omnes pariter ſurgentes dominum [illegible]

## PUBLICATIO CONCILII.

*LUDOVICUS MISERATIONE DIVINA ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis, a Guyſia nuncupatus, archiepiſcopus dux Rhemenſis, primus par Franciæ, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatus natus, univerſo provinciæ noſtræ Rhemenſis clero, ac populo, ſalutem in domino.*

Ex quo hujus metropolitanæ eccleſiæ provincia nobis Dei opt. max. & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia demandata fuit, nihil magis in votis habuimus, quam ut ſanctiſſimorum pontificum, qui ab apoſtolicis temporibus ad hanc noſtram uſque ætatem, nulla temporum interruptione, certe conſtanti ac perpetua fidei orthodoxæ profeſſione, in hac Rhemenſi cathedra ſederunt, veſtigia ſequuti, quæ ad augendum Dei cultum, & promovendum gregis nobis commiſſi ſalutem facerent, omni diligentia ac ſtudio provideremus. Potiſſimum vero in hoc toti incubuimus, ut quæ communi calamitate, & noſtrum omnium vitiis, eccleſia noſtræ provinciæ perdidiſſe ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ videbatur, ex ſacroſanctis canonibus, & decretis divini Spiritus auxilio freti, quam primum reſtituenda curaremus. Etenim neminem latere putamus, quanta ſuperioribus annis ubique acciderit religionis perturbatio, quam neglecta ac pene collapſa ſit omnis eccleſiaſtica diſciplina, quam corrupti omnium ordinum mores. Et licet ſummo Dei beneficio fortaſſe minus hæc noſtra provincia, quam aliæ multæ hujus regni, non ita pridem, ut Chriſtianiſſimi, ſic & florentiſſimi, hæreticorum furias experta ſit, quod vel ſanctorum locorum tam multa, ac tam præclara ſtantia adhuc ædificia teſtari poſſunt: tamen quæ ex vicinitate hujuſmodi contagionum ſequi ſolent detrimenta, ſenſit non pauca, non exigua. Verumenimvero piæ memoriæ Carolus ille patruus, & prædeceſſor noſter, omnes mentis ac corporis nervos eo intenderat, ut tot malis opportuna aliqua remedia adhiberet: & proculdubio ſtatim poſt Tridentinum concilium cui ad finem uſque interfuerat, indicta provinciali ſynodo, imperata in ſua diœceſi paſtorum reſidentia, ampliſſimo in hac civitate Rhemenſi erecto ſeminario, & repurgatis iis libris, quibus publicæ preces continentur, magna ac illuſtria totius negotii fundamenta jecerat. Verum ſumma rerum difficultate, & civilium bellorum ſemper magis ac magis recrudeſcente calamitate, poſtremo inopina etiam morte præpeditus omnino præſtare non potuit, quod ſperavit. Nos igitur qui ut ſedis ejus, ſic pietatis & officii heredes eſſe cupimus, quod ab ipſo fortiter cœptum eſt, pari ſtudio ac mentis alacritate, Deo dante, proſequi conamur. Hinc eſt, quod vix dum ſacris epiſcopalibus initiati, hoc, ſanctiſſ. D.N. Gregorii papæ XIII. accedente auctoritate, & Henrico rege noſtro Chriſtianiſſimo nos pie admodum cohortante, provinciale concilium, ſingulare ac prope unicum prudentum judicio, omnium malorum noſtrorum remedium, Rhemis celebrandum indixi[illegible] congregatis reverend. fratribus noſtræ provinciæ epiſcopis, necnon reverendis abbatibus, ac plurimis cathedralium, & aliarum eccleſiarum selectis viris, de ipſorum conſilio & aſſenſu ſtatuimus ac decrevimus, quæ perturbatam cleri ac reliquorum fidelium vitæ ac officii diſciplinam reſtituere, vacillantem confirmare, conſervatam propagare poſſe viderentur. Quæ omnia ad ſanctiſſ. D. N. Gregorium PP. XIII. miſimus, & nunc tandem a ſua ſanctitate probata, confirmata, & remiſſa, typis excudenda, vobiſque proponenda curavimus. Et quoniam nihil poſſunt etiam utiliſſimæ ac ſanctiſſimæ leges, niſi illas ab iis, quorum intereſt, omni ſtudio atque diligentia obſervari contigerit, in primis Chriſtianiſſimum regem noſtrum quanta poſſumus animi ſummiſſione rogamus, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, ut memor ſolennis illius ſacramenti, quod in hac ſancta Rhemenſi eccleſia, cum ampullæ cœleſtis oleo ſummo omnium hujus ampliſſimi regni ordinum applauſu perunctus fuit, præſtitit, ſeque hoc ipſo catholicæ fidei perpetuum vindicem ac protectorem conſtituit, hujus Rhemenſis ſynodi patrocinium ſuſcipere, ejuſque decreta regiæ ſuæ majeſtatis favore complecti dignetur, ac tueri. Reverend. autem fratres noſtros coepiſcopos plurimum in domino rogamus, & obteſtamur, ut quæ conjunctis animis, communibuſque ſtudiis, & Spiritu ſancto ductore ac moderatore, uti credimus, ad Dei gloriam, clerici, populique nobis commiſſi ſalutem conſtituta ſunt, ipſi primum per ſe exequi, deinde a ſuis diligenter ſervari curent & advigilent. Vos denique omnes, quorum nobis cura divinitus cognoſcitur eſſe commiſſa, & quorum ſalus ipſa vita nobis carior eſſe debet, tamquam cariſſimos filios hortamur & monemus, ut has conſtitutiones noſtras, quanto maximo poteſtis amore, & pietate amplectamini, legatis, ſequamini: totos vos ad earum ſententiam rationemque accommodetis, quas non ſolum præſentium malorum remedia eſſe confidimus, ſed cautionem quoque fore ſperamus reliqui temporis vitiorum, & incommodorum. Datum Rhemis in archiepiſcopali noſtro palatio, anno domini 1585. menſe Martio.



# **DECRETA CONCILII PROVINCIALIS BURDIGALÆ HABITI.

Sub reverendiſſ. D. D. Antonio Prevotio Sanſaco, archiepiſcopo Burdig. Aquitan. primate.

*Una cum legibus ſeminariorum:*

Omnia a ſede apoſtolica approbata.

INDEX TITULORUM.

1. *De profeſſione fidei.*
2. *De iis quæ ad divinum cultum & religionem ſpectant.*
3. *De eccleſiaſticis precationibus.*
4. *De breviario, miſſali, & aliis libris ad officia divina pertinentibus.*
5. *De iis quæ in ſacroſancto miſſæ ſacrificio, diviniſque officiis vel obſervanda vel cavenda ſunt.*
6. *De feſtis.*
7. *De magicis artibus, & aliis religioni Chriſtianæ contrariis.*
8. *De ſacramentis.*
9. *De baptiſmo.*
10. *De confirmatione.*
11. *De euchariſtia.*
12. *De pœnitentia.*
13. *De ſacramento extremæ unctionis.*
14. *De ſacramento ordinis.*
15. *De ſacramento matrimonii.*
16. *De epiſcopis.*
17. *De capitulis & canonicis eccleſiarum cathedralium & collegiatarum.*
18. *De parochis.*
19. *De paſtorum reſidentia.*
20. *De verbi divini prædicatione.*
21. *De vita & moribus clericorum.*
22. *De examine promovendorum ad beneficia curata.*
23. *De ſimoniacis & confidentiariis.*
24. *De ſeminariis.*
25. *De monaſteriis.*
26. *De rebus eccleſiæ non alienandis.*
27. *De ſcholis, typographis, & bibliopolis.*
28. *De hoſpitalibus.*
29. *De uſuris, & illicitis contractibus.*
30. *De ſepulturis.*
31. *De juriſdictione.*
32. *De viſitatione.*
33. *De ſynodo diœceſana.*
34. *De concilio provinciali.*
35. *De pœnis.*
36. *De inſtitutione & legibus ſeminariorum provinciæ Burdigalenſis.*

INDEX SECTIONUM TITULI de inſtitutione ſeminariorum.

1. *De ædibus.*
2. *De clericorum in ſeminaria admittendorum ratione.*
3. *De primario & præfectis ſeminarii.*
4. *De œconomia ſeminarii.*
5. *De diſciplina ſeminarii, & primo de pietate.*
6. *De obedientia & aliis clericorum ſeminarii officiis.*
7. *De re literaria.*
8. *De correctione.*
9. *De ratione promovendi clericos, & ex ſeminario dimittendi.*

## DE PROFESSIONE FIDEI.

I.

Cum omnis actio, quæ de rebus divinis, & ad religionem pertinentibus, ſuſcipitur, proficiſci debeat a divini numinis cultu & veneratione, cujus baſis & firmamentum eſt fides, bonorum omnium, ut inquit divus Auguſtinus, fundamentum, & humanæ ſalutis initium, ut propterea ſine fide placere Deo impoſſi-

poſſibile eſſe dicat apoſtolus: Idcirco de divinis rebus, & eccleſiaſticis officiis, ad Dei gloriam, & eccleſiæ incolumitatem, ſalutemque ſpectantibus, in hac ſynodo legitime acturi, a fidei profeſſione, communi jam eccleſiæ uſu recepta, initium ſumendum eſſe duximus, cujus hæc præſcripta formula eſt.

EGO N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: CREDO in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam, & apoſtolicam eccleſiam.

Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item ſacram ſcripturam, juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis) neceſſaria. Scilicet: Baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium: illaque gratiam conferre. Et ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula quæ de peccato originali & juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem. Quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.

Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre. Atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſime aſſero, imagines Chriſti ac deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem eſſe impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam, catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, & definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, & rejicio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo: eamdem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo juvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Hanc autem fidei profeſſionem, a nobis & reverendiſſimis coepiſcopis noſtris præſentibus, ceteriſque ad hanc ſynodum delegatis, palam ac publice, dum in ipſa celebratione ſacrorum verſaremur, in eccleſia noſtra metropolitana factam, rituque ſolenni juratam, reliquis in poſterum conciliis, tam provincialibus, quam quæ in ſingulis diœceſibus habebuntur, ad verbum ſequendam decernimus: itidemque univerſos, quibus ad epiſcopale munus, aliaſque majores, minoreſve dignitates provehi, aut in canonicorum collegium adſcribi, aut ad quæcumque beneficia & gradus eccleſiaſticos promoveri, aut ſacris demum initiari contigerit, in hanc fidei formulam plene ac integre juraturos ſtatuimus: alioqui prædicti omnes, licet beneficia conſecuti fuerint, nullos fructus ex iis percipient, neque illis quacumque ratione poſſeſſio ſuffragabitur.

*De iis, quæ ad divinum cultum ac religionem ſpectant.*

II.

OMNIS divini cultus & religionis ratio, qua ſolum præpotentem Deum pie ſancteque colimus, in duas potiſſimum partes diſtribuitur: in precationes nimirum & ſacrificium: quibus & interior & exterior cultus (adhibitis utrimque ſolennibus ceremoniis) integre perficitur. Neque enim aliter Deum placare atque





que propitium reddere, neque religioni officioque ſuo ſatisfacere Chriſtiani poſſunt. Preces ad poſtulandum, ſacrificium ad impetrandum vim habent: utrumque vero ad laudem & immortalem gloriam optimi & beneficentiſſimi creatoris noſtri plene dirigitur. Et quia precationes ad ſacrificium quaſi viam muniunt, illudque præcedunt, prius de iis, quæ ad receptam ab eccleſia probatamque precationem ſpectant, tum de recta ſacrificii tractatione decernetur.

*De eccleſiaſticis precationibus.*

III.

CUm ipſa nos creationis & naturæ noſtræ vitæque conditio, & quod ſummum eſt, Chriſtianæ profeſſionis ratio, ad ſerio Deum precandum excitat: tum etiam ad hoc ſanctiſſimum munus pleniſſimumque pietatis, unumquemque Deus ipſe per prophetam ſic adhortatur: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Siquidem ſacrificium laudis, inquit, honorificavit me. Ideoque & apoſtolus Thimotheum admonet, ut primum omnium fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones: & ipſe propheta ſepties in die laudem ſe dixiſſe Deo profitetur. Ad hæc autem præſtanda & ſacrificium iſtud, cum ſuo, tum univerſi populi Chriſtiani nomine, Deo faciendum, ii omnes ipſo jure obligantur, quicumque vel beneficiis eccleſiaſticis potiuntur vel ſacris initiati ſunt. Quocirca pœnas in eos, qui preces horarias & quotidianas prætermiſerint, ſacris conciliorum atque pontificum decretis conſtitutas, in præſentia duximus eſſe renovandas. Sunt autem hujuſmodi: ut quiſquis beneficium aliquod eccleſiaſticum adeptus fuerit, ſive ſit ab omni cura liberum, ſive non ſit, ſi poſtquam illud obtinuerit, ſex menſibus exactis, divinum officium, & ſtatas, ſolenneſque preces, legitimo ceſſante impedimento, non recitaverit, nullos ex beneficiis fructus, pro rata portione omiſſionis officii temporiſque, ferant: ſed eos tamquam injuſte perceptos in fabricas eccleſiarum, unde fructus ipſis præbentur impendere, vel in pauperum uſus, eleemoſynæ nomine erogare teneantur. Si vero ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerint, legitima monitione præcedente, beneficiis ipſis priventur. Intelliguntur autem officium omittere, quoad hoc, ut beneficiis privari poſſint, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerint, niſi ob majus aliquod impedimentum, legitimam excuſationem habuerint, Deoque præterea de dicta omiſſione rationem ſe redditaros eſſe intelligant. Qui autem penſionem ex iis fructibus, aut res alias eccleſiaſticas, ut clericus, percipit, is pari modo & prædictis conditionibus ſe ad officium beatæ Mariæ virginis obligatum eſſe ſciat.

*De breviario, miſſali, & aliis libris ad officia eccleſiaſtica pertinentibus.*

IV.

QUoniam vero inter divina officia, eorumque ritus & ceremonias in ſingulis pene hujus provinciæ diœceſibus, magna eſt notata diverſitas, nec minor eorum librorum penuria exiſtit, quæ breviaria, miſſalia, manualia, ſeu baptiſmalia nominamus: ut jam neceſſitas efflagitet magnum ejus generis librorum numerum excudi: ad hæc, quia vetuſtate vel optima quæque conſeneſcunt, vel quadam illuvie, ſituque obſoleſcunt, ut propterea non pauca in hujuſmodi libros irrepſerint, quæ recognitione & forſitan emendatione opus habeant, quod tamen longum nimis eſſet atque difficile. Idcirco his, aliiſque de cauſis nobis viſum eſt unum, idque perfacile, his tot incommodis remedium adhiberi poſſe, ſi, quod jam facimus, breviario cardinalis a Quignonio, quod trium lectionum vocant, ceteriſque omnibus ſuppreſſis decerneremus, ſicuti tenore præſentium decernimus, ut in poſterum breviaria, miſſalia, & manualia ex decreto concilii Tridentini ad uſum Romanæ eccleſiæ reſtituta, atque inſtaurata, & Pii V. pont. max. juſſu edita, ab iis omnibus, qui in hac provincia ſacramentorum adminiſtrationi incumbere & divino cultui, ac precibus, miſſarumque celebrationi ex officio vacare debent, ad ſummum ante adventum proximi anni 1583. tam privatim, quam publice recipiantur: eaque ſola ubique, & apud omnes in uſu ſint. Quocirca clerici & eccleſiaſtici noverint ſe ſolo prædictorum codicum uſu & recitatione, obligationi ſuæ, ac muneri eſſe ſatisfacturos, nec alia ratione pœnas a ſacris canonibus in eos, qui debitas Deo laudes, officiumque non dixerint, conſtitutas, effugere poſſe. Præſenti tamen decreto regulares non magis arctamus, quam ejuſdem Pii V. conſtitutione obligantur.

Nos interea, & ſinguli coepiſcopi propria cujuſque diœceſis ſanctorum officia divulganda ſeparatim, & ſi opus fuerit emendanda curabimus.

*De iis quæ in ſacroſancto miſſæ ſacrificio, diviniſque officiis vel obſervanda, vel cavenda ſunt.*

V.

SAcro-ſanctum miſſæ ſacrificium, in quo memoriam fecit mirabilium ſuorum ſummus ille ſacerdos in æternum Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech, Deo ſolum acceptum eſt nec ullum præterea, niſi quatenus iſtius ſimilitudinem ſpeciemque gereret, ulla unquam ætate ipſi gratum fuit: & quamvis hoc ſacrificii nomen latius interdum uſurpetur pro omni ea re, quæ ad Dei honorem & obſequium refertur: proprie tamen hic ſumitur pro puro & ſimplici cultu, qui Deo ſoli debetur, in quo verus ac integer actus religionis eſt, nec alteri adhiberi, ſine ſummo ſcelere & ſacrilegio poteſt.

Idcirco illa ſemper non modo laudabilis, verum etiam neceſſaria cura erit ſedulo providendi, ut ſingulari pietate ac religione tam auguſtum divinumque myſterium, quo immortalis Dei filius ex ipſius inſtitutione, viva æterno Patri, pro ſalute fidelium, offertur hoſtia, tum a ſacerdotibus ſanctiſſime celebretur, tum a fidelibus populis honorificentiſſime colatur. Atque in hanc curam eo ſtudioſius hac tempeſtate nobis incumbendum eſt, quo ſinceræ pietatis & religionis ardor pene jam videtur extinctus: qui quidem ut iterum commoveri, accendique poſſit, hæc ſtatuenda judicavimus.

Atque in primis, quæ ad miſſarum celebrationem pertinent, ea cum debita reverentia pie ſancteque adminiſtrentur, neque cuiquam va-

vago, ignotoque ſacerdoti miſſam celebrare permittant eccleſiarum rectores, niſi prius diligenter explorata ordinarii licentia & facultate.

Nullumque pariter alienæ diœceſis admittant, niſi acceptas ab ordinario ſuo literas, ſibi conceſſæ facultatis & anteactæ vitæ, morumque ac religionis teſtes exhibeat, quæ vetuſtiores non appareant, quam quæ intra annum ſcriptæ ſunt.

Sacerdotes quoque, aut quoſcumque alios, publice & notorie criminoſos, rem divinam facere, vel ad altare miniſtrare, ſacris vel miſſæ intereſſe omnino prohibeant, niſi qui ad meliorem frugem redierint, & morum, vitæque priſtinæ commutatione facta, præteritorum ſcelerum veniam meruerint, eamque ab ordinariis ſuis impetraverint.

Celebraturi ſacerdotes, conſcientiam ſuam prius diligenter excutiant, atque examinent, & piam aliquam meditationem præmittant. Peccatorum vero confeſſionem octavo quoque die, aut ſæpius, faciant, quoties aliquo ſe peccato gravatos ſenſerint. Sibi autem conſcii mortalis peccati, quantumvis ſibi contriti videantur, abſque præmiſſa ſacramenti confeſſione ad ſacrum altaris myſterium non accedant, etiamſi ex officio incumbat celebrare, modo non deſit illis copia confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos aliquis, abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur.

Quia vero ſacerdotum, in quibuſdam hujus provinciæ locis, tanta paucitas & penuria eſt, ut quibuſdam bis uno die ſacrum faciendi facultatem epiſcopi concedere cogantur: ne quod, neceſſitate cogente, ad populi Chriſtiani ſolatium ſalutemque permittitur, immoderata licentia errori locum det, atque in abuſum convertatur, Decernimus, ne hujuſmodi facultatem epiſcopi largiantur niſi ſacerdoti ſpectatæ probitatis, idque graviſſimis de cauſis. Quæ facultas brevi etiam tempore circumſcribatur, nec ad plures dies, quam ad dominicos & feſtos, in diverſis tantum eccleſiis protrahatur. Caveant autem illi, qui bis eodem die miſſam celebrare debuerint, ne in prima miſſa, poſtquam totum euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, vino manus perfundant: perfuſione enim accepta aliam celebrationem noverint impediri.

Nullus item presbyter audeat in privatis ædibus, vel oratoriis aut ſacellis, ab ordinario minime approbatis, contra decretum S. concilii Tridentini miſſæ ſacrificium, etiam infirmorum cauſa celebrare.

Dum publica, & parochialis miſſa celebratur, nullo modo in eadem eccleſia ſacrum aliud facere liceat: deturque opera diligenter, ut omnia altarium ornamenta, & ſacra vaſa ad celebrationem miſſæ pertinentia munda ſint, ac nitida: nullaque nova prius in uſus ſacros conferantur, quam ab antiſtite aliquo fuerint benedicta vel conſecrata.

In celebratione vero, omnes ritus ac ceremoniæ, quæ in miſſali Romano præſcribuntur exacte & religioſe obſerventur, nullis prætermiſſis, nulliſque omnino adjectis.

Quæ clara voce recitanda ſunt ea diſtincte & intelligenter pronuncientur: quod fiet, ſi neque tardius, neque celerius quam par ſit verba proferantur. Secreto pronuncianda, ſubmiſſa voce recitentur, neque memoriter quidquam, ſed in libro omnia legantur.

Ab organis, & omni eccleſiaſtico cantu, quævis muſica, laſcivum quippiam & vulgares cantilenas, aut levitatem ſimileſque ineptias referens, omnino arceatur: ſed gravis ubique ſit & divinis laudibus accommodata, ut ea circumſtantium fidelium animi ad majorem pietatem, devotionem, ac religionem ardeſcant.

In ſymbolo & paſſione domini nulla penitus adhibeantur organa, neque etiam muſica, niſi admodum ſimplex, & fuſa, quæque talis ſit, ut ſingula verba intelligantur.

Curent autem epiſcopi ea omnia e medio tollere, quæ in divinis officiis & miſſis avaritiam redolent, vel quæ ab irreverentia aut ſuperſtitione introducta ſunt.

Earum rerum, quæ ad profanam atque ſæcularem negotiationem pertinent, proclamationes in eccleſia fieri, præſertim dum miſſa celebratur, prohibemus.

Deambulationes vero, ſtrepitus, clamores, colloquia in eccleſiis, mendicantium evagationes omni quidem tempore, ſed tum maxime, cum ſacramenta adminiſtrantur, & divina officia explentur, vel ſacra concio habetur, ſic a nobis interdici omnes intelligant: ut, ſi nonnullorum importunitas & inſolentia, qui ſacris potius illudunt, quam interſunt, coegerit, auxilium etiam civile ac regium implorandum ſit. Nam loco ſacro adeo licenter, ceu foro abuti, cum omni homini turpe & ſcelus eſt, tum Chriſtiano gravi cum ſcelere turpiſſimum.

Feminæ nec ad altare propius accedant, nec ſe clericis intermiſceant, vel vacuas eorum ſedes (quod turpe & ignominioſum eſt) occupent: ſed ſeparatim, cum decore & reverentia ſacris adſint.

Illa vero valde culpanda conſuetudo, ab elevatione venerabilis ſacramenti, vel ante peracta myſteria, recedendi. Quare omnes moneantur ſedulo a parochis, illos eccleſiæ præcepto de audienda miſſa non ſatisfacere, niſi forte, quod raro accidit, talis neceſſitas ſit, quæ moram non ferat. Nulli ergo ante datam a ſacerdote benedictionem, diſcedere liceat.

Sed vetus etiam illud decretum identidem denuntient, quo, propoſita excommunicationis pœna præcipitur, ne quis tribus continuis dominicis a parochialis miſſæ celebratione abſit. Quod ut accuratius adhuc obſervetur, ſciſcitentur confeſſarii a pœnitentibus, an huic officio ſatisfecerint: & peccati gravitatem, ut ab eo in poſterum arceantur, ipſis proponant.

*De feſtis.*

## VI.

TAMETSI dominici feſtique dies ad hoc unum inſtituti ſunt ut fideles Chriſtiani ab externis, quæſtuoſiſque operibus abſtinentes, liberius, & majori cum pietate divino cultui, atque infinitis divinæ bonitatis erga genus humanum recolendis beneficiis vacarent, ſicque ſalutaribus religionis officiis occupati, ſedulo caveant, ne quod Philippenſes monet Ignatius, dies feſtos ullo dedecore injuriave afficerent: Nihilominus noſtris temporibus præpoſtere fieri ſolet, ut tam ſolennes & religioſi dies, non ſolum in illicitis & ſæcularibus negotiis procurandis, verumetiam in luxu, laſcivia, jocis, ac ludis vetitis, compotationibus, ceteriſque flagitiis exercendis toti tranſigantur. Quinetiam officinæ venditionibus atque emptionibus libero patent, & impune opera fabrilia etiam publice tractantur. Ex quo dubitandum non eſt, magna ex parte tot calamitates, quibus jampridem conterimur, a Deo, tantis ſceleribus incitato, jure nobis infligi. Ad cujus præſentem iram placandam, vel etiam majorem, quæ cervicibus noſtris immineat, avertendam, omnibus provinciæ noſtræ parochis indicimus, populum ſuum frequenter & ſerio commonefaciant, ut diebus feſtis, non ſolum a quibuslibet prohibitis operibus ſeſe contineant, verum etiam ſacris omnibus eccleſiæ myſteriis, & divini verbi prædicationi, quantum fieri poſſit ex animo, & religioſe interſint: nec pietatis opera itidem prætermittant in pauperibus reficiendis: in quibus Chriſtiana profeſſio & caritas maxime eluceſcit. Magiſtratus autem omnes pro ſui, noſtrique officii ratione, quoad poſſumus, adhortamur, ut (quod in ipſis maxime ſitum eſt) ſacros dies illos ac ſolennes, pie ſancteque celebrari curent: tabernas aperiri, vecturas & opera quævis ruſtica exerceri prohibeant. Quo tempore vero divinum officium expletur, aut conciones habentur, otioſam & vagam turbam e tabernis, & foro, & plateis abigant, pœniſque propoſitis, rebus ſacris intereſſe compellant. Neque certe ulla reip. adminiſtrandæ ratio melior & laudabilior eſſe poteſt, quam quæ primas divino cultui & religioni tribuit. Ceterum epiſcopi in ſua ſinguli ſynodo, habita noſtrorum temporum ratione, die feſtos ſuarum diœceſum ad pauciorem numerum, quoad poterunt, reducere curabunt: eoſdemque, propoſitis etiam eorum arbitrio pœnis, debita cum reverentia curent obſervandos.

*De magicis artibus & aliis religioni Chriſtianæ contrariis.*

## VII.

PASTORES frequentiſſime admoneant, ſcelus execrandum eos committere, necnon a communione fidelium avulſos eſſe, qui magicas artes & divinationes exercent, vel qui ejus generis ariolis fidem adhibent. Omnia enim hæc (ut ſacris literis traditum eſt) abominatur dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera exterminantur populi a facie terræ.

Eos pariter increpent, qui alios dies fauſtos, alios infauſtos credentes, in ſuſcipiendis, perficiendiſque negotiis tempora & momenta obſervant, vel qui ex occurſu quorumdam animalium aut hominum ab operibus inſtitutis abſtinent.

Sed non minus culpandi ſunt, qui ex aſtris, Chaldæorum more, futura temere conſulant potius quam prædicunt, & aſtrologiæ, quam judiciariam vocant, uſu ſacrilego arbitrii noſtri libertatem & Dei providentiam opprimunt. Quocirca ſi quæ ephemerides vel diaria ejus generis edita in lucem fuerint, quæ aliud præter annuas temporum viciſſitudines, aeriſque conſtitutiones contineant, eodem modo damnamus, quo libros improbatæ lectionis, eoſque ne quis legat, aut apud ſe retineat vel illis fidem adhibeat, prohibemus.

Huc referendæ ſunt, ex ſententia divi Auguſtini, ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars non commendat medicorum, ſeu in precationibus, ſeu in quibuſdam notis, quas characteres vocant, ſive in quibuſdam rebus ſuſpendendis atque illigandis: in quibus omnibus ſuperſtitio & ars dæmonum eſt, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & angelorum malorum exorta: unde hæc cuncta vitanda ſunt Chriſtiano, & omni prorſus execratione repudianda atque damnanda.

A juramentis, perjuriis, blaſphemiis, & contumelioſis in Deum ac ſanctos verbis, unde bella, peſtes, morbi, fames, & omnia malorum genera in humanum genus immittuntur, fideles comminatione divini judicii communioniſque privatione deterreantur. Atque ut impia hæc ſceleratæ conſuetudinis corruptela facilius corrigatur, principes atque magiſtratus obnixe obteſtamur in domino, ut hanc nobiſcum honoris divini curam ſuſtineant, & pervicaces, atque obſtinatos debitis pœnis compeſcant.

Et quoniam omnes fere ſibi hoc tempore licere putant legere impios hæreticorum libros, excommunicationis pœna, a ſacris canonibus, œcumeniciſque conciliis, & ſummorum pontificum conſtitutionibus in eos, qui hujuſmodi libros legunt, decreta, frequenter a parochis proponatur: ut ſciant omnes ſibi nulla ratione licere tales animorum peſtes, ad rectæ fidei perniciem atque interitum, dedita opera diſſeminatas, aut legere, aut apud ſe etiam reconditas habere, niſi quibus jure id licet. Moneantur etiam ſæpiſſime fideles Chriſtiani a ſuis parochis, & confeſſariis, ut fugiant, tamquam virus mortiferum, lectionem librorum quorumcumque, qui vel ad artes magicas pertinent, vel obſcœnas & impias narrationes continent: eoſque, ut olim tempore apoſtolorum factum legimus, comburant.

Denique, ut uno ore, & mentium atque voluntatum conſenſione, ab omnibus Deus optimus maximus pure ac religioſe colatur, omnes paſtores, verbique divini prædicatores monemus & hortamur, ut animas ſibi concreditas ab omni hæreſi, impietate & ſuperſtitione avertant, & in ea crimina lapſos, pro viribus ad veram religionem & ſincerum Dei cultum revocare ſtudeant, memores tanto pretio, quantus Chriſti ſanguis eſt, redemptas animas omni labore, ſtudio, & contentione ad rectam ſalutis viam, a qua longius aberrant, eſſe revocandas.

*De ſacramentis.*

## VIII.

CUM eccleſia nihil habeat pretioſius, nihil ad æternam ſalutem conſequendam magis neceſſarium, quam a Chriſto ſeptem inſtituta ſacramenta, quibus omnis juſtitia vel cœpta augeatur, vel amiſſa reparetur, ac demum Dei gratia, quam ipſa ſacramenta, ceu vaſa quædam divina, continent, eamque rite ſuſcipientibus conferunt, nobis abunde communicetur: paſtores omni ſtudio ac diligentia commiſſum ſibi Chriſtianum populum exhortari debent, tum ad ſingularem erga omnia ſacramenta religionem, & reverentiam adhibendam, tum ad frequentem auguſtiſſimi euchariſtiæ ſacramenti & confeſſionis uſum. Quorum ſacramentorum contemptus, ut ait D. Auguſtinus, homines ſacrilegos facit. Impie enim contemnitur, ſine quo pietas conſtare non poteſt. Quamobrem a ſanctis olim patribus pie ſtatutum fuerat ut ſaltem ter quotannis, videlicet natali domini, reſurrectione, atque pentecoſtes, omnes, qui veri cenſeri vel-

vellent Chriſtiani, euchariſtiam ſumerent. Et quamvis propter caritatis ardorem magna ex parte in animis hominum reſtinctum nullo jam eccleſiæ præcepto ad frequentiorem, quam annuum utriuſque hujus ſacramenti uſum fideles obligentur: nihilominus & Deo gratiſſimum eſt, & piorum animis ſaluberrimum ex puriſſimis divinæ gratiæ fontibus aquam æternæ vitæ ſæpius haurire. Nam quod per ſe ſemper optimum eſt, non poteſt non ſemper utiliſſimum eſſe. Alia quoque ſacramenta quanta cum religione animique puritate ſuſcipienda ſint ſæpiſſime docere parochi non prætermittant. Quod ut aptiſſimis firmiſſimiſque rationibus præſtare poſſint, ipſis injungimus, ut continuo catechiſmum concilii Tridentini præ manibus habeant, B in quo ſingulorum ſacramentorum vis & efficacitas diſerte explicatur.

Ac ne ſacerdotum, in ſacris tractandis, negligentia & incuria, populi pietatem imminuat, præcipimus, ut præſcriptas a majoribus noſtris in ſacramentis adminiſtrandis ceremonias non ſolum diligenter, ſed etiam ſumma cum animi attentione & religione obſervent, nihil omnino addentes, nihil detrahentes, in ipſorum etiam ſacramentorum diſpenſatione manus puras ab omni ſimoniæ labe, & avaritiæ ſuſpicione continentes.

*De baptiſmo.*

IX.

QUIA baptiſmus eſt ingreſſus in eccleſiam Chriſti, & id ſine quo nemini in regnum cælorum patet aditus, idcirco præcipimus, ut quam citiſſime fieri poterit, parentes liberos ſuos baptizandos curent, neque diu expectent ſuſceptores & patrinos, ne dum in vana ad baptiſmum pompa apparanda tempus inepte teritur, animas Chriſti ſanguine redemptas maximo graviſſimoque periculo, e quo emergere nunquam poſſint, exponant.

Privatis in ædibus, niſi urgente ſumma neceſſitate, baptiſmum adminiſtrari prohibemus. Liceat tamen, inſtante periculo; ſacerdoti, vel D eo abſente, aliis quibuſcumque domi baptizare; dummodo vera baptiſmi forma ſervetur, quæ cum aſperſione aquæ naturalis hiſce verbis proferri debet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Hoc pacto baptizatus ſi ſupervixerit, cum primum licuerit per valetudinem, in eccleſiam deferatur; ubi, ſi rebaptizatum prius conſtiterit, ceremoniæ baptiſmi tantum adhibeantur.

Parochi a ſuis archipresbyteris ſanctum chriſma ſolito tempore petant, atque diligenter in uſum baptiſmi aſſervent. Ubi vero temporis injuria ſacræ ædes dirutæ fuerint, curent illud ſervandum in loco mundo, tuto, & clave obſerato, caveantque ne laicorum manibus attrectetur. E

Admoneantur ſuſceptores & patrini, qui duo ad ſummum eſſe debent, vir nimirum & mulier, officii ſui eſſe, ſi id parentum opera minus præſtari poſſit, puerum, qui Chriſto per baptiſmum gignitur, cum primum rationis uſum habere cœperit, tam baptiſmi ſuſcepti, quam profeſſæ in baptiſmo fidei admonere, ſimulque providere, ut in ejuſdem fidei elementis, veræque Dei cognitione & religione catholica inſtituatur, & moribus Chriſtianis informetur: eamque ob rem [illegible] officium [illegible] parochus admi-

A tat, niſi ea ſit ætate, judicio, & moribus, ut prædictis omnibus ſatisfacere poſſit. Ad extremum, nequaquam prætermittatur admonitio de cognatione ſpirituali quam & inter ſe & inter baptizatum, ac utrumque baptizati parentem, ſuſceptores contrahunt.

Ut paganorum ritus deteſtandos execramus: ſic eorum vana nomina filiis Chriſtianorum imponi prohibemus: parochiſque præcipimus, ut id nulla ratione fieri permittant. Nomina quoque ſanctorum patrum veteris teſtamenti affectare, hæreticorum eſt. Quocirca ſerio parochi admoneant hujuſmodi nominum cupidos, ut quo majori gratia & lumine novum teſtamentum præſtat veteri, ſic longe eſſe decentius ſanctorum apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti, atque aliorum, qui eorumdem ſanctitatem imitati ſunt, nomina infantibus imponi.

*De confirmatione.*

X.

SANCTUM confirmationis ſacramentum, noſtrorum miſerrimorum temporum injuria prope intermiſſum a multis & pro derelicto habitum ad frequentem uſum & ſalutem Chriſtianorum revocari vehementer cupimus. Hoc enim ſacramentum, ut ex nominis ratione conſtat, gratiam, vim, robur & arma ſuppeditat adverſus vitia, & infeſtiſſimos animorum hoſtes, C quorum ſane, quo majores ſunt, & acriores impetus, eo diligentius omnibus epiſcopis mandamus, ut ſuarum diœceſum parochias ſæpius obeuntes, hujus ſacramenti vim populo explicent, aut explicandam curent: & iis omnibus, qui nondum illud ſuſceperunt, adminiſtrent. Moneantur etiam qui adulti ſunt ut ad tantum ſacramentum non accedant, niſi præmiſſa peccatorum confeſſione, aut ſaltem maximo peccatorum dolore, & matura confitendi propoſito.

Patrinus unus, qui ſit confirmatus, offerat confirmandum, propter cognationem ſpiritualem, quæ inde contrahitur, nec ſit pater confirmandi.

Epiſcopi tempus illud, quo ſunt adminiſtraturi confirmationem, parochis ante denuntient, ut confirmandi ſeſe ad ſanctum illud ſacramentum parent, atque ad locum deſignatum ſe conferant.

*De euchariſtia.*

XI.

QUEMADMODUM corporibus, ſic & animis ſua ſunt alimenta tribuenda, ne ſi multo tempore jejuni, languidique permanſerint, in laborioſa vitæ humanæ peregrinatione, & via deficiant. Ideoque pane vitæ, qui de cælo deſcendit, nimirum ſacroſancto Chriſti corpore, quod in euchariſtia vere continetur, parochi populos ſibi commiſſos paſcere ſatagant, & aſſiduis cohortationibus ad hunc cæleſtem cibum invitent. Eos autem qui ſaltem ſemel quotannis, idque ſolemnibus paſchæ diebus, vel circiter, ad hoc ſacramentum, præmiſſa peccatorum confeſſione, non acceſſerint, cujuſcumque tandem ſint conditionis, ad epiſcopum proximâ, poſt paſcha, ſynodo deferant. In eos vero epiſcopi cenſuris, aliiſque pœnis acriter animadvertant. Hac de cauſa ſtatuimus, ut prædicto tempore paſchæ, nemo extra ſuam parochiam, ...





chiam, abſque rectoris ſui facultate, alio ſe conferat hoc ſacramentum percepturus. Sed & quibus dabitur ea facultas, parochum certiorem faciant, quo loco ſacram euchariſtiam ſumpſerint.

Sacerdotes quoſdam uſque adeo nominis & officii ſui, craſſa quadam ſocordia oblitos eſſe dolemus, ut vix ſemel in annos ſingulos, aut certe rariſſime, ſacrificium miſſæ faciant. Unde una cum ceteris, tales ad epiſcopum deferri præcipimus: ut ille pro ſuo jure, eos omni ratione cogat, ſuum rite munus explere, ac nulli penitus ſacerdotii officio deeſſe.

Ægroti, ii præſertim, qui periculoſe laborant, hoc ſalutari viatico non careant. Ideoque in eorum gratiam ſerventur aliquot hoſtiæ conſecratæ, quæ tamen in eccleſia loco honeſto clauſæ atque reconditæ, decimoquinto quoque die innovandæ erunt. B

Ipſum vero venerabile ſacramentum ſumma cum religione parochus amictu lineo & ſtola indutus, ad ægrotos deferat, uno aut altero ad minus, qui tintinnabulum & facem ardentem geſtet, præcedente. Populus autem moneatur in concionibus, ut cum in viis publicis ſanctiſſimum Chriſti corpus aderit, & ægroti uſque domum, quoad fieri poterit, magna cum veneratione, atque pietate proſequatur.

Illud porro Chriſtianæ plebi aſſidue inculcandum eſt, diviniſſimum hoc ſacramentum, ut expurgatis ab omni culpa, & puris animis, copioſam gratiam, ſalutemque confert, ſic peccatorum, adhuc illuvie ſqualentibus & inquinatis, C ſuo ipſorum vitio atque pravitate plurimum obeſſe, non ſecus ac ſalutares cibi ſtomacho languenti & male affecto detrimentum afferunt. Conſtat enim apoſtoli doctrina tales, qui indigne id ſumpſerint, judicium ſibi manducare & bibere. Ideoque parochi & concionatores, necnon quicumque audiendis confeſſionibus præficiuntur, moneant, cum publice omnes, tum privatim ſingulos, ne ad hæc tremenda myſteria, niſi prius integre probata conſcientia & omnium, quorum meminiſſe operam ſedulo dederint, peccatorum facta confeſſione, accedant.

*De pœnitentia.*

XII.

MONEANT parochi omnes myſterii Chriſtianæ religionis initiatos, cum primum, juxta Iſaiam, ſciverint improbare malum & eligere bonum, debere ut minimum quotannis, & maxime accepta dilinquendi generis tempore omnia peccata ſua proprio ſacerdoti confiteri obligatos eſſe.

Confitendi autem modum, & examinandæ conſcientiæ rationem in ſingulis divinæ legis atque eccleſiæ præceptis, & capitalibus vitiis, tanto ſtudioſius fideli populo tradere debent parochi, quanto magis pernicioſa illa conſuetudo E pene apud omnes invaluit, ut ſolum a ſacerdotibus confitentes, idque ſatis leviter, interrogentur. Quærant ergo imprimis parochi a confitentibus, an prius conſcientiam ſuam diſcuſſerint, eoſque peccata ſua confiteri jubeant: tum demum, ſi quæ fortaſſe prætermiſſa videbuntur, de iis pro ſtatu & conditione cujuſque interrogent. Alioqui, quos nullomodo paratos ad confeſſionem, atque meditatos noverint, hortentur, ut cum magna peccatorum ſuorum deteſtatione ac dolore paratiores alio tempore acce-

A dant. Verum prudentis erit confeſſarii noſſe qui remittendi erunt.

Sæpe prædicent parochi, Chriſtiani hominis pœnitentia contineri veterum peccatorum deteſtationem, tum eorumdem ſacramentalem confeſſionem, itemque ſacerdotalem abſolutionem, ac demum ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, quibus & pravi habitus citius ex animis evelluntur, & boni facilius inſeruntur.

Neminem parochi abſolvant eorum, qui cum præcedente confeſſione ſe ablata reſtituturos, aut legata ad pias cauſas ſoluturos eſſent polliciti, cum facultas affuiſſet, neglexerint. Eos excipimus qui in mortis articulo fuerint conſtituti; B qui tamen admonendi erunt, ut id oneris, ſi obierint, heredibus imponant, vel ſi convaluerint, quamprimum poterunt, ſatisfaciant.

Medici, poſt unam aut alteram viſitationem, ſub excommunicationis pœna expreſſa, & aliis conſtitutionibus Pii quinti ſancitis pœnis, ad ægrotorum curationem non accedant, niſi certo cognoverint, ipſos, poſtquam in hunc morbum inciderint, peccata idoneo ſacerdoti fuiſſe confeſſos.

Præcipimus, juxta concilii Tridentini decretum, ut nullus presbyter, ne religioſus quidem, confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audiat: niſi aut parochiale beneficium, aut ab epiſcopis per examen, vel alias idoneus judicatus approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

In omnibus cathedralibus eccleſiis, ubi id commode fieri poteſt, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proximo vacaturæ ab epiſcopo inſtituatur, qui magiſter ſit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, & annorum quadraginta, aut alias pro ratione loci idoneus judicatus: qui dum confeſſiones in eccleſiis audiet, interim præſens in choro cenſeatur.

Quando ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo & exempli pravitate offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, debitam huic, pro culpæ ratione, pœnitentiam publice injungi D oportet: ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet viam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus, in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis expedire judicaverit.

Cum judicii natura & ratio poſtulet, ut in ſubditos dumtaxat feratur ſententia, ex eo fit, ut nullius momenti ſit abſolutio, quam ſacerdos profert in eum, in quem nec ordinariam, nec delegatam habet juriſdictionem: cum etiam magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertineat, non omnes ſacerdotes a quibuſvis criminibus abſolvendi poteſtatem habere: ſed atrociora & graviora crimina, peculiari ſummi pontificis, & epiſcoporum judicio reſervari, E cum gravioribus morbis peritiores adhibendi ſint medici, facilitaſque veniæ maxima ſit peccandi illecebra. Sunt tamen, ſicut accepimus, nonnulli ſacerdotes, qui terminis ſuis non contenti, paſſim, & ſine diſcrimine ab omnibus peccatis, quantumvis atrocibus, delinquentes cum maximo ſuæ & illorum ſalutis periculo, abſolvere præſumunt. Nos huic occurrere malo cupientes, præſenti decreto omnibus parochis & aliis ſacerdotibus confeſſionibus audiendis præfectis, ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne deinceps a peccatis & criminibus atrociori-

dioribus, quorum cognitionem & abſolutionem ſibi ſummus pontifex, aut epiſcopus in ſuis ſynodalibus conſtitutionibus, reſervarunt, quemquam abſolvere, ſed ejuſmodi criminum reos, ad epiſcopos ſuos amandent: ut vel ipſi, cauſa cognita, eos abſolvant, vel ad ſummum pontificem abſolvendos mittant: declarantes abſolutionem in prædictis criminibus, abſque certa, & præcipua ſanctiſſimi domini noſtri papæ, vel propriorum epiſcoporum conceſſione, per parochos & alios ſacerdotes, præterquam in mortis articulo, datam, viribus penitus carere, & nullam eſſe. Omnibus autem coepiſcopis noſtris indicimus, ut caſus ſibi reſervatos quamprimum publicari, & ſcriptos ab omnibus ſuis parochis haberi curent.

*De ſacramento extremæ unctionis.*

XIII.

QUAMVIS ſacramentum extremæ unctionis ægrotis ſit adminiſtrandum, qui in extremum vitæ diſcrimen ac periculum adducti eſſe videntur: tamen non eo uſque differendum eſt, dum æger omnibus pene ſenſibus deſtitutus ſit.

Quapropter parochis præcipimus, ut omnes curæ ſuæ creditos frequenter moneant, ne ſint hac in re lentiores, aut negligentiores, cum inter eos aliquis periculoſe laborare videbitur. Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani & impia opinione abducere, qua plerique ſiniſtre de hujus ſacramenti virtute ſentiunt, perinde ac ſi mortem ægris acceleret: cum certum ſit, ex apoſtoli doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, ſi expedierit, virtute hujus ſacramenti ſalutem conferre.

Nec vero putent parochi ſe omnino officio ſuo ſatisfeciſſe, ſi ægrotis euchariſtiæ & extremæ unctionis ſacramenta ſolum impenderint: ſed eos præter ea adeſſe oportet morientibus, eoſque ſanctis admonitionibus, & piis precibus omni ratione juvare: ut quod eis ſupereſt vitæ, in vera & catholica fide poſſint explere: ne propter peccatorum ſuorum multitudinem atque gravitatem ullo modo de divina miſericordia deſperent.

*De ſacramento ordinis.*

XIV.

CUM apoſtoli præcepto, epiſcopus nemini cito manus imponere debeat, ſingulos provinciæ noſtræ epiſcopos hortamur, ac ſedulo monemus, ut iis examinandis, qui ad ordines promoveri cupiunt, accurate ipſi per ſe incumbant, vel ſi legitime impediti fuerint, eorum opera utantur, quos pios doctoſque noverint, & quorum diligentiæ atque integritati confidant.

In eorum autem examinatione, qui ordinandi ſunt, hæc præcipue attendi & obſervari debent.

Primum ne quis ex aliena diœceſi, niſi literas facultatis a ſuo epiſcopo acceptas profe[illegible] tat, cujus teſtimonio ejuſdem probitas ac mores commendentur, in album ordinandorum referatur. [illegible]

Deinde ne quis nondum legitime emeritus, vel [illegible] membrorum defectu, ſive inſigni deformitate notabilis, vel qui ætatem a ſancta Tridentina ſynodo præſtitutam non attigerit, admittatur: ideoque nec ſubdiaconus ante vigeſimum ſecundum annum, nec diaconus ante vigeſimum tertium, nec presbyter ante vigeſimum quintum promoveri debebit.

Suſpecti etiam de hæreſi, homicidæ voluntarii, apoſtatæ, ſimoniaci, confidentiarii, excommunicati, energumeni, morbo caduco laborantes, bigami, ac alii jure interdicti, a ſacris ordinibus omnino arceantur.

Prima tonſura nullus initietur, qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperit, vel fidei rudimenta non tenuerit, vel legere ac ſcribere neſcierit, vel denique qui ex conjectura probabili exiſtimabitur, ob alium finem, quam ut Deo fidelem & perpetuum cultum præſtet, hoc genus vitæ elegiſſe.

Et ne clerici, qui divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis ſui dedecore mendicare, aut ſordidum quippiam exercere cogantur, nullus deinceps, juxta SS. patrum decreta, ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem recipiatur, niſi prius legitime conſtet beneficium eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, & quidem non controverſum obtinere: quod poſtea reſignare non poterit, niſi aliunde habeat unde commode honeſteque vivere poſſit. Et ne in ea re fraus committatur, nullam reſignationem admittant epiſcopi, niſi prius vere exploratum habuerint, beneficium, quod reſignandum proponitur, tituli loco non eſſe.

Ad patrimonii vero, vel penſionis titulum nullus admittatur, qui non ſit utilis, aut neceſſarius alicui eccleſiæ aut pio loco. Sed & prius perſpiciendum erit, an patrimonium illud vere obtineat: & utrum ad vitam illius honeſte ſuſtinendam ſatis eſſe poſſit. Id vero deinceps vendere, vel remittere, vel alio quovis modo alienare nuſquam liceat, niſi beneficium re ipſa prius obtineat: vel aliunde habeat, unde vivere poſſit.

A ſubdiaconatu, ſtatim officii divini recitandi rationem teneant, neque omnino ſuperiores illis ordines conferantur, quos per examen hac inſigni & mortali negligentia teneri conſtituerit.

Nullus item recipiatur, niſi literarum ſcientia, pro cujuſque ordinis ratione fuerit præditus, ſine qua nec ſacerdotium rite adminiſtrare, nec ſaluti cum ſuæ, tum populi recte vacare quiſquam poteſt.

Ad ordines promovendi modeſtiæ atque probitatis ſuæ a ſuo parocho & magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant.

Epiſcopi diligentiſſime caveant, ne pro collatione ordinum aliquid, licet ultro oblatum, accipiant, vel a ſuis accipi permittant. Scribæ vero, ſi nullum eis aliunde aſſignatum ſit ſtipendium, decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint, ubi non viget laudabilis conſuetudo, nihil accipiendi. Alioquin jam in ſe excommunicationis ſententiam latam eſſe ſciant.

*De ſacramento matrimonii.*

XV.

MATRIMONIUM hac de cauſa divinitus inſtitutum eſſe certum eſt, ut ex legitima viri & feminæ conjunctione humanum genus ad Dei gloriam propagaretur, quo cæleſtis demum beatitudinis particeps fieret, ubi creatorem ſuum pie in hac vita & religioſe coluiſſet. Ex quo quidem matrimonii dignitas elucet: ſed ex eo maxime, quod ſacramenti vim in evangelica lege accepit a Chriſto, ipſius cum eccleſia ſanctiſſimam, firmiſſimamque conjunctionem deſignans. Quæ cauſa eſt, ut conjugibus rite hoc ſacramentum ſuſcipientibus, gratia Dei veriſſime conferatur, fiatque honorabile connubium, & torus immaculatus, dum alter in alterius mutua benevolentia & caritate conquieſcit, atque alienos & illicitos amores penitus averſatur. Unde fit etiam ut matrimonii fructus liberorum procreatio conſequatur, qui veræ fidei & religionis cultores, atque parentum virtutis potius, quam fortunarum heredes exiſtant. Hanc tamen gratiam hiſce præpoſteris perditiſque temporibus non ita uberem conferri mirandum non eſt, cum major hominum pars nihil aliud ſibi ferme proponat, quam ut pecudum more, fœdas cupiditates expleat, vel divitias & opes augeat, nulla propemodum virtutis & morum habita ratione, perinde ac ſi, aut in ſola voluptate, aut in amplis poſſeſſionibus felicitas humana conſiſteret. Cum tamen par eſſet hujuſmodi homines, ad divinam gratiam promerendam, caſtiſſimorum & innocentiſſimorum conjugum Tobiæ & Saræ ſanctimoniam pudicitiamque religioſe imitari. Sed cum præterea in matrimoniis contrahendis atque celebrandis multa præpoſtere ac perperam gerantur, hominum vitio vel etiam ſuperſtitione introducta, quibus curandis atque ſanandis optima, eaque peropportuna remedia concilium Tridentinum attulit. Idcirco ſacri ipſius concilii decreta hic eſſe proponenda, & in omni noſtra provincia in poſterum ſervanda ſtatuimus. Ea vero ſunt ejuſmodi.

Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos ſancta ſynodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, quique falſo affirmant, matrimonia a filiisfamilias, ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe: nihilominus ſancta Dei eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. Verum cum ſancta ſynodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodeſſe, & gravia peccata perpendat, quæ ex iiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum, relicta priore uxore, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco ſacri Lateranenſis concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo præcipit, ut in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus feſtivis in eccleſia, inter miſſarum ſolennia publice denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie eccleſiæ procedatur, ubi parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tres præceſſerint denunciationes: tunc vel una tantum denunciatio fiat: vel ſaltem parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denunciationes in eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio ſancta ſynodus relinquit. Qui aliter, quam præſente parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius parochi, ſeu ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat. Inſuper parochum vel alium ſacerdotem, qui cum minori teſtium numero, & teſtes, qui ſine parocho vel ſacerdote, hujuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes, graviter arbitrio ordinarii puniri præcipit.

Præterea eadem ſancta ſynodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem, in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: ſtatuitque benedictionem a proprio parocho fieri: neque a quoquam, niſi ab ipſo parocho, vel ab ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii ſacerdoti concedi poſſe, quacumque conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante. Quod ſi quis parochus, vel alius ſacerdos, ſive regularis, ſive ſæcularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parochiæ ſponſos ſine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur.

Habeat parochus librum, in quo conjugum & teſtium nomina, diemque & locum contracti matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Poſtremo ſancta ſynodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum pie accedant.

Si quæ provinciæ, aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & ceremoniis, hac in re utuntur, eas omnino retineri, ſancta ſynodus vehementer optat. Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum poterunt, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum diœceſum parochialibus eccleſiis: idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat: deinde vero, quoties expedire viderint. Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque parochia ſuum robur, poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ, numerandos.

Nos ergo cum decretum hujuſmodi, ut par eſt, obſervari maximopere velimus, parochis omnibus præcipimus, ut ter quaterve diverſis diebus, quibus in eccleſiam major frequentia populi ad ſacra myſteria convenire ſolet, de-

cre-

cretum illud palam & manifeſte legant, ne qua poſſit ab ullo ignorationis excuſatio legitima prætendi: ſed & primo quoque dominico die cujuſque menſis hujuſce anni, ac deinceps cum expedire videbitur, idem hoc decretum publice recitent, & quæcumque in eo præſcripta ſunt, ſequantur accuratiſſime. Alioqui noſtro & coepiſcoporum arbitrio ſibi mulctam irrogandam eſſe meminerint.

Ab adventu domini uſque ad epiphaniam, & a feria quarta cinerum ad octavam paſchatis, nullæ nuptiæ ſolennes celebrentur, quæ reliquis, extra iſta, temporibus permittuntur.

Benedictionem nuptialem in facie eccleſiæ ante vel poſt miſſarum celebrationem, a quarta hora matutina, uſque ad meridiem fieri præcipimus: poſt prandium vero, aut noctu celebrari vetamus.

Ut autem obviam eatur fraudibus erronum, & vagorum quorumdam hominum, qui plures in diverſis locis uxores ducere tentant: parochis omnibus prohibemus, ne hujuſmodi vagos & ignotos homines ad matrimonium recipiant, niſi prius diligentem de iis inquiſitionem fecerint, & re ad ordinarium delata, facultatem ab eo illos admittendi obtinuerint.

Moneantur quam ſæpiſſime fideles Chriſtiani a ſuis parochis, ne hæreticis, & hominibus a fide & religione catholica alienis, filios & filias ſuas in matrimonium collocent: talibus enim conjugiis (quod dolentes referimus) permulti naufragium fidei fecerunt.

Contra maleficia, quæ in celebratione nuptiarum nonnunquam exercentur, parochi admoneant conjuges, quemadmodum eadem Tridentina ſynodus eos adhortatur, ut antequam contrahant, vel triduo ſaltem priuſquam ad matrimonii uſum accedant, ſua peccata diligenter confiteantur, & ſacroſancto euchariſtiæ ſacramento communicent. Hujuſmodi namque maleficia & præſtigiæ, ſæpe contrahentium vitio, Deo ita permittente, vim habent: ut qui indigne, vel etiam ſuperſtitioſe, aut intemperanter hoc ſacramentum ſuſcipiunt meritas flagitii ſui pœnas luant, & ſacramenti gratia priventur, qui eo non tanquam ſacramento ſancte ac reverenter utuntur.

Matrimonium inter conſanguineos ad quartum uſque gradum incluſive, a ſacris canonibus prohibetur: frater & ſoror in priori gradu numerantur, filii eorum in ſecundo, nepotes & neptes in tertio, pronepotes vero & proneptes in quarto.

Si quis tamen in primo, ſecundo, tertio, quartove gradu exiſtens, eam ducat, quæ in quinto ſit gradu, legitimum eſt eorum matrimonium: nam gradus remotioris potiſſimum ratio habetur.

Cognatio quoque & affinitas ſpiritalis impedit matrimonium, quæ quidem in baptiſmo, ut jam dictum eſt, contrahitur inter baptizantem & baptizatum, ac utrumque baptizati parentem: inter ſuſceptores & ſuſceptum, ac etiam ejuſdem patrem & matrem.

Ea autem cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem ac tenentem ſeu patrinum non egreditur.

Impedimentum vero, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringitur.

Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, S. ſynodus Tridentina ſuſtulit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedunt.

*De epiſcopis:*

## XVI.

CUM vita epiſcopi, forma & exemplum totius gregis eſſe debeat, ut accurate uterque apoſtolus præcipit, in primis eos curare oportet, qui hoc ſacrum myſterium ſuſcipiunt, ut ita ſobrie, caſte ac pie vivant, moreſque ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis virtutum & bene vivendi exempla petere poſſint: aſſidue memores, non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, ſed ad labores & ſollicitudines, pro Chriſti grege ſibi commiſſo, ad Dei gloriam ſuſcipiendas vocatos eſſe.

Quapropter exemplo patrum concilii Carthaginenſis, merito & pie juſſit ſancta ſynodus Tridentina, ut epiſcopi ſupellectili, & menſa frugali contenti ſint, atque adeo in reliquo vitæ genere, ac tota familia caveant, ne quid appareat, quod ab hoc ſancto inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, pietatem, divini cultus ardorem, & vanitatis mundique contemptum præ ſe ferat.

Sint etiam de domeſticorum moribus & vita ſolliciti, nec ex alienis vitiis turpem contrahant infamiæ notam, curentque ut ex famulis, qui laici fuerint, veſtitu moderato & decenti utantur.

Ad excludendum autem fabulas & vana colloquia, lectio ſacrarum ſcripturarum menſæ adhibeatur, quæ, dum corpus alitur, ſua quoque animo alimenta ſuppeditet.

In ſacrarum literarum meditatione, & in his quæ ad creditum ſibi munus ſpectant, aſſidue verſentur. A ſæcularibus autem & prophanis negotiis, & omnibus, quæ ordini officioque ſuo non conveniunt, penitus abſtineant.

Sciant autem omnino eis interdictum, ne ex redditibus eccleſiæ, qui Dei proprii ſunt, conſanguineos familiareſque ſuos locupletiores efficiant, cum apoſtolorum canonibus id adverſetur. Si tamen illi rerum penuria premantur, iis ut pauperibus, quæ neceſſaria videbuntur, diſtribuant, dummodo nihil ipſorum cauſa diſſipent, vel diſtrahant.

Sciant omnes, qui ad dignitatem epiſcopalem fuerint electi, ex decreto ſancti concilii Tridentini, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem ſe teneri. Quod ſi infra totidem menſes id facere neglexerint, ipſo jure eccleſiis privatos eſſe. Conſecratio vero, ſi extra Romanam curiam fiat, in eccleſia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, ſi commode fieri poſſit, celebretur.

Nulli deinceps epiſcoporum ſint vicarii, quin re ipſa ſint ſacerdotes. Qui autem hac vice fungentes adhuc in inferioribus ordinibus ſunt conſtituti, ad ſacerdotii gradum intra annum promoveantur. Alioqui ad vicariatus adminiſtrationem inhabiles cenſeantur.

Ut autem in poſterum felicius, quam antea, præ-



ſertim ex quo ſublatæ fuerunt electiones, eccleſiis cathedralibus & monaſteriis provideatur, regem Chriſtianiſſimum per viſcera miſericordiæ Dei, ac per Chriſti ſanguinem obſecramus atque obteſtamur, ut pro ſua in Deum ſingulari pietate, ad ipſius Dei gloriam, & eccleſiæ utilitatem, necnon ad exolvendam maxima religione conſcientiam ſuam, facultatem eligendi idoneos & utiles paſtores eccleſiæ reſtituat.

*De capitulis & canonicis eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum.*

## XVII.

QUONIAM dignitates in eccleſiis, præſertim cathedralibus, ad conſervandam augendamque eccleſiaſticam diſciplinam fuerunt inſtitutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliiſque exemplo in omni genere virtutum eſſent, atque epiſcopos opera & officio juvarent: merito qui ad eas aſſumuntur, tales eſſe debent, qui ſuo muneri plene ac integre reſpondere poſſint.

Proinde ſacra Tridentini concilii decreta recolentes ſtatuimus, ut nemo deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ætatis annum attigerit, & in clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, & morum integritate commendetur.

Nemo etiam in poſterum eccleſiis cathedralibus, ad canonicatum aut dignitatem admittatur, niſi eo ordine ſacro, quem illa dignitas, aut præbenda requirit, jam ſit initiatus, aut ejus ætatis ſit, ut infra annum initiari valeat: & quouſque ad ordines ſacros promotus fuerit, in inferioribus chori ſubſelliis ſedeat, neque in capitulo ſuffragium habeat, aliaſque pœnas ſubeat, juxta conſtitutionem concilii Viennenſis, in concilio Tridentino innovatam: quæ conſtitutio in aliis quoque collegiatis eccleſiis, nedum in cathedralibus obſervetur: nec deinceps ad dignitates, quibus nulla animarum cura ſubeſt, in cathedralibus, collegiatiſque eccleſiis aliquis clericus, licet alioquin idoneus adſciſcatur qui vigeſimum ſecundum ætatis ſuæ annum non exegerit.

Recepti vero canonici, vel ad dignitates admiſſi, qui jam ſunt in ea ætate, ut promoveri poſſint, moneantur, ut intra tempus ipſis a jure præfixum, ordinibus ſacris requiſitis initientur. Quod ſi monitioni parere neglexerint, hoc tempore elapſo, ſuarum præbendarum vel dignitatum fructibus per capitulum juxta ſacrorum canonum ſanctiones priventur.

In omnibus vero eccleſiis cathedralibus, omnes canonici, & alii officio divino addicti, ſint vel presbyteri, vel diaconi, vel ſubdiaconi. Epiſcopus autem ex conſilio capituli ſtatuat, quot presbyteros, diaconos, & ſubdiaconos quæque ſua eccleſia habere debeat; ita tamen ut dimidia ſaltem pars presbyterorum ſit. Ubi vero conſuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes ſint presbyteri, omnino ſervetur.

Non liceat iis, qui in eccleſiis cathedralibus, aut collegiatis, dignitates, canonicatus, & præbendas obtinent, cujuſlibet ſtatuti aut conſuetudinis ratione ac prætextu, ultra tres menſes ab eiſdem eccleſiis abeſſe: nihil tamen propterea detrahi volumus iis conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.

Diſtributiones ii tantum percipiant, qui ſtatis horis divino officio interfuerint: reliqui vero (niſi quos infirmitas ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens eccleſiæ utilitas excuſat) iiſdem priventur, quantumvis obſtent quælibet ſtatuta & conſuetudines contrariæ.

In iis vero eccleſiis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcumque proventuum & obventionum tam dignitatum, quam canonicatuum, perſonatuum, portionum & officiorum in eas convertatur, atque inter eos dumtaxat, qui divinis intererunt, diſtribuatur. Si quis tamen eorum, qui dignitates obtinent, quibus de jure vel antiqua conſuetudine, nullum competit officium, ſed extra civitatem curam habent animarum, eidem incumbere velit, tunc pro tempore, quo in curata eccleſia reſederit ac miniſtrarit, prædictarum diſtributionum fiat particeps, ac ſi præſens ſit, ac divinis interſit.

Archidiaconi vero, & ceteri omnes, qui dignitates, perſonatus & officia, in eccleſiis cathedralibus & collegiatis obtinent, quibuſque aliqua juriſdictio, adminiſtratio vel officium proprium attributum eſt, ad reſidentiam & muneris ſui functionem, per amiſſionem fructuum, vel etiam privationem ipſarum dignitatum, perſonatuum & officiorum ab ordinariis compellantur.

Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo conſecratis, quos maxime puritas, ſanctitaſque decet, longiſſime arceatur, non liceat clericorum filiis, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in eccleſiis, ubi eorum patres præbendam, beneficium, vel officium aliquod eccleſiaſticum habent, vel habuerunt, quodcumque etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in iis eccleſiis, quomodocumque miniſtrare, nec penſiones ex fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, percipere.

In choro colloquia nulla permittantur, ſed omnes pie ac devote divino cultui ſint intenti. Qui contra fecerit, niſi monitus quieſcat, privetur ejus horæ diſtributione, vel graviore pœna mulctetur.

Dum pſallitur, canonici omnes & ſacellani (niſi per invaletudinem aut aliam legitimam cauſam impediantur) pſallant, nec maneant in ſuis ſedibus otioſi: neve putent ſe officio functos, ſi vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent.

Preces & divina officia non curſim & feſtinanter, ſed devote, attente & graviter in choro omnes recitent, perpetuo memores tremendæ illius prophetæ ſententiæ: Maledictus qui facit opus Dei negligenter.

Eccleſiarum cathedralium vel collegiatarum canonici, ac eiſdem eccleſiis inſervientes, almucis & cappis nigris, quas canoniales vocant, aliiſque veſtibus & ornamentis, quibus pro tempore de jure vel antiqua conſuetudine veſtiri debent, induantur & ornentur. Alioqui diſtributionibus quotidianis priventur, aut gravius, ſi contumacia acceſſerit, puniantur.

Ut autem offenſiones & ſcandala, quæ ex contubernio, atque convictu hominum eccleſiaſticorum cum laicis, præſertim matrimonio junctis,

ANNO CHRISTI 1583.

ctis, oriri ſolent, tollantur : nec liceat canonicis, qui domos canoniales habent, in ædibus laicorum habitare, nec quas habent a capitulis ullo modo illis locare.

*De parochis.*

XVIII.

PAROCHI, qui in partem ſolicitudinis & gubernationis eccleſiarum ab epiſcopis vocantur, diligenter muneri ſuo attendere debent, non ignari præcipuas officii ſui eſſe partes populum in Dei lege atque voluntate inſtruere, ſacramentis eccleſiaſticis reficere atque communire, ſacras ad Deum pro eo preces fundere, & laudabilis vitæ exemplo viam ſalutis præmonſtrare.

Sciant igitur parochi ad officium ſuum pertinere per ſe vel alios, ſi legitimo præpediti fuerint impedimento, populum ſibi commiſſum ea omnia docere, quæ quilibet fidelis Chriſtianus credere, facere, & ſperare tenetur ad æternam gloriam conſequendam. Quæ omnia potiſſimum ſymbolo fidei, decalogo, atque præceptis eccleſiæ, & oratione dominica comprehenduntur.

Proinde præcipimus iiſdem, ut ſingulis diebus dominicis Latine ſymbolum fidei, dominicam precationem, ſalutationem angelicam, decalogi & eccleſiæ præcepta, & confeſſionem generalem, ita clare & diſtincte pronuntient, ut populus ſingula eorum verba percipiat, & pronunciando facile ſubſequi poſſit, eadem ſubinde planius, & latius vernacule interpretando.

Iidem quoque parochis injungimus, ut frequenter etiam ſingulos moneant, teneri eos, hæc ſcire & intelligere : atque in idipſum incumbant confeſſores crebro pœnitentibus fidei rudimenta in memoriam reducendo : eos vero, qui hæc diſcere neglexerint, tanquam propriæ ſalutis immemores admonere, & graviter objurgare non ceſſent.

Parochi etiam ſingulis feſtis diebus aliquid ex catechiſmo Tridentino (quem Latine & Gallice auctoritate noſtra editum penes ſe habere ipſis injungimus) populo proponant de iis rebus, quas noſſe Chriſtianorum omnium intereſt : ut ſciant fideles quid complectantur articuli fidei, quid contineat decalogus, quid ipſi petant orationem dominicam recitantes, quis ſacramentorum ſit numerus, quæ vis eorumdem ac poteſtas & quis effectus.

Priuſquam etiam populo ſacramenta miniſtrent, eorum vim & uſum, pro captu fidelium exponant, ut ſciant quid ſuſcipere, & quem inde fructum referre debent.

Obſervent inſuper ſui gregis vitia, & communia vel propria cujuſque peccata, iiſque corrigendis cum omni manſuetudine & caritate, cum publice omnes, tum privatim ſingulos admonendo, diligentiam adhibeant.

[illegible] contentione diſcordes fuerint, vel odia [illegible] ſuſceperint, aut ſimultates exercuerint, [illegible] eos quam primum ad pacem & fraternam concordiam revocare.

Inquirant [illegible] ſtudioſe de pauperibus ſuæ parochiæ, [illegible] nubilibus, de viduis, [illegible] pupillis, ægrotis, ſenio confectis, [illegible] temporali vel ſpirituali miſericordia [illegible] pro viribus [illegible]

A exemplo atque hortatu ad id officium incitare ſtudeant.

Ut autem de ſuis ovibus rationem, cum neceſſe fuerit, reddere poſſint, ſingulis annis quatuor libros ſeu indices conficiant.

In quorum uno baptizatorum & ſuſcipientium parentumque nomina cum die & anno deſcribant.

In altero contineantur omnes, qui ſtatuto ab eccleſia tempore ad confeſſionem & communionem venerint.

In tertio recenſeantur, qui matrimonium in facie eccleſiæ contraxerint, ſecundum formam ſacri concilii Tridentini.

In quarto mortui & ſepulturæ Chriſtianæ traditi enumerentur.

Diligenter vero ſervare ſtudeant, quæ antea præſcripta ſunt de celebratione matrimonii.

Ubi vero parochialium eccleſiarum fructus adeo ſunt tenues & exigui, ut ad vitam rectorum ſuſtentandam minime ſufficiant, curabunt epiſcopi ex præſcripto & auctoritate SS. conciliorum, alia quæcumque beneficia, modo non ſint regularia, hujuſmodi eccleſiis annectere, & incorporare, vel viciniores etiam parochiales eccleſias unire.

Quod ſi ea ratione illis conſuli non poſſit, iidem epiſcopi efficient, ut vel per primitiarum aſſignationem, vel competentis & congruæ portionis ex omnibus æque decimis, quæ in illis parochiis colliguntur, conſtitutionem, aut per parochianorum ſymbola ac collectas, aut qua commodiori eis videbitur ratione, ita earumdem eccleſiarum redditus augeantur, ut rectorum neceſſitatibus ſufficiant.

*De paſtorum reſidentia.*

XIX.

BONI paſtoris munus eſt gregem ſuum agnoſcere, eumdemque paſcere, & ab injuria prohibere : quod minime facere poſſunt, quos contingit ab ovium ſuarum caulis diutius abeſſe. Merito itaque S. ſynodus Tridentina veterum patrum decreta innovans ſanxit, omnes eccleſiarum cathedralium præfectos præſentes ſuis eccleſiis & diœceſibus adeſſe, ac in eiſdem reſidere debere : neque ab eiſdem, niſi ex cauſa neceſſaria, & ob evidentem eccleſiæ utilitatem, quæ a metropolitano, vel eo abſente, ab antiſtite antiquiore, ſyngrapha ſeu ſcripto approbetur, abeſſe poſſe. Eos autem, qui præter cauſas ab eodem concilio expreſſas, abfuerint, præter mortalis peccati crimen, quod incurrunt, pro rata portione abſentiæ, fructus eccleſiarum, quibus præeſſe deberent, percipere non poſſe, ſed eos in fabricæ utilitatem, vel pauperum uſum conferendos eſſe.

Nos igitur cum tam ſalutare & neceſſarium decretum aliaque generis ejuſdem, ad quorumcumque paſtorum aſſiduitatem ſeu reſidentiam pertinentia, velimus in noſtra provincia diligentiſſime obſervari, ſtatuimus ut qui provinciæ noſtræ epiſcopi, in eccleſiis ſuis non reſederint, atque legitimam abſentiæ cauſam metropolitano, vel antiquiori epiſcopo non probaverint, teneantur fructus temporis, quo abfuerint, in inſtaurationem eccleſiarum, ſi quæ deſtructæ fuerint, vel ſi integræ, partim in fabricæ utilitatem, partim in pauperum & ſeminariorum uſus ſine ulla diminutione impendere.

Quæ omnia ut ſine ulla dilatione & fraude fiant,



ANNO CHRISTI 1583.

fiant, ſtatuimus, ut ſingulis ſex menſibus capitulum cujuſque eccleſiæ metropolitanum, vel eo abſente, antiquiorem provinciæ epiſcopum, de abſentia ſui epiſcopi certiorem faciat.

Eadem omnino etiam, quoad culpam, & amiſſionem fructuum, de parochis & aliis quibuſcumque beneficium eccleſiaſticum, cui adjuncta eſt animarum cura, obtinentibus, declaramus atque decernimus. Ita tamen ut quandocumque ii, cauſa prius per epiſcopum cognita & probata, abfuerint, vicarium idoneum ab ipſo ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi vero facultatem, quæ ſcripto conſtet, gratiſque concedatur, ultra bimeſtre ſpatium, niſi gravior cauſa longiorem temporis prorogationem poſtulet, nequaquam obtineant.

Quoniam vero complurium ea eſt contumacia, ut neque SS. conciliorum decretis, neque epiſcoporum ſuorum edictis moniti adduci poſſint, ut in eccleſiis, quarum fructus injuſte percipiunt, reſideant : ſtatuimus, ut epiſcopi ſtatim ſingulos quoſque, qui in ſuis civitatibus & diœceſibus beneficia curæ annexa tituli nomine ſeu commendæ jure obtinent, ſive præſentes ſint, ſive abſentes, moneri & per edictum citari quam primum curent : ut ad certum tempus pro locorum diſtantia & perſonarum conditione præſtituendum ad eadem beneficia revertantur, ibique continuo reſideant, & munere ſuo, ut par eſt, fungantur, & contra contumaces ad pœnarum executionem, prout ſacris Tridentini concilii decretis ſancitum eſt, diligenter procedant, eoſdem per cenſuras eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam uſque ad privationem ad debitam reſidentiam compellendo. Ubi vero legitime ad privationem deventum fuerit, alii idonei & benemeriti in eorum locum, ſervata præſcripti examinis forma, ſubſtituantur.

Epiſcopi etiam ceterique beneficiorum diſpenſatores atque largitores nulli deinceps beneficium curatum vel reſidentiam requirenti conferant, niſi præſtito prius per eum jurejurando ſe aſſiduum in eo futurum, ſemperque commoraturum.

*De verbi divini prædicatione.*

XX.

QUoniam inter præcipua epiſcoporum paſtorumque munia, jure verbi divini prædicatio numeratur, propterea auctoritatem ſancti concilii Tridentini, veterumque patrum ſecuti, RR. coepiſcopos noſtros imprimis monemus & hortamur, ut ipſimet in ſuis eccleſiis tam neceſſarium munus obeant, aut ſi in conſcientia vere præpeditos ſe noverint, viros idoneos probitate, doctrina & religionis ardore præſtantes, adſciſcant, qui ea in parte vices ſuas gerant.

Parochi & qui quomodo curam animarum impoſitam habent, ipſi etiam per ſe, vel ſi legitime impediti fuerint, per alios, ſaltem omnibus diebus dominicis, ſolennibus diebus feſtis, populum ſibi commiſſum pro ſui ingenii viribus & auditorum captu, erudire ab epiſcopis ſuis compellantur.

Sed quoniam plerique parochi, aut ipſorum vicarii minus apti ſunt, & idonei ad ea meditanda & proponenda, quæ ad plebis inſtitutionem faciunt, idcirco ſtatuimus, ut ſinguli rectores & vicarii eccleſiarum hujus provinciæ, aliquem

librum lingua Gallica editum a nobis & RR. coepiſcopis noſtris approbatum penes ſe habeant, in quo evangelia totius anni, & rationes adminiſtrandorum ſacramentorum explicentur, ut in eo publicis denunciationibus, ſeu pronis miſſarum, & in adminiſtrandis ſacramentis uti poſſint, tantiſper dum a nobis, decreta hujus ſynodi homiliarius liber publicetur.

Præcipimus autem omnibus parochis & vicariis eccleſiaſticis, quicumque tandem fuerint, ut, editis in lucem illis homiliis & concionibus, ex ſcripto in pronis recitent diebus dominicis ac feſtis ſolennibus homiliam officio diei propriam, & accommodatam.

Cum autem ex evangelica & apoſtolica doctrina, nullus, niſi legitime miſſus, verbum Dei prædicare poſſit, ac debeat : quandoquidem ipſe Chriſtus non niſi a patre miſſus, neque apoſtoli, niſi ex inſtituto Chriſti atque præcepto id munus ſuſceperunt : proinde nos evangelicæ & apoſtolicæ regulæ innitentes ſtatuimus, atque præcipimus, ne quis, ſive ſit ſæcularis, ſive regularis publice ad populum verba facere de religione audeat, niſi ab epiſcopo facultatem & mandatum id ſpeciatim munus obeundi in ſcriptis habuerit.

Quinimo vetamus, ne quis parochus aut vicarius in poſterum ex ſuo ingenio concionari & evangelium interpretari præſumat, antequam a ſuo epiſcopo examinatus, ad id idoneus repertus fuerit, & in ſcriptis expreſſam concionandi licentiam habuerit. Sed illis ſatis ſit, homilias a nobis & coepiſcopis noſtris approbatas, ex ſcripto, populo recitare.

Interea vero dum paſtores & parochi ſinguli in ſuis eccleſiis reſidere compellentur, & ſacerdotes ad divini verbi prædicationem idonei omnes efficientur, ſubſidioque quod ex ſeminariis expectatur, juvari poterit eccleſia, ſtatuimus, ut quilibet epiſcopus in ſua diœceſi eligat quinque vel ſex aut plures, pauciореſve (prout magis expedire videbit) prædicatores, ſive ſæculares, ſive religioſos, quibus id oneris imponat, ut parochias obeuntes, ſinguli in eo archipreſbyteratu, vel parte diœceſis, quæ illis deſignabitur, fame propemodum enectas Dei oves ſalutari verbi divini pabulo reficiant.

Ad eas autem res conficiendas, atque alimenta prædicatoribus ſuppeditanda conſultiſſimum (omnibus approbantibus) viſum fuit, ut quod in communem vertitur utilitatem, communibus omnium impenſis efficiatur : atque ex ſingulis beneficiis, unus aut alter ſolidus, juxta ejus pecuniæ rationem, quæ regi ſubventionis nomine ſolvitur, deſumatur.

Poterunt tamen epiſcopi cum deputatis ſuæ diœceſis ſummam ſemel ad eam rem conſtitutam augere vel minuere, prout ipſis opportunum & neceſſarium videbitur.

Quod autem ad rationes diſtribuendæ & exigendæ ejuſmodi pecuniæ attinet, epiſcopus providebit ex conſilio duorum canonicorum, quorum alterum ipſe eliget, alterum vero canonici in capitulum convocati, itemque ex conſilio duorum aliorum, qui e clero civitatis erunt, quorum quidem alterius ſimiliter ad epiſcopum, alterius vero ad clerum electio pertineat.

Caveant ſummopere prædicatores, ne in ſuis concionibus fabulas, jocos, dicteria, & ſcommata, quibus riſum excitetur, intermiſceant : concionatoris enim eſt, non riſum movere, ſed lacrymas auditoribus excitere.

Videant etiam ne concionando aliquid con-

ANNO CHRISTI 1583.

tumelioſe adverſus præfectos eccleſiaſticos & civiles magiſtratus, unde in odium & contemptum apud populum adducantur, proferant: quin potius auditores moneant, ut præpoſitis etiam dyſcolis pareant & obediant, a Deo aſſiduis precibus efflagitantes, ut eorum animos ad ſui officii & miniſterii partes omnes ad Dei gloriam & populi ſui ſalutem obeundas excitare & impellere, pro ſua in gregem ſuum pietate & miſericordia, velit.

*De vita & moribus clericorum.*

## XXI.

QUANTO quis honoris gradu atque dignitate præſtat, tanto ceteris omni genere virtutum debet excellere. Ejus enim vita omnium oculis ſic expoſita eſt, ut inde bene vel male vivendi communiter exempla duci ſoleant. Ex quo, ut vitioſi principes, ſic flagitioſi ſacerdotes, pernicioſe de republica merentur, quod non ſolum, uti recte quidam ait, vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem: neque ſolum obſunt, quod illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo, quam peccato nocent: præterquam quod efficiunt, ut ipſorum dignitas per ſe præclara atque laudabilis, odio atque contemptui apud impium vel malitioſum hominum genus habeatur. Ideoque clerici, qui in ſortem domini vocati ſunt, non ſolum ab omni vitiorum turpitudine longiſſime abeſſe, ſed etiam omni virtutum genere ornari debent, ſpectaculum facti (ut ait apoſtolus) mundo, angelis, & hominibus, nemini dantes ullam offenſionem, ne vituperetur ipſorum miniſterium, ſed in omnibus exhibentes ſemetipſos ſicut Dei miniſtros.

Clericos geſtu, vultu, habitu, & veſtitu, ſtatum & ordinem ſuum profiteri decet. Quapropter omnibus, qui ſacris ordinibus initiati ſunt, vel qui beneficia eccleſiaſtica etiam ſimplicia obtinent, præcipimus, ut intra menſem, poſt harum conſtitutionum promulgationem, tonſuram & habitum clericalem, ordini ſuo atque dignitati congruentem gerant: alioqui mulctentur privatione reddituum eccleſiaſticorum illius anni, quos epiſcopus pro ſuo arbitratu piis rebus attribuet.

Veſtes eorum ſint talares, neque foris, neque domi veſtimento aut ornamento ullo ſerico, alteriuſve, quam nigri coloris, niſi cauſa dignitatis id eis liceat, ullo modo utantur.

Induſia ad collum & ad manus criſpata, & in multiplices ſinus contracta, aut arte elaborata ne deferant: nec caligis tumentibus ac diſſectis, aut ſerico ornatis utantur.

Denique in omni veſtitu & habitu clericali, nec affectata & immoderata cultus & elegantiæ diligentia, nec ſordes, & nimis abjecta incuria appareant.

In inceſſu quoque modeſtia, & mentis maturitas appareat: incondita enim & levis compoſitio corporis, animi incompoſiti & male ſedati indicium eſt.

Clerici numquam perſonati incedant, neque comœdias, fabulas, choreas, vel quid aliud ludicrum, ex iis quæ ab hiſtrionibus exhibentur, agant, vel ſpectent, ne viſus & obtutus ſacris myſteriis dicati, turpium ſpectaculorum contagione polluantur.

Ab alea, teſſeris, [illegible] publice penitus abſtineant. Comeſſationibus & minus honeſtis conviviis numquam interſint: forum, mercatus, andronas fugiant: nec tabernas & diverſoria, niſi longioris itineris neceſſitate, unquam ingrediantur.

Ab omni quoque turpi & vili miniſterio abſtineant. Ideoque nemo clericus in ſacris conſtitutus, vel beneficiatus, miniſter laicorum fiat, nec in rebus eorum procurator, aut diſpenſator exiſtat, nec in alicujus familia auceps, venator, promus, cellarius, coquus, feminarumve aſſecla ſit, neve aliud eccleſiaſtica dignitate indignum, & a jure clericis interdictum miniſterium exerceat. Qui vero monitus a talibus non deſtiterit, excommunicetur, aliiſque pœnis canonicis puniatur.

Profanis item & ſæcularibus negotiis nullo modo ſeſe immiſceant, negotiationem fugiant, & prædia aliena lucri cauſa ne conducant, nulloque pacto mancipes exiſtant.

Avaritiam, ſtudiumque pecuniæ, quaſi matrem omnium criminum vitent, honorum gradus per ambitionem non ſubeant: dolos & conjurationes atque perjuria caveant: odium, invidiam, lites, jurgia, æmulationes atque obtrectationes fugiant: fœdam & illiberalem aſſentationem deteſtentur. Non ſint ſcurræ, non paraſiti, non faceti & dicaces, neque profanis & ſæcularibus ineptiis riſum ulla ratione captent, obſcœnitatem verborum ſicut & operum execrentur. Superioribus, & ſenioribus debitam exhibeant reverentiam & honorem, neque ullo jactantiæ ſtudio ſe attollant. Poſtremo omni ſtudio & doctrina, pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, jugi exercitatione incumbant. Tales enim debent eſſe, qui divino cultui & eccleſiaſticis miniſteriis exercendis ſe dignos exhibeant, ut dum ſcientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis adminiſtrent.

Ante omnia vero munditiam cordis & caſtitatem corporis tanquam proprium & præcipuum clericorum ornamentum omni ſtudio ſervare ſtudeant, & ab omni fornicationis & incontinentiæ ſuſpicione famam ſuam integram, liberamque cuſtodiant.

Nec concubinas aut alias mulieres, de quibus propter ætatem, inverecundiam, aut anteactæ vitæ turpitudinem ſiniſtra ſuſpicio poſſit haberi, in domo vel extra detinere, aut cum illis ullam conſuetudinem habere audeant: alioquin pœnis a ſacris canonibus vel ſtatutis eccleſiarum impoſitis puniantur.

Quod ſi a ſuperioribus moniti ab iis ſe non abſtituerint, tertia parte fructuum beneficiorum ſuorum & penſionum ipſo facto ſint privati; quæ fabricæ eccleſiæ, aut alteri pio loco, arbitrio epiſcopi applicetur.

Si vero in eo delicto perſeverantes ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ſuorum beneficiorum & penſiones eo ipſo amittant, ſed etiam a beneficiorum adminiſtratione, quoad ordinario videbitur, ſuſpendantur.

Quod ſi ita ſuſpenſi, nihilominus hujuſmodi mulieres non expellant, aut cum iis verſentur, tunc beneficiis, portionibus, officiis, & penſionibus quibuſcumque perpetuo priventur: atque inhabiles ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in poſterum reddantur, donec per manifeſtam vitæ emendationem a ſuis ſuperioribus gratiam meruerint obtinere.

Sed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, inter-



ANNO CHRISTI 1583.

miſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi mali nominis ac famæ mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio ab epiſcopis, ad quos prædictorum omnium cognitio ex ſancti concilii Tridentini auctoritate tantum pertinet, feriantur.

*De examine promovendorum ad beneficia curata.*

## XXII.

SALUS gregis eſt integritas paſtoris: nihil enim eſt quod eccleſiæ Chriſti magis noceat, quam cum homines indigni, ad animarum curam, & eccleſiaſtica munia admittuntur. Quare pie ac ſalutariter, cum olim a ſanctis patribus, tum nuper ab iis, qui ſancto concilio Tridentino interfuerunt, ſtatutum fuerit, ut beneficia eccleſiaſtica, idoneis tantum hominibus, qui ſuum officium rite obire ſcirent ac vellent, conferrentur, nec beneficium ullum eccleſiaſticum, cui animarum cura incumberet, alicui, niſi prius diligenti de ejus vita, moribus & doctrina, inquiſitione & examinatione habita, juxta formam ab eadem ſynodo præſcriptam, & a nobis hic additam committeretur: quam quidem formam in ſingulis noſtræ provinciæ diœceſibus ex communi RR. coepiſcoporum noſtrorum ſententia & conſenſu plane & integre ſervandam ſtatuimus. Collationes vero beneficiorum, proviſiones, & inſtitutiones ſecus factas, jam ex hoc tempore nullas & irritas eſſe, beneficiaque curata contra eamdem formam collata, donata & aſſignata, ipſo jure vacare, ex conſtitutione ſanctæ memoriæ Pii V. declaramus. Canon autem Tridentinæ ſynodi hujuſmodi eſt:

Expedit maxime animarum ſaluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur ſtatuit ſancta ſynodus, ut cum parochialis eccleſiæ vacatio, etiamſi cura eccleſiæ vel epiſcopo incumbere dicatur, & per unum vel plures adminiſtretur, etiam in eccleſiis patrimonialibus, ſeu receptivis nuncupatis, in quibus conſuevit epiſcopus uni vel pluribus curam animarum dare: quos omnes ad infraſcriptum examen teneri mandat, per obitum, vel reſignationem, etiam in curia, ſeu aliter, quomodocumque contigerit, etiam ſi ipſa parochialis eccleſia reſervata, vel affecta fuerit generaliter vel ſpecialiter, etiam vigore indulti, ſeu privilegii in favorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, ſeu abbatum, vel capitulorum: debeat epiſcopus ſtatim, habita notitia vacationis eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione conſtituere, qui onera ipſius eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de rectore provideatur.

Porro epiſcopus, & qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet.

Liberum ſit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut poſſit poſtea de cujuslibet ætate, moribus, & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Et ſi epiſcopo, aut ſynodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari.

Tranſacto conſtituto tempore, omnes qui deſcripti fuerint, examinentur ab epiſcopo, ſive eo impedito, ab ejus vicario generali, atque ab aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus, quorum votis, ſi pares, aut ſingulares fuerint, accedere poſſit epiſcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur.

Examinatores autem ſingulis annis in diœceſana ſynodo ab epiſcopo, vel ejus vicario ad minus ſex proponantur, qui ſynodo ſatisfaciant, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet eccleſiæ, tres ex illis eligat epiſcopus, qui cum eo examen perficient: indeque ſuccedente alia vacatione, aut eoſdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat.

Sint vero hi examinatores, magiſtri ſeu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, ſeu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam ſæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad ſancta Dei evangelia ſe, quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros. Caveantque ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis nec ante, nec poſt accipiant: alioqui ſimoniæ vitium tam ipſi, quam alii dantes incurrant; a qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant; & ad alia in poſterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non ſolum coram Deo, ſed etiam ſynodo provinciali, ſi opus erit, rationem reddere teneantur: a qua ſi quid contra officium eos feciſſe compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri poſſint. Peracto deinde examine, renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem eccleſiam gubernandam opportunis: ex hiſque epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit: atque illi, & non alteri collatio eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre.

Si vero juris patronatus eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad epiſcopum, & non ad alium pertineat: is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cum vero inſtitutio ab alio, quam ab epiſcopo, erit facienda, tunc epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat. Quod ſi juris patronatus laicorum fuerit: debeat, qui a patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, ut ſupra, examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibuſque ſupradictis caſibus non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, juxta ſupradictam regulam, de eccleſia provideatur: nec prædictorum examinatorum relationem quo minus executionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad ſedem apoſtolicam ſive ejuſdem ſedis legatos, aut vicelegatos, aut nuncios, ſeu epiſcopos, aut metropolitanos, primates, vel patriarchas interpoſita, impediat aut ſuſpendat. Alioquin vicarius, quem eccleſiæ vacanti antea epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus deputavit, vel forſan poſtea deputabit, ab ejus eccleſiæ cuſtodia & adminiſtratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus & electus fuerit, ut ſupra, ſit proviſum: alias proviſiones omnes, ſeu inſtitutiones præter ſupradictam formam, factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur: non obſtantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis proviſionibus, indultis conceſſis quibuſcumque univerſitatibus, etiam ad certam ſummam, & aliis impedimentis quibuſcumque.

Si tamen adeo exigui reditus dictæ paro-

ANNO CHRISTI 1583.

chialis fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant: aut nemo ſit, qui ſe examini quærat ſubjicere: aut ob apertas factiones, ſeu diſſidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus poſſint excitari, poterit ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omiſſa, privatum aliud examen, ceteris tamen ut ſupra ſervatis, adhibere. Licebit etiam ſynodo provinciali, ſi quæ in ſupradictis circa examinationis formam addenda, remittendave eſſe cenſuerit, providere.

Ceterum prohibemus, ne pro literis collationum & inſtitutionum cujuſcumque beneficii tam ſcribæ, quam ſigilli nomine aliquid, præter duos aureos, accipere liceat.

Quoniam autem accepimus ut atteſtationum atque teſtificationum idoneæ qualitatis & conditionis eorum, qui beneficia poſtulant (quæ quidem teſtificationes ab officialibus epiſcoporum paſſim quibuſcumque hominibus, etiam indigniſſimis, ſine ullo præcedenti examine conceduntur) proviſiones & collationes eorumdem beneficiorum in curia Romana fieri: ad tollendum hujuſmodi abuſum, prohibemus epiſcoporum officialibus, indicta pœna privationis ſui officii, ne deinceps hujuſmodi atteſtationes ullo pacto concedant. Sanctiſſimum vero dominum noſtrum papam ſupplices rogamus, ut interdicat, ne in curia earum ulla ratio habeatur.

*De ſimoniatis & confidentiariis.*

XXIII.

INTER ea quæ jam pridem, ſed noſtris multo magis temporibus, univerſum eccleſiæ ſtatum conturbant ac convellunt, unum ſimoniæ crimen eſt præcipuum. Quemadmodum enim olim ob venditum ab Antiocho Jaſoni ſacerdotium, ignis qui ſeptuaginta annos Babylonicæ captivitatis ſub aqua vixerat, extinctus eſt: ita pluribus in locis hodie ob execrandam ſimoniæ pravitatem, eccleſiam Spiritus ſancti gratia & lumine orbatam videmus. Sed præter apertam illam ſimoniam, quæ palam & impudenter, fronte meretricia, poculum aureum manu geſtans, res ſacras omnes venales habet, fiduciariam quoque mancipationem, ſeu cuſtodiam beneficiorum, perniciosiſſimam eccleſiaſticorum bonorum labem ac ruinam, & plane certam ſimoniæ ſobolem atque propaginem latiſſime diffuſam magno cum animi dolore cernimus. Cum itaque hujuſmodi peſtem, quantum in nobis eſt, ab eccleſia exterminare, Deo adjutore, cupiamus, ſacris patrum decretis, ſummorumque pontificum conſtitutionibus, necnon declarationi nuper ab univerſo Galliæ clero in conventu *Meldenſi factæ inhærentes, declaramus non ſolum eos, qui pro adipiſcendis beneficiis eccleſiaſticis aliquid dant vel accipiunt, ſed etiam omnes qui quomodocumque conferunt & accipiunt quæcumque beneficia cuſtodiæ atque fiduciæ nomine, vel qui fructus & penſiones ex eiſdem, ſine ſummi pontificis auctoritate, percipiunt, ſimoniacos eſſe, ſummorumque pontificum conſtitutionibus ſuper his editis obnoxios eſſe. Quæ quidem hujuſmodi ſunt, ut beneficia pecunia & pacto obtenta, vel in confidentiam [illegible] tradita, jaceant, & qui eorumdem fructus percipiunt [illegible] non faciant. [illegible] vero [illegible] beneficia pretio vel [illegible] confidentiæ receperint, vel qui deinceps recipient, his & omnibus aliis beneficiis, adminiſtrationibus, & penſionibus careant: atque excommunicationis ſententia, niſi reſipiſcant, obſtricti declarentur, ac publice denuntientur. A qua niſi a ſummo pontifice, excepto mortis articulo, abſolvi nullo modo poſſint. Ne vero hujuſmodi criminis cuſtodiæ atque ſimoniæ gravitatem quiſquam in poſterum ignoret, ſtatuimus, ne ab epiſcopis aut eorum vicariis, ſeu quibuſcumque beneficiorum collatoribus ulli beneficium conferatur, aut confirmetur, niſi prius coram epiſcopo, atque deſignatis examinatoribus præſens, comparuerit, ut interrogetur, quibus modis & conditionibus proviſionem obtinuerit, eidemque gravitas ſceleris & pœnæ in hoc decreto comprehenſæ declaretur. Deinde juramentum ab eo divini judicii comminatione exigatur, num aliqua labes ſimoniaca, vel ulla de cuſtodia pactio, deque fructuum reſervatione aut penſione, citra auctoritatem ſummi pontificis perſolvenda, in hujuſmodi proviſione intervenerit: alias proviſiones fraudulentæ & ſurreptitiæ cenſeantur. Quod ſi adhuc poſt hæc adhibita remedia, nonnulli, quod abſit, inveniantur, qui mentiti ſint Spiritui ſancto, qui vel publica fama, vel legitimis conjecturis ac præſumptionibus (ut in hujuſmodi cauſis difficilis eſt plena probatio) de talibus criminibus ſuſpecti ſint: epiſcoporum vicarii ſeu officiales in eos diligentiſſime inquirant, ut, ſi in culpa eſſe deprehendantur meritis pœnis mulctentur. Crimínoſi etiam & ceteri omnes, qui ad perhibendum in caſibus ſimoniæ teſtimonium recipi poſſunt, itidem in caſibus confidentiæ, ad teſtificandum admittantur, & teſtes de quaque re ſingulares, ſingulas probare valeant præſumptiones & conjecturas, pluresque præſumptiones & conjecturæ plenam in prædictis probationem faciant.

*P. corrig. Melodunenſi. Melun.*

Statuimus præterea, ut qui ob hujuſmodi crimina infamiæ dedecus palam ſuſtinent, a ſingulis tam provincialibus, quam diœceſanis ſynodis, capitulis, monaſteriis: denique ab omni conventu & cœtu eccleſiaſtico, tamquam infamia notati, excludantur, donec hanc maculam eluerint.

Prohibemus ergo capitulis, abbatibus & prioribus, quantum in eis erit, ne hujuſmodi hominum genus in ſuis eccleſiis, capitulis, monaſteriis & conventibus eſſe patiantur.

Statuimus inſuper, ut parochi, eorumque vicarii ſingulis diebus dominicis, publica proni denunciatione una cum ſortilegis, præſtigiatoribus, incantatoribus, veneficis, & aliis hujuſmodi hominibus publica talium criminum ignominia notatis, ſimoniacos, confidentiarios, & ſimiles penſionum exactores ſacrilegos, nec minus conferentes, quam recipientes, excommunicatos denuntient.

Omnibus denique confeſſariis cujuſcumque ordinis ſint, injungimus, ut diligenter in audiendis confeſſionibus inquirant, num illi qui confiteantur, iis criminibus ſint affines, nec ullo modo eos, qui rei erunt, abſolvere præſumant, ſed ad ſedem apoſtolicam remittant.

Monemus etiam, & hortamur omnes epiſcopos, ne in ordinandis clericis, vel etiam in conſecrandis epiſcopis, manus iis imponant, ad quos hujus criminis ſuſpicio, & infamia pertinuerit.





ANNO CHRISTI 1583.

*De ſeminariis.*

XXIV.

UT vinea domini ex illius præcepto rite ſemper colatur, multaque meſſis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus eſt: quorum tamen non tam numerus, quam induſtria & virtus ſpectanda eſt. Paucos enim idoneos & probatos habere ſatius eſt, quam multos inutiles, atque adeo ipſo vitæ genere pernicioſos. Danda nihilominus opera eſt, ut & probi habeantur, & multi: cum ſatis conſtet, majora ex multis idoneis, quam ex paucis emolumenta percipi. Ut ergo talibus operariis numquam deſtituatur eccleſia, qui aliis in partem oneris viciſſim ſuccedant ſaluberrimo decreto a ſancta ſynodo Tridentina ſancitum fuit, ut in ſingulis metropolitanis & cathedralibus eccleſiis ſeminaria inſtituerentur, in quibus clerici a teneris annis ad pietatem & diſciplinam eccleſiaſticam informarentur.

Itaque ex ipſius ſacri concilii auctoritate, ſeminarium clericorum in noſtra metropolitana, necnon in ſingulis provinciæ noſtræ cathedralibus eccleſiis, vi hujuſce decreti inſtituimus: ita tamen ut liberum ſit cuivis coepiſcoporum noſtrorum, in cujus civitate nullæ ſunt idoneæ ſcholæ nec ludimagiſtri, aſcitis in conſilium duobus canonicis, ſeminarium eccleſiæ ſuæ ad aliam viciniorem cathedralem eccleſiam, in qua ſit univerſitas, tantiſper adjungere, donec ſcholarum atque præceptorum adeſit facultas.

Et ut iis ſeminariis ſufficientes annui redditus ad puerorum idoneum numerum alendum, & neceſſarios ſumptus faciendos, ſuppeditentur: Nos ex ejuſdem concilii Tridentini auctoritate, ipſis ſeminariis, dotis, ædiſque nomine conſtituimus, adjungimus, atque attribuimus ſingula beneficia, quorum nomina ſeorſim ad finem harum conſtitutionum, una cum legibus & inſtitutis eorumdem ſeminariorum adjungenda duximus. Quæ tamen omnia eamdem vim habere volumus, ac ſi huic decreto inſerta & inſcripta eſſent.

Interea vero dum hæc omnia beneficia vacare contigerit, ne tam neceſſarii inſtituti executio, maximo cum eccleſiæ incommodo differatur, tum ex communi conſilio, & conſenſu coepiſcoporum noſtrorum, tum ex una omnium, qui huic ſynodo provinciali interfuerunt, ſententia & voluntate decernimus, ut in ſingulis ejuſdem noſtræ provinciæ diœceſibus, pars dimidia decimæ quotannis, una cum ſubventione regia, ab omnibus beneficiis detrahatur, quam dimidiatam decimam, in ſumptus cujuslibet ſeminarii applicamus, & attribuimus: atque in poſterum eiſdem terminis, eademque forma, qua ſubventio regia colligendam edicimus, quouſque beneficia omnia ſimul copulentur, vel alio modo prædictis ſeminariis de ſufficienti victus & alimentorum ratione proviſum fuerit.

Poterit tamen interim ea ſumma arbitrio epiſcopi remitti, pro ratione fructuum, qui ſeminariis accreſcent ex beneficiis illis annexis, ſuccedente caſu, quo effectum ſuum uniones ſortitæ fuerint.

Sed cum hujus dimidiatæ decimæ ſolutio, tam multis ſumptibus faciendis ſit impar, neque tamen a clero tot ac tantis oneribus gravato, majus ſubſidium exigi poſſit: Ideo præcipimus eccleſiarum rectoribus, & concionatoribus, ut in pronis & concionibus populum ad aliquid elargiendum de ſuis facultatibus, quo ædes ſeminariæ exædificari, & ſupellectili neceſſaria inſtrui poſſint, publice adhortentur, privatim vero locupletiores, ac præſertim eccleſiaſticos moneant, ut præſenti aliquo auxilio vel ſaltem legato in condendis teſtamentis, tam religioſum opus adjuvent, atque promoveant.

Regem autem Chriſtianiſſimum, pro ſua eximia in Deum pietate, & ſingulari erga ejus eccleſiam ſtudio atque voluntate rogamus & obſecramus: ut tam ſalutaris inſtituti executioni regiam ſuam auctoritatem interponere velit, omnibuſque regni ſui ſummis magiſtratibus, & aliis quibuſcumque mandet, atque imperet, ut tam neceſſarium reipublicæ Chriſtianæ opus ſuo præſidio tueantur. Reluctantes vero quoſcumque, ac tergiverſantes, ad officii, muneriſque perſolutionem modis omnibus compellant.

Sciant autem omnes noſtræ provinciæ epiſcopi, quamprimum, ad ſummum vero, intra feſtum pentecoſtes proximum, ad hæc ſeminaria in ſua quaque diœceſi conſtituenda, & rebus omnibus neceſſariis, pro facultatibus ſuarum diœceſeon inſtituenda, obligatos eſſe. Qua in re utentur conſilio & opera aliquorum canonicorum ſuæ eccleſiæ, qui ſint viri prudentes ac religioſi, vel ſi difficultas maxima ſe objecerit, rem totam ad ſynodum proximam diœceſanam referent: ut ex communi omnium eccleſiaſticorum conſilio, hujuſmodi ſeminariorum inſtitutioni juſte provideatur, in iis potiſſimum diœceſibus, ubi uniones beneficiorum adhuc factæ non fuerint. Quas illico, poſthabita omni cunctatione & mora, fieri mandamus.

*De monaſteriis.*

XXV.

OMnia fere detrimenta, quæ a pluribus annis, ſive in religioſa diſciplina, ſive in bonis ac redditibus eccleſiaſticis monaſteria magna cum injuria acceperunt, a profanorum quorumdam hominum, quibus ea regenda commiſſa ſunt, cum inſigni negligentia, tum præpoſtera & prava adminiſtratione, ortum habuerunt. Quare ut hujuſmodi piis & ſanctis locis ſalubrius in futurum conſulatur, imprimis regem Chriſtianiſſimum obſecramus, ut quouſque liberas electiones eccleſiæ relinquat, nullum ad monaſteria & præfecturas obtinendas nominet, qui jam tum ſacerdos non ſit, & quantum fieri poterit, religioſus. Nullas etiam illicitas, & a jure divino & humano improbatas penſiones laicis hominibus, & quod turpius eſt, feminis in ſuam, & eorum certam perniciem, æternamque damnationem, ſuper quibuſcumque monaſteriis, prioratibus, aliiſque beneficiis, conſtituat & aſſignet.

Quæcumque monaſteria, nec epiſcopis ſubjecta ſunt, nec ab ullis generalibus capitulis pendent, nec deſignatos ordinis ſui viſitatores habent, ſed proxime ad ſedis apoſtolicæ protectionem & gubernationem referuntur, exactis ad ſummum ſex menſibus poſt harum conſtitutionum promulgationem, comitia ſeu congregationes ſui ordinis habere, & ad eas convenire teneantur, juxta ſacri concilii Tridentini decretum, ut ea ibi ſtatuant inter ſe, ac decernant, quæ ad inſtaurandam atque conſervandam religioſam diſciplinam deinceps obſervari curabunt.

Eaque de cauſa certos viſitatores deſignent, quorum ſpectata ſit ſanctitas: ut eis id muneris communi ſuffragio committant. Alioqui eorum negligentiæ a nobis & [illegible] noſtris pro ſua cujuſque parte providebitur.

ANNO CHRISTI 1583.

A Superiores atque præpoſiti omnium monaſteriorum & ordinum, omnem curam & diligentiam adhibeant, tam in capitulis provincialibus, quam in monaſteriorum etiam commendatorum viſitationibus, ut ipſorum inferiores ac ſubditi, ex præſcripto ſuæ profeſſionis vitam inſtituant, & paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, ac ſi quæ ſunt alia cujuſvis monaſterii peculiaria vota & præcepta, fideliter & inviolate obſervent. Ea enim quæ ad eſſentiam monaſticæ vitæ pertinent, certum eſt a ſuperioribus nullo modo poſſe remitti.

Et quia experientia docet, diſciplinam religioſam, eorum vitio ex parte collapſam eſſe, qui in religioſas familias intruſi, aut alia quavis ratione humana inducti potius, quam a ſancto Spiritu B vocati fuerunt: diligentiſſime ſuperiores animum atque voluntatem eorum explorent, qui ad novitiatum vel profeſſionem admittendi erunt, nec quemquam recipiant, aut profiteri ullo modo permittant, niſi de divina ejus vocatione, atque etiam perſeverandi voluntate, non obſcura ſed perſpicua argumenta habuerint, licet pauciores futuri ſint religioſi. Sancta enim & religioſa paucorum congregatio, quantumvis magna ineptorum hominum multitudine, Deo & hominibus acceptior eſt, & eccleſiæ utilior.

Nulli vitam monaſticam & regularem profeſſo, tam virorum, quam mulierum, liceat bona mobilia, vel immobilia, ſive ſuo labore & C induſtria parta, ſive parentum & amicorum liberalitate donata, ſive qualibet alia occaſione quæſita, tamquam propria aut etiam nomine conventus poſſidere: ſed quæcumque apud ſe habuerit, ſtatim teneatur ea ſuperiori tradere, ut in commune conferantur, & conventui addicantur.

Caveant deinceps ſuperiores, bona ſtabilia cuiquam regulari concedere, etiam ad uſum fructum: vel uſum, vel adminiſtrationem, aut commendam.

Omnibus religioſis una ſit domus, unum cœnaculum, unum dormitorium, in quo tamen ſuum quiſque habeat cubile.

A conventibus quovis prætextu recedere D regularibus non liceat, niſi forte a ſuis ſuperioribus per literas evocati fuerint. Qui vero ſine his literis repertus fuerit, tamquam deſertor ſui inſtituti puniatur.

Nulli autem eorum, qui ſtudiorum cauſa in aliqua ſunt univerſitate, alibi habitare fas ſit, quam in monaſterio & conventu: alioqui in eos animadvertat ordinarius.

Nulli etiam regulari habitum ſuæ religionis dimittere, vel occulte deferre, niſi ob grave & inſtans periculum, liceat.

Nullus item religioſus audeat, ſine ſuperioris ſui licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujuſvis pii operis prætextu, ſe ſubiicere obſequio E alicujus prælati, principis, vel univerſitatis, aut communitatis, alteriuſve cujuſlibet perſonæ.

Nemini, cujuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſanctimonialium ſepta, ſine epiſcopi, vel ſuperioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ingredi liceat. Quæ quidem licentia in caſibus tantum neceſſariis, & non in aliis, ab epiſcopo concedi poteſt.

Hortamur autem omnia in domino coepiſcopos noſtros, ut quæ illis, ſub interminatione maledictionis æternæ, a ſancta ſynodo Tridentina de clauſura, ſeptiſque ſanctimonialium injuncta ſunt, diligenter curent exequenda: ut in quibus locis violata fuerint, diligenter inſtaurentur: ubi adhuc integra ſunt, conſerventur: inobedientes, atque rebelles, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, poſtpoſita quacumque appellatione, compeſcendo, magiſtratus ope, ſi opus fuerit, ad hoc advocata.

Omnia vero ejuſdem S. ſynodi Tridentinæ decreta, & conſtitutiones ſummorum pontificum de regularibus & monialibus, non minus accurate in omnibus monaſteriis obſerventur, ac ſi in his conſtitutionibus noſtris eſſent inſerta.

*De rebus eccleſiæ non alienandis.*

## XXVI.

B PECULIUM Chriſti ſunt bona eccleſiæ epiſcopis, ſacerdotibus, & clericis, cum ad honeſtum eorum vitæ ſubſidium & ſpiritualis ſumptum miniſterii, tum ad pauperum alimentum atque ſuſtentationem tradita. Quæ propterea ſine ſummo ſcelere & deteſtando ſacrilegii crimine, alienari non poſſunt.

Proinde nos ſuperiorum temporum ſacros canones exequentes, omnibus epiſcopis, abbatibus, capitulis, prioribus, parochis & ceteris ordinis eccleſiaſtici viris, intenta comminatione anathematis, inhibemus, ne aliquid ex rebus eccleſiaſticis, ſive mobilibus, ſive immobilibus venundare, donare, aut alio quocumque modo alienare præſumant: ſed ea potius, ut bonos decet patresfami- C lias, vel diſpenſatores, facultatum Chriſti, fideliter conſervare, & omni honeſta ratione augere ſtudeant: præſertim hiſce temporibus calamitoſis, quibus eccleſiæ facultates, rapinis, direptionibus, & injuſtis uſurpationibus, non ſolum multum imminutæ, ſed omnes fere abſumptæ ſunt.

Et ut abuſus, atque fraudulentæ artes penitus e medio tollantur, quæ a pluribus eccleſiarum præfectis, & aliis viris eccleſiaſticis in fraudem ſacrorum canonum committuntur, dum prætextu cujuſdam commentitiæ neceſſitatis vel utilitatis, prædia neque ſterilia, neque infructuoſa, doloſis quibuſdam emphyteoſis, vel permutationis contractibus diſtrahunt, ſtatuimus, ut nulla deinceps prædia cum aliis permutentur, vel in emphyteoſim D dentur, niſi ab omni memoria fuerint inculta: neque etiam eodem genere contractuum, domos ruinam minantes, vel jam collapſas abalienare liceat, niſi prius manifeſte, & evidenter conſtet, facultates eccleſiarum, oneribus neceſſariis deductis, ad quas hujuſmodi res pertinent, omnino ad earum inſtaurationem non ſufficere. Qua in re diligens cauſæ cognitio ab iis, ad quos de jure ſpectat, adhibeatur, & canonica ſolemnitas obſervetur.

Ut autem in poſterum eccleſiæ indemnitati, quantum fieri poteſt, provideatur, & quæ ſuperſunt facultates, majori cautione conſerventur, ſtatuimus, ut omnium bonorum mobilium ſeu immobilium, jurium, actionum, annuorum cenſuum, ſive reddituum, nominumve debitorum, & aliorum E quorumcumque ad eccleſias, & religioſa loca, aliaque beneficia, ſive curæ obnoxia ſint, ſive non ſint, pertinentium, duo inventaria, publica, & probata forma, ab iis, qui hujuſmodi eccleſiis præſunt, & beneficia obtinent, conficiantur: quorum unum in propria eccleſia, ſeu loco religioſo: alterum vero, ſi ſit inferiorum eccleſiarum, in archivis cathedralis eccleſiæ: ſi autem ipſarum cathedralium, apud metropolitanum cuſtodiendum tradatur. Ordinarii vero in ſuis viſitationibus inquirent, an eorum, quæ in inventario deſcripta ſunt, aliquid deſit. Quod ſi quid deeſſe compererint, recuperare, ſeu ad jus priſtinum revocare conſtituent, culpam



ANNO CHRISTI 1583.

A cujuſlibet in hac re, juxta canonicas ſanctiones, ſevere punientes.

Ne vero per inſcitiam aut oblivionem aliquis pœnas a ſacris canonibus adverſus eos decretas, qui decimas eccleſiis & religioſis locis, vel ex parte tantum, vel omnino non ſolvunt, incurrat: parochis omnibus, & verbi divini prædicatoribus mandamus, ut primo quoque die dominico adventus & quadrageſimæ, in ſuis pronis & concionibus populo denuntient, eos omnes, qui decimas ſubtrahunt, vel impediunt, excommunicandos eſſe, nec ab hoc crimine, niſi plene reſtitutione ſubſecuta, abſolvi poſſe. Eos item, qui quovis modo ſeu per ſe, ſeu per interpoſitas perſonas bona & jura eccleſiaſtica B uſurpant, & detinent, anathematis pœna obſtrictos eſſe, a qua niſi a ſummo pontifice, poſt reſtitutionem integre factam, abſolvi non poſſunt.

Adminiſtratores tam eccleſiaſtici, quam laici fabricæ cujuſvis eccleſiæ, hoſpitalis, confraternitatis, & quorumcumque piorum locorum, ſingulis annis ordinario rationem adminiſtrationis reddere teneantur: niſi ſecus forte ex inſtitutione, & ordinatione eccleſiæ ſeu fabricæ cautum eſſet: quod ſi ex conſuetudine aut privilegio, aliis ad id deputatis ratio reddenda eſſet, tunc cum iis etiam adhibeatur ordinarius: aliter factæ liberationes prædictis adminiſtratoribus minime ſuffragentur.

*De ſcholis, typographis, & bibliopolis.*

## XXVII.

RECTE olim a quodam hujus ſeculi ſapiente literis mandatum eſt, nihil eſſe, de quo conſilium divinius iniri poſſit, quam de recta puerorum inſtitutione. Juventus enim ſpes eſt, ac ſoboles reipublicæ, quæ, ſi dum adhuc tenera eſt, diligenter excolatur, maximos & miræ ſuavitatis fructus feret: contra vero, ſi negligatur, aut nullos, aut amariſſimos. Quare optima, eaque facillima & maxime compendiaria reſtituendæ in priſtinum ſtatum reipublicæ Chriſtianæ ratio, eſt diligens & accurata ex majorum inſtitutis educatio juventutis.

Quoniam autem præcipua cura debet haberi, ut puerilis ætas in timore domini, qui totius ſapientiæ fons & initium eſt, necnon bonis & ſanctis moribus, ante omnia imbuatur: in primis ſtatuimus, ut nullus ad moderandas ſcholas, vel ad pueros & juvenes erudiendos admittatur, qui de fide & religione catholica male ſentiat, hæreſiſque nomine ſit ſuſpectus, & fidei profeſſionem, juxta formulam ſuperius deſcriptam non emiſerit, vel ſit pravis moribus imbutus. Tales enim ut plurimum evadere ſolent diſcipuli, quales fuerunt ipſorum magiſtri.

A ſcholis Chriſtianorum libri non ſolum E impii, verum etiam impuri, longe arceantur. Autorum tantum probatorum libri, qui faciunt ad ſolidam eruditionem, & bonos mores, in ſcholis prælegantur, diligenterque & perſpicue explicentur.

Præceptores ſingulis diebus feſtis, de iis, quæ ad religionem & bonos mores pertinent, aliquid ex Chriſtianis & catholicis auctoribus, præcipue vero ex catechiſmo Tridentino, pueris proponant, eoſque verbo pariter & exemplo hortentur, ut ſacris eccleſiæ myſteriis, verbi divini prædicationi, officioque divino, tum matutino, tum veſpertino, diligenter, & magna cum animi attentione & modeſtia, interſint.

Providendum eſt, omnique ratione efficiendum Chriſtianis atque catholicis; ut in ſingulis parochiis, vel ſaltem in celebrioribus pagis, conſtituatur ludimagiſter, qui ſimul cum Grammatica pueros ea doceat, quæ ſpectant ad religionem, cujuſmodi ſunt articuli fidei, præcepta divina, oratio dominica, ſacri hymni & pſalmi, aliaque generis ejuſdem.

Omnibus autem typographis interdicimus, ne quoſvis libros de rebus ſacris, & ad religionem pertinentibus, ſine nomine auctoris, & B antequam ab epiſcopo, vel ab eodem delegato examinati, & manus propriæ ſubſcriptione approbati fuerint per ſe, vel per alios excudere, & imprimere, aut vendere audeant, aut etiam apud ſe retinere. Quod ſi auctores religioſi fuerint, præter hujuſmodi approbationem, facultatem quoque a ſuis ſuperioribus habeant. Qui autem ſecus præſumpſerint, in prædictis & aliis, quæ a ſacro concilio Tridentino in decret. *De editione, & uſu ſacr. lib.* prohibentur, præter amiſſionis librorum mulctam, ſciant ſe jam excommunicationis ſententiam incurriſſe.

*De hoſpitalibus.*

## XXVIII.

C PAUPERUM & peregrinorum, juxta domini præceptum, maxima ſemper eccleſiæ cura fuit. Ex quo tam multa hoſpitalia & loca religioſa ad pauperes alendos & peregrinos ſuſcipiendos, extructa videmus. Sed non deſunt multi, qui impium Judæ ſcelus & ſacrilegium imitantes, quod Chriſto ad pauperum ſuſtentationem oblatum eſt, in ſuos uſus privatos tranſferunt, & pauperes hac ratione fame & inedia conficiunt. Quorum abuſum tollere, & rectam adminiſtrandi hoſpitalia rationem reſtituere cupientes, ex ſacris canonibus, quæ ſequuntur, ſancimus.

D Ut qui hoſpitalia ſeu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, orphanorum, ſenum, pauperumve uſum inſtituta in commendam, adminiſtrationem, aut quemcumque alium titulum obtinent, necnon eccleſiæ parochiales, quæ hoſpitalibus fuerint unitæ, hoſpitalitatem, quam debent, reipſa exerceant, aliaque ſibi ipſis impoſita onera & officia ſumma fide & integritate obeant.

Quicumque vero eorumdem piorum locorum adminiſtri atque curatores, etiam ſi laici fuerint, ab ordinario moniti hoſpitalitatis munus reipſa præſtare contempſerint, non ſolum per eccleſiaſticas cenſuras & alia juris remedia ad muneris ſui functionem compellantur, verum E etiam ab eorumdem hoſpitalium adminiſtratione per epiſcopum in perpetuum amoveantur, fructuſque, quos injuſte perceperunt, reſtituere cogantur.

Proſpiciendum autem in primis, ut in iſtis domibus, quæ ad animarum ſalutem pertinent, minime negligantur, ſed ante omnia de ſacramentorum adminiſtratione pauperibus & ægrotis provideatur. Quanto enim animus pretioſior eſt corpore, tanto diligentior de illo haberi cura debet.

Sed & in hoſpitalia aliaque pia diverſoria miſerabiles tantum perſonæ, quæ aut morbo aut

debi-

debilitate impeditæ, aut ætate gravatæ victum ac veſtitum ſibi comparare nequeunt, admittantur. Eorum autem in primis habenda eſt ratio, qui ſunt ejus loci, ubi hoſpitalia conſtituta ſunt.

Mendicantibus autem validis ac robuſtis non ſolum hoſpitalia ſint clauſa: ſed & publice ac oſtiatim mendicare penitus eis interdicatur, compellanturque a magiſtratibus ſe in aliqua potius arte exercere, vel manuum labore honeſtum vitæ ſubſidium quærere, quam immeritis eleemoſynis ignaviam ſuam alere.

*De uſuris, & illicitis contractibus.*

## XXIX.

QUONIAM fere ubique gentium teterrimum uſuræ crimen, quod olim non immerito a quodam homine ethnico homicidio comparatum fuit, omnium hominum cujuſque ordinis & conditionis invaſit animos, & quod ſane graviter dolendum eſt, uſque adeo invaluit, ut jam pleriſque nullam peccati mortalis rationem habere videatur, ſed veluti licita negotiatio, contra manifeſtum Dei præceptum exerceatur. Ea de re nequis hac in parte culpam ſuam ignorationis excuſatione prætexere poſſit, viſum eſt nobis ex ſacris ſcripturis & SS. patrum decretis quædam hujus generis delicta, quæ paſſim in hac provincia committuntur, annotare, & ea pro muneris noſtri ratione prohibere: ut ſciant cuncti, qui hujuſmodi crimina, vel illis aſſinia commiſerint, ſe mortis æternæ pœna, niſi ſedulo inde reſilierint, mulctandos & excommunicandos eſſe: eos vero, qui manifeſte tales fuerint, non ſolum vivos altaris communione privatos, aliiſque graviſſimis pœnis obſtrictos teneri, ſed etiam mortuos ſepultura eccleſiaſtica cairituros eſſe.

Ne cui igitur ex mutuo, præter ſortem ex convento, vel eo, quod datum eſt, aliquid amplius accipere, aut principaliter ſperare, ſive ejuſdem generis, ſive alterius quomodocumque, etiam ſi operæ ſint, liceat: & ſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus id jure nominatim permittitur. Mutuum enim ex præcepto divino debet eſſe gratuitum.

Ne quis mutuo det frumentum, aut vinum, vel id genus aliud corruptum aut mixtum, ut tantumdem integri & puri carioris reddatur, etiam ſi reſtitutio differatur in quodcumque tempus debitori commodum.

Si quis debitum loco & tempore re ipſa oblatum accipere recuſaverit, nihil præter ſortem, vel ratione damni emergentis, vel quacumque alia de cauſa accipere poſſit.

Ne quis ob dilatum ſolutionis diem, carius vendat, quam juſti pretii ratio ferat.

Sed neque etiam ob anticipatam ſolutionem res minoris ematur juſto pretio, vel minus ſolvatur.

Nec cui præſenti pecunia indigenti quidquam carius vendatur, ut ſtatim a venditore per ſe, vel per interpoſitam perſonam vilius ematur.

Ne res magnæ æſtimationis modico pretio pignori dentur vel vendantur, pacto redimendi intra certum tempus, ut ſi ad dictum tempus non redimatur, maneat emptori libera, aut ei qui [illegible] accepit.

Ne cui liceat ita contrahere, ut debitor totam pecuniæ ſummam creditori ſolvat, cum ille partim pecunia dederit, partim nominibus, quæ difficile exigi poſſint, vel in rebus pluris quam valeant æſtimatis.

Ne in ſocietate, in qua alter pecuniam confert, alter operam, lucrum aliter, quam ex æquis partibus dividatur.

In ſocietate animalium, quæ inæſtimata alicui dantur cuſtodienda, ſive ut operas præſtet, omnes caſus etiam fortuiti ſemper ſint periculo ejus, qui dederit, niſi accipientis & cuſtodientis dolo aut magna negligentia damnum accidiſſe contigerit.

Non fiat pactio, ut ſors ſit ſemper ſalva, etiam ex primis fœtibus.

Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, ſi illa abſque dolo aut negligentia ejus, qui conduxit, deteriora fiant, aut pereant, id ſemper ſit damno eis, qui locaverint.

Ne liceat divitibus tempore meſſis & vindemiæ, frumentum & vinum vilius emere, ut iſta poſtea quanti voluerint, vendere poſſint, neve eiſdem fas ſit tempore ſterilitatis & famis pro libidine annonam vendere, ne pauperes fame conficiantur, vel facultatibus ſuis omnino ſpolientur. Neque enim paucorum avaritia perire debet univerſa reſpublica. Quare magiſtratus, ad quos hæc cura pertinet, hortamur, ut omnium juſtis moderatiſque pretiis provideant.

Prohibentur quoque annorum cenſuum ſimulati & fictitii contractus, in quibus nulla certa res immobilis, quæ juſto pretio ematur, deſignatur & exprimitur.

Vel ubi venditor intra aliquem præſtitutum diem redimere cogatur, vel ubi non poſſit redimere, niſi poſt certum tempus.

Vel ubi annuus cenſus, ad cujus ſolutionem res obligatur, ſuper æſtimationem fructuum, quos ex ipſa re dominus ſolet, aut poteſt percipere.

Cum vero contractus omnes uſurarii, & qui a jure, ut iniqui, prohibentur, nulli, & irriti, & inanes ſint etiam jurejurando firmati: contrahenteſque, necnon tabelliones, proxenetæ uſurarum, aut lucri participes, miniſtrique horum ſcelerum pœnis, a jure graviter coerceantur, cavere omni ſtudio oportet, non modo ab iis qui uſuræ pravitatem aut turpe lucrum præ ſe ferunt, ſed & ab aliis temperandum, qui licet ſpecie juſtitiæ apparentis contegantur, re tamen ipſa prædictis affines ſunt, multorumque animas laqueis pernicioſe involvunt.

Ne vero literarum rudis populus hoc ignoret, parochorum erit ea interdum publice in eccleſia recitare, & quaſcumque alias fœnoris ac uſuræ ſpecies prohibere, cum denunciatione reſtitutionis merito faciendæ, ſi & a ſacerdote abſolvi, & a Deo peccata ſibi condonari velint.

*De ſepulturis.*

## XXX.

AD ſynodum delatum eſt, circa ſepulturas eccleſiaſticas duos potiſſimum, eoſque graviſſimos his temporibus abuſus committi: alterum, quod ſine diſcrimine cadavera eorum, qui extra eccleſiæ communionem mortui ſunt, in ſacris locis humari ſoleant: alterum, quod





quod in ipſis eccleſiis defunctorum corpora cujuſcumque conditionis fuerint & qualitatis, paſſim ſepeliantur. Nos cum noſtra interſit cavere diligenter, ne adeo profana & ſine religione habeantur loca ſacra, Deoque dicata, neve hujuſmodi abuſu perverſaque conſuetudine contra jus introducta violentur, SS. patrum veſtigiis inſiſtentes decernimus, ut nulli poſt mortem communicetur, cui vivo communicare non liceat, cujus generis ſunt hæretici, ſchiſmatici, publice excommunicati, fœneratores manifeſti, blaſphemi, ſi poſt monitionem a tam nefario, & execrabili ſcelere non reſipuiſſe comperti fuerint: quibus omnibus, necnon iis, qui ad ſacratiſſimum paſchæ feſtum ſanctiſſimum eucharistiæ ſacramentum non ſuſceperint, vel qui manus ſibi violentas attulerint, vel in duello & ſingulari certamine occubuerint, vel qui ob patratum ſcelus aliquod trucidati, nulla mœrentis atque pœnitentis animi morituri ſigna dederint: vel denique qui quomodolibet mortui, in peccato mortali manifeſto, abſque ullo pœnitentiæ teſtimonio e vita exceſſerint, denegandam ſepulturam eccleſiaſticam ſtatuimus.

In eccleſiis vero nulli deinceps ſepeliantur, niſi fuerint ſacerdotes, prout jura præſcribunt, vel ſacris initiati, & religioſi, eccleſiarumve patroni. Alii autem, qui nobilitate, auctoritate, meritiſque in Deum & religionem commendati fuerint, ad id cum licentia epiſcopi admittantur. Ceteros vero in cœmeteriis & polyandriis, quæ olim etiam illuſtriores non aſpernabantur, ſepeliri mandamus.

Moneant ſæpe parochi populum ſibi ſubditum, ut ſuprema defunctorum judicia fideliter exequenda curent, legataque ab illis piis locis, ſumma fide perſolvant. Quod ſi in ea parte quoſdam viderint peccare, illud epiſcopo, ad quem ea cura maxime pertinet, vel ejus officialibus renuncient.

*De juriſdictione.*

## XXXI.

SACRARUM literarum monumentis duplicem a Deo inſtitutam eſſe poteſtatem & juriſdictionem conſtat, ſæcularem nimirum & eccleſiaſticam.

Quando igitur juriſdictio eccleſiaſtica ſejuncta eſt a poteſtate ſæculari, cavere debent clerici, ne ſæcularibus ſe immiſceant cauſis: ſicut judices & magiſtratus civiles monemus & obteſtamur in Domino, ut ſacris canonibus parentes non mittant falcem in ſegetem alienam, neque cognitionem & judicium perſonarum vel rerum eccleſiaſticarum ſibi arrogent; ne ſi quod alienum eſt, uſurpent, tandem etiam, quod ſuum eſt, juſto Dei judicio amittant, formidabilem interim excommunicationis ſententiam a jure in eos ſtatutam incurrentes.

Omnibus vero clericis & hominibus eccleſiaſticis, ſub excommunicationis pœna interdicimus, ne forum ſæculare adeant, neve laicorum judicium, ſive ſint actores, ſive rei, in iis, quorum cognitio ad eccleſiam pertinet, ſponte ſubeant.

Ne vero lites magno litigantium damno in multos dies protrahantur, ſed quam citiſſime fieri poterit, terminentur, judex curabit, ut in omnibus actionibus, ad forum eccleſiaſticum pertinentibus, reus præſens, ſi fieri poſſit, compareat, ac per ſe actoris petitioni nullo admiſſo procuratore, reſpondeat: niſi ſummarie, aut veriſimiliter de ipſius rei conſtet impedimento.

Reus autem ſi comparuit, & a judice interrogatus debitum agnoverit, & confeſſus fuerit, judex illico, ut intra certum tempus a jure vel ſtylo conſtitutum ſatisfaciat, reum condemnabit.

Quod ſi reus petitionem actoris negaverit, conteſtationem litis judex ſtatuet, ac tempus, intra quod actori liceat intentionem, reo etiam exceptionem deſcribere, ac mutuo communicare & reſpondere, necnon facta conſcripta probare, inſtrumenta vel teſtes productos rejicere & improbare: alioqui tempore præfinito elapſo, judex intra quindecim dies, omni dilationis, comperendinationis, injunctionis, & excluſionis ſpe præciſa, ſententiam ferat.

Si vero reus in jus vocatus non comparuerit, citabitur ſecundo peremptorie, ut ad libellum ſeu petitionem actoris reſpondeat. Quod ſi in judicio, die, loco & hora præſtitutis ſiſtere neglexerit, vel intra prorogationis diem arbitrio judicis præficiendum præſto non fuerit, defectum ſeu pœnas abſentiæ actori comparenti judex adjudicabit: & pro commodo & utilitate tempus actori conſtituet, ad petitionem ſuam, aliaque, quæ viderit coram ſe proponenda, moxque reum contumacem declarabit: ac exceptionibus omnibus excludet necnon in expenſas contumaciæ actori perſolvendas, condemnabit. Actori etiam, ſi opus ſit, tempus præſtituet, quo intentionem ſuam teſtibus vel inſtrumentis probet, ad quorum productionem reus citabitur, ut ſi quid velit, in teſtes vel inſtrumenta objiciat, eidemque tempus ad fidem de objectis faciendam, antequam publicentur probationes ſeu atteſtationes, ſtatuet: nam publicatis hujuſmodi atteſtationibus, reo non licebit ullas adverſus teſtes proponere, vel probare exceptiones & reprobationes: deinde judex ex allegatis & probatis ſententiam feret. Sed ſi reo comparente, actor judicio non ſiſtat, reum a lite intenta abſolvet, & remittet, actoremque in expenſas reo perſolvendas condemnabit.

Ceterum hæc, quæ dilationum materiam amputantes modumque procedendi ad celerem cauſarum deciſionem indicantes ſtatuenda duximus, æquus judex ita moderabitur, ut non ſic lites abbreviet, quin probationes neceſſariæ & defenſiones legitimæ admittantur: Ideoque longiores interdum dilationes, & terminorum prorogationes concedere poterit, prout cauſarum merita, & qualitates exegerint: cum per ordinationem hujuſmodi ſubſtantiales, quos vocant terminos, & illa, quæ in cauſis quantumvis ſummarie expediendis jura ſervari mandant, minime intelligamus excludere.

Cauſæ omnes, ſaltem intra biennium a die motæ litis terminentur: alioqui poſt id ſpatium liberum ſit partibus vel alteri illarum, judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire, qui cauſam in eo ſtatu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimum terminari curent.

Ubi vero in caſibus a jure permiſſis, ab epiſcopi, ſeu ejus officialis ſententia aliquis appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, ſeu alias ob non determinatam intra biennium litem, ad ſuperiorem, ut ſupra cautum eſt, reclamaverit: teneatur acta omnia coram epiſcopo geſta, ad judicem appellationis,

ſuis

ANNO CHRISTI 1583.

ſuis expenſis, per tabellarium deferre: judice tamen, a quo fuit appellatum, requiſito, ut ſi quid, quod ad litis inſtructionem habeat, judici appellationis ſignificet. Actuarius autem, congrua mercede accepta, teneatur appellanti, quanto citius, aut ſaltem intra menſem ſub officii ſui privatione, aut ſuſpenſione, aut dupli, quanti ea lis fuerit, pœna totius litis acta exhibere. Judices interim, ſi per eos ſteterit, iiſdem ſubjiciantur pœnis.

Excommunicationis gladius a Chriſto eccleſiæ datus eſt, quo contumaces & rebelles a ſacramentis & communione fidelium præciduntur, atque ſeparantur: ea tamen poteſtas collata eſt in ædificationem, & non in deſtructionem: ad medicinam & non ad mortem. Itaque ea ſobrie & ſumma cum moderatione atque prudentia uti debent judices, ac prius cetera omnia juris remedia, ſive in exequendo experiri, quam ad hoc ultimum remedium deveniatur.

Excommunicationes vero, quæ ob res deperditas, vel ad finem (ut dicitur) revelationis, fieri ſolent, a nemine præterquam ab epiſcopo, ejus vicario generali, auditore, vel officiali (ſi eis hæc facultas nominatim fuerit demandata) cauſa diligenter cognita, & mature examinata, ac de re non levi, concedantur.

Cum publice & manifeſte excommunicatis, niſi in caſibus a jure conceſſis, verſari & communicare nemini liceat. Qui ſecus fecerit, etiam jure communionis privabitur.

Sententiam excommunicationis judicis nomine, etiam pro pœnis ab ipſo indictis, eo inſcio, actuario decernere ne liceat: neque ullum actum, vim ſententiæ abſolutoriæ ſeu congedii habens, expedire, & partibus tradere, nec impenſas taxare. Ejuſmodi autem ſententiæ, & acta præter judicis conſcientiam decreta, & ab eo non ſubſignata, nulla eſſe decernimus.

Et quia reperiuntur non pauci, rerum etiam non ſatis periti, qui falſo, multorum damno, pro notariis apoſtolicis ſe gerunt, curabunt epiſcopi, eorumve vicarii & officiales, hominum ejuſmodi literas notariatus ſibi exhiberi, ac notariorum certum numerum ex præſtantioribus, pro ſuarum diœceſum neceſſitate conſtituere, ceteris, ſi opus ſit, ſuppreſſis & interdictis, ac ſuum quiſque chirographum apud acta conſcribat. Quod ſi qui, pro notariis ſe gerentes epiſcoporum mandato non paruerint, illorum acta ſeu inſtrumenta privata & non publica habeantur, quin & eiſdem fides nulla adhibeatur.

*De viſitatione;*

XXXII.

ECCLESIARUM viſitatio atque luſtratio, ſi rite fiat, quantum ad vitia & offenſiones ſeu ſcandala tollenda conferat, quamque neceſſaria ſit ad conſtituendam, fovendamque eccleſiaſticam diſciplinam ſatis ipſa nos docet experientia. Idcirco ex ſacri concilii Tridentini decretis monemus, hortamur, & obſecramus obnixe in domino RR. coepiſcopos noſtros, ut ſingulis annis ipſimet præſentes diœceſim ſuam viſitare non prætermittant; aut ſi legitime impediti fuerint, viros idoneos ad id munus diligenter explendum, ſibi ſubſtituant. Quod ſi eam totam propter ejus latitudinem viſitare non poſſint, ſaltem majorem ejus partem luſtrare curent, ita tamen, ut tota biennio compleatur. Quod ut facilius, feliciuſque faciant, monemus eoſdem, ut modeſto famulatu ſint contenti, taleſque in comitatu viros habeant, qui ceteris honeſtatis atque probitatis exempla præbeant. Nec quicquam procurationis cauſa, præter viaticum vel cibaria accipiant: erit tamen optio libera eorum qui viſitantur, vel ſolitam antea pecuniam ſolvere, vel prædicta cibaria præſtare.

In viſitatione autem facienda is ordo ſervabitur, ut primum civitas, deinde diœceſis, niſi forte aliud videatur epiſcopo, viſitetur. In civitate vero a cathedrali eccleſia inchoandum: deinde ad ſingulas collegiatas, poſtremo ad parochiales tranſcendum erit, ubi non ſolum parochi, ſed etiam totius parochiæ ſacerdotes & clerici evocati ſeipſos epiſcopo ſiſtent.

Viſitandæ etiam erunt ſcholæ, ſeminaria, ſodalitates, hoſpitalia, ac cetera pia loca.

Epiſcopi verbum Dei proponent, clerumque ac populum ad divinorum mandatorum, eccleſiaſticarumque conſtitutionum obſervationem, ad veram religionem, vitæ innocentiam, pacemque & concordiam adhortabuntur. Sacramentum item confirmationis conferent.

Omnes paterna caritate, animique pio affectu ad pœnitentiam invitabunt & adhortabuntur, pœnitentes vero & contritos, qui in caſus epiſcopis reſervatos lapſi fuerint, vel ipſi per ſe vel per alios ad eam rem delectos, pœnitentia ſalutari injuncta, abſolvant.

Præterea eccleſiæ fabricam & ejus partes omnes perluſtrabunt: ut ſi quid inſtauratione indigeat, mature provideatur.

Eccleſiæ autem altaria ſi non ſint conſecrata, conſecrentur: ſi polluta, expientur: ornamenta quoque benedicantur. Inquirant vero epiſcopi ſedulo, & obſervent, an eo ſit cultu ac nitore eccleſia, qui domum Dei decet.

An ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum, chriſma & reliqua ſacra, ea munditia, cura, & cuſtodia, qua debent, conſerventur, ac ſuo tempore mutentur & renoventur.

Videndum etiam an deſint veſtes, libri, calices, patenæ, corporalia & reliqua ejus generis inſtrumenta & ornamenta, quæ ad altaris miniſterium, & ad divina officia ſint neceſſaria.

An cœmeterium ſit clauſum, ne beſtiæ ingredi poſſint, neu aliqua alio modo contaminetur.

An miſſæ & alia divina officia, necnon ſacramenta eccleſiaſtica, non ſolum rite & recte, ſed etiam pie ac devote celebrentur & adminiſtrentur.

An matrimonia licite & in eccleſia reverenter, tribus bannis ſeu denunciationibus præcedentibus, tempore non interdicto contrahantur, aliaque ſerventur, quæ in ſacramento matrimonii præſcripta ſunt.

An parochi libros habeant, in quibus baptizatorum atque ſuſceptorum, eorumque qui ad ſacram communionem accedunt, necnon matrimonio conjunguntur, ac mortuorum nomina & cognomina deſcribantur.

An eccleſiæ libri, vetera ſcripta, inſtrumenta & privilegia cuſtodiantur.

His omnibus, quæ ad eccleſiam pertinent, accurate perſpectis, proximum erit, ut de miniſtris eccleſiæ inquiratur.

Ac primum, an rite ſint ordinati.

An



ANNO CHRISTI 1583.

An eccleſias, ſeu beneficia, vel officia eccleſiaſtica legitime obtineant.

An in ea ſe quiſquam intruſerit.

An iis ordinibus ſint initiati, ut per ſe explere poſſint officium, quod illis incumbit.

An reſideant, & adminiſtrationi ſacramentorum, miſſarum, atque divinorum officiorum celebrationi, & anniverſariorum perſolutioni, aliiſque oneribus ſibi impoſitis ſatisfaciant.

An populum ſalutari verbi divini pabulo diligenter per ſe vel alios paſcant.

An libros ſibi neceſſarios tum ad officium divinum perſolvendum, tum ad erudiendum populum, præſertim vero catechiſmum concilii Tridentini, homiliarium dierum dominicorum & feſtorum totius anni, & has conſtitutiones noſtras provinciales penes ſe habeant.

De eorum quoque vita, moribus, habitu, converſatione, familia, inquirendum erit.

An opera vilia & illis non permiſſa exerceant.

An in tabernis aliiſque locis ipſorum dignitati minime convenientibus verſentur.

An honeſte & ſancte vivere ſtudeant, numve turpi vitæ genere offenſionem populo præbeant, unde ipſorum miniſterium ac res ipſa divina contemnatur.

An bona eccleſiæ & jura tueantur.

An ſint pacifici & ad tollendas inimicitias atque odia diligentes.

Poſtremo ad mores populi deveniendum erit & inquirendum.

An populus pie verſetur in eccleſiis, & integræ miſſæ, aliiſque divinis officiis, & ſacramentorum adminiſtrationi reverenter interſit.

An ſint aliqui fœneratores, concubinarii, aliique flagitioſi & facinoroſi homines, qui in quovis genere ſcelerum volutentur: an inter aliquos odia & inimicitiæ intercedant.

An ſint qui quadrageſimam, aliave jejunia, feſta, & reliquos laudabiles eccleſiæ ritus non obſervent, quique ſaltem quolibet anno peccata ſua confeſſi non ſint, aut ſanctam euchariſtiam non ſumpſerint.

An patresfamilias in inſtituendis ad pietatem & bonos mores liberis, & familia in timore Dei continenda ſolertes ſint, atque diligentes.

An hoſpitales domus, & alia pia loca recte adminiſtrentur, eorumque redditus in pauperum uſus fideliter diſpenſentur.

An præceptores & ludimagiſtri ſint catholici, & honeſtis moribus præditi, quos etiam libros interpretentur, & an officio ſuo ſatisfaciant.

Ut autem de prædictis rebus omnibus certiorem & veriorem notitiam habere poſſint epiſcopi, in ſingulis locis viros probos & bonæ exiſtimationis quatuor aut quinque, vel plures deligent, a quibus earumdem veritatem cum jurejurando ſciſcitabuntur, præcipue vero audiendi erunt officiales eorumdem locorum, & ceteri, qui aliqua munia ibidem obeunt.

In quibus vero locis eccleſiæ ſpoliatæ fuerint, vel partim dirutæ, aut funditus everſæ, epiſcopi & alii, ad quos pertineat, vel delegata ſit viſitandi provincia, locorum officialibus, ſecundum edictum regium, appellatis, providebunt, ut codices, calices, tintinnabula, & ornamenta ad cultum divinum neceſſaria comparentur, collapſæque vel dirutæ eccleſiæ ita reficiantur & inſtaurentur, ut commode divinum officium celebrari poſſit: rectores item eccleſiarum domum ad habitandum opportunam habeant. Ad ea autem perficienda compellendi erunt eccleſiarum æditui, & parochiani modis omnibus debitis atque legitimis: ipſi etiam rectores, ſi facultates ſuppeditent, arbitrio epiſcoporum & viſitatorum aliquid ad hæc conferre cogendi erunt.

*De ſynodo diœceſana;*

XXXIII.

SYNODI quotannis ſtatis temporibus in qualibet diœceſi celebrentur, ad quos totius diœceſis beneficiarii, abbates, capitula, priores, archidiaconi, archipresbyteri, parochi, etiam exempti omnes, ad quos quævis animarum cura quoquomodo pertinet, juxta S. conciliorum præſcriptum, & cujuslibet diœceſis morem, intereſſe teneantur: ſinguli autem in habitu ordini ſuo proprio & decenti compareant, omneſque ſynodum mane intrent jejuni.

Abſente epiſcopo, ejus vicarius in ea præſideat, vel alii ad quos ex privilegio & antiqua conſuetudine id competit. Sede autem epiſcopali vacante, vicarius a capitulo conſtitutus.

Peracta ſacra miſſarum celebratione, epiſcopus, vel alius ejus nomine verbum Dei proponat: & omnes ad morum emendationem & ſua in futurum diligentius explenda munia cohortetur. Nec deinceps huic tam gravi muneri obeundo præficiantur adoleſcentes vel laici homines: ſed ex ordine eccleſiaſtico eligantur viri graves & nulli reprehenſioni obnoxii.

In proxima autem ſynodo, quæ poſt hujus concilii promulgationem habebitur, fidei profeſſione præmiſſa, omnia ejuſdem concilii decreta palam recitentur, omneſque, qui illic fuerint ſe illa omni tempore ſervaturos jurejurando promittant: idemque in poſterum omnino faciant, quicumque ſynodo primum interent.

Epiſcopus ſigillatim ab unoquoque, dum appellabitur, miniſterii ſui rationem repoſcat, & de vita & moribus ſubditorum ſollicite & diligenter inquirat, in ſimoniacos, fiduciarios, fœneratores, fornicatores, concubinarios, turpia miniſteria exercentes & illicita negotia gerentes, ſine ulla diſſimulatione animadvertat, alienationes a jure interdictas prohibeat, & jam factas, revocandas & irritandas curet: & officialium & miniſtrorum ſuorum offenſiones, delicta, & injurias patienter audiat, & ſevere coerceat. Clericorum in ſacris celebrandis errores, & negligentias corrigat, pravoſque mores ac veſtitum indecorum emendet. Remediis quoque opportunis provideat, ne aliquod dogma, quod falſum ſit, neve aliquod præſtigiarum, ſuperſtitionis, & diabolici figmenti genus diœceſim ſuam inficiat.

Archipresbyteri ſingulis ſynodis epiſcopo referre, & ſcripto tradere teneantur eccleſias intra archipresbyteratus ſuos vacantes & paſtoribus deſtitutas, necnon nomina eorum, qui in parochiis ſibi concreditis non reſident, vel qui beneficia curam animarum annexam habentia obtinent, nec ad ordinem presbyteratus promoti ſunt.

Appellationes eorum qui ad ſynodum provocaverunt, abſentiumque gravamina aut deſideria, per epiſtolas, aut libellos ſupplices explicatæ audientur.

Laici

Laici etiam poterunt ſcripto, vel verbo, ſi ita epiſcopo viſum fuerit, querelas ſuas proponere, modo earum judicium ad ſynodum pertineat. Quos etiam hortamur, ut ſi quid in eccleſiis animadverterint, quod divino cultui detrimentum afferat, vel in moribus clericorum offenſionem & ſcandalum populo generet, labemque & dedecus ordini eccleſiaſtico inurat, ſi quid denique in clero vel populo, quod diſciplinam & pacem eccleſiæ perturbet, illud animo Chriſtiano tranquillo & ſine ullo ſcandalo ſynodo denuncient.

Inteſtina odia & capitales inimicitias, ex quibus diœceſis tranquillitas perturbari, aut ſcandala oriri poſſent, ſummo ſtudio extingui epiſcopi curabunt.

Omnes, qui vel jam beneficia conſecuti, vel in poſterum habituri erunt, & qui ad ſynodum diœceſanam convenire debent, in ea ſynodo, cui primum ipſi interfuerint, literas collationis & proviſionis beneficii, cui adſcripti ſint, exhibere teneantur. Alioqui pro abſentibus & contumacibus cenſeantur.

In ſingulis ſynodis anniverſarii ſex examinatores, ſive ſæculares, ſive regulares, juxta ſacri concilii Tridentini, & hujus ſynodi decreta inſtituantur.

Quicumque ſynodo intereſſe debent, ſi præſentes non comparuerint, vel legitimam impedimenti cauſam per nuncium aut epiſtolam epiſcopo non reddiderint, vel ab eo abſentiæ ſuæ facultatem non obtinuerint, contumaces & pœnis indictis obnoxii reputentur.

Si vero poſtea citatione præſentibus facta, vel ad valvas ſuæ eccleſiæ affixa moniti contumaciam intra menſem purgare neglexerint, excommunicati publice in eccleſiis ſuis denuncientur.

Quod ſi obſtinato animo excommunicationem ſuſtinuerint, nec ab ea ſe abſolvi curaverint, ac denuo ad alterum menſem citati & evocati non comparuerint, a beneficiis ſuſpendantur, & tandem iiſdem priventur.

Si autem poſt primam admonitionem comparuerint, potius pœnitentiæ pœna, quam pecunia mulctentur: quod ſi magis expedire epiſcopo videatur pecuniaria mulcta in pios uſus conſilio duorum canonicorum, quos epiſcopus in conſilium adhibebit, convertatur.

Qui legitime fuerint ab epiſcopo diſpenſati, mittant ſacerdotem vel clericum idoneum, qui eorum nomine excuſationes proponat, & ea quæ fuerint in ſynodo ſtatuta, ipſis renunciet.

Nullus pro alio ſine mandato ſpeciali, de quo fidem facere teneatur, comparere præſumat, alioqui gravi pœna mulctetur.

*De concilio provinciali.*

## XXXIV.

INTER ea quæ antiquitus in eccleſia obſervata ſunt, cum ad abuſus tollendos & pravos mores corrigendos, tum ad controverſias componendas, concordiamque, & mutuam caritatem conſervandam, ad ea denique omnia ſtatuenda, quæ cunctis Chriſtianis, & præcipue viris eccleſiaſticis facienda vel fugienda ſunt, maximi ſemper momenti habitus fuit frequens conciliorum provincialium uſus. Quapropter nos tam ſalutare & neceſſarium inſtitutum, nimis diu maximo eccleſiæ detrimento intermiſſum ac neglectum, diligentius in poſterum exerceri ſervarique cupientes, decernimus ac ſtatuimus, ut ad biennium proximum, ac deinceps tertio quoque anno concilium provinciale celebretur. Erunt autem partes metropolitani, aut eo abſente, vel ſede metropolitana vacante, antiquioris provinciæ antiſtitis locum & diem ad celebrandum concilium indicere & aſſignare.

Ad tempus conſtitutum tam metropolitanus, quam ſuffraganei & omnes alii qui hujuſmodi conciliis intereſſe debent, præciſe adeſſe curent. Si quis autem epiſcopus legitime impediatur, id (ut generali concilio cautum eſt) metropolitano ſignificet per literas, mittatque procuratorem virum eccleſiaſticum, qui ſit ſacerdos, non ſolum ad proponendas abſentiæ cauſas, ſed etiam ut ſynodo interſit, ac nomine illius, a quo miſſus fuerit, ſubſcribat omnibus, quæ in eadem ſynodo, acta, geſta, decreta, ſancitave erunt. Qui quidem procurator, ſi ita concilio videatur, non ſolum poterit deliberare, ſed & cum epiſcopis, de iis quæ proponentur, decernere & ſtatuere. Quicumque ex epiſcopis ſecus fecerit, tertia parte fructuum, quos eo anno ex eccleſia, cui præeſt, perciperet, privetur. Alii vero adeſſe negligentes, aliis pœnis juris mulctentur. Hujuſmodi autem pœnæ omnes fabricis eccleſiarum & aliis piis locis & operibus attribuantur. A ſynodo autem conſtituetur aliquis, qui hujuſmodi pœnas & mulctas reipſa locis piis ſine fraude applicari curet.

Capitula cathedralium eccleſiarum ſpeciatim ad ſynodum invitentur, eiſque liceat delegare ex ſuis capitulis canonicos, qui ſynodo interſint, ac eorum mandata referant. Sciant autem ſe in ſynodo tantum conſulendi, non autem decernendi poteſtatem habere. Abbates tam titulares quam commendatarii, eccleſiarumque collegiatarum procuratores pro more hujus provinciæ eidem ſynodo poterunt intereſſe, atque cum aliis de propoſitis deliberare, non item judicare.

Menſe vero proximo antequam celebretur concilium, ſingulorum erit epiſcoporum, ſupplicationes, litanias, orationes, & jejunia in omnibus eccleſiis & parochiis ſuarum diœceſum judicare, ad iram Dei placandam, & divinum ejus numen exorandum, ut Spiritus ſancti afflatu ea omnia inſpirare & ſuggerere velit, quæ in eadem ſynodo ad ipſius gloriam & eccleſiæ ſalutem tractanda erunt, atque ſtatuenda.

Et ut ſinguli melius inſtructi ſint ad ea quæ in ſynodo tractanda erunt, vel de quibus ratio reddenda erit, prius inquirant epiſcopi, an omnia hujus concilii decreta executioni mandata fuerint, & quid contra illa admiſſum fuerit. Quod ſi noverint quædam non obſervari, cauſas quæ ſint impedimento ſciſcitentur.

Perquirant etiam diligenter, an qui reſidere debent in eccleſiis ſuis, officio ſuo ſatisfaciant. Omnia denique & ſingula, quæ in ſynodo agenda, deliberanda & decernenda ſunt, cum concilio quorumdam ordinis eccleſiaſtici, qui ſint divinæ legis ſanctionumque eccleſiaſticarum periti, ſummo ſtudio & diligenti cura perſerutentur.

Pridie illius diei, quo futura eſt prima ſeſſio, epiſcopi cum omni familia, & omnes alii, qui ſynodo aderunt, quo religioſius rem adeo gravem tractare poſſint, jejunent, eodem quoque die procuratores, ſecretarii & alii officiales & miniſtri neceſſarii conſtituantur.







Prima die concilii ſupplicatio ſolemnis, ad implorandam Spiritus ſancti gratiam pro felicibus tam ſacri & ardui negotii initiis, fauſtoque progreſſu & exitu, convocato civitatis univerſo clero, celebretur: ad eundem finem ſacroſanctum miſſæ ſacrificium ab archiepiſcopo, vel eo impedito, ab antiquiore epiſcopo ſolemniter peragatur: & Latina concio in ipſa miſſarum celebratione, ab eo vel alio ejus nomine de rebus ad concilii rationem pertinentibus habeatur: omnes item epiſcopi & delegati cum archiepiſcopo communicent: hiſque peractis, apertum cœptumque concilium a ſcriba pronuncietur. Ceteris quoque diebus ſeſſiones peragantur, idem omnino divinum officium celebretur, ac concio habeatur.

Singulis diebus poſt apertum concilium duo conventus, ſcilicet ante & poſt meridiem habeantur, niſi ſit dies dominicus, aut feſtus: nam his diebus horis matutinis vacabitur tantum precibus & ſacris myſteriis.

In ſynodo in primis ea tractentur, quæ ſpectant ad divinum cultum: deinde quæ ad munia & officia, cum omnium eccleſiæ paſtorum, tum maxime epiſcoporum. Inquiratur diligentiſſime, an recte ſe gerant in beneficiis & ordinibus conferendis, in confeſſariis, pœnitentiariiſque deligendis, mittendiſque per ſuas diœceſes verbi divini prædicatoribus: num etiam debitas pœnas ſumant ab iis, qui malitioſe decreta ſynodorum tam provincialium quam diœceſanarum tranſgrediuntur. An denique omnia, quæ ſunt partium epiſcopi, accurate præſtent: ut qui in iis peccaſſe deprehenſus fuerit, a concilio coerceatur. Summo etiam ſtudio & cura perquiratur, qua ratione fieri poſſit, ut ſynodorum decreta in uſum adducantur. In ſumma nihil prætermittatur, quod ad univerſam eccleſiæ diſciplinam, & omnium ſalutem pertineat.

Simultates, diſcordiæ, lites, & controverſiæ, ſi quæ ſint inter epiſcopos & clerum, judicio & arbitrio ſynodi componantur, ſedentur, & extinguantur.

Nemini, ne epiſcopo quidem, niſi ex cauſa neceſſaria, & venia a metropolitano obtenta, a ſynodo abire liceat, ſubſtituto prius procuratore idoneo, qui ipſius nomine ſubſcribat omnibus, quæ in concilio acta decretave fuerint.

Poſtrema concilii ſeſſione dies & locus, ubi proximum habendum ſit concilium, ut antiqui moris eſt, auctoritate metropolitani, vel eo abſente, antiquioris antiſtitis, denuncietur.

Abſoluto denique concilio, & ſanctis acclamationibus pro more factis, omnes epiſcopi aſſurgentes & venerabundi petant oſculum pacis ab archiepiſcopo, deinde illud inter ſe mutuo communicent.

Epiſcopi antequam a ſynodo recedant, ſinguli, ordine ſervato, poſt archiepiſcopum, manu propria decretis ſynodi ſubſcribant. Idem quoque epiſcoporum abſentium procuratores faciant, ſub pœna excommunicationis: ac pro viribus poſtea, quæ conjunctis animis & voluntatibus ſtatuta, decretaque ab eis fuere, pari conſenſione ſtudioque ſervare nitantur, & ab iis, quorum cura eis demandata eſt, obſervari curent.

*De pœnis.*

## XXXV.

CUM ſine coercitione juriſdictio nulla ſit, & abſque pœnis non ſolum leges vileſcant, ſed omnis ſocietas in deterius facile dilabatur: ne fruſtra tot ſalutaribus conſtitutionibus faciendis operam impendiſſe videamur, ſtatuimus, ut præter pœnas, quas nominatim in his conſtitutionibus appoſuimus, omnes aliæ tam a ſacris œcumenicis conciliis, quam a provincialibus ſtatutæ, iis, qui hæc noſtra decreta violaverint, aut contempſerint, infligantur.

Prohibemus autem omnibus ordinariis, ut de mulctis & pœnis pecuniariis nihil omnino in ſuam utilitatem convertant: ſed eas pio alicui loco vel operi applicandas curent: parte tamen aliqua pro eorum arbitrio, accuſatoribus & delatoribus relicta.

Et ne aliquis harum noſtrarum conſtitutionum ignorationem prætendere poſſit, omnibus RR. coepiſcopis noſtris mandamus, ut eaſdem in proximis ſuis ſynodis publice legi & recitari jubeant. Omnibus autem ordinis eccleſiaſtici viris præcipimus, ut intra tres menſes, poſtquam prædictarum conſtitutionum liber editus fuerit, eundem ſibi comparent, apud ſe habeant, atque diligentiſſime legant, & mente teneant: idemque in ſingulis cathedralibus & collegiatis & parochialibus eccleſiis certo aliquo loco repoſitus aſſervetur.

Conſtitutiones vero anteceſſorum noſtrorum in ſuperioribus conciliis provincialibus rite factas, juri repugnantes, quibuſque in hac ſynodo derogatum non fuit, approbamus, confirmamus, & innovamus, eaſdemque ab omnibus, comminatione pœnarum, quæ ab eiſdem indictæ ſunt, ſervari jubemus.

Si quæ ex his decretis difficultas vel ambiguitas oboriatur, quam ante celebrationem proximi concilii tolli expediat, declaramus eorundem interpretationem & explicationem ad nos pertinere, ſalva tamen in omnibus ſedis apoſtolicæ auctoritate.

Quoniam autem quæ emendatione indigent, in tantam ſylvam excreverunt, ut ea omnia exſcindere minime potuerimus: idcirco illa quæ ſuperſunt, nobis & coepiſcopis noſtris tam in ſynodis, quam in viſitationibus diœceſanis ex præſcripto juris corrigenda reſervamus. Quæ vero illic emendari non poterunt, ad proximam provinciæ ſynodum deferantur.

Declaramus univerſas has conſtitutiones poſt ſextum menſem a die earum promulgationis in eccleſia noſtra metropolitana factæ, plenam auctoritatem habituras, ac ex eo tempore omnes & ſingulos earum obſervationi perinde devinctos & obligatos eſſe, ac ſi ſingulariter eis præſentibus ſignificatæ & intimatæ fuiſſent, & ſi contra quicquam admiſerint, pœnis & mulctis, quæ in iis conſtitutæ ſunt, teneri.

Ab eo etiam promulgationis die, tempus certum decretorum inchoari decernimus, in quibus certo præſcripto dierum ſpatio aliquid præſtari juſſum eſt.

Denique qua poſſumus humilitate & obedientia S. Romanæ eccleſiæ omnium eccleſiarum matris & magiſtræ auctoritati & judicio quæ-

cumque in hac ſynodo acta, decreta, ſancitave ſunt perpetuo emendanda & corrigenda ſubjicimus, ad laudem & gloriam immortalem Jeſu Chriſti omnium paſtoris, & ad gregis ipſius nobis commiſſi incolumitatem & ſalutem.

NOS Antonius archiepiſcopus Burdigalenſis Aquitaniæ primas hæc decreta ſynodica a nobis definita ſubſcripſimus.

Ego Janus Fregoſe eccleſiæ Agenenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Carolus de Bony eccleſiæ Engoliſmenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Godofredus de Saint-Belin Pictavienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Nicolaus le Cornu eccleſiæ Santonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Ludovicus de Salignac eccleſiæ Sarlatenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Arnaldus de Pontac Vaſatenſis epiſcopus in provincia Auxitana, rogatus adfui & ſubſcripſi.

Ego Bernardus Podianus canonicus & archidiaconus eccleſiæ cathedralis Condomienſis, procurator ejuſdem eccleſiæ, ſede vacante, ſubſcripſi.

Cæterorum, qui huic ſynodo interfuerunt, nomina in actis ejuſdem ſynodi deſcripta habentur.

*M. BERTIN concilii ſecretarius.*

LAUS DEO.

# DE INSTITUTIONE ET LEGIBUS SEMINARIORUM PROVINCIÆ BURDIGALENSIS.

## *DE ÆDIBUS.*

### I.

ÆDES ſeminarii, quantum fieri poterit, in loco amplo & ſpacioſo, & qui non longe ab eccleſia cathedrali diſſitus ſit, extruantur & ædificentur. Quod ſi aliquod collegium ad juventutem erudiendam, huic pio & religioſo inſtituto accommodatum & utile jam conſtructum ſit, eidem ex eorum conſenſu, quorum intereſt, applicetur. Qua in re nullus exiſtat, qui privatum dumtaxat adducat incommodum.

In hujuſmodi ædibus ſacellum ſit, quo ſingulis diebus ad ſacrum & orationem clerici conveniant.

Dormitorium commune & patens ſit, in quo unuſquiſque cubile proprium habeat, e cujus regione cubiculum præfecti collocetur.

Valetudinarium in loco ſalubri conſtituatur, in quo ægrotantibus ſumma animi pietate & caritate omnia provideantur atque ſubminiſtrentur.

Reliquæ ædificii partes pro ratione facultatum, & numero perſonarum, exædificabuntur: quamvis non tam habenda ſit ratio eorum, qui primo quoque tempore in hujuſmodi ſeminaria admittentur, quam qui poſtea, creſcente numero illis adjungentur [illegible]

*De clericorum in ſeminaria admittendorum ratione.*

### II.

ELECTIO & admiſſio clericorum penes epiſcopum erit, aut eos quibus ab ipſo hæc cura nominatim demandata fuerit.

Ut autem ex omni juventute maxime idonei eligantur adoleſcentes, præcipiet & mandabit epiſcopus denunciari per univerſas ſuæ diœceſis civitates & oppida, præſertim ubi ſunt ſcholæ, ut ſi qui ſint pauperes & ex legitimo matrimonio nati, qui ad ſacerdotium promoveri cupiant, quique duodecimum attigerint annum, nec vigeſimum exceſſerint, atque in grammatica progreſſus aliquos fecerint, loco & tempore, quæ eis præſtituet, examinandi compareant.

In ipſo autem examine epiſcopus cum viris eccleſiaſticis a clero deſignatis, primum intuebitur juvenum vultum, totiuſque corporis habitum. Nam quos inſigni quadam deformitate, vel membrorum mutilatione notatos deprehenderit, ne ad examen quidem admittet.

Poſtea de parentum conditione, ſtatu, moribus, & religione diligenter inquiret. Ac deinde quos progreſſus ipſi juvenes in literis fecerint experietur, atque ingenium eorum, virtutem & indolem explorabit: ac præcipue an aliqua in ipſis ad pietatem propenſio eluceat. Quos autem manifeſtis conjecturis ad literas, ad pietatem, & ſacerdotium ineptos judicaverit, nullo modo in ſeminarium admittet.

Priuſquam aliquis in ſeminarium admittatur, ſedulo monendus erit, non licere ſibi ſeminarii bonis ali atque educari, ſi aliud vitæ genus, præter eccleſiaſticum in animo propoſitum habeat. Itaque jurejurando ſpondeat, voveat, ac ſancte promittat, ſe numquam ad aliam vitæ rationem diſceſſurum, ſed perpetuo eccleſiæ Chriſti fideliter inſerviturum in eo gradu & ordine, qui a reverendiſſimo domino epiſcopo ipſi aſſignabitur.

Polliceatur etiam ſe primario ſeminarii, ejuſque ſubſtitutis in omnibus obtemperaturum, ac omnes leges & ſtatuta ſeminarii obſervaturum: alioquin intelligat ſe in ſeminario nullam moram facturum eſſe, ſed ſtatim ex eo ejectum iri. Eaque de cauſa illi ſtatuta illico legentur.

Ne autem quiſquam ab hiſce promiſſionibus cum maximo ſeminarii diſpendio reſilire poſſit, in ipſo ingreſſu tenebitur, duos ex propinquis ſuis epiſcopo ſiſtere, qui proviſo caveant ac fidejubeant ſe penſionem illius perſoluturos pro tempore, quo in ſeminario vixerit, ſi in ordine & ſtatu eccleſiaſtico perſeverare nolit: niſi aliud epiſcopo juſta de cauſa viſum fuerit.

Nemo vero ex ditiori familia recipietur, niſi parentes pro eo penſionem ſolvere velint. Qui vero ex mediocri fuerint, partem aliquam perſolvendo admitti poterunt.

Nullus item recipiatur, quin lecto, toga, pileo, induſiis, & aliis veſtimentis, necnon ſuperpellicio & breviario inſtructus ſit.









*De primario & præfectis ſeminarii.*

### III.

NULLUS in ſeminarium aliquo functurus officio admittatur, quin prius diligenter ab epiſcopo examinatus & probatus fuerit: cujus etiam arbitrio omnes ab officio, ſi ita expedire in domino judicaverit, amovebuntur.

Curandum erit diligentiſſime, ut qui ſeminario præficientur, viri ſint graves, prudentes, & omni virtutum genere ornati, quique ſuo exemplo & cohortationibus ſubditorum animos ad pietatis & virtutis ſtudium accendere poſſint. Nec, quamdiu in ſeminario idonei aliqui reperientur, extranei aſſumantur. Profeſſionem vero fidei, juxta formam in concilio provinciali expreſſam, omnes, antequam recipiantur, in manibus epiſcopi emittant.

In ſeminario unus erit primarius venerandæ gravitatis, & ſingularis pietatis ſacerdos, cui omnes, qui in ſeminario erunt, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus parebunt.

Primario, duo alii ſacerdotes, ſi fieri poſſit, adjungentur: quorum alter procurator omnium ſeminarii negotiorum erit; alter rerum domeſticarum curam habebit, vocabiturque ſubmagiſter ſeminarii. Quamquam, ubi non ita amplum erit ſeminarium, utrumque officium unus & idem præſtare poterit.

In ſeminario tot erunt famuli & miniſtri, quot pro numero clericorum, arbitrio epiſcopi, & ab ipſo delegatorum, videbuntur neceſſarii. Feminis vero non ſolum officia & miniſteria, ſed etiam aditus in ſeminarium penitus denegetur.

Præceptorum, ſeu præfectorum ſeminarii officium erit, a diſcipulis repetitionem lectionis diligenter exigere, & clericorum mores in omnibus dirigere, atque illos, quocumque perrexerint, deducere. Unus vero eorum cantum eccleſiaſticum clericos docebit. Non erit tamen incommodum, ad expenſas vitandas, ut qui ætate, prudentia, & eruditione provectiores fuerint, junioribus præficiantur.

Aſſiduus ſit in ſeminario primarius, ſuaque præſentia, & ſollicitudine omnes in officio contineat: ſeveritatem vero potius præ ſe ferat, quam exerceat.

Epiſcopum ſæpiſſime conveniat, ad eumque totius ſeminarii rationem referat.

Librum habeat primarius, in quo, eorum omnium, qui in ſeminarium admittentur, nomina, cognomina, conditionem, diem & annum receptionis, & præterea quicquid ſupellectilis quiſque attulerit deſcribat.

*De œconomia ſeminarii.*

### IV.

CONSTITUETUR procurator negotiis tractandis aptus, & rei domeſticæ adminiſtrandæ & gubernandæ non ignarus, qui primarium opera ſua juvabit in rebus temporalibus, negotiaque cum domi, tum foris ſedulo procurabit.

Procurator redditus omnes ac fructus ſeminarii ſuo tempore colliget: pecunias vero collectas ſtatim primario in arca aſſervandas tradet. Habebit autem librum, in quo diligenter, & ſumma fide deſcribet quicquid recipiet fructuum, pecuniarum, & a quibus, & qua de cauſa, notabitque diem, menſem & annum.

Singulis menſibus accepti expenſique rationem reddet primario: librum vero rationum manu propria conſignabit primarius: eaſdem vero rationes tertio quoque menſe examinabit epiſcopus, una cum quibuſdam ex delegatis a clero.

Obſonator, ſeu ciborum, & aliarum rerum emptor, conſtituetur vir fidelis & bonæ conſcientiæ, qui ſingulis diebus pecuniam neceſſariam a procuratore accipiet: rationemque accepti & expenſi ſingulis diebus eidem procuratori reddet, & id quidem particulatim & minutatim.

Supellectilem, & omnia ſeminarii vaſa, & inſtrumenta in libro ſuo numerata & deſcripta habebit procurator, eorumque rationem reddet primario, ſexto quoque menſe.

Victus moderatus, frugalis & minime delicatus ab epiſcopo & delegatis, habita loci ratione, præſcribetur.

*De diſciplina ſeminarii, & primo de pietate.*

### V.

MONEANTUR ſæpiſſime clerici a magiſtris & præceptoribus, ut pietatis & religionis in primis rationem habeant: necnon in virtutum, & ſpiritualium rerum ſtudium incumbant, majoreſque progreſſus ea ratione ſperent ſe facturos, quam ex aſſiduo in libris & indefeſſo ſtudio.

Singuli, ubi mane hora quarta excitati ſurrexerint, in unum locum convenient, & per dimidiam horam, genibus flexis, orationi incumbent, recitabuntque, uno præeunte, aliis clara voce reſpondentibus, horarias preces B. Mariæ virginis. Breviarium vero qui ſacris ordinibus initiati fuerint, congruo tempore & magna animi attentione recitabunt.

Veſperi, antequam hora nona quieti ſe tradant, omnes ſimul recitabunt litanias, ac mox conſcientiam ſuam diligenter diſcutient & examinabunt. Conſcientiæ vero examinandæ rationem imprimis teneant, tum ut ſibi, tum ut aliis aliquando prodeſſe poſſint.

Singulis menſibus ſacerdoti peccata ſua ſinguli confiteantur: ſacramque euchariſtiam, niſi confeſſario aliud videatur, magna diligentia & devotione præparati ſumant.

Omnibus diebus feſtis ad miſſam majorem & veſperas cathedralis eccleſiæ civitatis, in qua ſeminarium extiterit, bini ex ſeminario prodeuntes, ſuperpelliciiſque induti conveniant: ibique locis deſignatis ſtent ac ſedeant, & cum choro pſallant: nec inde unquam ſe moveant, niſi cum ad officia & munera illis ab epiſcopo & capitulo injuncta accedendum erit, iiſdem quoque diebus concioni publicæ eadem in eccleſia, vel alio loco, arbitrio epiſcopi, intererunt.

Primarius etiam vel alius pietate & eruditione vir ſingularis aliquoties in menſe breves adhortationes habebit ad clericos de virtutum dignitate, vitiorum turpitudine, eorumque remediis, de beatitudine, de pœnis inferni, de morte, de extremo Dei judicio, & ſimilibus argumentis, quibus in ſuſcepto vitæ genere magis in dies proficiant.

Initio prandii & cœnæ unus ex ſacerdotibus benedictionem præmittat, in fine gratiarum actio

actio ſubſequatur: omnes præeunti ſacerdoti alta voce modeſte reſpondeant: addatur pſalmus *De profundis*, & alia collecta pro fundatore & benefactoribus.

Tempore prandii & cœnæ legat unus e ſuggeſtu caput aliquod ex ſacris bibliis, cui addatur pii alicujus libri lectio, quam omnes attente audient, ut dum corpus cibis alitur, mens nequaquam jejunet otioſa.

Inter cetera vero piorum hominum atque doctorum ſcripta, crebro inſignem illam D. Hieronymi ad Nepotianum epiſtolam de vita clericorum privatim & publice legant, ut mature ſinguli ad illius normam ſeſe dirigere aſſueſcant.

*De obedientia, & aliis clericorum ſeminarii officiis.*

## VI.

CUM obedientia ſit bonorum omnium parens, nulluſque recte præeſſe poſſit, qui prius parere non didicerit, idcirco nihil jucundius ſeminarii clericis eſſe debet, quam præfectorum & moderatorum ſuorum præceptis & mandatis in omnibus obtemperare.

Nemo e collegio ſine facultate, & comite ſibi adjuncto egrediatur, cum quo etiam in ſeminarium revertatur.

Nemo literas mittat, aut aliunde accipiat, niſi per manum primarii, qui eas diligenter perleget, nequid in illis ſit, quod eos ab inſtituto divertat.

Extra ſeminarium nemo apud aliquem comedat, niſi apud ſuos parentes & propinquos, idque raro, & cum facultate: nec extra ſeminarium dormiat. Quod ſiquis, inſcio primario, egreſſus fuerit, aut foris remanſerit, rurſus non admittatur niſi conſulto epiſcopo, cujus erit ſtatuere an ſit ille recipiendus in ſeminarium, necne.

Nemo quicquam retinebit, quod primario velit eſſe occultum. Itaque nemo arcam habebit clave obſeratam; aut ſi certe habeat, clavem, quoties jubebitur, primario tradet.

Non ſuperiores modo, ſed & majores omnes colant & obſervent, eoſque, qua par eſt modeſtia, alloquantur. Sint in loquendo prudentes, & caveant alios verbis offendere, ſtudeantque concordiam cum omnibus retinere. Quod ſiquid contra acciderit, quamprimum in gratiam redire conentur.

Nemo, ne joco quidem, alium tangat: ſed ubique, & apud omnes, eamdem ſervent modeſtiam & gravitatem.

Silentium ubique religioſe ſervetur, in templo, in ſcholis, in cœnaculo, inter eundum, & redeundum e gymnaſio: in omnibus denique locis eccleſiaſtica modeſtia eniteat.

Caveant per ſeminarium vagari, ſtudiorum præſertim tempore. Cum iis vero non colloquentur, qui ſibi obviam fient, excepta decenti ſalutatione atque verecunda, quæ prætereundo fieri poteſt.

Quoties autem, ſive ad templum, ſive ad gymnaſium ibunt, modeſte bini procedent, ſubſequente eos præfecto, cui commiſſi fuerint.

Cum iis tantum contubernalibus agant, cum quibus agere permittentur, ad eorum utilitatem. Cum vero ſtudendum erit, nemo cum alio colloquatur: nec [illegible] poſt orationem, nec mane ante [illegible]. Ibunt omnes cubitum hora nona: ſurgent vero hora quarta: ſinguli in ſingulis dormient lectis, ut valetudinem tueantur.

A prandio, & a cœna horam unam honeſtæ relaxationi dabunt. Quamquam nihil impediet illius horæ mediam partem cantui ediſcendo, aut alicui literariæ exercitationi attribuere ex primarii præſcripto.

Munditieſ ſervetur in omni veſtimento, in cubiculo, in lecto, & in libris. Cubiculum ſuum aut dormitorium verrent, quoties in hebdomada ſubmagiſtro videbitur; lectos vero ſuos ſummo mane recte componant.

In refectione corporis ſumenda, omnes in eodem triclinio menſis accumbent: ubi non ſobrietatis tantum habenda eſt ratio, ſed omnis etiam honeſtatis. Quod ut facilius fiat, diverſis in locis, primarius & ſacerdotes, atque ipſi præfecti accumbent, ut omnes oculis luſtrent. Et ſi quis immodeſtius ſe geſſerit, eum admoneant.

*De re literaria.*

## VII.

NIHIL aliud prius diſcant omnes, quam memoria teneant catechiſmi catholici compendium. Cujus poſtmodum numquam intermitti debet repetitio: ut per mutuas interrogationes de ipſo, omni poſcenti, rationem reddere poſſint fidei catholicæ. Ipſa vero repetitio bis in hebdomada poterit inſtitui. Ubi vero provectiores fuerint, diligenter illis commendetur catechiſmi Romani lectio, ut inde altiorem ſacramentorum doctrinam addiſcant.

Latine loquendi legem perpetuo ſervent, ſintque in ediſcendis lectionibus diligentes, & iis præfixo tempore memoriter recitandis: ſtylum etiam aſſidue exerceant, caveantque ne aliis exercitationibus literariis ullo modo deſint. Id vero præſtabunt, pariterque in literis plurimum proficient, ſi præceptoribus pareant.

Nemo a ſcholis abſit conſtituto tempore. In gymnaſio clerici, qui ejuſdem fuerint claſſis ſimul aſſideant, & omni modeſtia ceteris præſtare curent.

Libros nullos emant, nec habeant, niſi quos primarius eorum ſtudiis fore utiles judicaverit. Libros a ſancta ſede apoſtolica damnatos & impudicos ne norint quidem de nomine, multo vero minus eos unquam legere audeant.

Exercebuntur in omni genere diſciplinarum, quæ ad theologiam præſertim cognoſcendam juvant: atque ubi literas humaniores & philoſophiam didicerint, in ea potiſſimum theologiæ parte diligenter inſtruendi erunt, quæ conſcientiæ caſus explicat. Libros etiam eccleſiaſticos, & quos vocant rituales, diligenter legant.

Exerceantur etiam omnes ſuo ordine, pro captu ingenii & doctrinæ, in concionibus & hortationibus faciendis de mandatis Dei & eccleſiæ, de articulis fidei, virtutibus ſequendis, vitiis evitandis, aut de aliqua ſcripturæ ſententia. Ea vero conciuncula poterit fieri toto tempore cœnæ, aut etiam prandii. Qui vero provectiores erunt, ſolennioribus diebus, epiſcopi arbitrio in diverſas parœcias mitti poterunt, ut dum plebi aliquid conſolationis impertient, etiam in concionando exerceantur.

Dum fient repetitiones in ſeminario, aut diſputationes, ut plurimum aderit primarius, tum ut ſingulorum ingenium & indolem melius cognoſcat: tum etiam ut animadvertat ſiquid corrigendum ſit.



*De correctione.*

## VIII.

QUICUMQUE præerunt in ſeminario, ament & foveant ſibi ſubditos, tamquam filios quos generant in Chriſto, miniſtros Dei futuros: deſiderentque potius ab eiſdem amari, quam timeri. Ad bene agendum & proficiendum incitent ipſos magis pudore & libertate, quam metu & formidine.

Si qui ſint tamen dyſcoli & protervi, præſertim, qui aliorum mores inficiant & corrumpant, omni ope conandum eſt, ne quid ſeminario detrimenti adferant, ſi in eos indulgentiores fuerint moderatores. Neque vero qui difficiles natura fuerint, niſi ſe verbis, aut caſtigatione correxerint, diu erunt in ſeminario retinendi.

Et quamvis deſides ac rudes, quique in ſtudio literarum nihil promovent, nulla ratione ſint ferendi in ſeminario: multo tamen magis animadvertere oportet in eos, qui pietatem negligant: qui ſeminarii ſtatuta paſſim violent: qui ſocietatem cum protervis ineant: qui externorum colloquiis delectentur: qui facile obtrectare & murmurare ſoleant: qui ſuos errores (licet ob eorumdem utilitatem id fiat) deferri moleſte ferant: qui mentiri, aut ſua errata inficiari, aut excuſare ſoleant: qui pœnas injunctas graviter ferant: qui ſingulare aliquid, quod iis nequaquam expedire cenſeatur, velint: qui procaciter, impudice, ironice loquantur, aut reſpondeant. Hæc enim & ſimilia vitia ſunt imprimis a toto ſeminario arcenda, & acriter, nemine excepto, corrigenda.

*De ratione promovendi clericos, & ex ſeminario dimittendi.*

## IX.

QUOTIES ordines celebrabuntur, primarius dabit epiſcopo catalogum eorum, qui per ætatem, pietatem, & doctrinam, ad aliquem ordinem promoveri poſſunt, ut de iis, quod videbitur in domino, ſtatui poſſit.

Seminarii titulus ad ſacros ordines adipiſcendos ſuis alumnis erit ſufficiens, quouſque ſacerdotium aliquod ab epiſcopo eis collatum fuerit.

In examinationibus, quæ habebuntur ad beneficia vacatura, clerici ſeminarii, ſi alias idonei fuerint, ceteris omnibus præferantur.

Ad eccleſias quoque paſtoribus deſtitutas, vel ad ſcholas moderandas, aliaque munera eccleſiaſtica obeunda pro temporum & locorum neceſſitate, arbitrio epiſcopi mittentur.

Qui a ſeminario quacumque ex cauſa dimittentur, antequam diſcedant, reddant rationem primario ejus officii, quod domi exercuerint, omniaque, quæ ſibi commiſſa fuerint, ſuo loco reſtituant.

Qui in ſeminario educati fuerint, & ſine licentia epiſcopi alicui loco, aut perſonæ ſe mancipaverint, aut extra diœceſim, in qua ſervire debent eccleſiæ, transfugerint, teneantur ad reſtitutionem alimentorum, quæ in ſeminario perceperunt.

Ii qui diſcedunt, ſi meliore atque ampliore fortuna aliquando utantur, beneficos & gratos ſe eſſe debere in ſeminarium meminerint.

Diſcedentes domino epiſcopo, ſi ſit in civitate, ejus vicariis, primario, ſacerdotibus, ceteriſque æqualibus ſuis valedicant, univerſiſque bene precentur, ac viciſſim, quod fauſtum felixque ſit, ab eiſdem audiant.

# PUBLICATIO CONCILII

ANTONIUS MISERATIONE DIVINA archiepiſcopus Burdigalenſis.

*UNIVERSO PROVINCIÆ NOSTRÆ Burdigalenſi clero, populoque ſalutem in domino.*

EX multis officii noſtri partibus, quæ animum noſtrum, ex quo ad hanc ſedem metropolitanam, nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate evocati fuimus, maxime ſollicitum habuerunt, hæc una certe nobis in mente altius inſedit, ex eo præſertim tempore, quo ſacroſancti concilii Tridentini acceſſit auctoritas, ut eccleſiaſticæ remiſſio diſſolutioque diſciplinæ, ſalutaribus tandem provincialis ſynodi decretis, ex ejuſdem potiſſimum Tridentini concilii præſcripto reformaretur: & non paucorum noſtri ordinis hominum effrænata peccandi licentia, vigili cura & ſedulitate coerceretur. Hac enim in primis ratione, certa nos omnino ſpes ac firma tenuit, fore, ut divina pietas, atque clementia, flagitiis noſtris, morumque perverſitate jure nobis hactenus infenſa, deinceps in nos incitatæ jam tot annis vindictæ ſuæ impetum inhiberet, populumque Chriſtianum ſalutaribus miſericordiæ ſuæ præſidiis per nos communiret. Deinde in hanc etiam ſpem adducti fuimus, ut plerique homines ſimplices & incauti, crebris offenſionibus, maniſeſtiſque ſcandalis, quæ ex præpoſtera, perverſaque noſtrorum hominum vivendi ratione, accidere ſolent, æternæ damnationis iter ingreſſi, ubi demum Dei cultum ac honorem reſtitutum, necnon priſtinam vitæ noſtræ formam immutatam & ſinceriores clericorum mores animadvertiſſent, ſua ſponte ab illa impietate pertinaci reſilirent, & ad Chriſti eccleſiam majore ſtudio & religione ſeſe rurſus adjungerent, veram in ea, certamque ſalutis viam (quæ nuſquam alibi eſſe poteſt) abſque ulla offenſione & periculo reperturi. Verum ſcelerata bellorum inteſtinorum vis atque immanitas, quæ his annis viginti in omni quidem Gallia, ſed in hac præcipue Aquitaniæ provincia, maxima cum vexatione, & piorum quorumcumque hominum internecione, non minus atrociter, quam libere graſſata eſt, tam piis & ſalutaribus conciliis, quo minus ea ex animi noſtri ſententia exequi fas eſſet, penitus obſtitit. Interea vero iſta contagio ac peſtis ſic in dies incrementa cœpit, & ita longe lateque emanavit, ut hæc provincia, quæ nullis, vel florentiſſimis Galliæ provinciis pietate quondam ac religione cedebat, ea jam una ſit, in qua furioſa & præceps hæreſis, parens & alumna totius impietatis ſcelerumque omnium, majora & inſigniora ſævitiæ ſuæ monumenta ſtatuerit. In eas enim calamitates & anguſtias adducta eſt, ut nulla humana prudentia vel induſtria poſſit in integrum reſtitui, atque priſtini ſtatus gloriam atque dignitatem rurſus adipiſci. Attamen cum quicquid hominum vires

ANNO CHRISTI 1583.

vires exuperat, divina bonitate atque potentia infinitis partibus longe ſit inferius: nos propterea, immenſa Dei pietate atque miſericordia freti, ejuſdemque ſolemnibus promiſſis, quibus extremis ſe rebus noſtris atque deſperatis affuturum certo ſpopondit, conſiſi, tandem RR. coepiſcopis noſtris, totique hujus provinciæ clero condiximus, ut ad diem feſtum omnium ſanctorum hujus anni 158.. provinciale concilium in hac urbe nobiſcum habituri, Deo propitio, convenirent. Cui quidem inter ceteros adfuerunt RR. in Chriſto patres ac fratres coepiſcopi, Agennenſis, Engoliſmenſis, Pictavienſis, Santonenſis, atque Sarlatenſis. R. item epiſcopus Vaſatenſis, licet ad provinciam Auxitanam pertineat, cum tamen hic eſſet, ob viciniam, & notam ejus pietatem, a nobis rogatus, libenter interfuit. Ex quorum ſententia & maturo judicio, unoque conſenſu, adhibitis etiam in conſilium abſentium epiſcoporum atque eccleſiarum cathedralium delegatis, abbatibus, collegiorum procuratoribus, ac ceteris, qui ad iſtam ſynodum ex officio jureque convenerunt: cum prius ad nos, ſanctamque ſynodum diligenter delatæ fuiſſent clericorum depravationes, populi querelæ, vaſtationes eccleſiarum ac horrendæ ſolitudines, quas nos omnes niſi cum intimo animi dolore audire nequaquam potuimus; ad immortalem gloriam præpotentis Dei, ejuſque divini cultus inſtaurationem, necnon ad accuratiorem morum & eccleſiaſticæ diſciplinæ informationem, quæ mox ſubjungentur decreta, divino aſpirante numine, edidimus: atque ab omnibus, tam clericis, quam laicis, quatenus ad cujuſque munus ſpectare videbuntur, ſervanda ſanximus. Parum enim fuerit multas & præclaras conſtitutiones edidiſſe, niſi unuſquiſque noſtrum omni mente in eam curam incumbat, ut earum firma conſtanſque ſit auctoritas, eiſque mos ab omnibus ſedulo geratur: imo vero ad aliud nihil conferent, ſi negligantur, quam ad Dei vindictam in nos magis magiſque concitandam. Quamobrem univerſos provinciæ noſtræ RR. coepiſcopos hortamur in Chriſto, atque obſecramus, ut tam piam tamque ſalutarem morum & munerum eccleſiaſticorum emendationem atque renovationem tamdiu expetitam, tantoque plauſu, nec minori lætitiæ ſignificatione in hac celebri metropolitana eccleſia exceptam, omni ſtudio, quantum conniti poterunt in ſuis diœceſibus ſervari diligentiſſime curent, atque ſibi ſubditum clerum, populumque Chriſtianum ſuo ipſi exemplo ad illius obſervationem inducant. Quod quidem & nos in iis, quæ ad partes noſtras ſpectabunt, pro virili facturos, Deo adjutore, recipimus atque pollicemur. Ut autem hæc abſque ullo impedimento a nobis & RR. fratribus coepiſcopis, aliiſque, quibus hæc ex officio cura incumbit, libere & integre præſtari expleríque poſſint, regem noſtrum Henricum Chriſtianiſſimum, quo poſſumus animi ſenſu, rogamus, atque in domino obſecramus, ut pari pietate, cura & ſollicitudine hanc ſynodum tueatur, ejuſque ſancta decreta ſervari omnino jubeat, qua nos ad eamdem cogendam & habendam, pro ſua ſingulari in religionem, Deique cultum propenſione [illegible]. Omnes itidem magiſtratus, to- [illegible] & quoſcumque [illegible] in aliquo auctoritatis aut dignitatis gra- [illegible], in domino obſecramus, ut & [illegible] parte tam ſancti [illegible] faveant, ſubſidiumque nobis ac opem præbeant, quo ſancti hujus concilii decreta ſedulo ab omnibus ſine ulla tergiverſatione ſervari queant: ut ubique profligato frequenti abuſu, deletaque omni pravitate & impietate. Deus optimus maximus, pie, religioſe, & cum debita veneratione ab omnibus in perpetuum colatur.

ANNO CHRISTI 1583.

## LITERÆ CONFIRMATIONIS

### S. D. N. PP.

### *GREGORIUS PP. XIII.*

Venerabili fratri archiepiſcopo Burdigalenſi.

VEnerabilis frater, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Incredibiliter lætati ſumus ſynodum provincialem a tua fraternitate ad nos miſſam, perfectam eſſe tanta cum pietate, quantam & res ipſa flagitabat, & zelus tuus pollicebatur: Quo nomine te plurimi facimus, tibique provincialibuſque tuis, omnia a nobis paternæ caritatis officia deberi agnoſcimus. Reſtat, ut pari ſtudio & cura operam des ut quæ pie, ſancteque decreta ſunt, quam diligentiſſime ſerventur: ſic enim & Dei gloriæ inſervietur, & diſciplina eccleſiaſtica magna cum dignitate, & fructu retinebitur. Id vero te pro tua ſingulari prudentia facturum eſſe non dubitamus. Cetera, quæ ad ſynodum pertinebunt, præſcribent fraternitati tuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, dubiorum ſacri concilii Tridentini interpretes, qui decreta ipſa diligentiſſime conſiderabunt. Adſit ſemper fraternitati tuæ divina gratia, ad ſui nominis gloriam, catholicæ religionis amplitudinem, commiſſique tibi gregis ſalutem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris 3. Decembris 1583. pontificatus noſtri anno duodecimo.

*Ant. Buccapadulius.*

## REVERENDISSIMO

### DOMINO UTI FRATRI, DOMINO

### ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI.

REverendiſſime domine. Quod amplitudo tua, cum primum potuit ſynodum ſuam provincialem Burdigalenſem, ex præſcripto ſacri Tridentini concilii congregaverit confeceritque, ejuſque decreta ad ſanctiſſimum D. N. tranſmiſerit, in eo præclare oſtendit, meminiſſe ſe officii ſui, atque ejus curæ & vigilantiæ, quæ cum proprio gregi, tum univerſæ provinciæ ab ea debetur. Quo nomine ſanctitas ſua tibi, ceteriſque, qui tecum una ei interfuerunt, operamque dederunt, meritam attribuit laudem. Cardinales vero, quibus eadem ſynodus, de more, tradita fuit perluſtranda, lectione ipſius mirifice ſunt delectati: ac, etſi nonnulla adverterint, quæ corrigi oporteat, non tamen de tam pii laboris, & tam præclari operis laude quicquam delibari poſſe exiſtimarunt. Igitur quicquid mutandum erit, amplitudini tuæ cum his literis, tum ſeparatim deſcriptum, tum in margine ſynodi ad ſingula capita adnotatum mittitur; ut ſcilicet pro tua fide, & prudentia, poſtquam illa omnia ſic aptari juſſeris, ad ſynodum promulgandum exequendamque incumbas; idemque a coepiſcopis tuis fieri omnino cures. Mittuntur etiam conſtitutionum quarumdam pontificiarum exemplaria, quæ ad hanc rem faciunt, ut ſi fortaſſe iſtic in promptu non eſſent, mora nulla ſit, quominus videri in fonte poſſint. Quod ſupereſt, amp. tuam tanta cura diligentia, tantoque cum zelo munus ſuum paſtorale implentem, diu, ac feliciter valere optamus. Romæ, die XIX. Decembris 1583.

Amplitudinis tuæ.

*Uti Fr. Ph. Boncompag. Cardinalis S. Sixti.*



ANNO CHRISTI 1583.

# ** SYNODI PROVINCIALIS TURONENSIS

## Partim Turoni menſe Maio, partim Andegavi menſe Septembri, anno domini 1583. habitæ, decreta.

*A ſede apoſtolica correcta & approbata.*

### INDEX TITULORUM.


1. *PRoœmium ſynodi.*
2. *Sanctiſſimo domino noſtro papæ necnon Chriſtianiſſimo regi ſupplicationes.*
3. *De profeſſionis fidei tuendæ cura.*
4. *Fidei profeſſionis formula.*
5. *De extirpandis ſimonia & confidentia.*
6. *De ſacramentis & eorum uſu, ac de baptiſmo.*
7. *De confirmatione.*
8. *De euchariſtia.*
9. *De matrimonio.*
10. *De ſacramento ordinis.*
11. *De feſtorum cultu, veneratione reliquiarum & imaginibus.*
12. *De diſciplina eccleſiaſtica cleri, etiam plebis, circa divina, reformatione.*
13. *De capitulis, dignitatibus & canonicis.*
14. *De parœcis, presbyteris & aliis clericis.*
15. *De Chriſti fidelibus laicis.*
16. *De monachis & monaſteriis.*
17. *De monialibus.*
18. *De ſepulturis.*
19. *De juriſdictione & viſitatione eccleſiaſtica.*
20. *De rebus eccleſiæ conſervandis & non alienandis.*
21. *De ſeminariis, ſcholis & univerſitatibus.*


*Synodi proœmium ejuſque pro Chriſtianiſſimi regis, & regni incolumitate votum.*

### I.

IN primis Deo optimo maximo, hæc ſynodus referendas gratias cenſuit, prout refert; Quod divini ejus ſpiritus afflatu Chriſtianiſſimus rex noſter, eccleſiæ Dei ſtatum ac ordinem modis omnibus roborare diſponens conciliorum provincialium in univerſo Galliæ regno celebrationem gratam non ſolum habuerit, ſed eam etiam indici procuraverit: hinc futurum ſperans, ut quæ ſummo noſtro malo diutius graſſatæ ſunt hæreſes, radicitus extirpentur: & quibus turpiter eccleſia deformatur, prorſus aboleantur abuſus, ac toti Galliæ multis jam dudum ſeditionibus, ac perturbationibus afflictæ, omnium bonorum votis tamdiu deſiderata pax pleniſſime reſtituatur: idcirco ſummopere exoptat, & humilibus a Deo precibus obnixe contendit hæc ſynodus, ut regem tam pium, tamque religioſum, fidei ſuæ conſervatione ſtabiliat, æqua juſtitiæ erogatione muniat, pacem ei locupletem reddat, miſericordiæ fulciat affectibus, virium fortitudine roboret, commiſſa ſibi regni gubernacula diſcreto moderamine tenere concedat, ut commiſſos ſibi populos benigne regat, æque judicet, & ad pietatis jura modificetur, illum & piiſſimam religioſiſſimamque ejus ſponſam, virili prole fructuoſoque regni ſucceſſore locupletet, ejuſque optimam matrem, quamdiutiſſime conſervet.

Itaque cum ſancta ſit & auguſta regum majeſtas, ſitque ſacrilegus & parricida, qui vel re vel verbo tenus regem violat: Quod priſcis cautum eſt conciliis, quodque præſertim in ſynodo apud Lauriacum pagum Andegavenſem habita pridem fuit conſtitutum, renovans hæc ſynodus ſtatuit.

Quandoquidem religioni inimicum, & hominibus conſtat eſſe perniciosum futura curioſius perſcrutari, & fata principum eorumque caſus inquirere, cum ſcriptum ſit, non eſt veſtrum noſſe momenta, vel tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, hoc decreto cenſemus, ut quiſquis inventus fuerit talia perquiſiviſſe, & vivente principe de alio regni ſucceſſore habendo conſilium iniiſſe, ſibique hac in re ſocios conciliaſſe, a conventu catholicorum excommunicationis ſententia expellatur.

Quinetiam pro perverſis hominum moribus emendandis ſalubri deliberatione cenſemus, ne quis in principem maledicta congerat: ſcriptum eſt enim a legiſlatore, Principem populi tui ne maledixeris: Quod ſi quis fecerit excommunicatione eccleſiaſtica plectatur: Nam ſi maledici regnum Dei non poſſidebunt, quanto magis talis ab eccleſia neceſſario pellitur, qui divinæ ſententiæ violator atque in principem peccans, invenitur?

Si quis contra regiam dignitatem doloſe, callide ac pernicioſe machinari comprobatus fuerit, niſi digniſſime ſatisfecerit, anathematizetur.

Si quis poteſtati regis, quæ non eſt niſi a Deo contumaci, ac inflato ſpiritu, contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præſumpſerit, & ejus juſtis imperiis obtemperare noluerit, anathematizetur.

*Sanctiſſimo D. noſtro PP. necnon Chriſtianiſſimo domino noſtro regi humiles ſupplicationes.*

### II.

A SUA ſanctitate (cujus judicio & cenſuræ omnia in præſenti concilio ſancita & deſtinita ſubjiciuntur) ſupplex ſynodus quam poteſt efflagitat obnixe, ut epiſcopis provinciæ, eorumque vicariis, officialibus & pœnitentia-

ANNO CHRISTI 1583.

tiariis, facultatem ab hæreſi abſolvendi, ac hæreticos eccleſiæ reſtituendi iis interdictam, concedere dignetur: Quo facilius hæreſis labe infecti, eadem ejurata, ad eccleſiæ catholicæ gremium revertantur.

Supplicat etiam ut ſuo brevi prohibeat, ne epiſcopi eorumque vicarii, aliquas atteſtationes de fide, religione, natalibus & moribus, eorum qui beneficiis electioni obnoxiis initiari petent, expediant, ratione beneficiorum extra ſuas diœceſes exiſtentium, jubeatque pro beneficiis quæ ſuæ erunt diœceſis, eos tantum audiri teſtes, qui cum beneficia hujuſmodi ambientibus ſint tamdiu converſati, ut veriſimile ſit eos illis non nomine tenus, ſed penitus eſſe cognitos, nec quoſvis ſibi oblatos in teſtimonium admitti, ſed diligenti præcedente indagine ex officio aſſumptos, qui de promovendorum religione, natalibus, capacitate, ſufficientia, morum integritate & converſatione, ac literatura, teſtificari & procul dubio valeant: Ne (quod ſæpius contigit) ſuæ illudatur ſanctitati, dum ad beneficia electioni obnoxia nominati, eligunt pro ſuo arbitrio ordinarios ſibi propitios, quique redemptos neque compertæ fidei teſtes audiunt ſuper vita, moribus, fide, religione ejus, quem paucis ante nominationem menſibus, non fidei integritas, vel morum commendabat honeſtas: eoſdem etiam epiſcopos, eorumque vicarios, ſua ſanctitas moneat, ut hujuſmodi beneficia obtenturos ſeu impetraturos, ſub periculo damnationis æternæ, exacto probent examine: Deque eo ſcripto renuntient, quod vulgus dicit proceſſum verbalem conſcribant, illudque atteſtationi inſerant. Quod cum ſuperioribus annis quidam epiſcoporum aut eorum vices obeuntium tentaviſſent; ut hujuſcemodi nominatos ad obnoxia electioni beneficia ad examen adigere voluiſſent, eo ſolo nomine incœpto cedere ſunt coacti, quod auctore prætore, nempe pontifice maximo, qui nobis omnium magiſtratuum eccleſiaſticorum vice eſt, id examen nullo nobis eſſet diplomate mandatum, nec aliquatenus conceſſum.

Jubeat præterea ſua ſanctitas, ut juramenti diplomatibus, quæ clauſula mittere ſolet, hæc inſeratur formula, quod impetrantes beneficia, [a] per ſimoniam nec ulla interveniente ſacrilega nundinatione illa obtinuerint, nec per confidentiam poſſidere in animo eſt: Quorumque conferendorum illis erit facultas, his de perſonis idoneis non per ſimoniam, aut confidentiam providebunt: Dictorumque diplomatum executionem ordinario ejus diœceſis, in qua eſt ſitum beneficium, non alii, (ſi ſuæ ita videatur ſanctitati) committere dignetur.

a) Forte, nec per ſimoniam. H.

Cum Tridentini œcumenici concilii, ad fidei catholicæ conſervationem promulgatio, & juris epiſcopos & abbates eligendi dudum ab eccleſiis Franciæ diſtracti & obtriti, reſtitutio, ſint perneceſſariæ, ſuam majeſtatem impenſe rogat ſynodus, ut dignetur jubere, concilium Tridentinum publicari: necnon ipſis eccleſiaſticis permittere, ut epiſcopos & abbates ſibi deligere valeant: Quæ ſi ſua majeſtas, certis de cauſis nobis hactenus incognitis, minime concedenda ducat, ſupplicat humiliter ſynodus, ut ſanctiſſimo domino noſtro papæ, ad beneficia electioni obnoxia, viros hujus numeri capaces & idoneos, juxta ſacrorum conciliorum decreta, & ſalubriter ſancitas ordinationes, nominare velit. Suæ etiam majeſtati ſupplicat concilium, ut decreta & ſtatuta omnia hujus ſynodi, perpetuo quibuſcumque appellationibus poſtpoſitis: fiduciaria ſaltem juriſdictione, quod vulgo fertur per modum proviſionis, a provincialibus obſervari jubeat: Quibus quidem appellationibus ſi relinquatur locus, nullum omnino hujus concilii, nec aliorum in poſterum celebrandorum fructum præſagit eſſe ſperandum.

*De profeſſionis fidei tuenda cura.*

III.

CUM omnes, eccleſiaſtici præcipue, eamdem fidem quam juxta articulos a ſancta ſede apoſtolica præſcriptos, hæc ſynodus profeſſa eſt, tenere debeant: ſtatuimus quod qui dignitates, canonicatus & præbendas, tam in metropolitana, quam cathedralibus eccleſiis obtinent, necnon abbatias, prioratus, eccleſias parœciales, aliaque beneficia, & officia eccleſiaſtica, tam ſæcularia quam regularia, etiam in collegiatis eccleſiis ac monaſteriis quibuſcumque, quovis nomine cenſeantur, intra tres menſes a die adeptæ poſſeſſionis in præſentia epiſcopi, ſeu vicarii, vel officialis, hujuſmodi profeſſionem legant & faciant, eique ſua manu ſubſcribant: Cui quidem decreto per procuratorem ſatisfacere illis minime liceat.

Donec vero juraverint, ſuorum beneficiorum fructus, elapſo trium menſium ſpatio, uſui ſeminarii in quacumque diœceſi erigendi, & aliis piis operibus, judicio epiſcopi, applicabuntur: niſi dicti fructus, de jure vel conſuetudine aliis ſint affecti vel deſtinati.

*Dictæ vero fidei profeſſionis tenor eſt ejuſmodi.*

IV.

EGO N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: CREDO in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam, & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item ſacram ſcripturam, juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione



ANNO CHRISTI 1583.

ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis) neceſſaria. Scilicet: Baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium: illaque gratiam conferre. Et ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula quæ de peccato originali & juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem. Quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.

Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre. Atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſime aſſero, imagines Chriſti ac deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem eſſe impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo.

Sanctam, catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo: eamdem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo juvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Quam etiam fidei profeſſionem, per capitula eccleſiarum cathedralium & collegiatarum a beneficiatis quibuſcumque ab iis dependentibus, exigi volumus: ipſis beneficiatis ut prædictam fidem coram dictis capitulis profiteantur, injungentes: nulla per beneficiatos, hujuſmodi profeſſionem fidei facientes, epiſcopis aut capitulis, ſolvenda mercede.

Quia vero multi a vera fide aberrantes, contra hujuſmodi profeſſionem, etiam conſulto gravius peccant, ut magi, arioli, aruſpices, faſcinatores, divinatores, præſtigiatores, ſuperſtitioſi, ſortilegi, hæretici & ſchiſmatici, aliique ad hujuſmodi facinora, ſacra ſcriptura abutentes: Prohibet hæc ſynodus, ne libri magicæ artis, hæreticorum, ſchiſmaticorum, aut ſortilegia, incantationes, & curioſas artes docentes, vel ad laſciviam & luxum provocantes, imprimantur, vendantur, legantur aut retineantur omnino: his demptis, quibus a ſummo pontifice, vel de jure conceſſum eſt: jubetque, ſicubi reperti fuerint, comburantur, ſub ejuſdem anathematis pœna, quam ipſo facto incurrent, qui minime paruerint.

Ut autem tutius in eccleſiæ gremio contineantur, qui ab ea non deſciverint, omni fidei Chriſtianæ & religionis catholicæ profeſſori, præſertim eccleſiaſtico, inhibet: Ne cum antedictis ſortilegis, incantatoribus, divinatoribus, curioſas artes docentibus ſeu ſectantibus, prudens ſcienſque communicet, confabuletur, colloquatur, ſub interminata pœna, ſi decreto non obedierit.

Nec etiam hæreticis aſſiſtant in his quæ circa fidem ſunt inter nos controverſa, præſertim in vitioſa & corrupta ſacramentorum baptiſmatis, cœnæ, matrimonii adminiſtratione, cadaverumque ſuorum ſepultura, contra eccleſiæ catholicæ ritum introducta: nec eorum concionibus vel potius pernicioſorum dogmatum diſſeminationibus, aliiſve eorum actionibus, catholicæ fidei, & religioni adverſantibus, ullo modo interſint.

Cum autem apoſtolo monente, finis præcepti ſit caritas, noſque jubeat caritatem in omnibus ſectari, ut omnes ſalvi fiant: Epiſcopi, concionatores & rectores, ſuis in concionibus, dumque verbum Dei interpretabuntur, modeſte eos commonefaciant & adhortentur ut a ſuis erroribus revocent, & Chriſto lucri faciant, quantaque poterunt humanitate, manſuetudine ac monitis ſalutaribus ad catholicam eccleſiam reducere ſtudeant.

Quia vero non pauci magos, incantatores, maleficos, ſortilegos & ſuperſtitioſos adeunt: ut a ſuis vel ſuorum morbis, curationem, auxilium opemve inveniant: eorumque conſilio, phylacteria, annulos, ſchedulas, characteres pro amuletis, cum certa precum formula, verbis etiam incognitis concepta, & ſubmiſſa voce prolata, deferunt, idque non ſine gravi animarum ſuarum damno atque periculo, exiguntque ab incautis ſacerdotibus, annulorum, phylacteriorum, ſchedularum & characterum benedictiones: omnibus præſertim eccleſiaſticis ſub depoſitionis, laicis vero ſub excommunicationis pœna, ut a prædictis omnibus abſtineant, hiſve fidem, quacumque ratione adhibeant, prohibemus, aliiſque præterea juris & arbitrii pœnis hujus decreti contemptores coerceantur.

Severiter ac diſtincte ſacerdotibus præcipientes, ut juxta Turonici concilii tertii decretum, do-

ANNO CHRISTI 1583.

doceant fideles populos, magicas artes, incantationeſque quibuslibet infirmitatibus hominum, nihil poſſe afferre remedii, aut animalibus languentibus, claudicantibuſve, vel etiam moribundis, quicquam prodeſſe, nec ligaturas oſſium vel herbarum ſuperſtitioſe compactarum cuiquam mortalium adhibitas eſſe adjumento, ſed iſthæc omnia nil aliud ducere quam occultos antiqui hoſtis laqueos hamataſque decipulas, quibus humanum genus ineſcare atque tandem perdere enititur.

Quin etiam, *cum videamus* aſtrologia ad nos decipiendos abuti, ea præſertim quam judiciariam vocant, hac penitus abſtinendum, eſſe cenſemus, ac eum qui dixerit aſtrologis, vel mathematicis, ſeu genethliacis eſſe credendum, eorumve dictis fidem eſſe adhibendam, anathemate feriendum eſſe declaramus.

Cum præcipuum ſit epiſcoporum munus ut ſua quiſque diœceſi ſtrenuam det operam quo ſancte, pure ac ſincere per ſe aut alios verbum Dei annuncietur, maximaque ab his ſit adhibenda cautio, ne a quibuslibet id fiat, ſine ullo & ſtatus & doctrinæ diſcrimine, ſitque omnibus perſpicuum ob non adhibitam ſeligendis concionatoribus & verbi Dei interpretibus diligentiam, ortas hæreſes vix evelli poſſe, novoſque in dies exoriri errores: ſtatuimus ne impoſterum quiſquam ſancto concionandi, & verbum Dei interpretandi muneri præficiatur, qui non ſit ſacro, ſaltem diaconatus ordine inſignitus, & accurato examine, ab epiſcopo aut ab eo deputando, probatus: Quique ſui ad concionandum mandati, literis manu epiſcopi & ſigillo, ſeu ejus vicarii & ſecretarii ſigno ſirmatis, gratiſque concedendis fidem faciat.

Similiter, confeſſionibus populi audiendis, præſertim in urbibus, nemo præficiatur confeſſionarius, niſi qui debite per epiſcopum, ſeu ejus pœnitentiarium, tum vitæ morumque integritate, tum literatura & experientia fuerit idoneus judicatus: Quod ut fiat commodius, ſinguli concilii Tridentini cathechiſmum, certamque confeſſiones excipiendi formulam a doctis & catholicis viris congeſtam, ſuper qua examinabuntur, penes ſe habere; & ut promptius lepram a lepra diſcernere queant, quantum fieri poterit memoriter ſcire teneantur.

At ne quis abuſus, in contemptum & præjudicium hujus decreti obrepat: Mandat hæc ſynodus archidiaconis, archipresbyteris, decanis, & aliis quibuſcumque, tam de jure quam conſuetudine viſitationis officio fungentibus, ut ſi quos, parœcias viſitando, repererint minus idoneos, vel contra decretum prædictum facientes, diligenter inquirant, & ſi viderint expedire, contemptoribus verbi Dei prædicatione & confeſſionum auditione, interdicant: donec aliter per epiſcopum ſtatuatur.

Cum autem, niſi & rectoris integritas, doctrina, vigilque diligentia in id nobiſcum conſpiret, hoc perfici minime poſſe ſit perſpicuum: volumus & decernimus, nullum deinceps eccleſiæ regendæ præficiendum, niſi qui prævio examine per concurſum juxta formam a ſacris canonibus & Pii quinti conſtitutione præſcriptam huic oneri par, & magis idoneus inventus & electus fuerit; capitulorum, archidiaconorum, & archipresbyterorum: qui jus habent in nonnullis diœceſibus, ad parœciales eccleſias nominandi ſeu repræſentandi, ſalvis juribus.

[...]lato etiam, qui in multis diœceſibus in[...] uſu, omnibus eccleſiaſticis, cujuſcumque ſtatus, ordinis aut dignitatis exiſtant, prohibemus, ne indulgentias, aut alias ſpirituales gratias ſive ab antiquo, ſive poſt Tridentinum concilium conceſſas, audeant in poſterum publicare; præter eas, quas ordinarii locorum adhibitis duobus de capitulo debitis temporibus populo publicandas judicaverint, eas omnes quæ ſunt quæſtuariæ, cum ſint per concilium Tridentinum abrogatæ, non eſſe publicandas, decernentes.

Sanctorum patrum antiquis conſtitutionibus inhærentes, laicis de fide catholica diſputare omnino prohibemus: Imo magis ea quæ a ſanctis conciliis ſancita ſunt, firmiter tenere injungimus, Moſemque audire Iſraeliticum populum cum curioſius de rebus arcanis inquireret, monentem, Audi Iſrael & tace.

Nulli omnino liceat, quacumque fulgeat dignitate, cujuſvis etiam ſit ordinis vel qualitatis, ſacella vulgo capellas, ſive eccleſias de novo ædificare & erigere, cujuſcumque privilegii prætextu, nec in his miſſas, & alia divina officia celebrari facere, abſque epiſcopi licentia, quam non niſi juſtis de cauſis, & ſuper his debita inquiſitione præcedente, concedi volumus.

*De extirpandis ſimonia & confidentia.*

## V.

CUM more prudentis medici, ad curandum exitialem confidentiæ morbum, priſcis incognitum, novum excogitare remedium coacti fuerint, felicis recordationis Pius IV. & V. beati Petri ſucceſſores, non modo confidentiam iſtam, peſſimum & graviſſimum genus ſimoniæ eſſe declararunt, ſed etiam ad hujuſmodi humoris peccantis, & virgineam eccleſiæ catholicæ faciem fœdantis, contumaciam ſuperandam, confidentiarios a ſolo pontifice Romano abſolvi poſſe, niſi in mortis articulo, prudenter decreverunt, attamen nonnulli religioſi, ut ſub confidentiariorum cubito pulvillos conſuant in contemptum pontificiæ bullæ, contra confidentiarios promulgatæ, ſibi paſſim nimis impudenter vendicant poteſtatem, prædictos confidentiarios etiam extra mortis articulum, abſolvendi, virtute quarumdam indulgentiarum plenariarum, ſibi olim conceſſarum, adeo ut ab ipſis religioſis, ſe vere abſolutos eſſe maleferiati confidentiarii facile ſibi perſuadeant, *nulla prorſus reſtitutione facta*: Idcirco ne impoſterum eccleſiæ catholicæ deſertores inde poſſint anſam arripere bullæ prædictæ, vel indulgentiis plenariis detrahendi, tamquam ſibi invicem pugnantibus, humillime ſynodus [a] hæc ſanctitati ſupplicat, ut hunc ſolvere nodum dignetur, & ſuper hac re, ſuam aperire mentem velit, ne plenariis indulgentiis, ſive antiquis ſive novis, ſacerdoti cuilibet, modo ab ordinario fuerit approbatus, confidentiarios etiam corpore ſanos abſolvendi facere poteſtatem, non obſtantibus prædictis Piorum IV. & V. diplomatibus.

[a] *Forte, ſux.* [?]

Ipſam autem bullam Pii quinti, ut magis innoteſcat, & perfrictæ frontis confidentiarii & ſimoniaci pudore ſuffundantur, & ad meliorem mentem redeant: in qualibet diœceſana ſynodo, ſemel in anno & dominica paſſionis in ſingulis parœciis publicari volumus, cujus tenor eſt hujuſmodi. *Pius epiſcopus, &c.* Bene quidem, & providenter fel. rec. Pius papa IV. prædeceſſor noſter ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum eccleſiaſticorum corruptelam, ſtatuit & decrevit, ut ipſo jure vacarent eccleſiæ, monaſteria, ceteraque beneficia eccleſiaſtica in confidentiam a quibuſcumque etiam S. R. E. cardinalibus cujuſvis perſonæ contemplatione, vel intuitu recepta liberam illorum diſpenſationem ſibi & apoſtol. ſedi reſervando, nec valere ipſorum collationes ſeu conceſſiones, nec fructuum, nec penſionum reſervationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi, ſeu accedendi & ingrediendi ad eccleſias, monaſteria, beneficia ſupradicta, illaque recipientes, fructus, penſiones, & alias res eorumdem indebite percipientes. Prohibens quibuſcumque etiam ſub cenſuris eccleſiaſticis, ne quid hujuſmodi amplius auderent. Ac etiam decrevit omnes & quaſcumque proviſiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias diſpoſitiones de eccleſiis, monaſteriis, & beneficiis, necnon reſervationes fructuum, penſionum, rerum & jurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliaſque facultates, ſive per ſe, ſive futuros Romanos pontifices, etiam motu proprio, ac conſiſtorialiter, ſive etiam per ordinarios collatores, etiam ad patronorum præſentationem, cum interventu confidentiæ hujuſmodi, ſive expreſſe, ſive occulte, ac de jure præſumpto, & alias contra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam ſuffragari, ſed eccleſias, monaſteria, & beneficia hujuſmodi ipſo jure vacare, ac prædictæ diſpoſitioni reſervata eſſe, ſicque per quoſcumque etiam per præſumptiones & conjecturas legitimas, & alias eorum arbitrio procedendo, cum alioqui confidentias hujuſmodi in lucem erui & probari non poſſe conſtaret, judicari & diffiniri debere. Necnon irritum & inane quicquid ſecus contigerit attentari, quemadmodum confectis ſuper his literis plenius continetur & infra. Multi enim ipſa beneficia jure retinere nequeuntes: alii ne cogantur ad ſacros ordines, ad reſidentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiſcantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces: quidam ut purgato delicto, vel abſolutione conſecuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in pleriſque fructus ipſorum aut eis miniſtrantur, aut quibus ipſi ſtatuunt, ſæpe laicis, & inhabilibus: plerique vel ſenes, vel infirmi, ut beneficia domibus ſuis perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel pro ſanguinis ſimilibus detinenti de fructibus eccleſiaſticis [...] vel illa etiam eum infantibus, aut naſcituris aſſerendis, facto interdum circuitu retroceſſionis cum reſervatione fructuum & aliarum rerum, aut acceſſu, præſertim ab illis qui præſtandorum jurium cameræ apoſtolicæ ſunt immunes, alii aut incapaces, aut aliis beneficiis eccleſiaſticis onuſti, aut eccleſiaſtico ordini ſeſe mancipare refugientes, aut mere laici beneficia eccleſiaſtica aliis conferenda procurant, ut de illis poſtmodum, ad libitum ſuum diſponatur, fructus etiam percipientes illorum, ad hæc plerique ordinarii, & alii collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus, ſeu penſiones capiant eorumdem, aliiſve faciant miniſtrari. Alia item permulta ejuſmodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, diſciplinæ eccleſiaſticæ nervus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare nos volentes periculoſam talium audaciam novi juris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut ſi quis quacumque auctoritate eccleſiam, vel monaſterium, aut aliud beneficium eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ ſimpliciter aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu, etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus, eidem dimittenti, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur ex eiſdem, hæc confidentia cenſeatur. Itidem ſi ordinarius vel alius collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium eccleſiaſticum quovis modo vacans ea conditione tacita vel expreſſa, ut poſtea in alterum pro arbitrio collatoris, ſeu alterius, cujuſcumque contra juris communis ordinationem diſponatur, ſive ut de eo proviſus, fructus illius vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis vel cedentis, aut alterius, relinquat & remittat, ſeu penſionem illi vel illis, quem vel quos idem collator aut cedens, vel alius per ſe vel alium ſcripto aut verbo juſſerit ſeu ſignificaverit, perſolvat, & pariter ſi a patrono etiam laico, vel alteri præſentatori, ſeu electori contigerit aut contingat id fieri. Adhæc ſi cardinalis, aut alius a ſolutione jurium ipſius cameræ, vel etiam cancellariæ apoſt. exemptus poſt reſignationem, vel ceſſionem alicujus extranei de eccleſia, monaſterio, vel alio beneficio eccleſiaſtico in ſe apoſtolica vel alia auctoritate factam & admiſſam illam vel illud etiam confectis literis apoſtolicis & poſſeſſione apprehenſa in eumdem reſignantem vel cedentem modico ſpatio interjecto, veluti duorum, aut trium menſium retroceſſerit, aut retrocedat in futurum [a] ex illa retroceſſione fructus eccleſiæ, ſeu monaſterii, aut beneficii, vel eorum pars ſeu penſio, ſeu quid aliud ſuper illis reſervatum, aut regreſſus ſeu acceſſus, & ingreſſus ad illa vel illud ipſi clerico, vel cardinali, aut alio exempto ſit fueritve conceſſus. Poſtremo, ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſt denuo receperit, quacumque auctoritate eccleſiam, monaſterium, vel aliud beneficium eccleſiaſticum, quod ante vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerit, in quovis horum caſuum confidentiæ pravitas ſit contracta, caſuſque hujuſmodi literis prædictis comprehendantur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſi fuiſſent, licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum. Ad probandum vero plene confidentiarum abuſum inter alias etiam hæ præſumptiones, & conjecturæ habeantur legitimæ, videlicet, ſi quis poſt ceſſam a ſe eccleſiam vel monaſterium aut beneficium, & publicatam reſignationem, ſeu ceſſionem, captamque a ſucceſſore poſſeſſionem ſeſe in illa, vel illo ſeu rebus illius per ſe, vel alium, ſeu alios de facto injecerit, aut fructus perceperit, aut quicumque ſucceſſor illi vel ejus propinquis ipſos, aut partem aliquam remiſerit eorumdem, ſi recipiens beneficium conſtituerit dimittentem, vel ejus parentes aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimiſſi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit, ſi vel ſola procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus menſariorum, ex parte dimittentis expeditio quæ perſonam recipientis concernit, proſecuta ſit, ſimulque expenſæ pro ea

[a] *Fr & ea ll.* [?]

ANNO CHRISTI 1583.

ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint. Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficio eccleſiaſtico per ſe, vel alium ſeu alios interceſſerit, vel alias in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit, quoquo modo denique aliquid de fructibus talis beneficii de facto etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quandocumque. Teſtes autem de quaque re ſingulares ſingulas probare valeant præſumptiones, & conjecturas pluresque hujuſmodi præſumptiones & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis. Ceterum criminoſi & ceteri omnes qui ad perhibendum in caſibus ſimoniæ teſtimonium recipi poſſunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quiſquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra ſe judicii in crimine perſeveret, utque hoc malum gravioris cenſuræ ſtimulo uſquequaque prohibeatur, omnes & ſingulos qui hucuſque eccleſias, monaſteria, beneficia, fructus, penſiones aliaſve res intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, niſi ſtatim ad ſe reverſi & reſipiſcentes celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & qui quid tale admiſerint in futurum etiam omnibus & ſingulis aliis monaſteriis, dignitatibus, adminiſtrationibus, officiis & beneficiis obtentis quæ pariter ſub dicta reſervatione comprehendi volumus, necnon fructibus, penſionibus, & aliis officiis temporibus præſentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in juris ſubſidium excommunicationis ſententia innodamus, a qua nullus niſi in mortis articulo conſtitutus ab alio quam a Romano pontifice abſolutionis beneficium valeat obtinere, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono Kalend. Junii pontific. noſtri anno quarto.

Confeſſarios monentes ut ſimoniæ & confidentiæ reos, non abſolutos, ad ſedem apoſtolicam, juxta prædictam bullam, donec aliter ſua ſanctitas decreverit, abſolvendos remittant.

Epiſcopis ſeu eorum vicariis & officialibus mandantes, contra prædictos confidentiarios & ſimoniacos extraordinarie ad dictæ bullæ ſeriem procedere.

Quos cum eccleſia, non minore quam fidei deſertores odio habeat, ipſi etenim magno cleri ſcandalo, animarum ſuarum periculo, ac eccleſiæ bonorum gravi diſpendio, ad beneficia provehuntur, ut a tanto ſcelere magis revocentur, volumus omnes epiſcopos in capitulis, abbates ac priores conventuales in ipſius epiſcopi manibus, deinde in conventus præſentia antequam perſonaliter recipiantur; omneſque alios beneficiatos, priuſquam fructuum perceptioni ſeſe immiſceant, etiam in ipſius epiſcopi ſeu ejus vicarii vel officialis manibus jurare, ſe hujuſmodi beneficia per ſimoniam aut confidentiæ nomine non eſſe adeptos, quorum beneficiorum fructus, ſuos alioqui non facturos eſſe, imo ad eorum reſtitutionem, ſi quos perceperint, teneri decernimus.

[illegible]

*SESSIO CONCILII TURONENSIS apud Andes.*

## DE SACRAMENTIS ET EORUM USU

*De baptiſmo.*

### VI.

NATOS infantes, quam diligenter fieri poterit, ad eccleſiam parœcialem ſolenniter deferri, & in ea, nec prorſus alibi, niſi urgeat neceſſitas, adhibitis exorciſmis, exufflationibus, unctionibus & ceteris ritibus, jam inde ab initio religionis Chriſtianæ, per univerſam eccleſiam adhiberi ſolitis, & aqua, benedictione ſolenni & ſacri ſchriſmatis unctione, ſanctificata, baptizari jubet ſynodus.

Iis autem ſanctorum & laudatorum virorum, quorum exemplo ad virtutem alliciantur, nomina imponi, non vero alia, a poetis, vel aliis fabulatoribus inventa & jocoſa, neque plures patrini, aut matrinæ adhibeantur, ſed unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, qui non juniores ſint annis quatuordecim, quique memoriter ſymbolum, & orationem dominicam, tenentes, haud etiam ſint ignari ejus pacti quod cum Deo pepigerunt, & cujus cauſa fidejuſſores apud Deum & eccleſiam exiſtunt.

Inter quos patrinum & matrinam nullam cognationem ſpiritualem contrahi, ſed tantum inter eos, & baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem ſacrorum canonum decretis inhærendo, declarat hæc ſynodus.

Rectoribus eccleſiarum parœcialium aliiſque eorum vices gerentibus, mandando: ut ſi plures uno patrino, & una matrina in ipſa ſuſceptione interveniant, duos præcipue deſignari curent, quorum nomina in regeſto ſuper hoc per ipſos rectores fideliter conficiendo tantum deſcribantur. Aliis qui intervenerint, pro teſtibus ſeu præſentibus dumtaxat habendis quibus patrino & matrinæ deſignatis, ipſi rectores diligenter & accurate explicabunt vim ac dignitatem ſacramenti per infantem recepti, necnon curam quam circa infantis tum perſonam, tum inſtitutionem (quoad uſque ad annos diſcretionis pervenerit,) gerere illi debeant.

Eos qui ab hæreticis Calviniſtis ſunt baptizati, cum aquæ infuſione, ſeu in aquam immerſione, & horum verborum, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, proclamatione, & intentione faciendi quod facit eccleſia, dicit hæc ſynodus, ſacroſanctis conciliis inhærendo, rebaptizari non debere, ne quidem, cum hujus conditionis, ſeu clauſulæ adjectione, Si tu non es baptizatus, ego te baptizo.

*De confirmatione.*

### VII.

CONFIRMATIONEM eſſe ſacramentum, ab omnibus Chriſtianis maxime amplectendum, illiuſque ſolum epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum, nos docet eccleſia catholica, idcirco omnes Chriſtianos hortatur hæc ſynodus, ne in illius ſuſceptione negligentes ſe exhibeant, quo facilius adverſus diaboli inſidias ſtare, ejuſque tela ignea valeant extinguere.



ANNO CHRISTI 1583.

Quod ut decentius conferatur, ſtatuit ne ad illud facile minores ſeptennio, qui autem ſunt adulti non niſi prævia peccatorum confeſſione admittantur.

Tonſura vero non inſigniantur, niſi ſufficienter literati: juxta ſacrorum canonum decreta, quibuſque adſit animus, divinis officiis inſerviendi.

*De euchariſtia & miſſæ ſacrificio.*

### VIII.

SAcrificium miſſæ, cum ſit auguſtiſſimum, ac digniſſimum, ideoque non niſi quam digniſſimæ ac honeſtiſſimo loco tractari debeat, nulli presbytero ſæculari, vel regulari in privatis domibus, nec etiam nobilium aut aliorum potentum, juxta ſacros canones, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo jure incurrenda, celebrare liceat.

Obſervandum eſt ut menſa Chriſti, ideſt altare, ubi corpus dominicum conſecratur, ubi ſanguis ejus hauritur, ubi ſanctorum reliquiæ recon duntur, ubi preces & vota populi, in conſpectu Dei a ſacerdote offeruntur cum omni veneratione honoretur, & mundiſſimis linteis, & pallis diligentiſſime cooperiatur, nihilque ſuper eo ponatur niſi capſæ cum ſanctorum reliquiis & miſſale.

Expleta vero miſſa, calix cum patena, & corporalium theca cum veſtibus ſacerdotalibus, in mundo loco ſub ſera recondantur.

Corporalia autem, ſuper quibus ſacra oblatio immolatur, ex mundiſſimo & puriſſimo linteo ſint, nec in iis alterius generis materia, precioſior, aut vilior miſceatur, & nunquam ſuper altare remaneant, niſi tempore miſſæ: ſed aut in dicta theca ponantur, aut cum calice & patena, in mundiſſimo loco recondantur: & quando ablutione indigebunt primo a ſacerdote, diacono vel ſubdiacono abluantur, in loco & vaſe ad hoc præparato, eo quod ex dominico corpore & ſanguine tincta ſint, poſt hæc a lotore in nitido loco parentur.

Et ne quod, proh dolor, pluribus in locis & a multis temporibus fit nimis licenter, ſacerdotes populum ſibi commiſſum, a devotione potius revocent, quam ad ſacrorum, & tremendorum myſteriorum meditationem, contemplationem & debitam eis impendendam venerationem, invitent: eiſdem diſtrictiſſime inhibemus, ne miſſis celebrandis ſe immiſceant, niſi prius a peritis, & exercitatiſſimis ſacerdotibus docti ritus & ceremonias, in tam celebri ſacrificio, ſumma cum reverentia neceſſario obſervandas, earumque vim, effectum & rationem didicerint: Quas ceremonias innovare, aut aliis ab eccleſia minime receptis & approbatis uti non permittimus.

Veterum patrum ſanctionibus adhærentes, diſtricte prohibemus, ne ſacris [a] canonicis verbis, præſertim ſacramentalibus, etiam prætextu orationis, quidquam addatur, aut detrahatur, aliave miſceantur.

[a] Forte, Canonis. H.

Miſſas primam, majorem parœciales, & in iis eccleſiis quibus duæ miſſæ debent aut conſueverunt celebrari, hora conveniente, ut pote ſexta & nona ante meridiem, non prius aut tardius celebrent: hi quibus incumbit, potentum quorumvis, etiam nobilium, aut aliarum perſonarum favore, precibus, minis ſeu comminationibus, in contrarium non prævalituris. Matutinæ vero & veſpertinæ preces, horis debitis & opportunis, pro loci conſuetudine, & temporis commoditate, ut populus intereſſe poſſit, celebrentur: Quod noſtrum decretum archipresbyteri archidiaconi & alii jus viſitationis habentes, nullo modo permittant infringi, imo exactiſſime obſervari procurent.

At cum plerique ſacerdotes ut ventri potius aut avaritiæ inſerviant quam ut populi pietatem excitent horis intempeſtivis videlicet prima & majore miſſis parœcialibus durantibus celebrent: eoque fiat, ut parœciani pronis, & Chriſtianæ inſtructioni, poſt offertorium a rectoribus fieri ſolitis, non interſint: Prohibemus miſſis parœcialibus durantibus, ne in eadem eccleſia aliæ miſſæ, alta aut ſubmiſſa voce, cujuſvis fundationis, aut confraternitatis colore, celebrentur: Contemptores arbitrio epiſcoporum puniendos decernentes.

Cum ſacri canones, prius a miſſæ ſacrificio non eſſe recedendum doceant, quam fuerit poſt communionem impertita benedictio, juſſuſque populus, miſſa peracta, recedere, eorumdem conſtitutionibus inhærendo, ne quis ante benedictionem quæ poſt communionem ſequitur, abſcedat vetamus.

Poſt quam benedictionem, non vero ante, ne prophana ſacris miſceantur, per ipſos rectores, ea populo annunciari volumus, quæ ad res temporales ſpectant, literas etiam monitorias ſeu querimoniales: Quæ vero obtinentur ad factorum revelationem, ſuper quibus lites coram judicibus erunt conteſtatæ, has, necnon promiſſionum matrimonialium publicationes in prono poſt offertorium fieri, ne partes in ſuis probationibus forte deficiant, atque illis fruſtrentur, libere permittimus: officialibus curiarum epiſcopalium, quibus eſt illas concedendi, & ſubſignandi facultas, mandantes, has monitorias literas, ab illis certis adjectis clauſulis, ne præſens decretum aliqua ratione infringatur, ſecernere.

Parœci autem in prono quod poſt offertorium fieri & in eo tantum res ſpirituales tractari volumus, nullas rerum prophanarum proclamationes faciant: Quas præfata communione peracta tantum, publicare poterunt: horum tamen quæ contra bonos mores ſunt, veluti chorearum, ludorum & ſimilium publicatione, omnino illis interdicta.

Quicumque eccleſiaſtici, tam ſæculares, quam regulares, Deum omnipotentem oraturi, in eccleſiam conveniunt, habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non præcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente, ſeipſos ac verba ſtudeant componere, quam maxima in hoc ſacro loco fieri poterit modeſtia.

Ut autem præmiſſa accuratius fiant, eccleſiarum parœcialium rectoribus earumque procuratoribus, ſeu theſaurariis, ac omnibus quibus ornamentorum cura eſt commiſſa, hæc adeo exacte curare mandamus, ut nihil decoris, ad tam ſanctum myſterium deeſſe patiantur.

Archidiaconis, archipresbyteris, decanis & aliis quibus parœcias & alias eccleſias viſitandi cura incumbit, in eos qui neglexerint inquirere mandantes, ut cauſa cognita, temporalium amiſſione, aliaque ſeveriore juris via, plectantur.

*De matrimonio.*

## IX.

CUM matrimonium ſit ſacramentum, multis nominibus a Deo commendatum, & ad propagandam inter homines mutuam caritatem aliiſque juſtis de cauſis inſtitutum, ſacri canones virum & mulierem, niſi remotiore quam quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſeſe attingant, matrimonium inire prohibuerint, & cognationi ſpirituali certos præſtituerint gradus intra quos virum & mulierem ſimul jungi non liceret, plerique nihilominus in ſacrorum conciliorum contemptum & totius eccleſiæ grave ſcandalum, in quarto, tertio, etiam ſecundo, tum affinitatis, tum conſanguinitatis gradibus, intraque cognationis ſpiritualis gradus lege prohibitos, in ſuarum animarum diſpendium, temere & clam ſimul copulari auſi ſunt: hæc autem conjunctio cum matrimonium cenſeri non debeat, ſed vere inceſtuoſus ſit concubinatus, ſintque liberi, ex hujuſmodi inceſtu procreati, ſpurii, nec debeant parentibus legitime ſuccedere, ut in poſterum omnes a tam nefaria & ſcelerata conjunctione caveant: omnibus viſitationis munere fungentibus, eccleſiarumque parœcialium rectoribus, an in ſuis finibus, & parœciis ſint aliqui contra univerſalis eccleſiæ interdictum conjuncti, diligenter inquirere, & quos repererint, epiſcopo ſeu ejus vicario denunciare mandamus & diſtrictiſſime injungimus: ut illis (cauſa cognita) per ordinarium disjunctis & ſeparatis, ab hujuſmodi illiciti conjugii, ſeu matrimonii nomine, deſignare funeſtum eſt, deſiſtant: Quos, quamdiu in nefaria illa conjunctione ſcienter perſtiterint, a communione eccleſiæ excluſos eſſe declaramus.

Atque ut facilius innoteſcat, quinam illicite conjuncti ſunt, omnes in pronis parœcialium eccleſiarum, auctoritate concilii moneri volumus & jubemus, ut manifeſtent quos ſic nefarie conjunctos eſſe noverint.

Quibus in quarto conſanguinitatis, & affinitatis, necnon cognationis ſpiritualis prohibitis gradibus, ſupra expreſſis, epiſcopis diſpenſare non licere declaramus.

Incommoda autem hujuſmodi & plerumque graviora cum clandeſtina matrimonia pariant & quam ſint ſacris inimica canonibus ipſa luce clarius appareat (multa enim faceſſunt eccleſiæ negotia, ex his oriuntur ſcandala, horum occaſione multæ claræ familiæ labefactantur, ac graviſſima patiuntur damna) idcirco dictorum ſacrorum conſiliorum veſtigiis inhærentes, ut matrimonio ſuus conſervetur honos, & ne ſub prætextu conjugii illicitæ graſſentur libidines, utque pericula quæ ex his ſuboriri videmus, excludantur: omnes conjunctiones conjugum palam in conſpectu eccleſiæ præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi vel ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, non ante ſolis ortum cum celebritate & ſolemnitate ab antiquis patribus adhiberi ſolita: poſtque trinam publicationem diebus dominicis aut aliis feſtis ſolemnioribus in pronao factam & debite atteſtatam, condelebrari debere decernimus, mandantes propterea, & diſtricte præcipientes omnibus ordinariis, ut cum primum poterint, curent decreta ſanctorum conA ciliorum, de clandeſtinis matrimoniis populo publicari, & explicari in ſingulis ſuarum diœceſum parœcialibus eccleſiis.

Si qui vero poſt triginta dies a dicta publicatione in ſingulis parœciis facienda computandos, contra formam præſenti decreto præſcriptam temere contrahere præſumpſerint, illorum matrimonia tanquam clandeſtina, nulla, caſſa & irrita, declaramus.

Quibus matrimoniis clandeſtinis ut amplius via præcludatur, omnes epiſcopos a diſpenſationibus de duabus proclamationibus & extra tempora nubendi, omnino abſtinere monemus, niſi ob cauſam legitimam, neceſſariam, eiſque cognitam, exiſtimaverint eſſe diſpenſandum, B omnibus aliis perſonis eccleſiaſticis non epiſcopis, a diſpenſationum hujuſcemodi concedendarum facultate, excluſis.

Benedictionem autem nuptialem impuberibus aliiſve niſi jejunis & confeſſis non eſſe impertiendam ſancimus: Rectores hac in re religione obſtringentes, eorumque conſcientiam onerantes. Quibus etiam mandamus conjuges monere, ut id obſervent, ne tam divino ſacramento verba obſcœna, riſus & jocos inverecundos, ut fere fit, miſceri patiantur.

Quos etiam rectores, necnon eorum ſubſtitutos, in conjungendo, utriuſque conjugum dextris ſimul junctis, hac formula & his verbis uti volumus. A. Promittis B. matrimonii fidem & C accipis eam in uxorem? & reſpondeat A. Promitto & accipio eam in uxorem: Deinde dicat. B. Promittis. A. matrimonii fidem & accipis eum in virum? Tum reſpondeat B. Promitto & accipio eum in virum. Poſtea dicat parœcus: Juratis uterque Deo: & promittitis invicem hanc fidem perpetuo ſervare? Uterque reſpondeat, juro & promitto. Hoc facto dicat ſacerdos, Et ego vos in matrimonium conjungo, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Per hanc autem formulam, annuli benedicti in digito mulieris apponi ſoliti, uſum in omnibus fere diœceſibus obſervari ſolitum, aliosque ritus ab eccleſia receptos, reprobare non intendimus.

D Hos autem ſolennes nuptiarum ritus ab adventu domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum uſque in octavam paſchatis incluſive celebrari diſtricte prohibemus, aliis temporibus permitti declarantes.

Præſtigiatores, ſortilegos, ſeu maleficos, qui ligaturis & aliis malis artibus ad impediendum matrimonii conſummationem eorumque conſcios & correos, niſi illos denunciaverint, præſenti decreto anathematizamus, & eccleſiæ communione privamus: eoſque ſingulis diebus dominicis in eccleſiis parœcialibus, necnon a prædicatoribus in ſuis concionibus pro anathematizatis publicandos cenſemus, omnes formulas E ſeu ſuperſtitiones ab eccleſia reprobatas, a multis nihilominus ad dictas ligaturas impediendum uſurpatas, veluti annulorum in terram dejectiones, & ſi quæ ſunt alia ejus generis, rejicientes & damnantes.

Conſuetudinem, vel potius corruptelam, quæ in multis diœceſibus invaluit, ut poſt contractum una die, in præſentia ſacerdotis, per verba de præſenti, inter virum & uxorem matrimonium; die altera uxor, diſcooperto capite, ſparſis crinibus & nuptiali pompa, virginum more, ad eccleſiam, miſſam tantum auditura, deducatur, tanquam bonis moribus





bus omninò adverſantem, abrogandam judicamus: eccleſiarum parœcialium rectoribus ne illam in hujuſmodi faſtu ſeu ſolennitate in eccleſiam admittant, diſtrictiſſime inhibentes.

Quia fere fit ut magnates qui pauperiores habent aut affines aut neceſſarios, aut famulos, in eorum gratiam & rem, inferiorum prædivitum filias aut propinquas, vel e contra, illis nuptui tradi violenter ambiant: & ad ea matrimonia conſentienda, non liber parentum delectus, non contrahentium genuinus amor, qui horum præcipuum debet eſſe vinculum, exquiratur: ſed potentiorum vis, doloſæ perſuaſiones, & atroces plerumque minæ ceteris omnibus ſint hac in re efficaciores. Quo fit ſæpius ut inde inter hoſce conjugatos perpetuum generetur diſſidium: hos omnes cujuſcumque conditionis ſint, qui his artibus coacta procurant matrimonia, cum libera prorſus eſſe debeant, ab his abſtinere ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, præcipimus.

Quod ſi quis presbyter etiam regularis, adeo ſuæ ſalutis immemor, & proprii officii oblitus, clandeſtina conjugia celebrare, etiam iis intereſſe auſus fuerit, ſuſpenſionis ab executione ſuorum ordinum, per triennium pœna mulctetur, gravius pro ordinarium puniendus ſi culpæ qualitas poſtulaverit.

Eos autem qui dictis clandeſtinis matrimoniis interfuerint tam clericos quam laicos, antiquis inhærendo canonibus, excommunicationis pœna mulctandos eſſe declaramus.

Quandoquidem vero ſunt nonnulli, qui quamvis legitimas duxerint uxores, eis tamen relictis, vel etiam cum illis (quod deterius eſt) pellicibus abutuntur, idque in univerſalis eccleſiæ ſcandalum, liberorum pravam & pernicioſam educationem, animarum ſuarum ruinam, & tam venerandi ſacramenti contemptum: Mandamus & præcipimus epiſcopis ſeu eorum vicariis & officialibus, necnon archidiaconis, archipresbyteris & decanis, aliiſque qui jus viſitationis habent, ut contra tales viſitando, ſedulo inquirant: & inquiſitione facta, illos primo, ſecundo, unoque peremptorio edicto, moneant ut illas eiiciant: & ſi monitionibus non paruerint, publice excommunicatos denunciari curent.

Monente apoſtolo cum non ſit ducendum jugum cum infidelibus, nullaque debeat eſſe pars fidelis cum infideli, ſitque matrimonium non tantum corporum, ſed magis animorum conjunctio, & divini humanique juris ſocietas, eaque de cauſa, cavere debeant maxime, qui matrimonium contrahere deſiderant, ne inter conjuges perpetuæ rixæ vel etiam divortii relinquatur occaſio, ideoque catholici cum hæreticis (quorum vix aut numquam poſſunt eſſe pares animi) matrimonio jungi non debeant, eccleſiarum parœcialium rectores hortamur, iiſque injungimus, ſuos parœcianos catholicos, a matrimoniis cum hæreticis ineundis quanta poterunt diligentia avocare: catholicis permittentes ut a ſponſalibus impune reſilire poſſint, quæ per verba de futuro, cum hæreticis ignoranter contraxerint.

Cum etiam idem doceat apoſtolus, virum mulierem, & mulierem virum non debere relinquere, nec ſe invicem debitis fraudere obſequiis, ſintque permulti, qui relictis uxoribus & liberis, in longinquas regiones moræ diuturnioris A gratia, tranſmigrent: eoque fiat, ut ſuas uxores abſentia longiore quodammodo adigant ad ſecunda vota tranſire, alterique nubere, non ſine gravi ſuarum animarum periculo, hincque multa naſcantur diſſidia: quorum occaſionem ſtirpitus evellere cupiens hæc ſynodus, etiam atque etiam hortatur obteſtaturque in domino omnes matrimonio junctos, ut memores illius mutuæ obligationis, & nexus, qui vel ipſo conjugum vocabulo ſignificatur, ſincero animi affecta invicem adhæreant, nec alter ab altero, præſertim in longinquas regiones abiturus diuve abfuturus, ſine gravioribus cauſis diſcedat. Qui vero in hujus noſtræ exhortationis contemptum, imo vero contra apoſtoli ſententiam ex B malo propoſito, & animo perfido ad defraudandum conjugale debitum, altero conjuge inconſulto, & invito receſſerit, is, niſi ſaniore conſilio uſus, intra modicum temporis ſpatium ad conjugem remeaverit, ſe intelligat ſynodi auctoritate excommunicandum.

Altero autem conjugum abſente, ei qui domicilium non deſeruit, nec ei qui ſeceſſit, non licere nubere decernimus: donec certiſſimis & indubitatis teſtimoniis, de morte alterius illi conſtiterit & ab epiſcopo licentiam obtinuerit.

Hi vero, qui per verba de futuro tantum ſponſalia contraxerunt, quam primum poterunt per verba de præſenti matrimonium, ſervata for- C ma ſupra ſcripta, perficere ſtudeant, nec ultra annum, niſi impedimentum aliquod gravius intercеſſerit nullo modo differant.

At cum frequentius eveniat, ut parentes poſt præſtitum ſuorum liberorum matrimoniis conſenſum, mutato conſilio, eis ut reſiliant, ſuadeant. Ipſis necnon iiſdem liberis (quia fidem fregerunt) per epiſcopum, juxta Elibertinum concilium, pœnitentiam ſalutarem injungendam decernimus.

Cum autem nonnulli, poſt conſummatum in una civitate, vel diœceſi, matrimonium, ad aliam paulo poſt confugiant, ibique ſecundo, ſcelerate & nefarie contrahere non formident, ſitque ſæpius, primi ac etiam ſecundi matrimo- D nii, tum ob locorum diſtantiam, tum partium paupertatem adeo difficilis probatio, ut nullum de tam nefando adulterio queat ſumi ſupplicium: omnibus parœcis [quo rei veritas magis eliciatur & eluceſcat, ac partium ſumptibus parcatur] mandamus ac præcipimus ut regeſto per eos conficiendo (ad inſtar baptizatorum commentarii) nomina & cognomina conjugum, triumque ad minus teſtium qui interfuerunt, cum die, menſe & anno quo conjugia celebrabuntur, inſerant, ſub pœna carceris, & aliis arbitrio epiſcopi infligendis.

*De ſacramento ordinis.*

E

## X.

QUONIAM non oportet ſacros ordines furtive ſuſcipere, ſtatuimus, ut quemadmodum jungendi matrimonio trina populo proclamatione denunciantur, ita majoribus ordinibus initiandi, trina denunciatione inſinuentur in eccleſia parœciæ quam inhabitant, ad percipienda impedimenta [ſi quæ ſunt] quæ debeat parœcus epiſcopo aut ejus officiali ſignificare: Qua quidem proclamatione utendum eſſe intelligimus, ſi commode fieri poteſt, ne veriſimilis ſit ſuſpicio malevolentiæ ibidem hominum

ANNO CHRISTI 1583.

clericos innoxios, a dictorum ordinum ſuſceptione velle deterrere.

Hæc ſynodus, animarum ſaluti providere cum magnopere deſideret, omnes & ſingulos rectores, quam poteſt benevole hortatur, diligenter ſuis gregibus invigilare, ſuiſque parœcianis tum ſanis, tum morbo laborantibus, ſacramenta ſedulo adminiſtrare, eoſdemque ſæpiſſime ( præſertim graſſante epidemiæ contagione ) commonefacere, ut illa dum valent & ſani ſunt ſtudioſe requirant.

*De feſtorum cultu, veneratione reliquiarum, & imaginibus.*

XI.

PARŒCI, quibus animarum cura eſt commiſſa, gregem ſuum ad divina officia diebus ſingulis ( ſi fieri poteſt ) audiendo adhortentur, præſertim dominicis & aliis feſtis.

Quibus diebus cum Dei laudes recitare omnes debeant, verbum Dei audire, & de innumeris beneficiis quæ ab immenſa ſua bonitate indeſinenter recipimus, gratias agere, ac ſeſe operibus caritatis aſſuefacere, ſciant aliis non licere vacare negotiis. Ideo omnibus prohibemus publicas nundinas & alios quoſcumque mercatus, quacumque in contrarium conſuetudine non obſtante, iis diebus dominicis potiſſimum annualibus & ſolennibus feſtis indicere & indictas frequentare, aliiſque profanis negotiis etiam domeſticis quæſtuoſis & manuum operibus intendere: currus & equos onera geſtantes ducere, actus judiciarios & contractus celebrare, pignerari & rerum executiones facere, niſi cum jure nominatim permiſſum eſt.

Si qui vero locorum domini jus nundinarum & mercatuum iis diebus ſe habere prætendant, illas in perendinum aut alium diem non feſtum transferre in domino hortamur: qui ſi [illegible] re diſtulerint, illos, necnon eorum procuratores & judices, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrere præſenti decreto, declaramus.

Cum juxta divi Pauli præceptum, qui Chriſti ſunt ſobrietatem ſemper ſectari debeant, diebus dominicis præſertim & aliis feſtis, commeſſationes, convivia publica, tripudia, ſaltationes, ſtrepitus & choreas fieri, venatu & aucupatu tempus terere, in hoſpitiis ſeu cauponis aliis quam peregrinis cibaria & vinum miniſtrari, ludos palmarios & alios ( maxime dum ſacra conficiuntur laudeſque Deo decantantur ) aperiri, comœdias, ludos ſcenicos vel theatrales, & alia ejus generis irreligioſa ſpectacula agi, ſub anathematis pœna prohibet hæc ſynodus: præcipitque omnibus & ſingulis parœciarum rectoribus eos apud epiſcopum deferre qui huic decreto non paruerint, ut illius ordinatione nominatim excommunicati denuncientur & publicentur: valde etenim eſt abſurdum fideles, iis diebus qui propitiando Deo ſunt deſtinati, fallacibus iſtis ſatanæ blanditiis illectos a divinis officiis, religioſis ſupplicationibuſque ſacris abduci.

Cum ſeditionum rabie & bellorum vi & injuria jam ab aliquot annis multæ ſanctorum reliquiæ combuſtæ, aliæ disjectæ fuerint, atque nonnulli [illegible] quidem pietate & religione moti exceperint, nonnulli etiam avaritia aut alio impio quæſtu [illegible] aliunde oſſa deſumſerint quæ ſanctorum eſſe reliquias emontientur: hæc ſynodus ad tollendam omnem idololatriæ ſpeciem & occaſionem, ne quid reliquiarum nomine, niſi adhibita diligenti cognitione, & conſultatione, juxta canonicas ſanctiones populo noviter colendum exhibeatur, ſub eadem anathematis pœna prohibet.

Et ſi quæ a dictis annis fuerunt propoſita, a conſpectu hominum auferri & recludi jubet, donec epiſcopus illa vere eſſe ſanctorum judicaverit: ſacris quippe ſanctionibus magis adverſari certum eſt, impurorum & ſceleratorum oſſa, aliquo honore colere, quam veras ſanctorum reliquias debita veneratione carere.

Abuſum præterea qui circa eas in omnibus fere parœcialibus eccleſiis invaluit, ut mulieres locis, quibus populo colendæ reliquiæ proponuntur, aſſideant, tollentes: parœcialium eccleſiarum rectoribus mandamus atque præcipimus, nullas in dictis locis ( qui ſolis viris potiſſimum in ſublimitate & honore conſtitutis deſtinati ſunt ) ſedere patiantur.

Ne ſanctæ crucis ſignum, ſanctorumve imagines in locis ſordidis aut ubi pedibus atteri & conculcari poſſint, neve quid in templis ſcripturarum veritati aut probatis eccleſiaſticis hiſtoriis contrarium ſculpatur aut pingatur, quam diſtrictiſſime prohibemus ne quod ab omnibus ſummo eſt habendum in honore hoc modo viloſcat: ſcire enim quiſque debet imaginis corpus, corporiſve ſtatum aut habitum ad ſui prototypi dignitatem & ſanctitatem eſſe accommodandum, ut ex imaginis inſpectione excitetur pietas, non vero turpi cogitationi detur locus.

Propterea, ſexto concilio œcumenico Conſtantinopolitano & poſtremo generali inhærendo, nullus imagines aut picturas mentis corruptrices & ad turpes voluptates incitatrices fieri ſancimus, eccleſiaſticoſque omnes, necnon laicos quoſcumque monemus, ne ullas ab epiſcopis non approbatas in ſuis eccleſiis collocari vel populo proponi prorſus ſuſtineant, & ſi quæ ſunt dudum in templis propoſitæ quæ riſum potius quam devotionem moveant, epiſcoporum & viſitatorum diligentia, deponantur.

Optamus etiam atque jubemus nullas deinceps alias vel ſtatuas vel picturas ( quocumque conſuetudinis aut juris prætextu ) altaribus apponi, quam ſanctorum ab eccleſia receptorum: Quod ſi quæ vivorum vel mortuorum hominum exhibendæ ſint, eo ſtatuendas loco decernimus, ubi nullam incautæ plebeculæ idololatriæ cauſam præbere poſſint.

## DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA,

### CLERI ETIAM PLEBIS CIRCA divina reformatione.

*De epiſcopis.*

XII.

EPISCOPI a Spiritu ſancto ſint poſiti, ut Dei eccleſiam regant ac in apoſtolorum locum ſucceſſerint, ſintque in ea tamquam patres, ſuperiores & paſtores conſtituti, eorumque ſit muneris hæreſes ( infeſtiſſimas in vinea domini vepres ) extirpare: proque his radicitus evellendis, cum ſuo metropolitano, & coepiſcopis ſuffraganeis, & his quæ ſunt ſui paſtoralis officii, ſæpius conferre, eaque de cauſa metropolitanus, & ſui ſuffraganei mutuam inter ſe gratiam, & familiaritatem inire, ſeque mutuo agnoſcere debeant: ſtatuimus ut archiepiſcopus conſecrari minime poſſit ab alio quam ſuo primate, vel antiquiore ſuo ſuffraganeo ( niſi canonicum impedimentum obſtiterit ( duobus aliis ſuis ſuffraganeis præſentibus per ipſum metropolitanum accerſendis, epiſcopi vero ab alio quam ſuo metropolitano, aſſiſtentibus etiam duobus ſuffraganeis, quos ipſe metropolitanus eligere maluerit, in propria eccleſia ſi commode fieri poſſit, vel alia cathedrali provinciæ, per ipſum metropolitanum deſignanda, non alibi, nec clam aut occulte, conſecrari non valeant:



ANNO CHRISTI 1583.

Teneantur autem prædicti intra tres menſes, a ſuarum proviſionum die computandos, munus conſecrationis ſuſcipere.

Archiepiſcopus autem, non prius ſpiritalium aut temporalium ſui archiepiſcopatus adminiſtrationi ſe immiſceat, quam ( ut a ſanctis patribus inſtitutum eſt ) ſanctiſſimo domino noſtro papæ, fidem ſuam propria ſubſcriptione munitam, expoſuerit, palliumque poſtulaverit, ac ſuis exigentibus meritis, obtinere meruerit.

Primo vero aut ſecundo, ſui adepti archiepiſcopatus anno, ſaltem ſemel in vita, ipſe omnes ſuos ſuffraganeos viſitet, deque eorum fide, moribus & converſatione diligenter inquirat, & ad proximum provinciale concilium ( ſi quid correctione dignum compererit ) referat.

Decretum concilii Viennenſis, ſub Clemente quinto editi, cupiens hæc ſynodus in uſum revocare, ejuſdem concilii conſtitutionibus inhærendo, archiepiſcopo licere decernit & declarat, per quævis loca exempta ſuæ provinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſan declinanti, ut crucem ante ſe libere portari faciat, benedicat populo, divina officia privatim vel publice ibidem audiat, & ea etiam in pontificalibus celebret & faciat in ſua præſentia ſine pontificalibus celebrari ( quovis privilegio contrario non obſtante ) ſimili modo epiſcopo, ut in locis ejuſdem ſuæ diœceſis, poſſit populo benedicere, audire divina officia, & ea etiam celebrare, & in ſua præſentia celebrari facere, ſic tamen quod prætextu conceſſionis hujuſmodi, in locis ipſis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam juriſdictionem, idem archiepiſcopus vel epiſcopus, exerceat: nec perſonis exemptis, vel privilegiatis, moleſtiam inferat vel gravamen: nullumque exemptioni, vel privilegiis [illegible] aliud præjudicium generetur, nec ipſis archiepiſcopo vel epiſcopo jus aliud quomodolibet acquiratur.

Epiſcopos autem, cum nemo neſciat omnibus eccleſiaſticorum gradibus eſſe præpoſitos, iiſque præſtare, ita omnibus notum eſſe volumus, multa illorum eſſe munera & officia, aliis de jure interdicta presbyteris, quæ hic inſerere non a) concinnum judicavimus, ad eos enim ſpectat, ſacramentum confirmationis, primam tonſuram, ac omnes ordines conferre, ſanctum chriſma conficere, de hæreſi cognoſcere, ſeu hæreticum judicare, epiſcopos, abbates, abbatiſſas, eccleſias, altaria, cœmeteria, calices, patenas & alia vaſa, indumenta etiam & alia ornamenta, conſecrare & benedicere, pollutas eccleſias, ſeu polluta cœmeteria reconciliare, nova miracula probare, novas parœcias, & alias quaſcumque baſilicas, conſtituere, antiquas dividere: plures parœcias, aut alias eccleſias ſeu beneficia plura unire, uniones jam factas revocare: hoſpitalia & confraternitates erigere: ſeminaria literarum, & ſcholarum magiſtros inſtituere: dies feſtos ordinare, & jejunia indicere.

a) Forte, non inconcinnum. H.

Ea propter ipſos epiſcopos, quantum poſſumus in domino hortamur in ſuis diœceſibus reſidere, populum docere, altaria conſecrare, eccleſias dedicare, ſi quæ ſunt pollutæ, vel etiam cœmeteria, reconciliare, ordines ſtatutis a jure temporibus celebrare, confirmare, & alia epiſcopalia munia obire.

Quod ſi qui, vel diuturna abſentia, ob cauſam legitimam, adverſa valetudine, aut alio legitimo impedimento retenti, his ſatisfacere non valeant, per alios epiſcopos, quibus ſuas vices committent, illa quam citiſſime adimpleri procurent.

Quemadmodum ergo epiſcopi, dignitate & prærogativa, ceteros præcellunt iiſque primi honores debentur, ita omnes vitæ ſanctitate, ac morum integritate, ſtrenua in exercendis ſuis officiis cura, ſuſtinendiſque ſuorum epiſcopatuum ( quæ angelicis humeris etiam formidanda ſunt ) oneribus, aſſiduis vigiliis, indefeſſo labore, alacri ſtudio, ſumma diligentia, debent ſuperare, ac caute curare, ne a recta vivendi via, & officii ſui ratione, deflectant: idcirco juxta divi Pauli conſilium, eos volumus eſſe irreprehenſibiles, ſobrios, ſuis gregibus invigilantes, tanquam pro animabus eorum rationem redditures. Monemuſque ſuas diœceſes non deſerere: imo eaſdem juxta ſacros canones, potiſſimum oppida magis populoſa, per ſe ſaltem ſemel in anno viſitare, ( ſi commode liceat ) aut ſi amplior ſit diœceſis, quam ut uno anno tota viſitari poſſit, minimum intra biennium totius viſitationis curſus perficiatur, divinis officiis intereſſe, miſſas ſæpius, feſtis præſertim ſolenioribus, celebrare: Quotannis ſacrum chriſma conficere, miſſalia, breviaria, gradualia, alioſque libros ad divinum cultum neceſſarios: quibus fere omnes eccleſiæ ſunt deſtitutæ, ut exacte emendentur, ad normam a ſede apoſtolica & conſtitutione ſanctæ memoriæ Pii quinti præſcriptam, & intra annum eorum, qui ex conſuetudine provinciæ ad id tenentur impenſis, imprimantur, procurare: providere ne hoſpitalia, eleemoſynariæ & leproſariæ, ſuis priventur redditibus, ſed in his pauperes hoſpitio ſuſcipiantur, & quam commode & honeſte fieri poterit, alantur. A venationibus, aucupiis & ludis publicis abſtinere, modeſtam ac honeſtam familiam habere, domeſticos ſcandalo aliquo ( maxime hæreſi ) blaſphemia, luxuria, aut alio crimine publico diffamatos expellere: omnemque luxum, non tantum in proprio, ſed etiam domeſticorum veſtitu, necnon menſa & ſupellectili rejicere & reſpuere. Denique per Dei miſericordiam præſtare, ut qui mundi lumina nuncupantur, ceteriſque pietate & religione debent prælucere, Dei lucem in ſe ipſis collocatam, propriis tenebris non obtegant aut obſcurent: nec mundi & concupiſcentiarum ejus potius videantur amatores quam verbi Dei, ejuſque nobis tantopere a Chriſto commendatæ humilitatis.

Ex his autem, cum audiamus nonnullos, cum regum miniſtris, ducibus, baronibus, aliiſque dominis temporalibus, non tantum extra eccleſiam, ſed etiam in ea, indecenti quadam demiſſione ſe gerere, & haud ſecus ac infimi altaris miniſtri nimis indigne, non ſolum loco cedere, ſed etiam nulla ſuæ dignitatis habita ratione illis inſervire, antiquis ſanctorum patrum con-

conſtitutiones, ad epiſcopalis dignitatis decorem & gravitatem pertinentes renovando, volumus & mandamus ut in poſterum ab hujuſmodi abſtineant, utque tam in eccleſia quam alibi, ſuum gradum epiſcopaliſque dignitatis ordinem, gravitatem & decorem, præ oculis habentes, ubique ſe eſſe patres meminerint.

Principes vero, duces, barones, ceteroſque id genus omnes, ut paternum honorem, debitamque reverentiam epiſcopis exhibeant, quantum poſſumus in domino adhortamur.

Cum multorum querelis didicerit hæc ſynodus, nonnullos abbates, capitula, & alias perſonas eccleſiaſticas, certis diebus, nempe feria quarta cinerum, Jovis in cœna domini, & die Veneris ſancta, quibus quidem diebus epiſcopi in ſuis cathedralibus eccleſiis publicas abſolutiones populo indicere & impartiri conſueverunt, iiſdem etiam illos abſolutiones hujuſmodi in ſuis eccleſiis aſſignare, dieſque feſtos & carnium abſtinentias, quarum tranſlationem certis de cauſis fieri decrevit eccleſia, in alios dies, quam qui per epiſcopum ſunt præſcripti, transferre: utque ſacroſanctis decretis interdictum, duos in eadem civitate, epiſcopali munere fungi, prorſuſque ridiculum nec a ſcandalo alienum in una civitate, hos carnibus uti, illos vero abſtinere, eoque fiat ſæpe ut multi diebus abſtinentiæ ab eſu carnium, feſtis autem, ab operibus ſuis non abſtineant, hoc illis ut minime licere declarat hæc ſynodus, ſic etiam nec eccleſiaſtas aut concionatores introducere, abſque epiſcopi auctoritate, cujus eſt prædicatores verbi Dei probare aut reprobare: quapropter ad abuſum hujuſmodi tollendum prohibet juxta ſacros canones ne cujuſvis privilegii, exemptionis, juris aut conſuetudinis prætextu, aliqui concionatores non probati ab epiſcopo, in aliqua eccleſia, diœceſi aut civitate, admittantur: Neve duæ in eadem civitate, eadem die, generales abſolutiones fiant, feſtique dies & carnium abſtinentiæ, diverſimode obſerventur, ſub excommunicationis contra particulares, & interdicti contra communitates pœna, ipſo facto incurrenda.

Gratias omnes quæ expectativæ dicuntur, cum ſacri canones abhorreant, illæ etenim non modo ambiendi ſacerdotia, ſed etiam mortis captandæ votum & occaſionem præbent: omnibus epiſcopis, abbatibus, capitulis & aliis quibuſcumque beneficiorum collatoribus & patronis tum eccleſiaſticis tum laicis cujuſcumque gradus, qualitatis aut ordinis exiſtant, quibuſvis perſonis prima beneficia vacatura promittere, prohibet hæc ſynodus, ac Chriſtianiſſimo & generoſiſſimo domino noſtro regi quam poteſt humillime ſupplicat, ut, qui [illegible] ad trium ordinum regni Bleſis congregatorum ſupplicem libellum promulgato, epiſcopatuum, abbatiarum & prioratuum quas antea mandaverat reſervationes nullas declaravit, gratiarum hujuſmodi ſive indultorum revocationem, quorum occaſione latior in dies & facilior confidentiæ & ſimoniæ via aperitur, & multa beneficia debitis fraudantur obſequiis, illorumque ædes potiſſimum ſacræ, multas ruinas patiuntur, gratam habere, ac eorumdem uſum omnino abrogare, illoque omnibus interdicere velit.

Quam revocationem ſi certis de cauſis omnino ratam habere non dignetur ſua majeſtas, indulta dumtaxat illa his edicat profutura, qui [illegible] fiat eccleſiaſtici, idque ad eos ſolum be[illegible] quorum vel qualitatis, vel pontificiæ

diſpenſationis privilegio capaces erunt: adeo ut ſi clerici tantum ſeu ſæculares exiſtant, in vim illorum indultorum, regularia obtinere non valeant.

*De capitulis, dignitatibus & canonicis.*

## XIII.

ECCLESIA metropolis, aliæque cathedrales & collegiatæ, cum præ ceteris, debeant viris, fide, religione, literatura, morum & converſationis integritate micantibus, prælucere: Prohibet hæc ſynodus, ne qui hæreſis labe infecti, blaſphemi, luxuria, ebrietate, aut alio quovis crimine vel ſcandalo diffamati, itemque illiterati, contemptibiles, abjectæque & vilis conditionis homines, quive artibus prohibitis & mechanicis dederint operam ad dignitates, canonicatus & præbendas, ſeu etiam perſonatus, recipiantur ſeu admittantur.

Quas dignitates (quibus animarum cura imminet) ante annum vigeſimum quintum, alias vero dicta cura immunes, necnon perſonatus, ante vigeſimum ſecundum, cuiquam conferri prohibemus.

Ipſarum vero cathedralium eccleſiarum canonicos, annis viginti duobus minores, non debere inſtitui decernentes.

In ea vero ætate inſtitutis injungimus, ut intra annum a die pacificæ poſſeſſionis, ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem promoveantur, illis alioqui fructus ſuarum præbendarum donec promoti fuerint, minime percepturis: antequam promotionem, altioribus cathedris chori inſidere, capitulum ingredi, presbyteros, alioſque in ſacris conſtitutos ordine ſeu ſeſſione præcedere (antiquioris receptionis prærogativa & quacumque in contrarium conſuetudine non obſtantibus) prohibentes.

Quod ſi qui in celebri univerſitate theologiæ, aut ſacrorum canonum profeſſioni in ſtudium ſtrenuamque operam navare deſiderant: hi licentia privilegioque percipiendi in abſentia fructus præbendarum, ita demum potiantur, ſi minores triginta annis exiſtentes docibiles fuerint, judicati, & poſtquam præſentes recepti, & promoti fuerint, ſaltem ad ſubdiaconatum, nec cuiquam tale indultum ultra quinquennium ſuffragetur.

Quamdiu autem in univerſitatibus ſtudiorum cauſa manebunt, tamdiu ſuorum præceptorum teſtimonium literis authenticis confirmatum quot annis exhibere tenebuntur, ſe ſerio gnaviterque prædictarum facultatum ſtudiis incumbere, exactoque tandem juſto ſtudiorum tempore, ipſius capituli arbitrio revocati, ad eccleſiam ſua munia obituri redire tenebuntur; aſſignatam ſtudiorum cauſa portionem, nec quamvis aliam haud aliter aſſecuturi.

Pravam autem quæ in nonnullis eccleſiis invaluit conſuetudinem, ut canonici certos groſſos ſuis (ut prætendunt) canonicatibus & præbendis annexos & unitos, alioſque earumdem præbendarum fructus, nulla præcedente receptione & reſidentia, percipere poſſint, tanquam ſacris canonibus inimicam irritantes & abrogantes, hujuſmodi groſſos, omneſque alios præbendarum in abſentia, ſeu ante receptionem, ſine reſidentia percipi ſolitos fructus, earumdem eccleſiarum fabricis, donec canonici qui eos ſibi vendicant, perſonaliter recepti fuerint, & divinis officiis ſaltem ſingulis annis per tempus in







in ſingulis eccleſiis, groſſis fructibus percipiendis præſtitutum interfuerint, deſtinandos & applicandos decernimus: conſuetudine illa quæ canonico groſſum adjudicat, qui certa die anni, aut certis horis unius, duorum vel trium dierum præſens fuerit (cum ad divini cultus diminutionem tendat) illis nullomodo profutura: ſalvis eccleſiarum ſtrictioribus ſtatutis & legibus, quibus præſens concilium derogare minime intendit.

Statuimus præterea, ut in cunctis cathedralibus & collegiatis eccleſiis, congrua campanarum pulſatione præmiſſa, divinæ laudes per ſingulas horas ab omnibus digne perſolvantur, quas non curſim ac præfeſtinanter, imo tractim & cum decenti pauſa, nempe circa cujuſque pſalmorum verſiculi medium, cenſemus decantandas, ſed ita ut inſignis inter ſolenne ac feriale officium agnoſcatur diſtinctio.

Horas canonicas in eccleſia dicturi cum tunica talari, ac ſuperpelliciis mundis, infra medias tibias propendentibus vel cappis, cujuſque loci ſervato more, eccleſias ingrediantur: birreta tenentes in capite vel capucia juxta temporum & regionum diverſitatem.

Cum in choro fuerint, gravitatem ſervent, quam & locus & officium exigunt, non inter ſe aut cum aliis confabulantes ſeu colloquentes, non dormientes, aut literas ſeu ſcripturas alias legentes.

Cumque pſallendi gratia ibidem conſideant, muta aut clauſa labia non teneant, ſed omnes (præſertim qui majore funguntur honore) in pſalmis, hymnis & canticis, Deo alacriter modulentur.

Cum dicitur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, omnes aſſurgant. Cum nominatur illud glorioſum nomen, Jeſus, in quo omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, omnes caput inclinent: itidemque faciendum præcipit ſynodus cum virginis Mariæ nomen pronunciatur.

Dum ſancta evangelia in eccleſia recitantur, ſacerdotes & ceteri omnes, non ſedentes, ſed venerabiliter in conſpectu evangelii ſtantes diſcooperto capite, dominica verba intente audiant, & fideliter adorent.

Quo perlecto, ſymbolum quod evangelium ſequitur, cantetur diſtincte, cum qua decet gravitate & pauſa plano cantu vel alio ita diſpoſito, ut ſingulis ſyllabis ſingulæ notæ reſpondeant; etiam ſi quatuor diverſis vocibus cantetur [illegible].

Quod etiam in cantanda paſſione dominica in ramis palmarum & aliis diebus, dominicæ paſſioni cantandæ aſſignatis, obſervari placet.

Reliquum autem divinum eccleſiæ officium, non inconditis vocibus, nec laſcivis impudicarum cantionum modulis, decantetur: ſi quis contrafecerit, per ordinarium ubi iſtud fuerit commiſſum, vel ab eo deputandum, juxta conſtitutionem Joannis viceſimi ſecundi, quæ incipit, Docta ſanctorum patrum auctoritas, puniatur.

Similiter aſſurgant omnes, dum cantica Magnificat, Benedictus & Nunc dimittis, ex evangeliis deprompta, decantantur.

Nemo ibidem dum horæ in communi cantantur, legat vel dicat privatim officium. Nam non ſolum obſequium cui obnoxius eſt choro ſubſtrahit, ſed alios pſallentes perturbat.

Superior autem, aut is cui onus incumbit, dum divinum celebratur officium, invigilet ne quid inordinate fiat, & tranſgreſſores decreti puniantur.

Qui in matutinis ante finem pſalmi Venite exultemus, in aliis horis ante finem primi pſalmi, in miſſa ante ultimum Kyrie eleyſon, chorum non fuerit ingreſſus & uſque in finem, divino officio non interfuerit (niſi forte neceſſitate cogente, ac petita & obtenta a præſidente chori licentia diſcedere) pro illa hora abſens cenſeatur, nec etiam prætextu & occaſione quorumvis tractatuum capitularium (quos omnino dum major miſſa celebratur ſub pœna nullitatis eorum quæ ibidem definientur, necnon ſubſtractionis lucri illius horæ) indici & fieri prohibet hæc ſynodus, ſalvis eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ forte circa hæc arctiores exiſtant.

Ut autem canonici his diligentius intendant qui annotatores pungendi officio deputabuntur, eccleſiaſticorum actiones obſervent, ut ſi decreta hujuſmodi neglexerint, fructus illius horæ qua chorum exierint, perdant: & ſi in eccleſia una hora divini officii vagari per eccleſiam ſeu deambulare viſi fuerint, totius diei fructibus priventur.

Quod etiam in omnibus aliis eccleſiis, tam ſæcularibus & regularibus quam parœcialibus, volumus accurate ſervari: ut in his ceſſent omnia, quæ divinum poſſunt turbare officium, ne ubi peccatorum eſt venia petenda, ibi gravius peccandi detur occaſio.

Præterea autem canonicos, tam cathedralium quam collegiatarum eccleſiarum, alioſque eccleſiaſticos omnes tam ſæculares quam regulares, honeſtos ac ordini ſuo convenientes habitus deferre, & ſacris ordinibus initiatos, tonſuram in capitibus habere, necnon congruis temporibus, barbam honeſte, non vero militari more, ſed ut viros eccleſiaſticos decet, decurtate jubet hæc ſynodus.

Hiſque camiſiis in collo & pugnis rugoſis; nec ſuperpelliciis patulis, curioſius acu elaboratis, & veluti altioribus pinnis ornatis, uti non licere decernit: Ridiculum eſt enim ad faſtum & oſtentationem abuti, eo quod ad demonſtrandam ſimplicitatem animorum & corporum puritatem eſt religioſe introductum.

Iiſdem quoque ſynodus ſub pœna carceris præcipit, ne caligas diſciſſas ſeu diſſectas deferant, aut thoracibus minutatim ſciſſis, induantur, neve penulati, maxime in civitatibus & oppidis, incedant: ſed togis talaribus, non tamen ſericeis, necnon birretis, non vero galeris, præſertim in eccleſia utantur.

Ipſos etiam canonicos cum a canone nomen ſortiti ſint, volumus & jubemus eam vivendi regulam ſibi præſcribere, quæ aliis ſit ſanctæ converſationis exemplum: Propterea eoſdem quantum poſſumus in domino hortamur, alioſque omnes ſacerdotes, ſingulis diebus dominicis ſaltem annualibus & magis ſolennibus feſtis, ſacram miſſam celebrare; qui autem ſunt clerici tantum vel diaconi aut hyppodiaconi, iis ipſis diebus, in fine majoris miſſæ, ad majus altare ſacram communionem percipiant; quod etiam a religioſis & mendicantibus ſuis in monaſteriis cupimus obſervari: futurum eſt enim, ut populus eorum exemplo ad frequentius communicandum invitetur.

Beneficium autem, cum detur propter officium, dignitates & canonicos eccleſiarum tam cathedralium quam collegiatarum, quos in dictis

ANNO CHRISTI 1583.

eccleſiis reſidere volumus ) ex ſacroſanctis conciliis munia ob ſuos canonicatus & dignitates ad cultum divinum debita, per ſeipſos ( niſi ſint legitime impediti ) adimplere & exequi jubemus : his qui prædicta munia per ſeipſos obire contempſerint, mediam aut aliam ſuarum diſtributionum partem, ad certos dies, fabricæ eccleſiæ applicandam, arbitrio capituli ſubſtrahi decernentes graviore nihilominus mulcta, eorum pervicacia exigente illis imponenda.

Quibus quidem canonicis, ut ad reſidentiam magis illiciantur, omnes præbendarum fructus ſaltem tertiam partem, qui divinis officiis continue interfuerint, per manus diſtribui volumus & ordinamus, nulla abſentibus omnino diſtributione facienda, niſi infirmitate detentis, & ſervitiis eccleſiæ occupatis, quos pro præſentibus volumus reputari.

Divinis vero officiis peractis, ipſos canonicos ( præſertim eccleſiarum cathedralium qui epiſcopi conſiliariorum nomine decorantur ) oportet libros, præſertim ſacros legere, non vero huc & illuc diſcurrere & vagari, aut deſides eſſe : multum etenim reipublicæ Chriſtianæ intereſt, ut ſint in eccleſia viri docti, qui ceteros ad juſtitiam & pietatem invitent, & erudiant.

Qui ne ob librorum penuriam a lectione ſe excuſare valeant, provideatur in unaquaque eccleſia cathedrali & collegiata, de bibliotheca, in qua boni libri, & ab eccleſia catholica recepti, potiſſimum ſacri, juriſque divini & canonici, recondantur : cujus curam habeant decanus, archidiaconus & ſcholaſticus ſive cancellarius, aut alii ab epiſcopo & capitulo deputandi.

At præbendas theologales obtinentes, cum ex concilio Lateranenſi onus reſidentiæ & prædicationis ſubire, nec non bis aut ſemel per ſingulas hebdomadas, legere teneantur, illos quod ſui eſt muneris quantocyus exequi, in domino monemus : quod ſi non præſtiterint, fructuum ſubſtractione per capitulum cogantur & compellantur, ceteris canonicis, capellanis, vicariis, presbyteris & clericis civitatis, injungentes, ut prædicationibus & lectionibus interſint.

Pœnitentiarii munus, in qualibet eccleſia cathedrali ; cum ſit perneceſſarium, & qui eo funguntur eximiæ ſcientiæ eſſe debeant, ut vitium a vitio diſcernere, & animas quæ peccaverunt, modo leniter, blandiſque verbis conſolari, modo ſque reficere, modo acerbe & graviter increpare ; atque etiam inſtruere valeant, ſacrorum conciliorum ſtatuta exequendo ( ubi commode fieri poterit ) pœnitentiarii officium ſive beneficium, graduato qui ſit ſaltem in theologia, vel jure canonico baccalaureus formatus, & annorum quadraginta, cum unione præbendæ proxime vacaturæ ( niſi ratione ejuſdem pœnitentiariæ dudum erectæ, ſatis habeat unde commode & honeſte vivere poſſit ) conferri volumus & mandamus.

Qui dum confeſſiones in eccleſia audiet, interim præſens in choro cenſeatur.

Is vero qui tam digno muneri præerit cum ceteros eccleſiæ cathedralis canonicos, non tantum literatura, ſed etiam morum converſatione, gravitate & vitæ ſanctitate præcellere debeat [illegible] ut etiam eos gra[illegible] dicente [illegible] dupli[illegible] pœnitentiarius [illegible]

in qualibet eccleſia cathedrali, dignitatis titulo per epiſcopum ( capituli accedente conſenſu ) ornandam & decorandam eſſe decernimus.

ANNO CHRISTI 1583.

At ne aliis in ipſis eccleſiis dignitates obtinentibus, conquerendi præbeatur occaſio, ipſam pœnitentiariam, ut erit dignitatis titulo noviter inſignita, ita etiam inter dignitates, noviſſimum locum, ut obtinere debeat æquum judicamus, officiis ſeu beneficiis pœnitentiariæ in his eccleſiis in quibus dudum dignitatis nomine gaudent nullum hoc decreto præjudicium generari declarantes.

Scholaſtici & cancellarii, tam cathedralium quam collegiatarum eccleſiarum cum lecturos aut decantaturos in his eccleſiis matutinarum lectiones, euangelia & epiſtolas, docere teneantur, quo puncta & accentus, legendo vel cantando debite obſervent, hoc munus ſub pœna privationis fructuum ſuorum officiorum, arbitrio capituli vel epiſcopi, ſollicite exequi præcipimus, injungentes omnibus aliis, dictarum eccleſiarum dignitatibus, ea quæ ſunt ſuæ functionis ſub eadem pœna adimplere.

Ut autem divina tam in cathedralibus quam aliis collegiatis eccleſiis decentius celebrentur; volumus ut a cetero omnes & ſinguli in choro exiſtentes, ad cantoris juſſum vel alterius vel capitulum in choro præpoſiti vel præponendi, ( ſalvo cuique eccleſiæ ſuo more ) obedire teneantur, ſub pœna carceris & emendæ, epiſcopi vel capituli arbitrio pro modo culpæ taxandæ & ſolvendæ, non obſtante quacumque appellatione, oppoſitione aut recuſatione, dummodo mulcta centum ſolidos, & carcer octo dies non excedat, modo ut nullum illis præjudicium generetur.

*De parœcis, presbyteris & aliis clericis.*

## XIV.

CUM ex divi Gregorii Nazianzeni ſententia, ars artium ſit & ſcientia ſcientiarum hominem regere ( animal omnium maxime varium & multiplex ) atque animarum curam gerere, & qui parœciis præficiuntur, earum præcipuam poſt epiſcopos ſollicitudinem habere debeant, ideoque maxime cavendum ſit, ne indignis conferantur : ipſos epiſcopos, aliosque omnes ad quos jus parœcias conferendi ſpectat, monemus : eiſdem non niſi de viris literatis, quorumque ſit ſpectata fides & morum integritas providere, examinatoribus qui in ſingulis diœceſibus deputari debent, ut ſuo muneri quam diligentiſſime invigilent, injungentes.

Quia vero dictorum examinatorum nonnulli, jus dictas parœcias conferendi ſibi arrogant, his verbis ( contulimus & conferimus utentes ) quæ ſolis epiſcopis & aliis collatoribus conveniunt, ab his in poſterum abſtinere præcipimus.

Quibus parœcis ſive rectoribus, ubi primum de dictis parœciis illis proviſum fuerit, ſaltem intra duos menſes, a die ſuarum proviſionum computandos, ad illas ſe transferre, in iiſque reſidere mandamus : Quam reſidentiam ſi per duos menſes, abſque ſui epiſcopi licentia ( quam non niſi ex cauſa legitima concedere poſſit ) defecerint, pro rata temporis abſentia, parœciæ fructibus priventur, quos domorum presbyteralium & eccleſiarum parœcialium reparationibus applicari volumus.

Ne



ANNO CHRISTI 1583.

Ne vero ſit inutilis ac otioſa, & ſine fructu eorum reſidentia ſollicite ſacramenta ſuis parœcianis adminiſtrent, fideliter populum ſibi commiſſum, tum verbo tum exemplo doceant : in pronis tum primæ tum majoris miſſarum parœcialium, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum fidei, confeſſionis methodum & decalogum cum eccleſiæ præceptis, necnon ſacramentorum numerum, nomina, eorumque vim & effectum, ſigillatim lingua vernacula, populo declarent, & diſertis verbis, ac diſtincta pronunciatione, efferant.

Et ſuos utriuſque ſexus parœcianos commonefaciant, ut dum illa legentur, iis audiendis ſint attenti, eaque tum in eccleſia, tum domi, ſuis parvulis, frequentius repetent, ut memoria teneant.

Utque parœciale officium, decentius in eccleſiis parœcialibus celebretur : omnibus presbyteris, diaconis & hypodiaconis in aliqua parœcia degentibus, injungimus, ut ſingulis ſuæ parœciæ divini officii horis ( ne laicos a divino cultu revocent, quos ad pietatem magis debent animare ) interſint cum ſuperpelliceis & alio habitu decenti, cum birretis, non vero galeris, dictis horis durantibus cantent & pſallant, non tamen presbyteri privatas miſſas interim celebrent, ſuſpenſionis pœna aut alia ordinarii arbitrio illis imponenda, ſi contravenerint.

Et ne debita mercede fruſtrentur, partem fundationum, ſeu anniverſariorum, ac etiam obſequiorum funeralium, juxta cujuſque diœceſis ritum, vel eccleſiæ facultates, locorum & perſonarum habita ratione, a rectoribus & fabricarum procuratoribus, illis perſolvi ordinamus.

Hos autem rectores alioſque omnes presbyteros, tam ſæculares quam regulares, etiam beneficiatos quoſcumque, ſacris etiam nec initiatos, ad horas canoniales ſingulis diebus recitandas, ad uſum breviarii decreto concilii Tridentini editi, vel ſuarum diœceſum, quorum uſus ante ducentos annos probatus ſit, ſe obligari, ſub pœna privationis omnium fructuum beneficiorum per eos poſſeſſorum, quos etiam ſuos juxta ſacrorum canonum, præſertim concilii Lateranenſis decreta, & Pii quinti conſtitutionem facere non poſſe, imo ad eorum reſtitutionem teneri declaramus : ideo volumus epiſcopos curare propria breviaria, quam fieri poterit citiſſime & accuratiſſime emendari, lectioneſque his inſertas, peritorum induſtria, ad hiſtoriæ veritatem ex antiquorum probatorumque auctorum ſcriptis & monimentis reformari, & typis mandari [illegible]

Sciant clerici, & qui ad acolytatum, alioſque ordines ſunt promoti ſui eſſe muneris, presbyteris dum ſacra faciunt aſſiſtere : provideantque eccleſiarum tam cathedralium, quam aliarum capitula, necnon qui ſunt monaſteriis & eccleſiis parœcialibus præpoſiti, certos clericos clericalem vel regularem habitum geſtantes, in quantum commode fieri poterit, deputare : qui presbyteris miſſam celebraturis dum per eos accerſentur, miniſtrare teneantur.

Et ne in eadem eccleſia, plures parœciæ eſſe videantur, aquam vel panem, per privatum ſacerdotem benedici, aſpergi, ac pronum fieri, in aliis miſſis quam parœcialibus, diſtricte prohibemus ; Confratriarum auctoritate epiſcoporum approbatarum, necnon univerſitatum, & collegiorum atque purificationum mulierum, miſſis dumtaxat exceptis.

Quod etiam in eccleſiis mendicantium & aliorum monaſteriorum, ne parœciani a ſuis miſſis parœcialibus revocentur, fieri non licere declaramus.

ANNO CHRISTI 1583.

Quoniam ſacri canones, clericos ( præſertim in ſacris ordinibus conſtitutos ) incertis vagari ſedibus, aut per diverſas provincias diſcurrere, ſuaſque diœceſes deſerere minime patiuntur, cum hinc contingat, ut contra eccleſiaſtici ordinis decorem, nonnulli mendicare cogantur, alii voluntariam mendicitatem & doloſam ſeu fraudulentam paupertatem fingant, ut magis luxu, & otio fruantur, alii ut occaſione ſuorum criminum, merita ſupplicia devitent : omnibus clericis, ſaltem uno ſacrorum ordinum charactere inſignitis, etiam muſicis prohibemus, ne ſua domicilia, aut parœcias deſerant vel relinquant, inconſultis ſuis epiſcopis, capitulis aliiſve eccleſiaſticis, quibus ſunt adſcripti & abſque cauſæ ( cur id fiat ) expreſſione & cognatione, ſcriptoque probata licentia debiteque atteſtata.

Omnibus etiam epiſcopis, prælatis, capitulis, monaſteriis, conventibus ac parœcialium eccleſiarum rectoribus, vetamus, ne dictos clericos a ſuis parœciis recedentes, recipiant, vel ad ſacra peragenda admittant, abſque literis teſtimonialibus, probato ſigillo firmatis, ac diligenti ſuper eorum vita & moribus inquiſitione, niſi etiam legitime docuerint, de ſua ad ordines promotione per ordinarium loci approbata.

Neminem præterea, qui notorie & publice crimінoſus ſit, miſſæ ſacrificium facere, aut ſacris intereſſe debere ſecundum concilii Tridentini decreta, ſancientes.

At cum ſecundum apoſtolum, qui altari ſervit, de altari vivere debeat, nec ſit os bovi trituranti illigandum : Cupiens hæc ſynodus paſtores, quibus animarum cura mandata eſt, & qui in ſuis parœciis reſidere præcipiuntur, debitis non fraudari ſtipendiis, hiſque ſufficientem victum præſtari : ſtatuit & ordinat, ut quiſque epiſcopus ſua in diœceſi, accerſitis duobus canonicis eccleſiæ ſuæ cathedralis, per capitulum eligendis, & aliis duobus eccleſiaſticis, per clerum diœceſis ſpecialiter convocatum, vel in diœceſana ſynodo nominandis, quorum alter religioſus erit, rectorum querelas audiat ob non ſufficientes ſuo victui, ſuiſque rebus neceſſariis ſacerdotii reditus. Poſtea diligenter & ſummatim inquirat quam modicis fieri poterit ſumptibus, quæ illi ſacerdotio incumbant onera, quam longe lateque protendantur ejus parœciæ limites, quantus ſit parœcianorum numerus, quæ cujuſque qualitas, quique ſit annuus parœciæ redditnum valor, ſubducta deinde reddituum ac onerum ratione, ſi compererit ferendis oneribus, alendoque rectori impares eſſe proventus, adhibito dictorum canonicorum conſilio, ſummam illi quotannis tribuendam arbitretur & adjudicet, illaque arbitrata, de eadem curet illi quam commodiſſime provideri : quod ſi per beneficiorum (non tamen regularium) unionem fieri non poſſit, tantum illi ex primitiis aut decimis, novalibus aut oblationibus, aut ex parœcianorum ſymbolis ac collectis, aut quacumque alia commodiore via videbitur, aſſignetur, quantum illius neceſſitati ſit ſatis.

Quibus rectoribus eccleſiaſticis miniſteriis inſervientibus, ut facilius onera ſibi incumbentia ſuſtineant ( illos etenim mendicare ac ſordidos eſſe turpe eſt & indecorum ) ſedulo curent epiſcopi, ut jura illis debita & ab antiqua & laudabili conſuetudine ſolvi [illegible], tam pro

ſepul-

ſepulturis & funeralibus obſequiis, quam pro aliis etiam officiis in ſuis eccleſiis celebrandis, integre & ſine fraude præſtentur, juxta regium edictum ad trium ordinum regni Bleſis congregatorum ſupplicationem promulgatum. Atque pro cujuſque loci more, temporum ratione, & rectorum neceſſitate, talia illis ab epiſcopis aſſignentur, quæ illorum victui, ceteriſque rebus neceſſariis ſatis ſint nec parœcianis gravia debeant eſſe vel moleſta.

Oblationes omnes quæ in eccleſiis parœcialibus & capellis, intra metas earumdem exiſtentibus offeruntur, ſaltem pro tertia parte (niſi majorem portionem percipere conſueverint) ad eoſdem parœciarum rectores, ſpectare declaramus: ab hujuſmodi oblationum perceptione, laicos omnes excludentes, non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine, quæ potius corruptela cenſenda eſt.

His quoque rectoribus, album ſive quinque denarios, aut aliud majus debitum honorarium, in die ſancto paſchæ, aut alio ex majoribus feſto, per ſingulos parœcianos annuatim præſtari ſolitum, ut præſtetur, præcipimus.

Cum Levitico ſacerdotio, evangelicum ſucceſſerit, eoque tranſlato, legis facta fuerit tranſlatio, ipſiuſque & verbo Dei expreſſo, decimæ & primitiæ ſacerdotibus debeantur, quas hiſce procelloſis temporibus, pluribus in locis omnino denegari, ſaltem minus debite præſtari, omnium fere eccleſiaſticorum conqueſtionibus plus ſatis comperimus: ut totius populi ſaluti conſulatur (cui docente apoſtolo) moleſtum aut grave eſſe non debet, ſeminantibus ſpiritualia, temporalia miniſtrare, decimas & primitias eccleſiaſticis, ad decimam partem fructuum divino jure debitas, abſque fraude ulla ſolvendas eſſe ſtatuimus.

Illaſque de omnibus fructibus, juxta tamen cujuſque patriæ conſuetudinem & ante omnia jura cenſualia, ſeu feudalia, non obſtante quacumque in contrararium conſuetudine, ſolvi debere, & abſque peccato mortali retineri non poſſe, & eos qui retinuerint, ad reſtitutionem obligari decernimus: omnes utriuſque ſexus, eaſdem ut ſedulo præſtent admonentes: Quos, ſi tertio moniti non paruerint, præſenti decreto eccleſiæ communione privamus, & excommunicatos, præſentis ſynodi auctoritate publicandos mandamus.

Ipſi autem rectores, prout ceteri eccleſiaſtici, præſertim beneficiati, cum non tantum a gravi, ſed etiam leviore vitio, abſtinere debeant, & a mundi voluptatibus ſecedere, pompas & ſpectacula publica, cœtuſque ubi amatoria cantantur, aut obſcœni motus corporum, choreis & ſaltationibus exercentur, devitare, ne auditus & obtutus ſacris tantum myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum, atque verborum lenocinio, polluantur: concilii Agathenſis ſanctiones renovando, illos a dictarum nuptiarum conſuetudine & aliis publicis conviviis omnino abſtinere non tantum hortamur, ſed etiam jubemus.

Eadem ratione & potiore argumento ducti: cum a ſacris omnia prophana & ludicra debeant arceri & longe abeſſe, ne primitiis ſacerdotum (quas novas miſſas vulgus appellat) [illegible] miſceantur convivia, utque [illegible] omnia ſcenica & luſoria, ſtatuimus & [illegible] quamplures eccle[illegible] in contemptum [illegible] canonum,

ſæcularibus negotiis ſe immiſcere, nobilium & aliorum laicorum procurare negotia, fœnus ſeu uſuras lege divina prohibitas exigere, ex pecunia mutuo data præter ſortem aliquid recipere, firmas ſæcularium adminiſtrare, mercaturis (nundinatorum more) inſtare, ipſis etiam laicis domeſtice famulari & inſervire, inhibet hæc ſynodus, ne cujuſvis ordinis eccleſiaſtici, talia in poſterum quovis quæſito colore, ſub pœna perpetuæ depoſitionis, exercere audeant.

Et ne qui a cetero, facile contractus uſurarios incauti celebrent, utque timoratis conſcientiis magis conſulatur, eccleſiaſticis omnibus emptionis & venditionis contractibus (quos pignoratitios vulgus vocat) quibus res vendita redimendi gratia venditoribus ad aliquod certum tempus præſcribitur, uti non expedire: hos vero quibus perpetuo redimendi datur licentia (antiquorum decretorum veſtigiis inhærendo) licite & ſana conſcientia, deinceps celebrari poſſe declaramus, ita tamen ut ex rebus venditis, nihil amplius quam quod ſupremarum curiarum judiciis permiſſum eſt, utilitatis aut commodi, percipiatur.

Ut eccleſiaſtici qui fere omnes, propter nonnullorum laſciviam & libidinem, apud bonos & graves male audiunt, ab hujuſmodi ignominia & ſcandalo, liberentur: omnibus præcipit hæc ſynodus a mulierum de incontinentia ſuſpectarum conſortio, familiaritate, & cohabitatione, non obſtante cujuſvis conſanguinitatis aut affinitatis prætextu, omnino abſtinere: vetando & prohibendo dictis eccleſiaſticis, ne illas in domos ſuas, quacumque occaſione aut neceſſitate, vel etiam faciendæ aut reſarciendæ veſtis aut ornandæ ſupellectilis, vel rei familiaris gratia admittant, alioquin a perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio ſint ipſo facto ſuſpenſi, aliiſque pœnis a ſacris canonibus, vel ſtatutis eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod ſi a ſuperioribus moniti ab iis non abſtinuerint, contra eos ad alias pœnas ſanctis conciliis adverſus clericos concubinarios expreſſas ſevere procedatur. Decernentes fructus beneficiorum quibus ob hoc turpe delictum, & contumaciam clerici privantur, in pios uſus omnino applicari debere: ita ut eorum pars una in ipſorum beneficiorum reparationes erogetur, altera in uſus pauperum conferatur.

Si qui vero hujus criminis rei, beneficia non poſſident, pro prima vice, carceris per ſex menſes, pro ſecunda per annum, & ſi tertio relabantur, dictæ depoſitionis pœna mulctandos eſſe jubet ſynodus: Nec liceat judicibus eccleſiaſticis quibuſcumque has mulctas moderari, gravioribus per eos (ſi reorum protervia exegerit) infligendis.

Liberos autem ex concubinatu natos in domibus presbyterorum alii, epiſcopi eorumve vicarii aut officiales, aliique eccleſiaſtici judices, non patiantur: imo ab his ejici, & concubinariorum ſumptibus illis alimenta ſubminiſtrari curent.

Cum nullum crimen Deo odioſius ſit blaſphemia, qui tantopere ſui nominis ſanctificationem deſiderare, venerari & precari juſſit: omnibus clericis, ne ſanctum Dei nomen quoviſmodo blaſphement, neve etiam tabernas aut cauponas blaſphemiarum & luxuriæ officinas, graviis, nec etiam ſponſaliorum, vel obſequiorum funeralium prætextu, niſi inter peregrinandum, ingrediantur: Prohibet concilium, pœna carceris per duos menſes pro prima vice, per ſex menſes pro ſecunda, & per annum pro tertia (ſi prohibitionem contempſerint) illis imponenda, mitioris pœnæ omni ſpe ſublata.





Cum reperiantur plerique qui ad ſacrum presbyteratus ordinem, potius ut beneficia per eos poſſeſſa retineant, & prærogativa ſacri ordinis potiantur, quam ut miſſam celebrent & alia ſacerdotali dignitati convenientia munia exerceant: dicti concilii Tridentini decreta inſequentes: ſtatuimus ut omnes qui ad presbyteratum jam ſunt promoti, intra menſem a die publicationis præſentis ſynodi inchoandum, & qui deinceps promovebuntur, intra ſex menſes a die ſuarum promotionum numerandos, miſſam celebrent, his ſuorum beneficiorum fructus alioqui non percepturis.

Nonnulli etiam cum beneficia, potiſſimum prioratus ambiant, ut eorum fructibus ad tempus utantur, illa poſtmodum retro reſpicientes, ut ad ſæculum redeant relicturi, eoque fiat, ut ſuorum beneficiorum jura, non ea qua debent fide & cura, tueantur, & Deo eccleſiæque debite non deſerviant: omnes beneficia quæcumque etiam ſimplicia, ſive ſæcularia, ſive regularia obtinentes, ſi ſint viginti ſcutorum aureorum ſolarium annui valoris, deductis omnibus oneribus, ut puriore, ac majore animo in clericalis vitæ ſtatu Deo inſerviant, & jura ſuorum beneficiorum, ad quorum titulos fuerunt promoti, fidelius tueantur, magnopere monemus, & hortamur, ubi legitimæ ætatis & alias idonei exiſtant, ad ſacros ordines promoveri: illos vero, quos neceſſitas, vel utilitas eccleſiarum ad majores ordines ſuaſerit ordinari, volumus per amiſſionem locorum, necnon fructuum, ipſorumque beneficiorum ſubſtractionem, ſacrorum canonum auctoritate, per epiſcopos ad talium ordinum ſuſceptionem, dum modo idonei ſint, ceſſante appellatione compelli, fructuſque taliter ſubſtractos per epiſcopos uſibus ſeminariorum in ſuis diœceſibus inſtituendorum omnino mandamus applicari.

Eos autem, qui beneficia, ſacros ordines requirentia poſſident, ſi intra tempus a jure ſtatutum ordines requiſitos ſuſcipere diſtulerint, etiam privatione beneficiorum ipſo facto, juxta canonicas ſanctiones volumus coerceri.

Irrepſit profecto ſive temporum vitio, ſive hominum incuria & improbitate, ut multi ſacroſanctæ miſſæ ſacrificium, non ea qua decet devotione & veneratione, celebrent, ſed potius per avaritiam alicujus mercedis ſpe ducti. Quod ut vitetur curent epiſcopi, ut quos ad presbyteratus ordinem promovebunt, literati ſint, ſaltem mediocriter, competenteſque habeant facultates, quibus ſibi victum ſuppeditare poſſint, neque etiam ad ullos ſacros ordines ſuſcipiendos aliquos admittant, qui beneficium eccleſiaſticum ſufficiens pacifice non poſſideant, & ſi ad titulum patrimonii vel penſionis aliqui erunt ordinandi, illi tantum ordinentur, quos ipſi epiſcopi judicaverint aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum eccleſiarum, ſervatis iis, quæ œcumenicorum conciliorum decretis ſuper hoc ſtatuuntur: Quique juxta Calchedonenſe concilium certis addicantur ſeu adſcribantur eccleſiis, quas ſine epiſcopi licentia et cauſa & in ſcriptis obtenta, deſerere non liceat, & ad alias (niſi invitati fuerint a parœcis miſſæ celebrandæ gratia.) ſpe mercedis tantum diſcurrere, non enim longe abſunt a ſimoniaca labe, & turpi quæſtu, ex concilii Tridentini auctoritate, qui non alio quam pecuniarum intuitu, miſſas frequentant.

Hinc etenim ſæpius, in tam divini ſacrificii contemptum, & eccleſiaſtici ordinis ſcandalum contingit, ut nonnulli poſtpoſito omni ſuæ dignitatis decore, duas miſſas una die celebrare temere præſumant, quod ex ſacrorum canonum ſanctionibus, niſi in caſibus ab eccleſia receptis & auctoritate epiſcopi, non licere declaramus, imo etiam diſtrictiſſime, ſub pœna carceris, arbitrio epiſcopi, & ſuſpenſionis a ſuorum ordinum executione per annum, prohibemus.

Cum ſit epiſcoporum muneris ſuos agnoſcere, & præſertim eos qui in ſuis diœceſibus eccleſiaſticis funguntur officiis, maxime autem illos quibus animarum cura mandata eſt, ſitque paſtoralis ſollicitudinis pro rei Chriſtianæ utilitate, ab iis tam divinorum quam temporalium adminiſtrationis rationem exigere, ſanxit concilium, ut capitula, abbates, priores etiam commendatarii & parœcialium eccleſiarum rectores, aliique beneficiati qui de jure vel conſuetudine vocari, & ſynodis epiſcopalibus intereſſe debent vel conſueverunt, anno quolibet, diebus in quaque diœceſi ſtatutis, compareant, eorum quæ adminiſtraverint coram ipſis epiſcopis rationem redditui, contra quos, ſi minime paruerint, vel excommunicationis pœna vel fructuum ſubſtractione aut quacumque alia juris via, animadvertant epiſcopi.

Cumque multorum malo exemplo & ſcandalo, eccleſiaſtici ſui muneris & officii omnino obliti, domos ſuas adeo proſtituant, ut in eas non eccleſiaſticos tantum ſed etiam laicos, helluones & alios ejus generis ad ludos in quibus nomen Dei plurimum blaſphematur, jurgia, rixæ, & diſſidia exoriuntur, diu, noctuque comeſſatur, quaſi hiſtrionum more, ad ſpectacula introducant, prohibet hæc ſynodus, ne a cetero eccleſiaſtici quibuſcumque ludis inhoneſtis & quæſtuoſis tempus terant, nec quoſvis alios, præſertim laicos, ad ludendum in ſuis domibus invitent, imo vero ſacrorum librorum continuis lectionibus dent operam.

Eccleſiaſticis vero omnibus prohibemus, ne domos ſuas, tam epiſcopales, abbatiales, canonicales, priorales, quam presbyterales ſuæ habitationi deſtinatas, aut illarum partem, laicis quibuſcumque potiſſimum mulieribus, concedant, & ſi quæ conceſſæ ſunt, ab his intra trimeſtre poſt præſentis ſynodi publicationem, viis juris expellantur: ipſis nihilominus epiſcopis, abbatibus, canonicis, prioribus & parœcis prohibentes, ne eas inhabitatas deſerant, hac enim occaſione magnam ſæpiſſime ruinam patiuntur.

Quod ſi per annum, ſine habitatore eccleſiaſtico eas reliquerint, anno effluxo, per eos ad quos ſpectat mandamus provideri.

Cum ſcriptum ſit in lege veteri, quod quicumque non obtemperaſſet ſacerdotibus, aut extra poſitus lapidaretur a populo, aut gladio cervice ſuppoſita expiaret cruore contemptum, & in primitiva eccleſia, inobedientes cuncti, de eccleſia rabido ori dæmonum traderentur: multi nomine tenus ſacerdotes, cenſuram eccleſiaſticam contemnentes, excommunicati, vel ſuſpenſi a prælatis ipſorum exigentibus culpis, & immemores, quæ epiſcopis & prælatis cla-

ANNO CHRISTI 1583.

clavium regni cæleſtis collata ſit poteſtas, attrectare ſibi interdicta myſteria non verentur: contra quos rigorem eccleſiaſticum volumus exerceri: ſtatuimus igitur, ut tales ſine ſpe reſtitutionis, ab officiis & beneficiis deponantur, & infames ſint, & de cetero ad beneficia eccleſiaſtica, nullatenus admittantur, niſi per pœnitentiam approbatam, & converſionem laudabilem, ſedis apoſtolicæ gratiam meruerint obtinere,

*De Chriſti fidelibus laicis.*

## XV.

SAnctorum patrum antiqua decreta renovantes, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ſuis miſſis parœcialibus & aliis ſuarum parœciarum divinis officiis, ſingulis diebus dominicis & feſtivis intereſſe, diſtricte præcipimus: a quibus ſi per tres dies dominicos continue ſequentes illos abeſſe contingat, niſi legitimo impedimento retineantur, pœnas a ſacris canonibus indictas, incurrere declaramus, quod illis ſui rectores & confeſſarii, ſæpius inculcare non omittant.

Et ne prætextu divinorum officiorum quæ in aliis eccleſiis, quam parœcialibus celebrari ſolent, revocari aut diſtrahi poſſint, majorem miſſam & veſperas in eccleſiis cathedralibus collegiatis & monaſteriis, poſt parœciale officium peractum, tantum debere inchoari, decernimus.

Quod ut fiat commodius, epiſcopi ſeu eorum officiales, *ipſis rectoribus ſeu parœcis*, certas horas, quibus majorem miſſam & veſperas in ſuis eccleſiis celebrare teneantur, ita præſcribant, ut parœcialibus divinis peractis, ipſi parœciani, ad cathedralem & collegiatas, aliaſque monaſteriorum eccleſias, ad divina in his audienda, pro ſua devotione, ſe transferre valeant.

Horam autem habendis concionibus diebus dominicis & aliis feſtis primam pomeridianam in cathedralibus & collegiatis eccleſiis necnon monaſteriis, non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine, præſcribendam eſſe cenſuimus.

Ut vero in eccleſia ſeſſionum decens ordo ſervetur, ſancimus laicis dum divina peraguntur officia, non licere chorum præcipue cathedralium eccleſiarum, ingredi, & inter eccleſiaſticos ſedere.

Minuſque dum ſacerdos ſacris operatur, altaris ambitum cancelloſve ingredi, aut aliis altaribus minime ſeptis & ambitis, hærere.

Mulieres ab ingreſſu dicti chori, non tantum cathedralium ſed etiam collegiatarum, monaſteriorum & aliarum quarumcumque eccleſiarum, arcentes. Nemo vero in quacumque eccleſia, ad animi ſui arbitrium, ſed pro ſuo ſtatu ac qualitate, locum occupet.

Ut autem dictis parœcianis, omnis ad alias eccleſias diſcurrendi tollatur occaſio, omnibus presbyteris tam ſæcularibus quam religioſis etiam mendicantibus, ne quibuſvis perſonis quantumcumque illis notis, nec etiam cujuſvis confratriæ aut ſocietatis prætextu ſacram euchariſtiam tempore paſchatis, abſque parœci conſenſu, vel ſedis apoſtolicæ indulto epiſcopo exhibito, adminiſtrent, omnino vetamus, ſic enim fiet, ut paſtor oves, & oves paſtorem agnoſcant, dicente ſacra ſcriptura, Agnoſce vultum pecoris tui.

Certis teſtimoniis cum didicerimus, pleriſque in parœciis, pravam illam invaluiſſe conſuetudinem, ut in litaniis & proceſſionibus, quæ Deo ſupplicandi & preces offerendi gratia, ab antiquis patribus inſtitutæ ſunt, miſceantur ludi, joci, choreæ, comeſſationes & aliæ ridiculæ actiones, unde contentiones oriuntur: eccleſiarum parœcialium rectores, quantum poſſumus in domino hortamur, ne hujuſmodi quæ Deum optimum maximum, ad iram potius provocant, quam orationes in his proceſſionibus fuſæ, ab eo petita impetrent, in ſuis parœciis fieri ſinant, imo magis ſuos parœcianos, ab his abſtinere, etiam ſub anathematis pœna moneant, eoſdem in dictis proceſſionibus, viris a mulieribus ſeparatis, ordinate, devote & modeſte procedere, non vero invicem confabulari, ſed preces ſuas Deo qua decet humilitate offerre docentes & commonefacientes.

Cum nos doceat apoſtolus, mulierem non velato capite orantem, deturpare caput ſuum, nec minus eſſe turpe, non velari quam tonderi aut decalvari, minimeque eam deceat tortos habere crines & pectus ſuum nudare, non tantum virgines ſed etiam mulieres, ne ſui decoris & officii omnino oblitæ videantur, in tortis crinibus, ac niſi velatis capitibus & pectore, potiſſimum in eccleſia, incedere prohibemus: Indignum eſt enim mulieres Chriſtianas quas decet cum verecundia & ſobrietate ornatas, pietatem per opera bona profiteri, meretricio more, in tortis crinibus, nudatis capitibus & pectore, ſe velut nundinatitias populo exponere.

At cum mollis corporis cultus in femina Chriſtiana damnandus ſit, multo certe magis in viro, qui caput mulieris eſt, damnari debet. Ideoque ex concilii generalis Conſtantinopolitani, in Trullo habiti, decreto: excommunicationi ſubjacere eos omnes diffinimus, qui capillos, ad videntium detrimentum ſcite excogitatis nexibus adornant & componunt, & infirmis animis, eſcam ea ratione objiciunt: Ne vero prohibitio noſtra tum viros, tum mulieres lateat, hanc *illis* per parœcos in ſuis pronis & eccleſiaſticis in ſuis concionibus, etiam cum dura & importuna, ſi opus ſit, increpatione, ſignificari volumus & intimari.

Statuit etiam hæc ſynodus, ne qui colloquia ſua, in atrio alicujus eccleſiæ conſtituant habenda, merceſve in cœmeterio venales exponant: inde enim fit, ut in ipſa eccleſia, ſua exerceant negotia, ubi orationes & divina tantum fieri æquum eſt officia.

Omnibus & ſingulis Chriſtianis præcipimus, ne cibum ſumant, niſi menſa prece prius conſecrata, neve ab ea recedant, niſi gratiis humiliter & devote Deo peractis.

Pecuniam ſi quis adulterinam, aut minus probatam receperit, quamvis ignoranter, auctorque ſibi ſit incognitus, alteri tradere non præſumat, cum id fieri nequeat ſine ſpecie mali, a qua apoſtolus vult omnes abſtinere Chriſtianos, ac ſine magna furti ſuſpicione.

Si ventorum vi, vel tempeſtate agitata navis, variis onuſta mercibus, ſcopulis illiſa, naufragio frangatur, ex concilio Nannetis pridem ſedente Honorio ſecundo, habito: Naufragii reliquias, neminem, ſive nobilem ſive alium, multo minus eccleſiaſticum, præter naufragum tuta conſcientia ſibi arrogare poſſe declaramus: adverſatur enim non modo Chriſtianæ pie-



ANNO CHRISTI 1583.

pietati, ſed etiam legi naturæ & civili cum aliena jactura locupletari.

Prohibemus laicis, ne in eccleſia, potiſſimum durantibus divinis officiis, deambulent, ſibi pœna excommunicationis, quam contra eos qui moniti non deſtiterint, per ordinarios pronunciari volumus & mandamus.

Jubemus quoque, ut ſacerdotes Chriſti fideles moneant, quando ad eccleſiam conveniunt, ſine ſtrepitu ac tumultu, eam ingrediantur, in qua etiam quamdiu orationis cauſa morantur, nequaquam inanes inter ſe habeant confabulationes, illo enim tempore divis Chryſoſtomo & Ambroſio auctoribus, quo miſſarum ſolennia celebrantur, non ſolum ab otioſis & inutilibus verbis, verum etiam a pernicioſis cogitationibus prorſus eſt abſtinendum.

*De monachis & monaſteriis.*

## XVI.

OMNES abbates & priores conventuales tam religioſi quam commendatarii, qui de jure aut conſuetudine ſacros ordines ſuſcipere tenentur, intra tempus a jure ſtatutum poſt abbatiarum aut prioratuum adeptam poſſeſſionem ordinentur & miſſam celebrent: Quod ſi ſecus contigerit, nullis dictarum abbatiarum & prioratuum fructibus gaudeant, ſed ad uſum pauperum & ſeminariorum applicentur.

Qui noviciandi præſentabunt ſe abbati, priori & conventui: qui ſuper capacitate & inſufficientia ſupplicantis, in præſentia infirmarii diligenter inquirent ſi ſit ſanus mente & corpore, habilis ad portandum jugum domini & onus regulæ. Qui ſi repertus fuerit idoneus, facta prius profeſſione fidei, regulari cuculla inductur: ideoque ſanxit concilium, priorem clauſtralem cujuſque monaſterii vicarium eſſe deſtinatum ad induendos præſentatos habitu noviciorum, eoſdemque ad profeſſionem admittendos, & ad concedendam licentiam, ut ad ordines tam minores quam majores rite valeant promoveri.

Prohibemus omnibus abbatibus & monachis præter jura conſueta cujuſque monaſterii rationi conſentanea ſub pœnis a canone indictis pecuniam aut quid aliud pro monachatione accipere.

Quia vero magna abbatum ſeu priorum clauſtralium negligentia & incuria, hoc in omnibus fere monaſteriis irrepſit malum, ut nulla ingredientium monaſteria, ſeu in eis monachalem habitum ſuſcipientium, nec etiam ordinem profitentium facta fuerit deſcriptio, hincque multis in locis contigit, ut vere profeſſi non tantum religionis habitum rejecerint, ſed etiam ad ſæculum redeuntes magno religionis Chriſtianæ ſcandalo & gravi animarum ſuarum damno, uxores duxerint, nec potuerint nefariæ & inceſtuoſæ ac deteſtandæ nuptiæ convinci aut annullari dictarum profeſſionum nullo certo apparente teſtimonio: Alii etiam cum certos annos in monaſteriis exegiſſent, non tamen in his profeſſionem expreſſe emiſiſſent, contra ſacrorum conciliorum decreta ſola præſumptione pro expreſſe profeſſis habiti ſunt, ac tamquam tales regularia beneficia ſunt adepti & aliis profeſſorum prærogativis & privilegiis uſi: Cui malo ut in poſterum occurratur: ſtatuit hæc ſynodus in omnibus & ſingulis quorumcumque ordinum monaſteriis, certum confici regeſtum, in quo ſinguli abbates vel priores clauſtrales & alii iiſdem præfecti, omnium & ſingulorum qui dicta monaſteria poſthac ingredientur & religionis habitum ſuſcipient ac etiam vovebunt, ſeu ordinem profitebuntur, nomina, cognomina & ætates, una cum die, menſe & anno quibus & habitum ſuſceperint ac etiam voverint, annotare tenebuntur: cui regeſto ut pleniſſima fides adhiberi poſſit, ipſum per abbatem vel priorem clauſtralem qui eos ad habitum & votum admiſerint, ipſumque ſuſcipientem vel voventem necnon duos aut tres teſtes qui adfuerint, ſignari, & in monaſterio quam accurate fieri poterit, aſſervari mandamus.

Utque magis habitus ſuſceptio & emiſſio voti innoteſcant & palam ſint, mandat ſynodus ut publice in ſacrario ſeu choro eccleſiæ monaſterii poſt majoris miſſæ offertorium omnibus religioſis aſſiſtentibus, ſaltem intimatis, & de eorum aſſenſu habitus ſuſceptio & voti emiſſio, fiant.

Quod noſtrum decretum in monialium domibus ſeu monaſteriis omnino obſervari placet.

Nullus ante probationis annum & niſi decimum ſextum ſuæ ætatis compleverit, ad profeſſionem admittatur.

Ut autem in monaſteriorum eccleſiis decentius divinum officium perſolvatur & fiat, abbates ornamenta eccleſiis comparare teneantur, quæ ſufficere poſſint ad divinum officium peragendum, ſcilicet calices, cruces, candelabra, caſulas, mappas, albas, miſſalia, libros cantus & cetera quæ cultui divino ſunt neceſſaria.

In iis vero monaſteriis in quibus monachi matutinas preces media nocte decantandas propter Gallicos tumultus in aliud tempus diſtulerunt, eas dicta mediæ noctis hora ſecundum regulæ præſcriptum & juxta veteres conſuetudines de cetero cantent: Quod ut commodius agant, occludantur feneſtræ, & ubi opus erit vitra reficiantur.

Ceremoniæ antiquæ in monaſteriis *collapſæ* ad veterem & priſcam formam reducantur.

Nec liceat *laicis* inter monachos ſedere in choro dum divina celebrantur myſteria: ideo abbates chorum ſeu ſacrarium ſepiant & claudant.

Eligatur per abbatem, priorem & conventum vir moribus & doctrina commendatus, cui demandetur cura erudiendæ monaſticæ juventutis, alioſque doctrina indigentes monachos doceat: ſtipendia autem ab abbatibus accipiat.

Quibus in monaſteriis nulla eſt bibliotheca, locus aſſignetur commodus & præparetur, in quem de cetero libri monachorum decedentium includantur, quorum ſubſtractione abbatibus penitus interdicimus, ipſi abbati & monachis injungentes ut iis evolvendis quam poterunt ſedulam dent operam.

Ex monachis profeſſis cujuſque monaſterii eligantur ab abbate ſeu priore & conventu qui ad univerſitates & ſtudia generalia tranſmitti poſſint: In ipſis monaſteriis eo relicto numero qui ad divinum celebrandum officium ſufficiat, quibus per abbatem ſeu priorem & conventum, camerarium etiam & cellerarium, alioſque officiarios ea erogabuntur, quæ in monaſterio reſidentibus ſuppeditari deberent.

Nemo duobus officiis in eodem monaſterio præficiatur, & qui nunc duo obtinet, alterum dimittat intra ſex menſes a publicatione præſentis concilii, alioqui utroque privetur: Quos quidem officiarios poſt triennium debere deſtitui decernimus, niſi aliter monaſterii evidens ſuaſerit utilitas.

Omnes officiarii, & ſimplices monachi onus ſibi injunctum fideliter per ſeipſos exequantur, & actualem in monaſteriis reſidentiam faciant, ſub pœna a jure & regula indictis, niſi ratione ſuorum officiorum ſeu onerum ſibi incumbentium per ſuperiores fuerint diſpenſati.

Juxta veteres conſuetudines & antiquorum patrum decreta, induantur monachi & regulares cujuſcumque ordinis etiam divi Auguſtini, illiſque veſtimenta tradantur ab his qui præſtare debent, in ſpecie, qualitate, quantitate, ſtatutis diebus & conſuetis temporibus, quæ quidem deferre tenebuntur, tam intra ſepta monaſterii, quam extra, ſublata illis aliis indumentis utendi licentia, idque ſub anathematis C pœna.

Non liceat monachis alieni & peregrini coloris a jure & regula eorum prohibiti, veſtimenta ferre, aut illa ſerico decorare, induſiis non utantur ſtriatis, denticulatis, monilia aut annulos in digitis, thoraces aut calceos conſciſſos non deferant, nec ampla femoralia militum more: non utantur galero intra ſepta monaſterii, nec in civitate, in qua etiam niſi cum magna cuculla, nec ſoli, incedant, juxta conſtitutionem a Clemente in concilio Viennenſi editam, ſub pœna perditionis prædictarum rerum pauperibus diſtribuendarum, & carceris, privationiſque certæ partis ſui victus judicio ſuperioris pauperibus applicandæ.

Ne quis monachorum de cetero barbam geſtare aut comam nutrire præſumat, ſed omnes coronam magnam in capite habeant & barbam radant.

Omnium monachorum menſa ſit communis, niſi ſubſit legitima excuſationis aut morbi cauſa, hiſque quotidie juxta regulæ præſcriptum & ſummorum pontificum decreta, miniſtretur panis, vinum, obſonium & aliæ annonæ in numero, ſpecie, qualitate, quantitate, horis & diebus quolibet monaſterio conſuetis, omni diligentia ab iis qui ea præſtare tenentur.

Qui utenſilia refectorio & aliis locis pro refectione monachorum deſtinatis debent, ea bona fide exhibebunt: annona bladi, vini & aliorum neceſſariorum, necnon ligna in monaſteriis tam abbatiarum quam prioratuum conventualium, in horrea & cellaria congregentur, ne extra ſepta monaſterii monachi exire cogantur.

Eſu carnium omnibus monachis ſingulis diebus Mercurii, necnon adventus tempore tam in monaſterio quam extra monaſterium interdicitur, ſtrictiore regula, ſi quæ forte ſit, in monaſteriis nihilominus obſervanda.

In dictis autem religioſorum monaſteriis, ſingulis diebus durantibus prandio & cœna, ſacram A ſcripturam legi volumus & jubemus, ut religioſi illam meditentur, faciliuſque addiſcant.

Quælibet monaſteria dormitorium & cellulas habeant, ubi ſtatim completorio dicto monachi etiam priores clauſtrales ſeſe recipiant.

In dormitorio lampades accommodentur quæ tota nocte luceant, ibidem ſilentium ſervetur, prout in regula continetur: ſit in eo cella communis cum camino ad ignem cauſa calefaciendorum monachorum e matutinis precibus redeuntium, parandum: ideoque non intendit concilium prædictis monachis ſeparatim lignum præſtari ab abbate, niſi ratione officii quibuſdam debeatur. In quolibet monaſterio aut prioratu conventuali, conſtruatur domus in loco aprico B & ſano pro monachorum infirmorum receptione: muniatur utenſilibus & mobilibus neceſſariis, in eaque alimenta & cetera quæ ad ægroti ſanitatem recuperandam pertinent, præſtentur ab iis qui ad id tenentur: Adjaceat hortus ad auram capiendam, ſi commode præſtari poſſit.

Clauſtra ſemper claudantur, quorum ſuperiores monachi tantum, non vero alii clavem habeant. In iis autem ſilentium ſervetur.

Extra ea non exeant monachi ſine prioris aut præſidentis licentia & juſſu, exceptis his quibus ab antiquo exire licet pro adimplendis officiorum adminiſtrationibus: Quod ſi qui convincantur ſine licentia exiſſe, pro ea die qua C clauſtrum exierint & proxime ſequente, cibariis privabuntur, iis duobus diebus pane & aqua tantum uſuri.

Prohibemus abbatibus & prioribus conventualibus tam religioſis quam commendatariis eorumque procuratoribus, negotiorum geſtoribus, actoribus ſeu firmariis, ne domos intra ſepta monaſteriorum, ſæcularibus & laicis locent, vel uxoratos reſidere in monaſteriis permittant: ſi qui vero laici aut uxorati monaſteria modo inhabitant, intra ſex menſes cum uxoribus & ſupellectili recedant, ſub pœna excommunicationis per epiſcopos contra contumaces ferenda.

Quia vero nonnulli abbates commendatarii in D monaſteriis ſuis reſident, ſecumque laicas perſonas, quandoque viles ſatellites, etiam mulieres circumducunt; ne illorum converſatio monaſtico ordini lethale inferat detrimentum, murum conſtrui & ædificari vult ſynodus, qui commendatariorum manſiones a cellulis & domibus monachorum dividat.

Inhibemus etiam eiſdem monachis cujuſvis ordinis, ne mulieres cujuſcumque ſint ætatis intra prædicta ſepta ſeu clauſtra ſuorum monaſteriorum, ne quidem conſanguineos ſuos religioſos viſitandi vel illis ancillandi, aut alio quocumque prætextu, ſub pœnis Romanorum pontificum conſtitutionibus ſancitis, admit- E tant: fruſtra enim ſacrorum canonum decretis monaſteria ſua egredi prohiberentur, ſi quod eſt maxime noxium in ſæculo, in illa inducere permittentur.

Cum non abs re antiqui canones, religioſos profeſſos, infantes e ſacro fonte ſuſcipere & nuptiis intereſſe prohibuerint, illiſque ſi hæc liceret ſua ſepta deſerendi, vagandi & diſcurrendi, cumque laicis nimiam familiaritatem ineundi daretur occaſio, ſecundum eadem antiqua decreta, hæc illis minime licere declaramus.

Quod etiam decretum monialium reſpectu ſuum ſortiatur effectum.

Non liceat monachis arma cujuſvis generis in





in ſuis cellulis retinere, canes & aves venaticas A alere, hiſque in venatione uti aliiſve ſe implicare negotiis, quæ ſuum ordinem minime decent, & eos a ſolitudine & ſanctis meditationibus poſſunt avocare.

Eleemoſynæ quæ ab antiquo in monaſteriis & prioratibus conventualibus & aliis ab eiſdem dependentibus locis conſueverunt fieri, de cetero decenter & fideliter, necnon pauperibus ſine fraude neceſſaria, in quantitate, qualitate, ſpecie, diebus & horis conſuetis diſtribuantur.

At quoniam ex mala & depravata beneficiorum collatione multa in monaſteriis indebite fiunt, ut huic morbo medeatur, ſtatuit hæc ſynodus ut collatores beneficia a ſuis monaſteriis B dependentia conferant ſecundum ſummorum pontificum decreta, ſanctiones canonicas & fundatorum intentionem, videlicet regularia, regularibus; ſæcularia, ſæcularibus. Quoniam vero ſæpe fit non ſine gravi monaſtici ordinis jactura, ut panem filiorum alieni manducent, beneficiaque extraneis conferantur, nulla habita ratione monachorum illius monaſterii a quo beneficia dependent, eadem ſynodus ſtatuit ut prædicti collatores prædicta beneficia conferant religioſis illius (ſi ibidem capaces & habiles reperiantur) habita ratione graduum, qualitatis, literaturæ & antiquitatis.

Tituli monaſteriorum & beneficiorum ab iiſdem dependentium & documenta ab his pe- C nes quos exiſtunt, reſtituantur, & in theſauraria cujuslibet monaſterii, recondantur, cujus claves quatuor ſint, quarum una tradatur abbati, altera priori, tertia per capitulum eligendo, quarta armario qui cuſtos chartarum dicitur, aut alii qui ejuſcemodi claves ſervare conſueverit.

Exempla legitime & fideliter collata & per ſecretarios ſubſcripta & ſubſignata, regeſtorum, continentium collationes & præſentationes omnium beneficiorum quæ per abbates aut eorum vicarios, quotannis conferuntur & præſentantur, in theſauraria cuſtodienda, intra ſex menſes, reponantur.

Conſignandarum arborum cujuſvis abbatiæ D nemorum, maleus de cetero in theſauraria & loco ubi documenta & tituli aſſervantur, recondatur, ut cum tempus conſignationis advenerit per religioſum ad id ſpecialiter deputatum cum ordinario nemoris cuſtode, deferatur: ſignificetque capitulo quot arbores, cujus qualitatis conſignaverit, ad vitandum abuſum in talibus fieri conſuetum.

Procuratores abbatum, quos non recte magnos vocant vicarios, etiam ſi fuerint religioſi, nullam virtute ſuæ procurationis aut vicariatus dignitatem, auctoritatem, honorabilioremve ſeſſionem ſive in choro, capitulo aut alibi ſibi vendicabunt, ſed prior clauſtralis illos ſemper præcedat: locum vero ſuæ receptionis illi tan- E tummodo teneant.

Si contigerit, abbates, religioſos, priores aut alios ad id poteſtatem habentes aliquem ex monachis ab obedientiam mittere, ſeu ab ea revocare, hoc fiat in capitulo de conſilio fratrum, nullos autem indiſciplinatos, minimeque dociles & morigeros ad prioratus conventuales ire jubeant: qui ſi forſan miſſi fuerint a prioribus recipiendos non eſſe, imo revocandos dicimus, ut in abbatia juxta ordinis regulam, corrigantur.

Nullus monachorum cum obedientia in aliud tranſmittatur monaſterium, niſi publicam emiſerit profeſſionem & actu ſacerdos ſit aut de proximo ad ſacerdotis ordinem promovendus.

At quoniam ſæpe contingit obedientiarios non recipi in prioratibus conventualibus per priores vel eorum actores & firmarios, ideoque cogantur ad monaſterium redire, ſtatuit concilium ut expenſis abbatis, dictis obedientiariis detur conductor, qui ducat & reducat.

Reparationes chori, clauſtri, capituli, refectorii, dormitorii, domorum officiariorum non ſolum exiſtentium intra ſepta monaſterii ſed etiam extra, fiant citius per eos qui ad id tenentur: & in negligentiam abbatum & priorum, ordinarii hæc omnia fieri curabunt, eoſque cum im- B ploratione brachii ſæcularis, & per cenſuras eccleſiaſticas ad id compellent.

Mendicantium ordinem profeſſi, cum in ſuis conventibus ex ſuorum ordinum præſcripto reſidere debeant, illis per civitates & oppida diſcurrere & extra ſuos conventus morari, niſi cum verbi Dei prædicationi ſuorum ſuperiorum mandato & epiſcoporum conſenſione vacabunt, aut in eleemoſynarum collectione erunt occupati, prohibemus. Quibus tam in dictis ſuis conventibus quam extra, ea quæ ſunt ſuæ profeſſionis & voti ad amuſſim tam in habitu (quem exquiſitum aut nimia arte elaboratum eſſe non volumus) magna tonſura, jejuniis, a carnibus, & aliis cibis juxta ordinis præceptum, ab- C ſtinentiis, quam in omnibus ſuis actionibus obſervare ſub pœnis a conciliis indictis admonemus [illegible]

Eos autem qui ſunt ex apoſtolica diſpenſatione ad eccleſiarum parœcialium quaſi in ſubſidium ſæcularium clericorum, regimen aſſumpti: ſcire volumus voto ſui ordinis perpetuo obligari, nec ſuæ profeſſionis habitum capitis raſuram, & alia ejuſdem inſignia poſſe deſerere, necnon ad continue deſerviendum eccleſiis ſibi commiſſis adſtringi, ſuorum beneficiorum fructus illis alioqui non percepturis.

Quia etiam alii ad prædicationis munus in eccleſiis cathedralibus in doctorum theologalium ſæcularium defectum, ſunt acciti: D eos monemus ut quæ ſunt ſuæ vocationis, quam diligentiſſime fieri poterit, impleant: & etiam ea omnia quæ ſunt ſui voti, debite perficiant & exequantur: Illis nihilominus præbendas theologales in titulum non debere conferri, ne pro canonicis ſe gerant, declarantes; ad quorum omnium obſervationem per ordinarios & ſuorum ordinum ſuperiores compelli volumus.

Ordinariis etiam mandamus ut ſingulis dictorum mendicantium ordinibus; ſuos fines aſſignent, intra quos verbum Dei ſeminare debeant & in his ſingulis religioſis, ſi commode fieri poſſit, ſuas parœcias præſcribant, ne inter eos, ut plerumque contingit, rixæ oriantur. E

*De monialibus.*

## XVII.

IN monaſteriis mulierum regularium quæ Deo ſe dicarunt vetus diſciplina conſervetur, & ſi fortaſſe uſquam eſt depravata ejus reſtituendæ provinciam locorum ordinarii ſubeant.

In quibus numerum monialium ſua auctoritate repleri curent pro modo & facultate loci, neque eumdem augeri niſi facta monaſterio annua quæ ſatis ſit fructuum acceſſione: his ne quo-

ANNO CHRISTI 1583.

A quoviſmodo per ſe aut per alios, directe vel indirecte, honores, officiave ſeu beneficia cujuſvis generis ſui monaſterii nec etiam alterius, ſub pœna eorumdem officiorum vel beneficiorum privationis ambiant, prohibentes.

Illis autem monaſteriis præfectæ ſive abbatiſſæ ſive prioriſſæ aut aliæ quocumque nomine appellentur, ne minores quadraginta annis eligantur: Quæque in vitæ honeſtæ laude vixerint, octo annis ſaltem poſtquam religionem profeſſæ fuerint, ſtatuimus.

Virgines [a] autem etiam mulieres quæ monialium monaſteria a cetero ingredientur, nullo modo ad id cogi ex antiquorum patrum decretis prohibemus: eos autem omnes anathemati ſubjicimus cujuſcumque qualitatis, gradus vel B conditionis fuerint, tam clericos ſæculares vel regulares quam laicos atque etiam qualibet dignitate fulgentes quomodocumque niſi in caſibus a jure expreſſis, qui invitam ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque religionis, vel ad emittendam profeſſionem coegerint, & qui conſilium, auxilium vel favorem dederint, quique ſcientes eam non libere nec ſponte ingredi monaſterium aut habitum ſuſcipere, vel profeſſionem emittere quoquomodo eidem actui præſentiam vel conſenſum auctoritatemve interpoſuerint.

[a] Forte, aut etiam.

Necnon ſimili pœnæ ſubjacere eos qui virginis vel alterius mulieris veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo ſine juſta cauſa volun- C tatem impedierint.

Si quæ autem poſt religionis ingreſſum & profeſſionem emiſſam, ſe id ante debitam ætatem feciſſe aut quid ſimile prætendere velint: eaque de cauſa habitum dimittere, aut etiam cum habitu ſine ſuperiorum licentia diſcedere, non volumus audiri, niſi intra quinquennium tantum a die profeſſionis.

Neque tum etiam niſi cauſas quas prætenderint coram ordinario & ſuo ſuperiore deduxerint.

Ante quarum deductionem ſi ſponte habitum dimiſerint ad allegandum quamcumque cauſam admittendas non eſſe decernimus, ſed ad monaſterium redire cogendas & tanquam apoſta- D tas puniendas.

Ut autem illarum libertati melius proſpiciatur, jubemus ne qua in monaſterio recipiatur ante duodecimum completum, nec ad profeſſionis emiſſionem admittatur ante exactum decimum ſextum ſuæ ætatis annum, poſtque annum probationis, ab habitu ſuſcepto, computandum.

Statuimus inſuper & decernimus ut ante ſuſceptionem habitus ab epiſcopo vel eo abſente aut impedito, ab ejus vicario aut aliquo ab eo deputando, virginis voluntas diligenter extra monaſterii ſepta inquiratur & examinetur, num coacta aut ſeducta ſit, & utrum intelligat, quid agat: cum vero iterum ante pro- E feſſionis emiſſionem ejuſdem virginis voluntas fuerit exploranda, id non fiat extra ſepta, niſi forte ex cauſa in monaſterii eccleſia exteriore.

Quoniam ſexum muliebrem contra verſutiam hoſtis antiqui minus fortem multiplici remedio neceſſe eſt communiri, decernimus ut moniales & ceteræ mulieres, divino cultui dicatæ, velum aut peplum ſericum non habeant, nec in velo, acus argenteas vel aureas audeant deportare, nec zonas ſericas auri vel argenti ornamenta habentes, nec aliquo panno irregulari, utantur: utantur etiam juxta dimenſionem corporum veſtes ſuas, ita quod longitudinem corporum non excedant, ſed pede decenter ſubducto ſufficiant eis, ſola monialis conſecrata deferat annulum & uno ſolo ſit contenta. Si qua autem contra hanc noſtram prohibitionem venire præſumpſerit & commonita non reſipuerit, regulari ſubjaceat diſciplinæ.

Ne autem dictæ virgines quæ habitum ſuſceperint, vel profeſſionis votum emiſerint a tam ſancto propoſito quoquomodo avocentur, ordinamus puellas ſæculares quas in dictis monaſteriis educari ſæpius contingit, non veſtibus ſericis ſed laneis tantummodo nigri aut fuſci vel albi coloris indui, nullo etiam exquiſito ornamenti genere uti, aut cincinnatos crines, in- B aures, vel monilia & alias ejus generis inanes delitias, geſtare.

Caveant ſimiliter præfectæ, ne viri cujuſcumque ſtatus, dicta monaſteria ingrediantur, aut adoleſcentulas per cancellos niſi ipſis præfectis præſentibus aut duabus aliis ex ſenioribus religioſis alloquantur: Neve illis inconſultis literas extra monaſterium mittant, vel ab extraneis recipiant, aut libros, niſi qui ad pietatem invitant, & a ſuis ſuperioribus approbatos & eis conceſſos penes ſe habeant aut quoquomodo legant, ſub pœna arbitrio epiſcopi conſilio patrum monaſterii imponenda.

Ipſarum autem virginum & mulierum Deo dicatarum ut ſaluti amplius conſulatur, dicta C monaſteria ſub perpetua clauſura in poſterum juxta conſtitutionem felicis recordationis Pii papæ V. quæ incipit, Circa paſtoralis officii, permanere volumus & ordinamus, ipſis ordinariis eamdem conſtitutionem quantocyus poterunt ut exequantur, mandantes & injungentes.

Licet contra nefandos inſidiatores ſacrarum virginum pudicitiæ pœnæ graviſſimæ ſint inſtitutæ tam canonicæ quam legales, quidam tamen relaxatis voluptatum habenis, in lacum miſeriæ & in lutum fæcis ſe immergunt, ut ſalutis æternæ coronam, honeſtatis normam, earumque pudicitiam corrumpere præſumant: contra quos nervum rigoris apponimus, ſtatuentes, ut quicumque pudicitiam ſanctimonialium D cujuſcumque habitus auſu ſacrilego ſolicitare præſumpſerit, ab officio, ſi clerici fuerint, ſi laici, a perceptione corporis domini noverint ſe ſuſpenſos, aliiſque juris, & arbitrii pœnis per epiſcopum, ſeu ejus officialem ſevere puniantur.

Qui vero ſacrilegum carnis commercium cum talibus habuerint, ipſo facto excommunicationis ſententia ſint innodati, pœniſque a jure & ſacris canonibus impoſitis ſubdantur: ſanctimonialis vero ſeu canonica quæ hujuſmodi crimen flagitioſum perpetraverit poſt competentis vindictæ ſeveritatem, carceri mancipetur, ut illic quamdiu epiſcopo videbitur in jejuniis & orationibus pœnitentiæ vacet, & ulterius ad officium E aliquod in monaſterio nullatenus admittatur, & inſuper regulari diſciplinæ arbitrio ordinarii ſubjiciatur, & in ſignum iniquitatis ſuæ, ultima tam in clauſtro maneat, quam in choro.

*De ſepulturis.*

XVIII.

SACRI Lateranenſis concilii decreta, renovando, omnibus & ſingulis eccleſiarum parœcialium rectoribus & aliis eccleſiaſticis, ne in ſuis eccleſiis vel cœmeteriis & aliis locis ſan-



ANNO CHRISTI 1583.

A ctis, hæreticorum corpora tradant ſepulturæ, illave in his inhumari ſuſtineant, ſub anathematis pœna prohibemus: illa vero ſi contigerit per vim aut alias indebite in eccleſia, cœmeterio aut alio loco ſancto ſepeliri, exhumari volumus & mandamus, æquum judicantes eos cum iis non ſepeliri, quibuſcum viventes noluerunt communicare.

Illas vero eccleſias ſeu cœmeteria in quibus ſepulta fuerint, pollutas ſeu polluta ac propterea reconciliatione indigere declarantes.

Eos qui oblationes ſeu legata & pia relicta defunctorum aut negant, aut ſolvere recuſant, illorumve teſtamenta ſeu codicillos celant, & doloſe retinent: tanquam animarum egentium necatores, ex concilio Agathenſi, excommuni- B cationi ſubjacere decernimus.

Laicis omnibus etiam nobilibus minime liceat, ſepulturas in eccleſiis jure proprio ſibi vendicare: cum ſepultura ſit proprie & mere jus ſpirituale & eccleſiaſticum: Neque ſepulturam in illis aſſumere & eligere, ad, juxta, vel prope majus altare aut ſacrarium, quacumque prætenſa in contrarium conſuetudine aut poſſeſſione non obſtante: niſi forte ſint epiſcopi aut eccleſiarum rectores vel fundatores ipſarum: Nullo autem modo in eccleſiis ſepultura effodiatur, niſi quæ non minore quam ſex aut quinque pedum ſpatio, a majore aut digniore altari diſtet.

Quibus in eccleſiis neminem ſine rectoris con- C ſenſu & auctoritate inhumare liceat.

*De juriſdictione & viſitatione.*

XIX.

OFFICIALES epiſcoporum cum ſint in foro contentioſo juris diſpoſitione ipſorum vicarii, eorumque vices ſupplere debeant, præcipue in criminum per ſubditos commiſſorum emendatione, eos eſſe presbyteros volumus, juris potiſſimum canonici ſeu pontificii peritos, & boni nominis, ut major in coercendis delinquentium criminibus eorum ſit D auctoritas: quibus ſtrenuam injungimus dare operam, ut quæ præſenti concilio ſancita & diffinita ſunt, obſerventur. His alioqui pro prima negligentia, ſuſpenſionis a divinis, & pro ſecunda, ſui officii privationis pœnas incurſuris.

Officium vero promotoris non niſi presbytero vel ſaltem in ſacris ordinibus conſtituto in poſterum committatur. Quod ſi qui hodie ſacris non ſunt initiati, aut ab exercitio officii abſtineant, aut intra ſex menſes curent promoveri.

Sacrorum conciliorum decretis, juriſque communis diſpoſitione cum ſit cautum, ne clericus adverſus clericum habens negotium pontificem E ſuum relinquat, & ad ſæcularem judicem trahat: omnibus eccleſiaſticis cujuſcumque ſint dignitatis, ſtatus, qualitatis aut conditionis, ne clericos, ſaltem in ſacris ordinibus conſtitutos, in actionibus, quarum cognitio & judicium fori eſt eccleſiaſtici, relicto proprio epiſcopo ad judices ſæculares trahat, ſub pœna anathematis prohibemus: cui eos ipſo jure & facto ſubjacere declaramus, aliis a jure ſtatutis pœnis nihilominus puniendos.

Ipſos eccleſiaſticos qui volentes iiſdem in cauſis ſæcularia judicia ſubierint, ſimilem pœnam A incurrere decernentes: cum hoc beneficium non perſonæ, ſed univerſo eccleſiaſtico ordini, publico jure ſit indultum, cui clerici renunciare non valent.

Certiſſimi juris cum ſit, matrimoniales cauſas omnes fori eſſe eccleſiaſtici: Ideoque earum cognitionem ac deciſionem judicibus laicis, a ſacris canonibus omnino eſſe interdictam, omnibus præterquam epiſcopis & eorum officialibus de iis earumque appendicibus & circumſtantiis, veluti ſi de conjugali adhæſione ſit quæſtio, cognoſcere & decidere, ſub anathematis pœna, prohibemus.

Cum non abs re, ſed neceſſaria ex cauſa, utque tum eccleſiaſtici tum laici ſuo in officio fa- B cilius contineantur, viſitationis munus in eccleſia ſit introductum; archidiaconis, archipresbyteris, decanis & aliis quibus hoc munus de jure vel præſcripta conſuetudine competit, annis ſingulis per ſe, ſuas eccleſias viſitare, diſtricte præcipimus, quos in domino hortamur: ne ſegniter aut perfunctorie in his viſitationibus ſe gerant, ſed ea omnia diligenter & integra fide exequantur, quæ jus & officii eorum ratio requirit.

Nemini autem liceat, ſub pœna excommunicationis, in eadem viſitatione, duorum, quibus ratione ſuarum dignitatum, perſonatuum, aut officiorum viſitationis onus incumbit, vices præſtare.

C Ipſi vero viſitatores ſciant ſe intra menſem poſt peractam viſitationem ad rationem omnium quæ in ſuis viſitationibus geſſerint epiſcopo reddendam ex antiquis conciliis obligari, idque ſcriptis, ut juxta caſuum exigentiam aut neceſſitatem per eumdem epiſcopum iiſdem provideatur: Quod ſi præſtare neglexerint ad id per epiſcopos viis juris compellendos eſſe ordinamus.

Quia literæ querimoniales ſeu monitoriales ad finem revelationis tam a dictis officialibus ordinariorum, quam ab archidiaconis, archipresbyteris, decanis, aliiſque, nimis facile in multorum ſcandalum & divini cultus diminutionem concedi videmus, hincque illæ magis D contemni quam formidari, ac perniciem parere potius quam ſalutem, œcumenicis conciliis inhærendo, illas a nemine prorſus quam ab epiſcopis ſeu eorum vicariis & officialibus generalibus in poſterum decerni vetamus, & tunc non alias, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter cognita & magna cum maturitate examinata: aut mandatum vel permiſſum ſit patribus eas ab eccleſiaſtico judice obtinere.

Ut litium anfractibus & litigantium ſubterfugiis ac cauſarum brevitati provideatur: ſtatuit hæc ſynodus reverendos epiſcopos, ſeu eorum officiales partium appellationibus ab appunctuamentis a cetero interjiciendis, quæ tan- E tum litium inſtructionem concernunt non debere deferre: cum autem ad reverendiſſimum dominum archiepiſcopum Turonenſem aut ejus officialem ab eorumdem ſuffraganeorum vel ſuorum officialium audientia fuerit appellatum, reverendiſſimus dominus Turonenſis archiepiſcopus, nec ejus officialis, in hujuſmodi appellationis cauſa, ſi gravamen eſt reparabile in diffinitiva, non procedat, nec etiam aliis ante diffinitivam ſententiam illam committat.

Cum multorum relationibus intellexerit ſynodus, quam plurimas ſurgere contentiones

ANNO CHRISTI 1583.

in tractatibus capitularibus ob nonnullorum capitulantium tum petulantiam, tum arrogantiam, vel potius inſaniam ſuboriri, quas ſedare ac comprimere deſiderat: ſtatuit, ne a cetero in capitulorum conventuum aut aliarum communitatum tractandis negotiis, quiſquam, cujuſvis dignitatis, ſtatus, qualitatis aut conditionis exiſtat, verbis rixoſis aut contumelioſis utatur, volentes omnes modeſte, ſeriatim, ſuoque ordine, non vero interrupte ſua vota ſeu ſuffragia emittere, ita ut uno ſuo ordine loquente, ceteri taceant: his injungendo ut decano, aut cuicumque in capitulo vel conventu præſidenti, obediant omnino ſub pœna carceris: Quod ſi quis convicium, contumeliam aut injuriam in confratrem protulerit, vel Dei nomen B blaſphemaverit, per ſubſtractionem fructuum pauperibus applicandorum, & carceris ad certum tempus indictionem, præſidentis & mediæ partis antiquiorum canonicorum aut religioſorum tunc capitulantium (ſi ad capitulum aut conventum ſpectet juriſdictio) ſin minus ejus ad quem ſpectabit arbitrio, puniatur, neque dictæ ſubſtractionis ſummam decem librarum & carceris pœnæ, ſi quindecim dies non excedant, executionem quævis oppoſitiones, recuſationes aut appellationes quoquomodo impediant, aut ſuſpendant.

Ne autem defectus & exceſſus prædicti aliaque crimina quæ per eccleſiaſticos in magnum totius cleri ſcandalum licentioſius committun- C tur, prætextu exemptionum per nonnulla capitula, abbates, monaſteria, ordines, etiam mendicantium, conventus & alia loca tam ſæcularium quam regularium, prætenſarum, in multarum animarum periculum, impunita remaneant, quarum intuitu quam plurimos flagitioſos ac gravibus obnoxios criminibus ad dicta loca tanquam ad aliquod impunitatis aſylum confugere plus ſatis compertum eſt: ſtatuimus ut quibuſcumque juribus, exemptionibus, immunitatibus & privilegiis, non obſtantibus, ab epiſcopis, ex auctoritate, quam œcumenicorum conciliorum canones illis concedunt, contra delinquentes procedatur, ſervata ea forma, quæ in iiſdem conciliis præſcribitur, quo- D ties contra regulares exemptos, aut aliquem de capitulis, ipſis epiſcopis penitus non ſubjectis fuerit procedendum.

Si qui vero ab una eccleſia in aliam aut locum quem prætendunt exemptum ſuis criminibus impunitis per fraudem aut judicii declinandi gratia, migraſſe comperiantur: nihilominus ab ordinario cauſa cognita juxta canonicas ſanctiones puniri volumus in cujus diœceſi fuerint crimina commiſſa, dictis juribus, exemptionibus, immunitatibus & privilegiis quibuſcumque non obſtantibus: quicumque vero taliter fugitivum epiſcopo ſuo requirenti non reddiderit, ſed defenſare præſumpſerit, eccleſiæ com- E munione privetur.

Rixas, cum in capitulis & aliis communitatibus reſecari, pacem vero & unionem inter eos qui in una domo morantur, retineri maxime conveniat: ſitque valde indecorum inter eos eſſe jurgia & lites, qui nihil niſi caritatem & unitatem ſpirare aut docere debent: omnia ſtatuta ſeu particulares ſingularum eccleſiarum leges & conſuetudines, ex quibus multa inter confratres & alios ejuſdem eccleſiæ clericos oriuntur diſſidia, per viros pios & longo jam uſu in rebus & conſuetudinibus earumdem exercitatos, ad id per ipſa capitula & communitates deputan- A dos, legi & diligenter examinari volumus: & ſi quid in iis compererint quod potius ad paucorum quæſtum & privatum lucrum, excitandamque inter eos diſcordiam tendat, quam ad eccleſiarum decorem, totiuſque communitatis commodum: epiſcopi eorumdem proborum virorum adhibito conſilio vel conſenſu, ubi de jure vel legitima conſuetudine etiam conſenſus requiritur, emendent: illaque ſic emendata, ipſe epiſcopus & omnes cum dignitates tum canonici & alii eccleſiarum ſuppoſiti ita juramento firment & roborent, ut perpetuis futuris temporibus illa in dubium revocare non liceat, minuſque ſuper his judicio forenſi contendere, niſi magna evidenſque eccleſiæ utilitas ſeu ratio B contrarium ſuaſerit.

Qua in re ſi capitula, conventus, aliæve communitates ſegnius ſe geſſerint, & ceſſando vel uſque ad ſex menſes præſentis ſynodi publicationem differendo, hanc noſtram ordinationem eluſerint: epiſcoporum diligentia poſtquam dicta capitula & communitates interpellaverint forma per eos præſcribenda eam executioni demandari præcipimus: illorum ordinatione, per modum ſaltem proviſionis, robur ſuum & effectum ſortitura, non obſtante quacumque appellatione.

*De rebus eccleſiæ conſervandis & non alienandis.*

## XX.

SS. patrum potiſſimum ſacri concilii Lateranenſis decreta renovantes, ne quarumvis eccleſiarum tam ſæcularium quam regularium res & bona ficto titulo emphytheoſis, aut alio fucato, in grave dictarum eccleſiarum damnum diſtrahantur, prohibemus illa quocumque titulo vel ad tempus vel in perpetuum alienari, præterquam in caſibus a jure permiſſis, & ſervatis ſolennitatibus a jure requiſitis. Quod ſi nonnulli eccleſiaſtici aliqua jam diſtraxerint, ſine ipſius epiſcopi conſenſu & decreto & prævia cauſæ cognitione, aliiſque debitis ſolenni- D tatibus minime obſervatis, alienationes illæ quæ in damnum eccleſiæ & contra canonicas ſanctiones contractæ judicabuntur, mandat ſancta ſynodus eccleſiaſticis, ut illas nullas & irritas declarari curent.

Pleriique autem tum nobiles tum alii, cum in ſacrorum canonum contemptum res & bona tam eccleſiarum quam fabricarum vi aut alias indebite retineant, nonnulli etiam earumdem moderatorum ac beneficiatorum conſenſu minus tamen legitime præſtito: ipſorum viſitatorum diligentia inquiri volumus, an ſint in parœciis, quas viſitabunt, aliqui rerum ad eccleſias ſpectantium illiciti detentores: & quam ſuper his informationem confecerint, ad E regios judices deferre ut laicos indebitæ occupationis reos ad regia edicta ſeveriſſime plectent: in eccleſiaſticos vero pœnis a ſacris canonibus indictis per ſuos judices animadvertatur, iiſdem detentoribus ſive laicis ſive eccleſiaſticis excommunicationis ſententiam ipſo facto nihilominus incurſuris.

At ne qui favore vel metu eorum qui res & bona hujuſmodi injuſte occupant, a teſtimonio ſuper his ferendo revocentur: in eos qui occupationem aut detentionem ſciverint, niſi intra tempus ſibi a viſitatoribus præfigendum, quod de ea re noverint, debite & legitime revelent,



ANNO CHRISTI 1583.

velent, præſenti decreto anathematis ſententiam A pronunciamus, quos dicto tempore elapſo, in ſingulis parœciis pro anathematizatis ordinariorum diligentia publicari volumus & mandamus.

Iiſdem diſtrictiſſime injungendo inter viſitandum curare ac etiam cavere, ne procuratores fabricarum, theſaurarii, & alii ad quos bonorum eccleſiæ communium adminiſtratio ſpectat, redditus, proventus & alia mobilia in alios uſus quam in divinorum officiorum celebrationem, ornamentorum & librorum iiſdem deſtinatorum, eccleſiarum, cœmeteriorum, domorum presbyteralium & his annexarum capellaniarum reparationem impendant.

B Qui ſi fore deprehendantur aliis uſibus quam præmiſſis, fabricarum redditus ſeu bona applicaſſe, viis juris ut male applicata reſtituant, curabunt, ipſoſque compellent ad inventarii mobilium ad eccleſias pertinentium veram & fidelem deſcriptionem faciendam.

Immobilium autem prædictarum fabricarum ſine cauſa legitima & abſque auctoritate factas alienationes, irritas & nullas viis juris etiam declarari procurent.

Ad dictos autem procuratores, theſaurarios & alios bonorum eccleſiæ communium moderatores, cum ex debito officii ſpectet providere, ut lampas, vel cereus ſemper ardeat coram precioſiſſimo domini noſtri Jeſu Chriſti corpore, per epiſcopos & alios viſitatores ad id compel- C li ſynodo placuit.

Cum vero intellexerit nonnullos plures chartas, inſtrumenta, literas, monimenta, documenta, necnon reliquias, jocalia, vaſa, libros & alia eccleſiarum ornamenta, & mobilia penes ſe retinere, ea ut reſtituant, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, monet & præcipit.

*De ſeminariis, ſcholis & univerſitatibus.*

## XXI.

SEMINARII clericorum inſtitutio & erectio cum ſit perneceſſaria, illiuſque uſus multis D de cauſis & rationibus eccleſiæ catholicæ ſupra modum utilis, & ab omnibus fidelibus catholicis multis ante annis exoptatus, in ſingulis diœceſibus unum ſeminarium ad ſacroſancti concilii Tridentini decreti formam, ubi commode fieri poterit, intra triennium proximum inſtituendum & erigendum eſſe decernimus & ordinamus.

Cum vero ſingularum diœceſum non ſit una & eadem ratio, ideoque omnibus una regula præſcribi non poſſit: ipſos epiſcopos quantum poſſumus impenſe & obnixe hortamur, & obſecramus, atque etiam monemus, eiſque injungimus ſua quemque in diœceſi huic inſtitutioni non minus ſancte quam pie adeo ſolicite in- E vigilare, nihilque quod ad rem conferat, prætermittere, requiſitis undequaque mediis quæ negotium tantopere promoveant, ut intra triennium dictum ſeminarium inſtituatur, & ad proximam ſynodum provincialem quidquid per eos circa hoc geſtum fuerit, referre.

Quod cum inacceſſitis dictarum diœceſum capitulis, dignitatibus, abbatiſſis, prioribus, rectoribus, capellanis & aliis beneficiatis ac perſonis eccleſiaſticis minime poſſe perfici certum ſit, eoſdem omnes etiam exemptos ſe prætendentes, coram dictis epiſcopis in hujuſmodi A negotio juxta præfati decreti formam proceſſuros evocari, & ad ea quæ per dictos epiſcopos ordinata & decreta fuerint, implendum, perficiendum & exequendum omnibus juris remediis etiam per temporalium ſubſtractionem, vocato ad hoc (ſi opus ſit) auxilio brachii ſæcularis, & per cenſuras eccleſiaſticas cogi & compelli omni oppoſitione & appellatione poſtpoſitis volumus & mandamus.

Ne quis autem decreti prædicti ignorantiam poſſit prætexere, illud præſenti noſtro concilio inſerendum cenſuimus, cujus tenor eſt ejuſmodi.

Cum adoleſcentium ætas, niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas, & niſi a teneris annis ad pietatem & religio- B nem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfecte, aut ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina eccleſiaſtica perſeveret: ſancta ſynodus ſtatuit, ut ſingulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his majores eccleſiæ, pro modo facultatum, & diœceſis amplitudine, certum puerorum ipſius civitatis, & diœceſis, vel ejus provinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipſas eccleſias, vel alio in loco convenienti, ab epiſcopo eligendo, alere, ac religioſe educare, & eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matri- C monio nati ſint, ac legere, & ſcribere competenter noverint, & quorum indoles & voluntas ſpem afferat, eos eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo eccleſiæ inſerviendi: hos pueros epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur diviſos juxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina eccleſiaſtica progreſſum, partim cum ei opportunum videbitur, eccleſiarum miniſterio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit, alioſque in locum eductorum ſufficiet: Ita ut hoc collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſe- D minarium ſit, ut vero in eadem diſciplina eccleſiaſtica commodius inſtituantur, tonſura ſtatim, atque habitu clericali ſemper utentur, grammatices, cantus, computi eccleſiaſtici aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcent: ſacram ſcripturam, libros eccleſiaſticos, homilias ſanctorum, atque ſacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac ceremoniarum formas ediſcent. Curet epiſcopus, ut ſingulis diebus miſſæ ſacrificio interſint, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & juxta confeſſoris judicium ſumant corpus domini noſtri Jeſu Chriſti, cathedrali, & aliis loci eccleſiis diebus feſtis inſerviant. Quæ omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & neceſſa- E ria, epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum canonicorum ſeniorum, & graviorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eaque ut ſemper obſerventur, ſæpius viſitando operam dabunt. Dyſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient, eos autem ſi opus fuerit, expellendo: omniaque impedimenta auferentes, quæcumque ad conſervandum, & augendum tam pium, & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt, & quia ad collegii fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſolvendam, & ad alendam juven-

A ventutem, & ad alios ſumptus certi redditus erunt neceſſarii, ultra ea, quæ ad inſtituendos vel alendos pueros ſunt in aliquibus eccleſiis, & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic ſeminario ſub eadem epiſcopi cura applicata cenſeantur: iidem epiſcopi cum conſilio duorum de capitulo, quorum alter ab epiſcopo, alter ab ipſo capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad epiſcopum, alterius vero ad clerum pertineat, ex fructibus integris menſæ epiſcopalis, & capituli, & quarumcumque dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbendarum, portionum, abbatiarum & prioratuum, cujuſcumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & hoſpitalium, B quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem, juxta conſtitutionem concilii Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit: & beneficiorum quorumcumque etiam regularium, etiamſi juris patronatus cujuſcumque fuerint, etiamſi exempta, etiamſi nullius diœceſis, vel aliis eccleſiis, monaſteriis, & hoſpitalibus, & aliis quibuſvis locis piis, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis eccleſiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis eccleſiaſticis redditibus, ſeu proventibus, etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen ſeminaria diſcentium vel docentium ad commune eccleſiæ bonum promovendum actu non habentur: hæc enim exempta eſſe voluit, præterquam ratione reddituum, qui C ſuperflui eſſent ultra convenientem ipſorum ſeminariorum ſuſtentationem, ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ nonnullis locis ſcholæ appellantur, & omnium monaſteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus ſubſidia eccleſiaſtica ſolvi ſolent, & milites cujuſcumque militiæ aut ordinis, pertinentibus, fratribus ſancti Joannis Hieroſolymitani dumtaxat exemptis, partem aliquam, vel portionem detrahent: & eam portionem ſic detractam, necnon beneficia aliquot ſimplicia, cujuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones, nuncupatas etiam ante vacationem, ſine cultus divini, D & illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicabunt, & incorporabunt: quod locum habeat, etiamſi beneficia ſint reſervata, vel affectata, nec per reſignationem ipſorum beneficiorum uniones & applicationes ſuſpendi, vel nullomodo impediri poſſint, ſed omnino quacumque vacatione, etiamſi in curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumque conſtitutione non obſtante: ad hanc autem portionem ſolvendam, beneficiorum, dignitatum, perſonatuum & omnium, & ſingulorum ſupra commemoratorum poſſeſſores, non modo pro ſe, ſed pro penſionibus, quas alii forſan ex dictis fructibus ſolverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis penſionibus illis erit ſolvendum, ab E epiſcopo loci per cenſuras eccleſiaſticas, ac alia juris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachii ſæcularis: quibuſvis, quo ad omnia & ſingula ſupradicta, privilegiis, exemptionibus, etiamſi ſpecialem derogationem requirerent, conſuetudine etiam immemorabili, quavis appellatione, & allegatione quæ executionem impediat, non obſtantibus. Succedente vero caſu, quo per uniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum, vel in partem dotatum reperietur, tunc portio ex ſingulis beneficiis, ut ſupra detracta, & incorporata ab epiſcopo, pro A ut res ipſa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quod ſi cathedralium & aliarum majorum eccleſiarum prælati in hac ſeminarii erectione, ejuſque conſervatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſolvere detrectaverint, epiſcopum, archiepiſcopus, archiepiſcopum & ſuperiores ſynodus provincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat, & ut quam primum hoc ſanctum, & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, ſtudioſe curabit. Rationes autem reddituum hujus ſeminarii epiſcopus annis ſingulis accipiat, præſentibus duobus a capitulo, & totidem a clero civitatis deputatis.

Deinde ut cum minori impenſa hujuſmodi B ſcholis inſtituendis provideatur, ſtatuit ſancta ſynodus, ut epiſcopi, archiepiſcopi, primates, & alii locorum ordinarii, ſcholaſterias obtinentes, & alios, quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos, per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem ſcholaſticis eligendos, & ab ordinariis approbandos, etiam per ſubſtractionem fructuum, cogant & compellant. Quod ſi judicio epiſcopi digni non fuerint, alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remota: quod ſi neglexerint, epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur epiſcopo expedire. De cetero vero officia vel dignitates illæ, quæ ſcholaſte- C riæ dicuntur, non niſi doctoribus, vel magiſtris, aut licentiatis in ſacra pagina, aut in jure canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur: & aliter facta proviſio nulla ſit & invalida: non obſtantibus quibuſvis privilegiis & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si vero in aliqua provincia eccleſiæ tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non poſſit, ſynodus provincialis, vel metropolitanus cum duobus antiquioribus ſuffraganeis in eccleſia metropolitana, vel alia provinciæ eccleſia commodiori unum, aut plura collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum, aut plurium eccleſiarum, in quibus ſin- D gulis collegium commode inſtitui non poteſt, erigenda curabit, ubi pueri illarum eccleſiarum educentur.

In eccleſiis autem, amplas diœceſes habentibus, poſſit epiſcopus unum, vel plura in diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere ſeminaria: quæ tamen ab illo uno, quod in civitate erectum, & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Poſtremo, ſi vel pro unionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione, & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam hujus ſeminarii inſtitutio, vel conſervatio impediretur, aut perturbaretur: epiſcopus cum ſupra E deputatis, vel ſynodus provincialis pro regionis more, pro eccleſiarum & beneficiorum qualitate, etiam ſupra ſcripta, ſi opus fuerit, moderando, aut agendo, omnia & ſingula, quæ ad felicem hujus ſeminarii profectum neceſſaria, & opportuna videbuntur, decernere, ac providere valeat.

Epiſcopi veteres ſcholas per eos ad quos ſpectat, inſtaurari, & quæ ad illas pertinent, ſollicite requiri procurent, hiſque præceptores non tantum literatos, ſed etiam catholicos, & moribus converſatione graves, prius tamen profeſſione fidei, juxta præinſertam formulam a ſede







A apoſtolica traditam per eos emiſſa, præficiant: Qui pueros ſive adoleſcentes nedum in grammatica & rhetorica ac ceteris hujuſmodi erudire debeant: verum etiam docere teneantur ea, quæ ad religionem & bonos mores pertinent.

Diebus autem dominicis & feſtivis his tantum prælegant præcepta divina, articulos fidei, ſacros hymnos & pſalmos, ſanctorumque vitas, & alia quæ ad pietatem maxime conducunt.

Iiſque diebus eos ad miſſas, veſperas, conciones & alia divina officia audienda, magis autem ſolennibus feſtis, præſertim annalibus, peccata ſua confiteri, & adultos ſacratiſſimo domini noſtri Jeſu Chriſti corpori communicare B impellant.

Diœceſes quoque ſuas iidem epiſcopi viſitando, curabunt quoad fieri poterit, in ſingulis parœciis nonnullos, parœcianorum impenſis, deputari, qui juvenes alphabetum, primaque grammaticæ rudimenta, catechiſmum & cantum doceant.

Porro epiſcopi, ſuis in ſynodis, parœcianorum rectores ſedulo adhortentur, ut quantum in eis erit, parœcianis ſuis ſuadeant, pro facultate cujuſque ad ſtipendia ejus qui juventutem in eorum parœcia inſtituet, conferre.

Invigilent etiam ne aliquibus in collegiis aut ſcholis hæretici aut de hæreſi ſuſpecti præponantur: & ſi qui ſint præpoſiti, implorato re- C gis Chriſtianiſſimi auxilio, expellantur.

Sacrorum conſiliorum conſtitutionibus inhærendo, ne eorum qui ſcholis ſunt præpoſiti, vel malitia vel inſcitia aut incuria juvenes iis commiſſi, hæreſi & malis moribus imbuantur, quos in tenera ætate non tantum humaniores literas, ſed etiam fidei catholicæ initia, pietatem, ac rectam vivendi viam, ediſcere oportet: nulli omnino quocumque honoris aut dignitatis titulo fulgeat, regendis ſcholis aliquem præficere, abſque approbatione epiſcopi licere volumus: cui hoc negotium ita provide curare mandat hæc ſynodus, ut juvenes a vera religione non deflectant, ſed bonis moribus honeſtiſque diſciplinis & literis inſtituantur.

D Ne vero hæc noſtra conſtitutio alicujus municipalis legis vel juris prætextu, impediatur: volumus eos cujuſcumque ſint ſtatus vel conditionis, qui ſcholis magiſtrum præficiendi jus ſe habere prætendunt: eos quos præponendos exiſtimaverint, epiſcopo nominare & præſentare, ut diligenti ſuper eorum fide, religione, literatura & moribus inquiſitione facta, capaces & idonei reperti erudiendæ juventuti per ipſum epiſcopum præficiantur: atque ita de eorum ſufficientia a nemine dubitari poſſit.

Ceterum cum ſcholarum præpoſiti quibus ſunt præbendæ præceptoriales affectæ, eo munere ſi minus diligenter ſe geſſerint debeant privari, nihilominus quia in nonnullis eccleſiis præcepto- E ribus datæ ſunt in titulum: eaque propter ab his ſe dimoveri nec poſſe nec debere, exiſtimant: eoque ſegnius ea quæ ſui ſunt officii exerceant: in futurum illas in titulum conferri prohibemus: & eos quibus de his ante proviſum extitit, ſuntque ad hujuſmodi onus obeundum minime capaces & idonei, his privari & eorum locum ſufficientes qui pauperes civitatis, gratis docere teneantur, ſubſtitui volumus & ordinamus.

At cum plures videamus graduum tam juris civilis, pontificii, quam theologiæ titulis, veluti bachalaureatus, licentiæ, etiam doctoratus A ac magiſterii in artibus inſignitos, eorum nihilominus minime capaces: hincque fieri ut eccleſiæ, potiſſimum parœciales in villis muratis graduatis deſtinatæ, officiis quæ in illis præſtare debent, fruſtrari: huic morbo ut obvietur, juris communis diſpoſitioni quam ſanctiones regiæ imitantur, inhærendo: univerſitatum hujus provinciæ doctores quantum poſſumus in domino hortamur atque etiam monemus, eos tantum ad dictos gradus quos publico & rigoroſo examine, accerſitis & præſentibus univerſitatis rectore, procuratoribus, aliiſque eiſdem præfectis, iis gradibus dignos judicaverint, recipere & admittere: Non vero eos in occulto, aut inter privatos parietes, nulla habita litera- B turæ ratione ſed ſolo cujuſdam parvi & turpis lucri intuitu (quod proxime ad ſimoniam accedit) promovere.

Literis autem graduum, in poſterum concedendis, niſi publicum examen, ſolennitateſque prædictas debite fuiſſe obſervatas ſufficienter atteſtentur (quod etiam ipſi graduati perſonaliter in præſentia epiſcopi aut alterius collatoris ſi ſibi beneficia conferri requirant, juramento confirmare teneantur) nullam omnino eſſe adhibendam fidem, nec eas promotis aliquomodo ad obtinenda ſacerdotia, patrocinari debere, decernimus.

Ut autem beneficiorum nundinationes, quas occaſione graduatorum tum ſimplicium, tum C nominatorum magno eccleſiæ detrimento & ſcandalo, quotidie exerceri exploratum eſt, reſcindantur: ſuam ſanctitatem ac regiam majeſtatem ſuppliciter rogamus atque obſecramus, ut ſuis diplomatibus, omnibus graduatis, qui vigore gradus beneficia aſſequuti fuerint: eorumdem beneficiorum ceſſionem prohibeant & interdicant, niſi forte graduati ſecundo beneficio animarum curæ obnoxio ab iis pacifice obtento, horum alteri in manibus ordinarii cedere valeant, ac velint: æquum eſt etenim ut quibus ſacri canones exigentibus ſtudiorum meritis, de beneficiis provideri ſtatuerunt: iis ipſa beneficia conſerventur, ne his (prout ſacerdotes) titulis cedere ſeu renunciare poſſint: Quorum diplomatum D ope futurum ſperamus, ut in eccleſia viri literati retineantur, & ad aucupia ſacerdotiorum ignaris, necnon ſimoniacis & confidentiariis magna ex parte via præcludatur.

*SIMONIS AMAILLE, archiepiſcopi Turonenſis, in concilii dimiſſione gratiarum actiones.*

### XXII.

IS eſt receptiſſimus omnium fere gentium mos, eaque laudabilis hominum ingenue educatorum conſuetudo (dilectiſſimi in Chriſto fratres) ut poſt extremam arduo cuicumque o- E peri impoſitam manum, illis quorum & auctoritate & conſilio & ope freti, proſperos huic ſucceſſus dederunt, gratias non ſolum habeant immortales, ſed & quas poſſint, etiam referant.

Ipſi etiam ethnici longa peregrinatione ſuſcepta, ſi ſeſe hac feliciter explicuerint, aut aliud quodpiam negotium ex animi ſententia confecerint, ſi qua diis ſuis interim nuncupaverint vota, continuo exolvunt, variis aras illorum donariis exornant, illiſque quamplurimas, maximeque ſolemnes agunt gratias.

Nos vero qui vitam, fortunas, ſalutem Deo opti-

optimo maximo acceptam ferre debemus ; ab eoque tot in dies beneficiis cumulamur, quique huic noſtro tam argumentoſo operi, ipſius auxilio, vel (quod eſt verius) auctore ipſo colophonem addimus. Quibus illum donariis, quibus altaria ſua victimis proſequemur?

At non curat donaria pretioſa Deus noſter. Non illi argento atque auro eſt opus noſtro: quidquid habemus, illius eſt. Quo igitur illum præmio remunerabimus? Præbe (inquit) fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant. Quid dignum offeremus domino? Curvabimus genu Deo excelſo, faciemus judicium, diligemus miſericordiam, & ſolliciti cum illo ambulabimus, ſua immenſa beneficia in nos collata, gratiarum actionis oblatione (ut facilis & parum durus eſt creditor) compenſabimus. Cum enim illi omnium debitores ſimus, ſi qua illa debita exolvamus, non ut ſua ſibi vendicat, ſed haud ſecus ac ſi ea a noſtro illi dependeremus, largiore manu repenſat. Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Non dicit David, quæ in me contulit munificentiſſimus ille largitor; ſed quæ mihi retribuit, non ut beneficii auctor & inceptor, ſed ut acceptorum prius a Davide beneficiorum liberaliſſimus compenſator. Quidquid enim ab illo, grato animo accipimus, id ille beneficii loco nobis acceptum refert, ut exempli cauſa, cum te divitiis uberioribus auxerit, ſi per pauperum manus a te eleemoſynam petierit, quamvis te dante, nil non ſuum accipiat, non mixtam tamen, ſed abſolutam ſuis omnibus muneris tibi gratiam refert.

Incumbamus igitur, dilectiſſimi fratres, gratiarum actioni, neque arbitremur quidquid ea in re temporis inſumpſerimus, nobis iri deperditum. Nam ut ait Baſilius. [illegible]

Non deperditur (inquit) id temporis quod Deo fœneramur, ſed ab illo majore cum fœnore nobis rependitur.

Agendæ præterea forent ſummo pontifici noſtro Gregorio, ob imperata hæc concilia, regique noſtro Chriſtianiſſimo Henrico, ob libere permiſſa gratiæ, ſi coram in os nobis loqui liceret: Quandoquidem vero abſentes abſentibus id minime præſtare poſſumus, Deo noſtro preces ex animo & devotiſſime fundamus, ſupplicationes & jejunia in id potiſſimum inſtituamus, ut illum ſuæ eccleſiæ ſerio invigilantem, hunc ſuo regno, ſuiſque ſubditis bene & legitime imperantem, quam diutiſſime ſervet incolumes.

Reſtat nunc ut humillimus ego & indigniſſimus ſervus veſter, vobis etiam gratias agam. Quod mihi omnium veſtrum, & doctrina & eruditione & vitæ ſanctimonia minimo, tam ſincera mente, tam humiliter, tam prudenter hoc in negotio inſtituendo, non ſolum adfuiſtis, ſed & in eo conficiendo maxima pars fuiſtis. In quo certe ut ceterarum virtutum, ita & veſtræ humilitatis non vulgare ſpecimen edidiſtis, dum illi paruiſtis, qui nulla fere alia, quam ſuæ unctionis prærogativa & ſanctitate præditus eſt. Hujus forte Theophylacti ſententiæ in Joannis caput undecimum memores, [illegible]

Honora archipræſules (inquit) pro dignitate ejus quæ in eis eſt gratiæ, non ejus quam complectuntur vitæ rationis & inſtituti, ſua etenim ut probe noſtis ipſi etiam unctioni eſt [illegible]

Pro tantis ergo veſtris in me meritis (cariſſimi fratres) cum non habeam melius quod rependam aut offeram, me, meam operam, ſtudium, benevolentiam, obſequium, ceteraque propenſi erga vos animi officia, & ſi quid meæ valent apud Deum preces, ſi quid iſtis etiam mihi pretioſius eſſe poſſit, vobis, totique huic celeberrimo, plurimumque de me promerito cœtui, ut lubens voveo, ita & devotiſſimus offero, & voti reus lubentiſſime perſolvam.

*REVERENDISSIMI D. D. TURONENSIS archiepiſcopi, & reverendorum patrum dominorum ſuæ provinciæ epiſcoporum, qui concilio interfuerunt & ſuſcripſerunt, nomina.*

NOs Simon a Maille archiepiſcopus Turonenſis definientes ſubſcripſimus:

Ego Guillelmus Ruzeus Andegavenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Philippus du Bec epiſcopus Nannetenſis ſubſcripſi.

Ego Rolandus de Neufville epiſcopus Leonenſis ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Langelier epiſcopus Briocenſis ſubſcripſi.

Ego Æmarus Hennequenæus epiſcopus Rhedonenſis ſubſcripſi.

Ego Carolus du Liſcoet epiſcopus Coriſopitenſis ſubſcripſi.

*Eorum qui interfuerunt, ſine tamen concilio nondum impoſito abſceſſerunt.*

Reverendus D. Carolus de Leſpinay epiſcopus Dolenſis, qui reliquit procuratorem.

Reverendiſſimus D. Ludovicus de la Haye epiſcopus Venetenſis, nullo relicto procuratore.

*Pro reverendis patribus DD. epiſcopis abſentibus admiſſi fuerunt & ſubſcripſerunt DD. procuratores qui ſequuntur.*

Ego Joannes Chevrollier reverendi domini epiſcopi Dolenſis procurator & ejus nomine interfui, approbavi & ſubſcripſi.

Ego Anſelmus Taron procurator illuſtriſſimi & reverendiſſimi Cardinalis a Rambouilleto nuncupati epiſcopi Cenomanenſis illius nomine ſubſcripſi.

Ego Joannes Trotereau vicarius generalis & procurator reverendiſſimi epiſcopi Maclovienſis quia interfui & approbavi etiam ſubſcripſi.

Nos Jacobus Fleuriot & Guillelmus du Hallegoet procuratores deputati a capitulo eccleſiæ Trecorenſis ſede vacante ſubſcripſimus.

*Capitulorum eccleſiarum cathedralium, collegiatarum, abbatum, etiam monaſteriorum, conventuum, priorum, rectorum, eorumve deputatorum qui ad concilium acceſſerunt, fueruntque admiſſi, ejuſdemque officiorum, ſubſcribuntur nomine.*

Pro capitulo eccleſiæ metropolis Turonenſis comparuerunt Turoni D. Nicolaus Collombel canonicus theologus ac cancellarius, Antonius Fumée canonicus & archidiaconus Transligerenſis. Ludovicus Lenfant etiam ejuſdem canonicus, Andegavi vero D. Sigiſmundus Boiſgaultier & Stephanus Huguenin antedictæ eccleſiæ etiam canonici.

Pro capitulo eccleſiæ beati Martini Turonenſis Andegavi D. Alexander Aublanc de Mahieto



hieto & Mathurinus Benard de Varenna in eadem eccleſia reſpective præpoſiti & canonici.

Pro aliis capitulis aliarum eccleſiarum dictæ diœceſis Turonenſis D. Petrus Creſnier decanus & canonicus de Bueilleyo.

Pro abbatibus, monaſteriis & prioribus ejuſdem diœceſis Turonenſis fratres Petrus Leſpiau in ſacra theologia bachalaureus, & Petrus Brochereuil monaſterii beati Juliani Turonenſis eleemoſynarius de Montalays prior ſancti Chriſtophori in Turonia pro ſeipſo.

Pro rectoribus & curatis dictæ diœceſis Turonenſis D. Renatus Pichon ſancti Audoeni de Nemore & Mauricius Contant ſancti Urſi de Lochis reſpective rectores, Turoni. Ipſe vero Pichon ſolus Andegavi.

Reverendus D. epiſcopus Dolenſis Turoni exiſtens dixit ſe pro ſuo clero comparere.

Pro reverendo patre D. Ludovico de S. Melloir ſancti Jacuti ordinis S. Benedicti Dolenſis diœceſis, frater Joannes de la Chone ſacriſta dicti monaſterii.

Pro capitulo eccleſiæ Cœnomanenſis Turoni D. Richardus Cheſnay. Andegavi vero D. Petrus Croiſe antedictæ eccleſiæ canonici.

Pro capitulo & clero Rhedonenſi tam Turoni quam Andegavi D. Amoraldus de Herbamez presbyter in juribus licentiatus eccleſiæ Rhedonenſis canonicus & prior de Marſac. Et D. Mathurinus de Montalays abbas ſancti Melanii dictæ diœceſis Rhedonenſis, pro ſeipſo.

Pro clero Andegavenſi D. Adamus de la Barre Andegavenſis eccleſiæ archidiaconus major & officialis Andegavenſis.

Petrus Breſlay cantor ambo dictæ eccleſiæ canonici.

Frater Petrus Marquis ſacræ theologiæ doctor monaſterii S. Nicolai prope Andegavum prior & hoſtellarius, & Stephanus le Poictevin collegiatæ eccleſiæ S. Maurilii canonicus tam Turoni quam Andegavi.

Fratres Emericus Saget abbatis & conventus ſancti Florentii prope Salmurum, & Nicolaus Beauvais monaſteriorum ſanctorum Sergii & Bacchi prope Andegavum reſpective procuratores.

Pro capitulo eccleſiæ Nannetenſis D. Joannes Chriſti doctor theologus antedictæ eccleſiæ concionator ejuſdemque reverendiſſ. D. epiſcopi Nannetenſis antequam ad concilium acceſſiſſet procurator. D. Martinus Quatrant in ſacra theologia licentiatus Nannatenſis. Et Guillelmus Guy B. Mariæ Nannetis eccleſiarum reſpective canonici Turoni. Ipſe vero D. Chriſti ſolus Andegavi.

Pro capitulo eccleſiæ Maclovienſis, præfatus D. Joannes Trotereau ejuſdem eccleſiæ canonicus & archidiaconus de Porhoet tam Turoni quam Andegavi. Et D. Urbanus de Rortays monaſterii de Bello-loco ejuſdem diœceſis Maclovienſis abbas commendatarius pro ſeipſo Turoni tantum.

Pro clero Briocenſis diœceſis D. Ludovicus du Boisbouxel eccleſiæ cathedralis Briocenſis cantor & canonicus necnon officialis Briocenſis Turoni. Pro quo clero dictus D. reverendus epiſcopus Briocenſis Andegavi ſe comparere dixit.

Pro capitulo & clero Venetenſis diœceſis D. Henricus Lechet & Julianus de la Tertree Turoni. Ipſe vero Lechet ſolus Andegavi.

Pro capitulo Coriſopitenſis eccleſiæ & clero ejuſdem diœceſis D. Yvo Taullalan cantor & Guillelmus du Buys ambo dictæ eccleſiæ canonici tam Turoni quam Andegavi.

Pro capitulo eccleſiæ Leonenſis & clero ejuſdem diœceſis, D. Jacobus Coetaulen dictæ eccleſiæ canonicus & archidiaconus de Queminidil tam Turoni quam Andegavi. Antequam vero dictus D. reverendus epiſcopus Leonenſis Andegavi concilium ingrederetur D. Joannes Salmon doctor theologus pœnitentiarius & canonicus eccleſiæ Andegavenſis pro eo fuit in concilium admiſſus.

Pro capitulo Trecorenſis eccleſiæ ſede vacante, Turonenſi in urbe comparuit D. Ludovicus de Boisbouxel, cantor & canonicus necnon officialis. Andegavi vero dicti D. Jacobus Fleurior & Guillelmus du Hallegoet.

Dicti concilii promotores D. Natalis Derrondeau in ſacra theologia doctor. Et Simon Gallant in utroque jurium licentiatus eccleſiæ Turonenſis theſaurarius & officialis Turonenſis ambo dictæ eccleſiæ Turonenſis canonici.

Ejuſdem concilii ſecretarii D. Dionyſius Bauduyn præfatæ eccleſiæ Turonenſis canonicus, & Amoraldus de Herbammez dictæ Rhedonenſis eccleſiæ etiam canonicus & prior de Marſac.

# CONCILII TURONENSIS INDICTIO.

## SIMON A MAILLE'

ARCHIEPISCOPUS TURONENSIS,

MULTUM REVERENDIS IN CHRISTO FRATRIBUS,

Provinciæ Turonenſis epiſcopis.

S. P. D.

OPPORTUNE admodum, Tridentina ſynodus, prævio Spiritus ſancti inſtinctu & ductu, labaſcenti propemodum eccleſiaſticæ diſciplinæ occurrerat, manumque porrexerat auxiliarem, ſi ſacroſanctis ipſius decretis hanc retineri ac fulciri (ut ſpes erat) licuiſſet. Quandoquidem vero nunc is eſt rerum Gallicanarum ſtatus, ut ceteris de cauſis, nobis adhuc incognitis, hoc tam præſtanti concilii remedio nos libere perfrui nondum permittat: Neque tamen, quæ nos urgent anguntque mala (hæreſes nimirum) ab inveterato (proh dolor) curſu & graſſatione deſiſtant, imo potius vires ſemper acquirant eundo: Non idem nobis faciendum eſſe duxi, quod eos facere dicebat Iſocrates, qui grandinem ſpectarent; Optare ſcilicet unumquemque ne in ſuum agrum deferretur, prohibere vero neminem. Sed quo pertinacius atque violentius nos oppugnat iſtius atrociſſimæ peſtis rabies, eo fortius atque alacrius huic debere obniti, noſque munitiſſimum pro domo Iſrael murum opponere. Quod ſi ex qua officina prodiere, hinc petenda ſint efficacia his malis profligandis remedia; [illegible] nata ſint ea curio-

ANNO CHRISTI 1583.

curioſius perſcrutemur, comperiemus e diuturniore bellorum ſævitia ſumpſiſſe originem. Cum enim ante annos quadraginta, duo Chriſtiani orbis præſtantiſſimi principes de primatu ac ſumma rerum ambitioſius contenderent, ac viginti annos plus minus & æquo Marte, & viribus haud diſparibus pugnarent, Chriſtianæ diſciplinæ (cujus ſemper fuerant propugnatores acerrimi) non ita diligenter, bellorum tumultibus occupati, curam gerere potuerunt, quin inter armorum ſtrepitus, & ſparſas ubique militum cohortes, nonnulli etiam eccleſiæ proceres, ſui muneris obliti, nimis licenter ſeſe haberent, atque ſegnius gregi conſervando invigilarent. Quam occaſionem nactus communis fidelium adverſarius clam ſeſe cupidis novarum rerum hominibus quibuſdam inſinuat, & ementita veræ religionis ſpecie, illorum mentis aciem atque oculos ita perſtringit, ut pro veris falſa habuerint, pro verbo Dei, ſua ſomnia venditarint, atque ut Baſilius ait,

[illegible]

Heretici adulteratores veritatis, tantum abeſt ut ſuam mentem ſcripturis accommodarint, eaſque ſequi docuerint, ut potius ad ſuum nutum ſcripturarum ſenſum contorſerint. Quibus rebus heu nimium diu toleratis, in eas incidimus miſerias, quæ non tantum viſu (ut de quodam ſerpente fertur) ſed ipſo ſolo auditu & commiſeratione utrinque oborta, viros bonos enecent: ulterius procul dubio progreſſuræ, ac crudelius ſævituræ, niſi ad calamitoſiora mature obſtruatur tranſitus.

At vero quoniam Dei ſpiritus ſuæ eccleſiæ nunquam deeſſe poteſt, & ſi quam viam ad ſalutem nobis intercluſerit humani generis calliduſſimus hoſtis, aliam ſtatim aperit, qua incedamus, atque tuto ingrediamur, quo ad propoſitum æternæ felicitatis ſcopum perveniamus: ſuperiore anno, celebri illi apud Melodunum conventui aſſidens, vel potius præſidens, totius Franciæ cleri animos ea perſuaſione imbuit, ut a Rege, ſi non ſynodi generalis, ſaltem conciliorum provincialium, per longam annorum ſeriem intermiſſorum, humilibus precibus, iiſque inſtantibus, promulgationem impetrarent: in quibus frequentius repetita, quæ œcumenico ſancita ſunt concilio, vicem promulgationis generalis ſynodi ſuſtinerent: atque ita non mediocrem toti eccleſiæ fructum proferrent. Quod quidem, cum regio edicto nobis eſſet conceſſum, mearumque partium eſſe non ignorarem, ad implendum accingi debere: mea tamen verecundia non alienum exiſtimavi, ſinere primores ac facile principes eccleſiæ nobis viam præire. Qui cum id feliciſſime feciſſent de indicendo vobis concilio & die & loco, cogitanti mihi in animum venerat (aſtipulantibus ea in re ſodalibus eccleſiæ beati Gatiani, totoque clero Turonenſi) Nannetenſem civitatem eligere, mediam fere provinciæ noſtræ ſedem occupantem, atque ob id rei conficiendæ accommodatiſſimam: cum repente triſtiſſimus diffuſus eſt rumor, peſtis contagione correptam, eaque hujuſcemodi, ut ad eam, facilis quidem pateret aditus, periculoſiſſimus autem, valdeque anceps ac dubius ſperaretur reditus. Qua de cauſſa, mutanda fuit ſententia, ruſumque [illegible], conventui habendo delegeramus, [illegible] jam tabellario, qui ad iter ſe para[illegible] ad vos literæ: cum ex inſperato, articularis nos invaſit morbus (morbus quidem ut hæreditarius, ita & nobis magis familiaris, quam e re noſtra foret) qui quidem totos fere tres menſes nos lecto jacentes detinuit. A quo ubi paululum convaluimus, & ſereniſſimi regis noſtri literis concilium urgentibus admoniti, & re per ſe tam pia tamque toto Chriſtiano orbi neceſſaria atque utili efflagitante, & munere noſtro id ſuo jure a nobis hoc mire ambientibus, expoſtulante, hanc provincialem ſynodum de venerabilium eccleſiæ noſtræ metropolis ſodalium, aliorumque noſtræ diœceſis eccleſiaſticorum conſilio, Turoni prima die Maii, aſſignandam, ipſiuſque indictionem vobis intimandam decrevimus, eamque præſentibus literis intimamus & ſignificamus vos obnixe & per viſcera miſericordiæ Dei opt. max. obſecrantes, ut ſi diſciplinæ Chriſtianæ jam magna ex parte dilapſæ, ac pene divulſæ, in priſtinum ſuum candorem, ſplendorem ac dignitatem reſtituendæ (nemini eſt dubium) deſiderio flagratis, huic alacri animo intereſſe, nobis id etiam ſerio vobis mandantibus, non dedignemini, veſtroque clero univerſo eandem inſinuare, quo ſuos ad indictum & locum & diem, delegatos, ſiſtendos curet: qui vobiſcum pro rei ibidem tractandæ gravitate, amplitudine & magnitudine, tanto muneri ſatisfacere, deque melius inſtauranda in hac noſtra provincia eccleſiaſtica diſciplina ſatagere, ac noſtris totiuſque ſynodi votis reſpondere valeant.

Quibus rebus futurum exiſtimamus, ut quemadmodum olim majorum noſtrorum, noſtraque partim incuria ac negligentia, partim bellorum diuturnitate, populique bonum cibum jam faſtidientis levitate & perverſitate, in Chriſti vineam ſchiſmaticus irrepſit ac pervaſit aper: noſtra nunc diligentia, vigili ſtudio, indefeſſo labore in ea excolenda, Dei omnipotentis freti beneficio atque auxilio, forti ac conſtanti animo, illum vinea, eccleſia, hominum communitate exterminemus, & ad tartara relegemus. Quod ut alacriter aggrediamur, quantum poſſumus in domino hortamur atque monemus. Datum Turoni pridie Kalen. Febru. anno domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio.

*SIMONIS A MAILLE ARCHIEPISCOPI Turonenſis, in concilii ingreſſu Turoni ad patres provinciæ paracleticus ſermo.*

JAM nunc per Dei omnipotentis miſericordiam ac bonitatem nobis conceditur (dilectiſſimi in Chriſto fratres) ut poſt miſerrimas ac perniciosiſſimas totius eccleſiæ tempeſtates, non tanquam in portu conquieſcamos, ſed velut in medio mari (dum hæc tantula manebit ſerenitas aliquantulum reſpiremus. Quandoquidem nemini noſtrum eſt dubium, naviculam Petri (in qua Dei beneficio poſiti ſumus remiges) ab omnibus non ſolum invidiæ, ſed carnis, mundi, diaboli illecebrarum ventis, quandiu in hac peregrinatione vagabimur, circumflari debere. Quod quidem haud obſcure nos admonet, nobis idem minime faciendum eſſe, imperitis quod nautis fere contingit, qui poſt toleratos diuturnæ tempeſtatis labores, ſi qua vel dies, vel hora ſerena effulſerit, genio ſtatim indulgent, ſopori ſe dedunt altiſſimo, atque præteritorum obliti periculorum, ac ſi in tutiſſimo portu degerent, nihil adverſi timent, omnia ſibi deinceps proſpera pollicentur. Nobis vero in id totis viribus eſt incumbendum, ut ſi qua Petri naviculæ pars vi procellarum debilitata afflictave fuerit, ſedulo inſtauretur ac reficiatur: Si quis in ea remigum, vectorum, aut eorum qui vehuntur, turbinis vehementia concuſſus, agitatus, attonitos inveniatur, mox omni artificio refocilletur & confirmetur, atque in priſtinum ſtatum (quoad per nos fieri poterit) reſtituatur. In hoc enim mari, quo loco aut tempore tuti eſſe poſſumus? Quos, ut fluctus alii alios, ſic alternantes procellæ excipiunt, ut ex una erepti mox in aliam incidamus. Ut igitur periti ac providi nautæ, ſi quid a tempeſtate habent otii, id omne impendunt ſarciendis his, quæ irati maris furor offendit & labefactavit, aut corroborandis his, quæ minus firma videntur procellis imminentibus ſuſtinendis: ſic nos qui Dei beneficio, regiſque noſtri opera, ab armorum tumultibus veluti feriamur, induciaſque habemus, ſedulo curare debemus, ut ſi quid grex noſter labis aut incommodi ex diuturniore iſta hæreſum tempeſtate, omniumque ordinum perturbatione contraxerit, noſtra diligentia id eluere ac reſarcire nitamur: noſtrarumque commoditatum obliti, muneris ac provinciæ noſtræ memores, gregis nobis commiſſi ſaluti mature ac viriliter conſulamus. Nam ut Græcanicæ eloquentiæ fax illa luculiſſima Gregorius Nazianzenus prudentiſſime nos admonet. [illegible]

Hic omnis ſpiritalis præfecturæ finis eſt (inquit) nimirum propria utilitate neglecta, aliorum commodis inſervire. Cujus quidem rei teſtimonio nobis eſſe poteſt e veteri teſtamento præſtantiſſimus ille Iſraelitici populi dux atque ſacerdos Moſes, qui hujus ſalutem ſuæ ſemper ſaluti antepoſuit. Cum enim Iſraelitæ, inviti Aaronis opera, vitulum aureum ſibi conflari feciſſent, cumque poſtea adoraſſent, ob idque vehementer iratus dominus eos perdere decreviſſet ad ejus pedes ſtatim provolutus Moſes ita ſupplex orabat, Obſecro domine, peccavit populus iſte peccatum maximum feceruntque ſibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Ex hoc liquet, & quam graviter offendiſſet populus, & quanta cura, quanto ſtudio, quamque ſingulari proſequeretur cum deſiderio Moſes, qui talia in ejus favorem apud Deum verba faceret, ut niſi eo ſalvo, ne ſe quidem ſalvum eſſe optaret. E novo autem teſtamento, exemplo nobis etiam eſſe poteſt vas electionis Paulus, qui pro fratribus ſuis anathema eſſe deſideravit: Non quod prorſus a Chriſto ſeparari vellet, ſed quod gloriæ ſuæ dilationem ad tempus optaret, ut fratres ſui, id eſt ſua gens, ſalutem conſequeretur. Innumera alia hujuſce rei teſtimonia & exempla e ſacris paginis proferre poſſem, ſi non apud eos dicerem, quibus iſta omnia multo notiora ſunt, quam mihi, quibuſque ſacræ literæ adeo ſunt ad manum, ut nil deſiderari poſſit amplius. Aggrediamur igitur ad rem, fortiſſimi proretæ, atque in ea adeo inſudemus, ut naviculam (in qua ſub Chriſto navarcho meremus) ad optatiſſimum tandem ſalutis portum velis, remiſque deducamus. Nihil non experiamur, paſtores vigilantiſſimi, ut gregem nobis commiſſum, omnis generis ſcabie repurgatum, principe paſtorum duce ad amœniſſima æternæ felicitatis paſcua dirigamus & concomitemur: totis ingeniorum viribus corporumque nervis contendamus, inſpectores oculatiſſimi atque acutiſſimi, ut innumeros fidelium cœtus, noſtræ fidei concreditos, a purulentis vitiorum ſordibus ita emundemus, ut in Chriſti eccleſiam puram, ſanctam, immaculatam, ſine ruga aſciſci, Deoque patri offerri, Chriſto pontificum pontifice maximo mediante, per ipſius gratiam mereantur. Sic fiet, ut quæ proretis fortiſſimis, paſtoribus vigilantiſſimis, oculatiſſimis inſpectoribus promiſſa eſt merces, eamdem & ipſi aſſequamur, ac feliciſſimi tandem reportemus, miſerante Deo & largiente: Cui ſit laus & honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

*IN SESSIONE APUD ANDES interrupti concilii Turonenſis inſtaurativa, Simonis a Maille, archiepiſcopi Turonenſis, ad patres protrepticus ſermo.*

INtermiſſum, jam a menſe Majo, ſummo cum noſtro dolore, Turonenſis provinciæ concilium proſequamur (dilectiſſimi in Chriſto fratres) atque ad optatiſſimum finem auxiliante domino Deo noſtro perducamus. Neque enim hujus negotii conficiendi aliunde nobis facultas erit captanda, quam a conſolatore illo Dei Spiritu, qui quidem & hujus ſacroſancti operis initium fuit & incrementum, feliciſſimus (ſi per nos minime ſteterit) futurus eſt exitus. Agi ſiquidem Dei ſpiritu neceſſe eſt omnes, qui ut Dei filii, aut ipſi gratum quidpiam, aut ad eccleſiæ ædificationem, aut ſibimetipſis ſalutare, perficere aggrediuntur. Neque ſperandum eſt eos, qui in his rebus tractandis, vel perfunctorie, vel contentioſe, vel rei faciendæ, aut oſtentationis gratia ſeſe gerunt, eum allaturos eſſe fructum, quem, qui ſuos omnes conatus & actiones eo conferunt, ut Dei gloriam promovere, ipſiuſque eccleſiæ ædificationem & unitatem ex animo procurare valeant, quique antiquis ſuarum eccleſiarum legibus & ſtatutis, quæ neque ad fidem attinent, neque ad bonos mores ſpectant, non adeo mordicus inhærent, ut ſi quid in eis pietati videatur officere, id in melius commutari facile non patiantur. Quod quidem vel ab ipſis etiam Ethnicis ſuarum legum tenaciſſimis obſervatoribus factitatum eſſe legimus. Nam cum Ariſtoteles conſervandæ reipublicæ præcepta daret, illud primum ponebat: Ne quid dimoveretur ex legibus & inſtitutis antiquis, cujus tamen axiomatis ſeveritas, Iſocratis auctoritate lenita eſt, mutandas eſſe leges inquientis, quas aut uſus argueret, aut ſtatus aliquis reipublicæ inutiles faceret.

At vero ſi, quod ait Tullius, eſt apud omnes in pretio, atque ne ab ullo quidem non approbatum; Magiſtratuum nempe eſſe officium, ut qui tanquam in ſpecula ſunt collocati, quam longiſſime proſpiciant, ne quid reſpublica detrimenti accipiat: Quid de nobis ipſis judicaverimus ipſi, qui præcipuum in repub. Chriſtiana magiſtratum obtinemus? Qui in Dei eccleſia, ſpeculatorum fungimur officio: Quibus, ut paſtoribus, tam expreſſe demandata eſt gregis dominici cura, ſi longe ante ipſis imminentia non præſenſerimus incommoda? ſi & clamoſa voce, & objecto atque inflicto nervis omnibus pedo, venientes lupos a caulis arcere non contenderimus? ſi (quod omnium eſt deploratiſſimum) in eoque nunc maxime laborandum, ipſa etiam monſtra miſeras oves noſtras jam deglubentia, & quod eſt crudelius, dilaniantia, quo ad per nos fieri po-



ANNO CHRISTI 1583.

poterit, non abegerimus, non profligaverimus, non prorſus exterminaverimus?

Nonne, quod in omnium prophetarum ſemper ore fuit, vel unius tenuiſſimæ oviculæ ſanguis, a nobis expoſcetur? Nonne & nos pro æterna quam grex noſter acceperit noxa, miſerrimi (ut æquiſſime) ita & miſerrime κ) ἀϊδίως puniemur?

Adhuc in procinctu res eſt (dilectiſſimi in Chriſto fratres) huc omnes hac de cauſſa convenimus; nobis hactenus eſt integra (ſi non arcendi) ſaltem expellendi, & extirpandi jam alte radices agentis hujus mali, facultas.

Ergo dum tempus eſt, dum in via ſumus, dum adhuc eſt reſpirandi, & rei in melius reſtituendæ locus; his malis, cum nobis tum gregi noſtro communibus medeamur; in id omnes ὁμοθυμαδὸν conſpiremus, ut quam cœpimus provinciam, hac officioſiſſime & religioſiſſime perfungamur: in eum omnes collimemus ſcopum, ut Dei eccleſiam nobis commiſſam, qualem apoſtolis reliquit informandam, & qualem ab iis accepimus, talem ipſi reſtituere [immaculatam ſcilicet & puram) pro viribus enitamur.

Quod ſi ſummo ipſius beneficio conſecuti, præſtiterimus, ut plurium debitores, pluribus quam multi alii beneficiis affecti, plus aliis illum etiam diligamus, plus in ſua vinea excolenda, a noxiis ſentibus & plantis repurganda, laboremus; ut pretioſa quam veris paſtoribus ſæpe pollicitus eſt, corona, per ſuam immenſam miſericordiam ac bonitatem, tandem aliquando ab ipſo inſigniri mereamur, qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

*BEATISSIMO PATRI GREGORIO decimo-tertio pontifici vere maximo Simon a Maille, archiepiſc. Turonenſis, S.D.*

SI ſerius quam res ipſa poſtulabat, quamque tuæ viſum fuerit ſanctitati, Turonenſis provinciæ concilium abſolvimus, beatiſſime pater, illam obteſtamur humillime, ne illud noſtræ adſcribat negligentiæ; ſed variis hujus negotii progreſſum remorantibus incommodis. E quibus unum obiter proferam, nempe peſtem, quæ quidem nos jam fere totos quindecim dies huic inſtantes operi, adeo moleſte atque importune habuit, ut Turono (quam conficiendo iſti negotio ſedem delegeramus) re imperfecta, excedere compulerit: adeo violenter nos urgebat atrociſſima hujus peſtis rabies. Poſtea autem cum Andegavum veniſſemus continuandi hujuſce inſtituti gratia, nos iterum crudelius aggreditur, obſidens undequaque; ita ut hinc nobis denuo fuiſſet emigrandum, niſi omnes officii noſtri numeros implere cupientes, illic tandiu reſtitiſſemus, donec cœptis noſtris (non abſque tamen unius e noſtro conventu viri prudentiſſimi jactura) optatum finem impoſuiſſemus. Enimvero nos tandem σὺν Θεῷ penſum abſolvimus: Sed quia plurimi res erat negotii, non ita potuimus eam ſerio tractare, atque ſi plus habuiſſemus temporis ab his difficultatibus vacui.

Quandoquidem vero a te uno pendemus omnes, qui nobis hic, ut membris tuis caput es (in quo conſilii ſedem non immerito poſuere non pauci, quemque Chriſti domini noſtri in terris agnoſcimus, pieque veneramur vicarium) quicquid omnino elucubravimus, non prius in lucem prodire patimur, quam ſacratiſſimo tuæ ſanctitatis illud obtulerimus judicio, ut veluti ad Lydium, vel Heraclium potius lapidem probatum, omnique repurgatum errore, digniſſimo tuæ vocis oraculo fultum, certiſſimoque prudentiſſimi tui conſilii calculo comprobatum, tutius in hominum manus exire poſſit. Hoc nimirum apud omnes majorem gratiam initurum, quod ab eo fuerit probatum, quem non ſæcularis ambitio, nec dubius hominum favor: ſed Dei ipſius bonitas nobis dedit pontificem bonum, pium, prudentem, & a vigilantia, ſui nominis ὁμωνύμως vere nuncupandum Gregorium maximum.

Nemini igitur mirum eſſe videatur, ſi omnes noſtras actiones ad te unum caput noſtrum referimus cum id Dei præcepto faciamus, neque præſtantius noſtræ adverſum te obedientiæ ſpecimen dare valeamus (te inquam ſummum omnium Chriſtianorum moderatorem) quam dum te conſultore, non ſolum ab errore & malis abſtinemus ipſi, atque alios avocamus, ſed ea etiam quæ laudabilia ſunt, ſine tua ſententia, teque inconſulto facere, in religionem vertimus.

Habebit ergo tua ſanctitas, tuorum humillimorum ſervorum Turonenſis provinciæ patrum decreta e Tridentino tuo œcumenico excerpta concilio, pro temporis inſtantis uſu, conditione & neceſſitate adeo accurate & exquiſite per nos collecta, ut nec majore ſtudio, nec magis in omnium provincialium utilitatem fieri potuerint. Tuæ nunc erit ſanctitatis benevolentiæ & benignitatis, beatiſſime pater, tuum hac in re adhibere judicium, tuamque digniſſimam interponere auctoritatem, ut quæ tibi videbuntur recta, approbatione tua ſancias; Quæ ſecus, obliteres, expungas, & ab arcano tuæ prudentiæ ſacrario, ſacratiora & meliora proferas noſque obſequentiſſimos tibi, & indigniſſimos tali conſortio conſacerdotes, ea doctrina & eruditione imbuas, quam tu θεοδίδακτος divinitus accepiſti, & qua tu, ἱερὰ κεφαλὴ, nobis tanto præluces, quanto ceteras ſtellas lumine Sol antecellit. Tuam ſuper hac re ſententiam, & ſi quid emendationis a tuæ ſanctitatis oraculo proficiſcetur, expectamus devotiſſime, ut poſtea typis hæc decreta mandari, ac provincialibus diſtribui, Chriſtianiſſimo rege noſtro permittente, curemus. Qui quidem tantum abeſt, ut hujus negotii inchoationem & perfectionem impedierit, ut pro ſua erga Deum pietate, fide, religione, magno ſtudio, modis omnibus adhortatus nos fuerit, urſerit, imperaverit, in id totos incumbere, donec ad optatum finem opus perduceremus. Itaque ne exiſtimes, obſecro, ſanctiſſime pater, me nec nulla, nec tam longa narratione (licet re vera mihi brevis admodum videatur) cum tua paternitate acturum fuiſſe, niſi & mea obedientia, officiique mei ratio, tuæque hac in re voluntatis ac manſuetudinis perſuaſio, me id agere coegiſſent. Non enim ego omnium minimus homuncio, tam arroganter & ſuperbe de me ſentire potuiſſem, ut tantum tamque religioſe obſervandum miræ celſitudinis faſtigium literis compellarem: ſed ne id quidem cogitare fuiſſem auſus, niſi tua ſingularis omnibus perſpecta humanitas id addidiſſet fiduciæ, te æqui bonique conſulturum, quicquid de rebus ad munus noſtrum ſpectantibus ad te perſcriberem. Jubebis igitur pro tua ſapientia, quicquid tibi viſum fuerit, nos vero idem quod Cornelius ille centurio cum ſuis D. Petro dixit reſpondebimus. Nunc omnes nos teſte Deo adſumus, ut & audiamus, & faciamus omnia quæcumque tibi a Deo præcepta ſunt: a quibus illo juvante, ne latum quidem unguem ſumus unquam diſceſſuri, ab eodemque communibus votis deprecaturi, ut tuam ſanctitatem toti reipublicæ Chriſtianæ quam diutiſſime ſervet incolumem, ac felicibus illam ſemper ſecundet ac provehat incrementis.



*VENERABILI FRATRI archiepiſcopo Turonenſi.*

GREGORIUS PP. XIII.

VENERABILIS frater, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Remittimus fraternitati tuæ decreta ſynodi provincialis archiepiſcopatus tui, mandato noſtro a venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus ſuper rebus ad œcumenici concilii Tridentini decreta, pertinentibus a nobis præfectis examinata, atque ubi oportuit emendata: curabis, ut quæ pie, prudenterque decreta, atque emendata ſunt quam diligentiſſime ſerventur. Hæc enim reliqua pars eſt operæ tuæ ſine omnis hactenus labor fruſtra eſſet ſuſceptus, non dubitamus id te omni ſtudio curaturum eſſe. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo piſcatoris die 8. Octobris M.D.LXXXIV. pontificatus noſtri anno decimotertio.

Ant. Buccagadulius.

*CHRISTIANISSIMO AC inviciſſimo Henrico tertio Galliæ & Poloniæ regi, Simon a Maille arch. Turonenſis.*

S. P. D.

CUM longa temporis ſerie obſoleſcunt, & oblivioſa, quadam deſuetudine fatiſcunt res (ſereniſſime Rex, & invictiſſime Imperator) antequam de his inſtaurandis atque in uſum revocandis, conſtans ineatur ratio, diligentius eſt perpendendum, an earum tanta ſit utilitas, ut in priſtinum ſtatum reſtitui mereantur. Quod ſi, ut id fiat, dignæ judicentur, tum demum his renovandis non vulgaris danda eſt opera, maximeque elaborandum, ut quæ hinc emanare poteſt, non pereat, nec inutiliter evaneſcat commoditas. Non enim ſibi parum laudis comparat ille, qui ſuo cæterorumque commodo, quod recte inſtitutum eſt inſtaurat: Quandoquidem, res egregias aliquoties ut difficilius, ita & pulchrius eſt reſtituiſſe, quam condidiſſe. Dixeris fortaſſe, Quorſum iſtæc? Quid ad rem hæc omnia? Nimirum ut oſtendam quam recte, quam prudenter, quam in totius eccleſiæ Chriſtianæ rem feciſti, cum univerſo Galliarum clero, provincialium conciliorum celebrationem permiſiſti. Quis enim his ipſi Dei eccleſiæ conducibilius eſſe poteſt, in quibus non ſolum de minoris ordinis ſacerdotum, ſed etiam de epiſcoporum moribus diligentiſſime inquiritur, & in depravatos acerbiſſime vindicatur? in quibus repurganda eccleſiæ colluvie, ac everrendis hujus ſordibus agitur obſtinate, & in malos ſeveriſſime animadvertitur? Ad quæ olim etiam imperatores, reges, principes, pro ſua epiſcoporum virtute, fiducia ac fide, non clericorum ſolum, ſed etiam laicorum, potentium, divitum, judicumque graviores cauſas referebant judicandas? ut ex tertio canone concilii quarti Toletani palam & ante omnium oculos eſſe poteſt. Quinetiam ut ne quid ex regia decerperetur dignitate & authoritate, aderat ibi regius procurator (quem appellabant executorem) qui in exequendis contra ſæculares eccleſiæ decretis operam navaret ſtrenuam & efficacem. Si qua etiam olim incidebant duriora tempora; ſi bello, fame, ſi peſte laborabatur, tum ad provincialia concilia boni principes, velut ad ſacram anchoram confugiebant, id hiſce malis præſens autumantes eſſe remedium, quod exiſtimarent hæc non aliunde ſibi ſuiſque populis eveniſſe mala quam a ſcelerata ac flagitioſa vitæ ratione, quam ab intermiſſo vel quaſi neglecto Dei omnipotentis genuino cultu, quam a contemptis, irreverenter, peſſumque habitis miniſtrorum Dei decretis, juribus, & rebus. Quare jubebant archiepiſcopos, cum epiſcopis ſuffraganeis (quos vocant) una convenire, diligenterque tum de ſuis, tum de principum, populique depravatis moribus inveſtigare, emendationiſque formam præſcribere, ut omnibus ad correctionis & pœnitentiæ jugum redactis, libenterque ſubmiſſis, irati Dei pœnas humili demiſſione vitarent acerbiores, atque juſto ipſius judicio talia ſeſe perpeti agnoſcentes, humilibus ipſum precibus interpellarent, ut qui dederat hæc agnoſcere, daret etiam pravis deſueſcere, bona ſectari, gratumque ipſi ſacrificium offerre, ipſiuſque gratiam propitiationis beneficio promereri, ut in Pariſienſi concilio ſub Lodovico & Lothario imperatoribus habito, hæc fuſius tractata videre in promptu eſt. Ibique ingenue fateri non erubuit imperator, ſe cæteris eo gravius peccaſſe, quod, cum debuiſſet omnibus eſſe vitæ melioris, imo etiam ſalutis exemplum & forma, ſedulamque omnium ſibi ſubditorum curam gerere, manuque imperatoria ultrice perverſos ſceleratorum conatus retundere ac reprimere, id minime præſtitiſſet. Quapropter ad molliendam Dei omnipotentis in ſe ſuoſque ſubditos iram, in quatuor ſui imperii locis provincialia indixit concilia, in quibus ſtudioſiſſime diſquireretur; ſi qui principum, ſi qui epiſcoporum cæterorumque eccleſiaſticorum, ſi qui populi flagitioſi mores tantum in omnes Dei concitaſſent furorem, ut morbi cauſſa per epiſcopos cognita, huic ſeverioris pœnitentiæ pharmaco mederentur, vitæque prioris [illegible] Dei ſibi benevolentiam reconciliarent, illumque iis artibus quodammodo compellerent talibus miſeros affari:

*His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus ultro.*

Quandoquidem vero horum, omniumque fere malorum fons ac veluti perennis ſcaturigo, ab indignis tum eccleſiæ, tum regni magiſtratibus ac miniſtris prodire dignoſcitur, toti ea in re futuri ſumus, ut quorum nobis eſt in eccleſia præficiendorum cura atque facultas, eorum in primis mores, ingenia, virtutemque perſcrutemur, ne quem minus idoneum unicumque eccleſiaſtico muneri deſignemus: tuarum etiam erit partium, pientiſſime rex, ut quos epiſcopali functioni, regendiſque monaſteriis, pontifici ſummo deligis nominandos, hos non laicos, ſed ſacricolas inſigni doctrina, vitæque probitate non mediocri præditos eſſe certo ſcias. Quoſque moderandis tuorum populorum habenis, illiſque juridicundo præſtituis, virtutibus his inſignitos, quibus eſſe debebant illi, quos Moſi ſuæ ſolicitudinis partem aſſumendos eſſe conſuluit Iethro, perfectiſſime noris. Neque tamen exiſtimes, prudentiſſime rex, nos ideo cupere laicos a bonorum eccleſiæ occupatione abſtinere, ut illa ſordide a nobis poſſideri ambiamus, ſed ut iis,

ANNO CHRISTI 1583.

iis, quæ illis ſunt licita, ſine conſcientiæ labe A perfruantur, & qui ad ea adminiſtranda ſumus a domino deſtinati, divinis nos (ut decet) mancipemus miniſteriis. *Sic fiet, ut & eccleſiaſticus ordo ſuam retinens dignitatem ſarta religionis & reipublicæ multis in rebus labefactatæ damna tibi gratuletur; & omnia, cum reliquis regni ordinibus tuæ animæ ſaluti, tuiſque votis omnibus, fauſta comprecari non deſiſtat.*

Addam præterea ab Euſebii in Conſtantini vitam hiſtoria, ad confirmandam provincialium conciliorum utilitatem: *Quod cum Licinius orientis imperator ſummo in Chriſtianos odio flagraret, prohibuerit ne deinceps epiſcopi in unum convenirent, ratus eo modo ſe fœlicem eccleſiæ progreſſum plus inhibiturum, ac impedi-* B *turum, quam cæteris artibus ingenii inventis ac machinis* πέπυσθαι ἂν περὶ τῶν κ λίαν ἀπέχθεσθαι ἐχθρὸν ὁ πρὸς τὰς ἱερὰς κεφαλὰς συνηθείας αἰδώς. Cujus quidem Euſebii verba duximus apponenda, Πρῶτα γέ τοι τοὺς ὑπ' αὐτὸν λειτουργοὺς μηδὲν πάντῃ πλημμελ-λεῖν περὶ τὴν ἀρχὴν διαπειρασθέντας, ἔρημα πῶς περιεργάζετο, προφάσεις καθ' αὐτῶν κατατεχνώμενος θηρώμενος· μηδεμίαν γε μὴν αἰτίαν εὑρὼν αἰτίας, μηδ' ἔχων ὅτῳ τοὺς ἄνδρας καταμέμψοιτο, ἐκτίθεται διακελευόμενος, μηδαμῇ μηδαμῶς ἀλλήλοις ἐπικοινωνεῖν τοὺς ἐπισκόπους, μηδέ γε συνόδους ποιεῖσθαι, καὶ διασκέψεις περὶ τῶν λυσιτελῶν ποιεῖσθαι· τὸ δ' ἦν ἄρα πρόφασις καθ' ἡμῶν ἐπηρείας· ἢ γὰρ παραβαίνοντας τὸν νόμον, ἐχρῆν ὑποβάλλεσθαι τιμωρίᾳ, ἢ πειθαρχοῦντας τῷ παραγγέλματι, παραλύειν ἐκκλησίας θεσμούς, Ἄλλως γὰρ οὐ δυνατὸν τὰ μεγάλα τῶν ζητημάτων, ἢ διὰ συνόδων κατορθοῦσθαι. C

*Præcipuos (inquit) ſuæ ditionis Dei miniſtros, cum nihil omnino contra ſuum imperium feciſſent, curioſius interim obſervabat, ſubdolas adverſus eos occaſiones captans. Cum autem nihil penitus haberet argumenti quo tantos viros criminari, legem fert, quæ vetaret epiſcopos uſpiam, ullomodo inter ſe communicare, ſynodoſve aut concilia inire, deque utilibus rebus conſultare, circa hoc autem præcipuus ſuæ fraudis in nos cardo vertebatur, ut legem prætergreſſi, pœnæ a ſe indictæ eſſemus obnoxii, aut ut ſuo parentes edicto, ritus eccleſiæ ſolveremus.* Neque enim fieri poteſt, ut omnia magni imprimis momenti negotia, aliter quam conci- D liis & comitiis recte geri, ac confici poſſint.

Latiſſimus hic eſt tractandi hujuſce argumenti campus, in quo nec in anguſtias cogi, ſed libere (ſi volumus) exultare, lateque expatiari poſſit oratio. Ne autem longioris narrationis tædio tua afficiatur majeſtas, quam breviſſimis fieri poterit limitibus illam circumſcribemus.

Noviſſimis menſis Maii Kalendis ſeptem & duodecim Turonenſis provinciæ patres, & ego una, Turonum convenimus, ut indicto per me jam dudum concilio fauſta poneremus initia: ubi ad implorandam Spiritus paracleti gratiam, primum ſacris ſolemnibus operati, decretis poſtea a nobis ſupplicationibus placando numini, peccatis omnium expiandis, ſoboli generoſæ tibi E concedendæ, cœptis votiſque tuis bene fortunandis, regnique tui fœlicitati, unanimi omnes conſenſu interfuimus. Quibus, quam fieri potuit optima forma peractis, omnes ſolenni fidei noſtræ profeſſione facta, ad opus nobis propoſitum diligenter accingimur. Jamque huic negotio totos fere quindecim dies operam dedetamus, & valde liquido auſpicio res ſuſcepta videbatur & incepta: Quando conſilia noſtra præripiens violentior peſtis, clauſtriſque ſodalium ædis beati Gatiani, in quibus percommode hoſpitabamur omnes, imminens undequaque, nos

A ab inſtituto curſu revocavit, qui ſi proceſſiſſet ulterius, fore brevi ſpes erat, ut felicem cœpta ſortirentur exitum. Triſtis igitur ubique ſtatim diffunditur rumor, facilem contagioni ad nos patere uditum, noſque periculo haud dubie eſſe proximos.

*Vulgi quæ vox ut venit ad aures,*
*Obſtupuere animi, gelidusque per ima cucurrit*
*Oſſa tremor, cui tela paret lethalia peſtis.*

Ἐκ γὰρ δοκῶ ὑπ' ὄψιν πεσοῖσα, φόβοι πρηκαλεῖ βιν μείζονα.

Quandoquidem vero humanum eſt hujuſcemodi caſibus moveri, & ſi qui etiam quæ accidunt, conſtanter ferant, non perinde tamen affici omnes: neque mature geri poſſe res, ubi & ſuſpicio & timor præcipuas animi ſedes occupavere: B Pio viſum fuit cœtui, vertendum eſſe ſolum, atque in alind tempus, aliumque locum differendum eſſe negotium: tempori, Septembris Kalendas, loco, Andium urbem aeris tum ſalubritate præſtantem aſſignare. Tum mox veluti ſigno dato, ab omnibus Turono diſceſſum eſt. Calendis deinde Septembris, tot noſtræ provinciæ patres, ſed non omnes iidem qui Turoni fueramus, præfinitum & locum & tempus obeuntes, Andegavum venimus: ubi ſacris de more peractis, habitiſque ſupplicationibus per nos decretis, intermiſſum opus repetiimus: huicque non minore quam antea ſtudio, totos fere quindecim dies inſtitimus: Illic quidem certe intra tot poſtea dies Colophonem adituri, niſi recens C ille noſter adverſarius, peſtis nempe, bellum denuo nobis indixiſſet, noſque, durius multo, quam priore impreſſione, habuiſſet; e noſtris etenim unum nobis eripuit, mediamque in ſinus quaſi noſtros, obſeſſis jam undequaque caſtris ſeſe effundere non dubitavit, velut noſtrum inſtitutum denuo interruptura. Nos vero qui jam illius minis, uno prælio nondum emeriti, ceſſeramus, mori potius omnes decrevimus, quam veluti deſertores abjectis clypeis iterum in fugam converſi, cœptum a nobis negotium imperfectum, omniumque ludibrio exponendum, relinquere. Propoſiti igitur tenaces, audacter conſtitimus, atque in opus noſtrum vehementer incubuimus, nulliſque officio, labori ac diligentiæ pepercimus, donec D Dei opt. max. auſpiciis, noſtro huic negotio, non qualem ſperaveramus, ſed qualem temporis ferebat conditio, finem impoſuerimus.

Hæc eſt, auguſtiſſime rex, vera & genuina impenſæ per nos hac in re operæ hiſtoria: hi ſunt, qui dum id egimus, nos exercuere labores: quos quidem gratiſſimos habere profitebimur, ſi non eos ſerviſſe, ſed ut Deo acceptos eſſe a ſuo ſpiritu profectos, non dubitamus, ita & tibi regi prudentiſſimo & clementiſſimo probari ſenſerimus: Id autem tum ſentiemus, cum, quæ a noſtra ſynodo decreta ſunt, tuæ majeſtatis authoritate fulciri, atque in his exequendis, contra omnes noſtræ provinciæ rebelles lege agi licere, te permittente, cognoverimus: E Serere ſiquidem labores exiſtimaremur, ſi ex his, nil niſi labores meteremus: ſi eos, in quorum gratiam ſevimus, illo quem volueramus, fructu privari videremus. Abſit autem, ut nos a tam Chriſtiano tamque religioſo principe tale quidpiam expectemus, cui nihil perinde cordi eſt, atque inter ſuos cultum Dei agnoſcere talem, qualem noſtri videre majores, cum maxime floreret eccleſia, cum Gallia labii erat unius & ſermonum eorumdem, cum rex, principes, nobiles, magnates, eccleſiæ proceres, nil niſi Dei præcepta ſpirarent, nullum niſi integerrimæ vitæ diffunderent odorem, cum populus hos

ANNO CHRISTI 1583.



ANNO CHRISTI 1583.

hos imitatus, ad eorum virtutem ſeſe componere, & quam proxime accedere totis viribus enitebatur. A

Hunc igitur, Chriſtianiſſime rex, a Turonenſis provinciæ patribus exaratum libellum, tuæ excellentiſſimæ majeſtati ſupplices offerimus, gratumque habere humiliter deprecamur, de quorum vitæ integritate, ingenii dotibus, religione, doctrina, ſuique muneris accurata ſollicitudine, cum non ſit hic teſtificandi locus, obiter tamen id dixerim, me, ſi non his parem, ſaltem eorum eſſe aſſeclam, vehementer cupere. Offerimus, inquam, tibi libellum exemplo patrum concilii Cabilonenſis ſecundi, qui imperatori Carolo magno ſua decreta duxerunt offerenda, ut ſacratiſſimo ipſius judicio, quæ B ab ipſis recte erant ſancita, confirmarentur: & ſicubi forſan eſſet omiſſum quidpiam, ejus prudentia ſuppleretur. Quod quidem & ita feciſſe concilii Turonenſis tertii patres, ex ipſius fine haud dubie colligitur. Neque enim, dum offerimus, ignoramus, quantum eccleſiæ miniſtris tribuas, quam religioſus ſis in tractandis eccleſiæ decretis, quam diligenter in mentem tuam introſpicias, & perconteris teipſum, antequam de miniſtrorum Dei ſtatutis aliquid exiſtimes immutandum, Grato igitur animo accipe, optime princeps, tuorum humilium oratorum canones, eoſque obſervari per totam provinciam jubeto. Ambabus, quod dicitur, ulnis eccleſiæ cauſam amplectere: valde etenim C eſſet indignum, ut qui regiæ majeſtatis ſplendore ceteros eccleſiæ filios (Dei beneficentia) longe antecellis, negligentius quæ Dei ſunt, exequi viderere. Quod autem nos plurimum conſolatur, nobiſque ſpem injicit maximam ceſ-

A ſura feliciter omnia, illud eſt, Quod quoties eccleſiaſticus ordo ac monaſticus, ipſa denique religio minus religioſos habuit principes, jacuit pene collapſa: cum deinde zelo Dei ferventes meruit nanciſci, ſtatim convaluit ac revixit. Summopere igitur nobis eſt exultandum, quod tam pio, tam religioſo principe freti, nil niſi fauſtum atque ex animi ſententia ſperandum eſſe exiſtimemus, cum nullum tam durum tamque auſterum vitæ inſtitutum, nullam tam acerbam animi pie pœnitentis afflictionem eſſe videamus, cui te, modo rem Deo gratam facere ſperes, æquo animo non ſubjicias: cum denique nulla alia re æque videaris incendi, atque vero Dei omnipotentis B cultu. Quis enim, niſi parum ſanæ mentis, principem, qui nullum non ſuæ virtutis, religionis, pietatis ſpecimen dedit, aliquid ab his alienum meditari, aut acturum ſuſpicari audeat? Quare Deum optimum maximum uno animo, magna alacritate ac ſtudio, omnes dum ſimul eramus (idem ſingulatim dum vivemus, quotidie facturi) ſuppliciter obteſtati ſumus, ut tuam majeſtatem (cujus non ſolum permiſſu, ſed pio juſſu coacta eſt hæc ſynodus) perpetuo fidei robore ſtabiliat, æqua juſtitiæ lance ac diſpenſatione feliciter, omnium ſubditorum benevolentia præmuniat, ſereniſſimam reginam bona pulchraque prole fœcundet, regnum tibi uſque ad extremum vitæ ſpiritum, C pacificum conſervet, tibique talibus totque a Deo præclaris dotibus exornato, regnum hic diuturnum, fauſtum, tibi tuiſque omnibus jucundiſſimum & gratiſſimum, in cælo poſtea cum beatis angelis concedere dignetur æternum.

ANNO CHRISTI 1583.

ANNO CHRISTI 1584.

# DECRETA CONCILII

## PROVINCIALIS PATRIARCHALIS

## PROVINCIÆ AQUITANICÆ

Biturigibus celebrati menſe Septembri, anno domini 1584.

ANNO CHRISTI 1584.

INDEX TITULORUM.


*Forma profeſſionis fidei.*
1. *De adorando, invocando & colendo Deo.*
2. *De fide.*
3. *De prædicatione & expoſitione verbi Dei.*
4. *De abuſu ſcripturarum tollendo.*
5. *De hæreticis vitandis.*
6. *De invocatione ſanctorum & diebus feſtis.*
7. *De peregrinationibus.*
8. *De vigiliis & jejuniis.*
9. *De eccleſiis & baſilicis.*
10. *De reliquiis ſanctorum.*
11. *De imaginibus.*
12. *De celebratione divini officii, horis canonicis & cantu eccleſiaſtico.*
13. *De quotidianis diſtributionibus.*
14. *De pueris choriſtis.*
15. *De ornamentis & vaſis eccleſiæ.*
16. *De cœmeteriis, cura mortuorum & purgatorio.*
17. *De traditionibus.*
18. *De ſacramentis in genere.*
19. *De baptiſmo.*
20. *De confirmationis ſacramento.*
D 21. *De pœnitentia & ejus partibus.*
22. *De euchariſtia.*
23. *De miſſa.*
24. *De ordine.*
25. *De clericis.*
26. *De ſacerdotibus.*
27. *De matrimonio.*
28. *De extrema unctione.*
29. *De ſeminariis majoribus & minoribus, ſcholis & univerſitatibus.*
30. *De juriſdictione.*
31. *De excommunicatione.*
32. *De archiepiſcopis & epiſcopis.*
33. *De viſitatione, procuratione & perſonis, quibus tradita eſt poteſtas viſitandi.*
E 34. *De canonicis & capitulis.*
35. *De rectoribus eccleſiarum parochialium.*
36. *De beneficiis.*
37. *De monaſteriis & domibus religioſis.*
38. *De rebus ad eccleſiam pertinentibus.*
39. *De blaſphemii jurejurando & perjurio.*
40. *De ſortilegiis, incantationibus, adjurationibus & ſuperſtitionibus.*
41. *De ſimoniacis & fiduciariis.*
42. *De concubinariis.*

ANNO CHRISTI 1584.

43. *De hoſpitalibus.*
44. *De confraternitatibus & ſodalitiis.*
45. *De laicis.*
46. *De conciliis.*
*Acclamationes.*
*Patrum nomina, & aliorum qui huic concilio interfuerunt, & ſubſcripſerunt.*
*Indictio, prorogatio, confirmatio & publicatio concilii.*

*FORMA PROFESSIONIS FIDEI ab iis qui concilio provinciali adfuerunt exhibita.*

EGO N. firma fide credo & profiteor, omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium: Et in unum dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine, ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur: qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et exſpecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi, amen. Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto & amplector. Item ſacram ſcripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoque, ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia, ſingulis neceſſaria, ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium; illaque gratiam conferre. Et ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem, ſine ſacrilegio iterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione, recipio & admitto. Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo, definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis. Atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento, eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter, corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti; fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis, in corpus; & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam converſionem catholica eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam, ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre: atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero, imagines Chriſti ac deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum, habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem affirmo. Sanctam catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram, agnoſco. Romanoque pontifici beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro. Cætera item omnia, a ſacris canonibus & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me, in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Hanc autem fidei profeſſionem a nobis, ceteriſque ad hanc ſynodum delegatis, in aula noſtra, antequam ſacra aggrederemur, ritu ſolenni factam & juratam, reliquis in poſterum conciliis tam provincialibus quam diœceſanis, ad verbum ſequendam decernimus: univerſos etiam qui ad epiſcopale munus, aliaſque minores dignitates provehentur, aut in canonicorum collegium, ſeu ad quæcumque beneficia & gradus eccleſiaſticos promovebuntur, in hanc fidei formulam juraturos ſtatuimus.

## DE ADORANDO, INVOCANDO, & colendo Deo.

*Titulus primus.*

„ DOMINUM Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies (ait Chriſtus in evangelio) & canit David: Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram domino, qui fecit nos, quia eſt ipſe dominus Deus noſter, & nos populus ejus & oves paſcuæ ejus. Et propheta: Omnis qui invocaverit nomen Dei, ſalvus erit. Et dominus apud Jeremiam, invocabitis me & vivetis; orabitis me & ego exaudiam vos: quæretis me & invenietis, cum quæſieritis me ex toto corde veſtro. Modis ergo omnibus nobis adorandus, colendus, & invocandus eſt Deus, in votis & neceſſitatibus noſtris, quæ ampliſſime enumerantur, cum a Salomone, tum a David. (Matth. 4. Pſalm. 94. Joel. 2. Cap. 29. 3. Reg. 8. Pſal. 107.)



ANNO CHRISTI 1584.

Vera autem adoratio, in ſpiritu & veritate eſſe debet. In ſpiritu quidem adorant, qui mentis affectu Deum colunt: in veritate, qui cultu exteriore & piis operibus mentis affectum teſtantur & exprimunt. Perfecta igitur adoratio eſt, cum anima ſimul & corpore divino obſequio mancipamur.

*Canon primus.*

(D. Cyp. ſer. 6.) Adorantes ergo & ad orationem ſtantes, videant ut omnis aliena cogitatio abſcedat, nec quicquam tunc animus cogitet, præter id ſolum quod precatur.

*Canon II.*

(D. Cyp. eodem ſerm. 6.) Chriſtus dominus pacis & concordiæ magiſter, qui docuit unitatem, ſic orare unum pro omnibus voluit, ut omnes in uno ipſe portavit: facit habitare unanimes in domo, & apoſtolos docuit unanimiter perſeverare in oratione: & qui dixit, Ubi duo aut tres fuerint congregati in nomine meo, in medio ſum eorum, quomodo non aderit multitudini fidelium ad honorem & gloriam ejus congregatæ? (Pſalm. 67. Act. 1. Matth. 18.) Ut itaque publica & communis oratio rite & ſolenniter fiat, pſallant omnes clerici, uno ore & concentu cum choro.

*Canon III.*

Vernacula lingua publice pſallere aut orare, nemini, niſi concionatori populum ad devotionem excitanti liceat, ne inde temere judicandi de ſacris myſteriis & ſenſu ſcripturæ, cuiquam detur occaſio.

*Canon IV.*

(Conc. Agat. can. 31.) Nemo etiam laicus, niſi cauſa neceſſitatis egrediatur eccleſiam inter miſſarum ſolennia, ſed tantum officio miſſæ expleto, & benedictione data.

*Canon V.*

Divina publica officia non quando cuique libuerit, ſed propriis & certis horis, & ſecundum antiquum cujuſque eccleſiæ ritum celebrentur.

*Canon VI.*

Non cantentur in eccleſia cantica abſurda, nova, & non probata. Si quæ ſint conſuetudines in contrarium pravæ, quæ potius corruptelæ dicendæ ſunt, penitus aboleantur.

*Canon VII.*

(Conc. Baſ. Seſſ. 21. Conc. Trevir. cap. 7. Mogunt. cap. 71.) Nemo deambulet aut obſtrepat in eccleſia tempore divini officii, ſub pœna excommunicationis: Et ubi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilium imploretur.

*Canon VIII.*

(Tertull. lib. de Corona mil.) Introeuntes eccleſiam, divini officii, ſive celebrandi, ſive audiendi gratia, frontem aqua benedicta aſpergant, & ſigno crucis ſeſe muniant, ac genu flexo adorent, præſertim clerici, ſimulatque chorum ingreſſi erunt.

*Canon IX.*

Ut commode & certa ratione omnes orare poſſint, providebunt epiſcopi ut miſſalia, breviaria, legendaria, manualia, & codices precum, ſi defuerint, reſtituantur, ſi emendatione opus habuerint, corrigantur cleri impenſis, quæ in ipſorum librorum diſtributione reſarcientur. Si quæ eccleſiæ hactenus uſæ ſunt veteri officio Romano, nuper reformatum ex concilii Tridentini decreto recipere cogantur.

*Canon X.*

Quoniam plerumque decipimur ſpecie recti, & ſolet inimicus homo bono ſemini ſuperſeminare zizania, ſparſique ſunt in vulgus varii codices precum, præſertim vulgari lingua conſcripti: omnes ejuſmodi codices hæc ſynodus rejicit, niſi quos epiſcopus probaverit. (Matth. 13. Conc. Senonenſ. cap. 33. & 34.)

*Canon XI.*

Traditiones eccleſiaſticæ ita obſerventur, ut a majoribus ſunt acceptæ, nec aliorum contrario more ſubvertantur, vetereſque eccleſiarum, ac diœceſeon ceremoniæ, & ritus, non niſi cum conſilio epiſcopi, & cauſa cognita, rejiciantur, aut immutentur. (D. Hierony. tom. 1. epiſt. 28. ad Lucinium.)

## DE FIDE,

*Titulus primus.*

EX fide naſcitur vera adoratio, & quaſi ab illa fovetur: poſtquam enim edocti miraculo diſcipuli crediderunt Jeſum eſſe Chriſtum, acceſſerunt & adoraverunt eum dicentes, vere „ Dei filius es. Et Chriſtus ad cæcum illuminatum, ait: Credis in filium Dei? Cæcus autem: Quis eſt, domine, ut credam in eum? Reſpondit Jeſus, & vidiſti eum, & qui tecum loquitur ipſe eſt. (Joan. 9.) Ad hæc protinus ille: credo, domine: & adoravit eum. Ergo jam de fide dicendum, quam divus Paulus definit ſubſtantiam rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. (Hebr. 11.) Res vero ſperandæ, ſunt res cæleſtes, æternæ & inviſibiles. Origo autem fidei ex Deo eſt: Nam, Fides eſt donum Dei, & dominus, Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit illum. & iterum dominus ad Petrum, Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus cæleſtis. (Joan. 6. Matth. 16.) fides autem eſt Chriſtianorum victoria: nam fide vincimus mundum. (Joan. 5.) Orandus eſt ergo dominus, ut det nobis fidem, eam augeat, ſuccurrat noſtræ incredulitati, nobis fideles verbi ſui diſpenſatores ſuppeditet, per quos fides docetur & auditur: Fides enim eſt ex auditu: & quia fides verbo Dei regitur ex ſenſu eccleſiæ intellecto, nemo ſibi temerario auſu quicquam confingat, aut ſuaderi ſinat, quod a ſenſu eccleſiæ catholicæ ſit alienum.

*Canon I.*

Corde creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ait D. Paulus. Et divus Petrus jubet Chriſtianos paratos eſſe ad reddendam unicuique rationem de ea quæ in eis eſt fide. (Rom. 10. 1. Petr. 3.) Omnes ergo promovendi ad ordines

ANNO CHRISTI 1584.

dines & beneficia eccleſiaſtica, ſeu etiam officia; profiteantur omnes & ſingulos articulos fidei, in bulla Pii 4. contentos: quod qui præſtare noluerint, arceantur: promoti, qui a fide receſſerint, deponantur.

*Canon* II.

Jurent item ſe neque in confidentiam neque per ſimoniam beneficia ſua adeptos. Quod ſi aliter conſtiterit, fiduciarii omni clericatus honore & privilegio, nec non beneficii jure ac titulo priventur. Qui vero horum aut alterius pro vehementer ſuſpectis publice habiti fuerint, a cæteris eccleſiaſticis vitentur, donec ſe legitime & canonice purgaverint.

*Canon* III.

Profiteantur etiam fidem catholicam univerſitatum ac ſcholarum rectores & doctores, gradumque honoris in iis adepturi.

*Canon* IV.

*Hebr. 11.* Idem præſtent fraternitatum, hoſpitalium, ac communitatum eccleſiaſticarum adminiſtratores, præfecti, ſodales, & magiſtri: quoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

*Canon* V.

Hæretici qui ad eccleſiam catholicam redeunt publice vel privatim, prout epiſcopo videbitur, coram eo, vel ejus vicario in ſpiritualibus generali, præſentibus notario & teſtibus, errores & hæreſes abjurent, ac fidem catholicam profiteantur, ſcripturæque propria manu ſubſcribant, & eam ſubſignent: neque enim eos recipi decet qui hæreſin abjurant, niſi fidei catholicæ dogmata illi contraria exprimant & profiteantur, ne lupi inter oves graſſentur.

*Canon* VI.

Rectores parœcialium eccleſiarum eccleſiaſtica ſacramenta non adminiſtrent hæreticis etiam pœnitentibus, (præterquam in mortis articulo:) niſi conſtet illos hæreſes abjuraſſe ut ſupra proxime, & fidei catholicæ profeſſionem feciſſe, & abſolutionis beneficium conſecutos.

*Canon* VII.

Omnis Chriſtianus prima fidei rudimenta, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum apoſtolorum, & decalogum ſtudioſe perdiſcat, ut Chriſto & eccleſiæ conſtanter adhæreat, & exitioſum virus hæreſeos a ſana doctrina diſcernat: & in eum uſum ab epiſcopis componantur catechiſmi, qui ſingulis diebus dominicis populo & præſertim pueris a parocho in eccleſia explicabuntur.

A

# DE PRÆDICATIONE ET EXPOSITIONE verbi Dei.

ANNO CHRISTI 1584.

*Titulus tertius.*

VERBUM Dei veritas eſt: at veritatis unicus fons eſt Deus. Origo ergo & cauſa verbi Deus, qui cum nec membra, nec os hominum mortalium inſtar habeat, illi tamen tribuitur os tanquam vocis organum, quia loquutus eſt patribus voce humana, id eſt hominibus perceptibili, & ad uſitatum inter homines ſermonem accommodata. Nam ait Moſes: Verba iſta loquutus eſt dominus ad omnem congregationem veſtram in monte de medio ignis voce magna: & idem, Vocem verborum ejus audiſtis, ſimilitudinem autem nullam vidiſtis. *(Deut. 5. Deut. 4.)* Sed & præter vivæ vocis oraculum inſinuavit ſe Deus cum per angelos, tum per viſiones & revelationes, tum per Spiritum ſuum ſanctum animis ſanctorum patrum, deinde prophetarum: ac deinceps per ipſorum ora & ſcripta mundum docuit. Demum ipſe dominus JESUS veræ fidei doctrinam ſacratiſſimo ſuo ore prædicavit, & apoſtolis totum orbem aperiens, miſit eos, abunde Spiritu ſancto inſtructos, docere omnes gentes & prædicare evangelium omni creaturæ. Miſit ergo eos dominus, non ipſi auctoritate propria hoc ſibi munus vindicarunt. Ut olim dominus per prophetam de pſeudoprophetis: Currebant, & non mittebam eos: unde & D. Paulus: Quomodo credent, niſi audiant? Quomodo audient, niſi eis prædicatum fuerit? Quomodo prædicabunt, niſi mittantur. *(Jerem. 23. Rom. 10.)*

*Canon primus.*

Sciant ergo omnes epiſcopi, prædicandi verbi Dei munus ad ipſos præſertim pertinere, ut qui a Chriſto miſſi in locum apoſtolorum ſucceſſerint. Sed quia neque ſemper nec ubique per diœceſim verbum Dei poſſunt annunciare, videant ut eos mittant quos ſui operis dignos adjutores eſſe noverint, ne ſub ovina pelle lupi rapaces in grege domini graſſentur.

*Canon* II.

*(Conc. Trid. ſeſſ. 5. Conc. Aquiſgr. cap. 14. Conc. Biſunt. c. 41.)* Provideant epiſcopi ut parochialium eccleſiarum rectores verbum Dei prædicent populo, ſingulis diebus dominicis & feſtis, aut concione publica, aut ſaltem inter miſſarum ſolennia: & ſi per ſe ipſos concionari non poſſint, aut memoriter recitent, aut ſaltem legant homilias vernacula lingua, quæ ipſis ab epiſcopo præſcribentur.

*Canon* III.

*(Conc. Trid. ſeſſ. 5. de reform. c. 2.)* Qui temerario auſu ſine epiſcopi aut vicarii licentia cathedras occupaverint, aut errores vel ſcandala in populum diſſeminaverint, cujuſcumque ſint gradus vel ordinis, ex auctoritate ſacri concilii Tridentini, coerceantur, nec prætextu ſtationum aut quorumvis privilegiorum juventur. Provideant tamen epiſcopi ne impiorum calumniis vexentur, qui ſincere verbum Dei prædicant. *(Ibidem.)*

Canon



ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* IV.

*Ibidem.* Regulares cujuſcumque ſint ordinis prædicare non præſumant, etiam in eccleſiis ſuorum ordinum, niſi prius examinati & approbati a ſuo ſuperiore, & impetrata ab epiſcopo aut ejus vicario benedictione & licentia.

*Canon* V.

*Ibidem.* Presbyteri & monachi errones, niſi ab epiſcopo examinati, juxta decretum ſacri concilii Tridentini, ad prædicationis munus non admittantur, cujuſcumque privilegii prætextu ſeſe tueantur & muniant.

*Canon* VI.

Collectores eleemoſynarum cujuſcumque conditionis exiſtant, nec per ſe, nec ad collectas admittantur, niſi conſenſu epiſcopi cauſa cognita. Quod ſi attentarint, juris remediis coerceantur, privilegiis quibuſcumque non obſtantibus, ex auctoritate ejuſdem concilii Tridentini ſublatis.

*Canon* VII.

*Ibidem.* In omnibus eccleſiis cathedralibus, & præcipuis collegiatis celebriorum locorum, eccleſiaſtes inſtituatur, aſſignatione canonicatus, & præbendæ primo vacaturæ, ſi alia non fuerit aſſignata: cui concionandi & interpretandi verbi Dei provincia demandetur.

*Canon* VIII.

*Ibidem.* Nemo ad ſcripturas ſacras, ſive publice ſive privatim interpretandas admittatur, niſi prius in theologiæ ſtudio diu & probe verſatus, aut in eadem facultate graduatus, aut ſaltem baccalaureus formatus, & ab epiſcopo loci aut ejus vicario de vita, moribus, doctrina, examinatus & approbatus fuerit & in ſacro ſubdiaconatus ordine conſtitutus, ne improbata doctrina a non probato doctore pro veritate diſſeminetur.

*Canon* IX.

In monaſteriis & conventibus, ſive in titulum, ſive in commendam poſſideantur, in quibus numerus monachorum & facultates ſuppetent, inſtituatur lector idoneus per abbates ſeu præpoſitos ipſorum, aut ſi id neglexerint, per epiſcopum ſeu capitula generalia, quemadmodum decreto concilii Tridentini cautum eſt: Qui quidem lector, aut ſacram ſcripturam, aut ſaltem literas humaniores junioribus prælegat.

# DE ABUSU SCRIPTURARUM tollendo.

*Titulus quartus.*

*(Prov. 30. Pſalm. 11.)* OMNE eloquium Dei eſt repurgatum. Ait enim Salomon; Nihil addas verbis ejus, ne forte redarguaris & inveniaris mendax. David quoque: Eloquia domini, eloquia munda: argentum igne purgatum, defœcatum a terra ſeptuplum. Quamvis autem apertum ſit verbum Dei, requirit tamen interpretationem religioſam & piam. In Nehemia legimus hæc verba: Attulit ſacerdos Eſdras legem, librum Moſis ſuper turriculam ligneam, nimirum in ſacram cathedram: & aperuit librum coram eccleſia, & Levitæ ſtabant cum eo. Ipſe vero legit in libro: & Levitæ docebant populum in lege, & populus erat in ſtatione ſua: & legerunt in libro legis Dei, luculenter explicantes ſenſum, & erudientes inter legendum, hæc Nehemias. *(2. Eſdr. 8.)* Hunc ritum legendi & explicandi ſervavit etiam dominus JESUS verus doctor cæleſtis, cum Nazareti ſynagogam ingreſſus, tradito ei libro inſignem Iſaiæ locum capitis ſexti expoſuit: diſcipulis etiam in Emaum proficiſcentibus ſcripturas aperuit. *(Luc. 4. Luc. 24.)* Et domini exemplo Petrus pſalmum decimum quintum exponit de Chriſto. Et ipſe Paulus ſcripturas ubique interpretatur. *(Act. 2.)* Credentium ergo mentem illuminat non ſola prædicatio verbi Dei, ſed etiam ſcripturarum lectura. Et quia, Litera occidit, Spiritus autem vivificat, periculum eſt, ne vel ſiniſtra ſcripturarum interpretatione, (quam plerique lectores aut prædicatores ſuo ingenio nimium confidentes a ſeipſis petere ſolent) varii errores contra fidem & ſcripturæ ſacræ ſinceritatem, diſſeminentur: ideo in interpretandis ſcripturis has cautiones adhibendas ſtatuit ſynodus.

*Canon primus.*

*(Conc. Trid. ſeſſ. 4. in decreto de canonicis ſcripturis.)* Ea tantum in uſu ſit bibliorum Latina editio, quæ ab eccleſia catholica recepta eſt. Canonici autem libri recipiantur, qui ab eadem eccleſia admiſſi & probati ſunt. Ceteri omnes de fide, doctrina, & religione, quavis lingua conſcripti, niſi auctoritate eccleſiaſtica probati ſint, rejiciantur. Qui vero ejuſmodi libros penes ſe habent, ad epiſcopum deferant, ut ejus arbitrio probentur aut rejiciantur. Typographis vero nullos de religione aut fide libros, ſine epiſcopi licentia & probatione excudere & venales habere liceat.

*Canon* II.

Omnia biblia ſacra, & quivis alii libri de fide & religione vernacula lingua ſcripti reſpuantur, niſi quos eccleſiæ catholicæ & ordinarii auctoritas probaverit.

*Canon* III.

Non liceat cuiquam verba & ſententias ſacræ ſcripturæ ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, & diabolicas incantationes, divinationes, ſortes, libellos famoſos, & alias ejuſmodi impietates uſurpare. Qui in eo peccaverint, ab epiſcopis legitimis pœnis coerceantur.

*Canon* IV.

Sit index librorum prohibitorum apud ſcribam & actuarium cujuſcumque epiſcopatus, qui ſingulis annis exhibeatur bibliopolis & typographis ne per errorem improbatos libros diſſeminent; neve populus catholicæ religioni addictus per ignorantiam libros prohibitos retineat.

DE

## DE HÆRETICIS VITANDIS.

*Titulus quintus.*

*Eccleſi. 13. Pſalm. 17. Tit. 3. 2. Joan. 1. Lib. 3. epiſt. 3. ad plebem.*

„QUI tetigerit picem, inquinabitur ab ea. „Et ut ait pſalmographus, Cum electo „electus eris, cum perverſo perverteris. Et ut „monent apoſtoli, hæretici poſt ſecundam aut „trinam monitionem vitandi ſunt, nec eis di„cendum eſt, Ave; nec in domum recipiendi „ſunt, ne eorum operibus malignis communi„cetur. Recte ergo D. Cyprianus ait: Vitate „lupos, qui oves a paſtore ſecernunt: vitate „linguam diaboli venenatam, qui ab initio „mundi fallax eſt & mendax; mentitur, ut fal„lax eſt & mendax; mentitur, ut fallat, blan„ditur ut noceat, bona promittit, ut malum „tribuat: vitam ſpondet, ut perimat, eccle„ſiam pollicetur, cum id agat, ut qui illi cre„dit, in totum ab eccleſia pereat. Itaque ſub pœna vindictæ divinæ hæreticorum conſortia vitentur.

*Canon primus.*

Hortatur hæc ſynodus omnes fideles in Chriſto, præſertim eccleſiaſticos, ut conſortia hæreticorum devitent, connubia quoque, commercia & convivia adverſentur & fugiant.

*Canon II.*

*Conc. Laod. c. 6. diſtin. 1. de conſecr. can. eccleſiam. 24. q. 2. can. ſunt. Conc. Laod. can. 9.*

Hæreticis eccleſiarum aditus, niſi cauſa audiendæ prædicationis, non concedatur, neque ſepultura Chriſtiana.

*Canon III.*

Ad hæreticorum conventicula nemo catholicus accedat: qui ſecus fecerit, ſi clericus, excommunicetur & deponatur: ſi laicus, violatæ religionis reus cenſeatur.

## DE INVOCATIONE SANCTORUM & diebus feſtis.

*Titulus ſextus.*

QUONIAM eccleſia apoſtolorum fide & doctrina fundata, martyrum ſanctorumque omnium virtutibus & exemplis hæreſes quovis ſæculo repulit; idcirco Chriſtiani pie & religioſe ſanctos invocant, quos fidei ſuæ vindices & aſſertores habent, ſpiritu etiam prophetico edocti Deum laudandum eſſe in ſanctis ſuis. Id ergo de invocatione ſanctorum quæ in generalibus conciliis ſancita ſunt, hæc recolit & ſtatuit ſynodus.

*Canon primus.*

*D. Aug. lib. 4. Optat. ſol. cap. 16.*

Colantur ſancti, & dies feſti ſanctorum piis orationibus, pſalmis, & hymnis, & frequenti miſſæ & ſolennis officii celebratione, & verbi Dei prædicatione.

*Canon II.*

Doceant prædicatores verum cultum ſanctorum tamquam ſervorum Dei, qui tamen jam æterna beatitudine fruuntur, pro mortalibus orant, & precibus ſuis populi votis apud Deum favent.

*Canon III.*

Concionatores abhorreant aniles fabulas, & quæ potius prophana, quam Dei ſanctis convenientia, quæque infirmis offendiculo eſſe poſſint, nec quicquam pro hiſtoria ſanctorum proferant in medium, niſi quod ab eccleſia catholica receptum ſit. Scandala etiam, calumnias, & detractiones non effundant: Si contra fecerint, ab epiſcopis extraordinarie puniantur.

*Canon IV.*

*Gen. 2. Levit. 23. Heb. 4.*

Meminerint Chriſtiani omnes ſeptimum diem a Deo inſtitutum & conſecratum, nec tantum a Judaico populo, ſed ab omnibus qui Deum colunt receptum & celebratum. Chriſtianos autem diem dominicum pro Sabbato recepiſſe. Dominico ergo die ceſſent ſæcularia opera, ſit ſacrum inſtitutum, ceſſent lictores; ſileat præconis tuba, vecturæ, omnes negotiationes, contractus, notariorum inſtrumenta: (niſi quæ ex neceſſitate teſtamentorum aut matrimoniorum cauſa differri non poſſunt) ſit quies animi & corporis ſancta, & ad Deum levata mens, & a terrenis abſtracta: ſatis ſint Chriſtiano opera caritatis, orationes piæ, pſalmi, hymni & cantica.

*Canon V.*

Præter dominicum diem dies feſti ſolennes qui ad memoriam magnalium Dei inſtituti ſunt, & beatæ Mariæ virginis, apoſtolorum, martyrum, aliorumque ſanctorum honorem ab eccleſia recepti ſunt, obſerventur religioſe.

*Canon VI.*

Prohibetur populus prophana ſodalitia, & comeſſationes, choreas, tripudia, larvas, & theatrales ludos, iiſdem diebus feſtis exercere: pompas inſtrumentorum muſicorum & tympanorum in geſtationibus imaginum per vias & compita exhibere: & ſi quid aliud olim ſanctorum invocationibus adverſariis anſam maledicendi præbuit: a cauponis abſtineant, & nihil niſi quod pietatem redoleat exerceant. Imitentur Chriſtiani totis hiſce diebus ſanctos illos quorum memoriam colunt per opera caritatis.

*Canon VII.*

Curabunt epiſcopi, quoad fieri poterit, ut dies feſti ſanctorum a populo non amplius varie, ſed una & eadem forma celebrentur: diſcernantur autem qui a clero tantum & qui a populo coli debeant.

## DE PEREGRINATIONIBUS.

*Titulus ſeptimus.*

*3. Reg. 8.*

AD Dei ſanctorumque invocationem pertinet antiqua traditio eccleſiæ de peregrinatione ad loca ſancta: legimus enim Salomonem ædificato templo a Deo poſtulaſſe ut alienigenæ illuc orationis ergo peregrinantes exaudirentur. Servent igitur omnes catholici ex doctrina eccleſiæ & auctoritate hujus ſynodi hæc





hæc de peregrinationibus recte inſtituendis documenta.

*Canon primus.*

Nemo clericorum ſancta loca viſitare præſumat, niſi impetrata a proprio epiſcopo, aut ejus vicario in ſcriptis licentia.

*Canon II.*

Præmuniantur debita & integra peccatorum confeſſione & euchariſtiæ ſacramento, quicumque ad loca ſacra peregrinantur, antequam ire aggrediantur.

*Canon III.*

*Conc. Trid. ſeſſ. 25 conc. Laod. can. 42. & 41. concil. Salegunſtad. c. 16.*

Nemo ad loca ſancta peregrinetur explendi, ac delectandi animi cauſa, aut perluſtrandi oppida & varia loca: ſed pro peccatis emendandis & votis adimplendis.

## DE VIGILIIS ET JEJUNIIS.

*Titulus octavus.*

*D. Hieron. tom. 2. epiſt. 36. quæ eſt de obſerv. vigiliarum. Pſalm. 133. Pſalm. 118. Luc. 6.*

BONA quidem eſt diurna meditatio, nocturna eſt efficacior: quia per diem variæ „neceſſitates obſtrepunt, & occupationes di„ſtrahunt mentem: nox autem quieta & ſe„creta opportunam ſe præbet orantibus, aptiſ„ſimam vigilantibus, quia collectum hominem divinis conſpectibus ſiſtit. Unde David: In „noctibus extollite manus veſtras in ſancta, „&, Memor fui nocte nominis tui domine: „&, Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, &, Erat dominus noſter pernoctans in oratione. Ut autem elevata mens ad orationem, purior ſit, & Deo acceptior, ſanctiſſime eccleſia catholica apoſtolorum traditionem ſequuta, jejunia Chriſtiana exemplo domini inſtituit: & Moyſes montem aſcendit, Dei majeſtatem vidit, & legem a domino accepit, jejunio quadraginta dierum præparatus: & Helias non niſi ejuſdem temporis jejunio præmunitus ad montem Dei Oreb pervenit. Chriſti ergo domini noſtri exemplo, patrum etiam, ſanctorumque omnium imitatione, catholica eccleſia fidelibus jejunia indixit.

*Canon primus.*

Servatur vigilia nativitatis domini, ad imitandum pietatem paſtorum qui Chriſto domino ea nocte adorationi munus impenderunt.

*Canon II.*

Reliquæ vigiliæ pro more locorum, & ex mandato catholicæ eccleſiæ, cum celebratione proprii cujuſque eccleſiæ officii ſerventur. Ideoque ſemper dominica præcedente in eccleſiis proclamentur, ne vitio ignorantiæ ea a laicis ſolvi contingat.

*Canon III.*

Serventur jejunia quadrageſimæ, & quatuor temporum, & alia ab eccleſia inſtituta.

*Canon IV.*

*Conc. Conſtant. ſextum, cap. 56.*

Omnibus diebus jejuniorum, ut & diebus Veneris & Sabbati, prohibetur uſus carnium: tempore autem quadrageſimæ ab ovis, aliiſque cibis prohibitis omnes abſtineant, niſi adverſæ valetudinis cauſa, cum licentia epiſcopi, aut ejus vicarii.

*Canon V.*

*Tertul. de jejunio adverſus Pſychicos.*

Cum res poſtulabit epiſcopi indicant jejunia ex veteri eccleſiæ catholicæ ritu: & ea ſub pœna eccleſiaſtica & canonica ſervare teneantur ii quibus indicta fuerint.

## DE ECCLESIIS ET BASILICIS.

*Titulus novus.*

*3. Reg. 9. Matt. 21. Joan. 2.*

QUANTUS honor eccleſiis Dei deferri debeat, ipſius Dei vox ſatis exprimit his „verbis: Erunt oculi mei, & cor meum in templo cunctis diebus: unde Chriſtus ingreſſus civitatem, ſtatim adiit templum, & ejecit vendentes & ementes, nolens domum ſuam fieri domum negotiationis, & ſpeluncam latronum. „Domus mea, inquit, domus orationis eſt. Quare circa curam & honorem eccleſiarum hæc præcipit ſynodus.

*Canon primus.*

Eccleſiæ bellorum, incendiorum, temporum injuria, ſeu vetuſtate collapſæ reſtituantur & reſtaurentur, cum ex collatione populi, tum ex eorum, ad quos pertinet, ſumptibus, ſi adſint facultates: idque epiſcopi curent & ſtatuant.

*Canon II.*

In parochiis ubi eccleſiæ dirutæ ſunt, nec eſt exercendis ſacris locus, ematur, aut conducatur ſumptu populi, aut eorum ad quos pertinebit, domus congrua: in qua cum licentia epiſcopi ſuper altari portatili miſſæ divinum officium celebretur: donec locus idoneus, perpetuo eccleſiæ deſtinetur, aut eccleſia antiqua ædificetur.

*Canon III.*

In monaſteriis, prioratibus, capellis, leproſariis, eleemoſynariis, ſi quæ eccleſiæ & domus deſtructæ ſint, redditu & ſumptibus eorum, ad quos ejuſmodi beneficia pertinent, aut qui ea poſſident, reſtaurentur, & ad id ab epiſcopis locorum compellantur, pœnis & cenſuris eccleſiaſticis, tum etiam redditus prehenſione.

*Canon IV.*

Ad eccleſiarum parochialium cuſtodiam non admittantur neque præficiantur niſi viri pii, & idonei, & qui prius a parocho & populo probati ſint: certis horis eccleſiam aperiant & claudant, & eam mundam, nitidam, ſartam tectam habeant: nec quicquam profanum intromitti ſinant: nec eam ſeparari, dividi aut ad alios uſus quam eccleſiaſticos converti permittant, neve in ipſis aut earum portica mercaturæ exerceantur.

*Canon*

ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* V.

Nemo canes aut aves in eccleſiam introducat, præſertim in chorum : Si quis eccleſiaſticus ſecus fecerit, privatione diſtributionum arbitrio eorum qui eccleſiis præſunt mulctetur.

*Canon* VI.

Curabunt cuſtodes eccleſiarum, ne mendici per eccleſiam vagentur, aut chorum introeant petendæ eleemoſynæ prætextu, divini officii vel concionis tempore : ſed in foribus eccleſiarum eleemoſynas expectent.

*Canon* VII.

Iidem eccleſiarum cuſtodes altaria & fontes baptiſmi, ſed præter omnia majus altare, ſacramentum euchariſtiæ, & oleum unctionis obſervent, ne ab aliis quam a ſacerdotibus, hæc omnia contrectentur : & operam dent rectores ut ſingulis menſibus euchariſtia renovetur, & tabernaculis ſervetur ad majus altare, & fontes baptiſmales expenſis parochianorum, ubi non fuerint, reſtituantur.

*Canon* VIII.

Rixas, contentiones, jurgia, abſurdas cantilenas, inambulationes, tractatus negotiationum, & commercia ab eccleſiis removeant.

*Canon* IX.

Vaſa ſacra, lintea, ſeu mappas altarium, candelas & candelabra, & cetera ornamenta eccleſiæ omni diligentia & reverentia ſervent & proponant, & eorum omnium rationem, cum rogati fuerint, reddant viſitanti epiſcopo vel ejus vicario aut etiam archidiacono, ubi jus viſitandi habet.

*Canon* X.

Ad eccleſiæ obſequium panem, vinum & aquam ad conficiendum ſacramentum euchariſtiæ, ſemper recentia habeant, & decenter ſervent & proponant.

*Canon* XI.

Campanarum & organorum curam gerant, ut tempeſtive, & pro more eccleſiæ pulſentur : profanas autem cantilenas non reſonent.

*Canon* XII.

Curent ne libri cantus eccleſiaſtici, lectionum, miſſæ, & alii intercidant, confringantur vel obliterentur, nec a laicis tractentur promiſcue.

*Canon* XIII.

Altaria diruta reſtituantur, nova & polluta conſecrentur, & benedicantur.

*Canon* XIV.

Non liceat eccleſias, capellas, ſeu ſacella & oratoria conſtruere, niſi cum epiſcopi licentia.

DE RELIQUIIS SANCTORUM.

*Titulus decimus.*

HONORAMUS reliquias martyrum, ut Deum, cujus ſervi ſunt, adoremus : honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet in dominum. Si enim oſſa martyrum polluunt contingentes, quomodo Elyſæus propheta mortuus mortuum ſuſcitavit ? Ad honorem ergo reliquiarum retinendum, hæc de illis vult ſervari ſynodus.

*D. Hieronym. Epist. contra Vigilantium.* *4. Reg. 13.*

*Canon primus.*

Curent epiſcopi, ut reliquiarum honor populo Dei prædicetur.

*Canon* II.

Reliquiæ non oſtendantur extra capſam, niſi ex ſolenni more & ritu alicujus eccleſiæ id fiat, ſed cum honore & reverentia ſerventur.

*Canon* III.

Non transferantur ſanctorum reliquiæ ſine auctoritate ſummi pontificis, vel epiſcopi, vel concilii.

*Canon* IV.

Si quæ ſanctorum reliquiæ ſuis capſis ſpoliatæ adhuc injuria temporum reſtitutæ non ſint, novis vaſculis, & capſis recludantur & benedicantur : nec temere recipiantur, ſed approbentur auctoritate ſummi pontificis, aut epiſcopi loci, qui, juxta decretum concilii Tridentini, eaſdem prius agnoſcat. Si quæ in domibus privatis ſint, auctoritate epiſcopi ad eccleſiam reducantur.

*Canon* V.

Ab eccleſiaſticis perſonis deportentur in ſupplicationibus publicis, non a laicis, niſi forte ex antiqua aut laudabili conſuetudine eccleſiarum & locorum, id illis conceſſum ſit.

DE IMAGINIBUS.

*Titulus undecimus.*

IN imaginibus non materiam, ſed imagine repræſentatum veneramur, imaginis honorem ad prototypum referentes. Ad hoc enim ſerpentem æneum, non ad derogationem Moyſes erexit. Colendæ ergo ſunt imagines, non quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod in eis fiducia ſit conſtituenda : (ut olim fiebat a gentibus qui in idolis ſpem ſuam collocabant) ſed quoniam honor, qui illis exhibetur, ad Deum & ſanctos refertur.

*Canon primus.*

Qui venerandas imagines idola eſſe dixerit, aut Chriſtianos honorem imaginibus exhibentes in idololatriam incidere, anathema ſit.

*Canon* II.

Epiſcopi & qui verbum Dei prædicant imaginum



num honorem juxta doctrinam ſacrorum conciliorum, & eccleſiæ catholicæ, ſedulo doceant : populumque moneant, ne iis præter rectum eccleſiæ inſtitutum, utantur. Benedicant autem epiſcopi novas imagines prinſquam in eccleſiis recipiantur, & nemo imaginem ponere audeat niſi ab epiſcopo probatam.

*Canon* III.

Fractæ autem imagines, mutilatæ, aut vetuſtate vitiatæ, in ſacrario reponantur, aut ſi fieri poteſt reficiantur, ac reſtituantur.

*Canon* IV.

Si quis pravus aut corruptus uſus adhuc in populo circa cultum imaginum viget, curent epiſcopi ut omnino tollatur.

DE CELEBRATIONE DIVINI officii, horis canonicis, & cantu eccleſiaſtico.

*Titulus duodecimus.*

NON immerito ſancti patres cordis in Deo exultationem cantu teſtati ſunt, ut Moyſes, Zacharias, & ceteri. Sed præter omnes vates ſanctiſſimus David, & ſacratiſſima virgo mater Dei, ſacræ mentis gaudium cantico teſtata eſt : & ipſe dominus ſanctam civitatem ingreſſus, puerorum Hebræorum cantum gratum habuit. Quin & apoſtoli ipſum Chriſtum comitantes, cœna facta cum Chriſto hymnum cecinerunt : quo ſancto more priſci etiam Chriſtiani hymnos Chriſto effuderunt. Et creſcente eccleſia canendi & pſallendi ritus publice, primum in orientalibus, demum in occidentalibus eccleſiis receptus eſt, & obſervatus : ad movendum & excitandum præſertim languentium & torpentium animorum affectum. Inde D. Cyprianus ait, „ Placendum divinis „ oculis, & habitu corporis & modulo vocis.

*Canon primus.*

Sit ergo cantus religioſus & modeſtus, & muſica tempori conveniens, quæ vocum ſonum & intelligentiam non impediat, præſertim in ſymbolo apoſtolico, cantu angelico, & euangelio paſſionis domini, vitentur repetitiones vocum & ſyllabarum ſupervacaneæ. Cantus funebris & quadrageſimæ ſit gravis, tempori & rei conveniens.

*Canon* II.

In omnibus eccleſiis cathedralibus & collegiatis, dato ſigno & congrua pulſatione præmiſſa, debitis horis, ſecundum antiquam cujuſque loci conſuetudinem tractim, diſtincte & articulate, decantentur divinæ laudes, & preces ab eccleſia præſcriptæ, ita ut ſolenne a feriali officio omnes audientes facile diſcernant.

*Canon* III.

Horas canonicas dicturi, cum tunica talari, ſuperpelliciis mundis, almutiis, pileis quadratis, vel cappis nigris, pro temporum & regionum diverſitate, ſine ſtrepitu, modeſte, & cum gravitate ſuo ordine digna, conveniant. Non confabulentur in choro, neque quicquam alienum a cultu & divino officio legant, ſed nec privatim officium dicant, ne choro ſubtrahant quod debent, aut per eos turbentur qui pſallunt.

*Canon* IV.

In fine pſalmorum & ubicumque gloria ſanctiſſimæ Trinitati redditur, omnes conſurgant, & in invocatione nominis Jeſu genu flectant. Horum tranſgreſſores illius horæ, in qua exceſſerint, diſtributione careant : perſeverantes, majore pœna pro delicti gravitate plectantur, & per ſinceræ conſcientiæ punctuarium, cujus erit ſingulorum defectus obſervare, apud canonicos in capitulo congregatos deferantur.

*Canon* V.

Et quia multi hoc ſæculo opus Dei faciunt negligenter, & impunitas illis audaciam parit, & audacia exceſſum, providens hæc ſynodus ne deinceps ſcandalum eccleſiæ inferatur, ſtatuit ut ſi quis ante finem pſalmi, Venite exultemus, aut ante finem primi pſalmi, in ceteris horis chorum ingreſſus non fuerit, illius horæ diſtributione careat.

*Canon* VI.

Qui ad miſſam poſt primum, *Kyrie eleiſon*; non acceſſerit, aut eidem uſque ad finem non interfuerit, abſens cenſeatur : ſi quem tamen corporis infirmitas ita urgeat, ut finem divini officii expectare non poſſit, licentia exeundi a præſide chori obtenta diſcedat, & illius horæ fructum nihilominus percipiat : ſimiliter omnes infirmi omnibus horis præſentes cenſeantur.

*Canon* VII.

Proceſſionibus omnes intereſſe teneantur a principio uſque ad finem : qui ſecus fecerit, inter abſentes connumeretur.

*Canon* VIII.

Tollatur illa corruptela, qua iis jura totius diei conceduntur, qui uni tantum horæ diei adfuerunt : ea enim percipere illi tantum debent, qui pondus & æſtum diei perferunt, & choro eccleſiæ fideliter deſerviunt.

*Canon* IX.

Pendeat in choro tabula, in qua ordinatio divini officii ſcripta ſit, & diſcant ex ea ſinguli ad quæ onera & officia adſtringantur ſingulis horis per totam hebdomadam, quæ ſi exequi per ſe aut per alios neglexerint, pro qualibet hora, unius diei integri diſtributiones amittant.

*Canon* X.

Quicumque in eccleſia beneficiati tempore divini officii per eccleſiam inambulando, vel foris circa ipſam, aut cum aliis colloquendo vagantur, totius diei præſentiam amittant, qui ſemel correptus non deſtiterit, per menſem diſtributionibus careat, perſeverans autem graviori pœnæ ſubjaceat.

ANNO CHRISTI 1584.

Canon XI.

Regulares qui circa prædicta exceſſerint, gravi pœna ſuperiorum arbitrio caſtigentur.

Canon XII.

Omnes eccleſiaſtici, etiam non beneficiati horas canonicas attente & diſtincte dicant, depoſita omni ſollicitudine ſæculari; nullaque colloquia intermiſceant, ac Deum precaturi locum ejuſmodi ſibi deligant, in quo a pietate & devotione non abducantur.

Canon XIII.

Reſtituantur in omnibus eccleſiis cathedralibus & collegiatis, ubi commode fieri poterit, antiqua inſignia quibus antea utebantur chorum, cum baculo cantorali incedant: tum etiam qui præcedunt hoſtiarii, virgas ſuas, aut baculos argenteos deferant. Serventur quoque mutationes veſtium tum ex lino æſtate, tum ex panno hyeme geſtari ſolitæ. Eaſdem etiam deferant in ſuis eccleſiis in choro, dum officium divinum celebratur, epiſcopi qui ſunt canonici, niſi contraria conſuetudine aut privilegio aliter receptum ſit.

Canon XIV.

Sit magiſter ceremoniarum in ſingulis eccleſiis cathedralibus & collegiatis, aut ſi deſit, alius inſtituatur.

## DE QUOTIDIANIS diſtributionibus.

*Titulus decimus tertius.*

*Con. Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 3 ſub finem & ſeſſ. 24. ca. 12.*

QUI altari ſervit, de altari vivat: & qui eidem non ſervit, nec de eodem vivere debet: ne contra omnem æquitatem præmio aſſiciantur pares, qui ſimul eumdem laborem non ſuſtinuerunt.

Canon I.

Non dentur diſtributiones quotidianæ, niſi iis qui adſunt divino officio, aut infirmis, aut iis quos juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens eccleſiæ utilitas excuſaverit.

Canon II.

*Conc. Trid. ſeſſ. 5. de ref. cap. 1.*

Canonici ſtudentes proventum præbendarum ſuarum percipiant, juxta juris canonici & communis formas, aut eccleſiæ ſtatuta.

Canon III.

*Eadem ſeſſ. 22. de reſor. cap. 4.*

Canonicus ſacrum ſubdiaconatus ordinem non adeptus, vocem in capitulo non habeat, nec ſtallum ſuperiorem in choro aſcendat, nec canonicos presbyteros præcedat, neque beneficia conferre poſſit.

Canon IV.

Epiſcopi in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus dignitatis, canonicatus, præ-

A bendæ, officii, aut perſonatus, cathedralis aut collegiatæ eccleſiæ, aut cujuſcumque alterius beneficii, nullas fieri ſinant proventuum deductiones, ſolutiones, promiſſiones, compenſationes illicitas, niſi ubi laudabilis eſt conſuetudo, ut in pios eccleſiæ uſus convertantur, nec inde canonicis quicquam accreſcat.

## DE PUERIS CHORISTIS.

*Titulus decimus quartus.*

QUONIAM Spiritus ſanctus per os Davidis „ cecinit, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem Dei. Et voluit Chriſtus dominus parvulos ad ſe venire. Et, Labia ſancta exaudit dominus: & illis cito annuit precibus, quas lingua immaculata pronunciat. Ideo catholica eccleſia cœleſtem & triumphantem imitata, choros angelorum referens, tecte & ſancte pueros choriſtas in templis & eccleſiis conſtituit, qui aſſiduis cantibus chorum eccleſiæ excitent. Et quia non tantum voce, ſed etiam compoſitis moribus, & habitu, & literulis pro captu ætatis ornatos eſſe oportet.

*Pſal. 8. Matth. 19. D. [illegible] 13. & [illegible] ad [illegible].*

B

Canon I.

C Primum pueri idonei, ætatis convenientis, ex legitimo matrimonio procreati, corpore non mutilato, valetudine & voce integra eligantur, eo numero, quem quæque eccleſia habere ſolet aut debet.

Canon II.

Sit eorum rector aut præceptor bonæ & probatæ vitæ & fidei, in ſacris ordinibus conſtitutus, aut ſaltem qui intra annum promoveatur, compoſitis moribus, non violentus, non percuſſor, non concubinarius, nec qui ſcandalo juventuti eſſe poſſit: non pueris nimium indulgens; nec tamen ita ſeverus ut eos a munere eccleſiaſtico abſterreat. Qui puerorum opera non abutatur ad ſua peragenda negotia: qui muſicam & ritum eccleſiæ recte calleat: qui ſedulo eos doceat, qui domum & familiam puerorum non deſerat, cum illis cibum ſumat, nec alio divertat, curam eorum gerat, cum animi, tum corporis: eos victu defraudari non ſinat, veſtiarium curet: non permittat eos vagari parentum vel amicorum prætextu, aut cantus gratia: horis certis eos ad eccleſiam ducat & reducat, & nunquam niſi eo duce extra domum incedere ſinat: relaxationes animi, cum opus fuerit, concedat.

D

Canon III.

E Præter cantum diſcant etiam pueri certis horis ſcribendi & Latine loquendi artem, per præceptorem idoneum, capitulorum expenſis: ut adultiores facti eccleſiis in quibus initiati fuerint majora obſequia impendant. Sic enim fiet ut eccleſiæ bene eruditorum filiorum numero exornatæ, errones cantores offendiculi occaſionem præbere ſolitos admittere non cogantur.

Canon IV.

Capitula eccleſiarum, quibus ejuſmodi pueri inſerviunt, adultis provideant de victu & veſti-



ANNO CHRISTI 1584.

ſtitu, & ut ad ſtudia promoveantur: meminerintque illis vacatura beneficia pro meritorum ratione, ætate, & qualitate, cum viſum fuerit, conferre.

Canon V.

Non conſcendant ſedes canonicorum aut ſacerdotum cantus celebrandi gratia, nec in feſto ſanctorum Innocentium pontificalia aut ſacerdotalia indumenta aut ornamenta præferant, aut regium vel quoquomodo a ſua vacatione alienum habitum: ne inde riſus aut offenſionis cauſa ſpectantibus præbeatur.

## DE ORNAMENTIS ET VASIS eccleſiæ.

*Titulus decimus quintus.*

*Clem. Alexandrinus in Pædagogo.*

NON ſine cauſa ſancta eccleſia catholica priſcam Aaronicam eccleſiam imitata, myſticos ornamentorum ritus pontificibus, epiſcopis, ſacerdotibus ſuis inſtituit: nec id novo more: primi enim Chriſtianorum Levitæ Dalmaticis & veſtibus lineis uſi ſunt in ſacris ſuis. Itaque de ſacerdotum & aliorum miniſtrorum ornamentis hæc ſtatuit ſynodus.

Canon primus.

Veſtes ſacræ & ornamenta bellorum barbarie direpta, aut vetuſtate conſumpta reſtituantur, & ſufficiantur in locum amiſſorum. Excitent autem populum prædicatores verbi ad aliquid in ejuſmodi ſacram ſupellectilem erogandum, tamquam pium & Deo gratum opus: Quod etiam de ſacris vaſis obſervetur.

Canon II.

Monet epiſcopos, capitula, præpoſitos, & omnes eccleſiaſticas perſonas hæc ſynodus, ut ſuæ conditionis memores eccleſias ſuas ornent, quantum eis eccleſiaſticæ poſt pauperum facultates curam, & cetera caritatis officia ſuppeditabunt.

Canon III.

Canonicorum congregationes hortatur, ut more antiquo multis adhuc in eccleſiis obſervato, unuſquiſque canonicus nuper in eccleſiam admiſſus, pro jucundo ſuo adventu grati animi teſtimonium erga Deum, & eccleſiam ſuam largitione cappæ, ſeu caſulæ, exhibeat, cujus pretium capitula eccleſiarum deſignabunt: & ad illud perſolvendum pro ſtatutis eccleſiarum compellatur.

Canon IV.

*Can. Apoſt. 72. Concilium Bracar. 3. c. 2.*

Ornamenta illa eccleſiaſtica, & ſacra vaſa nullis unquam prophanis uſibus applicentur, ſub pœna majoris excommunicationis, & ſacrilegii: Si quæ autem temporum injuria profanata ſint, iterum benedicantur.

Canon V.

Inſtituantur ubi non ſunt ſacriſtæ ſive cuſtodes in qualibet eccleſia, qui curam ornamentorum & rerum ſacrarum habeant: & ſi quæ ve-



A ſtiaria, aut ſacriſtiæ profanis uſibus ceſſerint, ſeu bellorum injuria, ſeu eccleſiaſticorum incuria, mundentur, & in priſtinum ſtatum reſtituantur.

## DE CŒMETERIIS, CURA MORTUORUM & purgatorio.

*Titulus decimus ſextus.*

*Tertul. lib. de Reſurr. carnis. D. Cyrillus Catec. 18. Joan. 11. 1. Theſſal. 4.*

RESURRECTIO mortuorum fiducia eſt Chriſtianorum, & radix bonæ operationis, fides eſt reſurrectionis. Lazarum Chriſtus non dixit mortuum eſſe, ſed dormire, cum tamen obiiſſet: & eos qui ex hoc ſæculo migrarunt, non mortuos prædicat D. Paulus, ſed dormientes. Ideoque cœmeteria ſuo nomine monent Chriſtianos non immodice lugendos eſſe mortuos, his qui ſpem reſurrectionis habent, ſed pro his orandum, ut perpetua beatitudine fruantur, de quibus idcirco hæc ſtatuit ſynodus.

B

Canon I.

Curent epiſcopi omnes hujus provinciæ ut commemoratio animarum pro iis præſertim inſtituta quæ ſingulares apud Deum interceſſores non habent, pie celebretur a populo, nulliſque profanis operibus ſolvatur.

C

Canon II.

Parochi officium ſacrum pro fidelium requie feria ſecunda cujuſque hebdomadæ, ſi fieri poſſit, aut ſaltem feria ſecunda primæ hebdomadæ cujuſque menſis feſto duplici non impedita vel alio commodiore die celebrent.

Canon III.

Sacella ad anniverſariorum celebrationem inſtructa a fundatorum ſucceſſoribus reparentur, & juxta eorum inſtitutum officia in eis religioſe celebrentur.

D

Canon IV.

Non contrahatur, neque differatur, immutetur, aut innovetur ordo divini officii propter celebrationem anniverſariorum, ſed ſemper horis & locis conſuetis dicatur.

Canon V.

Non fiat officium defunctorum diebus dominicis, niſi pro depoſitione mortui. Vigiliæ autem, quæ pro defunctis illa die dicuntur, tantum poſt veſperas ſolennes celebrentur.

Canon VI.

E Cœmeteria ad ſepelienda Chriſtianorum corpora per epiſcopos juxta eccleſias, aut alio idoneo loco benedicantur, & a profanis locis diſcernantur: Et quæ olim muris juncta fuerint, in priſtinum ſtatum reſtituantur, ſi populi opes id patiantur.

Canon VII.

Non pateant brutis animantibus, neque exſiccandis profanis linteaminibus, aut aliis ejuſmodi uſibus.

ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* VIII.

In iis nundinæ non fiant, neque ulla venalia exponantur.

*Canon* IX.

Omnes Chriſtiani, quibus teſtamenti condendi facultas libera eſt, inter teſtandum de funere ſuo & ſepulturæ loco mentionem faciant, aut ſaltem id fidei parentum & amicorum committant. Quod ſi non fecerint, in propria parœcia, aut in tumulo parentum, pro arbitrio heredum aut executorum inhumentur.

*Canon* X.

Si teſtator ſe alibi quam in parœcia ſua ſepeliri mandaverit, parochus corpus defuncti e domo educendi jus habeat, & in eccleſia in qua ſepultura electa eſt dimittat, ſalvo tamen ipſius parochi jure, tum in quarta funeraria, tum in aliis quæ jure, conſuetudine, aut diſpoſitione teſtatoris, illi debentur. Si contra hanc conſtitutionem regulares, aut alii eccleſiaſtici, fecerint, cave cauſa tumultus excitarint, pœnis juris coerceantur.

*Canon* XI.

Chriſtianis in agone conflictantibus, interrupto pulſu campanæ moneantur fideles pro illis orare: cum vero migraverint ex hac vita, moneantur iidem continuo & longo ac integro campanæ pulſu eum obiiſſe, ut pro ejus anima preces Deo fundant.

*Canon* XII.

Ritus & ceremoniæ ſepulturæ in cantu, luminaribus, comitatu, & aliis ejuſmodi ſumma cum modeſtia ſerventur, ut adſtantes ex diligenti eorum obſervatione diſcant orare pro mortuis, & mortis meditatione ad mores ſanctius componendos invitentur.

*Canon* XIII.

Hæretici ne in iis quidem eccleſiis quas fundaverunt ſepeliantur, neque etiam inſigniorum aut imaginum in iis depingendarum jus ſibi vendicent.

*Canon* XIV.

In eccleſiis ſepeliantur tantum prælati & miniſtri eccleſiæ, principes, fundatores eccleſiarum, patroni & domini locorum, & qui magiſtratu aliquo cum honore functi fuerint, ac de republica bene meriti, & ii qui ab antiquo in eccleſiis ſepulturæ jus habent.

*Canon* XV.

Non ſepeliantur epiſcopi & canonici extra proprias eccleſias, niſi alibi ſepulturam elegerint.

*Canon* XVI.

Convivia poſt funus defuncti non fiant niſi ſobria menſa inter proximos, conſolationis mutuæ cauſa: & ibi gratiarum actiones ac preces A pro defuncti requie communi omnium voto habeantur.

*Canon* XVII.

Curent epiſcopi & eorum vicarii, archidiaconi & viſitatores ut anniverſaria pro mortuis inſtituta celebrentur, & quæ a fidelibus legata ſunt fideliter perſolvantur: Qui vero ea retinere aut occupare præſumpſerint, anathemate feriantur.

*Canon* XVIII.

In quibus eccleſiis plura & varia anniverſaria conſtituta ſunt, ita ut ad ea celebranda tempus ſufficere non poſſit abſque diminutione divini quotidiani officii, ſtatuit hæc ſynodus, ut epiſcopi auctoritate ejuſmodi anniverſaria ad certum modum reducantur (& certis diebus celebranda præſcribantur, commemoratione tamen ſemper habita eorum, qui legata & anniverſaria reliquerint.

*Canon* XIX.

Non altius erigantur tumuli aut ſepulchra defunctorum in eccleſiis, in choro præſertim, ni forte prælatorum, regum & principum. Ceteris vero id non liceat, ſine auctoritate epiſcopi, cum cauſæ cognitione.

*Canon* XX.

Perſolvantur jura teſtamentorum, & alia quæ lege & conſuetudine epiſcopis & prælatis debentur, ſub cenſuris eccleſiaſticis.

*Canon* XXI.

Epiſcopi ſint executores teſtamentorum in iis quæ pertinent ad pias cauſas. Si quæ vero legata non perſoluta aut a laicis retenta reperiantur, cogant illos ad ea perſolvenda & reſtituenda, ut in pios eccleſiæ uſus convertantur.

## DE TRADITIONIBUS.

*Titulus decimus ſeptimus.*

QUONIAM ſcriptum eſt Chriſtum multa ſigna feciſſe, quæ non habentur in libris evangeliorum, jubentur Chriſtiani ſervare traditiones eccleſiæ, ne juxta neotericorum conſuetudinem ex ipſo tantum contextu ſcripturæ omnium rerum ſacrarum ratio petenda cenſeatur. *Joan. 21.*

*Canon primus.*

Si quis univerſam doctrinam eccleſiaſticam, ad expreſſum contextum ſcripturæ, nihilque, niſi quod in ea contineatur, pro vero tenendum, & traditiones eccleſiæ quaſi inventa humana reſpuendas eſſe dixerit, anathema ſit.

*Canon* II.

Quiſquis negat traditionem eſſe duplicem, ſcriptam ſcilicet, & non ſcriptam, anathemate feriatur. *2. Theſſ. 2.*

Ca-



ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* III.

Traditiones omnes diœceſanæ laudabili & antiqua conſuetudine comprobatæ ſerventur.

*Canon* IV.

Non ſumant canonici aut alii eccleſiaſtici panem & vinum non conſecratum in eccleſiis & baſilicis die cœnæ domini, aut aliis diebus, ſed id in loco ſeparato, nempe capitulo, aut veſtiario, ſimul facere poſſint, ſervata modeſtia, reverentia, religione, cum hymnis & pſalmis conſuetis.

## DE SACRAMENTIS.

*Titulus decimus octavus.*

QUIA per primum parentem violata eſt originalis juſtitia, in qua creatus fuerat, & peccato ſuo omnes poſteros infecit, dicente ſcriptura: Semen maledictum erat ab initio: &, „Nemo immunis eſt a ſorde, nec infans unius diei: & poſt peccatum originale, in quo omnes naſcimur, manent adhuc ejus quædam reliquiæ (quas theologi fomitem peccati vocant) actuale peccatum generantes in nobis: providus Deus ſingulis morbis ſingula adhibuit remedia, ſacramenta ſcilicet, quibus peccata remittuntur, hominis vita regitur, fides augetur, & totius eccleſiæ politia continetur ac conſervatur: nam ſpiritualem homini vitam conferunt baptiſmus, confirmatio, pœnitentia, euchariſtia, extrema-unctio: Ordo autem & matrimonium ad eccleſiæ multiplicationem & continuationem pertinent. Per baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur. Per confirmationem in gratia & fide roboramur. Euchariſtia nutrimur. Pœnitentiæ medicamento a peccati morbo curamur. Et ſi quid nobis in extremis agentibus defuerit, per extremam unctionem ſuppletur. Omnia autem ſacramenta tribus conſtant, ac perficiuntur: rebus, ut materia: verbis, ut forma: miniſtro, ut conferente ſacramentum, & communem eccleſiæ intentionem habente: quorum omnium ſi quid defuerit integrum ac perfectum ſacramentum eſſe non poteſt. Baptiſmus, confirmatio, & ordo, quia indelebilem characterem animæ imprimunt, iterari non poſſunt. Quæ omnia ne in vanum conferantur aut ſuſcipiantur, hæc præcipit ſynodus.

*Sap. 12. Job. 15. & 25.*

*Canon primus.*

Sacerdotes dum ſacramenta adminiſtrant, uſum & efficaciam illorum populo, & iis præſertim, quibus ea conferunt, exponant: adhibeanturque in eum uſum, manualibus auctoritate & judicio epiſcoporum edendis, piæ & religioſæ exhortationes, vernacula lingua conſcriptæ, quibus in eorum adminiſtratione ſacerdotes utantur.

## DE BAPTISMO.

*Titulus decimus nonus.*

ADVERSUS peccatum originale, in quo omnes & concipimur & naſcimur, unicum eſt remedium lavacrum regenerationis, ſeu baptiſmus: cujus vim & neceſſitatem exprimens A „Chriſtus dominus ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Omnibus ergo recens natis conferatur, adhibita eccleſiaſtica ceremoniarum obſervatione. *Joan. 3.*

*Canon primus.*

In baptiſmo materia ſacramenti, ſcilicet aqua naturalis, adhibeatur. Obſervetur etiam uſus catechiſmi, exorciſmi, ſalis, ſalivæ, chriſmatis, & olei ſancti, ceterique ritus ab eccleſia traditi: & ſi quid horum omiſſum fuerit, ſuppleatur. Hæc de induſtria omittentes aut contemnentes anathemate feriantur.

*Canon* II.

Qui ad baptiſmum accedunt non intromittantur in eccleſiam, niſi poſt exorciſmum, cujus virtute primum decet eos dæmonis poteſtati eximi.

*Canon* III.

Obſervent baptizantes trinam immerſionem ſeu effuſionem, & proferant diſtincte nomina perſonarum Trinitatis, ſub forma a Chriſto præſcripta.

*Canon* IV.

Nomina tantum Chriſtianæ profeſſioni convenientia in baptiſmo imponantur, ne paganiſmum vel Judaiſmum Chriſtianus redoleat.

*Canon* V.

Non procraſtinetur baptiſmus quocumque prætextu, ſed quam citiſſime fieri poterit, baptizentur infantes.

*Canon* VI.

Parvulum in baptiſmo ſuſcipiant unus tantum patrinus aut una, qui pro eo fidem in facie eccleſiæ profiteantur: teneanturque eum admonere, cum ad diſcretionis annos pervenerit, ut pietatem colat & caritatem ſervet. Curent etiam ut orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & ſymbolum apoſtolicum diſcat & intelligat. *Diſt. 4. de conſecratione in catechiſmo.*

*Canon* VII.

Baptizandum eccleſiæ offerat, potius vir quam mulier, ut qui paratior ſit ad reddendam fidei ſuæ rationem.

*Canon* VIII.

Neque obſtetrices, neque laici baptiſmum præveniant aut conferre præſumant, niſi in ſumma neceſſitate, & evidenti periculo.

*Canon* IX.

Regulares baptizandum in ſacro fonte, niſi cauſa neceſſitatis, non ſuſcipiant. *Conc. [illegible] ſub papa Deusdedit can. 15.*

*Canon* X.

Nemo baptizandum e ſacro fonte levet, niſi ad annos pubertatis pervenerit, & fidei rudimentis edoctus & confirmationis ſacramento, quatenus fieri poterit, inſignitus.

ANNO CHRISTI 1584.

## DE CONFIRMATIONIS ſacramento.

*Titulus vigeſimus.*

*Job. 7.* VITA hominis militia eſt ſuper terram, ut habet ſcriptura: ideo quotquot per baptiſmum regenerati ſunt ad vitam, confirmandi ſunt ad pugnam: quod conſecuti ſunt apoſtoli in die pentecoſtes, quibus prius a domino „ dictum fuerat, Si non abiero, Paracletus „ non veniet: ſi autem abiero mittam eum ad vos. Nos autem pro igne viſibili, qui die pentecoſtes ſuper apoſtolos apparuit, oleum ſanctum, materiam nempe ignis, ex apoſtolorum traditione ad confirmandum adhibemus, eoque frontes confirmandorum ſignantur, ne pudeat eos crucem Chriſti palam & aperte profiteri, & in fronte ſicut in corde geſtare. Quare hæc de confirmatione hujus ſynodi auctoritate ſerventur.

*Act. 2. Joan. 14. Clemens lib. 38. cap. 31.*

*Canon I.*

Chriſma, ad ſacramentum confirmationis & alia neceſſarium, ſingulis annis innovetur, & conſecretur: vetus igni conſumatur.

*Canon II.*

Nemo dicat chriſmatis confectionem ab alio quam a Chriſto inſtitutam eſſe.

*Canon III.*

In adminiſtratione hujus ſacramenti ſervetur forma debita; & qua uti conſuevit eccleſia, videlicet, N. conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

*Canon IV.*

Non offerantur ad ſacramentum confirmationis, niſi qui ſeptimum annum attigerint, ut ſymbolum fidei profiteri per ſe poſſint.

*Canon V.*

Offerantur confirmandi ab uno patrino jam confirmato.

*Canon VI.*

Confirmatis faſcia adhibeatur in fronte, quam per triduum in recordationem ſuſcepti ſacramenti geſtare teneantur: terſa autem a ſacerdote diligenter fronte, faſcia in veſtiario cremetur: ejus cineres in primam diem quadrageſimæ ſerventur.

*Canon VII.*

Curent epiſcopi hoc ſacramentum poſt jejunium quatuor temporum de more celebraturi, ut dominica præcedente per ſingularum parœciarum rectores ac prædicatores moneatur populus de ejus neceſſitate, virtute, eique debita reverentia. Comminentur etiam neminem hoc ſacramento non inſignitum, ſe ad euchariſtiam & matrimonium admiſſuros.

*Canon VIII.*

Moneantur omnes confirmandi, ut ante hujus ſacramenti ſuſceptionem peccata confiteantur.

*Canon IX.*

Archidiaconi, ac epiſcoporum & capitulorum vicarii viſitantes ſtricte injungant parœciarum rectoribus, & ſcholarum magiſtris, ut inſtante jejunio quatuor temporum, populum ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum inſtruant.

## DE POENITENTIA ET EJUS partibus.

*Titulus vigeſimus primus.*

QUAM ſit neceſſaria pœnitentia exprimit Chiſtus dominus, dicens, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Fi„ dei enim officium & opus eſt pœnitentia, „ metum Dei & emendationem vitæ ſtabiliens „ in conſcientia. Siquidem ubi metus nullus, „ ibi emendatio nulla: & ubi emendatio nul„ la, ibi pœnitentia vana. Cum ergo dicat „ ſcriptura, Secundum menſuram peccati, erit „ & plagarum modus, de ea hæc ſanxit ſy„ nodus.

*Luc. 13. Tertul. lib. de pœnit. Deut. 25.*

*Canon primus.*

Quiſquis pœnitentiam vere, ac proprie ſacramentum eſſe negarit, anathema ſit.

*Canon II.*

Nemo pœnitentiam publicam, peccato publico, quod Chriſtianorum oculos maxime of„ fendit, injungendam neget: ait enim apo„ ſtolus, Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Poterit tamen hoc publicum pœnitentiæ genus pro qualitate locorum, rerum, perſonarum, & temporum, in aliud ſecretum converti.

*Canon III.*

Pœnitentiam in præteritis peccatis plangendis, & futuris vitandis conſiſtere moneantur fideles: & tribus partibus conſtare, contritione, confeſſione, & ſatisfactione.

*Canon IV.*

Omnes Chriſtiani, cujuſcumque ſexus peccata ſua ſaltem ſemel in anno ad diem paſchæ proprio ſacerdoti confiteantur. Qui ſemel atque iterum moniti neglexerint, communione eccleſiæ priventur.

*Canon V.*

Quamvis presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſynodus, ex ſacro concilio Tridentino, nullum regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, neque ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab epiſcopo per examen (ſi illi videbitur neceſſarium) probatus ſit.

*Canon VI.*

Pro pœnitentia injungenda & abſolutione a caſibus reſervatis, provideant epiſcopi, ut pœnitentiarii in cathedralibus eccleſiis inſtituantur, a quibus fideles abſolutionis munus omni



ANNO CHRISTI 1584.

tempore conſequi valeant: necnon in urbibus diœceſeos, ubi numeroſior erit populus, poteſtatem laxandorum ejuſmodi caſuum viris eruditis committant: præſertim tempore adventus domini, & quadrageſimæ, ne fideles tanto beneficio propter nimiam loci diſtantiam priventur.

*Canon VII.*

Si pœnitentiarii canonici fuerint dum munere ſuo funguntur pro præſentibus in choro habeantur.

*Canon VIII.*

A gravioribus criminibus, & epiſcopo reſervatis, non liceat ſacerdotibus cujuſcumque ordinis, gradus, aut congregationis exiſtant, abſolvere: ſed ad epiſcopos pœnitentes remittant, aut ad eorum pœnitentiarios, ut pro gravitate criminum aut pœnitentiam imponant, aut relaxationem concedant.

*Canon IX.*

Sacerdotes canones pœnitentiales diſcant, ut modum & rationem pœnitentiæ injungendæ melius intelligant.

*Canon X.*

Qui curam animarum habent, veram confitendi rationem populo ſuo exponant, præſertim tempore quadrageſimæ & adventus domini, nec non circa ſolenniores feſtivitates anni: & ab initio quadrageſimæ confeſſiones incipiant audire, ut adveniente feſto paſchæ omnes fideles euchariſtiam ſuſcipiant.

*Conc. Trid. ſeſſ. 4. de pœnit. & extr. unct. can. 7.*

*Canon XI.*

Confeſſionis formulæ componantur, in quibus caſus reſervati debite, & prudenter exprimantur, ut ſciant omnes per ſe confiteri, & quibus in caſibus pœnitentiarium adire debeant.

*Ibid.*

*Canon XII.*

Pœnitentiam & ſatisfactionem injungant ſacerdotes, non pro ſuo arbitratu, ſed pro gravitate peccatorum: habeant tamen rationem contritionis dum pœnitentem abſolvunt.

*Ibid. ſeſſ. 14. can. 8.*

*Canon XIII.*

Sacerdos in peccato mortali conſtitutus non propterea differat abſolutionem ejus cujus confeſſionem audierit: peccatum enim mortale poteſtatem ligandi & ſolvendi non adimit.

*Ibid. can. 5. & 15.*

*Canon XIV.*

Medici moneant infirmos ſibi commiſſos ut peccata primum confiteantur, procraſtinantibus ſuam operam defuturam comminentur, donec auxilio implorato peccatorum abſolutionem impetraverint.

*Canon XV.*

Confeſſionibus audiendis præpoſiti, dubitantes de caſuum gravitate aut differentia, conſulant epiſcopos, aut eorum pœnitentiarios, aut viros ea in re verſatos, non expreſſis pœnitentium nominibus: abſolutionis formam probe teneant, nec in ea articulate & diſtincte proferenda hæſitent.

*Canon XVI.*

Pœnitentibus delictorum gravitatem ad excitandam in his veram contritionem accurate exponant, ut eos ab eorum perpetratione deinceps deterreant.

*Ibid. c. 4. & ſeq.*

*Canon XVII.*

Pœnitentes opera ſatisfactoria, quæ ſibi injunguntur, ſolicite adimplere ſtudeant, & indulgentias ad pœnæ peccatorum expiationem concedi ſolitas, pie amplexentur.

*Canon XVIII.*

Non in privatis locis, ſed in eccleſiæ ſedibus ad id deputatis confeſſiones audiant ad id præpoſiti, ſuperpelliciis induti.

## DE EUCHARISTIA.

*Titulus viceſimus ſecundus.*

NON ita ſe hominum oculis ſubduxit Chriſtus dominus aſcendens in cælum, ut amplius nobiſcum in terris non ſit, ſed eum quotidie perſpicimus in euchariſtia, ſub panis & vini ſpeciebus: Habitat enim nobiſcum in habitu peregrini: & panem angelorum manducamus in terris ſub ſacramento, eumdem ſine ſa„ cramento manifeſtius viſuri in cælis: Ait enim „ Chriſtus, Niſi manducaveritis carnem filii „ hominis & biberitis ejus ſanguinem, non ha„ bebitis vitam in vobis.

*D. Bernard. homil. de duobus diſcipulis eunt. in Emaus.*

*Canon primus.*

Credant igitur omnes fideles verum corpus & verum ſanguinem Chriſti in hoc ſacramento eſ„ ſe, ex ipſius auctoris verbo, qui dicens, Hoc „ eſt corpus meum: Hic calix ſanguinis mei, &c. ita ſecluſit omnem figuratum loquendi modum, ut merito hæreticus cenſeatur qui veritatem ex ipſis verbis elici non poſſe aſſerit.

*D. Cypr. ſer. de cœna domini. Joan. 6.*

*Canon II.*

Negantes tranſſubſtantiari panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti per prolationem verborum ſacramentalium, a ſacerdote communem eccleſiæ intentionem habente, ut hæretici excommunicentur.

*Canon III.*

Negantes accidentia panis & vini in ſacramento euchariſtiæ ſine ſubſtantia panis & vini manere, anathemate feriantur, & hæretici cenſeantur.

*Canon IV.*

Sacroſanctum Chriſti corpus cum luminaribus & tintinnabulo deferatur ad infirmos: Cum autem in proceſſionibus publice geſtabitur, hymnis, pſalmis, & canticis, eccleſiaſtici procedant, laici ſuſpiciant, & reverenter adorent.

*Canon V.*

Nemo ſine contritione, confeſſione, & ſatisfactoriis operibus digne præmuniens ad euchariſtiam ſumendam [illegible].

Ca-

ANNO CHRISTI 1584.

### Canon VI.

*Concil. Antiſsiod. ſub P.P. Dauſdolo c. 19. & in decretis Suteri PP.*

A jejunis ſumatur euchariſtia. Infirmis tamen, ubi præſertim periculum mortis imminet, volentibus eam ſumere quacumque hora concedatur: cum viaticum moribundis denegare plane ſit impium.

### Canon VII.

*Fab. PP. & conc. Eliber. ſub Innoc. 3. can. 21.*

Moneantur laici ut diebus ſolennibus, videlicet nativitatis domini, paſchæ, pentecoſtes, aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, & omnium ſanctorum, communicent. Presbyteri illis diebus miſſam celebrent: teneantur autem omnes Chriſtiani ſub peccato mortali, & excommunicationis ſententia, ad diem paſchatis corpus Chriſti ſuſcipere: quod ſi legitimo impedimento detenti communicare non potuerint, proximo quoque die id facere teneantur.

### Canon VIII.

*Conc. Later. D. Hieron. ſerm. in vigil. paſch. 1. Reg. 21.*

Moneantur conjugati non niſi præparati aliquot dierum continentia, ad euchariſtiæ ſumptionem accedere: inſtar Davidis, qui non niſi antecedente trium dierum continentia panibus propoſitionis uſus eſt.

### Canon IX.

Nemo ad diem paſchæ euchariſtiam ab alio quam a proprio parocho ſeu curato ſumere præſumat: qui contra fecerit excommunicetur: ſacerdos qui contra hoc decretum, adminiſtrarit, cujuſcumque gradus & ordinis fuerit, extraordinarie puniatur, aliis quibuslibet diebus feſtis communio ex licentia epiſcopi, ejus vicarii, aut parochi aliis in locis pro cujuſque voto ab idoneo ſacerdote concedatur.

### Canon X.

Parochi ſeu curati omnium communicantium in ſuis eccleſiis nomina excipiant & deſcribant, ut oves ſuas agnoſcant, nec quemquam admittant ad communionem, niſi quem prius ſciverint confeſſum fuiſſe peccata, eorum vicariis, aut ſacerdotibus deputatis. Qui non communicaverint, cauſam ſui defectus reddant curato: contumaces communione eccleſiæ priventur.

### Canon XI.

Obſervent parochi eos, qui idoneam ad ſuſcipiendum euchariſtiæ ſacramentum ætatem jam attigerint, ſi euchariſtiam die ſancto paſchæ prætermittant, ut ſi forte (quod abſit) hæreticam pravitatem eos ſectari deprehenderint, omni via ad gregem domini reducere nitantur.

### Canon XII.

In exhibenda laicis ſacra communione paratum ſit vas, quod formam calicis non præ ſe ferat, ex quo ſumatur ablutio poſt communionem euchariſtiæ.

## DE MISSA.

*Titulus vigeſimus tertius.*

INSTITUENS Chriſtus dominus ſacramentum euchariſtiæ, ejus celebrationem ita dixit diſcipulis, dicens: Hoc facite in meam

A „ commemorationem. Unde apoſtoli poſt aſcenſionem Chriſti tranſmittentes ſua & fidelium cum ipſis convenientium vota, leguntur perſeveraſſe unanimiter in communicatione fractio„ nis panis, D. Paulo dicente: Calix benedi„ ctionis cui benedicimus, nonne communica„ tio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini eſt? In miſſa igitur, quæ ſacrificium propitiatorium exiſtit, & commemorationem immenſæ beneficentiæ ſuæ teſtamenti Chriſti continet, & celebrationem corporis & ſanguinis illius, hæc ſervanda cenſuit ſynodus.

*Matth. 26. Act. 2. 1. Cor. 10.*

### Canon I.

B In miſſa offerantur & conſecrentur panis & vinum aqua mixtum, nunquam aut ſolum vinum, aut ſola aqua.

*In dec. ... ſeſſ. 22. in doctrina de ſacrif. miſſæ & can. 9.*

### Canon II.

In miſſa ſicut in reliquo officio regulæ pontificalis, miſſalis, & breviarii, exacte ſerventur.

### Canon III.

Miſſa vivis & defunctis prodeſt: quia æque ſunt membra Chriſti. Qui ſecus crediderit, anathema ſit.

### Canon IV.

C Miſſam non celebret niſi digne præparatus ſacerdos: ab ejus celebratione prohibeantur hæretici, ſchiſmatici, confidentiarii, concubinarii, apoſtatæ, excommunicati, errones & vagi qui literas commendaticias, & formatas a ſuo paſtore non habuerint, unoque nomine omnes quavis de cauſa irregularitatem incurrerint, aut notorii peccatores, ſi per ſententiam declarati ſint, vel ita eorum crimina innoteſcant, ut nulla tergiverſatione celari poſſint. Si tamen contigerit ejuſmodi ſacerdotes miſſam celebrare, non ideo minus exiſtiment Chriſtiani D ſacramentum confici, quia non virtute ſacerdotis, ſed ipſa verborum Chriſti vi, accedente ad eam miniſtri intentione, conficitur ſacramentum.

*Concil. Trid. ſeſſ. 22. in decr. de ed. miſſæ.*

### Canon V.

Miſſa, neque in prophanis locis, neque in privatis domibus celebretur.

*Idem de obſerv. & evitandis in celebr. miſſ. & conc. Agath. c. 21. 61.*

### Canon VI.

Moneantur fideles a ſuis parochis & prædicatoribus, ut frequenter interſint ſollennibus eccleſiæ precibus & concionibus in ſuis eccleſiis, ſaltem diebus dominicis & majoribus fe- E ſtis.

### Canon VII.

Interdicit hæc ſynodus omnibus parochis & presbyteris ne res prophanas, literas & actus judiciales aut quid ſimile inter miſſarum ſolennia, vel alio quovis tempore in eccleſiis legant, ſed id præconibus & lictoribus relinquant, qui pro foribus eccleſiarum res indicendas, ſi videbitur, publicabunt: Non enim decet ſacerdotem ſæcularia negotia tractare.

Ca-



ANNO CHRISTI 1584.

### Canon VIII.

Non celebretur miſſa parœcialis ad nutum nobilium aut laicorum, ſed conſueta & opportuna hora.

### Canon IX.

*Concil. Colon. ſub Adolpho 3.*

Provideant epiſcopi, & eccleſiarum rectores ne ſimul & tumultuarie plures miſſæ privatæ, ſed certo ordine & variis horis celebrentur. Quod ſi eodem tempore pluribus locis miſſa celebranda ſit, rationem ineant epiſcopi, aut ſuperiores, ne ſacerdotes inter ſe alius ab alio perturbentur.

### Canon X.

*Concil. Trid. ſeſſ. in decr. de obſerv. in celebr. miſſæ & ſeſſ. 14. c. 7. de reform.*

Parochi per ſe, aut per prædicatores idoneos aliquam particulam myſteriorum miſſæ & evangelii, populo ſingulis diebus dominicis & feſtis ſolennibus exponant.

### Canon XI.

Ad elevationem corporis Chriſti accendatur lumen, & campana pulſetur.

### Canon XII.

Dum miſſæ ſolennes in eccleſiis dicuntur, aut concio publica habetur, privatæ miſſæ differantur.

### Canon XIII.

In celebratione miſſæ, omnes ritus & ceremoniæ quæ in miſſalibus præſcribuntur, exacte & religioſe obſerventur, nec quicquam addatur, aut detrahatur.

### Canon XIV.

Sacerdotes non celebrent operto capite, niſi infirmitas urgeat.

### Canon XV.

Non memoriter dicatur miſſa, nec a cæcis.

### Canon XVI.

Ut paratiores ſacerdotes ad celebrationem miſſæ accedant, confiteantur peccata ſua quoties celebraturi ſunt, aut ſaltem ſingulis hebdomadis: Teneantur autem confiteri, quoties ſe in peccato mortali conſtitutos agnoverint.

### Canon XVII.

Celebraturi ſuper altare nihil reponant, neque pileum, neque veſtimentum, neque librum, præter miſſale.

## DE ORDINE.

*Titulus vigeſimus quartus.*

CUM legem Chriſti domini dumtaxat adumbrarit lex Moſis, & ſacrificii miniſtros habuerit, Levitas, ſacerdotes, & pontifices: æquum eſt etiam legis evangelicæ ſuos quoſdam eſſe miniſtros, qui & altari ſerviant & miniſteria diſpenſent. Inſtituit enim Chriſtus dominus duodecim apoſtolos eccleſiæ ſuæ miniſtros, diſpenſatores verbi ſui, & ſacramentorum, qui-

A bus poſtea ſecundi ordinis ſeptuaginta duos diſcipulos adjunxit: quorum opera totum mundum illuſtravit. Quod igitur Aaron & filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc epiſcopi, presbyteri & diaconi in eccleſia ſibi jure vendicant. De ordine igitur hæc ſanxit ſynodus.

*D. Hier. ad Oce. 41.*

### Canon primus.

Celebrentur ordines publice, & in oculis omnium, die, loco & temporibus ab eccleſia præfinitis.

*Trid. ſeſſ. 23. de reformat. can. 7.*

### Canon II.

B Cujuſque ordinis myſterium & ratio explicetur, ut inde ordinem ſuum revereri unuſquiſque diſcat, ejuſque dignitatem omnes ſuſpiciant.

### Canon III.

Nemo admittatur ad eccleſiaſticum beneficium aut ordinem, niſi prius diligenter examinatus & probatus cujuſcumque conditionis extiterit.

### Canon IV.

Ætates & qualitates ordinandorum ſerventur ſecundum jus canonicum & conciliorum decreta.

### Canon V.

C A jejunis & confeſſis tantum recipiantur ordines. Tonſura autem clericalis, quovis tempore opportuno & convenienti, pro more eccleſiæ.

### Canon VI.

Liceat epiſcopis familiares, & domeſticos ſuos ordinare, ſine literis dimiſſoriis: dummodo per triennium apud eos vixerint: ſive ad titulum patrimonii quod ad vitam eis ſubſtentandam honeſte ſufficiat, ſi modo epiſcopus ita judicaverit eos ordinandos pro neceſſitate vel commoditate ſuarum eccleſiarum: quibus eccleſiis ad- D ſcribere eos debebit, ut ibi ſuo fungantur munere: ſive ad titulum beneficii quod re ipſa illis conferre teneatur, juxta concilii Tridentini præſcriptum.

## DE CLERICIS.

*Titulus vigeſimus quintus.*

CLERICOS ex nomine ſuum ordinem agnoſcere æquum eſt, qui pro ſorte & hereditate dominum elegerunt, abjecto mundo, & deſpectis Satanæ pompis: profitentur „ enim hoc Davidicum, Dominus pars here„ ditatis meæ. Hos ergo canones ad eorum vi- E tam & mores componendos e ſacris conſtitutionibus ſelegit ſynodus.

*Pſalm. 15.*

### Canon primus.

Quicumque ſacris initiati ſunt, aut beneficia etiam ſimplicia obtinent, eo veſtitu atque habitu corporis utantur, quo ſuum ordinem teſtentur.

*Carth. conc. 4. cap. 4.*

### Canon II.

Clerici omnes tonſuram gerant, crines calamiſtratos, ac retortos non habeant, veſtibus tala-

ANNO CHRISTI 1584.

talaribus utantur, ita ut manicas non ab humeris dependentes, nec diſſectas, ſed brachiis indutas habeant.

*Canon* III.

Sericeis indumentis, alteriuſve quam nigri coloris omnes eccleſiaſtici abſtineant, iis exceptis, quibus id ratione dignitatis conceſſum eſt.

*Canon* IV.

Induſiis ſive camiſiis ad collum vel manus criſpatis, aut exquiſite elaboratis non utantur, nec caligis, aut thoracibus tumentibus, diſſectis, artificioſeque ornatis.

*Canon* V.

Pileum quadratum ſive birretum ſemper gerant in eccleſia, & extra eccleſiam, niſi quoties cæli injuria urgebit. Denique tale temperamentum in univerſo corporis cultu adhibeant, ut ſordes æque ac immoderatam elegantiam vitent.

*Canon* VI.

Nunquam perſonati ſint: a comœdiis, mimis, choreis ac ſaltationibus agendis atque ſpectandis abſtineant.

*Canon* VII.

Aleam, teſſeras, chartas, omnes ludos vetitos, comeſſationes ac inverecunda convivia, mercatus, ac nundinationes, tabernas, ac diverſoria, præterquam in itinere, devitent: præcipue vero ab omni quæſtu, qui uſuram redoleat, abhorreant.

*Canon* VIII.

Nemo clericus aut beneficium obtinens laicis miniſtret, aut laicorum ſit procurator, diſpenſator, promus, cellarius, coquus, auceps, venator, feminarum aſſecla: prophanis denique negotiis nemo ſe immiſceat, neve alienorum prædiorum conductor, colonus aut redemptor ſit.

*Canon* IX.

*Tit 3. can. 13. Matt. c. 5. 10. Act. 3. can. 31.*

Odium, lites, jurgia, blaſphemias, perjuria, obſcœnitatem verborum, paraſiticam aſſentationem, ſcurrilitatem, dicacitatem omnes fugiant.

*Canon* X.

Si quando illis neceſſitas litigandi incubuerit, non pertrahat clericus clericum ad judicium ſæculare, ſed tantum ad epiſcopale: ne eorum dedecus laicis ſit ſcandalo: ſed cauſæ componantur: qui contra fecerint, legitimis pœnis ſubjaceant.

*Canon* XI.

Clerici, laicis, decurionibus, municipibus, provinciarum rectoribus, conſulibus, aut aliis quibuſcumque perſonis, nihil perſolvant contributionis nomine, niſi cum epiſcopi & deputatorum cleri, qui ei adſunt, conſenſu. Sciant enim ſe immunes eſſe nec ulli mancipatos, niſi Dei obſequio: Laici, qui id extorſerint, excommunicentur.

DE SACERDOTIBUS.

*Titulus vigeſimus ſextus.*

CLERICI qui ab epiſcopo in ſervorum Dei numerum adſcribuntur, mundo & pompis ejus renunciant: multo magis decet ſacerdotes, qui altiora tractant, ſacramenta eccleſiæ miniſtrant, mentes a mundo, & iis quæ ſunt mundi omnino abducere. In hunc enim finem Chriſtus dominus apoſtolos de mundo non eſſe dixit; cum tamen eos de mundo elegiſſet. Idcirco ne ad terrena deſideria revertantur qui ſemel ſacerdotes facti ſunt, hæc decernit ſynodus illis ſervanda. *Joan. 15.*

*Canon primus.*

Nullus ſacerdos abſque ſufficienti titulo ſive patrimoniali ſive eccleſiaſtico, aut quomodocumque legitimo & idoneo, (ſervatis iis quæ a concilio Tridentino continentur) ordinetur, ne eum inopia ad malos mores & actus improbos per carnis infirmitatem traducat.

*Canon* II.

Sacerdos in illa eccleſia permaneat ſub cujus titulo promotus fuit, nec cauponariam permutationem beneficiorum exerceat. Qui autem titulum beneficii in gratiam promotionis ſuæ tantum acceperit cum conditione de eo reddendo, tam ipſe quam qui in fraudem eccleſiæ ei reſignarit, a ſuo gradu & ordine dejiciantur.

*Canon* III.

Nullus peregrinus ſine commendatitiis literis ſui epiſcopi ad divina celebranda & ſacramenta adminiſtranda admittatur.

*Canon* IV.

Sacerdos ſaltem intra tres menſes a ſua conſecratione miſſas celebret. Quod ſi non fecerit, in jus vocetur a promotore epiſcopi, ut ſui defectus cauſam reddat: ſi contumax remanſerit, excommunicetur & ab ordine removeatur.

DE MATRIMONIO.

*Titulus vigeſimus ſeptimus.*

„ AIT dominus: Relinquet homo patrem „ ſuum & matrem, & adhærebit uxori „ ſuæ, & erunt duo in carne una. Quos Deus „ conjunxit, homo non ſeparet. Diſſolvi ergo legitimum matrimonium non poteſt. *Gen. 2. Matth. 19.*

*Canon* I.

Si quis matrimonium ſacramentum eſſe evangelicæ legis negaverit, anathema ſit: cum dicat D. Paulus, Sacramentum hoc magnum „ eſt, ego autem dico in Chriſto & eccleſia. *Eph. 5.*

*Canon* II.

Cum lege matrimonii duo ſint in carne una, ſi quis plures uxores ſimul introducendas dixerit, tanquam conjugalis caſtitatis effractor excommunicetur. *Gen. 2.*

*Can-*



ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* III.

*Conc. Trid. ſeſſ. 24. de ref. matrim. cap. 1.*

Proclamationes ter fiant ante celebrationem matrimonii tribus diebus dominicis aut feſtivis inter miſſarum ſolennia: clandeſtina prohibentur ſub pœnis a jure & ſacris conciliis conſtitutis: ipſumque concilii Tridentini decretum de clandeſtinis matrimoniis in ſingulis parochiis per totam provinciam quam primum, juxta ejuſdem concilii præceptum, publicetur.

*Canon* IV.

*Concil. Trid. ſeſſ. 8. de ſacram. Matri. cap. 1.*

Intra gradus ab eccleſia prohibitos matrimonium ſcienter contrahentes ſeparentur, & excommunicati denuncientur.

*Canon* V.

Fiat benedictio nuptialis a proprio parocho, aut alio ſacerdote de ipſius parochi aut ordinarii licentia, in facie eccleſiæ in miſſa, ab aurora uſque ad meridiem: duobus ſaltem aut tribus teſtibus idoneis præſentibus, non poſt prandium, neque noctu, neque in privatis domibus.

*Canon* VI.

Per proprium parochum, aut ejus vicarium, ſeu quovis modo deputatum benedicantur qui matrimonium contrahunt. Laici vero aut ſacerdotes extranei, qui matrimonia celebrare attentarint, excommunicentur.

*Canon* VII.

Præmoneantur qui nuptias ineunt ut ſaltem triduo ante matrimonium confiteantur peccata ſua, & euchariſtiam recipiant.

*Canon* VIII.

Alta voce pronuncientur verba ſolennia quibus matrimonia concipi ſolent, ad vitanda repudia: ne matrimonio conſummato dicant conjuges ſe aut ex conditione tantum nupſiſſe, aut non intellexiſſe.

*Canon* IX.

Doceantur qui matrimonio conjunguntur, thorum immaculatum in matrimonio cuſtodire, & vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & non in paſſione deſiderii, & de ceteris officiis quæ ad matrimonii fidem cuſtodiendam pertinent.

*Canon* X.

Adulteri & concubinarii cujuſcumque ſtatus, dignitatis aut conditionis anathemate feriantur donec reſipuerint.

*Canon* XI.

Omnes cujuſcumque ordinis, gradus, dignitatis & conditionis, qui nupturis vim intulerint, aut matrimoniorum libertatem impedierint, ſe auctoritate eccleſiæ excommunicatos eſſe noverint.

*Canon* XII.

Advenæ ignoti ad matrimonium non admittantur, niſi prius de eorum ſtatu & qualitate conſtet, & de epiſcopi licentia.

*Canon* XIII.

Non admittatur matrimonium inter eos qui cognationem ſpiritualem inierint, ſeu per baptiſmum, ſeu per confirmationem. *30. qu. 3. c. ubi.*

*Canon* XIV.

Non contrahantur matrimonia temporibus ab eccleſia prohibitis, videlicet ab adventu domini uſque ad diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum uſque ad octavam paſchatis incluſive: qui ſecus fecerit, ſacerdos ab ordine removeatur, laici excommunicentur.

DE EXTREMA UNCTIONE.

*Titulus vigeſimus octavus.*

QUIA adverſarius noſter tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: & præſertim morientibus inſtat, & inſidias tendit, ac nititur recordatione peccatorum e fiducia miſericordiæ divinæ eos dejicere: convenientiſſime eccleſia ex Chriſti domini inſtituto, & beati Jacobi apoſtoli mandato migraturis ex hac vita extremæ unctionis remedio providit. *1. Petr. 5. Marc. 6.*

*Canon primus.*

Adminiſtretur tempeſtive a ſacerdote extrema unctio olei ſancti, ita ut Chriſtianus mente adhuc integra ſacramenti efficaciam agnoſcere poſſit.

*Canon* II.

Doceantur infirmi eam percepturi, quis ſit ejus fructus, & non eſſe expectandum ad eam ſuſcipiendam finem vitæ.

DE SEMINARIIS MAJORIBUS & minoribus, ſcholis, & univerſitatibus.

*Titulus vigeſimus nonus.*

QUANDOQUIDEM hactenus bellorum injuria, tota hæc provincia ita afflicta eſt, ut vix officio divino & victui clericorum ſufficere poſſint eccleſiaſticæ facultates, dirutis baſilicis, & maxima patrimoniorum parte ab hæreticis occupata: ob eas cauſas, aliaſque multas quas hic enumerare longum eſſet, hactenus non potuerunt inſtitui ſeminaria. Quamquam non deſunt quibuſdam in urbibus collegia ab eccleſiis inſtituta, & proprio patrimonio dotata, quæ inſtar ſeminariorum ſunt. Verum hæc ſynodus tam pium opus pro viribus cupiens promovere, & conciliorum decreta ſervare, ſtatuit ut epiſcopi & alii eccleſiaſtici, omnes modos & rationes aperiant, quibus commode & abſque præcipuo divini officii diſpendio ac diminutione ubique ſeminaria inſtituantur, & quæ ad ſeminariorum erectionem opportuna unuſquiſque eorum judicaverit, ea ad proximum provinciale concilium deferat. Ii tamen, quibus interea ſeminariis inſtituendis facultates ſuppetent, operi manum admovere poterunt.

*Canon primus.*

Juvenes ad majora ſeminaria in liberalibus diſciplinis inſtituendi non admittantur, niſi prius

per

ANNO CHRISTI 1584.

per doctores & magiſtros probata eorum fide, & prima inſtitutione.

*Canon* II.

Hoc autem ut fiat, ipſorum ſeminariorum doctores & magiſtros, cum ad eorum adminiſtrationem admittentur, fidei ſuæ rationem reddere vult hæc ſynodus: eamdem fidem eos vult iterum profiteri coram reformatoribus, quoties ab eis exegerint.

*Canon* III.

In omnibus academiis in quibus utriuſque juris ſtudia inſtituta ſunt, jus canonicum publice prælegatur.

*Canon* IV.

Rectores parœciarum teneram juventutem & rudem populum doceant fidei rudimenta, rationem catholice vivendi, orandi, & peccata confitendi, idque diebus dominicis, & hora opportuna.

*Canon* V.

*Pueros eligant, quos doceant, ſacrificio miſſæ aliiſque divinis officiis inſervire.*

*Canon* VI.

Puellarum inſtitutioni præficiantur probatæ viduæ, aut matronæ quæ eas religioſe vivendi formam, & legendi rationem ſtudioſe doceant.

## DE JURISDICTIONE.

*Titulus trigeſimus.*

CHRISTUS dominus aſcendens in cœlum apoſtolis, atque eorum ſucceſſoribus dedit ligandi ac ſolvendi poteſtatem. Hinc eccleſia duplici clave utitur, ſcientiæ & juriſdictionis, circa quam hæc ſynodus ſtatuit ut ea omnia ſerventur, quæ comprehenſa ſunt ſtilo ex ipſius ſynodi decreto nuper repurgato, ad quem ſtylum eos remittit ſynodus, qui materiam juriſdictionis accurate tractatam percipere volent: decernens ut quæcumque in memorato ſtilo deſcripta ſunt ab omnibus per univerſam provinciam perpetuo ſerventur.

*Ambr. ſer. 66. de natal. apoſt. Petri & Pauli. Joan. 21.*

## DE EXCOMMUNICATIONE.

*Titulus trigeſimus primus.*

GRAVE telum eccleſiæ in hoſtes Chriſtianæ religionis, publicos & pervicaces peccatores, injecerunt apoſtoli: quo ab eccleſia tamquam membra putrida reſecti ſunt qui ea indignos ſe præbebant: Cum ergo ejus uſus adeo ſerius ſit, ut non ſine magno animi mœrore, quin potius coactus D. Paulus apoſtolus eo remedio uſus ſit.

*1. Cor. 5. 1. Tim. 1.*

*Canon* I.

Excommunicationis pœna magno cum judicio & non niſi gravioribus in cauſis utantur epiſcopi, nec levi de cauſa cenſuram eccleſiaſticam adhibeant, & ipſi de cauſis judicent, & ad id præſtandum ſola conſcientia, & rei gravitate, non vi, aut cujuſquam auctoritate compellantur.

*Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform.*

ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* II.

Excommunicationem ſemper præcedat trina monitio, ne temere decernatur: cum omnium pœnarum, quas peccatoribus eccleſia infligit, ſit maxima.

*Canon* III.

Cum excommunicato qui obſtinatus in excommunicatione permanſerit, nemo verſetur, aut cibum ſumat, aut contrahat, ut ſaltem hac ſocietatis humanæ privatione ad reſipiſcentiam cogatur.

*In decret. Calixti PP. in epiſt. ad epiſcopos Galliæ.*

*Canon* IV.

Qui notorie excommunicati migrant ex hac vita, priventur ſepultura Chriſtiana, ſicut hæretici & ſchiſmatici.

## DE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS.

*Titulus trigeſimus ſecundus.*

ARCHIEPISCOPOS & epiſcopos, apoſtolorum ſucceſſores eſſe legitimos non ambigit, qui Spiritu ſancto duce eccleſiæ Chriſti ſeriem ab ejus aſcenſione continuam agnoſcit: hi ſunt enim quibus ducibus Spiritus ſanctus regit eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo: Hi ſunt qui pro patribus apoſtolis nati ſunt filii ad eccleſiam in Chriſti doctrina regendam ac fovendam: Quibus cum præſertim incumbat cura gregis Chriſti, & ſint veluti in ſpecula conſtituti, ut omne malum a grege avertant, de illis hæc præcipit ſynodus.

*Act. 20. Pſal. 44.*

*Canon* I.

Vacante ſede epiſcopali fiant preces publicæ, ut Deus in cujus manu ſunt corda hominum, & bonum & idoneum paſtorem populo ſuo indulgeat, & ſupplicationes publicæ a capitulis indicantur: in quibus de neceſſitate boni paſtoris concio habeatur ad populum.

*Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.*

*Canon* II.

Epiſcopi admiſſi a ſanctiſſimo domino noſtro papa, intra tres menſes conſecrentur.

*Ibidem de reform. c. 2.*

*Canon* III.

Epiſcopi conſecrati, quam primum poterunt, eccleſiam ſuam adeant.

## DE VISITATIONE, PROCURATIONE, & perſonis quibus tradita eſt poteſtas viſitandi.

*Titulus trigeſimus tertius.*

NOn ſine cauſa apoſtolus ait ad paſtores, „Attendite vobis & univerſo gregi, in „quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo. Ut enim vitis diligenter exculta uberiorem fere fructum, ſic eccleſia quam viti confert dominus, diligenti paſtorum cura repurgatur.

*Act. 20.*

Canon



ANNO CHRISTI 1584.

*Canon primus.*

Epiſcopi quotannis viſitent ſingulas eccleſias ſibi ſubditas, & alias etiam exemptas, quarum viſitatio ex facultate a ſacris canonibus tributa ipſis incumbit. Quod ſi unius anni ſpatio perficere non poterunt, continuetur viſitatio in ſequentes annos.

*Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 3. Conc. Tolet. 4. cap. 35.*

*Canon* II.

Verbum Dei prædicent populo, aut prædicari curent, dum viſitant, ad animos hominum erroribus expurgandos.

*Canon* III.

Inquirant viſitantes in vitam & mores, præſertim eccleſiaſticorum, ut eos corrigant.

*Canon* IV.

Epiſcopi dum viſitant hoſpitalia, collegia & ſcholas, imprimis opera pietatis curent, executionem teſtamentorum, ac omnia quæ ad Dei cultum, animarum ſalutem, & pauperum ſuſtentationem pertinent.

*Canon* V.

Archidiaconi & alii inferiores, qui jus viſitandi habent, acta viſitationis ſuæ per ſcribam idoneum excipiant, eaque intra menſem ad epiſcopum perferant.

*Canon* VI.

Solvantur antiqua aut conſueta jura, cum viſitationum tum procurationum, epiſcopis, decanis, capitulis, archidiaconis, archipresbyteris & aliis quibus debentur: Et ad illorum præſtationem omnes cenſuris eccleſiaſticis compellantur.

*Canon* VII.

Jura ſynodalia, cathedratica, epiſcopalia, & quævis alia antiqua, aut conſueta eccleſiaſticis cujuſcumque dignitatis, ordinis, gradus & conditionis exiſtant, integre perſolvantur ſub pœna excommunicationis: quam ſi neglexerint, extraordinarie puniantur.

## DE CANONICIS ET CAPITULIS.

*Titulus trigeſimus quartus.*

CANONICOS, qui ad hoc inſtituti ſunt, ut exemplo Levitarum in eccleſiis certis & frequentibus horis Deum orent, & ei laudes canant, & ſacra myſteria peragant, pura mente & corpore Deum colere oportet: ut dum pro omni populo Deum precantur, ei imprimis accepti ſint, & luceat lux eorum coram hominibus.

*Canon primus.*

Moneantur epiſcopi & capitula eccleſiarum, quæ jus electionis, collationis, aut proviſionis habent, ut neminem ad canonicatus ſeu præbendas admittant, niſi quem natalibus, ætate, moribus, & doctrina competenti præditum agnoverint.

*Concil. Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 2.*

ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* II.

Compellantur canonici ab epiſcopis, aut capitulis, intra annum a die receptionis, ubi ætatem idoneam attigerint, ſacrum ſubdiaconatus ordinem ſuſcipere, reliquoſque intra tempora ſacris canonibus conſtituta adipiſci. Si tamen in quibuſdam eccleſiis nonnullæ præbendæ ſubdiaconis deſtinatæ ſint, conſuetudo ſervetur.

*Canon* III.

Sciant omnes qui bona eccleſiæ poſſident, & iis utuntur, ſi officium ſuum non impleverint, aut ab eccleſiaſtico ordine defecerint, ſe ad eorum reſtitutionem teneri: quod cuique in ſua receptione ſignificetur, idque in eorum inſtitutione jure jurando præſtito promittant.

*Canon* IV.

Si non ſit ſufficiens redditus canonicis, provideat epiſcopus, ſive per ſuppreſſionem præbendarum, ubi magnus erit earum numerus, ſive per unionem ſimplicium beneficiorum non regularium, ut iis proventus competenter augeatur.

*Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 15. de reform.*

*Canon* V.

Cum ad conſervandam & augendam eccleſiaſticam diſciplinam inſtitutæ ſint eccleſiarum præſertim cathedralium dignitates, ad eas neminem admittant deinceps epiſcopi & capitula, niſi morum & doctrinæ ſufficientia commendabilem, & gradu theologiæ aut juris canonici inſignitum.

*Ibid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.*

*Canon* VI.

Dignitates & officia, quæ ſcholaſteriæ, vel cancellariæ dicuntur, deinceps iis tantum conferantur, qui vitæ & doctrinæ ſinceræ teſtimonio probati ſint, & doctores aut licentiati in ſacra theologia, aut ſaltem in jure canonico: qui etiam fidei ſuæ profeſſionem coram epiſcopo & capitulo emittant.

*Canon* VII.

In ſingulis eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, in quibus canonicus theologus inſtitutus fuerit, teneatur bis, aut ſemel ad minus in hebdomada prælegere, & diebus dominicis ac feſtis ſolennibus concionem publicam habere. Concionanti autem illi & prælegenti teneantur adeſſe omnes dignitates, canonici & alii eccleſiæ cathedralis & totius civitatis eccleſiaſtici, ſub pœnis indicendis: graviore autem pœna plectentur qui ſemel atque iterum moniti abfuerint.

*Canon* VIII.

Canonicis non liceat in domibus ſuis extraneos & laicos etiam cognatos, præſertim mulieres recipere, aut iis domos quas in clauſtris ſuarum eccleſiarum habent locare, neque etiam extra clauſtra, præſertim in domibus laicorum habitare.

*Canon* IX.

Canonici, convenientes ad capitula, primum tractent de celebratione officii divini, & quoſcumque defectus delinquentium corrigant, tum de temporalibus negotiis ſtatuant.

ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* X.

Non conveniant in capitula diebus feſtis, nec aliis, tempore majoris miſſæ. Qui illis diebus & horis capitula indixerit, illius diei diſtributionibus careat: qui vero ex ejus mandato convenerint, pari pœna puniantur: & quæ ab illis definita fuerint, irrita & nulla cenſeantur.

*Canon* XI.

Capitula ſeu loca illa in quæ conveniunt canonici, ab eccleſia ſint ſegregata, ne divinum officium perturbetur.

*Canon* XII.

Legantur ſingulis annis in capitulis generalibus capitulorum ſtatuta, quod ſi in quibuſdam eccleſiis bellorum injuria, aut caſu aliquo fortuito perierint, auctoritate epiſcopi aut ſuperioris nova condantur.

## DE RECTORIBUS ECCLESIARUM parochialium.

*Titulus trigeſimus quintus.*

*Matth. 15.*

SCRIPTUM eſt, Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt: ideo abſurdum eſt cæcis cæcos duces præficere: quapropter iis animarum Chriſtianarum cura committenda non eſt, qui mente cæci, ſuis affectibus præcipites per ſcelera volutantur. Sed ii ſunt deligendi qui ſibi ipſis imperare norint, quique doctrina & moribus, ceteris præluceant.

*Canon primus.*

*Trident. ſeſſ. 7. de reform. c. 3. & ſeſſ. 8. de reform. c. 12.*

Curati non inſtituantur niſi idonei, & ab epiſcopo probati, & viginti quinque annos nati, & juxta formam a concilio Tridentino præſcriptam.

*Canon* II.

Rectores eccleſiarum parochialium manuale ſemper præ manibus habeant, quo poſſint de his quæ ſunt ſui miniſterii rationem reddere.

*Canon* III.

*Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 4.*

Curent ut pœnitentiæ & aliis ſacramentis adminiſtrandis idonei ſacerdotes ſubſtituantur: confeſſionibus vero audiendis præficiantur doctiores ad eum numerum, quo populo ſatis ſit: & ad id eos cogant epiſcopi, cum opus erit.

*Canon* IV.

Curati poſſeſſione adepta, ordines ſacros ſecundum tempora a canonibus conſtituta ſuſcipere non differant, ut miniſterium ſibi creditum quam citiſſime per ſeipſos adimplere poſſint, ſub pœnis a jure conſtitutis.

*Canon* V.

*Ibid. ſeſſ. 23. c. 1. de reform.*

Reſideant, ut miſſas parochiales per ſeipſos celebrent, & ſuo muneri ſatisfaciant.

*Canon* VI.

*Ibid. ſeſſ. 21. c. 6.*

Iis qui ſuum munus perficere & exequi per ſe non poſſunt, ſubſtituat epiſcopus idoneos vicarios.

*Canon* VII.

*Ibidem c. 4.*

Parœcias, in quibus eſt numeroſior populus, dividant epiſcopi, ſi id neceſſitas poſtulet, & commode fieri poſſit, ut facilius omnes fideles ſpiritualem alimoniam in diverſis locis recipiant.

*Canon* VIII.

Monaſteriis præfecti, qui jus præſentandi habent, occurrente parœciarum ſibi ſubditarum vacatione, curatos idoneos nominent epiſcopo, qui in illis divina officia celebrare, verbum Dei prædicare, ſacramenta digne adminiſtrare poſſint, nec monachi ad munus parœciæ admittantur.

*Canon* IX.

Abbates, priores, capitula, & alii ad quos parœciales eccleſiæ primo vel primitivo jure pertinent, officium debitum & conſuetum, & celebrationem miſſarum, & horarum per ſe aut per idoneas perſonas ſuis ſumptibus in iis exequi cogantur.

*Canon* X.

*Conc. Lat. ſub Innocen. III. cap. 7.*

Monachi beneficiis curatis non præficiantur, ſed ſæcularia ſæcularibus, & regularia regularibus tantum conferantur.

*Canon* XI.

*Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 12. Exod. 22. 23. Levit. 27. Num. 18. Tobiæ 1. Malach. 3.*

Inquirant epiſcopi, archidiaconi, aut alii eorum nomine viſitantes in eos, qui decimas quas debent, aut in rem ſuam vertunt, aut quoquo modo non ſolvunt; aut ſolvere volentes impediunt: Hi autem cujuſcumque ſint gradus, aut conditionis, auctoritate epiſcopi excommunicentur. Contumaces, judici ſæculari denuncientur.

*Canon* XII.

Ubi parochialium eccleſiarum fructus adeo ſunt tenues, & exigui, ut ad alimoniam curatorum ſufficere non poſſint, curabunt epiſcopi alia quæcumque beneficia, modo non ſint regularia, hujuſmodi eccleſiis annecti & uniri. Quod ſi ea ratione illis conſuli non poſſit, iidem epiſcopi efficient ut per primitiarum, aut congruæ portionis aſſignationem, ex omnibus decimis eccleſiaſticis quæ in illis parœciis colliguntur, aut per parochianorum ſymbola & collectas, aut qua commodiore eis ratione videbitur, ita earumdem eccleſiarum redditus augeantur, ut rectorum neceſſitatibus ſufficiant, & inter viſitandum quam ſummarie fieri poterit opportunis remediis illis conſulatur.

*Canon* XIII.

Parochi ſeu curati in aliis eccleſiis, vicariorum munus non exerceant, ſed in propriis eccleſiis ſuo munere fungantur, & avaritiæ, aut turpi quæſtui non ſtudeant.

Ca-



ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* XIV.

Fabriciani aut quæſtores collectarum, quæ pro defunctis fieri ſolent, curato rationem reddant, & pecunias inde provenientes ſingulis diebus eidem & aliis presbyteris, pro ea parte, quæ ſingulos contingit, bona fide perſolvere compellantur.

*Canon* XV.

Presbyteri & alii clerici qui in parœciis ſunt, aut in iis domicilium habent, publico eccleſiæ parochialis officio cum habitu decenti, pileo quadrato, & ſuperpelliciis interſint, ac cum rectore miſſas matutinas & alias horas celebrent: alioqui eccleſiæ commodis & proventibus eo ipſo ſint privati, quod ſi contumaces extiterint, excommunicentur.

*Canon* XVI.

Si qui parochi domos non habebunt, curent epiſcopi ut parochianorum expenſis exſtruantur.

## DE BENEFICIIS.

*Titulus trigeſimus ſextus.*

FUERUNT ab initio naſcentis eccleſiæ inter Chriſtianos omnia communia, & proiciebant Chriſtiani pretia rerum ſuarum ad pedes apoſtolorum: qui mos ad Urbani primi tempora perſeveravit. Sed cum animadverterent prudentes pontifices pecuniarum uſum fragilem eſſe, ne miniſtris eccleſiarum & pauperibus victus deficeret, ſancto concilio receptum eſt, ut patrimonia eccleſiis aſſignarentur, ne, dum egeſtate

*1. Cor. 9. Luc. 10. 1. Tim. 5.*

compulſi miniſtri eccleſiæ victum quæritarent, ab eccleſiæ miniſterio diſtraherentur: Quia ſcri-
„ ptum eſt, Non eſſe alligandum os bovi tri-
„ turanti: Et ait apoſtolus, Dignum eſſe ope-
„ rarium mercede ſua.

*Canon primus.*

*Diſt. 18. can. ſi quis Conc. Trid. ſeſſ. 21. can. 3. de reform.*

Cum beneficium eccleſiaſticum non otioſis, ſed officium ſuum exequentibus, ſit conſtitutum & propter officium detur beneficium, denuntiat hæc ſynodus omnibus cujuſcumque gradus & conditionis, qui beneficia eccleſiaſtica ſolius temporalis proventus gratia ſuſcipiunt, eos non facere fructus ſuos, ſed ad reſtitutionem teneri.

*Canon* II.

*Ibidem. ſeſſ. 7. c. 2. 3. & 4. de reform.*

Omnes beneficia poſſidentes ad ſuam provinciam rite ſuſtinendam volens excitare hæc ſynodus, ſtatuit, ne quis deinceps plura beneficia parochialia retineat: illi vero qui in præſenti plures parochiales obtinent, quibuſcomque diſpenſationibus, aut unionibus ad vitam, non obſtantibus, una tantum parochiali retenta, alias infra ſpatium ſex menſium omnino dimittant: alioquin intelligant tam parochiales, quam omnia quæ obtinent beneficia, ipſo jure vacare, ex decreto ſacri concilii Tridentini.

*Canon* III.

*Ibidem can. 6.*

Quæ prætextu perpetuæ unionis per ſubreptionem aut obreptionem obtenta fuerint, ea, re comperta, ex auctoritate concilii Tridentini, a locorum ordinariis in veterem ſtatum reſtituantur.



*Canon* IV.

*Ibid. ſeſſ. 25. c. 16.*

Beneficia curata in ſimplicia non convertantur.

*Canon* V.

*Ibid. ſeſſ. 25. c. 8.*

Ne negligenter hæc tam ſancta decreta ſerventur, locorum ordinarii viſitantes, injuſtos poſſeſſores ſubmoveant.

*Canon* VI.

*Pſal. 82.*

Cum damnet ſcriptura eos, qui hereditate poſſidere attentant ſanctuarium Dei, vetat hæc ſynodus ne quis deinceps conſanguineo beneficium cedat ſolius conſanguinitatis ratione: neve hujuſmodi ceſſiones admittantur contra conſtitutionem Pii V. de non admittendis reſignationibus.

*Canon* VII.

In beneficiorum proviſionibus ſeu collationibus nemo ſibi jus patronatus fraudulenter vendicet, ſed omnes qui eo jure utentur, epiſcopis de eo fidem facient, ſecundum formam quæ a concilio Tridentino præſcribitur.

## DE MONASTERIIS, ET DOMIBUS religioſis.

*Titulus trigeſimus ſeptimus.*

*Matth. 4. Matth. 19.*

RELigioſæ vitæ duplex genus Chriſtus dominus docuit, unum anachoreticæ, dum ſolitarius in deſerto oravit, jejunavit, & tentatus eſt in quo præcurſores habuit Ioannem Baptiſtam & Heliam: Alterum cœnobiticæ, dum nec ipſe divitiis ſæculi abundare voluit, nec apoſtolos, niſi qui his renunciarent, admiſit: & communi victu cum illis uſus eſt: docens eos, patri & matri renunciandum, & omnibus quæ in poteſtate eorum erant, ad ſectandam pietatem & religionem: quod perfectionis Chriſtianæ eſt, hanc ſanctitatem ſibi imitandam propoſuerunt anachoretæ, & religioſi cœnobitæ: quorum ſanctis inſtitutis, doctrinis, exemplis, miraculis, eccleſia claruit. Ideo votis eorum favens ſynodus hæc in eorum commendationem ſtatuit.

*Canon primus.*

*Conc. Chalced. c. 23.*

Monaſteria, loca religioſa aut ſacra, in ædificia ſæcularia non convertantur: ſi quæ deformata fuerint & in alios uſus converſa, aut alias diruta, eorum impenſis, qui ea poſſederunt, aut poſſident, & ruinis cauſam dederunt, aut hæredum, in priſtinum ſtatum reſtituantur, & ad id cogantur omnibus rationibus a jure introductis: & ut ſarta tecta in poſterum habeantur, aſſignetur certa ſumma ex reditu annuo, quæ in eam rem ſufficere poſſit.

*Canon* II.

Abbates, priores conventuales, decani & præpoſiti monaſteriorum, intra annum ad ſacrum presbyteratus ordinem promoveantur.



Ca-

ANNO CHRISTI 1584.

### Canon III.

*Trid. ſeſſ. 25. cap. 15.* Votum religionis nemo cujuſcumque ſexus emittat ante decimum ſextum annum ætatis, & niſi prius expleto anno probationis a ſuſcepto religionis habitu.

### Canon IV.

*Trid. ſeſſ. 25. c. 17. 18. 19.* Parentes non cogant liberos ad ſuſcipiendum religionis habitum, aut ad ejus votum emittendum: ſed ii tantum ad illud admittantur, qui libere & ſine ullo metu, aut vi, profitebuntur: coacti cauſa cognita auctoritate epiſcoporum eximantur.

### Canon V.

Literæ monaſticæ profeſſionis, in libro epiſcopali inſinuationum deſcribantur, ne temere qualitas & ordo monachorum & familiarum perturbetur.

### Canon VI.

*Trid. ſeſſ. 25. cap. 12.* Qui religionis votum emiſerint, nihil proprium poſſideant, & omnia vota ſua fideliter cuſtodiant, vivant communi victu, communibus impenſis, communi menſa: eodem dormitorio utantur. Fiatque in eorum menſa ſacræ ſcripturæ lectio, neque diſcedant a monaſteriis, ſine prioris licentia & habitu monachali.

### Canon VII.

Præpoſiti monaſteriorum neminem ſpe lucri, aut hereditariæ ſucceſſionis admittant, nec eorum bona ullo modo affectant.

### Canon VIII.

*Ibid. can. 12.* Monaſteria omnia ad feſta ſuæ diœceſeos celebranda adigantur.

### Canon IX.

Nemo ejiciatur de monaſterio, quantumcumque crimen admiſerit, ſed pro delicti ratione puniatur & corrigatur, ut in melius emendetur, & in apoſtaſiam non incidat.

### Canon X.

Providebunt epiſcopi & alii, ad quos pertinet, intra annum, ut reſtituatur in omnibus monaſteriis antiquus religioſorum numerus, aut ſaltem is quem temporis & facultatum ratio ferre poterit. Et in eum uſum aſſignetur monachis ſingulorum monaſteriorum certa penſio, unde commode vivere, & veſtiri poſſint, niſi eis aliunde aut menſa ſeparata, aut conventione ſufficienter proviſum ſit: mittantur etiam priores cum ſocio ad prioratus, in quibus olim religioſi eſſe conſueverunt.

### Canon XI.

Non liceat religioſis, aut monachis novitios in ſua monaſteria introducere, aut de officiis providere, ſed id totum abbati aut ejus vicario relinquatur. Qui ſecus fecerint, nulla eorum receptionis ratio habeatur.

### Canon XII.

Monachorum profeſſio in conventu & conſeſſu aliorum monachorum a priore clauſtrali, cum illi ab abbate, aut ejus vicario mandatum fuerit, recipiatur: niſi forte ipſe epiſcopus hoc munus implere voluerit.

### Canon XIII.

Si qui abbates, aut priores, lucri captandi, aut rei ſuæ agendæ cauſa, novitios introducere detrectent, auctoritate epiſcopi ad id compellantur: & ſi opus erit, brachii ſæcularis auxilium imploretur.

### Canon XIV.

Recludantur omnes monachi qui ad clauſuram perpetuam ex voto adiguntur.

### Canon XV.

In monaſteriis quibuſcumque divina officia celebrentur horis a regula præſtitutis.

### Canon XVI.

Monachis non liceat ab ordine in ordinem migrare, etiam ſtrictiorem, niſi juris communis diſpoſitione ſervata.

### Canon XVII.

Monachi cujuſcumque ordinis etiam mendicantium qui profeſſionis votum emiſerunt, & tamen adhuc extra monaſteria ſua degunt, ad illa ſtatim redire cogantur: Si neglexerint, poſt monitionem epiſcopi, aut ſuperioris, excommunicentur, &, ſi opus fuerit, extraordinarie puniantur.

### Canon XVIII.

Nemo regularis ad prædicationis & lectionis munus publice aut privatim obeundum admittatur, niſi qui ab epiſcopo de vita, moribus, & ſcientia examinatus & approbatus fuerit.

### Canon XIX.

Religioſorum deficientium a ſtatis horis chori, aut aliter delinquentium, portio non abbati, nec conventui accreſcat, ſed eccleſiæ cultui, aut pauperibus applicetur.

### Canon XX.

Provideant epiſcopi, conſtitutiones de clauſura monialium factas, arctiſſime obſervari & reſtitui.

### Canon XXI.

Nulli ſanctimoniali liceat poſt votum, monaſterium egredi, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex neceſſaria cauſa ab epiſcopo probanda, & expreſſa in conſtitutione felicis memoriæ Pii V.

### Canon XXII.

Monaſteria ſanctimonialium nemini cujuſcumque generis, gradus, conditionis, dignitatis, ſexus vel ætatis ingredi liceat, niſi de licentia epiſcopi aut generalis ordinis provincialis, aut viſitatoris, ad id ſpecialiter deputati, idque dumtaxat in actu viſitandi, quæ licentia non niſi ſcripto concedatur.



ANNO CHRISTI 1584.

### Canon XXIII.

Si quando neceſſe ſit vecturæ, ruinarum reparandarum gratia, aut viſitationis infirmarum, ſæculares monaſterium ingredi, præpoſita & duabus aut tribus ſororibus præſentibus id fiat.

### Canon XXIV.

Cum monialibus nemo colloquatur, niſi per clathros, rotam ſive turnum, idque præſente monaſterii præfecta, aut duabus ſororibus: & ſi quæ literæ ad eas perferantur, vel ab ipſis foras mittantur, a præpoſita perlegantur, ne inde peccandi anſam arripiant.

### Canon XXV.

Sanctimoniales quæ ſunt in monaſteriis extra urbium mœnia conſtitutis, periculis ac incurſionibus pravorum hominum expoſitæ, ſi ita epiſcopo aut ſuperioribus videbitur, intra urbem reducantur.

### Canon XXVI.

Moniales profeſſæ quæ extra monaſteria in hominum conſortio degunt, etiam ſi penes parentes ſint, ſtatim ad illa redeant. Quæ non obtemperaverint, ſciant ſe in apoſtaſiam incidiſſe, & excommunicationis vinculo innodatas eſſe.

### Canon XXVII.

Epiſcopi viſitantes moniales hoſpitalium, de quibus frequenter querimoniæ oriuntur, ad ſua in illis officia adimplenda compellat.

### Canon XXVIII.

Confeſſores monialium, antequam ad ſuum munus admittantur, ab epiſcopis examinentur: & præter confeſſores ordinarios, ab iiſdem alii confeſſores extraordinarii ſeligantur, qui ſingulis annis bis aut ter earum confeſſiones audiant.

### Canon XXIX.

Abbatiſſæ & prioriſſæ non eligantur niſi ætatis idoneæ, neque earum electioni ſeſe laici immiſceant.

### Canon XXX.

Moniales ſaltem ſemel in menſe peccata ſua confiteantur, & euchariſtiam ſumant.

### Canon XXXI.

Provideatur per ſuperiores, ut monialibus verbum Dei in earum monaſteriis frequenter prædicetur.

### Canon XXXII.

Quotieſcumque fratrum religioſorum opera requiritur in monialibus, quæ adverſa valetudine detinebuntur, conſolandis, & ſacramentis adminiſtrandis, duæ aut tres ſorores ſemper præſentes adſint.

## DE REBUS AD ECCLESIAM pertinentibus.

*Titulus trigeſimus octavus.*

### Canon primus.

ANANIAM & Sapphiram divinam ſenſiſſe ultionem ſcriptura teſtatur, quia cum totam ſuam ſubſtantiam eccleſiæ Dei voviſſent, partem ejuſdem ſibi retinuerunt, mentientes Spiritui ſancto: quare eccleſiis donata, nec ab ipſis donatoribus, nec ab eorum heredibus repetantur. Qui contra fecerint, communione priventur. *Act. 5.* *Conc. Aur. 4. can. 14.*

### Canon II.

Legata ſeu donata eccleſiis retinentes, alienantes aut ſubtrahentes, eccleſiæ liminibus, donec ſatisfecerint, ac deinde a ſede apoſtolica abſolutionem obtinuerint, excludantur, cujuſcumque gradus, dignitatis, aut conditionis extiterint. Quæ vero a donatoribus, aut eorum heredibus retinebuntur, ab illis omni via licita vindicentur. *Conc. Aur. c. 14. in decret. Pii I. epiſt. 2. ad Italos Trid. ſeſſ. 22. can. 11.*

### Canon III.

Si autem a clericis ea alienata eſſe contigerit, non patiantur inde eccleſiæ præjudicium, quin potius alienatio ſive permutatio nulla & irrita ſit, quæ non ſervata juris forma facta fuerit. *Aur. 3. c. 59.*

### Canon IV.

Si quæ res eccleſiaſticæ neceſſario alienandæ erunt, aut ſi quæ alia per homologationem confirmanda, eam provinciam epiſcopus ipſe ſuſcipiet, aut ſpeciali reſcripto vicario demandabit: nec ea res in foro ordinario ab officiali tractabitur.

### Canon V.

Fiant inventaria duo omnium reliquiarum, ornamentorum, vaſorum eccleſiaſticorum, quorum unum penes epiſcopum, alterum penes capitulum remaneat.

### Canon VI.

Omnia documenta & inſtrumenta eccleſiaſtica quæ variis hominum manibus habentur, & bellorum injuria ſparſa ſunt, in archivis propriis reponantur, & ſedulo aſſerventur ab iis ad quos pertinet ejus rei cura.

### Canon VII.

Curati & quicumque diebus dominicis & feſtis publice ad populum concionantur, ſignificent uſurpatores jurium ac titulorum eccleſiæ, ut decimarum & fundationum, excommunicationis ſententiam incurriſſe: eos etiam qui dum eccleſiaſtica documenta juſſu epiſcopi aut aliorum præpoſitorum deſcribunt, aliqua ex iis aut eorum partem maligne ſuppreſſerint, iiſdem pœnis ſubjectos eſſe.

ANNO CHRISTI 1584.

## DE BLASPHEMIIS, JUREJURANDO, & perjurio.

*Titulus vigeſimus nonus.*

PROHIBET lex divina nomen Dei ſumi in vanum, multo magis eos execratur, qui adverſus ejus gloriam impias voces proferunt: Inde lege divina & humana conſtitutum eſt. „ Qui protulerit blaſphemiam morte moriatur: „ ideo hæc ſynodus conſtitutiones adverſus blaſphemos renovat.

Levit. 24.

*Canon primus.*

Si quis quoquo modo blaſphemarit in Deum & ſanctos, ſi clericus ſit, deponatur: ſi laicus, communione privetur, & ad judices ſæculares deferatur.

*Canon* II.

Scriptum erat antiquis, non pejerabis, ſed reddes domino tuo ſacramenta tua. Chriſtus autem ſuos docuit non jurare omnino, ne temere homines nomen Dei aſſumant, & ex jurandi conſuetudine via perjuriis aperiatur. Prohibet ergo hæc ſynodus omne jusjurandum, niſi quod ad eliciendam veritatem in judicio requiritur. Si quis temere juraverit, & monitus in idem peccatum reciderit, excommunicetur.

Levit. 9. Exod. 20. Deut. 5. Matth. 5.

*Canon* III.

Non præſtetur juramentum ſuper ſacro-ſanctum corpus Chriſti, ſed ad ſancta Dei euangelia, aut alio in diverſis locis recepto more.

*Canon* IV.

Si quis pejeraverit, & perjurii convictus fuerit, ſi clericus, deponatur, ſi laicus, communione privetur.

## DE SORTILEGIIS, INCANTATIONIBUS, abjurationibus, & ſuperſtitionibus.

*Titulus quadrageſimus.*

SCRIPTUM eſt in lege divina, Maleficos non patieris vivere. &, Omnis anima quæ ierit ad ariolos, morte moriatur. & iterum, Gentes quæ Deum non habent, eunt ad ariolos: tu autem a domino Deo tuo aliter inſtitutus „ es. &, A ſignis cæli nolite metuere, quæ „ timent gentes.

Exod. 22. Levit. 20. Deut. 18. Jerem. 10.

*Canon primus.*

Damnat hæc ſynodus omnes ariolos, incantatores, ſortilegos, & eos maxime qui nomine Dei & rebus ſacris in hujuſmodi ſuperſtitionibus abutuntur. Qui tanti ſceleris convicti fuerint, ſi clerici, ordine priventur, & brachio ſæculari tradantur: laici excommunicentur, & judici denuncientur.

Concil. Antiſſ.

*Canon* II.

Et quia Chriſtiano nomine indignus error noſtro ſæculo inolevit, ut ligationibus, conſi[illegible]ionibus, vinculis & nexibus matrimonia impediantur: hæc ſynodus communione eccleſiæ interdicit omnes eos, qui hujuſmodi ſuperſtitionibus utuntur, monetque fideles ne hujuſmodi commentis fidem habeant, ſed in Deo fiduciam certam conſtituant, nec idcirco matrimonia noctu fiant, ſed in luce & frequentia hominum.

*Canon* III.

Provideant epiſcopi ne prætextu pietatis ulli exorciſmi fiant, niſi qui ab eccleſia probati ſint.

## DE SIMONIACIS, ET FIDUCIARIIS.

*Titulus quadrageſimus primus.*

AIT dominus ad apoſtolos, Gratis accepiſtis, gratis date, & Simon magus, qui gratiam Spiritus ſancti pecunia comparare voluit, in perditionem abiit, quia ut illi a D. Petro recte objectum eſt, ſpiritales theſauros futili pecuniæ pretio emi poſſe impie exiſtimavit. Quæ hæreſis ubi in eccleſia invaluit, probis atque eruditis viris aditus ad beneficia præcluſus eſt. Indeque omnis prope eccleſiaſtica diſciplina collapſa eſt. Jam vero, Simonia matre pejor filia orta eſt, quam confidentiam vocant, noſtro ſæculo ita graſſatur, ut maxima ſacerdotiorum pars quaſi hæreditaria ſit vel oppignerata, vel demum turpiſſima nundinatione inquinata.

Matt. 10. Act. 8.

*Canon primus.*

Qui pro adipiſcendis beneficiis ac penſionibus eccleſiaſticis aliquid dant vel accipiunt: omnes etiam quomodocumque conferentes, reſignantes, & accipientes quæcumque beneficia cuſtodiæ aut fiduciæ nomine, vel ex iiſdem penſiones, ſine ſummi pontificis auctoritate paciſcentes aut percipientes: omnes denique ſeu clerici, ſeu laici, hujuſmodi illicitis pactionibus intervenientes, conſentientes, aut ex iis emolumentum capientes, ſe ſimoniacos eſſe, & juxta conſtitutiones contentas in bullis Pii quarti & Pii quinti, & Gregorii decimi tertii, a ſummo pontifice dumtaxat (niſi in articulo mortis) abſolutionis beneficium conſequi poſſe intelligant.

*Canon* II.

Beneficia pretio obtenta, & in confidentiam, ſeu cuſtodiam, occulte aut aperte tradita, ipſo jure vacent: qui percipiunt eorum fructus, ſuos non faciant, ſed ad reſtitutionem teneantur.

*Canon* III.

Confidentiarii quæcumque beneficia habent, aut adminiſtrationes, aut penſiones, iis in perpetuum careant, & ad alia omnia obtinenda inhabiles reddantur: præterea a quibuslibet perſonis denuncientur, & excommunicationis gladio feriantur.

*Canon* IV.

Epiſcopi & alii beneficiorum collatores nulli beneficium conferant, niſi ei qui prius ratio[illegible]nem reddiderit, qua via beneficium adeptus ſit, eique hujus ſceleris & pœnæ gravitas declaretur. Deinde ſub pœna & comminatione iræ divinæ jurare jubeantur, Num aliqua ſimoniæ pactio de cuſtodia, fructuum vel penſionis reſervatione, citra ſummi pontificis auctoritatem ſolvenda, in hujuſmodi proviſione intervenerit. Quod ſi jurare renuerit, proviſio ſubreptitia & nulla cenſeatur.



ANNO CHRISTI 1584.

*Canon* V.

Inquirant epiſcopi per vicarios ſeu officiales in omnes & ſingulos, qui publica fama vel legitimis conjecturis ſimoniæ vel confidentiæ ſuſpecti fuerint, & ad probandas præſumptiones & conjecturas, teſtes de quaque re ſingulares admittant, ne tam nefarium ſcelus impunitum maneat.

*Canon* VI.

Simoniaci & confidentiarii notorie infames cenſeantur, ideoque ab omnibus ſynodis provincialibus ac diœceſanis, capitulis, monaſteriis, denique ab omni eccleſiaſtico conventu excludantur.

*Canon* VII.

Parochi ſingulis diebus dominicis ſimoniacos & confidentiarios, cum ſortilegis, præſtigiatoribus, incantatoribus, uſurariis, veneficis, excommunicatos denuncient.

*Canon* VIII.

Qui confeſſiones audiunt, ſimoniacos & confidentiarios non abſolvant, ſed ad ſummum pontificem remittant.

## DE CONCUBINARIIS.

*Titulus quadrageſimus ſecundus.*

CHRISTUS dominus continentiæ, ſicut & ceterarum virtutum magiſter, ſacerdotum euangelicorum, quibus ſe tamquam exemplar imitandum propoſuit, mentes puras & corpora caſta eſſe vult, ut imaginem ejus quam præ ſe ferunt, cum omni quidem vitæ ſuæ tempore, tum maxime in ſacrificii altaris oblatione fideliter cuſtodiant. Ne igitur nomen CHRISTI & dignitas miniſterii ſacerdotalis, in clericis, caſtitatem perpetuam, quam profeſſi ſunt, non ſervantibus contaminetur, ac polluatur, adverſus clericos incontinentes, hæc decernit ſancta ſynodus.

*Canon primus.*

Omnes ſacerdotes ac clerici beneficiati, mulierum impudicarum aut quæ ejus ætatis ſunt cujus ratione oriri poſſit ſiniſtra ſuſpicio, conſortio, ſive intra ſive extra domum, prorſus abſtineant. Qui a ſuperiore monitus non abſtinuerit, tertia parte fructuum beneficiorum quæ obtinet, ac etiam penſionum, piis uſibus arbitrio epiſcopi applicanda, mulctetur. Qui ſecundo monitus perſeveraverit, fructibus omnibus & penſionibus beneficiorum privetur, atque ab eorum adminiſtratione ſuſpendatur, donec epiſcopo aliter viſum fuerit. Qui poſt ſecundam monitionem non reſipuerit, fructibus ac penſionibus, & adminiſtratione quavis eccleſiaſtica, necnon etiam titulis ſuorum beneficiorum in perpetuum privetur, & ad alia quæcumque obtinenda perpetuo inhabilis reddatur, & a capitulis ac omni congregatione eccleſiaſtica tamquam infamis arceatur: donec ita mores ſuos emendaverit, ut a ſuperioribus venia dignus cenſeri poſſit.

*Canon* II.

Clerici beneficia non habentes hujus fœditatis ſuſpecti, & in ea poſt unam atque alteram monitionem perſeverantes, ſuſpendantur ab ordine, & qui poſt ſuſpenſionem non ceſſarint, excommunicentur: ſi contumaces fuerint, in carcerem detrudantur.

*Canon* III.

Qui cum ſemel dimiſſis concubinis conſortium repetierint, iiſdem pœnis ſubjaceant.

*Canon* IV.

Nulli ſacerdoti cujuſcumque gradus, ſocietatis aut ordinis exiſtat, concubinario liceat abſolutionem dare, ſed ad epiſcopum, aut ejus pœnitentiarium eum remittat, qui pro gravitate delicti pœnitentiam injungat, vel moderatione utatur, prout expedire viderit.

## DE HOSPITALIBUS.

*Titulus quadrageſimus tertius.*

PRÆCIPUUM Chriſtiani officium poſt cultum divinum eſt adimplere ea quæ ad ſecundam legis tabulam pertinent: cujus ſumma eſt, caritatem & dilectionem in proximos obſervare, & totis viribus amplecti, in pauperes præſertim. Fruſtra enim alia omnia, etiam quæ videntur ſanctiora, opera exhibentur, niſi „ in caritate fiant: Nemo enim diligit patrem, „ niſi qui amat filium: Ideo exprobravit CHRISTUS iis qui fidem ſuam & nominis Dei confeſſionem jactabant, omiſſionem ope„ rum caritatis, Eſurivi (inquit) & non de„ diſtis mihi manducare. Idcirco ſanctiſſima mater eccleſia pie inſtituit xenodochia, & alia varii generis loca hoſpitalia, nonnullis etiam aſſignatis redditibus: quorum cura præcipue ad epiſcopos pertinet, tanquam diſpenſatores non tantum verbi Dei, ſed etiam eleemoſynarum eccleſiæ.

Matth. 25.

*Canon primus.*

Quicumque pia loca quæ hoſpitalia vulgo dicuntur, cujuſcumque generis ſint, ſeu tituli, ſeu adminiſtrationis jure poſſident, eorum onera omni ſtudio & diligentia exequantur, nec pauperes defraudent, aut defraudari ſinant. Qui neglexerint, ab epiſcopo pœnis a jure conſtitutis coerceantur.

Lib. 3. Clem. de rel. dom. cap. 2.

*Canon* II.

Laici hoſpitalium adminiſtrationi præpoſiti, munus hoſpitalitatis non recte obeuntes, ab epiſcopis per cenſuras eccleſiaſticas cogantur: quas ſi contempſerint, ab adminiſtratione ſubmo-

ANNO CHRISTI 1584.

moveantur, rationem reddere, ac fructus injuſte A perceptos reſtituere cogantur.

*Canon* III.

Provideant hoſpitalium adminiſtratores, ne quid eorum quæ adhiberi ſolent ad remedium animæ, quod præcipuum eſt, ſuis hoſpitibus deſit. Quod ſi quem eorum abſque ſacramentorum perceptione deceſſiſſe contigerit, alii in eorum locum ſubſtituantur.

*Canon* IV.

Hoſpitalia his ſolis pateant, qui præ ægritudine, ſenio, aut corporis imbecillitate victum B ſibi parare non poſſunt. Excludantur vero a xenodochiis mendici validi ac robuſti, qui manuum labore ſeipſos ſuſtentare poſſunt, ne miſerabilium perſonarum alimenta ab ignavis ac deſidioſis impie abſumantur.

## DE CONFRATERNITATIBUS & ſodalitiis.

*Titulus quadrageſimus quartus.*

*Canon primus.*

CONFRATERNITATES illæ tantum retineantur, quæ pietatis operibus vigent, C & ab omni faſtu & pompa ſunt alienæ: In quibus etiam leges Chriſtianæ religioni non repugnantes conſtitutæ ſunt: ſi quæ aliter fuerint inſtitutæ, epiſcopi arbitrio vel corrigantur, vel tollantur: in poſterum vero nullæ ſine epiſcopi licentia inſtituantur.

*Canon* II.

Si quæ confraternitates hactenus aut intermiſſæ aut penitus ſublatæ ſunt, earum redditus ad opera pia arbitrio epiſcopi impendantur, quouſque ſeminaria inſtituantur, quorum uſibus tunc applicabuntur.

*Canon* III.

Non liceat canonicis & ceteris eccleſiaſticis confraternitatum prætextu ſuas eccleſias relinquere tempore divini officii ſub pœna privationis diſtributionum illius diei.

*Canon* IV.

Non celebrentur confraternitates in choro ad majus altare eccleſiarum cathedralium aut collegiatarum, ſed in ſacellis tantum, & extra horam, qua divinum officium peragitur.

## DE LAICIS.

*Titulus quadrageſimus quintus.*

CUM regnum cælorum omnibus pateat; eccleſia ex omni hominum genere compoſita ſit, ideo ad eam pertinet non minus laicis quam ſacerdotibus leges dare ſalutares quibus dum ſeſe ſujicient, vitam æternam conſequentur: ab omnibus ergo in Chriſto fidelibus hæc obſerventur.

ANNO CHRISTI 1584.

*Canon primus.*

Omnes Chriſtiani fidem recolant quam in baptiſmo profeſſi ſunt, Deum bonorum omnium auctorem ſe agnoſcere teſtentur: frequentes ſint in eccleſiis & parœciis ſuis, a miſſa parochiali ſine epiſcopi aut curati licentia per tres hebdomadas, niſi neceſſitate cogente, abeſſe non præſumant. Qui ſemel moniti perſeveravint, & iterum abeſſe præſumpſerint, excommunicentur.

*Canon* II.

Non ſit laicis grave, ſacerdotibus, qui ſpiritualia ſerunt, temporalia liberaliter rependere, illis debitum honorem exhibere: nec eos maledictis aut ſuggillationibus proſequantur.

*Canon* III.

In eccleſia laici clericis non miſceantur, ſed ſuo quiſque gradu, & ordine diſcernantur, ne qui divino officio inſerviunt, a multitudine perturbentur. Decret. Bonif. 1.

*Canon* IV.

Hortatur hæc ſynodus Chriſtianos omnes, ut pro Chriſtiani nominis honore & dignitate ſe gerant: tripudia, & ſaltationes, publicos ludos, mimos, larvas, & aleas, quantum fieri poterit, devitent.

*Canon* V.

A duellis ſub pœna excommunicationis abſtineant. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19.

*Canon* VI.

In veſtitu omnem faſtum, curioſum ornatum, ſparſos ac tortos crines, cauponas, & alia ſimilia: item ſphæriſteria tempore præſer- D tim divini officii relinquant.

*Canon* VII.

Uſurarii omnes tamquam Chriſtianæ caritatis inimici, præſertim vero pauperum oppreſſores, publice in parochialibus eccleſiis, diebus dominicis de peccati gravitate admoneantur: moniti ſi non reſipiſcant, ad judicem deferantur. Perſeverantes, communione & ſepultura Chriſtiana priventur.

*Canon* VIII.

Uſurarii non abſolvantur, niſi prius quæ- E ſtus illiciti cupiditati renunciaverint, & quæcumque impie extorſerunt, ſe quibus ſuſtulerunt pro viribus reddituros polliciti fuerint.

## DE CONCILIIS.

*Titulus quadrageſimus ſextus.*

PLUS vident oculi, quam oculus: Et, ut „ ait D. Bernardus, Nihil abſurdius eſt „ quam ut privatam ſententiam patrum judicio „ & univerſæ multitudini in Deo congregatæ quis anteponat: quod in rebus divinis præcipue locum In ſerm. de RR. Dom.



ANNO CHRISTI 1584.

locum habet, dicente Chriſto, ubi duo vel A tres congregati fuerint in nomine meo, in medio ſum eorum. Ideo eccleſia in Spiritu ſancto congregata ſub B. Petro & apoſtolis dubia quæque diſſolvit. Unde concilia generalia, provincialia, & diœceſana manarunt. Matth. 18.

*Canon primus.*

Concilia provincialia tertio quoque anno, aut alio commodiore tempore indicantur, & ad ea omnes epiſcopi ſuffraganei conveniant: qui non adfuerint, tertia parte fructuum ſui epiſcopatus piis uſibus applicanda mulctentur, & communione fratrum interdicantur. Conveniant præterea omnes qui de jure vel conſue- B tudine intereſſe debent ſub pœnis a jure ſtatutis. Conc. Carth. 4. c. 10. diſt. 18.

*Canon* II.

Statuta concilii provincialis ab omnibus metropoli ſubditis obſerventur, ſub pœna excommunicationis, & alia ordinarii arbitrio infligenda.

*Canon* III.

Synodus epiſcopalis ſingulis annis celebretur, ſecundum cujuſque diœceſis conſuetudinem. Canon. apoſt. 38. Nic. c. 5.

*Canon* IV.

Ad ſynodum epiſcopalem omnes conveniant, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent; deficientes pœnis conſuetis, contumaces gravioribus arbitrio mulctentur epiſcopi. Conc. Turon. can. 7. Trid. ſeſſ. 24. de reform.

*Canon* V.

Statuta item alia omnia eccleſiaſtica conciliorum, decretorum, & canonum ſacrorum, quæ in hoc concilio provinciali comprehenſa non ſunt, epiſcopi diligenter pro ratione temporum, locorum & perſonarum obſervari curabunt.

*Canon* VI.

Celebrabitur proximum concilium provincia- D le & primatiale, anno domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo: incipiet die decima quinta menſis Auguſti, in civitate Ruthenenſi: ſi tamen injuria bellorum & temporum tutus non fuerit acceſſus, ſignificabitur locus alius opportunus reverendis coepiſcopis & fratribus noſtris, ceteriſque qui ad concilium invitari debent, in quo epiſcopi comprovinciales rationes reddent, qua fide & diligentia ſtatuta hujus concilii in locis ſibi ſubditis, ſervanda curarint, & quæ reformatione in poſterum indigere adverterint, fideliter referent.

## ACCLAMATIONES. E

I.

BEATISSIMO domino noſtro Gregorio ſanctæ univerſalis eccleſiæ pontifici maximo multi anni & æterna memoria.

*Reſponſio.*

Domine Deus ſanctiſſimum patrem diutiſſime eccleſiæ tuæ conſerva multos annos.

ANNO CHRISTI 1584.

II.

Chriſtianiſſimo regi noſtro Henrico qui hoc provinciale concilium promovit, memoria in benedictione ſit.

*Reſponſio.*

Pium & Chriſtianiſſimum regem, domine, conſerva.

III.

Reverendiſſimo domino patriarchæ Bituricenſi primati noſtro qui hoc concilium celebravit, cum multis annis magnæ gratiæ.

*Reſponſio.*

Magnæ gratiæ: dominus retribuat, & eum in multos annos eccleſiæ ſuæ conſervet.

IV.

Sanctiſſimis & reverendis dominis epiſcopis ſancti Flori, Cadurcenſi, & Lemovicenſi, qui ad hoc concilium celebrandum acceſſerunt, magnas gratias.

C

*Reſponſio.*

Reverendis dominis epiſcopis magnæ gratiæ; vita, & felix ad eccleſias ſuas reditus.

V.

Omnibus deputatis & ordinibus; qui ad hoc concilium acceſſerunt, vita & in Deo omnis felicitas.

VI.

Hæc provincialis ſynodus legitime convocata in catholica fide & eccleſiæ obedientia celebrata & terminata ad Dei omnipotentis gloriam & Chriſtianæ fidei propagationem omnium votis cedat, & ejus decreta unanimes ſervemus.

*Reſponſio.*

Omnes ita credimus, omnes idipſum ſentimus, omnes conſentientes & amplectentes ſubſcripſimus.

VII.

His decretis inhærentes miſericordiam Dei omnipotentis & gratiam magni & primi ſacerdotis Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti, intercedente inviolata & ſacratiſſima Dei matre, SS. Petro & Paulo, ac beato Stephano hujuſce eccleſiæ patrono, & omnibus ſanctis conſequamur.

*Reſponſio.*

Fiat, Fiat, Amen, Amen.

Conceduntur indulgentiæ quadraginta dierum a reverendiſſimo domino patriarcha archiepiſcopo omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui

qui huic ſynodo interfuerunt, omnique populo qui huic tam ſancto operi votis ſuis & precibus favit.

*Omnia autem & ſingula quæ ſupra in hac ſynodo & concilio contenta ſunt, quæ poſſumus humilitate & obedientia ſanctæ Romanæ eccleſiæ omnium matris ac magiſtræ auctoritati & judicio ſubjicimus, ad laudem & gloriam domini noſtri Jeſu Chriſti, & ad eccleſiæ ſuæ ſalutem.*

## PATRUM NOMINA

### ET ALIORUM

qui huic concilio interfuerunt & ſubſcripſerunt.

NOS Reginaldus de Beaulne, patriarcha & archiepiſcopus Bituricenſis, Aquitaniæ primas, definientes ſubſcripſimus.

Ego Petrus de la Baume, epiſcopus ſancti Flori, ſubſcripſi.

Ego Antonius Hebrardus Sanſulpicius, epiſcopus, baro & comes Cadurcenſis, ſubſcripſi.

Ego Joannes de l'Aubeſpine, epiſcopus Lemovicenſis, ſubſcripſi.

Stephanus Mauguin, jurium doctor eccleſiæ Claromontenſis cathedralis abbas, ab eadem eccleſia ſede vacante deputatus ſubſcripſi.

Yvo de Guillomanches, doctor theologus, eccleſiæ metropolitanæ Bituricenſis canonicus, eccleſiæ & capituli Caſtrenſis ſede vacante deputatus, ſubſcripſi.

Amantius de Bonal, jurium doctor, Ruthenenſis eccleſiæ cathedralis canonicus, reverendi in Chriſto patris epiſcopi Ruthenenſis procurator, ſubſcripſi.

Chriſtophorus Hebrardus Sanſulpicius abbas monaſterii de Marcilhaco diœceſis Cadurcenſis, reverendi in Chriſto patris Tutellenſis epiſcopi, & abbatum diœceſis Cadurcenſis procurator, ſubſcripſi.

Matthæus Tuſcan, doctor theologus, reverendi in Chriſto patris Albienſis procurator, ſubſcripſi.

Adamus de Heurtelon, abbas loci Reſtaurati, reverendi epiſcopi, capituli & cleri Mimatenſis procurator, ſubſcripſi.

Guillelmus Gervais, doctor theologus, reverendi in Chriſto patris epiſcopi Vabrenſis procurator, ſubſcripſi.

Joannes Jacobus de Cambray, jurium doctor, eccleſiæ metropolis Bituricenſis decanus, pro capitulo ejuſdem eccleſiæ, &

Claudius de Beauxoncles, jurium doctor, canonicus & archidiaconus major Biturigus, pro eodem capitulo, &

Franciſcus Godard, jurium doctor, canonicus & cancellarius etiam Biturigus, pro eodem capitulo, &

Jacobus Girard, jurium doctor, canonicus & archidiaconus, necnon officialis Bituricenſis, pro eodem capitulo, procuratores.

Franciſcus de Vignies, abbas Caſalis Benedicti, &

Ægidius Quinault, abbas commendatarius ſancti Genulphi, omnium abbatum Bituricenſis diœceſis, procuratores.

Sebaſtianus Lalement, can. eccleſiæ collegiatæ [illegible] Urſini Biturigum, omnium dictæ diœceſis priorum, rectorumque procurator.

[illegible] abbas ſancti Illidii, ordinis ſancti Benedicti, omnium abbatum Claromontenſis diœceſis procurator.

Antonius Rodier, canonicus & cantor collegiatæ eccleſiæ de Thiers, priorum ac rectorum Claromontenſis diœceſis, procurator.

Georgius de Lauro, jurium doctor, Ruthenenſis eccleſiæ canonicus, pro capitulo cathedralis eccleſiæ Ruthenenſis procurator.

Guillelmus Gervais, doctor theologus, priorum ac rectorum diœceſis Ruthenenſis procurator.

Bertrandus Griphon, jurium doctor, cathedralis eccleſiæ Cadurcenſis cantor & canonicus, pro capitulo ejuſdem eccleſiæ Cadurcenſis, aliiſque capitulis collegiatarum eccleſiarum, necnon monaſterii de Moiſſaco ordinis S. Benedicti, ejuſdem diœceſis, procurator.

Franciſcus de Clermont, cathedralis eccleſiæ Cadurcenſis canonicus & cancellarius, prior de Cattucio, omnium priorum Cadurcenſis diœceſis, procurator.

Joannes Caſſon, doctor theologus Pariſienſis, canonicus eccleſiæ cathedralis Ruthenenſis, rector S. Deſiderii diœceſis Cadurcenſis, omnium dictæ diœceſis Cadurcenſis rectorum procurator.

Joannes de Puizillon, jurium doctor, cathedralis eccleſiæ Lemovicenſis decanus, &

Simon Palais: ejuſdem eccleſiæ canonicus, capituli dictæ eccleſiæ, & omnium cleri Lemovicenſis ordinum procuratores.

Emard de Chavaigniac, doctor theologus Pariſienſis, eccleſiæ collegiatæ Brivatenſis apud Arvernos decanus, &

Petrus Brugier, dictæ eccleſiæ canonicus, capituli cathedralis eccleſiæ ſancti Flori & omnium cleri ejuſdem diœceſis ſancti Flori ordinum procuratores.

N. de la Verlie, can. eccleſiæ metropolitanæ Bituricenſis, capituli cathedralis eccleſiæ Vabrenſis, & omnium cleri Vabrenſis ordinum procurator.

*Dicti concilii promotores.*

Joannes de Puizillon, jurium doctor, cathedralis eccleſiæ Lemovicenſis decanus.

Amantius de Bonal, jurium doctor, canonicus eccleſiæ cathedralis Ruthenenſis.

*Secretarii.*

Petrus Paulet, jurium doctor, archidiaconus eccleſiæ cathedralis Nivernenſis.

N. Godeau eccleſiæ collegiatæ S. Petri Puellarum, apud Biturigos canonicus.

Vocati ad hoc provinciale concilium fuerunt domini reverendiſſ. archiepiſcopi Burdegalenſis, Narbonenſis, Auxitanus & Tholoſanus, tamquam huic primatiæ ſubditi, qui non adfuerunt.

Vocatus etiam reverendiſſ. epiſcopus Anicienſis, qui per literas teſtatus eſt ſe non poſſe huic concilio intereſſe, propter occupationes, & bellorum motus, probaturum tamen quæcumque determinarentur, ſtatuerentur, & a ſibi ſubditis diœceſanis obſervari curaturum.







# INDICTIO CONCILII

## BITURICENSIS AQUITANICI.

*REGINALDUS MISERATIONE DIVINA & auctoritate apoſtolica archiepiſcopus, patriarcha Bituricenſis, Aquitaniæ primas, venerabilibus viris, decano, canonicis & capitulo eccleſiæ noſtræ cathedralis, patriarchalis, metropolitanæ & primatialis Bituricenſis abbatibus & aliis capitulis: necnon prioribus, conventibus, eccleſiarum rectoribus, ſeu eorum vicariis & capellanis: univerſo etiam noſtræ Bituricenſis diœceſis clero, S. P. D.*

„QUEMADMODUM (ut ait Cyprianus) Solis multi radii, ſed unum lumen, & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno plurimi rivi defluunt, numerus licet diffuſus videatur, exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine: ſic & eccleſia, domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur, ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput eſt, & origo una, & mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Cum itaque ſancta univerſalis eccleſia ex omnibus in univerſo orbe particularibus eccleſiis, omnibuſque membris ſuis viſibilibus nuper Tridenti in Spiritu ſancto collecta, & congregata multa pia & præclara decreta ediderit, quæ cuivis Chriſtiano abunde ſatisfacere poſſint, & contumaces vi & efficacia verbi Dei ad cauſas eccleſiæ reducere, niſi reſiſtentes Spiritui ſancto ſibi ipſis iram Dei accerſerent: tamen quia multa quotidie in eccleſiis particularibus emergunt, quædam adhuc latent, quædam jam in lucem venerunt, quæ ampliori explicatione, aut novo tractatu indigent, ut novis morbis nova remedia adhiberi, novis negotiis novæ leges imponi ſolent: pie & prudenter univerſalis Tridentina ſynodus, priſcæ legis & conſuetudinis memor, providit & ſtatuit, ut provinciales ſynodi celebrentur: non ut diverſa, aut (quod Deus avertat) contraria proponantur, aut tractentur, ſed ut eodem ſpiritu ducti paſtores & epiſcopi eccleſiarum ſimul congregati, ea quæ ab univerſali ſynodo ſtatuta ſunt, arctius amplectantur, obſervent, explicent, ſuiſque obſervanda proponant. Cetera vero quæ ad mores & diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, aut ad eccleſiæ viſibilis œconomiam, pro ratione locorum, rerum & perſonarum, communi conſilio diſponant, in ædificationem eccleſiæ, poſtulatis ſubditorum provideant & ſatisfaciant. Cum ergo nobis id muneris mandatum eſſe jam antea animadverteremus, ſcriptis anno ſuperiore ad reverendos fratres noſtros epiſcopos comprovinciales literis, eos monuimus & rogavimus ut rationem temporis inirent, quo commode provincialis noſtræ ſynodi conventus haberi poſſet: eratque jam inter nos ſtatutum & ratum eodem ſuperiore anno, iſto munere defungi. Verum graſſante in urbe noſtra Bituricenſi lue epidemiali, differendum hoc negotium huc uſque exiſtimavimus, cum reſtituta (divina clementia) populo ſuo felici valetudine, reverendos fratres noſtros epiſcopos provinciales iterum ſcriptis noſtris monuimus, & in nomine Dei rogavimus, ut ad decimum ſextum Auguſti menſis proximi diem in civitatem Bituricenſem, ad dictam provincialem ſynodum, convenire non gravarentur. Quibus noſtris monitis & poſtulatis ſatisfacturos exiſtimamus & confidimus. Ceterum cum & illi, priuſquam accedant, conventus propriæ diœceſis celebraturi ſint, ut ad hanc provincialem congregationem inſtructi & accincti advolent, nobis non minus cordi eſt, ut gregem noſtrum tam ſerii inſtituti prius moneamus, & a vobis & ſingulis veſtrum rationem eorum, quæ proponenda aut poſtulanda eſſe videbuntur, exigamus. Habito ergo nuper in annua ſynodo noſtra venerabilium eccleſiæ noſtræ canonicorum, abbatum & aliorum conſilio, diem, quo propius diœceſis noſtræ conventus haberi poſſet, opportunum exiſtimavimus poſt feſtum D. Joannis Baptiſtæ immediate ſequentem: cujus quidem diei indictionem vobis ſignificandam decrevimus, eamque literis hiſce noſtris ſignificamus: vos per viſcera miſericordiæ Dei obſecrantes, ut huic diœceſanæ noſtræ congregationi eadem die vigeſima quinta Junii proximi, in aula noſtra archiepiſcopali intereſſe, ac in ea ex vobis, qui totius cleri vices in provinciali ſynodo ſuſtineant, quique pro rei gravitate & amplitudine, tanto muneri ſatisfacere, ac noſtris totiuſque ſynodi votis reſpondere valeant, deputare non gravemini.

Datum Biturigibus, die vigeſima ſexta menſis Aprilis, anno domini 1583.

*REGINALDUS MISERATIONE DIVINA & auctoritate apoſtolica archiepiſcopus, patriarcha Bituricenſis, Aquitaniæ primas, omnibus & ſingulis presbyteris, clericis, notariis & apparitoribus nobis ſubditis, ſalutem in domino.*

CUM pro munere nobis impoſito ſynodum provincialem annuente altiſſimo, celebrare propoſuerimus, eamque in civitate Bituricenſi ad decimum ſextum Auguſti proximi indixerimus, & ad diem & locum præſtitutum reverendos fratres provinciæ noſtræ epiſcopos vocari mandaverimus, nec minus neceſſarium ſit idem omnibus noſtræ diœceſis eccleſiaſticis, qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent, ſignificari, eoſque ad aliam præcedentem diem nobiſcum convenire ſuper his quæ in dicto provinciali conventu agenda & tractanda erunt, & ad quorumdam ex eis qui noſtræ diœceſis cleri in dicto provinciali conventu vicem ſuſtineant, nominationem ſeu deputationem convocari: vobis & veſtrum cuilibet in ſolidum, committimus & mandamus ut eaſdem indictionis concilii provincialis literas manu ſecretarii noſtri ſignatas, venerabilibus viris, decano, & capitulo eccleſiæ noſtræ cathedralis Bituricenſis, necnon abbatibus, aliiſque capitulis, conventibus, prioribus, eccleſiarum parochialium rectoribus, eorumque vicariis & capellanis, ceteriſque dictæ noſtræ diœceſis eccleſiaſticis præſentetis, inſinuetis & ſignificetis: ipſiſque earumdem exemplar, ne ignorantiæ cauſam prætexere poſſint, tradatis & dimittatis, eoſdem & eorum quemlibet ad diem vigeſimam quintam Junii proximi in aula noſtra archiepiſcopali Bituricenſi, nobiſcum ad dictam nominationem ſeu deputationem, & alia ut juris erit proceſſuros intimantes, quos etiam hiſce noſtris li-

ANNO CHRISTI 1584.

teris ad dictos diem & locum aſſignamus & intimamus, mandantes dictis rectoribus & eorum vicariis ut indictionis concilii literas inter ſolennia miſſarum parochialium populo ad divina audienda congregato publicent & notificent, vobiſque ut de earumdem præſentatione, ſignificatione, inſinuatione, traditione, ſeu dimiſſione, necnon intimatione, proceſſum veſtrum verbalem fideliter conficiatis, ac conſcribatis, & ad nos referatis. In cujus rei teſtimonium has literas per Joan. Trihoyre ſecretarium noſtrum fieri & ſignari, ſigilliſque curiæ noſtræ Bituricenſis juſſimus & fecimus appenſione communici.

Datum Avarici Biturigum, die ſexta menſis Aprilis, anno domini 1583.

*Signatum*,

TRIHOYRE.

## PROROGATIO.

*REGINALDUS DEI GRATIA ET ſanctæ Romanæ eccleſiæ auctoritate patriarcha & archiepiſcopus metropolitanus Bituricenſis, Aquitaniæ primas, dilecto noſtro Joanni Joannes, ſalutem in domino,*

CUM inter omnia quæ a Deo ordinata ſunt, eccleſia ſua ſancta, primum per unigenitum filium ſuum dominum noſtrum, deinde per apoſtolos & eorum ſucceſſores Spiritu ſancto corda ſuorum regente, conſtituta, ſtabilita, & gubernata ſit: eique ſemper invigilandum eſſe nos moneat dominus, ne inimicus homo in divinam meſſem ſuperſeminet zizania, neve leo rugiens diabolus animas ſanguine Chriſti redemptas nobis dormientibus eripiat, & eas tandem ſummus ille judex & omnium dominus a nobis jure ſuo repoſcat. Idcirco nobis legem præſcripſit ſancta mater eccleſia, ejuſdem Spiritus inſtinctu, ut verbo & opere agrum domini colamus, gregique noſtro invigilemus. Sed & quoniam omnis ordo, omnis recta & ſancta eccleſiæ adminiſtratio in collatione doctrinæ, correctione morum, emendatione diſciplinæ, unione & conſenſu Spiritus Dei conſiſtit: ſtatuerunt ſancta œcumenica concilia, præſertim Tridentinum nuper habitum, ut provinciales ſynodi jamdudum in Galliis injuria temporum, vel potius patrum noſtrorum incuria magno Chriſtianæ reipub. malo intermiſſæ repeterentur: ut unuſquiſque provincialium in commune conferret, quod ex re & utilitate eccleſiæ, ad gloriæ & nominis Dei incrementum pertinere exiſtimaret. Scripſimus in eam rem varia programmata non tantum ad diœceſanos noſtros, ſed etiam ad comprovinciales epiſcopos, quos quidem quam humaniter potuimus epiſtolis ad eos ſcriptis rogavimus ne tam ſancto muneri vel potius ſibi ipſis deeſſent. Venerunt ad diem præſtitutam decimo ſexto Auguſti noviſſime elapſi, ex ſingulis hujus provinciæ diœceſibus viri egregii, ſed defuerunt ipſi judices epiſcopi, fratres noſtri, præter unum tantum reverendum fratrem noſtrum epiſcopum Caturcenſem. At quoniam omnis congregatio ſuos judices, vindices & aſſertores poſtulat, nec illis abſentibus quicquam ſtatui par eſt: viſum eſt non tantum nobis, ſed univerſo cœtui æquum non eſſe, ut qui eccleſiæ judices habentur, ii per procuratores rem eccleſiæ gererent, præſertim in tam gravi & ſerio negotio, in quo non præſentia corporis tantum opus eſt, ſed etiam

A ſpiritus, ut mutua collatione mutuoque conſenſu, & voce & zelo adſtantium illic fidelium corda accendantur, excitentur, firmentur ad rem divinam ſerio tractandam, componendos mores, reſtituendam diſciplinam eccleſiaſticam. Statutum eſt itaque ut ad diem præſtitutam vocentur iterum epiſcopi provinciales noſtri, idque peremptorie, & ſub pœnis ab eccleſia jam olim conſtitutis. Quamvis enim ſperamus noſtris monitis ſatisfacturos eoſdem reverendos fratres noſtros: Tamen ne tam ſancta res in riſum abeat, vel potius ipſi nos ridendos extraneis eccleſiæ præbeamus, neve muneri noſtro hac in re deeſſe, & quod ſtatutum eſt neglexiſſe videamur: Dictos reverendos fratres no-
B ſtros iterum per viſcera miſericordiæ Dei rogamus ut ſui & conditionis ſuæ memores, & ſacramenti quod a Deo acceperunt, & juris jurandi in eccleſia a ſe præſtiti ad diem provinciali huic concilio præſtitutum huc conveniant. Vobis autem, ne quid auctoritati eccleſiæ deſit, per hæc ſcripta noſtra mandamus prædictos reverendos fratres noſtros in domino moneatis, ut die vigeſimo quinto menſis Aprilis proxime venturi huc conveniant ad concilii provincialis celebrationem, illis ſignificantes & indicentes; ſi adeſſe neglexerint, nos ex eorum qui aderunt ſuffragiis mulctas ab eccleſia contra abſentes jam olim præſtitutas illaturos. Vobis etiam per eadem ſcripta mandamus ut capitula eccleſia-
C rum cathedralium ſpeciatim vocetis, & moneatis, ut huic ſynodo adſint, ſi ſua intereſſe exiſtiment. Reverendos etiam archiepiſcopos, Burdegalenſem, Narbonenſem, Auxitanum & Tholoſanum, vocetis & moneatis, tanquam huic patriarchali & primatiali eccleſiæ ſubditos, ut huic primatiali concilio adeſſe non dedignentur. In cujus rei teſtimonium has literas manu propria ſubſcripſimus: illaſque per Joannem Thrihoyre curiarum noſtrarum, ordinariæ, metropolitanæ, & primatialis Bituricenſis notarium & graphiarium reſidentem, ac ſecretarium noſtrum ordinarium, confici & ſignari, ſigilliſque dictarum curiarum noſtrarum appenſione muniri juſſimus,

D *Signatum*,

*R. D. B. archiepiſcopus Bituricenſis, primas & metropolitanus Aquitaniæ.*

*Et ſuper plicam.*

Per præfatum reverendiſſimum dominum patriarcham & archiep. metropolitanum Bituricenſem, Aquitaniæ primatem.

TRIHOYRE.

## BREVE APOSTOLICUM confirmationis concilii.

E

## XYSTUS PAPA V.

VENERABILIS frater, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Remittimus fraternitati tuæ decreta ſynodi provincialis archiepiſcopatus tui, a venerabilibus fratribus noſtris S. Romanæ eccleſiæ cardinalibus, rebus ad concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectis, mandato noſtro examinata, atque ubi oportuit, emendata. Curabis ut quæ pie prudenterque decreta atque emendata ſunt, ita ut ſunt emendata, nec aliter edantur; quamque diligentiſſime ſerventur. Hæc enim reliqua pars eſt operæ

tuæ,

ANNO CHRISTI 1584.



ANNO CHRISTI 1584.

tuæ, ſine qua omnis hactenus fruſtra eſſet ſuſceptus labor. Deus benedictus præſit ſemper conſiliis actionibuſque tuis omnibus ſua gratia, dirigatque ſtudia & conatus tuos omnes ad ſui nominis gloriam, gregiſque tuæ fidei ac vigilantiæ commiſſi ſalutem.

Datum Romæ, apud S. Marcum ſub annulo piſcatoris, die quinto Octobris, MDLXXXV.

Pontificatus noſtri anno primo.

ANT. BUCCAGADULIUS.

## PUBLICATIO CONCILII.

*REGINALDUS DEI GRATIA ET ſanctæ ſedis auctoritate patriarcha & archiepiſcopus Bituricenſis, Aquitaniæ primas, reverendis patribus epiſcopis, capitulis, abbatibus & univerſo provinciæ Aquitaniæ clero, ſalutem.*

REVERENDI fratres, voſque filii in Chriſto cariſſimi, accepimus tandem con-

A cilii noſtri provincialis, nuper Biturigibus celebrati, decreta & ſtatuta ſanctæ ſedis judicio probata. Quæ ut ad Dei omnipotentis gloriam & ſinceram eccleſiæ diſciplinam cedant, ea ſtatim ad vos tranſmittenda curavimus: ne, quod mali poetæ ſolent, extremum actum (ut eſt in proverbio) præcipuam nempe, potiſſimamque laboris noſtri partem neglexiſſe videremur. Agite ergo, fratres dilectiſſimi; & quæ magno ſtudio, communi omnium conſenſu, in rem eccleſiarum provinciæ noſtræ, bene & rite conſtituta ſunt, ea apud vos veſtroſque publicari, recipi & obſervari curate. Speramus ſi in hoc tam pium opus communibus votis, afflante divino ſpiritu, conſpiraverimus, magnum inde orna-
B mentum Dei ſponſæ matri acceſſurum. Vos ergo ſinguloſque veſtrum iterum atque iterum per viſcera miſericordiæ domini noſtri hortamur & monemus ne in re tam ſancta, tam ſeria, quicquam operæ veſtræ, diligentiæ auctoritatiſque remittatis. Datum Lutetiæ, anno domini MDLXXXV. menſe Novemb.

ANNO CHRISTI 1584.

ANNO CHRISTI 1585.

# DECRETA SYNODI PROVINCIALIS AQUENSIS,

Anno Domini MDLXXXV.

ANNO CHRISTI 1585.

## INDEX TITULORUM.

*DE profeſſione fidei catholicæ.*
*Formula profeſſionis fidei.*
*De fidei rudimentis, & ſcholis doctrinæ Chriſtianæ.*
*De libris vetitis.*
*De ſacramentis.*
*De baptiſmi ſacramento.*
*De ſacro chriſmate.*
*De confirmationis ſacramento.*
*Quæ ad ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum pertinent.*
*De celebratione miſſæ.*
*De miſſali & breviario.*
*Quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent.*
*De matrimonio.*
*Quæ pertinent ad ſacramentum extremæ-unctionis.*
*Quæ ad ſacramenti ordinis adminiſtrationem pertinent.*
*De feſtorum dierum cultu.*
*De vita & honeſtate clericorum.*
*De epiſcopis.*
*De his in quibus epiſcopus ex ſacro concilio Tridentino etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegatus procedere debet & poteſt.*
*De viſitatione.*
*De concionibus & verbi Dei prædicationibus.*
*De canonicis.*
*De capitulis.*
*De beneficiatis ſeu manſionariis.*
*De parochis & animarum curatoribus.*
*De reſidentia.*
*De eccleſiis & earum cultu.*
*De choro.*
*De altari.*
*De ſacriſtia.*
*De cœmeteriis.*
*De campanis.*
C *De funeribus & exequiis.*
*De proceſſionibus.*
*De indulgentiis.*
*De reliquiis.*
*De excommunicatione.*
*Quæ pertinent ad beneficiorum collationem, eorumque jurium & bonorum conſervationem.*
*De ſeminario.*
*De ſynodo diœceſana.*
*De vicariis foraneis.*
*De monaſteriis.*
*De monialibus.*
*Quæ generatim ad has conſtitutiones pertinent.*

D ALEXANDER Canigianus Dei, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus Aquenſis, omnibus præſentibus & futuris ſalutem. Notum facimus, quod anno domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, pontificatus felicis recordationis Gregorii papæ decimi tertii anno decimo tertio: Necnon & regni Chriſtianiſſimi regis Henrici III. anno undecimo. Cum noſtræ provinciæ Aquenſis epiſcopi, eccleſiarum cathedralium, & capitulorum delegati, aliique viri eccleſiaſtici in noſtram eccleſiam metropolitanam ad concilium provinciale, quod die dominica vigeſima quarta februarii ſuſceptum & inchoatum eſt, conveniſſent: Illud imprimis ab hac ſynodo unanimi conſenſu decretum fuit, ut ab ipſo Chriſtianiſ-
E ſimo rege noſtro humillimis precibus efflagitaremus, ut pro ſua ſingulari pietate Tridentinum concilium, quo labenti reipublicæ Chriſtianæ accuratiſſime ſubvenitur, promulgari juberet. Interim vero, dum hujuſmodi promulgationem ſperamus, & expectamus, de fratrum noſtrorum coepiſcoporum conſenſu, eorumque, qui huic ſynodo interfuerunt, conſilio, tum quod epiſcopi ipſi in ſua quiſque diœceſi pro ſuæ conſcientiæ exoneratione, omnia quoad ejus



fieri

fieri poteſt ad ipſius concilii decretorum præſcriptum dirigant & moderentur: tum hæc quæ ſequuntur, pro temporum neceſſitate, & provinciæ noſtræ ſtatu, ad Dei laudem, & eccleſiæ amplificationem, in nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis ſtatuere duximus.

*De profeſſione fidei catholicæ.*

CUM prima & maxima paſtorum cura in iis verſari debeat, quæ ad fidem catholicam, quam ſancta Romana eccleſia colit & docet, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, integre inviolateque conſervandam pertinent: Nos in hac noſtra prima ſynodo provinciali, hinc potiſſimum exordiendum eſſe duximus, ut quæ ex eodem ſpiritu eſt fides, eamdem uno oris confeſſione profiteamur.

Imprimis igitur, vetera tam generalia, quam provincialia concilia imitati, excommunicamus, & anathematizamus omnem hæreſim, extollentem ſe adverſus orthodoxam & catholicam eccleſiam. Univerſos inſuper, qui aliter, quam catholica, apoſtolica & Romana credit, & prædicat eccleſia, credere & pertinaciter aſſeverare auſi fuerint, velut hereticos & pertinaces atque a communione fidelium ſeparatos declaramus.

Mandamus etiam, ut omnes qui beneficia, officia, atque onera quæcunque eccleſiaſtica obtinent, vel in poſterum obtinebunt, necnon promovendi ad ordines ſacros, & doctoratus inſignia, & alios gradus, antequam recipiantur, ac ſcholarum, fabricarum, hoſpitalium, fraternitatum, & quarumcumque communitatum piarum magiſtri, rectores, ſodales, & adminiſtratores fidem profiteantur eiſdem verbis, quibus ex formula a felicis recordationis Pio papa IV. præſcripta, nos & coepiſcopi noſtri, initio hujus ſanctæ ſynodi jurati præſtitimus & profeſſi ſumus. Et ſingulis annis in ſynodis diœceſanis, eamdem profeſſionem a curatis ac aliis, qui eidem ſynodo intereſſe debent, repeti volumus: ſicut ab omnibus canonicis, ac religioſis in capitulis ſuis generalibus, quæ quotannis celebrantur. Ad eum igitur finem hujus profeſſionis formulam hic inſeri curavimus in hæc verba.

*Formula profeſſionis fidei.*

EGO N. firma fide credo & profiteor, omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur: qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi, amen.



Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto & amplector.

Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptiſmum, confirmationem & ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplector & accipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo, verum, proprium & propitiatorium ſacrificium, pro vivis & defunctis: atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe, vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari, ſimiliter & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem, a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo.

Sanctam catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici, beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cetera item omnia a ſacris canonibus & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacro-ſancta Tridentina ſynodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo.







Hanc veram catholicam fidem (extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt) quam in præſenti ſponte profiteor & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime, Deo juvante, retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, Ego idem N. ſpondeo, voveo ac juro: ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia.

*De fidei rudimentis, & ſcholis doctrinæ Chriſtianæ.*

CURENT epiſcopi, ut omnes ſuæ diœceſis curati ſingulis dominicis, & aliis diebus feſtis, pueris in ſuis parochiis initia fidei tradant, eoſque ad obedientiam Deo, parentibus, & ſuperioribus præſtandam erudiant: ac propterea a prandio conſtituta hora, certis campanæ ictibus ad eccleſiam eos convocare non omittant.

Ut autem in eo munere parochus a laicis etiam adjuvetur, id curet epiſcopus, ut in ſingulis diœceſis ſuæ oppidis & vicis doctrinæ Chriſtianæ ſodalitates, & ſcholæ quamprimum inſtituantur, tum marium, tum feminarum, cujus rei cauſa libellus, quem unuſquiſque epiſcopus in ſuæ diœceſis ſcholis eo nomine inſtituendis adhibere poterit, juſſu noſtro edetur, aut approbabitur.

Quibus autem locis ſodalitas hujuſmodi inſtitui non poterit, in iis duo treſve homines ſaltem deligantur, auctoritate graviores, qui pro Chriſtiana pietate id ſolicitudinis ſuſcipiant, ut pueros adoleſcenteſve ad parochum adducant, a quo in eccleſia illi fidei rudimentis imbuantur & edoceantur.

Scholas præterea quam ſæpiſſime viſitari, tum ab earum præfectis; tum ab aliis etiam jubeat, quibus id negotii dederit: hique ei diligenter referant; cum de omni inſtituta earum ratione, & frequentia eorum, qui conveniunt: tum de reliquo earumdem ſodalitatum ſpirituali progreſſu.

Eiſdem eos conſtituat confeſſarios ſacerdotes, & in concionibus habendis pro qualitate locorum exercitatos, quorum miniſterio adjuventur, & ſalutaribus monitis, crebriſque cohortationibus inflammentur in dies magis ad illud ſcholarum, & piarum exercitationum inſtitutum, atque ſtudium.

Epiſcopus præterea curet, ut in hoſpitalibus & aliis piis locis, ubi plures, vel mares, vel feminæ, præcipue vero infantes expoſiti aluntur, hoc tradendæ doctrinæ Chriſtianæ tam neceſſarium inſtitutum introducatur.

Fideles vero omnes tam mares quam feminas per viſcera Jeſu Chriſti obſecramus, atque adeo obteſtamur: ut niſi legitima, neceſſariaque occupatione diſtenti ſint, magno pietatis ſtudio, tam ſalutare, tamque præſtans officium amplectantur.

Quod ſane, ut majori animi propenſione, accuratiorique ſolicitudine deinceps ſuſcipiant, ſciant ſe a ſummis pontificibus ad id invitari largiſſimis etiam indulgentiarum theſauris propoſitis, tam iis, qui in ejuſmodi ſocietates aſcribi voluerint, quam illis, qui id pium docendi munus ſuſceperint.

Cogitent etiam interdum quot inde utilitates, quot commoda in populo Dei conſequantur: videbunt enim cum pueros ipſos in effrænata illa, atque lubrica ætate quodam quaſi fræno ſuaviter cohiberi, caſtiſſimis moribus ſenſim inſtitui, ac tandem omnia pietatis, ac religionis Chriſtianæ ſemina ad uberrimos, propeque innumeros fructus, toto deinceps vitæ ſuæ curriculo reddendos imbibere: tum vero, quod non in levis beneficii loco ponendum eſt, id efficere omnino, ut ubi rite inſtitutæ eo nomine ſodalitates munus ſuum ſolicite ac diligenter præſtent, ibi feſti dies ſummique Dei honori & cultui dicati recte colantur, & obſerventur, atque in officiis pietatis, ac religionis toti tranſigantur.





*De libris vetitis.*

NULLUS cujuſvis conditionis, ac ſtatus ille ſit, libros prohibitos juxta indicem ſedis apoſtolicæ juſſu editum legere, aut domi retinere, aut vendere quoquomodo audeat. Alioquin ſciat, ſe excommunicationis ſententia innodatum, a qua non niſi a Romano pontifice abſolvi poteſt, idque parochus ſingulis diebus dominicis populo denuntiet.

Curent vero epiſcopi, ut omnes parochi hujuſmodi indicem librorum prohibitorum penes ſe habeant.

*De ſacramentis.*

CUM ſacramenta omnia a Chriſto domino, ſalutis noſtræ cauſa inſtituta ſint, atque ex illius ſanguine precioſiſſimo vim ſumpſerint: ad virtutis culmen omni animi pietate, ſanctitate, ac religione contendere is profecto debet, cui illa tractanda ſunt, vel miniſtranda.

Parochi igitur, omneſque alii, ad quos cujuſvis ſacramenti adminiſtratio ſpectat, quam diligentiſſime videant, ne lethalis peccati labe infecti, dum aliorum ſaluti ſtudent, ſibi æternæ ſint damnationis miniſtri. Atque ut intus candida innocentiæ ſtola exornati eſſe debent, ita etiam extrinſecus mundo ſuperpelliceo ſtolaque ejus coloris, qui ſacramento miniſtrando congruat, induti ſint ſemper.

Ut autem a reliquis fidelibus ea, qua par eſt, pietate, atque adeo cum animarum fructu ſacramenta percipiantur, illorum virtutem, atque admirabilem fructum parochi frequenter explicabunt, tum vero maxime, cum illa erunt miniſtraturi.

Sedulo quoque videbunt, ne ad ſacramenta quævis aliquem admittant niſi armis depoſitis, modeſtoque habitu, ac compoſito corporis geſtu, aliquod reverentiæ interioris indicium, exteriori cultu præ ſe ferat, & fidei noſtræ ſaltem initia recitare noverit.

Illud præterea diligenter caveant ne pro illis adminiſtrandis ab ullo, vel omnium rerum inope ſacerdote, verbis aut etiam ſignis quicquam prorſus, vel minimum quovis modo petatur, exigaturve.

Quod ſi quis contra fecerit, is graviter ab epiſcopo pro culpæ ratione puniatur, non avaritiæ tantum labe notatus, ſed etiam ſimoniacæ pravitatis reus.

Quod ſi laici homines, eleemoſynas dare conſuetas impendereque renuerint, eos epiſcopus ex canonum jure ad pie introductam conſuetudinem perpetuo retinendam cogat, atque compellat.

ANNO CHRISTI 1585.

*De baptiſmi ſacramento.*

LICET expoſitus infans ſcriptum habeat collo appenſum, quo ille baptizatus ſignificetur: ſi tamen re diligenter perquiſita, quemadmodum catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur. Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo. Et ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. In reliquis verò ſervent omnino curati ceremonias, & ritus in libro rituali baptiſmorum, nec ullum vel etiam verbum relinquant in illo deſcriptum, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, & aliarum arbitratu epiſcopi. B Et quia aliqui dubitabant de valore baptiſmi ab hæreticis collati, ideo, ſi qui ab illis baptizati eſſent, rebaptizandos eos ſub conditione exiſtimabant: Verum quoniam illa forma baptizandi ſub conditione, introducta eſt propter baptiſmata occulta, & de quibus non paret, nec uni *mulieri*, ſeu alteri privatim baptizanti credi neceſſe eſt: contra vero conſtat Calviniſtas *in cœtu* publico baptizare & in forma verborum & materia a Chriſto inſtituta *nobiſcum convenire*, nec de hoc facto *ambigi poteſt: Ideo vetamus* ablutionem repeti quibuſcumque etiam *verbis iis*, qui a Calviniſmo aut aliis hæreſibus ſimiliter baptizantibus ad noſtras eccleſias tranſeunt, ne de anabaptiſmo redarguamur.

C Hæc ſynodus decrevit fontes baptiſmales, in omnibus eccleſiis provinciæ cum omni reverentia cuſtodiri, operiri decenter & in capellis includi, aut cancellis ligneis defendi debere, ne aliqua irreverentia fiat a populo.

Optat etiam hæc ſynodus, ut fontis baptiſmalis operimentum ex nuceis, aliiſque pulchrioribus tabulis levigatis, ac rite compactis conſtruatur in pyramidis modum, quod locum habeat, quo apte ſacrorum oleorum & ſalis vaſcula, ritualis liber, aliave ad uſum baptizandi neceſſaria reponi poſſint. Oſtium autem ſit ita aptatum, ut illo aperto ſacerdos, & patrini, cum infante, ſupra fontem ſtare commode poſſint: D claveque ac ſera recte occluſum ſemper maneat. Neque clavem ulli alteri parochus committat ſub gravi pœna, arbitrio epiſcopi irroganda.

Interim vero cuſtodiantur ſacra olea prope fontes baptiſmales, in loco decenti & tuto: in quo etiam reponantur mantilia oblonga, ſaltem duo, munda, & decentia ad uſum baptiſmatis.

Optamus etiam, ut vetus illa conſuetudo in uſum revocetur, quæ adhuc in compluribus provinciis retenta talis eſt, ut ſabbato ſancto, item pentecoſtes frequenti ſacerdotum conventu, ac ſolenni ritu, tum in cathedrali eccleſia, tum diœceſis etiam locis, eccleſiiſve inſignioribus fontis baptiſmalis benedictio fiat. E

Curabit igitur epiſcopus, ut ad illius ſolennis benedictionis officium, omnes ſingulique rectores eccleſiarum quarumcumque, quæ in urbe ſunt, in cathedralem; earum vero, quæ in diœceſi, ad eccleſiam illius loci, qui vicariatus foranei titulo fuerit inſignitus. Curati omnes illius vicariatus conveniant, ibique fontem ſolenniter benedicant, juxta ritum a nobis tradendum.

Baptiſmalis fontis, [illegible] ſtatis illis, ac ſolemnibus diebus in cathedrali eccleſia conſecrare ſolenne eſt, conſecrandi officium atque munus, A niſi epiſcopus legitima cauſa impeditus ſit, ipſe obeat. In diœceſi, is qui præeſt vicariatui.

Curatus antequam baptizet, accurate imprimis videat, an qui adhibendi ſunt in baptiſmo compatres & commatres tales ſint, quales eſſe debere eſt: ac ſi aliunde certo non ſciat, eos neceſſe ſaltem orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & ſymbolum apoſtolorum tenere experiendo cognoſcat: quam ob cauſam ea doctrinæ Chriſtianæ rudimenta ſibi ab illis ante recitari præcipiat. Baptizandi ritus accurate ſervetur, nec vero ullo modo confundatur: ita ſcilicet ut pro eccleſiæ uſu per epiſcopum probato, vel aquæ infuſione, vel immerſione baptiſmum miniſtret.

B Ad aquam baptiſmalem infundendam, non manus, ſed vas, quod ob eam cauſam paratum in fonte baptiſmali aſſervari debet, adhibeatur. Parochus autem ſacerdoſve baptizans, caveat ne ad infantem baptizandum alio chriſmate utatur, quam eo, quod illo ipſo anno conſecratum eſt, ut veteri canone cavetur, ſub pœna ſuſpenſionis incurrendæ.

Curati gravi illis pœna arbitratu epiſcopi infligenda in poſterum, ſacramentum baptiſmi ne miniſtrent iis, qui ad eccleſiam accedunt cum tympanis & aliis inſtrumentis ſtrepitum ac clamorem cum riſu, & aliis inanis lætitiæ ſignis excitantibus.

Et quando opus fuerit illum adminiſtrare diebus feſtis, C adminiſtrent ante, vel poſt dimidiam horam, quam divina celebrata fuerint officia. Iidem curent ut infantibus proprio nomine in baptiſmo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia, aut ridicula ſunt, quæve gentilium, atque adeo impiorum & impurorum hominum memoriam referant: ſed illorum, qui ob veræ pietatis, ac ſanctæ religionis, virtutiſque Chriſtianæ laudem, ſanctorum numero aſcripti ſunt, ut & in ipſo vitæ ingreſſu cum ethnicis, ne nomen quidem commune fideles habere velle proteſtentur, & ipſi infantes etiam, cum ætate proceſſerint, nominum ſimilitudine ad eorum, a quibus illa accepta ſunt, imitationem excitentur, & propterea quos imitari D ſtudeant, eoſdem quoque frequentius precentur, ac ſperent eos ſibi potiſſimum ad ſalutem, tum animi, tum corporis advocatos fore.

Baptizandi formulam ipſe non ſolum ex catechiſmi Romani præcepto generatim, ſed etiam privatim, ac præcipue obſtetricibus, in eccleſia tamen plane oſtendat ac tradat, quam etiam an illæ recte teneant, aliquando eodem loco accurate videat, ac diligenter quærat.

Baptiſmus infantis, qui domi ob neceſſitatem baptizatus eſt, in libro baptizatorum a parocho de more referatur: notato patrini nomine, & ejus, qui domi ad baptiſmum, & qui in eccleſia ad catechiſmum & exorciſmum E adhibitus eſt.

Curatus autem ſacerdoſve extra neceſſitatis caſum, illis pœna excommunicationis propoſita, ne ad domum cujuſdam etiam magnatis ad baptiſmum miniſtrandum accedat, neceſſitas autem illa intelligatur, quæ mortem infantis minatur.

Nemo niſi parochus, aut is, cui ille epiſcopuſve nominatim conceſſerit, in baptiſmo miniſtrando ſtatas illas, ſolenneſque ceremonias adhibeat, etiam ſi ob neceſſitatem miniſtret. Quo in miniſterio ſtola non alterius cujuſquam, ſed albi coloris, ſi fieri poſſit, utatur: & ſine ea [illegible] & ſu-



ANNO CHRISTI 1585.

perpellicco mundo & integro, ad formam A in hac ſynodo præſcriptam nunquam miniſtret.

In baptiſmo compater ne ſit, qui ſacro chriſmate confirmatus non eſt, eademque de * compatre cautio ſit: proinde parochi erit de hoc ſtudioſe ante perquirere. Compater ne adhibeatur regularis aliquis, nec paſſim clericus ſæcularis ſacris initiatus, aut beneficium eccleſiaſticum obtinens, nec qui minor natus ſit quatuordecim annis, ſed, qui major, vel potius ætate ſit provectiori, ut non ore ſolum, ſed animo, atque ſerio ad interrogata, quæ in baptiſmo fiunt, reſpondeat, ac plane intelligat ſuſcepti a ſe muneris partes, quod idem de confirmatione intelligatur. B

*Idem etiam habetur in editione anni 1586. in 8. art. legendum videtur *commatre*.

Quoniam autem in baptiſmo unuſquiſque pie ac religioſe profitetur, ſe operibus ſatanæ renuntiare, ejuſque pompas deſerere, id parochus cum uſu venerit populum doceat, præſertimque baptiſmi tempore, non ſolum quomodo & quam ſimplici amictu ad illud infans deferendus ſit, ſed quam religioſa in Deum pietate, quam humili ſpiritu, & quanta etiam veſtitus moderatione compatres commatreſve adeſſe debeant.

Nec vero ullum vel ornamentum, vel aliud quicquam quod mundi hujus pompam præ ſe ferat, adhiberi patiatur: cum minime conſentaneum ſit in ipſa vitæ Chriſtianæ ingreſſu, ſtatim iis rebus ſtuderi, quibus potiſſimum ſolenni ſponſione renuntiatur. C

In baptiſmo ſacerdos, parochuſve baptizans, præſentem adeſſe non patiatur neque Judæum, neque hæreticum, neque denique alium quemquam a fide Chriſtiana averſum. Fideles vero, qui præſentes adſunt, pie, religioſe, omnique animi attentione adeſſe ſæpe moneat, memoria tacite ſtudioſeque repetentes, quæ Deo, cum baptiſmum ipſum ſuſceperunt, ſancte ſpoponderunt.

Moneant etiam illos, ne baptiſmum filiorum ſuorum ultra octavum diem differant, ſub pœna excommunicationis iis qui terminum hujuſmodi exceſſerint.

Si duo vel plures infantes offeruntur qui D eodem tempore baptizentur, eorum unicuique catechiſmum, exorciſmum, & reliquas ſtatas ceremonias, baptiſmumque parochus ſigillatim miniſtret atque adhibeat. Cum duo infantes offeruntur ad baptiſmum, mas ſcilicet & femina, is ordo ſervetur, qui antiquiſſimi ritus eſt, ut mari primo, deinde feminæ miniſtretur, niſi neceſſitas aliter cogat: Idemque ſervetur ſi plures offeruntur, partim mares, partim feminæ.

Ad aquam baptiſmalem, quæ capiti illius infunditur, qui baptizatur, eamque, qua ſacerdotis manus ſacro oleo illitæ abluuntur, excipiendam, pelvis ne adhibeatur, niſi quæ eccleſiæ tantum uſui addicta ſit. E

Obſtetrices tribus poſt hujus decreti promulgationem menſibus pœna arbitratu epiſcopi propoſita, officium ne præſtent, niſi per vicarium foraneum, ſi in diœceſi ſunt: at vero in urbe per eum cui epiſcopus id curæ dederit, ſcripto probatæ ſint idoneæ ad ſacramentum baptiſmi, cum neceſſe erit, miniſtrandum.

Quæ autem probata eſt, curet quoad fieri poteſt cum baptizarit, ut duæ ſaltem mulieres ac mater præſertim, ſi poteſt, teſtes præſentes adſint, qui in baptizando verba ab eo prolata A audiant. Parochus vero cum perquiret an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget, ut ſibi conſtet an baptiſmi forma recte adhibita ſit, an vero ſecus, quamobrem oporteat infantem a ſe baptizari.

Doceat parochus patrinos, quam cognationem & affinitatem contraxerint, & ad quid obligentur, ne prætendant in ſuo munere ignorantiam.

Omnis parochus provinciæ poſt duos menſes, a die promulgationis horum decretorum, ne in baptiſmi ſacramento alio rituali utatur quam Romano, pœna aureorum quatuor, & alia arbitratu epiſcopi infligenda.

B Unus tantum ſive vir ſive mulier, vel ad ſummum unus & una, baptizatum de fonte ſuſcipiant: inter quos & baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum, ſpiritualis cognatio contrahatur.

*De ſacro chriſmate.*

VICARII ubi conſtituti fuerint, ex hujus ſynodi decreto, mittant ad cathedralem, ad recipienda ſacra olea feria quinta in cœna domini, quibus ea die per deputandum ab epiſcopo diſtribuantur, ut qui ad ea accipienda C venerint, valeant redire ad vicariatum in ſero feriæ ſextæ in paraſceve, ut commode in ſequenti mane a vicario præparentur ad diſtributionem cleri ſui vicariatus ſeu ritu ſolenni a nobis præſcribendo faciendam. Interim vero donec hujuſmodi vicarii foranei inſtituantur, parochi laicos homines, aut clericos ſacris ordinibus non initiatos ne mittant, quibus ſancta olea ad ſe deferenda dentur.

*De confirmationis ſacramento.*

CONFIRMATIONIS ſacramentum, cujus miniſtrandi ſolus epiſcopus ordinariam habet poteſtatem, parochi animarumve curatores D qui in urbe ſunt, die dominica ſolennitatem pentecoſtes præcedente, qui vero in diœceſi, quo tempore adminiſtrandum erit hoc ſacramentum, populum doceant, quanto religionis ſtudio ſuſcipiendum ſit. Videant item, ne qui eorum qui ſibi in curam traditi ſunt, illud ſuſcipere negligant: ſed eos omnes, quos in ætate legitima, qua eos epiſcopus duxerit eſſe debere, cognoverit ad illud ſuſcipiendum omni cura & diligentia adducat: quos vero negligentes animadverterint ad epiſcopum deferant: laborent præterea iidem, ut qui adulta ætate confirmandi ſunt, primo de peccatis confiteantur, tum etiam admoneant, ut jejuni illud ſuſcipiant, cum mane miniſtratur.

E Epiſcopus ſacrum chriſma, cum id miniſtrare proprium epiſcopalis curæ munus ſit, ne ſtata pentecoſtes ſolennitate id prætermittat, tum ad ſingulas univerſæ diœceſis partes, parochiaſve & loca vel infima vitando accurrat, ubi illud miniſtrari neceſſe ſit.

Ne epiſcopi hoc ſacramentum minoribus natu annis ſeptem miniſtrent, niſi illis juſta aliqua cauſa aliter videatur.

Curatus præmoneat illos, qui confirmandi ſunt, ut non fronte ſordida, aut capillis, ut aliquando ex nimia contigit accedentium incuria, indecenter contecta, accedant.

Qui confirmandi ſunt, & qui patrini adhibentur parochus ante videat, præſertim quos rudiores eſſe ſuſpicabitur, an orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum apoſtolorum, decem præcepta norint. Atque ob eam quidem cauſam epiſcopus, illa fidei rudimenta ſibi ab illis recitari jubebit. Quam diligentiam idem epiſcopus, etiam, ut opus eſſe viderit, aliquando præſtet per ſe: vel per alium ſacerdotem, quem in ea re cognoſcenda conſtituerit.

Eam rationem adhibeat epiſcopus in miniſtrando hoc ſacramento, ut prius maribus, poſtea feminis adminiſtret, ſeparatim & diſtincte, ſi commode fieri poſſit, ſint compoſiti, manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine, religioſe & devote orent. Caveant ab omni ſtrepitu, vociferatione, & confabulatione, ſed ſancto utantur ſilentio.

Studebit epiſcopus hoc ſacramentum hora tertia miniſtrare: quæ hora ex antiquo uſu ſtata eſt hujus ſacramenti, niſi neceſſitas aliud ſuadeat.

Ne ſint mares feminis compatres, neque feminæ viris, nec juniores ſenioribus cum hoc minime conveniat.

Hanc rationem adhibeant epiſcopi, ut omnes qui ad hoc ſacramentum accedunt, chirographum, præ manibus geſtent, in quo deſcriptum ſit nomen illius qui confirmandus eſt, & præterea patrini, quod clericus qui epiſcopum antecedit de manibus confirmandi accipiens, voce elevata nomen confirmandi tantum leget, ut epiſcopus nomen confirmandi agnoſcat: poſtea in filum reponat quod in fine confirmationis curato tradat, ut nomina confirmatorum & patrinorum in libro chriſmatorum referat.

Epiſcopus & parochus curet, ut qui ridiculum & turpe habet nomen, illud mutet, ſumatque in hoc ſacramento nomen alicujus, qui vera pietatis, ſanctæque religionis laude floruit, ut eumdem imitetur cujus nomen gerit, ab eoque auxiliari mereatur precibus apud Deum.

Frons confirmati chriſmate ab epiſcopo illita, primum bombyce diligenter a ſacerdote abſtergatur, mox a clerico in ſacris ſi fieri poteſt, conſtituto, tela linea munda & pura, aqua madefacta lavetur, quæ aqua poſtea in baptiſterii ſacrarium projiciatur.

A ſuſceptoribus in ſacramento confirmationis, neque iis, quos ſuſceperint, neque eorum parentibus quidquam omnino largiatur, ne id cuiquam, quod aliquando uſu venit, iterandi hoc ſacramentum, quod nefas eſt, occaſionem præbeat.

*Quæ ad ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum pertinent.*

TABERNACULUM in quo ſanctiſſimum aſſervatur ſacramentum eſſe debet quam ornatiſſimum, ac ſi fieri poſſet ex auro ſolido, pretioſiſſimis gemmis, religioſe certis locis ornatum. Sed quando per facultates ne æneum quidem habere licet, ligneum ſaltem non ex tabulis piceis, aut querneis, unde humiditas gigni ſolet, ſed ex populeis, aut ſimilibus conficiatur: totum extrinſecus, aut ſaltem magna ex parte inauratum, reliquis partibus decenter pictis, amplum quidem erit, pro ſtatura atque eccleſiæ magnitudine, quadrata; aut octangula, aut rotunda forma, aliave quæ commodior videbitur, & imaginibus ſanctorum, vel paſſionis dominicæ myſteria referentibus exſculptum.

In ejus ſummitate poſita ſit imago, vel reſurgentis, vel ſacrum pectoris vulnus exprimentis, vel cruci affixi Chriſti domini: Super majori altari, tanquam digniori, magiſque conſpicuo loco, collocandum erit, omnino bene firmum, firmiterque ſuffultum: niſi neceſſaria vel gravi de cauſa aliud epiſcopo videatur: tum etiam tuto clauſum, cujus claves videat, ne cuiquam alteri facile committat eccleſiæ rector: ac ne laico viro unquam, etiam eccleſiæ cuſtodi, uti alicubi factum ſæpe animadvertimus, viginti quinque aureorum pœna propoſita rectori, aut ei cui clavis cura commiſſa eſt, ac graviore præterea arbitratu epiſcopi, ita quippe apte poſitum, ut ad promendum, reponendumve ſacramentum, altare nunquam aſcendi oporteat.

Oſtiolo erit ita ab anteriori parte amplo, ut tabernaculum aliud minus, intus recondi & exponi rectum poſſit, necnon ita ad aperiendum aptato, ut ſacerdotis, aut recondentis manus, brachiumve nullo pacto impediatur.

Vacuum ita ſit a reliquiis, & ſacri olei vaſis, aliiſque rebus omnibus: ut ne inanis quidem pyxis intus reponatur, nihilque aliud prorſus in eo recondi liceat, quam illud ipſum vas, in quo tunc aſſervatur ſanctiſſimum ſacramentum.

Sub illo autem, etiam ſi commodus ab inferiori parte ſuperſit locus, nullum ſit prorſus, etiam pro thure, candelis, libriſve, aut alicujus eccleſiæ ſupellectilibus recondendis armariolum.

Intrinſecus panno ſerico ornatum, & circumveſtitum ſit, ab exteriori parte conopeo amplo & ſerico item, ſed auro, vel argento intexto, ubi per facultates poteſt, pretioſiori in dierum feſtorum ſolenniumque celebritate, in feriali autem uſu ex ſerico, vel ſubſerico, quod camelotum vocant, contexto. Tabernaculi vero ſolum, ſub ipſo ſacramenti vaſe candido corporali ſemper ſtratum ſit.

Cum ſacerdos peracto miſſæ ſacrificio, ſtatim ſacram euchariſtiam miniſtrat, veſtibus ſacerdotalibus, quibus in miſſa uſus eſt, indutus id faciat. Si vero alio tempore, tunc ſuperpelliceo ſtolaque alba utatur, verum pluviali indutus ſit epiſcopus, quando illam non in miſſæ ſacrificio miniſtrabit.

Ad duos menſes poſt decreti hujus publicationem, non miniſtretur ſacra communio, ubi fuerit communicantium frequentia, ſine pyxide, in qua decenter ſacræ hoſtiæ collocentur: & interim ſub pœna ſuſpenſionis, ne deferatur ab altari ad altare in corporali, ſed in calice.

Eo modo autem adminiſtret ſacerdos celebrans ſacram communionem, vel peracto miſſæ ſacrificio, vel poſtquam ſumpſerit ſacratiſſimum ſanguinem, ut populus vel hi qui communicaturi ſunt, diſpoſiti ordine & decenter conſiſtant: & niſi ante ipſos parata ſint ſcamna cum mappis, adſint duo clerici; vel alii duo pii homines, ubi clericorum numerus non ſit, qui mappam extenſam habeant ante communicandos, ad hoc ut caveatur ſanctiſſimo ſacramento, ne cadat aliquando in terram, alter vero clericus a parte epiſtolæ poſitus recitet alta voce *Confiteor*, uſque ad finem. Perfecta con-





feſſione & abſolutione, de more ſacerdos genuflectat ante altare, & adoret ſacratiſſimas hoſtias: poſtmodum aſſurgens reverenter accipiat pyxidem in manu ſiniſtra, & cum pollice & indice manus dexteræ teneat unam ex ſacris hoſtiis aliquantulum ſuper labium pyxidis elevatam, quam populus intueatur, & dicat voce aliquantulum elevata, gravi tamen, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, deinde vel ipſemet ſacerdos, vel clericus in eodem loco capite profunde inclinato percutiens pectus dicat ter, *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, &c.* Quo facto ſacerdos proſequatur communionem dicendo: *Corpus domini noſtri &c.* Et dum hoc dicit, ſignet ante faciem communicantis, cum ſacra hoſtia, modeſte tamen ſupra pyxidem.

Clericus, qui confeſſionem recitavit, accepto vaſe purificationis, quod tamen non ſit calix ad conſecrationem paratus, ſed ciathus, & mappa purgata: alia manu teneat aliud vas, in quo vinum ſit pro purificatione communicantium, quod ubi commode fieri poſſit albi ſit coloris, & inſequatur purificationem uſque ad ultimum, ea tamen ratione, quod ſi ſacerdoti cum ſanctiſſimo ſacramento contigerit obviare, ceſſet a purificatione, & reverenter genu flectat, quoad uſque ſacerdos tranſierit. Idem curet, ut ſtatim cum aliquis ſumpſerit purificationem, ſurgat, & locum alteri cedat. Erit in hoc diligentia ſacerdotis & parochi curare, ut omnia quæ tanto ſacramento adhibentur, decore, honeſte, ac reverenter fiant.

Expedita communione, pyxide reverenter repoſita in tabernaculo, verſus ad populum de more impertiatur benedictionem.

Animadvertat præterea parochus, ne quid in ſacra communione quæritetur pelvi vel alio vaſe.

Cum vero ad ægros omni reverentia omnique religioſi cultus ſtudio, atque honorifice quoad ejus fieri poteſt, afferenda illa ſit, nocturno tempore non afferatur, niſi ægro mortis periculum inſtet.

Parochus ægroto illum allaturus, accurate hæc præmoneat, primum ut ægrotantis cubiculum ab omni ſorde, omnique inquinamento purgetur, & amota omni re prophana, pro apparatu, & ſacris imaginibus, ubi poteſt, exornetur, tum præterea menſa mappa nitida, puraque conſtrata: cruce, aliaque effigie ſacra, candelabris, & candelis cereis, ſaltem binis inſtructa apparetur: in qua ſuper corporali pyxis cum ſanctiſſimo ſacramento collocari poſſit. Sit etiam vas vitreum ad ablutionis uſum. Quæ omnia ut ab his qui ægroti curam habent parentur, cura ſit imprimis confratrum ſanctiſſimæ euchariſtiæ. Apud eos vero qui pro eorum egeſtate, inopiaque id præſtare non poterunt, ipſi ſodales parent. Deinde idem parochus & veſperi pridie illius diei, quo ſacram euchariſtiam allaturus eſt, ſi eo tempore de hoc officio præſtando certior factus eſt: & paulo etiam antequam afferat, certis campanæ ictibus confratres ſanctiſſimi ſacramenti & clericos, & reliquos fideles, præſertim illius parochialis viciniæ evocari mandet, qui illud pia veneratione proſequantur, poſt ipſe, ubi manus laverit, tum ſuperpelliceo, ſtola, ac pluviali ubi poteſt indutus, ad altare genibus flexis religioſe oret.

Sacerdotes vero ceteri, clericive qui comitantur ſuperpelliceum adhibeant. Si canonicorum capitulum ſit, cappam vel almutiam, aliudve indumentum, ut illis in choro moris eſt. Reliqui fideles bini proſequantur capite aperto, & quamplurimi, candelis accenſis, ac primo loco viri, in quibus ſcholares ſanctiſſimi ſacramenti præcedant, poſtremo feminæ. Omnes præſertim eccleſiaſtici homines, hymnos & pſalmos pœnitentiales, alioſve intima animi pietate ſimul cum parocho, ſed alternatim pronuntient, atque alii item religioſe orent.

Cum quis ſacerdoti, ſanctiſſimi corporis domini ſacramentum ad ægros ferenti, aut eidem inde redeunti obviam fit, dum vel equo, vel curru, vel jumento vehitur, ubi primum illum id ferentem viderit, inde ſtatim deſcendat, humique flexis genibus tamdiu in adoratione permaneat, quoad ille cum ſacramento tranſierit.

At vero omnis ſive ſacerdos, ſive clericus, ſive laicus quicumque eidem ſanctiſſimo ſacramento obviam fiet, pro Chriſtianæ religionis cultu, domum uſque ejus, cui miniſtrandum eſt, & ad eccleſiam quoque quo reditur pia veneratione proſequi & comitari omnino ſtudeat, niſi neceſſitate cauſave urgenti vehementer impediatur. Id omne ut cuncti fideles ſtudioſe religioſeque præſtent, illos unuſquiſque parochus quam ſæpiſſime ac diligentiſſime commonefaciat. Familia vero, quæ domi habitat ubi ægrotus eſt, ſanctiſſimo ſacramento ad eccleſiam uſque, vel ſaltem extra januæ fines obviam procedat, cum cereis accenſis, & omni alio interiori & exteriori pietatis cultu, depoſitiſque plane armis.

Cum ſacerdos pervenerit ubi ægrotus jacet; benedicat dicens, *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*. Poſteaquam pyxidem in menſa ſuper corporali depoſuerit, eamque reverenter adoraverit, devote aſſurgat, & ægrotum interroget, an aliquid habeat, quod confeſſario detegere velit ante ſacram communionem, quod ſi quis habet, ſacerdos, omnibus dimiſſis, eum audiat: dataque abſolutione revocet illos, moxque de more clericus dicat confeſſionem eo modo quo diximus ſupra de communione populi. Sacerdos autem cum ægro ſacram euchariſtiam oſtendit, aliqua breviter & pie dicat ad excitandam ægri devotionem & aſtantium pietatem & religionem. Facta communione, & oratione poſt communionem dicta, & aſperſione perfecta, hortetur eum ad ſancte meditandum, & ad gratias Deo agendas de tanto beneficio; moneatque domeſticos, qui ægroti curam habent, ne per dimidiam ſaltem horam illum viſitari permittant, ne a munere gratiarum Deo agendarum avertatur.

His omnibus peractis, decenter & reverenter reaſſumpta pyxide, eo modo quo acceſſit, ad eccleſiam revertatur, & ad tegendam ſacram euchariſtiam, & ſacerdotem deferentem umbella ſemper in via adhibeatur.

Cum pervenerit ad eccleſiam, oſtendat breviter populo indulgentias, quas conſecuti ſunt comitando ſanctiſſimum ſacramentum per ſummos pontifices conceſſas, & oratione de ſanctiſſimo ſacramento dicta, cum pyxide populo benedicat, qua in tabernaculo collata, illud claudat, & reverenter ad ſe exuendum in ſacriſtiam revertatur.

Fideles omnes juxta canonem, Omnis utriuſque ſexus, ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum in paſchate, a proprio parocho ſumere ne omittant: nec ulli liceat illud ſumere ab alio quam

quam a proprio parocho, vel de ejus licentia. Quod ſi quis contra fecerit, præter grave peccatum mortale quod incurrit, volumus etiam illi ingreſſum eccleſiæ interdici, & ſepulturam eccleſiaſticam. Religioſi vero, qui illud abſque parochi conſenſu adminiſtrarint, juxta Clem. primam, de privil. ſciant ſe excommunicationis pœna innodatos.

*De celebratione miſſæ.*

EX indigna adminiſtratione & perceptione ſacroſanctæ euchariſtiæ, apoſtolus non ſolum mortem æternam, & judicium imminere teſtatur, ſed & morborum popularium cauſam & originem procedere: quod noſtris ſæculis, & eccleſiis terrorem maximum incutere debet, propter ſacerdotum in celebratione miſſarum ſummam & quotidianam fere irreverentiam. Quam enim illota conſcientia ac polluta accedant ad ſacrificandum, aut quam parum ſtudioſe ac pie dijudicent corpus domini, ſatis arguunt ſordes calicum, corporalium, mapparum, atque omnium ornamentorum, quibus decet venerari tantum religionis Chriſtianæ ſacramentum & ſacrificium. Ad occurrendum itaque huic indignitati, præcipimus, ut ſacerdotes ſibi conſcii mortalis alicujus peccati non niſi confeſſi, quoties copia alterius ſacerdotis illis fuerit, nec niſi mundo corde & jejuni audeant ad altare accedere.

Quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum tamen poterit, confiteatur. Suos vero calices ſtanneos, ubi ex neceſſitate epiſcopus conceſſerit, gravi aliqua de cauſa (nam ſine epiſcopi facultate ejuſmodi calicibus uti non debent) ut toti intus, & extra niteant, ſingulis hebdomadis lineo, atque etiam cinere cum aqua ne negligant detergere, quam in piſcinam, aut alium ſacratum locum effundant. Calices vero argenteos omni cuſtodia curent ne polluantur ſordibus.

Corporalia quoque a ſe aut ab honeſtiori quopiam ſacerdote, aut etiam tantum a ſubdiacono ablui curent, tertio quoque menſe, & crebrius ſi opus fuerit. Albas vero & mappas frequentius ut nitor & mundities maxima in illis, & decor in aliis etiam ornamentis reluceat.

Porro venerabunda ac devota omnis eorum actio & pronuntiatio præ ſe ferat, & oſtendat, fidem & intentionem, quam habere debet, de Chriſti & angelorum in ſacrificio præſentia.

Ad excitandam & intercipiendam quorumdam in hac re ſocordiam & incuriam, epiſcopi per ſe aut per ſuos viſitatores quandoque etiam extraordinarie viſitent eccleſias, & presbyterorum ſacram ſupellectilem, necnon de ipſorum officio inquirant. Compertos vero negligentes graviter coerceant, aut carcere, aut alia pœna: quin etiam & curatos puniant, qui ſuis in parochiis indignos presbyteros admittunt aut ferunt, vicarii foranei quoque, ſi in his exequendis, negligentes fuerint, ſe pœnis etiam canonicis coercendos eſſe exiſtiment.

Curatus in ſua eccleſia nullum permittat celebrare, qui ſcriptis facultatem ab epiſcopo impetratam non exhibuerit, & eam licentiam quam anno uno vetuſtiorem repererint ne admittant.

Epiſcopi nulli ſacerdoti facultatem celebrandi dent, quem prius examine non probarint, an exercitatus ſit in ceremoniis ſuæ cathedralis eccleſiæ, & quantum poterit in ceremoniis Romani miſſalis: quem ignorantem repererint, prius ut inſtituatur curent.

Ne miſſam novam epiſcopi celebrari permittant a quovis ſacerdote, qui non fuerit peritus ceremoniarum Romani miſſalis, illudque ex hujus ſynodi decreto quam primum in ſuis diœceſibus introducant.

Qui vero primæ miſſæ celebrandæ facultatem impetrat, is ſedulo moneatur, ut quo die primum celebraverit, cum totum in ſanctis pietatis officiis, omni animi religioſi ſtudio ponat, ac ne ludis, comeſſationibus, minus autem choreis, aut inanibus aliis ſpectaculis ſe immiſceat, graviſſimas alioquin pœnas arbitrio epiſcopi daturus.

De cetero, quilibet ſacerdos ſacrum miſſæ facturus, lotis prius manibus, & facta oratione, ſe ſacris induat veſtibus in ſacriſtia, & ad unguem omnia ſervet, quæ in rubricis Romanis miſſalis deſcripta ſunt, tam de purificatoriis, quam de burſis corporalium, & velis ad tegendum calices: Sudariolum præterea habeat pro abſtergendis manibus ad *Lavabo*. Aliud item pro naribus emungendis. Albarum præterea manicæ ita aſtrictæ manibus hæreant, ut in ceremoniis miſſæ rite perficiendis ſacratiſſima hoſtia intacta ſit, necnon etiam ut & aliis periculis occurratur.

In poſterum decernimus in ſacrificio miſſæ adhiberi ab omnibus candelas duas cereas, ita ut quævis unciæ unius ſit ad minimum, nec ultra quis miſſæ ſacrificium ſine talibus candelis celebrare audeat, ſub pœna aurei unius pro qualibet vice, applicandi pro medietate ſeminario, & pro medietate ſcholæ ſacratiſſimi ſacramenti, & aliis pœnis arbitratu epiſcopi.

In celebratione miſſæ ſacerdos ne ſe conferat ad altare, niſi clericum in decenti habitu, & cum ſuperpelliceo mundo cum manicis, ſibi inſervientem habuerit. Quibus vero in locis propter inopiam clericus ita commode haberi non poterit, caveat, ne celebret abſque hujuſmodi clerico, niſi facultatem ab epiſcopo in ſcriptis impetraverit.

Habeat in celebratione tintinnabulum parvum, cujus ſonitu moneantur fideles in elevatione ſanctiſſimi ſacramenti.

In metropolitana, cathedrali, vel collegiata, aut parochiali eccleſia, quando elevatur ſanctiſſimi domini noſtri corpus in miſſa majori, vel parochiali, ſemper ſigno majoris campanæ moneatur populus ut ille ſe Deo humiliet, & quamvis longe poſitus ſanctiſſimum ſacramentum adoret.

Nec vero quis vel vir, vel mulier gradibus altaris hæreat, aut prope altare ſit, dum ſacrum fit: Ideo ſacerdos celebraturus hærentes inde longius abſcedere jubeat: quo celebrante, id miniſtrans clericus præſtet.

Cum poſt offertorium in miſſa oblatio a populo fit, ſacerdos ne patenam deoſculandam illi præbeat, ſed tabellam aliquam pictam, vel aliam ſacram imaginem ad hoc adhibeat.

Faces, & intortitia quæ accenduntur ad elevationem ſanctiſſimi ſacramenti in poſterum ne extinguantur, donec ſacerdos ſumpſerit ſacratiſſimum ſacramentum in miſſis ſcilicet majoribus. Contingit ſæpe in quibuſdam eccleſiis vel tam magnum miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impoſitum



tum eſſe; ut illis pro ſingulis diebus a teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri, vel eleemoſynam pro illis celebrandis adeo tenuem eſſe, ut non facile inveniatur qui velit huic ſe muneri ſubjicere: unde depereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur. Propterea epiſcopi ex ſacroſancti concilii Tridentini decreto in ſynodo diœceſana re diligenter inſpecta, pro ſua conſcientia in eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuant circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem & cultum, atque eccleſiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, legata ea ad pios uſus reliquerunt. In poſterum vero non facile recipiantur niſi habita ratione temporum & locorum.

Curati ter in hebdomada ſacrum faciant, aut eo etiam ſæpius ſi vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini ſacrificii uſum poſtulabit.

Ceteris etiam clericis præcipimus, ut ſingulis menſibus, diaconi quidem & ſubdiaconi bis ſaltem: Qui vero in minoribus ordinibus, aut etiam clerici tantum ſunt, ſemel ſacram euchariſtiam ſumant.

Qui autem ſine neceſſaria cauſa id facere omiſerint, parochus eos ſui officii admoneat, & niſi paruerint, ad epiſcopum deferat.

Quod de ſacerdotibus miſſam celebraturis, in ſacriſtia induendis decretum eſt, idem intelligi volumus de celebrantibus veſperas, quibus interdicitur, ne amplius in choro, & in conſpectu populi cappam ſeu pluviale induant. Sed e ſacriſtia induti ad veſperarum officium incipiendum procedant, quo finito ad ſacriſtiam ut eamdem cappam dimittant, regrediantur.

*De miſſali & breviario.*

CUPIENS hæc ſancta ſynodus, ut omnes eccleſiaſtici hujus provinciæ, unanimes, uno ore tam in eccleſiis, quam privatim honorificent Deum ac patrem domini noſtri Jeſu Chriſti: & attendens quod ex conſtitutione felicis recordationis Pii papæ quinti prohibitum eſt proprio officio relicto aliud, quam Romanum aſſumere: Ideo cum aliæ cathedrales eccleſiæ officio metropolitanæ conformari non poſſint: Statuit hæc ſynodus, ac omnibus ad quos ſpectat præcipit & mandat, ſub pœna excommunicationis, ac alia arbitratu epiſcopi, ut uſum breviarii Romani & miſſalis ex decreto ſacroſancti concilii Tridentini reſtituti & editi in omnibus hujus provinciæ eccleſiis intra illud tempus, quod hinc ad principium menſis Januarii anni proximi 1586. interjectum eſt, omnino introducant. Viſum eſt enim id magis decere, quam, quod unaquæque diœceſis proprium officium retineret, præſertim cum jam miſſalia, breviaria, diurnalia, gradualia, antiphonaria, & alii hujuſmodi libri ad uniuſcujuſque diœceſis hujus provinciæ uſum omnes pene laceri, imo & omnino conſumpti ſint, & vix reperiantur, nec de novo imprimi poſſint abſque magna impenſa,

Et ne libri, quos tam metropolitana, quam aliæ cathedrales eccleſiæ habent, illis inutiles remaneant, magno earundem eccleſiarum præjudicio: placuit illos ad uſum Romanum aptari & reconcinnari, impenſis totius cleri uniuſcujuſque diœceſis.

*Quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent.*

ECCLESIA parochialis, eique item annexa, in qua confeſſiones audiri aliquando ſolent, confeſſionale unum habeat ex tabulis ſectilibus, ac rite conſtructum ad formam illius, quod in cathedrali eccleſia epiſcopus quamprimum conſtrui curabit. Duo vero eadem forma, ubi quingentarum animarum, & amplius cura geritur.

Eccleſia autem, quæ plures habet confeſſarios, totidem confeſſionalia, quot confeſſarios habeat, ſive parochialis illa ſit, ſive collegiata, ſive cathedralis: ubi ſex menſibus tranſactis confeſſionalia conſtructa non erunt, earum eccleſiarum rectores, epiſcoporum arbitrio condemnentur, & nihilominus expenſis eorum, ad quos ſpectabit, confeſſionalia hujuſmodi conſtruantur.

Sacerdotes autem, quicumque illi ſint, aut ſæculares, aut regulares, qui extra confeſſionalia, vel in iis quidem, ſed non forma præfinita conſtructis, vel aſſeres ſaltem & laminam, qua confeſſarius a femina recte dividatur non habentibus, mulierum confeſſiones, eo præſtituti temporis ſpatio tranſacto audierint, audiendæ confeſſionis officio miniſtrationeve, tum etiam, ſi epiſcopo videbitur, ab ordinum ſuorum munere ſuſpenſi ſint.

In tabulæ dividentis medio feneſtella fiat latitudine cubiti dimidiati, & altitudine paulo minori, cui feneſtellæ ferri lamina affixa ſit minutis foraminibus plena, & tela tenui præterea nigri coloris a parte confeſſarii appoſita, ut nequaquam confitentis faciem aſpicere confeſſarius poſſit.

Nullæ in eo prorſus capſulæ, loculive ad colligendas eleemoſynas conſtructi, aut affixi appenſive ſint. Affixæ vero intrinſecus ſint tabulæ caſuum reſervatorum tam ſummo pontifici, quam epiſcopis, & pagella præterea in qua forma abſolutionis rite deſcripta ſit. Ab exteriori autem parte ante pœnitentis oculos ſanctiſſimi Jeſu Chriſti imago, ſi non coloribus diſtincta, ſaltem in cartula aliqua diligenter expreſſa. Illud autem in aperto & non in obſcuro eccleſiæ loco collocetur, ut tam confitentes quam confeſſarius ſacerdos ab omnibus facile conſpiciatur.

Excommunicationis item pœnam ſacerdotes ſine approbationis facultate ab epiſcopo in ſcriptis data, quæ tamen gratis concedatur, pœnitentiæ ſacramentum miniſtrantes, ipſo facto ſubire decernimus & declaramus.

Confeſſionis ſacræ audiendæ munus ſacerdotibus regularibus, quamvis ad illud ob peritiam ſcientiamque idoneis, ne committatur, niſi per examen approbati ſint, ut ſupra, & niſi a monaſterii præfecto teſtatum litteris fiat, eos vitæ diſciplina moribuſque probatos eſſe, ac dignos propterea, quibus id muneris imponatur. Quo in teſtimonii genere ipſe videat, ne quid teſtificando admittat, quod religioſæ conſcientiæ ſuæ fraudi ſit, labemve afferat.

Unuſquiſque monaſterii regularis præfectus bis quotannis, ſemel ſcilicet ineunte adventu, iterum quadrageſimæ initio, confeſſariorum ſacerdotum ſui monaſterii probatorum nomina in folio ſcripta ad epiſcopum deferat, ut, cum

regu-

regulares ex uno in aliud monaſterium commigrare frequenter ſoleant, eamque ob cauſam illorum numerus interdum minuatur, aliunde ipſe epiſcopus alios in eo munere gerendo idoneos ac probatos opportune habere poſſit. Confeſſariorum probatorum nomina in tabella ordine deſcripta, ad valvas ſacriſtiæ eccleſiæ, ubi complures ibi habitant, affixæ, in omnium conſpectu ſint.

Epiſcopus quo tempore viſitationem obit in frequentioribus diœceſanis locis, confeſſarios ſacerdotes etiam regulares aliquando ad ſe, tum ſingulos, tum univerſos convocet, cum iiſque agat, quæ ad tantum ſacramentum pertinent, iiſque primo, cum ceteras muneris, quod ſuſceperunt, partes graviter accurateque oſtendat, tum eos præcipue moneat, quantum, quamque grave vel ad ſalutem, vel ad perniciem animarum onus ſuſtineant. Proinde illis demonſtret, & quam bene notos eos caſus habere debeant, in quibus abſolvendi auctoritatem nullam habeant, & quam ſtudioſe propterea cavere, ne in meſſem alienam falcem ponant, & quam caute item in pœnitentium abſolutione agere, cum præſertim, vel de reſtitutione, vel de occaſionibus, quibus ad mortalia peccata aditus fit, abiiciendis agitur.

Confeſſarius ſacerdos, quicumque ſit, etiam regularis, ne auditæ ſacræ confeſſionis teſtimonium ſcriptum, aut impreſſum manu ſua ſuoque ſigillo ſignatum ſibi peccata confeſſis dare recuſet, tum in paſchate, ut parochis, tum ægrotationis tempore, ut medicis, quod debent eos præſtitiſſe, plane conſtet.

Confitentium præterea paſchæ tempore, nomina & cognomina, ut fraudi multiplici occurratur, in librum certum, notato etiam die & menſe referat, quem librum epiſcopo petenti pro debito charitatis ſtudio non modo non deneget, ſed prompte oſtendat atque exhibeat, tradatque: Teſtimonii vero formula certa ab epiſcopo præſcribatur, cujus exemplaria, ubi ars impreſſoria ſit, & ubi opus eſt, typis impreſſa, quamplurima unicuique ſacerdoti confeſſario tradantur, & in diœceſi vicariis foraneis, qui deinde ſingulis curatis ea diſtribuent.

Epiſcopus, quo decentius atque adeo religioſius ſacramenti hujus adminiſtratio fiat, presbyteros confeſſarios, etiam qui alicujus congregationis clericorum regularium, alteriuſve ſocietatis regulares ſint, ad audiendæ confeſſionis officium ne admittat, neve illam audire, etiam in ſuis eccleſiis ſine ſuperpelliceo & ſtola patiatur.

Efficiat vero, ut reliqui regulares, tam monachi, quam mendicantes in hoc miniſterio eum habitum, veſtitumque adhibeant, quem ex regulæ præſcripto in choro ad divina officia celebranda adhibent,

Omnes vero videant, ne extra eccleſiam, oratoriumve, confeſſionem audiant, præterquam ægrotantium, niſi ob urgentem cauſam.

Confeſſarius quicumque ſive ſæcularis, ſive regularis ille ſit, non ſtando, neque procumbendo, ſed in ſede, tamquam pro tribunali judex ſedendo, ſacram confeſſionem audiat pœnitentium, quales quales ſint, etiam in ſummo aliquo dignitatis gradu conſtituti, itidem faciat tum abſolutionis ſententiam pronuntiat.

Atque, ut omnes una utantur abſolutionis formula, hanc omnibus obſervandam proponimus, ut poſt preces illas, quæ incipiunt, *Miſereatur*, *&c.* Et *indulgentiam*, *&c.* quæ in miſſalibus quibuſcumque leguntur, atque in miſſis quotidie recitantur, ſubdat confeſſarius, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis minoris (aut etiam ſi ejus rei facultatem habeat, majoris) ſi qua teneris: deinde abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Paſſio domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ ſemper virginis & omnium ſanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare.

Quod in eccleſia antiqui inſtituti, veteriſque conſuetudinis eſt, recte omnino ſervet, ut dum abſolutionis formulam preceſque adjunctas profert, ſupra caput pœnitentis, manum dexteram elevet a parte ſua in confeſſionali, id quod etiam cum myſterii ſignificatione fieri ſolet.

In pœnitentiæ ſacramento, magna humilitas neceſſaria eſt. Itaque pœnitens, cum ad confeſſarium, qui Chriſti domini locum in eo miniſterio gerit, accedet, intimo animi dolore, omnique humilitate, non ſubjectis pulvinaribus, ſi neceſſitas aliud non poſtulat, ſeſe ad illius pedes projiciat ac proſternat, id quod ab apoſtolicis uſque temporibus in more uſuque poſitum eſt, ut ſe reum agnoſcat atque profiteatur mortis æternæ. Dum confitetur, ſit manibus junctis, digitis paululum erectis, oculis demiſſis.

Confeſſarios omnes, qui in urbe ſunt, tum aliquando per annum, tum præcipue ſemel hebdomada prima quadrageſimæ, iterumque adventu ineunte ad ſe epiſcopus convocari curet, cum iiſque agat de animadverſionibus & præceptis ad utilitatem animarum in confeſſionibus neceſſariis.

Quod ſupra dictum eſt de confeſſionibus non audiendis poſt terminum conſtitutum extra confeſſionalia ſub pœna ſuſpenſionis ſtatim incurrendæ, id non ſolum de confeſſariis ſæcularibus, verum omnino de regularibus etiam intelligatur.

Innocentii tertii conſtitutionem, in generali concilio editam, qua ſancitum eſt, ut fideles ſaltem ſemel in anno, proprio parocho peccata ſua confiteantur, inviolate omnes ſervent.

Salutarem ejuſdem Innocentii conſtitutionem eodem concilio latam, a ſanctæ memoriæ Pio quinto in uſum revocatam, præcipimus obſervari, ut medici ad ægros in lecto jacentes adducti, antequam illorum curam ſuſcipiant, eos plane moneant, ut idoneo confeſſario de peccatis confiteantur. Quibus etiam denuntient, ſe niſi id quatridui ſpatio ad ſummum præſtiterint, eorum curationi non adfuturos. Parochum etiam curabunt certiorem fieri, de eo, qui in ejus parochia morbo affectus teneatur: qui pro ſui officii munere ſtatim ægrum convenire, & cum eo de pœnitentia agere debet, ut per hoc ſacramentum Deo reconcilietur.

Jubemus autem medicos, excommunicationis pœna iis propoſita, quam jure ipſo ſubeant, ſi ſecus fecerint, tranſacto quatriduo ab illo-

rum





rum curatione omnino abſtinere: niſi certo cognoverint, eos poſtquam in eam febrim morbumve inciderunt, confeſſos eſſe, aut epiſcopo, eive, cui epiſcopus ejus rei facultatem dederit, aliud ex juſta cauſa videatur.

*De matrimonio.*

DILIGENTISSIMI ſint epiſcopi in ea obſervatione, ne quiſquam a regula, quam in celebrando matrimonio ſervandam ſtatuit ſacro-ſancta œcumenica Tridentina ſynodus, ulla ex parte diſcedat.

Ne autem matrimoniorum, quæ contrahentur; memoria facile pereat, ſi quam facultatem epiſcopi, aut parochi cuiquam alii ſacerdoti, ut in contrahendo matrimonio interſit, concedendam aliquando duxerint, id ſcripto tantum faciant, ejuſque exemplum epiſcopi in aliquo libro deſcriptum diligenter aſſervent. Parochi autem in eum librum referant, in quo etiam conjugum, & teſtium nomina ex præſcripto Tridentini concilii ſcribere debent. Quicquid vero eo libro parochi ſingulis annis ſcripſerint, id in fine anni epiſcopo deſcribendum tradant.

Denuntiationes, quæ matrimonium antecedere debent, feſtis illis diebus fiant, qui eccleſiæ præcepto ſervantur, media ea miſſa, ad quam frequentior populus convenire ſolet, quo id facilius notum omnibus eſſe poſſit.

Si parochus in matrimonio denuntiationes, vel benedictionem ſine probabili cauſa procraſtinarit, cujus judicium deinde ſit epiſcopi, ab eo plectatur. Parochi, cum ſponſis benedicendum erit, id, celebrata miſſa, cui illi interſint, ſemper faciant.

Epiſcopi ea, quæ de matrimonio a Tridentina ſynodo in reformatione matrimonii decreta ſunt, communi lingua divulganda curent, & omnibus ſuæ diœceſis parochis eorum exempla diſtribuant, ut illi tertio quoque menſe frequenti populo in eccleſiis recitent, niſi aliud epiſcopo videatur.

Tridentina conſtitutio de matrimoniis, quæ cum vagis, & nullo certo loco conſiſtentibus hominibus iniri quandoque ſolent, ſervetur a parochis vel diligentiſſime. Nec vero ipſis parochis facultatem, ut illos vagos homines matrimonio jungant, epiſcopus ante det, quam norit eos ſolutos eſſe, & a catholica communione non alienos.

Matrimonii denuntiationes a parochis tum demum fiant, cum vir & mulier, eorumve parentes, vel ii, qui puellæ curam habent, id poſtularint. Quod ſi ambo diverſis in parochiis habitant, tum in unius & alterius item parochia fiant.

Eas autem denuntiationes ne ullas quidem remittere eis liceat, niſi proprii epiſcopi conſenſu, idque cauſis jure permiſſis.

Caveant autem parochi, ne alienæ parochiæ ſponſum ſponſamve ante matrimonio jungant, quam teſtimonium ab illius parocho, ſi ejuſdem vel finitimæ, aut non nimis longinquæ diœceſis ille ſit, ſcriptum acceperit, cujus teſtimonii fide ſibi teſtatum fiat, ex Tridentini concilii præſcripto, denuntiationes, quæ neceſſariæ ſunt, aut ordinarii ſui voluntate omiſſas eſſe, aut factas quidem, nullumque legitimum impedimentum ab ullo homine ſignificatum, quominus tale matrimonium contrahi liceat. Illud vero teſtimonium, ſi a parocho alienæ diœceſis fiat, ab ordinario loci, aut ab eo, cui hoc ille delegaverit, ſubſcriptione ac ſigillo comprobatum ſit; ſi vero in diœceſi, a vicario foraneo.

Contra maleficia, & ut digne hoc ſacramentum accipiant, parochus hortetur conjuges, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum accedant.

Nuptias ſolenniter fieri omnibus temporibus, præterquam ab adventu domini noſtri Jeſu Chriſti, uſque ad diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum, uſque ad octavas paſchatis incluſive permittitur.

Si quis parochus, vel alius ſacerdos, ſive regularis, ſive ſæcularis, etiam ſi id ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine ſibi licere contendat, alterius parochiæ ſponſos, ſine ſuorum parochorum licentia, vel tempore prohibito durante, matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, pœnis a ſacris canonibus, & generalibus conciliis impoſitis puniatur. Contra illos inſuper epiſcopus ad carcerem, & alias pœnas arbitratu ſuo procedat.

Quæ in nuptiis indecore aut ſuperſtitioſe fiunt, epiſcopi tollere curent: neque curati ad celebrationem, & benedictionem procedant, donec quæ illicita & ſuperſtitioſa ſunt, omnino ablata fuerint. In reliquis autem ſervetur uniuſcujuſque diœceſis, & eccleſiæ optima conſuetudo, quam tamen epiſcopus diligenter examinabit, ut ſi quid abſurdum in ea viderit, vel quod non deceat judicarit, reformet.

Qui ſponſalia de futuro contraxerint, ſi una ante coierint, quam coram parocho & teſtibus matrimonium inter eos in facie eccleſiæ per verba de præſenti celebratum ſit, illius peccati, quoniam in eo ſæpe delinqui animadvertimus, abſolutionem epiſcopo reſervatam eſſe volumus, gravemque illis pœnitentiam imponi.

Cum nefarium ſit, matrimonii libertatem violare, & a quibus jura expectanda ſunt, injurias naſci, omnibus cujuſcumque gradus, ordinis, dignitatis, & conditionis exiſtant ſub anathematis pœna, in quam ipſo facto incurrant, ſedis apoſtolicæ, & conciliorum generalium auctoritate præcipitur, ne quovis modo directe vel indirecte ſubditos ſuos, vel alios quoſcumque cogant quo minus libera matrimonia contrahant.

Parochis tamen mandamus, ne facile ad matrimonia liberos invitis parentibus contrahentes, aut vagos recipiant & ignotos homines qui plerumque relicta uxore, aliam, & nonnulli plures diverſis in locis ducunt, ſed prius diligentius inquirant de ea re qua ad ordinarium delata, ab eo quod decebit faciendi licentiam obtineant.

Grave peccatum eſt, homines uxore ſolutos concubinas habere: graviſſimum vero & in hujus ſancti ſacramenti maximum contemptum, uxoratos in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere, eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare ut huic tanto malo opportunis remediis provideatur, decreta ſanctorum conciliorum inſequendo ſtatuimus, concubinarios tam ſolutos, quam uxoratos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab ordinario etiam ex officio ter admoniti fuerint, concubinas non

ejece-

ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, a qua non abſolvantur, donec ipſa & cum effectu admonitioni paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum neglectis cenſuris permanſerint, contra eos ab ordinario pro qualitate criminis ſevere procedatur.

Mulieres ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum concubinariis, ſeu adulteris publice vivunt, ſi ter monitæ obedire noluerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente ex officio graviter pro modo culpæ puniantur: & ab eccleſia ejectas per brachium ſæculare extra oppidum, atque etiam extra diœceſim, ſi expedire videbitur, ejuſdem ordinarii judicio ejiciantur, aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

*Quæ pertinent ad ſacramentum extremæ unctionis.*

PAROCHUS extremæ unctionis ſacramentum, ſicut iis qui ſequuntur miniſtrare debet, adultis ſcilicet periculoſe ægrotantibus, prope moribundis, ſenio confectis, etiam leviter laborantibus, ita cavere ne ſequentibus miniſtret, nempe pueris rationis uſu carentibus, ad bellum proficiſcentibus, navigantibus, peregrinantibus, & his, qui mox ultimo ſupplicio mulctandi ſunt.

Idem, cum pro ægrotis ſuæ parochialis viciniæ ſemper orare, ſacrificiumque offerre debet, tum, ſi quem ex his periculoſe ægrotare viderit, hoc curet diligenter, ut die, noctuque ad extremæ unctionis ſacramentum ei miniſtrandum præſto ſit & paratus.

Idem extremæ unctionis ſacramentum miniſtraturus, quot commode poteſt, presbyteros, & clericos adhibere ſtudeat ſuperpellicco indutos, qui ipſum miniſtrantem, & precantem pietatis orationiſque ſtudio in eo miniſterio adjuvent. Quod ſi plures habere non poteſt, unum ſaltem omnino adhibeat clericum ſibi miniſtrantem.

Accedat autem illud miniſtraturus ſtola, & ſuperpellicco indutus, quo induatur in eccleſia.

Vas ſacri olei ne ſinu brachiove comprehenſum, ſed ſacculo ſerico violaceo apte incluſum, cordula ſerica a collo pendens pie reverenterque ferat.

Cum accerſitur, prope ægrotantis lectum, menſam parvulam, ubi commode fieri poteſt, parari, mappaque candida ſterni curet, ſuper qua & vas ſit, ubi bombyx ſeu ſtuppa ad abſtergendas unctiones, micaque panis ad abſterſionem digitorum præparata, & vas alterum aquæ ad manus lavandas, & candela ceræ item parva. In qua menſa vas ſacri olei a parte lecto viciniori ponatur, a laico vero homine manu ne teneatur.

Ubi ſacramentum ægro miniſtrarit, dum ille ſermonis & ſenſuum uſum non amiſit, cum brevibus & ſuavibus, ardentibuſque verbis excitare ad deſiderium vitæ æternæ, & ad ſpem de divina miſericordia concipiendam ne opportune deſiſtat: tum, cum prope moribundus eſt, in illius animæ commendatione quam maxime poteſt, intima animi pietate ſtatas, religioſas, ſanctaſque preces recitet, curetque eo toto tempore ut domeſtici, ſimul omnes qui adſunt, pro eo Deum pie precentur.

Ubi hoc officium pie accurateque præſtiterit, ſi æger adhuc vivit aut animam agit, ne eidem præſens adeſſe, omniaque ſalutaria officia præſtare omittat. Quod ſi legitime impeditus in adminiſtratione ſanctiſſimorum ſacramentorum, id præſtare non poterit, per alium ſacerdotem, ſi in eo loco ſit, vel per confratres ſanctiſſimi ſacramenti ſua diligentia inſtructos præſtare nullo modo omittat.

Epiſcopus pro ſua vigilanti cura in urbe, aut alio loco in quo ipſe ſit, cum ægros graviter laborantes, præſertim vitæ ſpiritualis amantes, pietatiſque laude inſignes paterna caritate aliquando viſitare ſtudeat, tum epiſcopalem benedictionem moribundis impertiatur.

Hoc officium quoque diligentius, cum poteſt, ſæpe parochis, ſacerdotibus, religioſis viris ægrotantibus, & moribundis item, præſtare idem pie curet.

Parochus vero fidelibus prope morituris ſuggerat, ut ex hoc ſæculo antequam migrent, qui præſertim in urbe ſunt, aut alio loco, in quo epiſcopus ſit, ad illum certum hominem mittant, qui eis benedictionem epiſcopalem petat.

*Quæ ad ſacramenti ordinis adminiſtrationem pertinent.*

UT ordinis ſacramentum omni qua fieri poſſit diligentia ac pietate, & ab epiſcopis conferatur, & ab iis qui promovendi erunt, ſuſcipiatur, hæc partim ex ſacrorum canonum jure, partim ex pontificum ſanctionibus, partim ex patrum regulis, partim ex œcumenica Tridentina ſynodo deprompta ſtatuenda duximus.

Dominico illo die, qui quatuor ſtata jejunii tempora, quibus ordinis ſacramentum miniſtratur, proxime antecedit, parochi non ſolum ſolenne illud jejunium hujus rei cauſa inſtitutum denuntient, verum etiam in ſua unuſquiſque eorum parochiali eccleſia ſupplicationes, litaniaſque pie ac religioſe vel intus habeat, vel proſequente fidelium multitudine, foris eccleſiam, ſicut moris eſt, obeat, tum præterea admonitione populum ad illud excitet, ut non modo eas ſupplicationes omni pietate peragat, ſed illis ipſis ſtatis jejunii diebus frequens in oratione pure ſancteque verſetur, ut Dei, ſanctorumque ope implorata, tum epiſcopus in eorum delectu, quibus ordines conferet, Spiritus ſancti lumine illuſtretur: tum illi quibus conferuntur, in vitæ ſanctitate, doctrina, religioſiſque virtutibus proficiant.

Sacræ ordinationes tum ſtatis a jure temporibus, niſi ob urgentem cauſam, illas alio tempore aliquando, facultate a ſede apoſtolica literis data, haberi neceſſe ſit, tum in eccleſia cathedrali ritu ſolenni, canoniciſque præſentibus, habeantur. Si vero quandoque in diœceſano loco habentur, in illius loci eccleſia primaria celebrentur, clero ejuſdem præſente, ut decreto Tridentino cautum eſt.

Conſtitutione Pii II. pontificis maximi, quicumque clerici ſine canonica diſpenſatione, extra ſtata tempora, vel legitimam ætatem, vel abſque dimiſſoriis ordinarii ſui literis, ſe ad aliquem ſacrum ordinem promoveri fecerint, a ſuorum ordinum, quos ſuſceperint, executione, ipſo jure ſuſpenſi ſunt; ſique ſuſpenſione durante, illorum ordinum miniſterium, functionesve obierint, ſtatim irregularitatem ſub-



ſubeunt: ob quam præter alias pœnas, contra eos canonum jure ſancitas beneficiis etiam eccleſiaſticis privari poſſunt. Iis igitur pœnis ne quis facile illigetur, illam conſtitutionem quotannis, tum in diœceſana ſynodo promulgari, tum pridie illius diei, quo ſacræ ordinationes habebuntur, edici clericis jubemus qui initiabuntur.

Ab omni ſacræ ordinationis limine, & ingreſſu, arceantur omnes & ſinguli, canonicis impedimentis irretiti. Si quis vero aliquo impedimento etiam occulto illigatus teneatur, illud plane ſaltem epiſcopo patefaciat, antequam ſe ſacris iſtis clericalis militiæ myſteriis obtrudere audeat.

Quicumque aliquem eccleſiaſticum ordinem ſuſcipit, is, ut Tridentino concilio juſſum eſt, certæ eccleſiæ adſcribatur, in qua functiones, quas ei epiſcopus præſcripſerit, obeat: nec vero alius eidem ordo ante conferatur, quam ipſi epiſcopo fidem teſtimoniumque ille attulerit, ſe in eccleſia, cui adſcriptus eſt, præſtitiſſe præſcriptas ſibi functiones, niſi neceſſitas, vel utilitas eccleſiæ aliud ſuadeat arbitrio epiſcopi. Si vero aliqua de cauſa eodem tempore, ex ſacrorum canonum permiſſu plures ordines minores clerico epiſcopus contulerit, eidem præſcribat arbitratu ſuo functiones, ad unumquemque minorem ordinem, quem ille ſuſceperit, pertinentes.

Curet epiſcopus, ut qui clerici, certæ eccleſiæ miniſterio adſcripti non ſunt, ii dominicis, feſtiſque ſingulis diebus in parochiali eccleſia, in cujus finibus eorum quiſque habitat, eccleſiaſticum beneficium obtinet, quod reſidentiam non requirit, aut in ea, quæ epiſcopo videbitur, rectori operam, atque adjumentum navent, ad divina officia celebranda. Qui vero certis eccleſiis adſcripti ſunt, in ipſis diebus, ad eas conveniant, & in iis functiones eas præſtent, quæ unicuique eorum ab epiſcopo præſcriptæ ſunt. Si tamen iis diebus aliquando ad divina officia obeunda, ad funerave in alias eccleſias vocabuntur, eo illos accedere permittat epiſcopus.

Porro ſciat quiſquis, ſibi ad examen pro quocumque ordine ſuſcipiendo aditum aliter non patere, quam ſi decenti habitu clericali indutus, & cum congrua pro ſui ſtatus & ordinis ratione corona, ſeſe coram examinatoribus ſiſtat.

Quicumque ad ordines majores promoveri volunt, menſe integro ante ſtatam ordinationis diem epiſcopum conveniant, tum ſua, ſuorumque parentum; patriæ, parochialiſque eccleſiæ, in cujus vicinia nati ſunt, & in qua item habitant, nomina: tum præterea beneficium eccleſiaſticum, penſionemve, aut patrimonium, aut ſponſionem, vel cautionem, cujus nomine, titulove unuſquiſque eorum ordine ſacro initiandus ſit, recte diligenterque ſingula notata ad ſecretarium epiſcopalem afferant. Epiſcopus vero id ipſorum parochis negotii dabit, ut publice propoſitis promovendorum in eccleſia nominibus, de illorum moribus, aliiſque præmiſſis a fide dignis, gravioribuſque pagi illius viris juramento obſtrictis diligenter inquirat, & de iis omnibus accurate literis obſignatis ad epiſcopum reſcribat.

Omnes vero tum ipſi, tum alii qui ordinibus etiam minoribus initiari volunt, ſi in urbe illi quidem ſunt, feria ſecunda hebdomadæ ordinationem proxime præcedentis; ſi vero diœceſani, & alii qui extra urbem habitant, quarta feria hebdomadæ, in quam ſacra ordinatio incidit, ad nos examinis cauſa conveniant. Quo tempore quicumque vel primam tonſuram, vel ordines minores majoreſve ſuſcepturus eſt, ea ſingula, quæ mox infra ordine præſcribuntur de ſe literis legitime teſtata epiſcopo exhibeat.

Primo ſe legitimo matrimonio natum eſſe, aut ob natalium impedimentum ſecum ſuper illo ordine, quem ſuſcepturus eſt, diſpenſatum eſſe.

Præterea ſe, vel origine, vel beneficio eccleſiaſtico quod in diœceſi ſua obtineat, vel decennali domicilio, vel alia ratione diœceſanum eſſe, aut familiarem epiſcopi, qui per triennium cum illo commoratus ſit.

Tum a parocho & ludimagiſtro, eove, quem in quovis ſtudiorum genere audit, aut ſi in ſeminario adſcriptus eſt, ab illius rectore loco parochi obſignatas literas afferat, quibus de vitæ ſuæ diſciplina moribuſque teſtatum fiat: doctrinæ item Chriſtianæ ſcholas eum frequentaſſe id teſtimonii afferat.

Hæc præterea teſtimonia afferet qui prima tonſura initiari voluerit, ſe ſacro chriſmate confirmatum eſſe, in eccleſia frequenter, religioſeque verſatum eſſe, ſpem eſſe ſe in clericalis ordinis diſciplina permanſurum: hoc vero teſtimonium a parocho habeat, ſacram item communionem crebro per annum ſuſcepiſſe.

Qui vero aliquo minore, majoreve ordine initiandus eſt, teſtimonium præter ea quæ ſupra præſcripta ſunt, afferat etiam de his quæ ſequuntur.

De prima tonſura, ordineve, quem proxime ſuſcepit.

De illius ordinis functionibus a ſe præſtitis; idque teſtificationis habeat a præfecto eccleſiæ, cui adſcriptus eſt, in qua vere ac ſpeciatim exprimatur quas functiones, & quamdiu, & quam diligenter, & quam pie, & quam decenter, recte riteque præſtiterit.

De habitu clericali poſt ordinem proxime ſuſceptum, a ſe continue geſtato, quam teſtificationem a parocho afferat.

De confeſſione frequentiori, cujus rei teſtimonium obſignatum ab aliquo confeſſario ſacerdote probato ad audiendas confeſſiones habeat.

De ſacra communione crebrius ſumpta. Hoc autem teſtatum afferat, vel a parocho, vel a præfecto eccleſiæ, in qua adſcriptus eſt.

Quicumque alicui majorum ordinum aſcribendus eſt, ea præterea de ſe epiſcopo teſtata faciat: de ſe ex præſcribenda formula denuntiationes in eccleſia cathedrali, tum in propria parochiali, tum in illa etiam, in cujus finibus poſtremo domicilium habuit, tum etiam ubi per epiſcopum denique juſſum erit, publice die feſto inter miſſarum ſolennia factas. Ac præter cetera teſtetur ætatem ſanctione Tridentina præſcriptam, annos ſcilicet viginti duos, ſi ſubdiaconatum, viginti tres, ſi diaconatum, viginti quinque attigiſſe, ſi ſacerdotium ſuſcepturus eſt. Cenſum item vel eccleſiaſticum, vel laicalem, quem & pacifice poſſideri, & ſuum eſſe vere conſtet, quantum ad vitæ ejus ſuſtentandæ uſum ſatis eſſe cenſuerit epiſcopus, aut cenſus loco, ſponſionem certa cautione factam ab aliquo, ſe, quæ ad vitæ cultum uſu neceſſaria ſunt, illi, qui ſacris initiandus eſt, ſuppeditaturum, ſaltem donec ei aliunde proviſum ſit,

ſit, eaque donatio, ſponſiove vere ac ſine fraude dolove facta ſit, ejuſque tabulæ rite & recte confectæ.

De eo autem cenſu, ſponſioneve, factas eſſe publice die feſto denuntiationes inter miſſarum ſolennia, tum in cathedrali eccleſia, tum in propria parochiali, tum in illa etiam, in cujus finibus poſtremo domicilium habuit, tum denique ubi illas fieri per epiſcopum juſſum erit, tum omnino in parochiali eccleſia, intra cujus limites major pars cenſus, ſive eccleſiaſtici, ſive alterius generis poſita eſt, fidem ferat.

Hortatur autem hæc ſynodus omnes qui ad ſubdiaconatus, diaconatus, aut presbyteratus ordines promovendi ſunt, ut antequam accedant, de peccatis omnibus totius anteactæ vitæ generaliter confiteantur, ac ſpirituales aliquas exercitationes ab epiſcopo præſcribendas obeant, adhibito ſibi duce & moderatore viro religioſo, quem epiſcopus præfecerit. Quod ſi præſtiterint id teſtatum afferant.

Quicumque de veſtitu eccleſiaſtico, de frequenti ſacramentorum uſu, de eccleſiaſticis functionibus, de vita & morum diſciplina literas teſtificationis exhibiturus eſt, eas recenter datas, aut renovatas, confirmataſve afferat, ita ſcilicet, ut ne vetuſtiores ſint duobus vel tribus menſibus ante ordinationis diem: ſi vero quis a domicilio ſuo diu abfuerit, quamobrem vetuſtiores teſtificationis literæ accipi debeant, recentiores ſimul a quibus debet afferat eo loco datas, ubi proxime moratus eſt. Et ſi locus extra diœceſim eſt, ab ejuſdem loci epiſcopo obſignatas, vel ejus auctoritate communitas.

Qui alienæ diœceſis eſt, hæc ab ordinario ſuo habeat, litteras dimiſſorias de ordine ſuſcipiendo, literas teſtificationis ordinis proxime ſuſcepti, teſtimonium ſcriptum de ſtatis denuntiationibus ordinis ſuſcipiendi: teſtimonium de natalibus, aut de diſpenſatione legitima ſuper defectu natalium: teſtimonium de functionibus præſtitis, teſtimonium comprobationis ſcientiæ per examen, aut literas facultatis, de examine faciendo: teſtimonium item de vita, & morum honeſtate: teſtimonium præterea afferat qui etiam ordinem ſacrum ſuſcepturus eſt, de patrimonio, vel de titulo, vel de cenſu, aut ſponſione cautioneve.

Literæ vero dimiſſoriæ de ordine ſuſcipiendo, & teſtimoniales de præſtitis functionibus, de vitæ, morumque honeſtate, neque vetuſtiores ſint duobus tribuſve menſibus, a die ſacræ ordinationis ſupputandis, niſi aliud ex cauſa epiſcopo videatur.

Regularis qui ad ſacram ordinationem conveniet, primam tonſuram, aut ordines ſuſcepturus, caveat ne obſtrictus ſit aliqua culpa, aut canonico impedimento.

Ipſe quoque menſe ante ſtatam ordinationis diem ad epiſcopum conveniat, & nomen ceteraque ſupra de aliis ordinandis præſcripta ad ſecretarium epiſcopalem deferat.

Teſtata hæc præterea habeat, exercitationem frequentem functionis illius ordinis, quem proxime ſuſcepit: frequentiorem confeſſionem, ac ſacram communionem, progreſſum in eccleſiaſtica diſciplina, obſervantiam & reverentiam erga ſacerdotes & ſuperiores. Loco tituli cenſuſve afferat teſtificationem præſtitæ profeſſionis regularis, & nihilominus coram epiſcopo juramento affirmet ſcripto manu ſua ſubſignato, ſe illam ſponte feciſſe, aut ratam habuiſſe; illud autem ſcriptum in archivio aſſervandum epiſcopus curet.

Teſtimonium item habeat de denuntiatione ſui nominis in eccleſia publice facta. De ætate item, ut ſupra de aliis conſtitutum eſt. De tranſacto intervallo poſt ordinem proxime ſuſceptum a Tridentino concilio præſcripto. Afferat literas dimiſſorias a ſuperiore de ordine ſuſcipiendo, quo eorum quiſpiam initiandus eſt, quæ literæ vetuſtiores ne ſint duobus tribuſve menſibus, a die ſacræ ordinationis ſupputandis, niſi ob abſentiam ſuperioris, aliave cauſa eas longiori tempore datas, renovataſve, accipi, probarive debere epiſcopus cenſuerit. Teſtimonium etiam ſcriptum a ſuperiore ſuo qui oſtendat eum, vita, & moribus præditum eſſe, qui dignus ſit, ut illi ordini aſcribatur, quo is initiari vult. Sit vero hoc teſtimonium non antiquius duobus aut tribus menſibus, ut in ſuperioribus declaratum eſt. Si vero diutius a monaſterio abfuerit, hoc teſtatum afferat a ſuperiore monaſterii, in quo proxime commoratus eſt.

Teſtimonium item de ordine qui proxime præcedit jam ſuſcepto. Si vero tempus ſtatutum & præſcriptum a concilio Tridentino, quod interjectum eſſe debet, inter ſuſceptionem unius, & alterius ordinis, nondum expletum eſt, tunc a ſuo ſuperiore ſcriptum afferat, quo teſtatum fiat utile & neceſſarium eccleſiæ ſuæ, monaſteriove eſſe ſecum diſpenſari ſuper interſtitio.

Quod ſi quis ſtata die non adfuerit, atque ex præſcriptis ea quæ ad ſe pertinent ſingula non bene nec ſatis teſtata fecerit, ſciat ſe ab ordinatione, quæ ſtato eo tempore habebitur, excluſum fore.

Fiat autem pridie ordinationis in domo epiſcopali poſt veſperas recognitio ordinandorum, & ab epiſcopo, vel ab alio ejus mandato, ordinandis fiat adhortatio, & admonitio ſalutaris, de dignitate ordinum, & de obligationibus, quæ ordinibus annexæ ſunt.

Præcipue moneantur ſubdiaconi, ut intelligant deinceps Deo auctore ſe obligari ad continentiam, & ad horas canonicas recitandas, & ex hujus ſynodi decreto ad ſacram euchariſtiam, ſaltem dominicis & diebus feſtis ſolennibus præcipue cum altari miniſtraverint, percipiendam.

Die ſacræ ordinationis ſummo mane conveniant omnes ordinandi in eccleſia cathedrali confeſſi de peccatis ſuis, ut ab epiſcopo ſacram communionem ſumant, cum omnibus etiam habitibus decentibus, & ordini, quem mox ſuſcepturi ſunt, congruentibus: ſinguli autem ſingulos habitus habeant, nec ullo modo epiſcopus permittat in illo actu ordinandis paramenta mutuari.

Si epiſcopus ægritudine, vel aliquo juſto impedimento ab ordinibus conferendis avocatur, non aliter ſubditos ſuos, quam modo ſupra dicto approbatos, & examinatos ad alium epiſcopum ordinandos dimittat, habitis prius ab eiſdem omnibus atteſtationibus, ut ſupra.

In literis autem dimiſſoriis ne licentiam det plures ordines ſuſcipiendi, quam illos tantum, quos uno eodemque tempore ab eo ſuſcipi voluerit, ac per ſacros canones conciliaque licuerit. Præfiniat præterea in illis certum ſuſcipiendi ordinis tempus, menſtruum ſcilicet, vel bimeſtre, vel longius, ut pro loci diſtantia, aliave hujuſmodi cauſa opus eſſe viderit, quo tranſacto eas literas ei in poſterum nihil ſuffragari, iiſdem literis declaret.

In teſtimonialibus ordinis ab uno quoque ſuſcepti literis fiat teſtificatio etiam eccleſiæ, locive pii, cui is tum aſcriptus eſt ex Tridentino decreto. Nec vero propterea, quominus alii vel eccleſiæ vel loco pio eumdem etiam poſtea ab epiſcopo adſcribi liceat, vetitum ſit.





Studeant denique epiſcopi quæcumque de hoc ſacramento adminiſtrando ſancte & accurate a Tridentino concilio ultra præmiſſa ſancita ſunt, diligenter omnia obſervare.

### *De feſtorum dierum cultu.*

CUM feſti dies potiſſimum ad celebrandas Dei & ſanctorum laudes, ſalutariter fuerint inſtituti, curandum eſt diligenter, ut pie ſancteque ab omnibus obſerventur, & ne iis ipſis homines ad divinam offenſionem, & animarum ſuarum perniciem abutantur.

Prohibemus igitur, ne diebus dominicis, atque aliis feſtis qui vel eccleſiæ præcepto, vel loci conſuetudine colendi ſint, quid ſervilis operis fiat. Ne quid ematur, aut vendatur, niſi quod ægrotis, aut illius diei victui neceſſarium ſit. Neve res ipſas neceſſarias ante fores eccleſiæ, minus autem in cœmeteriis vendi, liceat. Ne ipſarum occaſione officinæ apertæ ullo modo ſint præter illarum oſtiolum parvum, quod apertum ſit licet; ac ne illæ ipſæ res neceſſariæ ullo pacto ab hora tertia, uſque ad peractum veſperarum officium vendi poſſint præter ea quæ ad ægrotorum pertinent curationem. Qui ſecus facere auſus fuerit, is arbitrio epiſcopi, præter earum rerum quæ expoſitæ erunt, aut quæ equis, mulis, plauſtris, aut aliter vehentur, amiſſionem, aliis etiam pœnis uſque ad interdictum incluſive mulctabitur: tum etiam ſeverius ſi frequentius in id peccaverit, epiſcopi arbitrio. Ne mercatus, emporia, nundinæve fiant uſpiam, ſed quæ feſto die fieri conſueverint in antecedentem, vel ſequentem diem, qui feſtus non ſit, transferantur.

Populorum proceſſiones, quæ iis diebus ad aliquas eccleſias devotionis cauſa fieri conſueverunt approbantes, præcipimus ipſarum eccleſiarum curatis, ut ſtudeant paratum ibi habere concionatorem, qui verbum Dei mane & a prandio prædicet, ſi fieri poſſit, quo populus in pietate magis contineatur. Comeſſationes vero, ebrietates, luſus improbos & inhoneſtos, choreas, turpes cantilenas, omnem denique luxum & laſciviam, atque omnem feſtorum profanationem damnamus & reprobamus. Denuntiari autem volumus a curatis eo die quo conventus fiet, omnes ex hujus ſynodi decreto excommunicandos, qui per contemptum feſtorum, & eccleſiæ, aut per contumaciam, prædictis rebus, & non ſervitio divino vacaverint.

Doceantur vero populi crebro ab iis, ad quos pertinet, ut feſtos dies, qui Dei cultui dicati ſunt, in divinis officiis, concionibuſque audiendis, nec non in orationibus, maximiſque, ac continuis Dei erga nos beneficiis recolendis, ſancte ac pie tranſigant, præſertim ut præter miſſam, quæ ſine graviſſimi peccati culpa prætermitti non poteſt, præter veſperas item quibus fidelem quemque niſi impeditum intereſſe maxime convenit, in doctrinæ Chriſtianæ rudimentis omnes tam mares quam feminæ, tam viri quam pueri, vel perdiſcendis, ſi illa ignorent, vel alios perdocendis verſentur.

Ceſſent in die ſanctorum Innocentium ludibria omnia, & pueriles, ac theatrales luſus, & celebretur miſſa more ſolito, epiſcopo ipſo, ſi adeſſe poterit, præſente.



### *De vita & honeſtate clericorum.*

NIHIL eſt, quod adeo perſonas eccleſiaſticas commendet, & eccleſiam ædificet, quam ſanctæ & honeſtæ vitæ exemplum in verbo, in converſatione, in caſtitate, quemadmodum ſcribit apoſtolus de epiſcopo & presbytero ad Timotheum. Illorum itaque converſatio ſit irreprehenſibilis, ac præluceat ſubditis, ad bene beateque vivendum, ut videntes opera bona non ſolum libenter ea imitentur, ſed glorificent Patrem qui in cælis eſt. Oculus, inceſſus, vultus, ac veſtitus annuntient de homine, ut ſcriptura tradit. Idcirco nec in exteriori cultu presbyteri ſint negligentes: valde enim indecorum eſt, a pleriſque non ſolum pauperibus, ſed etiam ditioribus affectari ſordes in familia, in veſtibus, & quod pejus eſt, in eccleſiæ ſacramentis, & altari, quod maximum indicium eſt immundi & impudici cordis. Alii e contra, præſertim nobiliores clerici, exquirunt delicias, ac ſui ſtatus & ordinis plane obliti induuntur more ſæculari. Ut igitur revocemus clericos omnes ad eam, quæ eos decet, modeſtiam, & honeſtatem, hæc ſtatuenda cenſuimus.

Epiſcopi per edictum publicum ab iis quamprimum proponendum, & in valvis eccleſiæ cathedralis affigendum, moneant omnes & quaſcumque eccleſiaſticas perſonas, quæ aut ſacris initiatæ ſint, aut dignitates, perſonatus, officia, beneficiave qualiacumque eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, obtineant, etiam ſi ſtudii cauſa abſint, & in gymnaſiis publicis, aut ubivis locorum ſint, ut qui in provincia manent ad duos menſes, qui vero extra provinciæ fines; ii ad quatuor, clericalem habitum ſumant, ordini ſuo, & dignitati congruentem, hac conſtitutæ pœna, ut qui non paruerint, ſi in ſacris ordinibus ſunt, ab omni ordinum ſuorum munere ſint ſuſpenſi, & beneficiorum ſuorum omnibus anni unius fructibus jure ipſo privati ſint: quos epiſcopus piis locis arbitrio ſuo attribuet: Sin autem beneficium eccleſiaſticum nullum obtinent, alias pœnas luant epiſcopi judicio. Si qui autem poſt menſem tranſacto tempore in edicto ad clericalem habitum ſumendum præſcripto, eum vel non ſuſcepiſſe, vel ſuſceptum abjeciſſe convicti fuerint, officiis, ac beneficiis eccleſiaſticis priventur, & ſevere præterea ab epiſcopo puniantur.

Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, ceterique clerici, clericali tonſura ſint inſigniti, ad eam formam, quam ratio uniuſcujuſque ordinis, epiſcopi arbitrio poſtulabit. Ita ſint abraſo capillo, ut tonſura perſpicua ſit omnibus. Comam vero, & barbam ne ſtudioſe nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant.

Presbyteri autem barbam habeant ad ſuperius labrum ita inciſam, ut ſumentibus Chriſti ſanguinem nullum afferat impedimentum; atque tam ipſi, quam reliqui omnes ab omni parte ne ullo pacto pilos intortos, aut a mento in acutum inciſos, productoſve more nutriant militari.

Veſtes item coloris tantum nigri, ac ſimplices, ſericis omnibus ornamentis excluſis adhibeant, exteriorem quidem talarem, interiorem autem ſaltem uſque ad tibiæ medium, quamquam in civitate talaris utraque eſſe debet. In itinere vero breviores quidem permittimus, ſed ne omnino ſupra genua ſint vetamus.

Caligis non turgidis, neque diſſectis, calceis quoque non inciſis utantur.

Neque camiſis ad collum, ſive ad manus criſpis aut laboratis.

Neque item pileis, niſi valetudinis cauſa, iiſque ſimplicibus, non ſericis, neque turbinatis, quos tamen in eccleſiam & ædes, præſertim publicas ingredientes ſtatim dimittant.

Birretum autem ſemper gerant in crucis modum conſuetum, ut eccleſiaſticos homines decet.

Unguentis, & omnibus odorum illecebris abſtineant.

Annulos ne deferant, niſi quibus ex dignitatis officio convenit.

Ac denique in veſtitu omnem novitatem fugiant, non tam nimiæ elegantiæ, quam ſordium & negligentiæ ſuſpicionem evitantes.

Arma ne ferant, niſi itineris longioris cauſa, atque ea tamen breviora, ac facultate ab ordinario impetrata.

Ne perſonati unquam incedant, neve comœdiarum, aut chorearum, aut profani ullius ſpectaculi actores ſint, vel ſpectatores.

Ne pagellis pictis, aut alea, aliove hujuſmodi ludi genere ludant, aut ludentes ſpectent.

Neve ullum venationis genus exerceant, aut canes, accipitreſve, aut aliud alant venaticum animal.

Tabernas ne frequentent, adeantve, niſi itineris cauſa.

A comeſſationibus, & minus honeſtis conviviis abſtineant omnino, atque ab iis etiam, quæ potius luxus, aut voluptatis ſint quam propinquitatis aut neceſſitudinis cauſa inſtituta.

Ne dicteriis, aut mordacibus utantur ſalibus, neve ſacræ ſcripturæ verbis ad profanos ſermones abutantur.

Ne tutelam præterea, curamve, niſi intuitu pietatis, idque facultate ſcriptis ab ordinario impetrata, ſuſcipiant.

Ab omni genere mercaturæ, aut a laicorum negotiis tractandis omnino abſtineant, neque ſe in eis medios, aut interpretes adhibeant, neve prædia etiam eccleſiaſtica, aut decimas ipſi, vel per interpoſitas perſonas conducant, aut cum ipſis conductoribus aliquo modo participent, minuſque ab eis aliquid eo nomine accipiant.

Ne cum mulieribus, cujuſvis generis & conditionis cohabitent, præterquam cum matribus & ſororibus, ſine ordinarii licentia ſcriptis conceſſa: Feminas autem ancillas eis habere non liceat, niſi quæ quinquageſimum ætatis annum exegerint, & vitam non ſuſpectam duxerint: qua in re perſcrutanda, omnem diligentiam adhibeat epiſcopus, neque ejus rei facultatem ulli cuipiam niſi ſcriptis concedat, ut qui in ſortem domini vocati ſunt, clerici ejus curæ commiſſi non culpa tantum, ſed etiam omni culpæ careant ſuſpicione.

Si quis autem poſt hujus decreti evulgationem aut intimationem, duobus menſibus elapſis, mulierem habuerit ſecum habitantem, vel ſibi in domeſtico uſu inſervientem, is præter alias pœnas quibus juxta ſui ſtatus conditionem afficiendus erit, ſuſpendatur ab ordinibus, donec ordinario videbitur.

Quod ſi iterum monitus parere recuſaverit, omni officio ac beneficio perpetuo privetur.

Illegitimos filios clerici ſecum domi nullo modo retineant, ut præteritæ incontinentiæ labes ac memoria omnino aboleri valeat.

Sacerdos quiſque dominicis ſaltem diebus, & feſtis omnibus, legitimo ceſſante impedimento, miſſam celebret. Qui vero curam animarum gerit, ter præterea in hebdomada, ac ſæpius etiam juxta loci conſuetudinem, aut populi neceſſitatem.

Diaconus autem, & ſubdiaconus bis in menſe, & quoties feſto die altari miniſtrat: Ceteri clerici ſemel ſaltem ſingulis menſibus communicent, atque etiam præterea in majoribus Chriſti domini ſolennitatibus, & in die aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, & feſto omnium ſanctorum.

Qui id facere omiſerit, graviter ab ordinario corripiatur, ſi ſit in civitate; ſi in diœceſi, a parocho, qui cum monitum non parere animadverterit, eum ad ordinarium deferat.

Qui horas canonicas legitimo ceſſante impedimento intermiſerint, quicumque eas recitare tenentur, ſciant ex bulla Pii papæ V. ea de re condita, non ſolum gravi ſe peccato obſtrictos, ſed omnes etiam beneficiorum ſuorum fructus, qui in ſingulos dies eis obtingerent, ſi quotidie in ſingulas horas dividerentur, amittere, neque a confeſſario ulla ratione abſolvi poſſe, etiam jubilæi cujuſcumque gratia ſuffragante, niſi fructuum, quos indebite perceperint, facta prius ad dictæ bullæ præſcriptum reſtitutione.

Veſtes quas domi privatim clericalis ordinis homines induent ejuſmodi ſint, quæ non colore, non ulla habitus ſpecie clericali modeſtia diſcrepent.

Cum in eccleſia verſantur, quo tempore ſuperpelliceum induere non debent, ne ſint ſine toga exteriori, præſertim horis quibus divina celebrantur, aut populus ad eccleſiam accedere ſolet. Nec vero abſque ea etiam in diœceſanis locis, vicis, ac pagis prodeant, niſi cum eos pedibus iter facientes viæ difficultas, & longitudo aliter cogit. Superpelliceis, cum miniſterii uſus id poſtulat, omnes utantur, quæ non lacera ſint, non ſordida, & quæ etiam manicas habeant: Superpellicea autem illa quæ manicis carent, & quæ non ſuperpelliceorum ſed mantilium potius nomine digna ſunt, omnino prohibemus. Canonici vero cathedralium & collegiatarum, quo tempore cappa induuntur, ii rocheto induantur ſub cappa.

Clerici cum ſuperpelliceis fuerint induti, nullo modo in manibus flores, nec aliud quod ſtatui ſuo & eccleſiæ non conveniat, habeant, nec deambulent, nec circumcurſitent: ſed graves ſemper ſint in inceſſu & ſtatu.

Singuli autem præterea, præſertim qui in aliquo minorum ſaltem ordinum ſunt, proprium ſuperpelliceum habeant, quo etiam in eccleſia, cui aſcripti ſunt, & alibi, cum ipſis ſuis fungi muneribus contigerit, uti poſſint.

Si quis perſonatus, veſtes clericales aut monachales, vel ad eorum formam induerit, & is qui eas aſſumpſerit, & is qui accommodarit, graves pœnas ſubeant.

Qui vero clericus, cujuſvis etiam gradus, ordinis, dignitatis, in aliqua re præmiſſis non obtemperaverit: is præter pœnas jam inflictas, aut ſalutari pœnitentia, aut pecunia, aut ſuſpenſione ab ordinum munere, & beneficiorum adminiſtratione, aut ipſis etiam beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus ſimul ex iis pœnis, aut etiam gravioribus pro modo culpæ epiſcopi arbitratu mulctetur. Qui iterum in eadem re peccaverit, duplicata pœna pro ratione criminis ab eodem plectatur.



*De epiſcopis,*

EPISCOPUS in ſpecula conſtitutus, & ſupra montem poſitus ſicut debet omnium inferiorum actiones inſpicere, ita meminerit ſe omnium conſpectibus expoſitum eſſe, nec poſſe abſcondi: propterea ſibi & gregi attendens in omnibus (ut eſt apoſtoli præceptum) laboret, ac miniſterium ſuum impleat, cunctaque ad Dei voluntatem adminiſtrare vigilanter ſtudeat, conſtanti virtutum epiſcopalium officio.

In primis cum eum in oratione ſanctiſque meditationibus frequentem eſſe oporteat, certam ſibi horam quotidie ſumat, quam in contemplationum divinarum ſtudio exercitationeque attentiſſimis religioſæ mentis cogitationibus ponat. Qua oratione non ſibi ipſi tantum, divini luminis illuſtrationem depoſcat: ſed etiam pro fidelibus ſuæ curæ commiſſis humiles preces fundat, eorum peccata deplorando, pioque gemitu, & religioſa ſupplicatione Deum orando, ut disjectis peccatorum nubibus, pluviam & rorem ſuæ divinæ gratiæ ac miſericordiæ effundat in hereditatem, & agrum eccleſiæ ſuæ.

Certam autem horam ad veſperum præſcribat, qua univerſa familia quotidie, vel in ſacellum domeſticum, vel in eccleſiam proximam, ad orandum conveniat: ubi & ipſe interſit, ſi modo aliquando impeditus non ſit.

Miſſæ ſacrum quotidie celebrare cum debeat ſacerdos, quiſquis ille ſit, niſi legitima cauſa impeditus ex gravi inſignique venerabilis Bedæ ſententia, id epiſcopus maxime videat, ne præſtet negligenter: qui quidem peculiari quadam ratione ex hominibus aſſumptus eſt ad Deum, ut ſacrificium pro peccatis offerat populi. At ſi fortaſſe id in ſingulos dies aliquando præſtare non poterit, dominicis tamen, feſtiſve diebus omnibus, niſi neceſſitate compulſus, nullo pacto id prætermittat.

Hoc vero ipſum epiſcopi facere curent, crebrius in eccleſia, quam in privatis oratoriis, ad populi ædificationem.

Tum præterea miſſæ ſacrificium facere ſtudeant, quibus diebus eccleſias, altaria aut campanas conſecrabunt, aut cœmeteria, vel etiam cum ea reconciliabunt, & alia ejuſdem generis epiſcopalia officia obibunt. Illis item diebus, quibus eccleſiaſtica beneficia conferent, & generalia clericorum qui initiandi ſunt, & confeſſariorum examina habebunt, ac ceteras denique graviores conſultationes & deliberationes inibunt.

Et cum hujuſmodi ſacras & epiſcopales actiones exercent, ne illas aggrediantur, niſi prius illius miniſterii, quod tractant, gravi aliquo ſermone & concione, populo vim & rationem pie explicent, quo magis fideles ad rerum divinarum cultum excitentur.

Cum autem juſta de cauſa miſſæ ſacrificium non faciunt, religioſe tamen ei interſint. Canonicas horas, attente, diſtincteque recitent, debitumque illud munus, ſi minus congruis temporum momentis, cum per occupationes non licet, præveniendo potius, quam tardando perſolvere ſtudeant. Singulis autem feſtis, ac præſertim dominicis diebus in choro divinis omnibus officiis, aut ſaltem conventuali miſſæ, veſperiſque interſint.

Confeſſarium ſæcularem, aut regularem deligant adhibeantque, qui vir ſit ſacra ſcientia, prudentia, ſpectatis moribus, & vitæ ſanctitate inſignis: cujus etiam ſtudio, & conſilio, & precationis ſpiritu in rerum graviorum deliberationibus aliquando uti poſſint.

Ne omittant etiam ſacræ theologiæ, ſacrorumque canonum, aliarumque eccleſiaſticarum doctrinarum officio, munerique epiſcopali proprie congruentium ſtudiis quotidie ſtatis horis operam dare, quotidieque aliquid ex ſacris bibliis, potiſſimum epiſcopali fidei religionique commiſſis, ſtudioſe legere, gentilium autem libris, ut Carthaginenſis concilii canone vetitum eſt, ne operam dent.

Officij præterea ſui eſſe putent, eos excipere, audire, qui ipſos vel tanquam judices vel tanquam parentes, vel conſultores adjutoreſve adeunt. Itaque his peractis, quæ ad divinum cultum, religionis officia, & ad animi ſpirituſque pia ſtudia pertinent, omnibus adeuntibus ſe faciles benignoſque præbeant, ita tamen ut ne a gravitate recedant.

In auditorio omnibus ſatisfacere ſtudeant, ac ne infimos quidem homines audire negligant, ſed hos, vel imprimis cum adſunt, ad ſe accerſant: Expediant ſtatim quæ recte poſſunt: omnibus autem, vel re ipſa, vel conſilio, vel conſolando prodeſſe ſtudeant.

Quæ ipſi poſſunt ac debent, ad ſpiritualem curationem ac gubernationem, divinumque cultum ſpectantia, hæc per ſe imprimis præſtare ſtudeant, cetera, quæ inferiora ſunt, potius per vicarios, miniſtroſve alios exerceant, & exequantur.

Quicquid autem temporis animi relaxationi aliquando ob valetudinem dabitur, id omne, vel in ſpiritualium librorum lectione, ſtudioſe, vel in conſuetudine, & colloquio piorum, & eruditorum hominum, ſpiritualiſque vitæ amantium ponere ſtudeant.

A nimia ſæcularium & præcipue feminarum familiaritate meminerint abſtinere.

Sæcularia convivia fugiant.

Lectio in menſa potiſſimum ſit e ſacra ſcriptura, & paſtoralibus libris, & vitis ſanctorum epiſcoporum, qui epiſcopale munus egregie obierunt Tridentini etiam concilii decretum in ſeſſione viceſima quinta editum, capite primo de vita epiſcoporum, & formulam illam promiſſionis ſuæ in conſecratione de pontificali libro prolatam, ſæpe in menſa legi curent, & præcipue diebus ſolennioribus, & die conſecrationis ſuæ.

Epiſcopus non profano ornatu, aut apparatu, ſed fidei & vitæ ſplendore ſibi auctoritatem quærere debet. Itaque non profanis neque pretioſis veſtibus, ne intra domeſticos quidem parietes utatur, ſed hiſce tantum quæ modeſtiæ epiſcopali conveniant. Sit annulo epiſcopali contentus, & eo ſemper utatur, & ubique tum domi, tum foris, tum in ſua, tum in aliena diœceſi, ut perpetuo ſe eccleſiæ ſuæ ſponſum eſſe meminerit. In publicum etiam ſi non extra ædium epiſcopalium fines proditurus eſt, tunicam lineam, quam rochetum vocant, ſemper induat, cum mozzetta ex Innocentij tertii decreto.

Rochetum etiam & mozzettam cum per diœceſim equo iter facit, viſitationis cauſa, tum vero interiorem quoque tunicam breviorem ac mantellum viatorum adhibeat, licet

Cum vero animi relaxandi gratia extra civitatem exit, (quod non ita ſæpe facere debet)

ANNO CHRISTI 1585.

bet ) rochetum poterit ad libitum deponere.

Maxime convenire ſciat ſi toto adventus & quadrageſimæ tempore omnibuſque ſextis feriis, ac jejuniorum diebus, nigro tantum colore utatur, ſicut reliquo anni tempore violaceum epiſcopalis dignitatis proprium dimittere non debet.

Tonſuram ſemper conſpicuam gerat in capite grandiorem multo, quam ceteri inferiores ſacerdotes, qua perfectius a terrenis curis & occupationibus abſtractum eſſe, & Deo adhærere propius multo, quam alios clericos debere ſe intelligat.

Cum exit per civitatem ſuam, vel etiam per diœceſim, ſemper populo ſanctæ benedictionis munus impertiatur, etiam ſi quis non genuflectat.

Semper cappam epiſcopalem, cum in eccleſiam, vel ad divina officia, vel ad alias ejuſdem generis actiones accedit, & eo magis quando ad illas a capitulo deducitur, omnino induat.

Cum per civitatem exit, extra actiones ſacras, præter rochetum & mozzettam adhibeat etiam galerum epiſcopalem, quem ſuper bonetum induat, vel ab uno ex majoribus de familia ante ſe deferri faciat.

Quod de epiſcopo hoſpitio excipiendo Clemens pontifex & martyr apoſtolica quadam conſtitutione ſcribit, id epiſcopi provinciæ noſtræ ad uſum revocare ſtudeant: ut epiſcopum, qui aliunde venerit, benigne & amanter hoſpitio excipiant, cum eoque agant, ut die feſto ſi permanſerit ſermonem in primis populo habeat. Eſt enim, inquit idem Clemens, hoſpitis hortatio grata atque utilis. Hoc præterea etiam ſi ille renuat, facere cogat ſancta quadam vi caritatis, ut populo benedicat.

Si quando aliquem ex coepiſcopis noſtris in belli, famis, peſtis, aut alias hujuſmodi neceſſitates, aut difficultates ( quas Deus pro ſua pietate avertat, ) publicas vel privatas incidere contingat, reliqui provinciæ noſtræ epiſcopi opem illi afferre ne differant, tum oratione & publicis ſupplicationibus, tum eleemoſynarum ut quiſque poterit largitione, tum omni etiam alia ratione & modo, quo fratris epiſcopi ac ejus etiam populi laborantis, calamitatibus, large atque opportune ſuccurratur.

Sacra lectio nunquam deſit in menſa, cui etiam neque accumbere niſi præcedente benedictione, neque ab ea, niſi gratiarum actione peracta recedere debet epiſcopus.

Ut autem temperantiæ potius exemplum quam luxus irritamentum ſit epiſcopalis menſa, ne plura, quam tria aut hoſpitum gratia quatuor ad ſummum fercula apponantur, præter eſcam primo apponi ſolitam, & juſulentum cibum, lacticiniumque, & fructus item quos in ſecundis menſis apponi moris eſt.

Domi & familiæ ſuæ bene præſit, curetque ut honeſtas, decorumque in familia ſervetur. Qui enim domum ſuam regere neſcit, nec Dei eccleſiam recte gubernabit. Familiæ numerus is tantummodo ſit, quo ſimul eccleſiæ utilitati & epiſcopi neceſſitati conſulatur.

Eum autem vehementer hortamur ut in familia quamplurimos poſſit habeat clericos, qui non niſi clericali habitu utantur & decenti, & in illis ſi fieri poſſet commode, ad minimum duos ſacris initiatos, & unum ſacro preſbyteratus ordine inſignitum, & bonæ exiſtimationis, qui omnes vigilantem, orantem, in ope-

A ra miſericordiæ incumbentem, ac divinarum ſcripturarum miniſteria ſcrutantem epiſcopum ſtudioſius attendant, ejuſque actionum, & ſanctæ converſationis quaſi teſtes ſint & imitatores.

Habeat deinde eccleſiaſticam perſonam, ſpectatam & probatam, quæ præfecta ſit moribus familiæ, ac de omnium ſalute ſollicita, ſpecialem curam ſuſtineat, eamque bonis ac piis artibus ac literis præſertim ſacris pro cujuſque ſenſu & intelligentia erudiendam curet.

In veſtitu colorum varietatem omnino excludentes, tantum nigrum vel fuſcum colorem veſtibus adhibeant. In veſtitu ut nimia elegantia, ita ſordes etiam vitentur.

B Non ſint in familia ſcandaloſi neque ullius criminis ſuſpecti: fugiant autem laicorum, & maxime feminarum longum frequenſque commercium.

Curet epiſcopus omnem familiam ſuam ſæpe de peccatis confiteri, etiam ſæpe ſacram euchariſtiam ſumere, quam præſertim feſtis ſolennioribus, & ſemel in menſe de manu epiſcopi ſumant.

Errantem modeſte ac ſevere reprehendat & corrigat, pertinacem e familia excludat, ægrotantem omni cura, vigilantia, & pietate curet, nec ſumptibus parcat.

In eleemoſynis ſit largus, & præter eas, quas per eleemoſynarium ſuum diſtribuit, ipſe C quoque propriis manibus ſæpius pauperibus eleemoſynas largiatur.

Denique talis ſit domeſticorum omnium habitus, inceſſus, & ſtatus, ut ex eo etiam appareat, illos eſſe miniſtros miniſtrorum Dei.

Pium ſanctorum patrum inſtitutum ad celebrandas epiſcoporum exequias jamdiu intermiſſum ad uſum revocantes, ſtatuimus ut epiſcopo mortuo, vel morti proximo, tres primi de capitulo præſentes, vicinum epiſcopum, vel eo impedito alium invitent, & ſi fieri poteſt maxime metropolitanum, qui ſtatim veniat, ac ſi vivum epiſcopum invenerit, accuratiſſime conſoletur, & ea officia præſtet, quæ ad animæ ſalutem tali tempore requiruntur. Mortuum vero D una cum ſæculari & regulari clero ſolenni more ad ſepulcrum proſequatur.

Nihil autem epiſcopus pii hujus officii gratia a quoquam exigat, vel ſponte oblatum accipiat. Ejus tamen expectationis cauſa corpus antiſtitis ne amplius quadraginta horis inſepultum jaceat. Interea vero curet capitulum, ut cuſtodiatur corpus & circum ipſum frequentes e clero ſint, qui pro ejus anima preces fundant omnipotenti Deo.

Eidem capitulo hoc munus injungimus, ut primo quoque tempore provinciales epiſcopos omnes de epiſcopi morte faciant certiores qui in eccleſiis cathedralibus miſſam ſolenni ceremonia pro ejus anima celebrandam curabunt, & E publicis ſupplicationibus ac precibus indictis, Deum pie ſancteque deprecabuntur, ut orbato gregi paſtorem dare velit juxta cor ſuum.

In exequiis ejus plures viginti quatuor cerei majores non accendantur, idque impenſa vacantis eccleſiæ, niſi extent defuncti bona, vel alius ſit, qui de jure aut conſuetudine ſumptum facere debeat.

Epiſcopi negligentia in comprovincialis epiſcopi funere, a ſynodo provinciali, canonicorum vero & cleri, a ſucceſſore epiſcopo graviter puniatur.

Sacra



ANNO CHRISTI 1585.

Sacra anniverſaria pro mortuo epiſcopo quotannis fiant in eccleſia cathedrali, quamdiu proximus ejus ſucceſſor in epiſcopatu vixerit, viventis epiſcopi ſumptibus.

Cum primum aliquis hujus provinciæ epiſcopus mortem obierit, archivii epiſcopalis claves notarii publici fide, una capituli vicario, altera uni de capitulo, ad quem vel officii ratione, vel conſuetudine pertinet, & ſi nemo talis eſt, alii antiquiori reſidenti tradatur, ab eis denique una & item altera ſervetur, quoad alius epiſcopus creabitur, cui illas reſtituant, & rationem de ſcripturis in inventario notatis, eorumque cuſtodiæ commiſſis eidem reddant.

*De his in quibus epiſcopus ex ſacro concilio Tridentino etiam tamquam apoſtolicæ ſedis delegatus procedere debet & poteſt.*

IN monaſteriis monachorum, ubi commode fieri queat, lectio ſacræ ſcripturæ habeatur, qua in re, ſi abbates negligentes fuerint, epiſcopi, eos ad id opportunis remediis compellant.

Nemo ſæcularis clericus, aut cujuſvis ordinis regularis extra monaſterium degens, etiam ſui ordinis privilegii prætextu tutus cenſeatur, quominus ſi deliquerit ab epiſcopo ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.

Epiſcopi eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas auctoritate apoſtolica ſingulis annis viſitare tenentur, & opportunis juris remediis providere, ut, quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minime defraudentur, appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.

Idem ſervetur in eccleſiis ſæcularibus, quæ nullius diœceſis eſſe dicuntur, ut ab epiſcopo cujus cathedralis eccleſia eſt proximior, ſi id conſtet, alioquin ab eo qui ſemel in concilio provinciali a prælato loci illius electus fuerit, id munus obeatur.

Quoniam per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit ut nonnulli ejuſmodi gratias extorqueant, quibus pœnæ, quæ illis epiſcoporum judicio ſunt inflictæ aut remittuntur omnino, aut minuuntur: epiſcopus apud eccleſiam ſuam reſidens de ſubreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicujus publici criminis, vel delicti, de quo ille inquirere cœperat, aut remiſſione pœnæ, ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerat, falſis precibus impetrata per ſe epiſcopus ipſe etiam ſummarie cognoſcat, ipſamque gratiam poſtquam per falſi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam eſſe legitime conſtiterit, non admittat.

Quæcumque in diœceſi ad Dei cultum ſpectant ab epiſcopo diligenter curari, atque iis ab epiſcopo provideri æquum eſt. Propterea commendata monaſteria, etiam abbatiæ, prioratus, & præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſervantia, necnon beneficia, tam curata, quam non curata, ſæcularia & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, ab epiſcopis annis ſingulis viſitentur, qui curent ut quæ renovatione indi-

A gent aut reparatione, reſtaurentur, & cura animarum, & alia debita obſequia recte exerceantur.

Et ſi in eis vigeret obſervantia regularis, provideant epiſcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium ſuperiores, juxta eorum regularia inſtituta debitam vivendi normam obſervent, & obſervari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant, & moderentur. Quod ſi admoniti intra ſex menſes eos non viſitaverint, vel correxerint, tunc iidem epiſcopi eos viſitare poſſint & corrigere, prout ipſi ſuperiores poſſent, juxta eorum inſtituta, quibuſcumque appellationibus & exceptionibus non obſtantibus.

B In eccleſiis, tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, poſſint epiſcopi tertiam partem fructuum, tam dignitatum, quam canonicatuum ſeparare & in diſtributiones quotidianas convertere, quæ inter præſentes juxta diviſionem ab epiſcopo etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione facienda, dividantur, ſalvis tamen conſuetudinibus earum eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſervientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt.

Diſpenſationes quacumque auctoritate concedendæ, etiam hæ quæ gratioſe concedentur, C ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab epiſcopis ſummarie tantum & extraordinarie cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis vel obreptionis vitio non ſubjacere. Idem in commutationibus ultimarum voluntatum ſervetur.

Cum ex notariorum imperitia plurima damna, & multarum occaſio litium oriatur, poſſit epiſcopus quoſcumque notarios examinare, illiſque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus & cauſis eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus exercendi uſum perpetuo aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem epiſcopi ſuſpendat.

Epiſcopi in monaſteriis ſibi ſubjectis ordina- D ria in aliis ſedis apoſtolicæ auctoritate clauſuram monialium reſtitui & conſervari procurent.

Monaſteria, quæ capitulis generalibus, aut epiſcopis non ſubſunt, teneantur infra annum, & deinde quolibet triennio ſeſe in congregationes redigere, juxta cap. In ſingulis de ſtat. monach. & ſi negligentes fuerint, liceat metropolitano eos pro prædictis cauſis convocare. Quod ſi etiam metropolitano inſtante prædicta exequi non curaverint, epiſcopis in quorum diœceſibus loca prædicta ſita ſunt, tanquam ſedis apoſtolicæ delegatis ſubdantur.

Uniones de beneficiis liberis factæ eccleſiis juriſpatronatus, quæ nondum plenarium ſortitæ E ſunt effectum, vel deinceps ad cujuſvis inſtantiam fient, hæ per ſubreptionem obtentæ intelligantur. Quæ vero effectum conſecutæ ſunt, & a quadraginta annis factæ, hæ ab epiſcopis revideantur, examinentur, ac quæ per ſubreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, ſimul cum unionibus irritæ declarentur. Similiter cognoſcant epiſcopi de patronatibus acquiſitis in beneficiis antea liberis a quadraginta annis citra, & in futurum acquirendis, & quos non repererint, ob maxime evidentem eccleſiæ, vel beneficii neceſſitatem legitime conſtitutos eſſe, in totum revocent, & beneficia hujuſmodi ſine damno

no illa poſſidentium, & reſtituto patronis eo, quod ab eis idcirco datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducant.

Si clerici, concubinas, aut alias mulieres: de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo vel extra detinuerint, aut cum iis aliquam conſuetudinem habuerint, & moniti a ſuperioribus ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum beneficiorum ſuorum & penſionum ſint ipſo facto privati, quæ fabricæ eccleſiæ applicetur. Si ſecundæ monitioni non paruerint, non ſolum omnes fructus amittant, ſed etiam a beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad epiſcopus etiam uti apoſtolicæ ſedis delegatus arbitrabitur, ſuſpendantur. Si autem ita ſuſpenſi, cum iis etiam verſentur, beneficiis & penſionibus perpetuo priventur, atque ad beneficia obtinenda inhabiles reddantur, donec poſt manifeſtam emendationem ex cauſa epiſcopo viſum fuerit, cum his diſpenſare. Quod ſi ſemel dimiſſas, iterum ſcandaloſas has mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur.

*De viſitatione.*

INTER epiſcopalis officii munera præcipua, & ad ſalutem gregis maxime neceſſaria eſt viſitatio. Ideo monemus epiſcopos omnes, ut ſinguli ex decreto ſacri concilii Tridentini, eccleſiam ſuam & diœceſim viſitent intra tempus ab eodem concilio præſtitutum.

Meminerint autem, viſitationem ad ſalutem eorum, qui viſitandi ſunt, inſtitutam eſſe. Quamobrem illis maxime propoſitum eſſe debet, ut in eis incorruptam, orthodoxamque doctrinam, ac probatam morum diſciplinam tueantur & reſtituant.

Et cum epiſcopi ceteris omnibus bene ſancteque agendi exemplo præire debeant, antequam cleri populique viſitationem ineant, a ſe ſuaque familia viſitandi initium utiliter facient, quo reliqui omnes domeſticæ illius viſitationis ratione executioneque incitati, paſtoralia juſſa, quæ ipſi vitando præſcripſerint, promptius, atque ſtudioſius exequantur. Deinde vero civitatem, diœceſim poſtea viſitent, niſi forte aliud ipſis videatur. In civitate cathedralis eccleſia primo loco viſitetur, tum ſingulæ collegiatæ, ſi quæ ſunt, deinde parochiales omnes, in quibus & parochi & quicumque præterea ſacerdotes, & clerici in parochiis commorantur evocandi ſunt.

Scholas, ſeminaria, ſodalitates, hoſpitalia, ac cetera pia loca viſitantes, ſtudioſe ac diligenter omnia inſpicient: abuſus, ſi qui irrepſerint, tollant, & videant in quem uſum eleemoſynæ quæ ab eis colliguntur, convertantur, & rationem exigant ab eis, qui dictas eleemoſynas & alia bona locorum piorum hujuſmodi adminiſtraverint, ac denique pro bono regimine, & ſtatu locorum, & confraternitatum hujuſmodi ſtatuant & decernant, prout expedire viderint.

Statuta diſciplinatorum & aliarum quarumcumque confraternitatum examinent, & quæ abroganda & corrigenda judicaverint, abrogent & corrigent.

Studeant verbi Dei prædicatione & paterna cohortatione ad religionem, vitæ innocentiam, pacem & concordiam omnes adhortari. Si vero privata admonitione opus eſſe intelligant, in ea docendo, arguendo, obſecrando, pro rei, [illegible], ac temporis ratione incumbent.

Confirmationis ſacramentum ubi opus erit miniſtrabunt, omnes ad pœnitentiam cohortabuntur, & quos aliquo peccato teneri cognoverint, cujus abſolutio epiſcopo reſervata ſit, eos confitentes & humiliter veniam petentes, vel per ſe, vel per alios, ad id munus delectos abſolvent.

In ſingulis locis a viris ætate, uſu, & probitate commendatis, de omnibus diligenter inquirent, quæ eos pro officii ſui munere ſcire oportebit.

Eccleſiam & ejus partes omnes inſpicient, an eo cultu & nitore teneatur, quem domum Dei decet: ſi quid reſtituendum, reparandum, reconcinnandumve ſit, jubeant, ab iis ad quos pertinet reſarciri. An ſanctorum reliquiæ tuto, ornate, decenterque cuſtoditæ aſſerventur. Aut quæ de cœmeteriis hac ſynodo ſancita ſunt, re ipſa præſtentur. Si conſecranda ſint altaria, conſecrabunt, ſi qua eccleſia, cœmeterium pollutum ſit, reconciliabunt.

Videndum etiam, an deſint veſtes, libri, calices, patenæ, corporalia, & reliqua ejus generis inſtrumenta & ornamenta, quæ ad altaris miniſterium, & ad divina officia ſint neceſſaria.

An illa munda & purgata ſerventur. An miſſæ, aliaque divina officia, qua oportet, pietate, ac devotione, ac ad præſcriptum hujus ſynodi celebrentur: An eccleſiæ libri, vetera ſcripta, inſtrumenta, & privilegia recte cuſtodiantur: An eorum extet ratio, quæ in inventarium relata ſunt.

Tum de dignitatibus, canonicis, & aliis eccleſiæ miniſtris inquirendum erit, an rite; legitima ætate ſint ordinati an ordinibus initiati; quos eorum officii munus requirit, an eccleſias, beneficia, ſeu eccleſiaſtica officia, legitime obtineant. An in ea ſe quiſquam intruſerit. An reſideant, & adminiſtrationi ſacramentorum, & miſſarum divinorumque officiorum celebrationi, & anniverſariorum perſolutioni, aliiſque oneribus, & muneribus ſatisfaciant.

Quæ ſit eorum vitæ & morum ratio, qui veſtitus, quibus cum verſari ſoleant, qualis ſit eorum familia, an ſordidis, & illiberalibus artibus, & ab eorum gradu alienis operam dent. An eccleſiæ jura & bonorum eccleſiaſticorum poſſeſſionem defendant. An eorum fructus recte diſpenſent. An pacem inter ſe habeant, & ſe in aliorum pacificatione interponant, & inimicitiarum & odiorum cauſas tollere ſtudeant. An populus pie verſetur in eccleſia, miſſamque & alia divina officia audiat reverenter.

In parochiis, præter ea omnia quæ diximus, videant, an parochi ex decreto in hac ſynodo edito libros habeant, in quibus baptizatorum, confirmatorum, eorumque qui matrimonio junguntur, ac mortuorum nomina & cognomina deſcribantur. An rite ſacramenta præbeantur, an ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum, chriſma, & reliqua ſacra, ea munditiæ cura, & cuſtodia, qua debent, conſerventur, & ſuo tempore renoventur. An euchariſtia, pie & honorifice proſequente fidelium comitatu, ad ægros afferatur. An legitime matrimonia, & in eccleſia adhibitis ex decr. Trid. concilii denuntiationibus debito tempore contrahantur. An ſuæ curæ commiſſas eccleſias maxime diebus feſtis deſerant, ut inſerviant alienis. An Dei verbum prædicent, & pueros rudimentis fidei inſtituant. An libros neceſſarios ad munus parochiale habeant: denique diſpicient, an in populo ſint hæretici, uſurarii, concubinarii, aliique flagitioſi, & facinoroſi homines, qui inimicitias gerant, qui quadrageſimam & alia jejunia, feſtos

dies





dies, & reliquos eccleſiæ ritus non ſervent, quique ſaltem ſemel in anno peccata ſua confeſſi non ſint, aut ſacram euchariſtiam non ſumpſerint. An ſint qui legata pia non exequantur. An domeſtica diſciplina patrumfamilias in educandis liberis diligens, pia, & honeſta ſit.

His exquiſitis, cognoſcere ſtudeant quinam ex regularibus prædicandi munere fungantur, & fidelium confeſſiones audiant. An, & eorum probata ſit doctrina, & probatæ doctrinæ vita reſpondeat. An hoſpitalia, & alia pia loca recte adminiſtrentur, eorumque bona prudenter fideliterque in eum uſum, cui addicta ſunt, diſtribuantur. An qui in hoſpitalibus ſunt, pie vivant.

De ſcholis, ſciant quos libros diſcipulis magiſtri interpretentur, & an illi officio ſuo ſatisfaciant. An magiſtri tales ſint, & admiſſi, quemadmodum in hac ſynodo mandavimus. Si ſecus, amoveantur.

De bibliothecis diligenter quærant, an in eis ſint hæretici libri, aut qui aliter jure prohibeantur. Si quid in iis omnibus tollendum, corrigendumve fuerit tollent, & corrigent, & ad puniendos delinquentes cenſuras, & alia juris remedia adhibebunt.

Omnes vero, ſummo ſtudio monebunt & hortabuntur, ut officii ſibi commiſſi munus, fideliter ac diligenter exerceant. Neque ſolum hæc, ſed quæcumque a Tridentino concilio, & a nobis præcipiuntur, & alia multa, quæ pro eorum prudentia ac pietate, ad utilitatem ac ſalutem populorum eis in mentem venire poterunt, exquirent, & exequentur.

Caveant vero, ne legem de victu, procuratione, & muneribus a ſacro concilio Tridentino definitam tranſeant. Comitatum autem non habeant, niſi viſitationi neceſſarium: ubi plures omnino ne ſint, quam octo vel decem equi & duodecim vel quatuordecim homines: ſi plures duxerint, alant ſuis ſumptibus. In menſa duo tantum fercula ſimplicis obſonii, & jurulentum unum cibum, & duo fructuum genera afferre liceat. Quod ad reliqua attinet, decretum in hac ſynodo factum de epiſcopalis menſæ moderatione ſervetur.

Si viſitator gradu inferior ſit epiſcopo, omnia ſupra dicta de viſitatione ſervet, in comitatuque quatuor hominibus ad ſummum & tribus jumentis contentus ſit. Si præter hujus decreti præſcriptum cuiquam graves fuerint, duplici reſtitutione teneantor: prætereа inferiores, epiſcopi arbitrio, epiſcopus vero ſynodi provincialis judicio, alias pœnas ſubeant. Dent autem operam, ut non ſolum quam diligentiſſime, ſed etiam quam celerrime viſitationem conficiant.

Hoc autem ita neceſſarium, ac plane debitum viſitandi munus provinciæ noſtræ epiſcopi, ita ſolicite exequantur, ut ſuæ quiſque urbis, ac diœceſis viſitationem ſingulis annis, aut ſi impediti, biennio ad ſummum ipſi per ſe conficiant.

Si vero legitima occupatione cauſave impediti, id muneris aliquando per ſe ipſos obire nequeant, vicarios generales, viſitatoreſve alios hujus rei uſu peritos, atque idoneos adhibeant, qui viſitationis officium ſedulo ut par eſt, præſcripto tempore, exequantur.

Cum vero viſitationis munus ipſi per ſe obeunt, unum vel duos canonicos cathedralis, vel alios quoſcumque homines eccleſiaſticos, quos uſui, & adjumento ſibi fore viderint, prout maluerint, ſecum in ea viſitandi cura adhibeant, quos pro præſentibus & divinis aſſiſtentibus durante hujuſmodi munere haberi volumus.

Notarius autem vel ſecretarius ne quicquam pro viſitatione ab iis qui viſitantur, quovis nomine exigat, neque ullum doni, etiam parvi, quocumque modo oblati genus accipiat.

Monialium monaſteria regularium juri, curæve ſubjecta, quoad clauſuram attinet, diligenter, accurateque viſitent. Loca ipſa introſpectent atque e ſuperiori etiam parte circumluſtrent, & caute ſolerterque inſpiciant proſpectus omnes, aditus, & cetera denique omnia, quæ ad clauſuram recte tuendam ullo quovis modo pertinent.

Epiſcopo ad cujuſcumque loci vel eccleſiæ parochialis, curatæve viſitationem adventanti, tum illi potiſſimum, ut vetus canon concilii Turonenſis jubet, qui confirmationis ſacramentum ab eo ſuſcepturi ſunt, tum præterea reliqui omnes fideles, exceptis tantum iis qui morbo, adverſave valetudine laborant obviam ordine prodeant, ac ſtatis hymnorum, pſalmorumque precibus, & cum gaudio, timore, ſummaque reverentia illum tanquam vicem Chriſti gerentem excipiant.

Neque ſolum quo tempore ille adventat, ſed aliis etiam diebus, dum viſitatio parochiæ fit, fideles quam frequentiſſimi adſint, ut ipſi omnes ac ſinguli, ſi quid ad animarum ſalutem procurandam opus habent, proprio paſtori, parentique libere exponant: ac ei, quæ pro illius officii ratione oportet, interroganti reſpondeant: illum concionantem, monentem, & paterne arguentem, obſecrantem, & increpantem audiant: ejuſdem juſſa, monita & decreta ſuſcipiant: atque Dei denique voluntatem, quam præſentes per ipſum auribus percipiunt, non tantum obediendi propenſione, ſed etiam recte factis omnino exequantur. Id porro omne, ut fideles diligenter, promptoque animo præſtent, frequentiſſimique in epiſcopali viſitatione adſint, parochorum & aliorum quorum intereſt ſacerdotum ſit, crebro prout uſuvenerit intra miſſarum ſolennia illos docere, cum eas officii partes, quas epiſcopo viſitanti ab ipſis præſtari conveniat, tum viſitationis imprimis utilitates fructuſque ſalutares. Illud porro curet parochus, ut nemo qui intra parochiæ ſuæ fines habitet omnino ſit, qui eo viſitationis tempore confeſſus ſacram communionem non ſumat, idque ab epiſcopo ipſo, etiam ſi in alia parochiali eccleſia ſumere oporteret, ſcilicet ejus loci, ubi ille mane viſitans miſſæ ſacrificium offerret, quod nullo die in viſitatione niſi ex magna cauſa debet epiſcopus prætermittere.

Nemo item, qui chriſmate non ante confirmatus, modo ætate in hac ſynodo præſcripta ſit, illud ab eodem tunc non accipiat, quamobrem tum pridie die viſitationis, tum maxime ubi epiſcopum viſitationis cauſa jam adventare cognoverit, certo aliquo ſolennique campanarum ſono illius adventum fidelibus ſignificet, quo frequentius ex agro evocati omnibus aliis prætermiſſis conveniant, eique tale, tamque neceſſarium munus obeunti diligentius præſto ſint, qua debent obſervantia ac veneratione.

Studeat item confeſſariorum ſacerdotum, qui ad id muneris probati ſint, niſi epiſcopi cura præmittantur, copiam neceſſariam habere, qui biduo, triduove parochiæ ſuæ hominum confeſ-

ſiones

ANNO CHRISTI 1585.

ſiones audiant ; aut confeſſos reconcilient , ut A
ſtata viſitationis , aliave die quam epiſcopus conſtituerit , præparati ſint ad ſacram communionem , & ad confirmationem , qui nondum confirmati ſunt , ab eo ſancte ſumendam .

Hoſtias , vinum , vaſa , mappas , & alia ad ſacræ communionis populo miniſtrandæ uſum neceſſaria , aliaque omnia , quæ viſitationi decenter in eccleſia ſua obeundæ opportuna epiſc. præſcripſerit , accurate paret .

*De concionibus , & verbi Dei prædicationibus .*

EPISCOPORUM præcipuum munus eſt prædicationis , quod in ſuis eccleſiis , per B
ſe exequi debent . Si vero legitime impediti fuerint , per eos quos ad prædicationis munus aſſument .

Nullus autem ſæcularis vel regularis etiam in eccleſiis ſuorum ordinum contradicente epiſcopo prædicare præſumat . Regulares cujuſcumque ordinis , ubi a ſuis ſuperioribus de vita , moribus , & ſcientia examinati , & approbati , de eorum licentia perſonaliter ſe coram epiſcopis præſentare , ab eiſque benedictionem petere tenentur antequam prædicationis munus aggrediantur . In eccleſiis vero quæ ſuorum ordinum non ſunt , ultra licentiam ſuperiorum ſuorum , etiam licentiam epiſcopi in ſcriptis habere teneantur , ſine qua in ipſis eccleſiis , quæ non C
ſunt ſuorum ordinum , nullo modo prædicent . Ipſam autem licentiam epiſcopi gratis concedant , quæ licentia eis non ſuffragetur , niſi tempore in eadem licentia præfinito .

Priores eccleſiarum , vel vicarii perpetui , quibus incumbit onus providendi de concionatore in ſuis eccleſiis , in ſynodo paſchali diœceſana , vel certe tribus aut quatuor menſibus ante adventum & quadrageſimam , ab epiſcopo prædicatorem petant , aut ſi quem maluerint proponant , ut , ſi ille non fuerit capax , ſibi de aliis provideri poſſit . Nec ulli prædicatori per epiſcopum ad certum locum nominato , liceat ſine conſenſu illius , illo relicto , ad alium tranſilire , aut alterum ſibi ſubſtituere . Si quis aliter D
munus prædicationis uſurpaverit , aut ſi quis quacumque fulgeat dignitate prædicatores in præjudicium epiſcoporum mittere præſumpſerit , excommunicetur .

Et quoniam parochi debent in ſuis eccleſiis prædicandi munus ipſi ſubire , in munere ſuo impediantur a regularibus etiam ab epiſcopo miſſis , quin diebus feſtis mane ipſi proprio muneri ſatisfaciant , poſt prandium vero poterunt regulares concionari , niſi ipſi parocho quandoque aliter videatur . Miſſi autem regulares teneantur licentiam ſuam exhibere curatis , nec aliter ab ipſis admittantur . Qui contra fecerit , ſit ipſo facto ſuſpenſus , & puniatur etiam arbitratu epiſcopi . E

Prædicator errores , & ſcandala ſi diſſeminaverit in populum , etiam ſi in monaſterio ſui ordinis , vel alibi prædicet , epiſcopus ei prædicationem interdicat . Quod ſi hæreſes diſſeminaverit , contra eum ſecundum juris diſpoſitionem procedat .

Neminem etiam regularem , ne in ſui quidem ordinis eccleſia concionari permittat epiſcopus , antequam ſibi aut ejus vicario , ille , quicumque concionaturus eſt , fidei profeſſionem præſtiterit . Ubi vero ſemel præſtiterit , non opus erit iterum ob eamdem cauſam eidem epiſcopo præſtare , ſed ſatis ſit profeſſionis ei ſemel eo nomine præſtitæ teſtimonium ſcriptum , atque obſignatum ſcriptum afferre , & exhibere , quod illi gratis concedatur . Hoc idem intelligatur de confeſſariis .

Nemini præterea concionandi facultatem concedat epiſcopus , niſi præter alia in eo requiſita , vel examine , vel alia ratione pro arbitrio ſuo , illius ſcientiam , & peritiam in eo munere probarit .

Si vere legitimeque epiſcopus aliquando impeditus , in cathedrali eccleſia prædicationis munus ſe ipſe præſtare non poteſt , ut certe concilii Tridentini ſanctione debet , id per alios , qui idonei ſint , ex ejus decreto præſtet impenſis ſcilicet ſuis , vel aliorum , quibus jure , vel conſuetudine incumbit , eas ipſas impenſas præſtare .

Parochorum in paſcendo populo verbi Dei prædicatione , induſtria , & doctrina , & in eo genere ſalutaris progreſſus ab epiſcopo cognoſcatur , vel illis in epiſcopales ædes aliove aliquando coram ſe ad concionandum evocatis , vel concionibus ipſis , aliquando ad ipſum epiſcopum miſſis vel alia ratione quam inierit epiſcopus .

Dum vel epiſcopus , vel parochus , vel alius concionem habet , eo ipſo tempore in ea eccleſia ejuſve aliquo ſacello miſſæ ſacrificium ab ullo quovis ſacerdote fieri , aut baptiſmi , ſi modo mortis periculum non immineat , ſacramentum miniſtrari prohibemus .

Concionator de cetero ne paciſcatur ſuper mercede prædicationis : Sed epiſcopus ipſe certam eleemoſynam pro concionatore in unoquoque loco conſtituat , ac declaret , cum pactiones ejuſmodi ſordidæ , ac illicitæ & ſimoniæ labem prope ſapere videantur .

*De canonicis .*

NE ſtudium ac pietas eorum , qui celebrant , & qui audiunt divina officia , perturbetur , nec quiſquam alieni muneris partes uſurpet , ſed ſuum quiſque officium diligenter exequatur , omniaque ut debent in domo Dei ordine fiant ; præpoſiti , archidiaconi , ſacriſtæ , præcentores , aliique in dignitate eccleſiaſtica conſtituti canonici , & reliqui eccleſiarum miniſtri , ea quæ eccleſiæ conſtitutionibus , vel dignitatum , perſonatuum , aliorumve officiorum eccleſiaſticorum inſtitutione ipſis eccleſiæ miniſtris in officiis divinis attribuuntur , accurate exerceant & exequantur , eaque omnia magna cura ſummaque diligentia ſtudeant epiſcopi ab omnibus ſervari , & quæ antiquata ſunt , ad uſum revocari .

Quod ſi neque ab inſtitutione , neque a jure communi , neque a propriis conſtitutionibus , quæ probatæ ſint , proprium officium illis ſit attributum , aut quod ſit non ſatis conſtet , epiſcopi duobus adhibitis de capitulo , quorum alter ab epiſcopo , alter a capitulo deligatur , aſſignent ſingulis dignitatibus & officiis ac aliis , proprium munus , quemadmodum cum ſententia ſacrorum canonum , & cum propriæ eccleſiæ probatis conſtitutionibus , & cum his ſanctionibus pro ratione loci magis congruere judicabunt .

Ceteris etiam beneficiis , quæcumque jam ab eccleſiaſticis officiis immunia reperiuntur , quocumque nomine appellentur , his epiſcopus priſtina munera reſtituat , ac ſi non conſtat ſatis qua-



ANNO CHRISTI 1585.

qualia ea eſſent , pro fructuum ratione onera A
imponat , aut miſſas divinaque officia celebrandi , aut ſi prioratus rurales , ſimpliciave beneficia ſint , minorum etiam ordinum functiones obeundi ad divini cultus propagationem .

Nec vero tamen vetamus , quin talia beneficia unire epiſcopo liceat ex facultate ſibi communi concilioque Trid. permiſſa . Ea vero officia & cetera , quæ in divinis rebus a nobis ſynodo præcipiuntur , epiſcopi propoſitis cenſuris & aliis pœnis efficient , ut ab omnibus ea ratione qua dictum eſt diligenter præſtentur .

Tridentini concilii , & Bonifacii VIII. auctoritate nixi decernimus , ut nulla canonicorum , aut aliorum pactio , remiſſio , vel colluſio fiat , aut facta vim habeat , nullumve ſtatutum , B
aut conſuetudo quæcumque illa ſit , valeat , quibus aut abſenti quavis de cauſa ejus , vel ſacræ horæ , in qua muneri ſuo defuerit , aut omnino cuiquam contra quam jure communi & ejuſdem Trid. concilii definitum ſit , diſtributiones quotidianæ dari poſſint . Quod ſi datæ fuerint , qui acceperit , nec in conſcientia , nec alio modo ſuas faciat , ſed eas reſtituere teneatur , diſponaturque de illis juxta probatas illius eccleſiæ conſtitutiones .

Volumus autem ab hoc decreto excipi eos , qui infirmitate detinentur , vel alia juſta cauſa a ſacris canonibus permiſſa .

Inter juſtas abſentiæ cauſas habeatur , ſi unum aut duos ex dignitates obtinentibus vel cano- C
nicis epiſcopus mittat , aut ſecum pro conſilio deducat ad viſitandam diœceſim , vel ad concilium provinciale , aut ad aliud pro religione , vel diœceſi urgens negotium , non tamen diutius excuſabuntur , quam duraverit negotii neceſſitas : excuſentur item qui pro negotiis capituli , & de ejuſdem licentia aberunt , nec numerentur in diebus abſentiæ dies receſſus & reditus .

Cum dignitates , canonicatus , & præbendæ in eccleſiis cathedralibus , & collegiatis non alia re fuerint inſtitutæ , quam ut qui ad eas aſſumuntur in divinis officiis celebrandis eccleſiæ , ex qua fructus percipiunt , ſedulo inſerviant , illiſque muneribus incumbant , quæ vel D
jure , vel conſuetudine ipſis fuere præſcripta , ſitque præcipuum munus canonicorum in ſancta eccleſia Dei ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum offerre , ad Dei iram , contra populos ex peccatis ſuis concitatam , placandam & mitigandam , & eorum animabus , qui dum viverent hac ratione bona ſua eccleſiæ reliquerunt , pie ſuffragandum . Ideo hæc ſancta ſynodus decernit , & ſub interminatione divini judicii præcipit , & in virtute ſanctæ obedientiæ jubet omnibus & ſingulis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum hujus provinciæ capitulis , atque ſingulis de capitulo , ut omnes alternatim dominicis & feſtis diebus per hebdomadam miſ- E
ſam majorem celebrent , cui adſiſtant duo ex canonicis in ſacris ordinibus , ſubdiaconatus , & diaconatus , conſtituti , ſi reperiantur , & finita a canonico hebdomadario ſua hebdomada , ſuccedat alter canonicus per hebdomadam , & ſic ſequantur per orbem , uſque ad ultimum .

Dignitates vero ſcilicet præpoſiti , archidiaconi , ſacriſtæ , & præcentores miſſam majorem canant feſtis ſolennioribus anni . Quod ſi quis renuerit hujuſmodi onus ſubire , tam ſubdiaconi quam diaconi , & ceteri omnes , priventur diſtributionibus illius diei .

Qui vero non fuerint ſacerdotes , diebus dominicis , & feſtis ſolennioribus in miſſa majori ſacram euchariſtiam de manu celebrantis ſumant .

Canonici omnes , in presbyteratus ordine conſtituti , etiam non hebdomadarii , ac etiam dignitates obtinentes , omnibus dominicis , & feſtis diebus , atque etiam frequentius celebrent , niſi juſtum ab epiſcopo & capitulo probandum interveniat impedimentum .

Ceterum cum de ratione celebrandi divini officii accurate in concilio Baſilienſi fuerit ordinatum , præcipit hæc ſancta ſynodus in illo decreta , quomodo divinum officium ſit ordinandum , & quo tempore quiſque debeat eſſe in choro , penitus renovari , ac diligenter , & ſine fraude ab omnibus obſervari .

Quæ de vita & honeſtate clericorum ab hac ſynodo ſtatuta ſunt , ea omnia , quam diligentiſſime a canonicis obſervari , ſub eiſdem , ac gravioribus etiam pœnis decernimus , cum deceat illos , ea morum integritate ornatos eſſe , ut nomen ſuum tueri & retinere poſſint , ac præ aliis clericis , canonici ſeu regulares , ex obſervata eccleſiaſticæ diſciplinæ perfectius regula nominari mereantur , a quibus ceteros ſtudium & amorem , ac tamquam regulam cultus divini non pigeat accipere .

Quicumque præbendam theologalem , in cathedrali , collegiatave eccleſia obtinet , is & quæ ſacrarum lectionum genera , & quibus diebus epiſcopus de conſilio capituli præſcripſerit , ut interpretationis ſuæ munere fungatur , accurate ad illius præſcriptum præſtet : ita ut ſaltem bis in hebdomada legat : cujus lectioni etiam clerici ſeminarii interſint , ſi ita epiſcopo videbitur . In eccleſia vero cathedrali , ſaltem die feſto , ſemper ſacram ſcripturam publice interpretetur , & exponat niſi aliquando aliud epiſcopus de capituli conſilio juſſerit .

Idem ab epiſcopo , aut ab alio conſultus de theologiæ quæſtionibus , aliiſve ejus generis , gratis reſpondeat : Cetera denique omnia præſtet , quæ pro ſuſcepti muneris ratione , ab eo præſtari debere idem epiſcopus cenſuerit .

Idem omnia præſtet quoad reſidentiam , quæ infra dicta ſunt in titulo de reſidentia ; ad quæ omnia in conſcientia ſe teneri intelligat .

Ad præbendam theologalem , quantum fieri poterit , ne umquam admittatur regularis , quod ſi opus fuerit illam regulari commendare , illi ne commendetur , niſi prius cum illo fuerit ſuper hoc opportune diſpenſatum , & obtenta etiam licentia a ſuo ſuperiore , & nihilominus habitum ſui ordinis , & illum quidem apparentem extrinſecus ſemper deferre teneatur .

Optat hæc ſynodus ad animarum ſalutem , in eccleſiis cathedralibus & collegiatis ex decreto concilii Tridentini , præter canonicum theologalem , etiam canonicum pœnitentiarium quamprimum inſtitui . Ea propter decrevit , ac ſtatuit , ut in omnibus eccleſiis prædictis , maxime ubi jam inſtituta eſt præbenda theologalis , præbenda alia , quæ alias quam per reſignationem primo vacabit , cuique aliud onus incompatibile non ſit annexum , pro pœnitentiario affecta , ac reſervata ſit , & eſſe intelligatur : ita ut adveniente illius vacatione , alteri non conferatur , quam ſacerdoti vitæ ſanctitate , & doctrinæ integritate inſigni ; qui ætatis annum quadrageſimum ſaltem agat , quique item in theologia aut in canonum jure doctor , ſeu licentiatus ſit , & in conſcientiæ caſibus encyclean-

cleandis, atque explicandis, bene inſtructus atque verſatus: Si vero qui omnes illas conditiones habeat non erit, is deligatur, qui ad illas quoad fieri poterit proxime accedat. Qui dum in eccleſia audiendis confeſſionibus vacabit, quod ſuum proprium munus eſt, ita diſtributiones quotidianas aſſequatur, ac ſi in choro divinis officiis præſens adeſſet.

Hæc autem, quæ de præbenda pœnitentiarii dicta ſunt, ita intelligantur quoad metropolitanam eccleſiam, niſi aliud archiepiſcopo & capitulo videatur: ut pœnitentiarius, qui in ea hanc adeptus fuerit præbendam, penſionem annuam centum & viginti aureorum præceptori juventutis pro illius ſuſtentatione perſolvere teneatur: cum ipſe ex reliquis fructibus ſeu quotidianis diſtributionibus, quæ ad ſimilem ſummam & ultra aſcendunt, commode vivere poſſit.

In illis autem eccleſiis, ubi per unionem præbendæ de pœnitentiario commode provideri non poterit, ea ineatur ratio vel per alicujus capellaniæ, ſeu prioratus ruralis unionem, vel aliter, ut eccleſia tam utili, ac neceſſario miniſtro non careat.

*De capitulis.*

CAPITULA cum fiunt, ne fiant mane: ſed tantum poſt officium veſperarum peractum, ne divina officia perturbentur, & ne canonici a divinis officiis abeſſe cogantur: niſi forte urgens & evidens ingruerit neceſſitas.

*Præcipimus capitulis*, ut *intra ſex menſes*, omnia ſua ſtatuta bona ſide ſuis epiſcopis communicent, quæ ad hanc ſynodum debuerant afferre. Curent autem epiſcopi de ſtatutorum illorum obſervatione: in quibus cum ipſorum capitulorum conſilio, aut immutent, aut addant, quæ videbuntur expedire, dummodo juri communi, & ſacris canonibus non adverſentur.

Cupiens autem hæc ſynodus, cathedralium & collegiatarum eccleſiarum hujus provinciæ ſtatuta, in omnibus quoad fieri poterit eſſe conformia, decrevit, ut ſtatuta omnia, ad formam ſtatutorum metropolitanæ eccleſiæ, poſtquam illa a reverendiſſimo archiepiſcopo, cum duobus de capitulo, reviſa, & correcta fuerint, reducantur: ac illis in omnibus & per omnia, quoad fieri poterit judicio epiſcopi & capituli conformentur: præcipue vero quoad ſtatutum de optando & de intereſſendo horis canonicis.

Si quis Inſtrumenta fundationum, bonorum, reddituum, privilegiorum, & jurium ad epiſcopatum, aut ad capitulum, aut ad aliquam dignitatem, aut præbendam, aut capellaniam, vel etiam ad quamcumque eccleſiam, & monaſterium ſpectantium apud ſe celaverit, nec intra ſpatium trium menſium a die publicationis hujus ſynodi reſtituerit epiſcopo aut capitulo, vel ipſarum eccleſiarum, & monaſteriorum præpoſitis, maneat per hanc ſynodum ipſo facto excommunicatus: nec ab epiſcopo abſolvatur, donec juramento adfirmaverit, omnia a ſe reſtituta. Ac præſens decretum volumus quotannis, tum in ſynodis diœceſanis, & capitulis generalibus, tum ſæpius per annum a parochis inter miſſarum ſolennia publicari.

Sicut non licet epiſcopo res eccleſiæ alienare ſine conſenſu capituli, vel ſuperiorum auctoritate, ita viciſſim nec capitulo, ſine cognitione & licentia epiſcopi atque aliorum ſuperiorum. Propterea declaramus ſingulos de capitulo excommunicationis ſententia innodari, nec eorum contractum valere, qui res mobiles ſacras & miniſterio eccleſiæ deſtinatas, ſive fundos, & alias res immobiles capituli, ſeu dignitatis alicujus, vel præbendæ, aut capellaniæ in eccleſia conſtitutæ, inconſultis epiſcopis aut ſine eorum, & ſuperiorum permiſſione, ac prætermiſſis aliis ſolennitatibus a ſacris canonibus requiſitis, diſtraxerint, & in ſua commoda verterint: ſed de ſacrilegio commiſſo teneri ad reſtitutionem, quod idem de epiſcopis, ac ceteris eccleſiaſtica beneficia obtinentibus ſentiendum eſt. Idcirco jubemus diligenter inquiri, juxta decretum concilii Tridentini, ſi forte inique alienata, poſſint in integrum reſtitui, aut ex vendentium bonis compenſari, & deinceps ſi quid hac in re peccatum fuerit, volumus ad reverendiſſimum metropolitanum, aut ſynodum provincialem referri, ut de ſacrilegorum pœnis ſtatuatur.

In collegiatis eccleſiis, ubi fuerint ſaltem ſex præbendæ, optamus unam conferri doctori theologiæ, ſeu licentiato, viro bono, exponendi & interpretandi ſacram ſcripturam perito, juxta decretum concilii Tridentini: ea tamen lege & conditione, ut ipſe, prout omnes alii theologi cathedralium, non deſinat, extra prædicationis & lectionis tempora, eccleſiis cum aliis canonicis deſervire, quantum per occupationes ſtudiorum, & alias cauſas legitimas licuerit, ejuſdem conſcientiam onerantes.

Creationes in canonicum, tamquam votum captandæ mortis inducentes omnino prohibemus, ne de cetero ullo modo fiant, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: Jam factas vero, quæ hactenus effectum ſortitæ non ſunt, irritas & nullas declaramus, ac pro infectis haberi volumus, minimeque ab aliquo ſervari ſub eadem excommunicationis pœna.

*De beneficiatis, ſeu manſionariis.*

ILLUD in omnibus cathedralibus & collegiatis eccleſiis noſtræ provinciæ exacte & inconcuſſe ſervari decernimus: ut beneficiati, ſeu manſionarii ab eorum eccleſiis & civitate recedere non audeant, ſine licentia capituli ex legitima cauſa dumtaxat concedenda, pœna privationis diſtributionum unius hebdomadæ, pro qualibet vice & die quo abfuerint, & alia arbitraria, quæ augeatur creſcente contumacia, ut capitulo videbitur expedire, & alias juxta ſacri concilii Tridentini decreta.

Præſtent inſuper hujuſmodi beneficiati per ſe ipſos proprium officium in choro, & cum oportuerit ad lectorile accedant, antiphonas, reſponſoria, & alia hujus generis canant: quoties opus fuerit, pluviale induant, & cetera præſtent tam in pſalmis pſallendis, & miſſis celebrandis, quam ceteris, quæ ex fundatione, ſtatutis, & conſuetudine præſtare tenentur: & in omnibus unus pro alio legitime impedito ſupplere poſſit: nec quiſquam eorum cum divina celebrantur, a choro recedat, nec ſine cauſa, & licentia majoris dignitatis, & antiquioris de capitulo in choro exiſtentis, ſub eadem diſtributionum privationis pœna, & alia arbitraria.

Et ut beneficiati ſeu manſionarii hujuſmodi, ad prædicta adimplenda capaces aſſumantur: beneficiaturæ ſeu manſionariæ prædictæ, tam

eccle-





eccleſiarum cathedralium, quam collegiatarum dictæ provinciæ, & antiquioribus, & in ceremoniis & muſica peritioribus clericis eccleſiæ & capitulo inſervientibus, ad inſtar metropolitanæ eccleſiæ tantum, conferantur.

*De parochis, & animarum curatoribus.*

IN curatis præter vitæ probitatem, duo præcipue requiruntur, ſcientia, & poteſtas: nihil enim magis eccleſiæ Dei officit, quam quod indigni præficiantur curæ animarum, & ad aliorum aſſumantur regimen, qui ſeipſos regere non poſſunt. Quoad ſcientiam, provideatur per examen, poteſtas vero per inſtitutionem, & collationem committatur. Nam niſi curati ligandi, atque abſolvendi poteſtatem a prælatis acceperint, decipient populum, nec abſolvunt a peccatis.

Si qui igitur ſine eccleſiaſtico & legitimo titulo parochialium adminiſtrationi ſeſe immiſcuerint, quacumque laica ſe fulciant potentia & violentia, fures ſunt & latrones, non paſtores ovium: quos ipſo facto ſuſpendimus a divinis.

Priores & vicarii eccleſiarum jurent, ſe abſque legitima auctoritate non alienaturos bona eccleſiæ quæ vero antea vel vendita, vel alio quovis modo alienata ſunt, ea quantum in ſe eſt, recuperaturos, & ſe inventarium rerum omnium mobilium & immobilium, & ad illum titulum pertinentium, ſex menſium ſpatio, ſub pœna ſuſpenſionis epiſcopo exhibituros.

Dominicis diebus parochus non ſolum feſtos dies populo denunciet, ſed etiam illum ſæpe doceat, quæ officia tum in illis, tum in eorum vigiliis colendis, ab eo religioſe præſtari oporteat: eumdem doceat, Chriſtianum hominem non decere opus aliquod ante ſuſcipere, aggredive, quam Dei auxilium religioſis precibus imploret, dicit enim dominus, Sine me nihil poteſtis facere. Parochus igitur, cujus eſt populum ad optima quæque inſtituta erudire; Concionator item illum, prout uſu venerit, cohortetur ac moneat, ut neque publice, neque privatim quicquam aggrediatur, niſi primum ſanctis precibus Deo adhibitis: Neque cibum ſumat antequam ſtata prece benedicat: poſt cibum item domino gratias precatione agat: id enim a nobis expectat qui nos paſcit Deus, ut pro præſtitis ab eo eſcis, illi gratias agamus, & ſaturati donis ipſius, laudes ei dicamus.

Eidem præterea ſignificet, atque indicet ſtationes, & indulgentias, & alia, quæ epiſcopi juſſu promulganda erunt.

Concionem nullo modo diebus feſtis intermittat, inter miſſarum ſolennia.

Proceſſionem per cœmeterium, aut etiam per pagum, & vicum, ante miſſam quovis die dominico, in feſto item habeat.

Clericum apud ſe parochus habeat ejuſmodi, ut non ſolum miſſæ inſervire, ſed alia etiam omnia præſtare poſſit, quæ veteri canone decreta ſunt, nec ſacramenta miniſtret abſque clerici auxilio & miniſterio.

Parochialis curæ munera atque officia non per alios, ſed ipſimet parochi, animarumve curatores, obeant ac præſtent: niſi ſint qui aliqua juſta cauſa ab epiſcopo approbata impediantur, aut etiam prohibeantur, id niſi fecerint, tum fructibus beneficii mulctentur pro rata temporis & officii ſui prætermiſſi, tum aliis etiam pœnis plectantur arbitratu epiſcopi.

Parochi in urbe, & in oppidis ſaltem inſignioribus conſtituti, ut a reliquis ſacerdotibus, animarum curam non gerentibus, internoſcantur, ſignum aliquod, quod proprium illorum inſigne ſit, ab epiſcopis in diœceſana ſynodo eis præſcribendum ferant cum domo exeunt, ſupra exteriorem veſtem & ſupra ſuperpelliceum cum in eccleſia ſunt, aut proceſſiones aliaſque hujuſmodi publicas actiones obeunt.

Parochi præterea perpetuo eccleſiæ ſuæ aſſiſtant, & gregi invigilent, ſint zelantes in ſalute fidelium procuranda. Sint diligentes in ſacramentis miniſtrandis, & cum ea miniſtrant, animadvertant & ſervent diligenter ſanctas eccleſiæ ceremonias, ut fideles ex eo ædificentur. Sint ſtudioſi in verbi Dei prædicatione. Sit vigilans eorum cura erga infirmos. Sint diligentes, & ſoliciti in divinis officiis, in funeralibus, in proceſſionibus. Sit maxima eorum diligentia in exercitatione populi ad ſtatas orationes. Sit accurata inſtantia in feſtorum dierum cultu obſervando. Sit diligens eorum cura in ſcholis doctrinæ Chriſtianæ. Sint ſoliciti in ſpeculatione populi. Sint eorum monita ſalutaria. Sit magna vigilantia in reliquis parochialis muneris partibus, præcipue vero in obſervatione decretorum hujus ſynodi.

Ut autem quilibet parochus ſuo officio defungi queat, catechiſmum Romanum Latine & Gallice habeat: & ex ejus præſcripto doctrinam de ſymbolo apoſtolorum, legis decalogo, ſacramentis, oratione dominica, atque aliis ad ſalutem neceſſariis tradat. Frequenter quoque ac libenter biblia ſacra & homelias patrum legat, unde ad captum populi ſui & ædificationem, quæ videbuntur conducere, ſeligat. Habeat inſuper inſtitutiones ſynodi hujus provincialis, & diœceſanæ, ut cognoſcat quomodo ac populum admonere, ac regere debeat.

Ad ſervitium parochiale perficiendum præſertim dominicis & aliis feſtis diebus non ſolum obligantur parochi, ſed omnes etiam ejuſdem parochiæ presbyteri, qui in ea aliquod beneficium obtinent: vel alias eidem eccleſiæ adſcripti ſunt, ſicut omnes parochiani ad illud audiendum. Niſi ergo presbyteri prædicti, in habitu ſacerdotali cum mundo ac decenti ſuperpelliceo hora competenti eo convenerint, (quo, ut conveniant, etiam qui non ſunt aſcripti, hortandi ſunt) & in officio divino ad finem uſque canentes, & adminiſtrantes, perſtiterint: damus curatis poteſtatem poſt trinam admonitionem eos ſuſpendendi a divinis. Et ut ordo in omnibus ſervetur in eccleſia, omnes presbyteros parochiæ, ſicut omnes alios parochianos, parochis decet eſſe obedientes, & correctioni eorum ac directioni ſubditos, de quorum vita, & officio parochi epiſcopum aut vicarium foraneum certiorem ſæpe reddere teneantur. Quod omne intelligi volumus de clericis, ſubdiaconis, & diaconis. Parochi vero quoties poterunt, auxiliarios presbyteros, & clericos ſuos vocent in participationem aliquarum obventionum eccleſiaſticarum: ut qui altari ſervit, de altari vivat.

Indignum nobis viſum eſt, dominicis, ac feſtis diebus, de orationis domo, negotiationis, aut fori ſæcularis domum fieri. Nam pro populi exhortatione, & divini verbi prædicatione coguntur curati ſacris operantes, lictorum & præconum, atque etiam publicationum vices gerere, auctiones vectigalium, venditionum, licitationum, & quæcumque mandata ſæcularium judicum, & officiariorum recitare & proclamare.



Ad

Ad purgandam ergo domum Dei his profanationibus, prohibemus ſub interminatione divini judicii, & pœnæ ſuſpenſionis & excommunicationis, quicquam in ſacrificio & in templo niſi ſacrum & ſanctum, dici aut fieri. Atque monemus omnes judices & magiſtratus ſæculares, ut ſua quæcumque mandata per ſuos miniſtros, & fabricarum rectores, aut alium de vicinia deputatum publicari faciant extra cœmeterium & eccleſiam, quo loco ipſis videbitur convenientius. Eoſdem obteſtamur in domino, ne liceat iis diebus parochianos & vicinos venientes aut redeuntes ad eccleſiam, aut in ipſa inventos in jus vocare, aut comprehendere, aut aliter vexare: ob id enim miſeri homines coguntur abſtinere a cultu divino, & feſtis diebus, quibus prodeundum in eccleſiam eſt, latitare.

Habeant libros ſacræ ſcripturæ, & caſuum conſcientiæ inſtitutiones, quæ auctoritate hujus ſynodi edentur, & alios præterea parochis, & animarum curatoribus neceſſarios. Habeant præterea libros, & hos vigilanter, & decore aſſervent, in quibus & baptizatos, & matrimonio junctos, & chriſmate delibutos, & mortuos ſcribant, & hos ſeparatos ad præſcriptum hujus ſynodi.

Nullus parochus pœna illis excommunicationis propoſita, ſacramentum ullum adminiſtrare audeat hæreticis quibuſvis, vel quocumque modo a fide catholica averſis, niſi prius conſtiterit illos reſipuiſſe, & eccleſiæ rite reconciliatos fuiſſe.

Ad tollendos abuſus, quos in nonnullis hujus provinciæ eccleſiis irrepſiſſe audivimus, in oblationibus, quæ a laicis percipiuntur in quibuſdam anni feſtivitatibus, & in profanos uſus convertuntur: Statuimus & ordinamus, ne de cetero ullæ in eccleſiis oblationes fiant, aut colligantur, quæ non in ipſius eccleſiæ & miniſtrorum ejus utilitatem convertantur pœna excommunicationis contrafacientibus propoſita: provideantque parochi, ne hujuſmodi oblationibus ullæ ſuperſtitiones admittantur.

Die feſto beatæ Mariæ virginis purificationis, dicato, candelarum, & die dominica, quæ in palmis dicitur, olivarum benedictio in eccleſia ipſa ſolum celebretur, aut in ejus cœmeterio, ubi talis fuerit conſuetudo: utroque autem tempore in ſingulis eccleſiis, ubi ſolennis illa candelarum & olivarum benedictio facta eſt, aut in earum ambitu, alibive proceſſio agatur. Quo in proceſſionis munere clerus die feſto purificationis candelas, die autem palmarum olivas aut palmas præeundo manibus geſtet.

Curati ne permittant eſculenta appendi olivis benedicendis, moneatque populum benedictionem illam non cadere ſuper eſculenta, ſed ſuper olivas.

Ea tantum benedicentur quæ ex veteri eccleſiæ inſtituto benedici conſueverunt, juxta rituale Romanum. Caveant autem maxime ſacerdotes, ne benedictionem impertiant ad veneficia, maleficia, aut alia hujuſmodi ſuperſtitioſa.

Parochus puerperam ne benedicat, niſi in eccleſia, cui etiam ſolum detur aliqua ſacra imago deoſculanda, cum aſperſione aquæ benedictæ, neque ullo modo detur panis benedictus ſub hoſtiæ forma, aut quid ejuſmodi.

*De reſidentia.*

QUæ de reſidentia a ſacro-ſancta ſynodo Tridentina ſancte ac utiliter decreta ſunt, omnes hujus provinciæ epiſcopi pro eorum paſtorali ſollicitudine ipſi diligenter obſervent, ac ab omnibus beneficia curata, vel perſonalem reſidentiam requirentia quomodolibet obtinentibus quam diligentiſſime inviolateque obſervari curent.

Statuimus etiam ut in ſingulis cathedralibus & collegiatis eccleſiis ſingulis tribus menſibus, tres primi ex capitulo præſentes, abſentium canonicorum & aliorum beneficia in dictis eccleſiis obtinentium nomina ad epiſcopum deferant.

Monemus autem & hortamur beneficia curata obtinentes, ut divinorum præceptorum memores, gregem paſcant, & regant in judicio & veritate, ac declaramus, eiſdem præceptis parochialibus eccleſiis quocumque nomine & titulo præfectos obligari ad perſonalem in ſua eccleſia & parochia reſidentiam, ut injuncto ſibi officio defungi valeant, neque abeſſe poſſe, niſi ex juſta, legitima, & canonica cauſa, ab ordinario in ſcriptis approbanda.

Si quis autem contra decreti hujus diſpoſitionem abfuerit, præter mortalis peccati reatum, quem incurrit, pro rata temporis abſentia, fructus ſuos non facit, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi retinere poteſt, ſed per ipſum aut ſuperiorem eccleſiaſticum, fabricæ eccleſiarum, aut pauperibus erogari debent. Quod ſi abſentes ultra bimeſtre etiam non perſonaliter citati contumaces fuerint, liberum volumus eſſe ordinariis per cenſuras eccleſiaſticas, ſubſtractionemque fructuum aliaque juris remedia etiam uſque ad privationem compellere ad reſidentiam.

Plerique ne reſideant prætexunt litigia, aut ſuſcitant ipſimet devoluta, ne videantur ſua beneficia pacifice poſſidere. Ideo ſtatuit hæc ſynodus, ut quiſquis beneficio perſonalem reſidentiam requirente, & ejus fructibus gaudet, aut reſideat, aut fructus non percipiat, quos ſuos ſine reſidentia facere non poteſt, qui etiam aliis jam dictis pœnis ſubjaceat.

Si quis a reſidentia ex legitima cauſa ab epiſcopo prius cognita & probata abeſſe contigerit, vicarium idoneum ab ipſo ordinario approbatum cum debita mercedis aſſignatione relinquat. Diſcedendi autem licentia in ſcriptis, gratiſque concedenda, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa nemini detur. Quod ſi quis diutius ab eadem reſidentia excuſari potuerit, viſitet tamen parochiam de bimeſtri in bimeſtre, ne prorſus ſine officio beneficium poſſideat, niſi juſto impedimento per epiſcopum judicando detineatur.

Parochi vero epiſcopum admoneant, ſi qui intra fines ſuæ parochiæ ejuſmodi habentes beneficia, quæ perſonalem item reſidentiam requirant, non reſideant.

Vicarii etiam foranei eamdem diligentiam adhibeant, ſi qui curati in regione ſibi ab epiſcopo commiſſa non reſederint. Qui huic officio deerit, ſicut epiſcopo videbitur, plectatur.

In facultatibus autem abſentiæ, quæ ſtudiorum cauſa ab ordinariis concedentur, hæc opponenda cenſuimus.

Ut vere in publico, celebrique gymnaſio theologiæ, vel ſacris canonibus ſtudeat.

Ut minores ſint triginta annis, aut fuerint, cum in publico gymnaſio iiſdem ſtudiis operam dare cœperunt quæ nunc cupiunt abſolvere.





Ut intra annum ad ordinem ſaltem ſubdiaconatus promoveantur.

Ut ſingulis ſex menſibus epiſcopo ſcriptum ſui doctoris exhibeant, quo is illos in eo ſtudii genere proficere teſtetur: quod etiam epiſcopus ſecreto ab aliis cognoſcere ſtudeat.

Quod ſi omnes ſupra ſcriptæ conditiones in licentia expreſſæ non fuerint, aut is qui impetrat, qualitates omnes, quæ in ſcripta licentia requiruntur, non habeat, aut quæ ipſi ſervanda proponuntur, deinceps non præſtiterit, facultates irritæ ac nullæ ſint, & qui impetrat, ſciat ſe fructus ſuos non feciſſe, neque facere, ac pœnis, quæ non reſidentibus propoſitæ ſunt, teneri.

Similes autem facultates, etiam prædictis requiſitis concurrentibus iis qui parochiales eccleſias obtinent, minime concedantur.

*De eccleſiis, & earum cultu.*

ECCLESIAS quaſcumque, ſive curatas, ſive non curatas, ſacella & oratoria diruta epiſcopi ad eam rationem quæ a ſancta Tridentina ſynodo præſcripta eſt, reſtituenda, vel alio transferenda curent.

Lapides, cœmentum, & omnis materia eorum locorum ad profana ædificia ne adhibeantur: niſi epiſcopi auctoritas ex juſta cauſa intercesſerit: Quod enim ſemel Deo conſecratum eſt, ad privatos hominum uſus transferri non debet.

Altaria etiam quæ extra eccleſiam & quæ ſub dio, nec ſepta aut munita ſunt, epiſcopi aut ſepienda, ſi fieri poſſit, aut demolienda curent.

In eccleſia præſertim cum divina officia celebrantur, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat.

Deambulare, nugari, circulos habere, negotiis operam dare, cum mulieribus immodeſte colloqui, altaribus vel fontibus baptiſmi adhærere, in limine aut ante fores immorari, averſum ab euchariſtiæ ſacramento irreverenter ſedere, aut cum in miſſa ſuſtollitur ſtare, aut quovis modo divina perturbare, aut irreverenter in eccleſia verſari.

Ne clericus, aut quivis alius in eccleſiis, earumve cœmeterio, atrio, veſtibulo, aut porticu, foribuſve quidquam venale proponat, ne ſi ad uſum quidem ſacrificiis vel eccleſiæ futurum ſit.

Nemini cum venaticis canibus vel volucribus in eccleſiam ingredi liceat.

Mendici eleemoſynæ quæritandæ cauſa ne in eccleſiis vagentur, ſed extra januam conſiſtant.

Qui in horum aliquo deliquerit, a parocho eccleſiæ per ſe vel alium eccleſiæ miniſtrum moneatur: niſi paruerit, ab eccleſia interdicti ſententia excludatur: Si commode id fieri non poteſt, ad epiſcopum deferatur, qui in eum ſuo arbitrio animadvertat: qui etiam parochi, & aliorum eccleſiæ miniſtrorum hujus officii negligentiam coerceat.

Parochus ſub noctis horam, eccleſiæ fores claudi curet, neque ullo pacto quemquam admittat præter ſacerdotes, niſi nocte natalis domini.

Cum Chriſtianæ pietatis rationi illud alienum ſit, ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modo devotionem non excitant, ſed intervenientium mentes facile illiciunt in fœdas turpeſque cogitationes: propterea ne quis ad illa ornanda periſtromatis, aulæiſque utatur, quæ obſcœnis figuris intexta ſint. Neque item pictas imagines & ſigna adhibeat, quæ loci ſanctitati non conveniant.

Quæ pallia, aliaque ſacra indumenta altarium uſui, ornatuive addicta ſunt, ea ad ſedis epiſcopi alteriuſve hominis eccleſiaſtici, vel laici, quavis dignitate præditi apparatum, aut ad funeris exequiarumve pompam, aut aliarum rerum, quæ profanæ ſint, uſum ſive ornamentum ne adhibeantur.

Nullus etiam veſtibus religioſorum hominum aut mulierum utatur ad larvas, vel ad ſcurrilia ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ.

Quæ veſtes & ornamenta cujuſvis generis, ad uſum ſacrum comparata, eccleſiæ inſtituto benedici debent, ea in miſſæ ſacrificio, ceteriſque divinis officiis ne prius adhibeantur, quam ſolemnibus precibus ab epiſcopo vel ab alio, qui auctoritatem habeat, benedicta ſint.

*De choro.*

CUM ab ipſo Chriſtianæ religionis exordio, eccleſiaſticis legibus, moribus, & continua traditione fuerit receptum, non ſolum laicos a choro, qui ſolis patebat clericis, excluſos fuiſſe, ſed & in eodem choro quibuſdam ſtationum gradibus, clericos ipſos ſic fuiſſe diſtinctos, ut nec intra ſacerdotes diaconi, nec intra diaconos ſubdiaconi ullo modo admitterentur: Propterea hæc ſancta ſynodus dum videt eccleſiarum choros hoc tempore non magis clericorum, quam laicorum, imo quod deplorandum eſt, & mulierum conventus dici poſſe, & ob eam cauſam divina officia ea qua decet reverentia minime celebrari: priſcum ordinis decorem ad divinæ majeſtatis obſequium revocare cupiens, decrevit, laicos homines, (& multo minus mulieres) dum divina celebrantur, intra cancellos chori nequaquam eſſe admittendos: His tantum præter cantores & alios hujuſmodi chori miniſtros, in eum locum ingreſſuris, qui eccleſiaſtici ſint & honeſto ac decenti habitu induti. Laici vero nobiliores, & qui vel Chriſtianiſſimi regis conſiliarii & officiales, aut ex militaribus ordinibus, aut communitatum magiſtratibus fuerint, poterunt intra chorum admitti, ſi eo in loco divinis officiis intereſſe velint, ita tamen ut poſt clericos ſedeant, nec inter clericos ipſis ſedere liceat.

Feminæ vero cujuſcumque conditionis, & ſtatus ſint, nullo umquam tempore, nullave ex cauſa, dum divina officia celebrantur, aut verbum Dei prædicatur: denique iis horis, quibus clerici, tam ſæculares, quam regulares in choro præſentes eſſe debent, intra eumdem chorum, aliquemve ejus locum ſecretum etiam ſuperiorem admittantur. Quod ſi adverſus hanc prohibitionem factum id fuerit, aut permiſſum, ipſæ feminæ ſi monitæ ſtatim non receſſerint, vel iterum contumaciter ingredi præſumpſerint, ſint eo ipſo excommunicatæ: qui vero choro præſunt, ſi earum ingreſſum etiam tacitum conceſſerint, permiſerintve, & non ſtatim illas monuerint, aut per alium monere fecerint,

cerint ut diſcedant, præter excommunicationem in quam ipſo facto incurrant, ſint ab officio & beneficio per ſex menſes ipſo itidem facto ſuſpenſi.

Epiſcopus poſt miſſam conventualem, & poſt ſolemnem benedictionem populo datam, ne recedat a choro, uſquequo abſoluta fuerit ſexta, vel nona, cum dicenda fuerit, niſi ex gravi cauſa: ne privetur chorus & eccleſia debitis obſequiis per canonicos præſtandis. Qui cum epiſcopum ad ædes epiſcopales comitari debeant, chorum deſtituunt, & illius horæ officio non ſatisfaciunt.

In choro clerus non vagetur oculis, incompoſito corporis ſitu ne ſtet vel ſedeat, non moveatur huc illucque, non circumambulet, non ſint invicem colloquia, non flores in manu teneat, non legat aliud in choro præterquam officium quod tunc cantatur, moduletur devote cum aliis, meminneritque ſe tremendæ Dei majeſtati aſtare, qui non modo exteriores corporis geſtus videt, ſed ſcrutatur cordium intima atque ſecreta: ne de illo dicatur, quod Deus per prophetam ait. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt a me.

*De altari.*

ALTARIUM & capellarum locus ne in ulla quavis eccleſia quovis nomine cuiquam abſque epiſcopi licentia & auctoritate detur.

Amoveantur omnia altaria, quæ ſubtus ſuggeſtum aut organum extructa ſunt, aut columnæ pilæve hærentia, aut adverſa altari majori, aut eccleſiæ januis nimis propinqua, aut alia, quavis ratione incommoda aut periculoſa vel etiam ſine fundatione, epiſcopi judicio.

Emolumenta autem, oblationes, & jura, ac onera altarium, quæ amovebuntur, ad alia altaria ejuſdem epiſcopi ſententia transferantur. In ejuſmodi autem locis deinceps ne ulla quavis ratione & cauſa altaria conſtrui epiſcopus permittat, neque alio modo liceat.

Id in primis propoſitum habeat epiſcopus, nimiam altarium frequentiam, quam tantopere populi expetunt, ac magnifaciunt, eſſe vitandam, eam ob cauſam, ne ſacerdotes ad illa uno eodemque tempore celebrantes ſe invicem interturbent, ac ne illa, ut uſu evenire ſolet, ornamentis neceſſariis, quo plura ſunt, eo facilius deſtituta remaneant. Atque illud quidem ſtatui poſſe videretur generaliter, nullam prope eccleſiam tam amplam reperiri in noſtris diœceſibus, cui non ſatis ſint quinque aut ſeptem ad ſummum altaria.

Extruatur unumquodque altare, aut ſi jam extructum eſt, ad rationes infra præſcriptas aptetur, & ornetur. Lapideum ſit vel ſaltem lateritium, cum tabula lapidea, ſi conſecrandum eſt. In eo non ſit feneſtella, foramenve ulla ex parte, ubi quicquam aſſervari aut recondi poſſit, niſi ſint reliquiæ ſanctorum. Si vero columellis ſuffultum erit, ne quicquam ſubtus ponatur omnino. Altaria ſupra ſcabellum ligneum, quod *marchepie* vocant, extent palmis quatuor cum quarto, longitudinis vero ſint ad minus palmorum octo, latitudinis item palmorum trium cum dimidio. Scabellum vero ligneum habeat, quod a fronte altaris palmos ſaltem quatuor productum late pateat. Altare omne fornicem habeat, vel fornicatum, vel ſaltem ex aſſeribus, aut e tela alicujus coloris decenter picta, vel panno pretioſiore confectum, ubi fornix non eſt, quæ totum altare, ac præterea ſacerdotem celebrantem tegat. Si fornix eſt, diſtet ab altari ſpatio convenienti. Feneſtella ſit in pariete capellæ a parte epiſtolæ conſtructa, & lapide tranſverſali diſtincta, ita ut pars ſuperior uſui ſit, ad pelvim, cum urceolis, dum miſſæ ſacrificium fit, reponendum: Inferior ad aquam ablutionis manuum ſacerdotis celebrantis projiciendam.

Urceoli ſint ex vitro, ubi commode fieri poſſit.

Adſit tintinnabulum appenſum, vel certe e ſacriſtia deferatur, cum faciendum eſt ibi miſſæ ſacrificium.

Unumquodque altare, ubi commode epiſcopus fieri poſſe judicarit, ſepiatur omnino ſepto ferreo, vel lapideo, vel ſaltem ligneo: quod ſeptum ab altari diſtet ſaltem palmis ſeptem. Nec vero illud ſeptum laicus ingrediatur, dum miſſæ ſacrificium fit.

Petra ſacrata ſi menſæ altaris inſeratur, ita fiat, ut paululum ab illa extet, quantum a celebrante ſacerdote tactu dignoſci poſſit. Quæ quidem petra non ſit minor longitudine palmi unius, & dimidii: latitudine palmi & quarti, præter ligneam capſam in qua includetur. Sit etiam tela colorata cooperta.

Habeat unumquodque altare propriam ſupellectilem, & ornamenta decentia ut infra, tum ad ejus cultum & uſum, tum ad miſſæ ſacrificium in eo religioſe decoreque peragendum.

Conſecratæ altarium menſæ totæ, licet aliqua ex parte lateritiæ ſint, tela cerata ita contegantur, ut facile a menſa tela non poſſit amoveri.

Altaria ſingula mappis tribus mundis, una oblonga, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabuſque reliquis brevioribus veſtita ſint.

Pallio præterea coloris quoad ejus fieri poteſt, pro feſti diei feriæve ratione ornata decenter ſint.

Viridem aut cæruleam telam habeant, qua præterquam miſſæ tempore contegantur, ne mappæ pulvere, aliave ſorde inquinentur. Ornata præterea ſint cruce in medio collocata, niſi aliqua ſit imago, & candelabris duobus ad minus, uno a dextra, altero a ſiniſtra parte poſito.

Maneant ſemper inſtructa atque ornata, feſtis ſaltem diebus, niſi aliud epiſcopo aliquando videatur.

Tabella cum ſecretis orationibus in unoquoque altari ſit, quæ peracta miſſa, ſub tela mappave recondatur.

Si altaris redditus adeo tenues ſunt, ut ad illud juxta præſcriptam formam inſtruendum, & ad ferendum debiti ſervitii onus ſatis non ſint, neque demoliendum ob eccleſiæ decorem videatur, ſervitii ipſius partem aut etiam totum, ad tempus epiſcopo probatum, ſubtrahi poterit, niſi aliud commodius occurrat.

Altaria & imagines, & pavimentum coiteant perpetuo, pavimentum vero, ſaltem octavo quoque die verratur diligenter, & parietes cum opus fuerit. Cura hæc ſit præpoſiti, parochi, vel alterius qui major ſit in eccleſia.

Epiſcopus librum, eumque certum, ac perpetuum confici, illumque in archivio epiſcopali diligenter aſſervari mandet, quo in libro infra







fra annum, altarium omnium, quæ in ſingulis urbis & diœceſis ſuæ eccleſiis collocata ſunt, tituli & emolumenta, item jura, onera, ſi quæ habent, ſigillatim ordine recteque deſcribantur & ſi quid deinceps emolumenti aut oneris ex legato aliove nomine acceſſerit, id diligenter notetur.

Onera vero in hoc libro notata, ſingula in tabellam referantur, quæ in cujuſcumque eccleſiæ, ubi altaria hujuſmodi fuerint, ſacriſtia affigi debet.

In hoc ipſo libro altaria etiam ſingula, quæ ex conceſſa ab epiſcopo facultate in poſterum extruentur, cum ſuis titulis, juribus, emolumentis atque oneribus accurate deſcribantur: facultate etiam illa in eum ipſum librum relata. Ideoque qui ita extruxerit, & rector eccleſiæ illius ſecretario epiſcopali menſis ſpatio, ædificationem jam abſolutam denuntiet.

*De ſacriſtia.*

SACRISTIA unaquæque habeat quæ ſequuntur.

Primo armarium, vel veſtiarium unum, pluraye ad indumenta conſervanda, inſtructa ſuis capſulis, aut loculis, aliove modo, opereve multipliciter, ordineque diſtincta, pro eccleſiæ ratione vel ſupellectilis copia. Tum pretererea oratorium ſeparato quantum poterit loco poſitum atque diſtinctum, ubi poſſit ſacerdos ſe colligere, & orare, ante & poſt miſſæ celebrationem.

Labellum item cum manutergio appenſo ad manus abluendas & abſtergendas. Tabulam etiam de orationibus ſacro unicuique indumento accommodatis. Tabellam quoque appenſam in qua & miſſæ, & anniverſaria ſingula ordine notata ſint, quæ vel ab univerſo illius eccleſiæ clero, vel ab unoquoque in ſingulos dies hebdomadaſve peragi præſtarive debent, ac reliquas item tabellas ex juſſu epiſcopi confectas.

Epiſcopi omni labore & diligentia curent, tabellam confici, in qua ſinguli epiſcopi qui eccleſiæ illi præfuerunt, notata temporum ratione deſcripti ſint: quę in ſacriſtia affigatur, ut frequentius ſacerdotes memores ſint pro illis preces, & ſacrificia offerre.

Veſtes ſacræ, ceteraque ornamenta, volumina item eccleſiæ uſui, miniſterioque addicta, & reliqua eccleſiaſtica ſupellex, & parochiales item codices in ſacriſtia certis armariis recte atque ordine aſſerventur.

Nec vero ſordibus, pulvereque obſordeſcant, ſed quoad ejus fieri poteſt, ab omni ſorde, & inquinamento, pura omnia & ſingula ſint, ac integra: ac nullo præterea modo lacera, ſed ſarta tecta & bene compacta.

Baptiſterii, ſacrarii, tabernaculi, lunulæ, veſtium, confeſſionalium, aliarumque hujuſmodi rerum forma inſtructionibus epiſcopi commonſtranda in omni eccleſiæ cathedralis ſacriſtia ponatur, ad cujus ſimilitudinem reliquæ, quæ in aliis eccleſiis adhibentur, recte confici poſſint.

In ſacriſtia ipſa ſilentium ſervetur accurate, neque in ea pateat aditus laicis, niſi neceſſarium fuerit.

Ex ea egrediantur veſtibus ſacris induti, qui celebraturi ſunt, nec aliter celebrent niſi in ſacriſtia veſtiantur, ad quam cum pariter celebraverint, revertantur, ſub pœna unius aurei, pro medietate ſeminario applicandi.

*De cœmeteriis.*

CURET epiſcopus diligenter, ut cœmeteria ita undique ſepiantur, ut ingreſſus beſtiis occludatur, neve per illa acceſſus & tranſitus ſit ad profanas res.

Cuſtodiantur ab immunditiis: purgenturque ſæpe a vepribus, ſpinis, & herbis: quæ herbæ uſui non ſint animalium comeſtioni, ſed in eiſdem cœmeteriis comburantur.

In eorum medio crux firmiter erecta ſit, quam aliquo etiam decenti tegumento operiri conveniens erit.

*De Campanis.*

CAMPANAS tres, grandiorem ſcilicet, mediam, & minimam, ſi una quæque parochialis eccleſia habere non poſſit, ſaltem duas, ubi fieri poteſt, habeat, impenſis eorum qui jure, vel conſuetudine ad id tenentur.

Simplex eccleſia & oratorium, unam tantum campanulam habeat, ut ſummorum pontificum conſtitutionibus ſancitum eſt.

Nulla res profana deinceps campanis inſculpatur inſcribaturve, ſed crux, & ſacra aliqua imago, utpote ſancti patroni eccleſiæ, piave inſcriptio.

Neque rurſus eæ in turrim aut pinnas ſuſtollantur, antequam ab epiſcopo rite precibus ac benedictione conſecratæ ſint.

Et ubi commode fieri poteſt, ne ab alio quam a clericis pulſari permittantur: neque earum ſonitu & clangore, quæ conſecratæ ſunt, convocentur homines ad ſæcularia pertractanda, neve reis ad patibula perducendis.

*De funeribus & exequiis.*

UT vetus eccleſiæ inſtitutum mortuorum funus piis precibus & officiis ſolemni more proſequendi, multis locis depravatum, ad priſtinam pietatis rationem revocemus: Clericis quibuſcumque, cujuſvis dignitatis ſint, etiam cathedralium & collegiatarum eccleſiarum canonicis, ceteriſque omnibus, hæc ſervanda proponimus.

Ante ſolis ortum, & poſt occaſum mortuum efferri, & ad ſepulturam recipi prohibemus, ſine epiſcopi, aut vicarii licentia.

Inter majoris miſſæ celebrationem mortuorum corpora ſepulturæ cauſa in eccleſiam ne inferantur.

Cum mortuus efferendus erit, cujuſvis eccleſiæ clerus qui vocabitur in unam eccleſiam a parocho decernendam congruo proceſſionis ordine conveniant, unde omnes ordine prodeuntes bini canentes pſalmos, aliaſve ſacras preces mortuum ab ejus ædibus ad ſepulturam comitentur.

Cum ad eccleſiam venerint, omnes corpus ſuo ordine circumſtent, inſtituta officia celebrantes, nec prius diſcedant, quam corpus in ſepulcrum illatum fuerit.

Deinde ſingularum eccleſiarum clerici, eodem ordine quo venerant, crucem perferentes ad eccleſiam ſuam redeant, niſi aliquando aliud epiſcopo juſta de cauſa videatur.

ANNO CHRISTI 1585.

Candelæ omnes, cerei, & quæ intortitia vocantur, quæ circum crucem & cadaver ad eccleſiam deferuntur, & alia, quæ circa feretrum & altaribus, & reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, heredum impenſa accenduntur, ita Deo oblata eſſe intelligantur, ut ejus eccleſiæ ſacriſtiæ, in quo mortuum corpus humandum erit continuo addicta ſint: niſi in alium eccleſiæ uſum ordinarii licentia convertantur.

Excipimus autem ea, quæ clericis cujuſvis generis eleemoſynæ cauſa dari ſolent, & quæ funeralium nomine cathedralibus & parochialibus eccleſiis, ex ſacris canonibus debentur, quibus nihil obſit quominus quartam funeralium hujuſmodi eis debitam conſequantur.

Nemini quemquam in funere laudare liceat in eccleſia, niſi, & eum quem laudare velit, epiſcopus dignum cenſuerit, & laudationem ſcriptam ante probarit.

Licet tamen in funere concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miſeriam fidelium oculis proponendam, omneſque ad vigilandum cohortandos, ne cum venerit dominus hora qua non putarint, inveniat eos dormientes.

*De proceſſionibus.*

CONTROVERSIAS omnes de præcedentia, quæ perſæpe cum ſcandalo oriuntur inter eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quam regulares, tum in proceſſionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis ſimilibus, epiſcopus amota omni appellatione, & nonobſtantibus quibuſcumque componat.

Exempti autem omnes, tam clerici ſæculares, quam regulares quicumque etiam monachi ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

Clero ad eccleſiam convenienti proceſſionis, ſupplicationis, alteriuſve hujuſmodi officii cauſa, locus aliquis conſtituatur, ubi ſimul univerſus, ſi poteſt, alioquin collegiatim ſaltem unuſquiſque ordo conveniat, & tacite precando conſiſtat, donec illas obeat, ne per eccleſiam vagetur, aut quicquam aliud admittat.

Conſtituat epiſcopus certos homines, qui clerum ad ſupplicationes procedentem dirigat, tumque aliquando cum opus eſt, eumdem ſubſiſtere moneant, tum etiam qui populum in ordine conſiſtere, aliaque hujuſmodi opportune in ipſa etiam via moneant & præcipiant, atque ut ſerventur efficiant omni ſollicitudine.

Cum ad proceſſionem clerus vocatur, quid pſallendum, quid canendum ei ſit, ut opportunum erit, ſignificetur, prout moris eſt.

Clerici omnes ſæculares & regulares, & qui in eccleſia cathedrali dignitates obtinent, bini ſemper procedant: neque inter eos laici homines quocumque gradu ſint ullo modo interjecti incedant, neque item inter eoſdem & epiſcopum laicis locus ſit.

Sacras imagines, vexillave cleri, ne laicus homo in proceſſione perferat, ubi clericus quiſquam eſt, qui hoc munus præſtare poſſit.

In omni eccleſia, unde ad ſtatas proceſſiones clerum populumque egredi ſolenne eſt, ubi primum procedendi initium ſit, campanarum omnium pulſus ſolenniter tamdiu adhibeatur, quoad inde clerus univerſus in proceſſionis munere egreſſus ſit. Idemque cum a proceſſione revertitur, præſtetur. Idem fiat in eccleſiis, quæ in vicinia ſunt, ubi proceſſio agitur. In omni præterea publicarum ſupplicationum, proceſſionumve apparatu, quæ obſcœnarum rerum ſpeciem oſtendunt, ea ne adhibeantur.

Regularibus ſub excommunicationis pœna interdicitur, ne proceſſiones ſolennes & publicas ipſi ſoli in civitatibus aut oppidis inſignioribus obeant, abſque facultate inſcriptis ab epiſcopo impetrata, ac etiam capituli, ubi id ex conſuetudine ſervatur, ſed cum aliqua ex cauſa proceſſionem illos obire neceſſe eſt, eam obire liceat, in eccleſia ſua, vel in ſuo cœmeterio, vel in clauſtro monaſterii, terminos autem ſui monaſterii, nullo modo propria auctoritate egredi liceat, ſub pœna prædicta.

Confratriæ, ſodalitates, ſocietates, & ſcholæ quæcumque, quocumque nomine appellantur, proceſſionem ſanctiſſimi ſacramenti ne obeant, niſi in ſcriptis ab epiſcopo facultate impetrata, quo caſu epiſcopi animadvertant, ne illa proceſſio aliquo modo impediat proceſſionem parochialis eccleſiæ, neque permittat a dictis confratribus divinum officium, quod neceſſario fieri debet in parochiali eccleſia diebus feſtis & aliis aliquo modo impediri & interturbari.

Ad tollendas controverſias in proceſſionibus, declaramus clericos ſeminarii eſſe de gremio eccleſiæ cathedralis, & propterea in proceſſionibus ac aliis actibus publicis cum clero eccleſiæ cathedralis incedere debere.

*De indulgentiis.*

QUÆCUMQUE indulgentiarum, quæ olim, vel nuper cuivis etiam regularium, aut aliter exemptorum, eccleſiæ perpetuo conceſſæ ſunt tabulæ, ſcripta, monimenta, aliaque omnia ejuſdem generis extant, ea ubi ſint in urbe ſive diœceſi epiſcopus ſtudioſe conquirenda curet: tum illa conquiſita, inde ſummatim ſcripta in librum certum, eo nomine confectum qui in archivio epiſcopali ſervetur, diligenter, recteque referri jubeat. Quæ præterea indulgentiæ urbis diœceſiſque ſuæ eccleſiis in poſterum perpetuo, vel ad certum tempus concedentur, ubi primum ad ſe, aut ad ſuum vicarium, qui illas recognoſcat, delatæ fuerint: eodem alióve libro notentur, ordineque deinceps deſcribantur.

Singulæ autem eccleſiæ, quibus vel conceſſæ ſunt, vel concedentur, proprium ejuſdem generis codicem, in quo illæ ſcribantur, accurate confectum, aut tabellam ejuſdem generis in ſacriſtia habeant, illarum exemplari in archivio, vel in ſacriſtia aſſervato.

Parochus, concionatorve, quo tempore indulgentiæ exponuntur, doceat diligenter ejus conſequendæ cauſa non eſſe neceſſariam præſtitutam eleemoſynæ largitatem, ut cæleſtem eum eccleſiæ theſaurum, ſpiritaliaque munera exponi omnes intelligant, non ad quæſtum, ſed ad peccatorum ſatisfactionem, & ad pietatis exercitationem.





ANNO CHRISTI 1585.

*De reliquiis.*

UT ſanctorum reliquiis quæ debetur veneratio & cultus adhibeatur, ſtatuimus ut in locis honeſtis ac decentibus vaſculis, qua debent religione aſſerventur.

Cum populo pietatis cauſa oſtendentur, lumina accendantur: ex loculis vero & receptaculis ubi condita ſunt ne educantur, neve temere exponantur omnium oculis, neque quæſtus gratia.

Cum vero ab eccleſiaſtici ordinis hominibus, illæ cum ſuis loculis vaſculiſve ſuſcipiuntur, ut vel populo oſtendantur, vel in altari exponantur, vel in proceſſionibus ferantur: primum illis thurificatio adhibeatur: ſique in via ferantur, tunc acolytus ſacerdoti illas ferenti, (nec enim ab alio, quam a ſacerdote eas ferri decet) præeat, qui item thurificet.

Nullo autem modo unquam illæ ab operimentis, aut velis nudæ exponantur, ac in illis exponendis & in proceſſionibus ferendis ſumma veneratio ac pietas adhibeatur.

Cetera etiam de reliquiis, atque imaginibus ſacris, quæ a ſacra Tridentina ſynodo decreta ſunt, epiſcopus inviolate ſervari curet, ſimulque ea omnia ſervet diligenter, quæ ab eadem ſynodo de miraculis novis approbandis, & novis reliquiis recipiendis tradita ſunt.

Nec vero patiatur, cauſa non cognita, & ſcripto probata, altare propterea erigi, aut imagines ullas extra morem ornari, votave, aut oblationes ſuſpendi, aut quicquam novi ea in re omnino fieri.

Sed quia aliquando fit ut vulgi concurſu populique clamore aliquid pro miraculo, aut ſacra reliquia evulgetur, quod re vera non eſt, ſtudeat epiſcopus, ubi ejuſmodi occaſio ſe obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus pie obſiſtat, donec rei veritas legitime comprobata conſtet. Si quis vero dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de his rebus gravior quæſtio incidat, epiſcopus antequam controverſiam dirimat, metropolitani & comprovincialium epiſcoporum in concilio provinciali ſententiam expectet, ita tamen ut quemadmodum ab eodem concilio Tridentino præſcriptum eſt, nihil inconſulto ſummo pontifice novum aut in eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

*De excommunicatione.*

QUAMVIS excommunicationis gladius nervus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobrie tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temere ac levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari. Quapropter excommunicationes illæ quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis ſeu ſubſtractis rebus ferri ſolent, a nemine prorſus, præterquam ab epiſcopo decernantur, & tunc non alias, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter ac magna maturitate per epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat, nec ad eas concedendas cujuſvis ſæcularis etiam magiſtratus auctoritate adducatur: ſed totum hoc in ejus arbitrio & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore, eas decernendas eſſe judicaverit.

In cauſis vero judicialibus, mandatur omnibus judicibus eccleſiaſticis cujuſcumque dignitatis exiſtant, ut quandocumque executio realis, vel perſonalis, in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo quam in definiendo, a cenſuris eccleſiaſticis, ſeu interdicto: Sed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcumque etiam laicos per mulctas pecuniarias, quæ locis piis, ibi exiſtentibus, eo ipſo quod exactæ fuerint aſſignentur, ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem per ſuos proprios aut alienos executores faciendam, ſive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, & cauſas definire.

Quod ſi executio realis vel perſonalis adverſus reos hac ratione fieri non poterit, ſitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo præter alias pœnas poterit ferire.

In cauſis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel perſonalis, ut ſupra fieri poterit, erit a cenſuris abſtinendum, ſed ſi dictæ executioni facile locus eſſe non poterit, licebit judici hoc ſpirituali gladio in delinquentes uti, ſi tamen delicti qualitas, præcedente bina ſaltem admonitione etiam per edictum, id poſtulet.

Nefas autem ſit ſæculari cuilibet magiſtratui prohibere eccleſiaſtico judici ut non excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet, ſub prætextu quod contenta in præſenti decreto non ſint obſervata, cum non ad ſæculares, ſed ad eccleſiaſticos, hæc cognitio pertineat.

Excommunicatus vero quicumque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad ſacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non admittatur, ſed ſi obdurato animo cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, pro ſuſpecto de hæreſi habeatur.

Volumus autem per omnes dies dominicos excommunicari maleficos, atheos, & libertinos, & contra illos in noſtris diœceſibus inquiri, eoſque ſecundum canonicas ſanctiones, invocato ſi opus fuerit brachii ſæcularis auxilio, puniri.

*Quæ pertinent ad beneficiorum collationem, eorumque jurium & bonorum conſervationem.*

QUOD ad beneficiorum collationem ac proviſionem ſpectat, ea ſerventur, quæ a concilio Tridentino de beneficiorum proviſione decreta ſunt, præcipue vero collatio beneficiorum quibus cura animarum incumbit, non fiat, niſi ſervata forma ejuſdem concilii de proviſione parochialium eccleſiarum.

Nemini item beneficium eccleſiaſticum cujuſcumque qualitatis illud exiſtat, & quomodocumque vacet, conferatur, aut præſentatus ad illud admittatur, & inſtituatur, aut proviſus de illo a ſede Romana, vel ab illuſtriſſimo legato Avenionenſi, ad profeſſionem fidei, vel poſſeſſionem recipiatur, niſi prius ab epiſcopo, vel ejus vicario, ac tribus ſaltem examinatoribus in ſynodo diœceſana deputatis fue-

ANNO CHRISTI 1585.

rit examinatus, de fide & religione, de anteacta vita, de ſufficienti doctrina, & de legitima ætate juxta decreta concilii Tridentini, & de iis denique, quæ pro qualitate beneficii videbuntur expedire: atque tam interrogata, quam reſponſa in ſcriptis redigantur, & ſecretario tradantur ſervanda, ſi forte lis de capacitate aut incapacitate ſuboriretur. Secundum vero eorum conſcientiam de illius ſufficientia aut inſufficientia pronuntient examinatores: exigantque ab eo tum fidei profeſſionem, tum etiam juramentum de ſimonia non commiſſa, & de non accepto beneficio ad cuſtodiam, aut cum injuſta aliqua penſione.

Et quoniam ſæpe fraudes per eos committi animadverſum eſt, qui cum mandati literas apoſtolicas, vel illuſtriſſimi legati Avenionenſis in forma dignum, pluribus judicibus directas impetrarint, ab uno rejecti, tanquam non idonei, ad alium, tacita quam tulerunt repulſa, confugientes, beneficii quod ſibi conferri volunt collationem non idonei aliquando ſurripiunt: propterea ad hujuſmodi fraudibus occurrendum, decernimus quod eo caſu adveniente, a tergo literarum apponatur & dies præſentationis literarum, & quod impetrans fuerit examinatus, & rejectus ex cauſis prout in actis.

Conficiatur liber, iſque in omni epiſcopali archivio aſſervetur, in quo libro diœceſanorum beneficiorum cujuſvis generis, tum vacationis certa dies, ratio, moduſque deſcribatur, tum collationes ac proviſiones quæcumque ſint, vel a ſummo pontifice, vel ab illuſtriſſimo legato, vel ab epiſcopo, vel ab ullo quovis alio factæ, literarum, diplomatumve exempla, vel ſententiæ ſummatim explicatæ, prout potius eſſe epiſcopus, cenſuerit, in eumdem referantur.

Idem ſervetur de literis ordinum, quibus ſinguli ejuſdem diœceſis clerici initiantur. Capitula vero, & quicumque ſint qui cujuſvis generis dignitates, canonicatus, aut alia quæcumque beneficia obtinent, literas, diplomata, tabulaſve ipſas beneficiorum, quæ quovis etiam unionis jure poſſident, epiſcopo, etiam privatim petenti, ſine mora exhibeant, e quibus tabulis cum ſi quid oneris obligationiſve illis ineſſe apparuerit, tum quicquid aliud expedire idem epiſcopus cenſuerit, id diſtincte explicateque exſcribi jubeat. Idque omne ut ab his ad quos ſpectat, plane præſtetur idem omni ratione efficiat.

Quicumque de aliquo beneficio, etiam per literas apoſtolicas fuerit proviſus, teneatur intra tres menſes a die adeptæ poſſeſſionis inventarium omnium bonorum, jurium, & onerum illius beneficii, epiſcopo exhibere. Si id omiſerit, epiſcopi arbitrio puniatur.

Ne epiſcopus deinceps, etiam patronorum accedente conſenſu, permittat concedatve, ut quiſquam ſine ſedis apoſtolicæ diſpenſatione illud beneficium, quod ordinem aliquem requirit, aſſequatur, qui vere eo ordine non ſit initiatus, quamvis ætate congrua ſit, pro illo ordine ſuſcipiendo, neque qui aliis conditionibus præditus non ſit, quas illa erectio, vel fundatio, vel conſtitutio requirit. Reſignationes beneficiorum factæ prius incognitis, aut his, quos nulla virtus, nec aliqua ſingularis eruditio, aut alia honeſta cauſa commendat, vel etiam ſi beneficium illud expoſitum fuerit aliquando venale, aut alicui ad cuſtodiendum oblatum, quod per duos teſtes probetur, vel fama proclamet, ſuſpectæ de ſimonia redduntur.

ANNO CHRISTI 1585.

Proviſi igitur per tales reſignationes ab ordinario non admittantur, neque etiam a capitulis eccleſiarum recipiantur, abſque canonica purgatione.

Omnes penſiones & pactiones ſuper beneficiis, in quibus non intervenit ſedis apoſtolicæ auctoritas, illicitas & ſimoniacas declarantes, penitus improbamus.

Grave malum noſtris temporibus, aut exortum, aut longius propagatum eccleſiam affligit ac perdit, per beneficiorum cuſtodes, qui confidentiarii vocantur, quorum nomine & miniſterio viri laici, ac mulieres hereditate poſſident ſanctuarium domini, ac profanant.

Huic tam gravi morbo remedium aliquod adhibere cupientes, tam cuſtodes illos, quam eos, quorum cupiditati deſerviunt, tum a parochis in prono miſſarum ſingulis diebus dominicis, tum etiam a concionatoribus frequenter in adventu & quadrageſima excommunicatos declarari & denuntiari jubemus, & teneri ad reſtitutionem fructuum, tam ipſos, quam eorum heredes. Quod intelligi etiam volumus de uſurpatoribus jurium & fructuum beneficiorum, etiam ſi hi patroni fuerint.

Quicumque vero clerici, tam nefandæ fraudis, & uſurpationis fabricatores, ſeu fautores fuerint, illos eiſdem pœnis ſubjacere, nec non quibuſcumque beneficiis privatos & ad quæcumque alia obtinenda inhabiles, atque a divinis ſuſpenſos declaramus.

Ad removendas autem iſtas & alias ſimoniacas fraudes, confeſſarii diligenter pœnitentes de iis interrogent & paterne ac omni caritate eos moneant, peccatorum hujuſmodi gravitatem & pœnas eis declarantes. Ordinarii vero ſinguli ſex menſibus per cenſuras eccleſiaſticas curent per ſuas eccleſias revelari illorum criminum conſcios & participes, & niſi revelationes parochi ſtatim ad ipſos tranſmiſerint, pro modo culpæ puniantur.

Ne autem aliqui beneficiati in noſtris diœceſibus lateant intruſi ac ſine titulo, præcipimus quibuſcumque tam parochialium quam quorumcumque beneficiorum poſſeſſoribus, ut intra ſex menſes exhibeant ſuis epiſcopis ſuas proviſiones & ſuos titulos, & procedatur contra contumaces per cenſuras eccleſiaſticas, retentionem fructuum, atque etiam privationem eorumdem beneficiorum, & alia juris remedia.

Decernit hæc ſynodus ut parochus ſemel in menſe moneat inter miſſarum ſolennia notarios, teſtes, & alios quoſcumque ſcientes aliqua legata facta fuiſſe ad pias cauſas, ut ea revelent intra tres menſes, ſub pœna excommunicationis.

*De ſeminario.*

SEMINARII inſtitutio quam utilis ſit, ac neceſſaria ad cleri diſciplinam in ſingulis eccleſiis propagandam, animarumque ſalutem procurandam ex eo intelligi poteſt, quod hujus rei ſalutaris ratio aliquando intermiſſa, damna & detrimenta non mediocria eccleſiæ Dei attulit, quod manifeſtius in noſtra hac provincia videmus.

Quare ſtatuit hæc ſynodus, ut quamprimum epiſcopi cum conſilio duorum de capitulo, & duorum de clero civitatis ad erectionem & dotationem ſeminariorum procedant juxta decreta ſacroſancti Tridentini concilii, & Chriſtianiſſimi regis noſtri conſtitutiones.



ANNO CHRISTI 1585.

Is in omni ſeminario perpetuus uſus ſit, ut catechiſmus Romanus pueris, atque adeo adoleſcentibus prælegatur & explicetur quam diligentiſſime, nullaque ejus pars prætermittatur, cujus doctrinis eorum animi non imbuantur, quam maximo fieri poterit ſtudio.

In omni hujus provinciæ ſeminario, ubi commode poteſt, præter cetera, quibus & ad pietatis exercitationem, & ad literarum doctrinam adoleſcentum animi erudiuntur, ſtudium etiam ſacrorum rituum & ceremoniarum, hiſtoriæque omnis eccleſiaſticæ, tum cantus, certis diebus & horis inſtituatur.

Præbenda inſuper præceptorialis ſcholis attributa, vel attribuenda, & ſi qua alia ſunt ad inſtituendos & alendos pueros eccleſiis, & locis deſtinata, in quibus ſeminaria inſtituentur, ipſis debent applicari, ea tamen lege, ut ſeminarii præceptores, non ſolum clericos & alios in ſeminario manentes, ſed & aliunde advenientem juventutem docere teneantur. Sic enim fiet ut non ſolum ad eccleſiæ regimen provehendi, ſed cujuſcumque ſtatus pueri, pietatem cum bonis literis imbibant, & cum adoleverint rectam ſuam educationem, atque inſtitutionem eccleſiæ referant acceptam.

Epiſcopus ipſe tertio quoque menſe, niſi juſta cauſa impeditus ſit, ſeminarium viſitet: in eoque viſitationis munere, adhibitis etiam, ſi modo ei videbitur, aliis doctis, & piis viris, tum de magiſtrorum & rectorum diligentia, tum de progreſſibus, quos, & in vitæ diſciplina, & in literarum ſtudiis ſeminarii clerus fecerit, accurate inquirat.

Idem, cum conſilio duorum canonicorum, quos ipſe elegerit, certas ſeminarii conſtitutiones præſcribat, quas in frequenti eorum conventu per ſingulos menſes legi curet, quo ſæpius repetitæ, illorumque mentibus impreſſæ ſerventur diligentius.

*De ſynodo diœceſana.*

EPISCOPUS ad Tridentini concilii præſcriptum ſingulis annis diœceſanam ſynodum habeat.

Porro ad parcendum expenſis, & ad levamen cleri hujus provinciæ, viſum eſt de duabus ſynodis in eodem anno, unam remittere quemadmodum nunc remittimus, & hoc ut altera diligentius haberi poſſit, ſalvo tamen jure cathedratici epiſcopis debiti. Hanc autem ſynodum commodius poſſe exiſtimavimus poſt dominicam, *Ego ſum Paſtor bonus*.

Certum autem hunc diem, prout cauſa poſtulabit, mutare epiſcopo liceat, arbitratu ſuo.

In prima quaque diœceſana ſynodo, decreta in hoc provinciali concilio edita promulgentur.

Ad ſynodum diœceſanam accedere teneantur omnes eccleſiaſtica beneficia obtinentes, exempti etiam, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent. Nec non qui curam gerunt parochialium & aliarum eccleſiarum capitulis, & aliis locis piis annexarum. Provideant tamen dum hæc præſtant, ne eccleſiæ debitis fraudentur obſequiis.

Non alium in ſynodo diœceſana præſidere oportet, quam vicarium epiſcopi, eo abſente, niſi ſede vacante: tunc enim ad capitulum eccleſiæ cathedralis redit diœceſis adminiſtratio. In ea ſynodo vicarii foranei tum de curatis & aliis clericis ſacris initiatis, vel eccleſiaſtica beneficia in ſuo vicariatu obtinentibus, tam præſentibus, quam abſentibus, tum de his omnibus quæ ipſis corrigenda & reformanda eſſe videbuntur, certiorem reddere debent epiſcopum.

ANNO CHRISTI 1585.

Qui ſynodo intereſſe debent, ne interſint ſine ſuperpelliceo integro & mundo: Curati præterea deferant ſignum illud, quod epiſcopus eis præſcribet, ut ſupra ſtatutum eſt, ſub duorum aureorum pœna, arbitrio epiſcopi locis piis applicanda.

Cenſura ibi fiat de ſingulorum moribus, veſtitu, & vita, ac infligatur pœna potius perſonalis, etiam carceris, ubi opus fuerit, quam pecuniaria.

Adhortatio vero publica quotidie, dum ſynodus celebratur, ab epiſcopo, vel ab alio deputato, habeatur de rebus ad vitæ & morum honeſtatem, ac animarum regimen pertinentibus.

Aliquot probati viri deligantur, qui teſtium ſynodalium officium præſtent, & in ipſa ſynodo, ſe fideliter ſuum munus obituros ſancte jurent: Nulloque aut odio, vel amore cujuſpiam, pœnæve metu, aut mercedis ſpe, aut quovis alio humano affectu adducendos, quominus omnia quæ correctione digna cognoverint, aliquot ante diœceſanam ſynodum diebus epiſcopo ſignificent.

Odia, & animorum offenſiones, quæ plerumque cum ſcandalo oriuntur inter eccleſiaſticas perſonas, in ſynodo epiſcopus pro paſtorali cura componat. In celebratione ſynodi diœceſanæ, ceremoniæ, ritus, & preces, & alia ſerventur quæ in pontificali Romano tradita ſunt.

Singulis annis in diœceſana ſynodo ab epiſcopo vel ejus vicario examinatores ſex ad minus proponantur, qui ſynodo ſatisfaciant, & ab ea approbentur: advenienteque vocatione cujuslibet eccleſiæ, tres ſaltem ex illis eligat epiſcopus, qui cum eo, vel ejus vicario examen perficiant. Idem fiat in examine promovendorum ad ordines.

Sint vero hi examinatores magiſtri ſeu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici ſæculares, ſeu regulares, etiam ex ordine mendicantium, qui ad id videbuntur magis idonei: jurentque omnes in manibus epiſcopi ad ſancta Dei euangelia, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita fideliter munus ſuum obituros: Caveantque ne quicquam prorſus occaſione hujus examinis accipiant, alioquin ſimoniæ vitium, tam ipſi, quam alii dantes incurrant.

Hi peracto examine juxta eorum conſcientiam quæcumque in examinatis repererint epiſcopo renuntient, caveantque in hujuſmodi negotio declinent ad ſiniſtram vel ad dexteram.

Quoniam vero ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandocumque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, uſque adeo perfecte haberi non poteſt: hincque interdum judicibus, non undequaque idoneis, cauſæ in partibus delegantur: ſervetur quod ſancta ſynodus Trid. ſtatuit, videlicet ut in ſingulis conciliis diœceſanis, aliquæ perſonæ quæ qualitates habeant, juxta conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit Statutum, & alioquin ad id aptæ deſignentur.

ut

ANNO CHRISTI 1585.

ut præter ordinarios locorum, iis etiam poſthac cauſæ eccleſiaſticæ ac ſpirituales, ad forum eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committantur.

Et ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituant ordinarii locorum, cum conſilio capituli alium in ejus locum uſque ad futuram provincialem, aut diœceſanam ſynodum, ita ut habeat quæque diœceſis, ubi fieri poteſt, quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra, qualificatas, quibus hujuſmodi cauſæ, a quolibet legato vel nuntio, atque etiam a ſede apoſtolica committantur, alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim epiſcopi ad ſummum Romanum pontificem vel legatum tranſmittant: delegationes quæcumque aliorum judicum aliis, quam iis factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. Qui terminandis cauſis, quanta fieri poterit brevitate ſtudeant: ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

A ſynodo, pœna excommunicationis propoſita nullus diſcedat niſi ea finita, & de more benedictione ab epiſcopo data.

Qui in ſeſſione ſynodali defuerint, mulctentur aureis ſex, vel etiam graviori pœna pro ratione delicti, quæ mulcta ſeminario, vel alio pio loco attribuatur.

*De vicariis foraneis.*

UT epiſcopus in urbe etiam externum gregem facilius quaſi præſens intueri & curare poſſit, deligat aliquot probatos ſacerdotes, qui literarum ſcientia, morumque integritate, & rerum agendarum uſu præſtantiores ſint, quibus ſingulis impoſito vicarii foranei nomine, tribuat certas regiones diœceſis ſuæ, octo, vel decem parochiales eccleſias continentes, conſtituto tamen vicariatu in aliquo loco inſigniori & frequentiori: illis autem eam facultatem tribuere poterit epiſcopus, quam ipſe, & pro illorum eruditione, & pro locorum, temporumve ratione tribuendam cenſuerit.

Hi autem vicarii regionis ſibi per epiſcopum commiſſæ presbyteros cujuſcumque conditionis, curam animarum habentes ſemel ſingulis menſibus modo in unam, modo in aliam ejus regionis parochialem eccleſiam congregent: idque in orbem eodem ordine ſemper faciant. Pridie ejus diei quam in unum locum conveniant, peccata ſua omnes confiteantur, ut congregationis die in ea eccleſia, in qua congregati fuerint, miſſam ſinguli celebrare poſſint. Tum univerſi in choro miſſam conventualem pro mortuis ſolenni more cantata, in qua eorum aliquis a vicario in priori congregatione admonitus concionem ad populum habeat.

Confectis ſacris, proceſſionem omnes per totum vicum oppidumve, aut circa cœmeterium ſaltem obeant: tum vero in domo parochi ſimul, ea qua decet modeſtia & caritate, uno tantum ferculo contenti, cibum capiant: Nec in menſa deſit lectio alicujus pii libri. Deinde aſſurgentes omnes, & gratias Deo agentes, bini ad eccleſiam ſe conferant, ubi peractis gratiis, induant ſinguli ſuos ſuperpelliceos, vicarius vero etiam ſtolam adhibeat, & per eum data oratione in principio congregationis recitari ſolita, omnes aſſideant & inter ſe conferant, quæ ad boni paſtoris officium, & ad curam animarum recte adminiſtrandam pertinent, & de difficultatibus, & incommodis ſuarum parochiarum conſulant, ut iis communi conſilio remedia opportuna adhibeant.

ANNO CHRISTI 1585.

Iidem autem vicarii libellum de caſibus conſcientiæ apoſtolicæ ſedi & epiſcopis reſervatis metropolitani cura edendum reliquis ſacerdotibus legent, & aliquot capita, tum harum conſtitutionum, tum earum, quæ in ſynodis diœceſanis fient, ſimulque aliquid ex probata aliqua ſumma de caſibus conſcientiæ explicabunt.

Præcipue autem de presbyterorum vita & moribus quærant, & quales ſe in paſtorali prebeant cura: & an eorum culpa in eccleſia divinus cultus deſideretur: an re ipſa præſtentur ea quæ epiſcopi vel alii eorum nomine in eccleſiarum neceſſitatem earumve reparationem impendi juſſerint: An libros habeant quos præſertim ex hujus ſynodi decreto habere debent: Quomodo ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum recte religioſeque aſſervetur: An qualibet hebdomada renovetur: Præterea an ea, quæ in miſſæ ſacrificio adhibentur, uti calices, corporalia, purificatoria, mappæve altaris pura mundave, ac decentia ſint. An baptiſterium, & ſacrorum oleorum vaſa tuto ac decenter aſſerventur. An libros habeant baptizatorum, chriſmatorum, conjugatorum & mortuorum, & hos ſeparatos, & decentes.

An reliqua in hac ſynodo decreta ſerventur. De his omnibus, & ſi quid mandarit peculiariter epiſcopus, deque aliis, quæ ad utilitatem animarum epiſcopi cognitionem deſiderant, ipſum per literas diligenter certiorem faciant.

Quoties in urbem venerint, primum epiſcopum adeant: deque eorum ſtatu, qui ſibi commiſſi ſunt, eum accurate moneant.

Curati vero quicumque, quavis dignitate præditi vicariis obtemperent. Quod ſi aliqui ad conveniendum negligentes, vel ad mandata eorumdem vicariorum exequenda contumaces fuerint; epiſcopi in illos pro modo culpæ animadvertant. Hi autem vicarii, voluntate epiſcopi ab officio amoveri ſemper poſſint, ac ſi male id adminiſtrarint, pœnas dent ejuſdem epiſcopi judicio.

*De monaſteriis.*

ABBATES & priores regulares; atque etiam exempti, aut commendatarii, ſi ætatem præſcriptam a jure, ad ſuſcipiendos ſacros ordines attigerint, intra annum promoveantur, facultateſque de non promovendo, preter quam in caſibus a jure expreſſis, conceſſæ, juxta decretum ſacri concilii Tridentini, ad annum ſuffragentur.

Commendatarii quamvis ad regularem obſervantiam non obligentur, ne tamen ſint ſine jugo atque omni regula, decet eos medium ſtatum, atque ordinem ſequi inter regulares & ſæculares clericos, in veſtitu, in victu, & in omni ornatu. Tonſura utantur ampliori quam ſæculares: nec exiſtiment ſibi mandatum monaſteriorum regimen ad luxum & prodigalitatem aut augendam rem ſuam, & conſanguineorum familiam; ſed ad piam & juſtam alienarum rerum diſpenſationem, & quarum non habent



ANNO CHRISTI 1585.

bent proprietatem, Deoque de omnibus ſibi reddendam eſſe rationem intelligant.

Viſitante epiſcopo teneatur abbas regularis ſeu commendatarius adeſſe, niſi juſta cauſa per epiſcopum judicanda impediatur, aut eo caſu vicarius legitime conſtitutus, qui quod ordinatum fuerit, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus exequatur, aut canonicis pœnis coerceatur.

Religioſi, ad regulæ, quam ſunt profeſſi, præſcriptum, vitam inſtituere & componere debent: atque imprimis obſervare obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis vota: ac ſi quæ alicujus ordinis, & regulæ peculiaria vota, & præcepta, ad votorum reſpective eſſentiam, necnon ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervanda, pertinentia, ab iis nunquam recedendum. Neque enim poſſunt a ſuperioribus ea quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent relaxari. Nam, ſi illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

Conſtituto in regulari vita, cujuſque qualitatis fuerit, non licet bona mobilia vel immobilia, etiam quovis modo acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere: ſed ſtatim ea tradere debet ſuperiori, conventuique incorporare.

Nec liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, vel commendam.

Attamen poteſt ſuperior alicui, tamquam officiario, ad tempus rem committere, cujus conditionem faciat meliorem, & acquirat non ſibi, ſed monaſterio. In his exequendis & reformandis prudentia & manſuetudine opus eſt, ne frangamus potius quam corrigamus, quæ in pravum longa conſuetudine induruerunt.

Monaſteria reformentur ſecundum regulas quas profitentur.

Omnes officiarii teneantur in capitulis generalibus rationem reddere de ſuis officiis & coram viſitatoribus, vocato abbate, etiam commendatario, aut ejus procuratore, ſeu vicario, ne quid reticeatur, quod in adminiſtratione fuerit perperam geſtum.

Nullus in eodem clauſtro plura exerceat, aut poſſideat officia. Eſt enim æquum, ut omnes pro ſua antiquitate honorentur, & invitentur ad bene agendum.

Ne liceat regularibus a ſuis conventibus recedere, etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi: niſi ab eiſdem miſſi aut vocati fuerint. Qui vero ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum, tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur. Illi autem qui ſtudiorum cauſa ad univerſitates mittuntur, in conventibus tantum habitent, alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.

Abbas, vel prior nulli monacho det licentiam egrediendi monaſterio ſine urgenti neceſſitate: nunquam autem, ut ad nundinas, vel conſanguineorum nuptias, vel etiam ad miſſas per parœcias, aut pagos celebrandas, niſi ob maximum defectum presbyterorum.

Apoſtatarum genus quam deteſtabile ſit, ut pote cum homines ſint, quos voti fidem, qua ſe Deo ſancte adſtrinxerunt, violare non puduerit, & ex patrum ſententiis & ex canonum legibus, & ex ſummorum pontificum Martini V. imprimis & Pauli IV. conſtitutionibus, ac denique ex re ipſa, atque exitu intelligi licet: præſertim cum nemo ſit qui neſciat, quantà & quam gravia ſint eccleſiæ Dei per eos omni tempore importata incommoda. Cumque ad nos perlatum ſit, eos variis atque confictis cauſis extra monaſteria, quæ ſui ordinis ſunt, degere, eoſque, non modo in provinciæ noſtræ eccleſiis divina officia obire, ſed etiam, id quod graviſſimum eſt, temeritate quadam adductos, hoc auſos eſſe impetrare, ut ſibi eccleſiaſtica beneficia conferantur: Nos igitur ut tam perniciosam hominum peſtem a noſtræ provinciæ finibus aliqua ſaltem ratione arceamus, univerſis & ſingulis qui habitu ordinis ſui depoſito, in hac eadem provincia extra religionis ſuæ monaſteria vivunt, vel beneficia eccleſiaſtica obtinent, hoc edicimus, ut poſt menſem ab horum decretorum publicatione facultatem epiſcopo loci oſtendant atque exhibeant, qua ſibi licere putent, habitu dimiſſo ab ordinis ſui monaſteriis abeſſe, vel beneficia prædicta obtinere.

ANNO CHRISTI 1585.

Qui vero ad conſtitutam diem hoc non præſtiterint, contra eos, tanquam vere apoſtatas, & ordinis ſui deſertores, tum ab ordinum ſuperioribus, tum a locorum ordinariis diligenter inquiratur, ac pœnis & modis, a ſacris canonibus & Romanorum pontificum conſtitutionibus ſtatutis procedatur, & a beneficiis eccleſiaſticis quæ obtinent, ipſo facto amoveantur.

Quicumque autem prætenderit, ſe per vim & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere, quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum, non audiatur, niſi infra quinquennium tantum a die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo atque ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur: ſed ad monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur. Interim vero nullo privilegio ſuæ religionis juvetur, juxta decretum ſacri concilii Tridentini.

*De monialibus.*

TANTI fuere in Chriſtiana republica ſacroſancta & veneranda virginitatis & caſtitatis vota, ut eccleſia catholica poſt domini noſtri Jeſu Chriſti aſcenſionem, ex ejus inſtitutione ab apoſtolorum ætate nunquam ceſſaverit, vel commendare, vel continua traditione ea inſtituere, quæ ad illibatam eorumdem votorum cuſtodiam, neceſſaria, commodave viſa fuerunt: præſertim vero exactam rationem haberi voluit eorum, quæ ad clauſuram pertinent virginum, quæ ſemel Deo earum ſponſo dicatæ ac devotæ virginitatem perpetuam, ei ſponte offerentes, tot periculis, ac dæmonum illuſionibus infeſtari ac oppugnari ſolent, ut tot jam editis canonibus ac decretis, nondum ſatis conſultum earum tutelæ videri poſſit, niſi epiſcopi & alii quibus earumdem virginum cura commiſſa eſt, diligentiſſime curent, ne ullius unquam hac in re culpa notari poſſit, cum præſertim in adeo imminenti periculo vel exigua negligentia non poſſit non eſſe maxima: cum & eccleſia catholica his fœminis, quæ profeſſione ſo-

ANNO CHRISTI 1585.

ſolenni cum paupertate & obedientia continentiam ac caſtitatem voverunt, non alia ratione clauſuram indixerit, quam quod vel eam neceſſariam, vel ſaltem commodiſſimam huic inſtituto, tanquam tutiſſimum virginitatis præſidium eſſe judicaverit.

Duo igitur hæc ſancta ſynodus maximopere præcavenda eſſe decernit: alterum, ne quævis cauſa exiſtimetur eſſe juſta, ut moniali liceat monaſterii clauſtra exire: ſed illa tantum quæ ſic ad ejus ſalutem corporalem pertineat ut niſi cum maximo vitæ periculo, & contagio aliarum intra clauſtra manere nequeat, vel alia, quæ in conſtitutione fel. rec. Pii V. comprehenſa ſit, de qua epiſcopus diligentiſſimo prævio examine judicabit: alterum, ut non exiſtimetur, abſque graviſſimo animæ periculo poſſe quemquam ſanctimonialium clauſtra ingredi: cum id, etiam de ſuperioris licentia, nequaquam liceat, niſi in caſibus neceſſariis: extra quos, nec licentia dari poteſt, nec data cuiquam ſuffragari valet: maxime viris, cujuſcumque ætatis & conditionis ſint: quibus prælati licentiam hujuſmodi concedere non debent, etiam ut cum ſanctimonialibus ipſis, etſi filiæ ſint, alio in loco, quamvis ipſis clauſtris contiguo, quam per cancellos loquantur. Eodem ſiquidem jure, quo quis clauſtra ſanctimonialium ingredi prohibetur, & ipſæ ſanctimoniales, exire eadem interdicuntur.

Meminerint tandem epiſcopi, & alii quibus hujuſmodi munus incumbit, quanta eis ſacroſancta Tridentina ſynodus Spiritu-ſancto inſpirante, poſt tot ſacros canones fuerit comminata, ſi quid eorum culpa hac in re commiſſum fuerit, quod vel minima ex parte virginitatis, quæ divinæ majeſtati devota fuerit, nocere poſſit.

Anathemati vero ſubjiciantur omnes & ſingulæ perſonæ, cujuſcumque qualitatis, ſtatus, dignitatis & conditionis fuerint, tam clerici, quam laici, ſæculares, & regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocumque virginem coegerint, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in caſibus a jure expreſſis, ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque religionis, vel ad emittendam profeſſionem: quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint: quique ſcientes, eam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint.

Simili quoque anathemati ſubjiciuntur qui ſanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi veli, vel votum emittendi quoquomodo ſine juſta cauſa impedierint.

Eaque omnia, & ſingula, quæ ante profeſſionem, vel in profeſſione fieri oportet, ſerventur non ſolum in monaſteriis ſubjectis epiſcopo, ſed aliis quibuſcumque.

Libertati profeſſionis virginum Deo dicandarum ut proſpiceret, ſacroſancta Tridentina ſynodus ſtatuit atque decrevit, ut ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat; nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit epiſcopus, vel eo impedito vicarius, aut alius ab ipſo deputatus, virginis voluntatem, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat. Quod ſi voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requiſitas, juxta monaſterii & ordinis regulam, necnon monaſterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat: cujus profeſſionis diem ne epiſcopus ignoret, teneatur præfecta monaſterio eum ante menſem certiorem facere. Quod ſi præfecta certiorem epiſcopum non fecerit, quamdiu epiſcopo videbitur ab officio ſuſpenſa ſit.

Sacræ virgines videant quomodo corpore & ſpiritu placeant Deo, & non cogitent quæ mundi ſunt, ſed quæ facultatem præſtent, ſine impedimento dominum obſecrandi.

Meminerint, ſe ſponſas eſſe Chriſti, nec in profeſſione fidem datam irritam faciant, inſtent orationibus, & obſecrationibus nocte & die. Non ſint otioſæ, non verboſæ, non curioſe loquentes, quæ non oportet. Saltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacramentum euchariſtiæ ſuſcipiant, quod & facient in omnibus etiam feſtivitatibus anni ſolennioribus, ut eo ſalutari præſidio muniant ſe ad omnes oppugnationes dæmonum fortiter ſuperandas.

Curent epiſcopi, prout a ſacroſanctis conciliis ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, id eis præcipitur, in omnibus monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria, in aliis vero ſedis apoſtolicæ auctoritate clauſuram ſanctimonialium inſtituere, & ubi violata fuerit diligenter reſtaurare ac conſervare: inobedientes atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas aliaſque pœnas quacumque appellatione poſtpoſita compeſcentes: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio. Quod ut præbeatur, omnibus magiſtratibus ſæcularibus, ab eiſdem conciliis injungitur ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendæ.

Nulli moniali profeſſæ ulla ratione e monaſterii ſeptis egredi liceat, etiam ad breve tempus, niſi cauſis ſupra dictis: indultis, & privilegiis quibuſcumque non obſtantibus.

Caveant qui ab epiſcopo ſuperioreve facultatem habent ingrediendi monaſterium, ne pro libito intra ejus ſepta, datæ facultatis prætextu, ingrediantur, ſed tunc ſolum cum urgens neceſſitas depoſcet, ut ne ex ſanctæ memoriæ Gregorii XIII. ſanctione excommunicationis pœnam ſtatim ſubeant, a qua niſi per ſedem apoſtolicam abſolvi non poſſint.

Ne præterea religioſis hominibus ſepta monaſterii, etiam ſuæ curæ commiſſi, ingredi liceat, ne ea quidem cauſa, ut teſtantium, qui in monaſterii eccleſia vel ſepeliri, vel anniverſarium diem quotannis agi voluerunt, piæ voluntati ſatisfaciant: Sed quæ anniverſaria ex teſtamento debentur, in ejus exteriori eccleſia præſtent. Nec vero proceſſionis in ſolennitate corporis domini agendæ gratia, confeſſarius ſacerdos, aut alius ſuperior eo ingrediatur, ac ne epiſcopus quidem eo nomine, neque alios ingredi patiatur: Neque item cauſa vel monialium cubiculis benedicendi, vel ea, aut alia loca monaſterii aqua benedicta aſpergendi. Nec etiam cum veſtitus ſacer puellis tradendus eſt, vel illæ ad profeſſionem admittendæ ſunt, vel miniſtrandum confirmationis ſacramentum: ſed in eccleſia exteriori ubi ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum ad feneſtellam

ANNO CHRISTI 1585.

lam adminiſtratur, hæc illis, vel puellis, vel monialibus in eccleſia interiori manentibus præſtentur.

Moniales, cum in eo loco, ubi ab aliis qui foris ſunt, etiam a concionatore vel a ſuperiore videri poſſunt, ſermoni concionive interſunt, facie ſint cooperta, & contecta velo, uſque ad os deducto. Idem præſtent, quæ cuivis etiam medico aut ſuperiori monaſterii ſepta ingredienti obviam prodeunt, vel illum excipiunt, deducuntve.

Probentur ab epiſcopo medici aliquot, quos conceſſu etiam monaſterii ſuperiorum intra ejus ſepta adhiberi liceat, ſi quando præter medicum ordinarium, alios etiam morbi gravitas requirit.

Quæ de certo monialium numero ſingulis monaſteriis conſtituendo Tridentina ſynodus decrevit, quæ item ſanctæ memoriæ Pius V. de monialium, etiam earum quæ converſæ dicuntur clauſura literis editis ſanxit, quæ denique fel. rec. Gregorius XIII. de monialibus conſtituit, ea omnia epiſcopus exequatur quam diligentiſſime.

Quod ſi quid obſtiterit, quominus illa a ſe præſtari queant, ipſum ſummum pontificem ſex menſium ſpatio conſulat, idque exequatur, quod ſibi ea de re ab illo reſcriptum erit.

Conſtitutio illa, qua ab eodem Pio V. interdictum eſt, omnes cujuſvis conditionis mulieres, etiam generis ſplendore, aut dignitate illuſtres, monaſteria ingredi, quotannis ſemel, atque adeo ſæpius certis feſtis diebus arbitrio epiſcopi, promulgetur. Si quæ autem moniales, converſæve non iis paruerint, quæ eadem ſanctione de clauſura ſtatuta ſunt pœna violatæ clauſuræ plectantur.

Quod de mulieribus non ingreſſuris monaſteria monialium ſtatutum eſt, idem ſtatuitur de eiſdem mulieribus, ne quovis prætextu audeant ſepta & clauſtra regularium virorum quorumcumque ingredi, ſub excommunicationis pœna.

*Quæ generatim ad has conſtitutiones pertinent.*

QUÆCUMQUE his noſtris conſtitutionibus, decretiſve ſancita ſunt, ea omnia in ſua quiſque epiſcopus diœceſi diligenter obſervet, & ab aliis ſervanda curet, omnibus juris remediis.

Ut autem eorum omnium quæ in hac provinciali ſynodo decreta ſunt, ulla ignorantiæ excuſatione nemini hujus provinciæ homini uti liceat, illud edicimus, ut quo primum die in lucem emiſſa ad noſtræ metropolitanæ eccleſiæ valvas affixa erunt, tunc duorum menſium ſpatio omnes ſe, & his decretis, & ſi contra quicquam admiſerint pœnis ac mulctis, quæ in eis conſtitutæ ſunt, obſtrictos eſſe ſciant.

Ab eo etiam affixionis, & promulgationis die tempus eorum decretorum inchoari decernimus, quibus certo præſcripto dierum ſpatio aliquid præſtari juſſum eſt.

Unuſquiſque præterea epiſcopus ea omnia in proxima diœceſana ſynodo legi ac recitari jubebit, & ſi ita expedire cenſuerit ſuæ etiam cathedralis eccleſiæ valvis proponi, quo ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant.

Si quæ autem in his decretis difficultas orta ante erit, quam alia Aquenſis provinciæ ſynodus habeatur, ejus difficultatis tum omnium, quæ ipſis decretis tradita ſunt, interpretationem & explicationem nobis reſervamus, ſalva ſemper ſedis apoſtolicæ auctoritate.

Maximas Deo gratias agere debemus, quod, quæ pro communi hujus provinciæ ſalute hoc tempore ſtatuenda videbantur, ad optatum exitum perducta ſunt.

Denique ea, qua debemus humilitate & obedientia, ſanctæ ſedis apoſtolicæ omnium eccleſiarum matris & magiſtræ judicio atque auctoritati, omnia & ſingula quæcumque in hac provinciali ſynodo ſancita, decreta, actaque ſunt, ſemper emendanda & corrigenda ſubjimus.

Et quia multa a ſummo Romano pontifice, & publicæ totius provinciæ Aquenſis, & privatæ ſingularum eccleſiarum utilitatis cauſa petenda ſunt, decernimus, ut quicquid ab ejus ſanctitate communibus noſtris, & qui adſunt reverendiſſimorum provincialium epiſcoporum literis poſtulabitur, id hujus ſynodi nomine & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac ſi publice in ſeſſione poſtulatum eſſet.

## SUBSCRIPTIO EPISCOPORUM.

NOS Alexander Canigianus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, archiepiſcopus Aquenſis; de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum definientes ſubſcripſimus.

Ego Franciſcus epiſcopus Aptenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Petrus Paparinus de Calido monte epiſcopus, comes & dux Vapincenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Elſias Raſtelis epiſcopus Regenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Antonius de Cuppis epiſcopus Ciſtaricenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Helias Moſſonus vicarius generalis, atque procurator generaliter ad omnia deputatus illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini epiſcopi Forojulienſis ejus nomine interfui & ſubſcripſi. Et omnia & ſingula in hac ſancta ſynodo Aquenſi acta, decreta, edita & promulgata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

## PUBLICATIO CONCILII.

ALEXANDER CANIGIANUS

*Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Aquenſis.*

Univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in domino.

UBI primum paſtoralis ſolicitudinis onus pater miſericordiarum Deus nobis impoſuit, nihil antiquius fuit, quam ut eccleſiæ & provinciæ nobis concreditæ ſpiritualem ædificationem omni ratione promoveremus. Quam quidem in rem eo majori animi contentione incumbendum nobis eſſe exiſtimavimus, quo & hære-

hæreticæ pravitatis zizania latius ſerpere, & antiquæ diſciplinæ ſeveritatem laxius in dies remitti cerneremus. Ex omnibus autem rebus, quæ ad cleri populique ſpirituale bonum tuendum atque augendum valent, nihil ſynodo provinciali utilius fore unquam duximus. Hoc enim remedium, & ad ſcandala tollenda, & ad zizania, quæ inimicus homo, dum nos dormiremus, ſuperſéminavit, eradicanda, & ad veterem diſciplinam reſtituendam, & ad populi mores cum auctoritate corrigendos, & ad Dei cultum, omnemque religionem amplificandam, accommodatiſſimum ſemper atque aptiſſimum fuit. Sane nihil unquam vehementius optavimus ad omnium veſtrum progreſſus in via domini incitandos, quam ſynod. provinc. cogere atque habere, nihil unquam diligentius curavimus, quam ut fructuoſiſſime atque utiliſſime haberetur. Peſtilentiæ paſſim deſævientis, atque graſſantis metu, & belli, quo proximis annis conflictati fuimus, terrore, variiſque aliarum rerum difficultatibus, quibus maxima quæque bona fere obſtruuntur, factum eſt, ne habere hactenus potuerimus. Dei, a quo bonum omne procedit, benignitate, difficultatibus ſuperatis, ſumma provincialium epiſcoporum frequentia, ſumma ſententiarum conſenſione tandem aliquando habuimus. Quare gaudio ſane exultamus in domino, atque immenſas, aut certe quantas capere animus poteſt, ei grates habemus atque agimus. Ejus ſynodi decreta pontificis maximi auctoritate corroborata nunc edimus, atque emittimus, numero pauca, genere neceſſaria, uſu facilia. Quamquam enim de veſtro zelo, ſtudioque divinæ gloriæ, & ſalutis animarum veſtrarum minime dubitamus, maluimus tamen aliquid potius prætermittere in decernendo, ne vos aliquid prætermitteretis in exequendo, quam decretorum multitudine executionis curſum ulla ratione retardare, ardoremve reſtinguere. Suſcipite igitur hæc caritatis monumenta, hæc ſollicitudinis noſtræ pignora; eo animo & ſtudio, quod bonos atque obedientes filios decet. Pro eo quanti divini nominis gloriam, & animarum veſtrarum ſalutem facitis, accipite hæc ſynodi noſtræ decreta, hæc publicorum incommodorum remedia, ea animorum alacritate, quam quidem ſperamus, atque adeo confidimus vos allaturos eſſe ad ea ſervanda atque exhaurienda, abundantes (ut apoſtolus ait) in omni opere domini ſemper, redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. Remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei. Deus autem pacis aptet vos in omni bono; ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe, per Jeſum Chriſtum cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
Xyſto V. pontifici maximo.

BEATISSIME pater, ſingulari Dei benignitate ſynodum provincialem (quam ut hactenus differremus, partim peſtilentiæ magnitudo, partim belli vis & militares incurſiones effecerunt) uti maxime optabamus, ſumma epiſcoporum frequentia, ſumma cleri, populique lætitia habuimus, atque abſolvimus. Quamobrem patri luminum Deo grates agimus quam maximas. Quæ in ea decreta confecimus, qua majori poſſumus reverentia, atque humilitate mittimus ad ſanctitatem veſtram, ejuſque judicio, ac cenſuræ ſubjicimus, rogamuſque, ut ea ſapientia ſua meliora facere, atque apoſtolica auctoritate confirmare & munire ad ſpiritalem hujus eccleſiæ & provinciæ ædificationem promovendam velit. Interim ſanctitati veſtræ multos annos atque æternam memoriam precamur. Aquis Sextis Kalend. Septembr. MDLXXXV.

S. V.

*Humillimus ſervus*

ALEXANDER ARCH. AQUENSIS.

*VENERABILI FRATRI*
*archiep. Aquen.*

XYSTUS PP. V.

VENERABILIS frater, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Remittimus fraternitati tuæ decreta ſynodi provincialis archiepiſcopatus tui, a venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, rebus ad concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectis, mandato noſtro examinata, atque ubi oportuit emendata. Curabis, ut quæ pie, prudenterque decreta atque emendata ſunt, ita ut ſunt emendata, nec aliter edantur, quamque diligentiſſime ſerventur. Hæc enim reliqua pars eſt operæ tuæ, ſine qua omnis hactenus fruſtra eſſet ſuſceptus labor. Deus benedictus præſit ſemper conſiliis, actionibuſque tuis omnibus ſua gratia, dirigatque ſtudia & conatus tuos omnes ad ſui nominis gloriam, gregiſque tuæ fidei ac vigilantiæ commiſſi ſalutem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 5. Maii. MDLXXXVI. pontificatus noſtri anno ſecundo.

ANT. BUCCAPADULIUS.

*REVERENDISSIMO DOMINO*
*uti fratri, domino archiepiſcopo*
*Aquenſi.*

REVERENDISSIME domine uti frater, ſynodum provincialem, quam iſtic amplitudo tua habuit, & ad ſanctiſſimum dominum noſtrum miſit, ejus ſanctitatis juſſu viderunt illuſtriſſimi cardinales, qui concilii Tridentini executioni, atque interpretationi præpoſiti





ſunt: eam ipſi diligenter perlegentes ac mature conſiderantes, non admodum multa invenerunt, quæ non probarent. Quare ad illam ſynodum ipſam nunc jubente eodem ſanctiſſimo domino noſtro remittentes, paucula quædam, quæ notaverunt, in ſynodi prædictæ margine, ut videbis, deſcribenda curavimus. Quarum notationum exemplum cum his ad eam literis ſeparatim eſſe voluimus, ut ſynodus ipſa pia amplitudinis tuæ opera, & ſtudio ad ipſarum animadverſionum præſcriptionem aptata, edatur, atque executioni mandetur: in quibus quando ſuſcepti ab ea laboris, operiſque confecti fructus omnis conſtat, non eſt quod illam ulla ad id cohortatione impellere nitamur, ad quod ipſa paſtorali munere, pietate, & periculi timore, quod dominico gregi his miſeris temporibus in iſtis præſertim locis imminet, ſatis excitatur. Deum tantum rogamus, ut ad omnes difficultates ſuperandas, & ad provinciam iſtam recte gubernandam gratiæ ſuæ auxilia amplitudini tuæ magis in dies tribuere dignetur, cui operam quoque noſtram, ſi cui illi uſui eſſe poteſt, ex animo deferimus. Romæ, die IV. Maii MDLXXXVI. Amplitudinis tuæ

*Uti fr. ſtudioſus A. card. Carafa.*

# VITA
## SIXTI PAPÆ V.

SIXTUS obſcuris parentibus apud opidum montis Alti in marchionatu Anconitano natus, & Felicis nomine vocatus; adoleſcens ad inſtitutum Franciſcanorum, quos conventuales vocant, tranſiit. Cumque in ordine eos feciſſet progreſſus, ut egregiam eruditionem cum ſingulari eloquentia compararet, magiſtralique laurea decoraretur, ex vicario generali ordinis ſui, ex cardinale epiſcopo ſanctæ Agathæ, in *Sixtus quando pontifex?* demortui Gregorii locum 24. Aprilis anno 1585. pontifex ſuffectus Kalendis Maii ſolenniter co- *Acta Sixti.* ronatus fuit. Ut vero pontificis partes felicius ſuſtineret, indicto univerſali jubilæo divinam opem imploravit. Japoniæ principes magnifico & regio apparatu, quamdiu Romæ morati ſunt, fovit, & amplis congiariis honoratos dimiſit. Cumque initio pontificatus ſui Italia nefariorum prædonum, exulumque incurſionibus miſere vexaretur, uſque adeo ſeverum, imo vero terribilem & tremendum ſe præbuit animadverſorem, ut poſtmodum magna quiete & libertate, nedum Roma, verum etiam Italia frueretur. Urbem ædificiis exornando omnes anteceſſores ſuos longo intervallo poſt ſe reliquit. Tria palatia ædificavit, unum in Vinea, alterum ad Montem Caballum, tertium in Laterano, Obeliſcum altitudinis 114. palmorum ultra baſin, antiquæ ſuperſtitionis monumentum, a Vaticano in mediam ſancti Petri aream translatum Chriſto dedicavit; alioſque vetuſtate ſepultos; alterum apud ſanctam Mariam Majorem, alterum ad Lateranum, tandem juxta ſanctam Mariam de populo erexit. Sacellum egregia architectura extruxit, ad quod ſalvatoris noſtri præſepe tranſtulit. *Ædificia Sixti.* Xenodochium ſeu hoſpitale ædificatum & perpetuo cenſu dotatum pauperibus alendis nuncupavit. Bibliothecam Vaticanam in ſplendidiorem, commodioremque locum tranſtulit, eamque mirifice auxit & illuſtravit. Eccleſiam ſancti Hieronymi Illyricæ nationi conſtruxit. Aquam Felicem ſeu fontem in Quirinali deduxit, & varios alias fontes publicæ commoditati direxit. Lavacrum ex aqua Felici prope viam piam muris cinctum mulierculis pauperibus ædificavit. Vias novas ampliſſimas aperuit & complanavit. In Laterano locum diverſis picturis concinnatum ad populo benedicendum deſtinavit. Scalam ſanctam pretioſo ſalutarique Chriſti ſanguine conſperſam in nobiliorem locum tranſtulit, ac præclaris ornamentis ad excitandam pietatem inſignivit. Ædem ſanctæ Sabinæ ſacram reparavit. Tholum quem vulgo cupulam vocant, incredibili ſumptu perfecit. Urbi tam multa præſtitit, ut eam non exornaſſe modo, ſed etiam renovaſſe merito cenſeatur. Montem Altum muris undique ſeptum civitatis honore & epiſcopali dignitate donavit. Lauretum toto terrarum orbe celeberrimum in civitatem epiſcopalem, & eccleſiam cathedralem erexit. Super verticem columnæ Trajanæ, teſte Baronio, præclariſſimum Chriſtianæ religionis monumentum, principis apoſtolorum Petri ingentem æneam magna impenſa, ſtudioque conflatam ſtatuam, inauratamque ſacris ritibus ſolenniter collocavit. Pronepotes ſuos nobiliſſimis Columnenſium & Urſinorum familiis matrimonii fœdere conjunxit. Ac tametſi in omnibus ſupradictis incredibilem auri vim inſumpſerit, tamen expeditioni terræ ſanctæ, quam meditabatur, tantas opes congeſſit, ut ſumma quinque myriadum auri in publicum ærarium illata ſit. De- *Decreta.* crevit ne plures quam ſeptuaginta ſimul eſſent cardinales, atque inter illos ad minimum quatuor theologiæ doctores, qui ex ordinibus regularium mendicantium aſſumerentur: & quod non alio quam jejuniorum menſi Decembris tempore crearentur. Cardinales diverſis temporibus triginta tres creavit. Sanctum Bonaventuram, doctorem eccleſiæ nominari, ejuſque feſtum ſub officio duplici celebrari mandavit. Varia ſanctorum feſta in Kalendarium retulit. Græcam ſeptuaginta duorum interpretum editionem pene antiquatam, eamdemque Latine redditam, magno cum labore Antonii Carafæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis bibliothecarii emendatam, ac perpolitam merito comprobavit, affixoque in fronte ejus ſacro diplomate magnopere laudavit. Inopinato morbo correptus, adempta ſtatim loquela, e vita exceſſit 27. Auguſti, anno 1590. Sepultus eſt apud ſanctum Petrum, cum annos quinque, menſes *Obitus.* quatuor, dies tres pontificatum tenuiſſet. Vacavit ſedes dies 18.

# ** SANCTUM PROVINCIALE CONCILIUM MEXICI

Celebratum anno Domini Milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto. Præſidente in eo illuſtriſſimo ac reverendiſſimo DD. Petro Moya de Contreras archiepiſcopo Mexicano. Romæ confirmatum die vigeſima ſeptima Octobris anno 1589. poſtea autem ad inſtantiam & ex ſumptibus illuſtriſſimi ac reverendiſſimi DD. Joannis de la Serna archiepiſcopi Mexicani juſſu regio editum apud Joannem Ruiz typographum anno domini *1622.*

## INDEX TITULORUM.

### ET DECRETORUM, QUÆ SUBSUNT CUILIBET hujus concilii libro.

Sub libro primo.

*De ſumma Trinitate, & fide catholica.* Titulus primus.
*De fidei profeſſione.*
*De prædicatione verbi Dei.*
*De doctrina Chriſtiana rudibus tradenda.*
*De ſacramentis doctrina Chriſtianæ ignaris non adminiſtrandis.*
*De impreſſione, & lectione librorum.*
B *De impedimentis propria ſalutis ab Indis removendis.*
*De conſtitutionibus.* Titulus ſecundus.
*De auctoritate decretorum, & publicatione eorum.*
*De reſcriptis.* Titulus tertius.
*De obedientia, & executione reſcriptis apoſtolitis debita.*
*De ætate, & qualitate ordinandorum, & præficiendorum.* Titulus quartus.
*De ſcientia ad ſacros ordines, & curam animarum neceſſaria.*
*De vita, fama, & moribus ordinandorum.*
*De titulo beneficii, aut patrimonii.*
C *De modo conferendi ordines, & literas dimiſſorias.*
*De examine ordinibus præmittendo.*
*De ſacramentorum eccleſiæ adminiſtratione.* Titulus quintus.
*De ſacra unctione.* Titulus ſextus.
*De clericis peregrinis.* Titulus ſeptimus.
*De officio judicis ordinarii, & vicarii.* Titulus octavus.
*De officio fiſcalis, & jure fiſci.* Titulus nonus.
*De officio notarii, & de fide inſtrumentorum.* Titulus decimus.
*De officio executoris juſtitiæ.* Titulus undecimus.
*De officio cuſtodis, & cuſtodia reorum.* Titulus duodecimus.
D *De majoritate, & obedientia.* Titulus decimus tertius.

Sub libro ſecundo.

*De ordine judiciorum.* Titulus primus.
*De procuratoribus.* Titulus ſecundus.
*De feriis.* Titulus Tertius.
*De feſtis ex præcepto obſervandis.*
*De feſtis mobilibus.*
*De feſtis Indorum.*
*De dolo, & contumacia.* Titulus quartus.
*De teſtibus, & probationibus.* Titulus quintus.
A *De ſententia, & re judicata.* Titulus ſextus.
*De appellationibus, & recuſationibus judicum.* Titulus ſeptimus.

Sub libro tertio.

*De officio epiſcoporum, & vitæ puritate.* Titulus primus.
*De his, quæ ad propriam perſonam epiſcopi pertinent.*
*De cura ſubditorum, & propria familia.*
*De doctrinæ cura.*
*De viſitatione propria provinciæ.*
*De officio rectoris, & plebani.* Titulus ſecundus.
*De officio parochi, & doctrinæ cura.*
B *De vigilantia, & cura circa ſubditos, præſertim in ſacrorum receptione.*
*De ſollicitudine præſtanda, ut peccatis remedium adhibeatur.*
*De his, quæ ad parochos Indorum attinent.*
*De beneficiatis cathedralium, & parochialium, & eorum officiis.* Titulus tertius.
*De aſſiſtentia beneficiatorum divinis officiis debita.*
*De officio ſacriſtæ.* Titulus quartus.
*De vita, & honeſtate clericorum.* Titulus quintus.
*De clericorum habitu, & cultu externo.*
*De evitandis ſpectaculis vanis, & actionibus prophanis.*
*De ludis clericis prohibitis.*
*De uſu frequenti euchariſtiæ.*
C *De clericis non reſidentibus.* Titulus ſextus.
*De inſtitutionibus, & jure patronatus.* Tit. VII.
*De rebus eccleſiæ conſervandis, alienandis vel non.* Titulus octavus.
*De teſtamentis, & ultimis voluntatibus.* Tit. IX.
*De ſepulturis, defunctis, & funeralibus.* Tit. X.
*De parochiis.* Titulus undecimus.
*De decimis, & primitiis.* Titulus duodecimus.
*De regularibus, & monialibus.* Titulus XIII.
*De religioſis, & piis domibus.* Titulus XIV.
*De celebratione miſſarum, & divinorum officiorum.* Titulus decimus quintus.
*De baptiſmo.* Titulus decimus ſextus.
*De ſanctiſſima euchariſtiæ ſacramentis & ejus cuſtodia.* Titulus decimus ſeptimus.
D *De reliquiis, & veneratione ſanctorum & templorum.* Titulus decimus octavus.
*De immunitate eccleſiarum, & clericorum.* Titulus decimus nonus.
*Ne clerici, vel monachi negotiis ſæcularibus ſe immiſceant.* Titulus vigeſimus.
*De obſervatione jejuniorum.* Titulus XXI.
*De diebus, quibus jejunare tenentur omnes hujus archiepiſcopatus, & provinciæ (Indis exceptis.)*
*De diebus, quibus Indi jejunare tenentur ex conſtitutione felic. record. Pauli papæ III.*

Sub



Sub libro quarto.

*De ſponſalibus, & matrimoniis.* Titulus primus.
*De cognatione ſpirituali, & aliis matrimonii impedimentis.* Titulus ſecundus.

Sub libro quinto.

*De viſitationibus.* Titulus primus.
*De calumniatoribus.* Titulus ſecundus.
*De ſimonia.* Titulus tertius.
*De hæreticis.* Titulus quartus.
*De uſuris.* Titulus quintus.
*De ſortilegis.* Titulus ſextus.
*De maledicis.* Titulus ſeptimus.
*De injuriis, & damno dato.* Titulus octavus.
*De pœnis.* Titulus nonus.
*De concubinatu, & pœnis concubinariorum, & lenonum.* Titulus decimus.
*De ſententia excommunicationis.* Titulus XI.
*De pœnitentiis, & remiſſionibus.* Titulus XII.

## INDEX CONCILIORUM,

### canonum, legum, regaliumque ſchedarum; quæ in hoc ſacro Mexicano concilio citantur.

*Sacroſanctum concilium Tridentinum.*

*Concilium Milanenſe.* 1. 2. 3. 4. & 5.
*Concilium Granatenſe D. Petri Guerrero.*
*Concilium de Guadix.*
*Concilium Limenſe* 1. 2. & 3.
*Concilium Arauſicanum.*
*Concilium Compoſtellanum.*
*Concilium Toletanum.*
*Concilium Rhemenſe.*
*Concilium Moguntinum.*
*Concilium provinciale de Quiroga.*
*Synodale ejuſdem Quiroga.*
*Concilium Tarraconenſe.*
*Synodus de Oſma.*
*Synodus de Valladolid.*
*Concilium Baſileenſe.*
*Concilium Mexicanum* 1. & 2.
*Concilium Fori Julii.*
*Concilium Hiſpalenſe de Deca.*
*Concilium provinciale Bononienſe Card. Palleoti.*
*Concilium Valliſoletanum.*
*Concilium Aurelianenſe.*
*Concilium diœceſanum de Oſma.*
*Concilium provinciale de Burgos.*
*Concilium Lateranenſe.*
*Concilium Elibertinum.*
*Concilium Autiſſiodorenſe.*
*Concilium Cabilonenſe.*
*Concil. Valent. ſub archiep. DD. Joan. de Ribera.*
*Concilium provinciale Bononienſe.*
*Concilium diœceſ. de Cadiz, ſub D. Petro Garcia.*
*Concilium diœceſ. de Aſtorga, ſub D. P. de Rojas.*
*Concilium diœceſ. de Burgos, ſub archiepiſc. D. Franciſco Pacheco.*
*Concilium Lateranenſe, ſub Leone X.*

## CANONES.

*Tx. in c. inter cætera de offic. ordinar.*
*Tx. in c. baptizandos.*
*Tx. in c. non liceat.*
A *Tx. in c. annis.*
*Tx. in c. decernimus.*
*Decretalis epiſtol. cum perſonæ.*
*Cap. inter dilectos de exceſ. prælat.*
*Tx. in c. penult. de ſimonia.*
*Cap. ad apoſtolicam.*
*Cap. non ſatis de ſimonia.*
*Tx. in c. abolendum de ſepulturis.*
*Tx. in c. de conſang. & affinit.*
*Tx. in c. final. incipienti quamquam.*
*Tx. in c. de juramento calumniæ.*
*Tx. in c. unico de reliquiis.*
*Tx. in c. final. de feriis.*
*Tx. in c. 1. de conſecrati. d. 3.*
*Tx. in c. final. 3. q. 6.*
B *Tx. in cap. ſuſpectos.*
*Tx. in cap. nullus 3. q. 5.*
*Tx. in cap. officialis.*
*Tx. in cap. ſi contra unum.*
*Tx. in c. quoniam in pleriſque.*
*Tx. in c. exigit de cenſibus.*
*Tx. in c. ſicut olim de accuſation.*
*Tx. in c. epiſcopus in ſynodo 35. q. 6.*
*Tx. in c. ſtatutum de reſcriptis.*
*Tx. in c. unico de vita, & honeſt. cleric.*
*Tx. in Cl. 1. verſ. adverſ. verſ. alios eodem tit.*
*Tx. in c. clerici de vita, & honeſt.*
*Tx. in c. in canonibus 16. q. 1.*
*Tx. in c. iſ cui eodem tit. in 6.*
*Tx. in c. 2. de donationibus.*
C *Tx. de jure regio in l. 6. & 10.*
*Tx. in c. nullus 44. diſt.*
*Tx. in Clem. cupientes de pœnis.*
*Tx. in Clem. religioſi de decimis.*
*Tx. in c. periculoſo de ſtatu regul.*
*Tx. in c. 1. de inſtitutionibus.*
*Tx. in c. auctoritate §. ſane.*
*Tx. in c. monaſteria de vita, & honeſt. cleric.*
*Tx. in c. decet de immunit. eccleſ.*
*Tx. in c. ſacerd. aliorumque cler. de conſec. d. 2.*
*Tx. in c. nocte ſancta de conſec. diſt. 1.*
*Tx. in c. conſuluit de celebr. miſſarum.*
*Tx. in Clem. unica de reliquiis, & vener. ſanct.*
*Tx. in Clem. unica de baptiſmo.*
*Tx. in c. quod in te de pœnitent. & remiſſ.*
D *Gloſſ. in Clem. 1. eodem tit.*
*Tx. in c. de immunit. eccleſ.*
*Tx. in c. inter alia de immunit. eccleſ.*
*Tx. in c. final. de immunit. eccleſ.*
*Tx. in c. quanto.*
*Tx. in c. gaudemus de divortiis.*
*Tx. in c. ſiquis ſuadente 17. q. 4.*
*Tx. in c. 1. cum tribus ſeqq. 87. d.*
*Tx. in c. adminiſtrator 23. q. 5.*
*Tx. in auth. ut differentes judic. §. fin. coll. 9.*
*Tx. in extrav. 2. de Judæis Joan. 22.*
*Tx. in extrav. communia.*
*Tx. in c. cum ſanct. leges de hæretic. lib. 6.*
*Tx. in c. alma mater de ſent. excomm. lib. 6.*
*Tx. in c. qualiter, & quando Cl. 2. de accuſat.*
E *Tx. in c. licet de ſimonia.*
*Tx. in c. nobis fuit de ſimonia.*
*Tx. in extrav. 1. de ſentent. excomm.*
*Tx. in extrav. de ſimonia.*
*Bulla Pii V. fol. 83. Bullarii apoſt.*
*Bulla Pii III. in favorem Indorum.*
*Pius V. conſt. 5. verb. pauperes.*
*Motus P. Pii V. conſtit. 3.*
*Conſt. 29. Paul. PP. III.*
*Bulla Pauli III. dat. Rom. Non. Jun. 1537.*
*Bulla Pii IV. 101.*
*Bulla 107. in Bull. apoſt.*
*Motus Pii V. in Bull. ipſius bull. 24.*

ANNO CHRISTI 1585.

*Mot. P. Greg. XIII. conſt. 71. fol. 33. in Bullario apoſtolico.*

## LEGES REGIÆ.

*LEx 23. tit. 20. lib. 2. recopil.*
*L. 1. tit. 27. lib. 4. recopil.*
*L. 4. tit. 10. lib. 8. recopil.*
*L. 19. tit. 9. lib. 3. recopil.*
*L. 17. tit. 20. lib. 2. recopil.*
*L. 24. tit. 25. lib. 4. recopil.*
*L. 12. cum ſeqq. tit. 25. lib. 4. recopil.*
*L. 31. tit. 20. lib. 2. recop.*
*L. 6. tit. 9. lib. 3. recopil.*
*L. 7. tit. 2. lib. 7. recopil.*
*L. 20. & 21. tit. 12. lib. 1. recopil.*
*L. 5. tit. 7. lib. 1. recopil.*
*L. 1. & 2. tit. 5. lib. 4. recopil.*
*L. 1. & 2. tit. 7. lib. 4. recopil.*
*L. 9. tit. 8. lib. 2. recopil.*
*L. 1. & 2. tit. 11. lib. 4. recop.*
*L. 4. tit. 7. lib. 3. recop.*
*L. 13. tit. 7. lib. 8. recopil.*
*L. 9. tit. 1. lib. 1. recopil.*
*L. 3. tit. 1. lib. 1. recopil.*
*L. 7. tit. final. lib. 8. ordinationum.*
*L. 7. tit. 20. lib. 8. recopil.*
*L. 1. & 2. tit. 24. lib. 5. recopil.*
*L. reg. 2. tit. 5. recopil.*
*L. reg. 16. tit. 22. lib. 1. recopil.*
*L. reg. 1. tit. 2. lib. 1. recop.*
*L. reg. 3. tit. 18. partit. 7.*
*L. reg. 1. 2. & 7. tit. 17. lib. 8. recopil.*
*L. 1. 2. & 5. tit. de los amancebados lib. 8.*
*L. reg. 3. tit. 19. lib. 8. recop.*
*L. reg. 1. tit. 5. lib. 8. recop.*
*L. reg. 3. tit. 16. lib. 3. recop.*
*L. reg. 5. tit. 21. lib. 5. recop.*
*L. reg. 4. tit. 17. lib. 8. recopil.*

## REGALES SCHEDULÆ.

*SChed. reg. de Barcelona por Junio 1585.*
*Sched. reg. Septiembre 24. 1570.*
*Sched. reg. generalis in Indiis.*

REVERENDISSIMIS PATRIBUS ac dominis coepiſcopis, ac comprovincialibus noſtris, capitulis cathedralium eccleſiarum, parochis, ac univerſo ſtatui eccleſiaſtico provinciæ Mexicanæ.

*JOANNES DE LA SERNA archiepiſcopus utramque ſalutem in domino precatur.*

*Matth. c. 21. Pſalm. 79. Cant. 2. c.*

NOn ſatis ad perfectum prudentiſſimus ille paterfamilias opus ſuum perduxiſſet vineam plantando, ſi plantata ſepe non circumdediſſet: *ſingularis enim ferus depaſceret eam: vindemiarent qui prætergrediuntur vineam, & vulpes parvulæ demolirentur.* Sed ne in ea excolenda locatus labor in caſſum ſuccederet, vallo munivit, turrim appoſuit, *verticem* (ſcilicet) *legis attollens*, ut ſic inſtructa maceria turatam agricolis locaret. Quis enim eorum ita dexter in excolendo, tam patiens in ſufferendo, tam audax in reſiſtendo, tam tenax in perſeverando, tam fortis foret in perſequendo ſine legum adminiculo, ſine decretorum inexpugnabili præſidio? *Cum pluribus dimicet oportet is, qui imperare pluribus intendit.* Unuſquiſque enim ſuæ obtemperat voluntati & voluptati, procli- A ves ſunt ad malum hominum appetitus, nec a propoſito unquam deſiſtent, donec ad effectum placita perducant. Magnum ergo, & indigeſtum chaos, truculentaque confuſio humanam hanc ſocietatem turbaret. *Tot, tantorumque quæ cæleſtes largiuntur donorum, & bonorum non eſſet fruitio, vel uſus rectus ſine lege, ſine juſtitia, ſine rectore.* Ideo ergo vineam ſuam ſope circumdedit, id eſt eccleſiam lege vallavit, & ſtabilivit, quę rebelles cogeret, petulantium audaciam cohiberet, prętergredientes viam, ne vineam conculcarent, puniret. Nullumque majus bonum huic ſuę familię potuit locuples in miſericordia tribuere, quam legis propugnaculum, quo homines in officio continerentur, B gladium hunc ancipitem, quo tyrannorum vires frangerentur, divinę voluntatis expreſſionem, qua *ſervus ſciens voluntatem domini faciat, ne vapulet.* Ideo familiariſſimus domini Moyſes in ſignum magnæ erga ſe dilectionis poſtulabat: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ſcire me fac viam tuam, viam*, id eſt voluntatem, *tu guſto.* Quid jucundius ſervo quam certo ſcire, & non divinare voluntatem domini? Magnum ergo bonum vineæ plantatæ, ſepe fuiſſe circumdatam: utiliſſimum colonis voluntati domini ex præſcripto parere. Utile etiam impudentibus, & dyſcolis, ab effrænatis appetitus inſultibus cohiberi ſalutari illa violentia, quam regius vates poſtulabat. *In camo & fræ-* C *no maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Camum, & frænum appellat ſcriptura leges, & præcepta, quibus ab inſtituto ſuperbæ hominum voluntates arcentur, ne in præſens ruant, innatæ ſuperbiæ calcaribus actæ, qua contra fas, & rectum ad inordinatos ruunt affectus. Ideo Judæorum doctiſſimus Philo dicebat, *Quod lex ſemper pugnat cum ſuperbia.* Quaſi hoc ſit proprium illius munus devio ſuperborum hominum affectui reſiſtere, illorum ſe executioni opponendo, præceptorum habenis ne caderent detinendo. non ergo ad perfectum deduxiſſet opus ſuum paterfamilias, ſi vineæ plantatæ contentus, de vallo, & ſepe non fuiſſet ſolicitus.

*Plutarc. ad Prin. indoct.*

*Luc. 12. c. n. 47.*

*Exod. c. 33.*

*Pſal. 31.*

*Ambroſius lib. 9. in c. 20. Joannis.*

*L. De [illegible]*

*Plutarch. in apophteg. Laco.*

D Vineam non ut olim de Ægypto, ſed de catholicæ eccleſiæ uberiori ſolo. Hiſpaniæ videlicet fœcundiſſima regione, *in terram hanc ſalſuginis, & vaſtæ ſolicitudinis* transtulit ſapientiſſimus pater. *Ejecit* gentes, & plantavit eam abolito idolorum cultu, effugatis idololatriæ tenebris, ſolerti cura, & indefeſſo animo ſanctiſſimorum virorum ſacerdotalis ordinis tam ſæcularium quam regularium inſtitutorum, quibus vineam plantandam, excolendam, & propagandam locavit. *Sed ut novellæ plantationes in juventute ſua* profundas radices jacerent, & uberiores fructus magno agricolarum labori, & conatui ſuccederent, opus fuit, ut condenſa legum ſepe circumdaretur, quarum aliæ operarios di- E rigant in cultura, aliæ ſtimulent oſcitantes in miniſterio, & indebite illud tractantes compeſcant. Quod cum optime perpendiſſet *dominus Petrus Moya de Contreras* prædeceſſor noſter, Vir jure mille titulis, & nominibus venerandus, quamvis graviſſimis diſtentus curis, & totius hujus regni gubernatione occupatus provincialem ſynodum coegit, in qua doctiſſimi epiſcopi comprovinciales interfuerunt, quorum maturo conſilio, & qua ſummia præditi erant prudentia municipales leges fuerunt conditæ, conſonantes quidem patrum antiquorum doctrinæ, ſacrorum conciliorum decretis, juri com-

*Pſal. 79.*

*Pſal. 143.*



ANNO CHRISTI 1585.

muni conformes, maximeque regionis iſtius A moribus, & hominum conditioni aptatæ. In qua re licet omnes, qui de jure concilio interfuerunt, communiter inſudarunt: ſed in ordinandis, & diſponendis decretis plus ceteris laboravit *doctor D. Joannes de Salzedo* tunc ſecretarius ſimul & conſultor dicti concilii: Sacrorum canonum primariæ cathedræ moderator, & in illa nunc emeritus, noſtræ metropolitanæ eccleſiæ meritiſſimus decanus, in poſterum autem majorum hujus regni eccleſiarum pontificalem ſedem pro meritorum cenſura occupaturus. Subjectum fuit celebre hoc concilium integerrimę cenſuræ ſenatus regii Indiarum, de cujus licentia, & approbatione Romam translatum eſt a- B poſtolica auctoritate firmandum, in quo quidem tantum temporis conſumptum eſt, ut jam antiquatum videretur, ſeu de medio ſublatum; ſed cum advertiſſem quod quo impares ſunt vires noſtræ ad tantam provinciam ſuſtinendam, eo pluribus auxilis indigemus: quorum præcipua ſunt dicti concilii decreta, nullum non movimus lapidem, nulli ſumptui pepercimus, ut volumen hoc oblivioni traditum in lucem prodiret, præloque mandaretur, ut ſic ad omnium agricolarum, & operariorum manus perveniret, & tantorum decretorum ope uberiores proventus expectarentur.

Tanti operis, tamque neceſſarii huic provinciæ gratiæ debentur bonæ memoriæ *domini Pe-* C *tri*, quo præſide tam utiles leges ſunt ordinatæ, quibus totus hic novus orbis in ſpirituali regimine gubernetur. Et crediderim quod non minus honoris, & celebritatis ejus nomini ſit deferendum, quam illius numquam ſatis pro dignitate laudandi Ferdinandi Corteſii hujus novi orbis expugnatoris. Comparans ſummus eloquentiæ parens victoriam Salaminam Themiſtoclis, & Solonis decretum de judicibus Areopagitis conſtituendis, dicit *non minus præclarum hoc, quam illud judicandum eſt. Illud enim ſemel profuit: hoc ſemper proderit civitati.* Id enim profecto accommodari poterit hujus concilii ordinationi. Etſi incredibilia Corteſii facinora cum illius celebratione comparentur, jure dicere poſ- D ſimus, non minus præclarum hoc, quam illud judicandum eſt. Illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit provinciæ. Mihi autem pro tanto, tamque utili negotio nihil poſtulo; nec pro magna argenti ſumma inſumpta, nec pro labore impenſo, quam ut a vobis pro grato obſequio habeatur, & quia pro omnibus laboravi, omnes mihi debitum perſolvatis pretium incomparabile aſſiduarum, & devotarum veſtrarum precum. Quarum vobis certas vices rependam, ut veſtris meritis ſuffulti, poſt penſum rite perſolutum fideli redditæ villicationis ratione, in domini gaudium mereamur intrare, in quo valete, ut opto. Mexici quinto Idus Septembris anni domini milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſecundi.

*Lib. 1. offic.*

*Joannes archiepiſcopus Mexicanus.*

## IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS

Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti.

SAncta provincialis Mexicana ſynodus ad ſacrorum canonum ſtatuta, ac præcipue generalis concilii Tridentini decreta obſervandum, & exequendum, ad fidei catholicæ propagatio- A nem, ac divini cultus augmentum; ad cleri, & populi reformationem, ad communem denique Mexicanæ provinciæ nuper in evangelio genitæ ac Chriſto domino recens natæ, in ſpiritualibus & temporalibus utilitatem, Mexici, quæ metropolis eſt novæ Hiſpaniæ Indiarum occidentalium, maris oceani, rite, & canonice congregata; Præſidente in ea illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo D. D. Petro Moya de Contreras, Dei, & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopo Mexicano, atque etiam provinciæ gubernatore, hujuſque regii ſenatus præfecto, hæc, quæ libris, ac titulis diſtincta ſequuntur ſtatuit, ſancit, atque decernit.

B

## LIBRI PRIMI TITULUS PRIMUS, de ſumma Trinitate, & fide catholica.

*De fidei profeſſione.*

§ I.

FIDES, janua illa noſtræ ſalutis ſine qua Deum invenire, & invocare, Deo ſervire, & placere nullus in hac vita poteſt, quam Chriſtus docuit, apoſtoli prædicaverunt, ſancta Romana eccleſia tenet, & profitetur, Primum fundamentum eſt, cui totius Chriſtiani ædificii fabrica innititur. Igitur, ut hæc Indiarum occidentalium eccleſia, tamquam novellum ger- C men plantata, ſpuriis vitiorum, errorumque propaginibus reſecatis, firmiſſimas agat radices, & abundanti divinæ gratiæ flumine irrigata, cæleſte illud, quod Deus dat, ſumat incrementum, ac dignos vitæ æternæ fructus ferat, ſacroſancti concilii Tridentini auctoritate ſuffulta provincialis Mexicana ſynodus, quam ſuæ congregationis initio præſtitit, catholicæ fidei profeſſionem renovans; ſtatuit, ac præcipit, ut omnes ii, qui in poſterum beneficia eccleſiaſtica quæcumque obtinebunt, infra duorum menſium ſpatium, a die adeptæ poſſeſſionis, & qui in ſynodum diœceſanam convenire debent, in ea ſynodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, nec non epiſcopi in prima ſynodo D provinciali, cui primum poſtquam electi fuerint intereſſe contigerit, publicam fidei profeſſionem facere, & Romanæ eccleſiæ obedientiam jurare, & ſpondere teneantur, ad formam in conſtitutione felicis recordationis Pii Papæ IV. præſcriptam; quam conſtitutionem ſinguli epiſcopi in ſuis diœceſibus, quo citius fieri potuerit, publicari procurent, a cujus publicatione poſt ſex menſes elapſos, nullius in rectorem ſeu cancellarium alicujus univerſitatis, vel ſcholæ eligatur, aut ad doctoralem, ſeu magiſtralem gradum, in quacumque facultate promoveatur, nec ad publice, vel privatim literas docendum, etiam ſi regularis fuerit, admitta- E tur, niſi prius ad prędictę conſtitutionis formulam juramentum, fideique profeſſionem emiſerit. Sic enim fiet ut jacto fidei catholicę fundamento, quod ſupra ſtructum fuerit doctrinę ędificium firmum, ac ſtabile perſeveret.

*Ex concil. de Guadix in princ. & Granat. tit. de ſumma Trin. & fide cath. Tolet. & Compoſtellan. 1566. act. 1. in princip. Milan. 1. in princ. ſyn. de Quiroga in proœmio & provinc. ejuſdem. act. 2. c. 1. & Limenſe 3. in princ. Seſſ. 24. c. 12. Seſſ. 25. c. 2. de ref. Milan. 1. in princ. & Granat. ubi ſupra. & provinc. de Quiroga act. 3. c. 11.*

*In bullario apoſt. bulla 107. p. 624. Pius IV. Bulla 101. pag. 621. Milan. 1. in princip. & 3. conc. fol. 587. Verbo quicumque & 4. fol. 610. & 5. in princ. fol. 703. tom. 5. concilior.*

*De prædicatione verbi Dei.*

§ I.

PRÆCIPUUM epiſcoporum munus eſt docere populum evangelium Dei, quos tamquam apoſtolorum ſucceſſores, ex maxime cura exercere debet, ut recte pureque tractent verbum

*Cap. inter cetera de offic. ordi. conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 2.*

ANNO CHRISTI 1585.

*& ſeſſ. 24. c. 4. de refor. Milan. 1. tit. de prædic. verbi Dei. Compoſtel. act. 3. c. 2. & Milan. 5. tit. quæ ad prædicat. verbi Dei, &c, fol. 707.*

bum veritatis, ac formam habeant ſanorum verborum, quibus plebes ſibi commiſſæ doctrina ſalutari, ita paſcantur, ut Chriſto paſtori bono ſemper inhęreant. Quod optime perpendens ſacroſanctum Tridentinum concilium ſtatuit, ac decrevit, omnes epiſcopos, & alios eccleſiarum pręlatos teneri, per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prędicandum evangelium Dei, ſi vero legitime impediri contigerit, idoneos viros aſſumere debeant, ad prędicationis munus ſalubriter exequendum. Quamobrem hęc provincialis ſynodus, auctoritati concilii Tridentini, & veterum patrum innixa, epiſcopos, & alios provincię Mexicanę pręlatos in domino cohortatur, ut in hanc curam toto pectore incumbant, ac greges ſibi commiſſos, ipſimet, prę́ſertim in eccleſia ſua verbo Dei paſcant. Sin autem ſe interdum vere impeditos cognoverint, per viros idoneos ex prę́ſcripto ejuſdem concilii ſibi eligendos, hoc munus ſtudioſiſſime populo prę́ſtent.

§ II.

*Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 2. Milan. 1. & 5. ubi ſupra fol. 707. & Guadix tit. 1. conſt. 1. & Granat. ubi ſupra de ſumm. Trid. & de officio rectoris n. 2. & 13. & ſynod. de Quiroga conſtit. 41.*

Parochi vero, & curati, qui in diſpenſando ſubditis verbo Dei, coadjutores epiſcoporum ſunt, juxta concilii Tridentini decretum, dominicis ſaltem diebus, & feſtis ſolemnibus oves ſibi commiſſas pro earum ſenſu, & intelligentia ſalutaribus verbis paſcant docendo ea, quę ad ſalutem ſunt neceſſaria, eis itidem annunciando, quę vitia declinare, quaſve ſectare virtutes oporteat, ut pœnam ęternam evadere, & cęleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero parochi, & curati prędicti per ſe ipſos prę́ſtare debeant; Sin minus ab ordinario compellantur, quod ſi legitime impediti fuerint ſummo ſtudio invigilent, ne deſint miniſtri idonei ad id muneris adimplendum; ut autem prędicationis uſus perpetuo conſervetur, & in dies, magis, atque magis cum fructu animarum accreſcat, iis, qui prędicandi officio funguntur, regulas proxime annotatas hęc ſancta ſynodus obſervandas proponit.

§ III.

*Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. Vide conc. citata ſupra.*

Prędicatores verbi Dei juxta concilii Tridentini preceptum, ſcripturam ſacram interpretentur eo ſenſu, quem ſancta mater eccleſia, & unanimis ſanctorum patrum conſenſus comprobavit, nec prudentię ſuę innixi ſcripturæ vim faciant, ad ſingulares, novos, & pro ſuo arbitratu excogitatos ſenſus eam detorquendo, nec quidquam, ab eccleſia, aut probatis eccleſię doctoribus alienum proferant.

§ IV.

Myſterium aliquod fidei ſemper exponant ex aliquo evangelii loco, argumento deſumpto, ut auditores frequenter Dei verbum audiendo facile percipiant quæ ſibi ad ſalutem maxime ſunt neceſſaria.

§ V.

*Concil. Tol. 1566. act. 3. cap.*

Difficilibus, & inanibus quæſtionibus prorſus abſtineant, ne ſe ipſos oſtentare magis, quam Chriſtum prædicare videantur, ſed ad ea, quæ pro cujuſque gradu, qualitate, conditioneve magis expediunt, auditores exhortentur, [illegible] facilioribus, & convenientioribus modiis ad hęc conſequenda ſtudioſiſſime inſtituant.

§ VI.

Epiſcopos, alioſve prelatos, & magiſtratus civiles cum offenſione auditorum, ne acerbe objurgent, ſed ſi quid in illis dignum reprehenſione invenerint, privatim potius eos admoneant, populum vero, juxta dictum apoſtoli, prępoſitis ſuis, etiam dyſcolis, obedire cohortentur.

*Ad Tit. 3. 1. Petr. 2.*

§ VII.

In reprehendendis vitiis cauti ſint, nec quemquam tacite, aut nominatim inſectentur, ſed potius ita ſe gerant, ut pietatis, & caritatis ſolum ſtudio, non peculiari alicujus odio adductos id facere omnes intelligant.

§ VIII.

Denique doctrina, quam docent, ut efficacior ſit, non minus vita, & exemplo, quam ſermone comprobetur, ne quod verbis aſſerunt, moribus impugnent, & dum aliis prędicant, ipſi reprobi efficiantur.

*De doctrina Chriſtiana rudibus tradenda.*

§ I.

CHRISTUS paſtor bonus dimiſit nonaginta novem in montibus, ovem unam perditam quærens, Judæorum vepribus laceratus eſt, ardentique amore flagrans pro ſuis ovibus mortem obivit. Quo ſane exemplo paſtores alios, quibus ſui gregis cura demandata eſt, ſatis docuit quantum de ovium ſalute deberent eſſe ſoliciti, illarum in primis, quæ * lanæ debiles, ac derelictæ cum ſint, majori indigent paſtoris adjumento. Id igitur ſibi proponens hæc ſancta provincialis ſynodus, propter rudium multitudinem pene innumerabilem in his Indiarum partibus degentium, ſummo ſtudio providere curavit, ut pueri, ſervi, Indi, & omnes alii cujuſvis ętatis, & conditionis elementorum fidei ignari, Chriſtiana doctrina inſtruantur, ne parvuli petentes panem, frangentis defectu pereant. Quia vero maxime oportet, ut ſacra doctrina in omnibus ſibi cohęrens, ad unam etiam prę́ſcriptam formam tradatur catechiſmus, quo eorum, quę quiſque ſcire debet, brevis, ac facilis ſumma contineatur, ab eadem ſynodo probatus, ordineque diſpoſitus eſt, ad totius Mexicanę provincię uſum. Ideoque ſtatuit, ac prę́cipit hęc ſynodus, ut catechiſmum prędictum ſecum habeant illi, quibus docendi Chriſtianę doctrinę ſummam in eccleſiis, ſcholis, ac puerorum collegiis cura injuncta eſt, eoque utantur ſub pœna excommunicationis majoris, nonobſtante quacumque in contrarium conſuetudine. Epiſcopi etiam admonentur, ut quam primum catechiſmum hunc in eam Indorum linguam transferri faciant, quam ſinguli in ſuis diœceſibus uſitatiorem noverint. Tranſlationibus vero de epiſcoporum conſenſu emiſſis, eamdem cum catechiſmo originali, auctoritatem ſynodus tribuit, prohibens ſub eadem excommunicationis pœna uſum omnium aliarum, quę ante prodierunt, vel poſt hoc ſynodi decretum aliter prodibunt, quam eſt præſenti conſtitutione ſancitum. Non tamen propterea excluſum volumus catechiſmum ſummi pontificis auctoritate

*Conc. Rem. c. 15. & Lim. 3. act. 2. c. 6.*



ANNO CHRISTI 1585.

tate confectum, aut ab aliis inferioribus auctoritatem habentibus, in poſterum conficiendum.

§ II.

*In cap. baptizandos, in cap. non liceat de conſe. diſt. 4. Concil. For. Juli. in præfat. ad finem, & Mogunt. c. 45. & Guadix tit. 6. conſtit. 51. & Granat. ubi ſupra, & ſynod. de Quiroga in princ. & Limenſe 3. act. 2. c. 4. Seſſ. 24. c. 4. de reform. Guadix tit. 2. conſt. 6. & ſynod. de Quiroga conſt 41. in fin. & Lim. 3. act. 2. c. 4. & Milan. 5. fol 705. vet. at vero quo populus.*

Curati omnes, tam ſæculares, quam regulares in tabella adſcriptum apud ſe retineant, doctrinæ Chriſtianæ contextum, videlicet, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum apoſtolorum, antiphonam Salve regina, duodecim articulos fidei, decem legis divinæ præcepta, quinque eccleſiæ mandata, ſeptem fidei ſacramenta, ſeptem capitalia vitia. Quæ omnia, non tamen inter miſſarum ſolemnia recitari faciant, ſingulis dominicis adventus & a dominica ſeptuageſimæ, uſque ad dominicam paſſionis incluſive. Hæc enim ſæpius repetita commemoratio noſtræ fidei initia, noſtræ figet memoriæ. Quapropter curati quoties id negligenter omiſerint, pondo tribus mulctentur fabricæ illius eccleſiæ, cujus ipſi curam geſſerint applicandis.

§ III.

Quia vero fruſtra doctrina memoria retinetur, niſi ex ea quiſque intelligat, quid ſibi ad ſalutem ſit neceſſarium, quid credere, quidve operari oporteat, Tridentini concilii auctoritatem hæc ſynodus ſequuta, in virtute ſanctæ obedientiæ curatis mandat, ut omnibus diebus dominicis, ipſi per ſe, aut ſi legitimo teneantur impedimento, per viros idoneos ordinário probatos, Chriſtianam doctrinam tradant, atque exponant ad eam formam, & rationem, quibus diſpoſitus eſt catechiſmus per hanc ſynodum approbatus, atque in hoc munere exequendo unius horæ ſpatium inſumant. Habeant etiam ſinguli curati prædicti in ſuis parœciis tabulas, quibus ſervi, famuli, & pueri duodecim annorum ætate minores, nomina ſua profeſſi inſcribantur, eorumque parentes, ac dominos itidem curati moneant, quatenus ad Chriſtianam doctrinam ediſcendam prædictos mittant, cum primum ſtatuta hora, ſono campanæ proprio ad id munus aſſignato, ad eccleſiam convocabuntur. Si qui vero heri, aut domini bis admoniti ſervos mittere neglexerint, quoties id omiſerint, pondo unum perſolvant, quod denunciatori, & fabricæ eccleſiæ, in qua id contigerit applicetur, cujus pœnæ tunc ſufficiens erit executio, ſi curatus, aut is, qui doctrinam Chriſtianam tradit, delinquentem a ſe admonitum fidem fecerit. Hiſpanis autem, & ſervis Æthiopibus, iis etiam, qui ex altero parente Æthiope naſcuntur, & Chichimechis doctrina Chriſtiana, lingua Hiſpanica, tradatur, Indis vero propria ſua materna.

§ IV.

*Mexic. 1. c. 3. § 1. Guadix tit 6. conſt. 10. & 51. Milan. 1. tit. de ludi magiſtris, & tit. de fidei initiis a parocho tradendis. Tolet. act. 3. c. 5. & Granat. de ſum. Trin. n. 2. & 4 & de offic. rectoris n.*

Ludimagiſtri ſtudeant, pueros cum primis literarum rudimentis doctrina, & Chriſtianis moribus imbuere, quibus ad id præſtandum jubetur, ut ſingulis diebus pueros alta voce recitare faciant, fidei initia, eademque illis explicent ad ordinem in catechiſmo ab hac ſynodo conſtitutum; Quoties vero id negligenter omiſerint pœnæ duorum pondo ſubjaceant, hoſpitali domo, ac denunciatori æquis partibus applicandorum.

§ V.

Indorum curati, tam ſæculares, quam regulares omni diligentia procurent, ut in illis oppidis, pagis, ſeu vicis, in quibus ipſi reſident ſcholæ inſtituantur, ubi Indorum pueri legere, & ſcribere diſcant, Chriſtianæ doctrinæ documenta accipiant, Hiſpanamque linguam doceantur. Id enim maxime conveniens eſt ad Chriſtianam, ac civilem eorum inſtitutionem. Admonentur tamen curati, ne has ſcholas erigendi prætextu, Indorum operis ad ligna ferendum & alios ſuos proprios uſus abutantur. Quod ſi ſecus fecerint, a prælato puniantur, & ad reſtituendam Indis juſtam laborum ſuorum mercedem compellantur. De quo latius infra titulo de injuriis, & damno dato.

*12. & de magiſt. n. 2. & ſynod. de Quiroga conſtit. 42. § 1. & § fin. Concil. Mogunt. c. 45. & Lim. 3. act. 2. c. 6. & 43.*

§ VI.

Sunt pleraque hujus provinciæ loca, in quibus permulti ſervi vinculis ferreis conſtricti, permultique Indi metallorum fodinis, & ergaſtulis incluſi tenentur, qui neceſſaria ad ſalutem doctrina deſtituuntur, non ſine magno conſcientiæ eorum, qui eos ſic conſtrictos tenent detrimento, ac dolore epiſcoporum, quorum paſtorali ſolicitudini incumbit, oves paſcere, & earum ſaluti proſpicere. Cupiens igitur hæc ſancta ſynodus huic tam gravi incommodo occurrere; epiſcopis, ſeu prælatis, ad quos pertinet, maxime commendat, ut his afflictis, ac ſpirituali cibo egentibus, opportunum præſtent auxilium. Præcipit etiam fodinarum, & ergaſtulorum dominis, ut ſervorum ſuorum ſaluti conſulant, ne eos ſpirituali bono privent, quos ipſi ad temporalem tantum utilitatem detinent.

*Mex. 1. c. 19. § 4. Conci. Mil. 5. fol. 787 verſ. nulla eſt amplior.*

§ VII.

Jubet præterea hæc ſynodus quibuslibet hujus provinciæ perſonis, ne ſi paganos ſervos emerent, fodinis, ſive ergaſtulis prædictis ante includant, quam fidei Chriſtianæ documentis inſtructi, ſacro baptiſmatis fonte abluantur. Quod ſi ſecus fecerint, ſuorumque ſervorum ſpirituali ſaluti impedimento fuerint, pro tam immani in Deum perpetrato ſcelere gravem in eos animadverſionem prælati exerceant.

*De ſacramentis doctrina Chriſtiana ignaris non adminiſtrandis.*

§ I.

*Vide infra. tit. de Baptiſmo § 4. Guadix tom. 2. conſt. 6. & ſynod. de Quiroga con. 1.*

CUM plerique, fidei documenta, ac vim, & rationem ſacramentorum ignorent, quaque debeant animi diſpoſitione ad ſacramenta accedere non intelligentes, eadem infructuoſe ſuſcipiant: quo fit, ut Chriſtiano charactere inſigniti, Chriſtianum inſtitutum minime teneant. Ne hoc malum latius manaret, ſtatuit hæc ſynodus, ut nullus curatus, ſive ſæcularis, ſive regularis, ſacramentum baptiſmi adultis tribuat, ſi prius fide catholica inſtructi non fuerint, aut ſaltem lingua ſua familiari non didicerint orationem dominicam, ſymbolum apoſtolorum, decem præcepta legis, ac de peccatis ſuis, aliquod doloris ſignum præbeant. Quod ut melius fiat, parochi ante quam adultos, temporibus ſtatutis titulo de baptiſmo & ejus effectu, ſancto baptiſmate intingant, qui, & quam ſint idonei baptiſmum ſuſcepturi epiſcopo, ſeu ejus vicario, ubi commode fieri poterit, notum faciant. Parochis etiam præcipitur, ne quemquam Hiſpanum, Indum, aut ſervum ad benedictionem nuptialem admittant, niſi prius illum, qui eſt matrimonio conjungendus, hor-

*Guadix to. 2. conſt. 62. Synod. de Quiroga ubi ſupra.*

ANNO CHRISTI 1585.

hortati fuerint, ut orationem dominicam, ſalutationem angelicam, antiphonam Salve regina, ſymbolum apoſtolorum, fidei articulos, præcepta decalogi, præcepta eccleſiæ, ſeptem ſacramenta, ac ſeptem vitia capitalia, ſi ea ignoraverit, quam primum diſcat, alioquin arbitrio ordinarii punietur. Curatus autem ſi ſecus fecerit, tria pondo perſolvat, quorum partes duæ parochiæ contrahentium, tertia vero denuntiatori applicetur; Injungitur quoque confeſſoribus, ut diligenti ſtudio pœnitentes examinent de doctrinæ Chriſtianæ cognitione, eoſque admoneant ad eam capeſſendam.

Conc. Mil. 5. fol. 708. Verſ. primo omnibus,

*De impreſſione, & lectione librorum.*

§ I.

PERVERSA doctrina non minus ſcripto, quam verbo tradita maximo ſolet eſſe documento. Quapropter juxta concilii Tridentini decretum ſtatuit, ac jubet hæc ſynodus, ne quis imprimere, nec imprimi facere, aut de novo in vulgus emittere audeat, nec emere, vendere, aut apud ſe retinere cuiquam liceat, quoſvis libros ni prius examinati, probatique fuerint ab ordinario, & de ejus licentia in ſcriptis, impreſſi: ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & quinquaginta pondo minarum piis operibus, accuſatori, & impenſis hac de cauſa factis æquis partibus diſtribuendarum.

Seſſ. 4. in decreto de editione, & uſu ſacror. lib. Verſ. Sed, & impreſſoribus, & reg. 10. ex Indice lib. & Mex. 1. c. 74. § 1. & ſynod. de Quiroga conſt. 118. Mexic. 1. c. 74. Mex. 2. c. 23. reg. 7. in indice libr. prohibitorum & Limenſ. 3. act. 3. cap. 37. & Granat. tit. de mag. n. 2. & Mil. 5. fol. 5 7. verſ. quorum lib. & 5. tit. quæ ad fidei iudic. de ſtudium pertinēt fol. 707. verſ. Epiſcopi cura. Vide ſupra conc. citata.

§ II.

Iiſdem etiam de cauſis hæc ſynodus ſub pœna excommunicationis prohibet, ne quis inter Indos, libros, ſermones, tractatulve, de rebus ad religionem pertinentibus, in vulgarem eorum linguam evulget, niſi translatio vulgaris hujuſmodi, prius ab ordinario examinata probetur.

§ III.

Quia vero experientia compertum eſt ex lectione librorum, quibus turpia, & obſcœna continentur, morum corruptelam oriri, hæc ſynodus exhortatur, ne quiſquam libros ſimiles apud ſe retineat, aut ab his legi permittat, qui ſuæ curæ ſubſtent, libri autem veterum Latinorum, quia ad Latinæ linguæ uſum, atque peritiam conferunt, permitti poterunt, prudenti tamen adhibita cautela, ne eorum lectio juventuti in malum proclive offendiculum paret.

*De impedimentis propriæ ſalutis, ab Indis removendis.*

§ I.

Mexic. 1. c. 72.

UT Indi in fide catholica, quam ſingulari Dei beneficio ſuſceperunt ſtabiles perſeverent, diligentiſſime cavendum eſt, ne illis antiquæ impietatis veſtigium ullum impreſſum remaneat, ex quo levi aliqua occaſione deſumpta, diabolicæque fraudis aſtutia decepti, iterum tamquam canes ad idololatriæ vomitum revertantur. Quamobrem hæc ſancta ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ne Indi in ſaltationibus, aliiſque ſuis ludis laureati, aut aliis inſignibus ornati incedant, quibus aliquam idololatriæ ſpeciem, ſuſpectionemve præbeant. Cantiunculis etiam veteres ſuas hiſtorias, falſæque religionis impietates referentibus uti nequaquam permittantur, ſed ea ſolum cantent, quæ a ſuis parochis, & vicariis fuerint approbata. Hujuſmodi autem ſaltationes, & ludi, nec in eccleſia, nec in occulto aliquo loco fiant, ſed publice ubi eorum geſtus, actiones, & verba omnibus ad ſenſum pareant. Neque hæc fieri permittantur in diebus colendis, niſi poſt miſſarum ſolemnia ante meridiem, poſt meridiem vero dum veſpertinum celebratur officium, a ludis ſimilibus ceſſent, ut ipſi quoque veſperarum officio interſint. Si vero contra fecerint quam præſenti eſt decreto ſancitum, a ſuis parochis corrigantur, ut admoniti in poſterum his abſtineant.

ANNO CHRISTI 1585.

§ II.

Gubernator etiam, & alii catholicæ majeſtatis miniſtri omni ſtudio, & diligentia provideant, ne in domibus, aut aliis, quibuſvis ædificiis collocata idola extent, immo eadem diſſolvi, ac penitus deleri faciant, excelſaque loca ubi miſeræ illæ gentes dæmonibus immolabant, quæ Cues Indi vulgo vocarunt, dejici, ac ſolo æquari præcipiant: ne antiquus humani generis hoſtis, qui ſemper nocendi artes quærit, ullas inveniat priſtinæ impietatis imagines, quas denuo, a gentilitate converſis callide ſuggerat ad decipiendum, immo ita iis, quæ jam contritis diaboli laqueis, bene juvante Deo, liberati ſunt, omnis idololatriæ via intercludatur, ut gentilis inſaniæ prorſus obliti, fortes in Chriſti fide permaneant.

Mexic. 1. c. 72.

§ III.

Mexic. 1. c. 73. & Lim. 3. act. 4. c. 4.

Cum non ſine magno dolore eorum, qui Chriſtiano zelo ardent, in his Indiarum partibus, uſu, & experientia manifeſtum ſit, in montuoſis, aſperiſſimiſque locis Indos habitare diſperſos, & a civili hominum congregatione remotos: quo fit, ut nec mores immanitate barbaros deponant, nec ſanam doctrinam ſuſcipiant, nec ſacramentorum remediis juvari, & a vitiis coerceri poſſint, quodque pejus eſt, multi adhuc Chriſtiano charactere inſigniti non ſint. Cumque catholica majeſtas, cujus oneri incumbit, has ſibi ſubditas gentes regimine moderari, ſuam conſcientiam exonerare volens inſigni pietatis zelo ſæpe caverit edicto, ne Indi ſic diſperſi in ſolitudinibus commorentur, ſed ad numeroſos populos reducti, in civili hominum congregatione vivant, nullaque tam juſti mandati ſecuta ſit executio. Idcirco hæc ſynodus, ad quam maxime ſpectat ſollicite providere, ne oves immaculati agni ſanguine redemptæ aberrent, ac dæmonum, tamquam luporum crudeliſſima rabie lacerentur, gubernatores in his partibus catholicæ majeſtatis vices obtinentes, quantum poteſt, in domino cohortatur, ut omni poſthabito ſæculari impedimento, vere pio, & Chriſtiano animo in hanc curam incumbant, ut ipſi in cauſa ſint, quominus juſtiſſimum regium edictum ad debitum effectum perveniat, immo ſcientes, quam ſint in die tremendi judicii rationem Deo redditturi, toto animi conatu prædicti mandati executionem procurent. Prælatos quoque monet eadem ſynodus, ut huic negotio conficiendo, ex quo indigenarum converſio, ac morum hujus provinciæ reformatio dependet, omnem operam præſtent. Quod ſi minus fiat, nec majeſtas catholica juri patronatus regio ſatisfacere videtur, neque ejus miniſtri effectum edicti retardantes, excuſabiles ſunt in conſpectu Dei, nec tuti in conſcientia epiſcopi eſſe poſſunt, ſi inſtantiſſime non egerint, ut tam gravi malo, graviorique in dies futuro, nullatenus remedium differatur.





ANNO CHRISTI 1585.

# LIBRI PRIMI TITULUS II.
## De conſtitutionibus.

*De auctoritate decretorum, & publicatione eorum.*

§ I.

Granat. tit. de conſtit. n. & ſynod. de Quiroga in prœmio §. y por que.

VArietas temporum, ac neceſſitas rerum, ſicut uſu, & experientia didicimus, plerumque in cauſa eſſe ſolet, ut antiquis abrogatis legibus, aliæ denuo conſtituantur. Quare, & ſi conſtitutiones in duabus ſynodis provincialibus Mexici celebratis; prima ſcilicet anno domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto; ſecunda vero, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo etiam quinto, ſancte, ac laudabiliter editæ ſint, quibus potius inſiſtere, quam alias iterum condere oporteret: ea tamen horum temporum conditio eſt, iſque hujus provinciæ ſtatus, ut niſi rerum opportunitati convenientiora decreta ſancirentur, difficile incommodis occurrentibus remedium afferri poſſit. Ne igitur ex legum multitudine confuſio generetur, decrevit hæc ſynodus, ut ex antiquis decretis illa, quæ præſenti rerum ſtatui conveniunt, ſimul cum denuo editis uno volumine comprehendantur, quo facilius ea quiſque intelligat, quæ pro ſuæ conditionis ratione facere tenetur.

§ II.

Quæ quidem decreta ſolum deinceps auctoritatem, ac firmitatem habitura decernens eadem ſynodus; Omnes, & quaſcumque perſonas hujus provinciæ, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & qualitatis exiſtant, monet, & hortatur, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut decreta prædicta, dum tamen nihil ſacris canonibus, ſummorum pontificum conſtitutionibus, & concilii Tridentini decretis contrarium contineant, in omnibus, & per omnia juxta eorum ſeriem in poſterum teneant, & obſervent, ſub pœnis in eis contentis, & aliis contra rebelles pro eorum contumacia aggravandis. Revocat etiam præſenti decreto omnes, & quaſcumque alias provinciales conſtitutiones, ante editas, quæ hujus ſynodi decretis inſertæ, renovatæ non fuerint, eaſque decernit irritas, & inanes. Itidem omnibus, & quibuſcumque eccleſiaſticis judicibus, ac juſtitiæ miniſtris mandat, ut per hæc decreta, omnia in illis contenta exequenda, cauſas definire, ac in eis ſententias ferre, eiſdemque decretis ſtare debeant ſine contradictione cujuſquam.

Concil. provinc. de Quiroga act. 2. c. 3. & act. 3. c. 50. & Lim. 3. act. 2. c. 1. & act. 4. c. 24. & 25. Cap. animis, cap. decernimus 18. dict.

§ III.

Mexic. 1. c. 93. & Milan. 1. par. 3. tit. de pœnis verſ. ut nomini, & Limenſ. 3. act. 2. c. 2. & act. 4. c. 24. & 25.

Ne autem perſona aliqua eccleſiaſtica, ſive ſæcularis, ab horum decretorum obſervatione, per ignorantiam ſe valeat excuſare, ſub prætextu quod eorum promulgationi non interfuerit; Hæc ſynodus decernit, ſufficientem eſſe ſolennem eorum promulgationem in hac metropoli factam, ut omnes eiſdem ſubjaceant, ac in eis contentas pœnas incurrant. Monet etiam, ad uberiorem cautelam epiſcopos, ut eadem in ſuis diœceſibus, ſi opus fuerit; vicario autem, ſeu præſidenti, ſede epiſcopali vacante, præcipit, ut infra duos menſes, a die habitæ notitiæ computandos, in eccleſia cathedrali decreta prædicta reſpective publicari faciant.

ANNO CHRISTI 1585.

§ IV.

Mexic. 1. c. 91.

Statuit item ſynodus, ad perpetuam horum decretorum conſervationem, & ad commoditatem perſonarum eccleſiaſticarum, ad quas pertinet eccleſiaſticas conſtitutiones, quibus gubernantur legere, & ſalubriter intelligere, ut œconomus hujus metropolitanæ eccleſiæ infra duos menſes, immediate ſequentes, poſt eorum promulgationem; Decreta hæc charta pergamena ſcribi, ac ſigillo hujus ſynodi communiri faciat, eaque ſic ſcripta, & ſigillata in archivio metropolitanæ hujus eccleſiæ aſſerventur. Poſt eorum vero impreſſionem, cum librorum copia commode poterit haberi, ſinguli œconomi ſingularum cathedralium eccleſiarum hujus provinciæ, duos libros emant, quorum unum in uno choro, alterum vero in altero catenulis alligatos reponant. Singuli itidem parochialium eccleſiarum œconomi poſt ſex menſes, a die publicationis præſentium decretorum, librum unum emant, quem in choro, vel ſacriſtia, ubi ad uſum legendi commodius haberi poſſit, catenula ſimiliter alligatum collocent. Vicarii etiam curati, ac beneficiati, intra eorumdem ſex menſium ſpatium, librum quoque unum apud ſe retineant. Qui omnes, & ſinguli nominati, ſi intra præſcriptum tempus, his non paruerint mandatis, pondo viginti mulctentur, quorum partes duæ eccleſiæ, ubi fuerint œconomi, vicarii, curati, aut beneficiati applicentur, tertia vero accuſatori.

Vide infra tit. de offic. rectoris § 1.

§ V.

Granat. tit. de conſtit. n. 2.

Præterea ſtatuit, ut ſi judex aliquis eccleſiaſticus cauſam definierit, aut in ea ſententiam tulerit juxta aliquod hujus ſynodi decretum, illud, partibus etiam non inſtantibus, inſeri in proceſſu faciat, ne ſine eo proceſſus originalis, aut illius exemplum uſpiam reperiatur; Si vero ad inſtantiam partis mandatum, ſive monitoriales literæ, in alicujus decreti executionem ab eodem judice concedantur, in iis intro ſcripta decreti ſeries de verbo ad verbum exprimatur. Quoniam vero hæc tertia provincialis Mexicana ſynodus, legitime ſub apoſtolicæ ſedis obedientia congregata eſt, ad ſacrorum canonum, ac præſertim univerſalis concilii Tridentini obſervationem, & executionem, cupiens, ut omnia ab ea ſancita, atque decreta felicem in domino conſequantur effectum, proteſtatur, ſe numquam intendiſſe, nec intendere ſacroſancti ejuſdem concilii univerſalis decretis contradicere, nec in aliquo repugnare, immo ſancta, ac ſalutaria ejus decreta pie ſuſcipit, religioſe veneratur, proteſtatur etiam nolle ſe in toto, aut in aliqua parte derogare juri patronatus regio, ab apoſtolica ſede conceſſo Philippo Hiſpaniarum regi noſtro catholico, qui novum hunc occidentalem a Deo ſibi commiſſum in pace, & tranquillitate gubernat, ac ſingulari eximiaque pietate moderatur, cum fidei catholicæ, & Chriſtiani nominis propagatione. Pro cujus vita tantopere reipublicæ Chriſtianæ neceſſaria aſſidue orare debemus, ut omnipotens Deus nationes barbaras, & Chriſtiani nominis inimicas, ſibi ſubjiciat, eique ut quæ in Chriſto fides eſt regnet longe, & felicia tempora concedat.

Limenſ. 3. act. 2. c. 1. in fine, & act. 5. c. 1. Concil. provinc. de Quiroga act. 3. c. 31.

## LIBRI PRIMI TITULUS III.
### De reſcriptis.

*De obedientia, & executione reſcriptis apoſtolicis debita.*

§ I.

Mexic. 1. c. 39. & conc. Hiſpalen. de Deca. fol. 17. pag. 2.

Sicut oportet prælatos, & judices eccleſiaſticos ſine ulla intermiſſione, aut aliquavis cauſa apoſtolicis parere mandatis, eademque ad debitam executionem perducere; ſic etiam occurrendum eſt moleſtiis, vexationibus, & injuriis, quæ in his tam longe a ſummo pontifice remotis locis, a multis inferuntur, qui falſis literis, quas ipſi apoſtolicas dicunt, aut brevibus ſummi pontificis abutuntur, conceſſionis affectu fraudulenter immutato, vel termino in eis præfixo jam omnino elapſo. His igitur incommodis providere volens hæc ſynodus ſtatuit, & præcipit omnibus hujus archiepiſcopatus, ſive provinciæ, eccleſiaſticis judicibus, ut omnibus, & quibuſcumque apoſtolicis mandatis, ſibi intimatis, obediant. Nec tamen alicujus judicis, qui ſe, vel executorem apoſtolicum nominet, mandatum aliquod exequantur, niſi prius in caſibus a jure expreſſis, originali judicis apoſtolici hujuſmodi commiſſione, proceſſu, ſive mandato coram epiſcopo diœceſano, ſeu ejus vicario generali exhibitis, ut juxta præſcriptum decretalis epiſtolæ, quæ incipit, *Cum perſonæ*, ſi literas authenticas eſſe conſtiterit, executioni mandentur, ſi vero ob defectum aliquem, vel vim non habeant, vel earum executio ſuſpendi debeat; Prælatus ſummum pontificem conſulat, ut ſic apoſtolicis mandatis debita obedientia, & executio exhibeatur, & nullus injuſte moleſtetur.

Cum perſonæ de privilegiis §. 6.

§ II.

Seſſ. 14. c. 5. & 3x. ubi DD. in cap. 2. & finali de off. & poteſt. judi. de leg. in 6.

Ut auditus intercludatur diſſenſionibus, & litibus permultis, quas nonnulli movere ſolent, obtinentes per literas apoſtolicas certos ſibi judices conſervatores, ſub prætextu, quod eis a judicibus ordinariis injuriæ, ac moleſtiæ inferantur, ad præſcriptum ſancti concilii Tridentini decernit hæc ſynodus, ne literæ conſervatoriæ hujuſmodi cum deputatione judicum; cuiquam ſuffragenter adhoc, ut coram judice ordinario in cauſis criminalibus, & mixtis non poſſit conveniri, & contra eum procedi, aut quominus in cauſis civilibus, ſi qua ei jura ex ceſſione competierint ſuper illis libere valeat apud judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos conſervatores judices, in judicium trahere minime liceat. Quod ſi in his cauſis, in quibus reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conſervator, ab actore ſuſpectus eſſe dicatur, aut ſi qua inter ipſos judices conſervatorem, & ordinarium controverſia, ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos, ſuper ſuſpicione, aut juriſdictionis competentia fuerit judicatum. In cauſis etiam mercedum, aut miſerabilium perſonarum, non obſtantibus conſervatoriis literis, coram ordinario conveniri poſſit; Nemo etiam ſimilium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere poſſit; familiaribus vero ejus, qui hujuſmodi conſervatoriis literis ſueti ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat, ſi tamen illi propriis ejus ſumptibus vixerint. Non liceat quoque conſervatoriis judicibus ullum habere tribunal erectum, univerſitates autem generales, ac doctorum, ſeu ſcholarium collegia, & regularia loca, necnon hoſpitalia, actum hoſpitalitatis ſervantia, & univerſitatum, collegiorum, locorum, & hoſpitalium hujuſmodi perſonæ, ad mentem ejuſdem ſacri concilii hoc decreto minime comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint, & eſſe intelligantur.

§ III.

Seſſ. 22. c. 5. de reform.

Statuit etiam hæc ſynodus auctoritatem concilii Tridentini ſecuta, ut diſpenſationes eæ, quæ gratioſe, & ſine commiſſione particulari a ſummo pontifice concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab ordinario, tamquam apoſtolico delegato ſummarie tantum, extrajudicialiter cognoſcatur expreſſas preces, ſubreptionis, vel obreptionis vitio non ſubjacere.

§ IV.

In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debeant; Epiſcopi tamquam delegati ſedis apoſtolicæ ſummarie, & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum, prius quam commutationes prædictæ executioni demandentur, ut eſt a ſancto concilio Tridentino decretum.

Seſſ. 22. c. 6. de reform.

## LIBRI PRIMI TITULUS IV.
### De ætate, & qualitate ordinandorum, & præficiendorum.

*De ſcientia ad ſacros ordines, & curam animarum neceſſaria.*

§ I.

De hoc tit. vide conc. 4. [illegible] fol. 753. & tit. de celebrandis ord. fac. fol. 754. ad Tim. 5. Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 7. de reform. Concil. Mediolanenſ. 1. [illegible] 3. c. 33. Seſſ. 23. c. 1. & ſeſſ. 25. c. 4. & 5. Seſſ. 23. c. 4. uſq. ad 16. Concil. Mex. 1. c. 41. & conc. Tarracon. tit. de ætate, & qualit. c. primo tonſura, fol. 16.

Sacerdotalis dignitas, & eorum, qui altari deſerviunt celſitudo non patitur, quemquam ad id muneris admitti, niſi prius ejus merita probata fuerint, ac bene perſpecta. Præſertim cum illud grave damnum eccleſiæ catholicæ importet, quod multi ad ſacros ordines ſine delectu promoveantur, qui abſque ullis meritis in tam ſublimi gradu collocati, poſtea clericali inſtituto injuriam irrogantes miſere ceciderunt. Quapropter vehementer exoptans hæc ſynodus præterita damna reſarcire, eccleſiaſticumque ordinem, in priſtinum dignitatis, & ſplendoris locum reſtituere; quantum poteſt, epiſcopos hujus provinciæ exhortatur, ne contra apoſtoli præceptum cito manus imponant, ſed cum omni diligentia, & animi contentione, ordinandorum qualitates examinent, & merita expendant, neque eos, qui minus fuerint idonei, paucitatis miniſtrorum prætextu, ad ſacros ordines ſuſcipiendos ullatenus admittant; cum divinus cultus, animarumque commodum, paucis digne, quam multis indigne miniſtrantibus magis accreſcat. Quæ omnia, ut melius dirigantur, debent primum, ne ullus ad majores, vel minores ordines admittatur, nec ei, ut admitti poſſit licentia concedatur, niſi prius de eo, periculo facto, his





eſſe præditum qualitatibus conſtiterit, quæ ad illum gradum, vel ordinem ex concilii Tridentini decretis ſunt requiſitæ.

§ II.

Guadix tit. 2. a conſt. 42. uſq. ad 48. & Gran. dicto tit. de ætate, & qu. & ſynod. de Quiroga conſtit. 26. & 27. & concil. 5. Milan. ubi ſupra.

Verum ad ſpeciem magis deſcendendo, præter ſcientiam, & ætatem, quæ ex concilii Tridentini decreto neceſſaria ſunt: Nullus niſi prius, juramento præſtito de intentione permanendi in habitu clericali, admittatur, nec ad primam tonſuram promoveatur. Illi vero ante quartum decimum annum poterunt prima tonſura initiari, qui in cathedrali eccleſia clericali toga, & ſuperpelliceo induti, per duos ſaltim annos, divino cultui inſervierunt, ſi prius eorum parentes, vel tutores propoſitum ſibi eſſe juraverint in eccleſiæ miniſterio [a] conſervandi.

a) *Forte* converſandi.

§ III.

Granat. & 5. Milan. ubi ſupra §. præcedenti.

Nemo ad quatuor minores ordines promoveatur, niſi quantum fieri poterit eccleſiaſtici cantus rudimentis inſtructus.

§ IV.

Gran. & Milan. ubi ſupra.

Ad ſubdiaconatum promovendi, in cantu eccleſiaſtico periti ſint, & in recitando horarum officio, juxta ordinem breviarii editi ex concilii Tridentini decreto, exercitati.

§ V.

Granat. & Milan ubi ſupra.

Diaconatum ſuſcepturi, non in his ſolum; ſed in ceremoniis etiam illi ordini competentibus, examinentur.

§ VI.

Seſſ. 23. c. 14. Infra lib. 3. tit. 15. §. 3.

Qui ex præſcripto concilii Tridentini idonei reperti, in ſacro presbyteratus ordine fuerint conſtituti, primam miſſam ne celebrent, niſi prius ut in titulo de celebratione miſſarum & divinorum officiorum habetur, a ceremoniarum magiſtro, examinati, & approbati, ab eodem celebrandi licentiam obtineant: formam præterea abſolvendi a peccatis, & cenſuris ſciant; ut vero tanti celebratio myſterii in ſuarum animarum ſalutem cedat, promotos ad ſacerdotium monet, & hortatur hæc ſynodus: ut quantum ſit illud dominici corporis ſacrificium, toto corde, totaque mente contemplantes, ad illud celebrandum divinæ gratiæ auxilio ſe præparent, eaque animi puritate, ac ſinceritate, quibus æquum eſt, ſanctiſſimumque corporis, & ſanguinis domini ſacrificium accedant; ſicque ſanctuarium Dei ingrediantur, ut tamquam mediatores, inter Deum, & populum pacem componant.

§ VII.

Optime loquitur concil 5. Milan. ubi ſupra tit. de ſuit. ordi, ſacram, fol. 764.

Sacerdotes, quibus animarum cura committenda eſt, quantum doctrina præſtare debeant, vel ex eo facile intelligere licet, quod veluti duces, magiſtri, & medici exiſtant, qui ſubditos in cælum dirigant, ſanam doctrinam doceant, ſpiritualibus eorum morbis medeantur. Quare nullus curatum beneficium obtineat, niſi prius probatus, & examinatus, idoneuſque repertus, in ſacramentorum præſertim, pœnitentiæ adminiſtratione verſatus ſit, & conſcientiæ caſibus bene inſtructus, ad formam ab hac ſynodo diſpoſitam, & una cum directorio confeſſorum, & pœnitentium comprobatam, quæ in omnibus, & per omnia obſervetur, & executioni mandetur. Aptus præterea ſit, ad exponendum ſanctum evangelium ſubditis, eo ſaltem modo, quo magis ad ſalutem neceſſaria edocere poſſint. Hinc enim fiet, ut ſubditi de ſuis parochis bonam opinionem concipiant, eoſque tamquam patres ſpirituales confidenter adeant, ut quibus oportet ad ſalutem documentis inſtruantur.



*De vita, fama, & moribus ordinandorum.*

§ I.

Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 10. ſeſſ. 21. c. 2. ſeſſ. 23. c. 5. 7. 11. 13. & 14. Mexl. 1. c. 44. Guadix. tit. 2. conſt. 48. & Milan. 1. tit. quæ ad ſacrament. adminiſtrationem pertinent, & 4. & 5. ubi ſupr. §. 2. & Granatenſ. de ætat. & qual. n. 4. & Limenſ. 2. act. 2. c. 30. In cap. inter dilectos de exceſſ. prælat. conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de reform. & vide infra lib. 3. tit. 5. de vit. & honeſt. cleric. §. 21. & 25. Mex. 1. c. 47.

Quia vitæ integritas, & morum honeſtas in iis, qui ad eccleſiaſticos ordines promovendi ſunt, literarum ſcientiæ præferri debet, hæc ſynodus decernit, & jubet, ne ullus epiſcopus ſibi ſubditos ad ordines admittat, aut admitti concedat, niſi prius a fide dignis, & morum gravitate probatis teſtibus, tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, cum quibus promovendus ſocietatem inierit, vel alias fuerit converſatus, habito teſtimonio, quo poſſit conſtare ordinandum eo tempore, & per multos antea menſes, quibus decet puritate, & honeſtate vixiſſe, aleæ aut aliis illicitis ludis prave aſſuetum non fuiſſe, aut eſſe, nec ſtatutis a jure temporibus, peccatorum confeſſionem omiſiſſe. Quod ſi ſecus conſtiterit, nullatenus promoveatur, donec vitæ, ac morum converſatione in melius commutata maculam deleat, ex ante acta vita ſuſceptam. Difficile enim eſt eos in novo dignitatis gradu poſitos fieri meliores, qui vitiis, & ſceleribus defœdati, non ſine multorum ſcandalo, quibus eorum prave facta nota ſunt; ad illum ſtatum pervenerunt.

§ II.

Eccleſiaſtici ordinis perturbatio inde ſæpe ſecuta eſt, quod iis aditus non ſit occluſus, qui caducarum rerum cupiditate ducti, pravis cogitationibus ſancta miniſteria concupiſcunt: Quare nullus ad ſacros ordines admittatur, qui commiſſo crimine pœna ſanguinis puniendo, magis, ut pœnam ſibi a ſæculari judice infligendam evadat, quam ut in ſacris ordinibus proficiat promoveri velit. Qui vero ob hanc cautelam ſacros ordines ſuſceperit, ſit ipſo facto ſuſpenſus, & ſi de crimine conſtiterit, tamdiu in exilium relegatus ſit, quamdiu epiſcopo videbitur expedire.

§ III.

Guadix tit. 2. conſt. 47. 48. & 49. & provin. de Quiroga act. 3. c. 34.

Ut honor, & reverentia clericali ordini deferatur, ſacris eſt canonibus conſtitutum, ut qui aliquos patiuntur naturales defectus, aut alios, qui tametſi non imputentur ad culpam, minus decent clericalem ſtatum, non ordinentur, ne ſacris ordinibus initiati contemnantur, eorumque miniſterium vituperetur. Propterea interdicit hæc ſynodus, ne deſcendentes ab his qui a ſanctæ inquiſitionis officio damnati fuerint, in primo, & ſecundo gradu quo ad patrem, quo ad matrem vero in primo tantum, ad ſacros ordines admittantur: quia vulgari in-

ANNO CHRISTI 1585.

famia notari. De quorum natalibus tunc ſufficiens erit inquiſitio, cum ad parentes, & avos uſque perventum fuerit, difficile enim eſſet propter antiquitatem ulterius progredi, indeque varia perjuria, calumniæ & inimicitiæ orirentur. Inde etiam, & Mexici, tam ab Indis, quam a Mauris, necnon ab illis, qui ex altero parente Æthiope naſcuntur, deſcendentes in primo gradu, ne ad ordines ſine magno delectu non admittantur.

*De titulo beneficii, aut patrimonii.*

§ I.

*Conc. Milan. 5. fol. 766. verbo hæc in primis. Seſſ. 21. c. 2.*

CUm non deceat eos, qui divino miniſterio addicti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidam aliquam artem ad victum exercere, concilii Tridentini auctoritate innixa hæc ſynodus ſtatuit, ne ullus clericus ſæcularis ad ſacros ordines promoveatur, niſi prius epiſcopo legitime conſtet eum, beneficium, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere. Patrimonium vero, vel penſionem obtinentes ordinari non poſſint, niſi illi, quos epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate eccleſiarum ſuarum prius quoque perſpecto, patrimonium illud vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint. Perpendens tamen hæc ſynodus, quanta in hac provincia ſit neceſſitas miniſtrorum, maternam indigenarum linguam callentium decernit, ut qui linguam aliquam Indorum noverint, ad ſacros ordines promoveantur, etiamſi beneficium, patrimonium, vel penſio ab eis obtenta talia non ſint, quæ congrue victum ſuppeditare poſſint. His enim quo minus ordinentur, periculum mendicandi veriſſimile eſt non obſtare, quia ſi moribus, ſcientiæ, & ætati requiſitis, linguæ quoque Indorum uſum adjungant, Indiſque ſacramenta, & alia ſpiritualia miniſteria præſtare poſſint, inde quæ ſibi ad victum ſufficiant, cum decore eccleſiaſtici ordinis comparabunt.

*Conc. Limenſ. 3. actio 2. c. 31.*

§ II.

*Ex tx. in cap. penul. de ſimonia loquitur prov. de Quiroga, actio 3. c. 32 & Lim. 3 act. 2. c. 30.*

Occurrere volens hæc ſynodus artibus, & fallaciis, quibus aliqui nullum beneficium; aut patrimonium vere obtinentes, ſed falſos beneficiorum titulos, fraudulentaſque facultatum donationes cum pacto tacito, vel expreſſo, de non recipiendo, vel reſtituendo confingentes ordinari ſolent, ſtatuit, ac decernit, ut ſi quis fraude, dolove ad ſacros ordines fuerit promotus, a ſuſceptis ordinibus ſit ipſo facto ſuſpenſus, & pro tanto ſcelere arbitrio ordinarii puniatur.

§ III.

*Provinc. de Quiroga, act. 2. c. 33. & vide infra lib. 3. tit. 15. de celeb. miſſar. § 14.*

Juxta concilii Tridentini decretum, illi tantum patrimonium, vel penſionem obtinentes ordinari poſſunt, quos epiſcopus aſſumpſerit pro commoditate alicujus eccleſiæ, cui adſcripti eſſe debent, ad munera eccleſiaſtica obeunda, neque eam ſine ordinarii licentia deſerere poſſunt; verum quia multi ad titulum patrimonii, vel penſionis promoti, facile deinde eccleſiam, cui adſcripti ſunt, relinquunt; jubetur, ut eccleſiæ deputatio in titulis ordinum [illegible] inſeratur, viſitatores quoque inquirant, an prædicti quæ præſtare tenentur, muneribus functi fuerint, quod ſi contra ſe geſſiſſe compererint, ad præſcriptum concilii Tridentini, ab ordinum executione ſuſpendantur, cujus ſuſpenſionis tempus, ordinarii arbitrio relinquatur.

ANNO CHRISTI 1585. *Seſſ. 23. c. 16.*

*De modo conferendi ordines, & literas dimiſſorias.*

§ I.

*Seſſ. 23. c. 3.* *Conc. 5. Mi lan. fol. 761. verbo quid porro.* *Seſſ. 23. c. 8.* *Seſſ. 7. c. 10.*

IN conferendis ordinibus, ea prorſus ratio ſervari jubetur, quam amplexa eſt univerſalis Tridentina ſynodus, juxta quam decernitur, ut epiſcopi per ſeipſos ordines conferant, ſi vero ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quam jam probatos, & examinatos, ad alium epiſcopum dimittant. Nullus autem niſi a proprio epiſcopo ordinetur, quod ſi ob legitimam cauſam ab alio epiſcopo promoveri quis petat, nullatenus ei permittatur, niſi ejus probitas, ac mores ordinarii ſui teſtimonio commendentur, ſub pœnis in concilio Tridentino ſtatutis. Facultates de promovendo a quocumque minime ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam a propriis epiſcopis ordinari non poſſint in literis exprimendam, ut eſt ab eodem concilio diſpoſitum.

§ II.

*Limenſ. 3. act. 2. c. 32. verbo qui vero.* *a) Extr. & tit. H.* *Seſſ. 23. c. 11. & 13.*

Ad abolendam pravam conſuetudinem contra decreta hujuſmodi, in hanc provinciam introductam, qua multi alienigenæ, ab alio, quam a proprio epiſcopo, & abſque ejus conſenſu, & approbatione ad titulum, quem vocant, domicilii, ſive jurati, ordinari conſueverunt, præſtito ſolum juramento ſibi eſſe in animo, in ea diœceſi, ubi promoti fuerint, permanere, interdicit hæc ſynodus, ne quiſquam ad titulum hujuſmodi ordinetur, aut ordinari permittatur, niſi per tantum tempus in ea diœceſi vitam duxerit, ex quo probabile ſit velle ſe ibi permanere. Quod ſi aliqui contra hoc decretum fuerint promoti, ipſo facto ab executione ſuſceptorum ordinum ſuſpendantur, & cujuſque beneficii, ſeu adminiſtrationis loborum ſint incapaces per triennium. Qui vero in una diœceſi ordinari cœperint, in alia, quamvis ibi per tres annos fuerint commorati, reliquos ordines non ſuſcipiant, niſi a proprio prælato cum literis, dimittantur, a & unuſquiſque proprium paſtorem agnoſcat, & hierarchiæ eccleſiaſticæ, ordine minime perturbato, quod eſt ſanctorum canonum, & ſacroſancti concilii Tridentini decretis de hac re ſancitum inviolabiliter obſervetur. Literæ item dimiſſoriæ ad unum tantum ordinem ſuſcipiendum concedantur, ut quam in munere ſuſcepti ordinis exequendo diligentiam ordinatus præſtiterit, epiſcopus intelligat. Interſtitia vero temporum a concilio Tridentino præfixa obſerventur, niſi in illis pro neceſſitate, vel utilitate eccleſiæ ſuæ viſum fuerit epiſcopo diſpenſare. Abſentibus vero ſine prævio examine, coram epiſcopo, vel ejus examinatoribus, literæ dimiſſoriæ non dentur.

§ III.

*Seſſ. 23. c. 11. & provinc. de Quiroga*

Regulares juxta concilii Tridentini decretum, nec ante ætatem omnibus a jure præſcriptam, nec



ANNO CHRISTI 1585.

*act. 3. c. 47. & eſt declaratio card. in dictis locis, concil. Trid.*

nec ſine diligenti epiſcopi examine ordinentur, nec eis duo ſacri ordines eodem die conferantur, quibuſcumque privilegiis quoad hoc penitus excluſis.

*De examine ordinibus præmittendo.*

§ I.

*Conc. ſeſſ. 24. c. 18. verſ. licebit etiam. Conc. Tolet. act. 2. c. 24. prov. de Quiroga act. 3. c. 21. uſque ad 24. Limen. 3. act. 4 c. 17. & conc. Milan. 5. tit. de examinandi ratione a fol. 757. Conc. Limenſe 3 act. 2. c. 32. & Milan. 5. ubi ſupra § preced.*

UT ordinandorum, & eorum, quibus animarum cura credenda eſt, quibus polleant meritis, quamve ad ſpiritualia munera obeunda idonei ſint, facilius epiſcopis notum fiat, præcipit hæc ſynodus Mexicanæ provinciæ epiſcopis, ut in ſynodo diœceſana, quæ primo quoque tempore celebrabitur, tres ſaltim eligant, & deputent examinatores, qui una cum epiſcopo, vel ejus vicario, ſi epiſcopus fuerit impeditus, de ſcientia ordinandorum periculum faciant, ante ſynodum autem habitam, per ſuos epiſcopi id etiam præſtent, examinatores vero deputati, in ſuo munere obeundo, hanc a ſynodo præſcriptam formam obſervent.

§ II.

Examinatores in ſynodo diœceſana conſtituti, jure jurando ſe obſtringant de fidelitate ſervanda in ſuo ſuſcepto munere, de vere, & ſincere manifeſtanda eorum comperta ſcientia, de quibus ipſi experimentum ſumpſerint, amore, odio, aliove omni humano affectu poſt habitis. Examinis vero cauſa, nihil quidquam pecuniæ, præmii, alicujuſve doni, aut quid ſimile accipiant.

§ III.

Si examinandorum quiſquam per ſe, vel interpoſitam perſonam dona, favoreſve examinatori promiſerit, epiſcopo ſtatim denuntiet, & eumdem ad ordines pro illa vice inhabilem decernat.

§ IV.

Ea, de quibus ſubituri examen interrogandi ſunt, per ſe, vel per alios directe, aut indirecte, ne revelent, ſi quis eorum, qui examinandi ſunt, conſanguineus, affinis, familiaris, familiæve adjunctus alicujus examinatoris fuerit, examinator ille, ne præſens quidem adſit, ſed epiſcopo notum faciat, ut alius in ejus locum vocetur.

§ V.

Ne ſententiam, quam in approbando, vel reprobando dicturi ſunt, ulli manifeſtent: ſub pœna excommunicationis majoris ipſo jure.

§ VI.

Ne quemquam ad examen ſubeundum admittant, niſi prius ſuſcepti ordinis titulum, ab epiſcopo, & notario ſubſcriptum, ſigillatumque exhibuerit.



§ VII.

Quæ omnia, ſub eiſdem juramento, & cenſura, tunc quoque ſervare teneantur, cum de epiſcopi mandato, aliquos ad beneficia obtinenda examinare contigerit.

## LIBRI PRIMI TITULUS V.

*De ſacramentorum eccleſiæ adminiſtratione.*

§ I.

*Cap. ad apoſtolicam c. non ſatis de ſimonia. Mexi. 1. c. 13. & 2. c. 2. Guadix tit. 2. conſt. 3. & 21. & conſt. 14. 15. 16. Milan. 1. verbo cum ſacrament. & ſynod. de Quiroga conſt. 35. & provin. ejuſdem Quiroga act. 3. c. 27. & Compoſtel. act 7. c. 10. & Limenſ. act. 2. c. 31. Conda-cit materiæ tx. in cap. abolendæ de ſepulturis.*

SACROSANCTÆ eccleſiæ ſacramenta, quæ non inventa ab hominibus, ſed a Chriſto domino inſtituta ſunt, & ad noſtram ſalutem divinitus conceſſa, ut digne, & ſalubriter adminiſtrentur, & a percipientibus ſummo in honore, & veneratione habeantur, maxime oportet eorum miniſtros, illud de ſe omnibus, præſertim Indis, qui rudes ſunt, & minus intelligentia valent præbere teſtimonium, ut non ob aliquod temporale lucrum, ſed tantum ad ſalutem animarum ſacramenta conferri omnes intelligant. Præcipit igitur hæc ſynodus ne ullus clericus, pacto, contractu, hortatu, aut conventione per ſe, aut per alium, directe vel indirecte, pro ſacramentorum adminiſtratione, ſibi temporale quidquam dari procuret: ſi qui vero ſecus fecerint, ultra pœnas a jure in ſimoniacos decretas, ſi ſemel id commiſerint, pœnam quinquaginta pondo incurrant, quorum partes duæ, eccleſiæ ubi fuerit delictum perpetratum diſtribuantur, tertia vero accuſatori: Si autem bis in hoc crimen inciderint, a ſacerdotali officio per annum ſuſpendantur. Si ter, a tota provincia per triennium exules ſint: non tamen hoc decreto prohibetur ne mercedem in ſingulis epiſcopatibus ab epiſcopo conſtitutam percipiant.

§ II.

*Mex. 1. c. 67. & Limenſ. 3. act 2 c. 37. & conc. 4. Toletan. c. 26 ubi Loyaça fol. 370. verbo libellum. conc. Milan. 5. fol. 716. verbo illud in primis, & concil. provinc. Bonon. cardin. Palæoti 4. parte.*

Verum; ut illud, quod ex conformi ſacrarum ceremoniarum uſu in cultu divino provenit, decorum ſervetur, & ea evitentur incommoda, quæ ex varietate hujuſmodi oriuntur. Curati omnes hujus provinciæ tam ſæculares, quam regulares, in ſacramentis adminiſtrandis, præſcriptam in rituali Mexicano formam teneant, quouſque a *ſede apoſtolica* rituale ad uſum univerſalis eccleſiæ evulgetur. Si qui vero aliter ſacramenta adminiſtraverint; tamquam perturbatores eccleſiaſtici ordinis punientur.

## LIBRI PRIMI TITULUS VI.

*De ſacra unctione.*

§ I.

*Limenſe 3. act. 2. c. 13.*

VOLENS hæc ſynodus, iis incommodis, quæ in conferendo Indis confirmationis ſacramento, & fuerunt, & eſſe poſſunt, opportunum remedium afferre: ſtatuit, ac præcipit, ne quidquam pecuniæ, argenti, alicujuſve rei ſimilis, dum epiſcopi ſacrum chriſma miniſtrant ab Indis, vel ab aliis ulli petant, ut ad id offerendum eos inducant, immo potius pro gravitate, & auctoritate

Xx 2 epiſ-

ANNO CHRISTI 1585.

epiſcopalis dignitatis, candelas, & vittas quas A ſuſcepturi ſacramentum confirmationis deferre ſolent, indigentibus in eleemoſynam epiſcopi conferant.

§ II.

Peracto vero confirmationis miniſterio, vittæ omnes ad uſum ejus adhibitæ comburantur, ne poſtea prophanis uſibus deſerviant.

§ III.

Sed quoniam propter Indorum ignorantiam facile evenire poteſt, ut nulla habita ratione cognationis inter ſuſceptorem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem contractæ, hi in B gradibus prohibitis matrimonio ſe conjungant. Limenſe 3. act. 2. c. 7. Huic malo epiſcopi occurrentes in ſingulis Indorum oppidis duos ſuſceptores deputent, qui vel ſine ſuſpitione contrahendi matrimonium ſint, vel ſpiritualis cognationis rationes optime noverint, idque obſervetur donec epiſcopis hujuſmodi deputatio, Indis peritioribus factis, non amplius neceſſaria viſa fuerit.

§ IV.

Parochi item tam ſæculares, quam regulares, Indis, & ſervis ægrotis in mortis periculo conſtitutis, ſacramentum extremæ-unctionis miniſtrent, quod cum ſit a Chriſto domino ad C communem omnium ſalutem, ſine delectu perſonarum inſtitutum, omnibus fidelibus in articulo mortis devote petentibus tribuendum eſt. Parochi vero muneri ſuo ſatisfacere minime poſſunt, ſi medicinam animæ, & corpori tam ſalutarem ſuis ſubditis denegaverint.

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. de extrem. unctio. Mexic. 1. c. 64. Guadix. tit. 2. conſt. 41. Limenſe 3. act. 2. c. 26. conc. Trid. in doctrina de ſacram. extrem. unctio c. 1. 2. & 3.

§ V.

Quia vero graviter ægrotantes extremæ-unctionis ſuſcipiendæ cauſa, ad eccleſias, ſeu monaſteria deducere tutum non eſt, ne externus impulſus, aut mortem illis conciliet, aut ſaltim acceleret, miſeræ genti, & ab omnibus rebus inopi, conſulere volens hæc ſynodus, in D virtute ſanctæ obedientiæ curatis omnibus ſæcularibus, & regularibus præcipit, ne Indos, aut ſervos ægrotos, hujus rei cauſa, ad eccleſias, vel monaſteria, ullatenus ferri permittant. Immo curati ipſi officii ſui, & caritatis, qua erga proximos eſſe debent memores, ad ungendum infirmos, eorum adeant domos, quas prius decenti ornatu paratas eſſe curabunt. Si vero contra hoc decretum fecerint, probabili irregularitatis periculo ſe exponi intelligant, & quam ſint, de morte proximi ob eorum inhumanitatem ſecuta, rationem Deo reddituri, animadvertant.

§ VI.

Epiſcopi vero tantum ſcelus acerrime vindicari ſtudeant, ut tam immanis, & barbara conſuetudo, & non ſolum ab eccleſiaſtico, & religioſo homine, ſed ab homine prorſus aliena, radicitus extirpetur, funditusque tollatur.

ANNO CHRISTI 1585.

§ VII.

De ætate ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum ea regula ſit, ut quibus per ætatem licet euchariſtiam ſumere, eiſdem etiam liceat ſancto infirmorum oleo inungi.

§ VIII.

Ii tamen, qui ægrotorum curam habent, admoneantur, ut opportuno tempore, a parocho deferri extremam-unctionem procurent, ſicque infirmus dum integris eſt ſenſibus ungatur, ut vim ſacramenti corpori, & animæ ſalutarem, dum compos ſui eſt, intelligere valeat.

§ IX.

Ad ſacrorum canonum obſervationem, & ne in eccleſiis ſanctum chriſma, catechumenorum, & infirmorum oleum unquam deſit, jubet hæc ſynodus, ut in ſingulis annis infra quindecim dies, a feria quinta in cœna domini, quo die hæc, vertente anno, conſecrantur, immediate numerandos, vicarii omnes, & ſinguli hujus provinciæ perſe, vel per clericos ſacro ordine initiatos, ad civitatem ubi eſt ſedes epiſcopalis conveniant, & quod in ſacriſtia cujuſlibet cathedralis eccleſiæ diſtribuitur ſanctum chriſma, & oleum, quantum omnibus diſtrictus ſui parochis ſufficiat, inde afferant. Nemo autem infra præfixum tempus id facere omittat, ſub pœna pondo quinquaginta. Curati autem reliqui, cum locum ubi vicarius reſidet adeant, vel eo clericos in ſacro ordine conſtitutos mittant, ut ſanctum chriſma, & oleum in ſuas parochias inde reportent, ſub pœna pondo octo fabricæ applicandorum. Is autem, qui vel in cathedrali, vel oppido, ubi vicarius reſidet, chriſma, & oleum diſtribuit, nihil quidquam pro his diſtribuendis accipiat, librumque ſecum habeat, ubi cum die menſe, & anno nomina eorum inſcribat, qui ab eo chriſma, & oleum ſumpſerunt, ſub pœna duorum pondo, ad uſum fabricæ eccleſiæ.

§ X.

Curatis quoque omnibus præcipitur, ut chriſma, & oleum hujuſmodi frequenter renovare ſtudeant, eamque in renovando formam ſervent, ut minor ſemper olei quantitas addatur, quam reliquum fuerat. Si vero aliquid chriſmatis, vel olei anni proxime præteriti, cum novum defertur, ſuperfuerit, illud comburatur, vel in fontem baptiſmalem ſpargatur; a die vero feriæ quintæ in cœna domini impoſterum, antiqui chriſmatis, & olei catechumenorum uſus E ceſſet, ſub pœnis a jure decretis, nec ſabbato etiam majoris hebdomadæ ad fontes antiquum oleum adhibeatur, ſed novum exſpectetur. Conceditur autem, ut ſi quis mortis periculo laboraverit, oleo infirmorum præteriti anni ungatur novi olei copia adhuc non habita. Cujus rei cauſa, a feria in cœna domini infirmorum oleum aſſervari poterit, quo uſque novum pervenerit, & deinde conſumi.

Granat. tit. de ſacra. extr. unct. & Milan. 1. p. conſt. parr. chor.

§ XI.



ANNO CHRISTI 1585.

§. XI.

Mexic. 1. c. 93.

Ad cuſtodiam vero ſancti chriſmatis, & olei, locus clauſus cum decenti ornatu deputetur, cujus clavem parochus habeat, nec cuiquam tradat, niſi alicui ſacerdoti cum opus fuerit. Quo loco rituale etiam miniſtrandorum ſacramentorum formam præſcribens aſſervabitur.

LIBRI PRIMI TITULUS VII.

*De clericis peregrinis.*

§. I.

SUMMIS a Deo precibus efflagitare epiſcopi deberent, ut eos in meſſem ſuam operarios mitteret, qui divinæ voluntati conformes ſalutem animarum ſitirent, non quæ ſua ſunt quærentes, ſed quæ Jeſu Chriſti. Verum quod eſt omni lacrymarum fonte plangendum, ſacerdotes aliqui, non pietatis zelo, ſed æſtu quodam avaritiæ flagrantes, incertis ſedibus vagantur, & ovibus ſibi commiſſis, derelictis, eo avide confugiunt, ubi majus ſtipendium temporalis lucri proponitur. Cui eam gravi malo Tridentinum concilium occurrere volens præcipit, ne ullus clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui ordinarii literis (quas tamen ſine juſta cauſa ordinarius non deneget) ab C ullo epiſcopo ad divina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda recipiatur, quod tam ſanctum concilii decretum hæc ſynodus inviolabiliter obſervari vult, ſub pœna ſuſpenſionis arbitrio ordinarii. Interdicit quoque, ne ullus vicarius, ſeu judex eccleſiaſticus, clericis hujuſmodi celebrandi licentiam concedat, niſi eorum facultates, & literæ dimiſſoriæ diligenter prius examinatæ comprobentur. Idemque injungit ſuperioribus ordinum in ſuis domibus, aut monaſteriis. Itidem jubetur, ut ſi qui clerici ex Hiſpania, aut aliis remotis provinciis, in has Indiarum partes migraverint, mulieres ſecum, matrum, ſororum, & conſanguinitate propinquarum nomina deferentes, D niſi id ita eſſe legitime conſtiterit, a mulieribus hujuſmodi ſeparentur, ſi vero ſeparati non paruerint, tanquam concubinarii publice puniantur.

Seſſ. 23. c. 16. & ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis, & evitandis in celebr. miſſarum. Mexic. 1. c. 45. & Guad. tit. 2. conſt. 54. Milan. 1. tit. quæ pertinent ad celebr. miſſæ, verb. clericis, & Gran. tit. de cleric. peregr. ſynod. de Quiroga conſt. 57. Limenſ. 3. act. 3. c. 9. Mexic. 1. c. 37.

LIBRI PRIMI TITULUS VIII.

*De officio judicis ordinarii, & vicarii.*

§. I.

UT epiſcopi populum a Deo ſibi commiſſum, quibus opus eſt prudentia, & ſolicitudine, gubernent ac moderentur, atque ut facilius orationi vacent, doctrina paſcant gregem, & ſaluti conſulant animarum, vicariorum opere indigent, quos in partem ſolicitudinis, præſertim carum rerum, quæ fori judicialis ſunt, ſibi aſciſcant. Quamobrem, vicarios hujuſmodi hæc ſynodus vehementer hortatur, ut quam ſit eorum induſtria, ad populi Chriſtiani gubernationem neceſſaria, intelligentes ſuo muneri ne deſint, ſed in eo obeundo, omne ſtudium, operam, & diligentiam collocent: quod ut commodius præſtent, has, quæ ſequuntur, regulas obſervabunt.

Granat. tit. de offic. judicis ord. Guadix tit. 8. conſt. 11. 12. 13. & 14. Milan 4. 3. par. tit. de foro epiſc. & 5. tit. de epiſc. & epiſcopali jure.

§. II.

In primis, officiales, vicarii, & judices eccleſiaſtici omnes hujus provinciæ id potiſſimum curent, ut injuncta ſibi in literis commiſſionis & poteſtatis exequantur. Tempore etiam, quo hæc officia exercent, diligenter, integre, & recte ſe gerant. In omnibus Dei honorem ſibi proponant, communem ſubditorum utilitatem quærant, & partium unicuique jus ſuum tribuant. Coram ſecretario epiſcopi jurejurando ſe obſtringant, quod ſacrorum canonum, & concilii Tridentini decretis, hujuſque ſynodi conſtitutionibus ſtabunt. Quod eccleſiaſticam juriſdictionem, immunitatem eccleſiarum, & earum miniſtros tuebuntur atque defendent. In locis, ubi ſuis fungi debent officiis ſemper reſideant, officiaque hæc per ſe ipſos obeuntes, & non per ſubſtitutos, nequaquam abſint feria ſecunda quarta & ſexta cujuſlibet hebdomadis ab octava ad decimam horam pro tribunali ſedentes, cauſas audiant. Si vero in hos dies feſtum inciderit, in ſequenti die, feſto non impedito, audientiam faciant. Ad locum vero ad id deputatum eccleſiaſticæ curiæ miniſtris comitati procedant. Ipſis vero officialibus, ad dies tantum octo abſentibus, nullam cauſam definitiva ſententia determinare valeant, nec in cauſa aliqua, interlocutoria ſententia quidquam ſtatuant, quod per diffinitivam ſententiam reparari non poſſit. Quidquid ſecus factum fuerit, irritum, & inane decernitur.

§. III.

De quibuſcumque cauſis, ad juriſdictionem ordinariam ſpectantibus, & tamquam apoſtolicæ ſedis ſubdelegati, de his, in quibus epiſcopi, a concilio Tridentino, ejuſdem ſedis delegati conſtituuntur, ſi eis ab epiſcopo ſpecialiter commiſſæ fuerint, cognoſcere poſſint, cauſaſque hujuſmodi, niſi ſpecialiter epiſcopo ſoli fuerint commiſſæ, aut has eas epiſcopus ad ſe avocaverit, vel ex hujus ſynodi decreto, eidem reſervatæ fuerint, terminare valeant. De his etiam cauſis cognoſcant, quæ per viam appellationis coram epiſcopo ſunt tractandæ.

§. IV.

Quoniam epiſcopi, jure, & expreſſo concilii Tridentini decreto tenentur officialem vicarium generalem conſtituere, qui doctor ſit, vel licenciatus in jure canonico, vel alias quantum fieri poterit idoneus ad cauſas, in foro judiciali decidendum, quem pro officii ſui ratione commode ſuſtentare debent, & quia officiales hujuſmodi, pro videndis actis, ſalarium forſan a partibus litigantibus recipere volent, ſtatuit E hæc ſynodus, ne quidquam pro his accipiat, niſi parte, aut partibus petentibus juriſperitum unum, vel plures ſibi adjungi, quos de cauſa conſulat, ac de eorum conſilio ſententias ferat. Quia vero evenire poteſt, ut pars, vel partes id petentes, quibus incumbit horum aſſeſſorum ſalaria perſolvere, eoſdem pretio corrumpere poſſint, ſtatuit, ac præcipit eadem ſynodus, ut ſalaria aſſeſſori hujuſmodi a judice provide moderentur. Eaque aſſeſſores per ſe, vel interpoſitas perſonas, ante deciſam cauſam, a partibus non accipiant, nec quidquam amplius, quam quod fuerit moderatum, ſub pœna reſtitutionis in quadruplum.

Seſſ. 24. c. 16. & jure communi ex. in cap. de conſang. & affinit.

Mexic. 1. c. 84. Guadix tit. 8. conſt. 14.

Sententiam vero ſuam clauſam, & ſigillatam, ad judicem mittat aſſeſſor, eamque partibus nequaquam tradat, aut ex eo, quod partium intererit, teneatur. Prædicta vero pœna, fabricæ eccleſiæ, & piis operibus æque diſtribuatur. Sportulas alias non exigant, quam quæ ſunt ab hac ſynodo taxatæ. A partibus coram eis litigantibus, aut quæ probabili conjectura litigaturæ creduntur, dona, aut munera etiam eſculenta per ſe, aut familiares, conſanguineoſve ſuos, officio durante, vel poſt, ex promiſſione, tempore officii prius facta, non accipiant, etiamſi ea data ſponte fuerint, vel promiſſa ſub pœna reſtitutionis in quadruplum. Quod judicibus vicarii foraneis, ſub eadem quoque pœna etiam imponitur.

## §. V.

In cauſis coram ipſis pendentibus, ipſi cognoſcere poſſint. Arbitri juris, aut arbitratores non ſint, neque hac de cauſa pro ferendis ſententiis, videndis actis, aut alias quidquam accipiant, Qui vero contra fecerint, ultra pœnam reſtituendi duplum, aliter etiam puniantur: idque vicarii etiam obſervent.

## §. VI.

Notarii, aut alii eorum miniſtri, in cauſis, in quibus ad fiſcalis inſtantiam procedetur, nihil ab reo exigant, ratione ſcripturarum, ſive actorum, pro parte ad fiſcalem ſpectante, niſi reus per ſententiam in expenſis fuerit condemnatus, eaſque tunc juxta taxationem petant. Si vero condemnatio hujuſmodi non præceſſerit, cum ex officio ad hæc conficienda teneantur, nihil exigere poſſint. Quod ſi notarius, & judex aliter, quam ad præſcriptam formam expenſas a reo petierint, in duplum eaſdem reſtituant.

## §. VII.

Teſtes vero pro ratificatis non habeant, etiam de voluntate partium, in cauſis ubi pœna corporalis, exilii quoque, aut ſolennis pœnitentiæ futura ſperatur, ſub pœna ratificandi teſtes ſuis impenſis ſi opus fuerit, judex autem teſtibus non ratificatis, ſententiam minime ferre poſſit.

## §. VIII.

Peculiari ſolicitudine ſtudeant vitia publica, veluti ludos illicitos, concubinatus, blaſphemias, uſuras, & hujuſmodi alia prohibere, & hæc perpetrantes acriter punire. Quod ut conſequatur effectum, dominica prima quadrageſimæ in quolibet anno generales literas excommunicationis expediant, procedendo uſque ad anathematis declaratorias, eaſque publicare faciant, tam in cathedrali, quam in parochialibus eccleſiis, ac monaſteriis, quæ poſtquam publicatæ fuerint, in eccleſiæ januis affigantur. Ad oppida etiam, ubi Hiſpani degunt, & ad fodinas literæ eædem mittantur, ibique itidem publicentur, ut omnes, & quicumque, de hujuſmodi delinquentibus notitiam habuerint, cenſuris compellantur eoſdem denuntiare coram epiſcopis, vel parochis, & coram notario publico, ut id legitime conſtet, quæ [illegible], de delictis notoriis, & publicis dumtaxat, diſpoſita intelligantur; edicta vero, ſeu literæ generales hujuſmodi juxta ſeriem diſpoſitam, & approbatam expediantur: quæ in quantum concubinariorum delicta reſpiciunt, prima etiam dominica adventus publicentur.

## §. IX.

Tametſi epiſcopi, ſubditorum delicta clericorum, & ſacerdotum maxime, quos aliis in exemplum vitæ Deus poſuit animadvertere debent, nihilominus ſacerdotalis ordinis honori proſpicere valde tenentur, & in puniendis clericorum delictis, prudenter ſe gerere, ne ſi id nimis publice fiat, ipſi ſimul cum eo, quo funguntur, divino miniſterio contemnantur. Quapropter hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ut cauſæ graves clericorum hujus provinciæ, & quoad modum procedendi, & quoad cuſtodiam carceris ſecreto agitentur, & terminentur. Item ut judices ad cauſam hujuſmodi notarios clericos, ſi fieri poterit, adhibeant. Hæc autem omnia, tum locum habeant, cum delictum tale, & tam publicum non fuerit, quod majori non egeat remedio. Qua in re conſcientiæ judicum onerantur, ut in his omnibus eum modum ſervent, quo, & clericali dignitati conſulant, & delinquentes pro meritis ſupplicio afficiantur. *Mexic. i.c. 11.*

## §. X.

Librum habeant, in quo ſummatim, ſacrilegiorum, reſtitutionum, & fiſcales cauſæ ad memoriam deſcriptæ ſint. Ad hujus vero libri præſcriptum in fine cujuslibet menſis, miniſtris & notariis, ſibi reddi rationem petant de præfatis cauſis, & de earum ſtatu: & quod magis ſingulis cauſis conveniens ſit provideant, eoque in libro, ut ſcribatur quidquid providerint efficiant, atque miniſtros hujuſmodi de commiſſis negligentiis reprehendant, in eoſque accurate animadvertant. In fine etiam menſis prædicti notarius de hac coram eo adhibita diligentia fidem faciat, & officiales binis quoque menſibus juxta prædicti libri formam epiſcopo referant quid geſtum ſit, quidve non, quidque negotiorum hujuſmodi expeditioni convenientius, & opportunius eſſe videatur, ſub pœna quatuor pondo quoties id omiſſum fuerit, & epiſcopi hujuſmodi relationi ſibi in ſcriptis factæ ſe ſubſcribant, librum vero hunc officiales apud ſe retineant, ad cujus præſcriptum, cum eos epiſcopus viſitaverit, de negotiis hujuſmodi inquirantur. Admonentur prætérea, ut etiamſi ab ipſis cauſæ deciſæ ſint, ſi ulterius in gradu appellationis procedatur, promotorem fiſcalem ad cauſarum hujuſmodi proſecutionem inſtanter hortari non deſinant.

## §. XI.

Judices nec recipiant, nec apud ſe retineant mulctarum, ſive pœnarum pecunias operibus piis applicatas, ſub pœna reſtituendi quadruplum, ſed hæ notario cauſæ, eo ipſo, quod exactæ ſint, commendentur, qui infra diem ſuſceptori, per epiſcopum cum debitis fidejuſſoribus in tribunali ſuo diſputando, eas conſignare teneatur ſub pœna ſolvendi duplum. Pecuniarum autem hujuſmodi conſignationem, in libro ſuſceptoris notarius ſcribat, & manu propria ſuſceptor, ſibi conſignatas eſſe etiam ſcribat, ſeque ſubſcribat, ut epiſcopi arbitrio hæc in pia opera diſtribuantur. Idemque quoad pœnarum pecunias recipiendas, & alii miniſtri, ſub eiſdem pœnis ſervare teneantur. *Concil. Toletan. Actio. 2. c. 14.*



## §. XII.

Præcipitur etiam judicibus, ut in cauſis civilibus, criminalibus, matrimonialibus, & aliis ordinariis quibuſcumque, ante diffinitivam ſententiam, bis acta perſpiciant: primo quando partes ad probationem admittunt: [a] ſecundo ſibi traduntur ad proferendum in cauſa definitive: ſummaria vero quo tempore ferenda ſententia eſt, videant; accurate autem perpendant; an in eis quoad ſuam formam, omnia ſervata ſint, actaque, & actnata pront de jure expedit & in hac ſynodo, cavetur titulis de ordine officiorum, & de officio notarii. Si vero quidquam horum deſit, ſportulæque, aut ſalaria percepta, deſcripta in actis non ſint, ea juxta formam juris deſcribi faciant, notariorumque, aut miniſtrorum curiæ negligentias circa hæc, puniendo corrigant. Pro licentiis, ſeu facultatibus ad exercitium alicujus ſacramenti, vel ad eſum carnium in diebus quadrageſimæ, aut aliis, quibus prohibitus eſt, nihil quidquam accipiant. Has vero niſi in ſcriptis, & ad limitatum tempus, cauſaque bene examinata, & licentia præcedente corporalis medici, ubi [b] habere poterit, non concedant, nec in caſibus ab hac ſynodo prohibitis, ſub pœnis ab eadem ſtatutis.

[a] *Forte*, Secundo quando ſibi. H.

*Granat. de offic. jud. ordin. n. 13.*

[b] *Forte*, haberi. H.

## §. XIII.

Jubetur præterea, ut judices acta in cauſis ordinariis coram eis facta bis taxent. Primo, quando partes ad probationem admittunt. Secundo, tempore ferendæ ſententiæ, medioque decreto declarent, quid advocatis, & notariis debeatur, quidve ad eos pertineat, ſuoque ſigno notent, ut partibus, vel earum procuratoribus liquido conſtare poſſit. Sin minus fecerint, judices pondo duo de Tipuzque dicta, in pœnam perſolvant, eaque piis operibus applicentur. Taxent etiam acta cauſarum, quæ coram eis in gradu appellationis agitabuntur, probationeſque etiam quaſcumque, & ſcripturas alias, quoad earum partes, & lineas juxta legum regni diſpoſitionem, & ad taxationem prædictam ſalaria hujuſmodi ſolvantur. Quod vero notarii, aut commiſſarii ultra taxationem receperint, in calce decreti jubeant reſtitui, ſub pœna jam dicta. Officiales taxam, & ſalariorum omnium curiæ miniſtrorum manu epiſcopi ſubſcriptam clare inſcriptam, tabulæ affixam, & in aula [c] judicis deputata, poni faciant, ut ibi commode ab omnibus legi poſſit. Taxa vero ea ſolummodo ſit, quæ eſt ab hac ſynodo conſtituta.

*In leg. 13. tit. 20. lib. 2. & leg. 1. tit. 27. lib. 4. recopil.*

*Conc. Mila. 3. fol. 601. 1. pag. in principio.*

[c] *Forte*, judicis. H.

## §. XIV.

Librum habeant, in quo delinquentes condemnatos ſub comminatione ſi in idem delictum ulterius reinciderint, & eos, qui talia commiſerint crimina, quæ ſi iterum perpetrentur, majori ſupplicio digna fiunt, appoſite deſcribant. Notarius vero, apud quem ſententia lata eſt, manu propria in libro ſcribat qua pœna reus damnatus fuerit, die, menſe, & anno ibidem appoſitis, & quod acta, & proceſſus cauſæ apud eumdem remaneant, ſeque ſubſcribat, quo delinquendi conſuetudo facilius tolli poſſit.

## §. XV.

In cauſis, in quibus ex officio procedunt, poſtquam fiſcalis teſtes nominaverit, caveant, ut ſuſceptor fiſcali ſubminiſtret pecunias, quibus poſſit, teſtibus ad ferendum teſtimonium venturis ſumptus præbere competentes, idque in actis redigatur: tempore vero quo expenſas taxabunt, faciant ſibi a fiſcali rationem reddi ſumptuum erogatorum hujuſmodi, quos etiam taxent, & ex taxatione, eos fiſcalis a reo recipiat, ſuſceptorique reſtituat, aut quid cauſæ fuerit, quominus reſtituturus ſit, exponat.

## §. XVI.

Officiales, ſaltem ſemel in hebdomada, ſecunda, aut ſexta feria poſt meridiem, vel hora ſibi magis commoda, carcerem viſitent, eiſque in comitatu ſint notarii deferentes acta detentorum in carceres procuratores quoque, & promotor fiſcalis, quorum ſi quis abſens fuerit pondo uno mulctetur, in uſus eorum, qui in carcere ſunt convincti. In viſitatione vero id præſtent, ut de vita, honeſtate, & moribus eorum, qui carcere incluſi tenentur, inquirant, feminarum impudentias reprimant, dejerantes, illicitoſque ludos exercentes puniant. Exquirant præterea, an cuſtos carceris a vinctis injuria quidquam extorqueat, unumquemque, de ſuo jure eos certiores reddere volentem, libenter audiant. Si ab aliquo reo confeſſio petenda eſt, aut aliud quid ſimile agendum, id ne omittant.

## §. XVII.

De vinculis, & his, qui vinculis alligati tenentur, interrogent, an ſine cauſa per cuſtodem crucientur, aut ſine mandato dimittantur, inquirant, & tandem his omnibus, quæ opportuno egent remedio, prudenter, & accurate illud præſtent.

## §. XVIII.

In vigiliis feſtorum paſchalium, vel duobus ante diebus, epiſcopi, præſentibus eorum officialibus, & aliis miniſtris, carcerem viſitent, prout etiam ab hac ſynodo ipſis injungitur, in titulo de epiſcoporum officio. *Infra lib. 3. tit. 1. §. 20.*

## §. XIX.

Si notarius aliquis, vel mortem obierit, vel officio ſuo fuerit privatus, acta, & ſcripturarum protocolla ab eo confecta, accurate cuſtodiantur, ut habetur in titulo de officio notarii. *§. 24.*

## §. XX.

Curiæ miniſtri munera etiam eſculenta, mutuum, & commodatum, ne accipiant, nec eoſdem ad ſuos contractus fidejuſſores adhibeant. Judiceſque hujuſmodi quantumvis ſint probatæ fidei, ante elapſum tempus a fidejuſſoribus compelli poſſint ad eos indemnes ſervandum, vel perſolvendum totum id, pro quo ſe fidejuſſores conſtituerunt, ac ſi ab ipſis illud jam eſſet perſolutum. Litigatorum operis, niſi

*Mil. 1. fol. 601 verb. nullum, neque munus, & 1. fol. 782. verb. illud præterea.*

ANNO CHRISTI 1585.

niſi ſoluta mercede non utantur, & in ſportulas ſibi debitas computantes. De ſuis ſportulis, & ſalariis, vel de negotiis ſibi commiſſis nihil paciſcantur, ſed ea pure ſincereque agant. Si vero ullatenus quidquam acceperint, in duplo reddant.

§. XXI.

Cum crimen quis confitetur, vel ſponte, vel alias, & cum injuriæ eccleſiæ, vel clericis inferuntur, etiamſi illæ a partibus ſint condonatæ, promotores fiſcales citentur, ut cum ob culpam, quæ in delictis major comperiri poteſt, tum ob immunitatem, & juriſdictionem eccleſiaſticam tuendam de jure ſuo dicant, niſi, epiſcopo conſulto, judex aliter decernat.

§. XXII.

Seſſ. 24. c. 7.

Statuitur etiam, ac jubetur juxta concilii Tridentini decretum, ne officiales facultatem contrahendi matrimonium peregrinis concedant, niſi conſtet, eos alibi matrimonio conjunctos non eſſe, nec legitimo impedimento teneri, quominus matrimonium contrahant. De hoc autem ab his inquiratur, qui ante contrahere volentes bene cognoverint, niſi attenta ætate ejus, qui ad matrimonium recipi cupit, judici videatur de longiori, vel breviori tempore inquirendum. Ad inquiſitionem autem hujuſmodi, ſi opus ſit, officialis literas det requiſitorias, ex quibus, in partibus, ubi contrahentes ſint orti, inquiſitio fiat, denunciationibus publice factis ad præſcriptum ſacroſancti concilii Tridentini: præterea contrahentes juramento declarent, ſe nullo religionis, vel caſtitatis voto obligari. Qui vero abſentem conjugem obiiſſe dixerit, contrahendi facultatem non obtineat, niſi, hoc ſufficienter probato, epiſcopum adeat, de cujus permiſſu, & non alias, ad ſecundas nuptias ſuſcipiatur, ſub pœna pondo centum expenſis, pro adminiſtranda juſtitia, faciendis applicandorum.

Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrim. Guadix tit. 2. conſt. 57. & Granat. tit. de cogn. ſpirit. n. 2. ſynod. de Quiroga conſt. 51.

§. XXIII.

Lib. 5. tit. 5. §. 6.

In crimine concubinatus inter clericum, & conjugatam, is ordo in procedendo ſervetur, qui ab hac ſynodo titulo de concubinariis eſt præſcriptus.

§. XXIV.

Vicarii de his ſolum caſibus, qui ſunt in mandatis, & commiſſionibus ſuarum poteſtatum comprehenſis, ac juxta præſcriptam ibi formam cognoſcant; ſi ſemel contrarium fecerint, pœna pondo octo incurrant, quorum tertia pars delatori, reliqua impenſis pro adminiſtranda juſtitia faciendis applicentur. Si bis, pondo duodecim; & duorum menſium ſuſpenſione. Si ter, duplo mulctentur, itidemque fiat diſtributio. In iis autem negotiis, quæ ad eorum juriſdictionem non ſpectant, judices fiſcales, & officiales, ut ſupra præfertur, commoneant, & imminenti periculo aut rei neceſſitate poſtulante proceſſum inchoent, inquiſitionem faciant, perſonaſque capiant, & infra triginta dies, in locis diſtantibus, in propinquis vero, quo citius fieri poterit, per aliquam perſonam, quæ ad id diligenter ſe

Granat. tit. de officio ordin. n. 12.

obſtringat, cauſas hujuſmodi, ad officiales remittant, ſine retardatione, ſub pœna pondo quatuor de Tipuzque vocatorum, & ſine diſſimulatione ſub pœna pondo viginti, & privationis officiorum, ratione præſcripta applicandorum. In cauſis matrimonialibus, aut divortii ratione ſævitiæ, aut ſecundarum nuptiarum imminente periculo, uſque ad depoſitum procedant, illaſque pro ut ſupra dictum eſt remittant, ſub eadem pœna.

§. XXV.

Si facultas petatur, qua clericus in ſacro ordine conſtitutus, coram judice ſæculari teſtimonium dicere poſſit, ne detur priuſquam ea, de quibus interrogari debet, examinentur; quæ ſi talia viſa fuerint, ut ad omnia reſpondere clericum teſtem non deceat, quo ad peculiares tantum articulos, qui in ea expreſſi ſint, limitata facultas concedatur, & non aliter ſub pœna quatuor pondo.

§. XXVI.

Nullus officialium prædictorum advocatus, ſolicitatorve ſit, clam aut publice in cauſis, quæ intra fines ſuæ juriſdictionis tractantur, in quibus, aut judex fuerit aut eſſe poſſit, niſi in concernentibus, ad ſuæ juriſdictionis, & ſtatus eccleſiaſtici defenſionem, & in his ſine mercede aliqua, & cum ſpeciali epiſcopi conſenſu.

§. XXVII.

Si vero quidquam mercedis, aut ſalarii acceperint, pœna reſtituendi quadruplum mulctentur, graviterque puniantur. Quod de vicariis etiam intelligendum eſt.

§. XXVIII.

Vicarii facultates prædicandi, confitendi, ſacrum celebrandi, eleemoſynas petendi, aliaſve quaſcumque ab epiſcopis, & ſuperioribus conceſſas examinent, ut earum veritas, vel falſitas conſtet, antequam executioni mandentur.

§. XXIX.

Quia vero ſacerdotum probitas, vitæque exemplum, & in ſuis obeundis miniſteriis accurata diligentia, populi peccatis ſalutare medicamentum eſt, quo eorum cura juvetur, ſtatuit, ac præcipit hæc ſynodus, ut vicarii nomine provinciales, in ſingulis diœceſibus deligantur, unus, vel plures, pro ut videbitur epiſcopo magis expedire, eiſque certos diœceſis ſuæ diſtrictus præfiniat. Hi autem de vita, & moribus clericorum ſibi ſubditorum inquirant, & ad epiſcopos, aut ad eorum vicarios generales deferant, ſtatuto tempore, cum libellos miſerint, in quibus nomina eorum, qui peccata ſua confeſſi ſunt, inſcribantur. Si vero clericorum exceſſus tales ſint, ut nullam dilationem patiantur, delinquentium expenſæ, epiſcopo ſine mora nuncientur, mittanturque ſimul informationes ſuper eis factæ.

§. XXX.



ANNO CHRISTI 1585.

§. XXX.

Mexic. 1. c. 57. §. 1. & 2. & Limenſe 3. act. 3. c. 9.

Vicarii in maritimis hujus provinciæ partibus reſidentes, diligenter curent, ne clerici, qui ex Hiſpania, aut aliis provinciis eo proveniunt, ad ſacrum celebrandum, aut ad ullum ſacramentum adminiſtrandum recipiantur, niſi titulis, dimiſſoriis, literis, licentiiſve ſuorum epiſcoporum, majeſtatis catholicæ, aut ejus proregum & gubernatorum pro ratione provinciæ, unde profecti ſunt, optime examinatis. Si vero merces ſecum habeant, afferantve alia, quæ negotiationem ſapiant, inventario confecto, alicui probato viro in depoſitum dentur, & quam primum de hac re epiſcopus certior fiat, ut quod ſibi convenientius viſum fuerit decernat. De clericis itidem, qui in Hiſpaniam naves conſcendunt, inquirant, ſi licentiam a prælatis ſuis obtinent. Si ſuſpectos ſibi comites navigationis adjungant, a quibus ſeparari oporteat. In his omnibus, ut diligenter ſe gerant, conſcientiæ vicariorum onerantur, alias pro ſua negligentia graviter a Deo ſe puniendos eſſe intelligant.

§. XXXI.

Concil. Limenſe 3. act. 3. c. 43. in finem.

Judices eccleſiaſtici omnes, accurate invigilent, ne feminæ noctu eleemoſynas oſtiatim quæritent, ſub prætextu pauperum erubeſcentium quod cum non ſine magno damno, & ſcandalo fiat, in ſecus facientes, ſevere animadvertant.

§. XXXII.

Nullus quoque judex clericis miſſas celebrandi, ſacramentave adminiſtrandi, licentiam tribuat, niſi prius eorum literæ dimiſſoriæ, ſeu teſtimoniales probe examinatæ, legitimæ eſſe comprobentur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

§. XXXIII.

Mexic. 1. c. 51. & ſyno. de Quiroga conſt. 81. & Limenſe 3. act. 3. c. 9. & 10.

Religioſis etiam ſacerdotibus, extra ſuas provincias, aut monaſteria peregrinantibus, facultas eadem denegetur, niſi ab epiſcopo diœceſano licentiam obtineant, quam exhibere teneantur.

## LIBRI PRIMI TITULUS IX.

### *De officio fiſcalis, & jure fiſci.*

§. I.

Late Gran. tit. de offic. procuratoris fiſcalis, & ſynod. de Quiroga conſt. 111. 112. 113. Guadix tit. 3. conſt. 21. Milan. 1. tit. de cauſidicis, advocatis & fiſcalibus, & 5. tit. de procuratore fiſci.

PROMOTOR fiſcalis epiſcopali curiæ deputatus, officium antea non exerceat, quam in manibus epiſcopi, vel ejus ſecretarii juret, ſe in omnibus fidelem præbiturum; Dei honori, & animarum ſaluti proſpecturum, immunitatem eccleſiarum, bona eccleſiaſtica, & miniſtros defenſurum, cauſas eccleſiaſticas proſecuturum, eccleſiæ, & epiſcopi jura propugnaturum, ad idque probationes, & teſtes omni diligentia exquiſiturum.

§. II.

A parochis hujus provinciæ tempore, & ordine ab hac ſynodo, ut in titulo de officio ordinarii eſt, inquirat, de uſurariis, feneratoribus, de his, qui, priore conjuge adhuc vivente, alias duxerint, de illis, qui cum uxoribus non cohabitant, de aleatoribus, aleatorumque ſuſceptoribus, de blaſphemis, & de aliis delinquentibus, ad eccleſiaſticam juriſdictionem ſpectantibus, quos omnes in libro, quem ad uſum hujus rei habere debet, deſcribat; eoſque denunciet, cauſaſque hujuſmodi accuratius proſequatur. In fine cujuslibet menſis, acta in cauſis geſta, & earum ſtatum judici referat, & quod ſibi a judice injunctum fuerit, deinceps exequatur, idque judex in libro ſcribere faciat, atque ſubſcribat. Hæc vero ut fiant ſingulis menſibus fiſcalis curet, ſub pœna quatuor pondo, quoties omittentur.

§. III.

Sæpe nonnullorum ſæcularium, & clericorum delicta, temporis diuturnitate, & vitæ emendatione ab hominum memoria deleta ſunt, prave tamen affecti homines aliorum exceſſus memoria ſemper retinentes, clericos, & ſæculares hujuſmodi denuntiare ſolent, eo magis animo, ut eis moleſtiam inferant, ac infamiæ notam incurrant, quam ut æquitati conſulant. Cui malo remedium afferre volens, hæc ſynodus ſtatuit, & interdicit, ne fiſcales, qui nunc ſunt, vel erunt in poſterum, ſine partis inſtantia, quemquam ſæcularem, aut clericum accuſent, aut denuntient de crimine tres annos ante commiſſo, cum illud emendatione vitæ, hoc elapſo tempore, præſumatur compenſatum. Niſi delictum adeo grave, publicumve ſit, ut ordinario videatur abſque ſcandalo impune diſſimulari non poſſe, quo caſu etiam poſt annos tres a fiſcalibus delinquentes denuntientur, ut criminis gravitas ordinarii prudentia æſtimetur.

Mexic. 2. c. 80.

§. IV.

Mexic. 1. c. 78. & lex reg. 4. tit. 10. lib. 8. recopil.

Quia nemo eſt adeo natura moderatus; qui vel læſus, vel perturbatus affectu, ſaltem verbo proximum aliquando non offendat, cavendum eſt, ne clerici hujus provinciæ, parte injuriata non inſtante, ob leves verborum injurias in judicium vocentur, præſertim ad eas civitates, ubi judices, ſeu officiales reſident, cum ex tam longa diſtantia majus ſibi damnum inferretur, quam delicti pœna poſtularet. Quam ob cauſam clericorum hujus provinciæ utilitati, & honori conſulens, decernit, ac jubet hæc ſynodus ne officiales, vicarii, & alii judices eccleſiaſtici de levibus verborum injuriis ſine armorum ſtrepitu, aut ſanguinis effuſione dictis, ex officio contra clericum ullum inquirant, nec denuntiare permittant, nec contra eum procedant, nec eum in carcere detineant, aut ab eo mulctas exigant, pace jam inter partes inita. Idemque ſervetur cum quis in alium hæc convicia, & opprobria, quæ majora ſunt conjecerit, illum leproſum, ſodomitam, proditorem, hæreticum, aut eo convicii genere, quod vulgus cornutum vocat, appellando, vel mulierem conjugatam, adulteram, ſeu meretricem dicendo, & alia ſimilia contumelioſa verba, in quemquam protulerit conviciave, ut præfertur, parte non querelanti; Si vero de hic expreſſis conviciis partis offenſæ querela præceſſerit, etiam ipſa injuriam remittente, officiales, & vicarii, pro ut juris ſit procedant. Qui ſi aliquos curiæ eccleſiaſticæ fiſcales, ſive miniſtros contra facere compererint, quam eſt hoc decreto ſancitum, eos graviter puniant.

§. V.

ANNO CHRISTI 1585.

§ V.

Si damnati ex aliquo crimine, iterum in idem crimen inciderint, fiſcalis animadvertat, ab eiſque inflictæ mulctæ, ut exigantur curet; quod in viſitationibus fuerit conſtitutum, executioni mandari faciat, ſi a ſententia ſuper aliquo crimine, vel ſuper contentis in ſecundo decreto hujus tituli lata, provocatum fuerit, in appellatione proſequenda, & inſtantia illa terminanda invigilet. Si quid vero ad id opus ſit, ab epiſcopo petat, matura diligentia adhibita, ne ſi cauſa differatur criminibus, & offenſis in Deum, appellatio favere videatur. De quibus omnibus, ſub ſtatutis pœnis fiſcalis rationem reddat.

§ VI.

Cum aliquam cauſam ex officio fiſcales inchoaverint, eam ſine permiſſu judicum non deſerant, nec diſſimulent, nec ex pacto conveniant, nec colluſiones, prævaricationes, aliudve ſimile committant, ſub pœna pondo quinquaginta. Quod ſi cauſa poſtulaverit, gravius puniantur.

§ VII.

Ne in cauſis, quas agunt, aut quæ ab eis agendæ ſperantur, conventionem faciant, nec muneribus, aliiſve hujuſmodi corrupti, jura ad cauſas ſpectantia producere, & allegare deſinant. Quod ſecus ab illis ſit factum, irritum decernitur, & ſi quid ſemel acceperint, pœnæ reſtituendi quadruplum ſubjaceant; ſi bis duplo magis mulctentur, ſi ter officiis priventur, & pro rei gravitate aliis etiam afficiantur: Notarii vero ſi quid ſimile noverint, epiſcopis, eorumve judicibus, & vicariis annuntient.

§ VIII.

Ne a quoquam dona, munerave ſimilia, quamvis eſculenta ſint, vel ſponte data, vel ſalarii prætextu accipiant, nec quidquam a litigatoribus, aut ab illis, qui litigaturi ſunt creditori, emant, aut eis vendant, aut illorum operas in ſuos uſus conferant, ſub pœna reddendi duplum.

§ IX.

De exceſſibus ſibi denuntiatis quemquam ne accuſent, nec reus citetur, niſi delator pro ſua facultate cautionem præſtiterit de ſolvendo expenſas, & damna in a) cauſa, quo crimina denuntiata non probaverit; Quod ſi ſecus fecerint, damna, & expenſas hujuſmodi fiſcales perſolvant. Si vero delictum non probetur, & delator juſtam excuſationem non habeat, expenſas ſolvat, aliiſque a jure ſtatutis pœnis ſubjaceat. Delicta autem cum certis teſtibus, vel quia publica ſunt in vico, ubi delinquentes degunt, fiſcalibus annuntiata, ipſi inquirant diligenter, etiamſi delator cautionem non det, nec cauſam proſequi velit.

a) Forte, in caſu. H.

§ X.

Ne in clericum niſi probatio, aut infamia notoria præcedat, accuſationem, denuntiationemve faciant. Cum vero quemquam denuntiaverint, juramento declarent ſe doli, aut calumniæ id non facere. Quod ſi quem dolo, aut calumnia accuſaverint, idque conſtiterit, expenſas ſolvant, & arbitrio judicis puniantur.

ANNO CHRISTI 1585.

§ XI.

Accuſationes in ſcriptis producant, & quidquid officii ſui ratione petierint, neque eorum libellos, & acta aliter notarii recipiant, ſub pondo duorum pœna, a ſingulis contra facientibus exigenda, & his, qui in carcere eccleſiaſtico detinentur applicanda.

§ XII.

Licet citentur in cauſis de capellanorum onere moderando, fiſcales a capellano nihil accipiant, nec etiam pro cauſis, in quibus extracti ab eccleſiis, in eaſdem reſtitui, petatur quidquam ab his, qui reſtituti ſunt accipiant, quæ licet gratis facere debent fiſcales, nihilominus, omni cura & diligentia præfatas cauſas pertractent, ſub duorum pondo pœna.

§ XIII.

Cum in cauſis fiſcalibus ultra delicti pœnam, etiam in expenſis reus condemnabitur, fiſcalis expenſæ æſtimentur, eaſque juxta æſtimationem reus perſolvat, niſi in caſibus ab hac ſynodo prohibitis.

§ XIV.

Cauſas in quibus rei detenti in carcere, adhibita cautione, ante ſententiam latam liberari a vinculis permittuntur, fiſcales proſequantur, eaſque terminari faciant, ſub pœna pondo duorum ſingulis cauſis, ſi vero poſt ſententiam latam, id contingat, fiſcales procurent, ut forma, & ſeries ſententiæ ſervetur, ac mulctæ cameræ, vel piis operibus applicatæ in depoſitum dentur. Quod ſi in ejus rei executione, aliquid vel negligentiæ, vel culpæ ſit, illud ſub eadem pœna epiſcopo notum faciant.

§ XV.

Cauſis propere ad partes ſpectantibus, ne ſe intromittant, niſi judicis mandato, vel cauſis ab hac ſynodo expreſſis, ut ſunt Indorum cauſæ. Has vero, & alias ſibi ex officio incumbentes illicite ne differant, quoties vero ſecus fecerint, pondo duobus mulctentur.

§ XVI.

In cauſis, in quibus ex officio proceditur, teſtes contra eos producendos judici dicat, ut ipſe quidquid ad exhibendos teſtes opus fuerit ſtatim provideat, pro ut in titulo de teſtibus eſt diſpoſitum.

§ XVII.

Productis probationibus, & ratificationibus teſtium in cauſis, in quibus ex officio proceditur, curent fiſcales de aliis teſtibus ratificandis, ſi qui deſunt, omneſque alias diligentias adhibeant, prout a jure compererint, ſub pœna duorum pondo quoties id negligenter omiſerint in cauſa, cum ſola probatione ſummaria ne concludant; quando teſtes pro ratificatis haberi non poſſunt, quia pœna corporalis ſecutura ſperatur, niſi adſit confeſſio partis.



ANNO CHRISTI 1585.

§ XVIII.

Quando judex, aut vicarius publice cauſas audit, fiſcales ſemper aſſiſtant, quoties abſint, pondo unum perſolvant, ſine vicarii judicis permiſſu ne diſcedant, nec quemquam in ſui locum ſubſtituant, nec illum quem ad negotia extra civitatem deputaverint.

§ XIX.

Quid fiſcalis facturus quando capitula contra aliquem porrigantur, titulo de ordine judiciorum diſpoſitum eſt, quod ſervari jubetur. In cauſis, coram judicibus inferioribus ex officio tractatis, & in quibus ab interlocutoria, ſeu definitiva ſententia fuerit appellatum, ſi ipſi inferiores rationem cauſæ, & acta proceſſus ad judices ſuperiores remittant: fiſcales juſtitiæ eccleſiaſticæ exequendæ inſiſtant, litemque ſuſcipiant, ſalariaque jure advocati ſibi pertinentia percipiant a parte in expenſis condemnata, & non aliter.

§ XX.

Cauſas a judicibus ſibi notificatas, infra tres dies deſcribere in libro ſuo teneantur, & reos accuſare, aut denuntiare, ad præſcriptum in titulo de officio ordinarii, cauſæque hujuſmodi deinceps proſequantur, ut decretis hujus ſynodi, ſub pœnis in eiſdem contentis.

§ XXI.

Seſſ. 24 c. 8. ſeſſ. 25. c. 14.

Caute clericos de adulterio denuntient; notario clerico ſi ſit adhibito, adeoque ſecreto id fiat, ne ad mariti notitiam proveniat. Accuſatio vero contra adulterum ſolum detur, & in caſibus tantum ab hac ſynodo, titulo de officio ordinarii, & vicarii expreſſis, & ut eſt ad punitionem delicti, a jure canonico, & concilio Tridentino permiſſum. Adulteræ nomen ſupprimatur, quod verbo fuiſſet expreſſum in probatione. Notarius fidem faciat, niſi ſciente, & conſentiente marito, delictum fuerit perpetratum. Tunc enim omnes accuſentur, & ut ſevere puniantur, fiſcales omnem operam præſtent, expenſas ſuas juxta præſcriptam taxam, nec aliter, quam ſe ſubſcribentes percipiant; ſub pœna reddendi duplum.

§ XXII.

Præſente reo infra tres dies querelam dare teneantur, ſin minus, eorum impenſis rei alantur.

§ XXIII.

Reliqui inferiores fiſcales, & executores eccleſiarum, extra epiſcopalem curiam reſidentes, ſedulo inquirant, qui ſacrum non audiant, aut feſta non colant, aut in eccleſia irreverenter aſſiſtant, qui publice peccatis ſordidati, & aliis vitiis, in edictis generalibus, & titulo de feriis expreſſis contaminati ſint. Videant etiam ſi tabernæ, cauponæ, aliæve publicæ domus apertis januis patent, in eiſque eſculenta, & poculenta, feſtis diebus dum miſſarum ſolennia celebrantur, divenduntur. Si decretis precibus in proceſſionibus decenter incedunt. Quidquid vero in his omnibus culpæ invenerint, vicariis nuntient, ut quod ſibi injunctum eſt, exequantur. Ne in his negligenter ſe gerant, aut cum aliquo colludant, aut pecuniis directe, vel indirecte corrumpi patiantur, nec dona, aut munera, aliudve quidquam ab hominibus ſui diſtrictus accipiant, ſub pœna reddendi in quadruplo, & a judicibus arbitrio ſuo uſque ad privationem officii puniantur.

ANNO CHRISTI 1585.

§ XXIV.

Ne fiſcales prædicti, quovis quæſito colore, cavillationes quærant, ut de rebus leviſſimis, & nullius momenti denuntiationes dent, nec eas judices, aut vicarii admittant: quod ſi commiſerint, tanquam calumnioſi accuſatores pœnas luant.

## LIBRI PRIMI TITULUS X.

*De officio notarii, & de fide inſtrumentorum.*

§ I.

NOTARII eccleſiaſticorum tribunalium hujus provinciæ, & tabelliones, qui receptores vocantur, ante ne accipiantur, quam epiſcopis, eorumque judicibus fidelitatem, & obedientiam jurejurando promittant, itemque jurent, ſe decretis ab hac ſynodo editis obtemperaturos, neque jure ſalarii, quidquam aliud accepturos, quam quod fuerit taxatione præfinitum. In loco ad audiendum cauſas deputato, per tres ante meridiem horas, treſque alias poſt meridiem ſaltem aſſiſtant, ibique ipſimet per ſe negotia cum judicibus expediant. Quoties ſtatutis curiæ diebus abſint, pondo uno mulctentur, quod ſi ex juſta cauſa adeſſe non poſſint, de ea judices certiores faciant.

Guadix tit. 8. a conſt. 15. Granat. de offic. notarii, & fide inſtru. Milan. 1. tit. de notariis, & ſcribis: & 3. ſol. 603. cum ſeqq. & 4. 3. p. tit. de foro epiſcopali, & 5. tit. de cancellario, & notariis, & tit. quæ gratis in cancellario.

§ II.

Notarios, quos vicarii in caſibus ſuæ juriſdictionis, & commiſſionum adhibere debent, ante ab epiſcopo, examine probentur, juxta concilii Tridentini decretum, nec priuſquam ab epiſcopo in ſcriptis facultatem deferant, acta ulla recipiant, quod ſi receperint, irrita ſint, & nulla. Vicarius vero, qui huic decreto non ſteterit, quoties contravenerit pondo octo mulctetur, quorum tertia pars nuntiatori applicetur, notariuſque inhabilis ad officii executionem efficiatur. Quæ omnia quantum fieri poterit obſerventur, & ut obſervari faciant epiſcoporum vicariorumque conſcientiæ onerantur.

Seſſ. 22. c. 10. Mexican. 1. c. 89. §. 1. & compoſt. act. 3. c. 26.

§ III.

A prima petitione, & primis actis litis, proceſſum in unum colligant, ejuſque chartas conſuant & omnia in illis ordinate diſponant, petitioneſque cum earum decretis, & quicquid circa eas proviſum fuerit inſerant, acta omnia, a) nulla in charta lacunis interpoſitis, deſcribant, & intiment; diem quoque menſem, & annum apponant, & cum opus fuerit ipſi, & judices ſe ſubſcribant, & rubricis notent. Quæ omnia notarii quotidie præſtent, ne unius cauſæ petitiones, & acta, cum alterius petitionibus, & actis involuta confundantur. Proceſſus ordine diſpoſitos ſemper habeant, & quæ fuerint

a) Forte, nullis.

ANNO CHRISTI 1585.

rint a' judicibus decreta, non in exceptoriis codicibus, ſive manualibus, ſed in ipſis proceſſibus ſint inſerta. Si quid horum ſemel prætermiſerint, duobus pondo mulctentur, ſi bis, duplo magis, & ſic deinceps creſcente contumacia, pœnæ quoque pecuniariæ accreſcant, uſque ad officii ſuſpenſionem, quarum mulctarum tertia pars delatori tribuatur.

## § IV.

Ne proceſſum originalem, ejuſve tranſumptum ullatenus litigatoribus tradant, ſub pœna trium pondo quoties id fecerint, neque etiam procuratoribus, niſi de mandato judicum. Si vero ne tradatur judices interdicant, ejuſque copiam concedi oporteat, notarii ad advocatos proceſſum deferant, contentaque in proceſſu ipſi advocatis legant, ac ſecum poſtea reportent. Idque in ſcripturis originalibus ſervetur ſub eadem pœna.

## § V.

Proceſſus procuratoribus minime tradantur, niſi chirographo ab eis accepto, & foliorum numero in libro deſcripto. Quo ſtante chirographo, a procuratore proceſſus repetendus eſt, ſi autem deletum ſit repetatur a notario, aut damnum ſolvat, ſi proceſſus denuo iterum fieri minime poſſit, oblatamque petitionem notarii ne recipiant, niſi allato proceſſu, ſub pœna pondo unius. Informatio vero ſummaria ſine teſtium nominibus, aut chirographo tradi poterit, quæ tribui mandabitur in forma conſueta, hoc eſt illius tranſumptum.

## § VI.

Si literæ alicujus decreti, aut proviſionis in favorem alterius litigantium expeditæ, fuerint amiſſæ, aliæ ſimiles decreto, aut proviſioni conformes, inde, unde primæ emanarunt tranſumptas eidem litigatori tradant. Quod tantum cum mandato judicis fiat, alias nullam fidem faciat. Si vero notarius propria auctoritate tradat, pœnam trium pondo incurrat.

## § VII.

Ne mandatum executorium cujuſcumque ſummariæ, nec decretum de immittendo in poſſeſſionem, nec mandata ſequeſtri faciendi, pignora capiendi, brachii ſæcularis auxilium implorandi ſollicitatori, tabellioni, aut ulli cuiquam tradant, ſed parti petenti, aut noſtro executori, vel judici ſæculari, in caſibus per hæc decreta conceſſis, nec illi mandata hujuſmodi ſcribant, ſub pœna quatuor pondo ab utroque incurrenda, ſi ſemel perpetratum id fuerit, ſi vero bis, dupli pœna imponatur, & ſic deinceps habito reſpectu pœnæ, uſque ad ſuſpenſionem augeantur.

## § VIII.

In cauſis fiſcalibus, aliiſve quibuſcumque, libellos, nec articulos ullatenus recipiant, niſi a parte, vel a juriſconſulto cognito ſubſcripti ſint, nec petitionem concluſionis in cauſa, nec ullam aliam, quæ negotium principale tangat, niſi ſit petitio termini, proceſſuſve, aut actorum judicii ſub pœna unius pondo, & damnum perſolvant.

## § IX.

ANNO CHRISTI 1585.

Concil. Mi. lan. 3. ... fol. ... verb. cauſæ quæ, & ca. ... 9. lib. 2. recopil.

In cauſis decem pondo de Tipuzque non excedentibus, ſine proceſſu, & figura judicii procedatur, ac veritate ſummarie comperta, judices ad perſolvendum debitores coerceant. Si quis a debitore receperit, quod ſibi non debebatur illud cum duplo reddat. Iis vero in caſibus petitio, condemnatio, aut abſolutio in ſcriptum tantum referantur. Nec libelli admittantur, nec pro hac ſcriptura ultra duorum regalium mercedem notarii exigere poſſint.

## § X.

Literas apoſtolicas, mandata, aliaſve qualſcumque originales ſcripturas a litigatoribus productas, & ſententias notarii apud ſe retineant; ac tantum exempla cum originalibus collata in proceſſu habeant, ſub pœna unius pondo ad damnumque teneantur, caſu quo hujuſmodi documenta fuerint amiſſa.

## § XI.

Pro ſingulis chartis exemplorum, a litigatore ſcripturas has producente, ſtipendium exigat notarius juxta taxationem, quod ſi originales prædicti a parte producente repetantur, adverſario non reclamante, productori tradantur, exemplo cum originali collato in proceſſu prius relicto, & adverſario etiam citato. Si vero ſcripturæ de falſitate arguantur, idque jurejurando affirmetur, notarii unicuique partium, & earum procuratoribus, & advocatis originales oſtendant, eiſque ſumptum ſcripturarum dent, cum die, menſe, & anno, ut de jure ſuo allegare poſſint.

## § XII.

Informationes ſummarias originales ne tradant, niſi exemplum in publica forma cum originali collatum relinquatur, & prout in titulo de probationibus continetur.

## § XIII.

Notarii omnes, actorum, ſcripturarumque per eos receptarum protocollum habeant, acta, aut alia quævis inſtrumenta, ſive judicialiter ſive extra judicialiter in toto vel in parte recipiant, charta alba, & inſcripta remanente, ſed omnia ſtatim in ſcriptis compleant, & ad longum extenſe ſcribant, ſub pœna ſi id ſemel commiſerint pondo trium, ſi bis, duplum, & ſub aliis prætorea pœnis judicum arbitrio infligendis.

## § XIV.

Ne moleſtiis, aut favoribus litigatores impellant, ut illis morem gerendi gratia, procuratores, aut advocatos, inviti deligant: ſin minus pro qualitate delicti puniantur.

## § XV.

Sententias uſquequo proferantur, ne revelant, eas ipſi propria manu ſcribant, ſi contra a judicibus puniantur.

§ XVI.



ANNO CHRISTI 1585.

## § XVI.

Tam pro petitionibus, inſtrumentis, proceſſibus, & probationibus, quam pro ſcripturis, quæ ab eis confectæ, vel coram eis productæ ſunt, quicquam aliud non accipiant, ultra id, quod a judice, vel a perſona ad id deputata præfinitum ſit, aut juxta hujus ſynodi taxam æſtimatum, & in actis quod pro mercede acceperint conſcribant, fidemque faciant, præſente eo, qui perſolvit litigatore, qui ſe ſubſcribat, ipſo vero neſciente ſubſcriptionem facere, id ejus procurator præſtet, ſub pœna reddendi quadruplum, ſi ſemel ſecus fecerint: ſi bis, duplo mulctentur, ac mulctæ pars tertia nuntiatori applicetur.

## § XVII.

Seſſ. 22. c. 1.

Concil. Compoſt. act. 3. c. 8. Milanenſ. 3. fol. 603. verb. pro ſingulis, & 4. tit. de beneſic. collatione, ac proviſione fol. 645. verbo ut avaritiæ, & conc. Valliſoletanum lib. 1. tit. 5. conſt. 3. fol. 49.

Notarii, circa dimiſſoriarum, ſeu teſtimonialium literarum mercedem, ſacri concilii Tridentini decretum ſervent, ſed quia ubi pro officio exercendo, nullum ſibi eſt ab epiſcopo ſalarium conſtitutum, idem concilium decimam tantum unius aurei partem, accipiendi facultatem tribuit; hæc ſynodus arbitratur, ut ratione hujus decimæ partis, quatuor homines tantum in hac provincia accipiant: ſi quid amplius, teneri in conſcientia ad reſtitutionem decernit: præterea pœnis a jure ſtatutis juxta prædictum decretum punientur.

## § XVIII.

Executioni pœnarum, & pœnitentiarum ſolennium ex delicto, notarii principales, una cum executore tribunalis eccleſiaſtici præſentes interſint, ipſique, aut parochi, in eorum præſentia in eccleſiis, ubi hujuſmodi ſit executio, ejus cauſam, & rationem populo denuntient, juxta ſeriem ſententiæ contra reos latæ, nec quemquam ad id in ſui locum ſubſtituant: quod ſi ſemel contra fecerint, pondo uno mulctentur: ſi bis, duplo magis: ſi ter, uſque ad privationem officii arbitrio judicum pœna accreſcat.

## § XIX.

Lex regia 17. tit. 20. l. 2. recopil.

Nihil mercedis pro cuſtodiendis, ordine diſponendis, quærendiſve proceſſibus accipiant, aut eorum miniſtros accipere permittant, ſub pœna reddendi duplum, cujus tertia pars delatori tribuatur, niſi proceſſus aut finiti jam ſint, aut adeo ab antiquo pendeant, ut judicis arbitrio pro illis inveniendis, quicquam mercedis conſtituatur.

## § XX.

Pro ſcripturis, quæ in vulgarem linguam transferentur, ſi pro ipſis antea ſtipendia ſoluta ſunt, quamvis cum interpretis juramento denuo producantur, nihil quicquam ſalarii accipiant, immo ad effectum hujuſmodi utraque ſcriptura, tempore productionis, & executionis una tantum ſentiatur, ſub pœna quadrupli, cujus tertia pars nuntiatori applicetur.

## § XXI.

Lex reg. 12. cum ſeqq. tit. 25. lib. 4. recopil.

Notarii, quando ſcripturas ab ipſis confectas, ſigno ſuo munitas tradiderint, earum protocollum cum ſubſcriptione partis apud ſe retineant, qua in re omnes ſervent, quod notariis præceptum eſt, ſub pœnis eiſdem impoſitis, juxta horum regnorum leges, protocollumque habeant annorum ordine, & alphabeto diſtinctum, ut ſolent notarii, ſub pœna pondo viginti.

ANNO CHRISTI 1585.

## § XXII.

Si apud notarios eccleſiaſticæ curiæ, incepta aliqua in viſitatione negotia expediantur, exigant etiam viſitatoris, & ejus notarii ſalaria, eiſque infra diem ſtatim a reditu viſitationis perſolvant, ſub pœna dupli.

## § XXIII.

In negotiis, quæ a vicariis ad officiales deferuntur, notarii in teſtimonialibus delationis, litigatoribus conceſſis, taxationem expenſarum deſcribant, vicariis prædictis eorumque notariis debitarum.

## § XXIV.

Si ad uſum unius tantum inſtrumenti totus proceſſus producatur, nihil aliud accipiant, quam quod pro illius inſtrumenti productione debetur, ſub pœna reddendi duplum.

## § XXV.

Lex reg. 24. tit. 25. lib. 4. recopil.

Quando notarius aliquis curiæ epiſcopalis mortem obierit, aut ab epiſcopo, vel ejus officiali fuerit dimiſſus, judices protocolla, & ſcripturas cuſtodiant, ut eſt per legem regni diſpoſitum.

## § XXVI.

Lex reg. 13. tit. 20. lib. 2. recopil.

Notarius vero in ejus locum ſuffectus, facto inventario, illa recipiat, ut ipſe deinceps de ſcripturis hujuſmodi prædeceſſoris ſui, ſi petantur, rationem reddat, ad præſcriptum ejuſdem legis, & pro notarii mortui, vel dimiſſi protocollis, ei aut ejus uxori, ſive filiis ſummam, de qua convenient perſolvat; qui ſi diſcrepaverint, æqua moderatione adhibita, eos judex concordet, omni appellatione remota, quia gratis, & ſine ullo pretio ad hæc officia ipſi deliguntur.

## § XXVII.

Mulctas, aut quævis alia depoſita juſſu judicum facta, notarii in depoſitum ne recipiant, ſub pœna decem pondo quoties ſecus fecerint.

## § XXVIII.

In omnibus eccleſiaſticis curiis hujus archiepiſcopatus, & provinciæ, ut commodius fieri poterit, tabelliones, qui receptores dicuntur, duo ſint timoratæ conſcientiæ homines, idonei, uſu, & experientia, in negotiis exercitati, in examinandis teſtibus periti, ſecreti amatores, atque fideles, qui ab epiſcopo, ſive ejus officiali examinentur, ab eiſdemque deligantur, & deputentur, ut per ſpatium unius anni, vel minus hoc officio fungantur, ad epiſcopi, ſeu ejus officialis arbitrium.

ANNO CHRISTI 1585.

§ XXIX.

His autem receptoribus, ſi litigatores petierint, vel judices ita ſentirent convenire, pro opportunitate negotii, probationes eæ committantur, quas notarii recipere non valent, nullaſque alias faciant, nec in plenario, nec in ſummario judicio, quam quæ ſibi ab officialibus injuncta ſint, etiam ex commiſſione vicariorum denuntiationes nullatenus faciant, nec ab eis factæ admittantur. Ipſi, aut alii per eos, in quacumque cauſa delatores eſſe non poſſint; probationes per eos factas, ante publicationem directe, vel indirecte ne revelent; & ſi in aliquo, huic decreto contravenerint, [a] pro ſemeſtre ſuſpendantur: ſi bis, officio priventur. Quando vero viſitatores extra, vel intra cathedralem eccleſiam viſitaverint, receptores hujuſmodi officium notarii viciſſim exercere poterunt, ab antiquiori incipiendo, niſi aliud epiſcopo videbitur. Eo tamen anno, quo officium hoc obierint, ratione ſalarii, illud accipiant, quod ſolent notarii viſitatoris, itidemque, quod juxta taxam ſibi conſtitutum eſt. Proceſſus viſitationis coram eis confecti, cum primum terminati ſint, viſitatoribus tradant, a quibus juxta ordinem titulo de viſitationibus præſcriptum, cuſtodiantur; notarii, & receptores non ſolum ipſi per ſe, quando ſibi commiſſum fuerit teſtes examinent, ſed etiam eorum dicta propria manu ſcribant, neque id per ſuos miniſtros, aut coram eis faciant, quæ poſtquam ſcripta ſint, uſque ad publicationem clauſa aſſervent. Si vero ipſi, abſentia, ſenectute, ægritudine, aut alias legitime impediantur, quominus ſcribere poſſint, alius ex notariis, vel receptoribus a judice cauſæ, ad id deligatur, & deputetur, ipſis inter ſe circa ſua ſalaria convenientibus; hujuſmodi autem dicta teſtium, ſic ſcripta notario originario tradantur, ut ea ad ſupra ſcriptam formam cuſtodiat. Quod ſi id adimplere ſemel negligenter omiſerit pœna trium pondo ſubjaceat, ſi bis pondo ſex, & ſuſpenſionis per dies quindecim, ſi ter pondo duodecim, ac ſuſpenſionis per bimeſtre.

a) Fene, per. II.

§ XXX.

Receptor aliquo ad probationem recipiendum iturus, prius ne mittatur, quam ante notarium juret, ſe bene, & fideliter acturum, & æquitatem in ea commiſſione parti utrique ſervaturum, nihilque præter ſalarium, & quod ſibi taxa conſtitutum eſt accepturum, ad idque moram temporis opportunam tantum inſumpturum, etiam ſi a tempore cauſæ præfinito aliquod ſuperſit. Quod re ipſa adimpleat, nec a litigatoribus quicquam etiam eſculentum accipiat, aut ad eorum domus hoſpitii cauſa divertat: ſi contravenerit, ultra perjurii pœnam, duplum reſtituat.

§ XXXI.

Pro recipiendis teſtibus intra civitates, ubi curia eccleſiaſtica reſidet, ſalarium ne accipiant, niſi talis cauſa ſit, aut tot articuli, de quibus interrogandi ſint teſtes, ut in his laborioſiſſimam operam impendant, quo in caſu, á judicibus pro laboris merito æſtimetur, nihilque aliud exigant, quam quod fuerit æſtimatum, ve emolumenta ſibi præfinita ex taxa, ſub pœna reddendi duplum: æſtimatio vero hujuſmodi juxta taxam fiat, quæ de hac re notariis eſt conſtituta.

§ XXXII.

Receptores, aut notarii, cum ſalaria a litigatoribus petierint, manifeſte declarent quid ſibi ab illis debeatur, nec pecunias aliquas poſtulent in partem plenariæ ſolutionis, alias graviter uſque ad ſuſpenſionem puniantur.

Lex reg. [illegible]

§ XXXIII.

Notarii, receptoreſve mandatum, aut teſtis depoſitionem per notas ſub compendio ne ſuſcipiant; Nec a hæc poſtquam teſtis ſemel fuerit examinatus, ejus dictum extendant, ſub pœna annuæ ſuſpenſionis ab officio, ſi id primo commiſerint; ſi vero bis deliquerint, officio priventur.

a) Fene [illegible]

§ XXXIV.

Notarii, aut eorum miniſtri, necnon receptores dona ulla, pecuniaſve, aut gemmas, aut eſculenta a litigatoribus ne accipiant, nec eorum, aut conſanguineorum domus adeant, hoſpitii cauſa, nec eorum convictores ſint. Si quid vero hujuſmodi acceperint, in duplo reddant, eaque ſit ad hoc ſufficiens probatio, quæ ex conſtitutione legum hujus regni recepta eſt.

Lex reg. 6. [illegible]

§ XXXV.

Excommunicationum literas, ſine conſenſu epiſcopi, aut ab eo expreſſam auctoritatem habentis, notarii ſigno ſuo ne communiant, aut ſe illis ſubſcribant, ſub pœna pondo decem expenſis pro adminiſtratione juſtitiæ, nuntiatori, & pauperibus diſtribuendorum. Quando autem facultate (ut dictum eſt) præcedente ſecundas denuntiatorias dederint, primas monitorias recuperent; quando vero tertias contra participantes expedierint, primæ, & ſecundæ ſimiliter apud ſe remaneant. Is porro ordo ſervetur in omnibus aliis literis expediendis, quarum nullæ apud litigatores remaneant, niſi aliud epiſcopo videbitur, ſub pœna quatuor pondo auri communis, ſumptibus pro adminiſtranda juſtitia applicandorum, hujuſmodi autem literæ ad præſcriptam ab hac ſynodo formam, expediantur.

Mexic. [illegible] Granat. de ſumm. excommunicationis, [illegible]

§ XXXVI.

Quod, ut executioni mandetur poſt præſentium decretorum publicationem, literæ prædictæ impreſſæ evulgentur, eæque ſolum expediantur: ut autem regiſtrum ordinum diligenter conficiatur, multiſque incommodis obviam fiat, quæ alias oriri poſſint; notarius, ſeu ſecretarius, ad id deputatus omnes ad ordines promotos in regiſtro ſcribat, in quo ordinatorum nomina, parentes, oppidum, diœceſim, eccleſiam ubi ordines celebrati ſunt, titulos præterea, ad quos fuere promoti, cum teſtibus, die, menſe, & anno deſcribat, ipſeque, & examinatores ſe ſubſcribant. Hoc itidem regiſtrum in archivio cathedralis eccleſiæ, cum aliis ejuſdem ſcripturis, aſſerventur: nullæque deinceps teſtimoniales literæ dentur, niſi ab hujuſmodi regiſtro, ut præfertur ſubſcripto, exemplum deſumatur, ſub pœna minarum pondo duorum, quæ fabricæ eccleſiæ cathedralis, & accuſatori æque applicentur.

§ XXXVII.



ANNO CHRISTI 1585.

§. XXXVII.

Notarii omnes, tam ordinarii, quam apoſtolici ad mandata aliqua intimanda, ſeu ad publicandum cenſuras excommunicationis, interdicti, aut ceſſationis a divinis, a litigatoribus, vel a judice requiſiti, prout eis juſſum fuerit, id exequantur in calce mandati, intimatione, & publicatione cum teſtibus, necnon eorum ſubſcriptione appoſitis. Quod ſi actorum hujuſmodi ſumptum petatur, illum dent totius ratione negotii, ac reſponſione in eo deſcriptis. Si ſecus fecerint, graviter uſque ad ſuſpenſionem, & privationem officii, pœnas dabunt. Prædicta vero prædicatio e ſuggeſto, ſeu alio commodiori loco, ut ab omnibus ibi præſentibus audiatur, inter miſſarum ſolennia, tempore offertorii in eccleſia fiat.

§. XXXVIII.

Si quis alteri in officio notarii ſuccedat, ei a prædeceſſore protocolla, regiſtraque omnia ſcripturarum, & negotiorum, quæ apud ſe retinebat, adhibito inventario, in epiſcopali archivio reponendo, tradantur, idque ita facturos eſſe, cum ad officium recipiuntur notarii, jurejurando ſe obſtringant: ſecretarii tamen epiſcopi eo nomine, ab eis confecta ſcripturarum regiſtra ſucceſſori ne dent, ſed in archivio epiſcopali recondant.

LIBRI PRIMI TITULUS XI.

*De officio executoris juſtitiæ.*

§. I.

ECCLESIASTICI executores niſi de mandato epiſcopi, aut ejus officialis, quemquam in ſacro ordine conſtitutum ne capiant, ſi tale delictum non fuerit, ob quod juxta juris, & hujus ſynodi decretorum formam, in fragranti capi poſſit. Noctu totam civitatem, ſeu oppidum accurate perluſtrent, explorentque, ſi qui clerici veſtitu indecenti vagantur, ſi arma geſtant, aut muſica inſtrumenta deferunt, ſi ſuſpectas domus ingrediuntur. Quod ſi quemquam in aliquo horum crimine deprehenderint, armis hujuſmodi, inſtrumentis muſicis, & indecenti veſtitu ſublatis, eum carcere includant. Si ipſa in die luce hæc evenerint, ante ingreſſum carceris, ad officiales epiſcopi captus deferatur. Si vero noctu ſequenti die officialibus id notum fiat, ut reus convenienti carceris cuſtodia detineatur.

Lat. ſynod. Granat. D. Petri Guerrero, tit. de officio executoris juſtitiæ.

§. II.

Quod adeo caute, & abſque ſcandalo fiat, ne inde infamia oriatur, vinculis ſine mandato judicis non ligetur, ſub pœna pondo ſex, quorum tertia pars accuſatori, reliquæ ſumptibus pro adminiſtratione juſtitiæ tribuantur. At ſi clerici non capiantur, vi reſiſtant, judicis arbitrio graviter pœnas luant, ſi autem executores hujuſmodi, eorum crimina diſſimulaverint, officiorum inhabiles reddantur.

§ III.

Si quoque diverterint alicujus executionis faciendæ cauſa, ratione ejus ſolitum emolumentum accipiant; ſi pro diebus ſingulis aliquod ſalarium eis conſtitutum non ſit. In commiſſionibus vero ſibi factis, ſalarium, ac tempus, præfiniantur, atque exprimantur. In actis autem, cum ſua, & litigatoris ſubſcriptione, ſi ſciat ſcribere: ſi vero neſciat, cum parochi, aut eo abſente, ſacriſtæ ſubſcriptione ſcribant quidquid de re ipſa acceperint: ſi ſecus fecerint, ejus quod acceperunt jacturam faciant, quamvis, ſe recepiſſe negent: ſi vero quid amplius acceperint, cum quadruplo reddant.

§. IV.

Executores quicumque, officii cauſa aliquo proficiſcentes, etiamſi varias executiones, & in diverſis locis faciant, nihil amplius ſalarii ex aditu, & reddito percipiant, quam quod pro itinere unius executionis debetur, idque pro rata in ſingulas executiones diſtribuant, quod, ut conſtare poſſit, in actis afferant fidem diſtributionis per eos factæ, & apothecarum ſalarii juxta ſupraſcriptam formam. Si vero juſtum ſalarium exceſſerint; id, ut cum pœna perſolvant, judex præcipiat, & contrafacientem quadruplum ſolvere coerceat.

§. V.

Mandata capiendi, & exequendi, & alia faciendi, quæ ad ſuum ſpectant officium diligenter adimpleant, partibus contra quas data ſunt nequaquam nuntiantes. Neque in aliquo excedant ipſa adimplentes, aliter enim pro qualitate exceſſus, arbitrio judicis punientur.

§. VI.

Executores eccleſiaſtici ad juſtitiæ executionem executores ſæculares comites ſibi non adjungant, etiam ſub prætextu capiendi ſæcularem clerici complicem, niſi ad id expreſſum in ſcriptis mandatum, a judicibus præſcriptum præcedat, nec cum ſæcularibus executoribus hujuſmodi, clericorum domos ingrediantur, aut inquirant, ſi ſecus fecerint, judicum arbitrio ſevere plectantur.

§. VII.

Ne dona, aut munera accipiant, neve quos comprehenderint, aut comprehendere deſiverint vexent, aut moleſtent, nec ob aliquam aliam cauſam quæſtum aliquem injuria extorqueant: ſint minus judices arbitrio ſuo, uſque ad privationem officii pro qualitate culpæ, de eis pœnas ſumant.

§. VIII.

Ire itidem teneantur, ad * refrendandum mandata auxilii brachii ſæcularis, a judicibus, & officialibus data, ad eaque exequi faciendum, una cum executore ſæculari.

§. IX.

Quando ad hoc munus recipiuntur, jurent de eo bene, fideliterque obeundo, & de obſervandis, quantum in ſe eſt, decretis, ab hac ſynodo conſtitutis.

ANNO CHRISTI 1585.

## LIBRI PRIMI TITULUS XII.

*De officio cuſtodis, & cuſtodia reorum.*

§ I.

Lite Gran. ſynod. ut ſupra, tit. de offic. cuſtodis, & cuſtodia reorum.

CUSTOS carcerum eccleſiaſticorum diligenter curet, ut in eis hora competenti, & decenti loco, dominicis, & feſtis miſſa celebretur, quam omnes audiant, ad idque officialis epiſcopi capellanum arbitratu ſuo deligat; cui ex mulctis cameræ congrua eleemoſyna conſtituatur. Cuſtos vero ſacerdotales veſtes in arca nitidas aſſervet.

§ II.

Feminæ in carcere ſeparatæ a viris ſint, adeo, ut cum illis commercium non habeant. Si quem vero in hoc cuſtos exceſſiſſe repererit vinculis coerceat.

§ III.

Arma offenſiva, vel defenſiva captis non permittat: ſi quis habeat, eorum jacturam faciat, & in uſum pauperum carceris divendantur. Quod ſi negligenter in hoc cuſtos egerit, pro ratione culpæ punietur.

§ IV.

Carcerem clauſum, & mundum a ſpurcitiis teneat, & detentos in carcere diligenter, quantum fieri poterit, cuſtodiat. Eo ingredi mulieres ne permittat, niſi mater, ſoror, uxorve alicujus vincti ſint: eæ autem, in ejus cubicula ne intrent, ſed cum eo extra cancellos ferreos colloquantur, niſi ægritudine, impedimentove teneretur, quominus ad cancellos hujuſmodi deſcendere poſſit. Nocte in carcere feminæ ne remaneant, niſi de officialis epiſcopi licentia, gravi urgente neceſſitate, ſub pœna duorum pondo quoties ſecus fecerint. Cuſtos vero, ſi ſemel mulier nocte in carcere dormiat, tribus pondo mulctetur: ſi bis, pondo ſex: ſi ter, officio privetur: itidemque hi, qui carcere incluſi ſunt, ſi decretum hujuſmodi ſemel violaverint, quatuor pondo: ſi bis, octo perſolvant: ſi ter, ſtrictiori carcere incluſi vinculis coerceantur.

§ V.

Ad dies viſitationi carceris indictos, cuſtos ita ſe præparet, ut cameram in loco carceris magis publico ſitam ſternat, ſella, menſaque una, & ſcamnis paratam. Indicem præterea eorum, qui jam diu, vel nuper in carcere detinentur, judicii offerat, ut juxta indicem hujuſmodi, ſingulos ad ſe judex vocet. Si quis vero ſeſe occultaverit, eum notarii judici manifeſtent.

§ VI.

Si quis ſe in carcere conſtituat, vel comprehenſus includatur, cuſtos in libro deſcribat, hunc ſibi in cuſtodiam tradi, & cujus rei cauſa, & ad cujus inſtantiam captus ſit, notet, itidemque efficiat, ſi quis dum jam captus detinetur, ſequeſtratus fuerit, quibus cuſtos ſe ſubſcribat, ſub pœna pondo unius cum dimidio, quoties in hoc negligenter egerit.

§ VII.

Ne a captis dona, muneraνe accipiat, neque eos vinculis injuſte coerceat, nec a vinculis magis, minuſve ſolvat, quam mandato judicum ſibi injunctum ſit, neque eis directe, aut indirecte moleſtias inferat, quas pecuniis, aliiſve rebus redimant, ſub pœna reſtituendi quadruplum, ſi quid, ſic injuſte extorſerit, idque juxta legum horum regnorum formulam probetur.

Lex reg. tit. 2. lib. 7. recopil.

§ VIII.

Capti, qui a carcere liberari jubentur, pro ſalariis, aut expenſis miniſtrorum, ne detineantur, ſi ipſi pauperes eſſe juraverint, & judices ita exiſtimaverint, ſtatimque dimittantur, niſi aliis de cauſis fuerint retenti, neque ab eis carceris cuſtodes pignora capiant, ſibi obligari faciant, aut fidejuſſores dari compellant, neque eos pro ſtipendiis hujuſmodi ullatenus vexent, ſub pœna pondo trium, quoties contra fecerint, idque ſervetur, etiamſi ob crimina in carcere conjecti fuerint, de quibus judex, die viſitationi carceris indicto, inquirat.

Lex reg. ... lib. ... compilat.

§ IX.

In publico carceris loco index æſtimationis ſtipendiorum, quæ cuſtodes, a captis exigere debent, ubi commode ab omnibus legi poſſint, clare, ac perſpicue conſcriptus collocetur, idque omni modo, ſub pœna pondo ſex cuſtodes adimpleant.

§ X.

Carceris vincula omnia diligenter cuſtos aſſervet, & cum unus obierit, inventario, per antiquiorem curiæ notarium confecto, ea recipiat, eodemque etiam interveniente, cum munus peregerit reſtituat. Fidejuſſores idoneos, ſpectataque fide probatos cuſtos det, cum quibus ipſe promittat, ſe officio ſuo fideliter, & accurate functurum, & ſi quid damni, carceri, vinculis, comprehenſiſve evenerit, reparaturum aut ſi ratione officii in aliqua pecuniarum ſumma fuerit condemnatus, eam perſoluturum. Ad hoc etiam, & ad decreta hujus ſynodi ſervanda, jurejurando ſe obſtringat. Interdicit quoque hæc ſynodus, ne cuſtos carceris, aut alius ex ejus familia, captis aleas det, aut ab eis ſtrenas, aliudve ſimile exigat: ſi vero ſecus fecerit, uſque ad privationem officii, pro ut delictum poſtulaverit contra eum procedetur.

Conſtat. Mediol. ... de cuſtod. carcer.

§ XI.

Admonentur præterea officiales, & vicarii omnes, ut cum die ſabbato carcerem viſitaverint, de hoc decreto contentis diligenter inquirant, quodque cuſtos cum vinctis agat, & ad hoc potiſſimum incumbant, ut ad Dei cultum, & honorem muneri ſuo ſatisfaciant.

## LIBRI PRIMI TITULUS XIII.

*De majoritate, & obedientia.*

§ I.

Ut pace, & tranquillitate concordes eccleſiaſtici



ANNO CHRISTI 1585.

ſtici viri unum opus conſlent, nulliſque diſſidiis inter ſe contendant, unicuique juxta eam, qua eminet, dignitatem, aut juxta munus, quo fungitur, honorem, locum ſedemque conſtitui maxime neceſſarium eſt, eam ob cauſam ſacroſanctum Tridentinum concilium de epiſcopis in hunc modum decernit. Epiſcopis præterea ubique is honor tribuatur; qui eorum dignitati par eſt; eique in choro, & in capitulo, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes, & locus, quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui ſi aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re, ad ſuum, vel ſuorum commodum ſpectante agatur, epiſcopi ipſi capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. Neque vero ob id a concilio præbendatis, & capitularibus quicquam de ſua dignitate detrahitur, aut de his facultatibus, quæ ſibi de jure, & conſuetudine competunt, & non adverſantur Tridentino concilio. Quo vero ad ea, quæ in capitulis cathedralium decernenda ſunt, recta, unanimiſque ſit omnium conſpiratio. Jubet hæc ſynodus, ut cum epiſcopus, decanuſve aut qui præeſſe debet, capitulum ad extraordinaria negotia convocaverit, in ſcheda vocationis, etiam ea capita contineantur, de quibus deliberandum eſt, quæ capita etiam ad epiſcopum deferantur, niſi de re epiſcopo, ſive alicui ex epiſcopi familiaribus, competenti agendum erit. Tunc enim ſolum capitulares convocandi ſunt, & ad præſcriptum hujus decreti inſtruendi.

Seſſ. 25. c. 6.

Conc. provinc. de Quiroga act. 3. c. 19.

§ II.

Quoniam in frequenti congregatione, ubi eccleſiaſtici, ſæculares, & regulares conveniunt niſi aliquis præſideat, cujus auctoritate omnes in officio contineantur, diſſidiorum, ac tumultuum poſſet occaſio ſuboriri, ſacroſancto concilio Tridentino hæc ſynodus inhærens præcipit ut quando in proceſſionibus publicis, & in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, de quavis præcedentia controverſiæ oriuntur, eas epiſcopus [amota omni appellatione] componat, non obſtantibus quibuſcumque, prout ejuſdem concilii decreto, & conſtitutione ſanctæ memoriæ Gregorii XIII. hac de re editis, cautum eſt.

Seſſ. 25. c. 13.

Seſſ. 25. c. 13.

§ III.

Statuit præterea, ac mandat hæc ſynodus, ne ullus clericus cujuſcumque conditionis bachalaureum, licentiatum, magiſtrum, doctoremve in aliqua facultate ſe nominet, aut ſubſcribat, in his locis ubi de ejus gradu conſtare non poteſt, niſi prius epiſcopo literas teſtimoniales gradus hujuſmodi oſtendat, ſub pœna pondo centum auri, piis operibus, juſtitiæ ſumptibus, & accuſatori æque applicandorum; pœnis contra hos a lege regni ſtatutis in ſuo robore, & firmitate permanentibus.

Lex reg. tit. 7. lib. recop.

## LIBRI SECUNDI TITULUS I.

*De ordine judiciorum.*

§ I.

Ex Granat. ſynod. tit. de ordine judiciorum.

IN locis ad audiendum cauſas deputatis, ſilentium, ordo, & obedientia ſervetur; in ſedibus, & proviſionibus ratione antiquitatis officii notariis, & procuratoribus honor deferatur; ac inter omnes ſumma ſit cum modeſtia conſenſio. Quod ſi minus fecerint, judicum arbitrio mulctentur, & uſque ad ſuſpenſionem, & privationem officii puniantur.



§ II.

Nullus curiæ miniſter, litigator, aliuſve quicumque intra aulam, quo tempore audientia celebratur, arma quæcumque ſecum habeat, & ut hoc ſervetur, opportuno adhibito remedio, judex accurate invigilet.

Eſtilo uniforme de todos tribunales.

§ III.

Advocatus, & procurator deputentur, qui miſerabilium perſonarum cauſas defendant, & ſalarium quod ſibi fuerit ab epiſcopo conſtitutum ex camera percipiant; Hi vero illorum cauſas, quos ut pauperes, in eorum patrocinium judices tradiderunt, gratis defendere teneantur, nec ab eis quicquam accipiant, eorumve operas ad ſuos uſus conferant ſub pœna reddendi duplum, cujus mulctæ dimidia pars miſerabilius perſonis applicetur. Admonetur etiam, ut in his pauperum cauſis accurate ſtudeant, & pro brevi earum expeditione laborent, cum omni caritatis, & manſuetudinis affectu, ne pauperes jus ſuum amittant. Quod ſi opus fuerit judices verbo, aut ſcripto inſtruere, id præſtent, ſi vero, ex eorum negligentia pauperibus damnum importetur, reſtituendi illud pœnæ ſubjaceant.

§ IV.

In cauſis minorum, ſi ex eorum aſpectu talis eſſe appareat, ipſis præſentibus, ſive adſint, ſive abſint, cum ſpeciali ad id mandato curatores deputentur, qui jurent ſe minorum ſuorum cauſas defenſuros, omni diligentia & conſilio adhibitis. Confeſſio vero a minori ne petatur, niſi antequam præincipiat: curator præſens ſit, aliter confeſſio invalida ſit.

§ V.

Publica inſtrumenta, & ea, quæ guarentigia dicuntur, & chirographa recognita, etiam non præcedente mandato, aut monitorio, executioni mandentur, ſerventurque ſtilus, & forma ſecularium tribunalium, ac leges regiæ de hoc ſancitæ, tam quo ad executionem, terminos, præconia, & fidejuſſores; quam quo ad alia; clericus autem, in quem executio facta eſt carcere ſit incluſus, donec tamquam pauper gaudere velit privilegio in favorem ſtatus eccleſiaſtici a Gregorio papa IX. conceſſo, in decretali, quæ incipit *Odoardus*, Quam papæ conſtitutionem judices, & officiales inviolabiliter ſervent, & adimpleant. Quando autem creditores chirographa, aliaſve privatas ſcripturas obtulerint, ut recognoſcantur, judices id fieri mandent: quod ſi debitores clerici, id non fecerint duabus & non minus, nec aliter, niſi in proprias eorum perſonas contumaciis incuſatis, chirographa, & inſtrumenta privata hujuſmodi pro recognitis habeantur, & tanquam recognita executioni mandentur, ſervato ordine præmiſſo in publicis inſtrumentis, quæ promptam habent executionem.

Lex. 1. 2. & 3. tit. 21. lib. 4. recopil.

Cap. Odoardus de ſolutionibus. Synodus de Oſmatit. 34. conſt. 1. 5 5. fol. 186. & ſynod. de Valladolid. lib. 3. tit. 8. conſt. 1.



§ VI.

ANNO CHRISTI 1585.

§ VI.

Quælibet declinatoria exceptio, aut incompetentiæ juriſdictionis, intra novem dies opponatur, a fine præfixi termini computandos, aut parte præſente, a die, qua intimata fuerit, citatio. Quo termino elapſo [a] declinatoria hujuſmodi exceptio allegata non ſit, reſtitutio in integrum adverſus ejus temporis lapſum non concedatur, & ſi in aliis caſibus concedenda eſſet: pro termino autem ad probandum viginti dies præſcribuntur, quod ſi exceptio declinatoria probatur, cauſæ principalis cognitio ceſſet, ſin minus, in expenſis, & damnis pro retardatione litis alteri parti illatis condemnetur. Quæ ſtatim ſolvere a judice reus compellatur. Si vero intra prædictum tempus pars non declinaverit, lis conteſtetur, reconventiones fiant, eiſque intra terminum reſpondeatur, juxta legum regni diſpoſitionem, quatum uſus, & obſervantia, quo ad hoc præcipitur. Breviori vero in termino definire in poteſtate judicum ſit, ſi ob juſtas aliquas cauſas, id fieri debere ſibi videatur. Idem præcipitur obſervare, in clare & aperte poſitionibus reſpondendo, juxta leges regni circa hoc diſponentes.

a) Fort. ſi declinatoria. H.

Lex. 1. & 2. tit. 5. lib. 4. recopil. Lex. 1. & 2. tit. 7. lib. 4. recopil.

§ VII.

Finem litibus cupiens hæc ſynodus imponi, ne partes ultra modum graventur dilationibus, & expenſis, ſtatuit, ac ſancit, ut eccleſiaſtici judices hujus provinciæ, ſive ordinarii, ſive ex ſpeciali epiſcopi commiſſione delegati in cauſis levibus, & parvi momenti, nullos libellos admittant. In his vero, quæ majoris fuerint momenti, duo tantum ab utroque litigatore libelli producantur, uſque ad primam concluſionem, & articulos ad probationes faciendas. Poſt publicationem vero a ſingulis litigatoribus produci, niſi unus tantum libellus non poſſit, quod ſi de facto plures, quam hoc decreto ſancitum eſt, producantur, aut recipiantur, ii nulli decernuntur, omniſque probatio, eorum virtute facta invalida ſit, nec fidem ullo modo faciat: qui libelli ſubſcripti, ſignatique ſint ab advocato probato, & gradu inſignito, vel ab eadem parte, nec aliter admittantur, niſi cauſæ qualitas judicis arbitrio aliud poſtulaverit. Si vero aliqua declinatoria exceptio opponatur, intra octo dies continuo a die oppoſitionis numerandos, probari debeat, ne parti ad probandum terminus prorogetur. Concluſa vero cauſa ad pronuntiandum interlocutorie dies ſex, ad ferendam vero definitivam ſententiam dies decem præſcribuntur: quibus elapſis, ſi judices contrafecerint, expenſas hac de cauſa factas, a die elapſi termini, uſque ad ſententiarum hujuſmodi pronuntiationem in duplo reddant.

Conc. Mex. 1. c. 53. & ſynod. de Quiroga conſt. 112.

§ VIII.

Cum partes, ad ſuas probationes faciendas, admiſſæ fuerint, ſi probationes non fecerint, neque literas, quas vocant receptorias extraxerint, & altera pars ob non factam diligentiam a parte adverſa, nec ab eadem literas hujuſmodi extractas petierit terminum, pro denegato haberi, & cauſam pro concluſa & definiendam eſſe, altera pars citari mandetur, & contumaciis incuſatis provideatur, quod ad tertiam diem receptorias extrahat; ſi autem illas non extraxerit, habeatur cauſa pro concluſa, etiam termino ad probandum nondum elapſo, ut hac ratione lites brevius expediantur.

§ IX.

Quando una ex partibus litigantibus factam probationem produxerit, & ea non obſtante, pars altera in cauſa concludi petierit, pars probationem producens citetur, & ſuper hoc articulo contumaciæ incuſentur, & concludatur, antequam concluſio ultima fiat in cauſa, quod vero ſecus actum fuerit, ſit in ſe nullum.

§ X.

Si publicatio petatur, & hæc eo, quod terminus duret ab altera parte contradicatur, ad excuſandum actorum examen, & alias de hoc dilationes, præcipitur judicibus, ut ſub conditione, ſi terminus elapſus ſit, publicationem fieri provideant: quod ſi terminus adhuc duraverit, declarent, quod duret, quod ſic jubeant, quamvis decretum conditionale ſit.

§ XI.

Elapſo termino ad probandum, ſi probatione facta publicationem fieri poſtuletur, aut probatio non facta cauſam haberi pro concluſa petatur, parte adverſa citata, & non contradicente, contumaciaque incuſata, ſine ulla alia dilatione cauſam pro concluſa haberi mandetur: ſi vero pars contradixerit, cognita a judicibus contradictionis cauſa, ex actis quod juſtitiæ fuerit decernant.

§ XII.

Quando capitula contra aliquam hujus provinciæ perſonam dentur, fiſcali tradantur. Quæ ſi ſubſcripta non ſint, & a quo exhibita fuerint, ignoretur, in eiſque teſtes deſignati ſint, ac in eis contenta adeo gravia provideantur, ut eorum remedium ad Dei cultum, & bonum commune ſpectet, factis prius de hac re certioribus epiſcopis, ſeu epiſcoporum officialibus, fiſcalis capitula hujuſmodi proſequatur. Quod ſi conſtet quis capitula obtulerit, præſtitis idoneis fidejuſſoribus, promittat ille, qui ea dedit expenſas hac de cauſa faciendas, ſi capitula minime probentur, perſoluturum, itidemque puniantur, pro ut accuſator calumnioſus de jure venit puniendus.

§ XIII.

In his, qui matrimonio conjuncti conjugalem vitam non ducere denuntiabuntur, parochi teſtimonium in probationem admittatur, quatenus ad matrimonium, & non cohabitationem, & ſic comparere præcipiantur, & de hoc interrogentur. Quod ſi negaverint, fiſcalis citetur, qui quatenus opus fuerit, ampliorem faciat probationem, & ratificatis teſtibus, pro ut juris ſit, in cauſa decernatur.

§ XIV.

In cauſis criminalibus binarum nuptiarum, vivente primo conjuge, rei incluſi carcere de-



ANNO CHRISTI 1585.

neantur dum lis agitur, eoſque ſic detineri judices procurent, etiamſi a ſententiis per eos latis rei hujuſmodi appellaverint, ut ſic finis his cauſis imponatur. Quando vero fiſcalis accuſaverit, illæ partes, quarum intereſt, citentur, eæque citationes fiant ex pecunia juſtitiæ ſumptibus applicata.

§ XV.

Quando judicibus expedire videbitur, in cauſis criminalibus parti præſenti actorum ſumptum concedere, ut ſeſe defendat, fuerintque alii rei, & complices abſentes, notarii advocato hujus partis, ſuppreſſis nominibus, proceſſum legant, & id uſque ad publicationem diligenter ſervetur. Si vero nullum ſit juris impedimentum, etiam cum nominibus, hujuſmodi ſumptum concedatur.

§ XVI.

In cauſis immunitatum, reſtitutionum, ad eccleſias confugentium, & aliis quibuſcumque, in quibus judices procedunt aggravando cenſuras, antequam cenſuræ hujuſmodi aggraventur, præcedat intimatio anterioris cenſuræ jam decretæ, de cujus intimatione fidem faciat notarius, præcedat quoque invocationis brachii ſæcularis informatio, quo ordine, & non aliter ad eccleſiaſticum interdictum procedetur.

§ XVII.

In clandeſtinis conjugiis, quidquid circa ea a partibus petatur, fiſcalis oppoſitio, & accuſatio admittatur, acta, & probatio a partibus exhibita pro informatione ſummaria recipiantur; deinde teſtibus a partibus productis, per fiſcalem ratificatis, iterumque habita partium confeſſione, per judices noſtros hac in re decerni, & definiri poteſt, juxta diſpoſitionem ſacroſancti concilii Tridentini.

Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrimoni.

§ XVIII.

Quando uxor proprium maritum de adulterio, concubinatuve accuſaverit, judex efficiat, ut fiſcalis, aut executor juſtitiæ, in judicio denuntiet, & cauſam proſequatur, adhibita cautela, ne maritus a propria uxore delatum fuiſſe judici ſentiat.

§ XIX.

A miſerabilibus perſonis litigantibus, nihil quidquam pecuniæ accipiatur ratione litis, eaque miſerabilis perſona reputetur, quæ in bonis mobilibus, & immobilibus quinquaginta pondo valorem non habuerit: probatio vero quo ad hoc per notarium fiat, ex qua ſi officialibus conſtiterit, de paupertate perſonæ litigantis, ejuſdem cauſis ſemotis dilationibus expediri, in omnibus ſubveniri jubeant.

§ XX.

Accuſationes criminales contra clericos in ſacris ordinibus conſtitutos illatæ, cum omni ſecreto, pro ut ſacerdotalem perſonam decet, tractentur, & definiantur.

§ XXI.

Quamvis delinquentes plures ſint, de eodem crimine accuſati, unus tantum proceſſus conficiatur, nec ratione actorum proceſſus, aliquid aliud exigatur, quam quæ ſunt in indice taxæ conſtituta. Nam ſi in eadem cauſa tres complices ſint, tamquam ab uno ſolo ſalaria, & expenſæ exigendæ ſunt.

§ XXII.

Ut moleſtiis, quas accuſatores inferre ſolent, occurratur, mandat hæc ſynodus, ut judices ordinarii, viſitatores, vicarii, & alii quicumque, quibus ſummariæ informationes ſuper partium querelis, committentur, querelantibus præcipiant, facta in forma citatione, per notarium probationem recepturum, quatenus intra tres dies poſtquam reus partem ſe conſtituerit, compareant perſonaliter ad accuſandum eum coram dictis judicibus: ſin minus perpetuum eis ſilentium ad id imponetur: ſi vero duabus contumaciis incuſatis, non comparuerint, nec accuſaverint amplius, ne audiantur, eorumque vices, & voces fiſcalis obtineat, qui tam in hoc caſu, quam in criminalibus ceteris ad ſe pertinentibus, accuſationem dare intra tres dies teneatur; poſtquam ſe reus in carcere conſtituerit: judicibus autem, & officialibus jubetur, ut concluſis jam proceſſibus, quo citius fieri poterit dictas criminales cauſas definiant, ita ut quantumvis proceſſus prolixus ſit, intra tredecim dies, a die concluſionis, aut breviori tempore ſi fieri potuerit diffinitivam ſententiam ferant, in quo officialium conſcientiæ onerantur, ne ſumptus, & expenſæ, ex nimia retardatione accreſcant.

Conc. Mex. 1. c. 77. & Granat. tit. de ordine judicio. n. 16.

## LIBRI SECUNDI TITULUS II.

*De procuratoribus.*

§ I.

Procuratores cauſis, quas ſuſceperint, omnem operam præſtent, in eiſque cum omni veritate agant, & quod ſuis partibus utile ſit, diligenter gerant, ac ſine ulla colluſione, falſitate, prævaricatione, aut prævaricationis ſpecie, odio, aut amore, ſui principalis, aut partis adverſæ quidquam poſtulent, aut poſtulare negligant, quod convenienti cauſæ expeditioni neceſſarium ſit. Neque hac de cauſa dona aliqua, aut promiſſiones, munerave, aut alia hujuſmodi injuſte a parte contraria accipiant, ſub pœna reddendi quadruplum; ac præterea judicum arbitrio puniantur.

Ex ſynod. Granat. tit. de procur.

§ II.

Moderatam mercedem pro opera ſua accipiant, quod ſi in hoc exceſſerint, directe, vel indirecte litigatores vexaverint, ut ab eis injuſta ſalaria, munerave, aut alia ejuſmodi extorqueant, judices pro merito laborum mercedem taxent, & diſtricte præcipiant, quod reliquum reſtituant, necnon judicum arbitrio pœnas dent.

§ III.

Procuratores, qui in tribunalibus eccleſiaſticis

ANNO CHRISTI 1585.

cis negotia eccleſiaſtica adminiſtraverint, cum feminis, quarum, vel, contra quas ſuſceperint, inhoneſte ne converſentur, neque eas in concubinas accipiant. Quod ſi contrafecerint, præter pœnas juxta horum decretorum formam eis impoſitas, in cauſis eccleſiaſticis officiorum exercitio per tres menſes ſuſpendantur; itidemque præcipitur ne per trium menſium hujuſmodi ſpatium, judices, aut notarii petitiones ab eis oblatas recipiant, aut alios actus ſub eadem pœna.

## LIBRI SECUNDI TITULUS III.

*De feriis.*

### § I.

*Mexic. 1. c. 18 & Lim. 3. act. 3 c. 40. & act. 4. c. 9.*

UT debitum cultum, & honorem Deo creatori noſtro, ejuſque ſanctis impenderemus, dies aliqui in eccleſia ſemper decreti ſunt, ut in eis ab omni ſervili opere ceſſantes, nos cultui divino vacaremus, eam ob cauſam, ut hujus archiepiſcopatus, & provinciæ fidelibus dies hi feſti noti ſint, in eiſque cultui divino ſatisfaciant, hæc ſynodus decernit omnes horum regnorum fideles, exceptis Indis, de quibus alio in loco tractatur, teneri ſub pœna peccati mortalis ſequentia feſta venerari.

### FESTA EX PRÆCEPTO OBSERVANDA.

*IN PRIMIS DIES DOMINI totius anni.*

FESTA JANUARII.

Circumciſio domini noſtri Jeſu Chriſti.
Epiphania domini.
SS. Fabianus, & Sebaſtianus.

FESTA FEBRUARII.

Purificatio beatæ Mariæ virginis.
S. Mathias apoſtolus.

FESTA MARTII.

S. Thomas Aquinas.
S. Joſeph, beatæ Mariæ ſponſus.
Annunciatio beatæ Mariæ virginis.

FESTA APRILIS.

S. Marcus evangeliſta.

FESTA MAII.

SS. Philippus & Jacobus apoſtoli.
Inventio ſanctæ crucis.

FESTA JUNII.

S. Barnabas apoſtolus.
Nativitas ſancti Joannis Baptiſtæ.
SS. apoſtoli, Petrus & Paulus.

FESTA JULII.

Viſitatio beatæ Mariæ virginis.
S. Maria Magdalena.
S. Jacobus apoſtolus.
S. Anna mater virginis Mariæ.

FESTA AUGUSTI.

S. Dominicus.
Transfiguratio domini.
S. Laurentius martyr.
S. Hippolytus in civitate Mexicana tantum.
Aſſumptio beatæ Mariæ virginis.
S. Bartholomæus apoſtolus.
S. Auguſtinus.

FESTA SEPTEMBRIS.

Nativitas beatæ Mariæ virginis.
S. Matthæus apoſtolus, & evangeliſta.
Dedicatio ſancti Michaelis archangeli.

FESTA OCTOBRIS.

S. Franciſcus.
S. Lucas evangeliſta.
SS. apoſtoli Simon, & Judas.

FESTA NOVEMBRIS.

Feſtum omnium ſanctorum.
Sancta Catharina virgo, & martyr.
S. Andreas apoſtolus.

FESTA DECEMBRIS.

Conceptio beatæ Mariæ virginis.
Exſpectatio partus beatæ Mariæ virginis.
S. Thomas apoſtolus.
Nativitas domini noſtri Jeſu Chriſti.
S. Stephanus protomartyr.
S. Joannes apoſtolus, & evangeliſta.

*Item feſta mobilia ſequentia.*

DOminica reſurrectionis cum duabus diebus ſequentibus.
Aſcenſio domini.
Dominica pentecoſtes cum duabus diebus ſequentibus.
Feſtum corporis Chriſti.

Coli etiam jubentur feſta ſanctorum patronorum eccleſiarum cathedralium, & locorum ubi Hiſpani degunt in eiſdem eccleſiis, & locis.

*Mexic. 1. c. 18. & Lim. 3. act. 3. c. 40. & act. 4. c. 9. Mexic. 1. c. 18. §. 2.*

### § II.

Porro quia ſingularis fuit in beatum Joſeph, ſacratiſſimæ virginis Mariæ ſponſum, hujus provinciæ devotio, ob cujus ſancti merita, & interceſſionem pie credi poteſt novam Hiſpaniam ſingularibus Dei beneficiis donari, provincialis ſynodus anno domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto celebrata ſanctum Joſeph in generalem hujus archiepiſcopatus, & provinciæ patronum elegit, ejuſque feſtum coli mandavit, hæc quoque ſynodus idem renovans, & confirmans ſtatuit, ut feſtum hujuſmodi in hac provincia cum octava celebretur. Si vero octava in hebdomadam majorem inciderit, de ea uſque ad feriam quartam ejuſdem hebdomadæ incluſive commemoratio fiat. Feſtum ſancti Jacobi apoſtoli, quia præcipuus, & generalis Hiſpaniæ patronus is eſt, cum octava celebrari mandatur. Quando vero, ad veſperas, & matutinum ſuffragia ſanctorum dicuntur, ejus commemoratio, quia antiquior patronus eſt, commemorationi ſancti Joſephi præcedat. In die vero trigeſima Decembris, qua translatio ſancti Jacobi facta eſt, de ejus translatione officium recitetur.

### § III.

Etſi ante celebrationem hujus ſynodi, feſtum ſancti Thomæ Aquinatis doctoris angelici, ex præcepto non colebatur, attendens tamen hæc ſynodus a felicis recordationis papa Pio V. propter ſingularem ſanctitatem, & mirabilem doctrinam, de quibus is ſanctus, hæreſibus refutatis, Chriſtianæ reipublicæ ſcholis magnas opes attulit, & propter eruditionis ſplendorem, quo in eccleſia Dei eluxit, ejus feſtum per univerſum Neapolis regnum coli, & per univerſam eccleſiam officio doctoris celebrari præceptum eſſe: attendenſque inſtantiſſime a decano, & capitulo hujus metropolitanæ eccleſiæ, magiſtratibus civitatis Mexici, a rectore, & univerſitate regia, tum etiam ab ordine ſancti Dominici, cujus in-



ANNO CHRISTI 1585.

ſtitutum ſanctus Thomas profeſſus eſt efflagitatum fuiſſe: hæc ſynodus præcipit, ut ſancti Thomæ feſtum colatur, & catalogo, quæ ex præcepto in hac provincia coluntur, adſcribatur.

*Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de regul. verbo dies. Conc. Mil. 4. tit. de S. Ambroſio, fol. 616. & 5. etiam Mil. fol. 710. verbo, quos dies feſtos. Seſſ. 24. c. 4. de reform.*

### § IV.

Quæ quidem feſta ab omnibus coli deberi, (Indis exceptis) hæc ſynodus decernit, in quibus ab omni ſervili opere ceſſandum eſt, a media nocte vigiliæ, uſque ad mediam noctem ſequentem, quo tempore feſtum terminatur, in eiſque miſſam integre audire omnes tenentur, ad quam, & ad verbum Dei audiendum, ubi commode fieri poteſt in ſuis parochiis omnes interſint, ut eſt a ſacro concilio Tridentino injunctum; Quod ſi aliqui in diebus feſtis hujuſmodi integram miſſam non audierint, arbitrio ordinarii plectantur; Qui vero tempore, quo miſſa conventualis celebratur, & ſacra concio habetur, in ludis occupati apprehenſi fuerint, juxta formam juris pœnas luant.

### § V.

*Conc. Mil. 3. fol. 584. verſ. neque vero excuſantur.*

Monet etiam hæc ſynodus patres, matreſque omnes, ut ſuos filios, & filias quantumvis minimæ ætatis ſint, ad miſſam audiendam ſecum deferant, præcipit etiam heris, ut famulos, & ſervos ſuos omnibus feſtis colendis miſſam audire faciant, in quo eorum conſcientiæ onerantur.

### § VI.

*Bulla Pii V. in bullario fol. 33. 2. col. verbo ut igitur. Conc. Mex. 1. c. 19. §. 3. & Guadix tit. 6. conſt. 16. & Milan. 1. fol. 39 verbo viduæ, & fol. 119. verbo epiſcopi ne patiantur, & Milan 3. fol. 584. verſ. neque vero excuſentur. Guadix tit. 6. conſt. 21. 22. 23. & 24. & Granat. tit. de feriis n. 45. & 6. & ſynod de Quiroga conſt. 97 98. 99. & 100. & Limenſ. 3. act. 3. c. 40. & act 4. c. 9. & Milan. 3. tit. de feſtorum dierum cultu fol. 583.*

Ut introducta jam corruptela funditus tollatur, qua relictæ viduæ, per multos dies ab obitu maritorum miſſam non audiebant, eccleſiæ præceptum tranſgredientes, jubet hæc ſynodus, ut viduæ, elapſo præſertim menſe poſt mortem mariti, a judicibus eccleſiaſticis, per cenſuras, & alias pœnas, ad ſacrum audiendum compellantur, idemque ſervetur cum mulieribus conjugatis, quæ ob virorum abſentiam per longum tempus miſſam non audiunt.

### § VII.

Quo vero ſervilia opera, a quibus in diebus feſtis vacandum eſt, omnibus innoteſcant, hæc ſynodus ſtatuit, ac decernit, ut in eis mercatum nundinæ, licitationes minime fiant, tabernæ etiam ubi merces, vel alia divenduntur, & emuntur, ſaltem dum miſſa conventualis celebratur, ne aperiantur.

### § VIII.

A ſono vero campanæ, qua populus ad conventualem miſſam vocatur, uſque ad finem miſſæ, eſculenta publice venalia ne exponantur: operarii per totum feſti diem jumentis ſuis ſarcinas ne imponant, nec mulieres iter agant, ſarcinas vehentes, niſi victualia eo tempore populo neceſſaria apportaverint. Tonſores per totum feſti diem, ne detondeant, furni ne ardeant, inſtrumenta, & machinæ minarum ceſſent, nec in eis ulli occupentur. Si qui vero hoc decretum violaverint, ſevere ab eccleſiaſticis judicibus punientur. Non tamen interdicitur chirurgis, & aromatariis ne in his diebus officia ſua exerceant, quantum ægrotorum ſaluti conveniet, itidemque permittitur temporibus metendi, rigandi, piſcandi, aut vermes ſericos nutriendi, & alia hujuſmodi terrenorum fructuum ratione faciendi, in feſtis diebus poſt auditam miſſam, de licentia officialium, & vicariorum, rebus hujuſmodi operam impendere; niſi neceſſitas occurrerit, earum jactura fiat.

### § IX.

*Bulla Pauli III. conceſſa in favorem Indorum. Mexic. 1. c. 18. §. 4. & Limenſe 3. act 4. c. 9.*

Felicis recordationis Paulus papa tertius Indorum paupertati proſpiciens, eos tam ſtricto vinculo, ut Hiſpanos ad feſtorum obſervationem devincire noluit, ac ob eam cauſam illorum commoditati conſulens ſequentia feſta Indis deputavit, ad quæ ſola obſervanda ex præcepto tenerentur.

### FESTA INDORUM.

*DIES OMNES DOMINICI in anno occurrentes.*

*Mexic. 1. c. 18. §. 5. & Limenſe 3. act 4. c. 9.*

NATIVITAS domini ſine duabus diebus ſequentibus.
Circumciſio domini.
Epiphania domini.
Dominica reſurrectionis ſine duabus diebus ſequentibus.
Aſcenſio domini.
Dominica pentecoſtes abſque duabus diebus ſequentibus.
Feſtum corporis Chriſti.
Nativitas beatæ Mariæ.
Annunciatio beatæ Mariæ.
Feſtum purificationis beatæ Mariæ virginis.
Aſſumptio beatæ Mariæ virginis.
Feſtum apoſtolorum Petri, & Pauli.

Aliorum feſtorum obſervatio, voluntariæ Indorum devotioni relinquitur: ne vero Hiſpani per ſe, aut ſervos ſuos in feſtis diebus ſervilia opera exercendi ex hoc occaſionem arripiant, quod Indi ab eis minime ceſſent, decernitur, Ne Indi hiſce feſtis in Hiſpanorum prædiis, aut aliis facultatibus, niſi de licentia ordinarii ſerviliter ſeſe exerceant.

### § X.

*Mexic. 1. c. 79.*

Itidem interdicitur, ne diebus dominicis, & feſtis, quorum obſervatio ad Indos pertinet, mercatum fiat, ut ratione hac tunc laborandi, & miſſam non audiendi, ab Indis auferatur occaſio. Si vero in aliquo Indorum oppido mercatum die dominico indictum ſit, alius hebdomadæ dies, in quo id fiat deſignetur.

### § XI.

Medicis quoque prohibetur, ne ægrotis medicamenta applicent, ita, ut eis impedimento eſſe poſſint, quominus feſtis diebus miſſam audiant, ſi talis ægritudo eſt, quæ ægrotum miſſam audire non impediat, & cujus medicina in aliud tempus differri poſſit.

ANNO CHRISTI 1585.

## LIBRI SECUNDI TITULUS IV.

*De dolo, & contumacia.*

§ I.

Lex Regia 9. tit. 8. lib. 2. recopil.

PRÆSENS, in illis locis, in quibus eccleſiaſticum tribunal exiſtit in judicium vocatus citati non poſſit, niſi de uno die in alium, aliter autem, citatione facta, etiamſi citatus non compareat, contumax reputari nequeat, nec abſens pro contumaci habeatur, ſi nuntius fidem non fecerit, ipſum citaſſe in perſonam propriam, uxoris, filiorum, aut famulorum, nec ſufficiet citatio ad hoſpites, vicinos, aut alias extraneas perſonas facta: contumaciæ vero coram judicibus incuſabuntur, & quicquid aliter factum ſit, denuo fiat.

Synod. Granat. tit. de dolo, & contumacia.

§ II.

Cum de contumacia cujuſque partis conſtet, in expenſis condemnetur contumax, quas antequam ulterius procedatur, compellatur ſolvere, niſi præſens maluerit, id in finem litis reſervare, & in alterius partis contumacia ulterius procedi, aut remedium miſſionis in poſſeſſionem elegerit, quod ſi fiat, regula de hoc in legibus horum regnorum præſcripta ſervetur.

Lex 1, & 2. tit. 11. lib. 4. recopil.

§ III.

In literis citationum, & monitoriis præcipiatur, ut ad aliquem diem certum citati, hora audientiæ compareant, quod ſi reus, vel actor minime comparuerit, & non comparentis contumacia fuerit incuſata; contumax reputetur. Si autem intra dictum diem venerit, etiam ſecundæ literæ expeditæ ſint, illarum expenſas ſolvat, qua ſolutione contumaciam purget, & in cauſa principali audiatur. Nullatenus vero ſecundæ literæ expediantur, niſi toto elapſo die, in quo terminus in primis literis præfixus finitur, neque reus, vel actor contumax reputetur, uſquequo conſiſtorium dimiſſum ſit.

§ IV.

Si actor intra terminum in literis expreſſum contumaciam non incuſaverit, reus contumax non reputetur, nec literæ illæ iterum legantur, nec virtute illarum contumacia incuſari poſſit, ſed literæ conditionales eſtimentur, veluti ſi expreſſe ſub conditione hac eſſent expeditæ; Si actor contumaciam incuſaverit, in dicto termino, ſi autem reus comparuerit, actore non comparente, actor in expenſis condemnetur, ſi id reus petierit: Quod ſi elapſo dicto termino actor contumaciam incuſaverit, & reus non comparuerit: Judices eum iterum in judicium vocari mandent, niſi juſtis de cauſis ſibi viſum fuerit reum poſſe legitime reputari contumacem. Si vero juſtæ cauſæ adſint, in decreto declarent, literæ tamen receptoriæ perſonaliter intimentur, ſi citatio prima perſonaliter facta non fuerit, aliter enim reus nullam ſententiam, nec contumaciam incurrit.

## LIBRI SECUNDI TITULUS V.

ANNO CHRISTI 1585.

*De teſtibus, & probationibus.*

§ I.

IN cauſis, in quibus ex officio proceditur, teſtes contra reos producendi expenſis cameræ, & pecuniis juſtitiæ ſumptibus applicatis ad ferendum teſtimonium, adducantur, quæ impenſæ condemnatione expenſarum ſubſequuta, & non alias, cameræ, & ſumptibus juſtitiæ perſolvantur, ne inde rei occaſionem arripiant preveniendi, aut ſubornandi teſtes.

Granat. ſynod. tit. de probat.

§ II.

In omnibus cauſis criminalibus, in quibus pœna corporalis, ſive exilii, aut publica pœnitentia imponenda ſit, teſtes in ſummario judicio recepti, in plenario ratificentur, non obſtante, quod pro ratificatis a reo habeantur. Quibus in caſibus, nec minori ulli, nec fiſcali reſtitutio in integrum ad accuſandum, aut ad probandum concedatur. Probatio vero, quæ per reſtitutionem hujuſmodi fiet, nulla ſit, imo a proceſſu deleatur.

§ III.

Mexic. [illegible] 42. [illegible] probat.

Judices per ſe ipſos in cauſis matrimonialibus dicta teſtium recipiant, neque probationes a ſolis notariis etiam principalibus fieri in cauſis criminalibus, aut civilibus magni momenti permittant, niſi ipſiſmet judicibus præſentibus, aut ſi juſta ex cauſa judices abſint, de ſpeciali eorum commiſſione; Quæ quidem ſpecialis commiſſio a judicibus ſubſcripta in principio probationis hujuſmodi collocetur, & in proceſſu deſcribatur. Commiſſiones vero nullatenus concedant in caſibus prædictis ad recipiendum teſtes, aliis miniſtris, quam receptoribus ab epiſcopo deputatis; neque in ſuis tribunalibus notorios quoſcumque aut officiales admittant, ad petitiones dandum, ad acta gerendum, neque ad teſtes in ſummario recipiendum, aut eis quodvis aliud receptionis genus committant, neque eos ad teſtes, aut teſtium ratificationes, neque ad recipiendas cautiones in judicio faciendas, neque ad aliud quicquam, quod ad judicium pertineat adhibeant, niſi fuerint ipſimet notarii tribunalis, aut receptores prædicti, & eis abſentibus, miniſtri ad id ab epiſcopo, vel juſſu epiſcopi approbati, qui ſpecialem proviſionem ad id obtineant. Probationes autem, & acta judicialia aliter confecta nulla ſint.

§ IV.

Quando teſtes ad inſtantiam partis extra civitatem ratificandi ſunt, eorum dicta in ſummario judicio habita, ne tradantur originalia, niſi prius exemplum publicum, aut authenticum, quod fidem faciat, penes notarium remaneat, nec tunc tradantur parti, contra quam ratificatio fieri debet. Quod ſi notarius quilquam ſecus fecerit, judicum arbitrio pro qualitate criminis punietur. Probationes vero ſummarie hujuſmodi receptoribus dentur, præſtito ab eis juramento, & obligatione de ſecreto ſervando uſque ad publicationem, & de eaſdem reſtituendo intra dies duos poſt elapſum terminum.



ANNO CHRISTI 1585.

§. V.

Quotieſcumque judicibus viſum fuerit convenire, ut teſtes perſonaliter deducantur, id ejus impenſis fiat, qui teſtes produxerit, judices autem, prius æſtimato, quod ratione itineris teſtes habere debent, illud teſtibus perſolvi faciant, antequam inde diſcedant.

§. VI.

Teſtium probationes in ſecunda inſtantia, ne fiant per eoſdem articulos, neque per directe contrarios, niſi, in caſibus, & eo modo, quod eſt a jure conceſſum: ut autem hoc evitetur præcipitur, articulos in ſecunda inſtantia producendos præter advocatum, a procuratoribus etiam debere eſſe ſubſcriptos, a quibus itidem examinentur, ſintne iidem articuli, an contrarii, & ſi ſecus fiat probatio a proceſſu deleatur, & procurator in hac negligens, pondo uno perſolvat.

§. VII.

In cauſis criminalibus, contra miniſtros ab epiſcopo deputatos, tractandis, ob dona, munera, pecuniaſve injuſte acceptas, aut colluſiones factas, quibus dona, ſive hujuſmodi munera accipere ab hac ſynodo prohibitum eſt, ea ſit ſufficiens ad condemnationem probatio, quæ in legibus novæ compilationis horum regnorum decreta eſt, juxta quas leges in his cauſis decidendum præcipitur.

Lex. 6 tit. 9. lib. 3. recop. & lex. 7. tit. 7. lib. 7. recopilation.

§. VIII.

Probationes, quæ earum qualitate attenta committi poſſunt, receptoribus committantur, quod ſi viſum fuerit expedire præcipiatur, quod vicarii, aut alii ſacerdotes loco judicum una cum receptoribus, hujuſmodi probationibus faciendis, aſſiſtant.

§. IX.

Cupiens hæc ſynodus effrænatam eorum audaciam reprimere, qui cum teſtes producuntur, in judiciis eccleſiaſticis hujus provinciæ, non ſine gravi Dei omnipotentis offenſa, ac juſtitiæ contemptu, ſuarumque animarum detrimento, & litigatorum præjudicio falſum dicunt teſtimonium, ſtatuit, ac præcipit, ut ſi quis coram quocumque ex officialibus, judicibus, aut aliis miniſtris perjurii reatum commiſerit, ſi clericus (quod abſit) fuerit de perjurio convictus, ſolvere parti compellatur, in cujus damnum hoc crimen admiſit, id omne, quod ob tacitam veritatem, vel expreſſam falſitatem, in præjudicium, & detrimentum dictæ partis ceſſerit, ac [a] propterea condemnetur in medietate fructuum unius anni præbendæ, ſeu beneficii ab eodem obtenti, & etiam in medietate fructuum omnium, quos percipit, toto eo tempore, quo in perjurio perſeveraverit. Cujus mulctæ pars una fabricæ eccleſiæ cathedralis, ubi id evenerit, applicetur, altera vero piis operibus ab epiſcopo deſignandis, tertia denique accuſatori: & præter hanc pœnam, in carcere tamdiu detineatur, quamdiu officiali videbitur. Si autem perjurus hujuſmodi, beneficii, ſeu præbendæ expers ſit, jubetur, & ultra ſatisfactionem parti cui præjudicium irrogavit faciendam, in pondo minarum quinquaginta condemnetur, quæ ad nuper præſcriptam formam diſtribuantur, & reus in carcere, ut dictum eſt, incluſus maneat per tempus judicis arbitrio deputandum: quod ſi is adeo pauper ſit, ut prædictam pœnam ſolvere nequeat, pecuniaria pœna commutetur in corporalem, pœna carceris aggravata, ac ſi perjurus ſæcularis ſit, ſatisfacere parti, cui perjurio nocuit, compellatur, & præterea paſtomide ejus linguam obſtringenti in valvis eccleſiæ per diem unum publice detineatur, niſi ejus fuerit conditionis, ut hæc pœna commutanda ſit, quo caſu delinquentes in exilium mittantur, aut graviori pœna judicis punientis arbitrio plectatur. Quod ſi cauſa in qua perjurium commiſit matrimonialis ſit, ob injuriam ſacramento illatam, præter jam dictam pœnam ei alia judicis arbitrio imponatur. Qui vero ad ſuæ cauſæ probationem teſtem falſum produxerit, quem ad dicendum falſum teſtimonium induxerit, eadem pœna puniatur, qua teſtem perjurum puniri, ſancitum eſt.

Mexican. 1. c. 88. & Guadix tit. 5. conſt. 22.

[a] Forte, præterea. H.

ANNO CHRISTI 1585.

§. X.

Sacerdotum bonori, quibus Indorum cura imminet, proſpicere volens hæc ſynodus, ne eo magis falſis accuſationibus agitentur, quo ſtudioſius ſubditorum indigenarum vitiis, aut Hiſpanorum avaritiæ modum imponere conantur: perpendenſque, quam proni ſint ad perjuria Indi, quamque facile ad id inducantur; ſtatuit, ac præcipit in primis, ne ullus ſacerdos a diſtrictu Indorum, cui miniſtrat expellatur, quamvis graves querelæ contra eum dentur, niſi prius per judicem ordinarium, aut delegatum, ibi inquiſitio fiat, ubi crimen admiſſum a ſacerdote dicitur. Si enim judex eccleſiaſticus ibi præſens aſſiſtat, de omnibus plene inſtructus, quæ, & quanta fides teſtibus ſit adhibenda facilius agnoſcet. Infideles nullatenus in teſtes admittantur, ut ſacris eſt canonibus conſtitutum, nec etiam illi, qui ſuſpecti ſunt, quamvis Chriſtiani, Indi, vel Hiſpani ſint, ſed ſolum timoratæ conſcientiæ homines, minimeque ſuſpecti. Neophytos ad jurandum nequaquam judex compellat, niſi cauſa ſit gravis, & cujus veritas aliter elucidari non poſſit. Quo in caſu moneantur primum neophyti, quam grave malum perjurium ſit. Si autem falſo aliqui juraſſe comperti ſint, eos, ut ceteri metu pœnæ terreantur, & cautiores evadant, publice flagellari judex præcipiat, & ut majori ignominia afficiantur, detonderi faciat. Denique in cauſis, quæ ex teſtimonio Indorum dependent, accurate judex animadvertat, quæ, & quanta fides teſtibus adhibenda ſit, præſertim cum manifeſta ſit omnibus Indorum ad perjuria propenſio. Quæ omnia Chriſtianæ judicum prudentiæ hæc ſynodus commendat.

Concil. Limenſ. 2. act. 4. c. 6.

Tex. in cap. fin. 3. q. 6.

In cap. ſuſpectos. In cap. nullus 3. q. 5. In cap. ſi teſtes 4. q. 3. Conſule de hoc Ferdin. curita in primo ench. quæſt. theolog. q. 20. fol. 72. Ex doctr. Menochii de arbitrar. judicum quæſt. caſu 90.

## LIBRI SECUNDI TITULUS VI.

*De ſententia & re judicata.*

§. I.

IN ſententiis, quæ ſuper matrimoniis clandeſtinis feruntur, ſemper jus petendi quicquid expedierit fiſcali reſervetur, idemque obſervetur in ſententiis, quæ ſuper binis nuptiis, & criminibus aliis inter partes proferuntur. Notarius vero reſervationem hujuſmodi fiſcali intimet, actaque intra tertium diem tradat, ut graves contra delinquentes pœnas poſtulet.

Syn. Granat. tit. de ſent. & re judic.

§. II.

ANNO CHRISTI 1585.

§ II.

Sententiæ, quas judices, & vicarii tulerint, juri, & his decretis conformes ſint, quarum poſtquam latę fuerint, niſi in caſibus a jure permiſſis, nulla ſit diſpenſatio. Decreta vero in ſcriptis fiant, ita ut ſemper de his conſtare poſſit. Quamvis autem in aliquibus ſummarie procedant, ad id exceptiones legitimas, & partium neceſſarias probationes, in forma a jure conceſſa admittere ne recuſent.

§ III.

Mexic. 1. 6. 76.

Quoniam ſæpe contingit, ut clerici, & ſæculares hujus provinciæ nonnulli, parte, vel fiſcale inſtantibus, ob aliqua commiſſa crimina in pœnis pecuniariis condemnantur, qui a ſententiis cum ſe gravatos ſentiant, provocantes etiamſi pecuniariam pœnam deponant, & de repræſentando cautionem præſtent, a judicibus minime e carcere liberantur, immo ſæpe ſæpius eo quod appellant novis vinculis conſtringuntur. Idemque fit cum accuſatores affligendi reos cauſa, & eoſdem in carcere detinendi, a ſententiis etiam juſte latis appellant. Ob eam cauſam ne deinceps his moleſtiis capti afficiantur, ſtatuit hæc ſynodus, ut pecuniaria mulcta in depoſitum data, & cautione præſtita de repræſentando: condemnatis hujuſmodi civitas, aut oppidum a judicibus, & officialibus pro carcere conſtituatur, pœna interpoſita non obſtante.

## LIBRI SECUNDI TITULUS VII.

*De appellationibus, & recuſationibus judicum.*

§ I.

Synod. Granat. tit. de ſent. & re judicata.

PRocuratores delinquentium, qui appellaverint in gradu appellationis minime audiantur, niſi teſtimonio adhibito, quo conſtet delinquentes in carcere detineri, aut eos antequam judex, a quo provocatum eſt, ſententiam ferret, præſtita cautione, fuiſſe liberatos.

§ II.

In cauſis criminalibus, quando aliquis ſe in gradu appellationis coram judice, ad quem perſonaliter conſtituerit, ne audiantur, donec teſtimonium oſtendat a judice inferiori carcere detentum non fuiſſe: deinde vero in carcere ſe præſentet, cui poſtea literæ citatoriæ, & compulſoriæ ad teſtimonium hujuſmodi, & proceſſum deferendum concedantur. Ne ob eam cauſam quod ſe coram judice ſuperiori conſtituerit, contra ejus bona, & fidejuſſores procedatur. Quod ſi conſtiterit, eum non effracto carcere, ad ſuperiorem judicem confugiſſe, nullaque damna inde ſubſequuta, & id ejus cauſa patiatur, convenienti præſtita cautione, alia carceris cuſtodia eidem poterit aſſignari, ſervatis in his, quæ a jure pontificio ſtatuta ſunt, & ab his decreta ſancita.

§ III.

Cum quis ſe coram judicibus appellationum conſtituerit, & cauſa non inter partes, ſed ex officio ventilata eſt, nec appellatum eſt a ſententia definitiva in caſibus, a jure, & hujus ſynodi decretis permiſſis, antequam admittantur, aut eidem literæ inhibitoriæ concedantur, conſtet appellantem captum detineri, ſive in carcere judicis, a quo, ſive judicis ad quem, & eo ſic detento, præcipiatur judici, ut ſi id inſtantiam partium proceſſit, eas nominet, & ut citentur, citatorium expediatur. Quod ſi ex officio cauſas, & rationes mittat, quibus adductus in cauſa proceſſerit, itidemque compulſoriæ literæ concedantur, ut acta, & proceſſus ad ſuperiorem judicem tranſmittantur, quibus tranſmiſſis, quod juris fuerit provideat. Ut vero hoc melius fiat, fiſcalis citetur, qui in cauſa ſe opponere teneatur, eique tamquam advocato ſalaria ob id conſtituantur.

§ IV.

Judices a quo ne inhibeantur a judicibus ſuperioribus, neque ab eis inhibitoriæ, aut ſuppreſſoriæ literæ concedantur, niſi actis proceſſus prius perſpectis, & examinatis; neque executio impediatur in cauſis, in quibus ex jure, & decretis concilii Tridentini per appellationem non ſuſpenditur executio ſententiæ, aut decreti. Quod ſi ſecus fiat inhibitiones, proceſſus, decreta, & alia inde ſequuta, & acta invalida ſint, & nullius effectus, ut eſt ab eodem concilio diſpoſitum, ac præterea in viſitationibus, & ſyndicatibus, judicum exceſſus hujuſmodi corrigantur. In conciliis quoque provincialibus horum exceſſuum ſi puniti non fuerint, ratio petatur. In appellationibus vero a ſententiis interlocutoriis, ſive reparari poſſunt, ſive non, per ſententiam definitivam officialis, & judicis, obſervent quod eſt a concilio Tridentino decretum.

Seſſ. 13. c. 1. & Seſſ. 14. c. 10. & ſeq.

Seſſ. 24. c. 5.

Conc. Mil. ... Seſſ. 13. & 24.

§ V.

Itidem interdicitur ne officiales, & judices metropolitanorum, & excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti cenſuras decernant, contra epiſcopos ſuffraganeos, juxta conſtitutionem Innocentii papæ quarti, quæ incipit. *Romana eccleſia*.

Tex. in cap. ...

§ VI.

In cauſis concubinatus quorumcumque, ſive eccleſiaſticorum, ſive ſæcularium, ſi hi, aut eorum concubinæ appellaverint, a carcere per judicem inferiorem, aut ſuperiorem ante ne liberentur, quam cauſa terminetur, niſi ob juſtas, valde, & neceſſarias cauſas judicibus videbitur, quorum conſcientiæ in hoc onerantur.

§ VII.

In gradu appellationis, partes ad probandum ne recipiantur, ſi ſe ad probandum non obtulerint; quod ſi fecerint, pœna eis impoſita ſi non probaverint, ad probandum admittantur.

§ IX.

Si appellans cauſam appellationis non proſequatur, & conceſſis ſibi compulſoriis literis, acta non tranſportet, appellationiſque deſertio a parte adverſa petatur, in hoc ſervetur quod eſt jure pontificio conſtitutum. Si vero deſertionem non petat, ſed proſequi cauſam velit, mandetur appellanti, ut ſuis impenſis acta, una cum cauſa, & ratione, quibus motus judex a quo ſententiam tulit, aut in cauſa proceſſit, deferat, termino ei ad hoc competente præfixo. Quod ſi appel-



ANNO CHRISTI 1585.

lans non effecerit, parti adverſæ facultas detur, ut appellantis ſumptibus proceſſum, una cum aliis jam dictis afferat, ſi ea appellationi alterius partis appellantis non adhæſit: ſi vero adhæſerit, omnibus utriuſque partis ſumptibus id fiat.

§ IX.

Quando aliquis ex officialibus fuerit recuſatus, recuſans recuſationis cauſas coram judice recuſato proponat, qui cauſas hujuſmodi ad epiſcopum deferat. Epiſcopus vero cauſam principalem decernendam ſuſcipiet, parteſque audiet in articulo recuſationis, ad præſcriptum conſtitutionis Bonifacii octavi, quæ incipit, *Si contra unum*: eamque ſervari, & adimpleri hæc ſynodus injungit.

Tex. in cap. ſi contra unum, de offic. deleg. lib. 6.

## LIBRI TERTII TITULUS I.

De officio epiſcoporum, & vitæ puritate.

*De his, quæ ad propriam epiſcopi perſonam pertinent.*

§ I.

ACcingere ſe volens ſacroſancta, œcumenica, generalis Tridentina ſynodus ad collapſam admodum eccleſiaſticam diſciplinam, juvante domino, reſtituendam; ac depravatos in clero, populoque Chriſtiano mores emendandos; ſpem in epiſcoporum integritate ſummam collocavit his verbis. Integritas præſidentium, ſalus eſt ſubditorum, & verus eccleſiaſticæ hierarchiæ ſcopus præcipuus is eſt, ut epiſcopum inſtruat omnibus numeris abſolutum, ſancto Dionyſio Areopagita dicente; pontificum ordo ſacratus is eſt, divina ſpeculantium ordinum, qui ſummus eſt, & ultimus. Sicut enim hierarchiam omnem in Jeſu terminari conſpicimus, ita unam quamque functionem in ſuum pontificem. Ex quibus facile colligere eſt, qua puritate vitæ, morumque integritate præditus is eſſe debeat, quem divina gratia, & aſſidua virtutum exercitatio, ad ſtatum perfectionis evexit: qua humilitate, qua benignitate, qua manſuetudine, qua caritate, pro vitæ exemplo, & ut uno verbo omnia, qua ſanctitate prælucere debeat in eccleſia Dei. Eam ob cauſam dominus præcipiebat ſtrictam cum mitra vitta hyacintina laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, in qua gemmario opere ſanctum domini eſſet nomen inſcriptum, a ſummo ſacerdote fronte geſtandam. Quo adeo ſanctitate præſtantes oportere eſſe epiſcopos ſignificaretur, & eamdem fronte deſcriptam aliis ad imitandum proponerent.

Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 1. de reform.

Mlan. 1. tit. de vita & honeſt. epiſc. a fol. 60 & Comp. conc. act. 3. c. 1. cum ſeqq. & Tolet. act. 2. a cap. 1. cum ſeqq. prov. de Quiroga act. 2. Dec. 3. & 5. & Lim. 1. act. 3. c. 1. & 2. optime Conc. Mil. 4. 3. p. tit. de epiſcop. cum ſeqq.

§ II.

Id igitur perpendens optime Mexicana hæc provincialis ſynodus, toto quo poteſt conatu, epiſcopos in domino cohortatur, ut dignitatis ſuæ ſemper memores, ſic vitam inſtituant, ut decet miniſtros Chriſti, & ſucceſſores apoſtolorum: ad quorum exemplum inardentes, ſalutis animarum zelo ſe componentes, aſſidue Deum pro ovibus deprecentur, eos verbi Dei prædicatione paſcant, & tamquam angeli cuſtodes populo ſibi commiſſo invigilent, eique proſpiciant; ac denique veluti boni paſtores ea, quam majorem nemo habet, caritate ſint accenſi, ut animam ſuam pro ovibus ponant. Quod humeris etiam angelicis formidandum onus, & humanis omnino impar, quia propriis viribus ſuſtinere non poſſunt, a Deo petant auxilium, & orationi frequenter vacent, ſtatutis ſibi horis; ut mente illuminentur, & ad Dei honorem, populique ſalutem dirigantur.

Conc. Mil. 4. 3. p. tit. de epiſcopi fol. 665. verbo in oratione.

§ III.

Sed, ut ex frequenti orationis uſu ad munus, quo funguntur, obeundum ſalutares fructus percipiant, unius horæ ſpatium ſingulis diebus orationi impendere monentur: in quo alta mentis contemplatione perpendant quid pro animarum ſalute Chriſtus ſummus paſtor effecerit, quidve perpeſſus fuerit: ut hac conſideratione excitati ſpirituale animarum commodum ardentiori zelo anhelent, & quo ad id opus eſt divinæ gratiæ auxilium vehementius implorent. Ad hæc, ſingulis quoque noctibus, illius apoſtoli ſententiæ memores, ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur: per aliquod temporis intervallum conſcientias proprias diligenti examine perſcrutentur: & quidquid eo die deliquerint; quicquid negligenter omiſerint pro peccatis ſubditorum abolendis; gravi dolore defleant, & emendent. Sic enim iram Dei in die tremendi judicii fugient, qua ſanguis pereuntium ovium de manu paſtorum negligentium requirendus eſt.

D. Paulus. 1. Cor. c. 11.

Conc. Mil. 4. dicto fol. 665. verbo confeſſar.

§ IV.

Ut epiſcopus vitæ ſanctitate, & morum integritate roboratus conſiſtat, populoque in hac re maxime ſatisfaciat, confeſſarium ſacerdotem ſibi deligat ætate gravem, vita probatum, doctrina inſignem, per quem Deus omnipotens in rerum difficultatibus, ſuo lumine epiſcopum illuſtret, & dirigat ad ea, quæ divinæ ſuæ gloriæ, populique ædificationi magis ſint conſentanea.

Dicto conc. 4. Mlan. d. fol. 665. verb. conf.

*De cura ſubditorum, & propriæ familiæ.*

§ I.

EPiſcopi, ut paſtorale officium poſtulat; benigni, ac manſueti ſint, languoribuſque ſanandis, ac pauperum miſeriis ſublevandis; cum omni pio, ac paterno zelo proſpiciant: taleſque ſeſe præbeant, ut ſubditorum moleſtias in omni patientia ſupportantes, eis aditum faciant, ne hæreant trepidi, ſed cum omni fiducia ad epiſcopos confugiant, ab eiſque in labore ſolatium, in paupertate auxilium, in morbo medicinam petant.

§ II.

Parochos, ſingulis hebdomadis ad ſe vocent, ab eiſque ſciſcitentur de ſubditorum ſtatu, de temporalibus, & ſpiritualibus populi ærumnis, de remedio peccatis publicis adhibendo, ut his omnibus accurate ſuccurrant.

§ III.

Quoniam qui domum ſuam regere neſcit, ex ſententia apoſtoli, nec eccleſiam Dei recte gubernabit. Hæc ſynodus epiſcopos monet, ut non ſolum ipſi vitæ exemplo ſubditos ædificent, ſed eos etiam familiares ſibi deligant, qui honeſtate vitæ, & morum integritate comprobentur: ne ſi populo ſcandalo ſint, epiſcopi miniſterium vituperetur. Oneri ſuo epiſcopo ſatisfacient, ſi con-

ANNO CHRISTI 1585.

ſi concilii Tridentini decreta, in quorum executione cleri, populique Chriſtiani reformatio conſiſtit, aſſidue legant, attente meditentur, diligenter exequantur.

*De doctrinæ cura.*

### § I.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 4. ſupra lib. 1. tit. 1. §. 2.

PRæcipua epiſcoporum cura in docendo populum evangelium Dei ſita eſſe debet: atque quod jam titulo de ſumma Trinitate, & fide catholica decretum eſt, ad eam rem maxime incumbant, oportet, ut parochi, & eccleſiaſtici viri ſua munera, & miniſteria in hoc adimpleant, quo ſubditi præſertim rudes, ſalutari verbi Dei doctrina paſcantur. Si vero (quod abſit) prædicator errores, aut ſcandala in populum diſſeminaverit, etiamſi regularis ſit, ei epiſcopus auctoritatem concilii Tridentini ſecutus prædicationem interdicat.

Seſſ. 5. c. 2.

### § II.

Seſſ. 23. c. 18.

Volens Tridentina ſynodus doctis, beneque inſtructis miniſtris adhibitis populum Chriſtianum omni ſalutari doctrina abundare, decrevit, ut in ſingulis diœceſibus collegium erigeretur, ubi pueri religioſe educarentur, & omnibus eccleſiaſticis diſciplinis imbuerentur: ita ut collegium hoc miniſtrorum Dei perpetuum eſſet ſeminarium. Quod cum ob rerum incommoditatem, in hac provincia ſortiri effectum hactenus non potuerit, ne tam ſanctum opus (& in his partibus, ubi meſſis, quidem multa eſt, ſed operarii pauci) maxime neceſſarium, labente tempore oblivioni traderetur: hæc ſynodus ſtatuit, ut epiſcopi, quo citius fieri poſſit, concilii decretum exequentes, pro cujuſque diœceſis facultate ſeminariis hujuſmodi inſtituendis, eam operam navent, ut ſemel inſtituta permaneant.

Conc. Lim. 3. act. 2. c. 44. & Mil. 5. tit. de ſemin. 2 fol. 759. ipſeque ſanct. Car. Borromæus arch. Med. ple. & ſtaſhe docet in ædibus ſuæ eccl. tomo 2. p. 5. act. fol. 947.

### § III.

Ne deſit numerus confeſſariorum, qui ſcientia periti ſint, & in adminiſtratione ſacramentorum verſati, atque ut errores, & damna quæ ex miniſtrorum ignorantia ſæpe proveniunt, vitentur; ſtatuit, ac præcipit hæc ſynodus, ut in ea diœceſi, ubi conſcientiæ caſus, & ſacramenta nullus legendo interpretatur, aliquem ad id epiſcopi conſtituant, & ubi jam conſtitutus eſt, ut in eo munere perſeveret procurent. Clericos vero omnes ibi reſidentes compellant; niſi in theologia, vel decretis gradum obtineant, & epiſcopo probati ſint, ut hos audiant magiſtros: quos ſi audire neglexerint, neque ad ordines, neque ad beneficium, neque ad ſacramentorum adminiſtrationem recipiantur.

### § IV.

Seſſ. 23. c. 12. & 15.

Sacerdotum, miniſtrorumque eccleſiæ ignorantiam ex eo oriri certum eſt, quod in his examinandis epiſcopi negligenter agant. Quare ad præſcriptum concilii Tridentini jubentur, ne quemquam, ſive ſæcularem, ſive regularem ſine diligenti examine, regulis hujus ſynodi ſervatis, ad ordines recipiant: neque ad audiendum confeſſiones ſæcularium, etiamſi ſacerdotes ſint, niſi præcedenti examine juxta dictas regulas idoneus repertus ab epiſcopo facultatem obtineat. Hanc autem facultatem epiſcopi caute concedant, eorum ſufficientia ponderata, de quibus periculum fecerunt ad certos perſonarum ſtatus eam limitantes. Semel autem examinati, & probati ad confeſſiones audiendas, ab eodem epiſcopo non examinentur, niſi nova cauſa ſupervenerit.

ANNO CHRISTI 1585.

### § V.

Cum dolendum ſit valde, de quorumdam negligentia ſacerdotum, qui quamvis ex officio Chriſtianis documentis Indos inſtruere teneantur, ſubditorum linguam ediſcere negligunt, ſine qua fidei Chriſtianæ myſteria, nec vim ſacramentorum animæ ſalutarem docere poſſunt: hæc ſynodus epiſcopos monet, ac ſi opus eſt, eiſdem mandat, ut intra ſex menſes ab horum decretorum publicatione computandos, clericos in regionibus Indorum beneficia cum onere obtinentes, in materna earumdem regionum lingua examinent: & quos repererint linguæ hujuſmodi ignaros, ſex menſium ſpatio præfinito ad diſcendam linguam compellant: admonentes eos, quatenus elapſo termino, ſi linguam hujuſmodi non didicerint, beneficium, quod obtinent, ipſo facto, vacabit, & alteri de eo fiet proviſio. Quod ſi ob nimiam idiomatis obſcuritatem, vel ob aliam juſtam cauſam id fieri non licuerit, poſſit tunc epiſcopus alios ſex menſes peremptorie præſcribere, omni ſpe amplius prorogandi ſemota: in quo, & in regula decima octava cancellariæ apoſtolicæ adimplenda conſcientiæ epiſcoporum onerantur.

### § VI.

Ne Indorum inſtructio unquam intermittatur, miniſtris eccleſiaſticis Indorum exeundi a ſuis regionibus, niſi ex urgenti cauſa, facultatem epiſcopi non concedant. Quando vero alicui conceſſerint in ejus abſentia idoneum ſacerdotem ſufficiant.

*De viſitatione propriæ provinciæ.*

### § I.

NIhil eſt ad ſalutem gregis accommodatius, quam præſentia paſtoris. Sed quia univerſam diœceſim oculis perluſtrare, eique omni epiſcopus aſſiſtere non poteſt, viſitatio ordinaria adhibenda eſt. Quamobrem juxta concilii Tridentini decreta hæc ſynodus ſtatuit, ut epiſcopi quotannis, vel ſaltem ſingulis bienniis propriam diœceſim per ſe ipſos viſitent; aut ſi legitime impediantur, viſitatores deligant, ſapientia, & vitæ exemplo probatos, ab omni cupiditate alienos, ac denique tales, a quibus cleri, populique reformatio, & executio formulæ titulo de viſitatoribus ab hac ſynodo præſcriptæ, in omnibus ſperanda ſit.

### § II.

Seſſ. 24. c. 3. de reform.

Ad morum emendationem, non minoris utilitatis eſt, temperantiæ, ac modeſtiæ Chriſtianæ exemplo ſubditos ædificare, quam de eorum delictis inquirere, eademque corrigere: quod ut ſibi animo proponant, dum epiſcopi ſuas diœceſes viſitant, hæc ſynodus vehementer exoptat. Quamobrem auctoritate concilii Tridentini ſuffulta epiſcopis mandat, ne cum ſuam diœceſim viſitaverint, inutilibus ſumptibus, cuiquam graves, oneroſive ſint, neve ipſi, aut



ANNO CHRISTI 1585.

aut quiſquam ſuorum, quicquam procurationis cauſa, pro viſitatione etiam teſtamentorum ad pios uſus præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine; nec pecuniam, neque munus quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur accipiant, nonobſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus, quæ ſibi, & ſuis frugaliter, moderateque pro temporis tantum neceſſitate, & non ultra erunt miniſtranda. Quod ſi quiſquam (quod abſit) aliquid amplius in ſupra dictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit, is præter dupli reſtitutionem intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis juxta conſtitutionem concilii generalis Lugdunenſis, quæ incipit, *Exigit*, necnon aliis pœnis in ſynodo provinciali arbitrio ſynodi, ſine exceptione mulctentur, ne integritas, quæ in viſitatione ſervari debet, ullatenus detrimentum accipiat.

Tx. in cap. exigit de cenſibus li. 6.

### § III.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 11. de regular. Cedula Real de ſa Mageſtad de Barcelona primero de Junio de 1585.

Viſitent epiſcopi eccleſias, & quas doctrinas vocant, ſeu conditiones, ubi religioſi commorantur, ibique euchariſtiæ ſacramentum, fontem baptiſmalem, fabricam eccleſiæ, & eleemoſynas eccleſiæ erogatas, ac reliqua omnia, ad eccleſias, & divinum cultum ſpectantia. Quoad viſitationem vero fabricæ eccleſiæ, illæ domus intelliguntur exceptæ, quæ ab ipſis regularibus, propriis ſumptibus ſunt ædificatæ. Viſitent etiam religioſos in prædictis doctrinis, ſeu conditionibus degentes, quoad animarum curam, quam exercent, eoſque paterno zelo corrigant, eorum honori, & bonæ famæ proſpiciant, atque id omne præſtent, quod ad effectum hujuſmodi neceſſarium ſit, juxta decretum ſacroſancti concilii Tridentini, ut in titulo de regularibus mentio fit.

Seſſ. 25. c. 14.

### § IV.

Fundatur in lege 4. tit. 7. lib. 3. recop. & Concil. Compoſt. act. 3. c. 19. & Tolet. act. 2. c. 17. Synod. de Quiroga conſt. 113. & provinc. ejuſdem Quiroga act. 3. c. 1 & Milan. 3 fo. 604. verb. quotannis. Conc. Tol. act. 2. c. 17. verbo ſed ſi prædict. & approb. in concilio provin. celebrato ab eodem Quiroga act. 3. Decreto 1. Mexic. 1. c. 35. cum § primo.

Ut in omnibus eccleſiaſticis tribunalibus, pure, recteque agatur, metropolitanus, ceterique epiſcopi per ſe, vel per deputatam perſonam ſaltim quolibet triennio, officiales, vicarios, viſitatores, fiſcales, notarios, alioſque juſtitiæ miniſtros viſitent, ab eiſque gravamina illata reſarciant, ac pro qualitate criminum, uſque ad officii privationem eoſdem puniant. Si vero horum aliquis, ex quacumque cauſa ante triennium officium dimittere debeat, per dies triginta inquiratur, & officium eo tempore non exerceat. Quando autem per epiſcopi obitum officia vacaverint, ab alio officiales ne inquirantur, quam ab epiſcopi ſucceſſore, præſtitis ſede vacante fidejuſſoribus, de ratione officiorum poſtea reddenda, & de ſtando rei judicatæ.

### § V.

In viſitatione epiſcopi accurate provideant, ut eccleſiæ eo cultu teneantur, qui decet domum Dei, ſi quas vero eccleſias eo, quo oportet cultu, ſine gravi indigenarum moleſtia teneri non poſſe, eaſque minime neceſſarias, imo ſupervacaneas repererint, dejici jubeant, quæ autem neceſſaria judicabuntur reparari faciant; & convenienti cultu ornari. Facultatem denuo ædificandi eccleſias, aut eremitoria ſine urgenti cauſa ne concedant: Si vero facultas detur, curent, ut eccleſiæ, & eremitoria hujuſmodi in ſitu, & loco impartiendæ doctrinæ Indis magis commodo quam miniſtrorum commoditatibus opportuno, juxta regiæ majeſtatis ſchedam erigantur.



ANNO CHRISTI 1585.

### § VI.

Mexic. 1. c. 69 & Comp. act. 3. c. 2. & Tolet. act. 2. c. 3. & Gran. tit. de offic. rectoris nu. 22. & Mil. 3. fol. 604. verbo epiſc. non ſolum. Seſſ. 25 in decreto de purg. tit. de invoc. venerat. & reliq. ſanct. Limenſe 3. act. 4. c. 10. Compoſt. act. 2. decr. 6. & Mil. 1. tit. de ſanct. reli. vener. & Milan 4. tit. de ſacris reliq.

Singulis quoque menſibus, ſemel epiſcopi viſitent carceres eccleſiaſticos, & in eis incluſos, dentque operam, ut capti qui, vel eccleſiaſtico, vel ſæculari carcere detinentur, miſſam, & quandoque verbi Dei prædicationem audiant.

### § VII.

Ad tollendos abuſus, & exſtirpandas ſuperſtitiones, quæ imprudenti quorumdam pietate erga ſanctorum reliquias, & indulgentias irrepere ſolent, epiſcopi concilii Tridentini decretum exequentes, quam primum ſanctorum reliquias, quas in ſua diœceſi compererint, tam in eccleſiis, & monaſteriis, quam in poteſtate particularium perſonarum, cujuſcumque ſtatus, & conditionis, examinent, & recognoſcant. Quæ ſi authentico teſtimonio non probentur, deferri, aut in loco publico venerandas proponi nullatenus permittant. De indulgentiis etiam injungitur, ne ſcilicet eas publicari conſentiant, niſi *literis apoſtolicis*, aut earum teſtimoniis optime diſcuſſis, authenticiſque repertis. Solet enim fidelibus eſſe occaſio, ut eorum devotio, erga authenticas, & veritatis teſtimonio comprobatas reliquias, aut indulgentias tepeſcat, ſi eæ, quæ authentico teſtimonio carent in veneratione habentur, ac frequentantur. Deinceps autem indulgentiarum tabellæ, niſi ab epiſcopo, ſive ejus officiali ſubſcriptæ, ac notarii fide roboratæ, in eccleſiis non affigantur. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſevere corrigatur exceſſus.

### § VIII.

Mexic. 1. c. 36. & ſynod. de Quiroga conſt. 66.

Ut a rebus ſacris omnis ſimoniæ occaſio funditus tollatur, calices, aut veſtes eccleſiaſticas epiſcopus ne conſecret, aut benedicat, prinſquam diligenter inquirat, an conſecrari, aut benedici petantur, ut venundentur. Quod ſi hujus rei cauſa ſit, ob incommoda, quæ inde oriri poſſent evitanda; conſecratio, & benedictio hujuſmodi concedenda non eſt.

### § IX.

Conc. Baſil. ſeſſ. 21. in princ. tom. 4. concil. & Tarracon. concil. in c. Loqui de offic. vicar. & Compoſt. act. 3. c. 2. & Limenſ. 3. act. 3. c. 6. & Milan. 4. tit. de benefic. collat. ac proviſio. verbo, ut avaritiæ. Seſſ. 24. cap. 14. & ſeſſ. 25. c. 18. Compoſt. act. 3. c. 24. & Tolet. act. 2. c. 15.

Nihil quicquam pecuniæ, ac precii epiſcopi accipiant, aut eorum judices accipere permittant, pro collatione ordinum, beneficiorum, præbendarum, capellaniarum, aut earum inſtitutione, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, aut alia cumque de cauſa ad res hujuſmodi ſpectante, nec pro diſpenſationibus, quæ eis committentur, ut eſt a concilio Tridentino ſancitum, ſub pœnis ab eo ſtatutis.

### § X.

Maxime oportet juſtitiæ officia benemeritis perſonis conferri gratis, ut cum omni integritate, & fidelitate exerceantur: pretium enim, quo emuntur, in cauſa eſſe ſolet, ut juſto ſtipendio officiales contenti non ſint. Eam ob cauſam interdicit hæc ſynodus, ne epiſcopi vendant, aut locent officia notarii, fiſcalis, executoris, ſeu lictoris ſuorum tribunalium: Nec illi, quibus conferuntur, vendere, locareve poſſint. Quod ſi ſecus



fiat,

ANNO CHRISTI 1585.

Limenſ. 3. act. 3. c. 8. Conc. Mil. 5. fol. 785. verbo de emolum. & ſynod. de Oſma tit. 52. Seſſ. 22. c. 10.

fiat, venditiones, ſeu locationes hujuſmodi nullæ ſint, emptor autem, & cui locatum officium fuerit, ejus jacturam faciat, venditor vero, & locator quidquid hujus rei cauſa pecuniarum acceperint, fabricæ eccleſiæ cathedralis reſtituat. Porro ut quod per concilium Tridentinum expoſitum, eſt executioni mandetur, Epiſcopi notarios hoc tempore officium exercentes examinent, eiſque idoneis minime repertis, exercendi officii uſum interdicant, neminemque in poſterum notarii officium, niſi de eorum conſenſu, & approbatione exercere permittant. Notarios vero Latinæ linguæ ignaros, in cauſis Latine ſcriptis ſe interponere minime patiantur.

§ XI.

Diſpenſationes, quæ de jure ex commiſſione ſummi pontificis ad epiſcopos pertinent, ipſi per ſe exequantur, nec eas ſuis officialibus committant, idemque ſervetur in concedendis literis dimiſſoriis ad ordines, ſi epiſcopi ſint in provincia.

§ XII.

Conc. Lim. 3. act. 4. c. 15.

Quia æquum eſt, ut qui altari deſervit, de altari paſcatur: non æquum tamen ſi nullo conſtituto ſtipendio, quidquid, pro ratione miniſterii exigere velit, miniſtri relinquatur arbitrio; Hæc ſynodus epiſcopis mandat, ut cum nulla generalis regula, terris adeo diverſis præſcribi poſſit, ſinguli quo brevius fieri poterit, in ſuis diœceſibus ſtipendium miniſtris eccleſiæ pro cujuſque ratione miniſterii, & regionis conditione ad victum congruum æqua æſtimatione conſtituant.

§ XIII.

Tx. in cap. Sicut olim de accuſat. & in cap. epiſcopus in ſyn. 35. q. 6. & Tolet. 3. c. 25. & ſynod. de Quiroga ad finem fol. 78. & 79. & prov. ejuſdem Quiroga act. 3. c. 51. & 21. Mexic. 3. act. 4. c. 23. & Milan. 3. fol. 604. verb. epiſc. in urbe ſua, & 4. 3. p. tit. de teſtibus ſynod.

Fruſtra conderentur leges, ſi iis obſervandis vigilans cura non adhiberetur, & de earum obſervatione nulla ratio peteretur. Quare conſtitutionem concilii Lateranenſis, quæ incipit, *Sicut olim*: hæc ſynodus ſequuta, decernit ac præcipit, ut epiſcopi per ſuas diœceſes viros ſtatuant, doctrina, & vitæ exemplo probatos, qui ſolicite inveſtigent, an, & quomodo ſacri canones, & hujus ſynodi decreta ſerventur, & teſtium ſynodalium officio fungentes, prima futura provinciali ſynodo de ſua diligentia, aut negligentia rationem reddant.

§ XIV.

Singuli quoque epiſcopi libros duos habeant, in quorum uno, parochiales eccleſias omnes ſuarum diœceſum deſcribant, rectoreſque earum annotent, etiamſi per ſe ipſos, vel per vicarios parochiis miniſtrant, cauſam etiam, ob quam, qui vicarios adhibent in eccleſia non reſident, aut ad reſidendum non fuerint compulſi: In altero vero libro viſitationes ſcribantur per epiſcopos, vel per viſitatores factas, quas ipſi, eorumque notarii ſubſcribant, ut in provinciali ſynodo conſtare poſſit quas eccleſias viſitaverint, quaſve non. Hoc enim veluti ſtimulo excitabuntur epiſcopi, & viſitatores ad ea implenda, quæ ſibi ex munere incumbunt, aut ſi minus fecerint, de opportuno remedio providebitur.

ANNO CHRISTI 1585.

§ XV.

Etſi de omnibus, quæ ad cultum divinum pertinent, epiſcopos ſollicitos eſſe oportet, ut miniſtri eccleſiaſtici injuncto ſibi muneri perfecte ſatisfaciant, in eam præcipue curam incumbere admonentur, ut ſacerdotes ſanctiſſimam eucharistiam venerentur, & colant, ad quam conficiendam, & omni cultu proſequendam ſacris fuerunt ordinibus initiati: quam ob cauſam curent epiſcopi, ut in ipſo inſtitutionis ſanctiſſimi hujus ſacramenti die; feria videlicet quinta in cœna domini, ſacerdotes aliqui una cum ſæcularibus eo tempore in eccleſia commorari ſolitis, corpori dominico aſſiſtant, quando vero ſanctiſſima euchariſtia ad infirmos ducitur, eam ſacerdotes ſuperpelliceis induti devote comitentur, ut eorum exemplo, devotio ſæcularium ferventior ſit, & ab omnibus Chriſto domino verus honor, veruſque cultus exhibeatur.

Con. Mil. fol. 5[illegible] verbo Sacerd.

§ XVI.

Sicut oportuit in eccleſia Dei graviſſimorum quorumdam peccatorum caſus epiſcopis reſervari; ita conveniens eſt, ut in foro exteriori cauſæ graviores, & quæ majori indigent ſpeculatione, & auctoritate eiſdem quoque reſerventur. Quia vero matrimoniales cauſæ, ubi de divortio, & ſeparatione quo ad thorum, & vinculum agitur, in populo Chriſtiano graviſſimæ ſunt: de eis tantum epiſcopos cognoſcere poſſe, hæc ſynodus ſtatuit, ac jubet.

Conc. Trid. [illegible] Conc. Trid. [illegible] c. 20. [illegible] Conc. Lim. 3. [illegible] c. 15.

§ XVII.

Quod ſi in aliquo caſu epiſcopis videatur, cauſam ſuis officialibus, quoad proceſſum conficiendum ſubmittant, deciſione cauſę ſibi ipſis retenta. Quando vero ad hoc officiales delegari contigerit, ipſi quemquam alium ſubdelegare non poſſint, prꝙſertim ad teſtes examinandos, & eorum teſtimonia ſuſcipienda.

§ XVIII.

Seſſ. 25. c. 10. [illegible]

Quoniam ob locorum diſtantiam notitia perſonarum, quibus cauſę mandantur a ſummo pontifice plene haberi non poteſt, & ex hujuſmodi delegatione cauſarum multa incommoda poſſunt oriri: Sacroſanctum Tridentinum concilium renovans Bonifacii octavi conſtitutionem, quæ incipit, *Statutum*, decrevit, a metropolitanis, & diœceſanis ſingulis, in ſuis diœceſibus quatuor ſaltim perſonas ad id aptas deſignari, quibus cauſæ delegandæ committentur; quam deſignationem epiſcopi ad ſummum pontificem tranſmitterent; id circo epiſcopi omnes hujus Mexicanæ provincię in ſynodo provinciali congregati, perſonas hujuſmodi deputarunt in hunc, qui ſequitur modum.

Ex ſynod. de Quiroga ad finem. fol. 79.

*Perſonæ in archiepiſcopatu Mexicano ab illuſtriſſimo metropolitano deſignatæ.*

Doctor Joannes çurnero eccleſię Mexicanę archidiaconus.

Doctor Sancius Sanches de Muñon, ejuſdem eccleſię ſcholaſticus.

Bachalaureus Petrus Garces, ejuſdem eccleſiæ theſaurarius.

Bachalaureus Alphonſus Lopez de Cardenas.

Doctor Melchior de la Cadena.

Bachalaureus Alphonſus de Ecixa, canonici ejuſdem eccleſię.

Per-



ANNO CHRISTI 1585.

*Perſona a reverendiſſimo epiſcopo Guatemalenſi in ſuo epiſcopatu deſignata.*

Petrus de Liebana decanus eccleſiæ Guatemalienſis.

Didacus de Carvajal archidiaconus ejuſdem eccleſiæ.

Licentiatus Franciſcus Gonzalez ſcholaſticus ejuſdem eccleſiæ.

Bachalaureus Gundiſalvus de Alarcon, theſaurarius ejuſdem eccleſiæ.

*Perſona a reverendiſſimo Mechuacanenſi in ſuo epiſcopatu deputata.*

Licentiatus Alphonſus de la Mota, & de Scouar decanus eccleſiæ Mechuacanenſis.

Bachalaureus Didacus de Orduña ſcholaſticus ejuſdem eccleſiæ.

Doctor Alphonſus Ruyz canonicus ejuſdem eccleſiæ.

*Perſona deputata in ſuo epiſcopatu a reverendiſſimo epiſcopo Tlaxcallenſi.*

Thomas de la Placa decanus eccleſiæ Tlaxcallenſis.

Bachalaureus Ferdinandus Pacheco archidiaconus ejuſdem eccleſiæ.

Bachalaureus Alphonſus Perez de Andrada cantor ejudem eccleſiæ.

Franciſcus de Betera ſcholaſticus ejuſdem eccleſiæ.

Doctor Joannes de Cervantes theſaurarius ejuſdem eccleſiæ.

Bachalaureus Garcia Rodriguez Maldonado canonicus ejuſdem eccleſiæ.

*Perſona deputata in ſuo epiſcopatu a reverendiſſimo epiſcopo Yucatanenſi.*

Bachalaureus Franciſcus de Quintana archidiaconus Yucatanenſis.

Leonardus Gonzalez de Sequera theſaurarius ejuſdem eccleſiæ.

*Perſona deputata in ſuo epiſcopatu a reverendiſſimo epiſcopo Xaliſconenſi.*

Licentiatus Martinus de Spes decanus eccleſiæ Xaliſconenſis.

Licentiatus Franciſcus de Segura cantor ejuſdem eccleſiæ.

Franciſcus de Morales theſaurarius ejuſdem eccleſiæ.

Licentiatus Melchior Gomez de Soria canonicus ejuſdem eccleſiæ.

*Perſona deputata in ſuo epiſcopatu a reverendiſſimo epiſcopo Guaxacanenſi.*

Doctor Sancius de Alzoris decanus eccleſiæ Guaxacanenſis.

Bachalaureus Petrus de Alaves archidiaconus ejuſdem eccleſiæ.

Franciſcus de Couarrubias canonicus ejuſdem eccleſiæ.

## LIBRI TERTII TITULUS II.
### De officio rectoris, & plebani.

*De officio parochi, & doctrina cura.*

§ I.

De hoc tit. ingenere bene loquitur in conc. 1. Mil. par. 2. de his quæ ad ſacram. adminiſtr. pertinent. &

ANimarum curam gerere, earum morbis mederi, & eas ad Deum ducere, in quibus omnis curatorum officii ratio verſatur, ars artium, & ſcientia ſcientiarum eſt. Sed quia in re tanti ponderis, & momenti, ubi de animarum ſalute agitur, quælibet negligentia valde periculoſa eſt, parochos omnes, tam ſæculares, quam regulares hæc ſynodus quantum poteſt in domino cohortatur, eiſque præcipit, ut impoſitum ſuis humeris onus attente conſiderent, & eis, qui ſpirituali ſubditorum utilitatis conſulunt, promiſſum præmium animadvertant, ac negligenter agentibus ſtatutum ſupplicium ob oculos ponant, divinaque adjuvante gratia, ad id toto pectore incumbant, ut in ſuo munere obeundo omnem operam præſtent. Quo vero officii ſui rationes parochis magis notæ ſint, in decretorum hujus ſynodi, eorum præſertim, quæ ad ſuum munus pertinent, aſſidua lectione verſentur, librumque decretorum hujuſmodi, poſt ſex menſes a die publicationis eorum computandos emant, & ſecum habeant, ſin minus pondo decem mulctentur, quorum partes duæ fabricæ eccleſiæ, cujus exercent curam tribuantur, tertia vero accuſatori, aut, eo deficiente, judici, a quo officio id fuerit judicatum.

ANNO CHRISTI 1585.

Granat. tit. de offic. rectoris, & ſynod. de Quiroga a conſtit. 41. uſque ad conſt. 47.

Vide ſupra tit. de conſt. § 3.

Conc. Gener. Tom. XXI.

§ II.

Cum prædicatione verbi Dei, ac doctrinæ Chriſtianæ documentis maxime ſubditorum mentes illuminentur, & ad Deum dirigantur, præcipit hæc ſynodus, ut huic rei curati potiſſimum invigilent, eo tempore, & ordine, quibus titulo de ſumma Trinitate, & fide catholica preſcribitur.

Supra lib. 1. tit. 1. § 2.

*De adminiſtratione ſacramentorum.*

§ I.

PErpendant parochi diſpenſationem ſacramentorum, quę cibus, & medicina animarum ſunt, a domino ſibi creditam, & quam ſint Deo rationem redditurí, ſi in paſcendo grege minus ſollicite egerint. Quamobrem tamquam ſervi fideles miniſterium impleant, petentibuſque, & indigentibus ſpiritualem cibum ne denegent, ſed ita ſe gerant, ne incuria, aut negligentia, adminiſtratio ſacramentorum omittatur.

§ II.

Vocati ad alicujus infirmi peccata audiendum eo ſine mora feſtinent, ſcientes ęgroti ſalutem ſpiritualem a propero eorum adventu pendere poſſe. Quoties vero ſecus fecerint, pondo quinquaginta mulctentur, fabricę eccleſię, pauperibus, & accuſatori ęque diſtribuendis, & ab officio, ac beneficio per bimeſtre ſuſpenſi ſint. Si vero quilibet alius ſacerdos, abſente parocho, in caſu neceſſitatis ad audiendum peccata vocatus ire recuſaverit, epiſcopi arbitratu puniatur. Quod ſi parochus, aut ſacerdos hujuſmodi ęgroti idioma non noverit, interpretem adhibeat, ut ęgrotum merentem conſoletur, & exhortetur. Si autem ſe ad id non teneri, valde tamen animę ſaluti utile eſſe, admonitus per interpretem peccata ſua ęgrotus confiteri voluerit, & interpres ſpectatę fidei ſit, ea ſacerdos audire poterit. Curati quoque omnes ſubditis ſuis in mortis articulo conſtitutis aſſiſtant, eoſque exhortentur, ad formam in catechiſmo ab hac ſynodo probato contentam.

Vide ſupra lib. 1. tit. 1. § 10. & 11.

§ III.

Cum ſanctiſſimę euchariſtię, quę cibus, & vita animę eſt, ac peregrinantium in hoc ſęculo

Z z 3 for-

ANNO CHRISTI 1585. Seſſ. 21. c. 6.

fortitudo, jam uſque a renaſcente eccleſia cum fructu animarum uberrimo frequens ſit uſus; cumque optet ſacroſancta Tridentina ſynodus, ut in ſingulis miſſis fideles aſtantes non ſolum ſpirituali affectu; ſed ſacramentali etiam euchariſtiæ perceptione communicent. Quorumdam nihilominus adeo imprudens zelus eſt, ut Indos & ſervos, qui tanquam parvuli recens in Chriſtiana fide nati, tam ſalutari indigent alimento ab euchariſtiæ perceptione arceri velint. Quamobrem parochos omnes hæc ſynodus hortatur, eiſque jubet, ut Indos, ac ſervos hujuſmodi accurate edoceant vim, & rationem tanti ſacramenti, puritatem quoque conſcientiæ, & animi reverentiam, quibus digne ſe præparent ad euchariſtiæ ſumptionem. Quos vero hac animi præparatione diſpoſitos noverint, eis (præſertim ſi infirmi ſint) nullatenus euchariſtiam denegari patiantur, ne ſine tanto viatico, & ſine extremæ unctionis ſacramento, ut eſt titulo de ſacra unctione ſancitum, ex hac vita diſcedant.

Supra lib. 1. tit. 6. § 3.

*De vigilantia, & cura circa ſubditos, præſertim in ſacramentorum receptione.*

§ I.

Mexic. 1. c. 6. & 7. De materia hujus § cum ſeqq. Inquiſit. Guadix tit. 2. conſt. 23. 32. 33. 34 & 35. ſyn. de Quiroga conſt. 11. & Granat. tit. de pœn. & remiſſio. n. 20. 21. 23. & 27. Mex. 2. cap. 24. Conc. Mil. 5. tit. quæ ad ſacram pœnitentiæ pertinent in principio.

UT parochi ſæculares, & regulares ovium vultum cognoſcant, & utriuſque ſexus fideles ſibi commiſſi, in ſua, quique parochia, ſtatutis ab eccleſia temporibus peccata confiteantur, & euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipiant, parochiales ſuos utriuſque ſexus, Hiſpanos, mixtos, Æthiopes & ex altero parente Æthiope ortos, & Indos decem annorum ætate majores, conjugatos, & cælibes ſuis nominibus in indice deſcribant, exprimendo familiæ capita, virum, & uxorem, filios, famulos, ſervos, necnon paſtorum, agricolarum, & aliorum in agris commorantium, ſibi ſubditorum, in eodem indice mentionem faciant, ut de perſonarum numero, quarum peccata audire debent parochis hoc modo conſtet. Indices vero hujuſmodi ſingulo quoque anno conficiant a principio quadrageſimæ in Hiſpanorum locis; a ſeptuageſima autem, vel antea (ſi epiſcopo viſum fuerit) in oppidis, ſeu pagis Indorum.

§ II.

Moneant quoque parochi a dominica ſeptuageſimæ parochiales ſibi ſubditos, ne uſque ad quadrageſimæ finem peccatorum confeſſionem differant: ſed potius ita ſe ad eam præparent, ut ante majorem hebdomadam peccata confeſſi, tempore ab eccleſia præfinito, ſacroſanctam euchariſtiam percipiant.

§ III.

Parochi Hiſpanorum, dominica Quaſimodo inter miſſarum ſolennia, tempore offertorii publice in ſua cuique parochia denuntient Hiſpanos omnes, mixtos, Æthiopes, & ex altero parente Æthiope natos, qui nondum eo tempore peccata confeſſi ſunt, nec euchariſtiam ſumpſerunt, eccleſiæ præceptum tranſgreſſos fuiſſe, & gravem in Deum offenſam commiſiſſe. Ad cujus culpæ emendationem eos moneant, quatenus præfinito tempore uſque ad dominicam ſequentem incluſive peccata confiteantur, & euchariſtiam ſumant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam omnes (ſervis exceptis) incurrant.

§ IV.

Qui vero ſic denuntiati, tempore præfixo confiteri peccata, & euchariſtiam ſumere neglexerint, ſequenti feſto, vel dominica publice declarentur excommunicati, & a divinis arceantur officiis, niſi de confeſſarii conſilio ad euchariſtiam non acceſſerint: ſic autem excommunicati, ab alio, quam a proprio parocho abſolvi non poſſint. Hiſpani vero, & mixti, priuſquam abſolvantur, pondo uno mulctentur, Æthiope editi jam liberti, pondo dimidio, ad uſus fabricæ eccleſiæ, cujus fuerint parochiales, pro ſervis vero pondo dimidium heri perſolvant, eo quod negligenter ſervos ad peccatorum confeſſionem monuerint. Quas quidem mulctas parochi non recipiant, ſed ipſis præſentibus, in arca recondantur, ad effectum hujuſmodi in qualibet eccleſia deputanda.

§ V.

Cum publice excommunicatis hæc ratio habeatur, ut ſi quarta dominica poſt reſurrectionem, emendati non paruerint, cum participantibus excommunicentur. Si vero dominica quinta adhuc peccata confeſſi non ſint, nec euchariſtiam ſuſceperint, anathemate feriantur. Quibus ſic geſtis, indices, ſive libellos ſuos parochi clauſos deferant, aut per providam perſonam adeo opportune ad officiales epiſcoporum tranſmittant, ut ad diem pentecoſtes prædictis officialibus tradantur; ſin minus, pondo decem mulctentur fabricæ eccleſiæ, cujus parochi fuerint, & piis operibus æque diſtribuendis: Cum autem ſervi decreti hujus cenſuras non incurrant, decernitur; ut pœna pecuniaria heris impoſita augeatur, juxta ſervorum retardationem in peccatis confitendis. Si vero (quod abſit) aliqui ex hujuſmodi excommunicatis, adeo pertinaces, & obſtinati ſint, ut nondum in die pentecoſtes eccleſiæ præceptum adimpleverint, eorum abſolutio ordinario reſervetur, qui eos abſolvendi facultatem nulli tribuat, ut ipſi verecundia confuſi, iterum non delinquant, & alii metu pœnæ cautiores evadant.

§ VI.

Indorum etiam parochi tam ſæculares, quam regulares, dominica Quaſimodo eos admoneant, teneri ſemel in anno peccata ſua confiteri, quos vero repererint, eo tempore non ſatisfeciſſe præcepto, graviter reprehendant, eiſque tempus ad confitendum præfiniant. Quod ſi non paruerint, pro ratione dilationis puniantur. Ad dominicam autem pentecoſtes officiali epiſcopi indices, ſeu libellos mittant, quibus deſcribantur eorum, qui confeſſi ſunt, ingenium, & Chriſtiani mores, & hi etiam, qui ſummunt euchariſtiam, necnon illi, qui peccata confeſſi non ſunt, quod parochi exequantur, ſub pœna pondo decem, ad eccleſiæ fabricam, & pios uſus.

§ VII.

Pro populo ſibi commiſſo orationes, & ſacrificia Deo offerre parochi debent, ob idque hæc ſynodus decernit, ut omnibus diebus dominicis, & feſtis colendis miſſam de officio occurrenti

Guadix tit. 3. conſt. 10. & ſynod. 11. de Quiroga 91.



ANNO CHRISTI 1585.

renti celebrent, necnon primas, & ſecundas veſperas ſolemniter cantent, quibus quoties ipſimet non interſint, pondo unum ad fabricæ eccleſiæ uſum perſolvant.

§ VIII.

Omnibus diebus dominicis, inter miſſarum ſolemnia tempore offertorii ſubditis annuntient feſta colenda, ac dies jejunii ex præcepto, quæ in ſequentem hebdomadam inciderint, ſub pœna pondo quatuor, accuſatori, & piis operibus diſtribuendis: vigilias etiam beatæ Mariæ virginis, quæ non jejunantur, dies itidem rogationum evulgent, moneantque ſubditos, ut his diebus jejunandi, & ab eſu carnium abſtinendi, laudabilem fidelium conſuetudinem ſervent, pro ut titulo de obſervatione jejunorum decretum eſt, nec non indulgentias ob id ſibi conceſſas, eiſdem notas faciant.

Mex 1. c. 37. & Milan. 3. tit. de parochis verbo dominicis diebus. Juxta conc. Aurelianenſe 1. c. 29. tom. 2. concilior. general. refertur in cap. rogationes de conſecrat. diſt. 3. & vi. de infra lib. 3. tit. 21. § 3. Ex Granat. tit. de offic. rectoris.

§ IX.

Singulis octo diebus ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum renovent, conſecrantes hoſtiam eo die, vel pridie, ejus diei confectam, corporalia ſingulis quindecim diebus lavare curent, quæ cum ad lavandum dederint, attente reſpiciant, ne particula ulla in eis remaneat; Purificatoria itidem ſingulis quoque octo diebus mundentur. Quoties autem in aliquo horum negligenter egerint, pondo quatuor mulctentur, ſumptibus lampadis coram dominici corporis ſacramento ardentis applicandis.

§ X.

Parochi juxta concilii Tridentini decretum, antequam ad conferendum baptiſmum accedant, diligenter ab his ad quos ſpectat ſciſcitentur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittant, doceantque eos quam cognationem contraxerint, atque ſolum eorum nomina in libro deſcribant, quamvis alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint.

Seſſ. 24. c. 2. de reform. matrim. & infra tit. de baptiſm. § 5.

§ XI.

Ad vitanda incommoda, quæ, labente tempore, ex rerum oblivione naſcuntur, in ſacramentis præſertim iterandis, & matrimoniis ex cognationis ignorantia in gradibus prohibitis contrahendis, mandat hæc ſynodus, ut parochi ſinguli tres libros habeant, in quorum uno baptizatorum, eorumque parentum, & compatrum, baptizantis quoque nomina deſcribant; in ſecundi vero libri parte una eos, qui matrimonium contraxerunt, parentes quoque eorum, & patriam, teſtes etiam matrimonio aſſiſtentes annotent, ac ſuo proprio nomine muniant; in altera vero parte defunctorum nomina, cum die, menſe, anno, & eccleſia, in qua ſepulti ſunt ſcribant. In tertio denique libro, eorum qui ſancto chriſmate deliniti ſunt, parentum quoque, compatrum, ac confirmantis nomina apponantur. Hi porro libri, ad formam ab epiſcopo præſcriptam aſſerventur, quibus, & in eis ſcriptis, ac parochi nomine ſubſcriptis, tam in judicio, quam extra fideles adhibeatur.

Ex concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de ref. matr. & Mexi. 1. c. 32. & Milan. 1. tit. quæ pertinent, ad baptiſmi adminiſtrationem. verbo parochus. Ex conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de refor. matr. & Milan. 1. part. 2. tit. quæ ad ſacramentũ matrimonii pertinent. Granat. tit. de officio rectoris n. 24. Milan. 1. 2. part. tit. quæ pertinent ad ſacr. confirmationis adminiſtrationẽ ſynod. de Quiroga

§ XII.

Nullum extraneum matrimonio conjungant, ſi prius per diligentem inquiſitionem non conſtet, eum nullo legitimo teneri impedimento, ac præterea ab epiſcopo contrahendi facultatem in ſcriptis habeat, juxta concilii Tridentini decretum, ſub pœna pondo quatuor ad uſum fabricæ, & accuſatoris, ſeu accuſatore deficiente, judicis id judicantis.

ANNO CHRISTI 1585. conſt. 6 & 8. Seſſ. 24. c. 7. de reform. matrimonii Vide ſupra lib. 1. tit. de officio judic. ordinarii § 2. a 3. Ex Granat. ubi ſupra in princ. hujus tituli.

§ XIII.

Parochi ſtatim ac fuerint requiſiti, interdicta & cenſuras, prout ſibi fuerint a judicibus eccleſiaſticis injunctum annuntient, ac promulgent, ſub pœna pondo decem ad uſus fabricæ, & piorum operum: ſi autem parochialis aliquis cum participantibus excommunicatus, vel anathemate perculſus reperiatur, eum parochi admoneant ut vel ſe domi contineat, vel e civitate, aut oppido egrediatur, ne colloquio ſuo alios contaminet. Quod ſi horum monito parere noluerit, auxilium implorent ſæcularium magiſtratuum, quos hæc ſynodus exhortatur, ut in re tam juſta eccleſiæ opem ferat, quo excommunicati hujuſmodi citius abſolutionis remedium perquirant.

§ XIV.

Curent diligenter, ne in eccleſiis quidquam deſit, quod ad earum nitorem, & ornatum, ac divinum cultum pertineat, ſi vero ad id re aliqua opus ſit, epiſcopum certiorem faciant, ut opportune providere poſſit.

Ex Granat. ubi ſupra.

§ XV.

Quo melius in ſacramentorum adminiſtratione dirigantur, parochi omnes directorium confeſſariorum ab hac ſynodo deſignatum, & approbatum, ſecum habeant, ejuſque regulas ſervent. Qui vero eo caruerit, pro ſuæ ratione contumaciæ, uſque ad officii privationem plectetur.

*De ſolicitudine præſtanda, ut peccatis remedium adhibeatur.*

§ I.

INter alia curatorum præcipua munera, unum illud eſt, ut peccatis publicis, quibus ira Dei in populum irritatur, remedium afferant, viaſque vitiorum omnium intercludant.

Gran. de offic. rect. n. 9.

§ II.

Quamobrem parochis præcipitur, ut in ſuis parochiis diligenter ſciſcitentur, ſintne malefici homines, ſortilegi, venefici, concubinarii, feminæ impudicæ, lenæ, publici aleatorum ſuſceptores, diverſoria ubi inhoneſtæ feminæ commorentur, aut alia publica hujuſmodi peccata: quibus ſi aliquos irretitos invenerint, eos benigne moneant, & ad culpæ emendationem hortentur. Quod ſi minime reſipuerint, eos ſuis in libellis deſcribant, & officialibus denuntient, ut pœnis, & aliis convenientioribus remediis coerceantur; ſi vero ex his peccata aliqua adeo publica non ſint, contra quæ de jure procedi non poſ-

poſſit, imo magis epiſcopi hortatu corrigi poſ- [A] ſe videantur, ea epiſcopo clam nota faciant, ut ſalutare his malis applicet medicamentum.

## §. III.

Sciſcitentur itidem in regionibus ſibi ſubditis, an aliqui mercatorum prætextu ab uxoribus ſeparati vagentur, & in adulterio vivant, inquirant quoque inter muliones veredarios, & alios hujuſmodi vectores, an aliqui hujus generis ſint, quos cum repererint, ab adulterio, ſi in eo ſunt, revocati ad vitam conjugalem compellantur. Quod ſi aliquos binas exercentes nuptias invenirent, epiſcopo nuncient, ut quemadmodum oportet, graviter eos puniat. [B]

Mexic. 1. c. 91.

## §. IV.

Eleemoſynas in ſuis parochiis, & regionibus ab his peti ne patiantur, qui extranei ſunt, ſine epiſcopi licentia in ſcriptis. Id tamen de religioſis perſonis, mendicantium ordinum ſuperiorum permiſſu, eleemoſynas ad victum monaſteriorum quæritantibus ne intelligatur, nec de ægrotis, quorum inopia manifeſta eſt, dummodo ſchedam oſtendant, qua conſtet præterita quadrageſima, peccata fuiſſe confeſſos, aut intra tres dies ea confiteantur. Virum autem, & mulierem ſimul mendicare non permittant, niſi ſe conjuges eſſe ſufficienti probent [C] teſtimonio.

Granat. de offic. rectoris n. 14.

*De his, quæ ad parochos Indorum attinent.*

## §. I.

CUPIENS hæc ſynodus, ne miniſtri eccleſiæ Indos exactionibus vexent, neve Indi litibus, quas ipſi movere ſolent, miniſtros exagitent, ſtatuit, ac præcipit, ut parochi nihil quidquam ſtipendii, vel victus, ab Indis petant, neve amplius accipiant, quam quod ſibi fuerit conſtitutum. Quando vero id acceperint, in libro cum die, menſe, & anno deſcribant, ipſique ac procuratores loci, ſeu oppidi [D] ſubſcribant, ut hujus rei monumentum extet, falſiſque teſtimoniis, & calumniis aditus intercludatur. Cum autem ad oppidum aliquod viſitandum diverterint, ibique ei cibus ſuppeditabitur, ab oppido, ubi reſident victus nomine nihil accipiant, nec cum in duobus locis miſſas celebraverint, ab utroque ad victum ſtipendium petant.

Mexic. 1. c. 32.

## §. II.

Non ſolum ab omni cupiditate, & avaritia, ſed juxta apoſtoli præceptum, ab omni earum ſpecie eccleſiaſticos viros abhorrere oportet. Quapropter ſæculares, & regulares Indorum miniſtri feſti alicujus celebrandi gratia, loca juriſdictionis ſuæ ne adeant, niſi infra octa- [E] vam feſti, commemoratione vero omnium fidelium defunctorum celebritatem ultra decimum quintum diem menſis Decebris, ne protrahant. Porro a feria quarta cinerum uſque ad dominicam primam quadrageſimæ tantum, hominum capita cinere ſpargant, locum ad id deligentes, in quem omnes ſuarum regionum homines commode, hujus rei gratia convenire poſſint.

Concil. Milan. 5. tit. quæ ad ſacramenta &c. verb. [illegible]

## §. III.

Nihil Indis ſibi ſubditis, per ſe, aut interpoſitam perſonam ad eccleſiarum ornatum, & cultus divini uſum vendant. Si vero ſecus fecerint, rei venditæ jacturam faciant, & epiſcopi arbitratu puniantur.

## §. IV.

In ſuis regionibus duos tantummodo equos habeant, ne ſi plures habuerint, Indis oneroſi ſint, & ſumptibus ad alendum equos moleſti, niſi pro ratione regionis epiſcopus aliter judica- [B] verit, tunc enim de ejus licentia plures, quam duos habere poterunt. Canes ad venandum ne alant, neque cum ab uno oppido, in aliud viſitandi gratia diverterint, venando perambulent, ſed ea gravitate, quæ patres ſpirituales in eo officio exercendo decet, incedant.

Mexic. 1. c. 59. §. 4.

## §. V.

Vagos homines, aleatores, & eos, quorum ſuſpecta fama eſt, hoſpitio ne recipiant, hi enim Indis pernicioſi ſunt, & eis offendiculum parant; ſin minus fecerint, graviter uſque ad officii privationem plectantur. Hoc tamen decreto non prohibetur, ne hoſpitales ſint erga [C] viatores, ſine Indorum incommodo iter agentes.

Mexic. 1. c. 59. §. 4.

## §. VI.

Quia Indi timidi ſunt, & puſillanimes, oportet parochos cum eis manſuete, ac benigne agere, nec eos minis deterrere: ſic enim fit, ut langueſcentes animo peccata ſua confiteri non audeant, ac ſalutari pœnitentiæ remedio deſtituantur.

Lim. [illegible] act. 3. c. [illegible] ad finem.

## §. VII.

Quamobrem præcipit hæc ſynodus, ne parochi per ſe in Indos animadvertant, ſed per [D] fiſcales, & juſtitiæ miniſtros ad id deputatos, in quibus corrigendis modus adhibeatur, nec correctionis forma ab epiſcopo præſcripta excedatur.

Mexic. 1. c. 60. §. 1. & Guad[illegible] conc. 11. & [illegible] act. 4. c. 8.

## §. VIII.

Indos, cum periculo mortis ægrotantes peccata confitendi, & euchariſtiam ſumendi cauſa; ad eccleſias, ſeu monaſteria deferri nullatenus permittant, ut eſt titulo de ſacra unctione ſancitum.

Supra lib. 1. tit. 6.

## §. IX.

Quo facilius, ac promptius ſubditis in tribulatione poſitis parochi ſuccurrant, & ſubditi [E] ad ea, de quibus opus habent parochos inveniant, ii prope eccleſias commorentur. Si vero domus habitationis parochi intra eccleſiam contineatur, ad cultum domus pro honeſtate, & reverentia loci mulieres ne adhibeant, eademque de cauſa, nec confeſſiones domi audiant, nec matrimonia diſcutiant, ſed tantum in eccleſia, ſub pœna pondo ſex quoties contrafecerint, accuſatori, & ſumptibus juſtitiæ diſtribuendorum. Cum vero alicujus rei gratia, quæ ad officium pertineat, Indorum domos intraverint, eos ſibi

Mexic. 1. c. 19. §. 1. & Mexic. 1. c. 6. ſynod. de Quiroga conſt. 19. ad finem & Milan. [illegible] de parochis verbo ſ[illegible] parochus.





ſibi comites adjungant, a quibus omnis pravæ [A] ſuſpicionis occaſio omnino aliena ſit.

## §. X.

Devotionem ſubditorum augere ſtrenue procurent, diebus quoque ſingulis, quibus miſſam audire præceptum non eſt, eam mane celebrent, & campanæ ſono Indi vocentur eo tempore, quo ſine impedimento negotiorum, aut operarum miſſam audire poſſint. In diebus vero, in quibus ex præcepto miſſa audienda eſt, ſi ſubditi longe abſunt, a loco ubi celebratur, eamque in viciniori eccleſia audire poſſunt ne prohibeantur, in aliena parochia ſacrum audire in oppido eis ab epiſco- [B] po deſignato.

Mexic. 1. c. 8. & 9.

## §. XI.

Indos carcere incluſos, ſingula quaque hebdomada ſemel viſitent, eoſque in tribulatione afflictos conſolentur, & impeditos quominus doctrinæ Chriſtianæ documenta audire poſſint, paterno zelo eadem doceant, judiceſque adeant, eoſque pro cauſæ expeditione, & libertate detentorum hujuſmodi deprecentur.

Mexic. 1. c. 68. ſynod. de Quiroga conſt. 47.

## §. XII.

Experientia comprobatur, eam eſſe Indorum naturam, ut facile, quæ docti ſunt, oblivi-ſcantur, ſi eis inſtituendis aſſidua diligentia non adhibeatur. Ideo parochis præcipitur, ut bis ſaltem in anno parochias, & diſtrictus ſuos viſitent, quo Chriſtianam doctrinam Indos doceant, & quos doctrinæ Chriſtianæ ignaros repererint, annotent, & ſcribant, eoſque ad capeſſendam juvent. Quod ut præſtent, Indos aliquos bene inſtructos, quorum fides ſpectata ſit, adhibeant, iique coram beneficiato, cui hæc cura incumbit, Chriſtianam doctrinam alios edoceant, & de illa ab eis rationem quærant. Idemque faciat miniſter [D] ſeu beneficiatus hujuſmodi, ne ſi ſacerdos huic rei operam non navat, eaque cura Indis committitur, contemnatur hoc miniſterium.

Mexic. 1. c. 65.

## §. XIII.

Ne vero hæc, quæ hoc titulo decreta ſunt, difficultate aliqua involuta ſint, declarat hæc ſynodus, nomine curatorum regularium Indorum oppidis comprehendi priorem, guardianum, vicarium, aut præfectum monaſteriorum, quibus Indi ſubditi ſunt; in civitatibus vero, aut oppidis Hiſpanorum, religioſam perſonam, cui a ſuperioribus adminiſtrationis Indorum cura demandata eſt. Itidemque expo- [E] nit, in omnibus, quæ præcipiuntur curatis, per decreta hujus ſynodi comprehendi curatos regulares, qui non ex voto caritatis, ſed ex officio hoc munus exercere debent, ſi illud in ſe ſuſcipiunt. Quoad pœnas vero deſignatas aliter non comprehenduntur, quam ut titulo de pœnis expreſſum eſt.

La real cedula de Barcelona por Junio anno 1585. Infra lib. 5. tit. 9.

# LIBRI TERTII TITULUS III.

## De beneficiatis cathedralium, & parochialium, & eorum officiis.

*De aſſiſtentia beneficiatorum divinis officiis debita.*

## § I.

POPULI Chriſtiani devotio; ea re maxime conſervatur, quod mirabilis ordo in cultu divino cernitur, ob varietatem officiorum, & miniſteriorum, ex quibus militantis [B] eccleſiæ ornatæ varietate pulcritudo mirifica cernitur: quod, quam ob cauſam diligenter curandum eſt, ne divina hæc harmonia, ullatenus diſſonet, immo præbendati, & beneficiati omnes, plene id totum adimpleant, quod ſibi incumbit ex officio, cujus ratione beneficium confertur.

## § II.

Quod ut fiat; hæc ſynodus in primis præcipit, dignitatibus, canonicis, præbendatis, beneficiatis, & miniſtris omnibus eccleſiarum cathedralium, ut in omnibus, & per omnia inſtitutiones dignitatum, canonicatuum, & [C] beneficiorum hujuſmodi obſervent, rituale, quoque ſtatuta, decretaque hujus ſynodi, ſub pœnis in eis contentis, adimpleant.

Conc. Milan. 4. tit. quæ pertinen. ad capitula cathedralium.

## §. III.

Quando epiſcopus præbendatum aliquem in carcerem conjecerit, eumdemve ſuſpenderit, excommunicaverit, aut diſtributionibus privaverit, ne mulctæ hujuſmodi fruſtrentur, præbendati ceteri, huic remittere non poterunt, quod ex abſentia, vel condemnatione amiſerit, nec tantumdem quantum perdiderit, aut aliquam partem in compenſationem, aut alias eidem condonare. Quod ſi ſecus fecerit, [D] actus, & contractus hujuſmodi irriti ſint, totumque id, quod remiſerunt, in foro conſcientiæ ſolvere teneantur fabricæ cathedralis eccleſiæ.

Tolet. act. 3. c. 20.

## §. IV.

Ad divini cultus augmentum, ſanctum concilium Tridentinum interdixit, ne ullus duo beneficia obtineret, cujus auctoritatem ſequuta hæc ſynodus decernit, ut capellæ in cathedralibus eccleſiis, ſeu parochialibus inſtitutæ, ſi a primæva ſua inſtitutione dignitati alicui, canonicatui, ſeu beneficio annexæ non ſint, nequaquam capitulari alicui, [E] ſeu beneficiato conferantur, ſed clericis aliis, qui eis inſerviant, ſicque fiat, ut miniſtrorum numerus, & eccleſiarum cultus accreſcat.

Seſſ. 24. c. 17. Real cedula y ex general en las Indias, & concordat Concil. Limenſ. 3. act. 3. c. 30.

## §. V.

Præbendati omnes cujuſcumque conditionis ſint, ſermonibus, qui ad populum inter miſſarum ſolennia habentur, præſentes adſint, in cathedrali eccleſia, aut ubi decanus, & capitulum in forma capituli intervenerit, ſub pœna amittendi diſtributiones eo die percipiendas ratio-

Tolet. act. 3. c. 4. & Compoſtel. act. 2. c. 22. & provinc. de Quiroga act. 3. decret. 15. & Milan. 2. tit. decret. 17.

ANNO CHRISTI 1585.

ratione miſſæ conventualis, & proceſſionis. Ne autem divinis officii, & prædicationi verbi Dei interſint, ob quamcumque eccleſiæ rerum adminiſtrationem ſibi injunctam, nullatenus excuſentur.

## § VI.

Compoſtel. act. 2. c. 25. & ſecit Tol. act. 3. c. 6 & Milaneuſ. 3. fol. 595. verbo feria quinta. Compoſtel. act. 2. c. 26. & Milan. 1. p. 2. tit. de proceſſion. & Hispalic. & Milanen. 4. tit. de proceſſionibus in princip. & conci. diœceſanum de Oſma tit 2. conſt. 5. ſ. 26.

Itidem præbendati, beneficiati, & miniſtri omnes cathedralis eccleſiæ, etiam ſi ſacerdotes ſint, feria quinta in cœna domini, in ipſa miſſa conventuali communicent, ſi vero quis ſecus fecerit, diſtributiones illius hebdomadæ amittat. Quo vero debitus cultus, & reverentia cruci adhibeatur, in qua Chriſtus crucifixus noſtræ ſalutis myſterium operatus eſt: Præcipitur præbendatis omnibus, beneficiatis, & curatis cathedralis, & ceterarum eccleſiarum, ut in proceſſionibus publicis, ſeu in humandis defunctis crucem comitentur, ab exitu ejus eccleſiæ, a qua profecti ſunt, uſque ad reditum in eamdem in forma proceſſionis, ne populus ſacerdotibus avaritiæ notam inurat, ſi depoſito funere crucem poſtea non comitentur: immo potius, ea in crucem reverentia, & devotio eluceat in eccleſiaſticis, ut ædificationi potius populo ſint, quam ſcandalo. Quod ſi quis in hoc deliquerit, diſtributiones, & obventiones, ex proceſſione, aut ex tumulando mortuo ſibi provenientes amittat: in quo exequendo, ejus, qui in choro præſidet, conſcientia oneratur, ſin minus, contra eum ſevere, ut oportuerit, procedatur.

# LIBRI TERTII TITULUS IV.

*De officio ſacriſtæ.*

## § I.

Ilerr. c. 48. Gran. tit. de offic. ſacriſt. ſynod. de Quiroga conſt. 55. & 56. & Milan. 4. tit. de ſacriſt.

TEMPLORUM ornatus, & exterior cultus, ac divinorum officiorum celebratio, ex cura, & diligentia, quam ſacriſtæ majores, & minores officio ſuo impendunt, non mediocriter dependet. Quare in eis injungitur, ut omnipotentis illius domini majeſtatem, cujus domui inſerviunt contemplantes, & ſententiam Hieremiæ prophetæ, quæ maledictum illum appellat, qui opus Dei negligenter facit, ob oculos ſibi ponentes, toto pectore incumbant, ut eccleſiæ cum nitore, & ornatu teneantur, & indumenta ſacra, & alia quæque ornamenta conſerventur, miſſis etiam, & divinis officiis celebrandis totum id, quod opus fuerit, tribuatur: In quibus, & in aliis ſimilibus, quod in rituali, & decretis hujus ſynodi ſacriſtis injunctum eſt, inviolabiliter obſervent. Hoſtias ipſi per ſe conficiant, aut ſaltem in his conficiendis præſentes adſint, nec patiantur, ut Indi (ipſis non videntibus) eas conficiant, nec in ſuis domibus venales habeant. Quod ſi ſecus fecerint, pro ſua negligentia in re tanti momenti, & quæ ad ſanctum miſſæ ſacrificium ſpectat, graviter punientur.

Granatenſ. de officio ſacriſt. n. 5. & ſynod. de Quiroga conſt. 85. & Milan. 4. fol. 649. verbo clericus, verſiculo hoſtias.

## § II.

Quando fuerint requiſiti, vel ob notarii defectum, vel quod is impediatur, eccleſiaſtica edicta partibus nuntiabunt, & cenſuras publicabunt, denuntiationeſque, & publicationes, quas fecerint, in dorſo edictorum hujuſmodi, cum die, menſe, anno, & teſtibus deſcribant, ut ea de re publicum extet monumentum.

## § III.

Synod. de Quiroga conſt. 56.

Punctatorum etiam officium exerceant; annotentque beneficiatos, & capellanos, qui miſſas, quas debent non celebraverint, aut qui anniverſariis, & feſtis capellarum, ubi eccleſiis ſuis inſervire debent, non interfuerint, epiſcopumque aut viſitatorem ſacriſtæ hujus rei certiorem faciant, ut punitis negligentiis, voluntas eorum, qui capellas fundarunt, integre adimpleatur.

# LIBRI TERTII TITULUS V.

De vita, & honeſtate clericorum.

*De clericorum habitu, & cultu externo.*

## § I.

Mexic. l. c. 48. & lex. 1. c. 11. [illegible]

QUONIAM clerici, aliis omnibus, tamquam exemplum propoſiti ſunt ad imitandum, adeo ut illa domini ſententia, qua diſcipulos ſuos lucem mundi appellavit, de eis non incongrue intelligatur; oportet maxime, ut non ſolum interius ſe componant, ſed ut exteriori habitu honeſtatem, & modeſtiam præferant, ne hominibus, de externis ſolum judicantibus ſcandalo ſint, eorumque ſtatus, & miniſterium, in contemptum veniant. Idcirco in executionem concilii Tridentini hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ut exterior habitus clericorum omnium ſacro ordine initiatorum virtutem, honeſtatem, morumque gravitatem oſtendat, prout decet clericalem ſtatum, quod ut melius fiat, ſequentes regulas obſervabunt.

## § II.

In primis, clericali tonſura inſigniti ſint, ad eam formam, quam ratio uniuſcujuſque ordinis poſtulabit, comam non nutriant, barbam novacula radant, vel ita recidant, ut nihil ſæculare remaneat, quod populo ludibrio eſſe poſſit. Habitum honeſtum deferant, tunicas clauſas, aut alterius generis cum pallio, quod mantellum vocant, ad talos uſque dimittant, & in omni veſtitu non alium, quam nigrum colorem adhibeant. Verumtamen ſi iter faciendum ſit contractiori habitu, & ad iter accommodato, nigri tamen coloris, & parum infra genu demiſſo, eis uti liceat, ut ex habitu clericos, & eccleſiaſticos miniſtros eſſe, ubique appareat.

## §. III.

Holoſerico veſtimento, undulatove, ſubſerico, aut opere gorvaranio ex Caſtella, aut ex China allato, ne utantur, præbendati tamen, aut licentiati in theologia, vel decretis per probatam univerſitatem togas ſubſerici taffetaneo opere, aut gorvarani intertexti domi geſtare poterunt, foris vero ſine pallio, mantello nuncupato, ne includant. *Manicas ſerici raſi*, calceos, aut crepidas, *holoſerici villoſi*, caligas ſericas turgidas, & diſſectas ne deferant, veſtitu fimbriato, clavis ſericis, phrygiſve, aut ſegmentis ornato, ne utantur, ſed ſeg-



ANNO CHRISTI 1585.

Provinc. de Quiroga, & Lim. ubi ſupra. Provinc. de Quirog. act. 3. c. 35.

ſegmenta raſi ſerici, aut taffetani, quæ duorum, aut trium digitorum latitudinem non excedant, in extremitate pallii, ſeu mantelli geſtare poterunt. Galerum acuminatum, ſeu id genus pilei, quod Hiſpani montera, aut gorra appellant, aut ſericum pileum, ne deferant; ſed tantum laneo galero, & ea forma confecto utantur, quo gravitatem ſui ſtatus profiteantur.

## §. IV.

Limenſ. 3. act. 3. c. 16. Gran. ubi ſupra n. 3. Mexi. 1. ca. 41. ſ. 1. in fine, Guadix tit. 5. conſt. 2. Milan. 1. p. 2. tit. de clericorum veſtitu, & reliqua vitæ moderatione verbo annulum, & Granat. de vita, & honeſt. cler. n. 3. provic. de Quiroga act. 3. c. 35. Mila. 4. 3. p. tit. de vita, & honeſt. clerico. fol. 668. verbo nulli ſacerdoti. & Grana ubi ſup. num. 8. Gran. ubi ſup. nu. 9. ſynod. de Quiroga conſt. 36. Milanenſe conc. 5. fol. 766. verbo cler. qui emictu. Provinc. de Quiroga act. 3 c. 35.

Camiſias ad collum, & ad manum criſpas, vel artificio elaboratas, in ſacro ordine conſtituti rejiciant. Zonas ſericas auro, argento cælatas, cothurnos albos argenteo, aliove colore elaboratos ne deferant. Chirothecas odoribus conditas, aut diſſectas, colore aliquo tinctas ne ferant. Annulos non induant, niſi quibus, propter officii munus, aut honoris gradum, ſint jure conceſſi, qui vero ſecus fecerint annulos amittant, eorumque pretium in uſum piorum operum erogetur. Cujus rei executio, judicibus, & miniſtris eccleſiaſticis injungitur.

## § V.

Quoniam vero alii in alio extremo verſantes, clericali ſtatui dedecori ſunt, qui nimis abjectis veſtibus, ſordidis, & pannolis utuntur, præcipit hæc ſynodus, ut ſi quando officiales veſtibus hujuſmodi indutum quemquam comperierint, eum in publicum prodire ne patiantur, donec decenti habitu (ſi poteſt) ipſe ſe induat, aut ei, ſi pauper ſit, veſtitus provideatur.

## § VI.

Lugubres veſtes clericis interdicuntur, niſi pro morte patris, aut matris, quas tunc ad modum ſæcularium ne geſtent, nec aperto capite incedant, aut barbam hujus rei cauſa relaxent, neque his veſtibus amplius quam per duos menſes utantur.

## § VII.

Superpellicea, rete, aliove eleganti artificio elaborata, aut adeo contracta, ut infra genu non dimittantur, ne induant.

## § VIII.

Equo ne vehantur, niſi iter fecerint: ſi vero mulis vehuntur, eas ne ornent, neque ornatum gualdrapium, * eis adhibeant, niſi præbendati ſint, aut licentiati, vel doctores in theologia, vel decretis: qui hoc ornatu (laneo tamen) uti poterunt, ſericis vero aliis ornamentis, frenis ſtapyis, aut calcaribus deauratis, aut argento laboratis nequaquam utantur.

* hoc eſt lucerna. Granat. ubi ſupra nu. 4. ſynod. de Quiroga conſt. 36.

## § IX.

Omnes hujus provinciæ clerici ſacris initiati, cujuſcumque ſtatus, & conditionis ſint, quod hoc decreto eis jubetur diligenter obſervent, rebuſque in eo prohibitis ne utantur. Quod ſi ſecus fecerint, & in habitu ſæculari inceſſerint, veſtes amittant; earumque pretium executori juſtitiæ, aut accuſatori, & judici a quo ſententia lata fuerit, æquis partibus, diſtribuatur. Qui vero rebus aliis hoc decreto ſancitis contravenerint, quoties id commiſerint, pœnam pondo octo incurrant, quæ piis operibus, & judici ex officio contra eos ſententiam ferenti, ſi accuſator non adſit, æque applicentur. Cavetur autem, ut veſtibus, quas ante hoc decretum ferre licebat, per octo menſes, & non amplius, uti liceat.

ANNO CHRISTI 1585.

## §. X.

Seſſ. 14. c. 6. & ſeſſ. 24. c. 12. verbo veſtitum inſuper. & ſeſſ. 22. c. 1. reform. & ſunt alia concilia, quæ refert Joannes Trullo in expoſitione regulæ canonicorum regularium li. 2. c. 30. 3 p. 2.

Qui vero hoc decreto prohibita attentaverit, aut quæ de cetero epiſcopus quoad clericalem habitum publico edicto vetuerit, præter pœnas contra eos hic ſtatutas juxta formam concilii Tridentini, gravioribus aliis pœnis punientur, uſque ad ſuſpenſionem, & officii, ac beneficii privationem, ſi id eorum contumacia poſtulaverit: ne quis de eorum exteriori habitu obſervare contemnat, quod ad populi Chriſtiani ædificationem, & bonæ vitæ exemplum non mediocriter confert.

*De evitandis ſpectaculis vanis, & actionibus profanis.*

## § I.

Motus proprius Pii V. in bullario apoſtolico. Mex. 1. c. 48. ſ. 3. Guadix. tit. 5. conſt. 14. Granat. de vita, & honeſt. cleri. cor. nu. 18. Tolet. act. 3. c. 16. & ſynod. de Quiroga conſt. 37. in fine, & ſunt alia concil. prov. quæ refert Joannes Garcia Gallego tractatu de expenſis, & meliorationibus c. 21. num. 29. Greg. XIII. in 2. p. bullarii apoſtolici. Tex. in c. unico de vita, & honeſt. cleric. lib. 6. Mexi 1. c. 48. ſ. 1. Granat. ubi ſupra n. 13. & Tol. act. 2. c. 21. in fine, & Limenſe 3. act. 3. c. 20.

UT multorum interitus, vulnera, aliaque damna, quæ ex taurorum ſpectaculis proveniebant vitarentur, felicis recordationis Pius papa V. motu proprio, principibus, rebuſpublicisque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipit, ne taurorum ſpectacula fieri in ſuis juriſdictionibus conſentirent. Interdicit itidem, ne clerici regulares, & ſæculares ſacro ordine initiati, vel eccleſiaſticum beneficium obtinentes, ſpectaculis hujuſmodi, ſub pœna excommunicationis aſſiſterent. Poſtea vero felicis recordat. Gregorius papa XIII. ſuo apoſtolico brevi conceſſit, taurorum ſpectacula, his tamen conditionibus, ſi ea feſto die ne fiant: ſi gubernatores, aut magiſtratus quantum fieri poterit, diligenter caveant, ne ob hanc cauſam alicujus mors eveniat. Nec non cenſuras, & pœnas, quo ad ſæculares perſonas, & militarium ordinum milites in ſacro ordine minime conſtitutos ſuſpendit: Quare juxta hanc conſtitutionem Pontificis, quorumdam clericorum licentiam hæc ſynodus animadvertens, ſtatuit, ac præcipit, ne ullus clericus in ſacro ordine conſtitutus, aut beneficiatus taurorum ſpectaculis interſit, ſub pœna in apoſtolicis literis ſtatuta, ac gravioribus aliis, quibus, ut huic malo occurratur, contra eos procedetur.

## §. II.

Interdicit etiam hæc ſynodus, ne clericus ullus ſacro ordine initiatus, perſonatus, aut larvatus incedat; neque in comœdiis perſonam agat, etiam in feſto corporis Chriſti: neque cum thorace, aut caligis quantumvis permiſſis, ſine tunica talari per vias, & plateas deambulet, neque aliis utatur varii coloris profanis ornamentis, ſub pœna pondo viginti, ſi ſemel id commiſerit: ſi bis, duplum perſolvat: idque in ſumptus juſtitiæ, accuſatorem, & pia opera conferatur: ſi vero ter, eum epiſcopus

ANNO CHRISTI 1585.

pus per duos menſes ab officio, & beneficio ſuſpendat.

### § III.

*Mexic. 1. c. 48. §. 3. & in princip. Guadix tit. 5. conſt. 16. & Granat. ibi nu. 13. ſynod. de Quiroga conſt. 37. & con. Milan. 4. 3. p. tit. de vita, & honeſt. cler. fol. 668 verbo in omni, item verſ. quamobrem.*

Ne cantiunculas inhoneſtas, aut profanas cantent, neve in novis miſſis, nuptiis, aut aliis feſtis ſaltent, ſcurrilia verba ne proferant, aut citharœdos referant, neque jocoſe in hominum congreſſu prædicent, ſub eadem pœna; Indorum etiam miniſtri, ad domus eorum, qui inter Indos proceres ſunt, aut aliorum Indorum convivandi gratia ne accedant: ſed ad hoſpitium clericis deſignatum. Evenire enim ſolet, ut ex nimia cum eis familiaritate Indi miniſtris reverentiam non exhibeant, doctrinæque intereſſe, & ea obire, quæ ſuarum ſaluti animarum maxime ſunt neceſſaria, audacter contemnant.

### § IV.

Quia ſacrorum canonum conſtitutionibus prohibitum eſt clericis, ne vili, & ignobili aliqua arte utantur, interdicit quoque hæc ſynodus, ne ullus clericus veterinarii * artem exerceat, nec mularum, aut equorum domitor ſit. Quod ſi ſecus fecerit, graviter punietur. In hoc vero ordinarii conſcientiæ maxime injungitur, ut tam infimam, tamque indecoram artem ab eccleſiaſticis viris procul arceat.

** Albeitería. Jubat. ix. in cap. unico de vita & honeſt. cler. lib 6. & ix in Clem. 1. ver. adverſus vero alios eodem tit de vita, & honeſt. cleric.*

### § V.

*Mexic. 1. c. 60. §. 1. & Guadix tit. 6. conſt. 11. & Lamenſ. 1. act. 4. c. 8.*

Nullus clericus propter imminens periculum, ſervum, famulum, aliamve perſonam per ſe corrigendo puniat; niſi moderata ſit punitio, & qua magis proximi correctio procuretur, quam de eo ſumatur vindicta, quæ ab his longe abeſſe debet, qui morbis medentur animarum.

### § VI.

*Mexic. 1. 55. & Guadix tit. 5 conſt. 13. & Milan. 1. 2. p. tit. de armis, ludis, ſpectaculis, & ejuſmodi a clerico vitandis, & Gran. tit. de vita, & honeſt. cler. n. 10. & ſynod. de Quiroga conſt. 36. & Lime. 3. act. 3. c. 16.*

Ne clerici arma cujuſvis generis, ad offenſionem, vel defenſionem die, aut nocte, in civitate, aut oppido ferant, neve in habitu ſæculari, cum muſicis inſtrumentis noctu incedant, nec ſuſpectas domos ingrediantur: ſin minus pœna amittendi arma, inſtrumenta muſica, & habitum indecentem, nec non ſolvendi pondo decem incurrant, quæ in piorum operum, & executoris juſtitiæ uſum æque erogentur. Si vero executori juſtitiæ, aut fiſcali violenter reſtiterint, in carcerem conjiciantur, arbitrioque epiſcopi ſeverius puniantur.

### § VII.

*Mexic. 1. c. 55. §. 2. & Milan. 1. ubi ſupra. & ſynod. de Quiroga conſt. 36.*

Archabuſio etiam, dum iter faciunt, aut in venationibus, vel in aliis actionibus ne utatur. Sin minus, archabuſium amittant, & pondo decem accuſatori, vel ſi is non adſit, judici, piis operibus, & juſtitiæ ſumptibus æque perſolvant. Illi tamen, qui per regiones ubi bellum geritur, iter faciunt, aut ob aliam juſtam cauſam, archabuſio, aliiſve armis uti poterunt, ſcripto impetrata venia ab epiſcopo, cujus conſcientiæ, hæc ſynodus injungit, ut id re bene explorata, cauſiſque urgentibus ſolum permittat.

### § VIII.

Indignum eſt, & eccleſiaſtico honori valde indecorum, ut clerici, qui in ſortem domini vocati ſunt, & divino cultui addicti, præcurſores, ſive aſſeclæ, œconomi, aut famuli ſint ſæcularium perſonarum, præſertim mulierum. Quare, ut hæc macula a clero prorſus deleatur, mandat hæc ſynodus, ne ullus ſacro ordine initiatus, cujuſcumque dignitatis, & qualitatis, præcurſor, aut aſſecla feminarum, etiam matris, & ſororis ullatenus ſit, ſub pœna excommunicationis, quam clericus, & femina, cui is obſequium hujuſmodi præſtitit, incurrant. Interdicit etiam, ne ullus clericus in ſacris conſtitutus famulus, procurator, œconomuſve ſit alicujus perſonæ ſæcularis, aut ejus negotia, vel facultates tractet, ſub eadem pœna. Non tamen prohibetur, ne (clericalis ſtatus decoro ſervato) liberos perſonarum ſæcularium erudiendos clerici ſuſcipiant, eorumque ſint magiſtri, & præceptores. Nullus præterea clericus Indam feminam, aut ancillam ſuam dorſo equi, aut mulæ vehat; Miniſtri quoque Indorum cum ex uno oppido in aliud, aut ex uno diſtrictu in alium diverterint, Indam aliquam feminam ſecum ne deferant, eo prætextu, quod ſibi inſervire debeat: ſin minus epiſcopi arbitratu ſevere puniantur.

### § IX.

Perpendens hæc ſynodus, quantum a ſacerdote, qui ſacrum frequentans, hoſpitium Chriſto domino præbet, abhorrere debeat ebrietas, qua rationis uſus amittitur, ſenſuque, & corporales facultates debilitatæ langueſcunt, tam fuerit ſui oblitus, tamque intemperatus, ut vino inebrietur. Si is beneficium obtinuerit, ab adminiſtratione ſacramentorum pro prima vice, per quatuor menſes ſuſpendatur: pro ſecunda, per annum; pro tertia, beneficio privetur, & inhabilis ad aliud obtinendum efficiatur. Si vero beneficium non obtineat, & ſemel hoc crimen commiſerit, ad incluſionem carceris per duos menſes damnetur; ſi bis, in idem inciderit, per quatuor menſes detineatur; ſi ter, a diœceſi tamdiu relegetur, quamdiu videbitur epiſcopo.

*De ludis clericis prohibitis.*

### § I.

Cujuſvis generis ludus hominibus maximo nocumento eſt, clericis præſertim, quibus ratione clericalis officii, in ſancte, & laudabiliter agendo tempus terendum eſſet; ab eiſque redditus eccleſiaſtici piis operibus eſſent impendendi. Eam ob cauſam hæc ſynodus decernit, ac jubet, ne ullus ſacro ordine initiatus, aut beneficiatus hujus archiepiſcopatus, & provinciæ clam, aut publice, per ſe, vel interpoſitam perſonam ludum prohibitum exerceat, veluti aleæ, teſſerarum, ac talorum, quæ ludorum genera regiis ſanctionibus prohibentur, nec in ludo pecuniæ, gemmæ, aut alia, quæ pecunia æſtimari poſſunt intercedant, ſub pœna reſtituendi totum id, quod ludendo lucrati fuerint, & pro prima vice pœnam pondo triginta, in uſus fabricæ cathedralis, aut parochialis, ejus civitatis, vel oppidi, ubi id evenerit, & in uſus accuſatoris: pro ſecunda vice pœna duplicetur: pro tertia ultra dictam pœnam aliis gravioribus, arbitratu epiſcopi puniantur: nec ſolum ludere clerici interdicuntur, ſed ne ſpectatores ludorum ſint, hæc ſynodus ſtatuit. In domibus itidem ſuis clerici ludum ne permittant, nec aleas porrigant, nec pro aleis pretium extorqueant, nec mutuo pecunias ad ludendum dent, aut pro quoquam in ludo ſpondeant. Sin minus contra clericos hujuſmodi aleatorum ſuſceptores procedatur, & ita coerceantur, ut populus ædificetur, & tam turpis corruptela, ac miniſtris Dei prorſus indigna funditus extirpetur. In quo hæc ſynodus epiſcoporum, & judicum conſcientias vehementer onerat. Ac præterea clerici, hujuſmodi partibus, ſi petierint, intra novem dies ſolvere compellantur totum id damnum, quod in ludo interceſſit. Quod ſi partes diſſimulaverint, fiſchalis, aut executor juſtitiæ eccleſiaſticus, intra duos menſes petere poſſit, idque in accuſatoris, piorum operum, & judicis uſum æquis partibus erogetur. Si autem fiſcales hujuſmodi rei conſcii, in accuſando negligentes ſint, pro ſua contumacia & negligentia, etiam uſque ad officii privationem arbitratu ordinariorum puniantur.



ANNO CHRISTI 1585.

*... vita, & honeſtate clericor. n. 11. & ſynodal. de Quiroga conſt. 37. & Limenſ. 3. act. 3. c. 17.*

### § II.

*Mex. 1. c. 50. § 1. Guadix tit. 5. conſt. 5. & Gran. de vita, & honeſt. cler. n. 11. & ſyn. de Quiroga conſt. 37.*

Præterea ut omnem gravitatem, & modeſtiam [pro ut decet clericalem ſtatum] clerici profiteantur; eis publice pila ludere prohibetur, & privatim quoque cum ſæcularibus, vel coram ſæcularibus perſonis, globos ligneos publice ludendo ne impellant, ſub pœnis ſtatutis: præter quas, amittant etiam veſtes, quibus ad globorum ludum exercendum exuti fuerint, hæ vero veſtes per tertias partes applicentur, ut conſtitutum eſt.

### § III.

Sachia * itidem, aut aliis ludis permiſſis, ne ludant in locis publicis, aut in domibus, quo ad id multitudo hominum convenit, veluti in domibus aromatariorum, aut tonſorum. Si autem in occulto ludos licitos hujuſmodi exercuerint, numeroſa pecunia in eis non intercedat: aliter enim pro qualitate exceſſus corrigentur.

** Axedres. Ex ſupra notatis ſundatur. Scacchis.*

### § IV.

Ut autem incommoda, & ſcandala, quæ quotidie in his partibus audiuntur, evitentur; nequaquam publice, aut privatim clerici cum mulieribus etiam conſanguineis ludant. Si vero ſecus fiat, epiſcoporum conſcientiis hæc ſynodus injungit; quatenus adeo gravibus pœnis delinquentes coerceant, ut depravata hæc conſuetudo, & in omnes partes pernicioſa reſecetur.

### § V.

*Ex lege regia 10. 11. tit. 7. l. 8. recopil. Mex. 1. c. 50. & Guadix tit. 5. conſt. 5. & Milan. 1. 2. p. tit. de armis, & ludis, & Granat. tit.*

His vero non obſtantibus, quæ hoc decreto conſtituta, & decreta ſunt, declarat hæc ſynodus, ut recreandi animi cauſa, extra tempus adventus, & quadrageſimæ, ludi liciti clericis permittantur, ſumma duorum pondo tantum intercedente, dummodo id raro, ſine ſcandalo, & cum perſonis honeſtis fiat. Qui vero ſummam pecuniæ hujuſmodi exceſſerint, in foro conſcientiæ reſtituere tenebuntur, quidquid amplius fuerint lucrati, quia hoc decreto majoris pecuniæ lucrum interdicitur. Pecunia vero, quæ præſcriptam ſummam in ludo exceſſerit, fabricæ cathedralis eccleſiæ, aut parochialis ejus civitatis, vel oppidi, ubi id contigerit applicetur, ſi is, cui perierit, libere de ea pecuniæ ſumma diſponere poſſit: ſi vero libere de ea diſponere non poſſit, reſtitutio ei fiat, ad quem vere pertinet.

*de vita, & honeſt. cler. n. 51. & Limenſe 3. act. 3. c. 17. & ſecit reg. ordinis militaris S. Jacobi tit. 21. c. 10 y en los eſtablecimiĕtos ejuſdem ordinis S. Jacobi tit. 8. c. 3.*

*De uſu frequenti euchariſtia.*

### § I.

*Seſſ. 23. c. 13. Mexic. 1. c. 52. & Toler. act. 3. c. 6. & Granat. tit. de celebrat. miſſ. n. 18. Milan. 1. p. 2. tit. de frequenti divini ſacrificii oblatione, & Mediolan. 2. tit. 2. decret. 26.*

Ut diaconi, & ſubdiaconi eo magis ad digne celebrandum ſe præparent, quo magis ad ſacrum presbyteratus ordinem accedunt, ſacroſanctum concilium Tridentinum maxime decere conſtituit; ut ſaltem hi, diebus dominicis, & ſolemnibus, cum altari miniſtraverint, ſacram communionem percipiant. Cujus auctoritatem ſequuta hæc ſynodus diaconis, & ſubdiaconis hujus provinciæ in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut in diebus nativitatis domini, reſurrectionis, pentecoſtes, feſti corporis Chriſti, aſſumptionis beatæ Mariæ, ſanctorum apoſtolorum Petri, & Pauli, & feſti omnium ſanctorum: in prima quoque dominica adventus, & quadrageſimæ peccata ſua confeſſi in miſſa ſolemni communicent, quo populus hoc exemplo, & continuatione ædificetur. Ut vero his temporibus peccata confiteantur, in facultate eorum ſit eligere confeſſarium, quem maluerint, ex approbatis per ordinarium: qui confeſſarius eos abſolvere poſſit ab omnibus peccatis, etiam ordinario reſervatis.

### § II.

*Seſſ. 23. c. 14. & ſynod. de Quiroga conſt. 80.*

Quia majori vinculo tenentur presbyteri; tum ad propriam, tum ad eccleſiæ ſpiritualem utilitatem, frequenter ſacrum celebrare; concilii Tridentini auctoritati innixa hæc ſynodus præcipit, ut hi dominicis diebus, & feſtis ſolemnibus die commemorationis defunctorum, & quotidie in quadrageſima miſſas celebrent. Qui, ut ea animi puritate, & devotione, quibus opus eſt, ad tantum ſacrificium accedant, eis injungitur, ut etiamſi alicujus peccati mortalis conſcii non ſint, ſingulis octo diebus, aut crebrius, ad confeſſionem ſe præparent, eligantque ſibi confeſſarium ex idoneis, & ab ordinario facultatem habentibus.

## LIBRI TERTII TITULUS VI.

*De clericis non reſidentibus.*

### § I.

*Seſſ. 6. c. 2. de reform. Supra tit. de officio epiſc. § 14.*

Quia non poteſt non magno eſſe ſubditis detrimento, eorum abſentia, quibus animarum cura incumbit, hæc ſynodus in executionem concilii Tridentini præcipit, ne ullus vicarius, curatus, aut beneficiatus ex ſua parochia, juriſdictione, & diſtrictu, alio divertat ſine facultate epiſcopi cauſa expreſſa, & approbata, & pro eo tempore, quod in facultate hujuſmodi fuerit præfinitum: ſub pœna pondo viginti, quæ in uſus eccleſiæ, cujus curam gerit, accuſatoris, aut, eo deficiente, judicis pronun-

*Conc. Lim. 3. act. 2. c. 41. Guadix tit. 3. conſt. 14.*

ANNO CHRISTI 1585.

& Tol. act. 2. c. 25. & 26. & act. 3. c. 23 & ſynod. de Quiroga conſt. 39. & Mila. 4. tit. de cleric. ad feſtorum dierum.

nuntiantis æque erogentur: quando vero hac facultate obtenta ad civitatem, ubi ſedes epiſcopalis reſidet, pervenerint, intra viginti quatuor horarum ſpatium, coram epiſcopo, aut ejus officiali præſentes ſe conſtituant: ſi vero impediti fuerint, de adventu ſuo per interpoſitam perſonam, intra præſixum terminum rationem reddent, ſin minus pondo decem accuſatoris, & juſticiæ ſumptibus æque diſtribuendorum pœnam incurrant.

§ II.

Conc. Lim. 2. c. 72. & conc. 3. act. 5. c. 25. & 28.

Declarationem cardin. refert. Nicolaus Garcia, t. 1. de beneficiis 3. p. c. 2. §. 1. n. 311. & 312.

Conc. Lim. 2. c. 66. ad finem.

Tametſi juxta erectiones hujus archiepiſcopatus, & provinciæ, nullum tempus præbendatis ad requiem conſtitutum eſt, cum tota maſſa ex quotidianis diſtributionibus pendeat, nihilominus perpendens hæc ſynodus uſus, & conſuetudines cathedralium eccleſiarum harum partium variari; quo ſit, ut nulla conſuetudo vim legis habere videatur: cumque aſſiduis laboribus aliquod temporis intervallum ad requiem intermittendum ſit; permittit, ut præbendati ſexaginta diebus ad requiem potiantur, quos etiam ipſi eligere poterunt: quibus diebus, a punctatoribus non annotentur illi, quo uſque aliter fuerit a ſanctiſs. domino noſtro papa conſtitutum. Extra hos autem dies abſentiæ a divinis officiis, etiam cum conſenſu habito, ſine juxta ægritudinis cauſa, & mulctæ, quas ob hanc cauſam incurrerint, præbendatis ne remittantur. Quod ſi aliter fiat, qui mulctas hujuſmodi remiſerint, tantumdem fabricæ cathedralis reſtituere teneantur, quantum remiſerunt.

§ III.

Conc. Compoſtel. act. 2. c. 17. conc. Limeaſ. 3. c. 65. & Mila. 1. 2. par. tit. de officio punctatoris, & 4. Milan. 2. p. tit. de diſtributionibus, verbo quod de punctatorum.

Ut conſtet manifeſte, qui præbendati ſacras horas, & divina officia non obierint: ſingulis cathedralibus eccleſiis, probatæ fidei ſacerdos in punctatorem creetur, qui coram epiſcopo, aut ejus officiali juret, ſe in officio ſuo obeundo fidem, & diligentiam præſtiturum, & librum punctationum accurate aſſervaturum, illumque, cuiquam minime oſtenſurum; neque antea capitulo redditurum, quam officii ſui rationem reddiderit; deinde liber punctationum in archivio eccleſiæ reponatur. Si vero punctator abſit, alius ſubſtituatur, qui, præſtito juramento, altero in libro omnes notet, qui divinis officiis non eo interfuerint tempore, quo punctator abfuit. Punctatori vero redeunti hujus rei rationem reddat, ut punctationes in ejus abſentia notatas, in librum ſuum transferibat: officium autem punctatoris nullus niſi ſacerdos exerceat, neque ab eo ſine juſta cauſa removeatur.

§ IV.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. verbo omnes vero.

Curati omnes, tam cathedralium, quam parochialium eccleſiarum, non per ſubſtitutos, ſed per ſe ipſos officiis ſuis fungantur, ſi ægritudine, aut alia legitima cauſa impediti non ſint. His autem rebus, quæ ſibi ex munere conveniunt, accuratiorem operam præſtent, quam aliis, quæ etiam ſi bonæ ſint, eos tamen impediunt a cura parochiali, cui ſollicite intentos eſſe oportet: Si vero in ſepeliendis mortuis, alius ſacerdos eorum loco officium celebraverit, ipſi, quæ ſolum funus committentur, tantumdem ſtipendii percipiant, & non amplius. Quod ſi præſentes non interſint, nihil hujus rei

Conc. Mil. 4. tit. de parochiis verbo uſu compertum eſt.

causa percipiant, idque judices, & viſitatores ita ſervari faciant.

§ V.

Statuit etiam ac præcipit hæc ſynodus, ut tam in eccleſiis cathedralibus, quam parochialibus, ubi plures, quam unus beneficiatus, aut parochus, ſacerdotes ſunt; illi qui hebdomadarii officium non exercent, a reſidentia perſonali in divinis officiis non ſint exempti, neque hinc occaſione deſumpta, ab eis abſint. Quod ſi ſecus fecerint pro rata temporis ſtipendium, & obventiones beneficii amittant, quæ fabricæ illius eccleſiæ applicentur. Solum enim ad hebdomadarium pertinet miſſas cantare, & horas canonicas inchoare cum ſtrictiori adminiſtrationis ſacramentorum cura: quod alios ab obligatione reſidendi, & aſſiſtendi divinis officiis liberos non facit.

§ VI.

Quia ordini, & rationi repugnat, ut qui laboris, & oneris particeps non eſt, commodum & utilitatem ferat, jubet hæc ſynodus, ut qui præſentes anniverſariis, & aliis feſtis, in hoc archiepiſcopatu, & provincia fundatis, & dotatis, præſentes non interſint, obventiones ex eis provenientes ne percipiant, niſi aliter ſit in fundatione diſpoſitum. Nec judices eccleſiaſtici facultatem concedant, ut abſentes quidquam hac de cauſa lucrentur. Hoc autem decreto revocantur, & irritæ ſiunt, donationes, & pacta omnia, quæ in fraudem hujus rei clerici, aut beneficiati fecerint; itidemque declaratur, abſentes in toto, aut in parte, quacumque ratione obventiones hujuſmodi perciperent, teneri in foro conſcientiæ eas præſentibus reſtituere, ſi non adſit eorum conſenſus; ſi vero adſit, fabricæ eccleſiæ reſtituant.

## LIBRI TERTII TITULUS VII.

*De inſtitutionibus, & jure patronatus.*

§ I.

Seſſ. 21. c. 7. & 9. de reform. Granat. de inſtit. & jure patron. n. 3. Guadix conſt. 37.

UT bona, quæ eccleſiaſtica fiunt, quia beneficiis, vel capellis applicantur, recte adminiſtrentur, & perpetuo conſerventur, neceſſarium eſt, ut fundatione, & inſtitutione, ſuperioribus, & eccleſiaſticis prælatis ſubdita ſint; ad quos ex officio pertinet redditibus, & eccleſiaſticis bonis proſpicere. Quare juxta concilii Tridentini decretum præcipitur, ne deinceps, ſine expreſſo epiſcopi conſenſu capella aliqua fundetur, ac ſine ſufficienti bonorum deputatione, quibus redditus, ad ſtipendium capellani, juxta onera capellæ impoſita, competentes, firmi, ac ſecuri ſint. Cum vero fundator certa aliqua bona non deputaverit, capella hujuſmodi ſuper omnibus inſtitutoris bonis fundata intelligatur, quorum bonorum ad effectum hujuſmodi inventarium conficietur. Nullatenus autem in his fundationibus, & inſtitutionibus ea conditio admittatur, ut capella hujuſmodi ab ordinario viſitari non poſſit; immo talis conditio ex hoc irrita, & nulla decernitur: qua minime obſtante, ad capellæ viſitationem ordinarius procedat. Si quis vero capellam hac conditione ſuſceperit, ſub excom-

Guadix tit. conſt. 38.



ANNO CHRISTI 1585.

municationis pœna interdicitur, ne huic in ulla eccleſia, quæ ad ſacrum peragendum, & ad capellæ hujuſmodi cultum neceſſaria ſunt, ullatenus tribuantur.

§ II.

Guadix tit. 1. conſt. 3. 4. & Granat. de inſtit. & jure patr. n. 4. & 5.

Nullus capellæ patronus, ut alicujus communitatis membrum, cui competat jus patronatus, nec perſona aliqua cum eo intra tertium gradum conjuncta, nec capellani, aut œconomi capellani hujuſmodi pecunias in emphyteuſim accipiant, ut prædia, & bona locabunt, quæ ad dotem capellarum ex inſtitutione pertineant. Si vero ſecus fiat, contractus nulli ſint, & irriti, prout decreto hujuſmodi nulli decernuntur, & irritantur; qui vero in hujuſmodi contractibus intervenerint, in pondo viginti condemnentur, piis operibus epiſcopi arbitratu applicandis. Præcipitur etiam, ut cenſus ſuper bonis liberis, & magni valoris collocentur, eiſque perſonis dentur, de quibus maxima ſecuritas ſit, ea in omnibus obſervando, quæ per conſtitutionem felicis recordat. Pii papæ V. de hoc ſtatuta ſunt, ut capellæ perpetuo conſiſtant.

§ III.

Seſſ. 25. c. 9. de reform.

Præterea ad præſcriptum concilii Tridentini mandat hæc ſynodus, ne ullus beneficii patronus, cujuſcumque conditionis (etiamſi univerſitas ſit, aut collegium clericorum aut ſæcularium) nullatenus ſe intromittat, in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum beneficiorum, etiamſi re ipſa ad patronatum pertineant, ex inſtitutione aut fundatione: ſed fructus, proventus, & obventiones hujuſmodi rectori, aut beneficiato libere relinquat, nec patronatum, per venditionem aut alium titulum a jure prohibitum transferre audeat, ſub pœna excommunicationis, & interdicti reſpective, & præterea ipſo jure inhabilis ſit juris patronatus.

§ IV.

Guadix tit. 3. conſt. 34. & Granat. tit. de rebus eccleſiæ conſervandis n. 13.

Itidem ſtatuitur, ac præcipitur, ut ſi qui obtinentes pecuniam, aut bona, quæ ad capellas pertinent in emphyteuſim non dederint, locaverint, & de eis in utilitatem capellarum non diſpoſuerint, poſt hujus decreti publicationem intra triginta dies, pecunias, & bona hujuſmodi, alicui probatæ perſonæ ad beneplacitum ordinarii, & capellanorum in depoſitum dent, cum redditibus, qui ob eorum negligentiam, eo tempore ceſſarunt, eo quod de bonis, & pecuniis hujuſmodi in utilitatem capellarum minime diſpoſuerunt, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

§ V.

Granat. de inſtit. & jure patron. n. 4.

Quia vero juſtum eſt, ut pia voluntas, & diſpoſitio eorum, qui capellas fundavere, inviolabiliter obſervetur; præcipitur capellanis quatenus miſſas, anniverſaria, & feſta, quæ hoc tempore dotata ſunt, vel in poſterum in hoc archiepiſcopatu, & provincia dotabuntur, loco, diebus, & temporibus, cum ſolennitatibus a fundatore inſtitutis celebrent: quod ſi aliquod adſit impedimentum legitimum quominus die ſtatuto feſtum non celebretur, id ſaltem fiat infra octavam feſti.

§ VI.

Granat. de inſtitut. & jure patro. n. 10.

Sed quia capellæ antiquæ in facultatibus, & bonis fundantur: quæ tenuia cum ſint, aut temporis injuria decreverint, eos proventus non reddant, quibus ad miſſarum numerum, & alia onera capellarum opus eſt: quo ſit, ut omnino teſtatorum voluntas effectum ſortiri non poſſit; ideo concilii Tridentini auctoritate ſuffulta hæc ſynodus, id negotii epiſcopis dat, ut quamprimum fieri potuerit, unus quiſque in ſua diœceſi de redditibus capellarum, & de earum oneribus rationem petat: & in diœceſana ſynodo conſtitutione ſynodali declaret, quis redditus pro eleemoſyna, cuique miſſæ celebrandæ reſpondeat. Quod ſi redditus minime ſufficiat, miſſas, & alia onera ad minorem numerum reducat. Illud ſemper animadvertens, ex redditibus hujuſmodi partem aliquam in uſus fabricæ parochiæ deputandam, pro ratione vini, ceræ, & ornamentorum, quibus eſt capellis inſerviendum.

Seſſ. 25. c. 4. de reform. provinc. de Quiroga act. 2. c. 10.

## LIBRI TERTII TITULUS VIII.

*De rebus eccleſiæ conſervandis, alienandis, vel non.*

§ I.

Seſſ. 22. c. 11. de reform. Granat. de rebus eccleſiæ conſ. n. 13. Conc. Mila. 4. 3. p. tit. quæ ad pia loca pertinent, verbo quæcumque.

FUNDI, & bona eccleſiarum divino cultui dicata ſunt, ideoque eorum uſurpatio grave ſacrilegii ſcelus eſt. Ne vero quiſquam hoc flagitii genus committere audeat, ad præſcriptum concilii Tridentini jubetur, ne quiſquam eccleſiaſticus, ſive ſæcularis cujuſcumque dignitatis, & gradus per ſe, ſeu per interpoſitum clericum, aut ſæcularem, quavis arte, & colore preſumat, neque audeat occupare, uſurpare, aut in ſuos proprios uſus convertere, bona, jura, cenſus, juriſdictiones, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones alicujus eccleſię, beneficii, aut pii loci hujuſmodi, quę in neceſſitates pauperum converti debent; nec impediat ab his, ad quos vere pertinent percipi. Quod ſi ſecus fecerit, anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu jura, bona, fructus, redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione ſuppoſitę perſonę pervenerint, eccleſię ejuſque adminiſtratori, ſeu beneficiato integre reſtituerit, ac deinde a Romano pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi patronus ejuſdem eccleſię fuerit, etiam jure patronatus, ultra prędictas pœnas (eo ipſo) privatus exiſtat. Clericus vero, qui nefandę fraudis, & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat, necnon quibuſcumque beneficiis privatus ſit, & ad quęcumque alia beneficia inhabilis efficiatur: & a ſuorum ordinum executione etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui ordinarii arbitrio ſuſpendatur. Declarat etiam hęc ſynodus, ut in oppidis Indorum, ubi aliqua eleemoſyna ad ędificium, fabricam, aut ornamenta eccleſię erogata ſit, eamque beneficiatus, aut alia quęvis perſona eccleſiaſtica, ſive ſęcularis cujuſcumque qualitatis, & conditionis in proprios uſus converterit, eum eaſdem pœnas incurrere, & ad integram reſtitutionem teneri. Perſonis vero hujuſmodi pręcipitur, ne deinceps talia committant ſub dictis pœnis; hujus denique exe-

ANNO CHRISTI 1585.

cutio decreti, vehementer epiſcoporum curæ commendatur.

§ II.

*Ex jure communi ex. in cap. in canonibus 16. q. 1. & in c. cum nobis in fine, de electione, & in cap. ſi cui eodem tit. in 6. & ex in c. 2 de donation. Mexic. 1. 23. §. unico, & Mex. 3. c. 11. & Guadix tit. 3. conſt. 37. & Granat. tit. de ſepulturis n. 8. & ſynodus de Quiroga conſt. 62.*

Nullum capitulum, confraternitas, aut communitas, beneficiatus, aut œconomus ratione ædificandi in eccleſiis, vel eremitoriis, quidquam ſumptus faciant eccleſiarum, vel eremitoriorum impenſa, nec capellas in ſepulcrum dent, nec res eccleſiæ alienare poſſint, ſine expreſſo epiſcopi conſenſu: Quod ſi ſecus fecerint contractus de hac re facti nulli ſint, & invalidi: Sumptus quoque eadem de cauſa impenſi in computum ne admittantur; nec poſſint in uſum cathedralium, ſeu parochialium imagines, ornamenta, aliave emere, quæ valorem viginti pondo excedant; nec ad hæc emendum, ſeu eorum pretium ſolvendum, Indos compellant, niſi de epiſcopi licentia, ſub pœna reſtituendi ex bonis propriis quidquam ſumptus hac de cauſa fecerint. Conceditur tamen facultas ea emendi, quæ ad quotidianum & ordinarium eccleſiarum uſum neceſſaria ſunt, etiamſi viginti pondo pretium ſuperent. Idem vero hæc ſynodus præcipit a curatis regularibus hujus archiepiſcopatus, & provinciæ ſervari, & adimpleri. In viſitationibus autem circa hoc commiſſos exceſſus corrigendi intenta ſit ſollicitudo.

§ III.

*Granat. tit. de rebus eccleſ. n. 4.*

Nullus præbendatus, beneficiatuſve, aut miniſter eccleſiæ cathedralis accipiat, commodet, aut ab eccleſia exportet ornamenta, argentum, aliave eccleſiæ cultui addicta, ſine epiſcopi permiſſu, ſub pœna arbitrio epiſcopi infligenda.

§ IV.

*Conc. Mil. 1. p. 2. tit. quæ pertinent ad bonorum, & jurium eccleſiaſt. conſervationem & Tolet. act. 3. c. 1. & Compoſt. act. 3. c. 5. & Granat. tit. de beneficiatis a n. 4 uſque ad 8. & tit. de rebus eccleſiæ n. 1. & 5. & ſynod. de Quiroga conſt. 61. & provinc. ejuſdem Quir. act. 2 decr. 7. & Mediol. 1. tit. 3. decreto 14.*

Epiſcopis, in bonis eccleſiæ tuendis, & conſervandis maxima debet eſſe ſollicitudo. Eſſet enim quælibet in hac re admiſſa negligentia vitio vertenda: quia vero jura eccleſiarum hujuſmodi, in ſcripturis, & titulis de eis extantibus, continentur, hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ut in qualibet diœceſi archivium unum epiſcopale inſtituatur; in quo brevia omnia, privilegia ſummi pontificis, ſchedæ quoque, & proviſiones regiæ majeſtatis, omneſque aliæ ſcripturæ, ad dignitatem, & juriſdictionem epiſcopalem pertinentes, una cum inventario earum accurate confecto ab epiſcopo, aut ejus vicario generali, & a notario ſubſcripto recondantur. Neque ab archivio hujuſmodi ſcriptura aliqua deſumatur, niſi ob cauſam ad utilitatem epiſcopi, & eccleſiæ neceſſariam, relicto teſtimonio, cum ſubſcriptione ejus, qui ſcripturam accipit, cum die, menſe, anno, & cauſa, ob quam ſcriptura hujuſmodi ex archivio deprompta eſt.

§ V.

Quo vero tutius hoc archivium cuſtodiatur, in aliquo monaſterio civitatis, ubi ſedes cathedralis reſidet, aut in alio ejuſdem diœceſis (prout epiſcopo videtur) collocetur, & clavibus occludatur, quæ penes epiſcopum ſint. Sede vero epiſcopali vacante, vicarius generalis unam ex clavibus archivii, capitulo cathedralis eccleſiæ tradat, aut perſonæ a capitulo deputatæ, alteram vero ſuperiori monaſterii hujuſmodi, a quibus juramentum petat, quatenus fideliter claves hujuſmodi aſſervabunt; nec eas perſonæ alicui tradent, nec ſcripturam aliquam inde efferri conſentient, ſine licentia metropolitani, aut alterius ſuperioris, a quo poſſint compelli. Quando vero epiſcopus eligetur, ei claves tradant, & rationem reddant ſcripturarum, quas inde ſumpſerunt, & penes quem illæ ſint, eidem annuntient.

§ VI.

*Conc. Tol. act. 3. c. 1. & Compoſt. act. 3. c. 5.*

Quando vero epiſcopus obierit, vicarius generalis penes ſe accipiat proceſſus omnes, & libellos cameræ, quos epiſcopus in ſcriniis ſuis reconditos habebat, eoſque in dicto archivio reponat, cui generali vicario hæc ſynodus ad id facultatem tribuit, & ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ mandat, ne quiſquam cujuſcumque qualitatis, quominus hoc exequatur, ei impedimento ſit: ſi vero capitulum fuerit, aut communitas, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

§ VII.

*Tol. & Compoſt. ubi ſupra ſ. 6.*

In capitulo etiam cujuſcumque eccleſiæ cathedralis archivium unum ſit, in quo aſſerventur, & in unum redigantur ſcripturæ omnes publicæ, ad epiſcopum, capitulum, fabricam, & hoſpitales domos pertinentes, cum erectionibus, ſtatutis, & reliquis inſtrumentis ad hoc ſpectantibus; in eodem etiam archivio liber unus ſit in quo capellæ, & fundationes earum, juraque & prædia ad eccleſiarum fabricas, & domorum hoſpitalium totius diœceſis uſum pertinentia deſcripta ſint. Hoc vero archivium tribus clavibus occludatur, quarum una penes epiſcopum ſit, altera penes decanum, aut decano abſente, penes antiquiorem dignitatem, tertia vero penes canonicum ab epiſcopo deputatum.

§ VIII.

*Mex. 1. c. 23.*

*Mex. 1. c. 1. §. 1. Guadix tit. 3. conſt. 29 & Granat. tit. de beneficiatis n. 13. & tit. de ſepulturis n. 1 & provinc. de Quiroga act. 3. c. 3.*

In unaquaque etiam parochiali eccleſia liber unus ſit, in quo annotentur jura omnia, prædia, hereditates, & cenſus ad fabricam eccleſiæ hujuſmodi pertinentia, bona quoque quibus capellæ, feſta, & commemorationes dotantur, quidque in id præſtandum ſit exprimantur, ſcripturæ etiam, & inſtitutiones capellarum. Præterea in ſingulis parochiis tabella una in loco publico collocetur, in qua miſſæ, feſta, anniverſaria in eccleſia, hujuſmodi celebranda deſcribantur: hæcque tabella ab officialibus, ſeu viſitatoribus, & a notario ſubſcripta ſit; quando vero parochi feſta colenda populo annuntiaverint, ei quoque feſtum, aut anniverſarium, ea hebdomada celebrandum notum facient. Id vero omne, quod hoc decreto continetur, hæc ſynodus vehementer commendat epiſcopis, ut adimpleant, & quam primum exequantur, cum ex eo non mediocriter pendeant eccleſiarum dignitatis epiſcopalis, juriumque, & prædiorum conſervatio, difficultatumque & litium remedium, quæ, ſi hoc negligenter fieret, pullularent.





ANNO CHRISTI 1585.

## LIBRI TERTII TITULUS IX.

*De teſtamentis, & ultimis voluntatibus.*

§. I.

*Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 8. de reform.*

*Mexic. 1. c. 16. 17. & Granat. tit. de teſtam. n. 1.*

PIETATE Chriſtiana abſtringimur, rebus defunctorum proſpicere, qui de fidelitate vivorum confiſi, quod ipſi pie, & & juſte diſpoſuerunt, vivis adimplendum reliquere. Quæ cura epiſcopis potiſſimum incumbit, tamquam pauperum patribus, & ſtrenuis piorum operum executoribus. Hac igitur de re, decernit hæc ſynodus, ut cum quis, condito teſtamento, ex hac vita migraverit, antequam crux efferatur ad corpus defuncti humandum, executores teſtamentarii, teſtamentum coram parochis exhibeant, aut ſaltem eas clauſulas authenticas, & fidem facientes, quibus de ſepulturæ loco, de miſſis, & legatis piis relictis, teſtator diſpoſuit; Quæ omnia parochi, & beneficiati in libro, quem ad effectum hujuſmodi habere debent, annotent: curentque diligenter de plena eorum executione: quod ſi intra fatalem annum, hæc adimpleta non fuerint, epiſcopo, aut ejus officiali, ſeu viſitatori, id notum faciant.

§. II.

*Granat. tit. de teſtam. n. 1.*

*Fundatur paragraphus iſte cum ſeqq. in S. conc. Trid. ſeſſ. 25. in decreto de purgatorio, verbo curent autem epiſc.*

Executores itidem teſtamentarii conſcientiæ ſuæ ſatisfacientes a teſtatoribus diſpoſita, quam primum poterunt, exequantur. Quod ſi id non effecerint intra terminum, quo de jure, & expreſſa teſtatoris voluntate tenentur, per cenſuras, & alia juris remedia, a judicibus eccleſiaſticis compellantur, ut cum effectu teſtamenta hujuſmodi exhibeant, & de his, quæ adimpleta ſunt, quæque nondum ſunt executioni mandata rationem reddant; ſi vero propter retardationem, culpabiles ſint, puniantur, heredeſque, & depoſitarii bonorum coerceantur, ut quam primum totum id tribuant, quod ad executionem teſtamenti neceſſarium eſt.

§. III.

*Facit Guad. tit. 3. conſt. 30.*

*" puniendus.*

Quoniam vero executores teſtamentorum aliqui, dolo malo ab epiſcopatu abſunt, antequam fatalis annus compleatur, eamque ob cauſam, tempore a jure ſtatuto, ab eis ratio peti non poteſt, ſicque diu retardatur, & differtur eorum executio, quæ teſtamentis diſpoſita ſunt, propterea hæc ſynodus interdicit, ne ullus executor hujuſmodi, a diœceſi diſcedat, quin prius teſtamentum, quod ſibi incumbit, executioni mandaverit, aut cautionem dederit, quatenus anno elapſo, ſine ulla retardatione præſentem ſe conſtituet rationem redditurum, arbitratu epiſcoporum ob ejus contumaciam " puniturus, ſi intra octo dies poſt elapſum annum ad id non compareat. Quo vero hujus decreti executio certior ſit, officialibus, & judicibus teſtamentorum præcipitur, quatenus epiſcopis annuntient, ut de opportuno remedio provideant, ne defunctorum voluntates fruſtrentur; & quæ ab ipſis diſpoſita ſunt, minus adimpleantur.

§. IV.

*Granat. tit. de teſt. n. 2.*

Curati omnes, beneficiati, capellani, & alii ſacerdotes, quibus incumbit miſſas celebrare, aut alia pia legata teſtamento relicta adimplere, id agant, & præſtent, intra ſex menſes poſt obitum teſtatoris, ſi ab eo aliter non ſit diſpoſitum, ſub pœna pondo quatuor in uſus piorum operum; necnon eorum impenſis, miſſæ hujuſmodi celebrentur, & pia legata adimpleantur, quæ ob eorum negligentiam impleta non ſunt.

## LIBRI TERTII TITULUS X.

*De ſepulturis, defunctis, & funeralibus.*

§. I.

*Granat. tit. de ſepultur. n. 7.*

JUSTUM eſt, ut populus Chriſtianus fideles defunctos piis precibus, & officiis proſequatur. Eam ob cauſam ſtatuit hæc ſynodus, ut ſi condito teſtamento, quiſquam obierit, ea quæ de ſuis exequiis, miſſis, & piis legatis, in utilitatem animæ teſtator diſpoſuit, ſtatim, prout in teſtamento continentur, adimpleantur. Si vero ſine teſtamento ex hac vita diſceſſit, & relicta bona ſufficiant, pro defuncto miſſa, & vigilia de depoſitione defuncti ſolenniter celebretur; itidemque in ſua parochia privatarum miſſarum novenarium peragatur. Si autem defunctus perſona miſerabilis ſit, nihilque in bonis reliquerit, gratis ſepeliatur. Quod ſi aliquid in eleemoſynam erogatum ſit, id non in ejus ſepulturæ, ſed in ſuffragia pro defuncto conferatur. Qua de cauſa curati, & parochi cathedralium, & parochialium eccleſiarum jubentur, ne eleemoſynam hujuſmodi in ſuos proprios uſus convertant. Quod ſi ſecus fecerint, ad reſtitutionem in foro conſcientiæ teneantur, ac præterea epiſcopi ſevere eoſdem puniant.

§. II.

*Granat. tit. de ſepul. d. n. 7.*

Ad humandum mortuos (etiam pauperes) unus ex parochis, & alter ex beneficiatis cum primum vocati fuerint accedant; ſub pœna pondo quatuor in eleemoſynam miſſarum pro animabus in purgatorio detentis. In unaquaque vero parochia, vel ex fabricæ redditibus, vel ex eleemoſynis erogatis parochi duos cereos ſibi comparent, ad miſerabilium perſonarum funera, curentque, ut aliqui in comitatu corporis mortui ſint, & ut aliquis ſepulcrum effodiat.

§. III.

*Tx. de jure regio in leg. 6 & 10. tit. 4. lib. 5. recopil.*

*Limenſe 3. act. 2. c. 29.*

Quando Indus aliquis teſtamento relicto migraverit, ſuffragia & pia legata ab eo diſpoſita executioni mandentur: ſi vero heredem neceſſarium habuerit, ſuffragia, & pia legata hujuſmodi quintam bonorum partem non excedant; cum jure prohibitum ſit in majore quantitate diſponere. Si vero abſque teſtamento diſceſſerit, quod eſt præcedenti decreto ſancitum, fiat: cavetur tamen (quocumque modo, vel cum teſtamento, vel ſine eo Indus moriatur) ne parochus aliquis ſæcularis, aut regularis ex ejus bonis quidquam accipiat, etiam ſub prætextu erogandi quintam eorum partem in ſuffragia pro defuncto.

ANNO CHRISTI 1585.

Seſſ. 25. c. 11. de reform.

Quod ſi curatus ſæcularis ſecus fecerit, tantumdem ſolvat fabricæ eccleſiæ, quantum ex bonis defuncti abſtulit: regularis vero pro ratione culpæ, ad præſcriptum concilii Tridentini punietur.

§. IV.

Ut corruptela, quæ in has Indiarum partes graſſata eſt, funditus tollatur, qua curati Indorum defunctis eorum corporibus humandis non intervenientes, id officii cantoribus relinquebant, præcipit hæc ſynodus curatis omnibus, ſæcularibus, & regularibus ut ipſi per ſe ſepeliendis Indis interſint, & defunctorum officium celebrent: ſuperpelliceoque induti cum cruce funeri occurrant loco ab epiſcopo deputato. Juſtum enim non eſt, ut Indi teneri adhuc in fide, exequias defunctorum a ſuis miniſtris parvi pendi conſpiciant, quod puſillis hujuſmodi ſcandalo eſſe poſſet.

§. V.

Tx. in cap. nullus 44. d.

Convivia, crapulas, & ebrietates ab Indis, in die depoſitionis defuncti admitti ſolitas, diligenti cura parochi eliminare contendant: eoſque moneant, longe ab eo tempore, id alienum eſſe debere. Si vero moniti non reſipiſcant a parochis corrigantur.

§. VI.

* Eſt rado, o tarima. Mex. 1. c. 24. Gran. tit. de ſepulturis n. 15. Milan. 1. 2. p. tit. de ſepulturis, & Milan. 4. tit. de ſepul.

Lex reg. 2. tit. 5. lib. 5. recopil.

Quo ſancti templi, ubi divina officia celebrantur, decorum ſervetur, omneque illud removeatur, quod impedimento eſſe poſſit aſſiſtentibus in eccleſia, ut minus attente divina officia audiant; juſtiſque aliis de cauſis ad præſcriptum conſtitutionis felicis record. Pii papæ V. ſtatuit hæc ſynodus, ac jubet, ne ſepulcro ullius perſonæ cujuſcumque ſtatus illa ſit, * cenotaphium imponatur, niſi in diebus depoſitionis, exequiarum, & anniverſarii, ſepulcra lapidea, & lignea, in eccleſiis, ne erigantur, quæ earum pavimento immineant, quod ſi ſecus fiat, ſæculares id committentes ab epiſcopo pro modo culpæ puniantur; miniſter vero eccleſiaſticus conſentiens, pondo decem mulctetur ad uſum fabricæ hujus eccleſiæ, & ceræ, quæ ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento deſervit. Sacellis itidem templorum parietibus panni lugubres ne pendeant, niſi perſona regia defuncta ſit. In funeralibus autem exequiis, & anniverſario plures quam duodecim faces, aut cerei ſepulcris ne incendantur; Quod ſi plures ſint ad uſum luminum ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento applicentur.

§. VII.

Granat. tit. de ſepultur. n. 11. & 12.

Quando defuncti corpus ab aliqua eccleſia, ubi erat in depoſito removetur, e ſepulcro ante ne efferatur, quam pro ejus juribus pondo duodecim in eleemoſynam erogentur, quorum novem beneficiatis, tres vero fabricæ illius eccleſiæ tribuantur. Si vero proprietatis jure ſepultum corpus in eccleſia aliqua ſit, in aliam nullatenus transferatur niſi de epiſcopi, ejuſve officialis, aut viſitatoris generalis, expreſſa facultate in ſcriptis. Qua obtenta heredes viginti quatuor pondo in eleemoſynam conferant, quorum decem & octo beneficiatis, ſex vero fabricæ eccleſiæ, a qua corpus transfertur, applicentur. His vero juribus, funeralia jura non intelliguntur comprehenſa, quæ alias ex diſpoſitione teſtatoris beneficiatis provenire poſſunt.

§. VIII.

Granat. & de ſepultur. & miſſis. n. 32.

Quia vero rationi maxime conſonum eſt, ut ſubditi ſuperiores amore proſequantur, præcipit hæc ſynodus, ut defuncto aliquo epiſcopo, omnes illius diœceſis ſacerdotes, intra quatuor dies a die notitiæ pro eo miſſam unam de defuncto epiſcopo celebrare teneantur: intra octo vero in ſingulis eccleſiis epiſcopatus miſſa una ſolennis celebretur cum reſponſorio, idque ſine pompa, & ſine eccleſiarum ſumptibus fiat.

## LIBRI TERTII TITULUS XI.

*De parochiis.*

§. I.

Mex. 1. & ſeqq. [illegible]

UT inter parochos, & eccleſiarum miniſtros nulla ſit cauſa diſcordiæ, ſtatuit hæc ſynodus, ac præcipit, ne ullus ſacerdos ſæcularis, aut regularis ſacramenta adminiſtrare audeat in his oppidis, quæ alterius juriſdictioni ſubſunt, ſine epiſcopi conſenſu, aut parochi proprii ejus regionis. Permittitur tamen, ut ſi iter agentes per aliquod oppidum tranſire contigerit, a quo proprius beneficiatus abſit, poſſint ſacerdotes hujuſmodi *parvulos*, & adultos in caſu neceſſitatis baptizare, baptizatorum nomina deſcripta relinquentes, ut cum proprius parochus venerit, ea in ſuum librum tranſcribat, itidemque confeſſiones audire poterunt, ſi ad id fuerint per ordinarium approbati.

§. II.

Conc. Lim. 3. act. 4. c. 16.

Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.

Mandat hæc ſynodus, ut regulares fontes baptiſmales non habeant, niſi in his tantum eccleſiis, ubi aſſignata eſt illis cura animarum, ibique nullos præter parochiales baptizabunt, nec matrimonio conjungent, aut eis nuptialem benedictionem porrigent, niſi de epiſcopi, aut proprii parochi licentia. Quod ſi ſecus fieret, matrimonia irrita eſſent, & nulla, ut eſt ſacri concilii Tridentini decreto ſancitum.

§. III.

Guadix tit. 4. conſt. 12.

Quia æquum eſt, ut unuſquiſque fidelium propriam parochiam, ubi ſancta ſacramenta ſuſcipit, recognoſcat; ſtatuitur, & jubetur, ut poſtquam mulier aliqua pepererit, intra menſem propriam parochiam adeat; ibique miſſam audiat, ac pro beneficio accepto omnipotenti Deo gratias agat: ſi vero ſine juſta cauſa, id amplius differat, epiſcopi arbitratu puniatur.





ANNO CHRISTI 1585.

## LIBRI TERTII TITULUS XII.

*De decimis, & primitiis.*

§. I.

Seſſ. 25. c. 12 de reform.

& ſeſſ. 21. cap. 4. Mex. 1. c. 90. & Guadix tit. 7. conſt. 8. & Granat. tit. de decimis n. 1. & Lim. 3. act. 4 c. 12

Mexic. 1. c. 26. y ay real cedula en el libro que dizen de puga f. 195. Seſſ. 25. c. 12 Tx. in Clem. cupientes de pœnis, & in Clem. relig. de decimi. Mexic. 1. d. c. 90. §. unico, & Guad. & Granat. ubi ſupra.

CURATORUM, & miniſtrorum eccleſiæ ſuſtentatio ad eos jure divino ſpectat, in quorum ſpirituali utilitate miniſtri eccleſiæ ſeſe exercent. Eamque ob cauſam ſancta mater eccleſia decimas, & primitias eccleſiæ dari præcipit, quas ſanctum concilium Tridentinum integre perſolvi juſſit: necnon omnes, & ſingulos Chriſti fideles hortatum eſt, ut parochis, & ſuperioribus, qui tenuioribus præſunt eccleſiis de bonis a Deo ſibi collatis pro caritate Chriſtiana, debitoque erga ſuos paſtores munere large ſubveniant. Ad cujus concilii præſcriptum hæc ſynodus ſtatuit, & mandat, ut omnes homines hujus archiepiſcopatus, & provinciæ (Indis exceptis,) ad quos decimarum, & primitiarum ſolutio ſpectat, eas, quas de jure, vel conſuetudine tenentur, integre perſolvant, ſine dolo, & fraude, ſive diminutione, ſub pœnis a jure ſtatutis, & aliis quæ in brevibus, a ſede apoſtolica ſpecialiter emanatis, continentur. Confeſſarii vero omnes ſubditos ſuos doceant, quid de ſolutione decimarum, & primitiarum ſanctum concilium decreverit, quantumque ad hoc decretum implendum aſtricti ſint. Quos autem repererint in hac parte muneri ſuo non ſatisfeciſſe, de gravitate commiſſæ culpæ admoneant, & de pœnis hac de cauſa incurſis: nec eos ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſequuta, abſolvant: cum juſtiſſimum ſit, ut a quibus ſpiritualia remedia percipiunt, temporali ſtipendio juvare non deſinant. Quoad Indos vero id ſervetur, quod ſchedis, & executorialibus regiæ majeſtatis diſpoſitum eſt.

§. II.

Concilii Tridentini auctoritatem ſequuta hæc ſynodus, ne quiſquam cujuſcumque gradus, & conditionis ſit, decimarum, & reddituum eccleſiaſticorum ſolutionem impedire audeat, ſubtrahere, aut occupare, directe, vel indirecte, per ſe, aut per interpoſitam perſonam: nec impediat, exactionem, locationem, augmentum, & beneficium decimarum, & redditutum hujuſmodi, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis pœnis, & cenſuris contra eos, a jure, & ab apoſtolicis brevibus, ſtatutis: quas ipſo facto incurrant ſine alia ſententia, tam qui decimas ſibi uſurpant; aut earum exactionem impediunt, quam qui id jubent, aut ad id conſilium, auxilium, favoremve præſtent; Civitates vero, & oppida tamdiu eccleſiaſtico interdicto ſubjaceant; quamdiu delinquentes hujuſmodi retinuerint, aut conſenſerint, ſine reſtitutione ab eis plene facta.

§. III.

Ex concil. Limenſ. 3. act. 2. c. 38.

Attendens præterea hæc ſynodus, ad alia perſolvenda eccleſiis, quam ad decimas, & primitias, fideles non teneri niſi ſponte, & voluntarie ea velint erogare; præcipit hæc ſynodus, ne ullus Indorum miniſter eos compellat directe, aut indirecte ad oblationes in miſſis, funeribus, aut aliis divinis officiis, & in feſtis titularibus locorum faciendas: nec occupare poſſit, exigere, aut petere, quaſcumque exactiones Indi Suchiles, aut Tamalaliztli vocant, nec quacumque alia ratione, per ſe vel per fiſcales, aut quos vocant Indi Teopantlacas, aut alias perſonas, ſub pœna quinquaginta pondo pro prima vice, & dupli pro ſecunda, in fabricæ ejus eccleſiæ, cujus fuerit miniſter, accuſatoris, & piorum operum uſus. Miniſtri tamen hujuſmodi accipere poterunt ab Indis, quod ipſi ſponte obtulerint, admonentes eos ad id non teneri, niſi ex voluntaria devotione: quo fiet, ut, & qui ſacramenta miniſtrant, ac doctrinæ Chriſtianæ documenta tradunt, commode ſuſtententur, eorum ſubditi nullis extorſionibus, & vexationibus opprimantur.

## LIBRI TERTII TITULUS XIII.

*De regularibus, & monialibus.*

§. I.

De hoc tit. conc. Tol. act. 3. c. 25 & Milan. 1. p. 3. tit. de monialibus cum ſeqq. & Milan. 4. 3. p. tit. quæ pertinent ad regul. & 5. conc. Milan. tit. quæ ad moniales pertinent.

Seſſ. 25. tit. de regular.

VOTA paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ adeo in republica Chriſtiana ſemper magni æſtimata ſunt, ut a tempore apoſtolorum ad noſtra uſque tempora eccleſia commendaverit, prædicaverit, & perpetua traditione ſtatuerit ea, quæ ad votorum hujuſmodi plenam obſervationem viſa ſunt ei neceſſaria, & opportuna. Nec ſolum de religioſis omnibus ſemper curam habuit, ſed præcipue monialium, & virginum Deo dicatarum clauſuram procuravit. Eſt enim is virginum ſtatus dæmonibus adeo inviſus, ut eas omnibus machinis expugnare, & exagitare contendant, ita ut nullis conſtitutionibus vallari poſſe videantur, & ad impetum inimicorum retundendum muniri; ſi epiſcopi, quibus monialium cura data eſt, diligenter non invigilant, ne ulla in hoc admittatur negligentia, quæ in re tanti ponderis, & momenti eſſet valde culpabilis. Ob id enim præcipue huic virginum ſtatui eccleſia clauſuram impoſuit, quia neceſſarium, aut ſaltem convenientiſſimum remedium eſſe duxit, ut virgines hujuſmodi nequaquam a propoſito ſuſcepto deterreantur. Idcirco cupiens hæc provincialis ſynodus in omnibus, & per omnia ſancti concilii Tridentini decreta ſequuta, huic accurate proſpicere, has pie recteque vivendi formulas, ſequentibus decretis ſancitas obſervari præcipit.

§. II.

Seſſ. 25. c. 5. de regul. Tolet. act. 3. c. 25. & ſyn. de Quiroga conſt. 96. & provinc. ejuſdem de Quirog. act. 3. c. 41. Pio V. Et Greg. XIII.

In primis curent epiſcopi, ut in monaſteriis ſibi ſubjectis id omne obſervetur, quod de monialibus ſanctum concilium Tridentinum decrevit: præſertim, quod de paupertate, & clauſura, tam ab eodem concilio, quam a fel. recordationis pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. conſtitutum eſt, quam primum executioni mandare ſtudeant. Quia vero his præſidiis labefactatis, atque convulſis, abſque ulla dubitatione religio detrimentum pateretur, & collaberetur; quoad paupertatem præcipitur, ut ſi quidquam fuerit alicui monialium dono datum, aut teſtamento relictum, aut induſtria, & labore quæſitum; conventui incorporetur: ideoque ad manus præfectæ recta deferantur: quæ pro ſua prudentia, & humanitate in primis ex hujuſmodi bonis ſubveniat arbitrio ſuo neceſſitatibus illius monialis, cujus opera, vel con-

templatione, fuerint parta. Quod vero reliquum fuerit in communem uſum totius monaſterii convertat. Quoad clauſuram vero animadvertant epiſcopi, aut alii ſuperiores ſe non debere facultatem concedere, ut aliqua monialis ex ſeptis monaſterii egrediatur; niſi in caſibus lippiæ, epidemiæ, aut gravis alicujus incendii, prout eſt conſtitutione felic. record. Pii papæ V. diſpoſitum. Nulli autem perſonæ niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat, ſine epiſcopi licentia in ſcriptis, ingreſſus, vel acceſſus ad monaſteria pateat, juxta conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit *Periculoſo* a ſacro concilio Tridentino, renovatam. Superioribus quoque, vicariis, & abbatiſſis, ſeu præfectis monaſteriorum præcipitur, ne pueri parvuli, aut puellæ ullatenus intra monaſteria ducantur; Quod ſi ſecus fecerint, prælatis injungitur in foro conſcientiæ, ut in hoc abbatiſſæ, aut cujuſvis alterius monialis negligentiam, & exceſſum corrigant, cum ſuſpenſione officii (ſi opus fuerit.)

(Pii V. — In cap. periculoſo de ſtatu regul. lib. 6. Seſſ. 25. c. 5. de reg.)

## § III.

(Provinc. de Quiroga act. 3. c. 44.)

Quandocumque in monaſteriis monialium ordinario ſubjectis, abbatiſſæ, prioriſſæ, aut cujuſvis alterius nominis præfectæ officium vacaverit, & de novo eligi debuerit, epiſcopus per ſe, aut per ſuum vicarium, vel alium quem voluerit ad id deputare, monaſterium, & omnes moniales viſitet; ita ut viſitatio electionem præcedat.

## §. IV.

(Seſſ. 25. c. 3. de regul. Conc. Tarraconenſe c. 26 & 31. concil. Remenſe. c. 33. Tx. in cap. 1. de inſtitut. & in cap. auctoritate, 5. ſine de ſtatu reg. lib. 6. & Limenſ. 3. act. 3. c. 33.)

Ex Tridentini concilii juſſu, major monialium numerus in monaſterio ne recipiatur, quam qui pro modo, & facultate loci, & conſuetis eleemoſynis, & redditibus commode valeat ſuſtentari: neque is numerus, niſi facta proportionabili reddituum acceſſione augeri poſſit. Præfectis vero in virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur, ut totum id, quod pro ingreſſu alicujus monialis pro eleemoſyna perceperunt, in redditibus, & bonis immobilibus monaſterii collocent: ſi quid vero ex eo ſumptuum faciendum aliquo modo eſt, id ſine conſenſu epiſcopi ne fiat. Præfectæ vero monialibus ſubditis, ita quæ ad victum neceſſaria ſunt tribuere procurent, ne a parentibus illud moleſte petant.

## § V.

(Et jura, & conc. concordantia refert Joan. Paul. lo in expoſ. reg. canon. regul. lib. 1. a. 19. nu. 2. Limenſe 3. act. 3. c. 34.)

Quando monialium monaſteria viſitantur, initio viſitationis prælatus, aut ſi impeditus fuerit, viſitator ab eo ſpecialiter deputatus, monaſterium ingrediatur, duobus, aut tribus viris honeſtate vitæ, & morum integritate probatis, ſibi in comites adhibitis: perluſtretque diligenter qualitatem domus, officia, & reliqua ad id neceſſaria. In fine vero viſitationis, quando capitulum ad corrigendum exceſſus congregandum eſt, viſitator eodem modo comitatus, monaſterium ingredi poterit. Reliqua vero alia ante cancellorum feneſtellam, aut in loco collocutioni deputato peragat: ſi vero extra hos caſus viſitatorem intra monaſterii ſepta ingredi oporteat, id ſine facultate epiſcopi in ſcriptis ne faciat, juxta formam concilii Tridentini.

## §. VI.

Abbatiſſæ, ſive præfectæ monialibus ſubditis facile ne concedant, ut cum ſæcularibus hominibus loquantur, niſi ii parentes ſint, fratreſve, aut conſanguinei; idque frequenter ne fiat. Numquam tamen conſentiant, ut ſine aliqua auſcultatione ſæculares alii moniales alloquantur. Quibuſcumque etiam perſonis interdicitur, ne loca in monaſteriis monialium collocutionibus deputata, frequenter adeant. Sin minus perſona illa, ſive ſæcularis, ſive regularis, cujuſcumque gradus, & conditionis ſit, quæ ſæpius cum aliquibus monialibus colloquatur, aut conſuetudinem habeat ſine facultate prædicta, graviter puniatur juxta conſtitutionem Alexandri tertii, quæ incipit (*Monaſteria*,) & aliis etiam pœnis pro modo culpæ, & ſcandali, quod inde generabitur: invocato, ſi opus fuerit, ad id brachii ſæcularis auxilio. Nec permittatur, ut eccleſiaſticus, ſive ſæcularis vir, aut monaſteria adeat, vel ea ingrediatur, ratione inſtruendi moniales in cantu, niſi juſta aliqua de cauſa ſuperior ad id facultatem conceſſerit: in qua facultate concedenda ſuperioris conſcientia maxime oneratur, ut eam non concedat, niſi ob urgentem neceſſitatem, aut communem utilitatem. Cum vero alicui perſonæ ad cantum docendum monaſteria adire conceditur, nequaquam intra ſepta monaſterii ingrediatur, ſed id ante cancellorum feneſtellam præſtet: aliter pœnas incurrat a concilio Tridentino ſtatutas.

## §. VII.

Ut omnis avaritiæ, aut ſimoniæ labes obvietur, præcipit hæc ſynodus, ut quando mixta aliqua femina in monialem alicujus monaſterii recipiatur, quod niſi de ſuperioris ſpeciali conſenſu fieri non poteſt, pro eleemoſyna amplius, quam aliæ ne det. Neque ab ea quidquam petatur, eo quod ad choro inſerviendum admittatur, niſi illud tantum, quod ſolent dare aliæ, quæ ad hujuſmodi effectum recipiuntur. Si enim ſecus fiat, ſimoniæ ſcrupulo non caret.

## § VIII.

Ambitio diſſenſionis & invidiæ origo omnino eſt a monaſteriis, tamquam teterrima peſtis propulſanda. Quam ob cauſam ſtatuitur, ac jubetur, ne ulla monialis ambiat, aut ullo quovis modo, ſive directe, ſive indirecte, per ſe, aut per aliam interpoſitam perſonam, honores, officiave cujuſvis generis, ſui monaſterii quærat, ſub hac conſtituta pœna, ut ea, & quæ ſibi in ea re a[a] fuerint, per tres ſextas ferias, ad pedes, ſingularium monialium, terram deoſculantes ſuam accuſent ambitionem, ipſaque præterea ſi id officium conſequuta erit, eo, ceteriſque muneribus privetur ſuperioris arbitratu, juxta conſtitutiones ſingularium monaſteriorum. Singulæ moniales, propria voluntate depoſita, & ad obtemperandum paratæ, ſibique Dei gloriam, & communem monaſterii utilitatem tantummodo proponentes, ad honores, & officia eas eligent, quas omni remoto humanitatis affectu, impulſu Spiritus ſancti magis idoneas ad id munus eſſe judicaverint.

[a] Forte, ab fuerint. H.

§. IX.



## §. IX.

(Seſſ. 25. c. 7. de reg. Milan. 1. p. 3. tit. de præfect. verb. præfecta.)

Præfecta quocumque nomine appelletur, ex Tridentini concilii decreto, ne minor quadraginta annis eligatur, quæve in vitæ honeſtate laudabiliter vixerit octo annis, poſtquam profeſſa eſt. Quod ſi in eodem monaſterio non ejuſmodi reperiatur, juxta concilium Tridentinum ex alio ejuſdem ordinis eligi poſſit. Sin autem ſuperiori, qui electioni præeſt, hoc etiam incommodum eſſe videatur, epiſcopo, vel alio ſuperiore conſentiente eligatur ex his, quæ in eodem monaſterio triginta annis majores natu ſint, quæ annis ſaltem quinque poſt profeſſionem recte vixerit. Hujuſmodi vero præfecta, & ejus vicaria, diſcretæ etiam, quæ alio nomine matres conſilii vocantur, ubi eæ a capitulo eligi conſueverunt, coram ſuperiore, aut ejus miniſtro eligantur, qui extra monaſterium ad cancellos ſtet, ex decreto concilii Tridentini.

(Seſſ. 25. c. 6. de regul.)

## §. X.

(Mexic. 1. 3. p. tit. de præfectis verbo earum officia, & verb. quæ delectæ fuerint.)

Officia earum, quæ electæ ſint in abbatiſſam, vel prioriſſam, per tempus in conſtitutionibus ſingulorum ordinum & monaſteriorum præſcriptum durent. Poterit tamen ſuperior eas ante tempus officio præfinitum, inde movere, ſi id male adminiſtrant. Quæ vero canonice electæ fuerint, officia ſuſcipiant, & eorum munera ſine recuſatione humiliter exequantur. Quæ aliter fecerint ſine juſta cauſa, quæ ſuperiori probata ſit, jure ſuffragii priventur, ut ne ipſæ alias eligere, neque ab aliis eligi poſſint, arbitrio ſuperioris.

## § XI.

(Milan. 1. p. 3. d. tit. de præfectis verbo præfecta, & moniales.)

Nulla præfecta etiam cum diſcretarum, & totius conventus conſenſu, bona monaſterii alienare, permutare, locare, aut contrahere nullo modo poſſit, niſi cum facultate ſuperioris in ſcriptis, ſervatis item ceteris, quæ jure ſervari debent: aliter contractus irriti, ac nulli ſint; Neque item ædificare poterit, niſi conſentiente ſuperiore, cujus prudentiæ eſt providere, ut id quam minimo ſumptu commode, & decenter fiat.

## § XII.

(Seſſ. 25. c. 18. de reg. Milan. 1. p. 3. tit. de puellis ad religionem admittendis. Et verbo præfecta, & moniales.)

Cum primum puella aliqua ad ſuſcipiendum ſacrum habitum offertur, monialium præfecta parentes, vel eos, quorum curæ puella commiſſa eſt, admoneat de excommunicatione, quæ propoſita eſt a ſacro Tridentino concilio, his, qui virginem aliquam, viduam, aut aliam mulierem invitam cogunt monaſterium ingredi, aut religionem profiteri: idemque fiat ab earum ſuperiore quo doctus conſenſus requiretur. Præfecta autem, & moniales de puella earum ſuffragiis ad ſuſcipiendam religionem admittenda, quidquam polliceri, aut capitulum cogere non audeant, priuſquam libero loco, ab epiſcopo, aut ab eo, cui ipſe id munus delegarit, puella ſecreto examinata, ac probata facultatem ſuſcipiendi in eo monaſterio religionem ſcripto conſequuta fuerit.

(Seſſ. 25. c. 17. de regular.)

## § XIII.

Quoniam ex concilii Tridentini decreto, profeſſio ante decimum ſextum annum expletum, ante annum probationis poſt ſuſceptum habitum facta nulla eſt, nullamque parit obligationem; curent epiſcopi ne novitia ulla ante illam ætatem, & tempus ad profeſſionem admittatur: novitiæ autem cauſa ante profeſſionem ex decreto concilii Tridentini, nihil monaſterio detur, præter id, quod neceſſarium ad victum, & veſtitum ejus pro tempore, quo fuerit in novitiatu, quod totum æſtimari debeat a ſuperioribus; & ad id repræſentandum, antequam puella monaſterium ingrediatur, omnibus juris remediis iidem ſuperiores utantur. Nulla autem renuntiatio bonorum a novitia fiat; niſi quemadmodum a concilio Tridentino juſſum eſt.

(Seſſ. 25. c. 15. de regular. Milan. 1. p. 3. de novitiis ad profeſſionem recipiendis verbo quoniam, & verb. novitiæ. Seſſ. 25. c. 6. de regular. Seſſ. 25 c. 16. de regul.)

## § XIV.

(Seſſ. 25. c. 17. de regular. Milan. 1. 3 p. tit. de novitiis ad profeſſionem recipiendis verbo præfecta autem & Milan. 5. tit. quæ ad moniales pertinent verbo cum novitiæ.)

Quo multis incommodis occurratur, & omnis tollatur occaſio, ne quæ ad regularem habitum admittuntur, & in eo profeſſionem faciunt, vel vim, vel ignorantiam prætendant; ex decreto concilii Tridentini ſtatuit, & decernit hæc ſynodus, ut de voluntate ejus, quæ habitum regularem ſuſceptura eſt, aut in eo profeſſura, epiſcopus per ſe inquirat, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat: ſi vero epiſcopus legitime impeditus fuerit, ejus conſcientiæ injungitur, ut ad id perſonas prudentia, & vita probatas deputet, a quibus optima hujus miniſterii executio expectetur. Præfecta autem monaſterii triginta ante diebus epiſcopo ſignificet, quo tempore novitia profeſſura ſit; Si vero id facere neglexerit, ejuſdem concilii Tridentini decreto ab ejus officio tamdiu amoveatur, quamdiu epiſcopo videbitur.

(Seſſ. 25. c. 17. de regul.)

## § XV.

Ut puriori, & integriori conſcientia moniales in Dei cultu ſeſe exerceant, hæc ſynodus prælatis, aut his, qui eorum nomine, virginum monaſteriorum curam gerunt, præcipit, ut monialibus confeſſores præficiant, & ætate provectos, & prudentes, & Deum timentes: qui ſingulis ſaltem menſibus peccata monialium audiant, eiſque ſacroſanctam euchariſtiam adminiſtrent, quemadmodum ſacrum Tridentinum concilium jubet: ex cujus quoque decreto juſſum eſt, ut epiſcopus, aut alii ſuperiores præter ordinarium confeſſorem, alium extraordinarium monialibus offerant, bis, aut ter in anno, qui earum confeſſiones audire debeat: cujus decreti exequendi curam hæc ſynodus prælatis imponit.

(Seſſ. 25. c. 10. de regul. Milan. 1. 3. tit. de concionatoribus confeſſoribus, & viſitatoribus, & capellanis, verbo præficiantur.)

## § XVI.

(Conc. provinc. de Quiroga act. 3. c. 45.)

Tametſi hæc ſynodus non reprobat, immo potius laudat, & approbat quarumdam mulierum ſtatum, quæ extra monaſteria in habitu honeſto degentes, voto ſimplici ad ſervandam Deo caſtitatem ſe aſtringunt; nihilominus præveniens eadem ſynodus, ne ſub devotionis ſpecie prædictæ mulieres licentioſe, huc, illucque vagantes diſcurrant, & ob ſimilitudinem habitus ſancti monialibus ignominiam inferant, ſtatuit, ac præcipit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut nulla prædictarum mulierum, quas *beatas* vocant, habitum alicujus religionis approbatæ deferat. Declarat tamen hæc ſynodus his decretis ad religioſam gubernationem pertinentibus, aliquam ex conſtitutionibus monialium nolle revocare, nec ei ullatenus præjudicium inferre; nec facultatem a prælatis auferre, quam ipſi habent, circa ea, quæ juri non

ad-

ANNO CHRISTI 1585.

adverſantur, mutandi conſtitutiones, aut alias de novo adjungere, pro ut eis viſum fuerit, juxta neceſſitatum, & temporum occaſionem. Hæc vero ſynodus magiſtratus, & juſtitiæ miniſtros catholicæ majeſtatis monet, & hortatur, ut ad executionem horum decretorum, quæ, ut plurimum ex jure communi, ex concilio Tridentino, & ex Romanorum pontificum propriis motibus deſumpta ſunt, favorem, & auxilium opportunum præſtent, ut decreta hæc ad Dei omnipotentis honorem dirigantur.

## § XVII.

Storia conc. de Quiroga act. 3. c. 47. Seſſ. 5. c. 2. Seſſ. 7. c. 12. & 13. Seſſ. 25. c. 5. Seſſ. 24. c. 4. Seſſ. 25. c. 12. & 13. Compoſtel. act. 3. c. 36. & Mil. 3. p. 2. tit. de proceſſion. & ſupplicat. verbo ad hujuſmodi.

Ne vero exemptiones, & privilegia regularibus a ſede apoſtolica conceſſa, ullius perturbationis cauſa ſint, neceſſarium eſt, ea declarare, quæ ex decretis concilii Tridentini regulares obſervare tenentur, & in quibus ſubditi eſſe debeant archiepiſcopis, & epiſcopis; Quare teneri eos declaratur publicis proceſſionibus intereſſe, quotieſcumque ab epiſcopo vocentur, teneri quoque interdicta, & cenſuras ab ordinario impoſitas ſervare, & in ſuis monaſteriis, & eccleſiis publicare, quando eis injunctum fuerit.

## § XVIII.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. Seſſ. 5. c. 2. Seſſ. 24. c. 4. Mexi. 1. c. 9. & Granat. tit. de pœnitentiis, & remiſſionib. n. 4. & 5. ſynod. de Quiroga conſt. 52. & provincial. ejuſdem Quirogæ act. 3. c. 47. & Limenſ. 3. act. 2. c. 24. n. 4.

Itidem ad ordines promoveri, aut alicujus perſonæ ſæcularis (etiam ſi ſacerdotes ſint) confeſſionem audire non poſſint, niſi prius ab ordinario examinati probentur. Præterea epiſcopo non conſentiente, aut ſi prius coram eo cum ſuorum ſuperiorum conſenſu non ſe conſtituerint, & ab eo benedictionem acceperint, verbum Dei non prædicent: extra monaſteria vero, niſi examinati, & approbati ab ordinario itidem prædicare non poſſint.

## § XIX.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 14. Ay cedula Real dada en Barcelona por Junio de 1585. Seſſ. 25. c. 14. Mex. 1. c. 58. & ſynod. de Quiroga conſt. 82. & Limenſ. 3. act. 3. c. 10.

Juxta id, quod a concilio Tridentino decretum eſt, & per ſchedam regiæ majeſtatis diſpoſitum, regulares, qui Indorum curam gerunt, ab ordinariis viſitari, eiſdemque ſubditi eſſe debent, tam quoad doctrinam edocendam,
„ quam quoad ſacramenta adminiſtranda. Qui
„ ſi publice deliquerint, ab ordinariis ad ſuos
„ ſuperiores tranſmitti debent. Si vero a ſupe-
„ rioribus intra terminum ab ordinariis præfi-
„ xum non corrigantur, delinquentes hujuſmodi ordinarii ipſi puniant, ut eſt a ſancto concilio Tridentino diſpoſitum, & ſupra titulo de epiſcoporum officio jam dictum.

## § XX.

Regulares ab inſtituto religionis ſuſcepto deficientes, epiſcopi favoribus proſequi non debent, tum quia nihil boni ab his ſperandum eſt, qui promiſſum Deo votum non ſervant, tum quia ſi ii protegerentur, aliis daretur occaſio, ut eorum nequitiam imitarentur; eam ob cauſam interdicitur, ne regulares hujuſmodi, ab ullo epiſcopo eligantur, aut deputentur, in vicarios, beneficiatos, capellanos, aut doctrinæ miniſtros, ut ſic derelicti ii ad inſtitutum religionis redeant, & alii a ſuſcepto propoſito diſcedere vereantur. Si vero regularis aliquis (etiam retento habitu) extra monaſterium vagetur, huic facultas non concedatur ſacrum peragendi; niſi prius ejus literæ teſtimoniales ab ipſiſmet epiſcopis examinentur.

## § XXI.

Mexic. l. 4. 35. §. 1.

Statuitur itidem, ac prohibetur in hoc archiepiſcopatu, & provincia, ne eremitæ, aut aliæ perſonæ permittantur, quæ extraordinarium habitum induentes, alium ſibi ſingularem vivendi modum præſcribant, quam eum, quem probata religionis inſtituta admittant, ut multa incommoda vitentur, quæ ut experientia compertum eſt inde evenire ſolent.

## LIBRI TERTII TITULUS XIV.

*De religioſis, & piis domibus.*

## § I.

Eccleſiæ, eremitoria, & alia pia loca, ut quemadmodum oportet conſerventur, & adminiſtrentur, ex juris diſpoſitione epiſcopo debent eſſe ſubjecta, atque adeo in executionem concilii Tridentini præcipitur, ut de cetero ſimilia loca non erigantur, ſine epiſcopi, in cujus diœceſi erigenda ſunt, facultate prius obtenta, ſub pœna excommunicationis majoris. In facultatibus vero ad id concedendis ſervent epiſcopi, quod ſupra titulo de officio epiſcoporum ſtatutum eſt. Advertant tamen, ne in eccleſiis Indorum ſub prætextu cuſtodum, aut cantorum major numerus perſonarum conſtituatur, quam, qui videbitur neceſſarius. Qui vero ad eccleſias hujuſmodi admittendi ſunt, bonæ vitæ, & morum fama polleant, & catholicæ fidei myſteriis ſint bene inſtructi. Sacroſancti concilii Tridentini auctoritatem ſequuta hæc ſynodus ſtatuit, ut quæ capitulo octavo, & nono, ſeſſione vigeſima ſecunda concilii ejuſdem decreta ſunt, omnino obſerventur.

## § II.

Eccleſiæ omnes, monaſteria, & eremitoria, domus, & loca pia, ut eis debita reverentia ſervetur, & incommodis multis in Dei offenſam occurratur, dato ſigno campanæ, ad orationem, quæ fit in ſolis occaſu claudantur per totum annum, præſertim vero feriis ſextis, & aliis Quadrageſimæ diebus, ab eaque hora uſque quo dies illuxerit, nullatenus aperiantur, nec ratione jubilei, feſtorum, aut indulgentiarum: aliter, qui eccleſiarum, & locorum piorum hujuſmodi curam gerunt, graviter punientur, pro modo culpæ, in quo epiſcoporum conſcientiæ onerantur. Excipiuntur tamen tantum noctes nativitatis domini noſtri, feriæ quintæ in cœna domini, feriæ ſextæ in paraſceve, reſurrectionis domini; Ne vero nocturnæ ſtationes fiant, epiſcopi neceſſarium adhibeant remedium.

## § III.

Seſſ. 7. c. 15. Seſſ. 22. c. 8. & 9.

Epiſcoporum proprium eſt; (qui patres indulgentiſſimi erga pauperes, & egenos eſſe debent) procurare, ut pia caritatis eleemoſynarumque opera augeantur, & ea his adminiſtrandis cura adhibeatur, quo finis, ad quem inſtituta ſunt, comparetur. Eam ob cauſam jubetur, ad præſcriptum concilii Tridentini ut in hoſpitalibus ordinario ſubjectis, ad optimam eorum adminiſtrationem ſequentes conſtitutiones obſerventur.

§ IV.



ANNO CHRISTI 1585.

## § IV.

Ne in hoſpitalia infirmus aliquis, ut ei medicamenta applicentur, excipiatur, qui ſuis ſumptibus id efficere valet. Si ob juſtam aliquam cauſam admitti debeat, ea conditio ei ſtatuatur, ut quidquid in ægritudine impenſæ fecerit, hoſpitali reſtituat, & aliquid etiam in eleemoſynam eroget, niſi aliter fuerit fundatoris voluntate diſpoſitum.

Pauperes omnes ægroti, qui ut ab ægritudinibus convaleſcant in hoſpitalia recipiuntur, antequam eis lectus tribuatur, vel intra tres dies poſt ſibi attributum lectum peccata ſua confiteantur. Sin minus medicus nec eos viſitet, nec eis medicamenta applicentur: adminiſtrator vero, ſeu rector, ita adimpleri faciat, ſub pœna aurei unius.

In hoſpitalibus nullus pauper ludat, nec juret: ſin minus foras ejiciatur.

Omnibus diebus dominicis, feſtis ſolennibus, & aliis diebus ſi fieri poterit in hoſpitalibus miſſa celebretur, curetque adminiſtrator, ut eam omnes integre audiant. In hoſpitalibus vero, ubi ſacellum eſt, & plebis multitudo convenit ad ſacrum audiendum, illud dominicis diebus, & feſtis ſolennibus ne peragatur, dum miſſa ſolennis in eccleſia parochiali celebratur. Nulla autem miſſa, aut officium cantetur in hoſpitalibus, niſi a beneficiato, vel beneficiatis parochiæ, aut de eorum conſenſu. Singulis noctibus poſt datum campanæ ſignum ad orationem, & etiam ſummo mane, adminiſtrator jubeat, ut aliquis miniſter alta voce Chriſtianam doctrinam pauperibus recitet, eique pauperes reſpondere teneantur. In valetudinariis autem, ſeu infirmariis tabella, & item altera in ſacello hoſpitalium collocetur, quibus doctrina Chriſtiana deſcripta ſit.

Oratorium quoque cum ſanctiſſimæ crucis imagine, aliiſve imaginibus, & aqua benedicta in hoſpitalibus conſtituatur, adminiſtratorque pauperes, qui per hoſpitale deambulant, ibi preces ad Deum effundere faciat, cum in lecto cubaverint, vel ab eo ſurrexerint.

Hoſpitalium præfecti omnem eorum ſupellectilem nitidam ſervent: curentque diligenter, ne qui contagioſis morbis ægrotant aliorum pannis involvantur: dormitoria, ut vocant, virorum, & feminarum diviſa ſint, & ſeparata.

Adminiſtratores hoſpitalium nullatenus vagos, ebrioſve nebulones, inimicitias gerentes, & iſtiuſmodi nequiſſimos homines recipiant: inobedientes vero, & delinquentes, cum opus fuerit corrigent, eoſque vinculis coerceant, contumaces vero foras ejiciant.

Itidem rectores ne patiantur, ut in hoſpitalibus, a pauperibus aliquid extorqueatur, eo prætextu, quod lumen, aut ignis, aliave hujuſmodi eis ſuppeditentur.

Sacramenta quoque pauperibus ſuorum hoſpitalium rectores adminiſtrent, ſi ab epiſcopo examinati, ad id facultatem obtinent; pauperes etiam in articulo mortis hortentur, eiſque in eo articulo omnia neceſſaria provideant; nec ſolos eo tempore ægrotos deſerant. Idque omne curati parochiarum in his hoſpitalibus præſtabunt, ubi rectores non ſint conſtituti ſub pœna quatuor pondo. Defunctos etiam pauperes, ſi in eiſdem hoſpitalibus ii ſepelliantur, beneficiatus, & curatus parochiæ ſepeliat.

Libros habeant adminiſtratores, eiſque infirmorum nomina inſcribant, quibus lecti attributi ſunt, cum die, menſe, & anno quando hoſpitalia ſunt ingreſſi, patria etiam, ætate, officio, & ſtatu, ſupellectilique & pecuniis, quas ſecum attulerunt. Curent etiam, ut teſtamenta condant, eiſque in memoriam revocent, ut hoſpitali (ſi fieri poteſt) ſuccurrant. Quod ſi obierint, eos in libro deſcribant, ita ut heredibus, de eis rationem reddere poſſint. Si vero convaluerint, quando ex hoſpitali diſceſſerint, pecunias, & omnem ſuam ſupellectilem eis reſtituant.

Hoſpitalium præfecti curent diligenter, ne qui ad videndos ægrotos convaleſcentes acceſſerint, eis fructus, aut alia eſculenta porrigant, præter id, quod medicus juſſit. Si vero compertum ſit, ſecus fuiſſe factum, rector, ſeu adminiſtrator præfectum hoſpitalis, ſuo arbitratu puniat.

Rectores, tempore, quo pauperes prandent, & cœnant, valetudinariis (quæ infirmariæ vocantur) interſint, & unicuique id ſuppeditari curent, quod a medico conſtitutum reperietur in tabella, aut libro, quem ad effectum hujuſmodi habere debent.

Ii, quibus incumbit cura emendi ea, quæ ad uſum hoſpitalium ſunt neceſſaria curent diligenter, ut in eo officio cum omni utilitate, & commoditate hoſpitalium ſeſe exerceant. Injungit præterea hæc ſynodus omnibus hoſpitalium miniſtris, ut accuratiſſime eorum commodis conſulant, reique eorum familiari proſpiciant.

Omnes etiam hoſpitalium miniſtri Chriſtiano zelo ardeant, miſericordes, benignos, fideles ſe præbeant, confiteantur peccata ſua, ſacramque euchariſtiam percipiant in quadrageſima, nativitate domini, in die reſurrectionis, & pentecoſtes, aliiſque feſtis pro eorum devotione. Hujus vero rei, rectores curam gerant, necnon, ut pauperes omnes peccata ſua confiteantur, ſaltem in quadrageſima: quem vero ſecus facere compererint corrigant, & ſi opus eſt ab hoſpitali expellant.

## § V.

Præter has conſtitutiones, in unoque hoſpitali, peculiares quoque regulæ ab ordinario, ſeu ab ejus officiali, aut viſitatore probatæ, & examinatæ, unicuique officio ſtatuantur. Quas regulas omnes ſervare debeant. Aliter qui ſecus fecerint plectantur, uſque ad expulſionem. Epiſcopi vero, quæ magis ſibi expedire videbuntur, pro ratione circumſtantiarum loci & cauſæ poterunt ſtatuere.

## LIBRI TERTII TITULUS XV.

*De celebratione miſſarum, & divinorum officiorum.*

## § I.

Synod. de Quiroga conſt. 79. ad finem. Lat. conc. Mil. 4. tit. quæ pertinent ad ſanct. miſſæ ſacrificium.

Ut ſanctiſſimum miſſæ ſacrificium; in qua illa Deo patri placens hoſtia Jeſus Chriſtus in odorem ſuavitatis offertur, ſingulari religione, ac pietate, & a ſacerdotibus celebretur, & a populo colatur, hæc ſynodus decernit, ac jubet, ut tam in cathedralibus, quam in parochialibus eccleſiis omnibus hujus archiepiſcopatus, & provinciæ, præbendati, parochi, & beneficiati, ceterique ſacerdotes, &

mi-

ANNO CHRISTI 1585.

miniſtri, in celebrandis miſſis, & divinis officiis recitandis omnino ſeſe accommodent ad miſſale & breviarium ex concilii Tridentini decreto edita, & ad inſtitutiones ſuarum eccleſiarum miſſali, & breviario Romano minime contrarias,

## § II.

Seſſ. 24. c. 12. Tarracon. conc. in cap. per conſtit. & in cap. quia per exrem. de conſect. Guadix tit. 3. conſt. 1. & Mil. 1. p. 2. tit. communia de rat. divin. officior. & Mil. 4. tit de beneſic. §. 1. ad fin. & Compoſt. act. 2. c. 11. & Limenſ. 3. act. 4. c. 11.

Quoniam vero, ut rebus permultis conſultum eſſet, quæ expreſſe in miſſali, & breviario Romano, & in erectionibus, & conſtitutionibus eccleſiarum hujus provinciæ non continentur, hæc ſynodus ſacroſancti concilii Tridentini auctoritati innixa, rituale, ſeu ceremoniale ad uſum hujus archiepiſcopatus, & provinciæ conſtituit, & approbavit. Idemque ad cultus divini decorum, & ornatum plurimum conferre cenſuit. Idcirco eadem ſynodus præcipit, ut ritualis, ſeu ceremonialis hujuſmodi forma inviolabiliter obſervetur, poſtquam a ſede apoſtolica reviſum fuerit. Epiſcopos vero, & chori præfectos monet, & hortatur, quatenus illud executioni plene mandari faciant, ſub pœnis in rituali ſtatutis, de cujus obſervatione in ſynodo provinciali epiſcopi rationem reddant.

## § III.

Conc. Tarr. ubi ſupra, & Guadix tit. 3. conſt. 2. & Comp. act. 2. c. 15. & Mil. 1. p. 2. tit. de offic. mag. chori, & cerem. & Mil. 2. tit. 2. decreto 12. & Gran. tit. de celebrat. miſſar. n. 1. & 19. & 20. & ſynod. de Quiroga conſt. 79.

In unaquaque cathedrali eccleſia magiſter ceremoniarum ab epiſcopo, & capitulo conſtituatur, qui ſacerdos ſit probatis moribus, & in divinis officiis, & ceremoniis valde exercitatus, cui æquis ſumptibus, capituli, epiſcopi, & fabricæ ſtipendium detur. Magiſtri autem ceremoniarum officium erit, tam aſſiſtentes choro quam altari miniſtros officii ſui admonere, ut in eo unuſquiſque, ceremoniarum ritum obſervet. Obedientia vero magiſtris hujuſmodi ceremoniarum præſtanda eſt, cumque omnes audiant in divinis officiis cum debitis ceremoniis celebrandis: aliter enim confuſe, ac perturbate agetur. Officium quoque magiſtri ceremoniarum erit, presbyteros recens promotos examinare, & probare, eiſque ad primam miſſam celebrandam facultatem concedere. Quia vero in cultu exteriori rituum confirmatio admirabilis harmoniæ cauſa eſt, & ad devotionis augmentum plurimum confert; hæc ſynodus jubet, ut omnes presbyteri, cujuſcumque qualitatis, & conditionis exiſtant, a magiſtro ceremoniarum hujuſmodi denuo examinentur in ceremoniis, & ritibus miſſalis Romani ex decreto concilii Tridentini editi, idque epiſcopus quamprimum fieri poſſit adimpleri faciat.

## § IV.

Tr. in cap. ſacerd. aliorumq. cler. de conſecr. diſt. 2. & 12. in cap. 1. de vita, & hon. cler. Mex. 1. c. 21. Tolet. act. 3. c. 15. Compoſtel. act. 2. c. 21. & Gran. de celeb. miſſ. n. 3. Prov. de Quiroga act. 3. decr. 39.

Optime in eccleſia conſtitutum eſt, ut cleri a ſæcularibus, ſicut dignitate, ita etiam in loco diſtinguatur. Sic enim clericalis ordinis dignitas melius conſervatur, & ab attentione, & animi reverentia, quam clerici divinis officiis adhibere debent, minime prohibentur. Quæ tam laudabilis conſuetudo, tamque omnium catholicorum probata conſenſu, ut obſervetur; Hæc ſynodus ſtatuit, ac mandat, ne eccleſiarum cathedralium choros dum divina peraguntur officia, ſæculares perſonæ ullatenus ingrediantur, nec intra chori cancellos admittantur, exceptis modulatoribus, ſive cantoribus, qui choro inſerviunt.

## § V.

ANNO CHRISTI 1585.

1. [illegible] Septembris 1570. [illegible]

His itidem temporibus, quibus clerici, vel ad verbum Dei audiendum, vel ad divina officia celebranda in choro conveniunt, nullatenus permittatur, ut femina aliqua chorum intret, aut in excelſo, vel ſublimi chori loco ſedeat, ſub pœna excommunicationis. Clerici omnes etiam illi, qui prima tantum tonſura inſigniti ſunt, ad divina officia celebranda ſuperpelliceo induti ingrediantur: ſecus vero eis intra cancellos chori ingredi prohibeatur, niſi aliarum eccleſiarum cathedralium præbendati ſint.

## § VI.

Mexic. 1. c. 11. [illegible] Quiroga [illegible]

Porro juxta motum proprium felicis recordationis Pii papæ quinti prohibetur, ne perſona aliqua eccleſiaſtica, ſive ſęcularis, cujuſcumque qualitatis, præeminentiæ, ſtatuſve exiſtat quacumque de cauſa eleemoſynas per eccleſiam quęritet, dum miſſa ſolennis, aut alia divina officia celebrantur: nec dum miſſa privata peragitur ab his, qui eam audiunt eleemoſynas hujuſmodi petat inquiete, & tumultuoſe. Immo ſi qui eleemoſynas hoc modo quærunt, eos præſidens in eccleſiæ cathedralis choro, & curatus in parochiali ad portas eccleſiæ petere compellet. Si vero per eccleſiam eleemoſynas peti tempore ab hoc decreto prohibito, præſidens, vel curatus hujuſmodi patiantur, in ſingulas vices pro ſua negligentia pondo quatuor perſolvant, in uſus fabricę eccleſię.

## § VII.

Mexic. 1. c. 21. [illegible] de celeb. miſſ. [illegible] Quiroga conſt. 83.

Omnibus diebus dominicis, & feſtis ſolennibus, (etiam ſi ſermo habeatur) in miſſa ſolenni angelicus hymnus, ſymbolum, præfatio, & dominica oratio cantabitur. Sin minus præſidens in choro, qui ſine ſufficienti cauſa id aliter fieri conſenſerit, & ſacerdos, qui ſine facultate aliquid horum negligenter omiſerit, pondo unum fabricæ eccleſiæ ſinguli perſolvant. Chorus autem ſi aliquid horum non cantaverit, miſſæ diſtributiones amittat.

## § VIII.

Mexic. 1. c. 21. §. 1. & Compoſt. act. 2. c. 15. & ſynod. de Quiroga conſt. 84. Vide [illegible] & piis [illegible] §. 2.

Nullus miſſam ante auroram, nec poſt meridiem, [niſi ex privilegio ſibi ad id conceſſo] celebret: miſſę vero, quas Hiſpanice de Aguinaldo vocant, antequam dies illuxerit, ne celebrentur.

## § IX.

Mexic. 1. c. 21. §. 1. & Guadix tit. 3. conſt. 7. Seſſ. 22. in principio.

Miſſis celebrandis in diebus colendis, is ordo adhibeatur, ut pro populi commoditate plures ſimul miſſę non celebrentur, ſed debito intervallo diſtribuantur.

## § X.

Ne, ut ſacroſanctum concilium Tridentinum decernit, ſuperſtitioni locus aliquis detur, quę ex ignorantia, & quorumdam fidelium nimia facilitate irrepſit, pręcipit hęc ſynodus in virtute ſanctę obedientiæ, ut nullus ſacerdos ſub pœna



ANNO CHRISTI 1585.

Mexic. 1. c. 22. & Guadix tit. 3. conſt. 19. & Granat. tit. de celebr. miſſ. n. 29. Seſſ. 22. in principio.

pœna excommunicationis eas miſſas celebret, quas vocant ſancti Amatoris comitis, aut ſancti Vincentii, aliaſve ſimiles, quæ ab aliquibus celebrari petuntur cum certo candelarum numero, certiſque in locis candelis hujuſmodi collocatis; certis etiam modis, aut coloribus exiſtimantes, ob ſuperſtitioſas hujuſmodi ceremonias, ſe, quod volunt, impetraturos. Miſſas vero hujuſmodi petentes moneant, qui ſit, & a quo potiſſimum proveniat, ſanctiſſimi hujus ſacrificii tam pretioſus, ac cæleſtis fructus. Eos quoque ritus, & ceremonias miſſis celebrandis adhibeant, quæ ab eccleſia probatæ, ac frequenti, & laudabili uſu receptæ ſunt.

## § XI.

Mexic. 1. c. 25. & Guadix tit. 3. conſt. 8. & Milan. 1. p. tit. quæ pertinent ad celeb. miſſæ ver. Nullus ſacerdos & Mil. 4. quæ pertinent ad ſanct. miſſæ ſacri. verbo epiſc. & ſyn. de Quiroga conſt. 82. & prov. ejuſdē Quiroga act. 3. decr. 41.

Itidem quemadmodum a Tridentina ſynodo ſtatutum eſt, nullus ſacerdos in privatis ædibus, & omnino extra eccleſiam, & oratoria, quæ divino tantum cultui dicata, & a locorum epiſcopis viſitata, & approbata, cum facultate in ſcriptis miſſam celebret. Aliter ſacerdos hujuſmodi per menſem unum a divinis ſuſpendatur: is vero, qui ei neceſſaria ad miſſam celebrandam tribuerit argenti marcam (ut dicunt) perſolvat: cujus partes duæ ad uſum ceræ ſanctiſſimi ſacramenti, tertia vero accuſatori tribuatur: ex nunc vero facultates omnes ad id, quovis modo conceſſæ, revocantur: epiſcopique admonentur, ut deinceps caute ipſi per ſe, & ad tempus limitatum eas concedant.

## § XII.

Tr. in cap. nocte ſanct. de conſecr. diſt. 1. & in cap. conſuluit de celeb. miſſarum. Guadix tit. 3. conſt. 6. & Gran. tit. de celeb. miſſ. n. 24. & 25. Lim. 3. act. 3. c. 24. Granat. tit. de celeb. miſſ. n. 27. Mexic. 1. c. 54. §. 2. & Guadix tit. 3. conſt. 11. 21. & 31. Gran. tit. de inſt. & jure patr. n. 6. & tit. de celebr. miſſ. n. 39. & ſyn. de Quiroga conſt. 54. & 55. & prov. ejuſdem Quiroga act. 3. & Lime. 3. act. 3. c. 21.

Nullus ſacerdos in die una duas celebret miſſas, præterquam nativitatis domini, in qua tres tantum miſſæ ab uno ſacerdote celebrari poſſunt. Secunda tamen neutiquam celebretur, ſi in prima ſacerdos ablutionem, aut aliquid aliud ob quod non ſit jejunus deglutiverit.

## § XIII.

Ob reverentiam, quæ euchariſtiæ percipiendæ exhibenda eſt, præcipitur, ne ullus ſacerdos ante miſſæ celebrationem, aut quævis alia perſona ante communionem, quidquam Tavaci, Picietive, aut ſimilium, medicamenti cauſa, per modum fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat. Sacerdotes quoque flexis genibus peccata ſua confiteantur, antequam veſtibus ad ſacrum peragendum ſe induant, ſub pœna pondo decem fabricæ, accuſatori, & piis operibus æque applicandorum: quam etiam mulctam incurrat ſacerdos, qui aliter, quam hoc decreto ſancitum eſt, confeſſionem audierit; ſacerdotes etiam miſſam celebraturi, non in altari, ſed in ſacriſtia, ut conſuetum eſt, ſacras veſtes induant.

## § XIV.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 16. de reform. Conc. Lat. ſub Leon. X. ſeſſ. 11.

Curati omnes, vicariive Indorum, qui de conſenſu epiſcopi ad civitatem, ubi ſedes epiſcopalis reſidet, pervenerint, tenebuntur diebus ſolennibus miſſæ, & veſperis intereſſe in ipſa cathedrali: clerici vero capellas obtinentes, eccleſias quoque ubi illæ fundatæ ſunt adeant. Qui autem ex eo, quod ad titulum patrimonii fuere promoti, peculiaribus quibuſdam eccleſiis addicti ſunt, ad miſſæ, & veſperarum officium eas adeant eccleſias, quibus fuere aſcripti. Epiſcopi vero admonentur, ut in hoc decreto exequendo ſuam operam collocent, cum ad divini cultus augmentum plurimum valeat ejus obſervatio.

ANNO CHRISTI 1585.

## § XV.

Mexic. 1. c. 21. & Guadix tit. 3. conſt. 12. & Mil. 1. p. 2. tit. com. de rat. div. offic. verbo in urbib. & Granat. tit. de offic. ſac. n. 9. & Lime. 3. act. 4. c. 13. Pro hoc §. 16. 17. 18. 19. & 20. ſeq. Granat. tit. de benef. n. 4. 5. 6. 7. & 8.

Parochiales eccleſiæ omnes, & monaſteria cum cathedrali concordent, de tempore dandi ſignum ſono campanæ ad ſalutationem angelicam, miſſam, & veſperas: Sabbato autem ſancto cum Gloria in excelſis cantatur, aut ſignum in cathedrali datum campanas ne pulſent, ut in concilio Lateranenſe ſub Leone decimo juſſum eſt.

## § XVI.

Inde naſcitur defunctis, aut illis, qui eleemoſynas pro celebratione miſſarum erogant, maximum detrimentum, & ſacerdotibus ad victum egentibus maxima incommoditas; quod aliqui ſacerdotes eleemoſynas pro celebratione miſſarum ſine delectu recipiunt, & majorem ſe miſſarum numerum celebraturos promittunt, quam ob temporis brevitatem celebrare poſſint. Cui malo remedium adhibere volens hæc ſynodus ſtatuit, ut in unaquaque cathedrali, aut parochiali eccleſia locorum, ubi Hiſpani commorantur, collector unus miſſarum conſtituatur, ſacerdos vitæ exemplo probatus, ac timens Deum, qui ab epiſcopo deputetur, cujus officium ſit, eleemoſynam recipere miſſarum omnium, quæ ex teſtamentorum diſpoſitione, aut alio quovis modo celebrari fient. Quam eleemoſynam, ſic inter ſacerdotes miſſas celebraturos diſtribuat, ut earum celebratio quam primum fiat, & abuſus hactenus introductus funditus tollatur. Quod ut melius fiat, is ordo ſervetur.

## § XVII.

In primis, nullus ſacerdos ex illis, qui in civitate, aut oppido Hiſpanorum reſident, ubi collector fuerit conſtitutus, recipiat, aut recipere poſſit pro miſſis aliquibus celebrandis eleemoſynam, niſi de conſenſu collectoris deputati, ad quem eos tranſmittet, qui miſſas celebrari petunt, antequam illis ſe miſſas celebraturum promittat, aut eleemoſynam illarum accipiat; aliter pœnam pondo ſex incurrat, accuſatori, & fabricæ eccleſiæ æque diſtribuendorum.

## § XVIII.

Collector duos habebit libros, in quorum uno miſſas annotet, quæ vel ex teſtamentis, vel ex devotione petuntur celebrari cum officio, de quo celebrandæ ſunt, loco etiam, die, menſe, & anno; In altero vero miſſas ad celebrandum inter presbyteros diſtributas deſcribet cum nominibus ſacerdotum, annotetque miſſas jam celebratas, ita ut hujus rei epiſcopo, aut viſitatori petenti rationem reddat. In diſtributione autem miſſarum collector diligenter attendat onera capellarum, aliarumve rerum, quibus ſinguli ſacerdotes ſatisfacere debent; eiſque plures miſſas ne committant, quam quas poſſint commode celebrare, ſuis prius oneribus ſatisfacientes. In diſtributione vero hujuſmodi eos aliis præferat, qui magis indigent, & magis aſſidue eccleſiæ cultum frequentant.

ANNO CHRISTI 1585.

§ XIX.

In unaquaque cathedrali, ſeu parochiali eccleſia, ubi collector fuerit, arca una ſit, duabus clavibus occluſa, quarum una penes collectorem ſit, altera penes curatum eccleſiæ antiquiorem: in qua arca eleemoſyna ad miſſarum celebrationem erogata aſſervabitur. Arca autem hujuſmodi, niſi ſingulis quoque octo diebus, præſentibus ibidem collectore, & curato, ne aperiatur; tuncque inde delumpta pecunia pro ratione miſſarum ea hebdomada celebratarum diſtribuetur. Nulli autem ſacerdoti eleemoſyna pro miſſa anticipabitur.

§ XX.

Grangt. tit. de benefic. n. 6.

Præcipitur quoque omnibus illis, quibus incumbit efficere, ut miſſæ celebrentur, veluti, curatis, capellanis, teſtamentorum executoribus, œconomis confraternitatum, aut congregationum, & ipſi collectori; ne miſſas extra diœceſim, in qua reſident, celebrari faciant, eoque eleemoſynam tranſmittant; neque etiam in Hiſpaniam, ſub pœna excommunicationis, niſi in aliquo ſpeciali caſu, & valde urgenti epiſcopus ad id facultatem conceſſerit, in quo ejus conſcientia valde oneratur.

§ XXI.

Conc. Elib. c. 15. & Autiſiodor. c. 5. & Cab. c. 39 & Mexic. 1. ... Guadixtit. 6 conſt. 19. & 4 ... & Mil. 1. p. 2. tit. de proceſſ. & ſupplic. ... Guadix tit. 6. conſt. 20. Item conc. Milan 1. p. tit. de eccl. & earum cultu verb. rect. & Tol. act. 2. c. 20. & Compo. act. 5. c. 40. Synod. de Quiroga conſt. 74. & Limenſ. 3. act. 3. c. 43. Facit tx. in Clem. unica de reliq. & ven. ſanct. Ex concil. Trid. ſeſſ. 13 c. 5. in doct. de ſac. euch. & eſt lex reg. 7. tit. 5. lib. 8. recop. & Limen. 3. act. 2. c. 23. Verbo fen. hoc eſt, ventana, eſt conc. Mil. 4. tit. de proceſſion. verb. quod in media.

Publicæ, & generales preces decernuntur, ut omnipotentis Dei iram placemus, ab eoque in noſtris tribulationibus remedium conſequamur. Quare oportet in hujuſmodi precibus, & proceſſionibus id omne effugere, quod divinam majeſtatem offendere, ejuſque in nos iram provocare poſſit. Ideoque juxta motum proprium felicis recordationis Gregorii papæ XIII. ſtatuit, ac præcipit hæc ſyodus; ut proceſſiones eorum, qui ſelpſos diverberant, & aliæ quæcumque in hebdomada majori fieri ſolitæ, aut faciendæ, noctu ne fiant, ſed in luce diei: nec mulieres in his proceſſionibus ſeſe flagellantes permittantur, aut aliæ perſonæ, eis accenſis luminibus præeuntes. Si vero femina aliqua votum ſic ſe flagellandi emiſerit, ex nunc illud votum, ita commutatur, ut privatim ſe flagello percutiat.

§ XXII.

In proceſſione itidem corporis Chriſti, ubi propter realem Chriſti domini in ſacramento exiſtentiam, major reverentia ſervanda eſt, nulla femina perſonata incedat, aut ita, ut cognoſci non poſſit: nec ſi perſonata, aut incognita in feneſtra, aut alibi publice compareat, ſub pœna excommunicationis majoris: quo ea reprimatur audacia, qua ita perſonatæ, aut velatæ multa inhoneſte proferentes indecenter incedunt. Judicibus vero eccleſiaſticis, & ſæcularibus injungitur, quatenus curent, ut in omnibus proceſſionibus viri a feminis ſeparati procedant; ne multis ex hoc naſcentibus incommodis occurratur.

LIBRI TERTII TITULUS XVI.

*De baptiſmo:*

§ I.

Mex. 1. ... & Guadix tit. 2 conſt. ... p. 2. ... quæ pertinent ad bapt. ... & Granat. tit. de bapt. & ſynod. de Quiroga conſt. ... bap. ...

Scriptura ſacra valde commendat, ut ſancta ſancte tractentur, & ut ſacra a profanis diſtinguantur. Quam ob cauſam, cum templa tamquam loca ſancta, & conſecrata, & deputata ſint, ut in eis ſacramenta conferantur; cumque unicuique ad id, ſua parochia deſignata ſit, hæc ſynodus ſtatuit, & mandat, ut nemini liceat quemquam in privatis ædibus, eremitoriove, monaſterio, aut eccleſia, cujus non fuerit parochialis, baptizare. Qui vero ſecus fecerit, quam hoc decreto conſtitutum eſt, ab officio, & beneficio per menſem unum ſuſpenſus ſit.

§ II.

Interdicitur præterea, ne capellæ, & fontes baptiſmales, ſericis thalamis, aut aulæis, aliove profano apparatu ornentur. Quod ſi parochus, & ſacriſta id conſenſerint, viginti pondo mulctentur fabricæ, & ceræ, quæ ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento deſervit, accuſatori etiam æque diſtribuendis.

§ III.

Tx. in Clem. ... de bapt. ... Vide conc. ſupra ... § 1.

Parochi, & miniſtri tam Indorum, quam Hiſpanorum parvulos, niſi ob cauſam ægritudinis, ante nonum diem baptizari curent. Cum vero extra eccleſiam parvulum, ob caſum neceſſitatis baptizari contigerit, is chriſmate, aut oleo ne inungatur, donec eum in eccleſia ſiſtant; ibique cum reliquis ad baptiſmum pertinentibus ſolemnitatibus fiat: neque ultra quindecim dies differatur, niſi cauſa ægritudinis urgente. Qui vero parvulos in privatis ædibus baptizatos intra prædictum tempus ad parochias ferri non curaverint, a divinis officiis vitentur, quouſque ea adimpleant, quæ hoc decreto præcipiuntur.

§ IV.

Guadix tit. 2. conſt. 6.

Quoniam adulti prius baptizari non debent, quam in rebus fidei catholicæ ſufficienter inſtruantur, ut titulo de ſumma Trinitate, & fide catholica præmiſſum eſt; ideo ubi adultorum numerus reperitur, ut accuratius ii erudiri procurent, deque eorum ſufficientia melius conſtare poſſit, duo ſolennes baptiſmi juxta conſuetudinem primitivæ eccleſiæ celebrentur, alter in reſurrectione Domini, alter vero in pentecoſte. Ante baptiſmum autem catechumeni examinentur, adhibita diligentia, ut eo intervallo temporis, quod eſt inter unum, & alium baptiſmum, myſteria fidei ediſcant. Heri vero ſervi qui baptizandi ſunt, eos mittere compellantur ad locum ab epiſcopo deputatum, ut ibi documentis Chriſtianæ fidei imbuantur.

§ V.

Guadix tit. 2. conſt. ... Conc. Mil. 4. ... quæ pertin. ad ſac. bapt. Verbo cum idem.

Indorum parochi, eis in baptiſmo antiqua nomina gentilitatis ne imponant, nec ex teſtamento veteri deſumpta, ſed ex ſanctis novi teſtamenti, quos ſumma devotione proſequendos proponant. Parochi vero omnes in eo, quod ad compatres adhibendos ſpectat, ea obſervent, quæ titulo de officio rectoris, & plebani ſtatuta ſunt.





ANNO CHRISTI 1585.

LIBRI TERTII TITULUS XVII.

*De ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento, & ejus cuſtodia.*

§ I.

Milan. 1. 2. p. tit. quæ pertinent ad ſacr. ſanctæ euch. verbo epiſcop. & Gran. tit. de ſanct. euch. ſacram. n. 2. & 3. ſyn. de Quiroga conſt. 9. & Milan. 4. 2. p. tit. quæ ad ſanct. euch. ſacra. pert. & 5. Milan. tit. quæ ad ſan. euch. ſacr. pert. Seſſ. 13. c. 6.

Qui attente conſiderat, quod de ſacroſancto euchariſtiæ ſacramento catholica fides nos docet, in eo (ſcilicet) Chriſtum verum Deum & hominum, vere, realiter, & ſubſtantialiter contineri; is facile animadvertet, quo ornatu tabernaculum eſſe debeat, in quo ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum aſſervandum ſit. Igitur ex concilii Tridentini decreto ſtatuit hæc ſynodus, ac præcipit, ut in omnibus cathedralibus, & parochialibus eccleſiis hujus archiepiſcopatus, & provinciæ, ubi euchariſtia aſſervari debet, locus conſtituatur; in eoque tabernaculum bene ornatum, & clave occluſum, in quo lapis ſacratus, corporalibus coopertus ſit; ibique cuſtodia aurea, & argentea collocetur, quæ intra ſe lineis corporalibus involutum ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum contineat, & aſſervet, ad id præcipue, ut ad infirmos euchariſtia deferatur: cum hæc conſuetudo in eccleſia catholica ſemper viguerit. In cuſtodia vero hujuſmodi, duæ formæ magnæ ſint, quarum una ad infirmos ducatur, alia vero tabernaculo aſſervetur: & præterea, parvulæ aliæ formæ erunt, quibus infirmi, & hi qui bona valetudine conſiſtunt, communicent: ubicumque autem ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum aſſervabitur, lampas ſemper incenſa colluceat.

§ II.

Guadix tit. 2 conſt. 38. & Lim. 3. act. 2 c. 21. Conc. Val. ſub archiep. D. Joanne de Ribera c. 16. citatum a Jac. Bleda in defenſione fidei contra Moriſcos tract. 2. con. ſect. 6. fol. 397.

Ut in quibus eccleſiis, & locis conveniens ſit euchariſtiam aſſervari conſtet, declarat hæc ſynodus poſſe in omnibus Hiſpanorum locis, oppidiſve aſſervari dummodo oppidum a viginti habitetur vicinis. Poterit etiam aſſervari alibi, ſi epiſcopo videbitur, quamvis locus a tot non habitetur vicinis, ſi ibi ſecure, & decenter cuſtodiri poſſit. Si tamen parochus a pago hujuſmodi diſceſſerit, euchariſtiam ibi aſſervatam ſumat. Quoad oppida vero Indorum prudentiæ epiſcoporum relinquitur, ut locum, in quo poſſit ſecure, & decenti ornatu euchariſtia cuſtodiri, prius reſpiciant, quam ad id facultatem concedant.

§ III.

Lex reg. 2. tit. 1. lib. 1. recopil.

Attentis reverentia, & devotione, quibus colere, & adorare ſanctiſſimam euchariſtiam debemus, leges regiæ ſub certis pœnis ſtatuunt, ut cum hoc ſacramentum ab eccleſia effertur, & per vias ducitur, ſæculares homines, qui præſentes interſint, illud comitentur. Quare multo magis hæc ſynodus eccleſiaſticis perſonis omnibus altaris cultui dicatis præcipit, ut tempore, quo euchariſtia ab eccleſia ad infirmos ducitur, ſi ibi interſint, niſi divinis officiis celebrandis, aut confeſſionibus audiendis occupentur, ei in comitatu eſſe teneantur; Itidemque illis, quibus in plateis, aut viis occurrerit donec ad eccleſiam reducatur, & in tabernaculo recondatur. Quod ſi quiſquam ſecus fecerit, cujuſcumque dignitatis, aut qualitatis exiſtat, in ſingulas vices pondo octo perſolvat, quæ æquis portionibus, in accuſatoris, piorum operum, & ceræ ſanctiſſimo ſacramento deſervientis uſum erogentur. Ne vero qui divina officia in eccleſia celebrant, hujus rei cauſa diſtrahantur, jubetur, ut dum miſſa ſolennis peragitur, ſolum in urgenti caſu neceſſitatis viaticum ad infirmos deferatur, quo miſſa peracta majori cum reverentia omnes ſanctiſſimam euchariſtiam comitentur.

Conc. Mil. 5. tit. quæ ad ſanct. euch. ſacra. pert. verbo at vero omnes.

§ IV.

Argum. tx. in cap. quod in te de pœnit. & remiſſio. & gloſſa in Clem. 1. eodem tit. Motus proprius Pii V. In lege 9. tit. 1. lib. 1. recopil. & Milan. 3. act. 1. c. 23. & Milan. 5. tit. quæ ad ſanct. euch. ſacram. pert. verb. reus cap. damn. Mex. 1. c. 18 & Lim. 3. act. 2. c. 26

Cum cæleſtis iſte cibus noſtrarum animarum fortitudo ſit, præſertim in extremo vitæ certamine, nullatenus permitti debet, ut quiſquam ſine tanto viatico ex hac vita diſcedat. Quare jus antiquum a felicis recordationis Pio papa quinto ſuo proprio motu innovatum, & etiam lege regia ſuſceptum decernitur, ac præcipitur ut omnibus fidelibus ad mortem damnatis, ante unum diem quam pœna mortis executioni mandetur, hujus ſanctiſſimi ſacramenti viatico reficiantur, ut eo roborati mortem ad ſuarum animarum ſalutem patienter ferant.

§ V.

Quamvis ſemper, & ubique colere, ac venerari ſanctiſſimam euchariſtiam debeamus, præcipue tamen ad id aſtringimur, feria quinta in cœna domini, quando ejus inſtitutione, tam ſingulare in eccleſiam ſuam beneficium Dominus contulit. Quam ob cauſam jubet hæc ſynodus, ut omnes fideles præſertim eccleſiaſtici eo die adſtent tabernaculo, ubi ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramentum repoſitum eſt, in commemorationem Domini ſepulcri, idque quanta fieri poſſit reverentia, & devotione præſtent. Cavetur tamen, ut aliquibus incommodis, quæ evenire poſſent, occurratur, ne in oppidis Indorum, ſepulcrum conſtituatur, ut in eo euchariſtia collocetur; niſi ubi peculiaribus de cauſis ab epiſcopo fuerit conceſſum.

§ VI.

Clem. unica de reliq. & ven. ſanct. Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5. & canon. c. 6.

Quia in ipſo inſtitutionis die, eccleſia ſanctiſſimi corporis Chriſti ſacramenti feſtum, ea exteriori lætitia, qua oportet, celebrare non poteſt, cum tota mortis Chriſti myſterio ſit intenta; poſt ſanctiſſimæ Trinitatis feſtum feriam quintam immediate ſequentem cum ſigno ſpiritualis lætitiæ, & exteriori apparatu celebrandum delegit. Quæ feſtivitas, ut cum omni devotionis affectu a populo Chriſtiano celebretur, præcipit hæc ſynodus, ut eam in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis curati, & prædicatores populo denuntient, eumdemque moneant, & exhortentur, quatenus toto animi conatu ſe præparent ad euchariſtiam in ipſo feſto, aut infra octavam, percipiendam. Itemque ut in proceſſione ea reverentia, & animi attentione, & exteriori modeſtia procedant, quibus ante divinam majeſtatem in ipſo ſacramento vere præſentem, & aſſiſtentem eſſe debent.

Ex dict. Clem. unica ideoque univer. de reliquiis, & ven. ſanct.

ANNO CHRISTI 1585.

De hoc. tit. ſatis pie loquitur conc. Milan. 4. 2. tit. de ſacr. reliq. cum tit. ſeqq. & Milan. 5. t.t. de indulg. & ſacr. reliq. Seſſ. 25. in decret. de invoc. ven. & rel. ſanct. & ſac. ima. Motus propr. Pii V. Tx. in c. 2. de immun. eccl. lib. 6. Conc. Trid. ſeſſ. 22. in decret. de obſerv. & evitan. &c. Mexic. 1. c. 26. Guadix tit. 4. conſt. 6. & Mil. 1. p. 1. tit. de aſt. & rep. ſacr. & Compoſt. act. 2. c. 9. & Tol. act. 1. c. 21. & Gran. tit. de cel. miſſ. n. 5. & tit. de reliq. & ven. ſanct. n. 4. & ſyn. de Quiroga conſt. 70. & provinc. ejuſdem act. 3. c. 18. Gr. tit. de reliq. & ven. ſanct. n. 6.

Lex 1. & 2. tit. 2. lib. 1. recopil. Conc. Ant. c. 3. & Trid. ſeſſ. 25. in decret. de purg. tit. de invoc. ven. & reliq. SS. ad finem. Mexic. 1. c. 27. § unico. Guadix tit. 6. tit. 19. & 20. & Mil. 1. 2. p. tit. de eccleſiis, & earū cultu, verbo ſed. & Tolet. act. 0. c. 20. & Compo. act. 3. c. 40. & Gran. tit. de reliq. & ven. SS. n. 5. & ſynod. de Quiroga conſt. 74. & Lim. 3. act. 3. c. 43. Lex reg. 1. tit. 2. lib. 1. recop. Mexic. 1. c. 29. & Mil. 1. p. 1. tit. de eccl. & earū cultu, & Granat. tit. de reliquiis, & ven. SS. n. 7. & ſyn. de Quiroga conſt. [illegible]

## LIBRI TERTII TITULUS XVIII.

*De reliquiis, & veneratione ſanctorum, & templorum.*

### § I.

OMNIS veneratio, quæ ſanctorum reliquiis, & imaginibus, ſacriſque ædibus exhibetur, in Dei laudem, & gloriam cedit, qui glorioſus, & admirabilis in ſanctis ſuis apparet; totiuſque ſanctitatis eſt auctor: contra vero ſi hæc in honore non habeantur, aut quolibet irreverentiæ genere profane, & ſuperſtitioſe tractentur, gravis in Deum offenſa committitur. Oportet autem, ut epiſcopi tamquam paſtores gregi invigilent, veramque devotionem inter fideles propagare ſtudeant, falſaſque, & vanas ſuperſtitiones penitus ab eis explodant, ita ut glorificetur Deus in ſanctis ſuis. Quocirca ex decreto ſacroſancti concilii Tridentini, ex conſtitutione felicis recordationis Pii papæ quinti decernit hæc ſynodus, & mandat, ut in eccleſiis choreæ, ſaltationes, actiones, & profani cantus prohibeantur, etiam in die nativitatis domini, & in feſto corporis Chriſti, & aliis ſimilibus. Cum vero ſacræ aliquæ hiſtoriæ actione referendæ erunt, aliave ſancta, & animæ utilia, hymnive aliqui devoti canendi, hæc omnia per menſem ante ad epiſcopum deferantur, ut ab eo examinentur, & probentur. Qui vero ſine epiſcopi facultate, & approbatione aliquid horum effecerint, & qui cum illis conſenſerint, pro modo culpæ graviter puniantur. Dum vero divina officia celebrantur, actiones etiam ab epiſcopo conceſſæ fieri prohibentur.

### § II.

Vehementer itidem judicibus eccleſiaſticis commendatur, ut cum omni cura, & ſeveritate, quibus opus eſt, quorumdam reprimant audaciam, qui in eccleſiis cum mulieribus, aut nutibus, aut libere colloquuntur; Magiſtratus vero regios quantum poteſt hæc ſynodus cohortatur, aut contra delinquentes hujuſmodi, ea quæ regiis legibus ſunt diſpoſita exequantur, & eccleſiæ miniſtris, ſuum quoque auxilium conferant, quo ſi opus fuerit, hi ab eccleſia ejitiantur, ne ab irreverentia hujuſmodi minime deſiſtentes ſuo exemplo, aliis ſcandalo ſint.

### § III.

Itidem præcipitur, ne cuiquam in poſterum pernoctationes, aut nocturnæ vigiliæ, & epulæ in eccleſia permittantur, ſub pœna excommunicationis. Eccleſiaſtici vero conſentientes graviter punientur. Sermones de paſſione, & reſurrectione ob incommoda, quæ inde naſcuntur, noctu ne habeantur.

### § IV.

In eccleſiis, aut in illarum cœmeteriis congregationes, conſultationes, contractuſve rerum ſæcularium, ludive aliqui, ne fiant. Iter agentes intra eccleſias ſeſe ad hoſpitium ne recipiant, neque dormiant: aliter ſex pondo in uſum fabricæ eccleſiæ, & accuſatoris mulctentur, quam mulctam perſolvant, tam qui in eccleſiis dormierint, quam qui conſentientes fuerint. Hoc tamen decreto non prohibetur, ne tempore neceſſitatis ad templa confugiant, ſi ibi cum debita reverentia commorentur.

### § V.

In cœmeteriis eccleſiarum taurorum ſpectacula ne fiant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam incurrant judices, aut ſuperiores, quorum juſſu id fit: ſi vero communitas ſit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

### § VI.

Ne levitate animi, reliquias falſas pro veris ſanctorum reliquiis venerari contingat, decernit, & jubet hæc ſynodus, ut nemini liceat ſecum reliquias geſtare, aut eas in loco publico venerandas proponere; niſi prius ab epiſcopo examinatæ, authenticæ comprobentur, ut titulo de epiſcoporum officio præmiſſum eſt. Conſuetudo tamen, & pia devotio agnos Dei deferendi, qui a pontifice Romano benedicuntur, inter fideles conſervetur, dummodo picturæ, & illuminationes, ſicut felicis recordationis Gregorii decimi tertii motu proprio conſtitutum eſt, eis non adhibeantur.

### § VII.

Quia inter rudes viget abuſus levis cujuſdam credulitatis, qua exiſtimant, ſe certa verba ſcripta, aut certas orationes ſecum deferentes, aut ad collum ſuſpendentes, igni, & aquæ minime perituros, aut bona aliqua, quæ deſiderant, obtenturos; Sub pœna excommunicationis præcipitur, ut quicumque hæc ſecum geſtaverint, vel alia ſimilia, intra menſem poſt hujus decreti publicationem epiſcopo tradant, eaque ipſe conſumat: deinceps vero nemo hæc ſecum habeat, ſine examine, & approbatione ordinarii. Confeſſarii vero admonentur, ut a ſuperſtitioſæ vanitatis hujuſmodi errore ſibi confitentes peccata cavere hortentur.

### § VIII.

Probatæ & authenticæ reliquiæ in aliqua eccleſia exiſtentes, extra tabernaculum ſanctiſſimi ſacramenti euchariſtiæ, in loco decenti collocentur. Interim tamen ſi locus hujuſmodi non eſt deputatus, in aliqua parte ejuſdem tabernaculi aſſerventur. Ut autem pia, & laudabilis conſuetudo ſacras imagines venerandi in animis fidelium eum effectum operetur, ad quem illæ inſtitutæ ſunt, populuſque ſanctorum recolat memoriam, eoſque veneretur, & ad earum imitationem, vitam, moreſque componat; maxime conveniens eſt, ut nihil in imaginibus profanum, aut indecens appareat, quo poſſit devotio fidelium impediri. Eam ob cauſam juxta concilii Tridentini decretum prohibetur, ne poſthac quiſquam Hiſpanus, Induſve imagines ad uſum alicujus eccleſiæ hujus archiepiſcopatus, & provinciæ depingat, niſi prius ab epiſcopo, aut ab ejus officiali examinetur: aliter operarum, quas in his fabricandis, & depingendis collocavit ſtipendium amittat. Viſitatoribus vero injungitur, ut quas repererint imagines, hiſtorias apocryphas exprimentes, aut indecentes ſculptas, ſive depictas deleri, ſeu inde amoveri præcipiant, aliaſque in earum loco decentes ſubſtituant.

§ IX.



ANNO CHRISTI 1585.

ſeſſ. 3. c. 27. & conc. Mil. 3. verb. religioſis. Ex Matth. c. 27. & Luc. c. 23. & conſtit. ex Clem. PP. M. lib. 5. conſt. apoſt. c. 16. ad finē, & lib. 8. c. 40. tom. 1. conc. Conc. Med. 2. tit. 2. decr. 10. de qua orat. veſp. & de indul. conceſſi a Gregor. XIII. Vide Carol. Borromeum arch. Med. in actibus ſuæ eccleſiæ tom. 2. p. 7. agit. Caſar Baronius in annal. eccl. tom. 1. fol. 221. verſ. is de anno, & Navar. de horis canon. c. 18. n. 43. & ſeq. Ant. de Aranda in lib. (Loores del ſan. Cal.) c. 30. f. 142. Durand. in rat. divin. offic. lib. 4. c. 1. n. 20. & Joa. Steph. Durantus lib. 3. de rit. eccl. cath. c. 10. f. 314. Tx. in cap. Inter alia de immun. eccl. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 20. de reform. Mexic. 1. c. 30. Guadix tit. 4. conſt. 4. Milan. 1. 2. p. tit. de eccl. & earum cultu verb. ſicut eccle. & ead. p. 2. tit. quæ per. ad bon. & jurium eccl. conſer. verb. omnes vero, & 5. Mila. tit. de eccl. & earum ſupellec. & fruct. lib. & Granat. tit. de immun. eccl. & ſyn. de Quiroga conſt. 72.

### § IX.

Imagines de cetero conſtruendæ (ſi fieri poſſit) pictæ ſint: ſi fingi debent, ita ſculpantur, ut eas veſtibus ornare minime opus ſit; quæ vero hoc tempore jam extant, proprias habeant veſtes deputatas. Si vero aliqua perſona ſæcularis ad ornatum imaginis veſtimenta aliqua commodaverit, & his imago induta fuerit, eo ipſo ad ejus cultum applicentur. Imagines autem quando veſtibus, aut alio modo erunt ornandæ ad effectum hujuſmodi extra eccleſias ne ferantur.

### § X.

Ob reverentiam ſanctiſſimæ cruci, ſanctorumque imaginibus debitam, interdicitur, ne in ſaccaro, buccarove, aut aliis eſculentis, nec in ſepulcris, aut in ferramentis, quibus pecudes ſignantur, crucem imagineſve ſanctorum, aut alias res ſacras depingere liceat: aliter, qui ſecus fecerit a judicibus eccleſiaſticis corrigetur.

### § XI.

Nullus mercator, aliuſve quiſquam ſacros lapides, calices, ornamenta ſacra, aut benedicta venalia habeat; ſeu benedici, & conſecrari faciat, ut divendat, ſub pœna excommunicationis, ac præterea rei venditæ hujuſmodi, pretium fabricæ eccleſiæ applicetur.

### § XII.

Quia omnes ſpeciali devotione glorioſiſſimam virginem Mariam univerſalem patronam, & advocatam proſequi debemus, ſtatuitur ac jubetur, ut in omnibus eccleſiis cathedralibus hujus archiepiſcopatus, & provinciæ antiphona, Salve regina, cum omni ſolennitate cantetur ſingulis quadrageſimæ diebus, uſque ad feriam tertiam majoris hebdomadæ, necnon ſingulis ſabbatis per annum: cui aſſiſtet ad recitandam orationem canonicus pro tempore hebdomadarius, necnon capellani, & cantores omnes interſint: iique cum hoc onere ad officia hujuſmodi admitti debeant. Epiſcopis vero valde commendatur, ut omni ſollicitudine piam in ſanctiſſimam virginem devotionem hujuſmodi augeri procurent, omnemque adhibeant diligentiam, ut pro celebrandis miſſis de beata Maria in ſabbatis, & pro antiphona Salve regina, ut præmiſſum eſt ſolenniter decantanda, aliqua ſit dotatio, ſive inſtitutio.

### § XIII.

Quo vero in omnium fidelium memoria domini noſtri, ac redemptoris Jeſu Chriſti paſſio ſemper retineatur, (aliis ob hanc cauſam devotionibus, & laudabilibus populi conſuetudinibus minime ſublatis) Hæc ſynodus ſtatuit, ac mandat, ut ſingulis diebus hora tertia pomeridiana in omnibus cathedralibus, & parochialibus eccleſiis, ad effectum hujuſmodi, campana per tres interpolatos ictus pulſetur: fideleſque hæc ſynodus quantum poteſt in domino exhortatur, ut hoc ſigno audito, pro ſua quiſque devotione, aliquas in memoriam paſſionis domini preces effundat. Quoties vero prædicta hora dato ſigno id effecerint; quadraginta dierum indulgentiam conſequantur.



Tx. in c. ſi. de immun. eccl. Mex. 1. c. 31. & Guadix tit 4 conſt. 5. in fine, & Gran. tit. de reliq. & ven. ſanct. n. 9. & ſyn. de Quiroga conſt. 73. Mexic. 1. c. 31. §. 2. ad finem, & Guadix tit. 4. conſt. 5. & Granat. tit. de reliq. & ven. ſanct. n. 9. in fine, & ſyn. de Quiroga conſt. 73. Seſſ. 33. c. 6. Mexic. 1. c. 35. & Guadix tit. 2. conſt. 45.

## LIBRI TERTII TITULUS XIX.

*De immunitate eccleſiarum, & clericorum.*

### § I.

SI imperatorum, & regum temporalium palatia, eorumque famuli privilegiis, & immunitatibus jure gaudent; quanto magis eccleſias, & eccleſiæ miniſtros immunes eſſe oportet, qui æterno Deo vivo & vero dicantur? quare hæc ſynodus decernit, ac jubet, ut nemo cujuſcumque qualitatis exiſtat, contra libertatem eccleſiaſticam leges condat, aut ſtatuta decernat: nec obſideat, invadat, aut occupet eccleſias, nec liberum earum ingreſſum, & egreſſum impediat, nec ab eccleſiis eos extrahant, qui eo confugerint; & hac immunitate gaudere poſſunt: nec eos vinculis conſtringant, aut eis cuſtodes adhibeant in eccleſiis, vel cœmeteriis; nec ullo modo eccleſiis vim inferant, vel earum portas confringentes, aut parietes dejicientes, admotiſve ſcalis, ad eas aſcendentes. Quod ſi ſecus fecerint, privatæ perſonæ pœnam excommunicationis ipſo jure incurrant. Communitates vero eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto: a quibus cenſuris non abſolvantur, niſi poſt plenam ſatisfactionem damni eccleſiis illati; Dum vero eccleſia obſeſſa tenebitur ceſſatio a divinis fiat. Quod ſi epiſcopo videbitur; illi qui vim templis intulerint, pecuniariis pœnis fabricæ eccleſiæ applicandis plectentur.

### § II.

Ne vero quiſquam, eccleſiaſtica immunitate ad perpetranda nova delicta abutatur, mandat hæc ſynodus, ut nemo ex his, qui ad eccleſiam confugerint, extra eam egrediatur ad injuriam alicui irrogandam, aut aliud delictum committendum, neque ſuſpectas mulieres in eccleſia ſecum habeat, aut ludos exerceat, nec ad portas eccleſiæ, aut cœmeteriorum lyram, aut alia muſica inſtrumenta pulſet. Cum vero miniſter aliquis juſtitiæ per eccleſiam, aut proximum eccleſiæ locum tranſierit, hi qui ad eccleſias confugerunt, ab ejus conſpectu ſe abſcondant. Quod ſi ſecus fecerint ab eccleſiarum hujuſmodi locis expellantur, & in aliis ne recipiantur, niſi ex hujuſmodi expulſione periculum aliquod eis proveniat.

### § III.

Tunc enim aliter corrigendi ſunt, & vinculis intra eccleſias coercendi. Si vero ii decretum hujuſmodi violaverint, ſacriſtæ, aut qui eccleſiarum curam gerunt officialibus annuntient, ut quod fuerit opportunum provideant.

### § IV.

Quoniam vero æquum non eſt, ut delinquentes propriam habitationem eccleſiam ſibi conſtituant, ea negligenter præſtantes, quibus tutus ſit eis extra eccleſias egreſſus; mandat hæc ſynodus, ne hi ſine ſpeciali epiſcopi licentia, ultra novem dies in eccleſia permittantur.

ANNO CHRISTI 1585.

Illi vero, qui ad eccleſiam ſe receperunt, ne ad exilium condemnati illud adimpleant, ab eccleſiis ejiciantur, niſi grave aliquod periculum eis immineat, aut aliud valde notabile ſi ab eccleſia expellantur.

§. V.

Ut controverſiæ inter ſæcularem, & eccleſiaſticam juriſdictionem de puniendis clericorum prima tonſura, aut quatuor minoribus initiatorum delictis vitentur, præcipit hæc ſynodus, ut judices eccleſiaſtici, quoad hoc concilii Tridentini decretum obſervent: ad cujus executionem, priuſquam officialis, aut judex eccleſiaſticus in favorem alicujus clerici ex prædictis, inhibitorias literas concedat, inqvirat, & examinet, ſi titulum legitimum habet; aut ſi clericus ille eſt idem cum eo, qui in titulo continetur. Hoc tamen intelligitur caſu, quo clericus hujuſmodi a ſæculari judice captus non detineatur: tunc enim ob periculum, quod ex dilatione imminet, ejus petitio admittenda eſt, & juxta juris diſpoſitionem providendum, ut in primis e ſæculari carcere, ad eccleſiaſticum transferatur, deinde vero ulterius procedetur.

§. VI.

Quando inhibitorias literas judici ſæculari directas a contigerit, cum debito honore judici hujuſmodi intimentur: judices vero eccleſiaſtici curent diligenter, ne clericorum hujuſmodi ad ſe tranſmiſſorum delicta impunita remaneant; nec a cauſæ proſecutione deſiſtant, uſque ad ſententiam definitivam: ad idque parte contraria deſiſtente, aut judice ex officio procedente, cauſæ vices, & voces fiſcali tradantur, curentque ut is cauſam uſque ad concluſionem proſequatur. Si vero delictum grave fuerit, reos captos adhibitis fidejuſſoribus ne liberent, donec omnino cauſa terminetur, & definiatur; ac delinquentes hujuſmodi pro gravitate delicti puniantur, ne eis clericalis ſtatus delinquendi licentia ſit.

a *Forte*, dari contigerit. H.

LIBRI TERTII TITULUS XX.

*Ne clerici, vel monachi negotiis ſæcularibus ſe immiſceant.*

§. I.

QUONIAM cupiditas malorum omnium radix, valde hac noſtra tempeſtate eccleſiaſticorum quorumdam animos invaſit: ideo ne in domo Dei, quæ domus orationis eſt, negotiationes exerceantur, hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit omnibus hujus provinciæ epiſcopis, & clericis ſacro ordine initiatis, cujuſcumque dignitatis, & conditionis exiſtant, ut non ſolum ab uſurariis contractibus, & jure divino damnatis abſtineant ſeſe: ſed etiam ab his, qui quamvis ſæcularibus permittuntur, clericis ratione ſui ſtatus a ſacris canonibus prohibentur. In cujus rei executionem hæc edicuntur. Nemo negotiationes, mercaturas exerceat, aut alicujus procurator, negotiorumve geſtor ſit, aut alienarum mercium curam ſuſcipiat, eaſque adminiſtret, vel earum pretium tranſmittat; aut alio quovis modo, in hujuſmodi negotiationibus ſe immiſceat. Quod ſi aliqui hoc decretum violaverint, ſi epiſcopi ſint, ipſo facto eccleſiæ ingreſſu interdicantur, a quibus provinciali ſynodo hujus rei ratio petetur. Ceteri vero clerici, cujuſcumque conditionis exiſtant, præter pœnas a jure ſtatutas, quæ in ſuo robore, & firmitate permanent, ipſo facto, pœnam excommunicationis majoris incurrant: & ſi ſemel id commiſerint, ducentum minarum pondo mulctentur, ſi iterum, quatuor centum, ſi tertio, ſexcentum, ac præterea ſupellectilem, & pecunias amittant, quibus negotiationes exercuerint: totumque id, quod ex contractibus prædictis provenerit, cujus tertia una pars hoſpitali domui cathedralis eccleſiæ applicetur, tertia vero pars altera juſtitiæ ſumptibus erogetur, alia vero judici, & accuſatori æque tribuatur. Qui vero per interpoſitam perſonam negotiabitur, aut ad negotiandum pecunias in ſocietatem dederit, pœnis pecuniariis hoc decreto ſtatutis mulctabitur; hoc tamen decreto, quæ clericis per canones licent prohibita non intelligantur.

Late vide jura in praxi canonica Joan. Bernard. c. 50. Mexic. 1. c. 56. & Mex. 2. c. 27 & 28. & Guadix tit. 5. conſt. 6. & 7. & Mil. 1. p. 2. tit. de negotiis ſæcular. a cler. fugien. & Granat. tit. ne cler. vel monac. & Synod. de Quiroga conſt. ... & Limen. ... 3. c. 4. ...

Limen. 3. c. 4. & 5.

§. II.

Præcipitur item ſub præmiſſis pœnis, ne ullus clericus Indorum curam gerens, in ſuis regionibus per ſe, aut per interpoſitam perſonam contractus redimendi piſces, aut quod venatione capitur, goſſipium, ſalem, mayzum, & alia hujuſmodi, quæ in terris Indorum naſcuntur, ut hæc iterum divendat. Neque etiam negotiationis, ſeu lucri gratia Indos ſuæ juriſdictionis nere, aut texere, aut alias artes hujuſmodi exercere faciat; quo fiet ut Indi his moleſtiis non divexentur, & hi qui Indorum curam gerunt, liberius eorum vitia reprehendant, eoſque commodius inſtruant.

§. III.

Prohibetur itidem omnibus ſacro ordine initiatis, ne per ſe, aut per interpoſitam perſonam, in toto, aut in parte eccleſiaſticos, aut ſæculares redditus locent, aut in ſe tranſlationes ſimilium redditunm recipiant. Quod ſi per interpoſitam perſonam ſecus fecerint pondo centum minarum perſolvant: ſi vero per ſe ipſos pondo ducentum, quæ in piorum operum, & fabricæ cathedralis eccleſiæ, accuſatoriſque uſus æquis partibus erogentur. Si vero his pœnis cautiores non fiant, gravioribus juxta qualitatem delicti punientur.

Mexic. 1. c. 56. § 2. & Guadix tit. 5. conſt. 6. & Granat. tit. ne cler. vel monac. & Limen. 3. act. 3. c. 11.

§. IV.

Nullus beneficiatus, aut curatus Indorum, tam ſæcularis, quam regularis, ex auctionibus regiis, aut ex his, quibus a rege commendata ſunt oppida, in ſuo diſtricto emat mayzum, goſſipium, aut goſſipinas telas, mel, & alia, quæ ejus parochiales in tributum dant, per ſe, neque per interpoſitam perſonam: aliter id omne amittant, quod inde exportaverint, aut emerint, & in uſum fabricæ eccleſiæ diſtrictus hujuſmodi, accuſatoris, & ſumptuum juſtitiæ æquis partibus conferantur: ne ſi miniſtri Indorum hujuſmodi contractibus implicentur, (ut evenit aliquando) eorum miniſterium in contemptum veniat.

Hoc eſt ab monedas reales. Limen. 3. act. 3. c. 5.



ANNO CHRISTI 1585.

§. V.

Quia vero multi curati, & beneficiati Indorum hanc curam ſuſcipiunt, magis lucri cupiditate, (ut videlicet Indi ſua colant prædia, aut minas effodiant.) quam ut ipſi rudium Indorum animas inſtruant: hæc ſynodus præcipit, ut nullus curatus Indorum ſive ſæcularis, ſive regularis poſſit intra ſuam juriſdictionem, nec intra decem leucas in ejus ambitu, prædia (etiamſi patrimonialia, aut eccleſiæ fuerint) colere, ſi ſint qui ea conducere velint. Quod ſi conductores minime reperiantur, ea ipſis colere liceat etiam per Indos, quos tamen, ad id volentes tantum adhibeant, debitamque eis operum, & laboris mercedem perſolvant, benigneque, & comiter ſe gerant. Si ſecus fecerint, epiſcopus curatos ſæculares beneficio privet, regulares autem a regimine eccleſiæ amoveat; & voce activa, & paſſiva perpetuo ſuſpendat.

Limenſ. 3. act. 3. c. 5.

§. VI.

Eadem etiam obligatione teneri declarat hæc ſynodus miniſtros regulares, qui ſtipendium a majeſtate regia, vel ab his, quibus a rege commendata ſunt oppida recipiunt, unde de ſuis laboribus poſſent Indis ſatisfacere. Non tamen ex hoc intelligitur, Indis cantoribus, & aliis ad uſum divini cultus neceſſariis, miniſtros debere ſtipendium aliquod perſolvere.

LIBRI TERTII TITULUS XXI.

*De obſervatione jejuniorum.*

§. I.

INTER præcipuas Chriſtianæ vitæ exercitationes ea una eſt, qua ut divinæ legis mandata omni ſollicitudine obſervemus, rebellatricis carnis moribus frænos imponimus, eamdemque ſpiritui ſubjugamus. Quam ob cauſam ſancta mater eccleſia, quæ a Spiritu ſancto regitur, & gubernatur, ſtatutos dies inſtituit ad jejunium, & abſtinentiam, quo carnis appetitus maxime edomatur, rationique ſubjicitur. Igitur, ut omnes Chriſti fideles hujus archiepiſcopatus, & provinciæ dies, quibus ad jejunium tenentur optime intelligant, hæc ſynodus, tam Indis, quam Hiſpanis in hac provincia degentibus, reſpective ſequentes dies ad jejunandum proponit.

Mexic. 1. c. 37. Mex. 2. c. 25. Guadix tit. 6. conſt. 21. Milan. 1. p. 2. tit. de jejunio, & Granat. de obſervat. jejuniorum. Synod. de Quiroga, conſt. 99. Limenſ. 3. act. 3. c. 41. & Milan. 5. verb. omnis ſector.

*Dies, quibus jejunare tenentur omnes hujus archiepiſcopatus, & provinciæ, utriuſque ſexus fideles (Indis exceptis.)*

§. II.

IN primis omnes dies quadrageſimæ; exceptis dominicis diebus.

MENSE FEBRUARIO.

Vigilia ſancti Mathiæ apoſtoli. 23
anno vero biſſextili. 24

JUNIO.

Vigilia nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ. 23
Vigilia apoſtolorum Petri, & Pauli. 28

JULIO.

Vigilia ſancti Jacobi apoſtoli. 24

AUGUSTO.

Vigilia ſancti Laurentii. 9
Vigilia aſſumptionis beatæ Mariæ virginis. 14
Vigilia ſancti Bartholomæi apoſtoli. 23

SEPTEMBRI.

Vigilia ſancti Matthæi apoſtoli & euangeliſtæ. 20

OCTOBRI.

Vigilia SS. apoſtolorum Simonis, & Judæ. 27
Vigilia ſanctorum omnium. 31

NOVEMBRI.

Vigilia ſancti Andreæ apoſtoli. 29

DECEMBRI.

Vigilia ſancti Thomæ apoſtoli. 20
Vigilia nativitatis domini noſtri Jeſu Chriſti. 24

Itidem tenentur ex conſuetudine introducta jejunare in vigilia pentecoſtes.

Ex præcepto quoque jejunare tenentur in diebus quatuor temporum qui quidem dies duodecim ſunt.

In Hieme feria quarta immediata poſt feſtum S. Luciæ cum feria ſexta, & ſabbato ſequentibus.

In Vere, feria quarta, ſexta, & ſabbatum poſt dominicam primam quadrageſimæ.

In Æſtate feria quarta, ſexta, & ſabbatum poſt pentecoſten.

In Autumno feria quarta, ſexta, & ſabbatum poſt feſtum exaltationis ſanctiſſimæ crucis.

*Dies, quibus Indi jejunare tenentur ex conſtitutione felicis recordationis Pauli papæ tertii.*

IN primis, omnes ſextæ feriæ quadrageſimæ, vigilia nativitatis domini noſtri Jeſu Chriſti, ſabbatum majoris hebdomadæ.

§. III.

In his omnibus diebus, tam Hiſpanis, quam Indis aſſignatis, omnes utriuſque ſexus fideles hujus provinciæ, vigeſimo primo ætatis anno majores jejunare tenentur ſub pœna peccati mortalis: unaque tantum comeſtione, eaque in meridie his diebus uti debent, illis exceptis, qui vel ægritudine, vel ſenectute, vel ex magno corporali labore, vel aliis juſtis impedimentis jejunio non obligantur. In jejunio autem ſervando nemo ſuam ſententiam ſequi debet, ſed ſuum confeſſarium conſulet, ejuſque ſententiæ adhæreat. Exhortatur tamen hæc ſynodus omnes quinto decimo ætatis anno majores, & vigeſimo primo minores, ut paulatim jejuniis aſſueſcant, in aliquibuſque diebus a cibis ſe abſtineant, quo facilius cum tempus jejunandi ex præcepto occurrerit, jejunium obſervent. Monet quoque, & hortatur omnes hujus provinciæ fideles, ut laudabilem conſuetudinem jejunandi in vigiliis beatæ Mariæ virginis,

ANNO CHRISTI 1585.

nis, & feſti corporis Chriſti, itidemque a cibis carnalibus abſtinendi in diebus rogationum (quamvis ex præcepto non teneantur) obſervent: conceditque hæc ſynodus jejunantibus in his diebus quadraginta dierum indulgentiam pro ſingulo quoque die.

Conc. Aur. 1. c. 19. refertur in c. Rogation. de conſecr. diſt. 3.

## §. IV.

Præcipit quoque hæc ſynodus curatis omnibus ſæcularibus, & regularibus, ut id ſuis ſubditis annuntient.

## §. V.

Declarat præterea hæc ſynodus abſtinendum eſſe omnino in diebus jejunii quadrageſimalibus a lacte, ovis, caſeo, butyro, aliiſve cibis ex his conditis, niſi ad id bulla, aut privilegium conceſſum ſit. Declarat etiam in omnibus jejunii diebus, feriis ſextis, & ſabbatis per annum, & in dominicis quadrageſimæ uſum carnium eſſe prohibitum, niſi alicui de conſilio medici corporalis, & de facultate epiſcopi, aut ejus officialis in ſcriptis, eſus carnium licitus ſit. Hæc tamen facultas, examinata cauſa, ad tempus limitatum, & gratis concedetur. In omnibus vero his diebus, quibus ab eſu carnium abſtinendum eſt, carnes publice ne divendantur, niſi ad uſum infirmorum, facultatem prædictam obtinentium.

## §. VI.

Medicis itidem jubetur, ne prius cuiquam in diebus prohibitis edendi carnes facultatem dent, quam proſpexerint rei neceſſitatem, quæ ſi ſufficiens non ſit, facultas hujuſmodi denegetur. In concedendis vero hujuſmodi facultatibus, ne faciliores ſe erga divites, quam erga pauperes præbeant: præſertim cum divites aliis poſſent uti alimentis ſine detrimento ſalutis, quibus pauperes, & miſerabiles perſonæ ob inopiam uti non poſſunt.

# LIBRI QUARTI TITULUS I.

*De ſponſalibus, & matrimoniis.*

## §. I.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.

EX eo magna incommoda, & infelices eventus oriuntur, quod matrimonia, nec ſincero animo, nec ad ſacrorum canonum præſcriptum contrahantur. Quare epiſcopi, & eccleſiaſtici judices in executione eorum, quæ de ſacro matrimonii ſacramento jure diſpoſita ſunt, omnem operam collocare debent. Quod maxime cupiens hæc ſynodus, præcipit curatis omnibus, tam ſæcularibus quam regularibus, ut curent diligenter, ne aliqui ex ſibi ſubditis, prius per verba de præſenti matrimonium contrahant, quam peccata ſua confiteantur, quo ſe ad ſuſcipiendam gratiam præparent, quæ in hoc ſacramento confertur. Hoc enim, & ad vitam conjugalem cum omni pietate, & tranquillitate degendam, & ad prolem educandam, ad cælorumque patriam dirigendam convenientiſſimum principium erit. Præterea curati ſubditos doceant, tunc ſe matrimonii ſacramentum ſuſcipere, cum per verba de præſenti contrahunt.

Milan. 1. p. 2. tit. quæ ad ſacram. matrim. pertin. & Guadix tit. 2. a conſt. 57 & Gran. tit. de ſponſal. & ſynod. de Quiroga a conſt. 28.

## §. II.

Decreto autem Tridentini concilii ſynodus innixa hortatur, ut conjuges ante ſacerdotalem benedictionem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: ſtatuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam, niſi ab ipſo parocho, vel ab ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii ſacerdoti concedi poſſe.

## §. III.

Ut multis malis, quæ ex clandeſtinis conjugiis ortum habuere, medicinam afferret univerſalis Tridentina ſynodus, clandeſtina hujuſmodi matrimonia irritavit, nullaque decrevit; ac formam, qua matrimonia debent celebrari in hunc modum præſcripſit: (videlicet) ut matrimonium præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi, vel ordinarii licentia; & duobus, vel tribus teſtibus contrahatur. Quod ſi aliqui ſecus contrahere attentabunt, hujuſmodi contractus eadem ſynodus irritos, & nullos decrevit. Hujus igitur concilii auctoritatem ſequuta hæc ſynodus decernit, ac jubet, ne quiſquam per verba de præſenti matrimonium contrahere attentet; niſi ad præſcriptum concilii Tridentini. Si qui vero ſecus fecerint, ultra pœnas a jure ſtatutas, etiam excommunicationis pœna proponitur; contrahentes autem in triginta pondo condemnentur: ſinguli vero teſtes in quindecim, quæ in uſum eccleſiæ, cujus fuerint parochiales, erogentur. Parochus vero, aut ſacerdos per menſem unum carcere incluſus teneatur.

## §. IV.

Ex decreto itidem concilii Tridentini ſtatuit, ac præcipit hæc ſynodus, ut antequam matrimonium contrahatur, ter in parochia, ſive parochiis contrahentium, tribus continuis diebus feſtivis a proprio parocho inter miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: ab eodemque parocho ſubditi moneantur, ut ſi ad alicujus notitiam legitimum aliquod impedimentum pervenit, quo contrahentes impediantur, illud revelent. Denuntiationes vero hujuſmodi, nequaquam fieri omittantur, niſi quando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes: Tunc enim, vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Epiſcopis vero injungitur, ut ad id, non per quoſlibet ſuos officiales, ſed ipſi per ſe, aut per ſuum generalem vicarium, ex gravi cauſa facultatem concedant. Declarat autem hæc ſynodus, in Indorum oppidis ſatis eſſe, ſi quando miniſter viſitaverit, tres hujuſmodi denuntiationes ab eo fiant, tribus diebus etiam non feſtivis, dummodo eo tempore populus in eccleſiam conveniat. Aliter enim matrimonia Indorum celebrari non poſſunt, ſine magno impedimento doctrinæ Chriſtianæ, quæ Indi ſunt erudiendi.



ANNO CHRISTI 1585.

## §. V.

D. Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.

Juxta decretum concilii Tridentini prohibet hæc ſynodus, ut nullus ſacerdos ſæcularis, ſive regularis, etiamſi parochus ſit, alterius parochiæ ſponſis, ſine ordinarii, vel eorum parochi licentia, benedictionem nuptialem conferre audeat, quolibet privilegio, aut conſuetudine non obſtantibus. Quod ſi ſecus fecerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur.

## §. VI.

Præcipit quoque hæc ſynodus ſæcularibus, & regularibus curatis, ut in benedictionibus nuptialibus Indorum naturalium arrhas benedicant, cum reliquis ceremoniis, quibus in benedictionibus nuptialibus Hiſpanorum uti ſolent. Pro hujuſmodi autem benedictionibus conferendis quidquam prorſus ne accipiant, præterquam a ſponte dantibus poſt præſtitam liberam benedictionem: alter quidquid acceperint, reſtituere etiam in foro conſcientiæ tenebuntur, & præterea ſevere punientur.

## §. VII.

Nullus parochus, aut ſacerdos ſæcularis, ſive regularis, quemquam per verba de præſenti matrimonio conjungant, qui non ſit ætatis legitimæ a jure ſtatuta: cujus ætatis per librum baptiſmi, aut per ſufficientem probationem conſtare debeat: nec ſponſalitiis ſimilium perſonarum, quæ per verba de futuro fiunt, adſiſtat, niſi de epiſcopi licentia. Si quis vero ſecus fecerit, ordinarii arbitratu punietur.

## §. VIII.

Seſſ. 24. c. 9. de reform. matrim.

Mex. 1. c. 72. §. unico.

Volens Tridentinum concilium liberum conſenſum, qui ad matrimonii contractum requiritur, conſervari; præcipit ſub anathematis pœna, quæ ipſo facto incurratur, ne quiſquam ullatenus cogatur, quominus libere matrimonium contrahat: cujus auctoritatem ſequuta hæc ſynodus, cum his in partibus multi ob ſuam propriam utilitatem, Indos, & ſervos invitos contrahere matrimonium compellant, ut ſuis operis utantur; ſtatuit, ac mandat, ne ullus Hiſpanus Indum, aut ſervum cogat ad matrimonium contrahendum, nec per vim eos impediat, ut libere cum quibus libuerit matrimonium contrahant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Idemque præcipitur * proceribus Indorum: ea pœna ſtatuta, ſi ſecus fecerint, ut triginta diebus in carcere ſint incluſi, ac præterea ſevere puniantur.

* Id eſt Caciques.

## §. IX.

Itidem præcipitur, ut hi qui ſervos conjugatos poſſident, eos vendere poſſint; nec vendant in partibus adeo diſtantibus, ut probabile ſit, eos cum uxoribus per longum tempus cohabitare non poſſe. Quod autem ſit tempus longum reputandum arbitrio ordinarii cenſendum relinquitur.

## §. X.

Ut vero corruptelæ, inter hos * indigenas aliquando receptæ, non ſine gravi matrimonii injuria, occurratur, qua cum quis feminam aliquam in uxorem ducere volebat, eam a ſuis parentibus emens, cum eaque multo tempore ante matrimonium cohabitans ſæpe innuptam dimittebat; decernit, ac jubet hæc ſynodus, ut Indorum parochi diligenter in ſuis diſtrictibus de hoc delicto ſciſcitentur, ac epiſcopum certiorem faciant, ut tantum facinus puniatur, & funditus, ut decet, extirpetur.

* Hoc eſt naturales.

## §. XI.

Mexic. 1. c. 40. ſynodal. de Quirog. conſt. 31.

Quorumdam dolis, ac fraudibus, quas aliqui machinantur, ut binas nuptias contra indiſſolubile matrimonii vinculum exerceant, obviare volens hæc ſynodus præcipit, ut nullus ex his, qui in facie eccleſiæ matrimonium contraxerunt, eo quod ab altero conjuge abſens ſit, ſecundas nuptias contrahere audeat, niſi ſufficienter probet ad præſcriptum juris, alterius conjugis mortem. Quod ſi quis ſecus attentaverit, pœna gravi pro qualitate perſonæ punietur.

## §. XII.

Mexic. 1. c. 39. §. unico.

Qui ex Hiſpania, aut ex aliis partibus diſtantibus in hanc provinciam pervenerint, & ſecum feminas duxerint, uxorum nomine; niſi hujus rei authenticum teſtimonium exhibeant, ad illud deferendum, ſi epiſcopo videbitur, terminus unius anni cum dimidio præfiniatur. Quod ſi intra præfixum terminum, de matrimonio per teſtimonium, aut per ſufficientem probationem non conſtiterit, ab ordinario ſeparentur, nec cohabitare permittantur.

## §. XIII.

Tx. in cap. quando, & in c. gaudemus de divortiis. Limenſ. 3. act. 2. c. 36.

Si quando evenerit, ut ſtante duorum infidelium matrimonio, alter conjugum ad fidem converſus baptiſmum ſuſceperit, altero, vel ullo modo ad catholicam fidem convertere ſe nolente, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel eum ut pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit. Sed ſi baptizatus, ſine detrimento fidei, & legis divinæ, aut cum ſpe, quod ad catholicam fidem convertatur, cum infideli cohabitaverit, fidelis alteri matrimonio ne ſe conjungat. Sed cum infideli cohabitet. Si vero infidelis converſionem ad fidem diſtulerit, per ſex menſes ambo cohabitent: quo elapſo termino, epiſcopus de hac re certior fiat, ut ipſe decernat, an terminus prorogandus ſit, an fideli concedenda facultas, ut alteri matrimonio ſe conjungat. Itidemque epiſcopo annuntiabitur, quando aliquis matrimonium contrahere velit, qui alterum conjugem in locis infidelium reliquit, cui ſuæ infidelitatis tempore cohabitabat: ut epiſcopus, cauſa examinata, ei jungendi ſe alteri matrimonio facultatem, ſi ſibi viſum fuerit, concedat.

ANNO CHRISTI 1585.

## § XIV.

Mex. 1. c. 41. & ſynod. de Quiroga conſt. 54.

Quos Deus matrimonii vinculo conjunxit, non poſſunt, nec debent ſeparari. Quare omnino reprobatum eſt maritum & uxorem dato libello ſparationis coram judicibus, & notariis ſe ad invicem ſeparare, exiſtimantes ſe illius libelli virtute a vinculo matrimonii eſſe ſolutos: Idcirco ſtatuit hæc ſynodos, ut nullus eccleſiaſticus judex, in libellis hujuſmodi auctoritatem ſuam interponat, ſub pœna privationis officii; Nulluſque notarius eoſdem conficiat, aut ſubſcribat. Quod ſi ſecus fecerint, præter pœnas capit. *Cum æterni tribunal*, ſtatutas, ab officiis ſint ipſo facto privati, quadragintaque pondo minarum perſolvant, in uſum fabricæ, pauperum, & accuſatoris æquis partibus eroganda. Qui vero ob prædictas cauſas non cohabitantes denuo matrimonium contrahere attentaverint, propter binas nuptias punientur.

In cap. cum æterni de ſent. & re judicata lib. 6.

## § XV.

Quoniam vero aliqui, eo animo lites de divortio movent, eaſque minime proſequuntur, libere in ſuis inſordeſcant vitiis; quo diabolicæ eorum fraudi occurratur, ſtatuit ac præcipit hæc ſynodos, ut quandocumque lis de divortio mota fuerit, uxor ſtatim, in aliqua domo honeſta conſtituatur. Caſu vero, quo pars litem non proſequatur, fiſcali detur facultas petendi, ut ſimul cohabitent. Quod ſi ſententia lata fuerit de divortio quoad thorum, uxor in domo honeſta, ac minime ſuſpecta pro ratione ſuæ ætatis, & conditionis collocetur, ne ulla in Deum committatur offenſa; fiſcalis vero, qui in hoc negligenter egerit, in pondo triginta condemnetur, & juxta cauſæ qualitatem, uſque ad officii ſuſpenſionem puniatur, ſi epiſcopo videbitur.

# LIBRI QUARTI TITULUS II.

*De cognatione ſpirituali, & aliis matrimonii impedimentis.*

## § I.

QUONIAM aliqui, Dei timore poſthabito, intra gradus a jure prohibitos, in quibus matrimonium invalidum eſt, contrahere præſumunt, unde conſequitur, ut in peccato vitam ducant: eam ob cauſam ex decreto concilii Tridentini, interdicit hæc ſynodus ne quiſquam intra hos gradus matrimonium contrahere audeat, ne ſacerdos ullus in aliquo hujuſmodi contractu interveniat. Quod ſi aliqui ſcienter intra gradus prohibitos, qui matrimonium dirimunt, contrahere attentaverint, præter pœnam excommunicationis, quam ipſo facto incurrant, & alias pœnas a legibus eccleſiaſticis, & regiis * ſtatutas, centum pondo perſolvant. Sacerdos vero, qui hujus rei conſcius, hujuſmodi matrimonii contractibus interſit, ſi beneficiatus fuerit, fructus, ſeu redditus unius anni amittat: aut ſi beneficiatus non fuerit, centum pondo mulctetur. Quæ omnis mulcta fabricæ cathedralis eccleſiæ ſumptibus juſtitiæ, accuſatori, aut ſi is deſit, judici æquis partibus applicetur.

Seſſ. 24. c. 5. de refor. matrim. Mexic. 1. c. 38 §. unico, & ſynod. de Quiroga conſt. 30. Tx. in Clem. unica de conſang. & affinitate Lex. regia 3. tit. 19. partita 7. & lex 7. tit. final. l. 8. ordinan. Vide

## §. II.

Quo vero his evitandis accurata diligentia adhibeatur, hæc ſynodus ſacerdotibus exponit gradus prohibitos cognationis corporalis, & ſpiritualis hos eſſe.

Conc. Mex. 1. c. 6. §. 1. & ſynod. de Quiroga conſt. 30.

## §. III.

Primus conſanguinitas uſque ad quartum gradum incluſive. Secundus affinitas ex matrimonio contracta uſque ad quartum gradum. Tertius, affinitas ex fornicatione contracta, uſque ad ſecundum gradum incluſive, pro ut eſt a Tridentino concilio diſpoſitum. Quartus, impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſponſalia quacumque ratione non fuerunt valida, prorſus tollitur: ubi autem valida fuerunt, primum gradum non excedit.

Seſſ. 24. c. 4. de reform. matrim. Seſſ. 24. c. 3. de reform. Seſſ. 24. c. 4. de reform. matrim.

## §. IV.

Cognatio ſpiritualis in baptiſmo contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, & illius patrem, & matrem, & inter compatrem, & commatrem baptizati, & inter illius patrem, & matrem tantum. Ex confirmatione vero contracta cognatio confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egreditur. Advertendum tamen eſt, in impedimentis hujuſmodi felic. record. Pium papam V. ſuis propriis motibus declaſſe in gradibus ante concilium Tridentinum prohibitis, & poſtea ab eodem concilio ſublatis tanquam matrimonium non impedientibus, non ſolum intelligi poſt concilium impedimentum eſſe ſublatum iis, qui denuo ad illum gradum pervenerunt; ſed etiam iis, qui ante concilium eo gradu erant conjuncti, dummodo matrimonium, aut contractum ſit, aut contrahendum poſt Tridentinum concilium.

Motu prop. Pii V.

## § V.

Nefanda inter fratres, & ſorores primo gradu conjuncta matrimonia, omni jure prohibentur. Quare præcipitur, ut infideles hujus provinciæ, qui tempore ſuæ infidelitatis, in hoc gradu conjuncti erant matrimonio: cum primum baptiſmum ſuſceperint, ſeparentur, matrimoniumque hujuſmodi irritum, ac nullum decernatur.

Tx. in cap. final. de divortiis.

# LIBRI QUINTI TITULUS I.

*De viſitationibus.*

## §. I.

VISITATIONUM præcipuus ſcopus, (ut ſanctum concilium Tridentinum exponit,) eſt, ſanctam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere: ad quod efficiendum, ultra ea, quæ locus, tempus, & occaſio, viſitatarumque perſonarum conditio, Deo, ac Domino inſpirante viſitatorem docuerint, is ordo ſervabitur.

Seſſ. 24. de reform. Mex. 1. c. 91. Guad. tit. 8. & Milan. 1. p. 2. tit. de viſitatione. & Tolet. act. 3. c. 2. & Granat. tit. de viſitat. & ſynod. de Quiroga conſt. 116.



ANNO CHRISTI 1585.

## § II.

Cum primum ad locum, quem viſitaturus eſt, viſitator pervenerit, eccleſiam adeat, ubi eum populus expectat, ibique preces ad Deum effundet: ac deinde ipſe, aut ejus loco alius concionem habebit, qua ſummatim viſitationis ſcopum exponat. Præterea generale hujus ſynodi decretum legi efficiet, populumque admonebit de obligatione, qua ſinguli tenentur denuntiandi publica peccata, ut tale remedium adhibeatur, quo omnes in Deum offenſæ funditus tollantur.

Limenſ. 3. act. 4. 2 c. 1. uſque ad 5. Late. conc. 4. Mila. tit. de viſitation. Vide Gran. & ſynod. de Quiroga ubi ſupra.

## § III.

Sanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum, ſanctum chriſma, oleumque ac baptiſmalem fontem, manuale etiam ſacramentorum, ac omnia eccleſiæ ornamenta viſitabit, accurateque reſpiciet, an hæc decenter teneantur.

## § IV.

Libellum præteritarum viſitationum requirat, ſciſciteturque an ſtatuta in prædictis viſitationibus executioni mandata ſint: ſi vero aliqua adimplenda deſunt, compleri curet; reprehendatque, ac corrigat eos, qui in his adimplendis negligenter ſe geſſerunt.

## § V.

Quoad bona vero eccleſiæ inquirat in primis, an inventarium, liberve ſit, ubi deſcripti ſint tituli poſſeſſionum, quas eccleſia obtinet; exploretque an aliqua eccleſiæ bona alienata ſint, an ea quiſquam uſurpaverit: an vero aliqui ſumptus in ædificiis: aliiſve rebus facti ſint, qui eam ſummam excedant, quæ eſt ab hac ſynodo conſtituta: aut ſi eccleſia jus habet ad aliqua bona nondum ab eccleſia recuperata. In quibus omnibus id adimpleri efficiet, quod titulo de rebus eccleſiæ conſervandis, alienandis, vel non, juſſum eſt.

## § VI.

Viſitet quoque eccleſias, & eremitoria, videatque an aliqua ſuperflua ſint, aut non bene reſtaurata, & an ſine epiſcopi licentia fabricata ſint, epiſcopumque de hac re certiorem faciat, ut de convenienti remedio provideat. Præterea juxta concilii Tridentini decretum peculiari cura exquirat, & exploret attente, an imagines indecenter teneantur; quaſque ſic repererit, deleri faciat, aliaſque in earum loco conſtitui jubeat, pro ut eſt titulo de reliquiis, & veneratione ſanctorum diſpoſitum.

Seſſ. 25. in princip. tit. de invocat. & ſacris imaginib.

## § VII.

Hoſpitalia etiam, eremitoria, confraternitates, & alia pia opera viſitet: diſpiciatque, an eorum inſtitutione, & fundatione, epiſcopique ordinationibus conſtituta obſerventur: idque provideat, quod ſibi conveniens videbitur, ut hæc opera conſerventur, & augeantur. Miſſarum, & piorum operum, quæ ex teſtamento relicta ſunt, libellum petat: utque ea adimpleantur, quod eſt titulo de teſtamentis decretum, obſervet.

## § VIII.

Coram parochis decreta hujus ſynodi, quæ ad eorum officium ſpectant, legi faciat; & an obſerventur, diligenter exploret: ſpecialiter vero inquirat, an parochus libros habeat, ubi baptizatorum, confirmatorumve, aut eorum, qui matrimonio conjuncti, & mortui ſunt, nomina deſcripta teneant; Si habet catechiſmum, directoriumque confeſſorum, librum decretorum hujus ſynodi. Si permittit a clericis peregrinis ſine licentia miſſam celebrari. Si habet tabulam ſalariorum, juxta taxam ab epiſcopo deſignatam. Quod ſi quid repererit, quod non ſit executioni mandatum, diligenter adimpleri curet, exceſſuſque, & negligentias corrigat.

## § IX.

De vita, & honeſtate clericorum privatim exquiret; ſi onera ſuorum officiorum obierint, & quæ his decretis juſſa ſunt adimpleverint. Aut ſi in aliqua delicta reinciderint, aut aliqua receperint, quæ a jure, aut ab hac ſynodo eis prohibentur. Exquiret præterea, an clerici, vel ſæculares publica aliqua peccata, aut ſcandala committant, an aliqui ſint concubinarii, blaſphemi, ſuſceptores aleatorum, uſurarii, & aliis hujuſmodi vitiis implicati. In rebus autem occultis inquiſitionem in ſpeciali ne faciat, ex qua infamia oriri poſſit, ſed ut eſt a jure communi diſpoſitum inquirat.

Tx. in cap. qualiter, & quando, el. 2. de accuſ. & in cap. licet Heli de ſimonia.

## § X.

Viſitator omnia, quæ animadverſione digna repererit, effecerit, aut providerit dum exercuit viſitationem in ſuo libro deſcribat: cum vero ad civitatem, ubi epiſcopus reſidet, pervenerit, de his omnibus intra tres dies epiſcopo rationem reddat.

## § XI.

Ut vero liberius morum reformationem, quæ viſitatoribus valde commiſſa eſt, procuret, nihil quidquam viſitator ullatenus accipiet, quocumque modo ei offeratur; ornamentave, nec pro ratione petenda de hoſpitalibus, confraternitatibus, œconomiſve eccleſiarum, aut aliis ſimilibus, niſi tantum quæ ad victum, & hoſpitium ſibi, & his, qui eum comitantur, (quorum parvus numerus eſſe debet) ab epiſcopo dari conſtituta ſunt. Quod ſi ſecus fecerit, pœnas incurrat a conſtitutione concilii Lugdunenſis, quæ incipit, *Exigit*, ſtatutas, & reliquas a concilio Tridentino impoſitas: ex cujus decreto decernitur, ut ſi viſitatores ratione viſitandi baptiſmales fontes aliquid acceperint, illud in foro etiam conſcientiæ, reſtituere tenentur; Hoc tamen decreto non prohibetur, ne notarii, & computatores, quos ſecum duxerint, id exigere poſſint, quod ex taxa hujus ſynodi eiſdem debetur, ratione actorum, & ſcripturarum, rationumque, ſeu computorum, in quibus ſe exercuerint.

Vide conc. citata ſupra §. 1. Tx. in cap. exigit de cenſib. lib. 6. Seſſ. 24. c. 3. de reform. Tolet. act. 2. c. 7. & Lim. 3. act. 4.

## § XII.

Quamvis ex jure, & ex decreto concilii Tridentini, eccleſiæ, & oppida, quæ viſitantur, epiſ-

Seſſ. 24. c. 3. de reform.

*ANNO CHRISTI 1585.*

epiſcopis, aut eorum viſitatoribus, ratione procurationis, ſibi, & his qui in ejus comitatu ſunt, congrua victualia ſuppeditare debeant: & in hoc etiam archiepiſcopatu, & provincia conſuetum ſit, Tamemes (bajulos ſcilicet homines) jumentave, ſine ulla mercede tribuere, ut ex uno oppido in aliud, quæ ad hoc neceſſaria ſunt, exportentur: nihilominus hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ut poſthac epiſcopi, ſive eorum viſitatores, cum viſitaverint, juſtam mercedem bajulis hujuſmodi, aut aliis Indis, pro ſe, & jumentis, quæ ad hoc adhibuerint, perſolvant, pro diſtantia, quæ eſt inter unum, & alterum oppidum, & terræ conſuetudine attenta; ita ut omnes intelligant vitari id omne, quo ſubditi vexari, aut moleſtari videantur; ac præterea ea ſolum viſitatores proponere, quæ animarum ſaluti maxime conveniunt.

## § XIII.

*Caziques, y Tequitlatos.*

Ne Indi, viſitationum occaſione * a proceribus moleſtentur, ſtatuitur, ac jubetur, ut viſitatores in ſcriptis annotatum ſuis nominibus relinquant quidquid pro ſuis, & eorum, qui eos comitantur victualibus ſumptus fecerint: quo poſſit œconomus, ſi ſæcularis fuerit, regiis magiſtratibus, ſi ab eiſdem petatur, rationem reddere, aliter pro modo culpæ graviter puniatur.

# LIBRI QUINTI TITULUS II.

*De calumniatoribus.*

## §. I.

*De hoc tit. Granat. tit. de calumn. n. 1. 2. & 3. quo refor. Conc. Mex. 2. in c. 79. Lex reg. 4. tit. 17. lib. 8. recopil.*

GRAVISSIMA injuria tribunalibus irrogatur, quæ Deus in eccleſia ſua pro adminiſtranda juſtitia conſtituit; dum his nonnulli ad ſuas vindictas, & flagitia abutentes, dolo malo innocentes criminantur. Cui malo remedium afferre volens hæc ſynodus præcipit, ut ſi aliquis articulos dederit; aut calumnioſam accuſationem, per ſe, vel interpoſitam perſonam contra aliquem clericum obtulerit, in caſibus, quibus juxta juris diſpoſitionem calumnioſa talis accuſatio reputabitur; iiſdem pœnis criminator plectatur, quibus puniendus eſſet accuſatus, vel denuntiatus, ſi contra eum probaretur. Ac præterea in omnibus expenſis, & damnis condemnetur, quæ accuſato, vel denuntiato inde provenerint, & in pondo quinquaginta, quorum medietas ei, qui calumniam paſſus eſt, tribuatur.

## §. II.

Si quis accuſaverit, aut denuntiaverit, ſive clericus ſit, ſive ſæcularis, & injuriam ſuam non fuerit proſequutus, ab eo articuli ne admittantur, nec accuſatio pro ſua recipiatur; ſed fiſcali tradetur, qui ad ejus proſecutionem tenebitur, in his caſibus, & eo modo, qui titulo de officio procuratoris fiſcalis continetur, & non aliter. Ultra ea tamen, quæ ibidem diſpoſita ſunt, ſæcularis clericum fidejuſſorem ad id præbeat, qui ſæcularis ſi in probatione defecerit, expenſas, & pœnam prædictam, ſe ſoluturum promittat: aliter ejus accuſatio nequam admittatur.

## §. III.

Quamvis is, qui calumnioſe fuerit accuſatus, calumniatorem non accuſaverit, poſſint judices (ſi caſus id poſtulat, eiſque videatur) contra calumnioſum criminatorem ex officio procedere, eumque pro merito culpæ condemnare.

*ANNO CHRISTI 1585.*

## §. IV.

Quoniam vero ſæpe Indi nomine communitatis, aut particularium, articulos contra nonnullos clericos dare ſolent, decernitur, ac jubetur, ut attento quod cum Indis decretum de fidejuſſoribus exhibendis, & pœnis ſupra nominatis in rigore exequendum non eſt, fiſcalis cauſam ſuſcipiat, eamque proſequatur, etiam ſi Indi ab ea deſiſtant; ita ut fiſcalis ac jure eorum ſe protectorem oſtendat: ea tamen conditione ſtatuta, ut (Indis deſiſtentibus) hujuſmodi proſecutio, nec fieri, nec inchoari, nec inchoata deſeri a fiſcali poſſit; niſi prius ſententia, & conſenſus epiſcopi præceſſerit, cujus paternæ prudentiæ hæc ſynodus relinquit, ut quid hac in re magis Dei honorem, & indigenarum protectionem, exceſſuumque coercitionem conveniat, attente conſideret.

# LIBRI QUINTI TITULUS III.

*De ſimonia.*

## § I.

ETSI ab ipſo renaſcentis eccleſiæ initio, ſemper ſimoniæ vitium abominabile, & execrabile fuerit, ac ſacris canonibus prohibitum, gravibuſque pœnis punitum; tamen ea fuit hominum malitia, ut diverſis fraudibus, & fallaciis ſua ſimoniaca pacta occultare, & palliare procurent. Quod malum in hunc archiepiſcopatum, & provinciam adeo graſſatum eſt; tam ad præſentationes, quæ in his partibus fiunt, obtinendas, quam ad eas in curia catholicæ majeſtatis procurandas, ut conveniens remedium, & opportunum ſibi afferri poſtulet: de quo providere volens hæc ſynodus præcipit ne quiſquam eccleſiaſticus, ſive ſæcularis cujuſcumque dignitatis, conditioniſve exiſtat, pacta, conventioneſve faciat, aut pecunias promittat, aliave ſtrenarum nomine, ſi præbenda obtineatur; aut mercedis prætextu, pro ſollicitudine, aut ad obtinendum favorem quorumcumque aulicorum, ſollicitatorumve, aut procuratorum, ſeu aliarum perſonarum eis propinquarum, qui præſentationes hujuſmodi conferre debent; nec ſcripturas nomine debitorum aliis de cauſis contractorum concedat, aut alios concedere faciat; quibus eos, qui ſe obligaverint, indemnes ſervaturum promittat, ratione ejus ſummæ quam perſolverint; nec aliter quovis modo de ſimilibus paciſcatur per ſe, nec per interpoſitam perſonam. Quos omnes hæc ſynodus ſimoniacos declarat; & qui hæc commiſerit, pœnas a jure ſtatutas, & a felicis recordationis Pio papa quinto motu proprio confirmatas incurrere decernit; quæ quidem pœnæ hæ ſunt: videlicet ipſo jure privatos eſſe beneficio, aut præbenda, hac ratione ab eis obtenta, ac præterea inhabiles reddi ad alia quæcumque beneficia obtinenda, necnon ad reſtitutionem fructuum omnium, atque redditum ab eis receptorum teneri. Itidem ipſo facto incurrunt



*ANNO CHRISTI 1585.*

runt excommunicationem majorem, a qua niſi in articulo mortis ab alio quam a ſummo pontifice abſolvi non poſſunt.

## § II.

Declarat præterea hæc ſynodus, hos qui præſentationem obtinent per illicita hujuſmodi media impetratam, non fore admittendos ad ſimilia beneficia, ſive præbendas quas obtinuerint. Hæc ſynodus admonet, eiſdemque pœnas a felicis recordationis Pio papa V. innovatas notas facit; eorumque conſcientias graviter onerat, quatenus animadvertant, teneri ſe ad reſignandum beneficia, & fructus male perceptos reſtituendum: necnon eoſdem exhortatur, ut ab hoc nequiſſimo vitæ ſtatu reſipiſcant, ad illudque acerrimum, ac tremendum Dei judicium mentis oculos convertant.

## § III.

*Milan. 1. ubi ſupra.*

Epiſcopis vero, quo omnis ſimoniæ ceſſet occaſio, monet hæc ſynodus, ut familiaribus ſuis, ratione officiorum quæ exercent, certam mercedem conſtituant, ne illi hoc ſubſidio deſtituti, beneficia eccleſiaſtica, tamquam ſuæ operæ, & laboris pretium præcipue ſibi proponant: Fraudari tamen eccleſias non vult hæc ſynodus probatorum hominum miniſterio, ſi qui ſunt in epiſcoporum familia, quibus ob ſuam doctrinam, & pietatem utiliter beneficia, ſive præbendæ conferri poſſunt. Qua in re epiſcopis vehementer commendatur, ut familiarium merita, & doctrinam examinent, ita ut bene meriti non graventur, ſi eis familiares epiſcoporum præferantur. Cum in eccleſiarum damnum, & tertiæ perſonæ incommodum familiaribus ſatisfaciendum non ſit, quando ſacros lapides, caliceſve, aut ornamenta benedicta, vaſque aureum, aut argenteum, quod intus ſanctorum reliquias contineat, vendi contigerit; præcipitur, ut ratione conſecrationis, benedictioniſve, aut reliquiarum, nihil quidquam pretii exigatur, nec majori pretio hæc divendantur, quam eo, quo materia aut opus æſtimabitur, ſub pœnis contra ſimoniacos ſtatutis.

*Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. de reform. cum motu proprio Pii V.*

## §. IV.

Qui beneficia, ſeu parochias, multis, & ambitioſis precibus, donis, promiſſionibus, favoribuſve ad epiſcoporum gubernatores, aut examinatores allatis petierint, pro illa vice reddantur inhabiles ad tale beneficium, ſeu præbendam obtinendam: in quo eorum conſcientias reſpective hæc ſynodus valde onerat.

# LIBRI QUINTI TITULUS IV.

*De hæreticis.*

## § I.

PERPENDENS hæc ſynodus quam grave peccatum ſit, eos a fide catholica deficere, qui divina favente miſericordia e tenebris idololatriæ, & gentilitatis ad lucem evangelii eruti, fidem Chriſtianam in ſacro baptiſmate profeſſi ſunt; quæ a fide defectio, in his præſertim gravior culpa eſt, qui aliorum duces, & magiſtri cum ſint, eos pervertunt, & a veri Dei cultu ad idola adoranda, & dæmones colendos ſeducunt: graviter, moleſteque ferens, & eam, quæ noſtræ fidei irrogatur, injuriam, & tot animarum jacturam; necnon intimis viſceribus cupiens; * nativis Indis tamquam novellis in eccleſia plantis in fide roborentur, afferre remedium. Attendens præterea nimiam epiſcoporum indulgentiam, quæ paterna pietate canonum rigorem temperantes, hactenus blanditiis, potius quam ſeveritate, ad viam ſalutis trahendos Indos exiſtimarunt, non ſolum Indis utilem fuiſſe, imo eis occaſionem præbuiſſe, ut projecta quadam audacia ad ſuos errores, & antiquas ſuperſtitiones (quod pleriſque in partibus hujus provinciæ experientia docet) redirent. Timens denique quam grave damnum converſioni, & conſervationi Indorum in fide Chriſtiana proveniret, ſi hæc pœnis impoſitis non reprimeretur audacia: ſtatuit, ac præcipit prælatis omnibus hujus provinciæ, ut diligentiſſime inquirant, ac ſciſcitentur de hujuſmodi idololatris, præſertim dogmatiſtis, & errores inter alios diſſeminantibus. Quod ſi poſtquam eos pie monuerint, & corripuerint, nihilominus in ſuis perſeverare erroribus comperiantur, rigide contra eos procedant; eaſque pœnas applicent, quas magis convenire judicaverint, & ad horum emendationem, & ad aliorum remedium. Paternæ autem epiſcoporum providentiæ hæc ſynodus committit arbitrium qualitatis pœnarum: monens eos, ne pœnas pecuniarias imponant, quæ nec gravitati delicti, nec Indorum paupertati reſpondent; ſed · · corporalibus pœnis coerceant, quibus ſolum eorum ſaluti conſultum videatur. Necnon vehementer epiſcopis eorum cura commendatur, cum in die tremendi judicii, de animabus ſibi commiſſis, omnipotenti Deo rationem ſint reddituri.

*ANNO CHRISTI 1585.*

*Naturales Indios.*

# LIBRI QUINTI TITULUS V.

*De uſuris.*

## § I.

QUI volunt divites fieri, ait apoſtolus, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Hinc eſt, quod multi his Indiarum partibus appulere, inſatiabili * quoad divitiarum ſiti, & cupiditate excœcati, qui facile ſe his contractibus implicant, unde majus lucrum reportari poſſe ſperant; nihil curantes juſti ne, an injuſti contractus illi ſint. Quod fit, ut conſtitutionis vinculo, non ſine magno animarum periculo obligentur, ob nimiam difficultatem, qui aliena quæ retinent bona veris eorum dominis reſtituant. Quare hæc ſynodus ardenti ſalutis animarum, quarum cura epiſcopis commiſſa eſt, deſiderio flagrans, a viriſque prudentia, & experientia probatis intelligens, tricas varias, variaſque fraudes lucri cupiditate in his partibus inventas, quibus injuſtitia, quæ dolo malo in proximum exercetur, occultari, ac palliari poſſit; quantum valet, omnes hujus provinciæ fideles in domino exhortatur, ut rationem, quam Deo in die tremendi judicii reddituri ſunt, certamque animarum ſuarum damnationem, ſi injuſte aliena bona uſurpant, ob oculos ponentes, viros doctrina & vita probatos conſulant; eiſque modum, quem in negotiando, & contrahendo tenent, aperiant; atque eos ſolum contractus exerceant, ad ſecuritatem conſcien-

**Concertandarum.*

ANNO CHRISTI 1585.

ſcientiæ, quos juriſperiti hujuſmodi licitos probaverint. Sed ne poſthac injuſti contractus, ſub juſtorum ſpecie lateant, ac de eis ignorantia præſumatur, hæc ſynodus, quid de aliquibus contractibus, quorum frequentior eſt in hac provincia uſus, ac de quibus permultæ difficultates propoſitæ occurrunt, juxta juris diſpoſitionem, faciendum ſit, exponit, atque declarat. Aliorum vero contractuum diſcuſſionem ad directorium confeſſorum, ab ea probatum refert, ut tam confeſſarii, quam pœnitentes in his omnibus dirigantur.

§ II.

Primus caſus.

Tr. in leg. reg. 5. tit. 21. lib. 5. & lex 2. 3. tit. 24. lib. 5. recop. Quando eſte decreto ſe ordeno ſe havia alterado el enſaye de la plata: como lo eſta agora: por orden de ſu mageſtad.

Quia is contractus in hac provincia frequens eſt, vendendi (ſcilicet,) aut credendi argentum ad certum tempus, ut æſtimato juxta legem regni pretio, ſexaginta tominorum pro unaquaque argenti marca, venditi, aut crediti, argenti pretium in moneta regalium præfinito tempore ſolvatur. Hæc ſynodus illegitimum tunc eſſe contractum hujuſmodi declarat, quando argentum valorem a lege conſtitutum non attingit, ſcilicet, denariorum undecim, & granorum quatuor. Quia ad dilatam ſolutionem, argentum minoris valoris eodem pretio vendere, quo argentum pretioſius, & valorem a lege æſtimatum pertingens divenditur, contractus illegitimus eſt, & uſurarius. Majori enim pretio in eo argentum venditur, ratione dilatæ ſolutionis, quam a lege præſcribitur, & pecunia numerata vendi poteſt. Hoc igitur genus contrahendi ſynodus damnat, illicitumque, & uſurarium decernit, idemque tale judicari, & reputari mandat. Reos vero, & in hoc contrahendo delinquentes eccleſiaſtici judices corrigant, omnique juris rigore puniant: in eoſque & in eorum bona pœnas omnes exequantur, quas contra uſurarios, & feneratores ſtatutas invenerint. A confeſſariis vero minime abſolvantur, niſi poſt plene factam reſtitutionem eorum, quæ ex illicito, & uſurario contractu perceperunt, & acquiſierunt, ab hujus generis contractu omnino abſtineant.

§ III.

Secundus caſus.

Aliquando vero argentum undecim denariorum, & quatuor granorum valorem attingens, in pecunia numerata juſto legis pretio vendi non poteſt, dilata vero ſolutione juſtæ legis pretio venditur, cujus contractus juſtitiam, vel injuſtitiam perpendens hæc ſynodus, ex varietate circumſtantiarum, aliorumque plurium poſſe variari: quo fit, ut de eo certa definitio dari non poſſit: volenſque fideles hujus provinciæ ad rectam juſtitiam dirigere, & conſcientiæ detrimenta, ac proximi damna vitare; ſtatuit, ac jubet, ut tam in contractibus hujus generis factis, quam in his, qui in poſterum fient, ante omnia contrahentes conſulere debeant, & conſulant viros vita, & ſcientia, conſcientiaque probatos, theologos, aut juriſperitos; quibus circumſtantias, motiones, & cauſas contractuum hujuſmodi aperiant, eorumque ſententiam, & conſilium ſequantur, ut de contractus hujuſmodi juſtitia tuti in conſcientia ſint; Quod ſi ſecus fecerint, valde eorum conſcientiæ ab hac ſynodo onerantur.

§ IV.

Porro, quia etiam huic ſynodo [illegible]

eſt, ob pecuniæ penuriam, & urgentem neceſſitatem, permultos præſertim eo tempore, quo claſſis in Hiſpaniam proficiſcitur, mutuo pecunias non invenientes, ut ſuis creditoribus ſatisfaciant, ſolere ad id permutationes facere, merces ad dilatam ſolutionem ementes, quas in pecunia numerata minori pretio divendant; ſæpeque nullis mercibus intervenientibus, quæ re ipſa emptioni, aut venditioni ſubjiciantur, ficte convenerint, & contrahunt; ad certum terminum ſolvere ſe obligantes ſummum pretium, quo falſo præſupponitur merces emptas fuiſſe, cum re vera in pecunia numerata aliquam tantummodo ſummam recipiant, & ad certum tempus majorem ſummam reddituros, obligatione ſe devinciant. Qui quidem contractus, ſive merces fingantur intervenire, & vendi, cum nec interveniant, nec divendantur; ſive argentum ſit, quod emi confingitur juxta pretium legis, viliuſque vendi ratione numeratæ pecuniæ; ab hac ſynodo declaratur illicitus, & uſurarius, quia in eo minor ſumma pecuniæ mutuo datur, cum obligatione reddendi majorem. Reliquæ vero conventiones, in quibus, ut dictum eſt, vera emptio, vel venditio non intervenit, fraudulentæ, & ſolum ad palliandas uſuras inventæ decernuntur. Quare hæc ſynodus præcipit, ut qui contractibus hujuſmodi ſe implicaverint, * & proxenitæ, qui in eis intervenerint, pœnis contra uſurarios ſtatutis puniantur: judices autem eccleſiaſtici diligentiſſime inquirant de hujuſmodi delinquentibus, ut rei tam pernicioſæ, & quæ ſic palliata, & velata facile committitur, remedium adhibeatur.

* Corredores. Proxenetæ.

§. V.

Præterea, quoniam permulti homines illicitum eſſe intelligentes vendere aliquid ad dilatam ſolutionem majori pretio, quam in pecunia numerata in venditione mercium, pretium, quod ſummum appellatur, ratione dilatæ ſolutionis ad aliquod tempus excedendo, qui contractus uſurarius eſt: ut illum committant, varios quærunt colores, & fallacias; purpuram, cacaum, & ſimiles alias merces majori pretio ad dilatam ſolutionem divendentes, quam pecunia numerata æſtimantur, & fortaſſe majori, quo eas ad dilatam ſolutionem crediderunt. Idcirco hæc ſynodus juxta juris præſcriptum decernit, ac declarat, in his, & aliis mercibus, in quibus divendendis multi ſeſe exercent, eaſque nulla neceſſitate compulſi pecunia numerata divendunt, unde * verum pretium, quo in pecunia numerata æſtimantur, liquido conſtare poteſt uſuram committi ab illo, qui eas ad dilatam ſolutionem majori pretio vendiderit, quam ſummo, & eo, quo in pecunia numerata venduntur; nec non cauſa non obſtante, qua ſe communiter excuſant, eo quod nullum pretium in pecunia numerata conſtitutum ſit, delinquentes hæc ſynodus puniri mandat, pœnis contra uſurarios impoſitis. Itidemque fiat cum illis, qui ad dilatam ſolutionem magnam quantitatem cacai, alteriuſve generis mercium collective majori pretio vendunt, quam in pecunia numerata collectæ in unum merces hujuſmodi divenduntur. Hoc enim eſt juſtum pretium iſtiuſmodi mercium; non autem illud, quod ſi minutatim divenderentur, pro eis reperiretur. Pretium ſi quidem mercium, quæ minute divenduntur ob laborem, periculum, & induſtriam majus eſt, quam earum, quæ collectim emuntur. Quapropter ſi contra-

* Seu ob verum.



ANNO CHRISTI 1585.

trahentes, hac executione non obſtante, eadem pœna plectendi ſunt, qua illi, qui carius ob dilatam ſolutionem, quam pecunia numerata merces extrudunt.

§. VI.

Quoniam vero caſus alii permulti, qui in his partibus paſſim inter negotiandum occurrunt, quique ſpecialem circumſtantiarum indaginem requirunt, ut probentur, vel condemnentur, huic ſynodo propoſiti ſunt; eos ad directorium, & examen confeſſariorum refert. Idque negotii, confeſſoribus datur, ut directorio ſynodi hujus auctoritate probato, in diſcuſſione iſtorum caſuum utantur.

LIBRI QUINTI TITULUS VI.

*De ſortilegis.*

§. I.

Mex. 1. c. 5. Guadix tit. 5. conſt. 20. & tit. 6. conſt. 44. Milan. 1. p. 1. tit. de magicis artibus, & Granat. tit. de ſort. n. 1.

MAGNA in Deum verum committitur offenſa, in quo totius noſtræ miſeriæ conſiſtit remedium, quique omnipotens eſt, & ſumme ſapiens, ſi ſortilegi, malefici, ariolive conſuluntur, ab eiſque futuri inquiruntur eventus. Quæ res acerrime in ſacra ſcriptura reprehenditur, & divina lege prohibetur. Eam ob cauſam hæc ſynodus interdicit, ne quiſquam cujuſcumque conditionis exiſtat, auguribus, ſortibuſve utatur, circulis, aut incantationibus, ad futuros rerum eventus prænoſcendos; nec cuiquam filtra, aut veneficia propinet, ut ad amorem, vel odium incitetur; aliterque, qui ſecus fecerint, flagellabuntur, mitraque capite impoſita in publicæ ignominiæ ſigno punientur; aut juxta qualitatem delinquentium pœna pecuniaria plectentur, ita ut epiſcopi arbitrio gravitati culpæ pœna reſpondeat.

bebedizos.

§. II.

Milan. 1. & Granat. ubi ſupra.

Nemo etiam ſortilegos, veneficos, incantatoreſve hujuſmodi adeat, ut eorum maleficiis, ſeu veneficiis utatur: aliter ſolennem aget pœnitentiam die feſtivo, dum miſſa conventualis in ſua parochia celebratur: ubi detecto capite, ſine pallio, & nudis pedibus, fune præcinctus, candelamque incenſam in manibus tenens, ſtet; ibique publice ſententia in eum lata legatur: & præterea ſi Hiſpanus fuerit, duas argenti marcas perſolvat fabricæ eccleſiæ, accuſatori, & piis operibus applicandas. Poterunt tamen judices cum illis miſericorditer agentes pœnas hujuſmodi moderari, qui ſponte ſua, ſine cujuſquam a accuſatore ad eos confugerint, delictum a ſe commiſſum accuſantes, necnon in eodem caſu pro qualitate perſonæ, corporalem pœnam, in aliam commutare poterunt.

a Forte, accuſatione. H.

§. III.

Guadix. tit. conſt. 23. & Granat. tit. de ſortil. n. 2.

Nemo itidem impoſterum eorum officium exerceat, qui per verba, aut per benedictiones mederi morbis dicuntur, Hiſpanice (*ſaludadores, enſalmadores, o ſantiguadores*) nuncupati: nec preces, aut orationes publice in plateis, & in eccleſiis recitet; niſi prius ab epiſcopo examinatus facultatem obtineat: aliter juxta juris formam punietur: ut permultæ ſuperſtitiones exterminentur, quæ ab hujuſmodi hominum genere in his exercendis permiſceri ſolent.



LIBRI QUINTI TITULUS VII.

*De maledicis.*

§. I.

Mexic. 1. c. 49. & Mila. 1. 1. p. tit. de blaſphemo.

UT corruptela, qua in Dei offenſam multi inaniter jurant, funditus tollatur, maxime oportet, ut eccleſiaſtici viri vitam ſuam quoad hoc emendent, mores reforment, bonumque vitæ exemplum aliis præbeant. Quare clericis omnibus hujus provinciæ hæc ſynodus mandat, ut habita Dei, ac domini noſtri, ejuſque ſanctorum nomini reverentia, in vanum, & abſque neceſſitate ne jurent: immo quos ſic jurare audierint, ipſi moneant, & exhortentur, quatenus juramentis abſtineant. Quod ſi clericus aliquis jurare conſueverit abſque neceſſitate, ut dictum eſt, arbitrio epiſcopi punietur.

§. II.

Grave admodum eſt, & ſevero ſupplicio dignum, ut ii qui Dei honori, & cultui addicti ſunt, in illud perditionis barathrum prolabantur, ut in divinam majeſtatem, ejuſque ſanctos furioſe paſſim blaſphement. Quare cum ſacris canonibus, & regiis legibus in ſæculares blaſphemantes, graves pœnæ inſtitutæ ſint: æquius multo erit, ut contra eccleſiaſticos blaſphemos pœnæ itidem decernantur. Itaque hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ut ſi aliquis clericus tantum ſcelus commiſerit, ſevere his pœnis puniatur, quæ in concilio Lateranenſi ſub Leone decimo, conſtitutione, quæ incipit, *Statuimus*, ſtatutæ ſunt, & a felicis recordationis Pio papa quinto in ſpeciali ſua conſtitutione innovatæ: eæ autem ſunt, quæ ſequuntur.

Lex reg. 1. 2. & 7. tit. 27. lib. 8. recop.

Concil. Lateranen. ſub Leone X. tomo 5. concil. general. & motus proprius Pii V. §. ad abolendam. Milan. 1. par. 1. tit. de blaſphem. & ſynod. de Quiroga conſt. 107.

§. III.

Clerici Deum, & dominum noſtrum blaſphemantes, ſi beneficiati ſint, & hoc delicto convicti, pro prima, & ſecunda vice, beneficiorum fructibus unius anni mulctentur: pro tertia vero ipſo facto ſuſpenſi ſint, & beneficiis privati, ac præterea tamdiu in exilium relegentur, quamdiu epiſcopo videbitur. Si vero beneficiati non ſint, & hoc ſcelus primo admiſerint, pecuniaria, aut corporali pœna epiſcopi arbitrio punientur: ſi ſecundo, carcere includentur: ſi tertio, degradentur, & in triremes conjiciantur.

§. IV.

Si vero in ſanctos blaſphemaverint, pœna arbitrio epiſcopi relinquitur, pro qualitate blaſphemiæ, & circumſtantiarum.

LIBRI QUINTI TITULUS VIII.

*De injuriis, & damno dato.*

§. I.

Conc. Lim. 3. act. 2. c. 7.

NE ita rerum ordo perturbetur, ut ab illis injuriæ irrogentur, qui deberent innocentes, & miſerabiles perſonas tueri, atque defendere; cum experientia comprobatum ſit, ex bellis,

lis, & irruptionibus, quæ in regiones infidelium fiunt, graviſſima damna oriri; ſtatuit, ac præcipit hæc ſynodus, ne ullus clericus in hujuſmodi irruptionibus milites comitetur, ſine expreſſa epiſcopi facultate, ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ac præterea arbitrio ordinarii aliis pœnis puniatur. Idemque obſervari a religioſis monet, cum tanti ponderis negotium ſit. Si ſæcularis clericum percuſſerit, aut in eum manus violentas injecerit, præter excommunicationis ſententiam a canone, *Si quis ſuadente*, inflictam, & ſatisfactionem, quam parti facere debet, triginta pondo mulctetur in ſumptus juſtitiæ, fabricæ cathedralis eccleſiæ, & hoſpitalis uſus æquis partibus erogandis. Quod ſi clericus ſuam injuriam non accuſaverit, id fiſcalis efficiat, ob injuriam libertati eccleſiaſticæ illatam. Si vero clericus ſæcularem percuſſerit, in eum epiſcopus juxta modum culpæ arbitratu ſuo animadvertat. Cui hæc ſynodus vehementer commendat, ut eo ſupplicio delinquentem hujuſmodi afficiat, ex quo populus intelligat, dignas ſuis exceſſibus pœnas ab hujuſmodi reis dari.

Tx. in cap. ſi quis ſuadente 17. q. 4. Gran. tit. de injuriis n. 1. & 2.

§. II.

Nihil magis eorum curæ a Deo commiſſum eſſe, epiſcopi, & gubernatores harum provinciarum, & regnorum exiſtimare deberent, quam ut Indos recens in fide natos, intimo animi affectu, viſceribuſque paternis protegerent, atque defenderent; corporalibus, & ſpiritualibus eorum commodis conſulentes. Indorum enim innata manſuetudo, ſummiſſio, & aſſiduus labor, quibus Hiſpanorum utilitati deſerviunt, cujuſcumque efferatæ gentis animos inducerent, ut eorum potius defenſionem ſuſciperent, miſeriis compaterentur, quam, ut eos moleſtiis, injuriis, violentiiſque illatis, quibus quotidie ab omni hominum genere diu vexantur, afficerent. Quod perpendens hæc ſynodus, dolenſque vehementer in his pietatem, & humanitatem non eſſe, in quibus maxima eſſe deberet; quantum poteſt in domino cohortatur gubernatores, & magiſtratus regios hujus provinciæ, ut cum miſerabilibus Indis pie, benigneque agant; miniſtrorum ſuorum, & eorum, a quibus Indi moleſtiis, & gravaminibus afficiuntur, inſolentiam reprimant, ut ab his, Indi non ſervi, ſed liberi exiſtimentur. Quoniam vero ad hujus ſynodi notitiam varia gravaminum genera pervenerunt, quibus Indi, tam in bonis, quam in propriis perſonis afficiuntur; hæc declarantur, & apponuntur in directorio confeſſorum ab hac ſynodo approbato, eademque nota fiunt tam magiſtratibus, ut in poſterum emendentur, & viros doctos conſulant, ab eiſque de reſtitutione, & ſatisfactione ob damna hactenus illata Indis in foro conſcientiæ facienda, ſciſcitentur, quam confeſſariis, ut quos contumaces invenerint, ſeque emendare nolentes, nec ſatisfactionem, ut decet, facere, minime abſolvant: obſervantes ea, quæ de damnis, & moleſtiis Indis illatis, directorium hujuſmodi docet, in quibus omnibus adimplendis hæc ſynodus conſcientias onerat, prævaricatoribuſque hujuſmodi, iram omnipotentis Dei in die tremendi judicii minatur.

Limenſ. 2. c. 118. & 3. act. 3. c. 3. Tx. in cap. 1. cum ſeqq. 87. d. & in c. admoniti 23. q. 5. & tx. in c. abentiſo, ut differentes Indi ſ. final. colla. 9. Tx. in extravag. 2. de Judæis. Joannis 22. & in extra. commun. de multis prerogat. & privileg. conceſſis neophytis, & noviter ad fidem converſis. Eſt conſt. 19. Pauli III. Bulla Pauli PP. III. data Romæ nonis Junii, 1537. & vide Joſephum de Acoſta lib. 3. de procuranda Indorum ſalute c. 17. Conc. Lim. 2. c. 122. 123. & 125. & 141.

## LIBRI QUINTI TITULUS IX.

*De pœnis.*

§. I.

POENÆ ad coercendas culpas legibus ſtatutæ ſunt; ideoque perſonis, de quibus leges loquuntur, accommodari debent. Quare hæc ſynodus paupertate, & puſillanimitate Indorum attenta, juxta id, quod per regiam majeſtatem ſtatutum eſt, præcipit, de Indis pœnæ pecuniariæ, ob quodcumque delictum imponantur, nec pecuniariis pœnis, his decretis, Indi comprehendi intelligantur. Quod ſi in caſu aliquo judici videretur pœnam hujuſmodi, omni alia ad exceſſus ſui remedium alicui convenientiorem eſſe, eam ne imponat ſine epiſcopi facultate, & cum maximo moderamine, eccleſiæque, cujus Indus parochialis eſt, tantummodo, & non alteri mulcta hujuſmodi applicetur: ſin minus judex tantumdem fabricæ ejus eccleſiæ perſolvat, cui pœna erat applicanda.

Mex. 1. c. 42. ſ. 1. & Lim. 3. a. 4. c. 7.

§. II.

Quando epiſcopus, aut alius judex in pœnam delicti clericum in aliqua parte diſtributionum quotidianarum condemnaverit, ne hujuſmodi condemnatio fruſtratoria ſit, præcipitur, ut alii præbendati delinquenti remittere non poſſint, nec ei condonare quod ratione ſententiæ contra eum latæ amiſit, ut titulo de beneficiatis, & eorum officio habetur.

Tolet. 3. c. 30.

§. III.

Porro declaratur, & exponitur, ut quandocumque in decretis hujus concilii de curatis ſæcularibus, & regularibus mentio fit, & pœna aliqua imponitur, eam tantummodo incurrere ſæculares curati intelligantur. Nam curati regulares, ex decreto concilii Tridentini, cujus executio valde epiſcopis commendatur, corrigi debent.

Seſſ. 25. c. 11. de regular.

## LIBRI QUINTI TITULUS X.

*De concubinatu, & pœnis concubinariorum, & lenonum.*

§. I.

GRAVE eorum ſcelus eſt, qui cum ſcandalo populi publice in concubinatu vivunt; graviſſimum vero eorum, qui cum conjuncti ſint matrimonio, ſacramento injuriam irrogantes, fidemque violantes, quam conjuges invicem ſervare debent, in hoc nequiſſimo vitio verſantur. Eamque ob cauſam ſacroſanctum Tridentinum concilium ſevere contra hos procedendum juſſit. In cujus executionem ſtatuit, ac mandat hæc ſynodus, ut judices eccleſiaſtici diligentiſſime inquirant, an aliqui publice in hoc ſtatu vivant; contra eoſque pœnas a jure ſtatutas exequantur; eoſdem aggravantes ratione contumaciæ, reincidentiæ, & gravitatis culpæ, & reorum, ita ut a peſſimo hujuſmodi ſtatu deſiſtant, & a periculo animarum, in quo ſunt conſtituti recedant. Quod ſi femina, quæ in hoc ſtatu vivit conjugata

Mex. 1. c. 43. & Guadix tit. 5. conſt. 19. & 20. Seſſ. 24. c. 8. Lex reg. 1. 2. 3. & 5. tit. de los amancebados lib. recopil.



gata ſit, & poſtquam ter fuerit admonita non obedierit, graviter pro ratione culpæ puniatur; ab eoque oppido, aut diœceſi ſi epiſcopo viſum fuerit, invocato ad id (ſi opus fuerit) brachio ſæculari, [a] ut eſt a concilio Tridentino diſpoſitum. Quod ſi ii, qui in concubinatu degunt, ambo ſoluti ſint, ultra pœnas a jure ſtatutas, aliis arbitratu epiſcopi coerceantur.

Mex. 1. c. 81. [a] Forte deeſt, ejiciatur. H. Seſſ. 24. c. 8.

§. II.

Præcipitur quoque, ut ſi aliquis in concubinatu cum conſanguinea intra quartum gradum, aut cum infideli verſetur; pœnam excommunicationis latæ ſententiæ incurrat, & ab epiſcopo pro qualitate delicti puniatur.

Mex. 1. c. 43. Juxta tx. in c. cum ſecundum leges de hæreticis lib. 6. & lex 7. tit. 20. lib. 8. recop.

§. III.

Declaratur quoque non ſolum illum, qui in eadem domo cum concubina cohabitaverit, pœna in concubinarios ſtatuta comprehendi; ſed etiam quemcumque in peccato hujuſmodi conſtitutum, ſi delictum juxta formam juris probari poſſit. In quo epiſcopi, & eccleſiaſtici judices omni Chriſtiana prudentia ſe gerant, prout rei ratio poſtulat.

Guadix tit. 5. conſt. 19.

§. IV.

Diligenter cavendum eſt, ut a populo Chriſtiano, tanquam a meſſe zizaniæ, lenonum, & lenarum peſtis extirpetur, qui tanquam laquei quidam diaboli hominum animas illaqueant in interitum. Idcirco jubetur, ut ſi quiſquam in hoc pernicioſo delicto fuerit primo deprehenſus, publicam pœnitentiam faciat, & in ſcala ad portam eccleſiæ mitra in ignominiam capiti impoſita, tamdiu, quamdiu epiſcopo videbitur, ſtet: ſi ſecundo, publice verberibus percutiatur, mitramque in ſignum publicæ ignominiæ geſtet; epiſcopique arbitratu in exilium mittatur.

Granat. de ſortilegis n. 4.

§. V.

Perpendens hæc ſynodus gravius, turpius, & pernicioſius eſſe, [b] tam in eccleſiaſticis, quam in ſæcularibus continentiæ vitium, cupienſque ut ii non ſolum ab omni vitæ inhoneſtate abhorreant, ſed ab omni periculo, ſuſpicione impudicitiæ alieni, ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem revocentur: ex decreto concilii Tridentini ſtatuit, ac præcipit, ne ullus clericus ſacro ordine initiatus, cujuſcumque qualitatis exiſtat, in domo, aut extra domum concubinam tenere audeat, nec ſimilium mulierum domos frequentet, aut cum ipſis conſuetudinem habeat. Quod ſi aliqui primo a ſuperioribus moniti ab his non abſtinuerint, ſi beneficia eccleſiaſtica obtinent, fructuum, & proventuum beneficiorum ſuorum tertia parte, ipſo facto, privati ſint. Qui fructus fabricæ eccleſiæ, aut alii pio loco arbitratu epiſcopi applicentur. Si vero ſecundo admoniti in eodem delicto, cum vel eadem, vel cum alia femina perſeverantes adhuc non paruerint, non tantum fructus, & obventiones ſuorum beneficiorum amittant, qui prædictis locis applicentur; ſed etiam a beneficiorum ipſorum adminiſtratione (quoad ordinarius etiam, uti ſedis apoſtolicæ delegatus arbitrabitur) ſuſpendantur. Quod ſi ita ſuſpen-

[b] Videtur redundare, tam. H. Seſſ. 25. c. 14. Mex. 1. c. 51. ſ. 1. 2. & 4. & Guadix tit. 5. conſt. 18. ſynodal de Quiroga conſt. 38. & Limenſ. 3. act. 3. c. 19.



ſi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, ac officiis, & penſionibus quibuſcumque, honoribus, & dignitatibus eccleſiaſticis perpetuo priventur; atque inhabiles, ac indigni his, & quibuſcumque in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem, ab eorum ſuperioribus, cum iis ex cauſa fuerit diſpenſandum; ſed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio hujus decreti executionem impediat, aut ſuſpendat. Nomine vero beneficiorum, de quibus decretum hoc mentionem facit, quamcumque Indorum adminiſtrationem a clericis obtentam comprehendi hæc ſynodus declarat.

Limenſe 3. act. 3. c. 19. ad finem.

§. VI.

Clerici vero hoc peccato delinquentes, qui beneficia eccleſiaſtica, aut penſionem non habent, juxta delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem ab ipſo epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſve modis juxta ſacros canones puniantur.

§. VII.

Quoniam vero aliqui cum mulieribus conjugatis in concubinatu verſantur, ut liberius in ſuo nefario ſcelere perſeverent, exiſtimantes contra ſe minime procedendum, ne ſimilium feminarum adulterium in apertum proferatur: hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ut quando maritus, ejus quæ in concubinatu cum clerico verſatur, conſcius delicti fuerit, ad punitionem delicti, ſicut in aliis concubinatibus fit, procedatur. Quando vero crimen uxoris ad mariti notitiam minime veniſſe comperiatur, juxta concilii Tridentini decretum jubetur, ut ſi delictum publicum ſit, & delinquentes ter admoniti ea de re ſe non emendaverint, ad puniendum delictum procedatur, ea tamen adhibita cautela, ne nomen conjugatæ mulieris in proceſſu evulgetur ad evitandum damnum, quod inde ortum habere poſſet. In modo autem procedendi in caſibus ſimilibus, is ordo ſervabitur, qui ordinarii arbitratu magis expedire videbitur. Ejus enim prudentiæ erit, remedio coercere, & ita de remedio in delictis providere, ut nullum inde naſcatur incommodum.

Seſſ. 24. c. 8. Mex. 1. c. 51. vide ſupra ſ. 1.

§. VIII.

Porro, ſi clericus, (quod abſit) incontinenter vixiſſe cum ſua ſerva comperiatur, cum ipſo facto amiſiſſe dominium ejus ſervæ hæc ſynodus declarat: de cujus ſervæ pretio epiſcopus diſponet in uſus piorum operum. Ac præterea jubetur clericus puniri juxta juris rigorem; ſi vero ex ea filios procreaverit, ipſo facto ab omni ſervitute liberi ſint.

Mex. 1. c. 51. ſ. 3.

§. IX.

Ut aliquorum clericorum malitiæ occurratur, qui cum famulabus incontinenter cum vixerint, eas ſuis famulis, aut aliis, in uxorem dant, qui in eodem delicto eaſdem verſari patiantur; hiſque fallaciis ſua flagitia occultare contendunt: præ-

Lex reg. 3. tit. 19. lib. 8. recopil.

ANNO CHRISTI 1585.

præcipit hæc ſynodus, ne clerici in ſuis domibus famulas prædictas tenere poſſint: aliter ducentum pondo pœnam incurrant, piis operibus, accuſatori, & juſtitiæ ſumptibus æque applicandorum. Si vero in contumacia delicti perſeveraverint, privatione etiam beneficiorum, & inhabilitate ad ea obtinendum, necnon exilio ad arbitrium epiſcopi plectantur. Quo vero clerici omnem incontinentiæ ſuſpicionem effugiant, interdicit hæc ſynodus, ne clerici, maxime illi, qui in oppidis Indorum commorantur, feminam aliquam ſuſpectæ ætatis in famulatum adhibeant, nec per diuturnum tempus, nec per menſes, nec per hebdomadas: ſed ad id, vel viri alicujus ſervitute, vel feminæ in ea ætate conſtitutæ utantur, de qua nulla poſſit haberi ſuſpicio. Clerici itidem, qui ex ſuis regionibus, aut aliunde pro gerendis negotiis ad civitatem diverterint, honeſtas domos, & minime ſuſpectas ſibi in hoſpitium quærant, in eiſque commorentur, aliter ab ordinario punientur, cujus rei executio eidem valde commendatur.

Mexic. 1. c. 51. cum §. 1. & Limen. 3. act. 3. c. 19. ad finem.

§ X.

Conc. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 11. Mexic. 1. c. 51. §. 5. & Guadix tit. 5. conſt. 21. & Tolet. act. 3. c. 19. ad finem, & Gran. tit. de filiis presbyter. & ſynod. de Oſma tit. 8. conſt. 1. §. 9.

Ut omnis a populo auferatur occaſio, omneque in eo veſtigium deleatur, quibus ſacerdotum fama ullatenus maculari poſſit; ſtatuit hæc ſynodus, ac præcipit, ne ullus clericus cujuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtat, præſens interſit baptiſmo, nuptiis, miſſæ novæ, aut exequiis ſui filii, vel filiæ, aut ſui nepotis, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio: nec educare, aut in ſuis domibus eos, nec etiam ſuos generos tenere poſſit, neque eos ſibi in comitatu adhibere. Præſertim vero in eccleſia, ubi beneficia, ſeu præbendam obtinet, eos minime teneat in grave aliorum ſcandalum. Quotieſcumque vero ſecus fecerit, triginta pondo perſolvat, eaque ſumptibus juſtitiæ, accuſatori, & judici, ſi accuſator deſit, æquis partibus applicentur. Epiſcopis vero, & judicibus eccleſiaſticis valde commendatur omnia adimplere, quæ contra filios clericorum concilium Tridentinum decrevit.

Seſſ. 25. c. 15.

# LIBRI QUINTI TITULUS XI.

## *De ſententia excommunicationis.*

§. I.

Seſſ. 25. c. 3. de reform. Mex. 1. c. 14. ſynod. de Quiroga conſt. 21 & con. Milan. 4. 3. p. tit. de foro epiſc. Granat. tit. de ſent. excommun. n. 6. 7. 8.

CUm excommunicationis ſententia pœna valde gravis ſit, & gladius ſalutaris, quo eccleſia utitur, ut fideles in officio contineantur, & a vitiis revocentur; levi de cauſa exercendus non eſt, ne magis contemni, quam formidari videatur. Quapropter ex decreto concil. Tridentini præcipit hæc ſynodus, ne excommunicationes pro rebus furto ſubtractis decernantur, ſi res illæ ablatæ quinquaginta pondo valorem non attingunt: de quo valore per informationem, aut juramentum partium conſtet, necnon aliis adhibitis diligentiis arbitratu epiſcopi ſufficientibus, quibus non obſtantibus, res hujuſmodi recuperari minime potuerunt, & non aliter. Excommunicationes etiam ad effectum manifeſtandi rem aliquam occultam, niſi in re gravi, & magni momenti, quæ præſtitis omnibus diligentiis aliter revelari non poteſt, minime concedantur. Quod ſi excommunicationes hujuſmodi petantur lite aliqua inchoata, vel ad teſtes, vel ad alicujus rei ad litem ſpectantis declarationem, niſi citata parte minime concedantur: quibus illi ſolummodo ligentur, qui in favorem ejus, ad cujus inſtantiam excommunicatio decreta eſt, aliquid noverint: præterea pro rebus in facto conſiſtentibus, & permanentibus, veluti pro limitibus, finibus, aut metis, pro jure paſcendi, ſcindendi, aut venandi, aliiſve rebus ſimilibus, quæ aliter de jure decerni poſſunt, ne concedantur.

ANNO CHRISTI 1585.

§. II.

Seſſ. 25. c. 3. Mila. 4. 3. p. tit. de ... epiſc. ... vero ... generali & ſynod. de Oſma tit. 5. conſt. 1. §. 11. & ... de Quiroga aſſ. 5. c. 4. Granat. tit. de ſent. excommun. n. 6 Granat. tit. de ſent. excomm. ... & ſynod. de Quiroga conſt. 18.

Porro ſtatuitur, ac jubetur, ne excommunicationes hujuſmodi pro rebus furtivis, vel ad effectum revelationis ab alio, quam ab epiſcopo, ut concilio Tridentino conſtitutum eſt, decernantur: & tunc non alias, quam cauſa diligenter, & mature per epiſcopum examinata, ſub pœna pondo triginta fabricæ eccleſiæ, accuſatori, & piis operibus applicandorum. Quam pœnam incurrat judex eccleſiaſticus, qui id propria auctoritate effecerit, (non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine.) Nullatenus autem cenſuræ hujuſmodi, aut aliæ, citationeſve in albo expediantur, ut fraudes, & falſitates, quæ inde ortum habere poſſunt, omnino vitentur.

§. III.

Ut excommunicati ab aliis fidelibus evitentur, & hoc modo incitati, quam primum ſibi remedium quærant, & a peſſimo ſtatu, in quo verſantur liberari procurent, ſtatuit, ac mandat hæc ſynodus, ut in unaquaque parochia in loco publico, ubi legi poſſit, tabella una collocetur, quæ nomina ſcripta contineat eorum, qui in tali parochia excommunicati ſunt. Parochi vero, aut ſacriſtæ ſingulis dominicis diebus infra miſſarum ſolennia tempore offertorii, excommunicatos hujuſmodi denuntient; aliter quoties in hoc negligenter egerint, pondo dimidium fabricæ eccleſiæ perſolvant. In reliquis vero eccleſiis, & monaſteriis hoc item annuntiari curent, ut ubique notifiant, & a divinis officiis arceantur.

§. IV.

Gran. tit. de ſent. excom. n. 1 & ſynod. de Quiroga conſt. 19.

Quia vero nonnulli adeo obſtinato animo ſunt, ut ſpirituale detrimentum contemnentes, per multum tempus in excommunicatione, aut in aliis eccleſiaſticis cenſuris inſordeſcant; ſtatuit, ac præcipit hæc ſynodus, ut ſi aliquis clericus per decem dies excommunicatus, aut ſuſpenſus permanſerit, pondo duo perſolvat: ſi per viginti dies, pondo quatuor: ſi per menſem, pondo ſex: ſicque cum tempore contumaciæ pœna etiam accreſcat. Quæ quidem mulcta fabricæ eccleſiæ, & executori æque applicetur. Hoc tamen declaratur, ne ſcilicet per totum tempus prædictum excommunicatus clericus hujuſmodi fructus, & obventiones beneficii ab eo obtenti lucretur. Si vero per annum cenſura innodatus perſeveraverit, carcere includetur; & contra eum, uſque ad beneficii privationem procedetur, & aliis etiam pœnis plectetur quas epiſcopus judicaverit.

§ V.



ANNO CHRISTI 1585.

§. V.

Lex reg. 1. tit. 5. lib. 8. recop. & ſyn. de Quiroga conſt. 19. ad finem. Seſſ. 25. c. 3. de reform.

Si vero aliquis ſæcularis in excommunicatione per menſem, aut per majus temporis ſpatium, poſtquam ei fuerit notificata, inſorduerit, pœnas a jure ſtatutas incurrat: ſi vero per annum in dicta excommunicatione perſeveraverit, in eum tamquam de hæreſi ſuſpectum ex decreto concilii procedetur.

§. VI.

Mex. 1. c. 13. ſynod. de Quiroga conſt. 20.

Cupiens hæc ſynodus, ut nullus in excommunicationis ſtatu perſeveret, videnſque ex eo aliquos in eo permanere, quod ad civitatem, ſeu oppidum, ubi judex habitat, quod valde diſtare ſolet, accedere debeant abſolutionem recepturi; aut ex eo, quod ratione abſolutionis ab excommunicatione, aliqua recipiant ſalaria, aut recipi patiantur; facultatem quoque curatis dat abſolvendi quaſcumque perſonas ab excommunicationibus pro rebus furtivis decretis, ſi eis conſtiterit de ſatisfactione partium, tam quoad ſortem principalem, quam quoad expenſas. Abſolutionem autem, ſi notoria ſit excommunicatio, aut excommunicatus denuntiatus fuerit, conferent coram notario, & teſtibus: idemque intelligatur ab eis poſſe fieri ad inſtantiam partis, abſolvendo eos, quos pars abſolvi conſenſerit in totum, vel ad reincidentiam.

§. VII.

Tx. in cap. Alma mater de ſent. excom. lib. 6.

Ne miniſtri eccleſiæ, aut aliæ quæcumque perſonæ ob ignorantiam efficiant quod tempore interdicti, aut ceſſationis a divinis jure prohibitum eſt, hæc ſynodus juxta contenta in capitulo *Alma mater*, declarat ab eis ſequentes regulas obſervari.

¶ Tempore apoſtolici, ſeu ordinarii interdicti, miſſa, & alia divina officia celebrentur clauſis januis, & ab eccleſia interdictis, & excommunicatis excluſis; tantummodoque clericis non conjugatis admiſſis.

¶ Ex ſacramentis vero hæc adminiſtrentur; videlicet, baptiſmus parvulis & adultis conferatur; confirmatio omnibus; pœnitentia ſanis, & ægrotis; euchariſtia ægrotis tantummodo cum eadem ſolennitate, quæ ſervatur in tempore quando non eſt interdictum; matrimonii quoque ſacramentum per verba de præſenti; benedictio tamen nuptialis eo tempore conferri non poteſt. Extrema unctio nulli poteſt tunc miniſtrari; ſepultura vero in loco ſacrum ſolum clericis non conjugatis, qui non fuerint violatores interdicti concedatur.

Guadix tit. conſt. 23. & 24.

¶ In die nativitatis domini, reſurrectionis, & pentecoſtes, & in feſto corporis Chriſti cum octava, & in die aſſumptionis beatæ Mariæ, ſicut in literis apoſtolicis Eugenii quarti, & Martini quinti continetur, interdictum tollatur: dies autem prædicti cum omni ſolennitate celebrentur, a primis uſque ad ſecundas veſperas.

*Tempus ceſſationis a divinis.*

Tempore ceſſationis a divinis hæc obſerventur.

¶ Primo, ceſſatione a divinis ſtante, eo in loco divina officia celebrari non poſſint in ulla eccleſia, ſed omnino ceſſent.

Si

Guadix dicto tit. 3. conſt. 23. & 24. De hac mat. conſule: Barr. de Medina in ſum. c. 11. §. 14 & Hieronym. Curiel, tract. de ceſſatione a divinis p. 164. & Joannem Gutt. in qq. canonicis c. 10. Anton. Gomez late in expoſit bullæ cruciatæ clauſula 5. & 6. an. 20. fol. 59. colum 2. & poſt clauſulam 11. ibi fol. 121.

¶ Secundo, ad ſacram euchariſtiam renovandam, ſingulis octo diebus, ſacerdos (uno adhibito miniſtro ſecreto) poterit miſſam celebrare.

¶ Tertio, quoad horas recitandas, eas ſinguli ſolum recitent, non autem bini, privilegiatis exceptis.

¶ Quarto, quoad baptiſmum, tam parvulis, quam adultis cum omni ſolennitate neceſſaria conferatur, ac ſi non eſſet interdictum, nec ceſſatio a divinis; itidemque fiat de ſacramento confirmationis.

¶ Quinto, quoad ſacramentum pœnitentiæ, tam ægrotis, quam ſanis, miniſtretur.

¶ Sexto, euchariſtia ad infirmos ſolenniter, & pulſato cymbalo, etiam ſi divina officia non recitentur, deferri poterit.

¶ Septimo, extrema unctio nulli poſſit perſonæ conferri.

¶ Octavo, eccleſiaſtica ſepultura presbyteris concedi poterit in cœmeterio, non intra eccleſiam.

¶ Nono, matrimonium per verba de præſenti contrahi poterit, benedictiones tamen nuptiales nequaquam dentur.

¶ Decimo, & ultimo, quoad literas apoſtolicas, & privilegia aliquibus conceſſa, ut his temporibus miſſam audire poſſint, illi, qui ea obtinent, ſi tantum ſibi ad tempus interdicti conceſſa ſunt, tempore ceſſationis a divinis literis, & privilegiis hujuſmodi ne utantur, & vice verſa: obtinentibus tamen literas, & privilegia hujuſmodi valde commendatur, ut antequam eis utantur, viros doctos conſulant, & de literis, & privilegiis hujuſmodi inquirant, ad quæ ſe extendant, [a] & per bullam cruciatæ, vel aliter ſint revocata; ne formam in eis præſcriptam excedant, & eis, ut decet, ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo utantur. Item in his locis, ubi in privatis domibus ſacrum peragi conſuevit, una ſolum miſſa ſingulis diebus celebrari poſſit.

a] *Forte*, & an per bullam, H.

# LIBRI QUINTI TITULUS XII.

## *De pœnitentiis, & remiſſionibus.*

§ I.

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1 & 6. de ſac. pœnitent. Mex. 1. c. 8. Guadix tit. 2. a conſt. 19. cum ſeq. Mila. 1. p. 2. quæ pertinent ad ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrat. Granat. tit. de pœn. & remiſſion. ſynod. de Quiroga conſt. 11.

MAgni ponderis, & momenti in eccleſia eſt, toto conatu ad id incumbere, ut homines, qui in ſtatu innocentiæ minime perſeverantes ab eo ceciderе, ſancti pœnitentiæ ſacramenti beneficio reſtituantur, & revocentur. Quia vero in hoc miniſterio verſari non minus difficile, quam ſalutare eſt, hæc ſynodus confeſſarios omnes exhortatur, & monet, ut ſui officii memores, æternam animarum ſalutem, quæ ſibi commiſſa eſt, omni Chriſtiano zelo procurent; taleſque ſe gerere contendant, ut aliis beatitudinis januam aperientes, ipſi ab ea non excludantur. Quo vero in hoc officio exercendo melius dirigantur, hæc decreta proponuntur.

§ II.

Conc. Milan. 4. p. 2. tit. quæ pertin. ad ſact. pœnit. Idem Milan 5 tit. quæ ad pœnit. ſacram.

Nullus ſacerdos, ſive ſæcularis, ſive regularis, ex quocumque privilegio, aut conſuetudine ſæcularium perſonarum, etiam ſacerdotum confeſſiones audire poteſt, nec idoneus ad id reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab epiſcopo per examen, ſi illi videbitur eſſe

ne-

ANNO CHRISTI 1585.

neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat juxta præſcriptum concilii Tridentini, cujus auctoritatem ſequuta hæc ſynodus, omnibus hujus provinciæ ſacerdotibus, tam ſæcularibus, quam regularibus jubet, ut ſine approbatione, & facultate diœceſani ſacramentum pœnitentiæ ne adminiſtrent: aliter confeſſiones factas irritas declarat, & pœnitentes a peccatis non eſſe abſolutos: ac præterea hi, qui ſecus, ut dictum eſt, confeſſiones audierint, pro qualitate delicti, & ſacrilegii hac in re commiſſi, punientur. Itidem declarat hæc ſynodus illos confeſſarios, quibus epiſcopus limitatam facultatem ad certos perſonarum ſtatus conceſſerit, reputari idoneos non debere, ad aliarum perſonarum confeſſiones audiendas. Nec per bullam cruciatæ eligi poſſint in confeſſarios ab aliis, quam ab hujuſmodi perſonis. Confeſſiones vero, ſi quas audierint, facultatem, & approbationem ſuam excedentes, irritæ ſunt, & nullæ.

pertinent, & S. Carolus Borrom. in tract. de hoc tit. editam quem refert Antonius Poſſevinus lib. 3. [illegible] c. 23. fol. 286. Seſſ. 23. c. 15.

## § III.

Ad tollendas difficultates, quæ oriri poſſunt, declarat hæc ſynodus confeſſarios omnes ex licentia epiſcopi expoſitos, ſi is obierit, in eadem facultate, & auctoritate remanere, donec a ſede vacante, aut ab epiſcopo ſucceſſore facultas hujuſmodi revocetur, aut limitetur.

Mexic. 1. c. 9. & Gran. tit. de pœnit. & remiſſ. n. .. & 5. & ſynodal. de Quiroga conſt. 12. & prov. ejuſdem act. 3. c. 4. & Lim. 3. act. 2. c. 14. Adverſus ſ... [illegible] ſæculares, tam regulares in hoc ſacrilegii delicto incidentes, excommun. pœnam infligit. conc. 4. Mil. p. 2. tit. quæ pertinent ad ſacram pœnit. verb. ex conſ. Provinc. de Quiroga act. 3. c. 27. prout Caſarittit. 2. conſt. 3. & Gran. tit. de pœnit. & remiſſ. n. 2. conc. Mil. 3. fo. 591. verb. ſi pœnitens & 4. tit. quæ pertinent ad ſacram pœn. verb. demonſtret. & Syn. de Oſmatit. 3. conſt. 5. §. 8. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de confeſ.

## § IV.

Quo vero libere, & integre confeſſarius convenientem medicinam culparum morbis afferre poſſit, nulloque affectu, quominus id præſtet, impediatur; præcipit hæc ſynodus, & interdicit, ne ullus confeſſarius quidquam a pœnitente accipiat, cum is ad ſua peccata confitendum accedit, vel ſtatim poſtquam ea confeſſus eſt, ita ut ejus rei cauſa dari intelligatur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Ac præterea teneatur in foro conſcientiæ reſtituere id, quod hac de cauſa accepit, fabricæ ejus eccleſiæ, in qua confeſſiones audit. Si vero primo de hoc delicto convictus fuerit, ab hujuſmodi officio per annum ſuſpendetur: ſi ſecundo, per duos annos: ſi tertio, ad audiendas confeſſiones in perpetuum inhabilis reddetur, & a beneficio, ſi illud obtinet, privabitur: ſi vero non, tamdiu exulerit, quamdiu epiſcopo videbitur.

## § V.

Quoniam vero multi curati, & confeſſarii Indorum, vel ob imperitiam linguæ pœnitentium, vel ob alias cauſas, aliquod, vel aliqua peccata tantummodo audiunt, ut inde materia ad abſolvendum ſibi ſuppeditetur, confeſſionem dimidiantes, graveque delictum contra integritatem hujuſmodi confeſſionis committentes: hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, ne impoſterum, præterquam in mortis articulo ullus ſacerdos ante quemquam abſolvat, quam integre a pœnitente audierit, & intellexerit omne id quod opus eſt, ut integre confiteatur. Quod ſi aliquid ad pœnitentiæ ſubſtantiam neceſſarium, a pœnitente intelligere non poſſit, eum ad alium ſacerdotem in ea lingua peritiorem remittat. Si vero ſecus fecerit, pro [illegible]itate delicti punietur.

## § VI.

Æquum eſt, ut hoc ſacramentum, quæ medicina peccatorum eſt, ita decenter adminiſtretur, ut omnis ab eo peccandi occaſio abhorreat. Quare præcipit hæc ſynodus, ut in eccleſiis ſedes conſtituantur, ad mulierum confeſſiones audiendas; ita ut inter confitentem, & confeſſorem tabella interjecta ſit cum foraminibus, ſeu clathris, per quos confeſſiones audiantur. Sedeſque hujuſmodi ad confitendum ita pateant, ut tam pœnitens, quam confeſſor conſpiciantur. In hoſpitalibus vero, aut eremitoriis mulierum confeſſiones ne audiantur, niſi in ſede, ut præmiſſum eſt, conſtituta id fiat. Nec ſine cauſa neceſſaria in privatis ædibus confeſſiones audiantur.

ANNO CHRISTI 1585. [illegible]

## § VII.

Sæpe evenit ex eo, quod infirmus ægritudinis ſuæ periculi non admonetur, nec ad confitendum peccata incitatur, dum ſibi conſtans eſt, eumdem poſtea ægritudine urgente, abſque peccatorum confeſſione mori, & æterno forſan ſupplicio damnari. Quare juxta motum proprium felicis recordationis Pii papæ V. hæc ſynodus ſtatuit, ac præcipit, omnibus medicis qui ad curandum infirmum jam in lecto jacentem, fuerint vocati, ut cum primum admoneant, quatenus peccata ſua confiteatur: quibus ſi per ſchedam confeſſarii non conſtiterit, ab infirmo id præſtitum eſſe, amplius quam tres dies infirmum ne viſitent. Quod ſi ſecus fecerint, pœnas in motu proprio prædicto contentas incurrant: videlicet perpetuam infamiam, privationem gradus, quem in medicinæ facultate obtinent, excluſionem a congregatione doctorum, & eorum, qui in univerſitatibus, honoris gradu inſigniti ſunt. Ac præterea decem pondo perſolvant fabricæ ejus eccleſiæ in qua infirmus commoratur. Idem etiam chirurgis injungitur, & eorum conſcientiæ imponitur, ne ſaluti corporis proſpicientes, aliquid contra ſalutem animæ conſulant, aut præcipiant. Ne vero eorum, quæ in motu proprio hujuſmodi præcipiuntur, ignorantia præſumatur; jubet hæc ſynodus, ut in omnibus cathedralibus eccleſiis hujus archiepiſcopatus, & provinciæ, quotanis initio quadrageſimæ is publicetur.

## § VIII.

Quoniam vero hæc ſynodus, ut ſufficienti doctrina confeſſarios inſtrueret, & eorum, quæ ad ſuum officium pertinent, admoneret: præſertim vero in caſibus, & difficultatibus quibuſdam ſpecialibus in hoc archiepiſcopatu, & provincia occurrentibus; cupienſque fidelium pœnitentium neceſſitati occurrere, directorium confeſſorum, & pœnitentium conſtituit, & approbavit: eam ob cauſam ſtatuit, ac jubet, ut curati omnes hujus provinciæ, tam ſæculares, quam regulares, & quicumque ſacerdotes, qui confeſſiones ſunt audituri directorium hujuſmodi ſecum habere teneantur, ejuſque formam obſervent; aliter, qui illud non habuerit, & ad aliquod beneficium concurrat, ab eo concurſu excludatur, donec directorium habeat: beneficiati vero illud non habentes, a ſuis beneficiis ſuſpendantur quo uſque hujuſmodi directorium ſibi comparent, & perlegant; Nemo autem ad majores ordines admittatur, niſi prius conſtiterit revera penes ſe habere directorium hujuſmodi, ad cujus præſcriptum examinari debeat. Examinatoribus vero præcipitur, & eorum conſcientiæ injungitur, ut ſine ulla exceptione (omni humano affectu poſthabito) decretum hujuſmodi obſervent, & executioni mandent, tam quoad examen ad ordines, facultatem celebrandi, & confeſſiones audiendi, quam quoad concurſum beneficiorum.

Mexic. 1. c. 10. Mila. 1. p. 8. tit. quæ pertinent ad ſac. pœn. miniſtr. verb. jubemus, ſyn. de Quiroga conſt. 17. & Lima. 3. act. 3. c. 37. & conſt. [illegible] 2 [illegible] 17. & [illegible] fol. 530. verb. grav[illegible] & Milan[illegible] 4. tit. quæ pertinent ad ſacram pœnit. verbo [illegible] et quinam [illegible] & ſynod. de Oſma tit. 3.



ANNO CHRISTI 1585.

conſt. 1. 5. & ſyn. Burgen. tit. de pœnit. remiſ. c. 9. Eſta eſſe directorio aprobado por ſu ſanctidad conforme a eſte decreto, y en los demas decreto donde ſe habla del. Seſſ. 14. c. 7. & can. 11. Mexic. 1. c. 9. Mil. 1. p. 2. tit. quæ pertinent ad ſacr. pœnit. adminiſtrat. verbo ad eorum etiam criminum, & Granat. ubi ſupra, & ſyn. de Quiroga conſt. 23.

## § IX.

Semper in eccleſia catholica viguit conſuetudo, qua atrociora quædam, & graviora crimina epiſcopis reſerventur, ut difficultate abſolutionis, ea ſubditi perpetrare formident. Quam ob cauſam ſanctum Tridentinum concilium decernit hanc caſuum reſervationem maxime convenire, & epiſcopos in ſua diœceſi poſſe caſus reſervare; cujus auctoritatem ſequuta hæc ſynodus, declarat in hoc archiepiſcopatu, & provincia, hos eſſe caſus epiſcopis reſervatos, a quibus nullus abſolvat, niſi ei ab epiſcopo facultas permiſſa ſit.

### *Caſus epiſcopis reſervati.*

1. IN primis homicidium voluntarium, aut abortum cum effectu procurare.
2. Qui circulis dæmones coercent, ut cum eis loquantur.
3. Qui ad magicas artes, veneficia, ſuperſtitiones, & alia hujus generis euchariſtia, oleo ſancto, lapidibus, aut altaribus, ſacriſve rebus abutuntur.
4. Qui ſacrilegium commiſerit, aut eccleſiam violaverit.
5. Qui in damnum proximi pejeraverit.
6. Qui excommunicationem ab epiſcopo, ſuperiorive, aut judicibus eccleſiaſticis decretam incurrerint; excepta excommunicatione pro rebus furtivis, quam incurrentes poſt ſatisfactionem parti factam, a curatis, & rectoribus abſolvi poterunt.
7. Qui matrimonio conjuncti altero conjuge in Hiſpania relicto in his partibus quinque annis amplius commorantur.
8. Qui matrimonium clandeſtinum contrahere attentabunt; & tam ſæculares, quam regulares, qui in eo intervenerint.
9. Qui ſolutionem decimarum, aut primitiarum, verbo, conſilio, aut opere prohibuerint.
10. Qui publice blaſphemaverint.
11. Qui inceſtum matrimonium dirimens admiſerint.
12. Sodomiam, aut beſtialitatem committentes.
13. Qui ſcripturas in præjudicium proximi depravaverint.
14. Incendiarii, qui ſcienter, & prudenter incendium admittunt, ſi adhuc publicati non fuerint: quando quidem poſt publicationem abſolutio reſervata eſt ſanctiſſimo domino noſtro papæ.

*EXCOMMUNICATIONES quoque latæ ſententiæ ab hac ſynodo ſtatutæ, quarum abſolutio epiſcopo reſervatur, ſunt hæ.*

1. QUi jubent, aut conſentiunt taurorum curſus in cœmeteriis.
2. Qui eccleſias obſident, earum januas claudunt, & ingreſſum impediunt.
3. Qui pro reliquiis ſanctorum pretium recipiunt.
4. Hiſpani, qui liberum Indorum, & ſervorum conſenſum ad matrimonium impediunt.
5. Qui in concubinatu cum conſanguinea intra quartum gradum, aut cum infideli vivunt.
6. Examinatores, qui ſuffragium, quod ſecreto tulerunt, revelant.
7. Qui clericis peregrinis teſtimonium non deferentibus, neceſſaria ad miſſam celebrandam tribuunt: judices etiam, qui eis licentiam concedunt, teſtimoniis prædictis minime recognitis.
8. Clericus, qui ex ſua regione ſine facultate diſceſſerit.
9. Qui aliqua Chriſtianæ doctrinæ documenta in ſuam linguam converſa Indis, ſine ordinarii facultate dederint.
10. Qui libros ſine licentia imprimunt.
11. Qui decimarum exactionem impediunt.
12. Qui bona alicujus capellæ, abſque eo, quod locentur, aut aliter in utilitatem capellæ exerceantur, in depoſitum dant.
13. Sæculares, qui dum divina celebrantur officia intra chori cancellos ingrediuntur, contra id, quod titulo de celebratione miſſarum prohibetur.
14. Qui matrimonium per verba de præſenti contrahere attentant ſine parocho, & teſtibus, & qui in hujuſmodi contractu intervenerint.

Hæc, quæ libris quinque certis titulis diſtinctis, ſtatuta, decreta, atque ſancita continentur, provincialis Mexicana ſynodus, ut publicum in perpetuum monumentum extet, ſubſcribi, & ſigillo in forma communiri mandavit. Mexici die decima ſexta Octobris, anno incarnationis dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto.

*P. archiepiſcopus Mexicanus. Fr. Garcia epiſcopus Guatemalenſis. Fr. Joannes epiſcopus Mechoacanenſis. D. epiſcopus Tlaxcalenſis. Fr. G9. epiſcopus Yucatanenſis. Fr. Dominicus novæ Galiciæ epiſcopus. Fr. B. epiſcopus Antequerenſ.*

In veritatis teſtimonium meum nomen ſubſcripſi.

*Doctor Joannes de Salzedo ſecretarius.*

NOs Antonius, tituli SS. Joannis, & Pauli præsbyter cardinalis Carrafa, fidem facimus, & atteſtamur ſynodum provincialem a reverendiſſimo D. archiepiſcopo Mexicano cum ſuis provincialibus eiſcopis anno domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto celebratam, a ſacra congregatione cardinalium concilio Tridentino interpretando auctoritate ſanctiſſimi domini noſtri præpoſitorum emendatam, atque aptatam fuiſſe. Ejuſque ſynodi originale apud ipſam congregationem remanſiſſe,

cum

cum quo præſens ſynodus hoc libro chartarum centum viginti ſeptem, quarum prima incipit, in nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ultima vero deſinit, Doctor Joannes de Salzedo ſecretarius, deſcripta & collata, in omnibus, & per omnia concordat. In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infraſcripto ſecretario item ſubſcribi, ſigillumque noſtrum, quo in congregationis prædictæ literis, & ſcripturis obſignandis utimur, apponi mandavimus. Romæ die vigeſimo ſeptimo Octobris, milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono. Ita eſt. A. card. Carrafa. Laurentius Frizolius ſacræ congregationis antedictæ ſecretarius de mandato. *Et eſt ſignatum ſigillo illuſtriſſimi D. cardinalis Carrafa.*

† *Locus ſigilli illuſtriſſ. C. Carrafa.*

# ** STATUTA

## ORDINATA A SANCTO CONCILIO provinciali Mexicano III. anno domini 1585.

*Ex præſcripto ſacroſancti concilii Tridentini decreto ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. verbo,* Cetera.

Reviſa a Catholica majeſtate, & a ſacroſancta ſede apoſtolica confirmata anno domini 1589.

SAncta ſynodus provincialis in civitate Mexicana, quæ provinciæ novæ Hiſpaniæ caput & metropolis eſt, legitime congregata: præſidente in ea illuſtriſſimo, & reverendiſſimo D. D. Petro Moya de Contreras, ejuſdem civitatis, & diœceſis archiepiſcopo, per cujus indictionem, & convocatorias literas eadem ſynodus, hoc anno domini milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto, inibi celebrata fuit, prout celebratur de præſenti; *Illuſtriſſimo domino archiepiſcopo metropolitano, & reverendiſſimis dominis epiſcopis ſuffraganeis, cathedraliumque hujus archiepiſcopatus, & provinciæ eccleſiarum decanis, & capitulis, omnibuſque beneficiatis, vicariis, parochis, capellanis, & clericis cujuſcumque ordinis, qualitatis, & præeminentiæ honore fulgentibus; ac quibuſvis ejuſdem provinciæ notariis, ſcribis, & officialibus, quos hic contenta concernunt, aut concernere poſſunt, in Chriſto Jeſu domino noſtro, qui vera ſalus eſt, ſalutem &c.*

Quamvis nobis Chriſtiana religio non oſtenderet quantum ſacrarum ceremoniarum ritus, & obſervantia conferat, ut animus ad divinum cultum, & veræ religionis cuſtodiam elevetur: juvat tamen plurimum communis omnium nationum conſenſus: in quibus nulla unquam fuit adeo barbara, quæ licet ſuos falſos Deos, tamquam veros colendo erraverit, primo tamen humanorum bonorum principio, & cauſæ, nempe Deo, adorationem, ac reverentiam tribuit. Sic enim ceremoniarum ritum neceſſarium eſſe gentes æſtimabant, ut in earum debita obſervantia ſpes ſuas collocarent: incuriæ autem, ac negligentiæ in eis commiſſæ adverſos eventus imputarent; eoſque præ ceteris religioſiores, & magis pios judicantes, qui ſe in earum ritu diligentiores oſtendiſſent. Quin etiam tam divina fide, quam communi experientia conſtat, exteriori ceremoniarum ſolum ad divinarum rerum contemplationem

D. Aug. lib. 10. de civitate Dei c. 4. & D. Thomas lib. 3. contra gêtes c. 120.

ſpiritum ſummopere excitari, ac ſuaviſſime ferri. Unde videmus tot in lege ſcripta ceremonias a Deo præſcriptas; illarum quidem figuras, quibus redemptor noſter, ejuſque ſacri diſcipuli uſi fuerunt, quaſque mater, ac magiſtra noſtra catholica Romana eccleſia, vel per traditionem apoſtolicam, vel ſancto zelo, ac divina providentia, ad piorum, & obedientium catholicorum ædificationem, ſuperborumque, & arrogantium hæreticorum, ac infidelium confuſionem introductas recepit: quarum quædam univerſales, ac toti eccleſiæ communes, ut in ſanctorum ſacramentorum, aliorumque cæleſtium myſteriorum adminiſtratione; quædam vero pro cujuſque provinciæ, & eccleſiæ inſtituto peculiares exiſtunt. Ut igitur non ſolum ſancta hæc metropolitana eccleſia Mexicana, ſed etiam reliquæ, ejuſdem archiepiſcopatus, & provinciæ cathedrales eccleſiæ, tam in divini cultus, & divinorum officiorum ceremoniis, quam in legibus, & ſtatutis per earum prælatos, capitula, atque miniſtros cuſtodiendis & obſervandis, omnimodam, (ut par eſt,) conformitatem habeant; atque adeo diverſitatem (quæ plurium ſæpe abſurdorum cauſa eſſe dignoſcitur) quoad fieri poſſit, fugiant; Idcirco hæc eadem ſancta provincialis ſynodus, collata ſibi a ſacroſancto concilio Tridentino, ad præmiſſa omnia, & ſingula auctoritate fungens, in ejuſdem ſancti concilii obedientiam, & executionem, ac eorum, quæ tam in miſſali, & breviario ſanctiſſimi patris noſtri felicis recordationis Pii papæ V. juſſu editis; quam in hujus metropolis, ad quam ceteræ ejuſdem provinciæ cathedrales eccleſiæ conformari, & regulari debent, erectione diſponuntur, & ordinantur, obſervantiam; ſtatuit, decernit, & mandat, ceremoniale, & ſtatuta infra ſcripta, in omnibus ejuſdem archiepiſcopatus, & provinciæ cathedralibus eccleſiis hujuſmodi inviolabiliter obſervari, practicari, ac executioni mandari. Pro cujus rei fundamento præcipit ejuſdem metropolitanæ eccleſiæ erectionem poni, tenoris (videlicet) ſequentis.

Seſſ. 24. c. [illegible] verbo, [illegible]

# INDEX CAPITUM HUJUS LIBRI.

*Sancta Mexicana eccleſia erectio.*

Prima ſtatutorum pars continet.

*CAp. I. De poſſeſſione prælati capienda, & modo.*
*Cap. II. De loco capitularium.*
*Cap. III. De decano, & ejus præeminentiis.*
*Cap. IV. De archidiacono.*
*Cap. V. De cantoris officio, ac dignitate.*
*Cap. VI. De ſcholaſtici dignitate.*
*Cap. VII. De theſaurario.*
*Cap. VIII. De canonicis.*
*Cap. IX. De integris, ac dimidiis portionariis.*
*Cap. X. De decimarum partibus, ad prælatum, capitulum, fabricam, hoſpitale, & ſervientes pertinentibus.*
*Cap. XI. De forma in admittendis ad poſſeſſionem præbendatis habenda.*
*Cap. XII. De modo, ad hoc ut præbendati noviter recepti ſciant ceremonias, ſervando.*
*Cap. XIII. De his, quæ præbendati, & alii miniſtri in divini cultus miniſterio, ac beneficiorum, officiorumque ſuorum exercitio agere debent.*

Cap.



*Cap. XIV. Qualiter omnes cathedralium eccleſiarum præbendati certis anni temporibus cappas chori geſtare debent.*
*Cap. XV. De reſpectu, & obedientia debita præſidenti, ac de ejus officio.*
*Cap. XVI. De his quæ ceremoniarum magiſter erga ingredientes chorum præſtare tenetur.*
*Cap. XVII. De ordine per capitulum capitulariter egrediens ſervando.*
*Cap. XVIII. De magiſtri capellæ officio & cantoribus.*

Secunda ſtatutorum pars continet.

*CAp. I. De capitulis in eccleſia habendis, illorumque tempore, & aſſiſtentiæ modo.*
*Cap. II. Quando, & quomodo convocanda ſint capitula ante diem.*
*Cap. III. De capitulo in choro, non niſi de levibus rebus habendo.*
*Cap. IV. De generali capitulo binis quibuſque menſibus habendo.*
*Cap. V. De negotiis gratiam, vel juſtitiam concernentibus.*
*Cap. VI. De modo, quo gratia in capitulo facta contradici poteſt.*
*Cap. VII. Quomodo negotium per ſuffragia concluſum iterum tractari non poſſit.*
*Cap. VIII. De horum ſtatutorum lectione, ac repetitione.*
*Cap. IX. Quomodo mulctæ per capitulares remitti non debeant.*
*Cap. X. De ſecretarii capitularis officio, & obligatione.*
*Cap. XI. De ſigillo capituli.*

Tertia ſtatutorum pars continet.

*CAp. I. De iis, quæ redditαum decimalium adminiſtratores agere debent.*
*Cap. II. De œconomis.*
*Cap. III. De fabricæ bonis.*
*Cap. IV. De anniverſariis, & commemorationibus.*
*Cap. V. De ſcripturis eccleſiæ, & earum cuſtodia.*
*Cap. VI. De candelis die purificationis beatæ Mariæ diſtribuendis.*
*Cap. VII. De requie, ejuſque uſu, ac tempore.*
*Cap. VIII. De iis, quæ amittit, qui prædicta requie utitur.*
*Cap. IX. De iis, quæ lucrari poſſunt præbendati, qui a prælato occupantur.*

Quarta ſtatutorum pars continet.

*CAp. I. De patitur præbendatis ægrotantibus conceſſe.*
*Cap. II. De patitur præbendatis extra civitatem conceſſo.*
*Cap. III. De iis, quæ cum præbendatis ægrotantibus, in mortis periculo conſtitutis agenda ſunt.*
*Cap. IV. Quomodo ægrotanti prælato eccleſiaſtica ſacramenta ſint adminiſtranda.*
*Cap. V. Quomodo præbendatis ægrotantibus eadem ſacramenta miniſtrari debeant.*
*Cap. VI. de campanarum pulſatione, defuncto prælato, facienda.*
*Cap. VII. De modo ſepeliendi prælatum defunctum.*
*Cap. VIII. De modo ſepeliendi præbendatos defunctos.*

Lib.

*Cap. IX. De iis, quæ quilibet capitularis agere tenetur, in prælati, vel alicujus capitularis obitu.*
*Cap. X. De injuriis verbo, aut facto illatis.*

## ERECTIO ECCLESIÆ MEXICANÆ, quæ eadem eſt, cum ceteris ejuſdem provinciæ.

JOANNES de Cummarraga, Dei & apoſtolicæ ſedis munere epiſcopus, & ſervus eccleſiæ Mexicanenſis, cujus ſub Chriſti Dei evangelio æterno militanti, gratia, & pax a Deo Patre, & ejus conſubſtantiali unigenito Filio pacis auctore, qui ſui divini corporis effuſo ſanguine donavit nobis omnia delicta, delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive, quæ in cælis ſunt. Placuit divinæ bonitati Hiſpaniarum regnis adeo celebres præficere heros, qui ne dum barbaricos enſes, ac mores, qui illorum victoriam ſequuntur e medio effugarent: verum ſui patrimonii, ac vitæ prodigi facti, remotiſſimas, & incognitas penetrarunt regiones: ac idololatriæ monſtro inde ſublato, evangelium vitæ, crucis vexillo hinc inde triumphante, Chriſtianorum magna ſtipante caterva, plaudente religione Chriſtiana magnis auſpiciis late diffuſeque plantarent. Sic ſunt ſereniſſima regina Joanna, ac illius genitus invictiſſimus Carolus maximus, imperator ſemper auguſtus, rei ſæcularis, ex Dei electione, ſolus & indubitatus monarcha: quorum cura circa hoc potiſſimum verſatur, ut omnes gentes eamdem orthodoxam profiteantur fidem, & univerſus orbis ad unius veri Dei cultum redigatur; fiatque unum ovile, & unus paſtor, atque juxta beatiſſimi Pauli oraculum unum corpus, unus ſpiritus, una ſpes, unus dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, a cunctis proclametur uniformiter. Ob hoc innumeratas quippe rates, carinas, atque triremes Scyllæ, Charybdi, ac aliis compluribus cærulei maris anguſtiis expoſuere; ob hoc ſane ineffabiles ſuorum regnorum theſauros, quaſi manu undequaque perfoſſa, per abruptas, & incultas oras, etiam nec aſſem mundani lucri inde ſperantes, Herculeo illo ſuo animo, ſæpiſſime, & affatim projecerunt: attentantes iter vel euntibus, vel redeuntibus, multis nominibus infauſtum, nullo tamen infelicius, quam quod pluries Chriſtiani nominis augmentum non contingebat: ac pene duplicabat moleſtiam, quod gentem illam omnino adverſam, & inductilem, cujus utilitati potiſſimum, tantum laboris deſudabatur. Ob hoc res utique luciſſima eſt, ſelectos viros quamplurimos, ne dum in arte militari, verum etiam in omnigena eruditione, ac pietate ad barbaros, & fere beſtialiter viventes homines deſtinarunt: alteros quidem, qui illos ſuo regali ſceptro ſubmitterent; alteros vero, qui ſacra Dei templa ædificarent, & ad ſinceram fidei veritatem radiis veræ theologiæ illuminatos illos redigerent, & immaculatam quam ædificarent eccleſiam (ſi forte diabolico inſtinctu miſceretur) a fœde barbarica appellatione vindicarent. Perſpiciebat nimirum regia prudentia id, quod veriſſimum eſt, non mediocriter ad Chriſtianæ religionis ornamentum facere, ne quid omnino canatur, aut legatur in templis, quod non graviſſimo, doctiſſimo cui-

que

ANNO CHRISTI 1585.

que placere poſſit: hoc eſt, quod non ex divinis libris hauſtum ſit, aut certe a viris eximiis profectum. Demum tanta ſolertia, tam ingenti cura, & auguſta opera hujus rei ſtudio infatigabili Chriſtiani nominis ſumpta provincia annis non paucis inſudarunt, ut illis in locis, in quibus ab incognitis ſæculis Aſtaroth, Bel, Baal, Dagon, & reliquæ * baraticæ farinæ, ſpurcitiæ colebantur, jam non niſi divinum nomen ſacri hymni, hypoſtaticæ laudes, virginei cantus, divorum panegyrici, martyrum ſanguis, virginum puritas, eccleſiæ dogmata, & pontificia jura hinc inde reſonent, atque tripudient: loquantur ipſa opera, teſtentur rem quondam profanæ blaſphemiæ, & dæmonum nominibus plenæ regiones, nunc vero inſulæ Chriſtianæ, & oppida feliciſſima Chriſto, ac * gloria militia dicata hujus felicitatis participes ſunt. Cumana, perlarum flumen, Venetia minor, ſancta Martha, Nomen Dei, Diarenum, Panama, Nicaragua, Indica Chartago, Profunda loca, Perutum, Yucatanum, Cocumellum, flumen palmarum, Hiſpanica inſula, Fernandina, Margarita, * Jaimeca, & ſancti Joannis, ac alia quam plurima loca, quædam a fluminibus, quædam vero a ducum illa conqueſtantium genealogiis nomina trahentia: quæ adeo divini cultus ſchemate fulgent, exuberantiſſimis templis, ac monachorum cœnobiis hinc inde constructis, ut vere de illis reſpectu noſtri, divinum judicium jam verificetur, *Erunt noviſſima*, &c. Hoc vero ingens divini amoris incendium, piiſſimorum horum regum ſtudio actum eſt: quibus taliter favit divina clementia, ut non ſolum regali ſceptro cunctos noſtri ævi reges antecedant; verum pietate præcipua fidem Chriſtianam præ cunctis ampliaverint. Quapropter mihi magis interea libet, illis mentem iſtam regibus dignam, quam fortunam quamlibet amplam gratulari. O felicem Chriſti populum ſi paſſim contingat tales eſſe principes, quibus Chriſti gloria nihil ſit antiquius, qui totum regium ornatum moribus, & vita refrenant; quibus etiamſi ſceptrum detrahas, tamen reges Chriſtianos agnoſcas, in quibus ſane fortuna, quam antiquitas cæcam faciebat, * occulta videtur; qui generis ſui longe clariſſima ſchemata, morum ſuorum ornamentis illuſtrant, regiam dignitatem vitæ integritate conduplicant: imperiali aquilæ neſcio quid majeſtatis additum videtur, poſtquam hi ſimiles non habentes principes totius orbis monarchiam tenent. Quid ſupereſt? niſi ut Chriſtum optimum, maximumque comprecemur, ut iſtam mentem illis, illos vero nobis quam diutiſſime ſervet incolumes. Ad tantam itaque exuberantiam (ut ad rem breviter veniamus) horum principum devenit clementia, quod Mexicanam provinciam, inter omnes regiæ ditioni ſubmiſſas, præcipuam in terra firma, quam novam Hiſpaniam nuncupamus, ſituatam, non ſolum ab barbarico illo cultu, Chriſti fide undequaque euangelizata, mundaverint; verum & ordo hierarchicus, quem Romana tenet eccleſia, in illa obſervetur. Apoſtolico ſuper hoc implorato conſenſu, epiſcopale cathedrale templum, ac parochiales, & eccleſiaſticas dignitates, canonicatus, præbendas, beneficia, & cetera hujuſmodi in ipſa erigere, conſtruere, ædificare, & fundare omnino (regio ſuper hoc habito conſilio) decreverint: atque, ut rem effectui commendarent, me inutilem, & omnino ad tantæ rei executionem inhabilem, cum apud illos plurimi non deeſſent, qui mea ſententia cum-

* f. barbaricæ

* glorioſæ militiæ

* Jamaica

* occulata

late valerent ſuis ſanctiſſimis votis ſatisfacere, ex angulo mei Franciſcani inſtituti ſemiſepultum extraxerunt, & in primum Mexicanenſem nominaverunt & elegerunt epiſcopum. Quorum piæ petitioni, & electioni ſanctiſſimus D. N. papa Clemens, hujus nominis ſeptimus, paternali affectu, ut par eſt, condeſcendens, apoſtolicas literas per manus regias, nobis ſuppeditandas ſolerti cura deſtinavit. Quas quidem literas in membramine more Romano conſcriptas, apoſtolico plumbo in filis ſericeis rubei croceique coloris pendente, ſanas, integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpectione carentes, is qui regium agebat negotium coram magno cœtu, in præcipuo templi ſacro loco, ſancti Spiritus invocato favore, nobis præſentavit. Quas quidem ea, qua decuit, reverentia, & ſubmiſſione ſuſcepimus, & legimus. Series vero earum de verbo ad verbum eſt, quæ ſequitur.

*Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* Sacri apoſtolatus miniſterio, meritis licet inſufficientibus ſuperna diſpoſitione præſidentes, univerſi orbis provincias, & loca, ea præſertim, quæ omnipotentis Dei miſericordia Chriſtianæ veritatis lucem noſtris potiſſime temporibus inceperunt agnoſcere, frequenti meditatione intendimus; ut in illis orthodoxæ fidei cultus augeatur & Chriſtiana religio propagetur, ac eorum incolæ & habitatores, venerabilium præſulum doctrina & auctoritate ſuffulti, in eadem fide ſemper proficiant: ipſaque loca, maxime inſignia, dignioribus titulis attollantur, & majoribus honoribus decorentur; præſertim cum id catholicorum regum, & etiam Cæſareæ majeſtatis pia vota expoſcunt, & cognoſcimus in domino ſalubriter expedire. Sane cum oppidum Mexicanenſe in Indiis maris Tyrrheni Indici nuncupati, olim auſpiciis claræ memoriæ Ferdinandi Arogoniæ regis, & Eliſabethæ reginæ Caſtellæ & Legionis regnorum, per dilectum filium, nobilem virum Petrum Arias militem Segovienſem, eorum gentium armorum ad eaſdem Indias deſtinatorum exercitus generalem capitanum noviter repertis, & e manibus infidelium illas tunc occupantium ereptis, ac ad ditionem, & dominium eorum, & pro tempore exiſtentium regum eorumdem regnorum redactis, illiſque in temporalibus ſubjectis, quæ eiſdem regibus dum vixerunt, & deinde cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum imperatori ſemper Auguſto, dictorum regnorum nedum heredi, & ſucceſſori, verum etiam in deſiderio orthodoxam fidem ubique exaltandi imitatori; ac ſub eorum obedientia, & dominio, ratione dictorum regnorum, ex tunc ſucceſſive eodem Petro capitaneo gubernatore permanentibus, conſiſtens, admodum inſigne exiſtat, longumque & latiſſimum, & diſtinctum territorium circumcirca habeat; adeoque in eo ultra viginti millia vicinorum, vel incolarum, quorum plures fideles, tam noviter converſi, quam etiam alii forenſes, & de diverſis mundi partibus ad illud habitandum confluentes commorentur, & reſideant: ac in eo inter alias eccleſias, monaſteria, pia loca, ex devotione regum majeſtatis, & capitanei prædictorum inibi constructa una parochialis eccleſia ſub invocatione beatæ Mariæ virginis, cum ſtructuris, & ædifi-



ANNO CHRISTI 1585.

ædificiis convenientibus, ad quam omnes ipſi fideles pro miſſis, & divinis officiis audiendis, ac eccleſiaſticis ſacramentis ſuſcipiendis, tamquam ad eorum parochialem eccleſiam recurrunt, etiam conſiſtit; ac idem Carolus imperator ſummopere cupiat eamdem parochialem eccleſiam, in cathedralem, ipſumque oppidum in civitatem Mexicanenſem erigi, & inſtrui. Nos habita ſuper his, cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus, matura deliberatione; eodem Carolo imperatore nobis ſuper hoc humiliter ſupplicante, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & ejuſdem beatæ Mariæ cæleſtis, necnon ipſius fidei exaltationem, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſupplicationibus Caroli imperatoris hujuſmodi inclinati, de eorumdem fratrum conſilio pariter, & aſſenſu, oppidum Mexicanenſe, ac parochialem eccleſiam beatæ Mariæ, hujuſmodi in cathedralem Mexicanenſem, ſub invocatione ejuſdem beatæ Mariæ nuncupandam, pro uno epiſcopo Mexicanenſi, qui inibi, & in illius civitate, ac diœceſi verbum Dei prædicet, & infideles ad eamdem fidem convertat; ac tam illos ſic converſos, quam alios prædictos fideles, in eadem fide expertius inſtruat, doceat, & confirmet: ac ſacramenta eccleſiaſtica eis miniſtret: & miniſtrari, ac prædictam erectam eccleſiam, illiuſque ædificia ad formam cathedralis eccleſiæ redigi faciat; ac in civitate, & diœceſi prædictis, collegiatas, & parochiales, ac alias eccleſias, monaſteria, capellas, hoſpitalia, oratoria, & alia loca pia; ac in illis reſpective in numero, & cum dotibus, ac qualitatibus decentibus per eum aſſignandis, ſpecificandis: majores, principales, abbatiales, conventuales, & alias dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia etiam curata, & electiva: necnon canonicatus, & præbendas, integras, & dimidias portiones, capellanias, vicarias, & alia beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ac capitula, necnon capitulares, abbatiales, conventuales, & alias menſas erigat, & inſtituat reſpective: ac alia temporalia, ſpiritualia, juriſdictionalia, & pontificalia officia, omniaque & ſingula alia, quæ alii epiſcopi regnorum eorumdem facere, & exercere conſueverunt, & quæ pro divini cultus augmento, & fidei hujuſmodi exaltatione, ipſorumque fidelium animarum ſalute expedire cognoverint, faciat, & exerceat: ac omnibus, & ſingulis aliis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, & gratiis, quibus alii epiſcopi prædicti de jure, & conſuetudine, ac alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, utatur, potiatur, & gaudeat, ac uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeat: Necnon in eadem eccleſia Mexicanenſi capitulum canonicorum, & perſonarum, epiſcopali, & capitulari menſis, ac ſigillo, & aliis inſigniis, juriſdictionibus, privilegiis, & præeminentiis epiſcopalibus, & capitularibus, erigimus, & inſtituimus: ac incolas, & habitatores dictæ civitatis cum nomine decoramus; necnon eidem erectæ eccleſiæ pro illius civitate, civitatem erectam, & pro diœceſi terras, inſulas, loca, & oppida, quæ idem Carolus imperator, vel ejus conſilium Indiarum nuncupatum, poſitis limitibus, & confinibus neceſſariis, ſtatui, & aſſignari juſſerit: ac pro clero, & populo illorum incolas, & habitatores hujuſmodi, reſpective, ac pro dote, & etiam pontificalis dignitatis, & pro tempore exiſtentis epiſcopi, illius decentiori ſuſtentatione decimas, primitias, & alia jura epiſcopalia, ſpiritualia, & temporalia de bonis, rebus, & fructibus, de quibus Carolus imperator, vel conſilium hujuſmodi ſpecificarint, & ordinaverint. Itaque idem epiſcopus Mexicanenſis in civitate, & diœceſi prædictis epiſcopalem juriſdictionem, auctoritatem, & poteſtatem exercere, ac decimas, & primitias, & jura hujuſmodi percipere, & levare, ad inſtar epiſcoporum prædictorum libere, & licite valeat, applicamus, & appropriamus: Necnon jus patronatus, & infra annum, propter loci diſtantiam, per ſe, vel alium, ſeu alios ad id etiam ante vacationes deputandos procuratores, præſentandi perſonas idoneas, tam hac prima vice, quam quoties illa pro tempore vacaverint, ad eccleſiam videlicet Mexicanenſem, nobis, & pro tempore exiſtenti Romano pontifici per nos, & illum reſpective, in ejuſdem eccleſiæ epiſcopum, & paſtorem præficiendum. Ad vero omnes, & ſingulas alias dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, canonicatus, & præbendas, portiones, capellanias, vicarias, monaſteria, prioratus, & alia beneficia hujuſmodi, eidem tempore exiſtenti epiſcopo Mexicanenſi, ac ejus vicario, ſeu officiali per eum inſtituendis, ad eaſdem præſentationes Carolo imperatori prædicto, ratione regnorum Caſtellæ, & Legionis hujuſmodi, ac pro tempore exiſtenti illorum regi, vel reginæ de ſimilibus conſilio, & aſſenſu reſervamus, concedimus, & aſſignamus; non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, decorationis, applicationis, appropriationis, reſervationis, conceſſionis, aſſignationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, nono Septembris pontificatus noſtri, anno ſeptimo.

Poſt quarum quidem literarum apoſtolicarum præſentationem, & receptionem, nobis, & per nos, ut præmittitur, factas; fuimus pro parte ſereniſſimæ dominæ Joannæ, & Caroli, ſemper auguſti, ejuſdem filii Hiſpaniarum regum debita requiſiti, ut ad complementum literarum apoſtolicarum, & contentorum in eiſdem procedendum, in prædicta noſtra cathedrali eccleſia, ad honorem glorioſiſſimæ virginis Mariæ aſſumptionis dedicata, & in dicta nova Hiſpania fabricata, dignitates, canonicatus, & præbendas, ac portiones, aliaque beneficia, & officia eccleſiaſtica quotquot, & prout melius expedire videremus, tam in civitate, quam per totam diœceſim erigeremus, & inſtitueremus. Nos igitur frater Joannes de Cumarraga epiſcopus, ac commiſſarius apoſtolicus præfatus, attendentes petitionem, & requiſitionem hujuſmodi juſtas fore, & rationi conſonas; cupienteſque ut verus, & obediens filius apoſtolica juſſa, nobis directa reverenter exequi, ut tenemur, commiſſionem præacceptavimus; & eadem auctoritate apoſtolica, qua fungimur in hac parte, præfata majeſtate inſtante, & petente; in prædicta cathedrali eccleſia Mexicanenſis civitatis in prædicta nova Hiſpania, ad honorem Dei, & domini no-

ANNO CHRISTI 1585.

noſtri Jeſu Chriſti, ac beatiſſimæ Mariæ virginis matris ejus, in cujus, ac ſub cujus titulo per præfatum ſanctiſſimum dominum noſtrum, cathedralis eccleſia eſt erecta, tenore præſentium, erigimus, creamus, & inſtituimus.

§ I.

Decanatum, quæ dignitas prima poſt pontificalem in eadem eccleſia exiſtat: qui curet, & provideat, quod officium divinum, & omnia alia, quæ ad cultum Dei pertinent, tam in choro, quam in altari, quam etiam in proceſſionibus in eccleſia, & extra, in capitulo ubicumque conventus, eccleſiæ, ſeu capituli ad illud exolvendum congregabuntur cum ſilentio, & ea, qua decet honeſtate, ac modeſtia rite, & recte perficiantur. Ad quem etiam pertinebit, iis, quibus a choro ex cauſa diſcedere convenit, & expreſſa cauſa, & non alias, licentiam concedere.

§ II.

Archidiaconatum ejuſdem civitatis, ad quem clericorum ordinandorum examinatio, prælato ſolenniter celebrante, miniſtratio civitatis, & diœceſis, ſi ſibi a prælato injungatur viſitatio, & alia, quæ de jure communi competunt, exercere pertinebit: qui in altero tamen jurium, vel in theologia ad minus bachalaureus exiſtat, in univerſitate graduatus.

§ III.

Cantoriam, ad quam nullus poſſit præſentari, niſi in muſica, ſaltem in cantu plano doctus, & peritus exiſtat: cujus in faciſtolio cantare, & ſervitores eccleſiæ cantare docere, & quæ ad cantum pertinent, & ſpectant ordinare, corrigere, & emendare, in choro, & ubicumque per ſe, & non per alium, officium erit.

§ IV.

Scholaſtriam, ad quam etiam nullus niſi in altero jurium, aut in artibus bachalaureus, in aliqua generali univerſitate graduatus exiſtat, præſentetur: qui grammaticam clericos, & eccleſiæ ſervitores, ac omnes diœceſanos audire volentes, per ſe, vel alium docere tenebitur.

§ V.

Theſaurariam, ad quam eccleſiam claudere, & aperire, campanas pulſare facere, omnia utenſilia eccleſiæ cuſtodire, lampades, & luminaria curare, de incenſo, luminibus, pane, & vino, ac reliquis ad celebrandum neceſſariis, de redditibus fabricæ eccleſiæ exponendis ad votum capituli providere, pertinebit.

§ VI.

Necnon decem canonicatus, & præbendas, quas a dictis dignitatibus omnino ſeparatas eſſe decernimus, nec unquam unam ſimul cum dignitate aliqua obtineri poſſe ordinamus: ad quos etiam canonicatus, & præbendas nullus præſentari poſſit, niſi ad ſacrum presbyteratus ordinem jam ſit promotus. Ad quos quidem canonicatus quotidie (præterquam in primæ, & ſecundæ dignitatis feſtivitatibus, in quibus prælatus, vel eo impedito aliqua de dignitatibus celebrabit) miſſam celebrare pertinebit.

ANNO CHRISTI 1585.

§ VII.

Inſtituimus inſuper ſex integras & totidem dimitias portiones; & qui ad dictas integras portiones præſentandi fuerint, ad ſacrum diaconatus ordinem ſint promoti, in quo quidem ordine teneantur in altari quotidie deſervire, necnon paſſiones decantare: Qui vero ad dimidias, ad ſacrum ſubdiaconatus, qui quidem epiſtolas in altari, & in choro & prophetias, lamentationes, & lectiones teneantur decantare.

§ VIII.

Volumus inſuper, & ſtatuimus, quod ad dignitates, canonicatus, portiones integras, & dimidias ſupradictas, vel ad aliquod aliud beneficium totius noſtræ diœceſis, nullus præſentari valeat, qui cujuſvis ordinis, privilegii, aut officii occaſione a juriſdictione noſtra ordinaria ſit exemptus: & ſi forte contigerit, exemptum aliquem præſentari, vel inſtitui, talis præſentatio, vel inſtitutio ſit ipſo jure nulla.

§ IX.

Et quia non eſt parvi momenti rectores nominare, ordinamus quod tot rectores poſſimus eligere, quot ſervitio noſtræ cathedralis eccleſiæ neceſſe fuerint: qui ad nutum noſtrum, noſtrorumque pro tempore ſucceſſorum provideri, & quando licuerit amoveri poſſint: qui exerceant in dicta cathedrali eccleſia noſtra, officium recte, & rite miſſas celebrando, confeſſiones audiendo, aliaque ſacramenta caute, & ſolicite miniſtrando.

§ X.

Ac ſex acolytos, qui acolytatus officium in altaris miniſterio quotidie, per ordinem exercebunt, ordinamus. Capellanos inſuper ſex, quorum quilibet, tam in nocturnis horis quam in diurnis, ac etiam miſſis ad faciſtolium perſonaliter intereſſe, & in unoquoque menſe miſſas viginti, niſi juſta infirmitate, vel impedimento fuerit impeditus, celebrare teneatur.

§ XI.

Præſentationem autem dictarum dignitatum, canonicatuum, portionum integrarum, ac dimidiarum, aliarumque dignitatum, canonicatuum, & portionum ſimilium futurarum, in prædicta noſtra cathedrali eccleſia creandarum, præfatis catholicis Hiſpaniarum regibus, ac eorum ſucceſſoribus, prout de jure eis competit, & auctoritate apoſtolica, reſervamus eadem auctoritate.

§ XII.

Acolytorum, & capellanorum prædictorum electionem, ſeu proviſionem, ad nos, & ſucceſſores noſtros una cum noſtro capitulo pertinere decernimus. Volumus autem, quod dicti capellani, qui pro tempore fuerint eligendi, non ſint familiares epiſcopi, nec alicujus perſonæ dicti capituli, nec fuerint tempore vacationis.





ANNO CHRISTI 1585.

§ XIII.

Officium vero ſacriſtæ, qui ea, quæ ad officium theſaurarii ſpectant, ipſo præſente, & de ejus commiſſione, & in ejus abſentia ad votum capituli exercere tenebitur.

§ XIV.

Officium organiſtæ, qui organa in diebus feſtivis, & aliis temporibus ad votum prælati, vel capituli pulſare teneatur.

§ XV.

Officium perticarii, cujus in proceſſionibus ordinare prælato, presbytero, diacono, ſubdiacono; & reliquis altari miniſtrantibus: de choro ad ſacriſtiam, vel altare, de alteri ad ſacriſtiam in chorum euntibus, vel redeuntibus anteire, officium erit.

§ XVI.

Officium œconomi, ſive procuratoris eccleſiæ fabricæ, & hoſpitalis; qui architectis, muratoribus, necnon fabris lignariis, & aliis officialibus ædificandis eccleſiis operam dantibus præerit: quique per ſe, vel alios, redditus, & proventus annuos, & quæcumque emolumenta, & obventiones, ad dictam fabricam, & hoſpitale, quovis modo pertinentia colligere, & expendere habebit; redditurus annuatim rationem de receptis, & conſumptis epiſcopo, & capitulo, vel officialibus, ab eiſdem ad hoc ſpecialiter deputatis; Necnon ad eorum nutum eligendus, vel removendus prædicta prius per eum idonea ſatiſdatione, quam ad adminiſtrationem admittatur.

§ XVII.

Officium inſuper cancellarii, ſive notarii eccleſiæ, & capituli, qui quoſcumque contractus inter eccleſiam, epiſcopum, & capitulum, & quoſcumque alios, in protocollo, & notis ſuis recipere, actus capitulares ſcribere, donationes, poſſeſſiones, cenſus, feudos, precaria per eoſdem epiſcopum, & capitulum, & eccleſiam, vel eiſdem factas, vel in poſterum faciendas annotet, & ſcribat, & inſtrumenta cuſtodiat: partes reddituum beneficiatis diſtribuat, necnon rationes reddat, & recipiat.

§ XVIII.

Officium inſuper canicularis, qui canes ab eccleſia ejiciat; in omnibus ſabbatis, & quorumcumque feſtorum vigilias habentium vigiliis, & aliis, ubi, & quando per theſaurarium ſibi fuerit injunctum, eccleſiam purgabit.

§ XIX.

De quibus omnibus, videlicet, quinque dignitatibus, decem canonicatibus, ſex integris, & totidem dimidiis portionibus, & ſex capellanis, & ſex acolytis, & officiis prædictis, quia de præſenti fructus, redditus, & proventus decimarum non ſuppetunt, theſaurariam ex dignitatibus, quinque vero canonicatus, & omnes integras, & dimidias portiones, ad præſens in dicta erectione volumus ſuſpendere. Quod ſi præfatis quatuor dignitatibus, & quinque canonicis redditus memoratæ quartæ partis ad præſens (quod non credimus) non ſuppetant; quod defuerit inter eos dividatur, ſecundum valorem præbendarum, & non numerum perſonarum; donec ad majorem quantitatem fructus pervenerint, reſtituendi ad præbendas præfatas, per nos, & noſtros ſucceſſores, ordine nobis conſiderando ad potiorem eccleſiæ noſtræ utilitatem: ita tamen, ut cum, Deo duce, ad pinguiorem fortunam fructus, & redditus noſtræ prædictæ eccleſiæ pervenerint, quam primum ad dotem theſaurariæ ſuſpenſæ applicatam deſuper creſcentibus fructibus auctum fuerit; theſaurariam eamdem, ex nunc erectam, & creatam eſſe decernimus, abſque alia nova creatione, & erectione perſonæ per eamdem catholicam majeſtatem nominandæ conferendam; & conſequenter dum fructus, redditus, & proventus ulterius augmentum receperint, tres integræ portiones provideantur: & ſucceſſive cum excreverint fructus, dictorum canonicorum numerus, uſque ad denarium numerum ſucceſſive augeatur; quo expleto, tunc reliquæ tres integræ portiones, & dimidiæ ſucceſſive ſuo ordine admittantur, & demum de redditibus ſuperexcreſcentibus, ſex acolytatus, pro ſex clericulis, qui in quatuor minoribus ſint conſtituti, & acolytorum officium in altaris miniſterio exerceant; & ſex capellaniæ ſimplices, pro ſex prædictis capellanis ſimiliter provideantur: poſt modum vero officium organiſtæ, & perticarii, & œconomi, notarii, & canicularii prædictorum dicto numero ſucceſſive, juxta ordinem literaliter præmiſſum, abſque intervallo augeatur.

ANNO CHRISTI 1585.

§ XX.

Et quia ſecundum apoſtolum, qui altari ſervit de altari vivere debet, omnibus, & ſingulis dignitatibus, perſonis, & canonicis, præbendatis, & integris, & dimidiis portionariis, capellanis, clericulis, ſive acolytis, ceteriſque officiis, & eorum officialibus, juxta numerum ſupradictum expreſſis, omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus; tam ex regia donatione, quam ex jure decimarum; aut alias quovis modo, ad eos de præſenti, aut in futurum pertinentes; videlicet ordine literario, decano, archidiacono, cantori, ſcholaſtico, theſaurario, & canonicis, necnon portionibus integris, & dimidiis, & omnibus aliis ſupra notatis, & nominatis modo ſequenti.

§ XXI.

Decano ſcilicet centum, & quinquaginta libras, *Peſos*, vulgariter in illis partibus nuncupatos, quarum librarum quælibet unum Caſtellanum aureum, quadringentos octuaginta quinque morapetinos monetæ uſitatæ Hiſpaniæ conſtituentes. Archidiacono centum, & triginta valoris ejuſdem *Peſos* ſeu Caſtellanos, & cuilibet de dignitatibus totidem; & cuilibet de canonicis centum; portionariorum cuilibet ſeptuaginta; dimidiis triginta quinque; capellanis quidem viginti; acolytis ſingulis duodecim; organiſtæ ſexdecim, & notario totidem; perticario totidem; œconomo vero quinquaginta; caniculario quidem duodecim libras auri ſimiles, totidem Caſtellanos, & morapetinos conſtituentes ex nunc, pro tunc ordine literario prout ex-

primitur ſervato, cum fructus, redditus, & proventus ſuperexcreverint, applicamus, & aſſignamus.

§ XXII.

Et quia ut dictum eſt, propter officium datum beneficium, volumus & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quod prædicta ſtipendia ſint quotidianæ diſtributionis aſſignatæ, diſtributæ quotidie intereſſentibus ſingulis horis, nocturnis pariter, & diurnis exercitiis dictorum officiorum. Itaque a decano uſque ad acolytum incluſive, is qui alicui horæ non interfuerit in choro, ſtipendio, ſive illius horæ diſtributione careat; & officialis, qui ſui officii exercitio, vel executioni deerit, mulctetur ſimiliter ſingulis vicibus pro rata ſalarii; Tales vero diſtributiones, quibus abſentes privantur, aliis intereſſentibus accreſcant.

§. XXIII.

Item volumus, & eadem auctoritate ordinamus, ut omnes, & ſingulæ dignitates, canonici, & portionarii dictæ noſtræ eccleſiæ cathedralis teneantur reſidere, & ſervire in prædicta noſtra eccleſia per octo menſes continuos, aut interpolatos; alioquin nos, vel ſucceſſores noſtri, qui pro tempore fuerint, aut capitulum ſede vacante, teneantur, eo prius vocato, & audito, ſi juſtam, & rationabilem cauſam abſentiæ non habuerit, & allegaverit; perſonatum, vel canonicatum, ſive portionem, vacantem pronuntiare; & de illo, vel illa idoneis ad præſentationem tamen præfatæ catholicæ majeſtatis, & eorum in regnis Hiſpaniæ ſucceſſorum providere. Juſtam autem abſentiæ cauſam hoc loco diffinimus: ægritudinem, dum tamen beneficiatus infirmus in civitate maneat, aut in ſuburbiis ejuſdem civitatis, aut ſi eam incurrerit ſtans extra civitatem, cum redierit aut redire paraverit ad eam, dum tamen hoc probationibus legitimis conſtet: vel cum de mandato epiſcopi, vel capituli ſimul, & pro cauſa, & utilitate eccleſiæ abſens fuerit; itaque iſta tria concurrant in hac ſua abſentia.

§. XXIV.

Volumus inſuper, & de conſenſu, & beneplacito ſereniſſimæ majeſtatis, & eadem auctoritate apoſtolica ſtatuimus, decernimus, & mandamus quod omnium decimarum, tam cathedralis, quam aliarum eccleſiarum dictæ civitatis, & diœceſis fructus, redditus, & proventus, in quatuor æquales dividantur partes, quarum unam nos, & ſucceſſores noſtri epiſcopi perpetuis, futuriſque temporibus, pro onere pontificalis habitus ſuſtentando, & ut decentius, & juxta pontificalis officii exigentiam, ſtatum noſtrum ſuſtentare valeamus, abſque aliqua diminutione pro noſtra ſpeciali menſa habeamus. Decanus vero, & capitulum, & reliqui miniſtri eccleſiæ, quos ſupra aſſignavimus, aliam quartam partem, modo præmiſſo, inter eos dividendam habeant; a quibus partibus, licet ex commiſſione apoſtolica, & longævo temporis uſu, moribus, & conſuetudine approbata, eadem catholica majeſtas tertiam partem (tertias in Hiſpania vulgariter nuncupatas) habere, & recipere integraliter conſuevit; volens erga nos ſuæ liberalitatis dexteram extendere, prout extendit circa alias partes, & circa qualitates infra expreſſas, nos, & epiſcopos ſucceſſores, ac capitulum prædictos, ut magis debitores, tanto munere refectos, efficeret; & ut pro eadem, & regiis, ejuſdem majeſtatis ſucceſſoribus preces effundere teneremur; in noſtra, & dictæ eccleſiæ noſtræ, & capituli in ſua quarta decimarum parte, liberos, & exemptos eſſe voluit; Reliquæ vero duæ quartæ partes iterum in novem dividendas partes decernimus: duas, quarum eidem majeſtati ſereniſſimæ, in ſignum ſuperioritatis, & juris patronatus, ac ratione acquiſitionis prædictæ terræ, futuris perpetuis temporibus, percipiendas, & levandas, applicamus.

§. XXV.

De reliquis vero ſeptem partibus bifariam duximus eſſe faciendam diviſionem, quarum quatuor de dictis ſeptem omnium decimarum, parochiæ noſtræ cathedralis eccleſiæ applicamus menſæ capitulari, ut melius eccleſia valeat adminiſtrari: ex quibus quatuor partibus nos, & ſucceſſores noſtri, cuilibet veſtrorum aſſignamus ſexaginta *Peſos* vulgariter nuncupatos, ſacriſtæ vero quadraginta; qui quidem rectores habeant omnes primitias, præter octavam partem, quam applicamus ſacriſtæ; qui etiam rectores quotidie in choro, miſſæ majori, ac veſpertinis horis, ſuperpelliciis induti reſidere teneantur, ut commodius animarum ſaluti ſacramenta exercere valeant; ne eorum abſentia, ſeu incuria, quis abſque aliquo ſanctæ matris eccleſiæ ſacramento incaute diſcedat: & donec fructus excreverint, ex prædictis etiam quatuor partibus, conferatur acolytis, organiſtæ, & perticario, quod ſupra dictum eſt, & quod ſuperfuerit, habeat prædicta menſa capitularis.

§ XXVI.

In ſingulis vero parochialibus eccleſiis, tam dictæ civitatis, quam totius noſtræ diœceſis, quatuor prædictæ de dictis ſeptem partibus ſimul cum primitiis, beneficiis in unaquaque dictarum eccleſiarum erigendis, & creandis applicamus: declarantes etiam ſimili modo octavam partem dictarum quatuor partium, atque primitiarum, ſic dictis beneficiis applicatarum, ſacriſtæ cujuſque parochialis eccleſiæ dictæ civitatis, & diœceſis noſtræ, eſſe tribuendam.

§ XXVII.

Volumus autem, & ordinamus quod omnibus dictæ civitatis, & diœceſis noſtræ eccleſiis parochialibus (excepta noſtra eccleſia cathedrali) tot beneficia ſimplicia creentur, & ordinentur, quot ex quantitate redituum, dictarum quatuor partium, ſic eiſdem beneficiis applicatarum, creari, & ordinari poterunt: aſſignata tamen congrua, & honeſta ſuſtentatione clericis, quibus beneficia illa conferri debent; Itaque nullus ſit determinatus dictorum beneficiorum numerus: ſed ſuperexcreſcentibus fructibus, creſcat etiam miniſtrorum copia in eiſdem eccleſiis. Quæ quidem prædicta beneficia ſimplicia ſervitoria, quæ pro tempore in dictis eccleſiis creari contigerit, ut dictum eſt, quotieſcumque contigerit vacare, quovis modo providere volumus, & ſtatuimus filiis dumtaxat patrimonialibus, deſcendentibus ab incolis, qui ex Hiſpania, dictam provinciam tranſmearunt;







aut ad eam inhabitandam in futurum tranſire contingat, donec impoſterum viſa, & cognita per nos, vel ſucceſſores noſtros Chriſtianitate, & capacitate Indorum, ad inſtantiam, & petitionem ſupradicti patroni, nunc, vel pro tempore exiſtentis viſum fuerit, Indis etiam naturalibus dicta beneficia providenda (præmiſſo prius examine, & oppoſitione, juxta formam, & laudabilem conſuetudinem in epiſcopatu Palentino hactenus obſervatam) inter filios patrimoniales, dum tamen dicti filii patrimoniales, quibus ſic de dictis beneficiis proviſum fuerit infra annum, & dimidium a die ſibi factæ proviſionis, teneantur præſentare, & oſtendere coram dictæ provinciæ appellationum judicibus, aut gubernatori pro tempore, ibidem exiſtentibus, ratihabitione dictarum catholicarum majeſtatum, vel pro tempore ſucceſſorum ſuorum, in Hiſpaniæ regnis collationem, & proviſionem, ſic ſibi prædicta forma factam; Alioquin prædicta beneficia, eo ipſo, vacare cenſeantur: Præfatique catholici reges, ſive illorum ſucceſſores, perſonas alias poſſint ad dicta beneficia juxta prædictam formam qualificatas, præſentare.

§. XXVIII.

Volumus autem, quod donec exiſtant filii patrimoniales, qui juxta præfatam conſuetudinem Palentinam, poſſint eligi ad dicta beneficia; proviſio dictorum beneficiorum fiat, ad præſentationem dictarum catholicarum majeſtatum patronorum, & non alias.

§ XXIX.

Sed quia animarum cura dictæ civitatis, ac totius noſtræ diœceſis, ad nos, & futuros ſucceſſores noſtros principaliter, & præcipue ſpectat; tamquam, qui juxta apoſtoli ſententiam, de illis in die judicii rationem reddituri ſumus, accedente ad hoc conſenſu, ac voluntate earumdem catholicarum majeſtatum patronorum prædictorum, & ſua inſtante petitione, ac auctoritate, & tenore prædictis; volumus, & ordinamus, quod in noſtra cathedrali eccleſia, & in omnibus dictæ civitatis, ac noſtræ diœceſis eccleſiis parochialibus nos, & prælati, qui pro tempore fuerint, commendemus, & injungamus animarum curam pro noſtræ voluntatis arbitrio, cui viderimus ipſarum eccleſiarum beneficiato, ſeu beneficiatis, ſeu cuicumque alii ſacerdoti, etiam non beneficiato, pro eo tempore; ac ſub illa forma, quibus nobis viſum fuerit, dictarum animarum ſaluti magis expedire; ſub divini obteſtatione judicii futuros omnes, & noſtros ſucceſſores exhortantes, & relinquentes, quod in hac commiſſione animarum, nulla ſit apud eos perſonarum acceptatio, ſed ſolum ſibi a Deo commiſſarum ovium utilitati conſulant, & ſaluti; & ut qui præfatæ animarum curæ, a nobis, vel illis præpoſiti fuerint, congruentius valeant ſuſtentari, pro ipſarum animarum ſollicitudine aliquam recipiant temporalem retributionem; applicamus eorum cuilibet primitias omnes parochiæ illius, in qua ſic curam animarum geſſerit, (relicta parte ſacriſtæ ſuperius deſignata.)

§. XXX.

Volumus inſuper, & ordinamus quod inſtitutio, & deſtitutio ſecriſtarum omnium eccleſiarum noſtræ diœceſis fiat ſemper ad nutum, & diſpoſitionem noſtram, & noſtrorum pro tempore ſucceſſorum, cum moderatione ſalarii; Si forſan prædicta pars, quæ ſibi (ut præmiſſum eſt) ſolvi debet, in magnam excreverit quantitatem. Ita tamen, quod quidquid ex octava eadem parte, illis per nos, vel ſucceſſores noſtros ademptum fuerit, in ipſius eccleſiæ fabricam, vel aliquod divini cultus augmentum ejuſdem eccleſiæ, & non in alios uſus conſumi debeat.

§. XXXI.

Similiter tres partes reſtantes de ſeptem partibus ſupradictis, in duas iterum partes æqualiter dividantur; quarum unam ſcilicet medietatem trium dictarum partium, cujuslibet dictorum oppidorum eccleſiæ fabricæ libere applicamus; reliquam vero partem, videlicet, medietatem trium dictarum partium, hoſpitalibus cujuslibet oppidi conſignamus: de qua quidem medietate, ſive parte eiſdem hoſpitalibus applicata, dicta hoſpitalia teneantur hoſpitali principali, ubi cathedralis fuerit eccleſia, decimam ſolvere. Applicamus etiam eadem auctoritate in perpetuum fabricæ noſtræ diœceſis dictæ ſanctiſſimæ Mariæ omnes, & ſingulas decimas unius parochiani ejuſdem eccleſiæ, & omnium aliarum eccleſiarum, totius civitatis, & diœceſis; dum tamen talis parochianus non ſit primus, ſeu major, vel ditior noſtræ dictæ eccleſiæ cathedralis, & aliarum eccleſiarum noſtræ dictæ diœceſis, ſed ſecundus poſt primum.

§. XXXII.

Officium vero divinum diurnum pariter, & nocturnum, tam in miſſis, quam in horis fiat ſemper, & dicatur ſecundum conſuetudiem eccleſiæ Hiſpalenſis, donec, & quouſque ſynodus celebretur.

§. XXXIII.

Volumus inſuper, & de ejus celſitudinis inſtantia & petitione ordinamus, quod portionarii ipſi vocem habeant in capitulo, una cum dignitatibus, & canonicis, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, præterquam in electionibus, & aliis a jure prohibitis caſibus, qui ſolis dignitatibus, & canonicis pertinent.

§ XXXIV.

Et inſuper volumus, & de ejus ſerenitatis inſtantia, & petitione ordinamus, quod in dicta noſtra cathedrali eccleſia, præterquam in diebus feſtivis, in quibus una tantum miſſa ſolennis celebrabitur hora tertiarum; Duæ quotidie miſſæ celebrentur, quarum una primis diebus Veneris cujuslibet menſis, de anniverſario fiat pro Hiſpaniæ regibus præteritis, præſentibus, & futuris; Diebus vero ſabbati miſſa prædicta in virginis glorioſæ honorem, pro præfatorum regum incolumitate, & ſalute reſpective celebretur. Cujuslibet autem menſis prima die

Lunæ eadem miſſa pro animabus in purgatorio exiſtentibus ſolenniter dicatur. Reliquis vero diebus prædicta miſſa de prima poſſit celebrari ad voluntatem, & diſpoſitionem cujuslibet perſonæ volentis ipſam dotare. Dictique epiſcopus, & capitulum poſſint quamcumque dotem recipere a quibuſvis perſonis ſibi oblatam pro ejuſdem miſſæ celebratione. Secunda vero miſſa de feſto, vel de feria occurrenti, ſecundum ritum Hiſpalenſis eccleſiæ vel alias, hora tertiarum celebrabitur. Et quicumque majorem miſſam celebraverit, ultra communem diſtributionem omnibus illi miſſæ intereſſentibus aſſignatam, vel aſſignandam, ſtipendium lucretur triplum, quam ad quamcumque diei horam; diaconus vero duplum, & ſubdiaconus ſimplum; & quicumque majori miſſæ non interfuerit, tertiam, & ſextam illius diei non lucretur, niſi ex rationabili, & juxta cauſa, & decani licentia, vel alterius in choro pro tempore præſidentis abſens fuerit: ſuper quo petentis licentiam, & concedentis conſcientiam oneramus. Et quicumque ſimiliter matutinis, & laudibus interfuerint, triplum lucretur, quam ad quamcumque diei horam, & inſuper ſtipendium primæ, quamvs illi non interfuerint.

### § XXXV.

Volumus inſuper, & de ejuſdem majeſtatis inſtantia, & petitione ordinamus, quod bis in qualibet hebdomada capitulum teneatur, feria videlicet ſexta, & tertia: & quod feria tertia, tractetur ibidem de negotiis occurrentibus: feria autem ſexta, de nulla alia re, niſi de morum correctione, & emendatione tractetur; & de iis, quæ ad divinum cultum debite celebrandum, & ad clericalem honeſtatem in omnibus, & per omnia, tam in eccleſia, quam extra conſervandam, ſpectent: & quælibet alia dies ad capitulum celebrandum ſit interdicta; niſi novi caſus, qui emerſerint, aliud exegerint. Per hoc autem nolumus juriſdictioni noſtræ epiſcopali, aut ſucceſſorum noſtrorum circa correctionem, & punitionem dictorum canonicorum, aliarumque perſonarum noſtræ cathedralis eccleſiæ, aliquatenus derogari, quam omnimodam correctionem, punitionem, & juriſdictionem in dictas perſonas, nobis, & dictis ſucceſſoribus reſervamus: ad inſtantiam, & petitionem præfatarum majeſtatum patronorum, & de eorum conſenſu. Item eadem auctoritate, & de ejuſdem catholicæ majeſtatis beneplacito ſtatuimus, & ordinamus quod quilibet dictæ noſtræ eccleſiæ, & diœceſis clericulus primæ tonſuræ, ad hoc ut poſſit privilegio gaudere, clericalem deferat tonſuram, unius regalis argentei magnitudinem monetæ uſualis Hiſpaniæ & per duos digitos infra aures tantum, a tergo proſequenter, ſciſſura capillos tondeat: veſtibuſque honeſtis induatur, chlamyde, videlicet vel mantello, ſeu pallio, quod vulgariter *loba* nuncupatur (*o manteo*) clauſo, vel aperto ad terram protenſis, non rubei, croceique coloris, ſed alterius honeſti coloris, quibus, tam in veſtibus ſuperioribus, quam inferioribus utatur.

### § XXXVI.

Itidem, eadem apoſtolica auctoritate, necnon de ejuſdem celſitudinis, & catholicæ majeſtatis conſenſu deliberato, quia in ipſa provincia de Mexico in nova Hiſpania vulgariter nuncupata, in civitate Mexicanenſi, & ſub invocatione beatiſſimæ Mariæ virginis aſſumptionis cathedralem eccleſiam in honorem ejuſdem virginis aſſumptionis apoſtolica auctoritate perpetuo erigimus; domos, habitatores, incolas, & vicinos, tam intra civitatem, quam in ſuburbiis ejuſdem civitatis, de præſenti, vel in futurum habitantes, & commorantes in dictæ eccleſiæ virginis Mariæ aſſumptionis parochianos deputamus, & aſſignamus, donec in dicta civitate commoda per nos, & noſtros ſucceſſores fiat diviſio parochiarum, cui etiam jura parochialis eccleſiæ ſolvere teneantur, decimas, primitias, & oblationes offerre; & a rectoribus ejuſdem eccleſiæ confeſſionis eucharistiæ, & alia ſacramenta recipere; necnon eiſdem rectoribus ſacramenta hujuſmodi conferre, & adminiſtrare & parochianis accipiendi licentiam concedimus pariter, & facultatem.

### § XXXVII.

Item volumus, ſtatuimus, & ordinamus quod conſuetudines, conſtitutiones, ritus, & mores legitimos, & approbatos, tam officiorum quam inſigniarium, & habitus anniverſariorum, officiorum, miſſarum, aliarumque omnium ceremoniarum approbatarum eccleſiæ Hiſpalenſis, necnon aliarum cujuſvis eccleſiæ, ſeu eccleſiarum, ad noſtram cathedralem decorandam, & regendam neceſſarie reducere, ac tranſplantare, libere valeamus.

### § XXXVIII.

Et quia quę de novo emergunt, novo indigent auxilio; igitur literarum ſupradictarum virtute, nobis, & ſucceſſoribus noſtris pleniſſimam emendandi, ampliandi, & ea, quæ oportuerit ſtatuendi, & ordinandi in poſterum poteſtatem reſervamus, ut poſſimus id facere de conſenſu, petitione, & inſtantia regiæ majeſtatis; tam circa quæſtionem, & taxationem dotis perpetuam, vel temporalem, & limitum noſtri epiſcopatus, & omnium beneficiorum; quam circa retentionem decimarum, vel diviſionem earumdem ſecundum tenorem bullæ Alexandri, per quam ipſis regibus Hiſpaniæ fuit facta donatio decimarum, (*licet ad præſens, per eamdem regiam majeſtatem ad alimenta nobis ſint, cum his tamen qualitatibus donata:*) Quæ omnia, & ſingula, inſtantibus, & petentibus prædictis dominis meis regina, ac regibus, dicta apoſtolica auctoritate, qua fungimur, in hac parte, & melioribus modo, via, atque forma, quibus melius poſſumus, & de jure debemus, erigimus, inſtituimus, creamus, facimus, diſponimus, & ordinamus, cum omnibus, ac ſingulis ad id neceſſariis, & opportunis; nonobſtantibus contrariis quibuſcumque & illis præcipue, quæ ſanctiſſimus dominus noſter præfatus, in ſuis præinſertis literis apoſtolicis voluit non obſtare; & ea omnia, & ſingula, omnibus, & ſingulis præſentibus, & futuris, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis fuerint, intimamus, inſinuamus, & ad omnium notitiam deducimus, & deduci volumus; per præſentes mandamus prędicta auctoritate, & ſanctę obedientię virtute, omnibus, & ſingulis ſupra dictis, & ea omnia, & ſingula, quemadmodum a nobis inſtituta ſunt, obſervent, & obſervari faciant. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas, ſive præſens publicum inſtrumentum, ex inde fieri, & per notarium publicum infraſcriptum ſcribi, & publicari, noſtrique ſigilli juſſimus, & fecimus appenſione communiri.



Datum Toleti ſub anno a nativitate domini milleſimo, quingenteſimo trigeſimo quarto.

# STATUTORUM

## PARS PRIMA.

*Caput primum.*

IN primis hæc ſancta ſynodus ſtatuit, & pręcipit: ut quando aliquis in prælatum hujus metropolis, ſeu provinciæ electus, ad capiendum ſuæ ſedis poſſeſſionem perſonaliter, ſeu per procuratorem venerit, ante omnia, bullas, ſeu literas apoſtolicas, ſuper præſentatione, per regiam majeſtatem deſuper facta expeditas decano, & capitulo præſentet. Qui poſtquam eas viderint, ac legitimas eſſe repererint, capitulares omnes vocem, & ſuffragium in electionibus, juxta præfatam erectionem habentes, ad capitulum ſequenti die habendum, citari, & vocari faciant; ut ibi de electi hujuſmodi receptione, debita cum ſolennitate facienda, deliberent. Et in ea poſtquam decreta fuerit, procedant ſub hac (videlicet) forma.

### § I.

Præbendati omnes, qui capitulo, ut præfertur, congregando interfuerint; ab aula capitulari, ad eccleſiæ corpus exeant; ibique electum perſonaliter accendentem accipiant. Electo autem hujuſmodi per procuratorem accedenti pręebendati quatuor ex antiquioribus, per ejuſdem capituli præſidentem nominandi, ad ipſius aulæ capitularis januam, obviam procedant. Sedes vero in capitulo diverſimode juxta venientis hujuſmodi perſonæ qualitatem præparetur. Electo enim perſonaliter accedenti, faldiſtorium cum pulvinaribus, ac ceteris cum actum concernentibus, diſponatur. Procuratori autem tapetum, ſella, & pulvinar ad pedes collocetur. Electo præterea in eodem faldiſtorio miſſale ſtatuatur, ut præſtandum ab eo juramentum præſtet, & ſub forma ſequenti.

### § II.

Nos P. archiepiſcopus de Mexico juramus, per Deum, & hæc ſancta Dei evangelia, quod erectionem hujus ſanctæ eccleſiæ Mexicanæ obſervabimus, & ſervari faciemus; conſuetudines bonas, & approbatas ejuſdem eccleſiæ, in quantum non contrariantur prædictæ erectioni, ſacris canonibus, & ſancti concilii Tridentini decretis, & provincialis ſynodi Mexicanæ, editis conſtitutionibus manu tenebimus; juraque noſtræ dignitatis, & eccleſiæ ſponſæ noſtrę in nullo infringere, pro viribus conabimur. Semper prę oculis habentes verum Dei obſequium, & animarum profectum, prout ex debito noſtrę paſtoralis ſolicitudinis tenemur. Ita nos Deus adjuvet, & hęc ſancta Dei evangelia.

### § III.

Cujuſmodi juramentum procurator, & qui poſſeſſionem electi nomine capturus acceſſerit, præſtare teneatur. Quo præſtito, capitulares omnes, nemine dempto, proceſſionis ordine hymnum, *Te Deum laudamus*, ſolenniter decantantes, pręcedentibus, tam ejuſdem eccleſię cathedralis cruce, quam parochialium, monaſticarum, eremiticarumque eccleſiarum crucibus, una cum ipſarum vicariis, parochis, miniſtris, ac univerſo clero, qui ad hoc pręveniri debent; Electum ipſum, ſub umbraculo, ſeu baldachino, per dignitates, & in eorum defectum, per pręebendatos hujuſmodi ſeniores ferendo ad chorum uſque comitentur. Quo cum perventum fuerir, crucibus, clero, & monachis prędictis, ad chori fores detentis, capitulares omnes electum adhuc ſub baldachino procedentem, eodem ordine comitantes chorum ingrediantur; eum denique electum, in ſede epiſcopali, in ſignum poſſeſſionis, per duos ex dignitatibus antiquiores beneficiatos collocent. Procuratorem vero, duo per pręſidentem deputandi capitulares, [ſolennitate, ac proceſſione hujuſmodi pretermiſſis] factaque in ipſo actu demonſtratione quę perſonam propriam a ſubſtituta diſtinguat, in eadem archiepiſcopali ſede conſtituant. Quibus peractis, ordine, proceſſione, ac forma pręmiſſis, ad locum capituli iidem capitulares revertantur; ibique electum in archiepiſcopali ejuſdem capituli ſede, modo pręſcripto, collocent; ac tunc decanus, vel, qui in ejus abſentia pręſederit, ſurgens a loco ſuo, & ad ſedem eamdem magna cum obſervantia, & reverentia accedens, flexis genibus, electo, ut pręfertur, ſedenti manum deoſculetur, eoque ſigno, ipſum in dominum, pręlatum, & paſtorem recipiat; ac eidem, ut tali debitam pręſtet obedientiam. Idemque ipſum modo, & forma prędictis reliqui capitulares, ſervato antiquitatis ordine faciant. Quibus effectis, aperta ejuſdem loci capitularis janua, vicarii, capellani, atque ſervientes reliquus denique clerus, ibi repertus, ſimiliter intrent, idemque recognitionis, & obedientię ſignum, pręlato exhibeant.

### § IV.

Procuratorem vero, qui poſſeſſionem prędictam, electi nomine capturus venerit, decanus, & capitulum, hymnum, *Te Deum laudamus* ſimiliter canentes, pretermiſſo baldachino, a loco capituli ad chorum deducant, ipſumque primo, in ſedę chori, ac deinde in ſede capituli archiepiſcopalibus ſedere faciant: ibique in obedientię debitę pręlato cujus ille perſonam, & juriſdictionem gerit, recognitionem, iidem capitulares ordine ſuo, cum decenti ſubmiſſionis, & reverentię demonſtratione ejuſdem procuratoris, ut pręfertur ſedentis manum, ſua quiſque manu dextera porrecta, contingant, porrectamque manum, ad ſe volventes deoſculentur, & hoc ipſum reliqui beneficiati, & parochi, cum toto clero faciant.

### § V.

Ut pręlatus, capta per procuratorem poſſeſſione, debita cum ſolennitate, recipiatur, civitatem ingrediens, ſequens forma ſervetur.

§ VI.

ANNO CHRISTI 1585.

§ VI.

In primis, decanus, & capitulum, omnes, & ſingulos præbendatos, & parochialium eccleſiarum rectores, ac beneficiatos, priores quoque, & conventus religioſorum ejuſdem civitatis, ut die, & hora ingreſſus prædicti cum ſuis crucibus de more conveniant, præmoneri, citari, & vocari faciant; ac proceſſionis ordine, una cum ipſius cathedralis eccleſiæ cruce, ingredienti prælato, obviam procedant.

§ VII.

Prius tamen iidem decanus, & capitulum, & omnes clerici, qui ad hoc congregari potuerint ſuis mulis ſedentes, præcedente ejuſdem capituli ſceptrifero, ſceptrumque ſuum manu gerente, debita ejus actus conformitate, & ordinatione ſervata, extra civitatem, ad mediam leucam, vel eo minus, ad præſidentis arbitrium, progrediantur: & ipſi prælato, cum ad eum pervenerint, eodem, quo procedunt ordine, ſinguli, & reverentiam exhibeant, & illius manus deoſculentur; quo facto, omnes ad eccleſiam, decentibus ad proceſſionem veſtibus; præparandi ſine mora redeant. Proceſſionis autem hujuſmodi initium, omnes, tam ejuſdem cathedralis eccleſiæ, quam reliquarum parochialium, monaſticarum, & eremiticarum eccleſiarum, hoſpitaliumque cymbala hilari ſonitu prænuntient, & quamdiu eadem proceſſio duraverit, ſimiliter pulſentur.

§ VIII.

Poſtquam ad eccleſiam omnes pervenerint, decanus, vel, qui præſidens fuerit, pluviali indutus, una cum duobus miniſtris diaconi, & ſubdiaconi habitum, & inſignia gerentibus; reliqui vero præbendati precioſioribus eccleſiæ pluvialibus pariter ornati, proceſſionis ordine, prævia ejuſdem cathedralis eccleſiæ cruce, præcipuam ipſius eccleſiæ januam, qua prælato datur ingreſſus, egrediantur, ſicque procedant, quouſque crux eadem, ad certum fori locum, pretioſo faldiſtorio decenter ornatum, pervenerit, quo loco accedens prælatus genibus flexus, camdem crucem, ſibi per præſidentem, ut præfertur, ornatum porrigendam, deoſculetur. Ad vitandam vero confuſionem, antequam prælatus mula deſcendat, eadem proceſſio ad eccleſiam redeat, præbendatis cum choro muſicorum retro manentibus, qui antiphonam. *Sacerdos, & pontifex, &c.* in ordinario præſcriptam concinant, & illa cum reliquis neceſſariis pronuntiata, hymnum, *Te Deum laudamus*, alternatis verſibus canentes, eodem proceſſionis ordine ad eccleſiam regrediantur. In cujus ingreſſu idem præſidens, ut ſupra ornatus, aquæ benedictæ aſperſorium prælato, qui ſe, & circumſtantes aſpergat, illius manum deoſculatus offerat; deinde ad altare majus ſimiliter ordinati procedant, ubi prælatus ſuper pavimentum faldiſtorio coopertum, dum antiphona in ordinario deſcripta, cum verſibus dicitur, genua flectat. Quibus dictis prælatus inde ſurgit, & eiſdem capitularibus comitantibus, altare majus aſcendat, ibique omnibus aſtantibus epiſcopalem benedictionem impendat, & inde ſolemnitate, cruce, & proceſſione hujuſmodi prætermiſſis, domum ſuam, eiſdem comitantibus, adeat.

Cap. II. *De loco capitularium.*

ANNO CHRISTI 1585.

§ I.

QUoniam juxta conſtitutiones, & ordinationes, in hujus archiepiſcopatus, & provinciæ erectione conditas; quinque dignitates, decanus videlicet, archidiaconus, cantor, ſcholaſticus, & theſaurarius: decem quoque canonici, ſex etiam integri, ac totidem dimidii portionarii, eſſe debent. Ideo hæc ſancta ſynodus decernit, & mandat; ut hi omnes in capitularibus ipſorum congregationibus ordine infraſcripto ſedeant. In primis quidem decanus, ad ſedis prælato deſtinatæ latus dextrum, & penes decanum cantor, ac tertio loco theſaurarius, quinque deinde canonici, tres poſtea integri, tres denique dimidii portionarii, unus poſt alium, juxta traditæ cuique poſſeſſionis prioritatem, conſideant. Ad ſiniſtrum autem ejuſdem ſedis archiepiſcopalis latus, primam archidiaconus, ſecundam ſcholaſticus, quinque ſubinde canonici, ſex demum integri, & dimidii portionarii ſequentes ſucceſſive ſedes, ſervato eiſdem antiquitatis ordine, teneant.

Conſtitut. Hiſpal. fol. 48. & hæc conſueta [illegible]

§ II.

Statuit præterea eadem ſancta ſynodus, ut dignitates, canonici, integri, ac dimidii portionarii prædicti, in quibuſcomque officiorum, tam divinum cultum, & horarum canonicarum celebrationem, quam reliqua per capitulares agenda negotia concernentium, diſtributionibus ac deputationibus, ordine ſuperius deſcripto, juxta cujuſque antiquitatem, nulla prorſus habita ratione, quo quiſque chori latere dextro, videlicet, aut ſiniſtro locum teneat, inter ſe præferantur.

§ III.

In proceſſionibus autem, presbyter celebraturus medius inter utrumque chorum incedat. Ita ut decanum quidem dextrorſum, diaconum vero paratum ſiniſtrorſum habeat. Quod ſi decanus abſuerit, dextrum diacono, ſiniſtrum vero archidiacono latus præbeat.

§ IV.

Quæ tamen procedere non intelligantur quoties capitularibus actibus, & proceſſionibus hujuſmodi prelatus intervenerit. Nam juxta ſupremę dignitatis, & poteſtatis ejus exigentiam (ſacroſancto Tridentino diſponente concilio) primum in choro proceſſionibus, & quibuſvis aliis actibus, locum, ſeu, quam ipſe capere, & eligere voluerit ſedem, habere debet.

Seſſ. 25. c. 6. verb. epiſc. de reform.

Cap. III. *De decano, & ejus præeminentiis.*

§ I.

CUjuſvis cathedralis eccleſię, hujus archiepiſcopatus, & provincię decanus, ſacro presbyteratus ordine inſignitus exiſtat; ſin minus ad eam dignitatem minime recipiatur. Quamvis enim in preinſerta erectione, hęc a decano qualitas non requiratur, eamdem tamen ſancta ſynodus provincialis prelatos omnes, ut ibi

Seſſ. 24. c. 12. verbo hortatur etiam.



ANNO CHRISTI 1585.

ibi quando, & quomodo fieri potuerit, ſancti concilii Tridentini exhortationem opere compleant, in primis admonet; omnibuſque ſibi ab hujuſmodi erectione collatis facultatibus (nulla excepta) fungens declarat. Quod quoties officia, ſeu miniſteria, per capitulares, tam in choro, quam ad altare, ordine in tabula deſignando, peragenda, aliquibus præbendatis committi contigerit, qui, vel ea acceptare noluerint, vel ſemel acceptata, ſuis locis, & tempore, præſtare negligenter omiſerint; tunc decanus, non ſolum rebelles, & negligentes mulctare, ſed etiam officia, vel miniſteria per eos omiſſa, aliis committere (habita officii, ſeu miniſterii hujuſmodi, ac præbendati, cui commiſſum fuerat, defectuſque & negligentiæ ratione) poſſit, ac debeat.

§ II.

Conſtitutio Hiſpal. f. 50.

Inſuper ad decanum, quamdiu in civitate fuerit, & non ad aliquem alium capitularem, eoſdem capitulares ad extraordinarium capitulum (quod non niſi in gravibus negotiis, quæ ordinarium capituli diem expectare non poſſint, fiat) ſub juxta, & rationabili pœna citare, & convocare pertineat. Quoties autem ſimilia occurrerint, decanus brevem negotii, ſeu negotiorum tractandorum rationem ſceptrigero, qui eamdem capitularibus exponat, in ſcriptis tribuat. Quod ſi negotia hujuſmodi talia fuerint, quæ ut præfertur, explicari non debeant; tunc capitulares ad gravia negotia vocari, dixiſſe ſufficiat. Id quod hæc ſancta ſynodus ipſius decani, vel ejus, qui, abſente eo, præſidentiæ munus obierit, prudentiæ committit, juxta hujus ſanctæ ſynodi decreta, in ſacroſancti generalis concilii Tridentini obedientiam, & conformitatem edita.

Seſſ. 25. c. 6.

§ III.

Ad eumdem ſimiliter decanum negotia in capitulo tractanda proponere, ſpectet. Illo vero negotium quodvis ſibi per aliquem ex capitularibus inſinuatum, proponere nolente, vel differente, illud ipſum, hac decernente ſynodo, quicumque capitularis, petita prius a capitulo licentia, proponere poſſit: id vero decano, vel præſidente hujuſmodi impedire conante, datis ibi, ſine ulla ſcandali nota, ſuffragiis, quod pars capituli major deliberaverit, hoc fiat, & obſervetur.

§ IV.

Ut autem, debitus in choro, & actibus capitularibus ordo teneatur, ſitque ſemper, qui abſente decano præſideat, & regat, eadem ſtatuente ſynodo, declaratur, ut abſente decano, archidiaconus; hoc vero deficiente, cantor: in hujus autem abſentia, ſcholaſticus: in cujus defectum, theſaurarius in præſidentia ſuccedat: abſentibuſque dignitatibus, canonicus, vel præbendatus antiquior ubique præſideat.

§ V.

Statuit tamen, & ordinat eadem ſancta ſynodus, ut nullus ex capitularibus, quantumvis abſente decano præſidere valeat, niſi quamdiu in ſede ſua eminenti ſederit, præſidentiæ munere fungatur. Declarans nihilominus, hoc ſtatuto, decanum, cui juxta præmiſſæ erectionis tenorem præſidendi in choro dignitas, & præeminentia competit, non comprehendi; ſed ipſum, in quovis chori loco exiſtentem præſidere poſſe; extra chorum tamen hujuſmodi, quamvis in eccleſia exiſtat non præſidere. Decani autem defectus, vel exceſſus, ſi quos ille in ſuo officio commiſerit, per capitulares plene congregatos, habita loci, ac dignitatis ejus debita ratione, in capitulo advertantur, & corrigantur.

ANNO CHRISTI 1585.

Cap. IV. *De archidiacono.*

§ I.

QUilibet, tam metropolitanæ, quam cujuſvis in hac provincia conſtitutæ cathedralis eccleſiæ, archidiaconus, qui, vel in altero jurium, vel in theologia ſaltem bachalaureus graduatus eſſe debet, quæcumque ſibi per ſupra inſertam erectionem conceſſa, & declarata ſunt, præſtare, & exercere poteſt. Prælatus tamen cum potuerit ſancti concilii Tridentini exhortationem opere compleri faciat.

Seſſ. 24. c. 12. verb. Arch. de reform.

Cap. V. *De cantoris officio, & dignitate.*

§ I.

CAntori vero præterea, quę in prefata erectione precipiuntur, & injunguntur, cujuſlibet hebdomadę tabulam, ſeu matriculam, ab omnibus obſervandam preſcribere, ſeu preſcribi facere, & quę quibuſque hebdomadę diebus recitanda, celebranda, ſeu dicenda ſint, animadvertere s. tam dignitatibus, & canonicis miſſas, quam integris, ac dimidiis portionariis evangelia, paſſiones, epiſtolas, lectiones, ac lamentationes, quam etiam capparum geſtationem, ſervato antiquitatis ordine, & habita officiorum hujuſmodi alternatione, committere; per novam hujus ſanctę ſynodi declarationem, deinceps incumbat.

Conſtitut. Hiſp. fol. 53.

§ II.

Ad cujus etiam, vel ejus locum tenentis, ſuccentoris officium, introitorum verſus, alleluya, reſponſoria, antiphonas, prophetias, ac cerei paſchalis benedictionem, per prefixum in matricula, ſeu tabula hujuſmodi diſtributionis ordinem commendare, capellanos preterea ſervientes, & chori miniſtros; qui tamen omnes eidem reverenter obedire tenentur, circa debitam divino cultui, ac ſacris officiis decentiam, & compoſitionem, deficientes, aut negligentes corrigere pertineat: Cantori autem in premiſſis deficienti, vel excedenti; juſtam pro culpę modo attenta ejus dignitate, correctionem in capitulo, vel extra illud decanus adhibeat.

Cap. VI. *De ſcholaſtici dignitate.*

§ I.

QUamvis juxta precijam preſcriptę erectionis formam, ſcholaſticum, vel in altero jurium, vel in artibus bachalaureum eſſe ſufficiat, hęc tamen ſancta ſynodus provincialis, ſacroſancti concilii Tridentini, (cui ſe conformat) diſpoſitionem exacte impoſterum precipit obſervari: eidemque ſcholaſtico in primis injungit, ut quoties illi a capitulo commiſſum fuerit, quaſcumque ejuſdem capituli nomine literas

Seſſ. 23. c. 18 verb. de cetero de ref. Ex conſt. Hiſp. fol. 56.

teras, ſeu epiſtolas notet, ſcribat, eaſque ſolito capitulari ſigillo in capſa ſub tribus clavibus quarum una penes decanum, vel ejus loco præſidentem, altera penes eumdem ſcholaſticum, ac tertia penes ipſius capituli ſecretarium exiſtat, ſervando, ſigillet. Quibus eadem ſancta ſynodus etiam mandat, ut non niſi indubitatas, ac totius, vel majoris, ſanioriſque partis capituli, fide, ac teſtimonio probatas literas, ex quibus nullum prælato, ſeu capitulo damnum, vel præjudicium obvenire poſſe credatur, ſigillare præſumant, aut ſigillent. Hujus autem mandati tranſgreſſores debitæ punitionis rigori ſubjaceant.

### Cap. VII. *De theſaurario.*

§ I.

THeſaurarius, cui tam quæ in prædicta erectione, quam quæ in hujus ſanctæ ſynodi ceremoniali, & decretis ordinata reperiuntur, incumbunt, ea pariter cum ſequentibus obſervet, ac præſtet. Pro candelarum benedictione die purificationis beatæ Mariæ facienda, ceræ quantitatem, ac diſtributionis formam, a prælato ſimul cum decano, & capitulo præſcribendas teneat. Quæcumque reliquiaria, reliquias, ornamenta, aurum, argentum, aliaque eccleſiæ bona, quæ pro tempore empta, reſtaurata, & conſtituta fuerint, ſub expreſſo rei cujuſque pondere, valore, diſpoſitione, & qualitate ſibi per inventarium conſignanda recipiat. Coadjutores quoque ſuos facultas idoneam pro iis, quæ receperint cautionem, ad eorumdem prælati, & capituli beneplacitum præſtare faciat.

### Cap. VIII. *De canonicis.*

§ I.

CUjuſcumque ſub hoc archiepiſcopatu, & provincia conſtitutæ cathedralis eccleſiæ, canonici qualitates in ſupra memorata erectione præſcriptas habeant; curent tamen diligenter prælati, ut ibi, & quando commode fieri potuerit, juxta ſancti concilii Tridentini diſpoſitionem, ſaltem dimidia eorum pars, vel in ſacra pagina, vel in jure canonico doctores, aut magiſtri, aut licentiati exiſtant; quibus miſſas conventuales, exceptis iis, quæ ad dignitates pertinent, ſecundum breviarii, & miſſalis, ex ejuſdem concilii Tridentini decreto, editorum formam; tabellæ quoque deſuper ordinandæ ac ceremonialis, per hujuſmodi ſanctam ſynodum provincialem conſtituti, ab omnibus, quos illud concernet, reſpective obſervandi diſpoſitionem, & ordinem, dicere incumbat.

*Seſſ. 24. c. 12. verbo hortatur de reformat.*

### Cap. IX. *De integris, ac dimidiis portionariis.*

§ I.

INtegri, ac dimidii portionarii qualitatibus in præmiſſa erectione memoratis ornentur, & injunctis ab eadem muneribus ſinguli diligenter incumbant. Circa ſuffragia vero per eos, in quibuſvis actibus, & congregationibus capitularibus ferenda, tam præfatæ erectionis, quam literarum executoriarum in contradictorio judicio deſuper expeditarum ordo, & forma ſervetur.

§ II.

Qui omnes, dignitates, canonici, integri, ac dimidii portionarii, capitulares ſupra relati præbendas ſuas, per quotidianas diſtributiones juxta ejuſdem erectionis diſpoſitionem, pro parte ſingulis eorum aſſignata, tam in fructuum, decimarum redditibus, quam in anniverſariorum, funerum, & aliorum manualium, & obventionum emolumentis lucrentur.

### Cap. X. *De decimarum partibus ad prælatum, capitulum, fabricam, hoſpitale, & ſervientes pertinentibus.*

§ I.

AD tollendum omne dubium, liteſque ac diſſenſiones, quæ in redditnum diviſione, ac diſtributione oriri poſſent; hæc ſancta ſynodus ordinat, declarat, & mandat; ut tam de quarta prælatum tangente, quam de aliis partibus, ad capitulum, fabricam, hoſpitale, regiam majeſtatem, ſervientes, & officiales ſpectantibus, id omnino fiat, quod præfatæ erectionis ordinationes, & ſtatuta diſponunt. Quæ fundamentalis quidem, & quaſi primaria lex eſſe debet, qua omnes, & ſingulæ hujus archiepiſcopatus, & provinciæ cathedrales eccleſiæ, abſque ullius rei defectu, vel exceſſu, regantur, & gubernentur.

### Cap. XI. *De forma in admittendis ad poſſeſſionem præbendatis habenda.*

§ I.

QUando aliquis, dignitas, canonicus, vel portionarius, qui regiæ majeſtatis præſentationem, & ordinarii collationem, ac factæ, per eum juxta ſancti concilii Tridentini formam, fidei profeſſionis certificationem habeat, noviter admittendus acceſſerit: decanus ſi in civitate fuerit, ſin minus chori præſidens ad tradendum perſonæ ſic accedenti ejus, quam petit præbendæ poſſeſſionem, capitulares ad capitulum per diem ante vocari præcipiat.

*Seſſ. 24. c. 12. de reform. & motus proprius Pii IV.*

§ II.

Deinde capitulares omnes, per eorum ſceptrigerum (qui qualiter eos, qui in civitate fuerunt, vocaverit, fidem faciat) convocati, & in capitulo, prout de uſu, & conſuetudine habent, congregati, præbendarum hujuſmodi ad locum capituli ingredi jubeant; qui ſtans in medio aulæ capitularis, nudo capite omnibus interim dominis capitularibus ſedentibus, & coopertis capitibus, hæc, vel ſimilia verba proferat.

*Ex conſueta Gratiæ.*

§ III.

Regia majeſtas me ad talem præbendam, hujus ſanctæ eccleſiæ, per promotionem, aut obitum talis N. ultimi illius poſſeſſoris vacantem, dignata eſt præſentare, cujus collationem, ſeu canonicam inſtitutionem mihi illuſtriſſimus D. N. vel ejus vicarius fecit. Dominationi veſtræ ſupplico, ut me ad illius poſſeſſionem admittat, nam quantum in me fuerit, huic ſanctæ eccleſiæ, & in ea dominationi veſtræ ſervire curabo.

§ IV.





§. IV.

Hæc loquutus, jurium ſuorum literas, & documenta penes ſecretarium capituli præſentet, ac locum capitularem egrediatur. Capitulares vero poſtquam præſentationem, inſtitutionem, ſeu collationem, reliquaſque literas, & documenta hujuſmodi (prævia deſuper opportuna conſultatione) viderint, & examinaverint, an tradenda ſit illi poſſeſſio, necne, ſolita ſuffragia ferant: ac de poſſeſſionis traditione, deliberato, duo commiſſarii, dignitas (videlicet) & canonicus nominentur, per quos ipſe accedens, a ſecretario capituli admonendus, ſuperpellicio, & juxta temporis infra dicendi exigentiam cappa chori indutus, ad capiendum ſedis ſuæ poſſeſſionem in choro deducatur: qua ibi capta, ad capitulum deducatur, ſimilem in eo, fidei profeſſionem ſub juramento facturus: quam coram prælato, vel ejus vicario fecerit, cum canonicam ejus præbendæ inſtitutionem, ſibi ab eo fieri obtinuit. Ac proinde coram decano, vel in ejus locum præſidente, flexis genibus, manibuſque ſuper miſſali poſitis, conſtituatur, & juxta ſancti concilii Tridentini diſpoſitionem, ac motus proprii felicis recordationis Pii papæ quarti tenorem juret, & profiteatur, in forma ſequenti.

*Seſſ. 24. c. 12. & motus proprius Pii IV.*

§. V.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine: Et homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis: ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam, & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item, ſacram ſcripturam, juxta conſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto. Nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie ſacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium: illaque gratiam conferre; & ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta ſynodo Tridentina definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis; atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, una cum humanitate, & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti; atque converſionem totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem; quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat. Fateor enim ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter, & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias eſſe venerandas, firmiter aſſero. Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe; ac eis debitum honorem, & venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe; illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoque pontifici beati Petri apoſtolorum principis, ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro.

Cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis, & præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo; eamdem integram, & immaculatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri; atque a meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in meo munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei euangelia.

§. VI.

Qui præterea præbendatus, ad præbendæ hujuſmodi poſſeſſionem admiſſus, ſingulari ſe jurejurando aſtringere teneatur, in forma ſequenti.

Ego N. hujus almæ eccleſiæ juro per hæc ſancta Dei euangelia, quod ab hac hora inantea obediens ero omnibus conſtitutionibus, ſtatutis,

ANNO CHRISTI 1585.

tutis, & conſuetudinibus laudabilibus prædictæ ſanctæ eccleſiæ; eaſque in omnibus, & per omnia obſervabo. Contra eas, & jura dictæ eccleſiæ directe, vel indirecte ſcienter non me opponam. Juramenta, & ſecreta capituli nemini pandam. Veram obedientiam, & reverentiam, jure debitam illuſtriſſimo, & reverendiſſimo domino hujus ſanctæ eccleſiæ præſuli exhibebo. Honorem, & utilitatem dictæ eccleſiæ, in omnibus, & per omnia, procurabo. Conſpirationes, * monipodia, & conventicula, tum contra reverendiſſimum dominum antiſtitem exiſtentem, & futuros ſucceſſores ejus canonice intrantes, tum contra capitulares, & beneficiatos fratres meos, & eorum aliquem non procurabo: & quod in aſſecutione hujus præbendæ non intervenit fraus, dolus, aut illicita pactio, vel ſimoniæ labes directe, vel indirecte. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei euangelia.

* monopolia.

§. VII.

His peractis, ambo domini capitulares commiſſarii, ut præfertur, nominandi, ſi præbendatum hujuſmodi ad chorum non deduxerunt, deducant, eumdemque in ipſa dignitatis, canonicatus, vel portionis, in qua ſucceſſerit, ſede in ſignum poſſeſſionis collocent, ibique in libro legere, ſervatiſque omnibus ſolemnitatibus neceſſariis, & opportunis faciant. Quem deinde ad idem capitulum redeuntem ſimiliter committentur, & in capitulari ſede illi debita, conſtituant. Ipſumque denique capitulares omnes in ſignum fraternitatis, ad amplexum, & pacis oſculum, accipiant; eique de omnibus, & ſingulis fructibus, redditibus, proventibus, & emolumentis ad eam præbendam pertinentibus, integre reſpondere mandent: & publicum de præmiſſis omnibus inſtrumentum petenti confici, ac dari decernant.

Cap. XII. *De modo ad hoc, ut præbendati noviter recepti ſciant ceremonias, ſervando.*

§. I.

Conſt. Hiſpal. c. 11. fol. 78.

EXPEDIT plurimum, ut præbendati in iis maxime, quæ ſibi circa divini cultus miniſterium, & præbendarum ſuarum ſervitium agenda ſunt, optime inſtructi exiſtant. Idcirco, eadem ſynodo ſtatuente, decernitur, & ordinatur, ut quilibet præbendatus, cum primum receptus fuerit, non ſolum ordinum ſuorum ceremonias in miſſali ex decreto ſancti concilii Tridentini edito, præſcriptas; ſed eas, quæ officii divini recitationem, chori quoque cantum, & ordinem concernunt; frequenti horum ſtatutorum, & ceremonialis noſtri lectione, addiſcat, & calleat. Ad quod etiam per ceremoniarum magiſtrum, ex hujus ſanctæ ſynodi provincialis ſimili decreto deputandum, in titulo de celebratione miſſarum examinetur. Nec prius in eis, ac debito præbendæ ſuæ officio ſufficienter inſtructus eſſe credatur, quam ejuſdem ceremoniarum magiſtri fide, ac teſtimonio probetur. Quod ſi ſex menſibus, a die captæ per eum poſſeſſionis, elapſis, ceremonias, ac debitum præbendæ ſuæ miniſterium ignoraverit, & negligens in addiſcendo fuerit, a prælato, cujus in hoc conſcientia oneratur, per rigorem opportunum, uſque ad beneficii ſuſpenſionem, & fructuum privationem, compelli poſſit, & debeat.

Cap. XIII. *De iis, quæ præbendati, & alii miniſtri in divini cultus miniſterio, ac beneficiorum, officiorumque ſuorum exercitio agere debent.*

§. I.

Circa offic. in choro exercendum pie ſtatuit conc. Mediolan. 5. tit. quæ ad divina offic. pertinent.

QUONIAM opportunus præbendarum, & beneficiorum, in cathedralibus, ac parochialibus eccleſiis exiſtentium uſus in eo conſiſtit, ut præbendati, ac beneficiati hujuſmodi juxta breviarii, miſſaliſque Romani diſpoſitionem, ſacras ceremonias cum decentia, honeſtate, ornatu, eaque, quæ Dei miniſtros decet, conformitate obſervent, ac teneant: ſtatuit propterea, & præcipit hæc ſancta ſynodus, ut omnes hujus archiepiſcopatus, & provinciæ prælati, cathedraliumque, & parochialium eccleſiarum capitula, parochi, vicarii, beneficiati, & miniſtri, quæcumque ad hunc finem, in ceremoniali, ac præſentibus ſtatutis ex ejuſdem ſanctæ ſynodi provincialis decreto editis, ordinata ſtatuta, & decreta ſunt, ſub pœnis in eis contentis, inviolabiliter cuſtodiant, & exequantur.

Cap. XIV. *Qualiter omnes cathedralium eccleſiarum præbendati certis anni temporibus, cappas chori geſtare debent.*

§. I.

Conſt. Hiſp. conſt. 12. fol. & Salmant. c. 3. Conſtit. de Guatem. concil. Limenſ. [illegible] c. 4. [illegible] De cappis, & [illegible] quæ vulgo vocantur capa de choro [illegible] Joan. [illegible] In reg. canon. cor. regul. lib. 1. c. 12. n. 6. & 7.

CUM in cathedralibus Hiſpaniæ eccleſiis per ſanctas conſtitutiones receptum, & obſervatum reperiatur, ut omnes illarum præbendati, certis anni diebus ſuperpelliciis induti cappas nigri coloris ad chorum deſtinatas ſuperinduantur; idemque in hoc archiepiſcopatu, & provincia laudabili ſemper conſuetudine invaluerit, & quæ in metropolitanis, præcipuiſque regnorum Caſtellæ eccleſiis uſu, & obſervantia vigent, maxime deceat in his etiam partibus immutabili conſtitutione ſervari: Idcirco hæc ſancta ſynodus omnibus, & ſingulis præbendatis hujuſmodi ordinat, ac præcipit, ut ad horas canonicas, miſſas, proceſſiones, divinum officium, & quotieſcumque prævia ſublimi cruce capitulariter proceſſerint, ſuperpelliciis ornati prædictas chori cappas geſtare teneantur, diebus nimirum & forma ſequentibus.

§. II.

In primis ad veſperas commemorationis defunctorum, capitulares omnes Chriſtiana (quæ ipſos decet) majeſtate, atque modeſtia compoſiti, proceſſionis ordine chorum exeuntes, præcedente eorum ſceptrigero ad ſacriſtiam, ut ibi ſua quiſque cappa induatur, accedant: ac deinde cappis hujuſmodi induti ſimili proceſſionis ordine ad chorum redeant; in eoque veſperas defunctorum exordiantur, a quo die uſque ad ſabbatum ſanctum excluſive eiſdem cappis utantur, præterquam ad primas veſperas, & per totum diem cujuſlibet infraſcriptarum feſtivitatum, eo tempore occurrentium, quæ ſunt.

§. III.



ANNO CHRISTI 1585.

§ III.

NATIVITAS domini incipiendo, ab ejus vigilia cum duobus ſequentibus diebus, ſanctorum Stephani protomartyris, & Joannis evangeliſtæ.

CIRCUMCISIO } DOMINI.
EPIPHANIA }

PURIFICATIO }
ASSUMPTIO }
CONCEPTIO } B. MARIÆ.
PRÆSENTATIO }
EXPECTATIO PARTUS. }

Feſta ſanctorum apoſtolorum { Andreæ. Thomæ. Matthiæ.

Tranſlatio corporis S. Jacobi apoſt. patroni Hiſpaniarum.

Feſtum S. Joſephi patroni novæ Hiſpaniæ, cum die octava.

Feſtum ſancti Thomæ Aquinatis.

Dominica palmarum ad proceſſionem tantum.

§ IV.

Cappæ vero per præbendatos, ut præfertur geſtandæ, ex laneo ſtamine ſubtili, quod vulgo *Anaſcote, ſeu burato*, dicitur, aut quavis alia non inhoneſta tela nigri coloris efficiantur, prætermiſſis curioſitatibus, fulcimentis *Aforros*, nuncupatis, præterquam in cucullo, & oris anterioribus: quæ, ut moris eſt, aut raſo aut bombycino ſerico fulciri poſſint, quibus etiam cauda honeſtæ longitudinis accedat: quæ niſi in proceſſionibus, comitatibus, & actibus publicis, in quibus demitti, & extendi ſolet, plicata ſemper feratur. Capitularis autem, qui præſignatis diebus in aſſiſtentia divini officii cappa hujuſmodi uſus non fuerit, proceſſionis, & actus, in quo ſic defecerit, emolumenta, & fructuum diſtributionem, quam alias lucraturus erat, amittat: ac ſi contumacia creverit, mulctatio quoque convenienter creſcat: ſuper quo præſidentis in choro conſcientia oneratur.

Cap. XV. *De reſpectu, & obedientia debita præſidenti; ac de ejus officio.*

§ I.

Ex conſuet. Guat. c. 7. & 28.

SI dum divina peraguntur officia, præſidenti, cui in rebus tunc occurrentibus neceſſaria, & opportuna providere incumbit, debita non deferatur obedientia, omnis proculdubio celebrationis ordo, non ſine magno Chriſtiani populi ſcandalo confunderetur. Quapropter hæc ſancta ſynodus ſtatuit & mandat, ut omnes beneficiati, capellani, cantores, & chori miniſtri cujuſvis ſtatus, aut conditionis exiſtant, præſidenti in his, quæ circa divina officia mandaverit, abſque ulla prorſus excuſatione, aut repugnantia pareant. Si quis autem [quod abſit] verbo, aut alio quovis modo præſidenti non obtemperaverit, arbitrio capituli, habita inobedientiæ, & ſcandali ratione, ab eodem præſidente mulctetur. Cui tamen eadem ſancta ſynodus in primis injungit, ut quæcumque agenda ſint modeſtis, & ab injuria alienis verbis matura diſcernat, atque præcipiat. Quod ſi hac in parte idem præſidens nimis exceſſerit, res ad prælatum (ut de opportuna emendatione, ac remedio provideat) deferatur.

§ II.

Præſidens matutino tempore, priuſquam ad primam pulſari finiatur, ad eccleſiam veniat, ejuſque munditiam, tum in altaribus, tum in choro, qui quotidie verri, ac æſtivo tempore etiam rigari debet, tum quoque in ſedibus, per ejuſdem chori pueros in tabula deſignandos, etiam quotidie, tergendis diligenter inſpiciat. Deinde chorum primus omnium ingreſſus, antequam incipiantur officia, ad aliorum exemplum, juxta ſedem ſuam genua flectat, & punctatorem ad primam chori ſedem genibus flexum exiſtere, ac omnes cum ſilentio intrare, genua flectere, ac ſupraſcriptis cærimoniis uti, procuret. Galerum, aut ligneos calceos, aut quemvis alium indecentem habitum gerentes choro prohibeat. Neminem niſi ſuperpellicio indutum, aut chorum ingredi, aut inter chorum, & altare majus, dum divina officia celebrantur tranſire permittat: & in univerſum ſuum quemque munus & officium, tam in choro, quam in eccleſia, quam etiam ubicumque capitulum convenerit, præſtare, pro ut æquum eſt, faciat. Silentium denique a quo decens, vel indecens chori miniſtratio pendet, ab omnibus ſervare, loquentes monendo, ac in ipſo rationum tempore horarum emolumenta iis, quos propter defectus hujuſmodi mulctaverit, deduci videndo, ſuper omnia intendat. Ac proinde ſuam quemque tenere ſedem vetita unius loci in alium migratione, præcipiat: ita ut quantum chori capacitas permiſerit, ſingulis beneficiatis ſingulæ ſedes hinc inde vacent, quo ſilentii fiat obſervatio facilior & chori plenitudo major appareat. Quemcumque ab alio diſcedere, utpote colloquentem, aut alia ex cauſa juſſerit, eumdem non obtemperantem unius horæ mulctet emolumentis. Ad hymnum, *Te Deum laudamus*, pſallentes choro contineat, ne ipſum ſolum ibi manere contingat. Duo quoque ſcamna tapetibus ſtrata, pro ſacris concionibus audiendis, antequam incipiatur prima: unum vero ſimili tapete ornatum ante horam veſperarum, quoties in eis futuri ſunt cappigeri, afferri & opportuno tempore apponi faciat. Patentes eccleſiæ fontes, ſingulis diebus dominicis mundari, & aquam benedictam (quæ eiſdem ſingulis dominicis diebus benedicatur) ſemper continere provideat: ac ſuis omnes officiis quando, & quomodo, oportet incumbere, accurate præcipiat. Egrediendi denique chorum iis dumtaxat, qui juxta præſcriptæ erectionis tenorem urgenti aliqua neceſſitate laboraverint, licentiam concedat.

Cap. XVI. *De iis, quæ cærimoniarum magiſter erga ingredientes chorum præſtare tenetur.*

§ I.

Ex eccleſia Compoſtellana a c. 17. uſque ad c. 22.

CÆrimoniarum magiſtro, perſonis, tam ſæcularibus, quam aliarum cathedralium eccleſiarum capitularibus, quibus ex ſanctæ hujus ſynodi permiſſione chorum ingredi licet, obviam exire, eaſque ad locum ubi ſeſſuræ ſint, qua decet modeſtia, urbanitate, ac reverentia comitari, & in earum ſedibus collocare; incumbat. Difficultatem vero (ſeu dubitationem) (ſi qua

(ſi qua in hoc rerum genere orta fuerit) idem cæremoniarum magiſter cum prælato, & in ejus abſentia cum præſidente pro tempore exiſtenti conferat, ut quid potiſſimum agendum ſit decernatur: decretumque magiſter hujuſmodi ſine aliquo defectu perficiat.

§ II.

Qui tamen, ſi vel in loci aſſignatione, vel in cujuſvis alterius rei executione arbitrio ſuo quidvis aliud egerit, vel in aliquo defecerit, ejuſdem præſidentis judicio mulctetur. Cum autem niſi cæremoniarum magiſtro, in ejus officio ab omni pareatur, convenientem divini cultus ordinem confundi oporteat; Idcirco hæc ſancta ſynodus, quoſcumque hujus, & aliarum cathedralium eccleſiarum novæ Hiſpaniæ prælatos, nunc, & pro tempore exiſtentes hortatur in domino, ut quotieſcumque per cæremoniarum magiſtrum de aliqua cærimonia, vel laudabili conſuetudine ſervari debita, admoniti fuerint, eumdem benigne ſuſcipiant, ac ejus animadverſionem opere exequantur: ut & ipſi ſuis decenter officiis reſpondeant, & ſuo alios exemplo ad obediendum eidem cærimoniarum magiſtro moveant. Reliquis autem omnibus beneficiatis, capellanis, & miniſtris eccleſiaſticis injungit, ac præcipit, ut ipſum cærimoniarum magiſtrum in ejus officio venerentur, eique morem gerant. Qui ex ſupradictis contrafecerint, primo unius horæ, ſecundo integri diei, ac tertio unius hebdomadæ emolumentis mulctetur.

Cap. XVII. *De ordine per capitulum capitulariter egrediens ſervando.*

§ I.

Ex eccleſ. Compoſtel. c. 18.

QUANDO prælatus, & capitulum aliquam eccleſiam, vel monaſterium, vel eremitorium proceſſionis ordine adiverint, ſolenniter exire, & procedere ac divinis officiis ordine, atque ſilentio ſervatis aſſiſtere debent: ut & ſacrorum rituum, quibus utuntur, decentiæ ſatisfaciant, & quo magis totius populi oculis exponuntur, eo majora eccleſiaſticæ honeſtatis documenta perhibeant. Proinde hac ſancta ſynodo decernente ſtatuitur, & ordinatur, ut quoties capitulares ab eccleſia proceſſionis ordine, ſive voti, ſive funeris gratia, quomodolibet exierint; ſuperpelliceis ornati, ac pro temporis, per hæc ſtatuta ſuperius deſignati exigentia, cappis etiam ſuperinduti, capellanis ſimiliter, & miniſtris ſuperpellicia gerentibus, incedant. Quod ſi celebrandi alibi cauſa, capitularis proceſſio fiat; pretioſioribus ornamentis ex conveniente eidem feſtivitati colore, presbyter quidem alba, & pluviali indutus, ſolitoque birreto contectus, uſque ad celebrationis hujuſmodi locum, ubi planetam accipiat; miniſtri vero albis, dalmaticiſque præparati procedant. Si vero poſt meridiem hujuſmodi proceſſionis ordo ſit futurus, presbyter, ac miniſtri præſcripta forma decorati progrediatur. Cantores quoque, ac tibicines ſemper, ut ſolent (niſi aliud proceſſio poſtulaverit) interſint. Omnes autem ordine ſuo euntes, ac divinis officiis aſſiſtentes, & debitis cærimoniis, & opportuno ſilentio utantur: Qui vero, vel cum collateralibus colloquutus fuerit, [illegible] nutibus, ac ſignis luſerit, aut aliàs quo-

modolibet contra præmiſſa fecerit, præſidentis arbitrio mulctetur.

§ II.

Et quoniam ratio poſtulat, ut capitulum competentem locum, ac ſedem habeat, ubi divinis officiis aſſiſtere poſſit, eadem ſancta ſynodus cærimoniarum magiſtro, decentem hujuſmodi locum prævidendi; ac majori ſacriſtæ, ut ſcamna, & tapeta, ubi capitulum ordine ſuo ſedeat, & divinis officiis interſit; (Ita ut neque in his, neque in aliis ſedibus, die corporis Chriſti, & illius octavis apponi ſolitis, aliquæ ſæculares, vel etiam eccleſiaſticæ perſonæ ſedere præſumant,) deferri faciat, præcipiendi curam, in primis injungit.

Cap. XVIII. *De magiſtri capellæ officio, & cantoribus.*

§ I.

Ex eccleſ. Compoſtel. c. 14. & Granat.

EXPERIENTIA quotidiana ſatis conſtat, quantum oporteat chori miniſtros, & cantores a capellæ magiſtro ſufficienter inſtrui; & quæ quoque die cantu figurato canenda ſint, ordinato ad id faciſtorio prævideri, ut divinorum officiorum ſolennitas digno ſemper honore celebretur. Quapropter neceſſe eſt, ut idem capellæ magiſter, tam præmiſſis, quam aliis infraſcriptis ad ejus officium ex hujus ſanctæ ſynodi decreto ſpectantibus, operam ſuam diligenter impendat.

§ II.

In primis, ut ſingulis non feriatis diebus ſtatim poſt primam, quouſque pulſari ſinatur ad miſſam; in loco intra eccleſiam ad id ſpecialiter deſignando, ſcholam ad omnes, tam beneficiatos, quam reliquos cantores, & eccleſiæ miniſtros, atque ſervientes eo acceſſuros in cantu figurato, & contrapuncto docendum, & inſtruendum, tempore quo alia cantus ſimilis lectio per ſuccentorem habenda non impediatur, habere debeat. Quoties autem, niſi ex cauſa infirmitatis, vel abſentiæ a civitate de prælati, & capituli licentia factæ defecerit; juxta culpæ quamdiu vero abfuerit, vel ægrotaverit: aliquem ex cantoribus judicio præſidentis magis idoneum, qui in ejus locum præfatæ lectioni ſine defectu præſit, ſubſtituat. Cui etiam eadem ſancta ſynodus injungit, ut quæ diebus feſtivis præcipue ſolennioribus, ac majoris hebdomadæ officiis, nativitatis quoque domini die, ad matutinum figurato cantu celebrandis, canenda ſunt, opportune a cantoribus prævideri maxime curet; ne dum officium in choro peragitur, defectus aliquis præſentis populi aures offendat. Quod ſi, ob hujus diligentiæ omiſſionem, notabilis cantus diſſonantia in choro contigerit, idem capellæ magiſter, ejus horæ, in qua ſic defecerit, ſalario mulctetur. Quia vero ad eumdem capellæ magiſtrum ſpectat, miſſas, ac reliqua figurato cantu hujuſmodi decantanda eligere, ac deſignare: Ita ut illa, & non alia cantari debeant; eidem propterea injungitur, ut quemadmodum quæ ipſe compoſuerit cantari, prout æquum eſt, faciet: ſic etiam quæ ab aliis inſignibus muſicis compoſita repererit, ſimiliter cani faciat;





ciat; cum in hac celebri eccleſia, ad quam undecumque concurritur, omne muſicorum genus, a diverſis auctoribus adinventum cantari deceat, quo cantores in cujuſvis generis muſica exercitentur, atque adeo aſſueſcant, & peritiores evadant.

§. III.

Oportet etiam, ut a cantoribus, tibicinibus, & chori miniſtris, eidem capellæ magiſtro in ejus officia reverenter pareatur: & ideo eadem ſancta ſynodus præcipit, & mandat, ut quod idem capellæ magiſter cantoribus, & chori miniſtris decantandum, tibicinibus vero, & organiſtæ ſonandum commiſerit, ac quibuslibet illorum quidpiam, vel ad chori faciſtorium dicere, vel ſuper cantu firmo contrapunctum facere, vel ad organi ſonitum concinere, vel denique in reliquis ad ejuſdem magiſtri officium pertinentibus injunxerit, id ipſum ab omnibus, & ſingulis ſupradictis, ſine aliqua excuſatione aut mora perficiatur. Qui vero ejuſdem magiſtri commiſſa, & injuncta hujuſmodi non egerit, præſidentis arbitrio mulctetur.

§. IV.

Præcipit ſimiliter eadem ſancta ſynodus, ut ſingulis dominicis, & aliis obſervari ſolitis feſtivis diebus, in quibus ad organi ſonitum canendum fuerit, idem capellæ magiſter, & cantores initio tertiæ, & veſperarum, videlicet ad, *Deus in adjutorium meum &c.* chorum ingrediantur, ut tam ad antiphonam, *Aſperges*, quam ad pſalmodiam, quam etiam ad contrapunctum ſuper eiſdem pſalmis intonandum prompti, & parati exiſtant. Quod ſi vel capellæ magiſter, vel cantores hujuſmodi prædicto tempore ingreſſi non fuerint, attento parvo eorum ſalario, moderate mulctentur.

§. V.

Ut autem cantores dexteriores evadant, ordinat eadem ſancta ſynodus, ut ii (quos capellæ magiſter inſtructione egere dixerit, lectioni muſicæ de qua ſuperius ſit mentio, intereſſe teneantur). Qui vero ex ſupradictis lectioni hujuſmodi, niſi ob adverſam valetudinem, vel abſentiam ab hac civitate de legitima licentia factam, defuerit, præſidentis arbitrio etiam moderate mulctetur.

§. VI.

Et quoniam ſepe contingit, unico abſente cantore, chorum muſicorum imperfectum manere, ac proinde decentem ſolennitatibus ornatum, & ſplendorem deſiderari: & experientia docet, ex aliquorum præbendatorum, (qui etiam cantores ſunt) abſentia, notabiles intervenîſſe defectus: Idcirco ſancta hæc Mexicana ſynodus decernit, & mandat, ut nulli præbendato cantoris munus habenti, vel ad veſperas, vel per totum, cujuslibet feſtivitatis muſicam requirentis diem capere requiem liceat; ſed præbendati hujuſmodi, qui cantorum ſalario fruuntur, ea ipſa, ad quæ alii cantores non præbendati tenentur, niſi hebdomadarii fuerint, ac propterea, in aliquo ejus hebdomadæ miniſterio occupati exiſtant, ſervare ſimiliter debeant. Qui autem contra hanc ordinationem fecerint, mulctæ ſubjaceant.

§. VII.

Inſuper idem magiſter, & cantores, in omnibus dominicis paſchalium feſtivitatum diebus, ad primas, & ſecundas veſperas domini ſabaoth, in reliquis etiam dominicis, & beatæ Mariæ feſtivitatibus obſervare ſolitis, ad primas veſperas, primum, tertium, & quintum pſalmum; ad matutinum vero canticum *Benedictus*, alterius cum organo verſibus, ea muſicæ differentia, quæ fabordon dicitur; hymnum tamen, & canticum *Magnificat*, tam ad eaſdem primas, quam ad ſecundas veſperas, totam quoque miſſam, non ſolum in præmiſſis feſtivitatibus, ſed etiam in aliis duplicibus majoribus ſimiliter obſervari ſolitis, cantu figurato canere teneantur.

§. VIII.

Præterea, a prima die ſabbati quadrageſimali, uſque ad feriam tertiam majoris hebdomadæ incluſive antiphonam *Salve regina*, & tam in nativitatis, & epiphaniæ domini diebus, quam in aſſumptionis, ac nativitatis beatæ Mariæ, & aliis pro tempore nominandis feſtivitatibus cantilenas, rhythmicas, devotas quidem, & honeſtas, ac per prælatum approbatas; atque in dominica palmarum paſſionem domini, & in majori hebdomada primas ad matutinum lamentationes aliaque officia, eiſdem in tabula commitenda cantare debeant.

## STATUTORUM

### PARS SECUNDA.

Cap. I. *De capitulis in eccleſia habendis, illorumque tempore, & aſſiſtentiæ modo.*

§. I.

DUOBUS cujuslibet hebdomadæ diebus, per eccleſiarum hujus archiepiſcopatus, & provinciæ erectionem deſignatis, capitulares ad capitulum congregari debent; Quacumque videlicet tertia feria, ut de temporalibus ad menſæ capitularis, & fabricæ bona ſpectantibus negotiis agant; Qualibet quoque ſexta feria, ut de ſpiritualibus rebus, & divini cultus reformationem pertinentibus diſſerant. Ad illud vero, non niſi poſt horarum canonicarum officium nempe poſt primam, quouſque tertia, vel ſexta dicenda ſit, vel poſt miſſæ majoris celebrationem accedant. Ita ut tam ad præbendarum, beneficiorumque ſuorum obligationem, & ſcopum (qui divinus eſt cultus) quam ad congregationes capitulares, quæ, vel præſcripto, vel veſpertino, poſt horarum recitationem tempore haberi poſſunt, potius attendant.

Ex eccleſ. Compoſtel. c. 95. 96. 97. 98. & 99. Conſt. Granat. cap. 60. tit. del Cavildo. Conc. Milan. 5. tit. de his, quæ ad cap. pertinent. Concil. Compoſtel. act. 2. d. 7. & conc. Tolet. act. 3. c. 12. Statutum eccleſiæ Compoſtel. c. 95. & Limenſ. 2. cap. 74. Milan. 7. p. 2. tit. de his, qui dignit. perſonatus, aut canonicatus habent, verb. canonici. Juvat conc. Milan. 5. tit. de his, quæ ad cap. pertinent. Concil. Compoſtel. act. 5. ſtatut. Compoſtel. c. 99.

§. II.

Cum primum locum capituli ingreſſi fuerint, ad ſacram ibi propoſitam imaginem ſinguli preces fundant, ac ſervato antiquitatis ordine, ſuo quiſque loco ſedeat. Poſt hæc præſidens ſe ſigno ſanctæ crucis ſignet, ac intelligibili voce dicat: *Sancti Spiritus adſit nobis gratia* &c. & *Adjutorium noſtrum*, &c. Orationem *ſancti Spiritus domine*, &c. & *Actiones noſtras*, &c.



§ III.

ANNO CHRISTI 1585.

## § III.

Sextis Feriis, de competenti altaris, & chori miniſterio, ut defectus (ſi qui fuerint) emendentur, & in futurum caveantur, ac inobedientes pro culpæ modo mulctentur, potiſſimum agant. Ita ut præſidens ad decentiam, honeſtatem, ſilentium, attentionem, ac devotionem, & id genus alia Deo miniſtrantibus neceſſaria capitulares publice adhortetur: ipſoſque iis præcipue virtutibus incumbere, quibus chori decentiæ, & injuncto ſibi muneri ſatisfaciant, ut hoc laudabili exemplo reliqui eccleſiæ miniſtri, ad ſimilem divini cultus obſervantiam excitentur, idemtidem moneat; & ſi opus fuerit ſuccentorem, punctatorem, ceremoniarum magiſtrum, ac ceteros officiales vocari faciat, animadvertat, & corrigat, quatenus Dei optimi maximi obſequio ejuſque cultus felicioribus augmentis incumbant.

## § IV.

Tertiis vero feriis, de temporalibus, tam menſæ capitularis bona, quam quævis alia negotia concernentibus rebus deliberent: Ita, ut non niſi præſidens, aut de illius, & capituli licentia quivis, capitularibus omnibus interea tacentibus, & attente auſcultantibus, occurrentia negotia proponat.

## § V.

Hic vero in ſuffragiis ferendis ſervetur modus: ut prius res propoſita ab omnibus, non ſolum bene audiatur, ſed etiam ſi ardua fuerit, per convenientem ſine clamoribus collocutionem diſcutiatur; Ac ſi adhuc talis fuerit, quæ maturiori conſultatione indigeat, de majoris partis ejuſdem capituli ſententia, ad alium diem differatur; ſin minus illico reſolvatur. Tuncque ante omnes præſidens brevi, ac compendioſo loquendi modo, (quo etiam reliqui utantur) ſuffragium ferat; deinde ſinguli, ſervato antiquitatis ordine, ſuam ſimiliter ſententiam dicant. Ita ut nullus aliorum, vel ſermonem intercipiat, vel ſententiam reſumat, vel etiam reprehendat: ſed quilibet quidquid, inſpirante domino, ſenſerit, nemine id ægre ferente, aut aliquo modo impediente, libere ibi pronuntiet. Sui quiſque ſermonis initio, ac fine, aliquam nudato capite inclinationem capitulo, verſus præſidentem, cui etiam ſermo dirigendus eſt, faciat. Prælato autem ibi præſidente capitularis locuturus, poſtquam nudo ſimiliter capite ſe erexerit, ac iterum ſedens cooperto capite ſuam ſententiam protulerit, rurſus detracto pileo ſurgat, ac inclinato corpore eidem prælato reverentiam præſtet. Sic igitur omnes ſuffragia ferant, & primi noviſſimos, ſicut ab eis auditi ſunt, pariter audiant. Qui autem alterius ſuffragium interruperit, quatuor regalium primo, octo vero ſecundo, ac ſi perſervaverit, multiplicata eorumdem regalium pœna, quæ in quadranti irremiſſibiliter exequenda ſignetur, juxta hujus ſynodi provincialis decreta puniatur.

Lib. 3. tit. de beneficiatis cathed. eccleſ. §. 2.

## § VI.

Omnium deinde ſuffragia quantumvis fuerint inter ſe contraria præſidens reſumat, & colligat, & quod eorum pars major deliberaverit, hoc tamquam potiſſimum tenendum fore declaret. Idque per ſecretarium capituli, nihil propterea dolentibus iis, qui contrarium ſenſerint, faciat in actis annotari. Si quis autem ſe ab ea capituli deliberatione ſic annotata, gravari proteſtatus fuerit, proteſtationem hujuſmodi idem præſidens apud acta capitularia ſcribi, illaque cum opportuna actorum inſertione, in forma fidem faciente conſcriptam, eidem proteſtanti, ut ſi voluerit ad competentem judicem recurrat, ab eodem ſecretario gratis dari præcipiat. Ea autem negotia, quæ juſtitiam concernent, non ex capituli ſuffragiis; ſed ipſius advocatorum ſententia, prout juſtitia popoſcerit, explicentur. Quoties vero ſimiles caſus contigerint, juris periti ab omni affectione immunes, & quoad fieri poſſit non capitulares, conſulantur. Et quoniam in actibus capitularibus hujuſmodi nonnullæ ſæpe diſcordiæ, inimicitiæ, ac diſcuſſiones exoriri ſolent; ideo hæc ſancta ſynodus omnes in Chriſto monet, ut modeſtis ac temperatis verbis, & quibus nemo lædi poſſit, utantur. Quod ſi quis adverſus alium inhoneſte, aut injurioſe locutus fuerit, ſtatim ſex dierum emolumentis, & graviori, ſi opus fuerit, pœna per majorem capituli partem, juxta exceſſus, & ſcandali qualitatem moderanda, mulctetur. Cujus quidem pœnæ executio omni prorſus appellatione poſtpoſita fiat, ut ſic damnis majoribus, quæ evenire poſſent, occurratur, paxque, & unitas eccleſiaſticis perſonis digna ſervetur; ac ejus generis culpæ, quæ prælatum, & ejus vicarium latere poſſunt, aliqua punitione corrigantur: Locum capituli nullus niſi ſuperpellicio, ac tempore exigente etiam cappa indutus, ſub amiſſionis ſuffragii pœna ingrediatur; ut ſic omnes hujus archiepiſcopatus, & provinciæ eccleſiæ laudabilem conſuetudinem, ac traditionem, quam in hoc tenuerunt, teneant.

## § VII.

Nullus capitularis Dei domini noſtri, aut glorioſæ matris ejus, aut cujuſvis ſanctorum nomen juret. Qui vero ſemel per præſidentem monitus adhuc juraverit, unius mineralis pondo eccleſiæ fabricæ applicandi, & in quadranti ad hunc effectum ſignandi pœna mulctetur. Idque non ſolum in capitulo, ſed etiam in choro, & qualibet eccleſiæ parte ſervetur. Ita ut quilibet capitularis fratrem ſuum jurantem monere, eumdemque, ſi contumax fuerit, præſidenti, qui ipſum præſcripta pœna corripiat, denuntiare curet.

## § VIII.

Capitularium in capitulo exiſtentium nullus ad aliquid loquendum, niſi in forma ſuperius expreſſa ſurgat a loco ſuo, ubi quiete quouſque capitulum finiatur, ſedere debet; nec inde niſi de præſidentis licentia, ſub emolumentorum unius horæ ejus diei mulcta, egrediatur.

## § IX.

Si aliqua ex cauſa quiſpiam ex capitularibus enſem, aut mucronem, aut aliud telum in eccle-



ANNO CHRISTI 1585.

ſia, vel choro attulerit, pro delicti perſonæ, & loci qualitate, arbitrio ordinarii plectatur.

## §. X.

Quoties alicujus negotii tractati ſecretum capitularibus ex eorumdem pro majori parte ſententia indicendum fuerit, ſub pœna præſtiti juramenti indicatur; aut ſi eidem capitulo videbitur, novum de ſecreto ſervando juramentum ab omnibus præſtetur; & qui jurare noluerit, unius, aut (ſi videbitur) plurium dierum emolumentis mulctetur, ac ſuffragio privatus extra capitulum fiat.

## § XI.

Capitularis autem, de cujus, aut fratris, aut propinqui negotio agitur, & qui vel a capitulari offenſus eſſe, vel capitularem offendiſſe prætenditur, capitulo, quamdiu ſuper hujuſmodi rebus conſultabitur, non interſit.

## §. XII.

Capitulares autem ad capitulum convocare decano in eccleſia exiſtenti, ſin minus dignitati, aut canonico ſeniori: extra eccleſiam vero ſimiliter, decano in civitate degenti, & eo abſente, dignitati, vel canonico hujuſmodi ſeniori, incumbat. At ſi aliquando tale negotium occurrerit, quod ſolitum capituli diem expectare non poſſit, ac decanus, vel eo abſente, præſidens per aliquos capitulares requiſitus, capitulum congregare noluerit: duo vel tres capitulares, ne hujuſmodi negotium pereat, aut deterius fiat, capitulum intimari faciant: quo caſu ceſſante, nemo ſub gravi, quam ſubeat pœna, capitulares ad capitulum vocare præſumat.

## §. XIII.

Negotiorum omnium occurrentium decanus, aut capituli præſidens rationem habeat, ut illa omni mora poſtpoſita, prout oportuerit expediantur. Itaque non de pluribus ſimul agi permittat, ſed quod primo propoſitum fuerit, ante reliqua omnia definiatur, & concludatur: negotium vero ſemel definitum, quantumvis aliquis capitularis, qui definitioni hujuſmodi defuerit; de novo ingrediatur; niſi de totius capituli mandato, iterum conſultari, aut per ſuffragia diffiniri non poſſit: cum abſentes capitulares, de ſic deliberatis, ac diffinitis, poſtea informari valeant.

## §. XIV.

Tam literæ tranſmittendæ, quam ſingula ſolutionum, & expenſarum juſſu capituli faciendarum mandata, necnon procurationum, obligationum, ac proviſionum capitularium inſtrumenta, ejus capituli nomine, ſubſcribenda per quatuor capiturales, (nempe dignitatem, canonicum, integrum ac dimidium portionarium, alternatim ſingulis quibuſque menſibus, incipiendo ab antiquioribus) deputandos, quamvis ipſi in præmiſſorum deliberatione contrarium ſenſerint, ſub pœna ipſius capituli arbitrio infligenda, ſubſcribantur: duo, quolibet anno, ex capitularibus ad id magis idoneis, procedendo a dignitatibus, calculatores nominentur; qui ſimul cum ſecretario capituli; & computatore totius maſſæ, inſpecta punctatoris chori relatione, calculos, ac diſtributiones menſæ capitularis, omnibus beneficiatis, officialibus, & chori miniſtris juxta quotam cujuslibet illorum partem, ac ſalarium competentes, faciant.

## §. XV.

Quotieſcumque aliqua perpetui, vel redimibilis ſenſus tranſlatio, juxta motus proprii felic. recordationis Pii papæ quinti formam, aut quævis alia ſimilis ſcriptura contractus facienda ſit; capitulares omnes per diem ante, ut moris eſt, convocentur, quatenus an pro eodem pretio cenſum hujuſmodi accipere, illumque alicui beneficiato, non niſi ſub ſeveriſſima cautione (ſuper quo hæc ſancta ſynodus eiſdem capitularibus conſcientias onerat) locare velint, mature deliberent.

## §. XVI.

Omnes vero regiæ proviſiones, ac literæ, quæ pro tempore capitulo tranſmittentur, in eodem capitulo per ejus ſecretarium legantur: ac ſi alicujus momenti fuerint, notatis datæ, ac receptionis ipſarum diebus, ſtatim in præſidentis (cui hoc in primis injungitur) præſentia per eumdem ſecretarium ſub fideli archivii cuſtodia reponantur.

## §. XVII.

Incumbit autem capitulo, aliquem capitularem divini cultus zelo, ac diligentia ferventem a prælato approbandum deputare, qui ſacrorum cuſtodias, bibliothecas, reſque omnes eccleſiæ videndi, & quid reparatione, aut mutatione indigeat, advertendi, ſepulturas quoque ſignandi, ac diſtinguendi curam ſuſcipiat.

## § XVIII.

Computator totius maſſæ per prælatum, & capitulum nominandus, calculos diſtinguere, ac rationes ab omnibus redditųum decimalium pro tempore exiſtentibus œconomis ſimul vel diviſim exigere; quæcumque item pecuniarum juſſu capituli ſolvendarum mandata conſiderare, & in aliquo ad hoc ſpecialiter habendo, ac ſub archivii, quod ex decreto hujus ſanctæ ſynodi erigi debet, cuſtodia ſervando libro annotare teneatur.

Lib. 3. tit. de rebus eccl. conſervan. §. 6. & 7.

## §. XIX.

Præmiſſa vero omnia, & ſingula, ſicut præfertur ordinata, & ſtatuta, primus omnium decanus, ſeu præſidens, quicumque pro tempore fuerit, tam in choro, quam in capitulo ſervet, & opere compleat. Quod ſi non fecerit, non ſolum in iis quibus ipſe alios mulctare poteſt; ſed ſi viſum fuerit, etiam in pluribus in capitulo mulctetur. Nihil autem præter hujuſmodi ordinationes, vel propria auctoritate, vel ſine expreſſa capituli deliberatione, ac ſententia faciat; nec aliquibus magis quam aliis favorem, vel opem præſtet; ſed erga omnes capitulares, & beneficiatos, ac in univerſum quaſcumque perſonas eccleſiaſticas modeſte, & urbane ſe gerat. Qui etiam e converſo ab omnibus honoretur, ac veneretur;

ANNO CHRISTI 1585.

Ita ut quando exceſſerit, aut defecerit, non publice, ſed in capitulo, vel ſeparatim reprehendatur.

Cap. II. *Quando, & quomodo convocanda ſint capitula ante diem.*

§ I.

Ex ſtilo, & conſu. Gen. c. 60. tit. del Cavildo. §. 5. comienca (quando algun negocio huviere.)

QUANDO grave aliquod negotium ex jam conſideratis, ad quod omnes congregandi ſunt, occurrerit, vel de novo ſucceſſerit; quamvis in ordinariis capituli diebus tractandum veniat; præſidens ſceptrigero, ut capitulares omnes ad capitulum vocet præcipiat, ad caſus videlicet ſequentes.

Lib. 3. tit. de rebus eccl. §. 2.

Ad aſſignandum pro officio alicui committendo ſalarium, & ad aliquid capitulo proprium, ſine ullo eorum, quæ ſancta hæc ſynodus ſuper hoc decrevit præjudicio, aliis condonandum.

Ad nominandum etiam punctatorem, calculatores, œconomos, ceremoniarum magiſtrum, eccleſiæ capellanos, miniſtros, & famulos, alioſque quoſcumque, tam menſæ capitularis, quam aliarum rerum officiales a capitulo deputandos: eoſque, ſalva in omnibus præcipua prælati poteſtate, juxta juris diſpoſitionem, ac ſacri concilii Tridentini, hujuſque ſanctæ provincialis ſynodi decreta removendum.

Seſſ. 25. c. 6. Lib. 1. tit. de majoritate, & obedien. §. 1.

Præterea, ad reſpondendum quibuſvis alicujus momenti regiæ, vel Romanæ curiæ literis, vel procuratores conſtituendum, vel capitulum ad aliquid obligandum, vel etiam lites, & cauſas movendum, aut motas proſequendum.

Inſuper, ad poſſeſſionem alicui capitulari noviter admittendo tradendum.

Ad quodvis etiam legatum capitulo relictum acceptandum.

Necnon ad nuntios, tam ex beneficiatis, quam ex aliis non beneficiatis quocumque opus fuerit mittendum.

Ad quæcumque item eccleſiæ, aut menſæ capitularis bona ſtabilia permutandum, vel alienandum, vel transferendum.

Ad quamlibet quoque rem, eccleſiæ ſtatum concernentem, mutandum, & ordinandum.

Denique, ad ea, quæ ſemel deliberata, & definita fuerint a capitulo revocandum, & annullandum.

§ II.

Ad præmiſſa igitur omnia, & ſingula, & ex noviter occurrentibus quæcumque capitulo bene viſa, quamvis ordinariis diebus, tertiis videlicet, ac ſextis feriis tractanda ſint. Capitulares omnes in civitate pro tempore exiſtentes, per ſceptrigerum, qui capitulum ad nonnulla negotia ſpecialem convocationem requirentia, congregari ſingulis illorum denuntiet, ante diem vocentur.

§ III.

Si autem aliis non ordinariis capituli diebus, negotia hujuſmodi de novo occurrerint, dum capitulares omnes tunc in civitate degentes in eccleſia reperiuntur, ibi etiam ad capitulum ſtatim habendum, congregentur. Adveniente vero ſolita capituli hora, quicumque illi intervenerint, tam præmiſſa, ad quæ ſpecialiter [illegible] fuerint, quam quæcumque alia, præterea occurrentia, reliquis vel non venientibus, vel ſi, ut præfertur, legitime occupati exiſtant, ſuffragium non mittentibus deliberent, ac diffiniant.

Cap. III. *De capitulo in choro non niſi de levibus rebus habendo.*

§. I.

Ex conſt. Hiſp. c. 118. fol. 20.

VOLENS præterea hæc ſancta ſynodus, pluribus abſurdis, ex habito in choro capitulo hactenus exortis occaſionem tollere; capitularibus omnibus pro tempore exiſtentibus, ne deinceps in choro, aut alibi, quam in loco ad id ſpecialiter deputato capitulariter convenire, aut de negotiis ſemel in capitulo diſſinitis, vel diffiniri cœptis, aut alias gravibus, deducibiles hinc inde rationes habentibus, agere poſſint in futurum prohibet. Et nihilominus, ut quoties neceſſitas, quæ congregationem in loco ſolito habendam expectare non debeat, fuerit; aliqua levia, ad felicius, & ornatius eccleſiæ miniſterium, & non aliter dirigenda negotia deliberare, & providere valeant, permittit.

Cap. IV. *De generali capitulo, binis quibuſque menſibus habendo.*

§. I.

Ex conſt. Hiſp. c. 93. fol. 114. & conſt. eccl. Compoſt. in ſuis ſtatutis c. 94.

INſuper, ut ſingulæ hujus provinciæ eccleſiæ auctiori ſpiritualium, temporaliumque bonorum cumulo, ac ſplendidiori beneficiatorumque atque ſervientium miniſterio ſemper vigeant; eadem ſancta ſynodus ſtatuit, ut præter ordinaria ſingulis hebdomadis, modo præmiſſo, habenda capitula, unum generale extraordinarium, binis quibuſque menſibus, die a præſidente per expreſſum prælati mandatum deſignando, capitulum habeatur; ad quod capitulares omnes per ſceptrigerum, quatuor ante diebus, vocentur: ut ibi, tam de litium, cauſarumque pro capitulo, aut contra ipſum pendentium ſtatu, diligentiis factis vel omiſſis, utilitate vel damno, reparatione quoque vel directione; quam de completa, vel incompleta decimarum exactione, & quacumque œconomorum, tum pro maſſa, tum pro fabrica deputatorum, ſi qua fuerit in exigendo negligentia, vel colluſione, exactarumque rerum, ac pecuniarum partibilium quantitate, diligenter ab omnibus conſultetur: ac de neceſſario, & opportuno remedio in omnibus, maximeque in rebus divini cultus decentiam, officiorumque celebrationem concernentibus, provideatur.

Cap. V. *De negotiis gratiam vel juſtitiam concernentibus.*

§. I.

Ex conſtit. Hiſp. c. 95. & 96. & in ſtatutis Compoſt. à c. 108. uſque ad c. 111. & ex conſueta Granat. c. 60.

AD tollendum vero omne dubium, & diſſenſionum, quæ ſæpe in communitatibus ex ignorantia procedunt, materiam; hæc ſancta ſynodus declarat, illa gratiæ negotia vocari, quæ in mera ejuſmodi gratiam facientis voluntate conſiſtunt, nullamque petenti actionem juridicam tribuunt: quæ ſi majori capituli parti viſum fuerit, ſecretis ſuffragiis capitularium libertati & paci magis opportunis diffiniantur. Quæ autem petenti jus, & actionem in judicio competentem præbent, ea juſtitiæ negotia nuncupari; quæ tamquam talia, ſive publicis, ſive de majoris partis capituli ſententia, ſecretis hujuſmodi ſuffragiis, omni mora poſtpoſita, conſulentur, ac deliberentur. Ita ut, quæ in ſimilibus juſtitiam concernentibus rebus, a capitulo pro majori parte definita fuerint, ſi cetera de jure neceſſaria concurrant, executioni mandentur.



ANNO CHRISTI 1585.

§. II.

Ordinat præterea eadem ſynodus, ut quoties aliquod gratiæ negotium capitulo propoſitum negari, decretumque capitulare deſuper factum ſemel publicare contigerit, illud per ſuffragia iterum deliberari nullatenus poſſit; nec aliquis capitularis contra præſtitum de ſecreto ſervando juramentum, vel adverſus alium capitularem quidpiam manifeſtare, dicere, aut inſinuare directe, vel indirecte præſumat. Pro cujus ordinationis obſervantia, eadem ſancta ſynodus præſidentis conſcientiam onerat. Capitulo pariter injungens, ut quoties præſidentem in præmiſſis exceſſiſſe repererit, eumdem duorum dierum emolumentis mulctatum corripiat; cuilibet denique præbendato in ſanctæ obedientiæ virtute præcipiens, ut ſi capitulum hac in parte negligens eſſe cognoverit, prælato qui mulctam hujuſmodi, ut par eſt decernat, & exequatur, prædictum præſidentis exceſſum fideliter exponat.

Cap. VI. *De modo, quo gratia in capitulo facta contradici poteſt.*

§. I.

CUM ſæpius evenire ſoleat, ut quamvis legitima capitularium convocatio, per ſceptrigerum ante diem facta fuerit, aliquis tamen præbendatus, vel propter ægritudinem, vel aliam juſtam abſentiæ cauſam, vel certe propter ejuſdem ſceptrigeri incuriam capitulo, in quo gratiæ negotium deliberatum fuit, intereſſe non potuerit, factamque hujuſmodi gratiam fieri non debuiſſe judicaverit: ideo hac perpetua ſynodali conſtitutione decernitur, ut idem capitularis, qui ab eo capitulo abſens, interim tamen præſens in civitate fuerit, poſſit infra triduum, tam in capitulo, quam coram capituli ſecretario gratiæ, ut præfertur, factæ contradicere, proteſtatus in forma ſe eidem gratiæ in proxime habendo capitulo expreſſe contradicturum. Si vero præbendatus, ut ſupra contradicens prædictæ convocationis tempore extra civitatem degerit, eamdem gratiam modo, & forma præmiſſis, infra octo dierum ſpatium impugnare valeat. Qua facta contradictione, gratia hujuſmodi ſuſpendatur, quouſque præbendato, qui ut præfertur contradixerit, interveniente, iterum ſecretis ſuffragis calculis videlicet albis, ac nigris ſuffragantium libertati accommodatis, deliberetur.

Cap. VII. *Quomodo negotium per ſuffragia concluſum, iterum tractari non poſſit, & quando poſſit.*

§. I.

NE capitularia decreta, quavis ex cauſa, vel ad cujuſvis perſonæ inſtantiam quotidie revocentur, hæc ſancta Mexicana ſynodus firma impoſterum ordinatione decernit, & mandat, ut quidquid ſemel in capitulo deliberatum fuerit, ſive gratiam, ſive juſtitiam concernat, niſi juſta, & urgens cauſa ſupervenerit, iterum tractari minime poſſit. Tunc vero capitulares omnes, expoſita per ſceptrigerum ſufficienti ejus negotii ratione, ante diem vocentur, ita ut quotquot illud negotium aliquando decreverant, ejuſdem conſultationi rurſus interſint, & qui abſentes fuerint, ſub competenti deſuper aſſignando termino expectentur. Quod ſi loci, in quo abſentes repeperiuntur, diſtantia tanta fuerit, ut ex adventus ipſorum expectatione grave aliquod diſcrimen, vel inconveniens ſuboriri poſſe credatur; quod, datis ſuffragiis, major capitularium pars deliberaverit, id ipſum, & nihil aliud executioni mandetur, ſuper quo eadem ſynodus conſcientiam præſidentis graviter onerat; & nihilominus præcipit, ut illius, vel incuria, vel malitia, per quemlibet capitularem prælato, qui de opportuno remedio provideat, exponatur.

Cap. VIII. *De horum ſtatutorum lectione, ac repetitione.*

§. I.

AD occurrendum excuſationibus, ex affectata rerum ignorantia ſuboriri ſolitis, hæc ſancta ſynodus inviolabili ſanctione conſtituit, & mandat, ut hæc ipſa ſtatuta, ſimul cum ceremoniali per eamdem ſynodum in eis decreto, & ordinato, quolibet ſecundo, poſt cujuſvis anni principium futuro capitulo, publice legantur, idque præſidens, ſub pœna quatuor pondo monetæ harum partium (quæ ſtatim ſi negligens fuerit fabricæ ſolvat) accurate perficiat: Reliqui vero capitulares, quamcumque in præmiſſis notaverint præſidentis incuriam prælato, qui de neceſſario remedio provideat, indicare teneantur.

Cap. IX. *Quomodo mulcta per capitulares invicem remitti non debeant.*

§. I.

Ex eccleſia Compoſt. in ſuis ſtatutis cap. 112. Lib. 3. de beneficiatis cathedr. eccleſ. §. 2. & infra vide 4. p. c. 10.

UT quæcumque prælati ſententiæ, proviſiones, & mandata debitam executionem habeant, ac ſuprema ejus juriſdictio, & (qua velut eccleſiæ ſponſus ornatur) auctoritas optatum ſortiatur effectum: ordinat propterea, & mandat ſancta hæc Mexicana ſynodus, ea in pœnarum condemnationumque, atque mulctarum remiſſionibus obſervari, quæ per eamdem ſynodum in titulo de beneficiatis cathedralium eccleſiarum, & eorum officio decreta, & proviſa ſunt.

Cap. X.

ANNO CHRISTI 1585.

Cap. X. *De ſecretarii capitularis officio, & obligatione.*

§ I.

Ex conſueta Granat. 61. c.

AD neceſſariam, & opportunam capitularium negotiorum expeditionem, hac ordinante ſynodo, ſtatuitur, ut ſecretarius capituli omnibus capitularibus actibus intereſſe, atque adeo extraordinariis quidem capituli diebus, velut capitularis quiſque vocatus; ordinariis autem etiam non vocatus ad capitulum venire, locumque capitularem primus omnium ingredi, & in aliquo, ibi ſub fideli capſæ cuſtodia ſervando libro, quo res capitulares contineantur, omnium cuique capitulo intervenientium præbendatorum nomina præmittere, & quæcumque in ejuſmodi capitulo deliberata fuerint ſcribere; impoſitas quoque mulctas punctis adnotare teneatur. Quoties autem capitulo defuerit, unius dei emolumento, pro ſalarii rata mulctetur.

§ II.

Tam admiſſionis tempore, quam quoties juſſus fuerit, ſolitum de ſervando actuum capitularium ſecreto juramentum, ſicut quivis præbendatus præſtare, idque pro negotiorum exigentia inviolabiliter obſervare, debeat.

§ III.

Qui non ſolum actus omnes capitulares, ſed etiam, quæcumque ad capitulum ſpectantia inſtrumenta concedat, omneſque ejuſdem capituli nomine mittendas literas, ſine ulla præter aſſignatum illi ſalarium mercede, componat, & ſcribat.

§ IV.

Omnibus item calculis, ac partitionibus a capitulo per calculatores ad id deputatos, quandocumque faciendis interveniat: illoſque & illas ſub capſæ capitularis prædictæ cuſtodia reponendos, ac reponendas regiſtret, & quæcumque neceſſaria tranſumpta ex illis accipiat.

§ V.

Omnia inſuper, & ſingula; ſive a capitulo, ſive a fabricæ, hoſpitaliſve adminiſtratoribus deliberata, quæ ad œconomum dirigentur, pecuniarum mandata faciat, & in eiſdem actibus capitularibus ſimiliter referat, ut debita illorum ratio habeatur.

§ VI.

Quemlibet quoque actum pro capituli parte quibuſcumque perſonis notificandum, idem ipſe notificet: ſi ſecus fecerit, ejuſdem capituli arbitrio imponendæ mulctæ ſubjaceat.

§ VII.

Si capituli ſecretarius, redditnum quoque decimalium notarius exiſtat, quidquid ex eorumdem redditnum libro, ad menſam capitularem pertinere repererit, extrahat; exactorumque, tam in fructibus, quam in pecuniis redditnum hujuſmodi partitiones, ut ab œconomo ſingulis capitularibus perſolvantur; abſque ulla pro his recipienda mercede, tribuat.

Cap. XI. *De ſigillo capituli.*

§ I.

HÆC præterea ſancta ſynodus Mexicana; abuſus hactenus introductos de medio tollere, & ne ſimiles introducantur in futurum providere deſiderans, hac perpetuo permanſura conſtitutione decernit; ut capituli ſigillum in capſa ſub tribus clavibus, una quidem penes decanum, vel ejus loco præſidentem, altera penes doctoralis præbendæ canonicum, vel eo non exiſtente, capitularem, a majori parte capituli nominandum, tertia vero penes ſecretarium ſervandis cuſtodiatur: eiſdem nihilominus prædictis clavium cuſtodibus debitæ officium fidelitatis injungens, ut nullas cujuſvis generis literas, præter illas, quæ a pleno capitulo deliberatæ fuerint, eodem ſigillo ſigillari permittant.

§ II.

Ex conſueta Granat. c. 61.

Et, ut dilucida rerum capitularium ratio ſuo tempore, & quoties quæſita fuerit, commodius reddatur, præcipit eadem ſynodus, ut præter alios libros capitulo pro tempore neceſſarios, certus aliquis, (ad annotandum commiſſiones, legationes, deputationeſque omnes, ab eodem capitulo factas) liber habeatur, qui ſecretario cuſtodiendus, una cum reliquis ſcripturis, & actis per inventarium conſignetur, ut illum, & illa quoties requiſitus fuerit, exhibeat.

## ** STATUTORUM.

## PARS TERTIA.

Cap. I. *De iis, quæ redditnum decimalium adminiſtratores agere debent.*

§. I.

Ex ſtatutis Compoſt. c. 79. & 90. & ex conſueta Granat. c. 60. in §. (haten las rentas decimales) & §. (las poſſeſſiones)

CUPIENS alias ſummopere hæc ſancta ſynodus felici redditnum eccleſiaſticorum adminiſtrationi, utilitati, & incremento proſpicere, & laudabilem Hiſpanicarum eccleſiarum conſuetudinem cathedralibus hujus provinciæ eccleſiis, in hoc potiſſimum ſequendam proponere; unde ſtatuit, & mandat, ut duo præbendati, (dignitas videlicet, & canonicus,) vel alii duo capitulares, huic miniſterio aptiores a capitulo, aſſignata congrua juxta redditnum quantitatem mercede, deputentur: qui una cum eo, quem prælatus negotiis quidem idoneum, & in promovendis redditibus exercitatum ad id nominaverit, decimales hujus archiepiſcopatus, & provinciæ redditus annis ſingulis auctionentur; ita ut admittendis auctionum ſponſionibus, ac deliberandis eorumdem redditnum locationibus interſint, neceſſariaſque ac ſufficientes cautiones recipiant.

§. II.



ANNO CHRISTI 1585.

Eidem etiam capitulo hæc ipſa ſynodus injungit, ut viros aliquot deligat, qui eccleſiæ fundos, prædia, domos, redditus, & quæcumque alia bona ſtabilia quotannis viſitet, illorumque omnium ſtatum, diſpoſitionem, diſcrimen, & indigentiam eidem capitulo fideliter exponant. Quibus eadem ſynodus conſcientiam graviter onerat, niſi quibuſvis amore, odio, ac humano lucro poſtpoſitis, eccleſiæ utilitati, ac debito ſuæ viſitationis muneri reſponderint.

Cap. II. *De œconomis.*

§ I.

Ex ſtatutis Compoſt. c. 80. & 81.

UT autem eccleſiaſticorum bonorum ſecuritati, & indemnitati conſulat hæc ſancta Mexicana ſynodus, ordinat, & mandat, ut œconomi a prælato, & capitulo nominandi ſint, in Chriſtiana religione, & conſcientiæ rectitudine laudabiles, legales, ſinceri, & communiter approbati; nec prius admittantur, quam idoneas, attenta bonorum eis conſignandorum quantitate, cautiones præſtiterint, ac una cum fidejuſſoribus hujuſmodi ſe in cujuslibet anni fine, ſi præſcriptum ſolutionum, reddituumque, ac fundorum tempus, id permiſerit, vel ad ſummum ſecundo anno peracto; dum tamen interim ipſorum œconomia durat, integram de diſpenſatis rationem, & ſatisfactionem reddituros, ſub obligatione promiſerint.

Cap. III. *De fabricæ bonis.*

§ I.

Ex ſtatutis Compoſt. c. 78.

QUia ſtabilium bonorum permanentia frequenti, & opportuna viſitatione maxime indiget, ex hujus Mexicanæ ſynodi decreto ordinatur, atque præcipitur, ut deinceps fabricæ œconomus ſufficientem exigendorum, exactorumque bonorum, & expenſarum rationem petenti capitulo reddat. Domus quoque ac fundi ejuſdem fabricæ diligenter inſpiciantur, ac de illarum, illorumque augmento, & conditionum in eorumdem locationibus appoſitarum impletione, cenſuum quoque & emphyteuſium duratione: de ipſius denique fabricæ utilitate, & proventu perquiratur, & quæcumque ſuper præmiſſis ſcripturæ, acta, & inſtrumenta fuerint, apud archivium, eadem ſtatuente ſynodo, deputandum, ſub numero, & ſpecificatione reponantur.

Lib. 3. tit. de rebus eccl. & c. §. 6.

Cap. IV. *De anniverſariis & commemorationibus.*

§ I.

Dict. tit. de rebus eccl. §. 3.

UT defunctorum legata, commemorationes videlicet, & anniverſaria, ultimarumque voluntatum diſpoſitiones in cathedralibus eccleſiis fundata, & in futurum fundanda debitam executionem, & conſervationem habeant; hæc ſynodus in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis illa ſervare, & executioni mandare conſtituit; quæ eadem decernente ſynodo in titulo de teſtamentis, inſtitutionibus, jure patronatus, ſepulturis &c. ſtatuta, & ordinata ſunt, pro quorum complemento, is, cui chori tabulam qualibet hebdomada ordinare incumbit, anniverſaria, & miſſarum officia hujuſmodi, per capituli ſecretarium quoties celebrari debent, referenda, in eadem tabula notare teneatur, quatenus omnes incumbentia ſibi munera noſcant, & exequantur.

Lib. 3. tit. 7. 9. & 10.

Cap. V. *De ſcripturis eccleſiæ, & earum cuſtodia.*

§. I.

Conc. Mil. 5. verbo quæcumque cum ſeqq.

PRælatorum, capitulorumque curæ incumbit, univerſa eccleſiæ bona, illorumque jura, ſcripturas, & inſtrumenta ſervare; Ideo hæc Mexicana ſynodus omnibus capitulis injungit, & mandat, ut ea in ſcripturarum ſub inventario exprimendarum cuſtodia, & archivii, a quo nihil ſine prælati licentia extrahatur, deputatione, & clauſura obſervent, & exequantur, quæ eadem ſynodo ordinante in titulo de rebus eccleſiæ conſervandis, vel non alienandis, ſub pœnis in eis contentis, decreta reperiuntur. Quando autem prælatus, & capitulum, quibus in hoc conſcientia onerantur, aliquorum hujuſmodi bonorum alienationem, in evidentem fabricæ utilitatem cedere judicaverint; tunc niſi cetera omnia neceſſaria, & requiſita, tam per jus commune, quam per apoſtolicas literas diſpoſita, & ordinata, præceſſerint, nihil innovetur. Si quid vero aliter factum fuerit, nullitatis vitio ſubjaceat.

Lib. 3. tit. 8. n. 6. & 7.

Cap. VI. *De candelis in die purificationis beatæ Mariæ diſtribuendis.*

§ I.

Conc. Mil. verb. quod pietatis, & 3. tit. quæ ad ſacramentalia, & ſacramenta generaliter pertinent.

IN candelarum diſtributionem die purificationis beatæ Mariæ facienda, prohibet eadem ſynodus vanos, ac ſuperfluos cereorum ſumptus, in poſterum fieri. Præcipiens nihilominus honeſtam ceræ quantitatem prælato, capitularibus, & omnibus eccleſiæ miniſtris, atque ſervientibus neceſſariam provideri, eamque ipſius eccleſiæ theſaurario, cui ſimul cum præſidente ejuſdem ceræ partitio incumbit, conſignari: Omnes quoque ſolenni ejuſdem feſtivitatis proceſſioni interventuros, quibus in hoc conſcientiam onerat, hortatur in domino, ut ſinguli cereis accenſis cum devotionis fervore, & ſpiritus elevatione, quæ, & ipſorum ſtatum, & illum actum deceat, procedant.

Cap. VII. *De requie, ejuſque uſu, ac tempore.*

§ I.

Ex conſueta Gran. c. 55.

QUamvis præmiſſæ erectionis forma cathedralium hujus archiepiſcopatus, & provinciæ eccleſiarum, capitularibus, qui præter quotidianas diſtributiones, nullus omnino fructus habent, aliquod pro requie tempus non aſſignet; & ſancta ſynodus Tridentina dum quibuſvis eccleſiarum hujuſmodi præbendatis ultra tres menſes, ab eiſdem eccleſiis quolibet anno abeſſe prohibet, earum eccleſiarum conſtitutiones, quæ longius ſervitii tempus requirunt, intactas relinquat: Hoc tamen ſanctum provinciale concilium humanæ infirmitati aliquo, ut

Seſſ. 24. c. 12. verbo præterea obtinentibus.

Lib. 3. tit. de clericis non reſident. §. 2.

ANNO CHRISTI 1585. Vide ſupra dicto §. 2.

ut par eſt, indulgentiæ præſidio ſubvenire volens, quo ſuavior, atque ferventior divinorum officiorum celebratio fiat; ſingulis omnium cathedralium eccleſiarum hujus provinciæ præbendatis ſeptuaginta dierum requiem quolibet anno concedit; quemadmodum in titulo de clericis non reſidentibus, inviolabiliter obſervanda ſanctione decrevit. Ad decidendum vero quaſcumque ſuper hujus decreti, & conceſſionis uſu dubitationes pro tempore occurrentes, quæ judicis miniſterio indiguerint, idem provinciale concilium plenam cuilibet in ſua diœceſi prælato facultatem, & auctoritatem tribuit; ut attentis temporis, perſonarum, negotiorumque circumſtantiis, & habita tenuitatis redditumm, ac debitæ divinis officiis frequentiæ, ratione quæ Dei ac domini noſtri obſequio, divinique cultus augmento potiſſimum convenire judicaverit, ea deliberet, ordinet, atque provideat, prout paſtorali ejus prudentiæ, & ſolicitudini, idem concilium committit, & conſcientiæ relinquit.

## § II.

Declarat tamen eadem Mexicana ſynodus neminem præmiſſi decreti, & indulti vigore, a ſua eccleſia abeſſe poſſe, in aliquo ex infraſcriptis diebus, qui ſunt.

TRES PRIORES PASCHALES DIES.

NATIVITATIS ) RESURRECTIONIS. ) PENTECOSTES. ) DOMINI.

CIRCUMCISIO ) EPIPHANIA ) ASCENSIO. ) DOMINI.

CONCEPTIO ) NATIVITAS ) ANNUNTIATIO ) PURIFICATIO ) ASSUMPTIO. ) B. MARIÆ.

FESTUM ( SANCTISSIMÆ TRINITATIS. ( CORPORIS CHRISTI.

FERIA QUARTA, QUINTA, SEXTA, SABBATUM majoris hebdomadæ.

FESTUM ( S. JOSEPHI. ( S. JOANNIS BAPTISTÆ. ( SS. PETRI, & PAULI. ( OMNIUM SANCTORUM. ( COMMEMORATIO DEFUNCTORUM uſque ad finem miſſæ. ( PATRONI generalis. ( PATRONI titularis eccleſiæ.

Omnes item dominicæ adventus, & cujuſvis menſis tertiæ, quandiu ſanctiſſimæ euchariſtiæ proceſſio duraverit: omnes item dies quadrageſimæ.

## §. III.

Similiter hæc ſynodus neminem ſeptuaginta horum dierum de requie, niſi pro rata temporis, quo eidem eccleſiæ inſervierit, gaudere poſſe declarat. Si quis vero dum actuali unius præbendæ reſidentiæ integre inſervit, ad aliam in eadem eccleſia promoveatur, (ut par eſt) requie integre gaudeat.

## §. IV.

Inſuper eadem Mexicana ſynodus declarando ſubjungit; ut ad matutinum præcipuarum feſtivitatum ſuperius expreſſarum, nedum præter adventus, quadrageſimæ, ac tertias cujuſque menſis dominicas præbendati omnes intereſſe teneantur. Qui vero niſi ex veræ ægritudinis impedimento defuerit, præter illius horæ diſtributionem, ſex etiam dierum ſtatim in quadranti annotandorum emolumentis irremiſſibiliter mulctetur. Ita ut qui hanc pœnam quovis modo remiſerit, eamdem emolumentorum quantitatem fabricæ, ipſo jure, abſque ulla alia declaratione in conſcientia reſtituere debeat, juxta alias factam ab hac ſancta ſynodo diſpoſitionem.

Ubi ſupra lib. 3. tit. de clericis non reſident. 3.

## Cap. VIII. *De iis quæ amittit, qui prædicta requie utitur.*

## §. I.

RAtioni conſentaneum eſt, ut propriæ voluptatis, quietiſque corporeæ oblitis, majus lucrum reſpondeat, quam eis, qui recreationi vacant: Idcirco hæc ſancta ſynodus Mexicana plurium dubitationum, abſurdorumque cauſas ſuccidere cupiens, decernit, & mandat, ut quandiu aliquis præbendatus prædicta requie uſus fuerit, intereſſentiis, obventionibus; funeribus, anniverſariis, & manualibus, quæ non niſi vere & corporaliter præſentibus, & reſidentibus dentur, abſentiumque mulctis careat. Itaque dum in quadranti ſignum hoc R. requiem denotans habuerit, præbendæ ſuæ acervo, ſeu groſſa dumtaxat fruatur. Ut autem quiſque capitularis certum remanentium ſibi de hujuſmodi requie dierum numerum facile teneat, ex ejuſdem ſynodi mandato punctator in quadrantis margine, quos quiſque de hujuſmodi requie dies perceperit, adnotare teneatur.

## Cap. IX. *De iis, quæ lucrari poſſunt præbendati, qui a prælato occupantur.*

## §. I.

CUm quilibet prælatus duos præbendatos in curæ ſuæ paſtoralis ſubſidium deligere, & occupare pontificio jure poſſit; hac Mexicana declarante ſynodo ſtatuitur, & ordinatur, duos capitulares hujuſmodi a prælato ad effectum prædictum nominandos, annuis ſuarum præbendarum emolumentis (præterquam obventionibus, & manualibus, quæ non niſi vere, & realiter aſſiſtentibus, ut præfertur, dantur) integre gaudere poſſe. Ita ut in celebrioribus feſtivitatibus præmiſſis, ad matutinum, & alias horas, niſi tunc juſto actualis occupationis impedimento caruerint, ſuper quo eorum conſcientia oneratur, intereſſe non debeant.

In cap. de cetero, ... de clericis non reſidentibus.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reform. verbo omnes vero.

## §. II.

Quicumque præterea præbendati, qui prælato alicubi extra ſuam eccleſiam pontificaliter celebranti miniſtraverint, vel quos idem prælatus a chori ingreſſu, vel ab eodem choro, etiam ante miſſæ, vel alterius horæ finem ad ſe vocaverit; perinde ac ſi vere, & realiter divinis intereſſent, univerſa emolumenta lucrentur. Qui etiam ipſo prælato mandante concionem in eadem cathedrali eccleſia habiturus fuerit, tribus ante concionem diebus. Si tamen in illis ad miſſam, & veſperas interfuerit, eorumdem trium dierum obventionibus, & manualibus, ſicut alii vere præſentes, gaudeat; Si autem alibi ſine expreſſa ipſius prælati juſſione verbum Dei prædicare voluerit, nullis hujuſmodi intereſſentiis ſed conceſſis pro requie diebus, ſi quos habuerit, fruatur.

Conc. Mil. 4. reib. epiſc.



ANNO CHRISTI 1585.

## §. III.

Ne autem cuiquam egrediendi chorum ſimulata ſuffragetur occaſio, ſed omnes coram Deo in ſinceritate cordis ambulare ſtudeant; Hæc ſancta ſynodus illorum, qui per fraudem aliquid lucrati fuerint, conſcientias ad illud ipſum reſtituendum ipſo jure teneri, declarat.

# ** STATUTORUM PARS QUARTA.

## Cap. I. *De* patitur *præbendatis ægrotantibus conceſſo.*

## §. I.

Ex conſuet. Granat. c. 56. In cap. unico de clericis non reſidentibus. lib. 6.

PRæbendatos adverſa valetudine laborantes favore per ſacros canones conceſſo proſequi volens hæc ſancta ſynodus; decernit, & mandat, ut quoties aliquis eccleſiarum hujus archiepiſcopatus, & provinciæ præbendatus ægrotaverit, ad chorum venire non teneatur. Et nihilominus univerſis præbendæ ſuæ emolumentis, & obventionibus, anniverſariis, & manualibus, quæ non niſi ab actualiter aſſiſtentibus percipiuntur, perinde, ac ſi divinis officiis intereſſet, gaudeat. Et quia leviſſima ex cauſa plures dum recte valent, ægritudinem ſimulant, ut hoc prætextu choro ſe ſubtrahant, quotquot hujuſmodi fuerint, hæc ſancta ſynodus, & propriæ conſcientiæ onus, & ſcrutantis renes, & corda Dei judicium attendere commonet: ut omni prorſus cavillatione poſtpoſita, ad interveniendum choro, ibique perpetuas Deo pro tot in nos collatis bonis laudes perſolvendum, ſe ipſos excitent: & quæcumque ſimulatæ ægritudinis cauſa bona perceperint, tamquam mala fide, & contra Dei legem parta reſtituant.

Late Navarrus de horis canon. in c. quando confer. diſt. 1. c. 5. n. 10.

## §. II.

Ex doctrina Covarrubias lib. 3. variarum reſolut. c. 13. n. 8. ver. 5. Conſueta Granat. c. 56.

Quoties autem quis ab ægritudine in priſtinam Deo juvante ſalutem reſtitutus fuerit; cum primum domo ſua exierit, non niſi ſuperpellicio indutus recta via ad eccleſiam, ejuſque chorum debitas pro receptis viribus eidem Domino gratias acturus tendat. Sed ſi tunc temporis ab horis canonicis vacetur, aliquos præfati ſui adventus teſtes adhibeat, chorumque cum voluerit exeat. Quod ſi quis, ut præfertur convaleſcens alio prius quam ad eccleſiam ſe contulerit; præter omnes horarum, quibus ægritudinis titulo defuerit, diſtributiones, totidem alia emolumenta amittat, ita ut ſi duobus ægritudinis cauſa diebus abſens a choro fuerint, dierum quatuor emolumentis mulctetur.

## §. III.

Capellani quoque, & acolyti quoties manifeſta ægritudine præpediti fuerint, ſimili abſentiæ beneficio gaudeant. Verum quia ſæpenumero plures illorum bene valentes ſe ægrotare affirmant, ut otio vacent: ideo prætenſas ipſorum ægritudines, eorum maxime, qui ſine patenti cauſa frequenter abſunt, videndi, & examinandi cura præcipua punctatori incumbat.

Ex conſtit. Hiſpalenſ. bus a c. 124. uſque ad 126.

## Cap. II. *De* patitur, *præbendatis extra civitatem conceſſo.*

## §. I.

QUotieſcumque capitularis, qui requiem accepit, extra civitatem profectus fuerit, ibique in verum, atque patentem morbum, qui fide digna judicis, vel ſacerdotis, vel notarii atteſtatione, addita juramenti ſolennitate probetur, inciderit; requie interim minime computata, ægrotantium jure fruatur. Si tamen inde progrediatur ulterius, ceſſante hujuſmodi ægrotantium favore, præmiſſa requie iterum gaudeat: qui nihilominus ad civitatem rediens, ſi ipſum vere ægrotare conſtiterit, idem *patitur*, ut præfertur, habeat. Si vero de ipſius ægritudine non ſatis conſtiterit, primo dictam requiem recipiat.

## §. II.

Inſuper ordinatur, & ſtatuitur, ut qui eodem ægrotantium beneficio, quod *patitur* dici ſolet, extra civitatem gaudere voluerit, illud in capitulo per ſe, vel per alium petere debeat: non, ut a ſuffragiorum eventu pendeat; ſed ut illius abſentia omnibus innoteſcat. Quod tamen nemini extra epiſcopatum morari volenti, niſi ille ſalutiferum balneum, ſeu calidæ, frigidæve regionis temperiem de duorum medicorum id expedire jurantium conſilio, ſe adire velle juraverit, nec ſine præmiſſis limitationibus concedatur.

## §. III.

Ut autem quoad fieri poſſit, dubia ceſſent, eadem ſynodo providente declaratur, ut ſi quis capitularis perſonaliter in choro, vel alibi exiſtens ſibi pro veſpertino tempore, vel ſequenti die hoc ſignum *patitur* apponi a punctatore petierit, illud non obtineat: quod ſi obtinuerit, totidem dierum, aut horarum, quibus tale *patitur* habuerit, emolumentis mandato præſidentis mulctetur. Si tamen aliquis eccleſiæ actualiter præſens adverſo aliquo accidenti, vel indubitato morbo correptus fuerit, idque punctator inſinuaverit, ejuſdem *patitur* ſigno in quadranti valide notetur.

## Cap. III. *De iis, quæ cum præbendatis ægrotantibus, in mortis periculo conſtitutis agenda ſunt.*

## § I.

SI quidem ſatis conſtat gravibus morbis homines, ut plurimum ad interitum duci, in

Ex ſtatutis Hiſp. c. 129.

in eoque rigidiſſimo conflictu vires humanas debilitari, & memoriam deficere, adeo ut ſic laborantes, ad recolendum mente Deum, ſeque ab æternæ mortis faucibus eripiendum aliorum prudentium hominum præſidio, ac miniſterio maxime indigeant; ea propter ſtatuit, ac pręcipit hæc ſancta ſynodus, ut quovis capitulari lethaliter ægrotante, duo beneficiati ad id magis idonei a capitulo deputentur, qui capitularem prędictum, ejuſdem capituli nomine viſitent, ac cum in corporalibus fraterna ſolicitudine adjuvent, tum eccleſiaſticis quam primum ſacramentis reficient, prout probum decet Chriſtianum: quibuſcumque animæ ſuæ debitis pie condito teſtamento ſatisfacere faciant: eidem quoque ſanctum extremę unctionis oleum tempore, quo illud ab eo cognoſcatur, conferri in primis curent; ipſumque ambo ſimul, vel alternatim ſinguli, prout ejus neceſſitati expedire viderint, uſque ad ultimum vitę halitum diligentiſſime comitentur. Piis denique ex ſacra potiſſimum pagina verbis, & exhortationibus, ſanctiſque in ordinario deſcriptis precationibus, terribili hujuſmodi mortis articulo, contra communis hoſtis inſidias, neceſſariis, & opportunis ad bene in domino moriendum corroborent, & ſuaviter exhortentur.

## Cap. IV. *Quomodo ægrotanti prælato eccleſiaſtica ſacramenta ſint miniſtranda.*

### §. I.

*Ex ſtatutis Hiſp. c. 123.*

PRÆCIPIT etiam, & mandat hęc ſancta ſynodus, ut pręlato ęgrotanti, ac ſanctiſſimę euchariſtię, & unctionis extremę ſacramenta petenti, capituli pręſidens pluviali aureo ornatus, prębendatis omnibus, nemine excepto, una cum parochis, capellanis, & eccleſię miniſtris, reliquiſque ſacerdotibus, qui congregari poſſint, ſuperpelliciis indutis proceſſionis ordine comitantibus, cruce quoque cum luminaribus ditioribus præcedente, eamdem ſanctiſſimam euchariſtiam, qua decet, devotione, ac reverentia miniſtret; prębendatiſque ſingulis huic actui deficientibus emolumenta ſingulorum menſium per eos emerita, inter alios, qui interfuerint diſtribuenda, detrahi jubeat.

## Cap. V. *Quomodo præbendatis ægrotantibus eadem ſacramenta miniſtrari debeant.*

### §. I.

*Ex conſtit. Hiſp. c. 127. & 128.*

QUANDO ſanctiſſimę euchariſtię, & extremę unctionis ſacramenta, alicui prębendato ęgrotanti miniſtranda fuerint, per parochum, ſub cujus ille parochia degerit, ſerico pluviali ornatum, accenſis cereis, deputandiſque a prǽſidente miniſtris comitantibus, eidem ęgrotanti, cui duo capitulares ſuperius nominati, in reliquis neceſſariis adſint, miniſtrentur.

## Cap. VI. *De campanarum pulſatione defuncto prælato facienda.*

### §. I.

*Ex conſtit. Hiſp. c. 130. Conſt. Mil. 1. 2. p. tit. de funere epiſc. & Mil. 4. tit. de funeribus, & exequiis.*

UT deferenda prælato reverentia in omnibus reſplendeat, eidemque morienti nihil debiti honoris deficiat; eadem decernente ſynodo ſtatuitur, & ordinatur, ut quoties prælatum obire contigerit, ſtatim campana major ſexageſies admodum paulatim pulſetur; omnes deinde majores, minoreſque campanæ funebri ſonitu ter ſolenniſſime tiniant: tuncque parochiæ, monaſteria, eremitoria, ac hoſpitalia ſimili campanarum pulſatione, ac ſolennitate reſpondeant. Idque per totum novendium quotidie, ſemel quidem poſt meridiem, ac iterum poſt ſolis occaſum, necnon tempore funeris, ſpatio dimidiæ horæ durante ſimiliter faciant; quatenus frequens omnibus precandi Deum recordatio ſubeat, ut & defuncto prælato, æternam felicitatem, & convenientem ſancto ejus obſequio ſucceſſorem populo concedat.

### §. II.

*Ex conſtit. Hiſp. c. 131.*

Similiter quoties aliquem capitularem obire contigerit, ſi dignitas fuerit, quadragies; ſi canonicus terdecies; ſi integer, vicies; ſi vero dimidius portionarius decies: primo dicta campana major etiam paulatim pulſetur, ſtatimque ac funeris, & exequiarum tempore reliquæ omnes campanæ funebri ſonitu ſolenniter quatiantur.

## Cap. VII. *De modo ſepeliendi prælatum defunctum.*

### §. I.

*Quæ appoſita ſunt ex conſt. Hiſp. & conſt. Mediol. ſupra c. 6.*

CUM prælatus diem clauſerit extremum pontificali ornatu veſtibus violacei coloris juxta dignitatis ejus exigentiam induatur; & ſic indutus ſuper aliquem, in amplo cubiculo, ubi decentia ad celebrandum altaria eſſe poſſint, conſtruendum, ac ſericeis paramentis ſternendum lectum collocetur. Poſt hæc capitulares omnes, nemine dempto, ſub pœna præſidentis arbitrio imponenda, ſuperpelliciis, ac ſuo tempore etiam chori cappis ſuperveſtiti, una cum clero ad eum locum ſublimi præcedente cruce proceſſionis ordine accedant; ac prælati, ut præfertur, defuncti animam juxta deſcriptum in ordinario tenorem Deo commendent, triaque defunctorum nocturna dicant. Manentibus interim, ex ejuſdem præſidentis ordinatione, competentibus in eccleſia miniſtris, qui currentis officii horas abſque aliquo defectu recitent. Proviſis deinde; atque diſpoſitis ceteris rebus funeri neceſſariis, miniſtri de more parati, ac ſex præbendati pluvialibus induti, ſceptra gerentes, ſimulque omnes monachorum conventus, ac reliquus ordo clericorum a cathedrali eccleſia, ubi juxta præviam vocationem congregati fuerint, ad ſupradictum cadaveris locum ordine ſervato procedant. Ibique dicto reſponſorio, & oratione, defuncti corpus detecta quidem facie, ut præfertur, indutum feretro decenter ornato imponant; illudque ſeniores dignitates, ceteraique capitulares, & monachorum ordines pſalmos interea, aut alia ſecundum manuale







Romanum, vel laudabilem ejus eccleſiæ conſuetudinem dicenda decantantes, uſque ad eccleſiam, ubi ſepeliendus fuerit, humeris viciſſim efferant. Ubi ſi per ſtatutum ad celebrandum tempus licuerit, ſolenne miſſæ ſacrificium, addita ad ædificationem populi digna funerali concione peragant. Ac denique corpore ſepulturæ tradito, prælati hujuſmodi propinquos, vel famulos, uſque ad eamdem unde exierint domum ſine prævia cruce comitentur.

### § II.

Item ordinatur, & ſtatuitur, ut præmiſſo exequiarum novendio durante, quotidie, tam poſt miſſam, quam poſt veſperas miniſter pluviali indutus coram ſublimi cruce, ac luminaribus, reſponſorium pro eodem defuncto dicat. Ipſo vero exequiarum die decanus, & capitulum eiſdem monachorum conventibus, cum reliquo clero intervenientibus, vigiliam cantent, & miſſæ ſacrificium, juxta breviarii Romani formam habita ſimili funerali concione perficiant. Ita ut in omnibus ſe Chriſtianos, ac pios, ſuoque prælato ejus eccleſiæ ſponſo vere ſubditos oſtendant. Atque adeo, quæcumque alia hic non expreſſa, quæ ad hujus funeris, exequiarumque decus, & ornamentum, proba, & integra ipſorum conſcientia dictante, deſiderari judicaverint, ipſi diligenter provideant.

## Cap. VIII. *De modo ſepeliendi præbendatos defunctos.*

### § I.

*Ex conſtit. Hiſp. c. 133. Conc. Mil. 2. tit. 3. decreto 3.*

QUoties aliquis præbendatus ex hac vita migraverit, ſacerdotalibus, quas ipſe habuerit, aut emerit, vel ſi adeo pauper fuerit, ut eas emere nequeat, ab eccleſia providendis veſtibus induatur: ejuſque anima per aliquos capitulares, & clericos, a præſidente nominandos Deo commendetur. Quibus peractis, & adveniente funeris hora decanus, & capitulum, ſimulque miniſtri de more parati, cruce cum luminaribus præcedente eccleſiam exeant, ac defuncti corpus ad eccleſiam, ubi ſepeliri debuerit, efferant: & poſt vigiliæ recitationem, ac ſi per tempus licuerit, miſſæ ſacrificium, illud ſepulturæ tradant. Pro quo ſimiliter exequias agere, & miſſæ ſacrificia infra dicenda celebrare; quæcumque demum defuncto fratri, ad animæ ſalutem, & corporis honorem neceſſaria, & opportuna providere teneantur.

### § II.

Cum vero capellanus, vel miniſter eccleſiæ ex hac vita ſimiliter migraverit, comitantibus omnibus ejuſdem eccleſiæ capellanis, atque miniſtris, cum demonſtratione, quæ talis eccleſiæ miniſtrum deceat, per parochos ſepeliatur.

## Cap. IX. *De iis, quæ quilibet capitularis agere tenetur, in prælati, vel alicujus capitularis obitu.*

### §. I.

FIdes catholica docet, quam ſancta, & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur: unde hæc Mexicana ſynodus decernit, & mandat, ut quilibet ejuſdem eccleſiæ capitularis pro demortui prælati anima ſex, pro quovis vero præbendato ſimiliter vita functo tres: prælatus autem pro quolibet ejuſdem eccleſiæ capitulari, ex eadem vita migrante ſex etiam miſſas infra novendium a die obitus computandum dicere teneatur; & abſentes, ut eiſdem ſatisfaciant certiores reddantur.

*Conc. Mil. 3. dicto tit. 2. d. 14.*

## Cap. X. *De injuriis verbo, aut facto illatis.*

### § I.

*Ex conſtit. Hiſp. c. 116. & 117. Conc. Mil. 3. verbo ſirixæ, & contumeliæ.*

SI viri eccleſiaſtici (qui propter ſtatus eminentiam, reliquo populo Chriſtiano præ oculis habentur; quique verbis, moribus, & actionibus ſolidæ virtutis exemplum præbere debent, ſeipſos, ut par eſt, a vitiis omnibus corrigent, plurimis profecto ad hoc neceſſario conditis legibus, mandatiſque opus non eſſet. Quare hæc ſancta Mexicana ſynodus inviolabili ordinatione decernit, & mandat, ut quoties aliquos præbendatos jargari, aut tam verbo, quam facto rixari, quavis ex cauſa occurrerit; eos præſidens arbitrio ſuo juxta cujuſque culpam mulctare, & ad mutuam amicitiam quam primum reſtituere poſſit, ac debeat. Quando quidem tot ſpiritualia, ac temporalia bona, ex concordi fraternitate, & pace; tot vero damna, & incommoda, ex odiis, ac diſſenſionibus oriuntur. Si quis autem, quod abſit, pacem, & amicitiam reſpuerit; a prælato, qui ſtatim de hoc certior fiat, tamquam a patre, efficaciori remedio corrigatur.

### §. II.

Declarat nihilominus eadem ſancta ſynodus, non eſſe ſuæ intentionis, per hoc decretum, cuiquam jus aliquod tollere; ſed quavis reconciliatione, & amicitia interveniente, offenſum, contra offendentem conqueri, ac litem proſequi in judicio poſſe, affectu tamen paterno per viſcera miſericordiæ Dei noſtri offenſos hujuſmodi hortatur, & monet, ut quid ejuſdem domini miniſtros, ac vere caritatis, quæ patiens, & benigna eſt, ſectatores deceat, ad puſillorum exemplum, & ædificationem attendant: atque adeo, quaslibet ſibi ipſis illatas injurias, in ejus, qui pro totius generis humani culpis ſatisfecit, quique nobis ipſum quotidie offendentibus clementiſſime parcit, amorem, & gratiam aliis remittant. Pro quorum, aliorumque in præmiſſis neceſſariorum diſpoſitione, & effectu, eadem ſynodus præſidenti, & capitulo conſcientias onerat, ut ſublatis omnino diſſenſionibus, & ſcandalis, quæ ad Dei obſequium, & divini cultus augmentum expedire judicaverint, provideant. Idemque præſidens, tam in capitulo, quam alibi præbendatos a durioribus verbis, & manuum motibus, unde plura ex præmiſſis abſurda naſcuntur, abſtinere jubeat, ac pertinaces, ſi opus fuerit, mulctari faciat.

### §. III.

Quæ omnia, & ſingula, ut præfertur, ſtatuta hæc ſancta provincialis Mexicana ſynodus, ab omnibus cathedralibus hujus archiepiſcopatus, & provinciæ præbendatis obſervari; illaque, & mulctas in eis contentas, a præſidentibus, & capitulis debitæ executioni mandari, ac cærimoniale ſimiliter ordinatum, & eiſdem ſtatutis inſertum recipi, & exercitari, præ-

ANNO CHRISTI 1585.

cipit, injungit, & mandat. In quorum fidem A has literas aſſiſtentium eidem ſynodo patrum nominibus munitas ſigillari fecit. Mexici in aula ſynodali, decimo ſeptimo Kalendas Novembris. Anno domini milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto.

*P. archiepiſcopus Mexicanus.*
*Fr. Garcia epiſcopus Guathemalenſis.*
*Fr. Joannes epiſcopus Mechoacanenſis.*
*D. epiſcopus Tlaxcalenſis.*
*Fr. Gregorius epiſcopus Yucatanus.*
*Fr. D. Novæ Gallitiæ epiſcopus.*
*Fr. B. epiſcopus Antequerenſis.*

In teſtimonium veritatis, premiſſis meo nomine B ſubſcripſi. *Doctor Joannes de Salzedo.*

NOs Antonius tituli SS. Joannis, & Pauli presbyter cadinalis Carafa fidem facimus, & atteſtamur, ſtatuta facta a reverendiſſimo domino archiepiſcopo Mexicano in ſynodo provinciali anno MDLXXXV. celebrata, unaque cum ſynodo prædicta ad ſanctiſſimum dominum N. miſſa a ſacra congregatione cardinalium concilio Tridentino interpretando ſanctitatis ſuæ auctoritate præpoſitorum emendata, atque aptata fuiſſe; eorumdemque ſtatutorum originale apud ipſam congregationem remanſiſſe, cum quo hujuſmodi ſtatuta hoc libro chartarum LXXIX. quarum prima incipit, *Sancta ſynodus provincialis in civitate Mexicana*, ultima vero; *augmentum expedire*, & deſinit. *Doctor Joannes de Salzedo*; deſcripta & collata in omnibus & per omnia concordant, In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infraſcripto ſecretario item ſubſcribi, ſigillumque noſtrum, quo in congregationis prædictæ literis & ſcripturis obſignandis utimur, apponi mandavimus.

Romæ die XXVII. Octobris MDLXXXIX. Ita eſt a card. Carafa. Laurentius Frizolius ſacræ congregationis antedictæ ſecretarius de mandato.

*Et eſt ſignatum ſigillo illuſtr. card. Carafa.*

✠ *Locus ſigilli card. Carafa.*

ANNO CHRISTI 1586. Ex Harduino Concil. tom. 9. p. 2151.

# DECRETA SYNODI PROVINCIALIS CAMERACENSIS, habitæ in oppido Montis Hannoniæ, anno Domini MDLXXXVI.

Præſidentibus illuſtriſſimis & reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis Joanne Franciſco Bonhomio epiſcopo & Comite Vercellenſi, Nuncioque Apoſtolico cum poteſtate Legati de latere, ac Ludovico de Berlaymont archiepiſcopo Duce Cameracenſi, ſacri Rom. Imperii Principe, &c.

*Ex editione Gandavenſi, anni 1629.*

## TIT. I.

*De fidei profeſſione, & de his quæ ad ejuſdem fidei integritatem tuendam & conſervandam pertinent.*

CAPUT I. CUm fides ſit verum ſymbolum, quo catholici ab aliis diſtinguuntur, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; ſacra ſynodus provincialis Cameracenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, ab ea principium ducens, in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & ejuſdem Spiritus ſancti, ſtatuit ac decernit, ut juxta formulam a Pio IV. D præſcriptam, fidei profeſſionem faciant omnes Profeſſores, Concionatores, Confeſſarii, ludimagiſtri: ac præterea typographi, bibliopolæ & qui libros quomodolibet diſtrahunt, tam viri, quam mulieres. Item quicumque ſemel in hæreſim lapſi, ad eccleſiæ gremium redeunt, & qui ex uno loco in alium tranſmigrant, nec adferunt ſufficiens teſtimonium ſuæ fidei & converſationis a Paſtore loci ſuæ ultimæ reſidentiæ, antequam ad ſacram communionem admittantur: nec non quicumque ad ſacros ordines promovebuntur: idque in manibus Ordinariorum cujuſque loci, vel ab eis deputandorum; qui E hujuſmodi profeſſionis atteſtationem ad eoſdem Ordinarios tranſmittat.

II. Supplicetur Regiæ Majeſtati, ut idem mandare velit, de iis qui ad gerendos magiſtratus, aut alia officia publica, tam in urbibus, quam in pagis aſſumuntur: nempe ut in ipſorum admiſſione dictam fidei profeſſionem fac-

C re teneantur: nec admittantur, niſi præhabito Paſtorum ſuorum de anteactæ vitæ catholicæ converſatione teſtimonio; quod ipſi Paſtores dent gratis: & ſi prece aut pretio inductos teſtimonium hujuſmodi contra veritatem dediſſe compertum fuerit, Ordinariorum arbitrio graviter puniantur.

III. Nulli præterquam typographis, bibliopolis, & librariis juratis ullos libros typis committere, inferre, aut venales exponere liceat, ſub pœnis Concilii Tridentini, & primi Provincialis Cameracenſis, aliiſque arbitrariis. Qui etiam in ſua admiſſione, præter ſupradictam fidei profeſſionem, juramentum præſtent de non invehendis libris prohibitis, nec ſecreto diſtribuendis: & de hoc agatur cum magiſtratibus. Nulli vero libri imprimantur, quacumque de materia tractent, niſi expreſſam habeant approbationem epiſcoporum, aut ab eis deputatorum, vel alicujus Cenſoris in Univerſitate Lovanienſi, aut Duacenſi.

IV. Non permittatur cuivis de populo libri ſacræ ſcripturæ lingua vernacula contra quartam regulam Indiciis librorum prohibitorum, niſi de licentia epiſcoporum, aut deputatorum ab eis.

V. Ut Concilii Tridentini decreto de invocatione, veneratione, Reliquiis ſanctorum, & ſacris Imaginibus, ſeſſ. XXV. ſatisfiat; nullæ inſolitæ imagines in eccleſiis ponantur, aut ex quarum inſpectione aliquod offendiculum generari poſſit; vel quæ veritati ſacrarum ſcripturarum, traditionum, aut hiſtoriarum non reſpondeant: neque etiam in privatis domibus habeant-

an-



ANNO CHRISTI 1586.

antur; & multo minus in publicis proceſſionibus exponantur picturæ, quæ referant hæreticorum ludibria. Imagines quoque quibuſdam in locis per eccleſias ab hæreticis mutilatæ quamprimum reparentur: & horum omnium in viſitationibus diligens ratio habeatur.

VI. Quoad ſanctorum Reliquias, ſicubi bellorum injuria direpta, aut deperdita fuerunt vaſa argentea reſtaurentur: aut alioquin decentes capſulæ fiant, quæ ut minimum pannis ſericis ornentur. Et ut majori veneratione ſint apud populum eædem ſanctorum Reliquiæ, appendantur tabellæ in ſingulis eccleſiis, quibus declaretur, quæ in unaquaque Reliquiæ judicio epiſcopi approbatæ adſerventur. Et paſtores, ac concionatores verbi Dei ſubinde refricent memoriam ſanctorum, quorum Reliquiæ in iis templis habentur & coluntur. Cumque populo pietatis cauſa ſolemniter oſtenduntur, luminaria aliqua accendantur. Ne temere tamen omnium oculis exponantur: nec ex loculis ſeu capſulis per alium quam epiſcopum, aut ab eodem poteſtatem in ſcriptis habentem, educantur.

VII. Signa, vel imagines, annulive, orationes ſcriptæ, vel [ut vocant] brevia characteribus aut nominibus incognitis impreſſa, ne ad alicujus morbi hominis, jumentive curationem adhibeantur; ne etiam ligaturæ matrimonii actum impedientes, aliave veneficia, vel faſcinationes ſuperſtitioſa obſervatione fiant, aut diſſolvantur: nec vulnera aut plagæ ullæ ſuperſtitioſo adhibito ſignorum, verborum, aut precum numero, linteolis, vel alia, quæ a medicis comprobata non ſit, ratione curentur. Denique quicumque hujuſmodi vel aliis ſuperſtitionibus, dæmonum invocationibus, implicitis vel explicitis pactis cum iiſdem uſi fuerint; quive artem Aſtrologicam judiciariam, a ſanctiſſimo domino noſtro Sixto V. ſpeciali conſtitutione damnatam exercuerint; excommunicationem incurrant: & per paſtores in ſuis concionibus publice excommunicati denuncientur, & aliis pœnis a jure impoſitis ſubjaceant.

VIII. Inhærendo conſtitutioni felicis recordationis Leonis X. contra blaſphemos editæ in concilio generali Lateranenſi, ſeſſione IX. a Pio V. innovatæ, pœnas in ipſa contentas exacte obſervari mandat hæc ſynodus: præcipitque Paſtoribus, ut ſæpe in ſuis concionibus declarent ſuis parochianis gravitatem hujus delicti: eoſdemque hortentur ad ſupplicandum epiſcopis pro erectione ſodalitatum Nominis Dei, ad eumdem finem; juxta conſtitutionem felicis recordat. Gregorii XIII. his decretis annexam.

## TIT. II.

*De doctrina & prædicatione verbi Dei.*

CAPUT I. Quicumque prædicandi aut docendi ſacram ſcripturam munere fungentur, (quod E juxta Tridentini Concilii decreta nullis etiam Regularibus in eccleſiis non ſuorum ordinum abſque epiſcopi licentia facere licet:) eam interpretentur eo ſenſu, quem Catholica & ſanctorum Patrum conſentiens auctoritas comprobavit. Ne hiſtorias ex apocryphis ſcriptoribus populo narrent: neve paſſim hæreticorum opiniones & argumenta apud imperitam multitudinem referant. Quod ſi quandoque neceſſitas poſtulabit, ut eorum falſa dogmata confutentur; id non longa diſputatione, ſed gravi & ſolida redargutione faciant: ne oſtentandæ doctri-

A næ aut eloquentiæ cauſa, difficiles atque inanes quæſtiones moveant; unde ſui ipſius potius quam JESU Chriſti prædicatores eſſe videantur: ſed præcipue in articulis fidei, oratione Dominica, & ſalutatione Angelica, decem præceptis decalogi, & quinque præceptis eccleſiæ, nec non ſeptem ſacramentis, ac evangeliis & epiſtolis diei breviter & dilucide explicandis verſentur.

II. Vitia quoque reprehendant; ſed ita ut peccatorum, non hominum, odio id eos facere omnino intelligant: ac proinde nominatim neminem arguant: ne etiam in alios prædicatores ejuſdem aut alterius ordinis invehantur, aut eos reprehendant.

B III. Indulgentias novas populo ne annuncient ſine decreto epiſcopi: ſimiliter neminem extraneum paupertatis nomine ex ſuggeſtu commendent; niſi teſtimonium ſcripto ab ordinario attulerit.

IV. Potiſſimum autem hoc provideant, ut quod verbo ædificant, id vita & moribus non deſtruant; ne cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur.

V. Qui in ſupradictis peccaverint, etiam Regulares & exempti, non obſtante ipſorum exemptione, juxta decretum Concilii Tridentini ab epiſcopis puniantur.

VI. Decani Chriſtianitatis referant epiſcopis, aut eorum vicariis, ſi quos deprehenderint C paſtores, vel ob imperitiam, vel ob negligentiam a prædicatione verbi Dei abſtinentes: & longe magis, ſi quos invenerint, qui ſuis prædicationibus magis deſtruant, quam ædificent.

VII. Dum habetur concio, in ea eccleſia nec ſolemnes nec privatæ Miſſæ celebrentur: ſed nec per ipſam eccleſiam quiſquam pauper permittatur mendicare: nec horæ canonicæ decantentur: nec cantores, vicarii, aut canonici, eas incipere audeant ante concionem finitam. Quod ſi concionator prolixior æquo fuerit, modeſte per aliquem moneatur: non autem hoc prætextu in ſua concione turbetur.

VIII. Clerici, cantores, capellani, & canonici concionibus frequenter interſint: ut ipſo- D rum exemplo laici ad Dei verbum frequentius audiendum incitentur.

IX. Eadem hora qua concionem habebit epiſcopus, nullibi in toto oppido alia concio habeatur.

X. Denique hortatur ſynodus concionatores, ſive paſtores ſint, ſive alii, qui plures in eadem urbe degunt, ut conveniant inter ſe aliquoties, deque tractandis materiis, abuſibuſque arguendis conſentiant.

## TIT. III.

*De officio divino.*

CAPUT I. Ubi cathedrales eccleſiæ Romani officii uſum ſuſceperunt, eumdem reliquæ omnes totius diœceſis parochiales eccleſiæ, una cum ritu & cærimoniis, tam in Miſſæ celebratione, quam reliquo divino officio ſequantur. Nec non ſimiliter omnes beneficiati in eiſdem eccleſiis reſidentes in ſuis horis canonicis privatim legendis obſervent. Ubi vero cathedrales eccleſiæ ſuum antiquum uſum retinent, idem quoque per totam diœceſim, quoad dictas parochiales, earumque beneficiatos ſervetur. Deputentque quamprimum epiſcopi cum ſuis capitulis viros aliquos, in officio divino ac cærimoniis



ad

ad illud pertinentibus exercitatos; qui in primis cærimonias ipſas ſcripto mandent; ac etiam dictorum veterum uſuum repurgationi, & novæ editioni incumbant: quibus peractis non liceat dictis parochialibus, & in eiſdem beneficiatis, etiam privatim, uti alio uſu, quam eccleſiæ cathedralis.

II. Quoad collegiatas vero, quæ nondum receperunt uſum Romanum, ſuos quamprimum uſus repurgent; repurgatoſque deputatis epiſcoporum exhibeant approbandos & confirmandos: alioqui infra ſex menſes a publicatione uſus cathedralis eccleſiæ repurgati, eumdem omni excuſatione poſtpoſita amplecti teneantur. Et nihilominus tam cathedrales, quam aliæ eccleſiæ, etiam Regularium, quæ jam uſum Romanum receperunt, hiſtorias ſanctorum ſuorum etiam repurgare, & ad ipſum Romanum uſum accommodare, atque approbari curare debeant.

III. Paſtores quoque, & alii prædicatores verbi Dei, in evangelii vel epiſtolæ explicatione, ſequantur uſum cathedralis eccleſiæ.

IV. Omnia quæ ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium celebrandum pertinent, munditia & puritate commendentur: ideoque graviter puniantur, quicumque ſacerdotes corporalibus, purificatoriis, mappis, & indumentis ſacris uti ſordidis & laceris, ſive in viſitationibus, ſive alias reperti fuerint.

V. Ne alibi, quam in locis Deo dicatis, & ab epiſcopo viſitatis & deſignatis, Miſſæ ſacrificium fiat, Tridentini Concilii decretis inhærendo omnino prohibet hæc ſynodus: niſi quis forſan ſpeciale privilegium Apoſtolicum ad hoc habeat: quo etiam uti nequeat, ſive ſæcularis, ſive regularis ſit, quin prius illud loci Ordinario, aut ab eo deputatis oſtenderit, ſub pœna ſuſpenſionis ad tres menſes.

VI. Miſſas etiam duas in die extra caſus jure permiſſos celebrare nulli ſacerdoti liceat, niſi ad hoc expreſſam licentiam ab epiſcopo in ſcriptis habeat; quæ nonniſi ex magna neceſſitate concedatur. Qui contraveniſſe repertus erit, a divinis ſuſpendatur. De cetero autem optaret ſynodus, ſuccurſus quos vocant, per ſimplicium beneficiorum unionem, aut alia commodiori ratione, epiſcoporum induſtria, ubi fieri poterit, in parochiales eccleſias erigi.

VII. Interdicit vero quibuſvis ſacerdotibus; ne quidquam in officio Miſſæ, maxime in canone, etiam prætextu pietatis, intermiſcere, aut novas cærimonias inducere præſumant: ipſumque canonem ſecreto pronuncient. Neque etiam Miſſas ſiccas, quocumque prætextu, (quas penitus abrogat ſynodus,) celebrare liceat.

VIII. Mandat inſuper innovando decretum ſecundum tituli de cultu, cærimoniis, & officio divino, dicti concilii provincialis Cameracenſis; ut ſi quis temulentia, vel alio notorio crimine ſcandalum dederit, & nihilominus poſtridie celebraverit, aut in officio diaconatus, vel ſubdiaconatus celebranti inſerviverit, officiali aut promotori ſevere caſtigandus denuncietur. Qui vero alius ſacerdos id ſciverit, nec denunciaverit, arbitraria pœna corrigatur.

IX. Ne peregrini & ignoti ſacerdotes, ſive ſæculares, ſive regulares admittantur ad celebrandum in ullis eccleſiis, niſi oſtenſis teſtimonialibus & commendatitiis litteris ſui Ordinarii, juxta decretum Concilii Tridentini.

X. Horam præſcriptam ſingulis parochis per ſtatutum ipſius concilii provincialis ad celebrandum Miſſam parochialem, nempe a feſto Paſchę uſque ad feſtum Remigii, circa horam octavam: a feſto vero Remigii uſque ad Paſcha circa horam nonam, ut obvietur querelis multorum, uniformiter & exacte per totam provinciam, quacumque in contrarium allegatione non obſtante, hæc ſynodus mandat obſervari, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, ipſis parochis contravenientibus infligenda, niſi forte ſuperveniente concionatore horam ſervare nequeant.

## TIT. IV.

*De dierum feſtorum cultu, & jejuniis.*

CAP. I. Ad tollendos abuſus, quibus in hunc uſque diem præcedentium conciliorum decreta mederi non potuerunt; ut videlicet impedirentur deambulationes, luſus, ſpectacula ludicra, exercitia ſagittariorum, baliſtariorum, bombardariorum, gladiatorum, & ſimilium; piſcationes, & potationes, aliaque profana opera, Dominicis, & aliis feſtis diebus, tempore divini officii, maxime veſperarum, & concionis; decernit ſacra ſynodus, ut in ſingulis eccleſiis parochialibus ſingularum urbium totius provinciæ veſperæ canantur eadem hora, & ſemper poſt prandium extra Quadrageſimam: impetreturque a Regia majeſtate, aut magiſtratibus, edictum publicum, quo ante finem earum prædicta prohibeantur; immo exitus e portis urbium hujuſmodi exercitiorum cauſa, tam veſperarum, quam Miſſæ parochialis, & concionis tempore omnino impediantur.

II. Similiter eidem Regiæ majeſtati ſupplicetur pro edicto contra aurigas, nautas, & ſimiles, ne Dominicis & aliis feſtis diebus merces vehere poſſint: utque etiam ſubhaſtationes, quas vulgo *recours*, aut *paſſemens* appellant; & multo magis mercatus, auctiones publicæ, luſus publici, choreæ etiam nuptiales, & compotationes, dicto tempore Miſſæ & veſperarum, ſub gravi pœna prohibeantur. Nundinæ etiam annuæ, & forum rerum venalium hebdomadarium, cum in diem feſtum incidunt, in alium transferantur ab epiſcopis cum conſilio magiſtratuum. Neque etiam permittantur agrorum cultus, aut meſſis; molitorum, coctorum cerviſiæ, lanionum, piſtorumque operæ, niſi ob notabilem neceſſitatem; cujus cognitio ad decanum Chriſtianitatis, vel eo abſente, aut nimis procul degente, ad paſtorem loci ſpectabit.

III. Qui autem ſint feſti dies, quibus populus ab opere ſervili ceſſare debeat; quæ item jejunia obſervare teneatur; ſtetur conſuetudini cujuſque diœceſis; qua non minus Regulares etiam exemptos, quam ſæculares, obligari ſynodus declarat.

IV. Si feſtum Annunciationis beatæ Mariæ Virginis inter Dominicam Palmarum & Dominicam Quaſimodo inciderit, feria ſecunda poſt Dominicam Quaſimodo etiam a populo ſervetur.

## TIT. V.

*De ſacramentorum adminiſtratione.*

CAP. I. Quo majore animi pietate ac debita præparatione ſacramenta ſuſcipiuntur, eo majorem gratiam conferunt: idcirco præter ea quæ ſacroſancta Tridentina ſynodus & prima provincialis Cameracenſis de iis ſtatuerunt, ad tollendos abuſus, quos in nonnullis locis, vel culpa, vel negligentia hominum, aut injuria temporum, in ſacramentorum adminiſtrationem invexit, hęc ſynodus decernenda duxit quæ ſequuntur. Ubi parochialis eccleſia magnam partem populi ſui habet extra mœnia ſeu portas urbium; ita ut nocturno tempore ejus loci incolis commode ſacramenta adminiſtrari non poſſint; quamdiu per epiſcopos proviſum non eſt, ut dicta pars viciniori parochiæ uniatur, aut in novam parochiam erigatur; provideant parochi, ut nocturno tempore ibi reſideat aliquis capellanus, etiam ſumptibus ejus loci parochianorum, ſi aliunde ipſi provideri non poſſit.

II. In iis locis ubi certi parochiani certam parochiam non habent, ſed pro ſuo arbitratu modo ad hanc, modo ad illam confluere poſſunt; mandat ſynodus, ut infra proximum Paſcha, poſt publicationem decretorum hujus concilii, epiſcopi, prout melius expedire judicaverint, dictos parochianos cum ſuis familiis certis parochiis aſſignent. In iis vero parochiis, quæ certis familiis, non autem certis finibus diſtinctæ ſunt, præcipit earum parochis, ad evitandas cum vicinis parochis controverſias, ut ſingulis annis de iiſdem familiis etiam ſcripto exhibendis inter ſe concordent.

III. In ſacramentorum adminiſtratione omnes parochi Manuale eccleſię cathedralis ſequantur; & in illius defectum utantur Manuali eccleſiæ metropolitanæ.

IV. Cum ſacra Tridentina ſynodo conſtitutum ſit, ut eccleſiarum rectoribus tot ſacerdotes adjungantur, quot & ad ſacramenta parochianis adminiſtranda, & ad divinum cultum ſatis eſſe poſſint: in plurimis autem hujus provinciæ eccleſiis parochialibus unus ſit cum ſuo cuſtode ſeu clerico ſacerdos: æquiſſimum judicat hæc ſynodus, ut qui in iiſdem capellanias obtinent, ad paſtori in prædictis cooperandum, ideoque ad perſonalem reſidentiam, juxta veriſimilem fundatorum intentionem, obligentur. Verum cum hoc ſit difficillimum quoad omnes obtinentes capellanias in uſum revocare; in iis ſaltem hoc omnino mandat obſervari, in quibus de dicta obligatione ex originali aut authentica fundationis copia conſtare poterit.

V. Cum ſacramenta eccleſiæ non ſolum ſine ſimoniæ labe, verum etiam ſine avaritiæ ſuſpicione adminiſtranda ſint; caveant omnes, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigant directe vel indirecte: ſponte autem oblatum accipere, & juxta laudabilem locorum conſuetudinem debitum a fidelibus parochianis poſt ipſam adminiſtrationem etiam exigere poſſint.

VI. Omnes qui adminiſtrant ſacramenta, illorum vim & uſum, pro eorum qui ſumpſerint & adfuerint capacitate & intelligentia diligenter explicent.

VII. Maxime provideant, ne dum aliis miniſtri ſunt ad ſalutem, ſeipſos in periculum damnationis injiciant; ideoque diligentiſſime præcaveant, ne ſint aliquo mortali peccato infecti, cum ſacramentum quodcumque adminiſtrant.

VIII. Sacrà olea quotannis quiſque parochus per ſeipſum, aut alium honeſtum ſacerdotem adferat ex ea eccleſia unde conſuevit: eaque in vaſculis honeſtis & mundis recondat; & reverenter ſtatim ad ſuam eccleſiam deferat: nec interim cum iiſdem in via in tabernis compotationibus ſe dare audeat, ſub pœna decem florenorum, quoties quiſpiam hac ratione ſcandalum dediſſe comperietur.

IX. Cum primum ſacra olea acceperit, ne veteribus ullo pacto utatur: ſed quidquid ex iis ſuperfuerit, totum id lampadi, quæ lucet ante venerabile ſacramentum infundatur, vel ſuper piſcinam comburatur.

X. Tametſi ſacra ſynodus non ignoret paſtores ex ſe paratos eſſe adminiſtrare ſacramenta omnibus ſuis parochianis, etiam peſte infectis; tamen quia experientia cognitum eſt, eam eſſe multorum parochianorum infirmitatem & puſillanimitatem, ut a proprio parocho abhorreant, ſimul atque eumdem alicui vel leviter de peſte ſuſpecto ſacramenta adminiſtraſſe intelligunt: præcipit ut tempore peſtis capellani conſtituantur ſumptibus ærarii publici, vel collectis ſingulorum parochianorum, in quorum utilitatem evidenter hoc cedere intelligitur; qui ſacramenta dictis peſte infectis, iiſque ſolis adminiſtrent; quibus capellanis epiſcopi dent curam animarum.

## TIT. VI.

*De Baptiſmo.*

CAP. I. Fons baptiſmalis ſingulis annis in ſabbato ſancto & vigilia Pentecoſtes mundetur: idque non a laico cuſtode, ſed ab aliquo ſacerdote: & in eo toto anno aquam baptiſmalem ſemper mundam parochus aſſervet.

II. Parochi pro pueris baptizandis vocati, quanto breviorem poterunt horam præfigant, qua puer ad eccleſiam deferatur, eaque ad eccleſiam ſe conferant. Quod ſi propter ipſorum moram puer ſine baptiſmo moriatur, graviter puniantur. Nec differant eo prætextu baptiſmum impendere puero, quod ſit illegitimus, nec habeat fidejuſſorem pro ſua alimentatione: neque in eo obediant magiſtratibus ſæcularibus.

III. Contra, ſi parentes fuerint in mora, diutius puerorum baptiſmum differentes; moneantur diligenter a parochiis: quibus ſi obedire noluerint, epiſcopi certiores reddantur.

IV. Decretum concilii Tridentini de uno patrino, aut una matrina, & ad ſummum uno & una, diſtricte ſervetur ab omnibus paſtoribus, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis.

V. Cum patrini ſint ſponſores fidei pro puero ſuſcepto, qui ad eum, cum adoleverit, in fide erudiendum obligantur; non admittantur in patrinos aut matrinas pueri, qui nondum habent uſum rationis; multo minus hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti, excommunicati, aut qui in Paſchate non ſunt confeſſi, nec ſacram communionem receperunt.

VI. Pueris etiam non permittant parochi imponi nomina paganorum; ſed nec eorum qui ab eccleſia pro ſanctis non coluntur.

VII. Antequam procedant ad baptiſma, diligenter inquirant ab obſtetricibus, num puerum baptizarint: quod ſi aſſerant, ulterius rogent qua forma & qua materia uſæ fuerint. Quod ſi deprehendant vel in forma vel in materia erratum fuiſſe, ipſi baptizent; alioquin a baptiſmo abſtinentes, exorciſmos tantum, & ceteras eccleſię orationes, adhibitis ſolitis cærimoniis, pronuncient. Nec unquam conditionali baptiſmo utantur, niſi cum re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an baptiſmum rite ſuſceperit puer. Qui contra fecerit, ſciat ſe ſacrilegium committere, & irregularitatem incurrere.

VIII. Infans vero expoſitus, licet appenſum collo ſcriptum habeat, quo baptizatus ſignificetur; ſi tamen hoc aliter conſtare non poſſit, ea conditionali formula baptizetur, quam præſcribit ex Alexandri III. conſtitutione Catechiſmus concilii Tridentini: *Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo: ſed ſi tu nondum es baptizatus,*

*zatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.*

IX. Baptizati ab hæreticis, ſi conſtare poſſit formam non eſſe ſervatam, in forma eccleſiæ conſueta baptizentur: alias, etiam ſi ſint adulti, poſt abjurationem hæreſis, & reconciliationem cum eccleſia catholica, ſolæ cærimoniæ, exorciſmi, & orationes, ut in pueris, adhibeantur.

X. Quod & ſervetur in iis, quos neceſſitas coegerit extra eccleſiam baptizari: ut videlicet poſtea, ſi bene habeant, ad eccleſiam pro dictis cærimoniis adhibendis deferantur.

XI. Quia vero experientia cognitum eſt, multas obſtetrices in forma aut in materia interdum errare; mandat ſacra ſynodus, ut nullæ mulieres deinceps ad hujus officii exercitium admittantur, niſi prius per paſtorem loci examinatæ, & ſi opus ſit, inſtructæ fuerint. Rogentur autem magiſtratus, ut inter cetera ab eiſdem obſtetricibus juramentum exigant, quod pueros baptizandos, ante diem tertium omnino parochis denunciabunt.

XII. Non omittat parochus monere omnes qui baptiſmo adſiſtunt, ut dum ſacra illa myſteria peraguntur, non riſibus aut fabulis, ſed precibus vacent aut diligenter ad ea quæ aguntur intendant.

XIII. Prima vice qua mulieres a puerperio domum exeunt, juxta antiquam eccleſiæ conſuetudinem, ad eccleſiam recta ſe conferant, gratias acturæ Deo pro beneficio puerperii; & ut a proprio paſtore, ſeu ejus vicem gerente, & non ab alio purificentur.

XIV. Parochus habeat librum, in quo ſingulorum baptizatorum, nec non parentum, & patrinorum ac matrinarum nomina, diemque baptiſmi diligenter deſcribat: qui (ſi ſit collegiata eccleſia) cum impletus fuerit, in archivo Capituli reponatur: ſi parochialis, æditius eccleſiæ adſervandus tradatur: cujus tamen libri inſpecto ipſi parocho, & aliis quorum intererit, libera ſit, quoties opus fuerit.

## TIT. VII.

*De ſacramento Confirmationis.*

CAP. I. Epiſcopi ſacramentum Confirmationis adminiſtraturi, aliquot ante diebus curent per parochos populum de ſequentibus diligenter moneri: in primis de dignitate, vi, & effectibus hujus ſacramenti: de confeſſione præmittenda ab his qui erunt confirmandi, ſi ad diſcretionis annos pervenerint: de prohibita ejuſdem ſacramenti iteratione ſub pœna ſacrilegii, eo quod imprimat characterem: denique de patrinis aut matrinis neceſſariis non minus quam in baptiſmo: ut proinde ſinguli puerorum ab aliquo preſentandi adducantur; mares quidem, quoad fieri poterit, a viris, & puellæ a mulieribus: Quorum etiam officium parochus declaret; nempe quod eorum puerorum, quos ſuſceperint, tamquam filiorum ſpiritualium curam gerere, eoſque prima fidei rudimenta docere debeant, ſi ea ignorent. Qui quidem ſuſceptores ipſi antea ſint ſacro chriſmate confirmati; majores quoque natu, aut ſaltem pares iis quos præſentant aut ſuſcipiunt; cum minor majori monendo aut corrigendo, patris vice eſſe non poſſit. Moneantur etiam de conferendis mundis linteis juſtæ longitudinis, ut fronti & capiti circumcingi poſſint.

II. Non infra ſeptimum aut octavum annum pueri confirmentur, qui ſciant diſtincte orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & ſymbolum Apoſtolorum; niſi epiſcopis aliter videatur.

## TIT. VIII.

*De ſacramento Pœnitentiæ.*

CAP. I. Sacerdoti præter Ordinis poteſtatem, quam in ſacerdotio accepit ad audiendas confeſſiones, etiam poteſtas juriſdictionis neceſſaria eſt; ideoque ſacroſancti concilii Tridentini decreto inhærens hæc ſynodus, neminem, etiam Regularem quantumvis exemptum, ad audiendas ſæcularium, etiam clericorum, confeſſiones, idoneum eſſe declarat, qui non antea per epiſcopum idoneus judicatus fuerit & admiſſus. Admiſſionem autem cum eadem Tridentina ſynodus gratis dandam eſſe decernat, eam in ſcriptis concedi voluiſſe ſatis apparet: proinde præcipit, ut ab omnibus qui beneficium non habent, cui cura animarum ſubſit, in ſcriptis habeatur.

II. Quod etiam de confeſſionibus ſacerdotum, & aliorum clericorum, qui paſſim hactenus ſine admiſſione ſibi invicem ſua peccata confitentur, intelligendum decernit.

III. Cum autem varii libri inſtructiones confeſſariorum contineant, ad eos recurrant parochi, & alii ad confeſſiones deputati; utpote Catechiſmum concilii Tridentini, Directorium Polanci, & alios ſimiles.

IV. Quæ tamen ſequuntur, ut non omnibus obvia, hic exprimenda duxit hæc ſynodus. In primis caveant diligenter confeſſarii omnes, ne quempiam abſolvant a caſibus Sedi Apoſtolicæ aut epiſcopo reſervatis, ſi ad hoc ſibi ſpecialiter conceſſam non habent facultatem.

V. Quia vero ſæpe occaſione indulgentiarum a ſummo Pontifice, vel alias ab Ordinario poteſtas datur commutandi vota; videat hoc caſu confeſſarius, ut vel in majora pietatis opera, quæque Deo gratiora futura ſint, vel ſaltem in æque pia Deoque grata illa commutet; habeatque rationem in dicta commutatione laborum & ſumptuum, quos, ſi perſolvendum fuiſſet votum, pœnitens ſubire aut ferre debuiſſet: fiatque hujuſmodi commutatio ſine præjudicio tertii.

VI. Confeſſionis ſigillum, quod ſub graviſſima depoſitionis pœna ſacri canones inviolatum eſſe voluerunt, ſi quis confeſſariorum violare præſumpſerit, ab audiendis confeſſionibus in perpetuum ſuſpendatur, & prout juris eſt, graviter puniatur.

VII. Salutarem Innocentii III. conſtitutionem in concilio generali editam in uſum revocando, ſtatuit hæc ſynodus, ut medici ad ægros in lecto decumbentes vocati, antequam illorum curam ſuſcipiant, eos moneant de advocando confeſſario: Qui ſi intra quatriduum non paruerint, eorum curam deſerere ſub excommunicationis infligendæ pœna omnino teneantur; niſi æger, paulo ante morbum, confeſſus ſit.

VIII. Parochum etiam curabunt moneri; quamprimum aliquem ægrum in ejus parochia viſitaverint: qui ſic monitus ægrum ipſum accedere, eumque ad ſuſcipiendum hoc ſalutare pœnitentiæ ſacramentum modis omnibus inducere debeat. Idem facere teneantur moniales, quæ ægrotis adſiſtunt.

IX.





IX. Ne autem negligatur præceptum eccleſiæ de confitendo proprio Paſtori, & excommunicando quotannis, juxta cap. *Omnis utriuſque ſexus*, ext. de pœnit. & remiſſ. ſcribantur omnium tam confitentium, quam communicantium in Paſchate, nomina & cognomina, tam a Regularibus, quam ſæcularibus, qui ea paſtoribus tradant in regiſtrum conſcribenda: & poſt Paſcha, paſtores, omnium eorum qui non communicaverint, nomina ad epiſcopum referant.

X. Neminem vero obligent paſtores, aliive confeſſarii, ut perpetuo ſibi, numquam alteri confiteantur: neque vota caſtitatis a filiabus confeſſionis exigant aut admittant, abſque epiſcopi conſilio, & a nimia familiaritate abſtineant.

## TIT. IX.

*De ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento.*

CAP. I. Cum is qui in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento continetur, ſit ſplendor lucis æternæ; cui non poteſt a nobis condignus honor impendi: non immerito antiquus Eccleſiæ ritus obtinuit, ut tam de die, quam de nocte, in templis cum lumine aſſervetur; & nonniſi lumine præeunte, & cum campanulæ ſono, ad ægros deferatur. Quare eorum in primis ſive avaritiam, ſive nimiam incuriam damnat hæc ſynodus, qui in eccleſiis tam Regularium quam ſæcularium continuum ante ipſam euchariſtiam lumen non fovent; niſi Ordinariis conſtiterit eccleſias ita pauperes eſſe, ut ſumptibus neceſſariis ſufficere non poſſint; quo caſu, ſaltem toto officii diurni tempore ante ipſum ſacramentum lumen habeatur. In ipſo vero altari omnino cerei, non autem candelæ ſebaceæ ſolæ accendantur.

II. Improbat ſimiliter abuſum eorum, qui ſanctam euchariſtiam ægris, quia morbum diſſimulare volunt, ſeu alio quocumque prætextu, occulte ſine lumine & ſine honore deferunt; niſi de expreſſa epiſcoporum licentia id faciant: ſed & eorum, qui deferunt quidem cum lumine; ſed ſine lumine, & interdum etiam ſine ſacra hoſtia ad eccleſiam revertuntur. Præcipit itaque duas ſemper hoſtias deferri, ne parocho ad eccleſiam redeunte populus inane vaſculum adoret; & cum eodem honore præeuntis luminis, parocho ipſo non minus redeundo quam eundo ſtola & ſuperpelliceo ornato, niſi forte per aſpera & difficilia loca ipſi gradiendum ſit: quo caſu ſacerdos, quo poterit decentiore modo ad ægrotos ſanctiſſimam euchariſtiam deferat.

III. Admodum etiam indecens eſt, quod ſolos paſtor cum clerico ſuo præeunte, ut plurimum ad ægris deferendum hoc ſacramentum procedat, aut pauci ex populo ſequantur. Quare ſæpe populum ſuum moneant parochi, ut frequens ſanctiſſimum hoc ſacramentum proſequatur; maxime ii qui ſunt confratres ſodalitatum Corporis Chriſti; quas optaret ſancta ſynodus ubique per epiſcopos erigi atque inſtitui.

IV. Antequam autem ad ægros deferatur, certis campanæ pulſibus ſignum detur, ut fideles, quibus vacat, convenire poſſint.

V. Sacerdos illud deferens, ſi quem videat non flectentem genua, & non adorantem hoc ſanctiſſimum ſacramentum, moneat illum verbo aut ſigno ſui officii: ſi quem animadvertat facere ex contemptu, eum deferat ad epiſcopum, aut ejus vicarium.

VI. Qui eccleſiæ præcepto de communicando ut minimum in Paſchate non obedierint, tranſacta Dominica in Albis epiſcopo denuncientur. Qui autem eo tempore a parochia abfuerint, & reverſi ſpatio dierum octo fidem non fecerint, quod in Paſchate communicarint, ſimiliter denuncientur; ut per ipſum epiſcopum, niſi legitimam excuſationem attulerint, vivis eccleſiæ ingreſſus, mortuis autem eccleſiaſtica ſepultura denegetur.

VII. Publicos concubinarios, feneratores, & eos qui palam inimicitias exercent, ad ſacram communionem admitti vetat hæc ſynodus, niſi prius aliquod vere & ſolide contritionis argumentum dederint: & primi quidem concubinas dimiſerint; alii uſuris renunciaverint, & injuſta lucra reſtituerint, aut de reſtituendis cautionem dederint; tertii pacem inierint, & ex vero caritatis affectu inimicum animum plane depoſuerint.

VIII. Calicum ſtanneorum uſum, ob tanti ſacramenti reverentiam, optaret eadem ſynodus plane eſſe abolitum: ſed quia plurium eccleſiarum paupertas, necnon pericula direptionum, hoc adhuc commode ferre poſſe non videntur; hortatur omnes, ut paulatim illos, quorum cuppa ſaltem ſit argentea, ſubſtituant: & interea qui dictis ſtanneis utuntur, eoſdem ipſimet ſingulis menſibus quam diligentiſſime mundent.

## TIT. X.

*De ſacramento Ordinis.*

CAP. I. Quamvis Tridentini ſynodus & prima provincialis Cameracenſis exacte complectantur ea, quæ ad ſacramenti Ordinis adminiſtrationem pertinent; quæ tamen ſequuntur, adjicienda duxit hæc ſynodus. In primis, ut teſtimonio vitæ & probitatis morum, quæ adferri debent a ſingulis ordinandis, omnino ſignata ſint a decanis ruralibus, ac deinceps ab eiſdem decanis clauſa & obſignata mittantur, ſub pœna rejectionis eorumdem, & non admiſſionis ipſorum ordinandorum. Si quis autem ſine illis litteris venerit, is non admittatur, immo ne quidem examinetur.

II. Proclamationes promovendorum ad ſingulos ordines, fiant juxta decretum Concilii Tridentini; & qui de his fidem non fecerint in examine, rejiciantur.

III. Tituli patrimoniales & beneficiales ſint in poſterum quadraginta ut minimum florenorum, oneribus deductis: nec ullus eorum, niſi viſis litteris in debita forma expeditis admittatur: impetreturque a Regia majeſtate ſeu Conſilio regio edictum, quo fraudibus eorum, qui dictos titulos, contra juramentum a ſe præſtitum, ſæpe alienant, occurratur.

IV. Forma vero juramenti, quod præſtare tenebuntur ii, qui patrimoniali titulo ad ordines promovebuntur, ſit hæc: Ego N. juro, quod in acquiſitione bonorum meorum patrimonialium, ad quorum titulum ſum promovendus ad ſacros ordines, nulla fraus aut dolus interceſſit: quodque illa vere poſſideo, neque in poſterum directe aut indirecte alienabo, niſi fuerit mihi de beneficio eccleſiaſtico æque ſufficienti proviſum: quo caſu id ipſum non faciam ſine conſenſu mei epiſcopi, in litteris ipſius alienationis ſpecialiter exprimendo: beneficium autem, quod in dicti tituli mei locum ſucceſſerit, ſine ſimili

con-

ANNO CHRISTI 1586.

conſenſu non reſignabo. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

V. Favore ſeminarii & ſtudiorum, proviſio ejuſdem cum certa ſpe de futura proviſione alicujus paſtoratus, aut alterius beneficii pro ſufficienti titulo habeatur; modo tamen fidejuſſor detur, qui deficiente ejuſmodi proviſione pro ejus alimentis reſpondeat.

VI. Omnes qui ordinantur, alicui eccleſiæ adſcribantur; & in proximi ordinis ſuſceptione examinentur ſinguli, num in iis eccleſiis, quibus adſcripti fuerint, ſuas functiones obierint. Singuli autem ordinati in ſuis ordinibus miniſtrare teneantur: ſacerdotes quidem, frequenter celebrando: reliqui per vices, diebus maxime ſolennioribus, ſacerdotibus miniſtrando.

## TIT. XI.

### *De ſacramento Matrimonii.*

CAP. I. Cum ſacroſanctum generale Concilium Tridentinum, eos qui aliter quam coram parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddiderit; & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe declararit; hæc ſynodus in vim illius decreti matrimonia omnia in iis, quas hæretici occupant, provinciis, ab iis contracta qui ſunt oriundi ex aliquo loco, ubi publicata ſunt decreta ejuſdem concilii, omnino nulla & irrita eſſe (niſi contracta ſint coram aliquo ſacerdote ad hoc ſpecialem poteſtatem habente:) & iis non obſtantibus, eos qui ſic contraxerint, poſtquam ad gremium eccleſiæ redierint, ſi induci non poſſint ad dicta matrimonia ratificandum, & in facie eccleſię de novo celebrandum, convolare poſſe ad alias veras nuptias, etiam adhuc viventibus, quas ſic contra canones duxerint, conjugibus, declarat & decernit: & ſic ſæpe a concionatoribus populum doceri; ut in poſterum ab hujuſmodi matrimoniis omnino abſtineant, hortatur & præcipit.

II. Quia vero quis ſit proprius parochus, & ea occaſione quæ ſint valida aut invalida matrimonia, in dubium ſæpius revocari contingit: declarat eadem ſynodus, neminem cenſeri alicujus parochiæ aut diœceſis, quoad matrimonium contrahendum, niſi qui animo ibidem reſidendi, non autem ſtatim ad propria redeundi, vel alio commigrandi, in ea vel diœceſi vel parochia ſedem fixerit: ita ut ſtudioſi, qui in aliqua Univerſitate vel alio oppido ſtudiis incumbunt, & alii ſimiles ſedem fixam non habentes, non cenſeantur eſſe illius parochiæ vel diœceſis, quoad dictum effectum matrimonii contrahendi.

III. Parochus, qui trinas tribus diebus Dominicis aut feſtis diſcontinuis proclamationes non fecerit, antequam matrimonio jungat conjuges; niſi remiſſionem earumdem viderit per epiſcopum aut ejus vicarium in ſcriptis factam, graviter Ordinarii judicio puniatur: non obſtante quacumque per eum prætenſa in ceteris exemptione.

IV. Qui vero alienos parochianos matrimonio jungere auſus fuerit, non habita proprii eorumdem parochi aut Ordinarii licentia in ſcriptis, & de proclamationibus in loco fixæ eorum reſidentiæ factis, atteſtatione, ab officio ſit eo ipſo ſuſpenſus, quoad uſque ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur.

V. Ignoti, & qui certas ſedes non habent, non admittantur ad matrimonium contrahendum, niſi præviis atteſtationibus paſtoris, ubi noviſſimam fecerint reſidentiam, aut aliorum fide dignorum; quorum ſigilla vel ſignaturæ ſint paſtori, coram quo contrahere volent, bene notæ, aut ſufficienti aliorum depoſitione apud eumdem comprobatæ.

VI. De cetero quoque non admittantur ad matrimonium contrahendum, qui ignorant orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ſymbolum Apoſtolorum Latine omnino, ac etiam vernacule, ſi velint: decem præcepta decalogi, & quinque præcepta eccleſiæ vernacule: quod decretum ſæpe a paſtoribus inculcetur populo; & vigorem habere incipiat poſt ſex menſes a publicatione ejuſdem.

VII. Propter pericula ſalutis animarum, innovandam duxit hæc ſynodus prohibitionem antiquorum canonum, ne fideles cum hæreticis nuptias contrahant. Quare paſtores non minorem rationem habeant hujus inquiſitionis in faciendis proclamationibus, quam reliquorum impedimentorum. Et ſi alterum conjungendorum hæreſi infectum aut non temere ſuſpectum inveniant, eos non conjungant, niſi parati ſint hæreſim abjurare, & fidei profeſſionem facere.

VIII. Quibus temporibus eccleſia prohibet nuptias, iiſdem multo magis prohibet publicas choreas, & ſolennitates nuptialium conviviorum, & ſponſarum publicas traductiones. Ideoque ſi quæ nuptiarum convivia, aut choreæ, vel ſponſarum publicæ traductiones dictis temporibus celebratæ fuerint, ſponſus & ſponſa incurrant pœnam quinquaginta florenorum, burſæ communi pauperum cujuſque loci applicandam; cui ex nunc, prout ex tunc, jus quæſitum fore declarat hæc ſynodus.

IX. Paſtores ſæpius doceant populum, tum cetera omnia, tum vero ea, quæ circa hujus ſacramenti adminiſtrationem decernit ſacroſanctum concilium Tridentinum.

X. Habeant iidem paſtores, juxta decretum ejuſdem Concilii, librum, in quo eorum, quos matrimonio conjungent, nomina & cognomina, nec non & ipſorum teſtium, ac diem & horam contracti matrimonii deſcribant: quem diligenter apud ſe adſervent; & ubi impletus fuerit, in archivio Capitoli reponatur, vel ab æditu is eccleſiæ, prout de libro baptizatorum ſupra ſtatutum fuit, adſervetur.

XI. Parochi diligenter obſervent, num aliquod ſit inter contrahere volentes conſanguinitatis, aut affinitatis, vel publicæ honeſtatis, aliudve canonicum impedimentum. Quod ſi ipſi ea diſcernere non norint, peritiores conſulant: alioquin ſi ſcienter aliquos in gradibus prohibitis conjunxerint, ad annum ſuſpendantur, aut alia arbitraria pœna puniantur.

## TIT. XII.

### *De ſacramento extremæ Unctionis.*

CAP. I. Eo diligentiores & promptiores in hujus ſacramenti adminiſtratione parochi eſſe debent, quod difficilius ac periculoſius certamen fideles in illa extrema hora adverſus antiquum hoſtem ſuſtinere coguntur. Itaque non exſpectet paſtor, ut rogetur de hoc ſacramento adminiſtrando; ſed ipſe ſæpius viſitans ægrotos, eos ad illud petendum & ſuſcipiendum cohortetur. Et campana aliqua pulſetur ex parochiis; cujus ſono om-



ANNO CHRISTI 1586.

omnes intelligant, deferendum extremæ Unctionis ſacramentum: Moneanturque fideles, ut hoc ſigno dato ſe ad eccleſiam conferant, & ſacerdoti ſe jungant, pro ſalute ægri cum eodem deprecaturi; & ad hoc opus caritatis, etiam propoſitis indulgentiis, ubi expedire judicaverit epiſcopus, invitentur: ceteri, quibus non vacat, erigant ſaltem animum in cęlum, & pro ſalute decumbentis aliquam oratiunculam offerant Deo: extrema enim hac neceſſitate fidelium precibus ęgri maxime indigent, & iiſdem plurimum juvantur.

II. Nec ſine ſuperpelliceo, nec ſine parvę Crucis geſtatione Unctio deferatur: Quoad fieri poterit, is cui ſacramentum extremę Unctionis adminiſtratur, prius confeſſus, & ſacramento euchariſtię refectus & munitus ſit: ſic enim fiet, ut hoc ſacramentum vim ſuam & proprios effectus in eo melius operetur.

III. Hoc ſacramentum nec pueris, qui rationis uſum nondum habent, nec amentibus aut furioſis, qui lucidum circa mortem non habent intervallum; nec iis qui bene valent, etiamſi mortis periculo ſe brevi exponere debeant, ulla ratione eſt conferendum.

IV. Sed nec una ægritudine, etiam ad plures menſes perdurante, idem ſæpius conferri debet; quamvis in diverſis ægritudinibus liceat.

V. Si cui forte manus amputata, erutus oculus, aut aures præciſæ ſint, aliave corporis pars ex iis quæ ungi ſolent, quavis ratione deerit, propinquior pars inungatur.

VI. In ſacerdote vero ungendo manus non ab interiori parte, quæ in ordinum ſuſceptione uncta fuit; ſed extrinſecus inungendæ ſunt.

## TIT. XIII.

### *De funeribus, ſepulturis, & exequiis.*

CAPUT I. Publicos ſimoniacos, religioſos proprietarios, hæreticos, ſchiſmaticos, veneficos, ſortilegos, uſurarios, & eos qui ſibi manus violentas intulerunt, aut in duello mortui ſunt; eoſque qui tempore Paſchali confiteri peccata ſua & ſanctiſſimum ſacramentum euchariſtiæ recipere contempſerunt; ac poſtmodum ſubita morte præventi ſunt: nec non etiam eos qui cum antea fuerint ſuſpecti de hæreſi, paſtorem ad ſe in morbo advocare neglexerunt uſque in extremam pæne vitæ horam, qua ipſis jam rationis uſu & officio privatis a parentibus & amicis paſtor advocatur: (niſi eodem paſtore præſente ſignum aliquod notabile pœnitentiæ dederint:) eccleſiaſtica ſepultura privandos, ac per eorum ſepulturam in templis tam templum quam cœmeterium contiguum; in cœmeteriis vero, cœmeterium tantum de jure pollutum eſſe declarat hæc ſynodus. Qui autem eos ſepelierint, aut ſepeliendos curaverint in templis aut cœmeteriis, excommunicentur.

II. Reliquis Chriſti fidelibus in fidei catholicæ confeſſione defunctis paſtores prætextu ſuorum jurium, ſeu alio quocumque, eccleſiaſticam ſepulturam nec denegare, nec differre præſumant.

III. Pro loco ſepulturæ, etiam eo prætextu quod cedat fabricæ, aut alii piæ cauſæ, nihil ex pacto exigatur: ſed ſi quid juxta cujuſque loci piam & laudabilem conſuetudinem a defuncti heredibus vel executoribus donetur, ipſi fabricæ cedat; non autem in uſus canonicorum, paſtorum; aut aliarum perſonarum convertatur.

IV. Si qua controverſia de efferendis, aut jam ſublatis defunctorum corporibus, vel aliqua alia re eo ſpectante oriatur, ad epiſcopi judicium referatur.

V. Sepulturas eminentes fieri, necnon inhumata ſemel corpora exhumari, ſine expreſſa licentia Ordinariorum ſynodus interdicit.

VI. Cœmeteria diligenter ſepiantur, & claudantur; nec animalia in eiſdem ad paſcendum admittantur: multo minus in eis ſordes fiant, aut aliunde inferantur. Qui in iſtis culpabiles fuerint, arbitrio epiſcoporum puniantur.

VII. Quod clero ob funus aut exſequias defunctorum datur, ne durante ipſo officio, & ſpectante populo; ſed eodem officio finito iis qui eidem ab initio uſque ad finem adfuerint, diſtribuatur.

VIII. Proprio paſtori tam pro officio exſequiarum, quam reliquis caritatis officiis defuncto, vita ejus durante, impenſis, æquum eſt debitum honorarium poſt mortem præſtari: ſed quia hoc difficillimum viſum eſt Patribus pro ſingulis locis uniformiter ſtatuere atque definire; curent epiſcopi in ſuis ſinguli diœceſibus circa id providere, prout ſtatuitur in capite VII. tituli de decimis dicti concilii provincialis.

## TIT. XIV.

### *De oblationibus, decimis, & portione canonica.*

CAPUT I. Oblationes a Chriſti fidelibus factas, durante ipſo ſacrificio ab iis qui ipſis colligendis præſunt auferri omnino prohibet ſynodus; ſed hoc fiat finito ipſo officio.

II. Quæ vero communiter ad paſtores & alios eccleſiaſticos pertinent, eæ ſimiliter poſt officium divinum, ad ratam juris quod unuſquiſque in iis habet fideliter dividantur; & in eis conducendis, ceteris paribus, paſtores præferantur.

III. Quoniam in decimarum ſolutione fraudes multas committi quotidie videmus, non tam ob paupertatem, quam ob avaritiam multorum, decretum concilii Tridentini, ſeſſ. XXV. cap. XII. de reform. hic inſerendum cenſuit.

„ Non ſunt ferendi, qui variis artibus decimas eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur; aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant & in rem ſuam vertunt: cum decimarum ſolutio debita ſit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Precipit igitur ſancta ſynodus omnibus, cujuſcumque gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas ad quas de jure tenentur, in poſterum cathedrali, aut quibuſcumque aliis eccleſiis vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur. Hortatur dehinc omnes & ſingulos, pro Chriſtiana caritate, debitoque erga paſtores ſuos munere, ut de bonis ſibi a Deo collatis, epiſcopis & parochis, qui tenuioribus pręſunt eccleſiis, large ſubvenire ad Dei laudem, atque ad paſtorum ſuorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.

IV. Quod decretum ab omnibus concionatoribus pręcipit eadem ſynodus populo ſępe inculcari, ac ejuſdem tenorem mandato epiſcoporum ſingulis annis paulo ante meſſem per omnes parochos ex ſuggeſtu publicari; necnon copiam ejuſdem ad valvas ſingularum pręcipuarum eccle-

ANNO CHRISTI 1586.

eccleſiarum parochialium affigi, & dimitti: & nihilominus eos, qui decimas vi, dolo, terrorere ſubtraxerint, vel occupaverint, aut alios ne ſolvant impedierint, vel diſſuaſerint, aut alios ne ſolvant, impedierint, vel diſſuaſerint, competenti monitione præmiſſa, excommunicatione feriant epiſcopi; nec eos ante reſtitutionem integre factam abſolvant.

V. Eos etiam qui in fraudem decimæ lanarum & agnorum, poſtquam oves majore anni parte paverint in territorio alicujus parochiæ, eaſdem alio abducunt, & paſtoribus prius prioris parochiæ, ad ratam ſaltem temporis decimam ſolvere recuſant, ſimili ſententia excommunicationis feriendos: Paſtores vero, qui cum ejuſmodi mercatoribus aut paſtoribus ovium in fraudem decimæ dicto priori paſtori debitæ ſcienter convenerint; ab officio & beneficio, donec male recepta reſtituerint, ſuſpendendos eſſe decernit.

VI. Ut eccleſiis parochialibus inopia laborantibus tamdem aliquando ſuccurratur, ad exſecutionem decreti Concilii Tridentini, quo triplex via ad ipſarum proviſionem aperta eſt; videlicet per beneficiorum eccleſiaſticorum unionem, primitiarum decimarumve adſignationem, & parochianorum ſymbola ſeu collectas, ſerio procedere volens hæc ſynodus; mandat ut omnes, qui ad portionem canonicam parochis adſignandam tenentur, in iis locis ubi decimas percipiunt, altero priorum modorum eiſdem provideant infra quatuor menſes a die publicationis decretorum hujus concilii: alioquin epiſcopi, ſeu eorumdem vicarii, aut officiales, ſummarie & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii, audita nuda petitione parochorum, ac eorum quorum intereſt reſponſione, & facta deſuper ſummaria informatione, quod ipſis parochis deeſſe compererint, ad ſummam inferius taxatam per modum proviſionis, ſuper qua appellatio exſecutionem non ſuſpendat, adjudicabunt.

VII. Dicta vero parochorum petitio continere debebit veram & certam ſeu particularem bonorum ipſis ratione ſuæ eccleſiæ parochialis competentium, & onerum annexorum, quæ deduci debebunt, proprio juramento firmatam declarationem: in qua ſi ipſi parochi aliquid ſcienter ſuppreſſiſſe deprehendantur, & cauſa cadant, & graviter arbitrio Ordinarii puniantur. Decimarum tamen aſſignationes ita fiant, ut onerum uniuſcujuſque æqua ratio habeatur.

VIII. In parochiis vero, ubi decimarum aſſignationes aut nullo modo, aut ſaltem ſufficienter fieri non poterunt; neque ſimplicia beneficia quæ uniantur erunt ad manum; implorato, ſi opus ſit, brachio ſæculari, epiſcopi ad tertiam collectarum viam procedent: quas de conſilio magiſtratus ſtatuent & definient: nec patientur diutius aut incuria aut ingratitudine parochianorum parochis in vinea Domini tota die deſudantibus, & portantibus pondus diei & æſtus, denegari denarium diurnum.

IX. Taxa autem, quam præſcribit ſynodus, ſit in pagis centum ut minimum florenorum; & non major centum quinquaginta: in urbibus autem non minor centum quinquaginta, & non major florenis ducentis. Arbitrabitur autem Ordinarius, ſi paſtoribus cum iis quos negotium tanget non conveniat, attentis circumſtantiis perſonarum, locorum, & temporum, an in pagis dictam ſummam centum florenorum, in urbibus autem centum quinquaginta, per ſuam [illegible] excedere debeat: ſed dictam ſummam centum quinquaginta in pagis, & ducentorum in urbibus, nulla ratione excedere poſſit, habebitque rationem in æſtimatione valoris bonorum cujuſque parochiæ, quoad urbes tantum eorum accidentium, quæ tribus aut quatuor communibus annis ſimul computatis aliqualiter ad ſuum valorem in ſingulos annos reduci poſſunt.

X. Si tamen in aliquibus locis majorem ſummam paſtoribus adjudicari, aut accidentia in æſtimationem non venire jam uſu receptum fuerit, declarat ſacra ſynodus ſuæ intentionis non eſſe, ut ab illo uſu in præjudicium paſtorum recedatur.

XI. Cum decimæ jure divino deſtinatæ ſint ſervitio Dei, æquiſſimum & juri conſentaneum judicat eadem ſynodus, ut quotquot habent in aliqua parochia decimarum portionem, ad contributionem portionis canonicæ paſtoribus earumdem officium divinum facientibus debitam, pro rata earumdem teneantur, ſive per laicos, ſive per clericos poſſideantur. Sed quia in quibuſdam locis ſuper decimis laicorum difficultas in dies oritur, exponatur Regiæ majeſtati eccleſiarum parochialium neceſſitas, & difficultas quam patiuntur epiſcopi in dictæ portionis canonicæ adſignatione; ut ſuper eo auctoritatem ſuam impartiri dignetur; necnon omnibus judicibus regiis mandet, ut ſententias judicum eccleſiaſticorum, maxime proviſionales, ſuper dicta portione canonica exequantur, ſimul atque fuerint requiſiti, abſque nova cauſæ cognitione.

XII. Quoad ipſarum vero eccleſiarum reparationem vel in parte, ſervetur loci conſuetudo: ita tamen quod ubi integri chori reparatio ad eos qui decimas poſſident pertinent, hoc ad omnes infra limites parochiæ decimas poſſidentes, juxta decretum VIII. tituli de decimis, oblationibus, & portione canonica primi concilii provincialis Cameracenſis, prout juris eſt & rationis, extendatur.

## TIT. XV.

*De recta bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratione.*

CAPUT I. Ferendum non eſt eccleſiarum piorumque locorum bona, quæ Chriſti & pauperum patrimonium non immerito appellantur, a multis clericis indigne diſſipari & dilapidari; a plurimis vero laicis aut temerarie uſurpari, aut injuſte retineri. Cui malo hodie, proh dolor! frequentiſſimo occurrere volens ſacra hæc ſynodus, inhærens decretis ſacroſancti concilii Tridentini, ſancienda duxit quæ ſequuntur.

Cum alienationes bonorum eccleſiaſticorum jure communi ſint prohibitæ; contingatque nihilominus non raro commiſſiones ſeu delegationes a ſede Apoſtolica impetrari ad decretum alienationi interponendum, ſi in evidentem eccleſię utilitatem cedere deprehendatur: Animadvertant diligenter judices omnes, ut eccleſiarum, de quibus agitur, nulla utilitate perſpecta, matura examinent & inveſtigent omnia quę literis Apoſtolicis pręſcribuntur, nulla perſonarum aut partium ratione habita: quę cum in hujuſmodi negotiis ſint concordes, eo attentius judici eſt invigilandum, ne eccleſię bona non tam utiliter vendita, quam leviter dilapidata eſſe aliquando inveniantur.

II. Quę vero alienationes huc uſque factę ſint, ęę revideantur ab epiſcopis, aut ab eis deputandis: & quę in damnum eccleſiæ, aut ſine decreto ſuperiorum ac cauſę cognitione factę in-



ANNO CHRISTI 1586.

invenientur, irritentur: & ſi opus fuerit, nomine ipſius epiſcopi, ejus procurator fiſcalis, iis etiam invitis qui eas alienationes fecerint, aut iiſdem ſimul in cauſa adjunctis, & eorumdem ſumptibus, ad dictas irritationes procedat: ac de cetero ejuſmodi alienationes perpetuas ſub pœna excommunicationis ipſo facto, tam per clericos, ſive ſæculares, ſive regulares, eas facientes, quam per laicos cum eiſdem contrahentes, a qua nonniſi locorum epiſcopi abſolvere poſſint, incurrenda, prohibet hæc ſynodus.

III. Locationes etiam bonorum eccleſiæ ad longius tempus quam ſacri canones præfixerunt factas, etiam ſub beneplacito ſedis Apoſtolicæ, ſed eo non ſecuto, neque umquam impetrato, epiſcopi diligenter examinent, irritaſque & nullas declarent; & ſi opus fuerit, etiam per judices ſæculares reſcindi curent.

IV. Ut in poſterum vero ab hujuſmodi locationibus abſtineatur, clericos, Capitula, & prælatos ad ſic contrahendum de jure inhabiles eſſe; & inſuper eos, qui tot juris communis, & ſacri Tridentini, ac hujus concilii decretis contravenire, & ad longius tempus bona eccleſiæ locare præſumpſerint, excommunicationem ipſo facto incurrere; laicos vero, qui ſic cum clericis contrahunt, non facere fructus rerum conductarum ſuos, & ad eorum reſtitutionem obligari, eadem ſynodus declarat & decernit.

V. Venditiones vero granorum, & aliarum rerum, quæ viliſſimo pretio fiunt ob anticipatas ſolutiones, ſive pro una tantum vice, ſive ad plures annos contractus ineatur, tamquam uſuram ſapientes plane interdicit; clericiſque vendentibus pœnam ſuſpenſionis imponit. Contra ementes autem, ſive clerici ſint, ſive laici, tamquam contra uſurarios procedatur.

VI. Terminus vero ordinarius locationis bonorum & terrarum arabilium ſit novem annorum; pro pratis, ſex; pro decimis, trium; ſi tamen ſeorſum a terris arabilibus elocentur: nec renovari poſſit contractus locationis terrarum arabilium, niſi finito ſexennio prioris contractus; quoad prata vero, quadriennio; & quoad decimas, biennio: alioquin contractus ſint irriti; & qui eos fecerint clerici, per epiſcopos puniantur.

VII. Pro conſervatione deinceps bonorum ad eccleſias parochiales & capellanias pertinentium jubet ſynodus, ut ſinguli parochi & capellani inventarium eorumdem faciant, illudque ſubſignent; nec non a Majore & ſcabinis etiam ſuę parochię ſubſignari curent, & Ordinariis tranſmittant. Qui Ordinarii regiſtrum, in quo ſingula inventaria hujuſmodi deſcribantur, confici mandent: ipſaque inventaria originalia & authentica in archivium aliquod reponant, & ad poſteritatis memoriam diligenter aſſervent.

VIII. Dicti vero parochi & capellani bona beneficiorum ſuorum nonniſi tribus proclamationibus factis, relicta cuilibet facultate plus offerrendi, elocare poſſint.

IX. Fabricarum vero eccleſiarum, tam parochialium, quam collegiatarum, nec non omnium piorum locorum computus Ordinarii in ſingulos annos per ſeipſos, aut aliquem ſeu aliquos ſpecialiter ab eis deputatos, ſine præjudicio eorum, qui hactenus dictorum bonorum adminiſtrationem habuerint, audire non omittant: & diligenter proſpiciant, ne quod piis locis pro Dei cultu donatum & relictum eſt, in profanos & multo minus impios & ſacrilegos uſus convertatur.

X. Poſtremo, quia contra occupatores quorumcumque bonorum & jurium eccleſiæ non poteſt neque gravius neque convenientius decretum concipi, quam fuit editum a ſanctiſſimis patribus Tridentini concilii, ſeſſ. XXII. cap. XI. illud hæc ſynodus de verbo ad verbum inſerendum, & per paſtores ac concionatores ſubinde populo inculcandum cenſuit, ut ſequitur.

„ Si quem clericorum vel laicorum, quacum„que is dignitate, etiam imperiali aut regali „præfulgeat, in tantum malorum omnium ra„dix cupiditas occupaverit, ut alicujus eccle„ſiæ, ſeu cujuſvis ſæcularis vel regularis be„neficii, montium Pietatis, aliorumque pio„rum locorum juriſdictiones, bona, cenſus, „ac jura, etiam feudalia, & emphyteutica, „fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque ob„ventiones, quæ in miniſtrorum & pauperum „neceſſitates converti debent, per ſe vel alios, „vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſi„tas perſonas clericorum aut laicorum, ſeu „quacumque arte, aut quocumque quæſito co„lore in proprios uſus convertere, illoſque u„ſurpare præſumpſerit, ſeu impedire ne ab iis, „ad quos jure pertinent, percipiantur; is ana„themati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdi„ctiones, bona, res, jura, fructus, & reditus „quos occupaverit, vel qui ad eum quomodo„cumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſo„næ pervenerint, eccleſiæ, ejuſque adminiſtra„tori ſive beneficiato integre reſtituerit; dein„de a Romano Pontifice abſolutionem obtinue„rit. Quod ſi ejuſdem eccleſiæ patronus fue„rit; etiam jure patronatus, ultra prædictas pœ„nas, eo ipſo privatus exſiſtat. Clericus vero, „qui nefandæ fraudis & uſurpationis hujuſmo„di fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem „pœnis ſubjaceat; necnon quibuſcumque bene„ficiis privatus ſit, & ad quæcumque alia be„neficia inhabilis efficiatur; & a ſuorum ordi„num exſecutione, etiam poſt integram ſatiſ„factionem & abſolutionem, ſui Ordinarii ar„bitrio ſuſpendatur.

XI. Et quia dictum decretum eos non tangit qui licet ipſi non detineant titulos, literas, chartas, inſtrumenta, & munimenta, ad eccleſias aut beneficiatos pertinentia, ſciant tamen ab iis prædicta detineri; in eos, ſi poſt trinam monitionem præmiſſam, iis quos negotium concernit non denunciaverint, ſimilis excommunicatio decernatur.

XII. Adminiſtratores piorum locorum, & eorum ſuperintendentes, ſive ſint clerici, ſive laici, pias fundationes ad certos uſus, propria auctoritate ad alios uſus etiam pios convertere non præſumant; ſed ad epiſcopos, & ſi opus fuerit, ad ſanctam ſedem Apoſtolicam, cum cauſa occurret, recurratur.

XIII. Piorum etiam locorum bona ne pro adminiſtratorum arbitrio elocentur; ſed publice locanda proponantur: ne vina quæ vocant, ab iiſdem adminiſtratoribus accipiantur: ſed proclamationibus præhabitis, pro majore eorumdem piorum locorum utilitate publice elocentur: nec prandia fiant ſumptibus ipſarum fundationum, niſi quæ a fundatoribus ſunt inſtituta.

XIV. In hoſpitalibus, piiſque diverſoriis, ubi hoſpitalitas exercetur, mares cum feminis, etiam prætextu matrimonii, verſari ne permittantur: neve ea loca, quæ pauperum & peregrinorum ſubſidio ſunt addicta, aleatoribus, hiſtrionibus, atque id genus nebulonibus pateant.

XV. Ut autem hæc & cetera omnia, quæ Tridentina ſynodus de hoſpitalibus & aliis piis lo-

locis ſtatuit, facilius epiſcopi præſtare poſſint; præcipitur parochis, ut diligenter ſingula, quæ in parochiis ſuis ſunt, hoſpitalia & pia loca obſervent: & ſicubi hoſpitalitas non exercetur, aut alii abuſus culpa adminiſtratorum ſeu aliorum quorumcumque irrepſerint, de iis Ordinarios reddant certiores.

XVI. Non eſt etiam ferendus abuſus, qui paſſim cernitur circa teſtamentorum, maxime ad pias cauſas, exſecutionem: quo ſæpenumero fit, ut defunctorum extrema voluntas ſuum non ſortiatur effectum; & quæ in pios uſus erant inſumenda, in alios injuſte expendantur. Quare præcipit ſancta ſynodus omnibus parochis, ut diligenter eos, qui contra limites ſuæ parochiæ exſecutores ſunt ejuſmodi piarum voluntatum, moneant ſui officii. Quod ſi poſt annum negligentes ſint, ad Ordinarios referant; qui eos etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellant: Capitula etiam tam cathedralium quam aliarum eccleſiarum, ſi in prædictis defecerint, ab Ordinariis eorum negligentia ſuppleatur.

## TIT. XVI.

*De clericis in genere.*

CAPUT I. Meminerint clerici omnes ſui nominis, quo continue admonentur, ſe a mundi curis ſequeſtratos, & in ſortem Domini vocatos eſſe. Meminerint etiam maxime presbyteri dignitatis ſuæ; nec ſe vilibus & ſacerdotio indignis officiis mancipent aut addicant, utpote negotiationi ſeu mercimonio, conductioni, & culturæ alienorum agrorum quæſtus faciendi cauſa; famulatui ſervili dominorum aut dominarum ſæcularium; & ſimilibus parum decoris, ac ſtatui eccleſiaſtico minime convenientibus.

II. Cum jure antiquorum conciliorum, ſacris canonibus ſæpius innovato, conſtitutum ſit, nec clerici coram judicibus laicis ſe ſiſtant, aut alterius judicis quam eccleſiaſtici, idque ſui Ordinarii accedente conſenſu, juriſdictionem prorogent: ſacra hæc ſynodus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nemo præterquam ipſe Ordinarius abſolvere poſſit, interdicit omnibus in ſacro ordine conſtitutis, ne umquam fidejubeant, aut alias ſe obligent, aut contrahant cum renunciatione privilegii clericalis: & ſi ſecus fecerint, fidejuſſiones & inde ſecuta nullius ſint momenti. Sed neque ſe mutuo conveniant coram laicis judicibus actione perſonali, ſub eadem pœna excommunicationis latæ ſententiæ contra actorem, quam ipſe reus loco ſuæ exceptionis ante litis conteſtationem allegare poſſit & debeat.

III. Tabernas niſi peregre proficiſcentes nullo prætextu intrent, ut ibidem potationibus indulgeant. Ab aleæ quibuſvis luſibus omnino abſtineant; nec non a choreis tam publicis quam privatis. Nec chirurgicam, nec medicam artem ex profeſſo ad quæſtum exerceant.

IV. Barbam ne alatam vel militum more nutriant: & ita omnino a labro ſuperiore præſcindatur, maxime in ſacerdotibus, ut ſacram communionem non impediat.

V. Tonſuram clericalem pro qualitate gradus & ordinis ſui ſemper conſpicuam habeant: omnes vero, qui in ſacris ordinibus ſunt conſtituti, vel beneficium eccleſiaſticum habent, præter tonſuram, etiam habitum clericalem deferant. Si moniti ferre noluerint, illi quidem ab exſecutione ſuorum ordinum, arbitrio Ordinarii, ſuſpendantur: hi vero etiam fructus ſuorum beneficiorum amittant.

VI. Veſtibus decentis coloris, non diſſectis, non etiam ſuperfluo cultu ornatis omnes utantur. Collaria vero induſiorum ejuſmodi habeant, quæ modeſtiam clericalem ſapiant, clericoſque a ſæcularibus & maxime mundanis hominibus aperte diſtinguant. Proinde omnibus in univerſum clericis deinceps induſia, ſive ad collum, ſive ad manus criſpata, hæc ſynodus interdicit.

VII. Nulli in ſacris ordinibus conſtituto annulum aureum aut argenteum geſtare liceat, niſi iis quibus propter gradum aut eccleſiaſticam dignitatem, vel eximiam nobilitatem, hoc competit: qui etiam dum ſacrificium Miſſæ celebrant, prælatis exceptis, eumdem deponant.

VIII. Ex una diœceſi ad aliam non tranſeant ſine conſenſu & literis commendatitiis ſui Ordinarii: nec in aliquibus eccleſiis virtute ſolius admiſſionis quorumdam laicorum admittantur etiam vicarii ſeu cantores: ſed ut minimum admiſſionem ſuam paſtori loci exhibere teneantur, priuſquam officium ſuum exerceant.

IX. Contra concubinarios & ebrioſos, ſi qui ſint, quod abſit, juxta decreta concilii Tridentini & primi provincialis Cameracenſis omnino procedatur.

X. Beneficiati, qui horarum canonicarum lectionem contemnunt, aut negligenter omittunt, ſe fructus ſuos non facere; in ordinibus vero ſacris conſtituti, etiam beneficium eccleſiaſticum non habentes, ſe graviter peccare intelligant, juxta conſtitutionem Pii V. ad finem horum decretorom adjectam.

## TIT. XVII.

*De Epiſcopis.*

CAPUT I. Epiſcopi ut alios omnes dignitate antecellunt, ita ſtudioſe provideant ne a quoquam virtute ſuperentur: aſſidue memores, ſe in ſpecula Domini conſtitutos, tum ut in ea continue vigilent, quaſi rationem pro animabus ſibi commiſſis aliquando redditari; tum vero ut ex ea aliorum omnium vitam & mores contemplentur, & ſi quid vitioſum animadverterint, verbo & exemplo corrigant & reforment. Ideoque quæcumque in aliis optant & probant virtutum officia, ea in ſeipſis primum exprimere omni ſtudio adnitantur: præſertim vero in ſubventionis pauperum, viſitationis & conſolationis infirmorum, aliorumque deſolatorum, piis caritatis officiis ſe exerceant.

II. Et quia inter munia epiſcopalia potiſſimas partes ſibi merito vindicat prædicatio verbi Dei; & ab Apoſtolis memoriæ proditum ſit, non eſſe æquum ipſos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis: quantum fieri poterit, diligentiam adhibere ſtudebunt epiſcopi, ut negotiis ſæcularibus ſe ſe expediant; etiam regiminis epiſcopalis maximam partem doctis & prudentibus viris committendo; & rerum temporalium adminiſtrationem œconomo fideli concredendo; ut prædicationis officio ſibi proprio liberius vacare poſſint. Quod ſi legitime impediti per ſeipſos id præſtare non poſſint, alios viros doctos, tum in ſuis eccleſiis cathedralibus, tum in aliis ſuæ diœceſis deputent, qui eorumdem nomine hoc aſſidue præſtent; ſaltem quoad dictas cathedrales, ſolemnioribus feſtis, & tempore Adventus & Quadrageſimæ, ut minimum ter in ſeptimana. Horam autem, cum



ipſemet epiſcopus concionatur, ſibi commodiorem præſcribere poſſit, non obſtantibus quibuſcumque.

III. Decretum concilii Tridentini, ſeſſ. xxv. cap. 1. de reform. ſæpe & ipſi legant, & ſibi in menſa legi curent. In reliquis autem ejuſdem concilii Tridentini decretis & hujus provincialis ſæpius verſentur: & multo magis de eorumdem exſecutione & praxi per univerſam ſuam diœceſim ſerio cogitent.

IV. Familiam vero ejuſmodi habeant, quæ etiam ceteris propoſita ſit ad imitationem; cui ita præſint, ut ex eo diligentia, quam in eccleſia Dei regenda adhibent, colligi poſſit.

V. Inter cetera vero munia ſuæ epiſcopalis dignitatis, viſitationis officium non negligat epiſcopus: ſed ſingulis annis, ſi id commode fieri poſſit; ſin minus, biennio per ſeipſum, niſi gravi aliqua & legitima cauſa excuſetur, totam ſuam diœceſim viſitet: legitime impeditus, ad id munus exſequendum viros idoneos deputet.

VI. Epiſcopo de vita periclitante, Capitulum eccleſiæ ejus cathedralis vicinum epiſcopum invitet: qui ſi non ſit neceſſario impeditus, ſtatim veniat: & ſi vivum epiſcopum invenerit, ei omnia caritatis officia impendat, quæ ad animæ ſalutem eo tempore requiruntur: mortuum vero una cum ſæculari & regulari clero ſolemni more ad ſepulcrum proſequatur.

VII. Idem Capitulum primo quoque tempore omnes provinciales epiſcopos de epiſcopi morte faciat certiores; qui in eccleſiis cathedralibus Miſſam ſolemni ritu pro ejus anima celebrandam curabunt; & publicis ſupplicationibus & precibus indictis Deum rogabunt, ut orbato gregi paſtorem dare velit juxta cor ſuum.

VIII. Similes ſupplicationes indici curabit idem capitulum per univerſam diœceſim epiſcopi defuncti, ad eumdem finem: juxta decretum ſuper ea re editum in primo concilio Cameracenſi, titulo, de examine epiſcoporum.

IX. Novo autem epiſcopo electo aut nominato, proceſſus ſuper ejus doctrina & moribus Romam tranſmittendus fiat, juxta diſpoſitionem ejuſdem decreti, primi concilii provincialis.

## TIT. XVIII.

*De Capitulis & Canonicis.*

CAPUT I. Capitula cathedralium & aliarum eccleſiarum, a ſingulis, qui virtute cujuſcumque proviſionis admitti petunt ad poſſeſſionem quarumcumque dignitatum, beneficiorum, aut officiorum in eorum eccleſiis, teneantur exigere fidei profeſſionem, juxta decretum hujus ſynodi, titulo De fidei profeſſione.

II. Magna etiam diligentia inquirant, num aliqua ſimoniæ labes, aut alia illicita pactio intervenerit; præſertim quando ejus rei aliqua ſuſpicio erit, antequam admittant recens proviſum.

III. Denique exigant legitimam atteſtationem qualitatum, quas ſingulæ dignitates aut beneficia ex fundatione, aut indulto Apoſtolico, requirunt.

IV. In omnibus eccleſiis cathedralibus & collegiatis diſtributiones fiant juxta decretum Concilii Tridentini, quæ attingant tertiam partem fructuum; & tales ſint, ut veriſimiliter non negligantur; & inter ſolos reſidentes & actu præſentes in ſervitio divino dividantur; niſi excuſentur cauſis expreſſis de jure communi: videlicet ob infirmitatem, ſeu juſtam & rationabilem corporalem neceſſitatem, aut evidentem eccleſiæ utilitatem.

V. Declarat autem ſynodus, evidentem eccleſiæ utilitatem intelligi, quando canonici, vel in negotiis capituli, aut fabricæ ſuæ eccleſiæ, vel in negotiis diœceſis cum epiſcopo, vel ex ejus commiſſione occupantur; fraude tamen & dolo ſecluſis.

VI. Similiter eos, qui vel celebrant, vel audiunt confeſſiones, ipſa hora qua hæc faciunt, pro præſentibus habendos eſſe; modo tamen ad principales horas juxta eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ingreſſum fecerint; & Miſſa ſua, aut confeſſionibus finitis, ſi nondum ſit peractum officium chori, in ipſum redeant.

VII. Favore vero ſtudiorum eos, qui ad docendum, vel in ipſis eccleſiis cathedralibus aut collegiatis, vel in Univerſitatibus (quoad beneficia quæ in ipſis Univerſitatibus poſſident) obligantur, iis diebus, quibus actu docebunt, aut publicis diſputationibus intererunt, pro præſentibus habendos eſſe ſtatuit, modo duabus de majoribus horis in die interſint.

VIII. Prædicatores quoque verbi Dei, qui ad hoc munus ab Ordinariis deputati erunt, quibus diebus concionabuntur, eodem privilegio gaudent.

IX. Præter dictas vero diſtributiones etiam amittant reliquos fructus ſuarum præbendarum, juxta decretum concilii Tridentini, qui ultra tempus ibi definitum abfuerint.

X. Abſentes autem cum habeantur qui extra civitatem ſunt, multo magis, qui cum ſint in civitate, officio tamen divino, ſaltem ſemel in die pro dictis fructibus lucrandis non interſunt.

XI. Cum autem intelligat hæc ſynodus fieri commode non poſſe omnibus locis, ut diſtributiones actu ſive re ipſa, omnibus diebus & horis perſolvantur; permittit, ut a Capitulo punctuator aliquis nominetur, qui præſtito fidelitatis juramento diligenter admotet eos, qui divinis non intererunt officiis; eorumque diſtributiones aliis præſentibus in ſingulas horas accreſcere faciat.

XII. Paſtus omnes ac jura receptionum, ac etiam jucundorum (ut vocant) adventuum, quæ non in pios uſus convertebantur, juri communi, & dicti concilii Tridentini decretis inhærendo, eadem ſynodus in poſterum exigi plane interdicit.

XIII. Convivia vero, quæ in quibuſdam eccleſiis, non pro receptione, ſed ex onere certis dignitatibus aut præbendis ex fundatione aut ab immemorabili tempore incumbente, certis diebus ſolemnibus celebrantur; non damnat: ſed ad minorem numerum & minores ſumptus, epiſcoporum judicio, reduci præcipit; & ita provideri, ut in iis neque ebrietates, neque alii committantur abuſus.

XIV. Canonici ſacerdotes quotquot ſunt, per ordinem celebrent ad majus altare, ſive per ſeipſos, ſive per alios canonicos ab eis ſubſtitutos; niſi aliquæ ſint præbendæ, aut vicariæ, vel capellaniæ ex fundatione, aut auctoritate Apoſtolica, vel ab immemorabili tempore Miſſis in majori altari celebrandis deſtinatæ.

XV. Qui ſacerdotes non ſunt, diebus ſaltem ſolemnioribus de manu ſacerdotis Miſſam ſolemnem celebrantis ſacram euchariſtiam recipiant; ſalva conſuetudine eorum locorum, ubi frequentior communio eſſe ſolet.

ANNO CHRISTI 1586.

XVI. Lectio Theologica, juxta decretum dicti concilii Tridentini, in omnibus cathedralibus & collegiatis inſignium oppidorum, ubi clerus eſt numeroſus, omnino habeatur; provideantque ſuperiores, ne vacuum ſit auditorium.

XVII. Canonicorum congregationes pro eccleſiarum ſuarum negotiis, quæ capitula dici ſolent, hora competenti fiant; nec ſummæ Miſſæ tempore ullo modo habeantur, niſi neceſſaria aliqua cauſa ſuperveniat, quæ differri non poſſit: quo caſu, ut minimum mittantur aliqui canonici in chorum.

XVIII. Ita vero in cantores, vicarios, & capellanos decanus & canonici oculos intentos habeant, ut neque pſallendo, neque confabulando, neque hac & illac ſæpius diſcurrendo, alicui ſcandalo eſſe poſſint.

XIX. In reliquis ſervent canonici decreta concilii Tridentini, & noviſſimi provincialis, titulo, De miniſteriis eccleſiaſticis.

## TIT. XIX.

### *De Paſtoribus.*

CAPUT I. Paſtores ab epiſcopis in partem ſolicitudinis vocantur; ideoque hoc ipſis elaborandum eſt, ut epiſcopis in ſuis functionibus eccleſiaſticis quam diligentiſſime cooperentur; populumque ſibi commiſſum ita verbo & exemplo paſcant, ut ipſi epiſcopi re ipſa cognoſcant, ſe eorum vigilantia magna laborum ſuorum parte ſublevari.

II. Ut autem hoc melius præſtare poſſint, decreta ſacroſanctæ ſynodi Tridentinæ, hujus, & prioris provincialis, necnon & diœceſanarum, diligenter legant; & ea quæ paſſim in iiſdem ponuntur, parochorum officium concernentia, quam diligentiſſime exſequantur.

III. Parochus in ſua admiſſione, una cum juramento hactenus conſueto, in manibus Ordinariorum aut ab eis deputatorum fidei profeſſionem facere teneantur.

IV. In omnibus locis, ubi domus parochiales non ſunt, vel temporum injuria collapſæ ſunt, provideat paſtor cum ſuis parochianis, ut quanto citius fieri poterit, aliqua domus, ipſique eccleſiæ propinqua, & in fundo paſtoratus, ſi quis ſit, ædificetur: quam, ubi ædificata erit, ipſe paſtor juxta ſuum juramentum ſartam tectam conſervare debeat.

V. In collationibus parochialium eccleſiarum ſervetur exacte concilium Tridentinum, ſeſſ. xxiv. cap. xviii. de reform.

VI. Studioſe obſervent paſtores eos qui diebus Dominicis ac feſtis vel omnino Miſſam non audiunt, vel ad Miſſam parochialem non conveniunt: ac primum privatim & paterne ſui officii commonefaciant: quod ſi poſt admonitiones non emendentur, ad Ordinarios deferant.

VII. Multo magis eam diligentiam faciant, ſi quos reſcire poterunt vel eſſe hæreticos, vel de hæreſi vehementer ſuſpectos.

VIII. Curent omnino, ut cuſtodes, ſeu clerici qui eiſdem aſſiſtunt in officio divino, tonſuram clericalem ſemper, habitum vero ut minimum in ipſis eccleſiis deferant: nec bigamum admittant, niſi viſa ſufficienti diſpenſatione.

IX. Quamvis ſinguli diebus non teneantur parochi ad celebrandum Miſſæ ſacrificium; ut tamen ſatisfaciant devotioni ſuorum parochianorum, provideant ut Miſſas votivas quas vocant, ut feria ſecunda pro defunctis, feria quinta de Venerabili ſacramento, ſabbato de beata Virgine, & alias pro cujuſque loci more vel ipſi celebrent, vel per alios presbyteros celebrari curent; idque hora competenti & conſueta.

X. Parochiani autem pro hoc caritatis officio paſtori ſuo condignum honorarium præſtent, ſive ex fundationibus ad hoc inſtitutis; ſive ubi eæ deſunt, vel ſufficientes non ſunt, collectis ad hoc piorum eleemoſynis.

XI. Si quas inimicitias aut rixas, præſertim inter conjuges ac domeſticos, eſſe cognoverint, eas ne diuturniores ſint & ſcandaloſæ, omni ſtudio componere parochi adnitantur.

XII. Decani autem rurales, parochorum, adeoque omnium etiam ſacerdotum & clericorum, quin & laicorum ſuorum diſtrictuum mores diligenter obſervent: potiſſimum autem ut paſtores in prædicatione verbi Dei, ſacramentorumque adminiſtratione, ac in ceteris omnibus ſuo muneri ſatisfaciant.

XIII. Eccleſias parochiales, & capellas, ac hoſpitalia, aliaque pia loca eorundem diſtrictuum, quotannis ut minimum ſemel viſitent; & decorum ſtatu, ac quam recte divinum officium in eis peragatur; utrumne Miſſis, & aliis piis fundationibus & oneribus ſatisfiat; ac de ceteris huc pertinentibus, accurate inquirant.

XIV. Exceſſus vero & defectus ſi quos repererint, quibus ipſi mederi nequeant, epiſcopis locorumve Ordinariis, ſeu eorum vicariis, quam primum ſignificent.

XV. Paſtorum ſuorum capitula generalia ut minimum bis in anno, aut alias pro cujuſque diœceſis more convocent; ad quæ ſinguli parochi, legitima excuſatione ceſſante, venire omnino teneantur.

XVI. In his de morum correctione, abuſuum reformatione, de decretorum ſacri concilii Tridentini, & hujus, priorisque provincialis, nec non diœceſanarum ſynodorum, quatenus eos eorumque officium concernunt, & ſi quæ præterea ab Ordinariis eis mandata erunt, executione tractetur: quæ omnia ut ab iis quos contingunt exacte ſerventur, ſerio advigilabunt dicti decani.

XVII. Qui etiam aut per ſe, aut per aliquem ex paſtoribus ab eis deſignatum exhortationem habeant ad totam congregationem, in eum finem, ut omnes de abuſibus aut negligentiis a poſtrema congregatione per eos obſervatis ſincere deponant.

XVIII. Porro uno menſe ante dicta capitula, ſinguli decani ſignificent epiſcopis, aut eorum vicariis, diem & locum dictorum capitulorum; ut ſi eis expedire videbitur, vel aliquem ad ea mittant, vel ſcripto ſignificent, quæ toti congregationi ſignificanda occurrent.

## TIT. XX.

### *De Regularibus & Monialibus.*

CAPUT I. Abbates & alii ſuperiores Regularium in correctionibus eum modum teneant, ut nec diſciplinam ſine miſericordia, nec miſericordiam ſine diſciplina reliquiſſe videantur: ſed ſit in eis juſte conſulens miſericordia, & pie ſæviens diſciplina: cum plus agat aliquando erga corrigendos clementia, quam nimia ſeveritas; plus admonitio, quam comminatio; plus caritas, quam poteſtas.

Abba-



Abbate aut Priore mortuo epiſcopus per ſe ipſum aut ſuum vicarium accedens monaſterium, inventarium faciat bonorum omnium, maxime pretioſorum ipſius monaſterii: & aliquot ejuſdem religioſos œconomos conſtituat; a quibus juramentum accipiat de nihil alienando ſine conſenſu ipſius; & fideliter adminiſtrando, uſque dum de prælato proviſum fuerit. Similiter & officiarios quoad ſpiritualia prius adminiſtrationem habentes, utpote Priorem & confeſſarios & alios confirmet, & ſua ordinaria auctoritate adjuvet.

II. Quamvis prælati Regularium pro ſuorum ſubditorum confeſſionibus audiendis confeſſarios deputare poſſint; id tamen non faciant, niſi prævio examine ſeu per ſe, ſeu per Lectorem ſuum faciendo; & cum delectu eorum qui ad hoc munus maxime ſunt idonei.

III. Sacra lectio Theologica ubique habeatur; ad quam omnes religioſi conveniant, exceptis iis, qui propter adminiſtrationem rerum monaſterii ſibi commiſſam legitime impediuntur: Et præter eam, etiam pro novitiis lectio fiat pro eorum capacitate; ad ſacros ordines nonniſi bene inſtructi in cærimoniis eccleſiaſticis, & rudimentis doctrinæ Chriſtianæ, præſententur.

IV. Mulieres intra ſepta monaſteriorum ſeu locorum regularium, quæ ſunt clauſtrum, capitulum, dormitorium, refectorium ſive conventus, & quæ eorumdem ambitu continentur; ac ſi quæ alia pro ſtatutorum cujuſque loci ratione pro regularibus locis habeantur; extra tempus ſupplicationum ſeu proceſſionum, quocumque prætextu ne admittantur.

V. Quamvis religioſi, qui a ſuis prælatis deſtinantur ad Paſtoratus ſuis monaſteriis ſubjectos ſeu incorporatos (quorum inſtitutio ad epiſcopos aut archidiaconos pertinet) adminiſtrandos, ob id non eximantur ab obedientia eorumdem prælatorum: tamen quia & epiſcoporum, a quibus dicti religioſi curam animarum accipiunt, & parochianorum intereſt, ut non temere & ſine cauſa revocentur; decreto primi concilii Cameraceſis, cap. vi. de miniſteriis eccleſiaſticis inhærens hæc ſynodus, ſtatuit & decernit, ut nonniſi ex cauſa legitima, quam ipſe prælatus epiſcopo exponere debeat, ad monaſteria poſſint revocari. Cauſa autem expoſita epiſcopus & revocatum dimittere, & in ejus locum præſentatum, ſi idoneus ſit, admittere teneatur.

VI. Quæ de officio divino, de ſacramentis, de recta bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratione & alia in hujus ſynodi decretis hactenus conſtituta ſunt, quatenus eos tangere poſſunt, ea omnia tanto diligentius ſervent, quanto ipſi ex ſua profeſſione ad perfectiorem vitam magis obligantur.

VII. Miſſas & alia pietatis officia, ad quæ tenentur ex fundationibus, diligenter & accurate perſolvant: ideoque liber in ſacriſtia ſemper habeatur, in quo ea omnia in ſingulos dies deſcripta ſint.

VIII. Quia vero monaſticæ vitæ perfectio ex trium votorum, quæ omnes religioſi faciunt, obſervatione dependet; prælati ea omnia, quæ ad ipſorum votorum obſervationem faciunt, curent ab omnibus inviolabiliter obſervari.

IX. Omnes autem conſuetudines dictis votis contrarias, quales ſunt in pleriſque monaſteriis multæ contra votum paupertatis, plane abrogat, & in poſterum prohibet hæc ſynodus: Ideoque prælatis omnibus utriuſque ſexus præcipit, ut communem victum & veſtitum omnibus religioſis æqualiter, prout cuique opus erit, diſtribuant: nec pro veſtiario, aut pro vini portione ſingulis religioſis dari conſueta, ulla ratione pecuniam aſſignent: ſecretas compotationes plane prohibeant; & ſobrietatem, individuam caſtitatis comitem, ab omnibus coli faciant: ideoque præter jejunia eccleſiæ, etiam Adventus Domini & ordinis ſui jejunia exactiſſime obſervent.

X. Epiſcopi, & alii ſanctimonialium ſuperiores, earum ſtatuta & regulas in ſuis viſitationibus diligenter examinent: & ſi quid in iis juri communi, aut concilii Tridentini decretis repugnare animadverterint, id abrogent, aut corrigant: Nova etiam ſtatuta, ſi ita expedire judicaverint, atque omnino vivendi formam ad dicti concilii Tridentini præſcriptum vernaculo ſermone conceptam eiſdem tradant, & diſtricte obſervari mandent.

XI. Provideant etiam epiſcopi, quanto citius fieri poterit, ut clauſura monialium, etiam exemptarum, ubi violata eſt, reſtituatur; etiam applicatis in eum finem, ſi monaſteriorum facultates neceſſarios ſumptus non ferant, reorum pœnis pecuniariis: ubi vero hactenus inviolata permanſit, quam diligentiſſime conſervetur.

XII. Ad eas vero nullus omnino aut viris aut mulieribus etiam illuſtribus, etiam in veſtitionum aut profeſſionum ſolemnitatibus pateat acceſſus; ſed per cancellos, cum neceſſitas erit, colloquantur: exceptis tamen perſonis neceſſariis; utpote confeſſario, cum ad ægrotantium monialium, quæ ad confeſſionale accedere non poſſunt, confeſſiones audiendas, aut ſanctiſſimum Euchariſtiæ, vel extremæ Unctionis ſacramenta ipſis deferenda; & ſimilia caritatis officia iiſdem ægrotis impertienda, erit admittendus: medico, chirurgo, bajulo vini aut cervitiæ, fabris, & ſimilibus perſonis: quibus tamen nonniſi in neceſſitate aditus pateat, quos duæ antiquiores ſanctimoniales comitentur.

XIII. Præfectus quoque ejuſmodi monialium, ſeu ejus capellanus, aut alius ſacerdos, eam eccleſiæ partem ubi ipſæ pſallunt, ne quidem prætextu ibidem celebrandi vel concionandi, ingrediatur. Quod ſi quis ibi celebrare aut concionari auſus fuerit, ſuſpenſionis a divinis, & præfecta quæ eum admiſerit, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrant.

XIV. Sed nec ipſi epiſcopi, aut eorum vicarii, & alii ſuperiores monialium unquam ingrediantur ſepta clauſuræ, niſi viſitationis aut alia neceſſaria cauſa, ſub pœnis contra ingredientes a jure decretis.

XV. Nullus ex ſupradictis, aut aliis quibuſvis unquam admittatur intra dicta ſepta, qui non in ſcriptis ſibi conceſſam ab epiſcopo facultatem exhibuerit.

XVI. Quia vero non paucæ neque leves in pleriſque monaſteriis claudendis difficultates ſuboriuntur, ſupplex totius ſynodi nomine libellus conficiatur; qui expreſſis omnibus & ſingulis incommodis difficultatibuſque, necnon monialium clauſuram recuſantium rationibus & argumentis diligenter expoſitis, Sanctiſſimo domino noſtro offeratur; rogeturque illius ſanctitas, ut hujus provinciæ neceſſitatibus & incommodis pro ſua paterna caritate, peculiari aliqua ratione providere ac ſuccurrere dignetur. Habito autem ab illius ſanctitate reſponſo, & cum reverendiſſimis dominis epiſcopis per litteras communicato, quæcumque ad hanc materiam pertinebunt,

bunt, certius explicari poterunt. Interea vero in dictis monaſteriis, quæ clauſuram non admittunt, obſervari curent epiſcopi, ut nec mulieribus intra loca regularia dictorum monaſteriorum pateat acceſſus.

XVII. Religioſæ vero etiam Mendicantes, quæ ægrotorum ab immemorabili tempore, atque adeo ex fundatione curam agunt, ſolæ numquam emittantur ad curandos ægrotos; nec juniores, quantum fieri poteſt; ſed eæ, quæ matris ſeu præfectæ judicio probabuntur.

XVIII. Concionatores quoque deputent epiſcopi viros pios & graves, qui ſæpius ipſas Moniales ſpiritali verbi Dei cibo reficiant, tam publicis concionibus, quam privatis ad cancellos colloquiis.

XIX. Confeſſarios ſimiliter aliquoties in anno extraordinarios mittant, quibus omnes ſanctimoniales ſe præſentare teneantur.

XX. Decreto concilii Tridentini, cap. XVII. ſeſſ. XXV. de Regularibus & monialibus inhærens hæc ſynodus, præcipit ut nulla puella ad habitum regularem ſuſcipiendum aut profeſſionem emittendam admittatur, etiamſi monaſterium ſit exemptum, priuſquam exploraverit epiſcopus, aut ab eo deputatus, puellæ voluntatem, juxta requiſita in dicto decreto: ideoque teneatur præfecta certiorem epiſcopum facere uno menſe ante dictam habitus ſuſceptionem, aut profeſſionem, ſub pœna ſuſpenſionis ibidem decretæ.

XXI. Ad profeſſionem vero dictæ puellæ, niſi confirmatæ; & viri niſi confirmati & tonſurati non admittantur.

## TIT. XXI.

### *De ſcholis & Seminariis.*

CAPUT I. In ſcholis nulli libri prælegantur, qui in Indice librorum prohibitorum continentur: ſed nec ii, qui aliquid turpe aut obſcenum continent.

II. Dictæ ſcholæ ſæpe viſitentur a Scholaſticis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum; & iis deficientibus, a decanis ruralibus: qui Ordinariis fideliter & diligenter referant, ſi quæ eorumdem auctoritatem deſiderare intellexerint.

III. Quia vero ſcholæ quotidianæ Chriſtianæ juventutis inſtitutioni non ſufficiunt, cum maxima puerorum pars diebus ferialibus opificium aliquod exerceat, neque ob parentum inopiam ſcholas frequentare poſſit: quorum tamen animæ non minus, quam aliorum, Chriſti ſanguine redemptæ, Chriſtiana doctrina imbui debent: erigantur tam in omnibus urbibus, quam in pagis celebrioribus ſcholæ Dominicales; & ad earum faciliorem progreſſum inſtituantur auctoritate epiſcoporum, ubicumque id commode fieri poterit, ſodalitates Doctrinæ Chriſtianæ; propoſitis ſingulis ſodalibus indulgentiis, juxta bullam Pii V. per fel. record. Gregorium XIII. confirmatam & ampliatam: cujus tenor ad feliciorem dictarum ſcholarum Dominicalium & ſodalitatum erectionem, ad finem horum decretorum adjectus eſt.

IV. In his locis ubi dictæ ſcholæ & ſodalitates commode inſtitui non poterunt, parochus ipſe a prandio, commodiore ante aut poſt veſperas hora, pueros campanæ pulſu convocatos, ex parvo Catechiſmo, qui ad hoc pro tota provincia imprimetur, prima fidei rudimenta doceat, eumque memoriter ab iis recitari faciat. Pueros autem magiſtratus, ballivi, majores, ſeu alii locorum præfecti, tum ad dictas ſcholas, tum ad dictam parochi lectionem omnino compellant. Parentes etiam & heros non mittentes pueros ſuos ac miniſtros propoſitis pœnis coerceant; & rebelles etiam ſuis urbibus aut pagis expellant.

V. Si quis autem parochus non legitime impeditus hoc tam neceſſarium officium, quod etiam ex concilii Tridentini decreto præſtare debet, prætermiſerit; is toties unius floreni mulctam fabricæ ſuæ eccleſiæ applicandam incurrat, quoties hoc neglexerit.

VI. Ut autem ipſi etiam parocho ſuccuratur; omnibus ſacerdotibus & clericis, qui intra fines parochiæ degunt, præcipit hæc ſynodus, ut cum in hoc ſancto docendi munere pro ſua quiſque virili adjuvent.

VII. Porro quoad ſeminaria clericorum, juxta ſacroſancti concilii Tridentini ſaluberrimum decretum inſtituenda, cum experientia in hac provincia docuerit, modicum fructum ex hactenus inſtitutis provenire: neque in poſterum, ſaltem pro præſenti eccleſiæ neceſſitate, exſpectari poſſe: hanc rationem, quam toti provinciæ utiliſſimam fore confidit, hæc ſynodus ineundam duxit: Nempe ut in Univerſitate ſtudii generalis oppidi Duacenſis, ejuſdem provinciæ, unum pro tota provincia, communibus ſumptibus archiepiſcopi & ſuorum coepiſcoporum, aliorumque omnium, qui pro ſeminariis contribuere debent, comparato ad hoc loco amplo & commodo, erigatur: ad quod archiepiſcopus cum duobus a capitulo & totidem a clero ſuæ civitatis, ut minimum viginti e ſua diœceſi: ſinguli autem epiſcopi cum ſimilibus reſpective deputatis, ut minimum duodecim ſtudioſos mittere teneantur: ſalvo quod ipſe archiepiſcopus, durante hac rerum omnium caritate, & eccleſiarum inopia, admittere poterit juſtas & legitimas epiſcoporum cum dictis deputatis excuſationes pro minori numero mittendo ad certum tempus: qua etiam caritate & inopia ceſſante majorem poterit numerum definire, & præſcribere.

VIII. Pro felici autem dicti ſeminarii inchoatione, & feliciore progreſſu, eadem ſynodus decernit quæ ſequuntur.

In primis ſeminarium ipſum uni rectori ſeu præſidenti committatur, qui per archiepiſcopum de conſenſu ſeu conſilio ſuorum coepiſcoporum eligatur & nominetur; ſitque ſacerdos, ſacræ Theologiæ aut decretorum doctor aut licentiatus, bonus œconomus: qui promittat in ſua receptione, ſe ad minus triennio illi regimini præfuturum; & ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis computus fideliter redditurum ad certam diem; ad quam comparebunt in dicto ſeminario pro dictis computibus audiendis epiſcopi per ſe vel ſuos deputatos, & deputati a capitulis & clero ſuarum civitatum, aut eorum aliqui, ſumptibus illorum a quibus reſpective mittentur.

IX. Dictus præſidens habeat in ſingulos annos ultra victum ſuum, qui ipſi cum ſtudioſis erit communis, ſummam ducentorum florenorum.

X. Studioſi ſint omnes viginti annorum, pietate & eruditione commendabiles, & habito delectu ingeniorum & doctrinæ ad ſeminarium per concurſum a ſingulis epiſcopis in ſuis diœceſibus cum dictis Capituli & cleri deputatis, aut eorumdem ſubſtitutis celebrandum aſſumantur: & pauperum filii ac commendati a contribuentibus dicto ſeminario, ceteris paribus aliis præferantur: ſintque ex legitimo matrimonio nati: non claudi, non







in manibus, aut alia corporis parte notabilem defectum habentes. Quod ſi aliqui ſint, qui integram burſam contribuant, habebunt jus præſentandi idoneum ſine concurſu.

XI. Sint burſæ omnes duodecim librarum groſſorum pro victu ſingulorum ſtudioſorum: veſtiantur autem ſumptu parentum & Mœcenatum eodem habitu, ac nigri coloris; nempe veſte exteriore ad talos uſque; interiore vero ad genua propendente; & pileo clericali.

XII. Incedant bini ſequente uno ex præfectis, cum ad ſcholas & templum gradientur.

XIII. Doceantur præter Theologicas lectiones cantum Gregorianum, computum eccleſiaſticum, & cærimonias eccleſiæ: & præterea in concionibus tum inter ſe domi, tum ad populum habendis diligenter exerceantur. Diſputationes domeſticas, aliquo ex præfectis præſidente, ſingulis ſeptimanis habeant, quo pia quadam æmulatione ad ſtudium inflammentur.

XIV. De cetero quamdiu in ipſo ſeminario erunt, legibus & ſtatutis ejuſdem, quæ ab epiſcopis præſcribentur, vivant: & ſi dyſcoli ſint, ab eiſdem epiſcopis ejiciantur.

XV. Cum ad eam ætatem pervenerint, qua fieri poterunt ſubdiaconi, mittantur ad eum ordinem ſuſcipiendum, in quo per annum miniſtrent: quo finito ordinentur diaconi; & in eo ſimiliter miniſtrent, quoad fieri poterunt ſacerdotes.

XVI. Curſum autem ſtudiorum ſuorum in dicto ſeminario ſpatio quatuor annorum abſolvant, niſi videantur eſſe ejus exſpectationis, ut ad aliquem gradum, maxime ſi Mœcenates habeant, promoveantur.

XVII. Singuli autem ſtudioſorum in ſua ad dictum ſeminarium aſſumptione jurent, ſe cum idonei invenientur, id muneris in eccleſia Dei ſubituros, quod ſuus epiſcopus illis injungendum exiſtimaverit: alioquin refundent ſumptus quos fecerint in ſeminario: pro quo dabunt fidejuſſores: promittentque, cum ad pinguiorem fortunam devenerint, ſe memores futuros accepti beneficii, & in communem ejuſdem ſeminarii utilitatem aliquid liberaliter elargituros.

XVIII. Ut autem provideatur de ſumptibus ad ſupradicta, necnon ad ſtudioſorum alimoniam neceſſariis, ſinguli epiſcopi cum dictis ſuis deputatis, quamprimum fieri poterit, portionem aliquam ex omnibus beneficiis, ubi hactenus detracta non eſt, detrahant; quæ in ſolos uſus ſeminarii convertatur: quæ porro diminuetur ad ratam, aut in totum ceſſabit, accedente beneficiorum unione & incorporatione, juxta prædictum decretum concilii Tridentini.

## TIT. XXII.

### *De foro, juriſdictione, & immunitate eccleſiaſticis.*

CAPUT I. Ut in foro eccleſiaſtico quam minus fieri poterit ſumptibus & partium incommodis cauſæ agantur, & quam breviſſimo tempore finiantur; nec clerici occaſionem accipiant quocumque prætextu ſeſe mutuo ad judicia ſæcularia contra canonum diſpoſitionem pertrahendi; præter ea quæ in priore ſynodo provinciali cum in finem edita fuerunt decreta, ſancta hæc ſynodus ſtatuenda duxit quæ ſequuntur.

In primis epiſcopi primo quoque tempore definiant atque præſcribant certam taxam pro ſalariis & ſtipendiis ſingulorum practicorum ſuæ curiæ; quam ipſe judex in taxando omnino ſequi teneatur; neque practici ipſi amplius exigere poſſint.

II. Cauſas omnes verbales, quæ ſine ſcripto expediri poſſunt, judices ſummarie & de plano expediant; nec permittant eas in ſcriptis agitari, etiam conſentientibus partibus aut practicis: & unicam tantum dilationem ad probandum, aut ad ſummum duas, in iis cauſis concedant.

III. In iis cauſis quæ ſcripto tractantur, ſimul atque ad libellum actoris reſpondit reus, illeque replicæ, hic duplicæ ſcripturam exhibuit; proceſſus ad manus judicis deferatur, ut ſententiam ſuam vel definitivam vel interlocutoriam ferat; nec antea umquam liceat plures exhibere ſcripturas.

IV. Judex autem, poſtquam ipſi exhibitus fuerit proceſſus, quanto citius fieri poterit, eum viſitet & decidat; maxime ſi ſint cauſæ matrimoniales, beneficiales, alimentorum, dotis, correctionis, & aliæ ſimiles, quæ accelerationem requirunt: in quibus etiam cauſis alimentorum, incarceratorum, & ſimilibus, de triduo in triduum procedatur, & dilationes præſcindantur & abbrevientur.

V. Scribæ ſeu notarii cauſarum ab omnibus ſuperfluis abſtineant; ideoque nec dies feſtos ad ſubſtantiam rei non neceſſarios apponant; nec dignitates judicum, vel litigatorum, vel procuratorum ſæpius repetant; nec tenorem totum ejuſdem inſtrumenti, citationis, & cujuſcumque ſcripturæ umquam reiterent: ſed ſi tenore ſemel inſerto, ejus alibi mentio facienda ſit, fiat remiſſive; nec proceſſibus aut actis curiæ pluſquam una continuatio cauſæ in ſingulis terminis ordinariis inſeratur: & ſi inſertæ fuerint plures, non veniant in taxam.

VI. Denique etiam commiſſarii, ad quos pertinet ſcribere teſtium depoſitiones, aut extracta quæcumque proceſſibus inſerenda, abſtineant a ſuperfluis præambulis, longiſque & inutilibus præfationibus, ac etiam concluſionibus, & aliis omnibus, quæ ad principale negotium non pertinent.

VII. Cauſæ omnes infra biennium a die motæ litis terminentur: alioquin poſt id ſpatium, liberum ſit partibus, vel alteri illarum, judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire: qui cauſas in eo ſtatu quo fuerint aſſumant, & quamprimum terminari curent, juxta concilii Tridentini decretum, ſeſſ. XXIV. cap. XX.

VIII. Decreta vero, quæ ibidem ſubjiciuntur, cauſas appellationis concernentia, a metropolitano ſeu ejus vicariis aut officialibus, exacte ſerventur, prout reliqua omnia quæ eos tangunt; ne comprovincialium epiſcoporum juriſdictio turbetur, aut impediatur.

IX. In cauſis vero beneficialibus, quæ coram judicibus eccleſiaſticis in petitorio agitantur, poſt primam ſententiam, etiamſi appellatum erit, fructuum perceptio victori ſub cautione tribuatur, aut ſaltem apud tertiam perſonam ſubſtituantur.

X. Porro ad compeſcendas frivolas appellationes, ſacra hæc ſynodus judicibus appellationum præcipit, ut pro qualitate cauſæ & modo culpæ, quos deprehendent male ſeu frivole ac perperam appellaſſe, in aliquam pœnam pecuniariam arbitrio ſuo piis uſibus applicandam condemnent.

bunt, certius explicari poterunt. Interea vero in dictis monaſteriis, quæ clauſuram non admittunt, obſervari curent epiſcopi, ut nec mulieribus intra loca regularia dictorum monaſteriorum pateat acceſſus.

XVII. Religioſæ vero etiam Mendicantes, quæ ægrotorum ab immemorabili tempore, atque adeo ex fundatione curam agunt, ſolæ numquam emittantur ad curandos ægrotos; nec juniores, quantum fieri poteſt; ſed eæ, quæ matris ſeu præfectæ judicio probabuntur.

XVIII. Concionatores quoque deputent epiſcopi viros pios & graves, qui ſæpius ipſas Moniales ſpiritali verbi Dei cibo reficiant, tam publicis concionibus, quam privatis ad cancellos colloquiis.

XIX. Confeſſarios ſimiliter aliquoties in anno extraordinarios mittant, quibus omnes ſanctimoniales ſe præſentare teneantur.

XX. Decreto concilii Tridentini, cap. XVII. ſeſſ. XXV. de Regularibus & monialibus inhærens hæc ſynodus, præcipit ut nulla puella ad habitum regularem ſuſcipiendum aut profeſſionem emittendam admittatur, etiamſi monaſterium ſit exemptum, priuſquam exploraverit epiſcopus, aut ab eo deputatus, puellæ voluntatem, juxta requiſita in dicto decreto: ideoque teneatur præfecta certiorem epiſcopum facere uno menſe ante dictam habitus ſuſceptionem, aut profeſſionem, ſub pœna ſuſpenſionis ibidem decretæ.

XXI. Ad profeſſionem vero dictæ puellæ, niſi confirmatæ; & viri niſi confirmati & tonſurati non admittantur.

## TIT. XXI.

### *De ſcholis & Seminariis.*

CAPUT I. In ſcholis nulli libri prælegantur, qui in Indice librorum prohibitorum continentur: ſed nec ii, qui aliquid turpe aut obſcœnum continent.

II. Dictæ ſcholæ ſæpe viſitentur a Scholaſticis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum; & iis deficientibus, a decanis ruralibus: qui Ordinariis fideliter & diligenter referant, ſi quæ eorumdem auctoritatem deſiderare intellexerint.

III. Quia vero ſcholæ quotidianæ Chriſtianæ juventutis inſtitutioni non ſufficiunt, cum maxima puerorum pars diebus ferialibus opificium aliquod exerceat, neque ob parentum inopiam ſcholas frequentare poſſit: quorum tamen animæ non minus, quam aliorum, Chriſti ſanguine redemptæ, Chriſtiana doctrina imbui debent: erigantur tam in omnibus urbibus, quam in pagis celebrioribus ſcholæ Dominicales; & ad earum faciliorem progreſſum inſtituantur auctoritate epiſcoporum, ubicumque id commode fieri poterit, ſodalitates Doctrinæ Chriſtianæ; propoſitis ſingulis ſodalibus indulgentiis, juxta bullam Pii V. per fel. record. Gregorium XIII. confirmatam & ampliatam: cujus tenor ad feliciorem dictarum ſcholarum Dominicalium & ſodalitatum erectionem, ad finem horum decretorum adjectus eſt.

IV. In his locis ubi dictæ ſcholæ & ſodalitates commode inſtitui non poterunt, parochus ipſe a prandio, commodiore ante aut poſt veſperas hora, pueros campanæ pulſu convocatos, ex parvo Catechiſmo, qui ad hoc pro tota provincia imprimetur, prima fidei rudimenta doceat, eumque memoriter ab iis recitari faciat. Pueros autem magiſtratus, ballivi, majores, ſeu alii locorum præfecti, tum ad dictas ſcholas, tum ad dictam parochi lectionem omnino compellant. Parentes etiam & heros non mittentes pueros ſuos ac miniſtros propoſitis pœnis coerceant; & rebelles etiam ſuis urbibus aut pagis expellant.

V. Si quis autem parochus non legitime impeditus hoc tam neceſſarium officium, quod etiam ex concilii Tridentini decreto præſtare debet, prætermiſerit; is toties unius floreni mulctam fabricæ ſuæ eccleſiæ applicandam incurrat, quoties hoc neglexerit.

VI. Ut autem ipſi etiam parocho ſuccuratur; omnibus ſacerdotibus & clericis, qui intra fines parochiæ degunt, præcipit hæc ſynodus, ut eum in hoc ſancto docendi munere pro ſua quiſque virili adjuvent.

VII. Porro quoad ſeminaria clericorum, juxta ſacroſancti concilii Tridentini ſaluberrimum decretum inſtituenda, cum experientia in hac provincia docuerit, modicum fructum ex hactenus inſtitutis provenire: neque in poſterum, ſaltem pro præſenti eccleſiæ neceſſitate, exſpectari poſſe: hanc rationem, quam toti provinciæ utiliſſimam fore confidit, hæc ſynodus ineundam duxit: Nempe ut in Univerſitate ſtudii generalis oppidi Duacenſis, ejuſdem provinciæ, unum pro tota provincia, communibus ſumptibus archiepiſcopi & ſuorum coepiſcoporum, aliorumque omnium, qui pro ſeminariis contribuere debent, comparato ad hoc loco amplo & commodo, erigatur: ad quod archiepiſcopus cum duobus a capitulo & totidem a clero ſuæ civitatis, ut minimum viginti e ſua diœceſi: ſinguli autem epiſcopi cum ſimilibus reſpective deputatis, ut minimum duodecim ſtudioſos mittere teneantur: ſalvo quod ipſe archiepiſcopus, durante hac rerum omnium caritate, & eccleſiarum inopia, admittere poterit juſtas & legitimas epiſcoporum cum dictis deputatis excuſationes pro minori numero mittendo ad certum tempus: qua etiam caritate & inopia ceſſante majorem poterit numerum definire, & præſcribere.

VIII. Pro felici autem dicti ſeminarii inchoatione, & feliciore progreſſu, eadem ſynodus decernit quæ ſequuntur.

In primis ſeminarium ipſum uni rectori ſeu præſidenti committatur, qui per archiepiſcopum de conſenſu ſeu conſilio ſuorum coepiſcoporum eligatur & nominetur; ſitque ſacerdos, ſacræ Theologiæ aut decretorum doctor aut licentiatus, bonus œconomus: qui promittat in ſua receptione, ſe ad minus triennio illi regimini præfuturum; & ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis computus fideliter redditurum ad certam diem; ad quam comparebunt in dicto ſeminario pro dictis computibus audiendis epiſcopi per ſe vel ſuos deputatos, & deputati a capitulis & clero ſuarum civitatum, aut eorum aliqui, ſumptibus illorum a quibus reſpective mittentur.

IX. Dictus præſidens habeat in ſingulos annos ultra victum ſuum, qui ipſi cum ſtudioſis erit communis, ſummam ducentorum florenorum.

X. Studioſi ſint omnes viginti annorum, pietate & eruditione commendabiles, & habito delectu ingeniorum & doctrinæ ad ſeminarium per concurſum a ſingulis epiſcopis in ſuis diœceſibus cum dictis Capituli & cleri deputatis, aut eorumdem ſubſtitutis celebrandum aſſumantur: & pauperum filii ac commendati a contribuentibus dicto ſeminario, ceteris paribus aliis præferantur: ſintque ex legitimo matrimonio nati: non claudi, non in manibus, aut alia corporis parte notabilem defectum habentes. Quod ſi aliqui ſint, qui integram burſam contribuant, habebunt jus præſentandi idoneum ſine concurſu.

XI. Sint burſæ omnes duodecim librarum groſſorum pro victu ſingulorum ſtudioſorum: veſtiantur autem ſumptu parentum & Mœcenatum eodem habitu, ac nigri coloris; nempe veſte exteriore ad talos uſque; interiore vero ad genua propendente; & pileo clericali.

XII. Incedant bini ſequente uno ex præfectis, cum ad ſcholas & templum gradientur.

XIII. Doceantur præter Theologicas lectiones cantum Gregorianum, computum eccleſiaſticum, & cærimonias eccleſiæ: & præterea in concionibus tum inter ſe domi, tum ad populum habendis diligenter exerceantur. Diſputationes domeſticas, aliquo ex præfectis præſidente, ſingulis ſeptimanis habeant, quo pia quadam æmulatione ad ſtudium inflammentur.

XIV. De cetero quamdiu in ipſo ſeminario erunt, legibus & ſtatutis ejuſdem, quæ ab epiſcopis præſcribentur, vivant: & ſi dyſcoli ſint, ab eiſdem epiſcopis ejiciantur.

XV. Cum ad eam ætatem pervenerint, qua fieri poterunt ſubdiaconi, mittantur ad eum ordinem ſuſcipiendum, in quo per annum miniſtrent: quo finito ordinentur diaconi; & in eo ſimiliter miniſtrent, quoad fieri poterunt ſacerdotes.

XVI. Curſum autem ſtudiorum ſuorum in dicto ſeminario ſpatio quatuor annorum abſolvant, niſi videantur eſſe ejus exſpectationis, ut ad aliquem gradum, maxime ſi Mœcenates habeant, promoveantur.

XVII. Singuli autem ſtudioſorum in ſua ad dictum ſeminarium aſſumptione jurent, ſe cum idonei invenientur, id muneris in eccleſia Dei ſubituros, quod ſuus epiſcopus illis injungendum exiſtimaverit: alioquin refundent ſumptus quos fecerint in ſeminario: pro quo dabunt fidejuſſores: promittentque, cum ad pinguiorem fortunam devenerint, ſe memores futuros accepti beneficii, & in communem ejuſdem ſeminarii utilitatem aliquid liberaliter elargituros.

XVIII. Ut autem provideatur de ſumptibus ad ſupradicta, necnon ad ſtudioſorum alimoniam neceſſariis, ſinguli epiſcopi cum dictis ſuis deputatis, quamprimum fieri poterit, portionem aliquam ex omnibus beneficiis, ubi hactenus detracta non eſt, detrahant; quæ in ſolos uſus ſeminarii convertatur: quæ porro diminuetur ad ratam, aut in totum ceſſabit, accedente beneficiorum unione & incorporatione, juxta prædictum decretum concilii Tridentini.

## TIT. XXII.

### *De foro, juriſdictione, & immunitate eccleſiaſticis.*

CAPUT I. Ut in foro eccleſiaſtico quam minus fieri poterit ſumptibus & partium incommodis cauſæ agantur, & quam breviſſimo tempore finiantur; nec clerici occaſionem accipiant quocumque prætextu ſeſe mutuo ad judicia ſæcularia contra canonum diſpoſitionem pertrahendi; præter ea quæ in priore ſynodo provinciali eum in finem edita fuerunt decreta, ſancta hæc ſynodus ſtatuenda duxit quæ ſequuntur.

In primis epiſcopi primo quoque tempore definiant atque præſcribant certam taxam pro ſalariis & ſtipendiis ſingulorum practicorum ſuæ curiæ; quam ipſe judex in taxando omnino ſequi teneatur; neque practici ipſi amplius exigere poſſint.

II. Cauſas omnes verbales, quæ ſine ſcripto expediri poſſunt, judices ſummarie & de plano expediant; nec permittant eas in ſcriptis agitari, etiam conſentientibus partibus aut practicis: & unicam tantum dilationem ad probandum, aut ad ſummum duas, in iis cauſis concedant.

III. In iis cauſis quæ ſcripto tractantur, ſimul atque ad libellum actoris reſpondit reus, illeque replicæ, hic duplicæ ſcripturam exhibuit; proceſſus ad manus judicis deferatur, ut ſententiam ſuam vel definitivam vel interlocutoriam ferat; nec antea umquam liceat plures exhibere ſcripturas.

IV. Judex autem, poſtquam ipſi exhibitus fuerit proceſſus, quanto citius fieri poterit, eum viſitet & decidat; maxime ſi ſint cauſæ matrimoniales, beneficiales, alimentorum, dotis, correctionis, & aliæ ſimiles, quæ accelerationem requirunt: in quibus etiam cauſis alimentorum, incarceratorum, & ſimilibus, de triduo in triduum procedatur, & dilationes præſcindantur & abbrevientur.

V. Scribæ ſeu notarii cauſarum ab omnibus ſuperfluis abſtineant; ideoque nec dies feſtos ad ſubſtantiam rei non neceſſarios apponant; nec dignitates judicum, vel litigatorum, vel procuratorum ſæpius repetant; nec tenorem totum ejuſdem inſtrumenti, citationis, & cujuſcumque ſcripturæ umquam reiterent: ſed ſi tenore ſemel inſerto, ejus alibi mentio facienda ſit, fiat remiſſive; nec proceſſibus aut actis curiæ pluſquam una continuatio cauſæ in ſingulis terminis ordinariis inſeratur: & ſi inſertæ fuerint plures, non veniant in taxam.

VI. Denique etiam commiſſarii, ad quos pertinet ſcribere teſtium depoſitiones, aut extracta quæcumque proceſſibus inſerenda, abſtineant a ſuperfluis præambulis, longiſque & inutilibus præfationibus, ac etiam concluſionibus, & aliis omnibus, quæ ad principale negotium non pertinent.

VII. Cauſæ omnes infra biennium a die motæ litis terminentur: alioquin poſt id ſpatium, liberum ſit partibus, vel alteri illarum, judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire: qui cauſas in eo ſtatu quo fuerint aſſumant, & quamprimum terminari curent, juxta concilii Tridentini decretum, ſeſſ. XXIV. cap. XX.

VIII. Decreta vero, quæ ibidem ſubjiciuntur, cauſas appellationis concernentia, a metropolitano ſeu ejus vicariis aut officialibus, exacte ſerventur, prout reliqua omnia quæ eos tangunt; ne comprovincialium epiſcoporum juriſdictio turbetur, aut impediatur.

IX. In cauſis vero beneficialibus, quæ coram judicibus eccleſiaſticis in petitorio agitantur, poſt primam ſententiam, etiamſi appellatum erit, fructuum perceptio victori ſub cautione tribuatur, aut ſaltem apud tertiam perſonam ſubſtituantur.

X. Porro ad compeſcendas frivolas appellationes, ſacra hæc ſynodus judicibus appellationum præcipit, ut pro qualitate cauſæ & modo culpæ, quos deprehendent male ſeu frivole ac perperam appellaſſe, in aliquam pœnam pecuniariam arbitrio ſuo piis uſibus applicandam condemnent.

XI. Quod ſi de gravamine agatur, quod per appellationem a definitiva reparari nequeat; quale eſt gravamen indebitæ carcerationis; cum appellare liceat, appellationi omnino deferatur: nec prohibeatur quominus acta cauſæ ad judicem appellationis deferantur: interea vero is, cujus cauſa agitur, in carcere permaneat, quoad cognita cauſa judex ad quem (appellavit) aliter decreverit.

XII. Cum variis modis contingat turbari aut impediri juriſdictionem eccleſiaſticam per judices laicos; ſupplicetur ex parte hujus ſacræ ſynodi Regiæ majeſtati, ut utriuſque fori & eccleſiaſtici & civilis indemnitati, & judicum omnium quieti & ſecuritati conſulens, quod ſuum cuique eſt tribuere, & ne ſe invicem turbent aut impediant, ſua auctoritate regia providere dignetur. In primis vero, quod indigniſſimum eſt, ne in ipſas perſonas eccleſiaſticas aliquid juris, aut de eorumdem exceſſibus cognitionis judices laici uſurpent aut prætendant; nec eoſdem coram ſe pro actionibus perſonalibus etiam civilibus pertrahant, ſive ſint ſæculares clerici, ſive capitula aut monaſteria dictis judicibus eccleſiaſticis ſubjecta. Ne epiſcopos aut eorumdem officiales ullo pacto impediant, quin clericos ſibi ſubjectos criminoſos libere capere ſeu apprehendere & incarcerare, & prout ſacri canones dictaverint, pro modo culpæ eos punire poſſint.

XIII. Quod ſi ipſi epiſcopi, aut alii judices eccleſiaſtici, petant auxilium laicorum ad dictam apprehenſionem in locis juriſdictionis eorumdem faciendam, ne exigant viſionem informationis præparatoriæ, aut ipſi de cauſa apprehenſionis cognoſcant: ne cum ipſi judices eccleſiaſtici aliquos citaverint, qui ſe prætendant exemptos, dummodo notorie tales non ſint, laici judices cognitionem declinatoriæ exceptionis coram judicibus eccleſiaſticis propoſitæ eiſdem inhibeant, aut eam ſibi uſurpent, contra apertiſſimam utriuſque juris diſpoſitionem; qua cautum eſt, ut qui ad aliquod judicium evocatus, ſe aliquo privilegio eximere vult, teneatur nihilominus comparere, & ibidem dictum ſuum privilegium allegare, & de eo fidem facere.

XIV. Ne dicti judices laici judicibus eccleſiaſticis præcipere audeant, ut revocent ſuas ſententias ſuſpenſionis a divinis, aut excommunicationis, aut alia decreta per ipſos lata; & ne eo prætextu arreſtare præſumant bona temporalia dictorum judicum eccleſiaſticorum; quin potius, ſi dictos judices eccleſiaſticos prætendant exceſſiſſe in ſuis ſententiis aut decretis, ad epiſcopos, aut eorumdem ſuperiores, ii quorum intereſt, recurrant.

XV. Ipſas vero ſententias judicum eccleſiaſticorum, cum requiſiti fuerint, ſine nova cauſæ cognitione exſequantur, per captionem pignorum, & alias; maxime cum hodie concilium Tridentinum vetet, ne frequens ſit uſus excommunicationis; & quandocumque exſecutio realis aut perſonalis fieri poteſt, a cenſuris eccleſiaſticis abſtineatur.

XVI. Nullam etiam moveant difficultatem in exſecutione ultimarum voluntatum ipſorum clericorum: ſed penes epiſcopos, ſeu alios judices eccleſiaſticos, ſit libera facultas cogendi exſecutores dictorum teſtamentorum, etiam laicos, ad reddendum ſuos computus, & pia legata aut fundationes exſecutioni demandandum.

XVII. Ut etiam magiſtratus & præfecti ſæculares non cogant clericos, maxime in ſacris ordinibus conſtitutos, qui Chriſto militare debent, ad excubias diurnas aut nocturnas: nec eorumdem bona ſine conſenſu ordinum eccleſiaſticorum ad aliquas contributiones obligare & taxare præſumant, in grave detrimentum animarum ſuarum, & immunitatis eccleſiaſticæ præjudicium.

XVIII. Poſtremo, ut omnes judices regii ac magiſtratus omnibus modis juvent epiſcopos & eorumdem vicarios, ad exſecutionem omnium & ſingulorum decretorum ſacroſancti concilii Tridentini.

## TIT. XXIII.

*De uſuris.*

CAPUT I. Eos qui cum publicis uſurariis, utpote excommunicatis, communicant in divinis, excommunicationem majorem incurrere ſynodus declarat. Ideoque parochis omnibus diſtricte præcipit, ut ne quidem in articulo mortis ipſis uſurariis, niſi de reſtituendis per uſuras injuſte acquiſitis cautionem dederint, eccleſiæ ſacramenta adminiſtrent, eoſque ab ingreſſu eccleſiæ prohibeant.

II. Qui vero in aliis quam divinis cum uſurariis communicant, excommunicationem minorem incurrunt, niſi ob cauſas a jure expreſſas excuſentur.

III. Eiſdem tamen parochis inhibet hæc ſynodus ſub pœna majoris excommunicationis, ne cum iiſdem uſurariis quocumque modo converſentur, niſi ut pro negotiis ſuæ ſalutis eos cohortentur.

IV. Quoties autem ex mutuo aliquid præter ſortem exigitur vel accipitur, cujuſcumque generis illud ſit, modo pecunia æſtimari poſſit, uſura committitur. Ideoque tutores & curatores pupillorum & pupillarum, etiam magiſtratus, qui pleriſque in locis patrimonii eorumdem augendi cauſa, ſeu quovis alio prætextu, pecunias eorum, ſub certo lucro ſingulis annis ultra ſortem recipiendo, mutuo dare ſolent, retenta facultate repetendæ ſortis, ubi ad majorem ætatem pupilli vel pupillæ pervenerint, aut matrimonium contraxerint, aut alios, ad dictorum tutorum ſeu curatorum arbitrium & voluntatem, uſuram committere declarat hæc ſynodus; & præcipit, ut contra eos tamquam uſurarios, ſi poſt publicationem decretorum hujus concilii moniti, hujuſmodi contractus non mutaverint, procedatur.

## TIT. XXIIII.

*De ſynodo provinciali & diœceſana.*

CAPUT I. Cum ſacroſancta Tridentina ſynodus provincialia concilia quolibet triennio haberi voluerit poſt octavam Paſchæ reſurrectionis Domini, ſeu alio commodiore tempore pro more provinciæ; hæc ſynodus proximo concilio provinciali neque certam diem, neque certum locum commode præfigere poteſt: ſed hoc metropolitani; ad quem dictorum conciliorum convocatio pertinet, arbitrio relinquit: qui pro commoditate locorum & temporum convocationem facere poterit, quando ipſi magis expedire videbitur.

II. Convocatione autem per metropolitanum facta, die & loco per eumdem præfixis comparere tenentur, primum omnes ejus coepiſcopi; deinde Capitula omnium eccleſiarum cathedralium hujus provinciæ, ac omnes qui de jure & conſuetudine intereſſe debent. Qui niſi legitima

cauſa



cauſa impediantur, per ſeipſos, non autem per procuratores comparere debeant. Eam vero ipſam metropolitano ſignificare, ac de ea opportuno tempore fidem facere teneantur.

III. Et nihilominus, ſi cauſa impedimenti probetur, ſeu excuſatio, ne quis perſonaliter compareat, admittatur; procuratorem aliquem virum eccleſiaſticum mittat, non ad audiendum tantum & referendum, ſed ad deliberandum & gerendum quæ principalis faceret, ſi perſonaliter intereſſet; nec non ad acceptandum & recipiendum quæcumque in ipſa provinciali ſynodo acta, geſta, conſtituta, & decreta fuerint.

IV. Contra vero abſentes, vel procuratorium ſufficiens non mittentes, primum ad contumaciam, etiam per affixionem edicti publici ad valvas metropolitanæ eccleſiæ, aut alterius loci, ubi concilium celebrabitur; deinde ad alias pœnas juxta canonicas ſanctiones decernendas procedatur.

V. In iis de hæreſibus exſtirpandis, & fidei integritate conſervanda, de moribus reformandis & exceſſibus corrigendis, denique de controverſiis componendis agatur. Quod ſi epiſcopi & alii qui intereſſe debent, a noviſſimo concilio circa hæc aliquid obſervaverint, quod in concilio proponendum videatur, id uno menſe ante diem præfixum ipſi metropolitano per litteras ſignificetur.

VI. Prima die opportuna poſt apertam ſynodum proceſſio ſolemnis fiat, convocato univerſo clero ſæculari & regulari ipſius civitatis: poſt proceſſionem Miſſæ ſacrificium ab ipſo metropolitano fiat; in qua etiam vel ab eodem vel ab alio ejus juſſu ſermo habeatur. Quod & ſequentibus diebus per ordinem faciant epiſcopi, aut alii ab ipſis deputati.

VII. A concilio autem nemini recedere liceat, niſi ex juſta & neceſſaria cauſa metropolitano expoſita; & ab eodem recedendi facultate in ſcriptis obtenta, & promotori concilii intimata, ac per ſecretarios concilii regiſtrata, procuratore etiam idoneo ſuo nomine relicto.

VIII. Epiſcopi, ſeu eorum legitimi procuratores, antequam a concilio redeant, ad altare majus accedentes, decretis ac conſtitutionibus in eodem concilio confectis & promulgatis, poſtquam metropolitanus ſubſcripſerit, ſinguli ordine ſuo ſubſcribant.

IX. Denique abſoluto concilio & [a] ſanctis acclamationibus factis, omnes epiſcopi ſurgentes oſculum pacis a metropolitano accipiant, & ſibi invicem dent; ſignificantes ſe conjunctiſſimis animis concilii decreta exſequi velle; quod proinde omni ſtudio ac vigilantia re ipſa præſtent.

[a] Forte, Coll-tis.

X. Diœceſanam ſynodum ſinguli epiſcopi in ſuis diœceſibus ſingulis annis habeant.

XI. Et in prima poſt concilium provinciale, quæ quidem infra ſex primos poſt illud menſes habeatur, omnia decreta ipſius provincialis promulgentur.

Publicata fuerunt hæc decreta in inſigni eccleſia collegiata ſanctæ Valdetrudis oppidi Montis Hannoniæ, poſt Miſſam ſolemnem, ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino archiepiſcopo celebratam, die vigeſima tertia menſis Octobris, anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto: & ſignata ſuper altare majus dictæ eccleſiæ, prout ſequitur.

Ego Joa. Fr. epiſcopus Vercellen. Nunciuſque Apoſtolicus, & ſacræ hujus ſynodi una cum illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino archiepiſcopo præſidens, ſupra exaratis decretis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Ludovicus archiepiſcopus Cameracenſis, his decretis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Matthæus Atrebatenſis epiſcopus, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Franciſcus Namurcenſis epiſcopus, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joannes Cotreau, vicarius & deputatus a Capitulo Tornacenſi ſede vacante, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Jacobus Pamelius tamquam procurator piæ memoriæ reverendiſſimi domini Joannis Six epiſcopi Audomarenſis, ad diem uſque decimam ſextam Octobris excluſive, quo mors ipſius nunciata eſt, decretis, quorum deciſioni interfui, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Ludovicus de Berſaques, eccleſiæ Audomarenſis decanus, quia deciſioni decretorum ſubſequentium tamquam procurator ſedis vacantis interfui, ipſi conſentiens ſubſcripſi.

Nomina deputatorum a Capitulis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum iſtius provinciæ; nomina item abbatum, priorum, procuratorum, & aliorum, qui huic ſynodo interfuerunt, ſuo ordine in actis ſunt deſcripta.

Promotores concilii fuerunt Jo. Froidmont ſacræ Theologiæ licentiatus & Scholaſticus, ac Nicolaus Goubile decretorum & legum etiam licentiatus, canonici Cameracenſes.

Secretarii, Petrus Preudhomme & Valerianus du Flos, decretorum & legum licentiatus & doctor, canonici etiam Cameracenſes.

*Acclamationes factæ poſt publicationem decretorum, & decantatum in gratiarum actionem hymnum,*
Te Deum laudamus.

Deo noſtro Patri miſericordiarum & Deo totius conſolationis, omnis honor, laus & gloria in ſæcula ſæculorum.

*Reſp.* Amen, Amen, Amen.

Beatiſſimo Sixto Papæ quinto, ſanctæ & catholicæ eccleſiæ Pontifici, cunctarum gentium obedientia, & Chriſtiani nominis in omnem terram propagatio, ac diuturna proſperitas.

*Reſp.* Domine Deus Sanctiſſimum dominum noſtrum diutiſſime & feliciſſime eccleſiæ tuæ conſerva; atque illum ab omni adverſitate cuſtodi. Mitte ei auxilium de ſancto, ut eo gubernante gentes omnes illuminentur, & in unum eccleſiæ tuæ ovile colligantur.

Illuſtriſſimis & reverendiſſimis dominis, epiſcopo Vercellenſi, Nuncio Apoſtolico, & Archiepiſcopo noſtro ſacræ ſynodi præſidibus, necnon reverendiſſimis dominis hujus provinciæ epiſcopis, ac venerandis Patribus, ſalutaris vigilantia, in laboribus conſtantia, & felix ad eccleſias ſuas reditus.

*Reſp.* Deus Pater luminum, illuſtra faciem tuam ſuper ſervos tuos, & dirige greſſus eorum in viam pacis, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi tuæ.

Imperatori, Regi Catholico, & Alexandro Gubernatori noſtro, perpetua felicitas.

*Reſp.* Æterne Deus, Chriſtianæ religionis defenſoribus optabilem de hoſtibus Crucis Filii tui dexteræ tuæ potentia victoriam concede.

Provinciæ noſtræ clero & populo, omnibuſque fidelibus Chriſtianis, tranquillitas, ſalus, & divinarum gratiarum abundantia.

*Reſp.* Benedic Domine filios tuos; & eſto in circuitu populi tui ex hoc nunc & in ſæculum.

Decretorum hujus provincialis ſynodi obſer-

vatio-

vationem ſalutarem ad provinciæ noſtræ ſpiritale incrementum, omnes qui hic adſumus, unanimi voto, a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploramus, intercedente Deipara Virgine Maria Domina noſtra, cum beato Joanne Baptiſta, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, beata Valdetrude, & omnibus ſanctis.

*Reſp.* Fiat, Fiat: Amen, Amen.

*PLACCART DE SA MAJESTE, ſur l'execution des decrets de la ſynode provinciale de Cambray, tenue en la ville de Mons, au mois d'Octobre, 1586. & faites en notre ville de Bruxelles, le premier jour de Juin, l'an de grace 1587.*

*PHILIPPE par la grace de Dieu, Roy de Caſtille, d'Arragon, de Leon, de deux Siciles, de Jeruſalem, de Portugal, de Navarre, de Grenade, de Tolete, de Valence, de Galice, des Maillorques, de Seville, de Sardaine, de Cordube, de Corſique, de Murcie, Jaen, des Algarbes, de Algezire, de Gibraltar, des Isles de Canarie, & des Indes tant orientales, que occidentales, des Isles & terre ferme de la mer Oceane, Archiducq d'Auſtrice, Duc de Bourgoingne, de Lothier, de Brabant, de Lembourg, de Luxembourg, de Geldres, & de Milan, Conte de Habsbourg, de Flandres, d'Artois, de Bourgoigne, de Tirol, Palatin, & de Haynnau, de Hollande, de Zelande, de Namur, & de Zutphen, Prince de Zwaue, Marquis du S. Empire de Rome, Seigneur de Frize, de Salins, de Malines, des cite, villes & pays d'Utrecht, d'Overiſſel, & de Groeninghe, & dominateur en Aſie, & en Affricque. A tous ceux qui ces preſentes verront, ſalut.*

*Comme il ſoit que en la ſynode provinciale de Chambray tenue en noſtre ville de Mons, au mois d'Octobre de l'an XV. C. quatre vingtz & ſix dernier, ayent eſte decretees & ordonees beaucoup de choſes grandement importantes a l'advancement de l'honneur de Dieu, & du ſalut des ames: Et que pour tant mieux pouvoir mettre en execution iceux decrets; Nous ſoyons eſte requis de la part de tres-reverend pere en Dieu, l'Archeveſque & Duc dudit Cambray, enſembles des Eveſque & Chapitres des ſieges vacans d'icelle province: afin d'y interpoſer noſtre autorite, en aidant a faire effectuer les poinctz, pour l'execution deſquez noſtre dict aſſiſtence pourroit eſtre neceſſaire.*

*Scavoir faiſons, que apres avoir fait meurement veoir & examiner en conſeil la ſuſdite Ordonnance & decret, veuillans tant qu'en nous eſt avancer un œuvre tant bon, pieus, & ſainct: Avons par la deliberation de noſtre tres-cher & tres ame bon neveu le Duc de Parme & de Plaiſance, Chevalier de noſtre Ordre, Lieutenant, Gouverneur, & Capitaine de noz pays de par deca, ordonne & ſtatue, ordonnons & ſtatuons par ces preſentes les poinctz & articles que s'enſuivent.*

*Premierement, que tous ceux qui d'oreſnavant ſeront mis en magiſtrat & loy, tant de villes que villaiges dudit Archeveſche de Chambray, enſemble tous officiers publicqz, ſi comme Bailliz, Prevoſtz, Conſeilliers, Penſionnaires, Greffiers, Procureurs des Villes, & tous autres dependans de la Juſtice, ſeront tenuz faire profeſſion de leur foy, touchant des deigts la Croix, ou les ſainctes Evangiles, en la forme & maniere que s'enſuit.*

*Je N. jure par le Dieu tout puiſſant, & ſur la damnation de mon ame, que je croy tout ce que croit l'Egliſe Catholicque Apoſtolicque & Romaine, & que je tiens la doctrine qu'elle a tenu, & tient, ſoubz l'obeiſſance de noſtre ſainct Pere le Pape, deteſtant toutes doctrines contraires a icelle, ſi comme des Lutheriens, des Calviniſtes, des Anabaptiſtes, & de tous autres hereticques & ſectaires: & quentant qu'en moy ſera, je m'oppoſeray & contrarieray a icelles. Ainſi m'aide Dieu, & tous ſes ſaincts.*

*Laquelle profeſſion de foy ſera renouvellee de chacun an par les officiers permanens, ſignamment les principaux, ſi comme Bailliz, Conſeilliers, Penſionnairs, Greffiers, & Procureurs, tant de villes, que d'autres lieux: & ſe fera ladict profeſſion de foy, par les magiſtratz es mains de nos Commiſſaires, ou autres ayans charge & auctorite de renouveller les loix ou Magiſtratz; & par les officiers de villes es mains du Magiſtrat nouveau. Et quant aux villaiges, icelle profeſſion de foy ſe fera ſemblablement es mains de celuy ou ceux qui ont auctoritez de renouveller la loy, y preſent le Paſteur.*

*Auſſi ordonnons que tous Libraires, Imprimeurs, maiſtres & maitreſſes d'Eſcholles Latines, ou autres, ſans nulz excepter, feront ſemblable profeſſion de leur foy es mains de l'Eſcholatre, es lieux ou il y a Eſcolatre: & ou point, es mains des archiprebiſtres, ou doyens de Chreſtiente: ſauf que les maiſtres d'Eſcolles Latines le feront ſelon la forme preſcripte par la bulle de feu noſtre ſainct Pere le Pape Pius quartus: Et dont ſera tenu note par tous les ſuſdites.*

*Et pour remedier aux abus invetterez contre l'expres commandement de Dieu & de l'Egliſe, touchant la violation des feſtes & ſainctes Dimanches; ordonnons en conformite des Placcarts ſur ce publiez es annees trente & ung, & ſoixante; que eſdits jours de feſtes & Dimenches, durant la grande Meſſe & Sermon que ſe fait en icelle, ou autrement du matin, & durant les Veſpres, ne ſera loiſible a perſonne de pourmener au marche ou places publicques, ou pres des Egliſes, ny aller en tavernes, s'addonner a quelques jeux publicques, ſi comme d'archers, canoniers, ou harquebuſiers, eſcrimeurs, jeulx de paulmes, & autres, d'aller aux danſes, ſoit pour ſolemnite de nopces, ou autrement, n'y auſſi d'aller peſcher en rivieres ou foſſez, n'y auſſi ſe pourmener aux Egliſes, tant hors l'office divin, que durant iceluy: a paine arbitraire, ſelon la qualite des perſonnes.*

*Comme auſſi les chartiers & batteliers ne pourront charger n'y commencer voitures de marchandiſes ou denrees par un jour de feſte ou Dimenche, n'y auſſi eſtans arrivez ou ils veulent, eſtre deſcharge leurdicte marchandiſe eſdicts jours, du moingz durant le ſervice divin.*

*Et de meſmes ne pourront les laboreurs cultiver les terres, ou moiſſonner, ny les meuſniers, braſſeurs, bouchiers, boulengiers, faire leur beſoingne eſdicts jours, n'eſt pour quelque notable neceſſite, a declarer par l'officier & magiſtrat du lieu, par l'advis du doyen de Chreſtiente, ou en ſon abſence, du Cure du lieu.*

*Et pour oſter le grand ſchandal & diſcommodite qui advient au ſainct ſervice divin, par les paſſemens & recours de maiſons & autres heritages, & venditions de biens meubles, qui en pluſieurs lieux ſe font eſdicts jours de feſte & Dimenche, encores que apres ledict ſaint ſervice divin: Voulons & commandons que pour l'advenir tels debvoirs ſoient remis a quelque autre jour. Bien entendu que eſdicts jours de feſtes & Dimenches s'en pourrons faire les criees & denunciations hors de l'Egliſe a l'yſſue de la Meſſe, ou de Veſperes; a raiſon que le peuple eſt lors aſſemble. Comme auſſi les foires & autres marchiez publicqz de chacune ſepmaine, quand ils eſcherront ou tomberont ſur le ſainct Dimenche, ou quelque jour de feſte, ſeront anticipez au jour precedent ou poſtpoſez au ſequent par les Magiſtrats, par communication & advis des Eveſques, ſi meſtier eſt.*





*Et pource que par experience l'on a remarque pluſieurs abuz touchant le bapteſme des enfans par les ſaiges femmes, ordonnons aux magiſtratz de ne permettre quelque ſaige femme exercer ſon office, qu'elle ne ſoit eſte premierement examinee, & ſi beſoing ſoit inſtruicte de ſon paſteur, & ait fait le ſerment es mains dudit magiſtrat, de denoncer fidellement audict paſteur les enfans qu'elle ſcaura eſtre a baptiſer dans ſa paroiche, & ce avant le tiers jour.*

*D'aultre part comme nous ſommes informez, que aulcuns promeuz aux ſainctes ordres ſoubz tiltre de leur patrimoine, s'avancent nonobſtant leur ſerment faict au contraire es mains de leur eveſque ou ſes officiers, d'aliener, obliger, donner, ou renuncer icelluy leur patrimoine a leurs parens, ou aultres, par ou ilz demeurent imporveuz, ſignamment en leur vieilleſſe. Nous pour a ce obvier, voulons que toutes allienations, engaigement, hypotecques, donations, ou diſpoſitions faictes de telz biens ſoint nulles & de nulle valeur, ſi ce n'eſt en reſervant l'uſufruict & libre joyſſance d'iceulx biens durant la vie naturelle de ceulx qui aurons eſte promeuz aux ordres ſacres ſoubz tiltre de leur dit patrimoine.*

*Et pour ce qu'en pluſieurs lieux les Curez ſont petittement pourveuz, & n'eſt poſſible, ſignamment es villes, les pourveoir de portion canonicque par aſſignation des diſmes, ou union des ſimples benefices: Ains eſt neceſſaire venir a la troiſieſme voie ordonnee par le ſainct Concil de Trente; ſcavoir les collectes ſur les paroiſchiens: laquelle collecte ne ſe povant practiquer ſans noſtre authorite & conſentement; ordonnons a tous magiſtratz & gens de loy, qu'ils ayent a aſſiſter les eveſques a trouver ce que defauldra pour l'entretenement deſdicts paſteurs, la ou ne leur pourra eſtre ſuffiſamment pourveu par les deux premieres voyes, ordonnees par ledict Concil de Trente, juſques aux ſommes adviſees par cette ſynode metropolitaine: leſquelz magiſtratz feront l'aſſiette de ce qu'iceulx Eveſques auront declare defaillir aux deux premieres voyes, pour trouver la ſuſtentation deſdicts Curez.*

*Pareillement comme journellement ſe repreſentent auſſy grandes difficultez touchant la proviſion deſdicts curez, ou bien apres la reparation des egliſes, par la voye d'aſſignation des diſmes, quant icelles ſe trouvent eſtre occupees ou poſſedees par gens layz, ſoit en fief, ou aultrement: Nous declarons noſtre intention eſtre, que a la portion canonicque, & reparation dediſcts egliſes, debveront contribuer les diſmes, aians aultrefois eſte laicales, leſquelles preſentement ſerojent retournees en mains des gens d'egliſe, de quelle nature qu'elles ſoyent, fiefz ou autres, pour eſtre retournees a leur primitive nature: enſemble celles que l'on pourra verifier avoir eſte achaptees, ou aultrement acquiſes par gens layz des eccleſiaſtiques, depuis le premier Concil de Latran, qui fut l'an 1179. ſoubz Alexandre troiſieſme.*

*Et afin que les biens des fabricques d'egliſes & d'aultres lieux pieulx ſoient bien employez, & les fondations entretenues comme il appertient: Voulons que par tout a l'audition des comptes du bien deſdicts fabrique des egliſes, ſoit preſent & appelle le Cure du lieu; ou bien que l'eveſque y envoie quelque aultre ſien depute, quant pour quelque cauſe il eſtimera cela expedient; moyennant que ce ſoit ſans aucun fraix de ladicte fabricque, & ſans prejudice de noz droiz & authoritez, ou des ſeigneurs particuliers des lieux.*

*Comme auſſy ledit cure pourra de la part de l'eveſque eſtre preſent a l'audition des comptes des hoſpitaulx, maladries, maiſons d'orphelins, eſcolles & aultres lieux pieux des villages: pourveu que ce ſoit ſans fraix & charges deſdicts maiſons, & ſans prejudice comme deſſus.*

*Et pource qu'en ce temps preſent il eſt plus que neceſſaire de faire par tout dreſſer les eſcolles Dominicales pour l'inſtitution de la pauvre jeuneſſe; nous enchargeons bien expreſſement a tous officiers, magiſtratz, & gens de loy de villes, & plat pays, reſpectivement, d'aſſiſter les eveſques ou leurs deputez tant a l'erection d'icelles eſcolles, que au recouvrement des deniers a ce requis & neceſſaires; & a ce que leſdites eſcolles ſoient bien frequentees, auront a faire conſtraindre les enfans, ſerviteurs & ſervantes, d'aller auſdictes eſcolles; en puniſſant les parens, maiſtres ou maiſtreſſes, qui ne feront devoir d'y envoyer leurſdicts enfans, ſerviteurs & ſervantes ayans beſoin d'inſtruction.*

*Au reſte veuillant mettre ordre a ce que la juriſdiction eccleſiaſtique ſoit maintenue & conſervee ſi autant que de raiſon: Nous deffendons à tous noz Conſaulx & ſieges Provinciaulx, & toutes autres Juſtices ſeculieres, de n'entreprendere ſur ladite juriſdiction eccleſiaſticque, ny prendre cognoiſſance des cauſes criminelles ou civilles ſur les perſonnes deſdicts eccleſiaſticques, chapiſtres, ou monaſteres, ny permetent iceulx eſtre attirez par les juges ſubalternes de leurs reſſortz: ſauf es cas eſquelz ils ſont de temps immemorial accouſtumez de ce faire: & ou a cette occaſion leſdicts Archeveſque & Eveſque pretendroient y avoir emprinſe, auront leur recours vers nous, ou vers noz tres-chiers & feaux les Chief Preſident & gens de noſtre Conſeil prive, pour y ordonner ce que de raiſon. Ne veuillans que noſdicts Conſaulx ou juges Provinciaulx baillent, ou ſouffrent eſtre baille a l'advenir aulcun empeſchement auſdicts Archeveſque, Eveſques, ou leurs Juges d'Egliſe en l'apprehenſion deſdicts eccleſiaſticques de leur charge, les leiſſant par eulx punir ſelon les decrets & ſainctz canons. Bien entendu qu'ilz ne pourront les tirer hors des maiſons des bourgeois ou mannans, eſtans perſonnes layes, ou de ce il y a previlege ou couſtume prohibant ladite extraction. En quoy toutesfois ne ſeront comprinſes tavernes, cabaretz, hoſtelleries, & ſemblables lieux, n'eſt qu'iceulx ſoient auſſy previlegiez comme les autres maiſons de bourgeois.*

*Sy voulons & ordonnons, que lors que les eveſques ou aultres requerront ayde des Juges layz pour apprehender leurſdicts ſubjectz eccleſiaſticques es lieux de leur juriſdiction, qu'ilz aient a leur donner confort, ayde, ou bras ſeculier, s'ils en ſont requis, ſans demander inſpection des informations, ſoient preparatoires, ou aultres, & ſans prendre cognoiſſances des cauſes de l'apprehenſion. Et quant leſdicts juges eccleſiaſticques auront cite quelques perſonnes quy ſe pretendent exemptes de leur juriſdiction; Nous ordonnons a noz Conſaulx & ſieges Provinciaulx, que leur en eſtant faicte plaincte, auparavant decerner quelque proviſion de ſaiſiſſement ou caſſation, ilz ayent a eſcrire audit juge eccleſiaſticque, afin d'advertir que c'eſt du proces, de quelle matiere il y a queſtion, & ſur quoy le demandeur funde la cognoiſſance du juge eccleſiaſticque. Et s'il luy ſemble la matiere diſpoſee, pour ſub-*

*ſubmettre ledit lay a ſa juriſdiction, & par quelle raiſon, pour la reſcription veue & examinee en Conſeil, ſi les raiſons ſint trouvvees inſuffiſantes, requerir ledit juge eccleſiaſticque iterativement de ſe deporter de ladite cognoiſſance: a paine d'y pourvoir par les remedes accouſtumez, comme en cas de defaut ils feront: tenant pendant cette communication toutes procedures en ſurceance.*

*Veuillant que le meſme debvoir ſe faſſe auſſi par les Juges laiz devant decerner arreſt ou ſaiſiſſement des biens temporelz deſdicts juges eccleſiaſticques, pour faire revocquer les citations, procedures, excommunications, ſuſpenſions, ou ſemblables ordonnances par eulx faites.*

*Si ordonnons a tous noz juges de mettre en execution toutes les fois que requis en ſeront, par prinſe de gaiges ou aultrement, les ſentences deſdicts juges eccleſiaſticques non ſuſpendues par appel: n'eſt que le juge requis ait cauſe pregnante au contraire, dont il advertir a le juge eccleſiaſticque; lequel ne trouvant icelle cauſe ſuffiſante, pourra avoir ſon recours a noſtredict Conſeil prive.*

*Et au regard de l'immunite eccleſiaſticque, Nous voulons que icelle ſoit entretenue autan que convenablement faire ſe pourra. Et en cas de difficulte les eccleſiaſticques ſe pourront addreſſer a nous, ou ceulx de noſtre dict Conſeil prive, pour y avoir le regard que de raiſon.*

*Au ſurplus, comme en pluſieurs lioux juſques a preſent, les tuteurs des pupilles ont accouſtume bailler l'argent deſdicts pupilles a quelque gaignaige, en retenant la liberte de repeter ledict argent principal avec les montes, quant iceulx pupilles viennent en eaige, ou ſe marient, ou aultrement: ce que de droit Canon eſt tenu pour uſure; Nous voulans y pourveoir, ordonnons a tous magiſtratz de villes, Notaires, & aultres, ayans faict telz contracts, au nom deſdicts pupilles, de incontinent apres la remonſtrance des Eveſques a eulx faictes, les changer, & d'oreſnavant ſe garder de faire recevoir ou paſſer ſemblables contracts: a paine que contre ceux, qui les feront, ou ne changeront ceulx desja faicts, ſera procede comme contre uſuriers. Et en tout cas declarons telz contracts nuls & illicites pour l'advenir.*

*Davantaige, nous entendons que quant perſonnes eccleſiaſticques intenteront quelque action par devant noz juges provinciaux, ou aultres ſeculiers, pour la reſciſſion ou annullation de quelque alienation des biens d'Egliſe, ou de quelque louaig faict a longues annees, ou aultre contract dommageable a l'Egliſe, noſdicts juges ſe regleront ſelon les canons, & conſtitutions du droict civil non repugnantes auſdicts canons, & ſelont les placcartz, couſtumes, ou uſances obſervees pour le plus grand bien des Egliſes.*

*Comme auſſi voulons & entendons, que par nos juges royaulx, & tous aultres, ſoient tenues pour nulles les alienations, & louages a longues annees des biens eccleſiaſticques faictes ſans le conſentement des ſuperieurs, & deue cognoiſſance de cauſe. Et ce nonobſtant toutes couſtumes au contrarie au regard des alienations & louages ſuſdicts qui ſe feront a l'advenir: Comme pareillement ſeront tenues pour nulles toutes ventes de grains, dont les termes ne ſeront eſcheuz, faictes a vil prix par anticipation de payement.*



*Veuillant auſſi qu'en conformite des decrets de ladite ſynode le terme ordinaire de louer les biens d'Egliſe, ſoit quant aux maiſons, cenſes, & terres labourables, de neuf ans: pour les prez, de ſix ans: & pour le diſmes que ſe baillent a ferme ſans terres labourables, de trois ans: & que le bail deſdictes terres labourables ne ſe puiſt renouveller ſinon apres les ſix ans: pour les prez, apres les quatre ans: & pour les diſmes, apres les deux ans: ſans que aucunement ces termes ſe puiſſent exceder, ne fut en obſervant les ſolemnitez requiſes en cas d'alienation des biens eccleſiaſticques: aultrement, que telz contracts ſoiens tenus pour nulz & invalides, commes ladicte ſynode les a declare telz.*

*Au ſurplus declarons que les biens d'egliſes parochiales, chappelles, & des lieux pieux ne ſe pourront bailler en ferme ou louaige, ſi ce n'eſt apres trois proclamations, ou attaches de billetz faictes es lieux accoutumez, ou qu'ils ſoient louez auſſi cherement, que ſe baillent en ferme les terres circonvoiſines de ſemblable bonte; le tout ſans prendre pot de vin a la diminution du rendaige, ne ſoit du conſentement du ſuperieur: a paine que telz contracts ſeront tenus & reputez pour nulz & de nulle valeur.*

*Si donnons en mandement a noz tres chers & feaulx les Chef Preſidens, & gens de nos prive & grand Conſaulx, Gouverneur, Preſident, & gens de noſtre Conſeil Provincial d'Arthois, Grand Bailly de Haynnau, & gens de noſtre Conſeil a Mons, Governeur, Preſident & gens de noſtre Conſeil a Namur, Governeur de Lille, Douay, & Orchies, Bailly de Tournay & de Tourneſiz, Prevoſt le Conte a Valenchiennes, & a tous autres noz juſticiers, & officiers, leurs lieutenans, & chacuns d'eulx endroit ſoy, & ſi comme a luy appartiendra, que ceſte noſtre preſente ordonnance & ſtatut, & tout le contenu en ces dictes preſentes, ilz facent publier chacun en ſon endroit, es lieux & limites de leur juriſdiction, ou l'on eſt accouſtume faire criz & publications, afin que nul n'en puiſſe pretendre cauſe d'ignorance. Et au ſurplus gardent, obſervent, & entretiennent, & facent garder, obſerver, & entretenir inviolablement tous les poincts & articles y contenuz, ſolen leur forme & teneur: procedant & faiſant proceder reſpectivement contre les tranſgreſſeurs, a l'execution des peines & punition cy deſſus mentionnees, ſans aucune faveur, port, ou diſſimulation. De ce faire & qu'en depend leur donnons & a chacun d'eulx plain pouvoir, auctorite, & mandement eſpecial. Mandons & commandons a tous, que a eux le faiſant ils obeiſſent & entendent diligemment. Car ainſi nous plait il. En teſmoing de ce nous avons fait mettre noſtre ſeel a ces preſentes, qui furent faites en noſtre ville de Bruxelles, le premier jour de Juin, l'an de grace mil cincq cent quatrevingtz & ſept, de noz regnes, a ſcavoir de Naples & Hieruſalem le 34. de Caſtille, Aragon, Sicile, & des autres le 32. & de Portugal le 8. Soubſcrit, Par le Roy en ſon Conſeil. Et plus bas ſigne, Verreyken. Et eſtoient leſdictes lettres ſeellees du grand ſeel de ſa Majeſte en cire rouge a double queue pendant. Verreyken.*

" ** CON.





ANNO CHRISTI 1590.

# " ** CONCILIUM PROVINCIALE TOLOSANUM.

Quod Illuſtriſſimus & reverendiſſimus Franciſcus de Joyoſa S. R. E. tituli ſanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio presbyter cardinalis habuit, anno domini 1590. *menſe majo.*

## INDEX TITULORUM.


Pars prima.

*De fidei profeſſione.*
*De epiſcopis.*
*De capitulis.*
*De parochis.*
*De presbyteris & clericis.*
*De concionatoribus.*
*De vicariis foraneis.*
*De monialibus.*

Pars ſecunda.

*De ſacramentis & ſacramentalibus.*
*De baptiſmo.*
*De confirmatione.*
*De pœnitentia & confeſſione.*
*De euchariſtia & ſacra communione.*
*De miſſarum celebratione.*
*De ſacramento ordinis.*
*De matrimonio.*
*De extrema-unctione.*
*De cura pro mortuis agenda, deque ſepulcris, exequiis, & funeribus.*
*De reliquiis & ſanctorum imaginibus.*
*De indulgentiis.*
*De cibis vetitis & eorum diſpenſatione.*
*De feriis earumque cultu.*
*De votis, & religioſis peregrinationibus.*

Pars tertia.

*De eccleſiis, capellis, altaribus, ceteriſque ejuſmodi.*
*De oratoriis in via ſitis.*
*De ſcholis & ſodalitatibus doctrinæ Chriſtianæ.*
*De univerſitatibus & collegiis.*
*De ſeminariis clericorum.*
*De hoſpitalibus, leproſariis, aliiſque piis locis.*
*De confraternitatibus & ſodalitiis.*

Pars quarta.

*De excommunicatione.*
*De juriſdictione eccleſiaſtica & judiciali foro epiſcopi.*
*De rerum eccleſiaſticarum, beneficiorumque, aut locatione aut alienatione.*
*De decimis & oblationibus.*
*De ſimonia & confidentia.*
*De proviſionibus & renuntiatione beneficiorum.*
*De reſidentia.*
*De viſitatione.*
*De jure patronatus.*
*De ſacra inquiſitione.*
*De libris prohibitis.*
*De hæreticis, magis ſortilegis, aſtrologis.*
*De blaſphemia.*
*De uſuris.*
*De teſtamentis & legatis piis.*
*De exemptis & privilegiatis.*
*Quæ generatim ad hæc decreta pertinent.*
*Indictio futuri concilii ſecundi provincialis.*


# " ** CONCILII PROVINCIALIS TOLOSANI.

## PARS PRIMA, QUÆ EST, de perſonis.

*NOS FRANCISCUS DE JOYOSA, S. R. E. tituli ſanctiſſ. Trinitatis in monte Pincio presbyter cardinalis, Dei & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus Toloſanus, de conſilio & aſſenſu reverendiſſ. D. D. coepiſcoporum noſtrorum in provinciali ſynodo Toloſana, hæc ſtatuimus & ſancimus.*

### *DE FIDEI PROFESSIONE.*

1. IN primis, & divinis eccleſiæ legibus, & ſacroſanctis conciliorum decretis, qua decet veneratione parentes, ea omnia & ſingula, quæ a ſancta Tridentina ſynodo definita & ſtatuta ſunt palam recipimus; veram obedientiam ſummo Romano pont. ſpondemus, & profitemur: ſimulque hæreſes omnes, ab eadem ſynodo damnatas, publice deteſtamur, & anathematizamus.

2. Et quoniam ea eſt catholicæ fidei dignitas & præſtantia, ut hac vel minimum titubante, reliqua omnia eodem motu labefactata neceſſario concidant: hoc unum futuræ deliberationis actionumque noſtrarum firmiſſimum fundamentum jaciendum ducimus, conciliique hujus noſtri primordia ab hac fidei profeſſione ſumimus quæ a feliciſſimæ memoriæ Pio quarto, ſanctiſſime præſcripta eſt, his verbis.

EGo N. firma fide credo & profiteor, omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum: Et ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine, Et HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit

dit in cælum, ſedet ad dexteram patris: Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur: qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi, Amen. Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria: ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam-unctionem, ordinem, & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptiſmum, confirmationem & ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto: Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro vivis, & defunctis: atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima, & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia tranſubſtantiationem appellat: Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe: atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam: indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo: Sanctam, catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco, Romanoque pontifici, beati Petri, apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro: Cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo: hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, [illegible] in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem, & integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum ego idem. N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

3. Quæcumque poſthac tertio quoque anno provincialia cogentur concilia, ſic eſſe inchoanda ſtatuimus, ut quicumque illis intererunt, hanc una oris mentiſque confeſſione fidem, caſte, inviolateque profiteantur.

4. Quicumque deinceps, aut archiepiſcopatum Toloſanum, aut ad Toloſanæ provinciæ epiſcopatus aſſumentur, in ipſa ſua conſecratione, & cooptatione hanc eamdem fidem jurati præſtabunt. Qui beneficia obtinent, quique obtenturi ſunt, abbates, cœnobiorum præfecti, academiarum doctores, magiſtri, regentes, iique qui ſcientiam aliquam, artemque publice, in academiis, gymnaſiis, monaſteriis, aut in præſentia docent, aut poſthac edocturi ſunt, quique gradum aliquem in quavis facultate conſequentur, & ii demum qui vel ad conciones, vel ſacros ordines admittentur, coram notario & duobus teſtibus in manibus epiſcopi, vel ejus vicarii hac eadem fidei profeſſione palam ſolenniterque ſe obſtringent; quæ poſthac in tabulas publicas ab eodem notario digeſta, libro in epiſcopali archivio aſſervando diligenter deſcribetur.

*De epiſcopis.*

1. QUos in cuſtodia ſanctuarii excubare juſſit, ſpeculatoreſque domus ſuæ præfecit Dominus, eos aut incuria deſidere, aut inertia dormitare ut turpiſſimum, ita pernicioſiſſimum eſt. In id igitur epiſcopi, qua maxima poterunt diligentia, incumbant, ut creditos ſibi populos conſervent; errantes in viam reducant, perditos requirere & recuperare poſſint.

2. Sed & alios etiam probatos, ſpectatæque fidei viros adhibeant, qui quæ in quoque emendanda comperœrint, ad ſe quam fideliter deferant, iiſque ſtatim epiſcopi mederi conentur.

3. Hortamur, ut parochos ſuæ civitatis ſemel ſaltem in anno, idque per ſacra quatuor tempora ad ſe convocent, navatæ in cuſtodiendis ovibus ſibi commiſſis operæ rationem ab iiſdem repoſcant, & illos officii, munerisque ſui, brevi habita conciuncula, commonefaciant.

4. Nec unquam ſacras & epiſcopales actiones exerceant, quin prius perficiendi miniſterii dignitatem, vim, rationemque populo gravi aliqua concione explicarint, quo altius fidelium animis defixo rerum ſacrarum cultu, eos ad ea, quæ fidei, & religionis ſunt, magis ac magis accedant, & inflamment.

5. Officiarios, maxime vero officiales, & promotores, & morum probitate, & eruditione, quoad fieri poterit, conſpicuos habeant, hoc unum ſaltem inſpicientes, ut tales ſint, qui doctrinæ defectum, ſi quis ſit, vitæ integritate poſſint compenſare.

6. Miſſam quam poterunt frequentiſſime, dominicis vero feſtiſque diebus ſemper, celebrent: Quoque magis populum exemplo profuturo adjuvent, non in privatis ædibus, aut extra eccleſiam, ſed in oratoriis divino tantum cultui dedicatis miſſam celebrent.

7. Orationibus, & meditationibus ſingulo quoque die, certis, ſtatiſque horis incumbant, quibus in cæleſtium rerum contemplatione verſantes, divinam, ſibi, ſuiſque gregibus gratiam ſumma & veneratione & contritione deprecabuntur.

8. Quod reliquum erit temporis, id omne vel ſacræ librorum lectioni, aut doctis, & piis hominum colloquiis tribuant: hoc unum ſumma cura providentes, ne nimia laicorum hominum familiaritate, frequentioribuſque eorumdem conviviis, retinendam miniſterii dignitatem imminuant.

9. Faciles adeuntibus ſe præbeant: liberas de injuriis querimonias, tum omnium; tum maxime infirmorum admittant; eumque modum audiendis, alloquendis, adjuvandiſque omnibus adhibeant, ut homines non eorum magis humanitatem diligere, quam gravitatem venerari poſſint.

10. Pauperum, egenorumque hominum inopiam, non parca facultatum ſuarum propriarum diſtributione, ea caritate ſublevent, ut præter eas, quas per eleemoſynarios impertiendas curabunt, ipſi etiam propriis manibus eleemoſynas largiantur.

11. Quod ſi, ut fere fit, aliquos contigerit graviter laborare, atque eos maxime, quos vitæ ſanctitas, morum integritas, doctrinæque præſtantia commendet; epiſcopos in domino obteſtamur, ut humanæ ſortis memores, eos adeant, inviſant, conſolentur, ſanctamque illis benedictionem paterna caritate impertiantur.

12. Coepiſcopos vero, quod Deus avertat, bellorum, famis, peſtilentiæ, aliarumque difficultatum calamitatibus, aut publice aut privatim oppreſſos, reliqui provinciæ noſtræ epiſcopi, & privatis orationibus, & publicis ſupplicationibus adjuvare, & demum profuſa, quoad fieri poterit, eleemoſynarum largitione, aut iis aut etiam populo eroganda, quanta poterunt celeritate ſublevare conabuntur.

13. Ni tribus poſt obtentam proviſionem menſibus conſecrationis munus epiſcopi ſuſceperint, fructus, quos ſuos facere conciliorum decreta non ſinunt; aut ſeminariis conſervandis, aut pauperibus alendis; aut denique eccleſiis extruendis adjudicandos eſſe decernimus. Conſecratos vero obnixe precamur, ut quam citiſſime poterunt, eccleſiam ſuam inviſant.

14. In cathedralibus ſuis eccleſiis, & ſacramentorum adminiſtrationem, & benedictiones fontium, & denique ſponſorum benedictiones, aliaſque cærimonias [illegible] ad ſanctos Romanæ eccleſiæ ritus, uſumque epiſcopi accommodari curent; nec alias inferiores eccleſias, earumque rectores a cathedralium obſervatione diſcedere patiantur.

15. Quoties, aut per civitates ſuas incedent, aut etiam per diœceſim iter facient, toties populo ſanctiſſimæ crucis ſigno benedicent.

16. Veſtes non ad luxum, ſed ad decorem epiſcopus adhibere debet, quem non magnifico ornatu, ſed vitæ ſanctimonia quæſita decet auctoritas. Erit igitur annulo epiſcopali contentus, ſed & illum ſemper geſtabit, quo ſponſæ, hoc eſt, eccleſiæ ſuæ perpetuo meminiſſe poſſit; ſumptuoſiores veſtium apparatus fugiet; eas vero, quas dignitati convenire maxime noverit, adhibebit.

17. Nigro epiſcopi utentur colore, & ſexta quaque feria, & in vigiliis, & in adventu & quadrageſima; niſi forte dies illi inciderent, quos non luctu, ſed lætitia celebrandos eccleſia jubet, quibus & aliis omnibus violacei coloris veſtimenta, in propria ſaltem eccleſia, geſtabunt: Tonſura demum in capite grandiori conſpicui incedent.

18. Picturas omnes, quæ profanum aliquid redoleant, ab epiſcoporum domibus removemus. Eos vero in atriis ordine pingi omnes æquum eſſet epiſcopos, qui præceſſerunt, aut eos ſaltem, qui ſancta muneris epiſcopalis adminiſtratione, aut bonis moribus, aut denique doctrinæ raritate claruerunt.

19. Nec ſane minor in victu adhibenda eſt cautio, cum omnibus, tum iis præcipue, qui aliis exemplo prælucere, & ad omnia eoſdem informare debent. Inanes igitur illas, & ad oſtentationem potius, quam ad vitæ neceſſitatem invectas ciborum varietates epiſcopi a ſuis menſis removendas curabunt; ea frugalitate omnia diſpenſantes, ut nec nimia parcitas avaritiæ, nec ſumptus profuſior ambitionis ſuſpicionem ingenerare poſſit.

20. Lectio menſæ nunquam deerit; Nec tamen quævis admittenda, ſed ea ſolum quæ vel ex ſacris ſcripturæ hauſta fontibus, vel ex ſanctorum patrum libris deprompta, vel ab iis demum auctoribus mutuata, qui piorum antiſtitum memoriam non fictis monumentis illuſtrarunt; ſalubertimum animæ pabulum præbere poſſit. Cui tamen ſanctum illud concilii Tridentini decretum, quo ſeſſ. 25. c. 1. epiſcoporum vita informatur, & vero ſolennis illa ab omnibus epiſcopis in ſua conſecratione jurata formula interdum poterit admiſceri.

21. Paraſitos, ſycophantas, hiſtriones, circulatores, ſuſurrones, eoſque omnes, qui vel verborum obſcœnitate, vel maledictis in aliorum famam conjectis, ſcandalo piis hominibus eſſe ſolent, a menſis, imo a domibus epiſcopi ſerio arcendos, profligandoſque, curabunt.

22. Pium aliquem, ſanctum, incorruptumque virum, quoad ejus fieri poterit, & in theologiæ ſacris myſteriis non mediocriter verſatum a confeſſionibus habebunt; cujus ope, & conſilio, graviora quæcumque incident negotia, pertractabunt.

23. Non mediocriter [illegible] peccant epiſcopi, qui dum ſuæ ſe res præclare habeant, miniſtrorum, familiarumque ſalutem perire patiuntur; cavebunt igitur, ne officii rationem Deo perſolventes, eorum peccata præſtare teneantur. Quod ne accidat, pro ſalute familiæ perpetuo vigilabunt, in ſuorum religionem, fidemque inquirent, eoſque omnes, bis ſaltem in anno, adventante nimirum quadrageſima, adventuſque initio diligenti examine viſitabunt.

24. Nullum, qui pravitatis hæreticæ, aut alterius cujuſlibet certi criminis labe notatus ſit, domi patientur vivere; eoſque ſolum domeſticos deligent, quos non modo ab errato, ſed etiam ab errati ſuſpicione remotiſſimos eſſe noverint.

25. Frequentem omnibus confeſſionem, frequentem communionem injungent: feſtiſque ſaltem ſolennioribus, iiſdem ipſi ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum propria manu miniſtrabunt.

26. Quo vero paratiores illos, promptioreſque ad hæc omnia reddere poſſint, ſpectatæ fidei; probatæque virtutis virum cuſtodem, ducemque familiæ apponent: huic uni domeſticorum fidem, religionemque tranſmittent. Is vero ſacerdos ſit, divinarumque rerum non ignarus,

ANNO CHRISTI 1590.

rus, & qui familiares piis hortationibus adjuvare, & ad omne officii munus debite informare poſſit.

27. Confeſſarios etiam viros graves ſuis adſcribant, quo mutuis plurium auxiliis optatum facilius domeſticorum ſalutis finem conſequi poſſint.

28. Provideant, ne qui eccleſiæ ſumptibus ſibi aluntur domeſtici, improbis & flagitioſis hominibus conſueſcant, aut in invidioſis, ignominiaque notatis locis obſerventur; ne conceptam a laicis epiſcopalis famulitii famam damnoſa aliqua ſuſpicione violent.

29. Miſſæ ſacrificio cuncta epiſcoporum familia quotidie intererit; quod reliquum erit temporis non otio, aut deſidiæ, ſed juſto, debitoque obſequio, liberalibuſque exercitationibus traducent.

30. Aurum, argentumque a veſtibus, qui epiſcopis inſerviunt, excludent: ſerico promiſcue non utentur, colorumque varietatem fugient, nigro ſolum, fuſcove contenti. Veſtimenta ad elegantiam oſtentationemque non incident. Omnibus denique in rebus tales ſe prebebunt, ut omnibus exemplo, & admirationi eſſe poſſint.

*De capitulis, & canonicis.*

## CAPUT II.

1. CAnonicos, quos ſerioribus in rebus advocare, & in conſilium adhibere ſolent epiſcopi, non vitæ ſolum integritate, & eruditione valere, verum etiam ætate, judicii maturitatem præ ſe ferre æquum eſt; tum ne ætatis tyrocinio forte labantur, tum ut officii dignitatem probabili opinione apud vulgus ſuſtineant. Et eccleſiæ igitur majeſtati, & amplitudini conſulentes, nullum deinceps in numerum, albumque canonicorum in cathedralibus noſtris eccleſiis adſcribi volumus, qui ſubdiaconatus ordinem adeptus non ſit, aut ſaltem in ea ætate conſtitutus, quæ intra annum ſubdiaconatu donari poſſit: ea tamen lege ut quamprimum vigeſimum quintum ætatis annum attigerit, preſbyteratu initietur.

2. Ordinis quoque ea ſervanda venit ratio, ut poſt eos, qui in aliqua ſunt dignitate conſtituti, primi canonici ſacerdotes ſedeant, ſecundum hos diaconi, poſtremi ſubdiaconi ſubſequantur. Qui vero ſacris initiati nullo modo ſunt, tam qui canonicatum ante concilii promulgationem, obtentum poſſident, quam qui poſthac intra annum initiandi obtenturi ſunt, ſtallum ſuperiorem in choro non aſcendant.

3. Par eſt etiam, ut probe unuſquiſque ſuo munere fungatur, quo mutua omnium conſpiratione, laudandi illi cærimoniarum, officiique ritus debita diſpoſitione ſerventur. Præcipimus itaque iis quibus in eccleſiis, aut cathedralibus, aut collegiatis hæc cura tranſmiſſa fuit, ut quos matutinarum lectionibus, evangeliis, epiſtoliſque decantandis deſtinatos agnoverint, eos ita edocere ſtudeant, ut accurata vel minimi cujuſque puncti, accentuſque obſervatione juſtam cantus, lectioniſque majeſtatem retineant, & conſervent. Hoc ſi dedignati fuerint, epiſcopi, capitulique judicio, aut fructibus, aut officii poſſeſſione dejicientur. Quæ omnia ſub iiſdem etiam pœnis, in iis, qui alii ſunt muneris, reliquaſ omnes dignit

A tates ſolicite obſervare ſtatuimus, & jubemus.

ANNO CHRISTI 1590.

4. Qui in cathedralibus aut collegiatis eccleſiis theologi canonici ſunt inſtituti, iis bis, aut ſemel in hebdomada prælectiones, dominicis, vero feſtiſque diebus conciones publice habeant. Iis porro lectionibus, concionibuſque frequentes cathedralis & collegiatæ eccleſiæ dignitates, & canonici: lectionibus, ſaltem omnes earumdem eccleſiarum, immo totius civitatis clerici aderunt.

5. Qui optimæ indolis juniores canonici non vulgarem futuræ eruditionis expectationem concitarint, perfecta prima reſidentia, in academiis exteriſque univerſitatibus, perficiendorum ſtu-B diorum cauſa, per quinquennium ad ſummum poterunt detineri. Hi vero temporis fideliter exacti, ſtudiorumque progreſſus, capitulum ſingulo quoque anno admonebunt. Cujus rei ſtatim a capitulo epiſcopus certior fiet.

6. Pacem inter ſe canonici agitent, placide tranquilleque invicem agant. Quod ſi, quæ humana fragilitas eſt, imprudentibus lites oboriantur, eas illico inter ſe amice componere, ſedareque contendant.

7. In comitiis, ſodalitiis & capitulo, de iis primum, quæ ad divinum cultum ſpectabunt, tum de juſta morum reformatione, delictorumque debita animadverſione, demum de privatis rebus temporalibuſque negotiis agant.

C 8. Statutorum omnium epiſcopis ſuis capitula infra tres menſes copiam ſine fraude faciant. Quæque ex illis communi jure, ſacriſque canonum decretis non refragari conſpexerint, caſtiſſime epiſcopi obſervanda curabunt.

9. Quæcumque in hac noſtra provincia immunitatem aliquam prætexunt, nec ullis epiſcoporum, ſed ſolis apoſtolicæ ſedis legibus ſe ſubjacere profitentur capitula, conciliorum provincialium ſanctionibus, decretiſque, vel ipſa ſede apoſtolica jubente, obſtricta ſe eſſe norint. Ab iis igitur ne latum quidem unguem quavis ratione diſcedant, ſed ea diligenter ſervent, & ſedulo exequantur. Quæ ſecus faxint, D quocumque juris remedio cogantur, ſeveriſſimeque puniantur.

10. Quod Tridentina ſynodo cautum eſt, ut quælibet cathedralis eccleſia pœnitentiarium habeat, id pro virili epiſcopi perficiendum curabunt. Itaque præbendam primo vacaturam huic muneri uniant, & applicent, & virum probum, atque idoneum in jure canonico, aut ſacra theologia doctorem vel licentiatum, aut alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, ad id officium recte exercendum deligant.

*De parochis.*

E

## CAPUT III.

1. QUam anxie ſoliciteque commiſſæ ſibi animarum ſaluti invigilare parochi debeant, is facile intelliget, qui iis de populi peccatis rationem reddendam eſſe noverit. Id ne accidat, ſuper gregis cuſtodia perpetuo ſtent ſacris hortationibus concionibuſque diebus dominicis, & aliis a ſacra Tridentina ſynodo præſcriptis feſtivitatibus habendis, populum de ſalute commonefaciant, ad crebram confeſſionem communionemque incitent; & vero ad eam in nativitatis domini, pentecoſtes, aliorumque feſto-



ANNO CHRISTI 1590.

ſtorum ſolennitatibus accedere hortentur; ægrotos frequenter etiam non vocati adeant, ſuſcipiendorum ſacramentorum neceſſitatem explicent, & quam maxime poterunt, eorumdem conſcientiæ conſulant; tum denique reliqua omnia parochorum munera fideliter exequantur.

v. Ut autem fidelius officio ſuo fungi queant, Latinum, Gallicumque Romanæ fidei catechiſmum perpetuo habeant, quæque in eo de apoſtolorum ſymbolo, decalogo, ſacramentis, aliiſque rebus ad ſalutem neceſſariis continentur, populo, quoties opus fuerit, explicent. Decreta demum, & provincialis & diœceſanæ noſtræ ſynodi frequenter legant, a quibus quæcumque ad ſuam populique vitam moderandam pertinent, B excipere & agnoſcere poſſint.

3. Novorum ſuæ parochiæ inquilinorum mores, vitam, actiones, fidemque diligentiſſime obſervent; quam frequentes in ſacramentis ſuſcipiendis ſint, inquirant, deque mulierum, quas ſecum habuerint, cognatione, matrimonio, honeſtate, aut impudicitia a proxime habitantibus, quam fieri poterit accuratiſſime, cognoſcant.

4. Præcipuam vero pauperum, qui in ſua parochia ſunt, nubiliumque puellarum, orphanorum, pupillorum, infirmorum, viduarum, ſenio demum confectorum rationem habeant; eoſque omnes, alioſque quos vel ſpirituali vel temporali miſericordia noverint indigere, conC ſilio, ope & facultatibus adjuvare, reliquoſque ſuo exemplo ad eos ſublevandos incitare conentur.

5. Et quo largius, commodiuſque eiſdem ſubveniri poſſit, de iis omnibus ad epiſcopum referant, qui communis omnium pater, paternæ pietatis curam, caritatemque, qua poterit ratione, eis impertietur.

6. Parochus, ſi quinque in ſua parochia ſacerdotes habeat, iis privatas bis quaque hebdomada renovandas diſceptationes inſtituat: hæ vel de catechiſmi Romani interpretatione, aut de caſibus conſcientiæ, aut denique de certis hujus concilii decretis erunt. Quod ſi forte in vicino regularium monaſterio, divinarum eccleD ſiaſticarumque rerum peritus aliquis lector doceat, eum ſacerdotes conſulere, ejuſque opera, ſtudioque uti poterunt.

7. His honeſtis exercitationibus privatiſque diſputationibus clericos omnes parochiæ ſuæ fines incolentes parochi intereſſe hortentur. Sic fiet, ut inſtructiores, & ad quævis obeunda munia paratiores ſacerdotes habere poſſint. Quod ſi forte mandato renuentes clericos cognoverint, epiſcopum certiorem de ea re ſtatim faciant, qui eos, quacumque poterit ratione & auctoritate, ad id præſtandum adigat.

8. Quoſcumque parochiali eccleſiæ rectores aut præficient, aut admittent epiſcopi, eos & E debitam ſanctæ ſedi apoſtolicæ, epiſcopoque obedientiam, & præſcriptam a ſacra Tridentina ſynodo reſidentiam, & jurium eccleſiæ defenſionem, & bonorum præſentium conſervationem, & ampliationem, & denique diſtractorum, alienatorumque recuperationem ſancte polliceri, imo etiam jusjurandum ad ejus rei teſtimonium accommodare nulla mora interpoſita cogant.

9. Nullum deinceps ad animarum curam admittent epiſcopi, qui non prius aperte teſtatus fuerit, ſe ab epiſcopi imperio, & juriſdictione nequaquam exemptum, immunemque eſſe,

A fidemque ſuam epiſcopi diœceſani mandatis per totum præfecturæ ſuæ tempus obſtrinxerit, privilegiiſque omnibus, immunitatibus, exemptionibuſque declinatoriis palam renuntiarit.

ANNO CHRISTI 1590.

10. Quibus aut cathedralibus, aut collegiatis eccleſiis adjuncta eſt cura animarum, peculiariſque parochia, provideat epiſcopus; ut qui ad hujus adminiſtrationem diligetur, neceſſariis vitæ ſubſidiis, honeſtiſque ſtipendiis a capitulo, vel aliis, quorum intereſt, augeatur.

11. Ubi populus ita numeroſus fuerit, ut parochus ſufficere non poſſit ad curam exercendam, & ſacramenta adminiſtranda, cogat eum B epiſcopus ad adjungendum ſibi tot coadjutores, quot fuerint neceſſarii, ad Tridentini concilii præſcriptum.

12. Nulli parochorum abſenti eccleſiæ ſuæ moderandæ, ſacramentiſque miniſtrandis, vicarium alioquin idoneum & ab epiſcopo probatum præficere liceat, quin prius non reſidendi, regendique veniam ab epiſcopis, aut eorum vicariis per literas impetrarint; quam tamen licentiam epiſcopi ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non concedant. Qui ſecus faxint, fructuum qui per id temporis percipientur, privatione, pœniſque aliis ab epiſcopo indicendis puniantur.

13. Parochos æquum eſt ab aliis ſacerdotiC bus, quibus nulla incumbit animarum cura dignoſci. Quoties igitur proceſſionibus, publiciſque aliis actibus intererunt, ſacraſve actiones exercebunt, ſuperpelliceo, caputioque, quod proprium illorum inſigne eſt, conſpicui incedant.

14. Sed & ſacerdotes, aliique quicumque parochiæ inſerviunt, & in ea domicilium habent, ſacris eccleſiæ officiis cum decenti ornatu, & quadrato birreto, ſuperpelliceiſque interſint; matutinis, horiſque aliis parocho adſiſtant, eccleſiæ proventus aliter amiſſuri: imo, ſi contumaces fuerint, etiam excommunicandi.

15. Quod ſi in quavis alia re, in juſta ſaD cramentorum adminiſtratione potiſſimum, parochos vigilantiſſimos eſſe oportet. Quæcumque itaque de iis, locis propriis, poſtea dicentur, ea omnia ſine excuſatione præſtare, & perficere iidem ſtudebunt.

16. His porro legibus conſtitutionibuſque omnibus, parochi omnes & ſinguli teneantur quicumque tandem illi ſint, etiam exempti, qui ceſſante exemptione intereſſe deberent, ratione parochialium eccleſiarum etiam unitarum, iidemque diœceſanæ ſynodo intereſſe; quæque in ea ſtatuta, & ſancita erunt, concernentia curam animarum & ſacramentorum adminiſtrationem, diligenter obſervare compellantur.

E

*De presbyteris & clericis.*

## CAPUT IV.

1. CUM ea ſit ſacerdotalis ordinis dignitas, ut aliis videatur dignitatibus prælucere, ſumma ope ſacerdotes niti debent, ut effictam omnium animis tanti muneris dignitatem exempli raritate ſuſtineant, illudque perpetuo reputent, ſe non ſibi ſolos vivere, ſed præclaræ vitæ documenta hominibus aliis debere.

ANNO CHRISTI 1590.

Sacerdotes itaque omnes, quocumque honore inſigniti, aut quacumque in dignitate conſtituti tamdem ſint, dominicis feſtiſque diebus, niſi juſto aliquo præpedimento avocati fuerint, miſſæ ſacrificium celebrent.

2. Quicumque aut curatum, aut quodvis aliud eccleſiaſticum beneficium obtinens, nullis legitimis impedimentis diſtractus, divinum officium non dixerit, ejus fructus non capiat, perceptoſque aut eccleſiæ extructionibus, aut pauperum eleemoſynis impendat. Quod ſi canonice monitus idem [a] ſteterit, ſegnioriſque propoſiti plus æquo tenacior fuerit, beneficii poſſeſſione moveatur. Quicumque porro majoribus ordinibus initiati, licet beneficio careant, officii divini recitationem prætermiſerint, præter eam, qua miſere animam ſuam obligant, fraudem, ſeveris epiſcoporum animadverſionibus veniunt coercendi. Sed ut major Chriſtianorum ſit inter ſe conſenſio, horæ canonicæ tum privatim, tum publice ex breviarii Romani præſcripto recitentur.

[a] feceris

3. Quo vero major ordini auctoritas concilietur, honeſto, decentique habitu incedant, quæque ſuper hac re a ſanctiſſimo domino noſtro Sixto V. bulla huic concilio inſerenda ſancita ſunt, debite obſervent.

4. Veſtem talarem utramque, ſi fieri poſſit, adhibeant: ſin minus, exteriorem ſaltem, alteram vero ad ſuræ imum demiſſam: hoc autem diſcriminis intererit, ut qui interiori talari utentur, pallium ad talos uſque extenſum geſtare poterunt: ſola aliis toga, eaque ſumptis admotiſque brachio manicis, niſi forte domi & privatim, concedetur.

5. Tonſura ſit conſpicua, non ea quidem in omnibus clericis una, ſed major ſacerdotalis digitis tribus undequaque a vertice pateat; duobus diaconalis, ſemidigito ſubdiaconalis anguſtior; minorum ordinum omnium minima, & digito undique ſit diducta.

6. Nuſquam aut in eccleſia, aut per urbem abſque quadrato birreto clerici conſpiciantur, niſi aut duriori frigore, aut ferventiori æſtu, aut nimboſo, pluvioſoque aere, aut demum alia cæli inclementioris injuria impediantur.

7. Et quoniam ſacerdotum vitia, ut apparere maxime, & primo conſpectu occurrere, majori denique dedecori haberi, imo & quæ in aliis levia, in illis graviſſima cenſeri conſueverunt; iis tripudia, ludos publicos, aliaque omnia, quibus reliquos homines damnoſo aliquo ſcandalo offendere poſſent, omnino interdicimus, & prohibemus.

8. Clerici qui vel ſacris initiati, vel beneficio erunt præditi, in foro coram ſæculari judice numquam cauſas publice agant, aut advocati, procuratoriſque perſonam ſuſtineant; niſi forte provocati, in jus rapiantur, aut eccleſiæ ſuæ, aut parentum, aut miſerabilium perſonarum interſit: neque id etiam niſi prius epiſcopi ſcripto impetrata & conceſſa venia. De jure tamen rogati privatim reſponſitare, litiſque inſtruendæ conſulta, non expreſſa mercede, dare poterunt.

9. Quod ſi clerici inter ſe judicio contendere, extrema (neque enim id aliter fieri debet) neceſſitate cogantur, nequaquam judicem ſæcularem, ſed ſolum eccleſiaſticum; & vero ipſum epiſcopum adeant; ut privatim, non in profanorum oculis, eccleſiaſticorum res componantur. Pœna ſecus facientes canonibus indicta, imo etiam ſeveriori ab epiſcopo infligenda coerceantur.

10. Nulli laicorum, etiam principum, niſi in iis, quæ ſacerdotalem deceant dignitatem, idque petita & ea quotannis renovanda ab epiſcopo licentia, clerici inſerviant; ne ſacerdotii auctoritatem humiliori, abjectorique miniſterio dedecorent.

11. Tribus poſt ordinationem menſibus miſſam ſacerdotes celebrent, aut juſtum impedimentum afferant. Ni faciant, in jus a promotore trahantur, errati rationem redditurì. Contumaciores excommunicatione puniantur.

*De concionatoribus.*

## CAPUT V.

1. QUi docet, verborum ſuorum ſit ipſe exemplum, ut magis opere doceat, quam ſermone. Concionatores itaque quaſi in aperto ſpectaculo ante omnium oculos vitam acturi, neminem celaturi, mores ad profuturum exemplum inſtruant; doctrinam, concioneſque ad ſacroſancti concilii Tridentini præſcripta, & ad ea etiam, quæ a nobis libello ad id accommodato præſcribentur, quam poterunt accuratiſſime informent.

2. Epiſcopi proprium eſt docere: Id quoad ejus facultas, negotiaque ferent, frequentius præſtare conabitur: Sin minus, probos ſaltem, eruditoſque viros ad id muneris ſeligat, nullumque in ſua diœceſi ſine ipſius expreſſa licentia concionari ſinat, niſi id ei ex proprio munere, utpote parochiam obtinenti, competat; eamque in concedenda cautionem adhibeat, ut neminem niſi jam ætate maturum, ſubdiaconatuſque ſaltem ordinem conſequutum admittat.

3. Quos ab hæreſi converſos ad eccleſiam rediiſſe cognoverint, eos non ita facile ad conciones admittant epiſcopi, tum ne concepta jam tantæ pravitatis opinio multorum animas nocituro præjudicio offendere poſſit: tum quod non ita ſtrenue in iis quæ fidei catholicæ ſunt, verſati, de tantis myſteriis inepte ſæpenumero balbutire conſueverunt.

4. Ea hora, qua epiſcopus concionatur, nemini in civitate liceat concionari, & cujuſvis alterius concionis tempore miſſæ nequaquam in ipſa eccleſia celebrari debent.

5. Perdifficile eſt epiſcopis, iis præſertim qui latioribus diœceſibus ſunt conſtituti, omnes eorum eccleſias perluſtrare, & in iis concionem habere. Eos tamen hortatur hæc ſynodus, ut apoſtolorum exemplo populum ſæpius per literas inviſant, & conſolentur, idque potiſſimum iis temporibus, quibus anniverſaria redemptionis noſtræ myſteria celebrantur. Hæ frequenti populo perlegentur, quo is paternam illam caritatem, propenſumque paſtoris erga ſe animum agnoſcere poſſit.

6. In majoribus civitatibus, primiſque parœciis, ſingulis dominicis feſtiſque, in aliis vero diebus ſolennibus haberi concio debet. In oppidis, vicis, aliiſque locis, ſi ita facultas ferat, quaque dominica, aut ſaltem unoquoque menſe ſemel. Quod ſi ea ſit concionatorum penuria, ut id per ſe, vel per alios præſtare parochi non poſſint, homilias certe lingua vernacula conſcriptas, & ab ordinario approbatas, aut traditum a Tridentina ſynodo catechiſmum perlegant, & interpretentur, donec metropolitani auctoritate excuſus liber in lucem exeat.



ANNO CHRISTI 1590.

7. Epiſcopi, ceterique omnes qui in aliqua eccleſiæ dignitate ſunt conſtituti frequentes concionibus aderunt; quo amplectendam reliquis ex populo exempli imitationem tradant.

8. Et quoniam vel ſola avaritiæ ſuſpicio, in omnibus eccleſiaſticis, tum vero maxime in verbi Dei concionatoribus populum non mediocriter offendit; cavebunt quam diligentiſſime concionatores, de concionum ſuarum mercede paciſcantur: quod ſi populus eleemoſynam concionatoribus præbere neglexerit, epiſcoporum erit dare operam, ut iis de victu & congrua eleemoſyna provideatur.

*De vicariis foraneis.*

## CAPUT VI.

1. VIcarii, quos foraneos vocant, non minimo epiſcopis eſſe conſueverunt levamento, quia horum opera, & præſentes gregem intueri, & ei providere, & denique opem ferre minori cum moleſtia poſſunt. Videbunt igitur epiſcopi, an archidiaconorum, & archipreſbyterorum, aut penuria, aut defectus vicariorum ejuſmodi operam requirat. Atque ita ex ſacerdotibus aptiores, & ad hoc munus inſtructiores ſeligere poterunt, hiſque ſingulis certas diœceſeos ſuæ regiones ex arbitrio præſcribent, vicarium in loco inſigniori & frequentiori conſtituentes, iiſque ea permittentes, quæ per uniuſcujuſque doctrinam, temporum, locique rationem plus minus concedenda eſſe duxerint.

2. Horum erit officium ſemel ſingulis menſibus, ubi commode fieri poterit, quos in ſua regione animarum rectores ſubjectos habuerint, omnes in aliquam ex parochialibus regionis illius eccleſiis per orbem advocare. Concilium itaque, eo quo viſum fuerit die, indicent; pridie illius diei peccata omnes confitebuntur, conventus die ſinguli miſſam in ea ipſa eccleſia celebraturi. Qua peracta, pro mortuis univerſi in choro, miſſam ſolemni more cantabunt, concioque a vicario priori ſemper congregatione alicui injungenda habebitur.

3. Confectis ſacris, per vicos, aut ſaltem circa in cœmeterium ſupplicationes habebunt: hinc in domum parochi cibi ſumendi cauſa ſe conferent, ibi quam poterunt parciſſime ſimul vivent, menſæ pii alicujus libri lectio admiſcebitur. Deinde aſſurgentes omnes gratias Deo agent, eccleſiamque repetent, ubi ſuperpelliceis omnes induti, vicario etiam ſtolam habente, dictaque ab eo, in congregationis principio recitari ſolita oratione, locis unicuique paratis aſſidebunt: parochiarum difficultates, & incommoda proponent, iiſque conjunctis auxiliis pro virili opitulari, & ſuccurrere conabuntur.

4. Caſus apoſtolicæ ſedi, epiſcopiſque reſervatos, metropolitani mandato, excuſo deinceps libello, promulgandos, vicarii reliquis ſacerdotibus legent; tum aliquot hujus noſtri concilii ſanctiones, aliquot etiam ex his, quæ in diœceſanis ſynodis decernentur, & vero non nihil de caſibus conſcientiæ ex probatis auctoribus excerptum palam omnibus explicabunt.

5. In id vero potiſſimum vicarii incumbent, ut ſacerdotum mores, vitam, actiones diligenter rimentur, & introſpiciant; in eorum officium, & defectus inquirant, videantque an mandata epiſcopi aut quævis alia epiſcopi nomine ſibi denuntiata, pro eccleſiarum neceſſitate, extructioneque præſtiterint: an ea omnia, quæ hujus noſtri concilii auctoritate de habendis libris, de religioſa ſanctiſſimæ euchariſtiæ aſſervatione, & renovatione; de calicum, mapparum, corporalium, aliorumque miſſæ ornamentorum puritate & munditia, de tuta baptiſterii, ſacrorumque oleorum aſſervatione, de baptizatorum, chriſmatorum, conjugatorum, mortuorumque ſeparatis libris, aliiſque rebus ad divinum cultum pertinentibus ſancita, juſſaque ſunt, qua fieri debuit vigilantia, obſervarint.

6. In hæc omnia, & quæcumque alia vel privatim mandarit epiſcopus, vel epiſcoporum curam deſiderare ipſi noverint, quam poterunt ſedulitatem vicarii intendent, & de iis epiſcopum per literas commonefacient.

7. Ubi primum in urbem venerint, epiſcopum illico convenient, penſique rationem, propoſito eorum, quibus commiſſi ſunt, ſtatu, accurate reddent.

8. Rectores omnes, quicumque tamdem illi ſint, & quacumque præditi dignitate, vicariis morem gerent: ſin minus, negligentiæ contumaciæve, quæ tamdem illa fuerit, ab epiſcopo pro modo culpæ punientur. Tales autem erunt vicarii, ut epiſcopi nutu exauctorari, imo etiam male geſtæ provinciæ pœnas luere ejuſdem arbitrio poſſint.

*De monialibus.*

## CAPUT VII.

1. QUæ monaſteria conſecratarum virginum, juri imperioque ſuo ſubjecta eſſe cognoverit, in iis conſervandis, informandis, & in officio continendis, præcipuam epiſcopus curam conferat; pœnas a Tridentino concilio indictas aliaſque pro arbitrio, ſi neceſſe ſit, indicendas ad eam rem adhibiturus.

2. Nulli ſanctimonialium, quovis etiam probabili prætextu, ne per tantillum quidem temporis, monaſterio poſt voti ſponſionem egredi liceat; niſi ſumma neceſſitate coacta ſit, eaque ab epiſcopo probanda, quæque felicis memoriæ Pii V. decretis, & ſanctionibus non ſit contraria.

3. Si quas reſciverit clauſuræ finibus monachas non impetrata licentia exiiſſe, in eas pontificiis ſanctionibus, aliiſque juris auxiliis pro rei neceſſitate epiſcopus animadvertet.

4. Nemini vero cujuſcumque tandem conditionis, generis, gradus, dignitatis, ſexus etiam, vel ætatis ſit, abſque epiſcopi, aut ordinis generalis, provincialiſve, aut demum viſitatoris ad id muneris ſpecialiter deputati licentia, ſcripto etiam conferenda, monaſteria ingredi ſit conceſſum.

5. Quibus porro per epiſcopi, aut alterius ſuperioris licentiam ad monaſteria eſt aditus, ii liberioris ingreſſus voluntatem conceſſæ veniæ nomine non prætexant. Neque enim pro arbitrio, ſed in caſibus dumtaxat neceſſariis in monaſteria admitti poſſunt: Qui ſecus faxint, felicis memoriæ Gregorii XIII. ſanctionibus, ultra alias pœnas, ipſo facto excommunicati, a ſola apoſtolica ſede, ex ejuſdem pontificis bulla abſolvi poſſunt.

6. Moniales cum nemine externo colloquentur, niſi per cancellos ferreos, & notam ſive

ANNO CHRISTI 1590.

urgum, præſente etiam præfecta, aut duabus ſororibus. Literas vero neque ad quemquam ſcribere, præterquam ad epiſcopum, aut ſuperiorem, ex cauſa neceſſaria; neque ad ſe miſſas, niſi prius a præfecta lectas, aut legi juſſas, legere, aut aperire poterunt.

7. Omnimoda librorum lectio monialibus nequaquam concedatur: ſed eos tantum libros & legere, & habere poterunt, quos vel epiſcopus, vel ordinis ſuperior ſcripto approbarit.

8. Quæ monialium præfecta, aut regularis ſuperior, virginem aliquam non explorata prius, epiſcopi examine, illius voluntate, aut votum profiteri, aut monialem habitum induere paſſa fuerit, ea pœnas epiſcopo graves, juſtaſque perſolvat.

9. Ne intra ſepta monaſterii, ſed in ipſa monaſterii eccleſia palam, & publice novitiæ examinentur, quo libere, confidenterque ſuum animum teſtari queant.

10. Quæ omnia a felicis memoriæ Gregorio XIII. & ea præcipue, quæ de certo, ſtatutoque monacharum numero, de eleemoſynis præſtandis, de oſtiolo, quo ad exteriorem eccleſiam e monaſterio patet aditus, obſtruendo; de clauſura ab eiſdem non violanda, & a converſis etiam ſervanda, ſancita & ſtatuta ſunt; ea tum in omnibus ſibi ſubjectis, tum etiam regularium fidei commiſſis monaſteriis, quam diligentiſſime exequenda, conſervandaque epiſcopus curet.

# CONCILII PROVINCIALIS TOLOSANI

## PAR SECUNDA,

QUÆ EST DE REBUS, HOC EST,

*De ſacramentis, & ſacramentalibus.*

## CAPUT PRIMUM.

1. CUm divina illa numquam perituræ ſalutis pignora ſacramentis venerandis, illorumque pio uſu contineantur; ſumma etiam ſanctitate, & veneratione Chriſtianis veniunt, & tractanda, & ſuſcipienda. Nuſquam igitur vel epiſcopi vel parochi ad eorum adminiſtrationem accedant, quin prius, ex Tridentini concilii catechiſmo profuturum illorum uſum, admirandamque vim ſuſcipientibus, audientibuſque explicarint.

2. Eccleſiæ ſacramenta, non ſolum ſine ſimoniæ labe, ſed & ſine avaritiæ ſuſpicione præbeantur; nec ulli aut presbytero, aut miniſtro quicquam in eorum adminiſtrationem exigere, verbis etiam ſigniſve, directe, aut indirecte petere liceat.

3. Et rituum, & cærimoniarum varietas non mediocriter Chriſtianos offendere conſuevit: id ne accidat, diligentiſſime eſt præcavendum. Uniformis itaque, minimeque diſtincta ſacramentorum adminiſtratio, quam fieri poterit religioſiſſime ab omnibus obſervetur. Quod ut facilius aſſequantur, in rituum libro deſcriptas cærimonias, unuſquiſque perdiſcere, & exequi viribus conabitur.

4. Ne iis, qui oppidorum ſepto concluſis parochiis ſubjacent, aut aeris aut noctis, aut temporis injuria, neceſſaria deſint ſacramenta, e re

epiſcoporum erit, commodiori illis parochia providere; aut etiam ſi ita iiſdem epiſcopis viſum fuerit, vel renuentibus parochis novas ad illorum uſum ex Alexandri III. & concilii Tridentini decreto extruendas curare: quibus ex matricis eccleſiæ fructibus congrua portio, aut ex coacta populi contributione ſufficiens redditus adſcribi, aſſignarique poterit.

ANNO CHRISTI 1590.

*De baptiſmo.*

## CAPUT II.

1. QUO altius, firmiuſque Chriſtianorum mentibus hæreat tanti miniſterii concepta religio, quam nitidiſſime fieri poterit, illius procurabitur puritas, nec umquam, niſi, annotino chriſmate in ejus adminiſtratione utendum erit.

2. Nec vero cuiquam, niſi per ſummam neceſſitatem, & eam quidem, damnoſo admodum præjudicio devitandam, extra eccleſiam liceat baptizare.

3. Qui autem domi infans, urgente mortis periculo, fuerit baptizatus, huic iterum baptiſmus non eſt ſub conditione conferendus: ſed cetere cærimoniæ, iis etiam neceſſariæ, qui ab hæreticis baptizati ad eccleſiam revertentur, tantum erunt adhibendæ: dum tamen in baptiſmo formam, materiamque debitam adhibuerint.

4. Ubi primum natus infans fuerit, ſacro baptiſmate ſtatim abluatur. Quod ſi juſtum aliquod impedimentum acceſſerit, at ſaltem longius, quam in octavum diem baptiſmus ei non prorogetur. Parentum vero hac in re oſcitantiam, ſi qua fuerit, parochi ad epiſcopum deferre tenebuntur.

5. Quos jam antea baptizarint hæretici, eos rebaptizari prohibemus, niſi forte receptam ab eccleſia baptiſmi formam, materiamque eos minime obſervaſſe conſtiterit.

6. Cum projectis, expoſitiſque puerulis, licet affixa reperiatur ſchedula, quæ eos baptizatos eſſe teſtetur, in id tamen, an verum fictumve ſit, parochi diligenter inquirent: ſi certi nihil compererint, in ſcripto chartulæ nomine, eos ſub conditione baptizabunt.

7. Et quoniam Chriſtiani, & ſatanam, & mundi faſtus, pompaſque ipſo baptiſmate ejurant, abſurdum ſane videtur magnifico adeo luxu, inanibuſque ſumptibus diem quo baptiſmus confertur tranſigi. Solennem itaque illam muſicorum concentuum concomitationem, riſus, jocoſve effuſiores, & illas per eccleſiam deambulationes tollimus; oſcula demum in eccleſia omnino dari prohibemus.

8. Baptiſterium clauſum perpetuo ſit, mundum, puramque continuo fulgeat nitore, tum reliqua omnia in manuali deſcripta, ad ejus nitidum cultum accommodentur.

9. Quod Tridentina ſynodus ſanctiſſimo præcepit, unus tantum vel vir vel mulier, ad ſummum vero vir unus, & mulier una conjunctim e ſacro fonte infantem tollant; quique ſuſceptores fuerint, contractæ cognationis ſpiritualis a parocho ſedulo ſunt commonendi.

10. Nec iis, qui annos non excesserit tredecim, vel qui Chriſtianæ doctrinæ, aut ſaltem precationis dominicæ, & ſymboli fundamenta non norint, nec hæreticis omnino ſuſceptores eſſe liceat.

11. A baptiſmi ſolenni adminiſtratione procul



ANNO CHRISTI 1590.

cul arceantur hæretici, nec eis quavis occaſione, vel minimum intereſſe permittatur.

12. Præſente clerico certe numquam; extrema ſolum alias neceſſitate, aut obſtetrices, aut alii quicumque laici baptizabunt. Ne vero forte in tam gravi re imprudenter peccetur, an illæ formam ritumque baptiſmi teneant, ſolicita parochi ſæpius animadverſione perquirent.

13. Hanc unam eſſe concedendi baptiſmi formulam doceatur ſæpiſſime populus: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. His verbis ne tantillum quidem aut detrahi, aut addi impune poſſe etiam moneatur.

14. Baptizandi infantis, parentis utriuſque, & ſuſceptorum nomina, annum, menſem, diemque etiam baptiſmi, parochi duobus religioſe ſervandis libris excipient, horumque alterum epiſcopis quotannis cuſtodiendum ferent.

*De confirmatione.*

## CAPUT III.

1. ET omnibus aliis auxiliis, ſed hoc potiſſimum ad id inſtituto confirmationis ſacramento neglectæ, impugnatæque fidei, tum ſemper, tum his temporibus maxime videtur eſſe ſuccurrendum. Ubicumque igitur opportunum fuerit, & congrua aliqua occaſio ſeſe obtulerit, & diœceſim præcipue obeundo, populo illud epiſcopi adminiſtrabunt.

2. Et vero tanti ſacramenti dotes, vim, dignitatem, imo etiam non aſpernendam neceſſitatem, quam frequentiſſime, ſed eo potiſſimum tempore, quo illius adminiſtrationem epiſcopus indixerit, per conciones populo parochi commendabunt.

3. Quos in ſua parochia, diligenti adhibita ſolicitudine, hoc ſacramento carere cognoverit parochus, eos quam primum ſeſe obtulerit occaſio, ad illud debite ſuſcipiendum, adultos etiam, & peccata confiteri, & ſymbolum profiteri, & jejunos accedere, hortetur.

4. Ni ſumma quædam impellat neceſſitas, ſeptennio minores pueri nequaquam veniant ad confirmationem admittendi; hi vero prius admonendi, ut Chriſtianæ fidei præcepta addiſcant. Quod autem ad ſuſceptores attinet, hi ut & confirmati jam eſſe, ita & Chriſtianæ religionis fundamenta, aut ſaltem orationem dominicam, & fidei ſymbolum, & vero decalogum memoriter temere debent.

5. Quicumque ridiculum aliquod, aut ipſa obſcenitatis ſpecie, aut quavis alia ratione, minus aptum Chriſtiano nomen in baptiſmo ſortitus eſt, is aliud decentius, convenientiuſque ab ipſo epiſcopo in confirmatione accipiat.

6. Quod de ſuſceptorum, infantiumque nomine deſcribendo, quod item de anno, menſe, & die notando, in baptiſmo jam ante ſancitum eſt, id omne in confirmatione diligenter a parochis eſt præſtandum.

*De pœnitentia & confeſſione.*

## CAPUT IV.

1. EDENDA eſt epiſcopi auctoritate in qualibet diœceſi faciendæ confeſſionis formula, caſuſque, quos reſervatos vocant, ſubſcribendi, ut qui in eos inciderint, pœnitentiarium adeant.

ANNO CHRISTI 1590.

2. His obſervandis omnibus, quæ libro hac de re edito præſcribentur, omnes, & ſinguli confeſſores teneantur.

3. Nulli ſæcularium, regulariumve, abſque ea, quam ſacroſancta Tridentina ſynodus injunxit, approbatione, confeſſiones audire liceat.

4. Nec vero quiſpiam aliquid, vel directe, vel indirecte in confeſſionis, ſed nec in aliorum ſacramentorum adminiſtrationis mercedem exigat.

5. Confeſſariorum hoc munus erit, confeſſionis teſtificationem chartula, aut nota aliqua, in paſchate confitentibus dare; hanc illi ad parochum deferent, qui eorum nomina, & cognomina libro deſcripta diligenter cuſtodiet.

6. In parœciis ſingulis, cathedralibus etiam & collegiatis eccleſiis, ad confeſſorum ordinariorum numerum, tot extructæ ſedes erunt accommodandæ: renuentibus parochis, & intra ſemeſtre non parentibus, pœna nutu epiſcopi infligenda.

7. Celſo, apertoque loco, quo pœnitens, confeſſorque omnibus ſint conſpicui, confeſſionum ſedes erigentur, extra quas nullus ſacerdotum confeſſiones qualvis, ſed præcipue feminarum, audire poterit.

8. Qua ſedis parte ſedebit confeſſarius, caſus ſummo pontifici & epiſcopo reſervati, abſolutioniſque formula appenſæ tabulæ deſcripta legentur: Pœnitentium pars altera, depictam crucifixi habebit imaginem.

9. In ipſo ſacriſtiæ limine confeſſariorum ordinariorum nomina palam omnibus deſcripta proponentur.

10. Sæcularium, ſed præcipue feminarum; niſi id ſuadente morbo, aut graviſſimo imminente periculo, confeſſiones extra eccleſiam non excipientur. Qui vero eas ſacerdos audit; is nec ſtare, nec genua flectere, ſed operto capite, quaſi pro tribunali, ſedere debet.

11. Et quoniam ea eſſe ſolet ægrotorum incuria, ut dum in dies ſaniora protrahunt confeſſionis conſilia, oſcitantes, & quod dolendum magis eſt, imparati, morte ſæpius deprehenduntur; vel ita ſaltem morbi exagitantur violentia, ut mentis ſibi conſciæ indicium, qua decet diligentia facere non poſſunt; ni quatriduo poſt inceptam curationem, juſtam peccatorum confeſſionem ægroti fecerint, eos medici ex Innocentii III. & Pii V. conſtitutionibus, denuo non inviſant.

12. Caſus privata ſibi cautione reſervatos epiſcoporum ſinguli in ſua diœceſi examinabunt, confeſſoreſque certis temporum intervallis, ſed prima ſemper quadrageſimæ hebdomada ad ſe convocabunt, quæque populo injungenda, quæ emendanda noverint, ea ipſis indicabunt.

*De euchariſtia & ſacra communione.*

## CAPUT V.

1. IN ſolo altari, nec ullo alio loco, tabernaculo ligneo, non penſili, ſed ſtabili fundamento obfirmato, clauſo, decenti, quantumque fieri poterit ſcite, venuſteque condecorato, accenſa perpetuo lampade cuſtodito, & ad eam, quæ univerſæ provinciæ ſervanda præſcribetur, formam fabrefacto, euchariſtia diligen-

gentiſſime ſervetur, eaque ſi non ſemper, at ſaltem ut plurimum, ex pyxide mniniſtretur.

2. Si ad ægros deferenda eſt, quanta fieri poterit veneratione, & ſi ita facultas ferat, cum umbella, frequenti concomitante, & ob id ſæpius monendo populo, deferatur: quod honorificentius fiet, ſi, quod jubemus, in ſingulis parœciis, Chriſti corporis ſodalitium, ſeu confraternitas inſtituatur.

3. Communicantium in paſchate parochi nomina deſcribent; quos communioni defuiſſe perceperint; notatos ad epiſcopum deferent, quaſque defectus rationes extra confeſſionem cognoverint, eidem ſignificabunt.

4. Monebuntur ſæpius infirmi, ne eam rerum ſuarum neceſſitatem expectent, ut pomeridianis horis euchariſtiam ſumere cogantur. Petentibus iis non temere parochi annuent, ſed an noctem interponere, ſumptionemque in matutinum protrahere poſſint, diligenter animadvertent.

5. Qui paſchatis tempore abfuerint, ſumptæ communionis teſtimonium parocho ampliſſimum dabunt; ni fecerint, iterata ſacramenti ſumptione, peccati ſuſpicionem auferent.

6. Quæ tanto animarum diſpendio, in locis quibuſdam increbuit, ſero nimium communicandi conſuetudo, ſanctius erit immutanda; adoleſcenteſque iis, quos de ſumendo myſterio, ſatis decernere poſſe, parochi vel confeſſarii judicarint, ad communionem ſunt recipiendi, imo etiam impellendi.

7. Ne vulgi animos communionis ſub utraque ſpecie vitanda ſubeat opinio, non calice, ſed ad id tantum deſtinato ſcypho, purificatio populo miniſtretur: moneaturque ſæpius, vinum merum, non Chriſti ſanguinem præberi.

8. Frequentiſſimam populo communionem, debitamque in ea ſumenda reverentiam parochi, concionatores, & confeſſarii crebris hortationibus ſuadebunt.

9. Pro communione aliquid accipiens juxta ſacros canones ſevere puniatur. Si tamen poſt præſtitum libere ſacramentum, aliquid pro eleemoſyna a Chriſti fidelibus ſponte oblatum fuerit, tunc accipere liceat.

*De miſſarum celebratione.*

## CAPUT VI.

1. QUI aperto deterioris vitii crimine aſperſus populo in ſuſpicionem venerit, huic miſſam celebrare prius non concedatur, quam juſta aliqua ſatisfactione infamiæ notam eluerit.

2. Peregrinorum nullus, abſque ſui epiſcopi dimiſſoriis literis, bimeſtri, ſi in provincia ſit; ſemeſtri, ſi in Gallia; anno, ſi extra Galliam, non vetuſtioribus, quibus, loci, ſi quis ſit, cui inſerviendo adſcribi, dimittique ſe poſtularit, mentio habeatur, ad divina facienda, vel ſacramenta miniſtranda, a parochis, regularibus, imo nec ab epiſcopis, admittatur.

3. Miſſæ in eccleſiis tantum publice non privatim in ædium oratoriis, ab epiſcopo non temere unicuique concedendis, niſi per neceſſarium ſit, accedatque epiſcopi venia, celebrentur.

4. Qui celebranti presbytero inſerviet, clericus quoad fieri poterit, ſeligetur; Is ſuperpelliceo, veſteque talari inſtructus, antequam ſacriſtia celebraturus egrediatur presbyter, rebus ad miſſam neceſſariis, qua poterit venuſtate, & munditie, altare inſtruat & exornet.

5. Videat præterea ne laicorum, qui interſunt, quos omnes, præcipue tamen feminas, ab altaris ſeptis, & gradibus arceri jubemus; indecoris actionibus, tanti ſacrificii dignitas venerat ioque dedecoretur.

6. Miſſæ primæ convivia, ſi quæ ſint, non ſumptuoſis dapibus, profuſioribuſque epulis ſplendeſcant, ſed parcis tantum ſumptibus, modicoque apparatu celebrentur.

7. Qui miſſas ex obligatione celebrare debent presbyteri, eos officio fideliter perfungi parochi diligenter curent; eorumque catalogum penes ſe retineant, quem ſubinde epiſcopo videndum offerent.

8. Indecorum videtur prophana ſacris immiſcere; nihil igitur, quod ſæculare ſit in pronis dum miſſarum ſacra peraguntur, publicetur, indicaturque.

9. Paſtores, famuloſque divinis cærimoniis, ad Chriſtianam fidem informari æquum & conſentaneum fuerit. Quibus igitur parochis, ſacerdotum erit copia, ii in ſuis eccleſiis, & illis, & peregrinis aliis miſſam ſummo mane celebrari curent.

10. Qui miſſæ fideles intererunt, ſi non ſolennis illa ſit, toto illius tempore, aperto ſemper capite, flexiſque genibus precabuntur: Nec niſi abſoluto poſt benedictionem evangelio diſcedent. Laicis ad oblationem, aut crux, aut quidpiam aliud ſimile potius quam patena oſculanda tradetur,

*De ſacramento ordinis.*

## CAPUT VII.

1. QUICUMQUE ante ſtata tempora, ante ætatem, aut abſque epiſcopi ſui dimiſſoriis literis, in ſubreptitiam ordinum quorumvis promotionem occulte ſe inſinuarint; ipſo ſe jure ſuſpenſos eſſe, & ſi ſic ſuſcepto ordine miniſtrarint, Pii II. conſtitutionibus irregularitatem ſe ſubiiſſe noverint: ob quam, & pœnis aliis jure ſancitis, & beneficiorum privatione mulctentur. Id ne facile accidat, junctam huic conſtitutioni Sixti V. de male ad ordines promotis bullam, & in diœceſana ſynodo quotannis promulgari, & pridie illius diei, quo ordines conferentur, ordinandis clericis palam legi, edicique præcipimus.

2. Qui vel primæ tonſuræ, vel aliis etiam majoribus ordinibus initiandi veniunt, eorum nomina, cognomina, parentes, patriam, eam in qua vel orti fuerint, aut proxime habitarint, parochialem eccleſiam, patrimonium, penſionem, beneficia, cenſumque, cujus nomine ſacris adſcribendi ſunt, diligentiſſime notari, eaque omnia literis exarata inter miſſarum ſolennia in cathedrali, parochiali propria, & in ea in qua proxime habitarit eccleſia, die feſto, a parocho, aut alio, ſuo juſſu publice proponi, promulgarique ſedulo epiſcopi procurabunt.

3. Ordinandi vero morum, vitæque probitatis fidem, aut juſtis teſtibus, aut pleniſſimis eorum teſtimoniis adductis afferant; quibus tamen epiſcopi non ſtabunt, ſi aliorum ſpectatæ integritatis hominum dicto, quæſitam teſtificationem probare poſſint.

4. Præſentibus clericis dimiſſorias literas, numquam ſine examine epiſcopus concedat, abſentes certi alicujus alterius epiſcopi cenſuræ ſubjiciat. Quibus literis examinis mentio nulla fiet, illæ pro ſubreptitiis habeantur.





5. Dimittendorum vitam, mores, genus, doctrinam, ſiquidem ejus adhibito examine probationem ante fecerit, proxime ſuſceptum ordinem, & diſpenſationem, ſi quæ ſit, ætatem etiam, titulum penſionis, beneficii, patrimoniive cenſum, ſi majorum id ordinum promotio requirat, commendatitiis literis epiſcopus adſcribat.

6. Inſtanti ſolum ſacro ordinationis, non alio tempore, niſi perneceſſarium fuerit, epiſcopus ad eos tantum ordines, quos uno, eodemque tempore ſuſcipi voluerit, & per ſacros canones licere reſciverit, dimiſſorias literas a ſolo ſecretario, illi cujus cauſa confectæ ſunt, gratis reddendas, concedet.

7. Dominico, qui ſolennem ordinum collationem antecedet, die, habita conciuncula, parochi jejunium ea potiſſimum de cauſa ab eccleſia indictum eſſe populum doceant, ut rite ordinatio miniſtretur, frequentem eum & publicis ſupplicationibus in id maxime inſtitutis, & ſacræ ordinum celebrationi, pro ordinandis oraturum adeſſe hortentur.

8. Pridie vero ab epiſcopo, ſi fieri poſſit, ſin minus ab alio ſelecto, idoneoque viro, gravis de ordinis dignitate, præſtantia, præparatione, obligatione, impedimentis, aliiſque id genus, ad ordinandos oratio palam publiceque habebitur. Examen demum ea ratione & methodo fiet, quæ libro ea de re, noſtro juſſu, excudendo præſcribetur.

9. Quicumque deinceps ad ordinem quemvis promovebuntur, ii ut concilio Tridentino ſancitum eſt, præſcribendas ab epiſcopo functiones fideliter obituri, certæ eccleſiæ adſcribantur: muneraque omnia illa minoribus ordinibus initiati præſtent, quæ præſtare laici jam conſueverunt. Iis, ſi pauperes ſint, adſcripta antea laicis miniſtris ſtipendia epiſcopus conferat.

10. Nec vero cuiquam alius ante ordo conferatur, quam is indicta munera geſſiſſe ſolenni teſtificatione probaverit, niſi aliud epiſcopo magis expedire videatur. Quod ſi, ut per ſacros canones licet, uno eodemque tempore minores plures ordines alicui epiſcopus contulerit, proprias tamen unicuique ordini functiones eidem ſine fraude exercendas præſcribat.

11. In literis omnibus, quæ ordinatis in teſtimonium conferentur, eccleſiæ, locive pii, cui illi dicati, adſcriptique ſunt, a quo abſque epiſcopi ſcripta licentia, in alium demigrare non poterunt, ex Tridentinæ ſynodi decretis, mentio fiat. Hujuſmodi autem licentia abſque juſta cauſa non detur.

12. In ea ipſa eccleſia, ſub cujus titulo promotus ſacerdos fuerit, permaneat; qui vero in gratiam promotionis reddendum titulum fuerit mutuatus, quique precario eumdem titulum ei utendum dederit, excommunicatione ambo puniantur. Illud vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad ejus titulum ſit promotus, & niſi conſtet, quod aliunde habeat, unde commode vivere poſſit.

13. Clericorum omnium, ordinatorumque nomina, libro deſcripta ab archidiacono aſſerventur, diligenterque provideatur, ne laicorum ullus ordinum miniſteriis immiſceatur.

*De matrimonio.*

## CAPUT VIII.

1. MATRIMONIA, aliter quam præſente parocho, ac teſtibus, non celebrentur. Contrahentes autem parochi hortentur, ut in eccleſia, & non alibi contrahant.

2. Matrimoniales denunciationes ordinarius non remittat, niſi ei ita expedire viſum fuerit, quod illius prudentiæ & judicio, Tridentina ſynodus reliquit.

3. Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus ſolutos, & diſpenſatos, niſi viſa prius ſummi pontificis diſpenſatione, in matrimonij conjunctionem parochi non recipiant.

4. Quinam intra prohibitos gradus contraxerint, parochi diligenter inquirant, cognitoſque ad epiſcopum deferant, qui re accurate inſpecta, eos, qui impedimentum ſciverint, excommunicatos denunciabit, ut quamprimum ſe ſeparent, ſalvis aliis pœnis contra eos a jure ſtatutis.

5. Catholicis ac hæreticis invicem matrimonium contrahere non liceat.

6. Nuptialis benedictio intra eccleſiæ ſepta, & ab aurora ad meridiem, concedetur.

7. Si quid in ipſam matrimonii celebritatem, aut petulans hominum laſcivia, aut temporis injuria, inhoneſtum, minuſque conveniens invexerit, id omne epiſcopi, qua poterunt cautione, & diligentia prohibendum, removendumque curabunt.

*De extrema unctione.*

## CAPUT IX.

1. CUM callidus ſerpens, & hoſtis humani generis, calcaneo inſidiari, hominemque in extremo ſpiritu oppugnare maxime ſoleat, ægrotos parochi, quanta maxima fieri poterit caritate, viſitabunt, conſolabuntur, inſtruent, ultro ſeſe etiam non vocati iis offerent: dabuntque ſedulo operam ne in id tempus ſacra, extremamque unctionem differant, quo noviſſima conflictati valetudine, auctiorique morbo, tam profuturi ſacramenti commoda, quod frequenter nimium accidit, ſatis agnoſcere non poſſint.

2. Quoties ad infirmum extrema deferetur unctio, parocho quotquot poterunt clerici adſtabunt, ſignum campanę dabitur, quo preces populi, ad hoc officium ſæpius a parochis monendi, in morituri gratiam excitentur.

3. Ægrotos morti proximos parochi hortabuntur, ut aliquos benedictionem ſuo nomine petituros, ad epiſcopum mittant.

*De cura pro mortuis agenda, deque ſepulcris, exequiis, & funeribus.*

## CAPUT X.

1. SANCTA, & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur. Id parochi ſedulo præſtabunt. Secunda quaque feria, ſi fieri poterit, miſſam in eorum gratiam celebrabunt, populumque & ad preces fundendas,

ANNO CHRISTI 1590.

das, & ad divina pro animarum liberatione procuranda ſæpiſſime hortabuntur.

2. Si quæ vero in defunctorum preces, & ſuffragia ſuperſtitiones irrepſerunt, eas epiſcopi tollant, & ſi opus fuerit, omnino rejiciant; obitus rite perſolvi, riteque miniſtrari curent. Notarios ad piorum teſtamentorum tabulas proferendas omnibus juris remediis cogant; quæque fideles ſupremis mandatis pienter eccleſiæ, aut locis aliis legarint, ſublata quacumque interceſſione numerari, adſcribi, diſpenſarique procurent.

3. Noctu, dumque publica ſacrorum ſolennia peragantur, mortui nuſquam efferantur: Pomeridianum vero funus, ſi quod ſit, miſſarum ſolita celebratione perfici diſtricte prohibemus.

4. Qui aut caſu, aut inſcio parocho, aut demum vi adhibita excommunicati ſacro loco ſepulti fuerint, oſſa, cineresve revellantur, & abjiciantur.

5. Mortuos intra eccleſiam, multo minus prope altare ſepeliri non ita facile permittatur, niſi eos, quos eccleſiaſtica dignitas, aut generis prærogativa, aut omnibus perſpecta virtus illuſtriores reddiderit; ita tamen, ut ſupra ſoli planitiem ſepulcri moles non attollatur. Quod ſi hoc etiam mortui celebritas extorſerit, at ſepulcra altari altiora nuſquam deinceps excitentur.

6. Sepulcris lemmata, ſeu inſcriptiones nullæ niſi adhibito epiſcopi, aut archidiaconi, aut rectoris eccleſiæ judicio, apponantur.

7. Epiſcoporum, aut omnium, aut eorum ſaltem, qui pietatis, innocentiæque meritis laudandum ſui deſiderium piis omnibus reliquerunt, memoria, inſculptis eorum in eccleſia nominibus, quam fieri poterit, diutiſſime conſervetur.

8. Funus ab heredibus, vel a liberis, cognatiſque mortuo ducatur: qui ſi in ea rei familiaris tenuitate deceſſerit, quæ exequiis ſatis eſſe non poſſit, ei vel amicorum liberalitate, vel denique eccleſiæ ſumptibus, juſta funerum perſolvantur.

9. Pecuniarias ſuper funere, exequiiſque defunctorum pactiones fieri non permittant; & ſi quæ factæ fuerint, irritas declarent epiſcopi; & ſi opus fuerit mandatoque minus parentes presbyteros nacti fuerint, eos qua decet ſeveritate puniant.

10. Domi per diem integrum mortuorum cadavera aſſerventur, nec niſi poſt horas viginti quatuor funus inſtruatur, in cujus apparatu lamenta illa, ejulationes, &, ut ita dicam, adumbratæ illæ præficarum antiquarum naniæ ab eccleſia juſſu epiſcopi arceantur.

11. Mortuo epiſcopo, vicarius, aut archidiaconus totum diœceſeos clerum, ſed & provinciales epiſcopos admonebit, qui omnes ſacra in ejus gratiam, juſto cultu, & ſolenni decore celebrari curabunt; in hoc potiſſimum incumbentes, ut ſi fieri poſſit, uno, eodemque die ab univerſo diœceſeos clero, ſacra funebria demortuo perſolvantur.

12. Nullus inſcio, vel non approbante epiſcopo, mortuum in funere habita oratione laudabit; concio tamen aliqua haberi poterit, qua humanæ tantum miſeriæ ſtatus, mortis, judiciique neceſſitas, qualitateſque deſcribantur.

*De reliquiis, & ſanctorum imaginibus.*

## CAPUT XI.

1. NON parvæ in proponendis reliquiis ſummo Chriſtianorum, & dolore & ſcandalo, in dies fraudes agnoſcuntur. Singulas itaque diœceſeos ſuæ reliquias, viris ſpectatæ integritatis, & doctrinæ, prudentiaque conſpicuis, viſitandas notandaſque quamprimum epiſcopi committant; earumque nomina, numerumque ampliſſimis teſtimoniis obſignatum, libro in epiſcopali archivio diligenter aſſervando, deſcribi curent: nullaſque deinceps, quas ipſi præmiſſa ſollicita inquiſitione non approbarint, populo venerandas proponi ſinant.

2. In eccleſiis, loco honeſto, biniſque ſaltem clavibus occluſo reliquiæ cuſtodiantur. Harum clavium alteram habebit parochus, ædituis, ſeu operariis altera concedetur.

3. Appenſæ, vel affixæ ſingulis eccleſiis tabellæ reliquiarum omnium nomina publice deſcripta proponentur. Hæ vero nudæ paſſim populo non oſtendantur; nuſquam a laicis tangantur, nec ab iiſdem in ſupplicationibus publicis deferantur.

4. Reliquiis aſſidere mulieres epiſcopi non permittant.

5. Humi, aut ſordidis in locis, nec ſanctiſſimæ crucis ſignum, nec venerandæ ſanctorum imagines depingantur.

6. Apocryphæ, ethnicæve templorum parietibus hiſtoriæ nullæ appingantur, nec ulla tapetia obſcœnitatis ſpeciem præ ſe ferentia apponantur: abſurdum enim eſt, impietatis, peccatique materiam ab iis rebus accipi, quæ ad pietatem, pœnitentiamque excitandam ſanctiſſime a patribus fuerunt inſtituta.

7. Indecore non veſtiantur, ornenturve imagines. Quæ vero aut mutilæ, aut fractæ, aut vetuſtate conſumptæ aliqua parte fuerint, eæ ſi fieri poſſit, reficiantur; ſin minus ſacrario recondantur.

*De indulgentiis.*

## CAPUT XII.

1. USU fieri ſolere comperimus, ut ex quibus ſumma proficiſcitur utilitas, ex iis, ſi a pravis hominibus detorqueantur ad alium finem quam fuerint inſtituta, non minima oriantur incommoda; ſuus eſt etiam hominum malitia ſalutaribus indulgentiis abuſus. Quaſcumque igitur diœceſeos ſuæ indulgentias, epiſcopi diligenter inſpiciant; inſpectas, libro in archiviis aſſervando deſcribant: eccleſiæ vero ſingulæ, aut libro, aut tabula in ſacriſtia reponenda, quas ipſæ proprias habuerint, fideliter exarandas curent.

2. Providebunt epiſcopi, ne indulgentiæ ad quæſtum convertantur, ſed ad quietis, fideique propagationem dirigantur.

*De cibis vetitis & eorum diſpenſatione.*

## CAPUT XIII.

1. CASEUM, butyrum, ova, carnes, nemo niſi prius conceſſa ſcriptaque, ab epiſcopo venia, in quadrageſima vendet. Carnium



nium porro genus unum tantum, aut alterum medici judicio præſcribendum, ad certum pondus, & quantitatem venale proponetur.

2. Qui carnem prohibitis diebus ex licentia comedent, ſoli, ne ulli ſcandalo ſint, locoque ſeparato comedent.

*De feriis earumque cultu.*

## CAPUT XIV.

1. FESTA omnia tabella deſcribantur, quæ in uniuſcujuſque eccleſiæ ſacriſtia, diligenter ſervetur.

2. Nihil, niſi quod vel ad diei victum, vel ægrotorum curationem, neceſſarium fuerit, idque nec in eccleſiæ conſpectu, nec ſacrorum tempore, feſtis diebus vendere; nec vero officinas, aperire, aut mercatus, auctiones, nundinaſve publicas, celebrare liceat. Quæ vero in feſti ſolennitatem nundinæ, mercatuſve incident, in antecedentem, vel proxime ſequentem diem rejiciantur.

*De votis, & religioſis peregrinationibus.*

## CAPUT XV.

1. QUI aut voti ſponſione facta, aut ſola pietate ducti peregrinationes ſuſcepturi ſunt clerici, ii ab epiſcopo veniam, commendatitias literas, ſacramque benedictionem poſtulabunt: reverſique pie, ac Chriſtiane peractæ viæ, eidem teſtimonio approbando fidem facient.

2. Hæc omnia a parochis peregrinationem ingreſſuri laici requirent; iiſque factæ in itinere confeſſionis, ſumptæque euchariſtiæ, fidei plenum teſtimonium reduces afferent, iterumque benedictionem accipient.

3. Qui peregrinationis ergo viæ ſeſe committunt, quo tutius iter emetiri, optatumque finem conſequi poſſint, diligentius confiteantur, euchariſtiam pie devoteque ſuſcipiant, eaque omnia perficiant, quæ libro, hac de re edito, continentur. Ad id præſtandum autem, crebris, ſanctiſque parochorum adhortationibus amice, Chriſtianeque incitentur.

# CONCILII PROVINCIALIS TOLOSANI

PARS TERTIA, QUÆ EST DE LOCIS.

*DE ECCLESIIS, CAPELLIS, altaribus, ceteriſque ejuſmodi.*

## CAPUT PRIMUM.

1. NON conſecratione ſolum, ſed ipſo etiam nitore & munditie loci alicujus pii majeſtas, religioque conſervatur. Et profecto alienum nimis videtur, privatam uniuſcujuſque domum quæſita tantis artibus puritate renidere; eam vero qua Deum intuemur, adoramuſque ædem, contractis ob noſtram incuriam ſordibus, turpiter adeo deformari. Eccleſias itaque, capellas, altaria, oratoria, quæque ad illorum ornatum apponi ſanctiſſima majorum præcipit religio, tabulas, ſanctorumque imagines, juſto nitore relucere, imo & pavimentum etiam nitidum conſervari ſevere epiſcopi præcipiant.

2. Eccleſiæ, oratoriorum, vel etiam cœmeterii externi parietes, nec effuſo lotio, nec aliunde allatis ſordibus deturpentur. Pœna ſecus facientibus juſto epiſcopi arbitrio infligatur.

3. Quæ ſacris rerum divinarum uſibus, veſtes, vaſa, aliaque id genus erunt comparata, ea ſolicita nitoris cuſtodia aſſerventur; nec unquam profanis uſibus inſervienda mutuo concedantur, ne promiſcua ſæcularium attrectatione polluantur.

4. Nullus, aut in eccleſia aut etiam in cœmeteriis ſæcularium judex pro tribunali lites audiat; potiſſimum vero eas, in quibus de capite, vitaque controverſiæ dirimuntur: imo nec in ipſa eccleſia cœtus ulli agitentur, nulla vocentur concilia, præter ea, quibus res eccleſiaſticæ pertractantur.

5. Sola in ipſis eccleſiis Chriſtianæ doctrinæ elementa pueris ediſcenda proponuntur, ſcholas alias in iis habere non liceat. Quod ſi aliter loci tulerit penuria, epiſcopi exorata prius venia, loco a ſummo altari remotiſſimo, humaniores literæ poterunt edoceri.

6. Nulli, dum matutina veſpertinaque ſacra peraguntur, in eccleſiæ ſpatiis deambulare liceat.

7. Nihil, vel adventitium, vel piis fidelium eleemoſynis oblatum venale intra eccleſiam proponatur; auctiones vero, nundinæ, commerciaque ab eccleſiarum, imo & cœmeterii ſeptis, atque liminibus pœna propoſita removeantur.

8. Domunculæ, & officinæ ad templorum, aut cœmeterii parietes, deinceps non extruantur, extructæ paulatim diruantur.

9. Ludis, ſpectaculis, hiſtrionum circulationibus, atque etiam frumenti trituræ, & ventilationi, eccleſiam, cœmeteriumque deinceps patere prohibemus. Quinimo, & loci religioni crucem erigi, arcendis brutis aggerem extrui, cancelloſque aut ferreos, aut ligneos in cœmeterii ingreſſu ſubjici præcipimus.

10. Altare, ſive ſacro, ſive profano loco injuſſu epiſcopi nemo extruat; hic vero locum adeat, crucem figat, atrium deſignet, diligenterque provideat, ut qui exædificationi, fundationique cenſus adſcribitur, luminarium ſumptibus, cuſtodumque alimentis ſufficiat.

11. Qui intra eccleſiam loco non conſecrato ſacerdos celebrarit, quique non impetrata epiſcopi venia, altare temere laicus extruendum curaverit, ſacris canonum ſanctionibus puniendi ſubjiciantur.

12. Quæ conſecratæ capellæ altariave non fuerint, ea ab epiſcopis conſecrentur, eorumque jura & privilegia, licet auctoritates interciderint, aut etiam nullæ unquam fuerint, receptis probatorum virorum teſtimoniis, conſerventur & conſtituantur.

13. Neve aliquis in poſterum de altarium dedicatione, litibus aut dubitationi locus eſſe poſſit: capellarum, altariumque dedicationes, inſtitutiones, auctoritates, tituli, jura, obventiones, onera, eorumque qui ea fundarunt, dicarunt, aut etiam aliquo liberalitatis officio adauxerunt nomina, jurium denique, reddituumque, ſi quæ ſint permutationes, ad tem-

ANNO CHRISTI 1590.

temporis memoriam, libro deſcribantur & aſſerventur.

14. Qui capellæ aut conſervandæ, aut inſerviendæ canonicus, aut alius quiſpiam privatim fuerit adſcriptus, huic ſumptuum, cultuſque ſimul ſolicitudo incumbat. Quod ſi ad alium ſumptus pertineat, ſola ei cura incumbat; peccatum tamen, ſi quod ſit, ſuum eſſe, ſibique præſtandum noverit, niſi id aliorum culpa accidiſſe probandis rationibus oſtenderit.

15. Feneſtra in altari nulla ſit, foramenve nullum, ut quod Chriſti ſacroſancto corpori ſuſtinendo fuerit dedicatum, huic nihil aliud omnino inſeratur.

16. Clathris & cancellis altaria cingantur, in quos laicis nullis aditus permittatur, peractiſque ſacris claudantur.

17. Tribus mappis altare unumquodque inſtruatur: ad imum una demittatur, medium altera, frontem altaris tertia occupet: cerata tela ſubſideat: palla diei feſti, feriæve ritum colore referens, ſi commode id fieri poterit, circumjiciatur: crux in medio ſtet, candelabris duobus utrinque decorata.

18. Altaria, ſi quæ ſint ſuperflua, penitus diruantur; Quæ ſub dio nec ſepta, nec tecta fuerint, ea epiſcopi, aut ſepienda, aut tegenda, aut dejicienda curent.

19. Una ſaltem in qualibet eccleſia, plures vero ſi vel loci amplitudo, vel ſacellorum, altariumque numerus id poſtulet, ſacriſtiæ, vaſis, ornamentiſque eccleſiæ cuſtodiendis, recondendiſque extruantur.

20. Cui vel ſacello, vel altari propria, peculiariſque vaſorum, ornamentorumque ſupellex fuerit comparata, ei etiam diſtincta armaria cuſtodiendis ſeparatim ornamentis in ſacriſtia aſſignentur. Armariis aut capſulæ, martyris, apoſtolive illius, in cujus memoriam altare dicatum eſt, nomen inſcribatur.

21. Miſſæ omnes, & anniverſaria, aut ab univerſo clero, aut a ſingulis ſacerdotibus in dies, vel hebdomadas perſolvenda, tabella in ſacriſtia cuſtodienda, deſcribantur.

22. Laicis facilis ad ſacriſtiam non detur aditus. In ea vero oratoria ante, & poſt miſſam oraturis ſacerdotibus extruantur.

23. Qui ſacriſtiæ præerit, is ætate gravis, eccleſiaſticæque diſciplinæ peritus ſit. Hoc autem provideat maxime, ne quæ ad eccleſiæ ornatum aulæa, aliaque id genus comparata ſunt, vel ipſe ad privatos uſus occulte transferat, aut aliis quavis ratione in profanum miniſterium utenda concedat, veſtes vero vaſaque ſacra, armariis, theciſque ita diſponat, ne laicorum manibus paſſim attrectari poſſint.

24. In nullos eccleſiæ uſus campanæ prius admittantur, quam illis benedictionem epiſcopus fuerit elargitus. His poſtquam conſecratæ fuerint, leves, inhoneſtæque cantiunculæ non pulſentur.

25. Tres, aut duas ſaltem harmonica proportione diſtinctas parochialis unaquæque eccleſia, ſimplex vero, aut oratorium unam tantummodo campanam habeat.

26. Sancta, in ſanctis locis, tractanda ſunt. Quæ igitur templa, altariave, nondum conſecrata ſunt, ea ſaltem intra biennium conſecrentur.

27. Eccleſiarum, altariumque omnium conſecrationes, & campanarum benedictiones libro deſcribantur, & in epiſcopali archivio aſſerventur.

28. Eccleſiarum, cœmeteriorum, ſacrorumque aliorum locorum profanationes, & injuſſu epiſcopi non tentandæ, & receptis ab eccleſia cærimoniis ſunt perficiendæ: profanationis memoriam, erecta loco profanato crux relinquat.

29. Quas aeris injuria, diuturnior annorum ſeries, aut etiam hoſtium impetus eccleſias aliqua parte labefactarit, eas epiſcopi, iis, quos æquum eſt, ſumptibus reficiendas inſtaurandaſque curent; quibus vero inſtaurandis reditus proprii non ſufficiunt, impendendis fabricæ ſumptibus parochiani, ſi per facultates licuerit, teneantur; ſin minus ad viciniores eccleſias transferantur, cum facultate earum materiam & loca in uſus profanos, non ſordidos, erecta ibi cruce, convertendi.

30. Dirutarum eccleſiarum, quæ commode refici nequeunt, reliquiæ, ſi quæ ſint, in eccleſiam aut parochialem, aut matricem, qua decet veneratione transferantur; tranſlatæ in eccleſiæ ſacello, eodem ritu & invocatione collocentur; imo & ſi opus fuerit, capellæ novæ, conceſſis dirutæ eccleſiæ commodis, oneribuſque impoſitis, excipiendis reliquiis extruantur.

*De oratoriis in via ſitis.*

## CAPUT II.

1. ORATORIA, peregrinorum ſublevationi, religionique in viis quam fieri poterit, commode extruantur; ſuuſque illis honos, cultuſque non ſecus, ac reliquis eccleſiis conſervetur.

2. Altaria extra urbem, ni aliqua ſubſit myſterii ſolennitas, quocumque ſepultorum mortuorum, aut alterius privatæ pietatis prætextu nemo erigat. Quæ vero ſacræ imagines in oratoriis effingentur, eæ cancellis interiori ſacrarii parte veſtiantur, quo tanquam auguſtiori loco conſtitutæ, majorem tranſeuntibus religionem afferant.

*De ſcholis & ſodalitatibus doctrinæ Chriſtianæ.*

## CAPUT III.

1. CUM omnis ignorantia pernicioſa ſit, tum ea potiſſimum, quæ de divinis rebus eſt, pernicioſiſſima ſemper exiſtere conſuevit. Huic pellendæ epiſcopi, qua poterunt diligentia, incumbent; Chriſtianam juventutem, morum, doctrinæque præceptis informari, ſed maxime fidei, Chriſtianæque diſciplinæ rudimentis imbui, curabunt.

2. Dominicis, feſtiſque diebus fidei præcipua capita parochos ipſos, aut alios eorum nomine, pueros, rudioreſque populo, pomeridianis horis palam in templo edocere; & bene vivendi, orandi, confitendi, communicandique rationem, iiſdem explicare, omni vigilantia compellant.

3. Quod Pii V. & Gregorii XIII. bullis ſanctiſſime cautum eſt, ut ſingulis urbibus, oppidis, majoribuſque pagis Chriſtianæ doctrinæ ſodalitates, a Romana archiconfraternitate pendentes, iiſdem legibus, & moribus inſtituantur; id etiam quam fieri poterit commodiſſime exequentur.

4. Doctrinæ Chriſtianæ ſcholas hujuſmodi ſodalitatibus, ſi quæ in eo loco fuerint, ſin minus parocho ſubjectas in utriuſque ſexus gratiam erigent.



ANNO CHRISTI 1590.

5. In Xenodochiis denique, aliiſque piis locis, in quibus magna erit puerorum, puellarumque copia, ex libello, & catechiſmo, qui hujus concilii decreto typis excudetur, doctrinam Chriſtianam diligenter explicari præcipient.

*De univerſitatibus & collegiis.*

## CAPUT IV.

1. MAGNI momenti res eſt, plurimumque ad eccleſiæ, reipublicæque conſervationem, dignitatemque pertinens, recta Chriſtianæ juventutis inſtitutio. Eorum igitur, qui juventuti, aliiſque edocendis conſtituti ſunt, vita diligenter eſt inquirenda, ne forte ii ſint, qui pravo morum, vitæque exemplo plus officere, quam doctrinæ raritate prodeſſe poſſint.

2. Academiarum profeſſores, ſtato die, quotannis ex Pii IV. bulla, publicam fidei profeſſionem facient.

3. Ad doctoratus lauream, graduſque alios, ii ſoli promoveantur, qui vitæ integritate celebres, poſt emenſum graviter præſcriptum ſtudiis tempus, dignum doctrinæ, eruditioniſque ſuæ ſpecimen ſevero examine præbuerint. Examen publicum, publica ſit promotio, publica etiam promovendorum fidei profeſſio: quæ omnia teſtimonialibus literis inſerenda. Qui ſecus fecerint, ad graduatis deſtinata beneficia non admittantur.

4. Theſes theologicæ non niſi accuratiſſime examinatæ publice agitandæ proponantur.

5. Quæ ſemper eccleſiis plurimum profuit, intermiſſa juris canonici ſcientia, inſtitutis profeſſoribus in academiis revocetur, revocata diligentiſſime retineatur.

6. Scholas veteres epiſcopi inſtaurari curent, atque in eos, qui earum bona injuſte poſſident, cenſuris eccleſiaſticis agant. Quibus vero locis, aut de publico, aut diſcipulorum ſumptibus magiſtri poterunt ſuſtentari, in eis etiam pro arbitrio, novas jubeant excitari.

7. Nullæ, ne miniſtrandi quidem, inſerviendique gratia, feminæ in collegiis habitent, ſed nec puellarum ſcholis viri, at ſolæ tantum ab epiſcopo approbatæ feminæ, præſint.

8. Nullos, aut hæreticæ pravitatis reos, aut facinoroſos, aut demum a ſeipſis, præmiſſo diligenti examine, non approbatos homines, ſcholis epiſcopi præeſſe patiantur; quibus vero magiſtri præficiendi jus eſt, hunc illi epiſcopo, accurata vitæ, morumque inquiſitione cognoſcendum, admittendumque offerant.

9. Qui libri in indice ſedis apoſtolicæ auctoritate ex Tridentini concilii decreto confecto prohibentur, ii nec legantur, nec teneri poſſint.

10. Id vero in primis diligenter curabunt, ut Chriſtianæ doctrinæ rudimentis juventus ſibi credita informetur; Pios itaque auctores epiſcopi arbitrio ſeligendos, petita ab eodem venia, feſtis diebus explicabunt, imo & quibus locis commode fieri poterit, concionem haberi curabunt.

11. Brevi aliqua piaque oratione, flexis a diſcipulis genibus in ſcholæ recitanda lectiones auſpicabuntur, & finient.

12. Scholaſticos cum divino miſſæ ſacrificio, & concionibus, ſi quæ ſint, frequentes intereſſe, tum ſæpius peccata confiteri, quanta poterunt vigilantia hortabuntur; tum vero ea omnia, quæ illis a concilio præſcribentur, quam diligentiſſime ſervabunt.

*De ſeminariis clericorum.*

## CAPUT V.

1. ET ſynodi Tridentinæ ſanctiſſimis conſtitutionibus parentes, & eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationi diligentiſſime conſulentes epiſcopi, qua illis ab eadem ſynodo ratione præſcriptum eſt, in ſuis diœceſibus clericorum ſeminaria, quam primum curent erigenda.

2. Atque ut eorum fundatio, vel excitari, vel adjuvari poſſit, in concionibus, imo & per ditiorum domos, habendæ erunt adhortationes, crebroque fideles admonendi, ne dum ſuper familia, pecuniaque, ſuprema voluntate legant, tam pii, tamque ſibi profuturi operis incauti oblivifcantur.

3. Quæ unius ſunt diœceſis, & in altera prædia habent beneficia, in illius diœceſis, in qua ſita eſt princeps illorum eccleſia, ſeminariorum impenſas, ſeu contributionem ſolvere debent, niſi bona unius diœceſis unita ſuam propriam eccleſiam haberent, quæ ædificata eſſet ante eorum bonorum acquiſitionem.

4. Alumnorum in ſeminario unoquoque, is erit numerus, qui ab epiſcopo in quaque diœceſi præſcribetur. Nec vero ſoli pauperes, ſed & mediocres, qui medios, & ditiores qui integros in ſui educationem ſumptus impendent, ſeminariis excipientur. Sic nec gravabitur, nec contemptui habebitur eccleſia, cui hi non ſolum præeſſe, ſed etiam egentioribus poſtea poterunt ſubvenire. Hæc igitur cenſus diſtributio erit, pauperibus pars media, media mediocribus alendis inſumetur; atque ita duplo, triplove mediocrium numerus excellet; quorum duobus, aut tribus una pauperum ſatis erit penſio, reliquum parentes ſuppeditabunt: ditiores tot aſſumentur, quot ſupra aliorum numerum extructa habitatio commode capiet; quorum pecuniis communia ſeminariorum onera ſublevabuntur.

5. Recipiendorum alumnorum propinqui duo vel tres, ſponſores ſe, vadeſque pro illis offerent, quoſque illi ſumptus, toto ſtudiorum decurſu fecerint, ſi forte eos ab eccleſiaſtici ſtatus propoſito reſilire contigerit, eoſdem ſe integre reddituros, ni ab iiſdem fiat reſtitutio, publico fortunarum nexu, & obligatione cavebunt.

6. Qui ſeminariis rectores, magiſtrique præficientur, vitæ integritate, pietate, prudentiaque ſint conſpicui. Rectores etiam, quoad ejus fieri poterit, ſacerdotes eligentur.

7. Romanus catechiſmus quam ſæpiſſime, ſacrorum rituum & cærimoniarum rationes, eccleſiaſticæ hiſtoriæ explicationes compendiariæ, certis ſtatiſque diebus, ſeminariorum alumnis perlegentur: Exhortationes vero domeſticæ, de Dei, & eccleſiæ præceptis, ab iiſdem quaſi ad populum, exercitationis cauſa habebuntur.

8. Quo tempore cibum capient, excerpta, aut ex ſacris bibliorum libris, aut veterum patrum homiliis, lectio menſæ nunquam deerit.

9. Qui ſeminarii præfectus erit, is aut ſaltem alius, decimo quoque die, de virtutibus, vitiis, iiſque rebus, quæ ad eorum inſtitutum ſpectare maxime videbuntur, piam aliquam apud alumnos concionem habebit.

10. Quos emenſis ſtudiorum ſtadiis, ſacris ordinibus alumnos initiarint, eos epiſcopi, vel parochialis alicujus eccleſiæ adminiſtrationi, vel ſcholis regendis, intra decanatum, vel archipresbyteratum, ſi commode fieri poſſit, præficient: eoſdemque patronis tam ſæcularibus, quam eccleſiaſticis, quam poterunt amantiſſime, commendabunt.

11. Seminarium epiſcopi, ſin minus ipſi poterunt, at ſaltem per alium tertio quoque menſe viſitabunt.

12. Nulli alumnorum liceat confecto ſtudiorum tempore, in alienam diœceſim, non obtenta ab epiſcopo venia, tranſire. Eoſdem vero alumnos in domino hortamur, ut acceptorum beneficiorum memoriam debita gratitudine recolant, cumulent, illuſtrent: illudque cui omnia meritiſſime velle debent, ſeminarium, qua poterunt, dum vivent, ratione adjuvent, aut ſaltem pio aliquo legato morientes ſublevent.

*De hoſpitalibus, leproſariis, aliiſque piis locis.*

## CAPUT VI.

1. QUæ ſub regis protectione immediate non ſunt hoſpitalia, piave alia loca, ea omnia epiſcopi etiam uti ſedis apoſtolicæ delegati, auctoritate ſibi a Tridentino concilio tributa ita viſitent, ut pauperum commodis, ſua etiam commoda putent eſſe ponenda.

2. In viſitatione curent epiſcopi, ut quos integra vitæ anteactæ ratio, morum perſpecta probitas, maturumque ætatis judicium; non omnibus commendarint; quoſve numeri, calculorumque ſubductionis ignaros, aut alieno quovis, ſed potiſſimum locorum ipſorum ære oppreſſos noverint, illi ad hoſpitalium adminiſtrationem non adhibeantur.

3. Quod ſacroſancta Tridentina præcepit ſynodus, procuratores, qui hoſpitalia adminiſtrant, accepti, expenſique rationem quotannis Ordinario reddant, niſi aliter in fundatione expreſſe cautum ſit. Quod ſi ex inſtitutione, aut ordinatione aliqua loci, aliquibus ad id deputatis ratio reddenda ſit, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius.

4. Qui vero huic muneri præficiendi fuerint, hi ſanctiſſimo prius profiteantur juramento ſe Chriſti patrimonium, qua decet religione adminiſtraturos, fructus in uſus neceſſarios fideliter collocaturos, ablata maleque alienata recuperaturos; labantia ædificia reſtauraturos, bona redituſque locorum, quibus præſint, abſque fidejuſſore idoneo non locaturos, iiſque quibus ex inſtituto præſto eſſe debent, bona fide eſſe ſubventuros.

5. Quoque ſegnioris curæ ſuſpicionem fugiant, faciliuſque miſerabilibus perſonis deſtinata bona conſervent, uni eidemque, niſi forte interjectis ſpatiis, adminiſtrationem, imperiumque epiſcopi nunquam prorogari ſinant.

6. Quæ peregrinorum auxiliis dicata ſunt hoſpitalia, in iis vere peregrini quique, aut ſumma oppreſſi egeſtate, aut nimio confecti ſenio, aut virium imbecillitate victum ſibi quæritare non poſſunt, ſoli recipiantur. Aleatores, nebulones, habitum in ſui diſſimulationem mentientes, blaſphemi, petulantes, intemperantes, pervicaces, quique pacatæ vitæ infenſi, facile genium mutare non poſſunt, procul hoſpitio arceantur.

7. Qui juvenes, nubileſque puellas, probata conjugii fide, ſecum ducunt, iis poſt noctem unam, his locis commorari non liceat.

8. Viri, feminæque ſeparatim habitent; nec alii alios ad ſe invicem, licet matrimonio conjunctos admittant.

9. Ægrotorum, infirmorumque curæ, exequendiſque officiis tot miniſtri ſufficiantur, quot eorum ſaluti, auxiliiſque opus eſſe hoſpitalium præfecti noverint. Hi vero ex medicorum conſilio, quæ neceſſaria ſunt, qua maxima poterunt caritate, illis ſubminiſtrent; & vel minima quæque temporum momenta, attentius ad eorum ſalutem obſervent.

10. Peccata ægrotos confiteri, ſanctiſſimamque eucharistiam ſumere, qui iis gubernandis commiſſi fuerint, qua fieri poterit vigilantia, curent.

11. Cauſarios, quique a morbo convaleſcunt, niſi optime perſanati fuerint, hoſpitiis præfecti non dimittant; ne vel recrudeſcente morbo, gravius recidant, atque ita ſumptus augeantur, vel etiam in itinere vitæ diſpendio deficiant.

12. Qui miſſæ ſacra feſtis ſaltem diebus in valetudinario celebrent, ſacramenta languentibus debite adminiſtrent, deficientes crebris adhortationibus conſortentur, ſaluberrimoque viatico ad extremum vitæ ſpiritum muniant, defunctorum nomina, genus, patriamque libro exceptam annotent, ſacerdotes neceſſarii procuratorum aliorumque rectorum diligentia hoſpitalibus, piiſque aliis locis apponantur.

13. Ne quos vel labore, vel ære proprio parentes alere non poterunt, infantuli crudelius exponantur, propoſita excommunicatione, aliiſque ex arbitrio pœnis, epiſcopi quoad ejus fieri poterit, impediant; rectores illius loci diligentiſſime inquirant. Quoſque tanti criminis reos, per confeſſionem noverint, eos, ni prius ſatisfecerint, confeſſarii non abſolvant.

14. Quæ ad projectorum infantium ſalutem commoda ſunt, lintea, cunæ, nutrices ſubſidiariæ, quibus donec baptizentur, alendi tradantur, ea omnia parata, inſtructaque a procuratoribus habeantur.

15. Infantes, ubi primum per ætatem licuerit, locis iis, quibus commode, & per facultates fieri poterit, moribus optimis artibuſque, quæ ſexum deceant, tam mares, quam feminæ inſtruantur, donec eis Deo juvante proviſum fuerit.

16. Quod lege divina ſancitum eſt, leproſos in civitatum ſalutem noſocomiis epiſcopi concludent. Magiſtratus etiam adhortantes, ne eos vel imminentibus ex ipſorum commixtione periculis, vel ipſo etiam aſpectu formidabiles per urbes evagari ſinant.

17. Qui morbos falſo ſimulant, fictis verborum ambagibus, geſtuque ad miſerationem arte compoſito, ſimpliciores vulgi animos adjecto fuco decipiunt, eos parochias circumire





re epiſcopi non ſinant, ſed eos ſolos, qui pie, ſedate, nulliſque ſermonum anfractibus, victum eleemoſynarum petitione extra eccleſiam quæritabunt.

18. Qui firma corporis conſtitutione, nec accifis aliqua ratione viribus externi pauperes fuerint, eos poſt triduum rectores, nec hoſpitalibus excipiant, nec publice oſtiatimque mendicare permittant.

19. Magiſtratus omnes, Chriſtique fideles alios hortatur hæc ſynodus, ut quos certo aliquo, nec ſimulato morbo vere conflictari mendicos noverint, eos in unum locum cogere, piiſque eleemoſynis ſuſtentare, conſociatis cum ordinario auxiliis diligentiſſime procurent.

20. In vitam moreſque mendicantium, pauperumque epiſcopi diligenter inquirant; eos ad communionem, paſchatis ſaltem tempore, compellant; quos pervicaces, reluctanteſque noverint, ejiciant.

21. Quos illo anno confeſſos fuiſſe, ſanctamque eucharistiam ſumpſiſſe, aut liquido non conſtiterit, aut ſaltem probabile non fuerit, eos, ni præceptis eccleſiæ illico paruerint, hoſpitalium rectores nuſquam admittant.

*De confraternitatibus & ſodalitiis.*

## CAPUT VII.

1. DISCIPLINATORUM, ſeu pœnitentium ſocietates abſque epiſcopi licentia nullæ inſtituantur; inſtitutas, ex ſacris Tridentini concilii decretis, vel tanquam ſedis apoſtolicæ delegati, epiſcopi viſitent: inſtitutorum, legumque ſuarum, ſi probatæ illæ ſint, formam rite confratres exequi, quæque in illis corrupta viderint, ea emendanda, vel etiam penitus tollenda curent.

2. Quos ad confratriarum regimen accedere, gubernatores continget, eos in ipſa muneris ſuſceptione, in legum, ſtatutorumque obſervationem, aut juramento, aut ſaltem pollicitatione epiſcopis ſe obſtringere hortentur: curentque diligenter, ut quæ illis injuncta fuerit officii recitandi, orandique formula, ea ſtatis diebus, horiſque, qua decet, devotione obſervetur.

3. Quo tempore dominicis, feſtiſque aliis diebus, divina officia recitantur, ſacra miſſarum ſolennia cantu celebrantur, concioneſque aut in cathedrali, aut parochiali eccleſia publice habentur, eo tempore nullæ in confraternitatibus cærimoniæ, nulla ſacra peragantur.

4. Quæ publice ſupplicationes decernentur, quibus confratres adeſſe neceſſarium fuerit, frequentes eos convenire epiſcopi hortentur.

5. Quæ petulans adeo confraternitas fuerit, ut omnibus ſcandalo ſit, emendarique nullo modo poſſit, ei vel aliam epiſcopi ſufficiant, aut ſi viſum fuerit, reſcindant, ejuſque penitus memoriam obruant.

6. Quod Tridentina juſſit ſynodus, a confratriarum œconomis, quotannis epiſcopi ſibi, vel quibus viſum fuerit a ſe conſtitutis, geſtæ adminiſtrationis rationem expoſcant.

7. Præfectos ad ſodales, ſeu confratres hortationes frequenter habere jubeant; hunc laicis modum præſcribentes, ut altioribus relictis theoſophiæ myſteriis, ſolas virtutum laudes vitiorumque damna morali ſermone perſequantur.

8. Confratres confiteri ſæpiſſime, ſæpiſſime eucharistiam ſumere ſuadeant: nocturnas preces, nocturnas cærimonias ob ea quæ inde emergere ſolent incommoda, quam fieri poterit, rariſſime concedant.

9. Quæ ſodalitiorum precibus dicata ſunt oratoria, in iis nulla convivia, comeſſationeſque nullas, vel ipſis confratrum ſumptibus agitari, nihilque, quod ad ipſa ſodalitia & ad religionem pietatemque non pertineat, in iiſdem tractari permittant.

10. Qui ſacra fidei Chriſtianæ elementa non noverint, quive aut inſigniter improbi, aut ad flagitia accommodati fuerint, eos in aliorum numerum præfecti non adſcribant: adſcriptos ſi moniti vitæ rationem non mutarint, flagitiique perſequentes fuerint, implorata epiſcopi auctoritate, ab eorumdem ſocietate ſegregent, & expellant.

# CONCILII PROVINCIALIS TOLOSANI

## PARS QUARTA,

### QUÆ EST DE POENIS, SEU JURISDICTIONE.

*De excommunicatione.*

## CAPUT PRIMUM.

GRave perfecto, & incomparabile damnum eſt extra communionem ſanctorum eſſe, Dei optim. max. gratia, ſpirituali ejuſdem protectione, Chriſti meritis, & demum eccleſiæ ſuffragiis, & ſacramentorum uſu privari. Hæc omnia facit excommunicatio, quæ pœnarum omnium graviſſima, formidabiliſſimaque, ut Chriſtianis minime contemnenda, ſed potius ſummo cum tremore pertimeſcenda; ita ſobrie admodum; ſummaque circumſpectione, prudentia, maturitate, in pœnam, ſalutemque, non in exitium, perniciemque eſt adhibenda.

2. Quod igitur ſacri canones, generalia concilia omnia, ſancta Tridentina ſynodus, & denique Pii V. pont. max. laudanda conſtitutio præcipit, ad rerum, locorum, perſonarum, temporis demum rationem ſumma deinceps cautione excommunicationes accommodentur.

3. Quæ ad extrahendam rei alicujus veritatem, ad rerum perditarum, ſubſtractarumque revelationem præmiſſis monitionibus vulgo excommunicationes generales fiunt, ni eas metropolitanus, ſuffraganeique, quibus hæc cura potiſſimum incumbit, juſſerint, aut ordinariis locorum delegatis publicandas apoſtolica ſedes mandarit, eas nullus, quavis tandem fungatur auctoritate, ex eadem Pii V. regula publicare, aut decernere audeat.

4. Quas cauſa accurate inſpecta, decerni excommunicationes ſtatutum fuerit, hæ ad illorum tantum, quorum civiliter intereſt, inſtantiam pro re minime contemnenda, eaque nominatim expreſſa, concedantur.

5. Quæ vero pro eccleſiis, piis locis, communitatibus, collegiis univerſalibuſque ſucceſſoribus, quos plenam rerum ipſarum cognitionem non habere probabile fuerit, decernentur,

ANNO CHRISTI 1590.

in iis non accurata illa definitaque deſignatio requiretur, ſed generalis, univerſaque rerum notatio, non vaga quidem illa, aut incerta nimium, & a veritate nimis aliena ſufficiet.

6. Nullæ pro maledictis, convitiiſque, ni forte atrociora ordinarii judicio videbuntur: nullæ pro crimine; rebuſque illis, quarum aut non ita occulta eſt cognitio, aut ita temporis diuturnitate demerſa, ut earum conſervari memoriam non potuiſſe veriſimile ſit: nullæ in excommunicati, aut perditi, ſceleſtique hominis gratiam: nullæ in eum, quem rebus in monitorio contentis ſatisfacere nequaquam poſſe certum ſit: nullæ denique in iis locis, quibus eas aut negligi, aut contemni periculum fuerit, excommunicationes decernantur.

7. In cauſis judicialibus a cenſuris eccleſiaſticis, ſeu interdicto judices eccleſiaſtici abſtineant, quandocumque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipſis fieri poſſit, quemadmodum fuſius cautum eſt graviſſimo ſane ſacræ Tridentinæ ſynodi decreto, quod ea, qua decet, diligentia ab omnibus obſervetur.

8. Quæ vero ejuſmodi excommunicationes decernentur, eas non prius publicare liceat, quam alia omnia tentata fuerint juris remedia: cum ſcilicet, aut mulctæ irrogandæ facultas, aut pignorum captio, aut perſonæ comprehenſio, aut beneficiorum privatio deficit, plenaque ac certa ſit apud judicem contumacia.

9. Et cum nemini in meſſem alienam falcem jure mittere ſit conceſſum, ſciant ſæculares magiſtratus ex Tridentinæ ſynodi decreto ſibi nefas eſſe prohibere eccleſiaſtico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, ſub prætextu, quod forma debita non fuerit obſervata, cum non ad ſæculares, ſed ad eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.

10. Epiſcopis eorumque, & vicariis & officialibus, ad quos ſolos hæc cauſarum pertinet cognitio, jubet eadem ſynodus, ſola æquitatis, juriſque ratione, nec alia quavis cauſa, excommunicationes decernere, ſuſpendere, aut revocare. Eum tamen in decernendis modum adhibeant, ne ſæpius iterata earum propoſitio, iis, damnoſo eccleſiaſticæ auctoritatis præjudicio contemptum afferre poſſit.

11. Quos eccleſiaſtici judices etiam auctoritatem habentes excommunicatos denunciari, quaſve excommunicationes contra aliquem publicari juſſerint, eas parochi aliique animarum curam habentes illorumque cooperatores promulgare non audeant, ni literæ authenticæ fuerint, ſigilloque obſignatæ: quibus etiam juſta excommunicationis cauſa non judici ſolum, ſed omnibus aliis cognita, expreſſa ſit; imo & rei peremptoriis moniti, & citati aperta in judicem contumacia innoteſcat.

12. Et quoniam multos hac in noſtra provincia non per annum quidem, ſed quod invitι referimus, ultra triennium canonice excommunicatos, quæ civilium bellorum eſt calamitas in hac etiamnum inſordeſcentia permanere, non ſine dolore accipimus: comprovincialibus epiſcopis, eorumque & vicariis & officialibus præcipit hæc ſynodus, ut eos edicto etiam publice propoſito, moneant, juriſque aliis remediis ad reſipiſcentiam inducant: dilatores, eccleſiæque gremium conſtando detrectantes, publice, nominatimque excommunicent, a ſacramentis, fideliumque communione; imo & familiaritate repellant.

13. Quos obdurato animo in ea damnationis ſalebra ab ultimæ monitionis die, & hæſiſſe, & per annum torpuiſſe cognoverint, in eos tanquam de hæreſi ſuſpectos, jure, ac Tridentini concilii præſcripto agant.

*De juriſdictione eccleſiaſtica & judiciali foro epiſcopi.*

## CAPUT II.

1. Nec ille, qui in rebus omnibus tantopere commendatur ordo, nec optandus eccleſiæ ſplendor intactus conſervari poteſt, niſi ſua laicis, ſua quoque eccleſiaſticis jura remaneant: nec demum ſine æterna animarum perditione, quæ a Chriſto ipſo, legeque antiquiſſima libertatem ſortita eſt, eccleſiæ juriſdictio violari poteſt. Sacra ſacris, alia aliis ſunt committenda. Nos itaque eccleſiæ dignitati, & eorum, qui imprudentes forſan eam comminuunt, ſaluti conſulere volentes, ea omnia, & ſingula quæ ex ſacris canonibus, generalibus conciliis, apoſtoliciſque aliis conſtitutionibus, œcumenica illa Laterani, Tridentique conciliis in eccleſiaſticarum perſonarum gratiam religioſiſſime ſanxerunt, in eos omnes, qui juriſdictionem eccleſiaſticam objectis avocamentis, impediunt, aut occupant, quique eccleſiaſticos in ſuo jure interpellant, promulgamus, diligenterque animadvertenda proponimus.

2. Quæ vel privata, vel publica perſona, quævε ſocietas, collegium, aut univerſitas bona mobilia, ſeu immobilia, jura, ſive perpetua, ſive temporalia, juriſdictiones, honores, jus aut eligendi, aut conferendi aliquam eccleſiam, aut præbendam, locum, redditum, vel ad cathedralium eccleſiarum capitula, vel ad religioſorum, aut mendicantium, aut monachorum, aut monialium monaſteria, vel denique ad archiepiſcopi & ſuffraganeorum menſam quavis ratione, tituloνe pertinentia, in totum, vel in partem uſurparit, interturbarit, occuparerit, invaſerit, violenta poſſeſſione detinuerint, vel etiam juſtos poſſeſſores exturbarit, vel fructuum perceptione, etiam percipiendi jure ſpoliarit, ſi excommunicatio, ſi ſingularis perſona fuerit, ſi ſocietas eccleſiaſtica, interdicto ſe teneri noriti, a quibus, niſi prævia ſatisfactione, abſolvi non poſſint.

3. Qui de cauſis eccleſiaſticis ad archiepiſcopi, comprovincialiumve forum pertinentibus cognoſcere, judicareve præſumpſerit, excommunicationem ipſo facto incurrant.

4. Qui contra præmiſſa omnia vel ſingula, re, juſſu, conſilio, vel etiam conſenſo fecerint aut aggreſſi fuerint, iiſdem excommunicationis interdictique pœnis ſubjiciantur.

5. Provinciæ noſtræ ſacris initiatos clericos in cauſis criminalibus, & civilibus, mixtiſque abſque ordinarii petita, nedum conceſſa venia, paſſim coram judicibus laicis ſacramento rogatos; aut mulctis irrogatis, aut ſequeſtratione fructuum coactos, aut, quod durum magis eſt, libere, & ſponte teſtimonium ferre, non ſine ſumma diſplicentia audivimus. Huic morbo, qua poſſumus diligentia occurrere cupientes, clericos etiam in cauſis civilibus, quibus aut aliter veritas haberi non poſſit, aut illorum teſtimonium neceſſarium ſit, a ſolo epiſcopo ſacramento adigi poſſe hac ſynodo declaramus.

6. Qui clericali habitu incedentes, tonſura con-



ANNO CHRISTI 1590.

ſpicui, clericaliterque viventes & alicui eccleſiæ de mandato epiſcopi inſervientes, aut beneficium eccleſiaſticum obtinentes, licet minime ſacris initiati clerici; laicorum judicum juſſionibus, mulctis, fructuumque ſequeſtrationibus parentes, in cauſa qualibet criminali, civili, aut mixta, non obtenta epiſcopi proprii, ex cauſa tantum gravi, juxta ſanctiones canonicas, gratiſque concedenda licentia, coram iis teſtimonium poſthac dixerint, excommunicentur. Quam tamen licentiam non concedant epiſcopi in iis cauſis criminalibus, in quibus infligenda eſt pœna ſanguinis, aut mutilatio membri.

7. Qui alii, licet eccleſiaſtico, ſuam, aut eccleſiæ ſuæ juriſdictionem prælatus, cujuſcumque fuerit dignitatis, ſimoniaca Chriſtiani populi offenſione vendiderit, commiſerit, locaritve, ipſo facto excommunicatus exiſtat.

8. Qui ſuper hac re contractus habiti, quæ pacta inita fuerint, ea & a jure, & a Tridentina ſynodo damnata tanquam illicita reſcindantur, & antiquentur. Paciſcens excommunicatione innodatus exiſtat: vendens præter pœnas canonicas, exigendæ pactæ pecuniæ actione excludatur & excidat.

9. Quos vel ſæculares, vel regulares clericos quoſve hoſpitalium, piorumque aliorum locorum adminiſtratores in cauſis, quæ fori eccleſiaſtici quacumque tandem ratione fuerint, vel actores vel reos, vel quovis alio modo diem a judice ſæculari indictum obire, ejuſque judicio ſe permittere cognoverint, eos epiſcopi ſevera pœnarum, cenſurarumque animadverſione pro arbitrio puniant.

10. Quæ in præmiſſis, cauſiſque aliis omnibus ex Tridentini concilii decretis ad eccleſiaſticum forum quavis ratione pertinentibus, coram judice, foroque ſæculari lites invectæ, qui actus quacumque occaſione, aut prætextu, decreti fuerint, hi omnes irriti, nulliuſque momenti habeantur.

11. Eccleſiaſtici quicumque judices, metropolitani, ſuffraganeorumque omnes, & vicarii, & officiales jus unicuique, pauperibus præſertim, miſerabilibuſque perſonis, qua fieri poterit religione reddant; faciles que ſe, & paratos petentibus præbeant, commiſſarum ſibi cauſarum actiones, eaſque maxime quibus ſummarie de jure procedere licet, ex Tridentini concilii decreto quam citiſſime diſſolvant, & expediant; litigantiumque ſumptibus, qua maxime poterunt caritate, parcant.

12. Quæ de alimentis, mercede, piiſque locis, aliæque id genus, quæ moram non patiuntur, controverſiæ erunt, eas in iis, qui jure permittuntur caſibus, ex æquo & bono, quanta maxima fieri poterit temporis brevitate dirimant.

13. Atque, ut omnis avaritiæ ſuſpicio a foro eccleſiaſtico arceatur, omnibus, ſinguliſque epiſcopalis, & vero metropolitanæ curiæ notariis, ſecretariis, carcerum cuſtodibus, lictoribus, aliiſque miniſtris, in operis mercedem taxam ab ipſis quamprimum definiendam honeſta juſtaque æſtimatione epiſcopi ſtatuant, & injungant.

14. Qui taxæ conſtitutum modum miniſtri excellerint, ii, quicumque tandem illi ſint, & officii privatione, & inhabilitatione, aliiſque pœnis ſeveriſſime pro modo culpæ puniantur.

15. Neve indefenſæ perſonæ miſerabiles, aut jure ſuo excidant, aut potentiorum adverſariorum gratia injuſte opprimantur, iis aut generales procuratores, advocatoſque epiſcopi in ſuis diœceſibus conſtituant; aut quoties ita feret occaſio, de patrocinio, defenſioneque provideant: quam qui abſque probanda ratione ſuſcipere recuſarit, inhabilis ad eccleſiaſtica pertractanda negotia epiſcopi arbitrio cenſeatur.

16. Epiſcopalium carcerum cuſtodiæ eos ſuffraganei præficiant, quos ad omne munus paratiſſimos, vigilantiſſimoſque, & vero pietate, caritateque commendabiles noverint; quique ii ſint, qui & reorum commoditati, & curiæ ſecuritati conſulant.

17. Carceres non epiſcopales modo, ſed & ſæcularium judicum, epiſcopi ipſi, aut ſi impediti fuerint, per alium ſæpiſſime viſitent; carcerorum religioni, & vitæ alimentis ſedulo conſulant, ſacramentaque opportunis temporibus illis adminiſtrari curent. Ad quod caritatis opus ſæculares poteſtates, magiſtratuſque in domino cohortamur, in hoc eorum gratiam & optamus, & ſperamus, totiſque in Chriſto viſceribus expetimus.

18. Quod Tridentina ſanxit ſynodus, in viſitationis, correctionis, reformationis, habilitatis, inhabilitatis, criminalibuſve cauſis, quas aut epiſcopus, aut illius officialis interlocutiones decretorias edixerint, quodve aliud gravamen fuerit, niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit, ab iis omnibus ante definitivam, ſeu vim definitivæ habentem non appelletur. Si fiat, appellationi judex non deferat. Nec vero metropolitanus ad quem provocatum eſt, donec definitiva, ſeu vim definitivæ habens ſententia lata fuerit, cognitionem gravaminis nec ipſe ſuſcipiat; nec ei alterum apponat, ſed nec tantum acta cauſæ appellantis ſumptibus mitti decernat.

19. Si correctionis modum epiſcopus, illiuſve officialis exceſſerit, exceſſuſque in appellationis literis expreſſus fuerit, appellationi tunc deferatur.

20. Quæ de cauſis ad viſitationem, correctionemque pertinentibus definiens lata ſententia fuerit, ab ea ita appellari liceat, ut illius executionem, nec remoretur, nec impediat appellatio. Quæ de gravamine quod per appellationem a definitiva reparari nequit, interlocutoriæ ſententiæ latæ ſunt, quale gravamen eſt non juſtæ carcerationis, ab iis liceat provocare, provocationem audire, imo & cauſæ acta ad appellationis judicem deferenda curare: ſed & is, cujus cauſa agitur, in carcere interea permaneat, donec cauſa cognita ab eo, ad quem appellatum fuerit, judice, aliter cautum decretumque reperiatur.

21. Quæ appellationum legitime interpoſitarum in ſecunda inſtantia cauſæ erunt, dum ab ordinariorum ſententiis erit provocatum, eæ omnes coram archiepiſcopo, aut illius officiali in hac ipſa civitate tractentur & cognoſcantur; niſi omiſſo medio, ad ſedem apoſtolicam fuerit appellatum.

22. In prima ſua diœceſana ſynodo, quod Tridentini concilii decretum eſt, quatuor ſaltem aut cathedralium eccleſiarum canonicos, aut in eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, rerum ſcientia, vitæque probitate inſignes viros ſolos in cauſis eccleſiaſticis, ſpiritualibus, & ad eccleſiaſticum forum quacumque ratione pertinentibus conſtituendos epiſcopi ſinguli deli-

gant; ſelectorum nomina ad ſanctiſſimum D. N. mittant.

23. Si quis eorum aut deceſſerit, aut juſte abfuerit, ei alius per epiſcopum capituli conſilio ſubrogetur. Hic, qua dictum eſt, ratione adnotatus, ad reliquos ſuperius nominatos mittatur.

24. Quibus ipſi cauſis, rationibus, auctoritatibuſque adducti ſententiam pronuntiarint, eas omnes notarii acta cauſæ excipientis propria manu ſcriptas, ſubſcriptaſque, & vero curiæ actis adſcribendas infra decem a lata ab iis ſententia dies reddere, & conſignare teneantur. Qui ſecus faxint, iis vigintiquinque aureorum mulcta irrogetur. Hujus media pars ei qui cauſa ceciderit; piis locis ab epiſcopo declarandis altera applicetur, imo & ipſo facto applicata cenſeatur.

25. In eccleſiis jus non dicant, ſed aut Toloſæ archiepiſcopalem curiam, aut loci alterius epiſcopalem, aut demum alium commodiorem locum ſeligant.

26. Sportulas, aut in diœceſana ſynodo, aut ab ipſis epiſcopis conſtitutas in datarum ſententiarum mercedem accipiant. Harum dimidium utraque partium, antequam acta exhibeantur, in actuarii manibus deponere teneatur.

*De rerum eccleſiaſticarum, beneficiorumve aut locatione, aut alienatione.*

## CAPUT III.

1 BENEFICIORUM eccleſiaſticarumque rerum locationes, in emphyteuſim conceſſiones, permutationes, hypothecæ, & obligationes ſanctiſſimis canonum conſtitutionibus contrariæ, damnoſum ſucceſſoribus præjudicium, certumque eccleſiæ detrimentum non raro afferre conſueverunt. His incommodis providere epiſcoporum eſt: in id illi præcipue incumbant, quæque ſuper hac re, & Tridentina ſynodus, & ſummorum pontificum auctoritas juſte adeo præcepit, ea omnia in uſum revocanda, & pro virili in ſua quiſque diœceſi obſervanda curent.

2 Epiſcopi, aut generales eorum vicarii cum duobus aliis aptioribus, probatioribuſque viris, altero quidem a capitulo, & civitatis clero, altero in diœceſana ſynodo hujus auctoritate eligendis, deputandiſque, quaſcumque rerum eccleſiaſticarum locationes, in emphyteuſim conceſſiones, permutationes, hypothecas, obligationeſque ad longum tempus a triginta annis factas, bona fide recognoſcant.

3 Quas aut eccleſiæ damno, aut ſucceſſorum præjudicio, aut contra canonicas ſanctiones factas eſſe cognoverint, quod tamen abſque cauſarum pendentium præjudicio fiat, eas omnes irritas declarent.

4 Quæ ab ipſis epiſcopis locationes factæ erunt, eas ſolus metropolitanus recognoſcat.

5 Quæ res ad epiſcopum, ejuſve menſam pertinebit, cujuſve locationis ipſe, aut ejus vicarius, curatores, commiſſarii, executoreſve fuerint, viciniotis epiſcopi una cum deputatis ab eodem capitulo, & clero locationis recognitio, judicatioque eſto.

6 Delectos jam deputatoſque, ſi recuſari juſta forſan præſcriptione contigerit, alii in eadem cauſa ab eodem capitulo, cleroque in eorum locum ſufficiantur.

7 Quæ ſub obtinendæ a ſede apoſtolica confirmationis conditione eccleſiaſticorum bonorum alienationes factæ erunt, quæ non obtenta confirmatione injuſte interim poſſidentur, eas omnes, quæcunque tandem illæ fuerint, ſive hoſpitalium, ſeu bonorum ad fabricæ, luminariumque (ut ajunt) uſum deſtinatorum, epiſcopi diligenter inquirant, ſummaque vigilantia recognoſcant.

8 Quas ſub ea, nec adhuc expleta conditione, a triginta annis factas alienationes compererint, irritas eas, inaneſque declarent.

9 Qui in bonorum ejuſmodi injuſtam poſſeſſionem graſſati, vel intruſi fuerint, eaque non obtenta confirmatione injuſte detinuerint, eos & poſſeſſione illico deturbent; & vero pœnis a ſacris canonibus, & pontificum ſummorum conſtitutionibus ſancitis, qua decet, ſeveritate, puniant.

10 Hoc ut facilius dignoſci, rerumque eccleſiaſticarum conſervationi tutius in poſterum provideri queat, omnes & ſinguli eccleſiarum, præbendarum, confraternitatum, piorumque locorum omnium rectores, adminiſtratores, & vero metropolitani, ſuffraganeorumque capitula rerum omnium mobilium, & immobilium, jurium, cenſuum, bonorumque aliorum inventarium, notarii publici, duorumque aut trium ex antiquioribus civitatis laicorum manu obſignatum, intra duos ab hujus decreti publicatione menſes conſiciant.

11 Hujus inventarii duo exempla, eaque notarii ejuſdem ſigno, laicorumque corundem manu ſubſcripta deſcribantur: Alterum in communi epiſcopi, capitulique archivio, ſi cathedralis eccleſia fuerit, ſervetur: ad metropolitanum alterum mittatur. Collegiata unum in ſuo recondat, alterum cathedralis eccleſiæ archivio cuſtodiendum tradat. Qui beneficiarii reliqui erunt, alterum propriæ eccleſiæ archivio recondent, cathedrali eccleſiæ alterum committent.

12 Quæcumque archivia duabus clavibus obſerentur, unam in cathedralibus, epiſcopus in collegiatis, præfectus: alteram capitula ſervent.

13 In viſitationibus ea cum rebus inventaria epiſcopi conferant, quæque periere reſtituant; inventaria, ſi opus fuerit, renovanda curent; Quoſque ex iis bona eccleſia aliqua, magna, vel parva, mobilia, ſeu immobilia vendidiſſe, alienaſſe, permutaſſe, aut quavis alia ratione diſtraxiſſe cognoverint, deſcriptis antea pœnis ſevere puniant.

14 Quæ jam antea factæ ſunt, quaſque in poſterum eccleſiaſticarum rerum alienationes apoſtolica authoritate fieri continget, eas epiſcopi, generaleſque eorum vicarii diligenti perveſtigatione accuratiſſime perpendant; non temere, ſed maturo conſilio peragant, eccleſiarum commoda, indemnitatemque ſibi rebus omnibus præponendam putent.

15 Qui contra canonum decreta eccleſiaſtica bona alienare, injuſte detinere, occupareve præſumpſerit; eos excommunicationis vinculo obſtringi populum frequentiſſime doceant.

16 Suffraganeos omnes hortatur, enixeque in Domino obſecrat hæc ſynodus, ut ſemel ſaltem in anno Tridentini concilii decretum ſub ſeſſione 22, cap. 1. de reform. quod incipit, *Si quis clericorum*; nec non eam, quæ ad hos potiſſimum occupatores ſpectat, promulgatæ quotannis ſummo pontifice in die cœnæ domini, bullæ partem vulgari idiomate frequenti populo publicari curent: quo omnibus, innoteſcat injuſtos rerum eccleſiaſticarum, quæcumque tandem illæ ſint, uſurpatores a ſolo Roman. Pont. abſolvendos, ipſo jure excommunicatos eſſe.

17 Nemo beneficiorum bona in emphyteuſim concedat, vel ad longum tempus locet, ni evidens eccleſiæ utilitas epiſcopi judicio aliud poſtularit. Quæ hoc modo facta fuerit, locatio nulla ſit: quique ſecus fecerit, ab ordinario puniatur.

18 Quæ hac ratione locationes fieri conſueverunt, ut prædia conductori meliora reddere liceat, dum quod impenſæ factum eſt, ſub locationis finem præſtetur, ea prorſus nullæ ſint: nec prædia deinceps, niſi cum locantis conſenſu meliora reddere liceat; idque ad certam tantum ſummam; eamque quæ facile ſub locationis finem ab eodem rependi queat.

19 Quæ bonorum eccleſiaſticorum cautiones fient, publice fiant: gravatis ære alieno eccleſiæ bona non locentur: nec prius conductoribus locationis inſtrumenta tradantur, quam locupletes idoneoſque fidejuſſores ipſi dederint.

20 Ubi aliquis eccleſiaſticus defunctus fuerit, hæredes epiſcopus compellat, ut quæ ad defuncti beneficia ſcripta, authoritates, inſtrumenta pertinent, ea omnia gratis, & ſine ulla pactione ei qui in beneficium ſucceſſerit, tradant.

21 Quæ de legatis piis ſuo poſtea loco dicentur, ea omnia notarii, qua debent, religione ſinceritateque ſervent.

*De decimis & oblationibus.*

## CAPUT IV.

1 QUOD divino jure cautum eſt, ſacriſque utriuſque teſtamenti libris confirmatum, ex Tridentini concilii decreto, communiſque juris diſpoſitione, laici clericive omnes, cujuſcumque gradus conditioniſque fuerint, ad quas decimarum ſolutio ſpectat, illi eccleſiæ, in cujus parochia ſita ſunt prædia; de bonorum patrimonialium fructibus prædiales decimas, parochiali vero ſeu baptiſmali in qua divina audiunt, & eccleſiaſtica ſacramenta percipiunt, perſonales ſine fraude perſolvant.

2 Qui decimas aut ſubtrahunt, aut quo minus perſolvantur impediunt, ab ordinariis excommunicentur, nec prius, quam omni parte ſatisfecerint, abſolvantur.

3 Quæ prædia decimarum ſolutionem injuſte intermiſerint, ea locorum ipſorum, in quibus ſita erunt, epiſcopi, juris omnibus remediis debitum pendere, qua dictum eſt ratione, compellant.

4 Non perſonarum, ſed Dei intuitu decimæ perſolvuntur; parochi igitur, & prædicatores inter miſſarum ſolennia, & in iis, quæ primo quoque adventus, & quadrageſimæ die dominico habebuntur concionibus, eorum qui decimas aut negant, aut impediunt facinus, ſacrilegiumque proponant, & Tridentini concilii decretum; cujus jam antea mentionem fecimus, frequenti populo legant, vulgarique lingua interpretentur.

5 Sed & eas, quæ altarium, miſſarumque venerationi dicantur oblationes, populo frequenter, dominicis tamen diebus potiſſimum, faciendas commendent; ultro, ſponteque redditarum merita utilitateſque; denegatarum, aut ab invitis expreſſarum, damna, pœnaſque, quam accurata poterunt ſedulitate frequentiſſime commemorent.

*De ſimonia & confidentia.*

## CAPUT V.

1 QUIBUS jus conferendi, eligendi, præſentandi, nominandi, aut quavis alia ratione providendi fuerit, ii omnes vel eorum, quicunque tandem fuerint miniſtri, familiareſve nihil prorſus in beneficii, graduſve conferendi gratiam, nec ſponte quidem oblatum accipiant. Poſſit tamen notarius, aut cancellarius epiſcopi in ſingulas collationes accipere mercedem ſuo labori congruam, quæ ſigillo, cera, & ceteris computatis, aureum unum non excedat; dum tamen nullum ei pro officio exercendo ſalarium conſtitutum ſit, nihilque inde emolumenti collatores directe, vel indirecte percipiant.

2 Nullum ita conferatur, recipiaturve beneficium, ut ad ejus qui dederit, aut alterius cujuſvis nutum poſtea reddi debeat.

3 Qui aut epiſcopi, aut inferiores beneficia conferent, ii ne tantillam quidem fructuum, quavis pietatis ſpecie, partem, contra ſacrorum canonum inſtituta recipiant.

4 Qui his conditionibus beneficium acceperit, iis nullum ſe in eo jus, ex ſacrorum canonum inſtitutione, adeptum eſſe, fructuſque ſuos non facere, quos perceperit tuta conſcientia retinere non poſſe, norit. Eorum demum reſtitutioni quocunque juris remedio compellatur.

5 Qui pravitatis ſimoniacæ reus in conſequendis ordinibus manifeſto fuerit, pœnis a jure, & bullis ſummorum pontificum ſtatutis puniatur.

6 Qui dignitatem eccleſiaſticam ſacrilega illa nundinatione adeptus fuerit, hac ipſa dignitate jure ipſo privetur, & ad eam, aut alias quaſcunque deinceps obtinendas inhabilis judicetur. Qui beneficium, aut officium eccleſiaſticum; eo privatus, fructus juris actione reſtituat: nec unquam aut illud, aut quæcunque alia retinere poſſit.

7 Qui iteratæ ſæpius ſimoniæ crimine evictus fuerit, is & dictis antea pœnis ſubjaceat, & corpore ſupplicium ferat, & degradatus ex Pii V. conſtitutionibus fidelium conſortio ejiciatur.

8 Qui ordines, ac beneficia ſimoniaca licitatione contulerint, cujuſcunque tandem gradus & conditionis, imo & epiſcopi, archiepiſcopi, majoreſve etiam fuerint, eadem Pii V. conſtitutione pœnis a jure ſtatutis ſevere puniatur.

9 Qui pejeraverint, juxta ſacros canones a locorum ordinariis ſevere puniantur.

10 Quicunque aut beneficia poſſident, aut eorum adminiſtrationi pacta penſione præfecti ſunt confidentarii, iis omnibus privati & ad alia beneficia obtinenda inhabiles, in alias pœnas incidiſſe declarentur, quæ ſummorum pon-

pontificum conſtitutionibus hac de re editis continentur, fructuſque indebite perceptos reſtituant.

11. Quos ſimoniacæ confidentiæ crimine teneri, aut conſtanti, celebrique hominum ſama, aut legitimis conjecturis ſuſpicio fuerit, eos epiſcopi per vicarios, officialeſve deprehendere ſtudeant: præſumptiones, conjecturaſve, ſingularibus teſtibus admiſſis probent, compertumque horrendum adeo facinus digna animadverſione puniant.

12. Quæcumque de ſimoniaca confidentia ſanctiſs. D. N. Sixtus V. bulla in hujus concilii calcem reponenda ſanxit, ea omnia diligentiſſime ſerventur.

*De proviſionibus & renuntiatione beneficiorum.*

## CAPUT VI.

1. QUI plures in præſenti parochiales eccleſias, aut cathedralem alteram, alteram parochialem obtinent, alteram ſolum ſive parochiali, ſive cathedrali retenta, alias non obſtantibus omnibus, aut diſpenſationibus aut ad vitam unionibus, ante concilium Tridentinum obtentis, intra ſex menſium ſpacium omnino dimittant. Qui ſecus fecerint, ea omnia, quæcumque poſſident beneficia, ex ipſa Tridentini concilii conſtitutione vacare ipſo jure intelligant.

2. Elapſis ſex menſibus, & ſequuta declaratoria idoneos parochialibus illis eccleſiis, tanquam ipſo jure vacantibus, vicarios, donec legitime conferantur, epiſcopus apponat; congruam illis portionem fructuum aſſignet; qui fructus vacante eccleſia reliqui fuerint, illi vel ejus fabricæ, vel ornamentis epiſcopi judicio aſſignentur.

3. Ne ſine authoritate, titulove in occultam beneficiorum poſſeſſionem graſſari cuiquam importune liceat, quicumque parochialia, aliave beneficia poſſident, proviſiones, diſpenſationeſque epiſcopis ſuis intra ſemeſtre exhibeant. Qui ſecus faxint, cenſuris eccleſiaſticis, fructuum retentione, imo & beneficiorum privatione puniantur.

4. Qui beneficium eccleſiaſticum deinceps obtinuerint, in manibus aut epiſcopi aut ejus vicarii, in hæc ſacramenti verba juret, Ego N. per hæc, quæ meis manibus tango, ſacroſancta Dei evangelia juro, neque me, nec quemquam alium meo nomine quidquam beneficii hujus obtinendi cauſa, ſciente me cuiquam aut promiſiſſe, aut dediſſe, nec in hoc beneficio tacitam me alteri fidem contra ſacros canones accommodare. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia. Hoc idem jusjurandum epiſcopus in ſua receptione præſtet.

5. Qui præſtito juramento certam aliquam, quæ ſatis probari non poſſit, mali ſuſpicionem reliquerint, ii ad eam purgationem canonicam, quam Innocentius tertius pont. max. injunxit, teneantur.

6. Qui præſentato, collationemque beneficii poſtulanti beneficium epiſcopus aut quiſquam alius conferre recuſarit, is recuſationis cauſas ſcripto exhibeat, & niſi illis inſpectis, judicatiſque ſuperior beneficium conferre nequeat: ſi ſecus faxit, collatio irrita, nullaque habeatur.

7. Quicumque hac in provincia beneficia obtinent, titulorum bonorumque immobilium ſuarum eccleſiarum inventarium conficiant; libroque ad eos uſus accommodato, qua fieri poterit, probatiori rationi deſcribant.

8. Quæ de bonis, redditibus, juribus, unionibus, aliiſque omnibus, eccleſiarum privilegiis tabulæ conficientur, eæ clave in arca reconditæ loco tuto aſſervandæ reponantur: nec unquam, ni cauſa omnino neceſſaria peritorum judicio aliter viſum fuerit, alio transferantur: ſed tantum collata exempla, quoties opus fuerit, deſumantur.

9. Quibus in capellaniis, cæteriſque beneficiis eccleſiaſticis quocumque nomine nuncupatis, & vero in ipſis etiam vel cathedralis vel collegiatæ eccleſiæ portionibus, & inſtituto, conſuetudine, aut alio quovis jure ac nomine, curæ animarum munus incumbit, aut conjunctum eſt; in earum aut collatione, aut quavis alia proviſionis ratione, quas examinis, approbationis, collationis, proviſioniſve in eccleſiis parochialibus cautiones ſacra Tridentina ſynodus adhiberi juſſit, eæ omnes teneantur, omninoque ſerventur.

10. Quos ad beneficia promovendos patroni præſentarint, eos promiſcue epiſcopi non admittant, ſed eos ſolos inſtituant, quos diligenti adhibito examine, doctrina, cantu, aliiſque rebus ad beneficii recte, riteque obeunda munia neceſſariis inſtructos, præditoſque judicarint, ætateque idoneos probanda teſtificatione, cognoverint.

11. Quæ curatarum eccleſiarum coram ordinario in caſibus a jure permiſſis permutationes fient, ubi aut parochialium hominum numerus inæqualis admodum fuerit, aut eas præſcripto antea examine permutantes non fuerint adepti, in iis examen, ſed abſque concurſu, proponatur.

*De reſidentia.*

## CAPUT VII.

1. QUÆ de epiſcopis a ſacra Tridentina ſynodo ſuper hac re, decreta conſtitutaque ſunt, ea omnia, qua fieri poterit diligentia, religioſiſſime obſerventur.

2. Qui acuratis beneficiis contra Tridentini concilii præceptum deinceps adfuerint, eoſque quos pro temporis abſentia ſuos non fecerint, iis, quibus ex eodem concilio debentur, fructus non ſolverint, ii ornandis reficiendiſque eorum eccleſiis, aut loci pauperibus attribuantur. Hanc attributionem epiſcopi, quorum conſcientiæ hoc munus incumbit, implorato etiam, ſi opus fuerit, principum & magiſtratuum auxilio, ad ſex menſes nulla cunctatione exequantur.

3. Qui beneficiis poſt abſentiam ceſſerint, fructus, quos ſuos illius tempore non fecerint, aut ex penſionum fructibus, ſi quas ſibi reſervarint, aut ex eorum, quæcumque illa fuerint, bonis, epiſcopi diligentia eccleſiæ ſatisfaciant. Qui hac in parte negligentes epiſcopi fuerint, prima provinciali ſynodo prætermiſſi hujus officii rationem ſe reddituros eſſe norint.

4. Ad infringendam pervicacem multorum contumaciam epiſcopi eos omnes, quos in eorum civitatibus, diœceſibuſque curatum beneficium in titulum, commendamve habere contigerit, in ipſis beneficiis intra tempus ab iiſdem præfiniendum reſidere jubeant. Qui non paruerint, pœnis a Tridentino concilio, & Pii IV. conſtitutione in non reſidentes ſtatutis teneantur.

5. Qui parochialem eccleſiam unionis etiam jure, non perpetuo quidem, ſed tantum, dum ipſe vivit, canonicatui, & præbendæ, qua fruitur, conjunctam canonicus obtinet, is feſtis præſertim ſolennibus nulli parochiali muneri deſit.

6. Qui parochi, animarumve curatores in cathedrali, collegiatave eccleſia dignitatem, canonicatum, aliudve, aut beneficium aut officium, perſonalem in choro reſidentiam præ ſe ferens canonice obtinent, eos commiſſæ eccleſiæ ſtatione relicta in cathedralis, collegiatæve choro præſentem adeſſe, quotidianaſque diſtributiones participare, præſertim feſtis ſolennibus, epiſcopi non patiantur; ſed potius parochi eccleſiæ ſuſcepti officii curam, muneraque præſtare cogant. Quod ſi præſtito parochiali debito ſervitio, temporis aliquid ſuperfuerit, tunc canonicatus ſervitio vacare, & diſtributiones quotidianas jure lucrari poterunt.

7. Qui eccleſiaſtica beneficia obtinent, in quibus, etſi curata non ſint, jure aut etiam inſtituto reſidere neceſſarium fuerit, eos ſi non reſideant, epiſcopi a jure ſtatutis pœnis puniant, fructuſque, quibus mulctandi veniunt, piis locis attribuant.

8. Qui impetrata diſcedendi facultate ab eccleſia diutius abfuerit, menſis ſaltem ſpatio poſtquam redierit, epiſcopum de ſuo reditu faciat certiorem. Qui neglexerit, pro abſente habeatur. In collegiatis, cathedralibuſque eccleſiis, terno quoque menſe tres ex capitulo primi canonicorum, eorum qui aut eccleſiis præpoſiti, aut beneficia in iis poſſidentes non reſident, nomina ad epiſcopum deſcripta deferant.

9. Quæ ſtudiorum cauſa abſentiæ facultates deinceps canonicis ab ordinariis locorum concedentur, in iis hæc neceſſario ponantur: ut vere in publico, celebrique gymnaſio, theologiæ, vel ſacræ canonum lectioni, aut ſaltem aliis, quæ jure clericis permittuntur, ſcientiis ſerio ſtudeant.

10. Ut minores vigintiquinque annis, aut ſint, aut fuerint, cum primum in eo gymnaſio, quæ nunc abſolvere cupiunt ſtudia aggredi cœperunt.

11. Ut ſingulis annis ſuum in literis, eoque ſtudiorum genere progreſſum, ſcripta doctoris teſtificatione, epiſcopo ſignificent. Quod idem epiſcopus aliunde ſecreto cognoſcere curabit.

12. Qui intra ſuæ parochiæ fines perſonalem reſidentiam poſtulantia beneficia poſſidentes non reſident, eos parochiis parochos ipſos, ſi idem in regione ſibi tradita commiſerint, foranei vicarii ad epiſcopum deferant.

13. Pleroſque videas, qui litium, & devolutorum, quæ ipſi etiam ſuſcitarunt, imaginaria ſpecie pacificam beneficiorum poſſeſſionem obumbrare, reſidentiamque eo nomine devitare contendunt: verum qui beneficio, aut ejus fructibus gaudet, is aut reſideat, aut fructus non percipiat, aliiſque decreti pœnis ſubjaceat.

*De viſitatione.*

## CAPUT VIII.

1. PRÆCIPUUM hoc epiſcopalis officii munus eſt, vultum pecoris ſui agnoſcere, & ſuper greges ſuos conſiderare. Quotannis itaque ſingulas, & ſibi ſubditas, & alias etiam exemptas, quarum viſitatio facultate ſibi a ſacris canonibus conceſſa eorum curæ incumbit, eccleſias epiſcopi viſitent. Quæ anno perfici non poterit, in ſequentem viſitatio prorogetur.

2. Hoc vero ſibi continuo ob oculos proponent, ad eorum qui viſitandi ſunt, ſalutem inſtitutam eſſe viſitationem; illis ideo propoſitum maxime eſſe debet, ut incorruptam in eis, orthodoxamque doctrinam, & vero morum laudandam diſciplinam tueantur, ac reſtituant.

3. Qui juſta occaſione impediti, id muneris per ſe præſtare epiſcopi nequeunt; vicarios, viſitatoreſque integros, idoneoſque deligant, qui brevi tempore viſitationem ſedulo abſolvant; præterquam ſi capitula eſſent exempta, quæ epiſcopi ex decreto Tridentini concilii per ſe viſitare tenerentur.

4. Qui per ſe viſitationis munus obierint, alterum ex canonicis, aliiſve, quos ſibi adjumento fore providerint, eccleſiaſticis hominibus in ea viſitandi cura adhibeant, hoc maxime providentes, ne dum ſacerdotibus idoneis poterunt, inferioribus clericis utantur.

5. Epiſcopi in viſitatione ſint modeſto equitatu, famulatuque contenti. Qui plures quam qui pro dignitate epiſcopi ſufficiunt equos hominefve ſecum duxerint, eos illi ſumptibus propriis alant. Duo tantum menſæ fercula etiam jubeant apponi. Inferiorum viſitatorum comitatum pro temporum, locorum, perſonarumque ratione definiant.

6. Qui præſcriptum modum exceſſerint, dupli condemnentur, inferiores etiam, epiſcopi arbitrio; hic concilii provincialis judicio, pœnas alias ſubeat. Hoc vero in primis epiſcopi curent, ut & diligentiſſime, & quam celerrime viſitationem conficiant.

7. Is ordo viſitationis eſto. Civitas primo, tum diœceſis, ni aliter epiſcopus ſenſerit; In civitate cathedralis primum, hinc collegiatæ ſingulæ, mox omnes parochiales, vocatis una cum parocho reliquis omnibus qui in eis commorantur, ſacerdotibus, cleriſiſque viſitentur. Scholæ demum, ſeminaria, ſodalitates, hoſpitalia, piaque alia loca ſolerti adhibita inquiſitione perluſtrentur.

8. In vitam potiſſimum, moreſque eccleſiaſticorum viſitantes diligentiſſime inquirant, eoſque, ſi emendandi fuerint, corrigant.

9. In dignitatibus, canonicis, aliiſque eccleſiæ miniſtris, hæc omnia diligenter animadvertant: an recte ordinati, iiſque, quos officii munus poſtulat, ordinibus initiati fuerint.

10. An quas ipſi eccleſias, quæ beneficia, officiave eccleſiaſtica obtinent, legitima, aut graſſatoria poſſeſſione detineant.

11. An reſideant, ſacramentorumque adminiſtrationem, divinorum officiorum celebrationem, juſtam anniverſariorum perſolutionem, omniumque aliorum munerum, onerumque functiones, qua decet vigilantia procurent.

12. Quæ vita eorum ſit, quæ morum ratio, qui victus, quæ converſatio, qui quotidianus uſus, quæ qualiſque familia.

13. Nec ſolum hæc, ſed & quæcumque Tridentina ſynodus præcepit, quæque ad populorum ſalutem, utilitatemque pro eorum prudentia, pietateque profutura cognoſcent, exquirant, & exequantur.

14. Quæ tollenda, corrigendave fuerint, tollant, corrigant; delinquentes cenſuris, juriſque

alis

aliis remediis puniant: ſingulos demum pro virili hortentur, ut officii rationem habentes, fungendi ejus omnes numeros, qua maxima fieri poterit, alacritate impleant.

15. Quos beneficia injuſte poſſidere locorum ordinarii viſitantes cognoverint, eos poſſeſſione expellant: eoque nomine beneficiorum omnes titulos ſibi jubeant exhiberi, quos diligenter examinent.

16. Quæ pro populorum emendatione, diœceſeoſque commodis neceſſaria fore epiſcopi pro ſua prudentia cognoverint, ea ipſi omnia in viſitatione, morumque correctione, etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegati, Tridentini concilii auctoritate ſtatuant, moderentur, exequantur: delinquentes ad ſacrorum canonum præſcriptum puniant.

17. Decretorum autem viſitationem, & morum correctionem reſpicientium executionem nulla appellatio impediat, aut ſuſpendat.

18. Qui tanto Chriſtiani nominis dedecore, tantoque rerum omnium diſpendio in omnes omnis generis homines, feminaſque immoderate irrepſit veſtium inanis, ſupervacaneuſque ſumptus, eum omni epiſcopalis muneris officio, auctoritateque tollere, funditusque evellere ſtudeant.

19. Secretarius nihil ab iis, qui viſitantur, quovis nomine exigat; nullum vel ſponte etiam oblatum tantilli muneris genus accipiat; nihil pro decretorum conſtitutionemque in viſitatione confectarum, vel actione, aut conſcriptione, earumve exemplo, juſſu etiam viſitantis, eccleſiis, clericis, aliiſque, qui viſitantur dato, poſtulet. Si quis exemplum earum alio tempore requirat, tum pro taxæ in foro epiſcopali præfixæ, aut præfigendæ ratione, aliquid in operis laboriſque mercedem capiat.

20. Qui jus viſitandi habent archidiaconi, aliique inferiores, ii viſitationis ſuæ acta per notarium idoneum de conſenſu epiſcopi aſſumendum excipiant, & ad epiſcopum intra menſem deferant.

*De jure Patronatus.*

## CAPUT IX.

1. EA eſt ſæpenumero importuna patronorum prenſatio, eorumdem in rebus aliis licentia, ut patronatis eccleſiis libera beneficia non raro uniantur, aut unita & dicantur, & reperiantur. Hoc cum eccleſiæ non mediocri damno fiat, quæ nondum plenarium ſortitæ ſunt effectum, quæve deinceps ad cujuſvis inſtantiam uniones fient, eas omnes ex Tridentini concilii decretis locorum ordinarii infringant, irritaſque declarent; quæ unita beneficia fuerint, ea ubi vacaverint, libere, ut antea, conferant.

2. Quæ a quadraginta annis plenarie, & cum effectu factæ erunt, eas ipſi tanquam ſedis apoſtolicæ delegati, etiam recognoſcant, & diligenter examinent: quaſque aut per ſubreptionem, aut per obreptionem obtentas cognoverint, eas antiquent, irritaſque judicent.

3. Qui in eccleſiis, beneficiiſque aliis, imo & dignitatibus antea liberis ex dotis acceſſione, nova conſtructione, aliave hujuſmodi cauſa, a quadraginta annis acquiſiſſe, aut in poſterum acquirendi patronatus fuerint, eos eadem auctoritate inſpiciant, quoſve non in certum eccleſiæ, beneficii, dignitatiſve commodum evidenti neceſſitate, legitimeque conſtitutos cognoverint, eos in totum revocent.

4. Qui, quod dolenter ſane referimus, magno piorum ſcandalo patronatarum eccleſiarum bona in hac noſtra provincia, patroni paſſim occupant, uſurpant, venditionis titulo, aliave ratione contra canonicas ſanctiones transferunt, juſtoſque poſſeſſores, quo minus ea percipiant, impediunt, in eos ſuffraganei ex Tridentini concilii decretis agant, eos patronatus jure privatos declarent, excommunicationi ſubjiciant, donec integre reſtituerint, & a Romano pontifice abſolutionem impetrarint.

5. Quæ poſt fundationem eccleſiæ, non impetrata ſedis apoſtolicæ licentia, penſiones, que onera ab iis impoſita fuerint, ea omnia penitus, uti inania, & nulla tollant.

6. Quem patronorum, aut temeritas aut non ferenda cupiditas, præſentatos ad beneficia, capellas, & altaria, clericos, & ab epiſcopo admiſſos, abſque ejuſdem epiſcopi conſenſu removendi abuſum invexit, eum epiſcopi ſacrorum canonum, conciliorumque decretis reprimant, omnique diligentia reprimendum curent.

*De ſacra inquiſitione.*

## CAPUT X.

1. NE dormientibus hominibus inimicus homo ſuperſeminet zizania, hæreſes penitus extirpandæ, fideſque catholica, quibus fieri poterit, firmiſſimis fundamentis venit confirmanda. Sacrum igitur inquiſitionis officium, ubi nullum fuerit, introducatur; ubi introductum, diligenter & conſervetur & reformetur.

2. Inquiſitionis congregationem epiſcopus ſingulis menſibus convocet, ad quam de iis, qui hæreticæ pravitatis ſuſpicione laborant, deque extirpandarum hæreſum ratione referat. Qui congregationi intererunt, audita, decretave, fideli, diligentique ſilentio religioſiſſime ſervent.

3. Qui ſacrum inquiſitionis officium, perſonas, res, acta, conſilio, aut alia quavis ratione læſerit, violaritve, is ex Pii V. decreto pœnis ab eodem ſancitis puniatur.

4. Qui hæreſeos rei fuerint, quique hæreticorum libros legerint, retinuerint, vendiderint, quique de fide temere aut loquuti, aut concionati fuerint, quique alio nomine de religione ſuſpecti fuerint, ut quod carnes comederint, aliudve ſimile fecerint, ii omnes ad inquiſitorem deferantur: Id ut populus diligentiſſime faciat, crebris hortationibus incitetur.

5. Qui libri prohibiti in publicis officinis fuerint, inquiſitorum etiam erit viſitare.

*De libris prohibitis.*

## CAPUT XI.

1. QUÆ de librorum lectione, improbatione, ſacra Tridentina præcepit ſynodus, ea diligentiſſime ſerventur.

2. Quæ prohibitorum librorum regulæ ex Tridentini concilii decreto in libro indicis ſancitæ, editæque ſunt, eas in ſuis diœceſibus promulgari, venaleſque in bibliopolarum, typographorumque officinis haberi epiſcopi jubeant, publicatamque in eos, qui libros prohibitos, aut legunt, aut retinent, excommunicationem aliquoties in anno proponi publice curent.





3. Qui libri deinceps excudentur, epiſcopi, & inquiſitoris fidei diligentia, & auctoritate & examinentur, & approbentur. Approbatio libri initio apponatur. Qui libros abſque approbatione typographus ediderit, canonicis pœnis coerceatur.

4. Qui audiendis confeſſionibus præpoſiti ſunt, quo ſuis pœnitentibus facilius ſatisfaciant, librorum prohibitorum indicem habeant, quem iterata ſæpius lectione, notum ſibi, familiaremque reddant.

5. Nemini libros, aut invehere, aut venales proponere, niſi prius diligenter ab epiſcopo, & inquiſitore inſpecto, examinato, & utriuſque chirographo obſignato eorum catalogo, impune liceat.

6. Quod Pius V. habere vetuit beatæ virginis editum idiomate vernaculo officium, illud non permittatur. Quique ſuperſtitioſis orationibus pleni precarii libri ſunt, ii omnino prohibeantur.

*De hæreticis, magis, ſortilegis, aſtrologis.*

## CAPUT XII.

1. QUOS hæreticæ pravitatis crimine damnatos noverint, cum iis matrimonia fideles non contrahant; eorum colloquia, familiaritatem, commercia, & præcipue conciones fugiant, de hiſque populus ſæpiſſime moneatur.

2. Qui ſortilegi fuerint, tam clerici, quam laici, juxta ſacros canones ſevere puniantur, eccleſiaſticis denuntientur. Moneatur vero frequenter populus, ne hujuſmodi ullis artibus utatur, nullum ab his remedium requirat, fallaceſve hariolorum divinationes conſulat.

3. Qui rerum futurarum a Deo, liberaque hominis voluntate magna ex parte pendentium prædictiones libri continent, iique, quos almanachos Arabico vocabulo vocant, omnino prohibeantur; ni forte prænuntiationes ejuſmodi expungantur, eaque ſolum relinquantur, quæ pluviarum, ventorum, ſterilitatis, fertilitatis, eclipſeon, rerumque ſimilium prognoſtica attingunt; quodque conſtitutione ſanctæ memoriæ Sixti V. ea de re promulgata cavetur, id ad amuſſim obſervetur.

4. Qui quocumque pietatis prætextu, & nomine fiunt exorciſmi, ni ab eccleſia probati fuerint, omnino prohibeantur.

5. Quæ ignorantia, ſimplicitateque hominum ſuperſtitioſe depellendorum morborum, aliarumque rerum inanes obſervationes temere irrepſerunt, eas omnes frequenti adhortatione, adductiſque rationibus confeſſarii, & concionatores a populorum animis evellere, & ab iis declinari curabunt.

6. Quæ vana nonnullorum mentes invaſit ſuperſtitio, carnibus ad vitandam febrim die paſchali abſtinendum eſſe, quæque ad temere conceptam imaginariæ pleuritidis opinionem a noſtris hominibus adhibetur, per eccleſiam circumcurſatio; eaque omnia, quæ anili ſuperſtitione hominum mentes detinere conſueverunt, ab unoquoque epiſcopo in ſua diœceſi diligenti inquiſitione cognita tollantur, & arceantur.

*De blaſphemia.*

## CAPUT XIII.

1. QUI in Deum, beatam virginem, ſanctoſve palam blaſphemarint, ex concilii Lateranenſis decretis, bullaque Pii V. ſevere puniantur. Hoc populum parochi, hoc confeſſarii, hoc concionatores ſæpiſſime docebunt.

2. Atque ut prava illa jurandi, blaſphemandique conſuetudo facilius aut tollatur, aut minuatur, ex iis, qui divini cultus ſtudioſiſſimi, religioniſque amantiſſimi fuerint hominibus, conflatæ nominis Dei ſodalitates inſtituantur. Hiſque regulæ illæ præſcribantur, & eæ indulgentiæ tribuantur, quæ Pii IV. & V. ſumm. pontif. bullis continentur.

3. Qui ſacræ ſcripturæ verba, ſententiaſque in jocum, nugas, reſque ejuſmodi alias impio abuſu converterint, juris, arbitriique pœnis puniantur.

*De uſuris.*

## CAPUT XIV.

1. QUOD ſacris utriuſque teſtamenti paginis, conciliorum generalium ſanctionibus, ſanctorum patrum ſententiis, ſummorumque pontificum conſtitutionibus cautum eſt, fœneratores, damnoſum hominum genus, fœneratitioſque contractus, ſive proprio, ſive alieno nomine conſtitutos omnibus juris remediis, canonumque decretis puniendos epiſcopi ſumma diligentia curent.

2. Qui ad contractus hujuſmodi illicitos quibuſcumque artibus proxenetæ, mediatoreſve, fideles aut impellunt aut pertrahunt, canonicis pœnis afficiantur. Hoc ut pro ſua authoritate, ſi opus fuerit, exequendum curent, peſtique huic, qua poterunt, ratione occurrant, ſæculares magiſtratus ſynodus, quanta maxima poteſt caritate, adhortatur.

3. Notarii qui illicitos uſurarioſve contractus confecerint, pœnis a jure ſtatutis ſevere plectantur.

*De teſtamentis & legatis piis.*

## CAPUT XV.

1. LICET ſupremæ defunctorum voluntati jura maxime faveant, ea tamen ſæpius eſt vel heredum, teſtamentive curatorum avaritia, vel notariorum incuria, impietateve, ut quæ in pios uſus eroganda teſtamento fideles reliquerint, una fere cum ipſorum cadavere ſepulta videantur. Hoc epiſcopi, ne accidat, diligenter providebunt, & pias teſtantium voluntates ſedulo exequentur.

2. Quoque eccleſiis ſua jura facilius reſtituantur, intra ſex a concilii hujus publicatione menſes, pia legata omnia notarii ſub excommunicationis pœna epiſcopo ſignificent; poſtea vero intra tres a morte teſtatoris menſes illud idem obſervent.

3. Qui teſtamenta notarii excipient, diem, annum, teſtatoris, legatariorum, teſtiumque nomina teſtamento ſubſcribant.

4. Qui libro in curia epiſcopali diligenter aſſervando teſtamenta hæc, vel legata deſcribat,

ANNO CHRISTI 1590.

bat, notarius ab epiſcopo conſtituatur, cui in ſcripturæ mercedem certam pecuniæ ſummam ab eo, cui legatum relictum eſt, perſolvendam juſta æſtimatione idem epiſcopus præſcribat.

*De exemptis & privilegiatis.*

## CAPUT XVI.

1. EPISCOPORUM juriſdictioni non mediocre impedimentum exemptis profuſioris vitæ occaſionem, Chriſtianis non vulgare ſcandalum afferre, laxius quam par ſit acceptæ exemptiones, conſueverunt. Hunc igitur in exemptionum cognitione epiſcopi modum adhibeant, & ut illas ad unguem obſervent, & ultra quam loquuntur, minime extendant.

2. Quæ a metropolitano, ſuffraganeis, aut eorum vicariis, & officialibus cenſuræ, quæ interdicta probabuntur, ea regulares, etiam exempti, in eorum eccleſiis, ita ſtatuente Tridentino concilio publice proponant, & ſervent.

3. Qui dies feſti in metropolitana, ſuffraganeorumve diœceſi ſervandi indicentur, eos, quicumque tandem exempti fuerint, qua juſſum eſt veneratione celebrent; quemadmodum Tridentini concilii decreto cavetur.

4. Qui ad publicas proceſſiones exempti clerici, monachive vocabuntur, ad eas accedant: qui recuſarint, ni ii fuerint, qui ſtrictiori ſepto concluſi perpetuo vivunt, omnibus juris remediis ad id præſtandum Tridentini concilii authoritate compellantur.

5. Qui exemptus prælatus, etiam epiſcopus, in aliena diœceſi eccleſiam quacumque ratione exemptam, imo & ſpiritualem juriſdictionem ſæculari poſſeſſione, memoriamque excedente tempore habentem obtinet, is aut ad ſacrum oleum conficiendum, aut ad chriſma miniſtrandum, aut ad eccleſiam conſecrandam, aut denique ad alia quævis obeunda pontificis munia alienum in eam epiſcopum non inducat: neque ipſe ea officia, munerave abſque diœceſani epiſcopi expreſſa licentia miniſtret, niſi aliter exemptionis privilegio caveretur.

6. Quicumque abbas exemptus, licet benedictus, & presbyter fuerit, is ex Tridentini concilii decretis nulli omnino, qui regularis ſibi ſubditus, profeſſuſque non ſit, aut primam tonſuram, aut minores quatuor ordines conferat, aut dimiſſorias literas concedat.

*Quæ generatim ad hæc decreta pertinent.*

## CAPUT XVII.

1. QUÆCUMQUE his conſtitutionibus ſancita ſunt, ea omnia in ſua quiſque diœceſi epiſcopus obſervet, & ab aliis, quorum intereſt, quibuſcumque juris remediis obſervanda curet.

2. Ac ne quis ad ea præſtanda ignorantiam cauſetur, hoc edicimus, ut quo die publice hæc decreta edita metropoleos noſtræ valvis affixa erunt, duobus ab eo menſibus omnes his decretis teneantur; qui non paruerint, mulctis ab iiſdem conſtitutis puniantur.

3. Quæ certo præſcripto dierum ſpatio præſtandum aliquid decreta ſanciunt, ab eo affixionis, promulgationiſque die eorum tempus inchoari ſtatuimus.

4. Quæ provinciali hoc noſtro concilio mandata continentur, ea omnia provincialium epiſcoporum unuſquiſque in proxima diœceſana ſynodo legi, recitari, & vero, ſi ita viſum fuerit, eccleſiæ ſuæ cathedralis valvis proponi jubeat, quo ab omnibus facilius intelligi, & cognoſci poſſint.

5. Cathedrales, collegiatæ, parochiales omnes eccleſiæ, monaſteria, & conventus utriuſque ſexus religioſorum, & monachorum omnium, decreta hæc habeant, certoque loco tuto aſſervanda curent.

6. Si quæ in his decretis quacumque ratione difficultas, dubitatio, ambiguitas exorta fuerit, donec alia habeatur Toloſana provincialis ſynodus, eorum omnium interpretationem, & explicationem nobis reſervamus; ſalva tamen ſanctiſs. D. N. & ſanctæ Rom. eccleſiæ ſuprema authoritate; cui, quæ in hac provinciali ſynodo acta, & decreta ſunt omnia, interpretanda, mutanda, emendanda, qua decet, reverentia, obedientia, humilitate ſubjicimus.

7. Et quoniam publica hujus noſtræ provinciæ Toloſanæ & vero privata cujuſque eccleſiæ utilitas multa a ſummo Romano Pont. peti poſtulat, quæ noſtris, noſtrorumque comprovincialium epiſcoporum communibus literis ab eo petentur, ea omnia non ſecus, ac ſi in ſeſſione publice poſtulata eſſent, concilii hujus nomine, & auctoritate facta intelligantur.

*Indictio futuri concilii ſecundi provincialis.*

FRANCISCUS miſeratione divina tituli ſanctiſs. Trinitatis in monte Pincio, ſanctæ Romanæ eccl. presbyter cardinalis de Joyoſa, archiepiſcopus Toloſanus.

Omnibus, & ſingulis reverendiſſimis dominis epiſcopis, qui hic adſunt, & provinciali Toloſanæ ſynodo quacumque ratione intereſſe debent, omnibus item abbatibus, capitulis, & eccleſiarum cathedralium procuratoribus indicimus, ſignificamus, denuntiamus, & intimamus proximam ſequentem ſynodum provincialem Toloſanam ſecundam, Deo omnipotente auctore, & ad ejus laudem, hac eadem in urbe, hoc ipſo loco, anno 1593. die 29. Aprilis proxime ſequente, poſt paſcha reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti inchoandam & celebrandam eſſe.

Quamobrem omnes, & ſingulos reverendiſſimos dominos epiſcopos monemus, abbates vero capitula, & procuratores cathedralium invitamus, ut eo die ad ſecundam ſynodum provincialem, Deo juvante, Toloſæ celebrandam, interſint, niſi celebrationis diem aliqua ex cauſa a nobis prorogatum fuiſſe noſtris ad eos datis literis intellexerint.

Quod ſi ipſorum reverendiſs. epiſcoporum noſtrorum aliquis juſto tunc detentus erit impedimento, nuntium, procuratoremve ad ſe excuſandum, & illud impedimentum probandum ad nos mittat: cui etiam facultas ſcriptis ab eo detur, ea omnia, & ſingula nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ recipiendi quæ divina gratia auxiliante in ipſa ſynodo a nobis de conſilio, & aſſenſu aliorum reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum conſtituentur, decernenturve. Datum Toloſæ anno 1590. die 23. Maii.

Nos

ANNO CHRISTI 1590.

NOs Franciſcus tituli ſanctiſs. Trinitatis in monte Pincio, S. R. E. presbyter cardinalis de Joyoſa, archiepiſc. Toloſanus, de conſilio, & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum, definientes ſubſcripſimus.

Ego Alexander de Bardis, ſancti Papuli epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joannes du Bourg, epiſcopus Rivenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Horatius de Birague, epiſcop. Vaurenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Germanus Sacalei, præpoſitus eccleſiæ Lombarienſis, & reverendiſſim. D. Petri de Lancrau epiſcop. Lombarienſis in hoc ſpecialis procurator, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac ſancta ſynodo decreta, acta, edita, & publicata, ejus, & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Joannes du Laurier, canonicus eccleſiæ S. Saturnini Toloſanenſis, & reverendiſſ. D. Petri epiſcop. Apamiarum in hoc ſpecialis procurator, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, atque omnia & ſingula in hoc ſancto provinciali concilio decreta, acta, edita, & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Gregorius Topignon, canonicus eccleſiæ S. Saturnini Toloſanenſis, & reverendiſſimi Petri Donault epiſcopi Mirapicenſis in hoc ſpecialis procurator, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, atque omnia in hac ſancta ſynodo decreta, acta, edita & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Nicolaus Champagnier a capitulo eccleſiæ Montis Albani, ſede epiſcopali vacante, vicarius deputatus, interfui, & ſubſcripſi: atque omnia & ſingula in hac ſancta ſynodo decreta, acta, edita, & publicata, quantum in me atque in dominis deputantibus eſt, dictæ eccleſiæ nomine recipio.

## PUBEICATIO CONCILII.

*FRANCISCUS DE JOTOSA S. R. E. tituli ſanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio presbyter cardinalis, archiepiſcopus Toloſanus; provinciæ noſtræ fidelibus, ſalutem in domino.*

QUo tempore graviſſimum hoc archiepiſcopalis curæ onus, divino ita diſponente conſilio, humeris meis fuit impoſitum, in ipſo aditu non levi ſane multarum difficultatum cogitatione ſum perculſus. Verum quæ me, licet indignum, ad illud vocaverat divina clementia, eadem me ſemper & conſolata eſt, & ad colligendos animos confirmavit. Et profecto non poteram aut gratiori aut commodiori loco talentum mihi creditum exercere, aut uberiorem ex alia quacumque quam ex hac una provincia meſſem expectare, in qua omnes omnis generis homines in unum ſummi Dei cultum videbantur mutuo conſpiraſſe. Hic ſenatus ille mihi occurrebat integerrimus, eccleſiæ propugnator certiſſimus, hæreticorum vindex punitorque acerrimus, eoque nomine & divina benedictione & ſecundarum rerum felicitate curias omnes alias facile ſuperans, tamdiuque ſuperaturus quamdiu propriis rebus omnibus religionem, ut ſperamus, anteponet. Hic populus avitæ fidei obſervantiſſimus, & obedientia clariſſimus. Hic ex doctiſſimis piiſſimiſque viris referta academia, ex qua tot doctrina & integritate celebres viri ſperari poterant, qui in hac excolenda vinea promptiſſimi utileſque mihi cooperatores eſſe poſſent. Hic clerus ille denique, cum quo inſtaurandi mihi in hac provincia ſpiritualis ædificii, fundamenta locare foret facillimum. Et in eo canonici optimi, & optimi rectores, qui in hanc noſtræ ſollicitudinis partem libentiſſime venirent. Quibus in omnibus commovebar, ut nihil mihi prius videretur, quam eam videre regionem ad quam me & naturæ propenſio, & officii ratio advocabat: ad quam profecto nulla mora interpoſita convolaſſem, niſi eo in loco fuiſſem, in quo ille eſt, cui obſequi, Chriſtianorum omnium, præcipue vero epiſcoporum, & maxime cardinalium primum eſt debitum; niſique eo tempore fons ille malorum erupiſſet, ex quo tanta in univerſam Galliam clades derivata, in omnes ejus provincias poſtea promanavit. Huic obſiſtere cum mei muneris eſſe ducerem, omnes induſtriæ nervos contendere æquum videbatur, ut aliquod ſaltem tantis malis temperamentum invenirem. Sed vicit mali violentia, humanoque conſilio curari ſe negavit, & quam peccata noſtra concitaverant, ſolis precibus vitæque mutatione divina indignatio voluit placari. Sicque cum univerſæ Galliæ non poſſem, huic provinciæ ſubvenire conatus ſum; ad quam non prius acceſſi quam omnia tentaverim conciliandi nobis divini numinis remedia, ex quibus tandem hoc unum mihi viſum eſt & ad ſalutem utilius, & ad imminentes calamitates paratius, quam nobis Deus reliquit eccleſiam, eam tanquam matrem agnoſcere, ei conjungi, ei per omnia obſequi, ut omnes omnium, qui in ea ſunt, fidelium preces participantes, divinæ miſericordiæ gratiam facilius conſequeremur. Atque ita ſacroſanctis ejuſdem legibus moniti Tridentinum concilium recipimus, ab hujus executione decreti obedientiam teſtantes quo concilia provincialia celebrari jubet. Quorum en vobis primum (filii dilectiſſimi) quod vobis offerimus, ex quo & bene vivendi, & rite Deo inſerviendi rationem haurire poteritis. Hic neglectæ religioni, corruptis moribus, ſævientique in nos ob tot tantaque peccata divinæ iræ remedium invenietis. Hoc igitur accipite, excipite, legite, perlegite, & ſi quæ vos divinarum rerum cura tangit, ſequi, exequi curatote. Hoc ſanctiſſimi religioſiſſimique totius provinciæ epiſcopi nobiſcum una juſſerunt. Hoc celeberrimi prudentiſſimique ex veſtris theologiæ juriſque canonici doctores ſuaſerunt. Hoc denique graviſſima, ſanctiſſimaque apoſtolicæ ſedis auctoritas comprobavit. Vos vero, ſacri eccleſiæ miniſtri, per viſcera miſericordiæ domini noſtri Jeſu Chriſti hortor & obteſtor, ut ad has conſtitutiones amplectendas reliquos omnes exemplo veſtro invitetis, his pareatis, has ſervetis, has nocte, dieque meditemini. Hæ in veſtram potiſſimum & gratiam & honorem ſunt comparatæ. Quo enim ſeverius, continentius, ſanctius vitam inſtituetis, eo major religioni honos tribuetur, ſacrarum rerum procuratio purior, ſacrificia, officiaque majori cum reverentia fient, faciliuſque Deus placabitur, majori veneratione quam antea veſter ordo habebitur: impietas, favor in hæreticos, ſimonia, confidentia, religionis contemptus, frequentiora apud noſtros homines vitia, evaneſcent. Vos vero quibus religionis tuendæ cura data eſt, quod vobis demandatum eſt, munere quam fieri poteſt optime perfuncti, laboris & diligentiæ fructus uberes diuturnoſque percipietis: tandemque feliciter ſalutis viam ingreſſi, ad eam quam toto hoc opere ſolam nobis propoſuimus vitæ ſempiterni metam felicius, Deo dante, pervenietis.

ANNO CHRISTI 1590.

# V I T A
## URBANI PAPÆ VII.

Urbanus qualis?

URbanus ſeptimus, Joannes Baptiſta Caſtaneus ante pontificatum nominatus, Romæ patre Coſmo Genuenſi natus; in Hiſpania nuntii apoſtolici munere magna cum laude perfunctus, a Gregorio XIII. cardinalis ſancti Marcelli creatus, & ad Bononienſem legationem deſtinatus; Sixto tandem in pontificatu ſucceſſit XV. Septembris, anno domini 1590. tempore Rodulphi II. imperatoris. Natura fuit manſuetus, vitæ inculpatæ, & morum ſanctimonia clarus: complexione tamen melancholica, & ad morbum inclinante. Pontificatum ultra 11. dies non protraxit. Poſt ejus obitum ſedes apoſtolica duos menſes & novem dies vacavit.

Tempus ſedis.

# V I T A
## GREGORII PAPÆ XIV.

Gregorius qualis?

GRegorius XIV. Franciſcum Sfondratum ſenatorem Mediolanenſem patrem habuit, & Nicolai nomen in ſacro fonte conſecutus eſt. Optimarum diſciplinarum & juriſprudentiæ ſtudio Peruſii & Patavii non pœnitendam operam dedit. A Pio IV. epiſcopus Cremonenſis, & a Gregorio XIII. cardinalis creatus, ac tandem Urbano ad feliciorem vitam tranſlato, poſt duorum & amplius menſium interregnum 3. Decembris, anno 1590. tempore Rodulphi II. imperatoris ad pontificatus faſtigium pertigit. In grati animi & obſervantiæ in Gregorium XIII. ſignificationem, Gregorius voluit appellari. Ejus pontificatus ad 15. Octobris anni ſequentis, dumtaxat per menſes decem & dies totidem, fuit continuatus. Quo factum eſt, ut optima quæque conſilia, quæ animo conceperat, & quorum expectatione multos ſuſtentabat, exequi non valuerit. Morbus qui multorum malo vitæ filum illi abrupit, fuit febris continua, & reddendi lotii difficultas ex calculo nata. Quinque cardinales creavit, de quorum numero fuit Sfondratus. Sedes poſt ejus mortem dies 15. vacavit.

Quando pontifex factus?

Tempus ſedis.

ANNO CHRISTI 1591.

# V I T A
## INNOCENTI PAPÆ IX.

Innocentius IX. qualis, & quando pontifex.

INnocentius IX. cathedram ſancti Petri conſcendit die 29. Octobris, anno Chriſti nati 1591. tempore Rodulphi II. imperatoris. Ante pontificatum Joannes Antonius Facchinetus nomen illi fuit. Cardinalis ſanctorum quatuor coronatorum a Gregorio XIII. factus eſt. Summa integritate, variaque in omnibus pene facultatibus eruditione imbutus, rerum uſu & longa praxi edoctus, omnium animos in meliorem ſpem erexit. Verum gravis annis, curis, & laboribus fractus, poſtquam populum a pleriſque gravaminibus liberaſſet, duoſque ex fratre pronepotes in purpuratorum ordinem adſciviſſet, ad quietiorem vitam migravit 29. Decembris anno domini noſtri 1591. Poſt obitum ejus vacavit ſedes uno menſe.

ANNO CHRISTI 1592.

# V I T A
## CLEMENTIS PAPÆ VIII.

Clemens VIII. qualis, & quando pontifex creatus?

CLemens hujus nominis VIII. Hippolytus Aldobrandinus antea nominatus, ex cardinale ſancti Pancratii, & ſummo pœnitentiario, trigeſimo die poſt ingreſſum conclavis magno omnium cardinalium conſenſu & ſtudio renunciatus eſt pontifex tertio Kalendas Februarii anno redemptoris noſtri 1592. tempore Rodulphi II. imperatoris. Clementis nomen illi impoſitum eſt, quod vir magnæ apud omnes exiſtimationis, incredibili prudentia & dexteritate legationem nobiliſſimam & utiliſſimam in Polonia obiiſſet, aliaſque res eccleſiæ difficillimas & graviſſimas confeciſſet. Princeps erat [illegible] animi dotibus præditus, quæ in ſummo viro [illegible] univerſali paſtore deſiderari poſſunt. Initio pontificatus, (teſte Baronio, anno 369.) quotidianæ illi menſæ tredecim ex ipſis vetere inſtituto parari ſolitæ, adjecit alteram prope cœnaculum ſuum pauperibus peregrinis potiſſimum e remotioribus regionibus in urbem confluentibus in ſingulos dies parandam, ad quam e ſua precioſiora quæque & lautiore [illegible] ſibi retentis afferri juſſit. Henricum Navarrenum Galliæ regem ab excommunicationis anathemate abſolvit. Sigiſmundo Tranſilvaniæ principi invictiſſimo, qui murum ſeſe in oriente pro domo Iſrael fortiter oppoſuit, Moldavis quoque & Valachis excutiendi jugum Turcicum auctor fuit. Ceteros omnes Chriſtianos & reges primates ad concordiam inter ſe & arma in barba-

Clemens hoſpitalis.

Henricum regem [illegible] anathemati ſolvit.

rum



ANNO CHRISTI 1594.

rum diligenda non intermiſſis laboribus paterna ſolicitudine adhortari non deſtitit. Epiſcopos quos creaturus erat cum aliquot cardinalibus ad hoc delectis, adhibitiſque ſimul qui in urbe ſunt doctiſſimis theologis & canonici juris peritiſſimis, diligenti primum atque improviſo examine probavit, cujus peritiæ eſſent; adeo ut ſub ipſo non niſi bene diſerto ad epiſcopatum aditus patuerit. Alexandrinæ eccleſiæ legatos, catholicam & orthodoxam fidem ſuo, ſuique patriarchæ Gabrielis atque totius eccleſiæ nomine profitentes, atque Dioſcorum, alioſque hæreticos & ſchiſmaticos damnantes benefice excepit, & paterne fovit. Cum orthodoxo Tranſilvaniæ principe, exiguo militum numero, ſi eum cum numeroſiſſimis Turcarum copiis compares, copioſiſſimum Turcarum exercitum fudit, & profugavit. Ruthenos ad communionem eccleſiæ recepit. Titulum ſancti Cæſarii in palatio, nimia vetuſtate collapſum, penituſque inaceſſum atque deſertum, ideoque a Sixto V. e numero titulorum expunctum, cuſtos antiquitatum eccleſiaſticarum reſtituit & reſtauravit. Effuſas nimium conceſſiones indulgentiarum reſtrinxit. Invento, & religioſe adorato corpore ſanctæ Cæciliæ, miraculoſe ſanatus eſt a podagra, qua diu multumque graviter laboraverat. Qua ratione vero iſta contigerint, illuſtriſſimus cardinalis Baronius, qui præſens interfuit, & vidit, prolixe enarrat his verbis. At quid acciderit his diebus, exigit opportunitas ac dignitas argumenti, ut hic deſcribamus. Cum enim ejuſdem tituli ſanctæ Cæciliæ presbyter cardinalis Paulus Sfondratus, nepos ſanctæ memoriæ Gregorii XIV. Romani pontificis, poſt exornatam a ſe eamdem eccleſiam, adjiceret animum ad confeſſionem ipſius nobilius illuſtrandam, atque locupletandam, delectis ſanctorum reliquiis ſumma induſtria perquiſitis, & in urnis argenteis pluribus magni pretii collatis, ut eas ibi reconderet, ſed non caperet locus patens inter altare & confeſſionem, neceſſe habuit ſpatium dilatare. Quod dum fieret, vetus excavatum foramen detegitur pervium ad corpus ſanctæ Cæciliæ, per quod (ut alias ſuperius diximus) ſoleret fidelium pietas dimittere ſudariola, quæ tactu ſepulcri martyris haurirent gratiam ſanitatum. Sicque per ipſum inventum eſt pariter venerandum ſepulcrum illud, quo claudebatur ſacrum corpus inſignis virginis atque martyris Cęcilię, de qua inſcriptio foris poſita certam & exploratam in omnibus fidem faciebat.

Alexandrinos & Ruthenos ad communionem eccleſiæ recepit.

Miraculoſe liberatur a podagra.

De inventione corporis ſanctæ Cæciliæ.

Joan. 20.

Quid tum ille? exemplo Joannis, qui etſi cucurrit citius Petro & prius venit ad monumentum; abſtinuit tamen ab ingreſſu ſepulcri, deferens apoſtolico culmini perveſtigationem ipſius: munita mox capſa ſigillis, cucurrit feſtinus in Tuſculanum ad ſummum pontificem, ut de tanto invento theſauro ipſum præſens redderet certiorem. Laborabat ipſe ſanctiſſimus Clemens acrioribus podagrę doloribus, & licet nullum ad audientiam admitteret, ubi tamen ejus adventus cauſam cognovit, ſtatim pręſentem adeſſe voluit, & audire cuncta, quę facta eſſent. Quibus magna animi delectatione perceptis, ex eo tamen doluit & ingemuit, quod eo detineretur ex mala valetudine impedimento, & non valeret (quod maxime optaret) ad inviſendam ſalutandam tantam martyrem properare. Sed ceſſit impedimentum iſtiuſmodi meo lucro: etenim me tanto licet munere indigniſſimum premiſit explorare & adorare venerandum Cęcilię corpus. Sicque nulla penitus interpoſita mora, eadem celeritate quá venit, rediens & ipſe eadem die Romam, ſimul ad ipſum titulum ſanctę Cęcilię ſummo veſpere lęti pervenimus.

Pontifici nota fit inventio ſanctæ Cæciliæ.

Vidi quę in marmoreo monumento poſita erat arcam cupreſſinam, qua ſacra membra Cęcilię claudebantur, operculo ductili clauſam, eamdemque modice lęſam; ut vehementer fuerim admiratus, quomodo poſt octingentos ſeptuaginta octo annos potuerit arca lignea, humectante illam marmoreo ſui natura ſepulcro, ſubtus terram abſque ulla aeris participatione locata, ita integra & illęſa ſervari, & non penitus tanta humiditate laxata, jam diſſoluta marcuerit, fortis, ſolidaque perſtiterit, ut abſque lęſione tangere, contrectare, amplexari quis eam pro arbitrio poſſet & ſtringere, integrum adhuc uſum ipſo ejus operculo ductili retinente, ut ad oſtenſionem duci poſſet pariter & reduci: quod ſępe ſępius fieri contigit pluribus diebus illis, quibus antequam eodem in loco, in confeſſione iterum conderetur, idem venerandum corpus intus clauſum quamplurimi videre cuperent & venerari.

Arca cupreſſina illæſa ſervata.

Cum nos iſta de lignea arca non ſine magna admiratione vidiſſemus: ad id quod intus detinebatur ſacrum martyris corpus intuendum devenimus. Ac plane, ſecundum illud Davidicum. *Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate domini virtutum, in civitate Dei noſtri.* Etenim ut a Paſchali papa inventum & reconditum fuiſſe legimus, & ſuperius recitavimus, venerandum Cęcilię corpus, ita invenimus, nempe ad pedes ejus quę fuerant madida ſanguine vela, & ſerica fila auro obducta, quæ viſebantur, jam vetuſtate ſolutę veſtis illius auro textę, cujus idem Paſchalis meminit, indices erant.

Pſalm. 47.

Alia vero ſupra martyris corpus ſerica, levia tamen velamina poſita, ipſaque depreſſa, ſitum ipſum & habitudinem corporis oſtendebant. Viſebaturque (quod admiratione dignum erat) non ut aſſolet, in ſepulcro reſupinum poſitum corpus, ſed ut in lecto jacens honeſtiſſima virgo ſupra dextrum cubare latus, contracti nonnihil ad modeſtiam genibus, ut dormientis imaginem redderet potius quam defunctę, ipſo ita ad inſinuandam in omnibus virginalem verecundiam compoſito ſitu corporis; adeo ut (quod ęque mirandum) nemo quamvis curioſus inſpector, auſus omnino fuerit virgineum illud detegere corpus, reverentia quadam inenarrabili repercuſſus, perinde ac ſi cęleſtis ſponſus aſſiſteret vigilans cuſtos dormientis ſponſę, monens & minans: *Ne ſuſciteris, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Vidimus cognovimus, & adoravimus. Die vero ſequenti illuceſcente, ſuper eamdem confeſſionem obtulimus Deo in memoriam & honorem tantę virginis, & martyris, & aliorum conditorum ibi ſanctorum ſacrificium miſſę; inde vero ad ſummum pontificem, qui miſerat, reverſi in Tuſculanum ſingula viſa retulimus.

Situs corporis ſanctæ Cæciliæ in ſepulcro.

Cant. 3.

Audivit ipſe cuncta magna animi voluptate, ſimulque de ſolenni mox cogitare cœpit repoſitione ejuſdem venerandi corporis in confeſſione, quam non per alium quempiam quantavis dignitate pollentem, ſed ipſe celebraturus eſſet ſolenniſſima pompa. Condicitur certa dies, ipſe natalis ejuſdem Cęcilię virginis. Interim de parando precioſiori loculo cogitans, aureum facere meditatur: ſed diſſuaſus, eo quod impiis effoſſoribus ſepulcrorum

Parat ſolennem repoſitionem Clemens papa.



ille-

ANNO CHRISTI 1591.

illecebræ aurum eſſe ſoleret, argenteam prægrandem, quæ ipſam etiam integram cupreſſinam caperet, arcam fabricari mandavit. In qua elaboranda, inſtar Beſelehelis inſpirati divinitus, enituit induſtria excellentis opificis: qui veluti alterum cælum corpori, cujus eſſet in cælo anima, fabricans, thecam illam ſtellis auri fulgore micantibus exornavit. Eſt pretium ejus quatuor millium trecentorum nonaginta duorum aureorum; in qua ejuſmodi poſita eſt foris inſcriptio.

CORPUS SANCTÆ CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS A CLEMENTE VIII. PONT. MAX. INCLUSUM ANNO MDIC PONTIF. VIII.

Intus vero in argentea lamina ab ejuſdem tituli dicto ſæpe ſuperius Paulo cardinali preſbytero totius rei geſtæ ſeries ita deſcripta fuit.

*Inſcriptio intra ſepulcrum poſita.*

Hic requieſcit corpus ſanctæ Cæciliæ virginis & martyris, quod a Paſchali primo pontif. max. ipſa revelante repertum, & in hanc eccleſiam translatum, & ſub hoc altari una cum corporibus ſanctorum martyrum Lucii & Urbani pontificum, nec non Valeriani, Tiburtii, & Maximi reconditum; iterum poſt annos fere octigentos, Clemente VIII. pontif. max. cum iiſdem ſanctis martyribus lucem aſpexit, die 20. Octobris, anno dominicæ incarnationis 1599. Cujus ſanctæ virginis corpus prædictus dominus noſter papa Clemens veteri lignea capſa, in qua jacebat, argentea incluſa, intactum, immutatumque hoc eodem loco, in quo fuerat collocatum, poſt peracta miſſarum ſolennia maxima cum devotione & lacrymis, toto ſpectante populo, repoſuit 22. Novembris, ipſo feſto virginis die, 1599. Ad cujus latus in alia ſeorſum capſa prædicti tres martyres Valerianus, Tiburtius, & Maximus requieſcunt. Necnon ſub ipſo virginis corpore in alia ſimiliter arca prædicti duo martyres ac pontifices Lucius & Urbanus, prout a Paſchali pontifice omnes in iis conditi ſunt.

*Clemens papa inviſit inventum corpus ſanctæ Cæciliæ.*

Ego Paulus tituli ſanctæ Cæciliæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis Sfondratus, cui licet miſerrimo peccatori prædicta corpora, quæ diuturnitate temporis fere in tenebris jacebant, & invenire, & videre, & venerari a Deo optimo maximo datum eſt, memoriam hanc hiſce literis conſignavi. Iſta inſcriptio in ſepulcro poſita. Cœptam vero jam hiſtoriam proſequamur. Interea vero cum idem ſummus pontifex incolumis rediiſſet e Tuſculano, adivit una cum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus ipſam eccleſiam ſanctæ Cæciliæ, ut ejuſdem virginis atque martyris inviſeret ac veneraretur ſacra pignora: ubi cum adeſſet, educto operculo cupreſſinæ illius capſæ, venerandum quoque angelis ſanctiſſimæ ipſius corpus iis quæ diximus [ut poſitum fuerat a Paſchali pontifice] opertum velis vidit, & veneratus eſt; atque ei tunc quam ſciret omni auro gemmiſque eſſe gratiorem oblationem, preces obtulit, una cum lacrymis oblationis cordis indicibus: nec non in honorem martyris incruentum Chriſti corporis ſacrificium; reliqua ſolenniori ritu impleturus religionis officia, ipſo qui proxime adeſſet die natali martyris. Iſta tunc fuere oblata virgini digna tanto pontifice munera.

*Modeſtia pontificis commendata.*

Sed ejus plurimum in eo commendata modeſtia fuit, quod invitatus licet, noluit reductis velis nudum virginis corpus quantumlibet exiccatum inſpicere, cui eſſe videretur loco ruboris cuſtodis verecundiæ virginalis, ſanguis aſperſus; ſatis ad fidem eſſe ſciens, membra ſingula cognoviſſe per ſuperpoſita vela, atque vidiſſe a prædeceſſore inſcripta ſepulcro atque deſcripta diplomate ſignacula illæſa reperta, atque divinitus conſervata. Veneratus eſt pariter poſthæc ſanctiſſimos prædeceſſores pontifices Urbanum & Lucium, nec non Valerianum, Tiburtium, atque Maximum martyres in eadem confeſſione reconditos, tunc ipſi ad breve temporis ſpatium amoto operculo demonſtratos.

*Solemnis repoſitio ſanctæ Cæciliæ corporis.*

Ubi autem exoptata advenit dies natalis ejuſdem ſanctæ Cæciliæ, ipſe pontifex una cum ſacro ſenatu, ipſo collegio cardinalium, præſto fuit, atque etiam celebri pompa, ritu ſolenni ſacroſanctum miſſæ ſacrificium obtulit. Quo ſumma religione perfuncto, miniſterio diaconorum adjutus, arcam illam argenteam jam antea conſecratam, detulit in confeſſionem; in eaque cupreſſinam illam, quæ venerandum corpus virginis & martyris Cæciliæ continebat, conſuetis adhibitis precibus, collocavit, atque intra lapideum monumentum utramque ita ſimul compoſitam clauſit. *Hæc Baronius tom. 9. anno* 821. *num.* 13. *& ſeqq.*

Obiit pontifex optimus anno domini 1605. quinto Nonas Martii, cum ſediſſet annos tredecim, menſem unum, & tres dies. Ad quartum Nonas Apriles ſedes pontificia paſtore viduata extitit.

ANNO CHRISTI 1594.

# ** COMSTITUTIONES ET DECRETA PROVINCIALIS CONCILII AVENIONENSIS.

*Quod Franciſcus Maria Tarruſius archiepiſcopus Avenionenſis habuit anno ſalutis MDXCIV.*

## INDEX TITULORUM.

1. *De epiſcopis.*
2. *De viſitatione epiſcoporum.*
3. *De ſynodo diœceſana.*
4. *De teſtibus ſynodalibus.*
5. *De examinatoribus.*
6. *De fidei profeſſione.*
7. *De impreſſoribus & bibliopolis.*
8. *De fidei rudimentis.*
9. *De prædicatione verbi Dei.*
10. *De lectione ſacræ ſcripturæ.*
11. *De ſacramentis in communi.*
12. *De baptiſmo.*
13. *De oleis ſacris.*
14. *De aqua baptiſmali.*
15. *De ſacramento confirmationis.*
16. *De ſacramento euchariſtiæ.*
17. *De paſchali communione.*
18. *De ſacramento pœnitentiæ.*





ANNO CHRISTI 1594.

19. *De ſacramento ordinis.*
20. *De ſacramento matrimonii.*
21. *De ſacramento extremæ unctionis.*
22. *De miſſæ ſacrificio.*
23. *De miſſarum reductione.*
24. *De miſſæ ſupellectili.*
25. *De reliquiis & veneratione ſanctorum.*
26. *De ſacris imaginibus.*
27. *De eccleſiarum fundatione & ſtructura.*
28. *De modo verſandi in eccleſiis.*
29. *De ſepulcris.*
30. *De cœmeteriis.*
31. *De ſacriſtia.*
32. *De vita & honeſtate clericorum.*
33. *De capitulo & canonicis.*
34. *De horis canonicis.*
35. *De cantu eccleſiaſtico.*
36. *De beneficiorum collatione.*
37. *De beneficiorum incompatibilitate.*
38. *De confidentia.*
39. *De reſidentia.*
40. *De jure patronatus.*
41. *De decimis.*
42. *De officio parochi.*
43. *De feſtorum dierum cultu.*
44. *De quadrageſima, & ſacrorum jejuniorum obſervantia.*
45. *De oratione quadraginta horarum.*
46. *De proceſſionibus.*
47. *De funeribus & exequiis.*
48. *De indulgentiis.*
49. *De ſeminario.*
50. *De ſanctimonialibus.*
51. *De hoſpitalibus.*
52. *De confraternitatibus.*
53. *De regularibus.*
54. *De foro epiſcopali.*
55. *De locatione bonorum eccleſiaſticorum.*
56. *De teſtamento & legatis piis.*
57. *De medicis.*
58. *De blaſphemia.*
59. *De uſuris.*
60. *De duello.*
61. *De concubinariis.*
62. *De Judæis.*
63. *De pœnis.*
64. *De formulis, ſeu inſtructionibus conficiendis & obſervandis.*

FRANCISCUS MARIA DEI ET APOSTOlicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Avenionenſis, univerſis provinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in domino.

*Seſſ. 24. c. 2.*

CUm ſacroſanctæ ſynodi Tridentinæ providentiſſima lege ſancitum ſit, ut intermiſſus provincialium conciliorum uſus reſtitueretur, illaque deinceps in omnibus provinciis ſingulo quoque triennio celebrarentur: Nos hoc ſalutare præceptum eo libentius & alacrius amplectendum duximus, quod ad eas regiones paſtores miſſi ab apoſtolica ſede dignoſcimur, in quibus hæreſeon ac corruptorum morum caligo, diaboli fraude, hominumque malitia, longe lateque diffuſa eſt. Quare omni ſtudio in id incumbendum nobis eſt, ut veritate, doctrina, morumque diſciplina in his regionibus reſplendere curemus. Et vero æquiſſimum fuerit, ut a nobis potiſſimum opus hoc inchoetur, qui in ſanctiſſimi Romani pontificis temporali ditione exiſtentes, ceteris provinciis prælucere debemus. Quapropter divini numinis præſidio implorato, reverendiſſimis coepiſcopis, ac comprovincialibus noſtris, ceteriſque ſacerdotibus, quorum intereſt, ad præſtitutam diem cauſa provincialis ſynodi celebrandæ convocatis, aliiſque rebus ac ritibus de catholica traditione obſervatis, ad ſummi Dei laudem, clerique noſtri ornamentum & utilitatem, hæc quæ ſequuntur decreta ſancienda ac promulganda de eorumdem reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtro conſilio & aſſenſu ſtatuimus.



### I.

*De epiſcopis.*

UT autem judicium incipiat a domo domini, nec nobis illud evangelicum objici poſſit, quod Phariſæis olim exprobravit. Dicunt, & non faciunt, & alligant onera gravia & importabilia, digito autem ſuo nolunt ea movere: viſum eſt a nobis ipſis hujus ſynodi initium ſumere.

Quare epiſcopos noſtræ provinciæ omnes, tum dignitatis, tum oneris ſui memores eſſe oportet; ut intelligant non alio conſilio ſe eccleſiis divinitus eſſe præfectos, ac gregibus paſtores datos, quam ut cura pervigili ac ſolerti ſtudio animarum ſalutem procurent, in dieſque magis ac magis promoveant. Quod ut facilius aſſequantur, ſe moreſque ſuos ad eam formam, quam præcipit apoſtolus, component; in id potiſſimum incumbentes, ut vita ſint non modo irreprehenſibili, ſed ejuſmodi, quam omnes colant, ſuſpiciant, ac ſibi imitandam proponant. Sunt enim epiſcopi mundi lumina, populorum duces: quod ſane decus ut ſingulis a Deo communicatum eſt, qui tamquam Aaron ad animarum præfecturam vocati fuere, ita purum ac illæſum ab iiſdem conſervari par eſt. Gregi itaque invigilent epiſcopi, ſtrenue in vinea ſibi commiſſa laborent: virtutes omnes tum ipſi colant, tum a ſuis ſubditis coli ſedulo curent: vitia, quacumque tandem ratione valent, eradicent ac profligent, ita tamen, ut omnia prudenter ac matura prævia conſultatione gerantur. Eorum miniſterio ac etiam conſilio utantur epiſcopi, quos Dei honorem, animarumque lucrum zelare viderint, quique magis prodeſſe, quam præeſſe ſtudeant.

Quoniam vero longum eſſet ſingulas epiſcopi partes percurrere, horum dumtaxat admonitos eſſe volumus, ad ipſos ſcilicet pertinere, non modo quæ cum ceteris communia habent, verum etiam quæ epiſcopali functioni peculiari quadam ratione commiſſa ſunt, diligenter obire. Quamobrem pontificalia munia, ut rite ſingula exerceant, accurate provideant; ſicque ſe ipſos gerant, tamquam qui imperfectionis exercendæ ſtatu poſiti ſunt.

### II.

*De viſitatione habenda ab epiſcopis.*

*Seſſ. 24. c. 3.*

CUm ſacroſancta ſynodus Tridentina multa ſtatuerit ad viſitationis munus rite obeundum pertinentia: admoniti ſunt epiſcopi, ut quæcumque ab illa ſancte ac pie de viſitatione ſancita ſunt, diligentiſſime obſerventur. In id vero potiſſimum incumbant epiſcopi, ut facultatibus a concilio ſibi conceſſis utantur; ne, ſi

ſi forte remiſſius ſe geſſerint, viſitatio fructu ac fine ſuo careat, ac diſciplinæ eccleſiaſticæ nervus elidatur.

Epiſcopus propriam diœceſim per ſe, aut, ſi impeditus fuerit, per ſuum generalem viſitatorem, ſi quotannis totam propter latitudinem viſitare non poſſit, ſaltem majorem ejus partem viſitet, ita tamen, ut tota biennio per ſe vel viſitatores ſuos compleatur.

Seſſ. 24. c. 3.

Dum ſuam diœceſim inviſit, legem de victus procuratione & muneribus a ſacro concilio Tridentino præſcriptam obſervet: comitatum non habeat, niſi viſitationi neceſſarium. Quare ſeptem, aut ad ſummum octo homines tantum ſecum ducat: ſi plures duxerit, ſuis ſumptibus alat. Menſa frugali contentus ſit, quæque eccleſiaſticum luxus cenſorem deceat.

Domum ſuam viſitent epiſcopi, totiuſque familiæ mores perſpectos habeant: ut ſi quid (quod abſit) parum candidum & honeſtum invenerint, confeſtim manum ſalutarem adhibeant, domeſticorum vitam antea corrigentes, quam ad ceterorum emendationem ſe conferant. Omnia porro loca inviſat epiſcopus, in quæ jus viſitandi habet, nullo prætermiſſo; curetque diligenter, nulla interpoſita mora, viſitationem inire ac perficere hoc conſilio, ut quam celerrime graſſantibus malis obviam eatur. Quoniam vero interdum contingit, ut iſtud viſitandi munus non ea atque par eſt diligentia obeatur, dum vel celerius, & per tranſennam (quod ajunt) tam loca quam perſonæ explorantur: idcirco inſtructio pro ordine & methodo viſitationis a viris a concilio deputandis conficiatur, quam epiſcopi omnes, dum ſuas diœceſes inviſent, facile ſequantur.

III.

*De ſynodo diœceſana.*

a Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. 5 ſynodi. b d. 18. c. propter.

OMNES ac ſinguli, qui de jure vel conſuetudine tenentur, ad ſynodum [a] diœceſanam convenire teneantur tempore a jure [b] ſtatuto, & ab epiſcopo indicto, pœna propoſita iis, qui abſque legitima cauſa non paruerint.

Quiſquis ad ſynodum venerit, decenti ac honeſto habitu incedat, in ſeſſionibus ſuperpelliceo mundo & integro utatur. Ad hoſpitium divertat, quod ſibi a deputatis ab epiſcopo aſſignetur, ut ne minimam quidem ſcandali aut lapſus occaſionem præbere poſſit. Rem ſacram frequenter peragat durante ſynodo, ac integritatis probitatiſque ſpecimen in omnibus pro virili præſtare debeat.

Examinatores ſingulis annis ad minus ſex ab epiſcopo vel ejus vicario univerſæ ſynodo diœceſanæ proponantur; qui ab ea probati, & admiſſi jurent ſe, humana quacumque affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros.

IV.

*De teſtibus ſynodalibus.*

UT teſtium ſynodalium munus, ſicubi intermiſſum eſt, reſtituatur, atque non nomine ſolum, ſed certis officii partibus recte per eos geratur, quibus in ſynodo vel provinciali, vel diœceſana committitur, hæc de illis eorumque officio ſtatuimus.

Principio ſacerdotes ætate moribuſque graves, prudentes, ac diſciplinæ Chriſtianæ ſtudioſi in concilio provinciali a metropolitano ex unaquaque diœceſi duo ſaltem, in ſynodo diœceſana e diœceſi ſua duo itidem teſtes ſynodales deligantur. Pœnæ etenim meminiſſe oportet ab Innocentio III. propoſitæ in concilio Lateranenſi iis qui teſtes nullos nominarint.

Qui nominati & delecti ſunt, ſecreto ab epiſcopo convocentur, in ejuſque manibus jurent ex formula verborum præſcripta, muneris ſui partes executuros eſſe.

Quo igitur tempore hoc munus teſtes jurati geſſerint, perſonas diſcretas interrogando ſimpliciter & de plano, abſque ulla juriſdictione ſollicite inveſtigent hæc quæ ſequuntur.

An parochi munus ſuum obeant, ea qua par eſt ſollicitudine, in ſacramentis, omnibus quidem, ægris autem præcipue adminiſtrandis. An ipſi, aliique clerici omnes ullam populo præbeant offenſionem. An in ſuis eccleſiis reſideant, ſuoque quiſque fungatur officio.

Quæcumque vero animadverterint decreta ſancitave nullam adhuc aut non perſpectam executionem habuiſſe, aut quæ rurſus depravata correctionem reformationemque deſiderare viderint, ea tribus ante menſibus; quam concilii proxime futuri ſtata dies veniat; ſingula ordine ſuo referant ad metropolitanum: teſtes vero diœceſani menſe ſaltem ante diem præſtitutum id ipſum epiſcopo præſtabunt.

V.

*De examinatoribus.*

a Ibid. cap. quando.

OMNES examinatores, quicumque ſint, noverint ſibi munus uſque adeo grave committi, ut ſi negligenter aut male ſe ullo modo geſſerint, Deo in primis culpæ in eo munere admiſſæ exactam rationem reddituri ſint. Quare non ſpe, non metu, non aliquo [a] affectu ducti, muneris ſibi commiſſi curam gerant.

Nullus examinatorum quempiam privatim doceat, qui examen ſubiturus ſit.

b Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. § exinde.

Cum de beneficio curato examen inſtituitur, aut de aliquo ad ſacros ordines promovendo, vel concionatore, confeſſariove approbando, ad minimum tres [b] examinatores præſente epiſcopo, vel ejus vicario, conveniant.

Cum quis ad examen venerit, ejus vultus & habitus corporis, veſtitus & inceſſus, geſtus & ſermo diligenter inſpiciantur: ex his enim animi levitas, vel gravitas deprehenditur.

In examine vero is potiſſimum ordo teneatur, ut primo de vitæ ſtatu, genere, patria, domiciliove quæratur illius qui examen ſubit. His perquiſitis, examinatores ad explorandam ſcientiam mox deſcendent.

Quiſquis pro ſacris ordinibus ſuſcipiendis examinandus eſt, ætatis, natalium, aut diſpenſationis obtentæ, beneficii eccleſiaſtici, vel penſionis, patrimoniive atteſtationes ſcriptas & documenta authentica ante omnia in medium producat; quæ omnia examinatores non perfunctorie, ſed diligentiſſime perquirent, an ullo vitio, vel fraude laborent.

Cautio autem ſit, ut de iis examinandi interrogentur, quæ ad rem, cujus occaſione examinentur, proxime faciunt. Cetera examinatorum prudentiæ animadvertenda, & præſtanda relinquuntur.

VI.





VI.

*De fidei profeſſione.*

QUONIAM, juxta doctrinam apoſtoli, non ſolum corde credendum eſt, ſed ore etiam confeſſio fieri debet ad ſalutem: ideo ſacri concilii Tridentini, ſummorumque pontificum auctoritatem innixi, mandamus, ut quicumque eccleſiaſtica beneficia obtinent, vel in poſterum obtinebunt, & qui ad ſynodum diœceſanam accedere debent, fidei profeſſionem emittant. In ipſa prima ſynodo diœceſana curabunt, ut qui beneficia curam animarum habentia obtinuerint, intra duos menſes poſt adeptam poſſeſſionem, juxta formam decreti concilii, profeſſionem fidei faciant. Id quod ſervabitur etiam in proviſis a Romano pontifice, vel a legatis. Idem præſtabunt qui permutant beneficia curam animarum habentia.

Proviſi autem de canonicatibus & dignitatibus in eccleſiis cathedralibus, vel collegiatis, non ſolum coram epiſcopo, ſeu ejus vicario, ſed etiam in capitulo idem præſtare teneantur: alioquin prædicti omnes proviſi fructus ſuos non faciant, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

Bulla Pii IV, per totum.

Doctores præterea, magiſtri pædagogii, & quicumque tam publice, quam privatim docent theologiam, jus utrumque, artem medicam, philoſophiam, ceteraſque liberales artes in quibuſcumque civitatibus, terris, oppidis, quoquo modo profiteri aut docere ab epiſcopis ne permittantur, niſi prius catholicam fidem profeſſi fuerint, juxta formam conſtitutionis Pii quarti: quam etiam profeſſionem ſingulis annis initio ſtudiorum emittere teneantur.

Ne item rectores, vel cancellarii univerſitatis aut gymnaſii ad ſua officia admitti poſſint, neve ſcholares ad doctoratus lauream, aliumve hujuſmodi gradum in dictis facultatibus ſuſcipiendum illo modo admitti poſſint, neque præterea cathedram conſcendere ante emiſſam fidei profeſſionem, de qua in privilegio doctoratus ſpecialis mentio fiat; pœnis nullitatis, aliiſque in bulla Pii quarti propoſitis.

Nemo item ad prædicationis munus, aut ad curam animarum exercendam, etiam ſine titulo beneficii admittatur, niſi præſtita coram ordinario fidei profeſſione.

Omnium autem qui fidei profeſſionem præſtabunt, aut præſtiterunt, nomina ordine notata in certum librum epiſcopus a cancellario epiſcopali referri jubeat: qui liber in archivio epiſcopali aſſervetur.

VII.

*De impreſſoribus & bibliopolis.*

QUONIAM Chriſtianæ religionis baſis ac fundamentum eſt fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; quantum ea in re curam ac diligentiam epiſcopi adhibere debeant, nemo eſt qui neſciat. Quare ut ea in cordibus fidelium impolluta illibataque ſervetur, curent epiſcopi ne per eorum negligentiam libri hæreticorum, aut alias a ſede apoſtolica damnati, quorum maxima vis eſt in corrumpendis rudiorum mentibus, alicubi videantur, legantur, habeantur, reperianturve: ſed regulas indicis librorum prohibitorum auctoritate *Pii* quarti pontificis editas, aut auctoritate aliorum pontificum edendas obſervari tum ab omnibus, tum præcipue ab impreſſoribus & bibliopolis curent.

Viſitent quotannis epiſcopi bibliopolarum officinas, ne quid contra regulas hujuſmodi fiat.

Conc. Trid. ſeſſ. 4. c. Inſuper. Seſſ. 18. c. 1.

Deputent virum tum doctrina, tum fidei zelo præſtantem, qui recognoſcendis libris, ac univerſæ regularum prædictarum obſervationi præſit. Ex omnibus autem præſcriptis regulis hæ ſerventur in primis.

Nullus libros de rebus ſacris typis mandare poſſit, qui ab eo quem deputarit epiſcopus, præter inquiſitorem, examinati & approbati non fuerint ipſorum ſubſcriptionibus. Approbatio vero librorum a tergo primi folii imprimatur.

Libris impreſſis adjecto typographi nomine, adſcribatur item annus quo impreſſi ſunt. Libri imprimendi exemplum manu auctoris ſubſcriptum apud examinatorem remaneat.

Libri quos typis mandari conceſſum eſt, in codicem a recognitoribus referantur, notato conceſſæ facultatis anno & die, deſcriptis etiam eorum nominibus, quibus eos imprimendi poteſtas facta eſt.

Ne quis opuſcula, tractatus, commentarios, aliaſve lucubrationes de rebus ſacris evulget, niſi ante examinatæ probatæque fuerint ab epiſcopo, vel a deputatis.

Librarii & quicumque librorum venditores habeant in ſuis bibliothecis indicem librorum venalium quos habent, ſubſcriptionibus perſonarum, quas diximus, communitum. Index porro Romanus librorum prohibitorum pro foribus officinæ proſtet.

Qui per urbes præterea, vicos, oppida, aliave loca libros venales circumferunt, eorum etiam indicem habeant, cui ab epiſcopo, vel ab inquiſitore, aut ab iis quibus librorum recognitio ab illis delegata eſt, ſubſcriptum ſit.

Heredibus item, aut executoribus ultimarum voluntatum vetitum ſit libris a defuncto relictis uti, aut aliis vendendos dare, aut in alias perſonas quacumque ratione transferre, niſi iis prius oſtenſis, & habita licentia a perſonis ab epiſcopo deputatis.

Ne libris cujuſvis generis in civitatem ullam provinciæ introducantur, aut introducti vendantur, commodentur, aut legendi quovis modo tradantur, niſi oſtenſis prius illis, & habita licentia a perſonis, ab epiſcopo vel inquiſitore deputatis, aut niſi notorie conſtet librum jam eſſe omnibus permiſſum.

Miniſtri autem publici, qui exigendis vectigalibus præſunt, ubi locus publicus mercibus comportandis conſtitutus eſt, teneantur, pœna excommunicationis propoſita, prædictis ut ſupra deputatis perſonis denuntiare libros eſſe adductos, aut ſaltem ne inde exportari patiantur, niſi ii quorum ſunt, ſcriptum prædictorum manu ſignatum, quo exportandi poteſtas fiat, attulerint.

Regulæ indicis Pii IV.

De libris autem, qui de rebus inter catholicos & hæreticos controverſis communi item lingua conſcripti ſunt, ea diligens cautio adhibeatur, ut illorum uſus iis tantum concedatur, quibus epiſcopus, aut inquiſitor de conſilio parochi, aut confeſſarii permittendum judicarit.

Li-

ANNO CHRISTI 1594.

Libri de officio, & precibus horariis B. Mariæ virginis vulgariter, vel Italice, vel Hiſpanice, vel Germanice, vel partim Latino, partim vulgari ſermone expreſſi venales ne proponantur, nec vendantur. Si qui vero eos adhuc habent, ad ſacræ inquiſitionis officium ſtatim deferre compellantur, ut edita a Pio V. conſtitutione ſancitum eſt.

Caveat epiſcopus, ne libri illi parvuli, quibus preces variæ continentur, falſis ſuperſtitioſiſque titulis aſperſi habeantur, aut vendantur; niſi ſuo, aut inquiſitoris, aliorumve theologorum, quos huic muneri præfecerit, diligenti ſtudio primum recogniti & purgati ſint.

Quia vero peſtilentiores illi codices ſunt, qui blaſphemiis referti, adverſus religionem noſtram virulenta dogmata evomunt: Idcirco prohibemus, ne quis Thalmudicos libros & nefaria hujuſmodi Rabinorum ſcripta legere, tenere, emere, vendere, aut evulgare audeat, ſub pœnis, quæ conſtitutæ ſunt ab apoſtolicis conſtitutionibus. Quare epiſcopi in cunctis ſynagogis hujuſmodi volumina perquirant & comburant. Libros præterea de aſtrologia judiciaria tractantes, juxta cenſuram indicis librorum prohibitorum omnino rejici & extingui mandamus. Libros ſimiliter geomantiæ, hydromantiæ, & ſimiles, qui divinationes, ſortilegia, ſuperſtitioneſque continent, funditus deleri, comburique præcipimus; pœnis propoſitis, quas jura & apoſtolicæ conſtitutiones infligi debere decernunt.

## VIII.

*De fidei rudimentis.*

CUM omnibus fidelibus ad ſalutem neceſſarium ſit Chriſtianæ fidei rudimenta ſcire, ideo curabunt epiſcopi ſingulis ſaltem dominicis pueros in ſingulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligentei doceri per parochos, alioſve animarum quovis modo curatores, ad quos præcipue hoc munus ſpectat: eoſque, ſi opus fuerit, etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellant.

Quo vero ſtudioſius parochi in eam curam incumbant, id etiam curet epiſcopus, ut in ſingulis diœceſis ſuæ oppidis & vicis, ubi commode fieri poteſt, doctrinæ Chriſtianæ ſodalitas inſtituatur, quæ in eo munere ipſos parochos adjuvet, & ex viris ad id idoneis vita & moribus approbatis conſtet. Eccleſias in civitate & diœceſi, in quibus infantes & pueri ad diſcendam doctrinam Chriſtianam convenire poſſint, deputet. Indulgentias a Pio V. [a] & Gregorio XIII. [b] conceſſas earum ſodalitatum hominibus ſæpius promulgari curet.

a In bulla 156. b In bulla 11. illius qui.

Ludimagiſtri, qui docent grammaticam, ſemel in hebdomada, ſabbato ſcilicet a prandio pueros doctrinam Chriſtianam doceant.

Fiat formula doctrinæ Chriſtianæ lingua Gallica pro hac provincia. Singuli puerorum magiſtri veſperi ſub finem lectionum a pueris genuflexis orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & ſymbolum fidei recitari curent.

Idem in eccleſiis, ubi doctrina hæc exercetur, in calce ab omnibus præſentibus fiat.

Curent etiam parochi, ut non pueri tantum, & puellæ, ſed etiam grandioris ætatis homines, & mulieres fidei rudimenta doceantur, maxime ruſtici.

Dabunt etiam operam epiſcopi, ut in prono & concionibus parentes puerorum moneantur, ut filios ſuos, & filias, hora præſtituta, ad doctrinam Chriſtianam addiſcendam ire compellant.

## IX.

*De prædicatione verbi Dei.*

TIMERE debent epiſcopi, ne illis a domino illud in diſtricto judicio exprobretur: canes muti non valentes latrare. Igitur cum eorum [c] præcipuum munus ſit prædicatio evangelii, id ipſi per ſe ipſos omnino, aut ſi legitimo impedimento detineantur, per alios obire ſtudeant.

c Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 4. & ſeſſ. 5. c. 2.

In eccleſiis parochialibus per parochos, ſive illis impeditis, per alios ad id idoneos ab epiſcopo deputandos impenſis eorum qui eas præſtare tenentur, aut ſolent, munus prædicationis exercebitur.

Admoneantur ſæpius parochi, teneri eos in ſuis eccleſiis plebem ſibi commiſſam verbo Dei paſcere: quos ſi negligentiores eſſe conſtiterit, fructuum ſubtractione mulctentur, qui alteri dabuntur, ut vices ſuppleat.

Ibid. ſ. archipresb.

Tempus quo prædicationis munus obiri debet, omnes dies dominicos per annum, ac ſingulos quoſque dies quadrageſimæ & adventus complectitur.

Regulares vero ne prædicent etiam in eccleſiis ſuorum ordinum, niſi a ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, cum fide hujuſmodi approbationis coram loci ordinario ſe præſentaverint, benedictione ab eo obtenta. In eccleſiis vero non ſuorum ordinum etiam ab epiſcopo facultatem in ſcriptis habere teneantur, ſine qua nullus eccleſiarum rector regulares hujuſmodi concionari permittat.

Conc. Lat. ult. ſeſſ. 11. Trid. ult. cap. 5. ſeqq.

Diligenter obſervent epiſcopi doctrinam & mores concionatorum per viros idoneos, ut ſi quis ſcandala diſſeminarit, a prædicationis munere ſuſpendatur; ſi vero hæreſes (quod abſit) contra eum procedatur juxta formam juris. Cavendum eſt, ne quæſtuarii per ſe aut per alios prædicare permittantur, cum id conſtitutionibus duabus Pii quinti interdictum fuerit. Regulares inſuper extra monaſterium degentes, aut ſæculares clerici a rectoribus eccleſiarum concionari non permittantur, niſi epiſcopis noti, moribuſque & ſcientia probati ſint.

Conficiatur formula pro rudioribus parochis ad uſum provincialium. Concionatores quoque ad præſcriptum formulæ illis per nos tradendæ ſuas conciones accommodare curabunt.

## X.

*De lectione ſacræ ſcripturæ.*

NON ſolum in eccleſiis cathedralibus epiſcopi præbendas, quas theologales vocant, pro lectione ſacræ ſcripturæ erigant; ſed etiam in collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido, ſi ibi clerus numeroſus fuerit, ex ſacri concilii Tridentini præſcripto, cum deputatione in eum uſum præbendæ primo vacaturæ, ubi commode fieri poſſit.

Concil. Trid. ſeſſ. 5. c. 1. ſ. In eccleſiis.

Proviſi de hujuſmodi præbendis ſacram ſcripturam aut theologiam interpretari, doce-



ANNO CHRISTI 1594.

reque diebus quidem feſtis populum, ferialibus vero certis diebus ab epiſcopo præſcribendis clerum per ſe, & non per alios compellantur.

Quibus in oppidis præbenda hujuſmodi erigi non poteſt, epiſcopi magiſtrum ſaltem grammaticæ inſtituant ad populi clerique inſtructionem; cui de conſilio capituli vel ſimplicis beneficii fructus aſſignent, vel ſtipendium congruum a populo curent aſſignari.

In [a] monaſteriis monachorum & quorumcumque regularium, ubi nulla ſacrarum literarum lectio reperitur, curent epiſcopi tamquam ſedis apoſtolicæ delegati ex concilii Tridentini facultate eam quamprimum per idoneum virum inſtitui, ſi commode fieri poterit, habita ratione proventus monaſterii, & numeri fratrum.

a Ibid. ſ. in monaſt.

## XI.

*De ſacramentis in communi.*

UT ſacramenta majori cum religione animique pietate ſuſcipiantur, epiſcopi in iis quæ per ipſos tantum adminiſtrari poſſunt, [b] qualia ſunt confirmatio & ordo, prius illorum vim & uſum pro ſuſcipientium captu explanare ſtudeant.

b Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 7.

Idem a parochis in ceteris ſacramentis miniſtrandis fieri curent lingua vernacula juxta formam in catechiſmo præſcriptam. Illi vero materiam, formam, & ritum juxta Romanum rituale diligenter attendant. Cum ſacramenta miniſtranda erunt, parochi ſuperpellicio mundo & integro ſtolaque induti ſint.

Pro ſacramentorum miniſterio nullus ſacerdos, quamvis egens, verbis, aut nutibus quidquam prorſus vel minimum petat, exigatve: Aſtantes vero, ut remoto omni colloquio, pie ac religioſe admodum interſint, moneantur.

Excommunicati, hæretici, infideles, Judæi ne ſacramentorum adminiſtrationi intereſſe permittantur, imo nec catechumeni.

Fiat brevis formula rerum quæ ſcitu neceſſariæ ſunt lingua Gallica, de materia, forma, & ritu cujuſlibet ſacramenti pro parochis provinciæ.

## XII.

*De ſacramento baptiſmi.*

DECERNIMUS ſacras cærimonias in baptiſmo adminiſtrando, ex libro baptiſmali approbato, & ex formula deſcribenda a deputandis a concilio, ſervari debere a parochis.

Præcipimus, ne in poſterum expectandi patrini gratia, aliave de cauſa, præterquam neceſſitatis extremæ, cum ſcilicet periculum vitæ infanti timetur, baptiſmus ſine ſolennitatibus cærimoniiſque adhiberi ſolitis miniſtretur.

De conſecr. d. 4. per tot.

Parochi obſtetrices diligenter inſtruant de materia & forma in baptiſmo ſervanda; ſimulque doceant, cum infanti vitæ periculum imminet, hunc ordinem ſervandum eſſe, ut ex præſentibus ſacerdos clerico, clericus laico, virque mulieri præferatur, dummodo formam, & baptizandi modum recte noverint.

Baptiſmus non niſi ad tertium diem protrahatur, niſi aliter epiſcopo viſum fuerit. Cetera ſi quæ ſint, quæ ad baptiſmi adminiſtrationem ſpectant, in formula conficienda diligenter tradentur.

Caveatur autem ante omnia, ut abuſus ille baptiſmum dividendi, ex noſtra provincia funditus & omnino evellatur.

## XIII.

*De oleis ſacris.*

PAROCHI omnes poſt feriam quintam in cœna domini, quando ſcilicet nova olea ſunt conſecrata, antiquis amplius non utantur, ſed ante paſcha quotannis ſacerdos aliquis mittatur, qui nova accipiat, & vetera comburantur.

De conſec. d. 4. c. ſi quis de alio.

Sacrorum item oleorum vaſcula in eccleſia tantum, non alibi religioſe aſſerventur in ciborio, aliove loco ab epiſcopo conſtituto ad formam inſtructionum, niſi de oleo infirmorum certis caſibus aliter faciendum epiſcopus judicaverit.

Olea aſſerventur ſub bona cuſtodia, loco ſcilicet tuto, clavibus munito, quæ a rectore ipſo teneantur, non a clerico.

Vaſcula vero dictorum oleorum ea conſtent materia & forma cum inſcriptione, quæ perpolita, & munda perpetuo ſint, & ſacculo ſerico incluſa.

Cui in eccleſia cathedrali id muneris datum eſt, ut oleum aut chriſma ſacrum plebanis aliiſve parochis diſtribuat, hic in librum eo nomine confectum referat nomina eorum quibus dederit, & eccleſiarum pro quibus ille acceperit.

Ne autem alicui det, qui ſacerdos non ſit, aut ſaltem in ſacris conſtitutus.

Cum oleum chriſmatis conſecratur, omnino interſint cooperatores, & qui dignitates ſeu perſonatus obtinent, & canonici, & reliqui cathedralis eccleſiæ clerici, & quos ex aliis eccleſiis ſuæ civitatis & diœceſis epiſcopus vocandos duxerit.

## XIV.

*De aqua baptiſmali.*

BAPTISMALIS aqua ſingulis annis ſabbato ſancto, atque etiam in vigilia pentecoſtes renovetur, infra annum præterea numquam, niſi neceſſitate urgente.

De conſec. d. 4. c. In ſabbato.

Ad aquam autem baptiſmalem infundendam, ne manus, ſed vas argenteum, alteriuſve decentis materiæ adhibeatur; nec illa in eamdem fontis aquam redeat, ſed vel in ſacrarium, vel in pelvim, quæ illi tantum uſui addicta ſit, recipiatur, ad formam inſtructionum ad uſum hujus provinciæ edendarum.

Porro aqua baptiſmalis non in phiala vitrea, aut vaſe fictili conſervetur, ſed in lapideo, vel æneo ad formam inſtructionum conficiendarum.

## XV.

*De ſacramento confirmationis.*

EPISCOPUS cum ſacramentum confirmationis adminiſtraturus erit, parochis jubeat aliquot ante diebus id populo denuntiare, cum-

que

ANNO CHRISTI 1594.

que de tanti ſacramenti dignitate & fructu ex catechiſmi Romani doctrina docere, atque inſtruere, inſtructioneſque hac de re lingua Gallica editas promulgare dominica ante pentecoſten.

*De conſec. d. 5. c. ut jejuni.*

Confirmandi autem, ut melius præparati hujus ſacramenti gratiam & dona percipiant, ad confeſſionis & euchariſtiæ (ſi tamen id ætas permiſerit) ſacramenta ſuſcipienda cohortationibus inducantur.

Patrini & matrinæ nihil pueris quos ſuſceperunt, authorum parentibus largiantur, ne ipſi munuſculis illecti, ac maxime pauperes, ad iterato ſuſcipiendum hoc ſacramentum cum ſacrilegio inducantur.

Tempus autem proprium hujus ſacramenti adminiſtrandi in civitate quidem eſt octava pentecoſtes, in diœceſi vero, cum viſitatur. Cetera quæ ad confirmationis ſacramentum rite decenterque ſuſcipiendum requiruntur, in inſtructione tradentur.

## XVI.

### *De ſacramento euchariſtiæ:*

EPISCOPUS diligenter curet, ut in cathedrali, collegiatis, parochialibus, & aliis quibuſvis eccleſiis, ubi ſacroſancta euchariſtia cuſtodiri ſolet, vel debet, in majori altari collocetur; niſi neceſſaria, vel gravi de cauſa aliud ei videatur. Ante ipſam una ſaltem lampas ſemper accenſa colluceat.

*De celebr. miſſæ ſanctam.*

Tabernaculum ligneum, aliave materia conſtans, in quo ſanctiſſima euchariſtia conſervatur, panno ſerico intrinſecus circumveſtitum undique ſit; conopeo etiam decenti, pro eccleſiarum facultate, locique dignitate, contectum, ac bene præterea totoque clauſum, atque ita quoque aptatum, ut inde ſanctiſſimum ſacramentum commode depromi poſſit.

Duas pyxides unaquæque parochialis eccleſia ſaltem habeat: alteram forma majori ad uſum ſacræ communionis populo in eccleſia miniſtrandæ & aſſervandæ, alteram minori, qua ſanctiſſimum ſacramentum ad infirmos deferatur. Utraque pyxis velo ſerico vel conopeo contegatur. Intra pyxidem vero corporale adaptatum perpetuo ponatur.

Quinque ſaltem particulæ ſemper conſerventur, quæ octavo quoque die renovabuntur.

*Ibid. ſ. quam in.*

Inſtituatur confraternitas corporis domini iis in locis ubi non eſt: confratribus regulas ſervandas epiſcopus tradet: quorum præcipuum munus erit, ut quoties ſacroſanctum Chriſti corpus ad infirmos, vel in proceſſionibus deferendum erit, ipſorum aliqui numquam deſint, qui præter alios honorifice illud comitentur.

Caveant omnes ſacerdotes, qui ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum adminiſtrant, ne ſacroſanctum domini corpus de patena communicantibus exhibeant, niſi forte pauci ſint: ſed vel calice, vel pyxide contineatur.

Purificatio poſthac in calice conſecrato non præbeatur.

## XVII.

### *De paſchali communione:*

*De pœnit. & remiſſ.*

CURABIT epiſcopus, ut juxta c. omnis utriuſque ſexus, quilibet in paſchatis ſolennitate ſacerdoti proprio, aliive ab ordinario approbato peccata rite confiteatur, & in propria parochia communicet.

Qui ad communionem accedere volent, nomen & cognomen ſuum, & locum in quo habitant, ſcriptum in ſchedula præbebunt ſacerdoti ad id deputato, ubi ſine ſcandalo & incommodo id præſtari poſſit.

Ne quis curatus aut ſacerdos ad communionem recipiat aliquem extra parochiam ſuam tempore paſchali.

Curati ſingulis diebus feſtis, & dominicis quadrageſimæ, decreta hæc de paſchali communione publicent in majori populi frequentia.

## XVIII.

### *De ſacramento pœnitentiæ.*

MUNUS audiendi confeſſiones, cum ſit longe graviſſimum, nemini committi debet, qui doctrina, moribus, ac prudentia idoneus ad id ſuſcipiendum non inveniatur. Doctrina itaque illorum ab examinatoribus, vita a fide dignis teſtibus, epiſcopi cura & juſſu, diligenter explorabitur.

*De pœnit. d. 6. c. qui vult ſ. ſedicatis.*

Ut vero inſcitiam, quæ calamitoſis hiſce temporibus multorum malorum cauſa eſt, facilius propulſent epiſcopi; lectionem caſuum conſcientiæ, ubi id commode fieri poterit, inſtituant: ad quam parochos, ceteroſque ſacramenti pœnitentiæ miniſtros ire procurent: aut ſaltem confeſſariorum conferentiam, quam vocant, fieri curent bis in hebdomada; cui vir doctus & cordatus præſit.

Brevis inſtructio fiat pro confeſſariis a deputatis ab hac ſynodo provinciali, quam ipſorum ſinguli habere teneantur.

Si quis prævio examine pauló rudior expertus fuerit, non ei facultas concedatur, niſi ad breve tempus ex rationabili cauſa putaverit epiſcopus eſſe concedendam.

Approbati habeant bullam in cœna domini & caſus epiſcopis reſervatos. Ubicumque vicarii perpetui haud ſatis idonei ad audiendas confeſſiones conſtituti ſunt, ingruente paſchate, aliave ſolennitate, qua frequentior confluit populus ad confeſſiones, eo mittantur ſacerdotes, tam ſæculares, quam religioſi ab epiſcopis, capitulorum ſumptibus, quibus unita beneficia fuerint, aut illorum ad quos alia quacumque de cauſa pertinere cognoſcent: & tamen utatur epiſcopus adverſus hujuſmodi vicarios minus idoneos auctoritate ſibi tributa decreto cap. 3. ſeſſ. 6.

Ubi curatus non ſufficit, alii deputentur, quorum nomina toto anni circulo in oſtio ſacriſtiæ legantur. Ubi vicarii perpetui non ſunt, conſtituantur ad arbitrium epiſcopi.

Pœnitentiarius ad præſcriptum concilii inſtituatur, in cunctis eccleſiis cathedralibus cum unione præbendæ proxime vacaturæ.

Colligantur in unum caſus reſervati a ſingulis epiſcopis in ſuis ſynodis diœceſanis, ut ex omnibus certus numerus ſeligatur eo-

rum



ANNO CHRISTI 1594.

rum qui per concilium provinciale reſervandi ſunt.

## XIX.

### *De ſacramento ordinis.*

*a In decr. per multos de ætat. & qualit. ord. b Seſſ. 24. cap. 3.*

QUÆCUMQUE a ſacris canonibus, maxime a ſacroſancta ſynodo [b] Tridentina conſtituta ſunt, in conferendis ordinibus inviolabiliter ab epiſcopo obſerventur.

Nemo ad titulum patrimonii ordinetur, qui revera patrimonium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens non habuerit, quique alicui eccleſiæ non adſcribatur, quod epiſcopi diligentiſſime obſervent. Qui beneficia obtinent, ſui beneficii congruentes ordines ſuſcipere cogantur intra tempus a jure præſcriptum: ordinati vero per ſeipſos propria munera exerceant.

Qui non eſt in ſacris conſtitutus, non utatur dalmaticis, ceteriſve ordinum ſacrorum inſignibus.

*c Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 7.*

Quotieſcumque ordinatio [c] de more publice celebranda erit, edictum antea promulgetur, affigaturque in valvis eccleſiarum, in quo omnes recenſeantur qui ab ordinum ſuſceptione procul arceantur. In hoc præterea edicto ſequentia documenta contineantur.

Quiſquis tonſurandus eſt, ad examen veſtitu clericali indutus accedat: id quod multo magis de ceteris intelligitur. Ordinandi, feria quarta, & ſexta ejus hebdomadæ, qua ordinatio habenda eſt, ad aulam palatii epiſcopalis hora pomeridiana pro examine conveniant.

Promovendi etiam ad minores ordines, præter literas dimiſſorias, teſtimonium afferant de vita & moribus ab ordinario ſuo, tum etiam a parocho loci ubi habitant, & a ludimagiſtro, cujus ſcholas frequentant.

Quicumque alicui majorum ordinum adſcribendus eſt, hæc teſtata faciat; ſcilicet, ſe ætatis eſſe legitimæ, beneficium ſufficiens, vel patrimonium; quoties pro neceſſitate vel utilitate eccleſiæ promovebitur, pacifice poſſidere; quorum omnium publica inſtrumenta in medium proferet ab examinatoribus diligenter exploranda. Hæc præterea teſtata faciet; ſe ex præſcripta formula denuntiationes in eccleſia parochiali, tum etiam in illa in cujus finibus poſtremo domicilium habuit, per menſem antea publice die feſto inter miſſarum ſolennia fieri curaſſe.

Qui alienæ eſt diœceſis, hæc afferat, literas dimiſſorias, teſtimonium de ſtatis denuntiationibus, de natalibus, vel diſpenſatione; teſtimonium de ordine priore legitime ſuſcepto, & functionibus in eo præſtitis; diſpenſationem ſuper interſtitio, ſi illud omiſit; teſtimonium de vita & honeſtate.

Regularis hæc teſtata faciet, ſe legitimæ eſſe ætatis, in religione cum laude verſatum eſſe, loco tituli emiſſam regulæ profeſſionem, & rite ad priorem ordinem promotum fuiſſe.

## XX.

### *De ſacramento matrimonii.*

IN contrahendis matrimoniis eæ tum cautiones, tum ſolennitates adhibeantur, quas præſcribit Tridentina ſynodus.

*Seſſ. 20. c. 5. & ſeq.*

Sacerdos facultatem non habens ab ordinario, vel proprio contrahentium parocho, ſi matrimonio intereſſe, contrahenteſque conjungere attentaverit, graviter puniatur; & quidquid attentatum fuerit, irritum declaretur.

Parochus ſciat ſe non rite munere ſuo perfuncturum, ſi quæ ſequuntur obſervare neglexerit: parochi eorum qui vagantur, & certas ſedes non habent, matrimoniis non interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad ordinarium delata, licentiam id faciendi obtinuerint, quemadmodum ſalubriter cavetur decreto c. 7. ſeſſ. 24. de reform. matrimonii.

Matrimonium poſthac non domi, ſed in loco ſacro celebretur: benedictio inſuper ſponſorum in miſſa perficiatur: ſecundæ nuptiæ non benedicantur.

Sponſos antequam contrahant, vel triduo ante matrimonii conſummationem, hortentur parochi, ut diligenter peccata ſua confiteantur, & ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum pie ſuſcipiant.

## XXI.

### *De ſacramento extremæ unctionis.*

CAVEAT parochus, ne in adminiſtranda extrema unctione negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat: alioquin ſi ad illius adminiſtrationem accerſitus ire neglexerit, tum rationem Deo reddet, tum graviter ab epiſcopo pœna plectetur.

Parochus extremæ unctionis ſacramentum ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilicet periculoſe ægrotantibus, propeque moribundis: ita iſtis ne miniſtret, nempe pueris rationis uſu carentibus ad judicium parochi, mulieribus in partu laborantibus, & iis qui ultimo ſupplicio mox afficiendi ſunt.

Curabit parochus, ut ſacræ unctionis oleum honorifice debitaque reverentia geſtet, cruce præeunte, ut moris eſt.

Quod concilio Agathenſi cautum eſt, id unuſquiſque parochus præſtare curet, ut miſſæ ſacrificio peracto, ſi quos in parochiali vicinia ægrotos habet, frequenter, atque adeo quotidie, ſi fieri poteſt inviſat, eiſdemque præſtet quæ ſunt parochialis ſollicitudinis officia.

## XXII.

### *De miſſæ ſacrificio.*

MISSÆ ſacrificium ſalutare, quod a domino Jeſu Chriſto inſtitutum eſt, ea dignitate tractare par eſt, qua tantum myſterium decet. Quapropter ut rite celebretur, audiaturque miſſa, hæc quæ ſequuntur diligenter obſervari ſynodus mandat.

Congregationem pro cærimoniis & ritibus miſſæ erigant epiſcopi in ſua quique eccleſia; in qua ſemel in hebdomada diligenter de cunctis ad miſſam & cetera divina officia ſpectantibus

tibus

ANNO CHRISTI 1594.

tibus ediſſeratur, & ad rationem & uſum receptum a ſancta Romana eccleſia cuncta examinentur, & receptæ cærimoniæ probentur.

Capitula magiſtrum cærimoniarum inſtituant, qui probetur ab epiſcopo, quique accurate a congregatione probata non modo ediſcat, verum ceteros etiam edoceat.

*De celebr. miſſ. c. quidam laicorum.*

In celebrandis miſſis hæc obſervabuntur. Miſſa uniuſcujuſque diei propria, quoad fieri poteſt, celebretur. Si quæ miſſa votiva cantanda ſit, ante vel poſt miſſam officio conformem, canatur.

Quoniam vero pleroſque audivimus ad libitum collectas multiplicare, idcirco non plures ſeptem, vel ad ſummum novem dicantur. In miſſæ fine non aliud evangelium, quam conſuetum ſancti Joannis dicatur; niſi in quadrageſima, diebuſque dominicis anni, & quatuor temporibus currens evangelium legendum ſit.

In cathedralibus & collegiatis eccleſiis, ubi certus eſt miſſarum numerus, hic ordo ſervetur, ut pro populi commoditate, qui ſæpe miſſis carere cogitur, non ſimul miſſæ omnes celebrentur, ſed ex intervallo, ita ut ſingulis horis miſſæ poſſint audiri.

Fiat tabula per præcentorem, in qua miſſæ ordine ſuo diſponantur.

Laicus, ſi fieri poteſt, nullo modo miniſtret altari: clericus vero diligenter inſtruatur circa miniſterium ſuum.

*a Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 16. §. nullus de conſecr. d. 5. c. non oportet. b De conſecr. c. omnes & c. quidam.*

Non admittatur ſacerdos alterius diœceſis ad celebrandam miſſam, & alia divina officia, qui non habeat [a] literas dimiſſorias.

Ab omnibus diœceſanis audiatur integra [b] miſſa diebus dominicis & feſtis.

## XXIII.

*De miſſarum reductione.*

*c Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. cum catholica §. curent & §. contingit.*

SALUBERRIMO concilii Tridentini [c] decreto inhærentes, quo piis teſtantium voluntatibus conſulitur, ſimulque incommodo, quod ex eleemoſynarum tenuitate oritur, remedium affertur; hæc circa miſſarum reductionem ſancimus. Si legatum de cetero eccleſiæ relinquatur, aut ſi capella recens erigenda ſit cum onere unius miſſæ diebus ſingulis per annum celebrandæ, is reditus conſtituatur, ex quo decenter ac commode ſacerdos onus ſubiens vivere poſſit: quantus vero eſſe debeat, epiſcoporum arbitrio cenſeatur. Porro ad iſtius reditus annui rationem ceteros qui pro varietate onerum conſtituuntur ſive ex teſtatorum voluntate, ſive ex fundatione dotationeque alicujus capellæ, expendi in futurum volumus.

Quod vero in futurum proſpeximus, ad præteritum quoque extendi debere declaramus: decernentes, miſſas, pro quibus pia quædam legata relicta ſunt, ſi plures fuerint, quam juxta ſupputationem factam annui reditus quantitas ferat, ad pauciores reducendas eſſe ex præcepto concilii Tridentini. Qua reductione facta, anniverſarium ſingulis annis pro iis celebrabitur, qui eccleſia pauca illa legaverunt.

Omnes vero ac ſingulos, qui miſſas votivas celebrare faciunt, hortamur, ut ſacerdotibus eas celebrantibus tantum eleemoſynæ nomine impendant, quantum pro victu decenti & ho-

neſto illius diei ſufficiat. Æquum etenim eſt, ut juxta apoſtoli ſententiam, qui altari ſervit, de altari vivat.

## XXIV.

*De miſſæ ſupellectile.*

ALTARE habeat hæc quæ ſequuntur; altare portatile conſecratum, niſi altare ipſum totum conſecratum eſſe conſtiterit: candelabra duo: crucem in medio ex aliqua decenti materia: pallium ante altare ejus coloris quem dies requirit: tabellam orationum ſecretarum; & mappulam decentem ad manus tergendas.

*d De conſ. d. 1. c. ut vaſa. c. et calix.*

Calices ad miſſæ ſacrificium non adhibeantur, niſi argentei [d] ab interiore parte inaurati. Sint vero his omnibus inſtructi: purificatorio decenti & albo (eccleſiæ etenim ſingulæ juſſu noſtro certum purificatoriorum numerum, qui cunctis miſſis ſufficiat, confici curabunt) in cujus medio crux parva picta ſit; patena inaurata ad dignoſcendas particulas commodiore; velo decenti ejus coloris, qui miſſæ officio conveniat, quodque totum calicem tegat.

Charta præterea, in qua Gloria, Credo, & verba conſecrationis continentur.

Urcei, qui miſſæ deſerviunt, poſthac vitrei erunt, non ſtannei.

*e De celeb. miſſ. c. luc can.*

Prohibemus facularum, ſeu candelarum minutiorum uſum. Dum ſacroſanctum Chriſti corpus elevandum erit, grandior [e] fax accendatur, pulſeturque campanula, quæ ad altaria ſingula poſita ſit.

## XXV.

*De reliquiis & veneratione ſanctorum.*

ETSI ſanctorum reliquias, quæ organa fuerunt Spiritus ſancti, eccleſia catholica ubique pia veneratione ac honore proſequendas præcipit; nobis tamen id magis magiſque cordi eſſe debet, qui in his locis degimus, circa quæ hæreticorum nequitiam in ſanctos eorumque corpora nefarie graſſari comperimus. Idcirco illud ante omnia præcipiendum cenſuimus, ne ſuperſtitioni, aut falſæ credulitati anſa præbeatur; ut nullo pacto novæ reliquiæ [f] invehantur, invectæve honore aliquo afficiantur, niſi recognoſcente & approbante epiſcopo: qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium theologis, aliiſque piis viris, ea faciat, quæ veritati ac pietati conſentanea judicaverit.

*f Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 2. pe no.*

Unaquæque eccleſia inventarium habeat ſacrarum reliquiarum, in quo annotentur atteſtationes cujuſvis generis, unde probetur veritas ipſarum reliquiarum & certitudo.

Curabit epiſcopus librum confici & conſervari in archivio epiſcopali, in quo diligenter deſcribantur reliquiæ totius diœceſis cum publicis & privatis monimentis & atteſtationibus.

Illæ vero loco decenti, honeſto, atque conſpicuo, non humido, aut ſordido, minuſve decenti, in eccleſia, aut ſacrario cuſtodiantur, ubi nihil aliud ſervari ſoleat: locuſque ipſe ſerico interius ornatus ſit, qui duabus clavibus, & crate ferrea, vel ligneo oſtiolo claudatur, claveſque ipſæ ab epiſcopo deputandis perſonis de clero gravibus ac religioſis tradantur: & niſi



ANNO CHRISTI 1594.

niſi omnino inops ſit eccleſia, lampas ante illarum armarium noctu interdiuque ardeat.

In exponendis reliquiis hæc quæ ſequuntur diligenter advertenda erunt.

*d De reliq. & venerat. ſanctor. c. cum ex eo.*

Non vulgo, [d] neque facile nimis frequenterve populo inſpiciendæ proponantur, ſed diebus dumtaxat ſolennibus.

Ne alibi quam in altari, aut de ſuperiori loco populo oſtendantur.

Caveatur turpis quæſtus.

A ſacerdote ſtola, ac pluviali, vel ſuperpellicio pro eccleſiarum & reliquiarum ratione induto cum luminibus exponantur, & recondantur. Idem ſervandum, cum portantur in proceſſionibus.

Dum exponuntur, candelæ ad minus duæ ardeant.

Ne ad infirmos afferantur, niſi maxima ex cauſa ab epiſcopo probanda.

Unuſquiſque epiſcopus edictum conficiat, ac promulget, in quo prohibeat, ne quiſquam de reliquiis ſumere, donare, extrahere, aut donatas recipere audeat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

Si rumor incertus de miraculo vel ad reliquias, vel ad imagines ſanctorum edito in vulgus prodierit, diligenter rem totam explorabit epiſcopus, ne falſa pro veris irrepant.

## XXVI.

*De ſacris imaginibus.*

UT ſacræ imagines qua decet religione exprimantur, id in primis cavendum eſt, ne pictores, ſculptoreſve illas effingant, niſi ad regularum normam, quæ hoc loco breviter ſubjiciuntur, oſtenſo prius exemplari epiſcopo, vel ejus officiali.

*e Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 11. §. omnis.*

Imagines nihil turpe, [e] nihil profanum, nihil indecorum, quodve riſum moveat, aut intuentium oculos offendat, repræſentent.

Multo magis cavendum eſt, ne quidquam falſum, vel apocryphum, ſuperſtitioſumve ob oculos ponant.

*f Ibid. §. hæc ut.*

Nullæ imagines in eccleſiis piiſve locis ſine epiſcopi, [f] aut illius vicarii generalis conceſſu palam exponi permittantur. Hi vero, picturæ, ſculpturæve qualitate perſpecta, quod ſibi congruum viſum fuerit, conſtituent.

Imagines neque humi, neque ſordido, aut caliginoſo loco, neque ſub feneſtris, unde pluviæ ſtillare poſſint, effingantur.

Si quæ imagines, vel ſtatuæ ab impiis hominibus violatæ, dejectæ, profanatæ, ac demum mutilatæ in hac provincia fuerint, eas epiſcopi curabunt quamprimum ſtatui priſtino reſtitui.

## XXVII.

*De eccleſiarum fundatione & ſtructura.*

*De conſec. d. 1. c. hic ergo. & c. nemo eccl.*

ECcleſiæ & capellæ, ſi quæ de novo extruendæ ſint, certior antea reddatur epiſcopus: qui illarum formam juxta ſacrorum canonum ſententiam tradet, recentemque ſtructuram auctoritate ſua admittet, ſine cujus conſenſu nihil magni momenti in jam extructis deſtrui, reædificari, innovarive poterit.

Proventus templorum fabricis dedicati, ac pro reparandis ornandiſque eccleſiis inſtituti, non temere ſuperflue inſumantur, ſed de iis administratores epiſcopo rationem reddere teneantur.

Quoniam vero templa permulta hujus provinciæ reparatione indigere audivimus; idcirco ſacroſancti concilii Tridentini decretum iiſdem pene verbis hic in medium afferri, ſimulque diligenter obſervari decrevimus.

*Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 7. §. paroch.*

Parochiales eccleſiæ, etiam ſi ſint juris patronatus, cura & ſtudio epiſcopi cum fructibus & proventibus quibuſcumque ad eaſdem eccleſias quomodocumque pertinentibus reficiantur, & inſtaurentur: qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis eccleſiis percipient, aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta epiſcopi cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad matrices, ſeu viciniores eccleſias transferantur, cum facultate, tam dictas parochiales, quam alias eccleſias dirutas, in profanos uſus, non ſordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

*De conſec. d. 1. c. eccl.*

Altaria non quacumque in templi parte extrui debent, ſed decenti ac commodo loco; eo ſane ſitu, ut aliquid ſpatii inter ea interſtet.

*L. decernimus l. 1. c. de epiſc. & cleric.*

Ne ſignum crucis in ſolo ſculptum depictumve inveniatur, imo ubi nunc ſit, omnino deleatur, ne pedibus obambulantium protoratur.

## XXVIII.

*De modo verſandi in eccleſiis.*

*De conſec. d. 1. c. omnes fideles.*

CAveant omnes, ne Dei domum ullo modo profanent. Quocirca nullus in eccleſiam canes, accipitres, armave, niſi ad principis cuſtodiam inducat.

*Ibid. cap. quando autem.*

Nullus in ea deambulet, ſermoneſve, niſi de rebus piis, quocumque tempore, vel negotia inibi tractare audeat.

Abuſum porro illum, quo mulieres quibuſdam feſtis diebus placentas ac flores ingredientibus non ſine ſcandalo offerre ac præbere ſolent, juſtis de cauſis tollendum omnino decernimus.

Illi quoque reprehenſione digni ſunt, qui dum miſſæ ſacrum peragitur, ad altare propius accedunt, aut ſermocinantur, aut perinde ſe gerunt, atque ſi in plateis verſarentur.

Ornari præterea eccleſias, præſertim diebus celebrioribus, maxime convenit. Omnis tamen profanatio cavenda erit, quare aulæa & periſtromata, quæ obſcœnis figuris, ac figmentis poeticis intexta ſunt, ad eccleſiarum ornatum nullus adhibeat; neque item pictas imagines & ſigna, quæ loci ſanctitati minime conveniant. Nullæ item eorum qui inter ſanctos relati non ſunt, præterquam ſummorum Romanorum pontificum, aut aliorum qui loci qualitati conveniant, effigies appendantur: hæ etenim cuique loco maximo ornamento ſunt, atque decori.

*De cuſtod. euch. cap. ſtatuimus.*

Debet eccleſia diligenter cuſtodiri, ſtatis temporibus claudi, ſeris firmiſſimis muniri, ne quidquam interdiu vel noctu ſurripiatur. Ejus ſepulturæ diligenter obſtruantur: ſacella eo nitore atque ornatu ſplendeant, quem locorum facultas, & impigra æditui cura poterit adhibere.

Ille cujus fidei ſupellex commiſſa eſt, eam diligenter curet: quod ut accuratius fieri poſſit, capitulum ei rei virum diligentem ac devotum præficiat.

Cum autem bellorum cauſa interdum con-

ANNO CHRISTI 1594.

tingat eccleſias parum decenter haberi, dum vel in eis præſidia ponuntur, vel intra ipſarum ſepta milites excubias agunt; idcirco volumus ab eccleſiarum curatoribus mox ad epiſcopum referri, ſi quid ejuſmodi factum attentatumve fuiſſe acceperint. Is vero pro muneris ſui ratione curabit ut eccleſiæ in eo quo decet habeantur honore.

## XXIX.

### *De ſepulcris.*

Conſtitutionem ſanctæ memoriæ Pii quinti de ſepulcris & monumentis diligenter epiſcopi obſervent, & obſervari curent.

Quæ vero in poſterum ſepulcra conſtruentur, illorum oſtia omnino duplici lapide contegantur: in quorum ſuperiori ſine licentia epiſcopi nihil effingatur, ipſaque epitaphia non ſine ipſius conſenſu & approbatione inſculpantur.

Nulla prorſus in choro, aut in capella majori ſepulcra ædificentur, nulla denique ſint prope altaria, minus autem ſub ipſis poſita, nec vero ſub bradellis, imo eorum oſtium a bradella tres aut ſaltem duos cubitos procul diſtet.

## XXX.

### *De cœmeteriis.*

*De immun. eccl. c. cum eccleſia.*

Cœmeteria religioſe tractari debent, atque adeo nihil in his profanum agendum eſt. Sint itaque ſemper clauſa parietibus trium cubitorum altitudinis circumſepta, ne illac animalia pertranſire poſſint.

Arbores nullæ, fruticeſve in cœmeteriis ſerantur: ſed jam ſatæ ſuccidantur, niſi in extremitate areæ forte ſitæ ſint.

Nemo in cœmeteriis deambulet, ludat, merces exponat, linteamina & reliqua id genus expandat; aut denique quidquam in illis profanum exerceat.

Locus autem aliquis ſeparatus, teguliſque ſaltem contectus ibi ſit, in quo ſacroſanctum Chriſti vexillum conſpiciatur, vel etiam ſub dio, modo decenti loco collocetur.

## XXXI.

### *De ſacriſtia.*

Quamquam pleraque ad ſacriſtiæ cultum in formula de ſupellectile eccleſiaſtica tradenda ſint, hæc tamen obſervanda præſenti loco ſynodus mandat.

*De cuſtod. euch. cap. relinqui.*

Sacriſta aut operarius, vel quocumque alio nomine deſignetur is cui ſacriſtia commiſſa eſt, inventarium totius ſupellectilis conficiat, & epiſcopo præbeat.

Epiſcopi ſacriſtias viſitantes, omnia paramenta per ſeipſos videant; & attrita jam, quæque nulli uſui eſſe poſſunt, iis in fruſta diſſectis, omnino amoveri curent.

*De conſecr. d. 1. c. veſtimenta.*

Loco magis conſpicuo ſacriſtiæ ſacra imago collocetur, atque etiam altare cruce & candelabris munitum, ad quod celebraturus ſacras veſtes induat.

Oratorium præterea ſeorſum conſtruatur, quo ſacrum celebraturus ſacerdos ſe recipere, orare, & meditari aliquantum poſſit; in quo [illegible] crucifixi imago affixa ſit, & tabella item earum quæ ante, quæque poſt miſſam recitari ſolent orationum.

Confeſſionale etiam loco commodiore ponatur pro ſacerdotum confeſſionibus audiendis.

Lavacrum etiam ſit ad abluendas manus in pariete excavato, & ad manus tergendas linteum appendatur; idque ne ſordibus inquinatum appareat, in ſingulas ſaltem hebdomadas mutetur.

In ſacriſtia ſilentium obſervetur, nec ullus niſi de rebus neceſſariis, tum vero voce ſubmiſſa, in ea loquatur. Sacriſta toto tempore quo celebrantur miſſæ, numquam diſcedat, niſi alio ſubrogato.

Caveant ſacerdotes, ne ſe ad altaria ſacras veſtes induant: ſe itaque ad miſſas in ſacriſtia parent. Sacerdoti ſeſe induenti aliquis præſto ſit, qui albam, aliaſque veſtes decore & concinne aptet.

## XXXII.

### *De vita & honeſtate clericorum.*

*Conc. Trid. ſeſſ. 22.*

Quoniam multa a conciliis, tam generalibus, quam provincialibus, & a ſummis pontificibus de vita & honeſtate clericorum ſancita ſunt, experientiaque didicimus a pleriſque vel ignorari, vel negligi; idcirco quæ ſequuntur, in memoriam reducenda eſſe cenſuimus; ab omnibus clericis inviolabiliter obſervanda, gravi pœna ad ordinariorum arbitrium tranſgreſſoribus propoſita.

*c. 17. c. ſi*

Quia vero (ut ſcriptum eſt) labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore ejus; ſunt enim ſal terræ: idcirco ſacerdotes omnes hos libros penes ſe habeant, teſtamentum vetus & novum Latinum editionis vulgatæ, catechiſmum Romanum, concilium Tridentinum, compendium ſummæ Navarri, aut alterius, conſtitutiones ſynodales proprii epiſcopi, & provinciales. Libri autem obſcœni, inutiles, & vani apud eos nullo pacto reperiantur.

Curati vero, præter jam numeratos, alios etiam codices ſibi comparabunt, cum præſertim in quo recta adminiſtrandorum ſacramentorum ratio contineatur, & inſtructiones a nobis tradendas.

*De vit. & honeſt. cler. c. clerici.*

Habitus clericorum ſit decens, & honeſtus; nec nimium elegans, nec ſordidus, ſed hujuſmodi, qui ipſorum vocationi & ſtatui reſpondeat, totus nigri coloris, non vanus, non effeminatus, non militaris.

Clerici omnes beneficiati, vel in ſacris conſtituti duas talares veſtes geſtabunt, vel ſaltem tunicam uſque ad genua demiſſam ſub altero indumento quod talos contingat.

*Ibid.*

Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, & quicumque beneficia etiam ſimplicia obtinent, coronam clericalem geſtent ad eam formam, quam ratio uniuſcujuſque ordinis poſtulat, quæ octavo quoque die renovetur. Cura ſit præcentoris, an id obſervetur, adnotare. Presbyteris barba a ſuperiore labro ita præcidatur, ut pili in ſacrificio miſſæ Chriſti domini corpus & ſanguinem ſumentes non impediant.

*Extrav. Joan. XXII. cum ſecundum. [illegible] quotidian.*

Obtinentes penſionem aureorum ſexaginta teneantur incedere in habitu clericali ſub pœnis contentis in bulla Sixti V.

Non permittantur mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, clericis cohabitare. Ancillæ dummodo ſint provectæ ætatis, quæ ſcilicet quinquageſimum annum expleverint, nec alias impudice vixerint, obtenta prius licentia in ſcriptis ab ordinario, concedantur.



ANNO CHRISTI 1594.

Caveant clerici, ne partem domus quam inhabitant, laico habenti uxorem, vel alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, etiamſi ſit frater, locent.

*De vit. & honeſt. c. clerici.*

Clericos cauponarum aditu & uſu omnino interdicimus; niſi in itinere neceſſitatis cauſa. Abſtineant clerici ab illicita venatione.

*Eod. tit. c. cum decorem.*

Choreis, comœdiis, aliiſve profanis ſpectaculis non interſint. Cum muſicis numquam obſcœna canant. Ludos prohibitos non exerceant, taxillorum videlicet, & pagellarum.

Nullus clericorum etiam forenſium laicis dominis inſerviat, niſi forte eorum pueros inſtituat; quod etiam cum dignitate facere curabit.

*De ætat. & qual. c. ad aures & de homicid. c. tuas nos.*

Clericos procurationem, advocationemque ſuſcipere, niſi in caſibus a jure permiſſis; artem medicam, mercaturam, tabellionatumve exercere penitus prohibemus.

*21. q. 3. c. hi qui & c. ſacerdotium.*

Caveant qui in ſortem domini vocati ſunt, ne publica vectigalia exigant, neve arrendamenta, quæ vocant, ullo modo conducant, aut alias illicitas negotiationis exerceant.

Presbyteri teneantur ſingulis ſaltem dominicis, & feſtis miſſam celebrare, curati vero ter in hebdomada. Ceteri vero clerici ſingulis menſibus ſacroſanctum Chriſti corpus, qua majori poſſunt devotione ſumant. Omnes interim quotidie miſſam audiant, ſi poterunt.

*Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. quanta.*

Omnes abuſus circa miſſas novas prorſus tollantur: ſacerdotes, ut etiam a criminis ſuſpicione abſint, domos ſeligant in parte civitatis honeſtiore.

## XXXIII.

### *De capitulo & canonicis.*

Capitula, quæ ſtatuta non habent, intra ſex menſes ea conficere teneantur ab epiſcopo examinanda & probanda. Semel per hebdomadam in loco conſueto capitulum congregetur die a canonicis ſtatuendo, qui tamen certus ſit, ante vel poſt miſſam, ne chori ſervitium impediatur.

Congregati canonici, oratione præmiſſa capitulum inchoabunt, quod itidem brevi facta precatione abſolvant.

In capitulo contentioſas & clamoſas confabulationes evitabunt: de iis quæ ad eccleſiæ cultum, & ad pietatem promovendam ſpectant, deque bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratione tractabunt.

Secretarius ibi præſto ſit de capituli corpore, qui decreta jam facta perſcribat. Liber conficiatur illa continens.

Curabit capitulum inventarium confici præbendarum, & quorumcumque beneficiorum, diſtributionumque quotidianarum; quod in viſitatione epiſcopo exhibebitur, vel a ſynodo diœceſana.

Adminiſtratores teneantur rationem reddere coram capitulo, pœna propoſita ad epiſcopi arbitrium. Rationem quoque anniverſariorum, & piorum legatorum reddant epiſcopo ſingulis annis, ſi celebrata illa fuerint, hæc vero ſi executioni mandata.

*Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 20. ſ. omnes.*

Canonicis præcipimus, ut epiſcopo aſſiſtant dum pontificalia exercet; inter quæ locum habet verbi Dei prædicatio. Eoſdem hortamur, miſſarum celebrationem frequentent: Miſſas, quas ſervato ordine vi ſtatutorum ſinguli celebrare tenentur, nullo modo omittant, niſi ex urgenti aliqua cauſa.

*Ibid. ſ. veſtitu d. ſ. c. in omnib.*

Quoniam in toto ordine clericali canonicos decet præ ceteris eſſe conſpicuos: idcirco ab ipſis multo potiore jure morum gravitatem, totiuſque corporis habitus decentem quamdam ſpeciem ſynodus depoſcit. Curabunt itaque tam in eccleſia, quam extra, virtutum ſtudio ceteris prælucere.

*Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 3.*

Epiſcopi in eccleſiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum & obventionum tam dignitatum, quam canonicatuum, perſonatuum, portionum, & officiorum ſeparari curent, & in diſtributiones quotidianas converti: quæ inter dignitates obtinentes, & ceteros divinis intereſſentes proportionabiliter juxta diviſionem ab epiſcopo, tanquam etiam apoſtolicæ ſedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione faciendam, dividantur: ſalvis tamen conſuetudinibus earum eccleſiarum in quibus non reſidentes, ſeu non ſervientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt; nonobſtantibus exemptionibus, atque aliis conſuetudinibus etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuſcumque. Creſcenteque non ſervientium contumacia, liceat contra eos procedere juxta juris ac ſacrorum canonum diſpoſitionem.

*Eſt 106. incip. durum nimis.*

Ut omnis ſimoniacæ labis ſuſpicio tollatur, juxta decretum concilii Tridentini, & bullam Pii quinti, decernimus nihil in poſterum dandum, accipiendumve pro quacumque collatione, proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus cathedralis eccleſiæ, vel collegiatæ, beneficii, canonicatuum, aut præbendarum, ſeu ad diſtributiones quotidianas. Quod ſi alicubi vigeat laudabilis conſuetudo, qua admiſſi aliquid capitulo conferunt in uſus pios & eccleſiæ ornamenta erogandum: volumus eam ab epiſcopo diligenter examinari; qui aliquem deputabit, cui incumbet de acceptis ab admiſſo coram epiſcopo rationem reddere, an juxta concilii & pontificum decreta expenſa ſint.

Curabit capitulum certum paramentorum numerum confici ad epiſcopi arbitrium, quæ non ſolum beneficiatis, ſed etiam adventantibus exteris pro celebrandis miſſis uſui eſſe poſſint. Volumus autem non ſolum de indumentis ſacerdotalibus celebrandæ miſſæ neceſſariis provideri, verum etiam de libris & calicibus ceteriſque ejuſmodi.

Omnes & ſinguli, tam dignitates, quam canonici, ceterique eccleſiæ miniſtri, ea quæ in ſuis conſtitutionibus, aliorumve officiorum inſtitutione in officiis divinis attribuuntur, accurate exerceant, eaque curent epiſcopi ab omnibus ſervari.

Quod ſi neque a primæva inſtitutione, neque a propriis conſtitutionibus quæ probatæ ſint, proprium officium illis attributum fuerit; aut quod ſit, non facile conſtet: epiſcopi duobus adhibitis de capitulo, quorum alter ab ipſis, alter a capitulo deligatur, aſſignent ſingulis dignitatibus & officiis proprium munus, quemadmodum juxta ſacrorum canonum ſententiam pro ratione loci magis expedire videbunt.

ANNO CHRISTI 1594.

XXXIV.

*De horis canonicis.*

HOras canonicas omni diligentia ac pietate Deo perſolvi oportet: quod ſummi pontifices ſemper curarunt, præſertim Leo X. in concilio Lateranenſi, & Pius V. [a] Quorum ſanctiones adverſus eos editas qui illis intereſſe negligunt, curent epiſcopi ad unguem obſervari.

a) Eſt 133. incip. ex praxi.

Chori diſciplinæ tum præcentor, tum alii punctatores præfecti ſint, qui omnes diligenter munere ſuo fungi curabunt.

Punctatores duo eligantur, qui annis ſingulis mutentur; quique juramentum præſtent in capitulo ſe fideliter quæ ſui muneris ſunt adnotaturos, ac rurſus in manibus vicariorum, antequam officium exerceant, ſub pœnis arbitrio epiſcopi infligendis.

Ambo punctatores libros conficiant eorum qui non interſunt, & ſingulis hebdomadis libros punctuationum inter ſe conferrant. Omnibus horis choro interſint, vel ſaltem eorum alter, nec poſſint alterum ſubſtituere.

Punctatores ſtudioſe, ac ſine perſonarum acceptione, ſingulorum errores adnotabunt, quibus ob laborem ac ſtudium annuum quoddam ſtipendium decernatur.

Nullus canonicus, nec beneficiatus, neque alius clericus inter canendum dormiat, nugetur, literas aut libros legat, officium privatim recitet, per chorum vagetur, indecore ſedeat, quidquamve faciat, aut loquatur, quod chori diſciplinam & pſallentium attentionem perturbet.

De celebr. miſſa. c. dolentes § hæc igitur.

Clerici in prima tonſura, aut in minoribus conſtituti, habentes penſionem ſuper beneficio, recitent horas beatæ Mariæ virginis juxta bullam Pii quinti.

Divina officia ex ordine Kalendarii & eccleſiæ inſtituto celebrentur, nec ea ratio ſine juſta cauſa mutetur. Quamobrem a magiſtro chori edatur tabella, qua ſingulorum dierum officii ratio præſcribatur.

Omnes qui horis canonicis interſunt, pſalmos clare ac diſtincte pronuntient, omnem ſtrepitum ac mentis evagationem fugientes.

XXXV.

*De cantu eccleſiaſtico.*

MUſices numeros ad pietatis ſenſum permovendum ſalubriter adhibet eccleſia. Quapropter ejus ſtudium in cunctis eccleſiis non ſolum permittimus, verum etiam in dies augeſcere optamus. Ea tamen obſervatio habenda erit, ut non ad modulos profanarum cantionum, tum pſalmi, tum cetera eccleſiaſtica occinantur.

Decr. nui. de obſer. & evit. ſeſſ. 22.

Quod ſi carmina quædam vernacula lingua in natali domini permittenda ſint in eccleſia concini; ea primum ab epiſcopo legantur, ac examinentur, nec niſi probata & cum ſubſcriptione canantur.

XXXVI.

*De beneficiorum collatione.*

ANNO CHRISTI 1594.

QUæcumque ſancita ſunt a concilio Tridentino & bulla Pii quinti, in beneficiorum collationibus diligenter volumus cuſtodiri. Ne autem cui beneficium qualecumque prius ab epiſcopis, ſeu inferioribus collatoribus conferatur, quam ſancte juraverit, ut in ſequenti preſcripta formula.

Seſſ. 7. c. 13. & ſeſſ. 24. c. 18. & ſeſſ. 7. c. 16.

Ego N. tibi reverendiſſimo domino promitto, ſpondeo, ac juro fidelitatem & obedientiam juxta formam ſacrorum canonum, meque jura & libertates eccleſiæ conſervaturum: bona & res eccleſiaſticas non alienaturum, quin potius alienata recuperaturum: nihilque pro hac eccleſia adipiſcenda illicite, aut ſimoniace per me, vel per alios dediſſe, aliamve illicitam pactionem interveniſſe: ſic me Deus adjuvet &c.

Si vero beneficium curatum ſit hæc præterea addat.

Juro præterea, me non ſolum mandata veſtra ſervaturum, ſed ut alii ſervent diligenter curaturum: eccleſiæ meæ, animabuſque mihi commiſſis ſedulo operam daturum perſonaliter reſidendo. Sic me Deus adjuvet &c.

Eccleſiæ parochiales nonniſi prævio examine in concurſu, juxta decretum concilii Tridentini, & ſanctiones apoſtolicas, conferantur.

XXXVII.

*De beneficiorum incompatibilitate.*

NEmo audeat plura beneficia incomptabilia tenere. Quod ſi diſpenſationem ſe obtinuiſſe aliquis dicat, eam oſtendere intra duorum menſium ſpatium poſt hujus concilii publicationem comppellatur.

Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 4. ...

Juxta decreti concilii Tridentini tenorem unum tantum beneficium eccleſiaſticum conferatur ſingulis. Quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferre.

Decrevit ſacrum Tridentinum concilium, ut ordinarii locorum quoſcumque plura curata, aut alia incompatibilia obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere compellerent, atque per idoneorum vicariorum deputationes & congruæ portionis aſſignationem providerent, ne animarum cura negligeretur, neve beneficia ipſa debito defraudarentur obſequio. Hoc tam ſalutare decretum ordinarii diligenter exequantur, neque committant ſuas hac in re partes ullo modo deſiderari.

XXXVIII.

*De confidentia.*

DEploranda ſane omnibus eſſet miſerabilis horum temporum atque locorum conditio, quibus, timore Dei, ac ſacrarum conſtitutionum placitis poſthabitis, eo cæcitatis devenerunt homines, ut dummodo marſupium repleant, animas perdere nequaquam curent; ac propterea hereditate poſſidere ſantuarium Dei, & beneficiorum eccleſiaſticorum pactiones, lici-



ANNO CHRISTI 1594.

tationeſque publice exercere non erubeſcant: & qui conjugati ac omnino laici ſunt, poſitis execrabilibus illis ac perditiſſimis hominibus, quos *Cuſtodi nos* appellant, beneficiorum tam ſæcularium, quam regularium, etiam parochialium fructus ſibi uſurpent, in grave eccleſiæ Dei ſcandalum, divini cultus diminutionem, & animarum perniciem. Quamobrem nos tanto malo, quoad ejus fieri poteſt, obviare cupientes, ſanctiones Pii quarti & quinti, ſuper confidentia ſimoniaca emanatas, in memoriam & uſum revocantes; omnes qui ad hanc diem beneficia præfata confidentialiter obtinent, quique illorum fructus quovis modo illicite percipiunt, cenſuras dictorum pontificum incurriſſe declaramus: titulos beneficiorum prædictorum, & aliorum quorumcumque nullos & irritos, ipſoſque ad alia etiam obtinenda inhabiles eſſe ſignificamus: fructus non feciſſe ſuos, ad illorumque reſtitutionem in utroque foro ſub interminatione anathematis teneri, notum facimus; tenores dictarum conſtitutionum pro expreſſis haberi volentes, atque contra hujuſmodi delinquentes via juris inquiri atque procedi a judicibus eccleſiaſticis omni meliori modo mandantes. Prædictaſque bullas, ne quis ignorantiam obtendere poſſit, a parochis noſtræ provinciæ ſingulis diebus dominicis infra miſſarum ſolennia publicari & promulgari omnino præcipimus.

In bulla 109 incip. Rom. In bulla 87. intolerabilis.

XXXIX.

*De reſidentia.*

DEcretum concilii Tridentini quo cuncti paſtores animarum in propria eccleſia reſidere jubentur, rite atque exacte cuſtodiri volumus: id quod tam de epiſcopis, quam de ceteris beneficia obtinentibus, quibus cura imminet animarum, intelligatur. Quibus vero cura animarum demandata eſt, præcipimus, ne tridui ſpatio longius abſint a parœcia, quos etiam ab ordinario facultatem obtinere volumus, cauſa abſentiæ expoſita, ſubrogato interim altero, qui vices ipſorum gerat.

Seſſ. 6. c. 1. & ſeſſ. 23. c. 1. — ibid. § eodem omnino.

X L.

*De jure patronatus.*

SÆva habendi cupiditas, quæ tam multos noſtris temporibus tranſverſos agit, in cauſa eſt, ut ii aliena, quacumque demum ratione poſſunt, ſurripiant; & quod maxime deteſtandum eſt, divino cultui jampridem dicata bona uſurpent. Id quod non modo per vim fieri contingit, ſed etiam per fraudem, dum ſibi jus nominandi atque præſentandi competere mentiuntur. Cui malo ut occurratur, decretum Tridentini concilii c. 9. ſeſſ. 25. ſumma vigilantia & diligentia ſtudeant ordinarii obſervare: non aliter præſentationes admittendo, quam ſi titulus juris patronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis juris requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundum juris diſpoſitionem. In iis vero perſonis, ſeu communitatibus, vel univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quam ſi preter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes, etiam continuatæ, non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur.

ANNO CHRISTI 1594.

XLI.

*De decimis.*

DEcretum concilii Tridentini contra eos, qui decimas ſubtrahunt, vel alias illarum ſolutionem impediunt, diligentiſſime obſervetur. Et quicumque variis artibus decimas eccleſiis obvenientes ſubtrahunt, aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam convertunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.

Seſſ. 25. c. 12.

Quoniam vero, creſcente in dies avaritiæ morbo, plerique abuſus circa decimarum ſolutionem irrepſerunt: idcirco epiſcopi fraudes, quibus laici in hac provincia clericis imponere nituntur, caute prudenterque dignoſcant, detectaſque reprobandas & omnino tollendas curabunt.

XLII.

*De officio parochi.*

PArochus, qui in dominici gregis cuſtodia ſecundum poſt epiſcopum vigilantiæ locum tenere debet, non temere, non præcipitanter conſtituendus eſt; ſed iis ſervatis quæ ſupra de collatione beneficiorum decreta ſunt, quo ipſius tam probitas, tum doctrina inquiratur.

Præfectus jam animarum curæ, juxta ſacrorum canonum inſtituta, in id totus incumbat, ut nihil in ſe ejus ſolicitudinis ac laboris deſiderari permittat, quem hominum gubernatio poſtulare videtur.

De ætat. & qual. c. in decorum & c. conſitar.

Ante omnia autem curet parochus, ut vitæ ſit irreprehenſibilis, neve ullam ſuis ſubditis offenſionem præbeat.

Catechiſmum Romanum ſedulo præ manibus habeat, cujus ope tum ſacramentorum rite adminiſtrandorum rationem perſpectam habeat, tum ad conciones habendas ſana doctrina imbui poſſit, quam populo ſibi credito poſtea propinet.

Omnes vero inſtructiones ex noſtri concilii præſcripto conficiendas, tum ſciant optime, tum etiam diligenter obſervent parochi.

Illud vero munus, quod præcipuum, & curandis animabus plane neceſſarium eſſe conſtat ut cunctorum ſubditorum exacta ac diligens deſcriptio fiat a parochis, quamprimum obiici volumus. Hic enim, quem vocant, ſtatus animarum uſque adeo cognitu neceſſarius eſt, ut eo prætermiſſo, nec parochus, nec epiſcopus munere ſuo rite fungi poſſint. Scriptum eſt enim: Diligenter agnoſce vultum pecoris tui. Quapropter curabunt parochi, ut omnium familiarum ac perſonarum numerum & qualitatem libro ad hoc peculiari deputato quam diligentiſſime deſcribant.

Quilibet parochus quatuor libros conficiat, baptizatorum ſcilicet, confirmatorum, matrimoniorum, & mortuorum: in quorum primo baptizati deſcribantur juxta formulam per nos tradendam.

ANNO CHRISTI 1594.

Parochus dum pronum facit, dies feſtos fideliter annunciet, populumque de iis quæ ad ipſius ſalutem pertinent, ea qua decet gravitate ac pietate commoneat: futiles & quæ riſum ſæpe movent narrationes devitet: ita jura ſua tueatur, ut nullam cupiditatis aut avaritiæ ſuſpicionem in auditoribus pariat.

Obſervet parochus, ne in adminiſtrandis ſacramentis ullam negligentiam committat, erroremve ex inſcitia proficiſcentem. Ægrotos maxime cordi habeat, inopes vero ita curet, ut non modo eorum calamitatem conſolatoriis verbis & paſtoralibus obſequiis leniat, verum etiam ſubſidio & eleemoſyna, vel de ſuo vel ſua opera conquiſita ſublevet.

Abuſus, pravas conſuetudines, ſuperſtitiones; morum, ac fidei (quod abſit) ſuborientes novitates vigilantia ſua tollere curet. De quibus omnibus, ut præſentius malo remedium afferatur, quam celerrime ad epiſcopum referat; alioquin negligentiæ ſe pœnas graviſſimas daturum intelligat.

Quoniam vero nonnullis capitulis in univerſum, non certæ perſonæ animarum cura annexa eſt, idcirco ab illis virum idoneum ordinariis præſentari decernimus. Quod ſi in hoc ſegniter ſe capitula geſſerint, epiſcopi fructuum portionem etiam pinguem alicui a ſe probato aſſignent.

Seſſ. 21. c. 5. Epiſcopi tanquam ſedis apoſtolicæ delegati, ſine tamen obtinentium præjudicio, ex concilii Tridentini facultate uniones faciant quarumcumque eccleſiarum parochialium, & aliorum beneficiorum.

Ad ſtatum eccleſiarum ex dignitate conſervandum ſacrum concilium Tridentinum magna cum ratione ſtatuit, ut epiſcopi etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegati poſſent juxta formam juris ſine obtinentium præjudicio facere uniones perpetuas, quarumcumque eccleſiarum parochialium & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem, & in aliis caſibus a jure permiſſis. Itaque epiſcopi, ubi opportunum fuerit, ea facultate diligenter utantur.

Ubi vero ob locorum diſtantiam parochiani ſine magno incommodo ad percipienda ſacramenta & divina officia audienda accedere non poſſunt; novæ parochiæ conſtituantur, juxta Alexandri tertii ſanctionem, & Tridentini concilii decretum. (c. ad audientiam de eccleſ. ædific.)

Studioſe vero parochus ſit ſolicitus de pauperibus ſuæ parochiæ, præſertim puellis nubilibus, viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, ſenio confectis, aliiſque perſonis utraque miſericordia indigentibus, quibus & ipſe opituletur, & alios hortatu ſuo ad id officium invitet. Præcipue de iis epiſcopum certiorem faciat; ut qui communis eorum pater eſt, iiſdem paternam curam præſtet.

## XLIII.

### *De feſtorum dierum cultu.*

DIES feſti, qui ad celebrandas Dei laudes, ſanctorumque memoriam pie colendam ſalubriter inſtituti ſunt, curandum eſt diligenter, ut ſancte ab omnibus obſerventur, & ne iis ipſis homines ad majora perpetranda ſcelera abutantur.

Prohibemus igitur, ne diebus dominicis, atque aliis feſtis, qui vel eccleſiæ præcepto, vel loci conſuetudine colendi ſunt, aliquid operis ſervilis fiat; nihil emi, vendive poſſit, niſi quod ægrotis, aut illius diei victui neceſſarium ſit. Cibi vero ita veneant, ut ipſorum occaſione officinæ nullo modo apertæ ſint, præter illarum oſtiolum.

Res porro neceſſariæ, nec ante eccleſiæ fores, nec in cœmeteriis vendantur. Mercatus, emporia, nundinæve ne uſpiam fiant, ſed quæ feſto die fieri conſueverint, in antecedentem, vel ſequentem diem, qui feſtus non ſit, transferantur, ubi fieri poteſt.

Nemo diebus feſtis quocumque ludo ludat, dum celebrantur divina officia; quo etiam tempore nemo cauponas adeat: comeſſationes, ebrietates, choreæ, & ſpectacula, omniſque alia dierum feſtorum profanatio ceſſabunt.

Doceant parochi, ceterique verbi Dei præcones, diebus feſtis Dei cultui dedicatis, divinis officiis, concionibuſque audiendis, ceteriſque id genus piis operibus vacandum eſſe, nec miſſam a quocumque haud legitime impedito ſine gravi flagitio prætermitti poſſe. (De conſec. d. 1. c. 62. [illegible] De ſec. c. [illegible] cet.)

Si ingruente aliqua neceſſitate ſervile quid fieri diebus feſtis oporteat, conſulatur epiſcopus, vel ejus vicarius: qui, re diligenter inſpecta, quod congruum fuerit decernant.

## XLIV.

### *De quadrageſima, & ſacrorum jejuniorum obſervantia.*

DEO quidem ſemper ſerviendum eſt, nec ullum tempus eſt futurum, in quo creatori noſtro ſervitutis debitæ cultum non exhibeamus. (De conſec. d. 5. c. quod.) Verum quadrageſimæ diebus cuncti fideles ſtudioſius rebus divinis vacare debent; cum & Dei ſermo crebrior habetur, & jejunium ac ciborum ſalutaris abſtinentia indicitur. Quare ut commodius quiſque atque religioſius ſanctos quadrageſimæ dies exigere poſſit, hæc de illa ſancienda cenſuimus.

Edictum aliquot ante diebus ab epiſcopis promulgetur, quo vetitorum ciborum norma præſcribitur.

Medicos omnes epiſcopi aliquot ante diebus accerſant, eoſque diligenter moneant, ne propriæ ſalutis immemores nimia facilitate cujuſpiam male affectam valetudinem affirment; iis indulgentes qui fingunt laborem in præcepto. (Ibid. c. conſ[illegible].) Cetera minutiora ad ciborum venditores pertinentia late in edicto explicentur.

Parochi & concionatores in dominica quinquageſimæ, & feria quarta cinerum populo demonſtrent, neminem abſque legitima cauſa jejunium violare poſſe abſque lethali crimine, ſimulque jejunii modo ac conditionibus enucleatis, pleroſque ab errore liberent, qui putant illud non violari, ſi hora definita præveniatur, aut etiamſi bis more conſueto comedatur, aut ciborum delectus negligatur.

Omnes ac ſingulos hortamur, ut quoad fieri poteſt, audiendo verbo Dei frequentes adſint.

Canonicos vero intereſſe concioni omnino volumus, quæ in ipſorum eccleſia habetur, niſi legitime impediantur. (De conſec. c. ſacerdot.)

XLV.



ANNO CHRISTI 1594.

## XLV.

### *De oratione quadraginta horarum.*

QUADRAGINTA horarum oratio religioſe inſtituta, ut cum ſalutari animarum fructu retineatur, hæc etiam conſtituimus atque decernimus.

Fiat in conſpectu ſanctiſſimi ſacramenti, quod e tabernaculo expoſitum in majori, aliove altari, ſi ita expedierit, palam collocetur. Id ut cum dignitate agatur, altaris vel capellæ, ubi exponetur, ornatus ſit valde decens ac religioſus.

Cereorum numerus in altari accenſorum ejuſmodi ſit, qui & multitudine & recta diſpoſitione cum Chriſti præſentiam exornet, tum intuentium oculos ad pietatem alliciat. Sex ad minimum cerei, & lampades duodecim, ac binæ faces grandiores, durante precatione, ardeant.

Dum Chriſti corpus in altari propoſitum eſt, clerici duo ſuperpellicio induti, capite aperto, ad altare ſemper aſſiſtant.

Qua hora frequens eſt ad orationem concurſus, ſermo, iſque brevis, & ad piæ meditationis ſtudium inflammandum apposite accommodatus habeatur.

Ubi fieri poteſt, cum hæc oratio celebratur, feminæ a maribus ſeparatæ tabulato aut tela ſaltem interjecta, precationi vacent, & alias tumultuantes ſedare curent.

Nocte appetente nulli mulieri liberum ſit in eccleſia manere.

Abſque epiſcopi licentia non fiat quadraginta horarum precatio.

## XLVI.

### *De proceſſionibus.*

PROCESSIONES, publicas præſertim, rite ac diligenter, ut cetera omnia ad Dei cultum inſtituta, fieri neceſſe eſt. Ne itaque illarum ſolennitas minuatur, omnes clericos, tam ſæculares, quam regulares fratres & monachos cujuſvis ordinis ad eaſdem publicas vocatos accedere compellant epiſcopi; iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo degunt. (Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 13. Ibid.)

Clericis quibuſcumque, pœna excommunicationis propoſita, interdicimus, ne proceſſiones quaſcumque publicas ipſi in civitatibus aut oppidis obeant abſque facultate in ſcriptis ab epiſcopo impetrata.

Conſtituat epiſcopus certos homines, qui clerum ad ſupplicationes prodeuntem dirigant, eumque aliquando, cum opus eſt, ſubſiſtere moneant; tum etiam qui populum promiſcuum, vel ſodalitates ordine incedentes moneant, corrigantque.

Controverſias omnes de præcedentia tum inter eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares, quam regulares, tum inter confraternitates plerumque orientes, vel cum publicæ ſupplicationes decernuntur, vel cum alicujus defuncti corpus humandum eſt, epiſcopus, amota omni appellatione, componat.

Sicuti religionis inſigne quoddam ſpecimen edunt, qui dum corporis Chriſti proceſſio fit, vias & parietes, quibus poſſunt, ornamentis veſtiunt: ita reprehenſione ſunt digni, qui picturis parum decoris & aliis fœdis ſpectaculis tum diem feſtum violant, tum intuentium oculos offendunt. Nihil itaque ejuſmodi in poſterum videatur.

## XLVII.

### *De funeribus & exequiis.*

CHRISTIANORUM funus curare piis precibus adhibitis, ac ſolenni quodam ritu defunctorum corpora efferre, tum priſca eccleſiæ conſuetudo ſuperſtites admonet, tum futuræ reſurrectionis ſpes certiſſima præcipit. Exequiarum itaque honor fidelibus pie ac religioſe impendatur.

Ante Solis ortum, & poſt Solis occaſum mortuum & efferri, & ad ſepulturam recipi prohibemus.

Miſerabiles perſonæ quibus mortuis aut nihil ſupereſt, aut ita parum, ut ſua impenſa humari non poſſint, a parocho ſumptibus eccleſiæ ſepeliantur.

Cum mortuus efferendus erit, cujuſvis eccleſiæ clerus, qui vocabitur, confraternitas etiam in unam eccleſiam conveniant: unde omnes prodeuntes, binique pſalmos canentes, mortuum ab ejus ædibus comitentur.

Candelæ ac cerei & intorticia, quæ circum cadaver accenduntur, heredum impenſa, ita Deo oblata eſſe intelligantur, ut ei eccleſiæ in qua corpus humandum erit, mox addita ſint. Loci tamen pia ac laudabilis conſuetudo ubique ſervetur.

Ordinarii, ubi ſeſe obtulerit occaſio, ne prætermittant exequi decretum concilii Tridentini, quo cavetur, ut quibuſcumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta quæ funeralium dicitur, cathedrali, aut parochiali eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocumque privilegio aliis monaſteriis, hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure, & eadem portione quæ antea ſolebat, cathedrali, ſeu parochiali eccleſiæ perſolvatur: non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.

Contingit interdum, ut dum mortuus aliquis efferendus eſt, pœnitentium ſeu confratrum cœtus ad comitandum funus vocentur, qui dum plus nimio moram trahunt, in cauſa ſunt, ut collegiatæ eccleſiæ eos expectare cogantur. Nos itaque omnes ſcholas, confraternitates, & pœnitentium ſocietates, vel juxta præſcriptam rationem clerum prævenire volumus; vel, ſi ſtatuto tempore non venerint, ut poſſit a clero corpus ad ſepulturam efferri, iis non expectatis, decernimus.

## XLVIII.

### *De indulgentiis.*

IN publicandis indulgentiis omnis turpis quæſtus ſuſpicio tollatur: quod ut commodius fieri poſſit, eæ cautiones ſerventur, quas præſcribit concilium Tridentinum.

Parochus, concionatorve indulgentiarum valorem interdum explicet, ſimulque oſtendat quo in pretio a cunctis fidelibus haberi debeant. (Seſſ. 25. cap. cum poteſtas.)

Singulæ eccleſiæ, quibus vel conceſſæ ſunt, vel concedentur indulgentiæ, codicem habeant, in quo per ordinem illæ memorentur, ac ſommo-

mo-

ANNO CHRISTI 1594.

morum pontificum nomina, qui ipſas conceſſerunt, menſis item, & annus. Tabella etiam in ſingulis ſit eccleſiis, in qua idem prorſus exhibeatur. Pari diligentia altarium privilegiatorum memoria teneatur.

## XLIX.

### *De ſeminario.*

SEMINARIORUM fundatio ſaluberrime inſtituta, ab epiſcopo diligentiſſime curari debet, tum ob multa alia, tum ob id præcipue, quod ex illis fructus maximus ſperandus ſit, ſi qui ad exactæ diſciplinæ normam educati fuerunt, regendi animabus poſtea præficiantur.

Qui in ſeminario recipientur, non ſint minores duodecim annis, ex legitimo matrimonio procreati, & idonei ad literas addiſcendas reperiantur: ſint vere pauperes, & ex patre & matre paupere, & ex diœceſi aſſumantur.

Divitum filii admitti poterunt, dummodo propriis ſumptibus alantur, ac eumdem habitum geſtent.

Quicumque recipiendi ſunt, polliceantur ſe nunquam clericalem ordinem deſerturos.

Admiſſi cum habitu honeſto & uniformi coloris violacei utantur: nec plures recipiantur quam ſeminarii facultates ferant; probatioque eorum fiat in loco ſeparato, præmiſſa generali peccatorum confeſſione.

Qui confirmati non ſunt, confirmentur, & prima tonſura inſignantur, muſicam & doctrinam Chriſtianam addiſcant, ritusque & ceremonias, inſerviendo eccleſiis, præſertim cathedrali diebus feſtivis, ceteriſque prout epiſcopo videbitur.

Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 18. cum elucid. illuſtriſſim. congreg.

Quotidie miſſæ ſacrificio interſint, & ſingulis menſibus domini corpus ſumant: ſingulos porro ſeſe in virtutibus cunctis exercere par eſt, in obedientia præſertim, quæ adoleſcentes maxime decet.

Numquam ſoli domo egrediantur, nec niſi de rectoris licentia. Ut autem Latinam linguam facilius addiſcant, ſemper inter ſe Latine loquantur.

Si aliqui minus idonei reperti fuerint, vel quoad literas, vel quoad mores, vel denique quoad valetudinem, dimittantur, facta examinatione a deputato ab epiſcopo.

Adminiſtratores rationem reddent coram deputatis juxta decretum concilii Tridentini ſingulis annis.

Ibid.

Beneficia aliquot ſimplicia juxta formam a concilio præſcriptam uniantur ſeminario; de qua unione appareat apud cancellariam curiæ epiſcopalis.

## L.

### *De ſanctimonialibus.*

SANCTIMONIALES Chriſto deſponſatæ peculiari quodammodo epiſcoporum fidei creditæ, eorumque pervigili curæ commiſſæ ſunt: idcirco curent epiſcopi omnia monaſteria ſuæ juriſdictionis ad priſtinam obſervantiæ regularis formam reducere, juxta religionis, ſeu ſocietatis leges, quas jam profeſſæ ſunt.

Seſſ. 25. c. 5. de regul.

Clauſuram vero ex concilii Tridentini, & ſummorum pontificum juſſu, ac modo præſcripto, non ſolum in ſuis monaſteriis, verum etiam in exemptis omnibus reſtitui ſervarique diligentiſſime curent.

Quapropter nullus ſine ſuperioris licentia audeat ad monaſteria monialium quocumque colore vel prætextu accedere, pœna excommunicationis propoſita.

In bulla, Decori, & honeſt.

Nullus autem auſu nefario monialium ſepta ingredi poſſit, pœna propoſita a Pio V. aliiſque ordinariorum arbitrio infligendis. Quod ſi quempiam ingredi ob uſus tam monaſterio, quam monialibus omnino neceſſarios opus fuerit, ea de re ad epiſcopum referatur, qui ejus mores & vitam exploret, & poteſtatem ingrediendi faciat in ſchedula propria manu ſubſcripta.

Nulla tam ex monialibus, quam ex ancillis, puellisve educationis gratia in monaſterio degentibus clauſuræ terminos tranſgrediatur, pœna propoſita in dicta bulla.

Si qua monialis autem diabolica inſtigatione correpta, extra monaſterium manere, vagarique inveniatur, ad illud rurſus redire compellatur.

Seſſ. 25. c. 17. de regul. Ibid. c. 7. Juxta bullam Pii V. circa hoc. g. 13. ſeſſ.

Quoniam vero libertati profeſſionis virginum Deo dicandarum proſpiciendum eſt; idcirco quæcumque concilium Tridentinum decrevit circa explorandam virginum voluntatem, & contra eos qui per vim ad ſuſcipiendum habitum puellas compellunt, omnino volumus obſervari.

In electione abbatiſſarum, & prioriſſarum ea etiam ſerventur quæ idem concilium decrevit: illud admonentes, abbatiſſam triennalem fieri debere, cum primum abbatia vacabit, vel per mortem, vel per reſignationem, vel per pœnam jure inflictam.

Moniales tria vota emiſſa inviolabiliter obſervent: epiſcopi vero in id incumbant, ut omnis proprietas tollatur ea ratione, quæ ſibi accommodatior videbitur, cum monaſteria viſitabit.

Renuntiationes ante profeſſionem factæ a monialibus irritæ habeantur, niſi facultas ab epiſcopo ante duos menſes obtineatur, quam mox profeſſio ſequatur, ut in concilio Tridentino cautum eſt.

Ubi ſup. cap. 16.

Conficiatur formula quam ſequantur moniales omnes.

Antequam profeſſio emittatur a virginibus, diligenter de eleemoſyna agatur in numerata pecunia, quæ ſuper fundo ſtatuatur, cujus ſors principalis non poſſit aut debitis ſolvendis, aut quotidianis uſibus inſumi.

De inſtit. & non amplius.

Curent epiſcopi, expenſis antea monaſteriorum monialium ſibi ſubditarum facultatibus, vel ex conſuetis eleemoſynis certum monialium numerum conſtitui, qui nullo modo poſſit augeri, niſi facultatibus vel ex conſuetis eleemoſynis auctis. Quod ſi monaſteria regularibus ſubjecta fuerint, idem epiſcopus præſtare in illis quoque debeat, adhibitis tamen ſuperioribus regularibus, quemadmodum cavetur conſtitutione ſanctæ memoriæ Gregorii XIII. hac de re edita.

## LI.

### *De hoſpitalibus.*

De relig. dom. & de xenodoch.

INTER cetera paſtoralis ſolicitudinis onera, hoſpitalium, omniumque piorum locorum cura locum habeat. Quare ea diligenter viſitet epiſcopus.

Adminiſtratores hoſpitalium ac piorum locorum quorumcumque, juxta concilii Tridentini decreta, rationes reddant ordinariis ſingulis annis, niſi ſecus forte in inſtitutione & ordinatione talis eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſſe cautum eſſet. Quod ſi ex conſuetudine, aut privilegio, aut ex conſtitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda eſſet, tunc cum iis adhibeatur etiam ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis adminiſtratoribus minime ſuffragentur. Quod ſi in caſibus, in quibus reddere rationes ordinario tenentur, ab eo commoniti non paruerint, per cenſuras eccleſiaſticas compellantur.



ANNO CHRISTI 1594.

Nullus adminiſtrator hoſpitalium, ceterorumque locorum religioſorum electus antea adminiſtret, quam in manibus epiſcopi vel vicarii juramentum præſtiterit ſe fideliter diligenterque munus ſuum executurum, ſtudioſeque proſpecturum, ne bona ac reditus in alios quam in deſtinatos uſus convertantur.

## LII.

### *De confraternitatibus.*

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 8.

EPISCOPI ſemel in anno confraternitates viſitent, earumque ſtatuta diligenter videant, examinentque.

Confratres inhabiles, & excommunicatos a muneribus excludant.

Ornamenta & utenſilia ſacra confraternitatum in loco tuto conſerventur, a ſacerdote in uſus neceſſarios exponenda, ubi opus fuerit.

Prohibemus ſanctiſſimum Chriſti corpus in confraternitatibus conſervari, niſi aliter videatur epiſcopo. Ita vero miſſæ ceteraque officia divina in confraternitatibus celebrentur, ut eccleſiarum ſacrificia, preces horariæ, concioneſque non impediantur. Qui officium dirigit, & abſolutiones facit, ſi fieri poteſt, ſacris initiatus ſit.

In proceſſionibus ordine debito, ac devota quadam gravitate confratres incedant, nihil tumultuarie, nihil litigioſe agentes.

Controverſiæ vero de præcedentia ſic dirimantur, ut antiquiores confraternitates ſemper recentioribus præferantur, & quæ prius confirmatæ fuerunt, iis quæ poſterius.

Immenſi quidam ſumptus, quos confraternitatum officiales plerumque faciunt in rebus parum neceſſariis, omnino devitandi ſunt.

Intolerabilius illud eſt, quod ex eleemoſynis ad pios uſus deſtinatis convivia & comeſſationes inſtruuntur. Hos itaque ac ſimiles abuſus deteſtantes prohibemus.

Præficiatur vir aliquis pietate ac prudentia præditus, qui confraternitates inviſat, ut ſi quid vitioſum in eis repullulare viderit, obſervet, omninoque tolli procuret.

Rectores reddant rationem de oneribus & beneficiis, ſi quæ habent unita, ceteriſque proventibus, & an muneri ſuo ſatisfaciant.

## LIII.

### *De regularibus.*

MONASTERIA, quæ animarum curam habent annexam, quoties erit eligenda perſona ad eam exercendam idonea, ordinariorum judicium & examen omnino ſequantur. Is vero cui fuerit cura commiſſa, illorum juriſdictioni ſubjiciatur quoad viſitationem & correctionem, ex concilii Tridentini præſcripto.

Seſſ. 25. c. 11. de regul.

Meminerint regulares, ſibi non licere clericis aut laicis ſacramentum unctionis extremæ, vel euchariſtiæ miniſtrare, matrimonia abſque licentia parochi ſolennizare, aut quemcumque abſolvere excommunicatum a canone, præterquam in caſibus a jure expreſſis, aut vigore privilegiorum a ſede apoſtolica conceſſorum, vel a ſententia per decreta concilii provincialis, aut diœceſana promulgata. Quod ſi in aliquo ex ſupradictis contra fecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, quæ ſedi apoſtolicæ eſt reſervata, quemadmodum providentiſſime ſtatuit Clemens V. in concilio Viennenſi.

Cum nulli ex regularibus, etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi, a ſuo conventu recedere liceat: ſacroſancti concilii Tridentini decreto inhærentes mandamus, ut qui ſine prædicto mandato inſcriptis contento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam ſui inſtituti deſertor puniatur.

Ubi ſup. 5. nec liceat.

Facit rei pondus & momentum, ut quod alibi diximus, hic etiam commemoremus. Sane cum interdum ex regularibus aliqui ad concionandum mittantur, qui & vita & doctrina tanto muneri impares exiſtunt; id ne contingat, provide ſtatuit Tridentinum concilium, ut regulares cujuſcumque ordinis, niſi a ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in eccleſiis ſuorum ordinum prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In eccleſiis vero, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis eccleſiis non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſint. Hoc itaque utile ac proficuum decretum qua par eſt diligentia erit obſervandum.

Eſt. 12. Incip. Regularium.

Bullam Pii V. adverſus mulieres quæ monaſteriorum virorum clauſtra ingrediuntur, & regulares, qui eas ingredi permittunt, editam tranſgredientes, cunctos excommunicatos decernimus.

Apoſtatæ juxta ſummorum pontificum conſtitutiones ſevere puniantur.

## LIV.

### *De foro epiſcopali.*

JUDEX non excedat juriſdictionem ſuæ diœceſis cujus certi ac determinati limites erunt, ne ad lites & controverſias aditus aperiatur.

In id præcipue judex eccleſiaſticus incumbat, ut miſerabilium perſonarum querimonias patienter audiat; quarum etiam neceſſitatibus prompte & alacriter provideat, ubi id ratio ac juſtitiæ lex poſtulabit.

Excommunicationum literæ in infraſcriptis caſibus non concedantur.

Pro re criminoſa, quæve infamiæ notam inurat.

Pro re occulta omnino.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3.

Nec pro rebus deperditis paſſim, ac parvi momenti.

Pro re quæ ſummam viginti aureorum non excedat, niſi aliter epiſcopo videatur.

De reſcrip. in 6. c. diſpendia & Clem. de judic. c. diſpen.

Deputentur a ſynodo viri graves & pii juris utriuſque periti, qui de ſtylo mutando, ac in compendium redigendo in tractandis ac finiendis cauſis mature conſulent. Omnis enim litium procraſtinatio ſtudio ac diligentia epiſcoporum tollenda eſt.

De-

ANNO CHRISTI 1594.

Decreta judicis, ipſo præſente, a notariis expediantur. Epiſcopi vero caveant, nullum mittendum eſſe in poſſeſſionem, niſi literis expeditis.

## L V.

*De locatione bonorum eccleſiaſticorum.*

PRINCIPIO curet epiſcopus inventarium generale confici omnium bonorum eccleſiaſticorum, jurium, beneficiorum cujuſvis generis ſuæ diœceſeos; compellatve omnes ac ſingulos quævis eccleſiaſtica beneficia obtinentes ad prædictum inventarium exacte ac fideliter conficiendum ſub pœnis arbitrio epiſcopi imponendis. Pari diligentia archivium inſtructum habeat, in quo omnes ſcripturæ conſerventur.

Seſſ. 22. c. 6.

Epiſcopus jubeat decretum concilii Tridentini contra uſurpatores rerum eccleſiaſticarum bis per annum in eccleſiis publicari, ſcilicet primis diebus dominicis adventus, & quadrageſimæ.

Ut fraudibus occurratur, & uſurpationibus bonorum eccleſiaſticorum, iis præſertim quæ ſunt in hac provincia; locationes rerum eccleſiaſticarum hactenus confectæ abſque publico inſtrumento per notarium curiæ epiſcopalis intra duos menſes in inſtrumentum referantur authenticum. Deinceps vero per publicum inſtrumentum conficiantur, quod per notarium curiæ prædictæ, aut alium in acta publica intra duos menſes a die contractus omnino referatur.

Recognoſcantur ab iis, ad quos ſpectat, fundi eccleſiaſtici cum eorum limitibus, & ſi quæ in eis factæ fuerint meliorationes, vel deteriorationes.

Curet epiſcopus, ne arbores fundorum eccleſiaſticorum cædantur a conductoribus.

Seſſ. 25. c. 11.

Ut eccleſiarum utilitatibus conſulatur, & ſacroſancti concilii Tridentini decreta executioni mandentur, epiſcopi aliquos deputent, qui emphyteuſes, locationeſque rerum eccleſiaſticarum ad longum tempus a triginta annis citra ante confirmationem concilii Tridentini factas recognoſcant: & ſi eas cum eccleſiarum detrimento, & contra canonicas ſanctiones factas fuiſſe invenerint, irritas & nullas eſſe declarent.

## L VI.

*De teſtamento & legatis piis.*

NEMO teſtatorum mentes, qui propenſo ſtudio ad relinquenda eccleſiis legata feruntur, metu, precibus, conſiliove a pietatis amore deducat. Qui ſecus fecerit, ſe tanti criminis rationem coram Deo redditurum intelligat.

Notarii omnes infra trium menſium ſpatium teſtamenta, codicillos, & quæcumque ad pias cauſas teſtatorum voluntates diſpoſuerunt, epiſcopis manifeſtare cogantur, pœna excommunicationis propoſita.

Liber conficiatur in ſingulis eccleſiis, in quo diligenter annotentur legata olim facta, nondum tamen ſoluta, & quæ deinceps tam in civitatibus, quam in diœceſibus fient.

Si quis aliquid eccleſiæ leget, conditione appoſita, quæ nonnihil ambiguitatis pariat, quæ legati executionem retardet; habeatur de ea cum epiſcopis conſultatio.

De teſtam. c. Indicaveris. c. relatum.

Legatis ad pias cauſas cum jura plurimum faveant, nec eæ ſolennitates neceſſariæ ſint, quas cetera poſtulant: curet epiſcopus, quacumque poterit, diligentia, illa eccleſiis vindicare.

## L VII.

*De medicis.*

ITA corporis valetudo curanda eſt, ut animæ ſalus non negligatur: quapropter medicis, tam phyſicis, quam chirurgicis præcipimus, ut cum primum ad ægrotos vocati fuerint, eis neceſſariam peccatorum confeſſionem faciendam eſſe perſuadeant. Quoniam vero res iſta magni eſt momenti: idcirco quæcumque conſtitutio Pii V. felicis recordationis circa medicorum munus decrevit & ſancivit, hic commemoranda eſſe cenſuimus, ne cuiquam ignorantia ſuffragetur.

Medici itaque tertio die ulterius ægrotos non viſitent, niſi longius tempus ipſis confeſſor ob aliquam cauſam rationabilem (ſuper quo ejus conſcientia oneratur) conceſſerit, & illis per fidem confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quod infirmi, ut præmittitur, peccata ſua confeſſi ſunt.

Quod ſi qui medicorum præmiſſa non obſervaverint, ultra pœnas in conſtitutione Innocentii III. contentas, quas incurrunt, perpetuo infames erunt, & gradu medicinæ quo inſigniuntur, omnino priventur; ac pœna etiam pecuniaria arbitrio ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur.

Nullus medicinæ doctor creari poſſit, nullive quomodolibet medendi facultas a quovis collegio & univerſitate concedatur, niſi omnia in conſtitutione Pii V. & ejuſdem ſummi pontificis præſcripto contenta, medio juramento, coram notario publico & teſtibus obſervaturum ſe eſſe promittat. Quod juramentum in manibus ordinarii præſtetur, cujus etiam in privilegio doctoratus & licentia medendi ſpecialis mentio fiat.

Epiſcopi vero prædictum juramentum a medicis jam promotis omnibus juris remediis exigant, renitentes pœnis enarratis afficiant.

Ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ſuadeat, vel permittat, quod in animæ periculum vergat.

## L VIII.

## DE DELICTIS, AC PRIMO.

*De blaſphemia.*

IN execrabili autem blaſphemiæ ſcelere, quod ad hæreſim, quæ ſumma blaſphemia eſt, proxime accedit, radicitus convellendo, non minorem curam ſtudiumque ponere debet epiſcopus, quippe quo juſta ira Dei contra nos accenditur, ac incitatur. Quare epiſcopus contra hujuſmodi deteſtabiles homines, qui tale crimen committunt, ex ſacrorum canonum jure, tum præſertim ex ſanctione Leonis X. in concilio Lateranenſi edita, & Pii V. a conſtitutione, quo adeo nefarium ſcelus non modo compeſcatur, ſed plane tollatur, ſeveriſſime animadvertat.

a Eſt 5. incipit cum primum.

Indul-



ANNO CHRISTI 1594.

Indulgentias decem annorum quas Leo X. in eodem Lateranenſi concilio tam judicibus, quam deferentibus largitus eſt, ſæpe evulgari faciat.

Sodalitatem nominis Dei per eos, ad quos ex Pii V. conſtitutione pertinet, ubique locorum ſuæ diœceſeos erigendam curet, atque indulgentias ab eodem ſummo pontifice ſodalitatibus ejus rei cauſa conceſſas frequenter a parochis omnibus promulgari jubeat.

## LIX.

*De uſuris.*

Tot. tit. de uſurar.

USURARUM ſcelus nefandum e Chriſtiana republica expellere, & fœneratorum rapacitatem juxta ſacroſanctas eccleſiæ ſanctiones coercere cupientes, ſtatuimus, omnes, qui contractus illicitos uſurarios & a jure improbatos exercent, ſi tam nefarii criminis reos eſſe legitime & juris ordine ſervato conſtiterit, pœnis cunctis a jure propoſitis ſubjici debere. Notarios, proxenetas, teſtes, lucrive participes, ac quoſcumque miniſtros quocumque modo, conſilio, & opera hujuſmodi contractibus faventes, excommunicatione innodantes, & ab officio ſuſpendentes.

Inſtructio fiat pro concionatoribus, & parochis in qua innumeræ, quæque magis in uſu ſunt, uſurarum ſpecies recenſeantur, & ſæpius in concionibus promulgentur.

## L X.

*De duello.*

NEFARIAM duellorum, ſeu ſingularium certaminum provocationem, qua infelices homines inſano tuendæ vel vindicandæ contumeliæ furore correpti extremam ſibi tam corporum quam animarum perniciem accerſunt, execrantes; ſacroſancti concilii Tridentini decreta & ſummorum pontificum Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pii IV. Gregorii XIII. & ſanctiſſimi domini noſtri Clementis papæ VIII. pœnas omnes noviſſime editas in uſum revocantes, iſtud hominum genus, qui ſeſe ad duellum quocumque colore vel prætextu invitant, provocant, & pertrahunt, etiam verbo tenus, quamvis privatim certamen ineant, nec ullæ provocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præceſſerint, definitis a jure pœnis omnibus ſubjici declaramus: ita ut infames perpetuo habendi ſint, atque ut homicidæ puniendi. Quod ſi in conflictu deceſſerint, perpetuo careant eccleſiaſtica ſepultura.

Illi vero, qui conſilio vel opera quemquam ad duellum ſuaſerint, impulerint, vel juverint, aut ſpectatores extiterint, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

## LXI.

*De concubinariis.*

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8.

CONCUBINARIOS tam ſolutos, quam copulatos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicationis ſententia ferire neceſſe erit: a qua non abſolvantur, donec reipſa admonitioni factæ paruerint.

Quod ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab ordinario ſerio procedatur.

Mulieres cujuſcumque generis, quæ cum concubinariis publice vivunt, pœnis iis afficiantur, quas decernit ſynodus Tridentina; ita ut, ſi admonitæ non reſipuerint, extra diœceſim ejiciantur.

## LXII.

*De Judæis.*

OMNIBUS prohibemus cibum ſumere cum Judæis, carnes, aut azyma ab illis porrecta manducare, una ac eadem domo cum iiſdem verſari, ludere, ſocietatem inire præſertim improbum fœnus exercendi cauſa.

Medicus Judæus a nemine, quantumvis gravi morbo laboret, vocetur. Caveant omnes, ne eorum diebus feſtis, aut nuptiis interſint. Ne qua mulier Chriſtiana Judæis parientibus præſto ſit: nulla item mulier Judæorum infantes nutriat, nec contra. Nemo ſub pœna excommunicationis Judæis inſerviat.

De Judæis c. adhæc.

Judæi in diverſis civitatum partibus ne maneant, ſed in una tantum vicinia ſimul habitent. Domus, prædia, & cujuſvis generis bona eccleſiaſtica, tam mobilia, quam immobilia nullo modo Judæis vendantur, oppignorenturve.

In die paraſceves & ſabbati ſancti lateant Judæi, ipſorum portis ac feneſtris clauſis toto eo tempore manentibus. Diebus vero feſtis, dum celebrantur divina officia, nullus eorum ex vico quam inhabitant egrediatur, exceptis patribusfamilias, ut victum emere poſſint.

Ibid. c. quia ſuper.

Quoniam vero nullius ſalus ſpernenda eſt, propterea ex decreto Gregorii XIII. & ſanctiſſimi domini noſtri Clementis papæ VIII. curent epiſcopi, in quorum terris Hebræi fuerint, eis ſemel per hebdomadam legi, cogantque eos lectioni intereſſe, quæ non aliud argumentum tractet, quam quo Chriſtianæ fidei veritas obduratis hominibus ex divinæ ſcripturæ veteris teſtamenti & prophetarum oraculis dilucide demonſtretur.

## LXIII.

*De pœnis.*

NE vero, laxatis diſciplinæ habenis, in deterius hominum mores prolabantur, ſancitas pœnas diligenter ordinarii a tranſgreſſoribus depoſcent. Haud enim clementia probanda eſt, quæ vitiis aditum facit, & eccleſiaſticam auctoritatem elidit.

Si quis cenſuris eccleſiaſticis innodatus abſolutionem ab iis legitime obtinere neglexerit; ſciat ſe irremiſſibiliter hanc mulctam ſubiturum, ut ſingulis dominicis frequentiore populo aſtante, nominatim in eccleſia excommunicatus declaretur, & publicetur, donec reſipiſcat.

Quod ſi per annum integrum in crimine inſorduerit, juxta canonum ſanctionem in eum tamquam de hæreſi ſuſpectum inquiri poſſit.

LXIV.

ANNO CHRISTI 1594.

## LXIV.

*Decretum de formulis, ſeu inſtructionibus conficiendis & obſervandis.*

UT cuncta quæ a nobis in hoc concilio decreta ſancitaque ſunt, certa methodo atque ordine peragantur, omneſque ad quos pertinet, munere ſuo recte fungantur: decernimus infraſcriptas formulas; ſeu inſtructiones, quarum ſæpe mentio facta eſt, a deputatis confectas publicari, ac diligenter obſervari, pœna tranſgreſſoribus ad ordinariorum arbitrium propoſita. Ponantur vero ſtatim in calce concilii.

Formula ac methodus in viſitationibus adhibenda.
Formula eccleſiaſticæ ſupellectilis.
Formula ſeu inſtructio pro parochis.
Formula ſeu inſtructio pro concionatoribus.
Formula ſeu inſtructio pro confeſſariis.
Formula regularum a cunctis monialibus obſervandarum.

ANNO CHRISTI 1596.

# CONCILIUM AQUILEJENSE PROVINCIALE.

## Celebratum anno domini MDXCVI. tempore Clementis papæ VIII.

INDEX RUBRICARUM.

I. *DE fide profitenda.*
II. *De fide tuenda.*
III. *De prædicatione verbi Dei.*
IV. *De divinis officiis.*
V. *De reſidentia epiſcoporum.*
VI. *De reſidentia curatorum.*
VII. *De reſidentia canonicorum, & beneficiatorum, qui reſidendi obligatione tenentur.*
VIII. *De epiſcopis.*
IX. *De parochis.*
X. *De dignitatibus, canonicatibus, & beneficiis ſimplicibus.*
XI. *De vita & honeſtate clericorum.*
XII. *De ſeminario clericorum.*
XIII. *De viſitatione.*
XIV. *De feſtorum dierum ſanctificatione.*
XV. *De reliquiis ſanctorum.*
XVI. *De eccleſiis, & pio in eis verſandi modo, altaribus, & ſacriſtiis.*
XVII. *De bonis, & juribus eccleſiarum tuendis.*
XVIII. *De vicareis foraneis.*
XIX. *De monialibus.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Nos Franciſcus Barbarus, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia patriarcha Aquilejæ & princeps, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum in provinciali ſynodo Aquilejenſi hæc ſtatuimus, & ſancimus.

### I.

EX iis, quæ ſacra Tridentina ſynodus ad provinciarum, ac diœceſeon rectam gubernationem inſtituit & decrevit, ac prælatis ſuperioribus ad amuſſim exequenda præcepit, nihil fuit vel ipſa re ſanctius, vel frequenti hoſtium incurſione opportunius, vel publicæ utilitatis ratione optabilius, quam ut ſinceræ fidei nitor, quam eccleſia catholica Spiritu ſancto edocta inconcuſſa veritate hactenus tenuit, ac tenet, in ipſa eccleſia conſervaretur; ut nihil irreperet, quod imbecilliorum animos concuteret aut per calumniam inficeret, quos ſinceritas commendarat; aut veri lucem, offuſis tenebris, in dubium revocaret; quod in primis ab illis profeſſione ejuſdem fidei conceptis verbis forma omnino faciendum decrevit, qui aliis vel præfecturæ ordine, vel tituli eccleſiaſtici ratione, vel diſciplinæ officio præeſſent.

Ut autem a nobis cœptum, & a reverendiſſimis ſuffraganeis prompte impletum, quod fuerat de profitenda fide concilii Tridentini decreto ſancitum; ita ſtatuimus, quicumque in poſterum ad eaſdem cathedrales eccleſias promoti fuerint, ſeu etiam tranſlati, vel electi, aut poſtulati, illos, in prima ſynodo provinciali poſt illorum promotionem & conſecrationem futura ad profeſſionem fidei emittendam teneri: aliter contra illos ex præſcripto ejuſdem concilii procedi debere ac poſſe.

Proviſos de canonicatibus, & dignitatibus in eccleſiis cathedralibus non ſolum coram epiſcopo, ſeu illius officiali, ſed etiam in capitulo profitendæ fidei obſtrictos, & non parentes fructus ſuos non facere ex Tridentini concilii decreto declaramus: quam diſpoſitionem ad illos etiam canonicos eccleſiarum cathedralium pertinere dicimus, qui a capitulo jus conferendi certis menſibus habente proviſi fuerint.

Qui de eccleſiis parochialibus, ſeu curatis quibuſcumque proviſi fuerint, intra bimeſtre tempus fidei profeſſionem in manibus epiſcopi, vel eo impedito, coram ejus vicario generali, quoties proviſi fuerint, facere omnino teneantur.

Ceteri vero omnes ſive in præſenti, ſive in futurum beneficia eccleſiaſtica habituri, & qui in ſynodo diœceſana convenire debent, in eadem ſynodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei profeſſionem faciant: alias ſecundum formam ſacrorum canonum puniantur.

Decernimus autem in archivis epiſcopalibus ſpecialem aſſervari librum, in quo profeſſæ fidei fundamenta extent; cujus inſpectiones facile colligatur, qui muneri obſecundarit ſuo, quis partes ſuas deſeruerit. Idem mandamus a capitulis eccleſiarum cathedralium ſervari; ſi negligentius egerint, excitari; omnino ut faciant provideri.

Qui alios publice in univerſitatibus, aut academiis docendi munus ſuſceptum habent; quamcumque profiteantur ſcientiæ facultatem, debent hi quidem attente inſpici, ne ſpecie doctrinæ, & ficta inveſtigatione veri diſcentium animos perturbent, & ſincerum illum ſcientiæ liquorem, quo mens diſcentis alitur, veneno inficiant; & cupide haurientibus interitum afferant. Ac debent hi quidem omnes fidei profeſſionem, antequam ad munus ſuum exercendum admittantur, emittere.



ANNO CHRISTI 1596.

Qui philoſophiam publice, ſeu privatim, aut metaphyſicam, & alias hujuſmodi ſcientias docent, gravi ſe promiſſi religione obligent, ſi quid proponendo, ſupponendo, diſceptando, declarando, ex ſcientiarum principiis aſſeveraverint, quod fidei catholicæ repugnet, perfecta diſceptatione, quæ cum orthodoxa religione conveniunt, fideliter ſe ac ſincere aperituros; ne quis minus ſciens, aut animi imbecillioris homo, periculoſi erroris objecta ſpecie in deteriorem ſenſum declinet; quod in Lateranenſi concilio ſub Leone X. proviſum, cautumque eſt, conſtitutione incipiente, *In apoſtolici regiminis*; & imprimenda in fine harum conſtitutionum pro faciliori ejus publicatione: cujus etiam ſanctionem, ubi ſtudia vigent generalia, decernimus ſingulis annis in principio ſtudiorum promulgari.

Qui in academiis publicis in quacumque ſcientia & facultate, aut privatim domi ſuæ, aut alienæ vel gratis, vel mercede conſtituta legunt: qui grammaticen, etiam illius principia, docent, arithmeticen, muſicen, geometriam, & alias literarias & liberales artes, etiam in ſeminariis clericorum, prævia illorum de ſcientia, vita, & moribus cognitione, & approbatione fidem profiteri omnino in manibus ordinarii debent. Quod ut mature fiat ac diligenter, ſtatuimus epiſcoporum provinciæ noſtræ ſolertia provideri, aut propoſito edicto publico, quo profitentes quaſcumque facultates, & liberales artes ad ſe evocent, aut præcepto parochis locorum facto, ut ad ſe quid hoc de genere habeant intra fines ſuæ parochiæ, quamprimum deferant; unde proviſionis facultas ducenda erit.

Prædicatores verbi Dei, ſi ſæculares fuerint, vel regulares, in eccleſiis non ſuorum ordinum prædicationes habituri, ab epiſcopo licentiam obtinere, atque ad id munus obeundum approbari juxta concilii Tridentini decretum debere reminiſcantur. Quod ſi regulares in eccleſiis ſuorum ordinum ſint prædicaturi, tunc eos perſonaliter ſe coram epiſcopo præſentare, atque ab eo benedictionem petere ex eo ejuſdem Tridentini concilii decreto ſatis fuerit. Verum tam ipſi ſæculares, quam regulares prædicatores, nullo pacto ad prædicationes admittantur, antequam ſæculares in manibus epiſcopi, regulares vero in manibus ſuorum ſuperiorum regularium eamdem fidei profeſſionem emiſerint.

Qui ad miniſterii, aut doctoratus inſignia tam in ſacra pagina, quam in jure canonico & civili, aut artibus aſpirabit, non ante promoveatur, quam in manibus ordinarii eamdem fidem profiteatur.

Quæ omnia ſummario proceſſu, quatenus epiſcopo ſufficere videbitur, apud actuarios excepta cum teſtibus in archivo epiſcopali ſervanda erunt.

Si quis autem ſupradictorum quocumque prætextu, aut quæſito colore, fidei profeſſionem facere neglexerit aut recuſarit, nullo pacto ad munus ſuſcipiendum, vel exercendum admittatur ab epiſcopo; cujus etiam erit animadvertere, an ii, qui fidei profeſſionem emittere neglexerint, vel recuſaverint, tales ſint, de quibus ad ſanctiſſimum dominum, ex decreto concilii Tridentini referendum eſſet. Si quis impedimento fuerit, quo minus dicta conſtitutio executionem habeat, de eo decernendum ſevere quod juris fuerit, ſtatuimus.

### II.

Duo ſunt, quibus præcipue catholicæ fidei veritas ſuſtinetur ac munitur; quorum alterum ad veritatis ſinceritatem & doctrinam pertinet; ut prædicetur, doceatur, declaretur: alterum cautionem reſpicit, qua veri dignitas, & fama a malorum artibus integra conſervetur; ne dormiente patrefamilias inimicus homo zizania ſuperſeminet, & meſſem corrumpat; quo hactenus peſtilentiæ genere maximas & nobiliſſimas provincias laborare lacrymabili exitio apud omnes cognitum eſt.

Ut igitur cæleſtis ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit; in commune commodum eorum induſtria, & ſtudio, quibus eſt diſpenſatio myſteriorum Dei commendata, impendatur, & veritatis appetentibus diſpertiatur; ſacri concilii Tridentini decreta ſequentes decernimus, ut ſacræ ſcripturæ lectio inſtituatur in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis inſignibus quamvis nullius diœceſis. Si clerus ibi numeroſus fuerit, præbendam quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis, primo vacaturam, cui aliud onus incompatibile non ſit adjunctum; ſi nulla ibidem præbenda, præſtimonium, aut ſtipendium ad munus hujuſmodi deputatum ſit; ad eum uſum ipſo facto conſtitutam, ac deputatam intelligi debere, epiſcopi decreto in theologalem commodiorem, qua potuerit, ratione, erigendam, & perſonis idoneis, quæ munus obire per ſe poſſint, conferendam: aliter vero factam proviſionem nullam eſſe & invalidam.

Quod ſi nulla in eccleſiis ſufficiens præbenda ſit, per aſſignationem fructuum alicujus ſimplicis beneficii, ſupportatis debitis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum civitatis & diœceſis, decernimus ab epiſcopo de capituli conſilio provideri, ut ipſa ſacræ ſcripturæ lectio omnino habeatur.

Præbenda vero hujuſmodi non conferatur niſi clerico ſæculari, & ſi videbitur ordinario, pro eccleſiæ utilitate per concurſum, ei, qui ceteris ſufficientia & doctrina excellat.

Si vero clericus ſæcularis idoneus non reperiatur, cui præbenda theologalis conferri poſſit, ſtatuimus, ne tantæ rei ſtudium & lectio intermittatur, aut longiore tempore intercedente frigeſcat, quod diligentia & exercitatione flagrare debet; præbendæ theologalis proventus integros, dilata collatione, alicujus monaſterii regularium priori, aliive ſuperiori regulari attribuendos eſſe; qui regularem ex ſua familia probatæ vitæ, ac doctrinæ ſeligat ad munus lectionis ſacræ interim obeundum: lectori, quæ neceſſaria fuerint, attribuat: reliqua in monaſterii commodum impendat.

Locum theologo, diem, horam, & lectionis argumentum epiſcopus præſcribat & definiat: a lectione vacare ſpatio trium menſium Julii, Auguſti, & Septembris permittat.

Quæ tamen de theologo diſpoſita ſunt † in præcedenti §. *Ceteri*; illa declaramus non comprehendere lectorem regularem, qui in defectum clerici ſæcularis ad lectionem ſacræ ſcripturæ ſuffectus eſt.

† Supra c. 1.

In monaſteriis quoque monachorum, etiam Chartuſianorum, ubi commode fieri queat, item lectio ſacræ ſcripturæ habeatur: qua in re ſi abbates negligentes fuerint, epiſcopi locorum in hoc,

hoc, ut ſedis apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant, quemadmodum decreto concilii provide ſtatuitur. In conventibus vero aliorum regularium, in quibus ſtudia commode vigere poſſunt, ſacræ ſcripturæ lectio ſimiliter haberi ex Tridentini concilii præſcripto debet: quæ lectio a capitulis generalibus, vel provincialibus aſſignetur dignioribus miniſtris. In gymnaſiis etiam publicis, ſi hactenus ſacræ ſcripturæ lectio inſtituta non fuit, ad catholicæ fidei conſervationem, propagationem & defenſionem quamprimum inſtitui; & ſi inſtituta foret & negligeretur, reſtitui ex Tridentini concilii decreto omnino debet; ne, ſi artium & ſcientiarum principia & documenta ſtudioſe paſſim tradantur, ut nihil ad perfectam cognitionem deſideretur, neglecta jaceant ſacræ ſcripturæ ſtudia, evangelici verbi pabulum, divinorum eloquiorum majeſtas, & promiſſorum cæleſtium amplitudo; quod eſt unicum præſentis vitæ ſubſidium & futuri ſæculi argumentum.

Ac ne ſpecie pietatis diſſeminetur impietas, ſtatuimus ad lectionis officium tam publice, quam privatim obeundum non eſſe admittendum, qui prius ab epiſcopo loci de vita, moribus & ſcientia examinatus & approbatus non fuerit.

Satis vero non eſt, mentem innoxio cibo alere & ſanitatem tueri, niſi arceantur malarum artium præſtigiæ & pietatis importuna corruptio; unde non fluxit modo morum & humanæ vitæ labes & omnium impuritatum colluvies, ſed catholicæ veritatis perpetua oppugnatio. Eſt autem hæreſeon ea vis & natura, ut in omnes ſe partes, tamquam venenum, inferat, ſerpat longius, omnia inficiat & corrumpat. Si a morum cœpit impuritate, invadit animos & perdit: ſi animo ſemel excepta, mentis faſtigium occuparit, in omnem immanitatis ſpeciem erumpit, omnia vaſtatione vexat & opprimit: quam ut a diœceſi & provincia Aquilejenſi peſtem Deo juvante arceamus, & nonnulla ſtatuere decernimus diligentiſſime obſervanda.

Parochis igitur omnibus gravi mandato per locorum ordinarios præcipiendum ſtatuimus, ut ſingulis ſaltem annis in principio anni edictum de hæreticis denuntiandis promulgent: ac ſæpe inculcent, quanto ſe piaculo obſtringat, qui alieni ſceleris, quod in communem perniciem dimanat, conſcius, nec ſe murum opponit, nec morbum cuniculis progredientem, cum delatione poſſet, oppreſſit.

De librorum indice ſanctiſſimi domini noſtri mandato proximis menſibus edito, ut executionis accurate demandetur, ſuademus, percupimus, mandamus. Satis enim patet ex libris, tamquam ex venenatis fontibus, impurum fluere liquorem, quo animi vel nequiorum, vel imperitorum facile capi & imbui ad perniciem poſſint. Quia limites parochiarum diſtinctis finibus terminantur, & poteſt quiſque inter ſuos agnoſcere, quid ſit & quale, quod tractatur: ſtatuimus per univerſam provinciam parochis omnibus indicendum, ac ſerio præcipiendum, ſi quid in ſua parochia deprehenderint facto, dicto, ſcripto, pictura, ſculptura, etiam exercendi ingenii cauſa, quod ſit contra certum eccleſiæ catholicæ ſenſum, aut ſuſpicionem afferat rationabilem violatæ, ſeu infectæ religionis, aut ſcandalum oleat, ad ſanctum officium deferant. Idem parochiani moneant ſuos ut facere ſtudeant. Quod ſi ab hæreticorum, præcipue Teutonicorum provinciis, vel loci vicinitate, vel mercatorum frequentia in fines parochiæ aliqui divertere ſoleant, moneant parochi hoſpites ut cibos in menſa proponant, qui temporibus conveniunt. Quod ſi compertum habuerint, jejuniorum tempore carnes & vetitos cibos in hoſpitio parari; curent, ut ad ſanctum officium, ſive ab ordinario tantum, ſive ab ordinario & inquiſitore exerceatur, rem deferant; quod item facere non omittant, ſi nequam iſti verba fecerint, & diſputationem inſtituerint de hæreſeon, quas tenent, qualitate, aut libros hæreticos quacumque lingua conſcriptos attulerint, & in hoſpitio aliis legerint, aut legendos tradiderint: de quo monendi prius erunt hoſpites; qui ſi ſupina negligentia vel lucri cupiditate catholicæ veritatis dignitatem poſthabuerint, & contumeliis intra ſuos parietes proſcindi pertulerint, non effugient manum domini, & graviſſime etiam tamquam ſcelere obſtricti immani, a ſancto officio inquiſitionis plectentur.

De ciborum communium uſu, cum certorum dierum, ac temporum prohibitio non obſtabit, moneant parochi ſuæ parochiæ hoſpites, ut nihil in gratiam vel Judæorum, vel infidelium ſeparatim ſuperſtitioſe coquant, ne fiant ſceleris participes, qui nomine & pietatis ſtudio ſe alienos profitentur.

Quia vero nulla in re ſubeſt periculum pene majus inter nos, quam librorum hæreticalium uſu, nec alia magis parte hæretici obeſſe ſtudent, quam librorum corruptorum ſuppoſitione, quos apte per dolum inter probatos etiam colligare ſtudent, ut emptionem eludant & emptorem in fraudem inducant: ſtatuimus, bibliopolis omnibus in tota provincia gravi præceptu inhibendum, ne in poſterum libros aliunde adductos tam colligatos, quam ſolutos, venales proponant, niſi auctores illorum inventario integro comprehenſos ordinario, ſeu patri inquiſitori loci exhibuerint; atque ille ſubſcriptione, ut vendi poſſint, conceſſerit, contra facientes ſeveriori animadverſione pro modo culpæ decernimus plectendos.

Qui libros prohibitos ſcienter tenuerint, contra illos pro librorum qualitate procedendum ſtatuimus, juxta indicem nuper editum.

Magiſtratus autem ſæculares enixe in domino rogamus, ut ſi quid opus illorum auctoritate & ſubſidio ad fidem catholicam tuendam fuerit, pie, prompteque exhibeant, & officii dignitatem cæleſtibus cumulare meritis non omittant.

Ut autem contra hæreſeon peſtem omnia medicamenta tam neceſſaria, quam opportuna adhibeamus in tota provincia termino menſis poſt præfatorum decretorum confirmationem ſtatuimus, publicandam eſſe conſtitutionem Pauli papæ IV. contra negantes Trinitatem, aut divinitatem Jeſu Chriſti, & alteram conſtitutionem Pii V. contra offendentes ſtatum, res, & perſonas officii inquiſitionis hæreticæ privatis.

Pueros ætate imbecilla diverſari inter hæreticos ſumme periculoſum, niſi debitis, ac neceſſariis præſidiis pietatis muniantur. Idcirco præcipimus in tota provincia Aquilejenſi ab epiſcopis diligenter ſervandum, moneant, ut parentes, qui filios, aut alios quoſcumque ad partes hæreticorum, mercimonii, vel addiſcendæ linguæ cauſa mittere deliberarint, prius ad ſe adeant, & filios, ſeu conſanguineos, aut alios quoſcumque illo mittendos, ſecum adducant, ut epiſcoporum monitis ætas illa ſalutaribus munita & confirmata facilius irrepentis morbi peſtem declinet, aut avertat & rejiciat.





Mercatores autem & artifices, qui lucri cauſa peregrinantur in longinquas regiones, quas hæretici frequentant, artificiolo etiam circumlato, curent epiſcopi, ne diſcedant benedictione epiſcopali non petita: quæ maxima erit contra dæmonis artes & fallacias medicina. Si paſchali tempore aut illi proximo ad nundinas proficiſcantur, indicant, ut vel ante diſceſſum, vel ſtatim poſt reditum, confeſſionem peccatorum faciant, & ſacram communionem percipiant. Si quid fuerit hoc de genere proſpiciendum, hoc proſpiciant & curent.

## III.

Apoſtolis præcepit dominus, ut euntes in mundum univerſum prædicarent evangelium omni creaturæ: atque hoc præcipui muneris officium, quod apoſtolis commendavit, nobis, qui in apoſtolicum miniſterium Dei providentia diſponente ſuffecti ſumus, intimavit. Ac ut provida paſtoralis cura debet proſpicere, ut ſit, qui petentibus panem frangat parvulis; ita ſi legitimum non obſtet impedimentum prædicationis onus ſubire nos ipſi epiſcopi debemus: ac interim urgere ceteros, qui officii obligatione tenentur, ut idem faciant, & pabulum ſalutis populo præbeant: niſi enim hoc præſtiterimus, quod fuit in omni temporum varietate primum in eccleſia, & ſingulare fidei firmamentum; ultionem apud Deum, & homines, quam ſacri Tridentini concilii ſanctio præſcripſit, & intimavit, non effugiemus. Ut autem reliquis officio, dignitate, poteſtate anteimus; ita exemplo, & muneris executione prælucere debemus. Si legitimo epiſcopi laborant impedimento, idoneos eligant, qui vices illorum ſubire, ac ſuſtinere, & populos cæleſti alimento paſcere queant; ne deſit gregi pabulum, quo vita ſpiritualis conſervetur; nec paſtor, qui pabulum ſuppeditet, & vitæ gregis conſulat.

Curent epiſcopi, ut archipresbyteri, plebani, & quicumque parochiales, vel alias curam animarum perſonarum ſæcularium habentes eccleſias quocumque modo obtinent, iidem per ſeipſos, vel per idoneos ſubſtitutos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem dominicis, & feſtis ſolemnibus munus obire ſtudeant, ut plebes ſibi commiſſas pro ſua, & illarum capacitate paſcant ſalutaribus verbis: quæ omnibus neceſſarium eſt ſcire ad ſalutem, doceant; vitia, quæ declinent, virtutes, quas ſectari oporteat, oſtendant, & declarent; atque id non modo in eccleſiis, quæ ſunt in diœceſi, quovis modo exemptis, etiam alicui monaſterio, quod ſit extra diœceſim, unitis, ſeu annexis; ſed in perſonas, quæ ab epiſcopi juriſdictione ſe quavis ratione prætendunt exemptas, exequi & efficere omnino ſtudeant.

Ac ut vix nihil in hoc genere fieri poteſt, in quo non videatur aliqua adhuc diligentia deſiderari, ſi publica reſpiciatur utilitas, & vel excitandæ, vel conſervandæ devotionis ratio perpendatur; ita præter quadrageſimæ, & adventus dies, omnibus etiam dominicis, & feſtis anni, vehementer cupimus prædicationem verbi Dei in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis inſignibus fieri, ut ex ſacræ ſcripturæ fontibus ad ſpiritualem populorum ædificationem hauriatur quod ad vitæ Chriſtianæ diſciplinam, ad boni ſtudium, & contrariorum declinationem derivari apte poſſit.

Sapientibus, & inſipientibus debitores ſumus, nec perſonam hominis reſpicit Deus, ſed cor intuetur, &, cui voluerit, dat gratiam: at vero ad paſtoralem ſolicitudinem pertinet rationem illorum, qui in ſaltibus degunt, & ſilvas colunt, & in vallibus habitant, haberi, ne animo ſilveſcant, ut habitudine corporis, veſtium aſperitate, & locorum ſitu; ſed in iis, quæ ad principia fidei pertinent, qua poſſunt via capere, inſtituantur, & pietate aliqua imbuantur: idcirco ſtatuimus ab epiſcopis diligenter providendum, ut vel diœceſana ſynodo, vel modo alio, qui opportunior videbitur, adhibito clero, ac de illius conſilio rationem ineant, qua viros probatos, & ad obeundam prædicationem idoneos ſtatis temporibus emittere in prædicta loca poſſint, ut populos agreſtes opportune congregatos paternis monitis, ac pietatis aliqua eruditione inſtituant, ne epiſcopi apud Deum negligentiæ arguantur, ſi populorum ſalus periclitetur.

Regulares cujuſcumque ordinis, ſi a ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, cum illorum licentia, etiamſi in eccleſiis ſuorum ordinum prædicare affectent, coram epiſcopis perſonaliter ſe præſentent, & ab eis benedictionem petant, antequam prædicare incipiant. In eccleſiis tamen, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuperiorum ſuorum, etiam epiſcopi licentiam ultra examen, ſi epiſcopo videbitur habere teneantur, ſine qua in ipſis eccleſiis nullo modo prædicare permittantur. Licentiam vero ſcriptis debent epiſcopi gratis concedere.

Inolevit abuſus, ut prædicatores regulares obedientias ſuas per internuntios epiſcopi, mittant pro licentia, ſeu benedictione reſpective obtinenda, accedere ipſi perſonaliter omittant; quem abuſum tollentes decernimus, non eſſe omnino permittendum in tota provincia, ut ad ſuggeſtum prædicationis cauſa aſcendant, qui in adſcripta obedientiis licentia, ſeu benedictione non oſtenderint, perſonaliter illos ab epiſcopo licentiam, ſive benedictionem obtinuiſſe.

De prædicationis argumento, & prædicatoris munere; cum ad oſtentationem, & inanem aurium oblectationem, & curioſitatem trahi cœperit verbi Dei prædicatio, moneri prædicatores ſerio volumus. Quia tamen locus ille non patitur, ut rem enucleate tractare poſſimus, reverendiſſimos coepiſcopos ſuffraganeos noſtros enixe rogamus, ut ſinguli poſt actam ſynodum aliquid de hoc genere conficere ſtudeant, quo prædicatorum monitiones, & obſervationes comprehendant; pro fine cuique proponatur gloria Dei, & ſalus animarum: pro medio, non curioſiores quæſtiones, & oblectamenta verborum auribus prurientia: quod facile aſſequemur, ſi pro argumento fuerit, Chriſtum prædicare crucifixum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam; a ſacratiſſimis enim crucifixi Chriſti vulneribus, cruce, & morte, divinæ virtutis ſupereminentiam, & voluntariæ paſſionis, quam pro redemptione mundi ſubiit homo factus, acerbitatem, & caritatis excellentiam cognoſcimus, & prædicamus. Unde ad populorum inſtitutionem duci poteſt; & pene ſub oculos poni, conditoris majeſtas, redemptoris benignitas, patris miſericordia, judicis ſeveritas, æternæ vitæ per divinorum præceptorum obedientiam felicitas, & ſempiternæ damnationis propter prævaricationem confuſio. Quæ docentur in academiis, & diſceptantur

ANNO CHRISTI 1596.

tur in ſcholis, & inter ſcholaſticos agitantur, ſint inter illos, qui ingenia exercent, & animos acuunt: in prædicatione inſtituantur fidelium mentes, & ſtudio pietatis vocentur ad mandatorum divinorum obſervationem, ut virtutes Chriſtianas colant, vitia declinent, & ad futuræ vitæ præmia implorato Dei auxilio contentis ſtudiis aſpirent.

Quæ ſi prædicatores neglexerint, & moniti obſervare contempſerint, epiſcoporum diligentia, & ſolicitudo curabit, ut populorum piæ inſtructioni, & animarum ſaluti omnibus modis conſulatur.

## IV.

Divina officia vetere ſanctorum patrum inſtituto, ordine, & horarum numero, ad omnipotentis Dei nomen colendum, & invocandum diſpoſita, quorum celebritate, & frequenti in militanti eccleſia triumphantis figura, tamquam exemplaris imitatione exprimitur; ita decet tractari, ut cordis mundities adſit: moderatus, & pene eccleſiaſticus corporis cultus, index plerumque illorum, quæ ſunt in animo, non deſideretur: devotio autem, & quædam compoſitio actionum ſacrarum non abſit.

Eminet autem inter omnia, quæ in ſacris habentur myſteriis, & actionibus, miſſæ ſacrificium, & rei dignitate, & ſacerdotis præſtantia, & fructus excellentia: Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus unigenitus Patris, candor æternæ lucis, & figura ſubſtantiæ illius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, tamquam ſacerdos conſtitutus a Deo ſecundum ordinem Melchiſedech in æternum, cum ingrederetur in ſancta ſanctorum per ſanguinem ſuum, ſemel ſe ipſum in ara crucis morte intercedente Deo Patri obtulit in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, ut repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Hoc vero ſacrificium, quod ſemel cruente oblatum eſt, & memoria ac repræſentatione in eccleſia frequentatur, & uſque in finem ſæculi permanebit, cujus ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, applicatur, quanta deceat ſpiritus innocentia, reverentia, metu, humilitate tractare, res ipſa indicat, ipſa loquitur, & conteſtatur.

Epiſcopos autem, qui ceteris antecellunt dignitate, & officio, toti anteire clero decet myſterii hujus frequentatione, ac miſſæ celebratione. Ut enim ſtatis ſolennitatibus epiſcopos pontificales miſſas agere convenit, diebus præſertim quibus præſtantiora in eccleſia myſteria Dei celebrantur, nec omittere, quod ab officio exquiritur, & epiſcopali dignitati certa eccleſiæ obſervatione impoſitum eſt; ita optandum, ut reliquis feſtis anni, & feriatis etiam diebus frequenter, & publice, legitimo nonobſtante impedimento, miſſæ ſacrum faciant: inde fluent fructus admirabiles ad ſuſcipientium mentes, ad inferiorum exemplum, ad populorum ſubſidia ſpiritualia.

Qui eccleſias curatas obtinent, debent hi quidem feſtis omnibus diebus, & reliquis, tam frequenter, ut muneri ſuo ſatisfaciant, miſſas celebrare: in quo ſi defecerint, ſtatuimus epiſcoporum vigilantia, ac ſtudio, pœnis etiam propoſitis, ac, ſi neceſſe fuerit, infligendis urgeri; ut, quo fuerint negligentiores, opportunis remediis eo accuratiores fiant.

Qui ad ſacerdotium promoti ſunt, & impedimento non laborant legitimo, quominus miſſam celebrare valeant, decernimus epiſcopi diligentia curari, ut diebus ſaltem dominicis, & feſtis ſolennibus celebrent; multo vero diligentius, ſi beneficium etiam ſimplex habeant, cujus cauſa ſacrum facere teneantur.

In celebratione miſſæ, etiam edicto, & pœnis propoſitis, epiſcopi caveant, ne ſacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cærimonias, & preces in miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab eccleſia probatæ, & frequenti, ac laudabili uſu receptæ ſunt. Quarumdam miſſarum, & candelarum certum numerum, qui magis ſuperſtitioſo cultu, quam vera religione inventus eſt, omnino ab eccleſia removeant.

Avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus; irreverentiam, quæ ab impietate non abeſt; ſuperſtitionem, falſam pietatis imitatricem, ab eccleſiæ agro radicitus evelli convenit: tractentur ſacra interiori cordis munditie, & puritate, & exteriori devotionis, ac pietatis ſtudio: peſtis vero illa, quæ diuturna rerum corruptione uſque ad tremendam domini menſam pervenit, & ſancta pene invaſit; erit ſedulitatis epiſcopalis curare, ut longiſſime abigatur.

Debent vero, ne diſpar appareat, & incompoſita celebrantium actio, diligenter epiſcopi proſpicere, ut quam primum in civitate per præfectos cærimoniarum; extra civitatem per archidiaconos, ſeu vicarios foraneos; revideantur, & examinentur ſacerdotes ſuper modo, & actione celebrandæ miſſæ; &, quæ fuerint, corrigenda, corrigant: ut redigatur omnium & ſingulorum celebratio in eam formam, in qua nihil diſſimile, nihil difforme appareat: & una ſit inter omnes celebrationis ratio, ut eſt una miſſalis, & rubricarum ad ſacrum faciendum præceptio. Contumaces, & inobedientes pœna coercendos eſſe debita declaramus.

Ac in primis decernimus in ſacerdotum conſecratione animadvertendum, ut illi ad miſſam celebrandam accedere minime permittantur, antequam a præfecto cærimoniarum de tota actione examinati & probati fuerint. In miſſis autem novis, quod ad avaritiæ labem pertinet, importunas, & illiberales eleemoſynarum exactiones potius quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino ex Tridentini concilii decreto prohibemus, & per epiſcopos prohiberi mandamus.

Privatis in domibus, atque omnino extra eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab ordinariis deſignanda, & approbanda; nec non altaribus, quæ ſub aut porticu eccleſiæ ſunt, & in miſſali non edito a Pio V. celebrari miſſas nec ſuadet ratio, nec pietas patitur; ita epiſcopi faciant, & exequantur.

Ut autem miſſas, quæ in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis celebrantur, decet hora convenienti, & ſtatuto ordine ad publicum civitatum, & locorum commodum celebrari ſervato rotulo, quod in omnibus omnium eccleſiarum ſacriſtiis conſervari debet; ita in parochialibus opportuno tempore, non ad aliquorum inſtantiam, ſed communem piorum conſolationem celebrandæ erunt. In omnibus cathedralibus, & collegiatis inſignibus eccleſiis, decernimus, ubi non eſt punctator ad miſſarum defectus notandos, quamprimum epiſcoporum diligentia conſtitui, cujus munus ſit, diem, & defectum notare, & ex parte pœnarum, quæ exigentur, miſſarum defe-



ANNO CHRISTI 1596.

defectus ſupplere, reliqua in ſacriſtiæ, vel eccleſiæ ornamenta impendere. De parochorum defectu inveſtigent diligenter archidiaconi, ſeu vicarii foranei intra fines attributæ regionis; &, ſi corrigi facile poterunt, corrigant; ſin minus, ad epiſcopos deferant, ut adhibeatur medicina, quæ ſanare morbum poſſit.

Peregrinos, ſeu alienæ diœceſis ſacerdotes in provinciam Aquileienſem, nec ad miſſam celebrandam ſine commendatitiis proprii ordinarii ex Tridentini concilii decreto non eſſe admittendos decernimus.

De miſſa conventuali, quæ celebratur in eccleſiis cathedralibus, ſeu collegiatis, quia multa ſunt, quæ diſtinctionibus egent, & declarationibus, ut apte decernantur: agendum putamus primum de quibuſdam, quæ ad collegia, ſeu capitula eccleſiarum ſpectant; ac de chori diſciplina, & ordine; poſtremo etiam de miſſa conventuali, ut ex hoc capite aliquid ducatur, quod ad eccleſiaſticam diſciplinam conformandam pertinere poteſt.

Eccleſiaſticas univerſitates, ſeu capitula eccleſiarum tam cathedralium, quam collegiatarum, quæ tamquam corpus membris apte compactum, & coagmentatum, motu agi, & tamquam ſpiritu vigere neceſſe eſt; ſine ordine, quæ illarum vita eſt, & legibus, quarum vi aluntur, & conſervantur, ſtare nemo poſſe affirmabit: eſt tamen in ipſo ſtatu defectus, & inclinatio quædam rerum; dum, quæ ante conſtituta fuerant, pro temporum qualitate & varietate mutationem deſiderant; & quæ ſæculis præteritis opportuna habebantur, nunc pernicioſa ſunt, & novarum conſtitutionum diſpoſitione tolluntur. Hanc ob cauſam ſtatuimus ſingulorum capitulorum tam eccleſiarum cathedralium, quam collegiatarum ſtatuta, conſtitutiones, & conſuetudines, quæ tamen a ſede apoſtolica non fuerint confirmatæ, quamprimum ab epiſcopis propriis examinari accurate debere; ut ex ſtatutis, & conſtitutionibus, ſeu etiam decretis capitularibus, illa, quæ deſuetudine obſolverunt, decerpant; quæ præſentis temporis uſu perſeverant, unum in corpus redigi curent: iſta vero etiam, quæ retinentur, revideant, & perpendant, ne ſint contra juris ordinem, aut ſacri concilii Tridentini decreta, aut pontificiarum conſtitutionum ſtatuta, & ita corrigant, ut varia quadam ſimilitudine conveniant; &, ſi quid aut ultra jus commune ſit, aut præter, apte conſentiat, & quaſi concentum, qui ex diverſis numeris, & modis conſtat, efficiat.

Conſuetudines etiam ſcripto exceptas perpendi decernimus, an rationabiles & honeſtæ ſint. Si qua declinarit a ratione, & contra juris ordinem emerſerit, & abuſu confirmata injuſtam legis ſpeciem uſurparit; tolli de medio præcipimus: quod erit proprium epiſcoporum munus, ut in ſuis eccleſiis curare ſtudeant: ſatis enim conſtat abuſu, quo inveteratior eſt, eo facilius adulterina ſpecie honeſta omnia corrumpi.

His poſitis fundamentis epiſcopi partes erunt, cavere ne quid in capitulorum congregationibus aut proponatur, aut recipiatur, quod ſit contra jus expreſſum, aut ſacri concilii Tridentini ſtatuta, aut conſtitutiones pontificias, propoſita pœna proponentibus, præter pœnam nullitatis quorumcumque actorum. Quod in ſua diœceſi quiſque pro opportunitate ac etiam neceſſitate locorum, & rerum particularium inſpectione præſtare, & efficere commode poterit, ac debebit.

In humanis, ut bene omnia conſentiant, ſi ratio quædam conſtans deſideratur, qua particularia metiri, & moderari poſſimus; multo quidem juſtius in ſacris & divinis debet eſſe certa quædam agendorum norma, illaque non arbitrio ſubjecta, ſed lege conſtanti comprehenſa, ut ſit certa * unitate potius, ſimilitudine conformata, quam ſequantur omnes. Quamvis autem Pii V. conſtitutione de Romano breviario edita cautum ſit, ut, qui ſupra ducentos annos proprium habent officium, uti eo poſſint, nec debeant compelli ut horas canonicas de breviario Romano recitent; tamen ratio peragendæ ſacræ rei, & illa, quæ tantopere Deo placet, conſenſio uniformi ritu recepta, maxime ſuadet, ut in Aquilejenſi provincia ſtatuatur unica laudes Deo canendi, & ſacra obeundi officia forma. In noſtra metropolitana eccleſiæ Aquilejæ de proprio breviario canebantur ſuperioribus annis canonicæ horæ, & erat proprium etiam miſſale, atque alibi proprii adhibebantur in diœceſi noſtra quidam ritus antiquiſſimo uſu recepti: at vetera, quæ non omnino ſincera comperta ſunt, & pene deſuetudine collapſa, receſſerunt, & jam nova ſunt omnia. Sanctam Romanam eccleſiam magiſtram, & matrem agnoſcimus: hanc, ut in reliquis, etiam ritu, & miniſteriis eccleſiaſticis modo ſequimur. Vix enim fit in hujuſmodi particularibus eccleſiarum, aut locorum officiis, quin aut apocryphum aliquid, aut erroneum deprehendatur. Decernimus igitur, ut in tota Aquilejenſi provincia, in eccleſiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, & aliis quibuſcumque tam publice, quam privatim, in poſterum horæ canonicæ ex breviario Romano ſub Pio V. edito recitentur; ac declaramus recitantes obligationi recitandi horas minime ſatisfacere, niſi de breviario Romano illas recitarint: quod item decernimus in miſſali, rituali ſacramentorum, & aliis obſervandum. De ſanctis, qui apud certos populos in veneratione ſunt, declaramus intelligi, ut feſtos dies ſanctorum patronorum, tam provinciæ, quam civitatum, & titularium eccleſiarum celebrare ſolenni etiam ritu liceat.

* *aliquid deest.*

Qui Illyricam oram colunt epiſcopi, in qua breviarium, & miſſale lingua *Illyrica* in uſu habetur, curent ut illa diligenter adhibitis doctis, & piis viris, qui linguam illam calleant, revideantur & emendentur. Optandum tamen eſſet, ut epiſcoporum Illyricorum diligentia ſenſim Romani breviarii uſus cum miſſali item Romano, & rituali ſacramentorum induceretur: quod efficere pro eorum pietate ac prudentia non erit ſummopere difficile, ſi juniores clericos, & ex ſeminarii ſcholis ſelectos, qui ſtudio, & ingenio magis proficiunt, exercere ſenſim cœperint, & ad opus hoc pium ſtudioſe promoverint. Hæc in optatis: executio præſcribi non poteſt: præſcribet autem prudentia illorum, & ſingularis in Deum pietas. Satis erit, ſi ſibi perſuaſerint, quod paſſim experimur in librorum Latinorum & Italicorum lectione, illos libros mendis ſcatere, multo vero plures probabili conjectura errores eſſe in illis, quam in noſtris, quos quamplurimi legunt & iidem emendant: illos autem pauci & illiterati, qui corrigenda dijudicare non norunt.

Quæ autem de breviario, miſſali, & rituali ſacramentorum ſtatuimus, in eam volumus partem accipi, ut non comprehendant catechiſmum Romanum in Illyricam linguam Gregorii XIII. juſſu (quod eſt ad nos per certos homines alla-

ANNO CHRISTI 1596.

allatum) converſum: quem cupimus a clero Illyrico frequenter tractari & legi, ut ſit hæc materna lingua ſacerdotibus Illyriæ in promptu ad populos docendos, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Curent tamen epiſcopi, ut exemplar aliquod ejuſdem catechiſmi emendatiſſimum in archivo epiſcopali reponatur, ad cujus præſcriptum emendatio recognoſci & approbari in futurum tempus poſſit: cum illa, quæ catechiſmo comprehenduntur, vel de articulis fidei, ac ſacramentis tractantur; periculoſe alterius linguæ ignoratione, ſeu impreſſorum vitio [a] pateant, periculoſius vero nequitia hæreticorum; quorum corruptio, niſi ab epiſcopis, qui provinciæ illius linguam non norunt, parato remedio convinci poſſit, longius dimanabit.

Locus corruptus. a) Forte, ſubrepant, H.

Ut autem Illyricis populis proſpiciendum eſt ut verbi Dei pabulum, quod ex prædicto catechiſmo curati haurient, habere poſſint; ita etiam curandum, ut caput primum de reformatione matrimonii ex concilio Tridentino cum impedimentis matrimonii & declaratione temporum, quibus nuptiæ prohibentur, habeant in linguam Illyricam converſum: idemque ſemel in menſe promulgare & declarare populo dominicis diebus poſt prædicationem verbi Dei parochi curent. Idem de doctrina Chriſtiana illis gentibus tradenda omnino ſtatuimus: quod epiſcoporum vigilantiæ & religioni ſerio committimus & commendamus.

Non eſt in eccleſia Dei, in qua perficiendæ naturæ per gratiam Dei viget ratio, non eſt vacuum ſi in puris naturæ terminis non eſt: nec eſt dignitatum, aut officiorum inſtitutio otioſa, ut ſpecies oſtentet quod actus non efficit: nec reſidere, aut intereſſe juxta ſinceram, & rectam canonum intelligentiam cenſentur, qui intereſſendo nihil eorum quæ ad ſuum pertinent officium exequuntur. Proinde cum dignitatum & canonicatuum inſtitutio ad miniſteria eccleſiaſtica & ſacra facta ſit, ut obtinentes illa obire debeant non modo in pſalmodia, [ut in choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, ac devote laudent;] ſed etiam in aliis: divina vero per ſe, & non per ſubſtitutos officia ſubeant; decernimus per epiſcopos in tota provincia diligenter curandum, ut pietate, ac diligentia vigeant, quo iſta aliquando prompte exhibeantur: inobedientes ac pertinaces diſtricte cohibeant, & emendent.

Sicubi tam in cathedralibus eccleſiis, quam in collegiatis inſignibus præbendæ canonicales hactenus per attributos ordines diſtinctæ non fuerunt, præcipimus, epiſcoporum diligentia, (licet ex quotidianis tantum diſtributionibus conſtent,) quamprimum adhibito capituli conſilio diſtingui, ut in cathedralibus dimidia ſaltem pars presbyteri ſint; ceteri vero diaconi, & ſubdiaconi in cujus diſtinctionis partitione æquum eſt ſervari, ut præbendis iis, quæ uberiores habent reditus, majores etiam ordines attribuantur; in eccleſiis vero, ubi eſt conſuetudo, ut præbendæ omnes ſacerdotales ſint, hoc idem conſervetur.

Ordinibus autem diſtinctis, præter hebdomadæ ordinariæ obligationem feriatis diebus per idoneos ſubſtitutos obeundam, feſtis majoribus celebrante in pontificalibus prælato, canonici diaconi, & ſubdiaconi ſecundo ordine præbendæ ſuæ onus per ſe ipſi ſuſtineant. Decani vero, & qui priores in eccleſia dignitates poſt pontificalem obtinent, ſolennioribus diebus prælato abſente, ſive impedito, conventualem miſſam celebrent. In nocte autem, & aurora nativitatis domini non permittatur, ut alius celebret miſſam conventualem, qui non ſit canonicus.

Ad epiſcopos autem decernimus pertinere ordinem, ubi jam non eſt, certis quibuſdam regulis inſtituere pro prædictis tam feſtis majoribus, dominicis, & aliis per annum, quam in unaquaque hebdomada obſervandis; pœnam etiam adjicere, & fabricæ ſeu pio alicui loco applicare.

Ex duobus, quæ pertinent ad cultum divinum ſuſtinendum, quorum alterum reſpicit abſentias illorum, qui reſidere in cathedralibus & collegiatis tenentur; alterum pertinet ad divinorum officiorum celebrationem; primum ſatis certum, exploratumque proponimus; ut obtinentes in cathedralibus eccleſiis, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones cujuſlibet ſtatuti, conſuetudiniſve vigore, nullo modo ultra tres menſes ab eiſdem eccleſiis quolibet anno abſint, ſalvis ipſarum eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt, ſub pœnis a ſacro Tridentino concilio præſcriptis. De ſecundo, quod ad debitum divini officii regimen ſpectat, de congrua canendi & modulandi ratione, de certa lege in chorum conveniendi & permanendi, ſimulque de omnibus eccleſiæ miniſtris, ac tota chori diſciplina, cum arduum ſit particulatim decernere, quod ad univerſam apte poſſit provinciam accommodari propter varios diverſarum diœceſeon ritus & ſtatuta: ſingulorum reverendiſſimorum epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum diligentiam excitamus, ut quiſque ex ſuarum eccleſiarum obſervationibus meditetur; & ſpatio ſex menſium a die dimiſſi præſentis concilii numerandorum aliquid conficiat quod putet præcipue diſponi poſſe ad cultum divinum conſervandum, & augendum, & omnes totius provinciæ eccleſias communi diſciplina conformandum; quod ſinguli effecerint, ſi cum ſingulis diœceſibus & eccleſiis conferatur, ut Deo favente demum conſtet aliquid, ex quo poſſit elici univerſæ provinciæ communis divinorum habendorum norma.

His quæ ſtudioſe collegerint, adjiciant remedia, quæ vel uſu fuerint recepta: vel ad uſum accommodanda.

In cathedralibus & inſignibus collegiatis eccleſiis ut numero & ordine miniſtrorum, auguſta quædam rerum ſeries, qua mirifice aſſiſtentium animi capiuntur, proponitur, quæ niſi præceptione regatur & certa lege moveatur, incompoſita ſpecie & ſumma deordinatione confuſum aliquid efficit; quo nil fit videnti turpius, aut moleſtius; ita curandum ut ſacra & divina certo ordine perfecto aliquo cærimoniis eccleſiaſticis conſtituto peragantur. Quod ut in omnibus provinciæ cathedralibus & collegiatis inſignibus eccleſiis in promptu habeatur, decernimus ex manſionariis, vel capellaniis, quæ onus reſidendi in eiſdem addictum habent, primo quoque tempore vacantem in præfecturam cærimoniarum eccleſiaſticarum inſtitui, & de ea perpetuis temporibus provideri aliquem, qui in hujuſmodi ſtudio verſatus ſit, & actorum eccleſiaſticorum directionem & ſacrorum diſpoſitionem ſuſtinere pro dignitate intelligat.

Pœnitentiarios in eccleſiis cathedralibus & inſi-



ANNO CHRISTI 1596.

inſignibus collegiatis ad piorum conſolationem & lapſorum ſpirituale ſubſidium in promptu eſſe decet: idcirco epiſcopi pœnitentiarium cum unione præbendæ proximæ vacaturæ ad præſcriptum concilii quamprimum inſtituant.

Qui in eccleſiam ad laudes Deo perſolvendas ex clero conveniunt, quo ceteris officio, vel dignitate præſunt, eo debent accuratius exequi, quæ ſibi ſunt ratione officii adjecta; ipſi vero diligenter intendant & intelligant, ſe chori intereſſentia ita adſtrictos, ut ſalva non poſſint conſcientia temporale, quod ex diſtributionibus percipitur, commodum aſſequi, niſi divinis rite ſervierint & miniſtrarint. Si quis igitur, dum divina peraguntur officia, in choro canonicus, ſeu manſionarius, aut aliquis alius quocumque cenſeatur nomine clericus, quacumque ſit præditus dignitate, cum ſuperpelliceo, aut etiam ſine, per eccleſiam divagari, colloqui, literas legere, aut alia tractare non omiſerit, cum decernimus (licet poſtea in chorum aſcenderit) omnino abſentem reputari pro matutino, vel horis diurnis, vel veſpertinis, quibus prædicto modo deliquerit. Punctatori vero diſtricte præcipiant epiſcopi ſub pœna ſuſpenſionis, ut ex officio tales punctent, & toto illarum horarum lucro privatum in libro ſuo notent. Quod idem ad alios extendi decernimus, qui in ſtallo non ſuo permanſerint in choro, dum divina celebrantur.

Quia vero licentia & abuſu factum, ut ſero in chorum accedant, qui tempeſtive intereſſe deberent; ac niſi certa aliqua regula præſtituatur, inconvenientia in dies augeri ſingulos non dubitandum: decernimus eos, qui in matutinis in chorum aſcenderint poſt finitum primum hymnum; in horis diurnis item poſt hymnum: in miſſa poſt confeſſionem: in veſperis poſt completum pſalmum, pro intereſſentibus non eſſe habendos: ſed lucris & diſtributionibus dierum & horarum prædictarum, quibus in chorum tempeſtive non aſcenderint, omnino mulctandos. In quo epiſcoporum diligentiam excitamus, ut ſerio agant, & pœnis punctatores ſuarum eccleſiarum ad præfati decreti executionem omnino adigant: quod declaramus non obtinere locum, cum epiſcopus in chorum ad divina officia aſcenderit: hoc enim caſu decernimus quoſcumque ſervitio chori adſtrictos, cujuſcumque dignitatis & officii ſint, in principio divinorum officiorum intereſſe debere. Qui poſtquam epiſcopus jam conſederit, in chorum venerit, eum declaramus illarum horarum lucro omnino damnandum.

Quæ vero in divino cultu peraguntur, quia loco indigent apto & commodo, ut etiam cum dignitate peragantur; præcipimus omnibus & ſingulis epiſcopis, diligenter curent & omnino intendant ut chori eccleſiarum, præcipue cathedralium, aut etiam collegiatarum inſignium (ubi non ſunt) ita extruantur, ſeu reparentur, vel etiam aptentur, ut res fieri ſacra diſpoſita commoditate & cum dignitate poſſit: ad quæ perficienda excubabunt epiſcopi, & quos neceſſe erit, etiam opportunis remediis contento ſtudio compellent.

Ut abſurdo, quod alicubi viget, occurratur epiſcopali vigilantia, decernimus, eos, qui ratione vel manſionariæ, vel capellaniæ perpetuo chori ſervitio in eccleſia cathedrali, ſeu collegiata ſunt addicti, & ſolennibus diebus, aut etiam feſtis, quibus epiſcopus in eccleſia divinis intereſt officiis, ad alias eccleſias ſe conferunt lucri cauſa, negligentes quod minus eſt, ut majus acquirant, cum dedecore ordinis, & eccleſiæ cui ſunt adſcripti, injuria; irremiſſibiliter lucro totius diſtributionis illius hebdomadæ, in qua deliquerint, plectendos eſſe: quod ſi ſæpe idem in hebdomada commiſerint, ſtatuimus per epiſcopum ita provideri debere, ut corrigatur omnino pervicacia, clericalis modeſtia reformetur, & eccleſiæ ſervitium debitum conſervetur.

## V.

Eccleſiaſtici ſumma gubernaculi eſt gloria Dei & ſalus animarum: utrumque diligenter tractandum, cum negligentia in re tanta maledicti placulo ſubjiciatur. Ut autem diligentia in agendis rebus etymo quodam vocis dilectionem & caritatis notam primis literis inſcriptam habet, ita quæ flocciſacimus, etiam negligimus: ac exhibitio operis, probatio eſt dilectionis. Epiſcopos autem, quos in ſpecula dominus conſtituit, ut gladium venientem proſpicientes tuba canerent & populos monerent, ne ſanguis pereuntium de manibus illorum requiratur; ſi gregem amant dominicum, probare dilectionem opere decet: ſi vigilantiæ & cuſtodiæ ſolicitudine laborant, hoc putent, quod ſocordia perdiderint, ſe diſtricta ratione reddituros. Duo autem requiruntur in paſtore gregem cuſtodiente; ut interdiu ante gregem incedat, ipſe unus ad paſcua educens, cujus vocem agnoſcunt oves, quæ alienam non noverunt: nocte vigilias agat, cui dicitur: *Cuſtos quid de nocte?* (Iſa. 21.) ac ne repente in gregem irrumpant lupi, canes ad cuſtodiam adhibeant, illos quidem non mutos, ſed qui latrare valeant; quod quidem ad epiſcopalis oneris officium pertinere nemo non videt. Idcirco ſacra Tridentina ſynodus epiſcoporum apud eccleſias ſuas reſidentium præſentiam quanti referat pernoſcens, illos monuit, ut ſibi attenderent, & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus illos poſuit regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo; & divinorum præceptorum memores facti forma gregis in judicio & veritate paſcerent ac regerent; in eos vero qui ab eccleſia & reſidentia diſceſſerint, quædam ſanxit, quæ pertinaciores coercerent, vel alieniores ad officii ſui ſtudium revocarent. Exiſtimamus autem de reverendiſſimorum epiſcoporum noſtræ provinciæ pietate non eſſe dubitandum illos, qui hactenus voluntate in ſua eccleſia & diœceſi reſederunt, & muneri epiſcopali promptam operam & fidele miniſterium præſtiterunt, in poſterum diligentius idem facturos; ut, quæ de contumaciter abſentibus a reſidentia ſua eodem concilio ſancita ſunt, alio potius, quam in provinciam noſtram, derivari conveniat.

Quod vero de epiſcoporum reſidentia a ſacro Tridentino concilio & ſummorum pontificum conſtitutionibus cautum eſt; hoc non eſt intelligendum, ut præſentia aſſideant, nihil præterea agant: cum ex ſacris canonibus reſidentia ſit accipienda in eum ſenſum, ut ſit laborioſa, non otioſa: id quod duobus præſertim Tridentinæ ſynodi verbis egregie exprimitur, Ut paſcant & regant: quorum primum ad vitæ innocentiam, ad ſalutaris verbi prædicationem, ad ſacramentorum adminiſtrationem & bonorum operum exemplum pertinet: ſecundum ad diſciplinam teſtituendam, ad mores purgandos, & juris eccleſiaſtici ditionem, ad bonorum laudem

ANNO CHRISTI 1596.

dem & vindictam malorum ſuſtinendam ſpectat. Utrumque ſi præſtiterint epiſcopi, ſatis illa, quæ ſunt epiſcopalis muneris, videbuntur præſtitiſſe & impleſſe.

Debent autem ab epiſcopali domo (ut a capite reformatio incipiat) initia correctionis duci: ut illi, qui vel ad miniſterium gubernaculi adſciti ſunt, vel epiſcopo ſerviunt, vel ad quæcumque domus & familiæ commoda pertinent, ſuo quiſque gradu modeſtiam illam vita, moribus, habitu, pietate, converſatione præ ſe ferant, quæ bene propoſitum familiæ decent, ut a familia epiſcopali ſumant ceteri exemplum domeſticæ rei bene & laudabiliter tractandæ.

Qui ex eadem familia ſunt & clericalem habitum deferunt, ex quibus pars major epiſcopalis familiæ conſtare debet, præluceant reliquis virtute & integritatis ornamento: quod ſæpe epiſcopi revideant, recognoſcant, emendent: putent vero maximum ſibi fore ex hac parte ad reformationem impedimentum, ſi quod in aliis animadverterint & corrigere voluerint, familiæ ſuæ, quam prius informare diſciplina debuerant, objici vere poſſit.

Ac ut frequenter ſacrum facere debent epiſcopi, niſi impedimento rationabili teneantur: ita dominicis & feſtis diebus ad veterum canonum præſcriptum eccleſiæ cathedrali, quoad fieri poteſt, deeſſe non debent; ut populus prælati benedictione & exemplo animatus, quam præſcripſerit prælatus pietatis & devotionis regulam, & exemplo confirmarit, eam pie arripere & ſolicite ſequi ſtudeat; ac dum in choro divinis epiſcopus intereſt, curet ut diſpoſito rerum ordine nihil ſit vel confuſione turbatum, vel deordinatione inverſum.

Quod ad miniſtros eccleſiaſticos & eccleſiarum ornatum pertinet, curent epiſcopi, ut in clero ſuo ex habitu eccleſiaſtico pietas, ex converſatione ſinceritas & innocentia colligatur; ut Chriſti bonus odor ita bene oleat, ut nihil omnino male oleat. Sit in unoquoque gradu quædam conditionis proportio; illa quidem par gradui, forma non diſſimilis: ut qui totam inſpexerint provinciam, unicam omnino videantur familiam videre, officiorum, & ſtudiorum varietate diſtinctam, at vero uni patrifamilias ſubditam, & eiſdem legibus conformatam.

Ut verbi Dei prædicatio, quod eſt vitæ ſpiritualis pabulum, fidei principium, bonorum operum fundamentum, præſentia epiſcoporum incrementum recipiat, & uberiores in ſingulos dies pœnitentiæ fructus in fideli populo ferat; ſtatuimus per epiſcopos omnino (ubi fortaſſe non eſt) ſedile in eccleſia ſuggeſtum prædicatoris e regione reſpiciens altiore aliquo gradu conſtitui: ubi epiſcopus cum ſuis canonicis ſuperpelliceo indutis ad prædicationem audiendam ſedeat. Prædicationi epiſcopus, ſi legitime impeditus non fuerit, quotidie interſit, & exemplum præbeat pietatis, ac devotionis. Quia tamen ad clericalem ſtatum pertinet, omnibus pietatis officiis ceteris antecellere, & prædicationi intereſſe: ac ſi ſæculares ſua ſedilia pro prædicatione audienda, vel communia, ut magiſtratus, vel propria, ut privatæ perſonæ, in eccleſia habent, eccleſiaſticos homines loco & ſede carere in eccleſia, etiam extra chorum, cum non deceat, epiſcoporum diligentiæ proponimus & ſuademus, ut prope ſedile proprium, quatenus fieri poterit, alterum aptе conſtructum accommodent ad clerum recipiendum. Ex quo duo conſequentur apud omnes magni æſtimanda: primum erit, ut epiſcopo notum ſit ex ſola loci inſpectione, an clerus ad prædicationem conveniat; ut ſi defecerit, opportune etiam proſpiciat: ſecundum erit, ut populus, qui clerum prædicationes declinantem aliquando perſpiciens ſcandali offenſionem paſſus eſt, ipſius cleri emendatione & frequentia acrius ad imitationem incendatur.

Atque hoc ipſum ne ſuo fraudetur eventu, diligentia epiſcopi ſuſtinendum decernimus; ut ante prædicationes clerum moneat, tardiores excitet, omnes, qui juſto carent impedimento, ad prædicationes adducat, pertinaciter inobedientes, ut reſipiſcant aliquando, etiam coerceat: grave enim videri jure poſſet, dum reliqui ad verbum Dei audiendum ſolicite confluunt, ſi clericos videamus per vicos & plateas errare & ſæcularibus rebus operam dare, ac nullius proviſione & decreto ad meliorem mentem revocari.

Idem curandum monemus, cum feſtis diebus divina celebrantur officia, ut omnes cleri civitatum (exceptis rectoribus parochiarum, quibus eſt animarum perpetua cura impoſita: & iis, qui obligatione alicujus eccleſiæ tunc temporis obſtricti ſunt) niſi fuerint ex ipſis aliqui legitimo impedimento detenti, in eccleſiam cathedralem, ſeu collegiatam reſpective tam ad horas diurnas, & miſſam conventualem, quam ad veſperas conveniant: nihil enim poteſt videri abſurdius, ſi ſæculares divinorum officiorum tempore eccleſiam frequentent, clerici refugiant: illi Deum vel tacitis vocibus in eccleſia laudent, iſti in viis, & publicis locis tempus vaniloquiis terant, & boni averſione ſcandalum præbeant.

Quod ut executione facili perficiatur, hortamur epiſcopos, ut illam rationem, quæ ad rem fuerit accommodatior, ineant.

Non omittant epiſcopi ſeminaria inviſere; ac diſciplinæ, morum, & pietatis documenta, quibus puerilis ætas informatur, recognoſcere, & adhibito canonicorum conſilio, quos ad gubernaculi partem adſciverunt, proſpicere, ut fructus, qui a ſeminariorum erectione, & conſervatione percipitur, omnino non pereat. Seminarii clericos ad cathedralium eccleſiarum, aut etiam collegiatarum ſervitium feſtis diebus adſcitos non permittant officium deſerere; aut occaſione accedendi, & recedendi, per civitatem divagari: ſed modeſtiæ, & eccleſiaſticæ diſciplinæ legem moderentur & contineant.

Doctrinæ Chriſtianæ ſocietates, & exercitationes aliquando viſitari ab epiſcopis decet; ut vel auctoritate, vel præſentia rem tantam, quæ alicubi difficultatem patitur propter patrum negligentiam, & petulantiam puerorum, omnibus provehere ſtudiis contendant. Quod ſi fuerint impediti, vicarios generales, aut etiam foraneos ad hanc viſitationem dimittant: ut quod eſt Chriſtianæ fidei, ac diſciplinæ fundamentum, & certa ad omnem vitam cum virtute traducendam ratio, vigilantia, & ſolicitudine epiſcoporum conſervetur, & certis præſidiis muniatur.

Congregationes caſuum conſcientiæ ſingulis coram ſe menſibus haberi præcipiant, ad quas omnes curatos, & clerum civitatis advocabunt, & renuentes compellent juris remediis, atque pro his proponi caſus tempeſtive, & clero per ſchedas denuntiari curent; ac de-



ANNO CHRISTI 1596.

ciſiones a theologo, quem adſciverint, ſuper eorum ſingulis ferri mandabunt.

Ægrotantium viſitationes, eorum præſertim, qui prælati præſentiam, aut benedictionem in extremo vitæ ſtatu expoſcunt, aut aliqua ratione poſſunt vel injuriarum dimiſſione, vel rei alienæ reſtitutione, vel errorum atrociorum abſolutione ad bonum adduci, libenter epiſcopi ſuſcipiant, & ex caritate obeant. Ad quod munus accedere æquum erit ad cohortandum, monendum, corripiendum, monendum ſtudioſe, ut animas domino lucrifaciant; ne divertant ſermone ad humanas tricas, niſi neceſſitas compellat: orationis ſcopus in unum Deum, & animarum ſalutem intento ſermone dirigatur, & ſubſidia proponantur ſpiritualia: ut corporis ægritudo tolerabiter perferatur, quo Dei gloriæ ſervire, & peccatorum maculas abſtergere valeant; in quo abundet epiſcoporum caritas, & Chriſtiana ſolertia.

Pauperum, & miſerabilium perſonarum curam paternam gerant epiſcopi, ne deſtitutæ ab eo, qui communis debet eſſe pater, cuſtodia & caritate, quæ ſunt propria prælati munera, in mala varia, & duras incidant calamitates, nec ſit, qui in volutabro miſeriarum jacentibus manum admoveat, ſi epiſcopus non admoverit, & beneficentiæ Chriſtianæ exemplum non dederit.

Ea eſt rerum humanarum inconſtantia, & imbecillitas, ut nihil ſit inter homines ita firmum, & munitum conſenſu, lege, natura, quod vanitati & caſui non ſubjiciatur; nec poteſt cuiquam permanendi ſtatus præſcribi, quin repentinæ inſtent & exoriantur cauſæ, eæque cum ratione conſentientes, ut diſcedere oporteat, & expediat. Idcirco licet epiſcopis reſidendi apud ſuas eccleſias, & in diœceſi, concilii Tridentini decreto, & in graviſſimo pontificiarum conſtitutionum præcepto neceſſitas impoſita ſit; cum tamen Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens eccleſiæ, vel reipublicæ utilitas ſuaſerit, ut epiſcopi ab eccleſia, & diœceſi abeſſe cogantur, non illam ob cauſam contumaciæ redarguendi, ſi cauſas abſentiæ probatas attulerint ad excuſationem; quas, quia incertis a rebus pendent, definire vel ſupervacaneum, vel incertum, & indefinibile putamus.

Quod ad cauſas abſentiæ pertinet, id fiat, quod Tridentino concilio ſancitum & declaratum eſt; cujus diſpoſitionem in omnibus declaramus ſervandam & exequendam.

Qui inſcitia laborant, & ambitioſa nobilium potentia nituntur, cum vel ad ordines, vel ad beneficia aſpirant, commendatitias literas undique collectas ad præſidium inſcitiæ ſuæ adſciſcunt. Duo vero, quibus eſt occurrendum, efficere conantur: ut imperitiam his ſuis fulciant adminiculis, aut prælato liberam diſponendi facultatem adimant, vel eumdem in difficultates adducant. Idcirco ſtatuimus, & declaramus omnes & ſingulos commendatitiarum literarum perquiſitores, & præſentatores, ſive ad ordines, ſive ad beneficia aſpirent, quandocumque pro prædictis commendatitias præſentarint, tunc temporis ad eadem, quæ tum petunt, quamvis alias idonei eſſent, non promoveantur.

Capellæ, & altaria de jure patronatus laicorum, incompta, & inculta, decet omni ratione ornari. Patronos autem epiſcopi juris remediis compellant, [a] & quæ debent, omnino a parte ſua impleant.

Præterea vigiliis ſanctorum, & feſtorum dierum, quibus jejunatur, præcedente veſpere ſigno campanæ intimetur populis jejunii futuri obſervatio, ut ignorantiæ prætextus excludatur. Quod epiſcopi parochis indicent omnino exequendum.

[a] Forte, ut quæ. H.

## VI.

Qui curam animarum ex officio ſusceptam habent, rei debent, quam ſuſtinent, quæ ſingulis periclitatur momentis, præſentem operam dare; atque hi quidem ut corporali inſiſtunt reſidentia, ita piis debent conatibus urgere, ne quid propter illorum [b] injuriam, aut nequitiam pereat, & reddendæ rationis obligatione melium cuſtodem obſtringat. Debent curati meminiſſe, datos ſe populis mediatores inter Deum, & homines: ut ſacra frequenter facere pro eccleſia ſancta Dei, & populo ſibi commiſſo non omittant; ut verbum Dei, cujus diſpenſatores facti ſunt, inculcare animis fidelium non deſinant; ut ſacramenta petentibus vel miniſtrare, vel proponere, & ſuadere maxima diligentia ſtudeant, ut vitæ integritatem in exemplum aliis prætendant, & quaſi lucernis ardentibus viam demonſtrent, qua per divinorum mandatorum obſervantiam in celum aſcenditur.

[b] Forte. incuriam.

Sacra feſtis diebus facere curati non omittant: reliqui vero tam ſæpe, ut muneri ſuo ſatisfaciant. Sacramenta omnia ex Romano rituali miniſtrent, ut in breviario, miſſali, ſacerdotali, rituali, & aliis ſanctam apoſtolicam Romanam eccleſiam magiſtram, quæ non fallitur, & matrem, quæ materna dilectione filios non amare, & ſalutaribus non paſcere alimentis non poteſt, omnino ſequantur.

Duo ſunt fines in humana fragilitate; ingreſſus in vitam, & exitus: his tamquam curriculi hujus finibus vita præſens terminatur, utrobique curatorum vigilantia, & Chriſtiana caritas requiritur. Cum enim ingredimur in hanc vitam ærumnis & periculis refertam, iræ filii, ſpei ſalutaris expertes, & renovationem regenerationis expectamus; præſto debet eſſe, qui baptiſmi ſacramento originalis peccati maculam abſtergat, & in filiationem Dei, qua juſte primi parentis culpa damnati fueramus, reſtituat. Diſceſſus ex hac vita, qui gravi premitur erratorum pondere, & perpetui naufragii metu, niſi opportune ſpiritualis medici pharmaco muniatur, & confirmetur; jure quidem poſtulat, ut diſpenſator, cui fuerat miniſterii ratio commiſſa, damni pœna damnetur. Ad patrinatum in baptiſmate non admittant curati eos, qui ſaltem memoriter non teneant orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & ſymbolum apoſtolorum.

Sint igitur curati diligentia, & fideli miniſterio commendabiles, ut opus, quod tenent, diligenter ſuſtineant, Dei, & epiſcopi ſui animadverſionem ſubituri, ſi negligenter ſe geſſerint. Ac hi quidem extra parochiæ fines habitare non præſumant, ſed inter ſuum gregem diverticulum habeant, ut in omnes partes cuſtodiæ, & caritatis ſuæ affectio commode dimanet. In libro deſcripta habeant diſtincte nomina parochianorum per domos, & familias; confeſſioni, & communioni pa-

ſcha-

ANNO CHRISTI 1596.

ſchatis reſurrectionis dominicæ intendant; inter illos omnia obſervent, omnia circumſpiciant. Ut patresfamilias bene familiæ præpoſiti, ſi quem præſenſerint corpore ægrotare, prudenter adeant, conſolentur; ac ut medicus corpori ſubvenire medicamento properat, ſalutis monita prudenti, & maturo ſermone, ac ſpirituales medicinas proponant, ſuadeant, miniſtrent; ac ovem Chriſti ſanguine redemptam ne patiantur inedia, & fame ſpirituali perire. Præter libros, in quibus ſcribantur nomina baptizatorum, & confirmatorum, habeant curati librum matrimoniorum, atque item mortuorum: uſus enim jam docuit hujuſmodi ſcriptiones ad multas, eaſque maximas, etiam ſummo periculoſas controverſias tollendas pertinere.

De eccleſiis, ſacriſtiis, eccleſiaſtica ſupellectili, & decenti illorum omnium cultu, ita curent, qui parochialibus præſunt eccleſiis; ut nihil appareat ſordidum, aut minus quam decet nitidum.

A cœmeteriis vineas, & fructuoſas arbores amoveant; nec intra ſolum ſacrum venale quidquam proponi ſinant; ut re appareat quod jam norunt per doctrinam omnes, eſſe domum orationis, non autem negotiationis.

Miſerabilium perſonarum parochiæ ſuæ curam gerant paternam, præſertim vero ubi juniores puellæ, aut viduæ ſunt, quarum egeſtas grave periculum oſtendit: atque in hoc ipſo ita contendant, ut omnem etiam lapidem moveant; quo caſui, qui videtur inſtare, ſumma caritate occurrant.

Domus parochiales ordine ac diſciplina ſint reliquis exemplum. Curati omnino ad quodcumque vel vile miniſterium feminas non adſciſcant ſibi in familiam, quæ aliquando infames corpore fuerint, vel infamibus domeſtico miniſterio inſervierint, aut propter ætatem, & alia ſuſpectæ eſſe poſſint. Mares etiam illos minime recipiant, qui publici blaſphemi ſint, aut ſceleroſi, aut ſaltem in paſchate confeſſi, & euchariſtiati non fuerint. De feminis in civitatibus, præcipimus a vicariis generalibus epiſcoporum hujuſmodi miniſtras, prævia aliqua cognitione probari: in opidis, pagis, & villis ab archidiaconis, ſeu vicariis forancis regionum.

Diſceſſus curatorum a parochiis ut propter animarum curam, quæ ſingulis objicitur momentis alicui periculo, eſt inhibendus; ita indulgendum neceſſitati, & temporum qualitati. Itaque ſciant epiſcopi, eorumque vicarii licentiam diſcedendi in ſcriptis, gratiſque non ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, eſſe concedendam, ſicut decreto concilii Tridentini ſtatutum fuit. Ut autem in civitatibus licentiam hujuſmodi edicimus a vicariis generalibus in ſcriptis eſſe petendam; ita in oppidis, pagis, & villis petendam decernimus a propriis vicariis foraneis pro facultate illis ab epiſcopo limitate concedenda. Si qua vero fuerit legitima cauſa, quo minus curatus aliquis apud eccleſiam ſuam reſidere poſſit, erit illa quidem legitime coram epiſcopo, aut ejus vicario generali probanda: & ſi fuerit ex illis, quæ juſta videri, & reputari poſſit, licentiam ſcripto authentico comprehenſam dare licebit; quarum licentiarum vel longi temporis reſidentiæ excuſantium, vel brevis licet ex cauſa momentaneæ, mandamus librum, ſive regeſtum quamprimum fieri, ut quandoque licentiæ hujuſmodi videri, ac revideri poſſint.

## VII.

Monemus omnes in domino abſentiam jure permittente ex cauſis rationabilibus indulgeri, ut humanis ſit neceſſitatibus conſultum; non ut canonici ad luxum, & venationes, & illa, quæ modeſtiam clericalem non decent, per occaſionem indultæ abſentiæ diffluant: quod illos meditari apud ſe, & perpendere æquum eſt: Abſentiam ab eccleſia monemus omnino non ſuſcipi dominici adventus tempore, quadrageſimæ, nativitatis, reſurrectionis, pentecoſtes, itemque corporis Chriſti: atque ita dimitti, ut dimidia ſaltem pars canonicorum, (ſalvo illorum jure, qui ſuper his privilegio fruerentur, viridi obſervantia ſtabilito) in eccleſia remaneat.

Si qua extra ordinem cauſa gravior, & longioris abſentiæ neceſſitas, ex privato etiam incommodo emerſerit, illam decernimus ab epiſcopo ſervatis ſervandis cognoſci; interim ad perceptionem diſtributionum quotidianarum abſentem non admitti.

Ac ut diſtincte, quid hoc in genere vitandum, quid ſequendum, cognoſci ac decerni poſſit, ſtatuimus, canonicis, ſeu beneficia ſine cura obtinentibus, quæ reſidentiam perſonalem requirunt, ſi ætate majores triginta annis fuerint, licentiam ut proficiſcantur ad ſtudia in gymnaſiis publicis obeunda denegandam, niſi ſtudia jam cœpta perficere continuato curſu perſeverarint. Hujuſmodi autem licentia non ultra quinquennium concedatur: ſtudia vero debent eſſe ſacræ theologiæ, aut ſacrorum canonum. In quo monemus animadvertendum eſſe, ut beneficiorum onera interim per ſubſtitutum idoneum obeantur, & ſuſtineantur. Obtinentes eccleſias parochiales decernimus omnino a licentia hujuſmodi proficiſcendi ad publica gymnaſia eſſe repellendos; qui enim collationis tempore per concurſum examinatus, & canonice promotus fuit, & publico examinatorum ſynodalium teſtimonio ad animarum curam exercendam idoneus habitus, dimittendus non eſt, ut diſcat, cum ad docendos alios provectus fuerit.

Quia ſolent capitula interdum canonicis in longum abſentiæ tempus, annos etiam commentitiis cauſis, aut veris, ſed non legitimis concedere; eiſdem inhibemus, ne quid in poſterum tale conari, aut tentare audeant; alias decernimus irritum, & inane quidquid ſuper præmiſſis actum, geſtum, decretumve fuerit.

Quia vero intereſſe divinis corporalem tantum præſentiam non requirit, ut quis actum præſentiæ exhibeat, nihil præterea agat, aut curet; præſenti conſtitutione edicimus, illos dici vere, & proprie reſidentes, qui ad divina in eccleſiam convenientes laudes perſolvunt, ex inſtituto eccleſiæ, Deo; munera obeunt vel communia, vel propria; divinis animo, ac toto corpore intendunt. De quo ſuperius capite de divinis officiis ſatis actum eſt.

## VIII.

In domini domo nihil præpoſterum, aut inordinatum eſſe debet: ordo autem, & ratio diſtincta, utque in membris proportio, & ſymmetria deſideratur, ita in capite præcipue elu-



ANNO CHRISTI 1596.

ceat, & emineat; ne monſtri ſimile ſit, turpe imponi caput bene compoſito corpori, quo membra, licet per ſe ſatis apta, dignitatem, & pulcritudinem amittant. Idcirco ſi res poſtulet, ut in eccleſia electiva (ut vocant) agatur de electione epiſcopi, quædam conſtituenda duximus, ut tantæ rei agendæ, quantum licet, conſulatur.

Sit igitur eligentium ſcopus, ut ad cathedralis eccleſiæ regimen eum eligant, qui ſit legitimo matrimonio natus, ætate matura, gravitate morum, literarumque ſcientia juxta conſtitutionem Alexandri III. quæ incipit: cum in cunctis; in concilio Lateranenſi promulgatam. Debet autem antea in univerſitate ſtudiorum magiſter, ſive doctor, aut licentiatus in ſacra theologia, vel jure canonico eſſe promotus, aut publico alicujus academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos habitus; ſi regularis fuerit, a ſuperioribus ſuæ religionis ſimilem habeat fidem; ſaltem vero ſex menſium ſpatio ante in ſacro ordine conſtitutus. Promoti autem ad eccleſias cathedrales poſt receptam electionis confirmationem, ut munera epiſcopalia obire, & gregis incolumitati conſulere valeant, debent ipſi quidem munus conſecrationis intra tres menſes ſuſcipere, nec differre ultra tres alios menſes, ne vel fructus reſtituere in primo caſu compellantur, vel in ſecundo privationis pœnæ ſubjiciantur. Conſecratio vero ſi extra curiam Romanam fiat, in eccleſia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, ſi commode fieri poterit, celebretur.

Ad electionem, qui jus eligendi habent, non procedant, niſi mortuo epiſcopo, & vocatis omnibus, qui ſunt in provincia, ut electioni epiſcopi, quæ tanti refert, interſint omnes, qui jus habent, & ferre ſuffragium valent; ut majori, ac ſaniori parte epiſcopi electio ſuſtineatur.

Proceſſum, & inquiſitionem fieri de prædictis qualitatibus eligendorum ſacra Tridentina ſynodus diſtricte præcipit, ad ſanctiſſimum dominum noſtrum cum fidei profeſſione tranſmittendam, & ab eodem approbandam. Quod non modo ut fiat, ſed ut bene fiat in primis curandum. Tota autem inſtructio a probatis viris teſtibus, omni exceptione majoribus ſumenda, qui vitæ, morum, integritatis, pietatis, ac ſedulitatis Chriſtianæ certum teſtimonium reddant. Sit atteſtatio jurejurandi religione munita, ſit ex officio recepta, & a perſonis ab officio aſſumendis, non a parte nominandis, & in publicum inſtrumentum redacta. Qui vero ex capitulo examini, & inquiſitioni præficientur, ab ipſomet capitulo eligantur, delato eis juramento facturos in examine obeundo, quæ juxta veritatem, & juſtitiam ſunt, poſthabito odii, amoris, affinitatis, & aliorum omnium reſpectu; ac nihil ſe ex iis, quæ inquiſitione perceperint, cuiquam præter ipſum capitulum manifeſtum facturos. Ad poſtulationes confugere, & inteligibilem per carnem & ſanguinem expoſcere, & juris ordinem pervertere non expedit. Statuimus, in eccleſiis electivis ordinem juris ſequendum eſſe, ac tum demum ad poſtulationes canonicas declinandum, cum electiones idoneorum præficiendorum defecerint.

In primis autem cum eccleſia vacaverit, ſupplicationes, & preces publice, privatimque habendas præcipimus a capitulo per civitatem & diœceſin indicendas, quibus clerus & populus bonum valeat a Deo paſtorem impetrare, quod eſt gubernaculi eccleſiaſtici & Chriſtianæ diſciplinæ & pietatis certiſſimum cum Dei gratia fundamentum.

Ac ut ea, quæ in membris eſt naturalis quædam conſenſio, ut invicem ſerviant, invicem obſequantur; in corpore provinciæ noſtræ caritas inter epiſcopos vigeat, quæ Deo placeat, & populorum ædificationi conſulat, decernimus, ſi quando divina diſponente providentia, metropolitanus, aut aliquis ex epiſcopis ſuffraganeis decubuerit, & in viam univerſæ carnis declinare cœperit, ut ex iiſdem ſuffraganeis, qui proximior ægrotanti eſt, ſeu eo impedito, aut abſente, alius, qui minori ſpatio abeſt, capitulo ægroti epiſcopi ſignificante, ſolicite accedat, ut ſacramenta & ſpiritualia obſequia prudenter exhibeat, & præſens præſentem caritate conſoletur epiſcopali. Si æger epiſcopus obierit, curabit idem, ut per œconomos, aut alios ex capitulo, tota ſacra ſupellex, ornamenta eccleſiaſtica, paramenta, vaſa, miſſalia, atque hujuſmodi alia, licet ex auro, ſeu argento confecta ad divinum cultum etiam in privatis ædibus, capellis, oratoriis deſtinata, quæ tempore obitus ejus extabunt, eccleſiis, de quorum fructibus facta fuerint, eo ipſo applicentur & incorporentur, ſublata de eiſdem, teſtandi, ſeu diſponendi facultate: Id quod Pii quinti conſtitutione decretum eſt, & graviter omnibus, ad quos pertinet, pro executione injunctum.

De cenſibus & redditibus dictarum eccleſiarum non exactis, ſive dies ſolvendi ceſſerit, ſive non ceſſerit, modo exacti non fuerint, etiamſi illorum fuerit exactio, in judicio jam propoſita, quod Julii III. conſtitutione jam decretum eſt, hoc idem ſervandum ſtatuimus, ut ſcilicet ad ſucceſſores epiſcopos pertineant. De fructibus vero non exactis legati, aut donationis titulo relictis, decernimus, quod in declarationibus ejuſdem bullæ adjectis deciſum, ac definitum eſt.

Defuncto metropolitano, ab epiſcopo, qui ſpiritualia illi obſequia præſtitit, dies obitus totius provinciæ epiſcopis ſignificetur, & in tota provincia dies illius depoſitionis magna celebritate ſacrorum & cleri agatur. Si ex epiſcopis aliquis deceſſerit, qui caritatem exhibuerit defuncto, ille idem epiſcopus rem metropolitano ſignificet, qui toti provinciæ idem officium indicat. Ac ut metropolitani poſtremo tempore defuncti anniverſarium in tota provincia quotannis fieri præcipimus & mandamus; ita in ſingulis cathedralibus eccleſiis de proprii epiſcopi proxime defuncti anniverſario repetitum, ac diſpoſitum intelligi debere dicimus, declaramus & ſtatuimus. Æquum enim eſt, ut eos, qui nos dilectione paterna & paſtorali affectione foverunt, & ad omne bonum adducere perpetuis laboribus & vigiliis conati ſunt, grati animi memoria & piis obſequiis proſequamur.

Quod de anniverſario metropolitani & epiſcoporum ſingulis annis celebrando decrevimus; hoc item de metropolitani & epiſcoporum ſuffraganeorum viventium ſolenni conſecrationis die quotannis habendum & celebrandum decernimus, ut preces publicæ & ſupplicationes ipſo conſecrationis ſolenni die habeantur; ac divinæ clementiæ bonitas exoretur,

ANNO CHRISTI 1596.

retur, ut gratiæ ſuæ munere gubernaculi eccleſiaſtici ordo, inſtitutio; & progreſſio procedat.

Dies vero tam anniverſarii metropolitani, quàm epiſcoporum, itemque conſecrationis eorumdem in kalendariis particularibus epiſcoporum indicantur.

### IX.

Parochorum ea eſt muneris & obligationis ratio, quæ curam animarum univerſam complectitur, ut hoc ipſo capite ſtatuere de parochis aliquid optimo jure decreverimus. At vero cum ad reliquorum cuſtodiam parochorum ſolicitudo vocetur; debent hi quidem non gregatim adiſciſci, aut inconſulto provehi, ſed canonice, id eſt mature & ſervatis ſervandis. Cum igitur quomodocumque vacaverit eccleſia aliqua parochialis, quocumque cenſeatur nomine curata, etiamſi ſit vicaria vel temporalis, vel perpetua, curam habens animarum annexam, ſive ſit liberæ collationis ordinarii, ſive de jure patronatus, decernimus, ſtatim habita vacationis notitia, epiſcopi partes eſſe, idoneum in ea vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis aſſignatione conſtituere, qui onera ipſius eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de rectore provideatur. Quod ſi cui collegio, aut capitulo a ſancta ſede indultum ſit, ut caſibus repentinis occurrente vacatione alicujus eccleſiæ curatæ, ipſummet poſſit capitulum de corpore cleri civitatis aliquem ad curam in vacante eccleſia ſuſcipiendam dimittere, donec epiſcopus moneatur de hujuſmodi vacatione; ſciant cuncti id indultum extra caſum ſuum non eſſe intelligendum.

Cum ad notitiam epiſcopi vacatio parochialis eccleſiæ pervenerit, edicta decernimus publice eſſe proponenda, quibus vocentur ad futurum examen die conſtituta perficiendum, qui ad concurſum accedere volent. Ex iis vero, qui ab examinatoribus ſynodalibus idonei renuntiati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem eccleſiam gubernandam opportunis, ab epiſcopo eligatur, quem idem epiſcopus magis idoneum judicaverit, ut ad vacantem eccleſiam promoveatur. Collationem autem eccleſiarum parochialium, ſeu curatorum, factam ſine examine commiſſo examinatoribus ſynodalibus, & non obſervata lege concurſus, nullam declaramus, irritam, atque nullius eſſe valoris pronuntiamus, ac taliter proviſo nullum etiam coloratum jus, aut titulum quæſitum eſſe: dictas vero parochiales eccleſias, ſive curatas, ut ante, vacare, ac de eiſdem provideri debere. Quod ſi obſervata ſit quidem forma concurſus, ſed minus idoneus magis idoneo fuerit ab epiſcopo in electione præpoſitus, liceat ei uti appellationis remedio adverſus epiſcopi eligentis irrationabile judicium, quemadmodum cavetur conſtitutione ſanctæ memoriæ Pii quinti hac de re edita.

Quod ſi carnis & ſanguinis affectione, poſthabito eo qui magis idoneus in examine fuerit, conferatur eccleſia minus idoneo, & appellarit ad hanc ſedem metropolitanam ille, qui ſibi factam fuiſſe injuriam probare, ac jus tueri ſuum velit; officii neceſſitate cogimur juſtitiæ ſubſequi implementum, quod graviſſima conſtitutio Pii quinti indicit, & eccleſiaſtica ratio poſtulat [illegible]

In hujuſmodi eccleſiis, quæ ſunt de jure patronatus eccleſiaſtici, ſervetur quod ſacrum concilium Tridentinum diſpoſuit; ſi inſtitutio ad epiſcopum & non ad alium pertineat: ut is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, epiſcopo præſentetur; ut ab eodem inſtituatur: cum vero inſtitutio ab alio, quam ab epiſcopo erit facienda, tunc epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem ſpectat inſtitutio. In eccleſiis autem, quæ ſunt juris patronatus non eccleſiaſtici, ſervetur quod jure ſtatutum eſt; ut tamen præſentati ab examinatoribus ſynodalibus prævio examine probentur, & non, niſi idonei reperti fuerint, admittantur.

Deputationes vicariorum tam perpetuorum, quam temporalium, in eccleſiis curatis ad menſam capitularem ſpectantibus & ab ea dependentibus, ſeu dictorum vicariatuum collationes omnes & quaſcumque proviſiones in futurum ab executione ſuſpendimus, & ſuſpenſas poſt duos menſes declaramus, quamdiu deputati ſeu proviſi profeſſionem fidei in manibus noſtris, aut vicarii noſtri, quoad diœceſin Aquilejenſem; vel in manibus epiſcopi ordinarii, aut ejus vicarii generalis, quoad provinciam, emiſerint: ut ſit initium executionis miniſterii profeſſio, & fundamentum, a quo recta miniſterii ratio pendere debet. In contrafacientes autem quoſcumque juris remediis animadvertendum pro criminis qualitate decernimus.

Locationes & conductiones ultra triennium eccleſiarum parochialium cum redditibus earum ſub quibuſcumque conditionibus, tenoribus, ac formis initas, ut alicubi fieri compertum eſt, nullas & irritas declaramus, & quatenus opus ſit, etiam irritamus & abolemus: eaſdem vero eccleſias, quæ menſis vel epiſcopalibus, vel capitularibus unitæ ſunt, in vicariatus perpetuos erigimus & in poſterum per vicarios perpetuos in eiſdem eccleſiis inſtituendos, animarum curæ inſerviendum decernimus.

Qui ad parochiales eccleſias, vel curatas aſſumuntur, præter ea, quæ ſuſtinendi muneris cauſa requiruntur, vigintiquinque annos ſaltem attingere debent: proviſionem ſeu collationem, aut etiam deputationem, de minore factam viribus carere decernimus.

Illiteratos curatarum eccleſiarum rectores, qui ſuperioribus fortaſſe temporibus in eccleſias irrepſerunt, quibus propter imperitiam minus certe inſerviunt, quam res poſtulat: nec ferre poſſumus cum damno eccleſiæ, & eccleſiaſtici miniſterii jactura in officio verſari, & ab eccleſia removeri caritas non patitur: eam vero rationem quam præſcripſit concilium Tridentinum, adhiberi volentes, declaramus his, modo vitæ honeſtæ ſint, coadjutores, aut vicarios idoneos pro tempore parte fructuum competenti aſſignata adjungendos ac deputandos a locorum epiſcopis tamquam ſedis apoſtolicæ delegatis: ut coadjutorum, ſeu vicariorum diligentia Dei opus egregie perficiatur.

Quod ſi apud eccleſias parochiales, ſive baptiſmales populus ita numeroſus ſit, ut unus eccleſiaſticis ſacramentis miniſtrandis, & cultui ſacro peragendo ſufficere non poſſit, epiſcoporum tamquam ſedis apoſtolicæ delegatorum partes erunt, rectores, ſeu alios, ad quos per-



ANNO CHRISTI 1596.

pertinet, compellere, ut tot pro miniſterio ſacerdotes adjungant, quot ſatis eſſe ad munus parochiale ſuſtinendum putarint.

Inolevit miſerabili exemplo quibuſdam etiam in locis, quibus populus numero, & qualitate ſatis pollet, abuſus, ut beneficia eccleſiaſtica, quæ curam animarum ex primæva eorum inſtitutione habuerunt, in ſimplicia aſſignata vicariis congrua portione converſa fuerint, nulla intercedente ſanctæ ſedis gratia converſionis, aut commutationis, ſed impetrantium aſſertione & abuſu: quaſi ſuperiorum temporum rectores, qui reſidere apud eccleſias curatas debuerunt, cum non reſederint, & per vicarios in dictis eccleſiis miniſtrarint, naturam eccleſiarum parochialium culpa ſua, quæ injuſtum affectavit commodum, & correctionem effugit, immutarint. Cui malo occurrentes ea, quæ nos decet, vigilantia & ſolicitudine, ſtatuimus de præfatis eccleſiis, quas tamen vere conſtiterit a primæva erectione fuiſſe curatas, ut, licet effectum videantur, ſine ulla tamen ſanctæ ſedis gratia, conſecutæ, per totam provinciam provideatur; ut cum primum quocumque modo dictæ eccleſiæ aliter, quam per reſignationem obtinentium vacaverint, ad primævi ſtatus conditionem ipſo facto rediiſſe cenſeantur; & fiat de illis proviſio, ut de vere parochialibus eccleſiis ſacrorum canonum diſpoſitione ſtatutum eſt: quod ut contra omnes impetrantium incurſiones certo præſidio tandem aliquando muniatur, ſtatuimus totius provinciæ nomine ſanctiſſimo domino noſtro ſupplicandum, ut præfatum decretum apoſtolica auctoritate confirmare, & munire dignetur, ne quod noſtra ſolicitudine paratum eſt remedium, ſubreptionis impulſu pereat.

Debent iis, qui a parochialibus eccleſiis longe abſunt, vel extra civitatem ſunt, cum tamen a parochia civitatis pendeant, & ab eadem gubernentur, epiſcopi opportune proſpicere, ut miniſteria ſpiritualia in promptu neceſſitate exigente habere poſſint, præſertim ſi aquarum divortiis, & montium difficultatibus, & pontium nocturno tranſitu, ac pluviarum, ſeu nivium tempore, vel intercluſo portarum civitatis exitu, difficilis rectori ſit, ac periculoſus, interdum etiam impoſſibilis in eam partem acceſſus; quo caſu juxta felicis recordationis Alexandri tertii conſtitutionem, & Tridentini concilii decretum, novas epiſcopi parochias conſtituere poterunt, ut animarum curæ conſultum ſit: Iis vero, qui novis parochiis præficiendi erunt, ex fructibus ad matricem eccleſiam quomodocumque pertinentibus aſſignandam portionem ex decreto concilii * declaramus; quæ ſi minus competens, ac minus congrua fuerit, erunt partes epiſcopi, etiam populum ad ea, quæ novo rectori neceſſaria fuerint, præſtanda compellere; ut inde hauriat victus neceſſarii commoda, ubi miniſterii & laboris aſſiduam diligentiam impendit.

* ſeſſ. Trident.

Decedente parocho, ea, quæ ad ſacrum cultum, vaſa, libros, paramenta, miſſalia, ornamenta, & alia ſacra, licet ex argento, ſive auro confecta, vivens ex fructibus beneficii etiam in capella, ſeu privato oratorio adhibenda confecit, nomine eccleſiæ, apud quam reſedit, ſeu quam obtinuit, vindicanda, & in illius uſum adſciſcenda decernimus & mandamus juxta conſtitutionem Pii quinti, quod vicariorum foraneorum diligentia expediendum erit, ut proprio illorum capite declarabimus.

### X.

Dignitatum, & canonicatuum, qui nomen a regula & ordine duxerunt, electionem, & probationem epiſcopis indicimus faciendam cognitione, & judicio, ut idoneos, quos caro & ſanguis non revelavit, eligant ſpectatæ probitatis, morum, etiam probatæ doctrinæ, ut merito ſenatus eccleſiæ dici poſſit: in quo ſibi perſuadeant fore ad eccleſiaſticum gubernaculum dirigendum bene incitatæ voluntati maximum & perpetuum adjumentum; pertinent enim, qui dignitates obtinent eccleſiaſticas, & canonici ad caput, qui eſt epiſcopus, tamquam nobiliora membra: pertinent vero ratione miniſterii & dignitatis, itemque loci propinquitate, & ordine eccleſiæ, ut nihil in horum altero ſit, quod ad alterum non pertineat. Hanc ob cauſam de dignitatibus, & canonicatibus a Tridentina ſynodo ſtatutum eſt, ut in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis inſignibus dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars canonicatuum, ubi id commode fieri poteſt, tantum magiſtris, & doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico conferantur. Quod ſi dignitates curam animarum annexam habeant, ex decreto concilii declaramus nulli eſſe conferendas, qui ſaltem vigeſimumquintum ætatis ſuæ annum non attigerit, & in clericali ordine verſatus, doctrina ad munus ſuum exequendum neceſſaria, & morum integritate non commendetur.

Aliæ dignitates, & perſonatus, quibus nulla ſubeſt animarum cura, clericis idoneis non minoribus annis viginti duobus juxta idem concilii decretum conferantur.

In archidiaconos, qui oculi ſunt epiſcoporum, in omnibus eccleſiis provehantur, ubi fieri poteſt, qui magiſtri ſunt in theologia, ſeu doctores, aut licentiati in jure canonico: neque enim munus, ſicubi juriſdictionem habent; aut dignitas, quæ principalis eſt poſt epiſcopalem: aut temporum ratio, quæ vigilantiam, integritatem, & doctrinæ donum requirit, omnino patitur, ut ſegnes, & illiterati adſciſcantur, qui imperitia, & ſordibus evertere perſeverent quæ ſtare videntur.

Ætas promovendorum ad canonicatus ea ſaltem debet eſſe, quæ ſacro ordini præbendæ conveniat, ut infra tempus a jure, & ſancta Tridentina ſynodo conſtitutum, promoveri poſſint: ea ſit præterea in literis ſcientia, & in eccleſiaſticis doctrina, ut ordinem aſſequi præbendæ valeant. Niſi enim idonei in examine ad ordinem præbendæ, quæ confertur, extiterint, inhabiles ad canonicatum pronuntiamus; collationem vero, aut quamcumque promotionem de illis ad canonicatum irritam & caſſam declaramus.

In eccleſiis tam cathedralibus, quam collegiatis, & parochialibus, ex earum conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine obſervatur, ut in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus cathedralis eccleſiæ, vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum; vel partem proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſve illi-

illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus eccleſiis dicuntur turnorum lucra, interponantur: hæc examinent, & diligenter epiſcopi perpendant, ut, quæ in uſus pios convertuntur, permittant, alia, quæ ſordidam avaritiæ labem, & ſimoniacam ſuſpicionem olent, evertant, ac omnino tollant. Quod vero ſpectat ad primi, poſt adeptam poſſeſſionem, anni fructus, decernimus exequendam omnino conſtitutionem Pii V. ut ſi hi fructus, & diſtributiones in pia opera ſtatuto, aut vetere conſuetudine inſumantur, dimidium ad canonicum, dimidium alterum ad ipſorum executionem pertineat; ſi vero inter canonicos diſtribuantur, aut aliter inſumantur quam in pios uſus, tum decernimus dictos fructus, & diſtributiones primo etiam anno poſt adeptam poſſeſſionem integros ad canonicum pertinere, & eidem ſine dimiautione aſſignandos eſſe.

Beneficiorum etiam ſimplicium ſub eodem tecto obtinendorum prohibitionem jure communi latam omnibus epiſcopis ſervandam, & exequendam omnino proponimus, & intimamus.

Ferendum nullo pacto dicimus, & declaramus, ut ad beneficia ſimplicia, vel liberæ collationis, vel juris patronatus, ſacerdotii ordinem, & miniſterium annexum habentia, provehantur pueri etiam impuberes, qui literas, & pene ſeipſos ignorant, nedum munus exequuntur beneficiis annexum, aut exequi poſſunt: quem abuſum corrigere volentes, declaramus illos, qui ætatem non habent, ut ſaltem infra annum promoveri ad ordinem tituli beneficialis poſſint, inhabiles ad hujuſmodi beneficia, quæ ſacerdotii ordinem, & miniſterium annexum habent: electionem vero, præſentationemque, & inſtitutionem de hujuſmodi perſona nullam, & irritam eſſe, aut etiam irritandam, & annullandam declaramus.

Ac, ut in collatione beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ miniſterium habent, & aliquam muneris executionem, in primis attenditur, & curatur, ut qui provehitur, idoneus ſit; ita in beneficiis quibuſcumque ſimplicibus conferendis, quamvis de jure patronatus, accurate ſervandum præcipimus, & mandamus, ut prius examinetur promovendus in iis, quæ ad beneficii onus pertinent, quam promoveatur: ſi fuerit idoneus, ut fiat, quod jure fieri poteſt, ac debet: aliter factam collationem ex decreto concilii declaramus irritandam: ipſi vero collatores pœnam ſibi iſto caſu alias indictam, & in concilio Tridentino receptam & innovatam declinare ſtudeant.

## XI.

Clericorum vitam habitu, ſtudiis, converſatione decet eſſe integram; ut qui aliis ordine præſunt, etiam exemplo, & laudabili morum & ſtudiorum inſtitutione præluceant. Quia vero hoc ipſum actu conſtat & habitu, ſingillatim de utroque ſtatuere aliquid decrevimus, ut etiam ſucceſſione temporum, quod inſtitutum, coeptumve fuerit, expolitione aliqua perficere valeamus.

Inſigne clerici tonſura eſt, ac veſtis talaris: qui igitur in clericalem militiam adſcitus eſt, noverit a ſe hoc primum requiri, ut habitum, & tonſuram deferat; qui non detulerit, ſciat ſe pœnis juris ſubjacere.

Cum autem complures ſint, qui tonſuram habent, atque etiam ordines minores, [illegible] quorum aliqui in eccleſiaſticis miniſteriis in habitu & tonſura aliquando ſervierunt; poſtea reſpicientes retro, tamquam regno Dei minus apti, clericalem militiam deſeruerunt, & ad vitam laicalem, & communem reverſi ſunt: alii nec habitum, nec tonſuram umquam geſtarunt, nec in eccleſia ſua clericorum inſtituto & more verſati ſunt; ſed laicorum habitu, delatione armorum, toto corporis cultu omnia alia potius, quam clericos ſe oſtenderunt; neque clerici umquam communi hominum opinione habiti ſunt: utrique vero vitam ſæcularem degentes ſi quando aliquo impingunt, & juſtitiæ temporalis præcepto propter crimen objectum in aliquam difficultatem traduntur, tum ordinationis literas oſtendunt, & fori eccleſiaſtici ſubſidium implorant: abuſibus occurrentes variis & gravibus, ſacri concilii Tridentini decretis inhærentes ſtatuimus & declaramus indignos illos eſſe, quos fori eccleſiaſtici favor complectatur, qui ejuſdem fori dignitatem, & obedientiam contempſerunt. Nullus igitur fori privilegio ex decreto concilii gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui eccleſiæ ex mandato epiſcopi ſerviat; vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate de licentia epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos verſetur.

Illis autem, qui beneficium eccleſiaſticum quodcumque, etiam quomodocumque ſimplex, poſſident, vel canonicatum, aut capellaniam, ſive etiam penſionem ultra ducatos ſexaginta, tonſuram vero, & habitum clericalem deferre contemnunt; amantes lucrum, inſigne vero ſuæ profeſſionis abhorrentes, conſtitutiones Sixti V. datas, alteram v. Idus Januarii 1588. alteram pridie Kalendas Februarii eodem anno, intimandas intra menſem decernimus, & mandamus: futuris autem temporibus in diœceſani ſynodi eaſdem promulgari præcipimus.

Lateranenſis concilii ſanctione graviſſima decretum eſt, ut qui beneficia eccleſiaſtica tam curata, quam non curata obtinent, niſi poſt certum tempus horas canonicas recitarint; fructus beneficiorum amittant, qui ex tunc fabricis locorum piorum, ſeu elecmoſynis applicati fuerint. Quod ut clericis apertius innoteſcat, ſæpius eiſdem inculcandum decernimus, ac ſtatuimus Pii V. conſtitutionem de hac re ipſa latam XI. Kalendas Octobris 1571. in diœceſanis ſynodis quotannis publicandam: qua amiſſiones fructuum beneficialium pro horarum omiſſione quantæ ſint, declarantur; inde enim omnes colligent, quod male perceptum eſt, qua fuerit ratione, & cui reſtituendum.

Non tamen exiſtiment, qui ad ſubdiaconatus ordinem, & ſuperiores provecti ſunt, ſi beneficio eccleſiaſtico careant, horis canonicis ex breviario Romano recitandis obſtrictos non eſſe: omnino vero intelligant, quemadmodum qui beneficium habent eccleſiaſticum, horas canonicas non recitantes, ultra peccati mortalis reatum, amiſſione fructuum plectuntur: ita illos convenienter horas canonicas mortaliter peccare, nec ſe do horas canonicas mortaliter peccare, nec ſe prætextu beneficii non adepti excuſare poſſe, ſe in ſuſceptione. Norint vero ſacri ordinis ſortem domini, cui in humilitate ſervire debent, adſcriptos eſſe, ut a ſua ipſius religioſa dedicatione, & ſacris miniſteriis diſcedere non valeant, ſed obligatos ita eſſe, ut aſcendere poſſint, ad ſæculum deſcendere non poſſint. Qui muneris ſui partes neglexerit, & convinci aliquo



quo modo poterit, vel non recitare, vel ordinem recitandi non intelligere, pœnis debitis etiam in foro exteriori, ultra peccati reatum, plectendum, & ſuæ correctionis beneficio, & aliorum exemplo deceroimus.

De clericali habitu & tonſura ne dubitari contingat, qualis eſſe debeat, tonſuram, ſeu clericam edicimus eam eſſe, quam pro majorum & minorum ordinum gradu minorem, & majorem præſenti pagina præſcripſimus, ut vel inſcriptione clericæ inſcriptum ſit cuique ſuæ ordinationis ſignum. Barbæ incomptioris formam, & longiores pilos a ſuperiore labro demiſſos, qui oris officium impediunt, omnino damnamus, & a clericali modeſtia rejici mandamus. Habitum vero clericalem in civitatibus, terris, & oppidis dicimus eſſe veſtem talarem collo conſtrictam cum pallio ſuperiore longo: collaria camiſiarum quocumque modo criſpata, ſeu lactucata damnamus, rejicimus, & perſonis clericalibus minime convenire pronuntiamus. Colorem nigrum modeſtiæ clericali aptum, convenientemque dicimus: colores alios quoſcumque, etiam in manicis, & fibulis caligarum damnamus, & prohibemus: pileos laneos, ſive ſericos opere criſpato, vel punctorum frequenti ordine quaſi pictos, ſeu cinguli variegati corona exornatos, ad laicos, & non ad clericos pertinere declaramus: volumen velorum circa pileum ex arte compoſitum, ut perſonas eccleſiaſticas non decet, ita minus quidem decet illas quæ inter ceteras loco & dignitate eminent.

Omnibus & ſingulis, quacumque ſint dignitate, officio, ac beneficio præditi, quibus divinis in choro intereſſendi munus eſt adjunctum, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis interdicimus, & inhibemus: ne in chorum ad divinorum intereſſentiam aſcendant ſine veſte coloris nigri uſque ad talos demiſſa & ad collum conſtricta, & ſuperpelliceo decenti: veſtem breviorem coloris non nigri, aut collo non conſtrictam, quocumque prætextu ſumptam, a choro, & ab eccleſia longius abeſſe volumus: & ſub eiſdem pœnis inhibemus, ne quis pileos cujuſcumque materiæ & formæ in chorum deferat: ſi enim locis omnibus clerus decenter ornatus eſſe debet, multo ſane magis in loco ſacro, & in choro, ubi laudes Deo perſolvuntur, gratiæ aguntur, poſtulationes fiunt, eſſe debet: in quo veſtimentum induens candidum, & officium angelorum obiens, ab omnibus abſtinere, quæ vel inania ſunt, vel ſæcularia, vel a ſe aliena, diligentiſſime debet, atque id aſſidue meditari, & contemplari animo pie licebit. Quod autem debeat in choro eſſe ſilentium, quæ mentis elevatio, qui cultus, attentio, & devotio, ſuperius titulo de divinis officiis aliquid decrevimus: reliqua per reverendiſſimos patres in commune provinciæ commodum meditanda & compilanda propoſuimus.

Ne autem quis dubitet, quæ ſit habitus itinerantium forma; ut quæcumque ſe ad loca clerici contulerint, vitæ, & morum inſigne deferant: ex ipſo vero clericali habitu obſtrictos ſe obligatione modeſtiæ, & temperantiæ cognoſcant: ſtatuimus veſtem clericalem itinerantium eam eſſe, quæ ſaltem uſque ad genu longitudine producta, genu clerici ſtantis operiat: hæc autem coloris nigri eſſe debet, & clericaliter ad collum formata. Habitum vero clericalem declaramus eum eſſe, qui veſte vel talari, vel breviore in itinere, ut paulo ante diſpoſitum eſt, ac tonſura conſtat. Si ex duobus alterum deſit, habitum clericalem dimidiatum declaramus, ac dicimus, ut conſtitutionibus de habitu clericali deferendo diſponentibus ſatisfactum non ſit: quod epiſcopi animadvertere diligentiſſime, & curare debebunt, ut ſi minus edicta & monita, ac præcepta profuerint, pœnæ ingruant, & juvante Deo proſint.

Arma clericorum ſunt lacrymæ, & orationes, non enſes, aut alterius formæ, vel materiæ arma. Per civitates, & loca, in quibus habitant, ſi quis clericorum extra itineris faciendi neceſſitatem inſolenter arma cujuſcumque generis detulerit, cum damnandum ſtatuimus quarta parte fructuum ſuorum beneficiorum: quam ex nunc, prout ex tunc, & e contra, ſacriſtiæ eccleſiæ, cui fuerit titulo beneficiali adſcriptus, applicamus, epiſcopi proprii mandato exigendam, & in prædictum uſum inſumendam: creſcente contumacia graviora etiam remedia decernimus adhibenda. Contra clericos non beneficiatos carcere, banno, ſuſpenſione, vel aliter procedendum erit, ut aliquando reſipiſcant, qui vel errore, vel improbitate animi a diſciplina, & obedientia deſciverunt, ac Deo gratias agant, qui pereuntes vitæ reſtituit.

Penſionarios ſerio monitos eſſe volumus, eos ad officium beatæ Mariæ virginis quotidie recitandum teneri: præter peccatum mortale, quod committunt, ſi omiſerint, reſtitutionis onere obſtrictos declaramus. At vero ne putent eccleſiaſticum panem, qui temporaliter inter miniſtros diſtribuitur, ad luxum, ad inania ſtudia, ad venationes eſſe convertendum: cum ſit patrimonium Chriſti, alimenta ſacerdotum, qui vere ſacerdotes, & vere eccleſiaſtici ſunt, miniſtrorum ſtipendium, ut in eccleſia, vel extra Deo laudes perſolvant, & ipſi Deo obediant.

Dicit canon: *Eſau venator erat, quoniam peccator erat*: quam vero ſit modeſtia clericali indignum, qui paulo ante breviarium manibus tractabat, & ſacræ lectionis ſtudio intendebat, eum publice accipitrem deferre, & ſua in eo ſtudia profiteri: quique cum angelis in eccleſia gratiarum actiones & laudes Deo perſolvebat, eum inter canum latratus & multitudinem verſari, & incomptis obſtrepere vocibus; ſacri canones declarant, omnes vero facile intelligunt. Conſequitur autem, ut panis, qui miſerorum pauperum victui ſufficeret, panis, inquam, de redditibus eccleſiaſticis collectus, quod eſt patrimonium Chriſti, ad beſtiarum cibum indigne transferatur: cujus criminis ratio diſtricte in die domini reddetur. Quod ut longe a clericorum vita & honeſtate removeamus, omnibus clericis cujuſcumque conditionis, & gradus ſint, venatorium ſtudium interdicimus, & diſtricte prohibemus: ac in eos gravius per illorum ordinarios procedendum ſtatuimus; ac ſi contumacia fuerit obſtinatior, & inhibitionis mollioris ratio contemptui eſſe cœperit, graviori etiam animadverſione proſpiciendum mandamus.

De tabernis, quod ad clericorum modeſtiam pertinet, ſtatuimus nulla ratione tolerandum, ut extra itineris neceſſitatem in tabernas divertant. Quia vero locis quibuſdam viget conſuetudo, quæ, ſi clericorum ſpectetur conditio, corruptela, & abuſus dicendus eſt; ut ſi convivii amicis, & concivibus parandi voluntas ex honeſta etiam cauſa, vel hoſpitum advenarum repentino adventu inciderit, non domi

ſed in publico diverſorio paretur convivium : & eo conveniant, & ibidem reficiantur, licet hoſpitibus confluentibus diverſorium totum pateat. Quod omnino clericis, cujuſcumque ordinis, ſtatus, & conditionis ſint, in tota provincia honeſtatis & modeſtiæ cauſa inhibendum pœnis etiam propoſitis decernimus, ac epiſcopos decreti præſentis vigore, ut ſerio inhibeant, excitamus.

Alearum, & taxillorum uſum, quo tempus miſera jucunditate teritur, clericis omnibus inhibemus: multo vero gravius, ſi non modo luſerint ipſi, ſed aliis ludendi poteſtatem fecerint parato loco, & domeſtico diverticulo. Epiſcoporum vero vigilantia, & prudentia, editis, ac pœnis propoſitis opportunum erit remedium adhibendum, ut peſtis avertatur, qua miſerorum facultates ſuavi morbo exhauriuntur, blaſphemiæ, & rerum deſperationes excitantur, cupiditatum intemperantiorum, & fraudum oblectamenta aluntur, denique ipſa Dei clementia aſſidue offenditur: qui tanto periculoſior morbus eſt, quanto ardentius interdum animos clericorum occupat, & eccleſiaſticas opes pervadit.

Convivia, & nimiam laicorum familiaritatem, multarum offenſionum & ſcandalorum originem, debent clerici in quocumque gradu conſtituti declinare ac fugere; honeſtatem, quæ inter clericos tutius ſervatur, amare; contraria diligentiſſime vitare: meminiſſe vero debent, non aliunde clericalis ordinis dignitatem gravius fuiſſe offenſam, quam a nimia laicorum familiaritate: illi enim, ut honeſte de iis, quæ honeſti ſpeciem præ ſe ferunt, ſentire ſolent; ita ſi honeſtum illud, quod opinione comprehenderunt, aſſidua tractatione non reperiunt, parvipendere, & quos imperfectiores norunt, contemnere omnino ſolent.

Mulierum ſuſpectarum contubernium & familiaritatem declinent & fugiant clerici: de epiſcopis enim fas non eſt ſuſpicari: ne vel mali ſuſpicione laborent, vel periculoſæ rei tractatione tabeſcant: qui ſordium, & intemperantiæ ſtudio impliciti fuerint, ita corrigantur, ut vel monitis reſipiſcant, vel pœnæ intimatione, aut (ſi pertinaciores fuerint) etiam inflictione diſciplinam recognoſcant; aut etiam, ſi deſperetur correctio, beneficiorum privatione plectantur. Quod vero ſuperius ſtatutum eſt titulo de reſidentia curatorum circa feminas ad miniſterium domeſticum clericorum admittendas, & approbandas, hoc diligenter ſervetur.

Clericum, qui a ſæculo diſceſſit in ſortem domini adſcitus, ſeculi adhuc negotia appetere non decet. Negotiationes enim, mercaturas, alienæ rei procurationes, alienorum tutelas, advocationes, & fidejuſſiones cum ſæcularibus, & de re ſæculari, & alia hujuſmodi cum clericorum vita, & ſtudiis conſentire nemo affirmarit. Dent igitur operam epiſcopi, ut clerum eccleſiaſticis exercitationibus, ſacrarum literarum ſtudio, & caritatis operibus inſtituant, & ad perfectæ vitæ bonum per Chriſtianas virtutes adducant.

Ad ſpectacula comœdiarum, ſive ad bancos circulatorum, & buffonum in plateis, qui aliis exemplum eſſe debent maturitatis, & prudentiæ, accedere, & aſſiſtere clericos non decet: a chorearum ſpectatione item clerici abſtineant: ſaltationem vero privatam, & publicam, quod eſt intemperantiſſimæ temeritatis genus, nulla ratione committant, niſi gravioris correctionis virgam experiri affectent. Perſonatum incedere clericum turpe, vanum, periculoſum, non ferendum: non enim ad bonum habitus clericalis depoſitio; ſæpiſſime ad malum vel inchoandum, vel conſummandum. Nocte ſe clerici domi contineant, niſi ad caritatis Chriſtianæ officia ſit eundum: militum, aleatorum infamium perſonarum converſationem declinent: compotationes fugiant, & omnia, quæ eccleſiaſticam perſonam minus decent, & ſacrorum canonum ſtatutis interdicta ſunt clericis, a ſe putent aliena: quæ vero ad omnem caritatis, & pietatis exercitationem pertinent, eam amplectantur, & numquam dimittant.

Clericalis militiæ propagines aptari, & in futuræ quaſi ſobolis ſpem ali ſuadet pietas, & Chriſtianæ prudentiæ ratio. Ac, ut rite fiat, & iis obſervatis, quæ obſervatione digniſſima ſunt, de ordinationibus clericorum ſummatim quædam ſtatuimus; alia etiam Deo favente adituri, ut ex his quaſi fundamentis majora aliquando excitemus.

Qui ad ordines gradatim minores, & majores promovendi ſunt, quædam habere, quibuſdam carere debent: ac ut diligenter proſpiciendum, ut quæ ad ordines ſuſcipiendos, & exercendos attinent, ne deſiderentur; ita animadvertendum diligentiſſime, ut quæ aſcenſum, & promotionem impediunt, diſpiciantur, & ab eccleſia excludantur. Atque ita decretis concilii Tridentini inhærentes, ſtatuimus, ut prima tonſura non initientur, qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

Ad minores ordines promovendi bonum a parocho & magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant, & ſaltem Latinam linguam intelligant; in quibus ſervanda interſtitia decernimus, niſi aliud epiſcopo expedire videbitur: ac, ut interſtitiorum ratio videtur ea eſſe, ut minorum ordinum functiones apoſtolorum temporibus in eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermiſſæ, in uſum revocentur, ita epiſcoporum ſolertia curandum decernimus, ut minorum ordinum miniſteria reſtituantur: fiet autem ſatis commode, ſi quos epiſcopus ordinarit, eos ad miniſteria eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum deſtinarit: iis vero competenti numero inſtructis, per eccleſias parochiales clericos eoſdem diſpoſuerit, & in illis ad eadem miniſteria obeunda deſtinarit.

Ad aſcenſum inter minores non admittantur, qui priorum miniſterio, morum & ſtudiorum teſtimonio non commendentur: hoc autem ipſum teſtimonium (ſi parochiam clericus, & magiſtrum ſcholæ mutarit) recipiatur ſaltem a parocho, & magiſtro, in cujus vel diſciplina, vel parochia ſex menſes ante ordinationem fuerit.

Qui ad ſingulos majores ordines erunt aſſumendi, per menſem, aut alias, ut edicto epiſcopali præſtituetur, ante ordinationem epiſcopum adeant, qui vicario generali, aut vicariis foraneis locorum, ſive archidiaconis, aut cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, & deſiderio eorum, qui promoveri velint, publice in eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus,







& vita a fide dignis diligenter inquirant, & literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes ad epiſcopum quamprimum tranſmittant.

Qui ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem ſunt provecti, ſi per annum ſaltem in eo verſati non ſint, ad altiorem gradum non permittantur aſcendere, niſi aliud epiſcopo videatur; qui vel neceſſitati, vel utilitati publicæ conſultum debet velle; non cupiditati, non commentitiis privatorum cauſis ſatisfactum. Quo autem propius ſubdiaconi ad ſacra accedunt; eo magis decet, ut diebus ſaltem dominicis, ac ſolennibus, cum altari miniſtraverint in eccleſiis, quibus adſcripti fuerint, ſacram communionem percipiant.

Duo præcipue in ordinatione ſubdiaconi exquirenda, quorum primum, ut tales adſciſcantur, qui ſperent Deo auctore ſe continere poſſe, cum ſit impuritas vel ab hoc gradu arcenda, vel in hoc ipſo diligentiſſime comprimenda. Secundum, ut nullus admittatur, qui recitare horas canonicas ex breviario Romano neſcierit: qui, ſi reliqua noverit omnia, & unum hoc ignorarit, repellendus erit.

Non decet eos, qui divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut minus honeſtam quæſtus rationem exercere, ut victum decentem habeant. Idcirco ſacri concilii Tridentini decreto inhærentes ſtatuimus, accurate obſervandum, ut nemo ad ordinem ſubdiaconatus admittatur, niſi legitime conſtet, eum eccleſiaſticum beneficium, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere; ad titulum patrimonii, vel penſionis non ordinentur, niſi illi, quos epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, aut commoditate eccleſiarum: attente vero perſpiciat, an patrimonium, ſeu penſio ab eiſdem vere poſſideatur, ac talia ſint, ut ad vitam ſuſtentandam idonea ſint, quæ deinceps, donec eccleſiaſticum beneficium, quod ſufficiat ad victum, obtinuerint; ſine licentia epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint.

Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum, ſi per triennium commoratus ſecum fuerit, ordinare ex concilio Tridentino non poteſt, niſi ei beneficium quacumque fraude ceſſante ſtatim re ipſa offerat.

Clericos alienos cum legitimis dimiſſoriis recipere, ſi fuerint impediti illorum epiſcopi, & examinatos dimiſerint, laudabile & honeſtum: hoc tamen monemus, ad epiſcopos recipientes ad ſuam ordinationem ſubditos alienos non pertinere vel ſuper interſtitiis ex cauſa non ſervandis cognoſcere, aut decernere; vel titulos ad quos ordinantur, qui fuerint a proprio epiſcopo, ſeu generali ejus vicario approbati, aut reprobati, judicare: hæc enim ad epiſcopum [a] dimittendum pertinent.

Qui pie & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, & ad presbyteratus ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium; & hi ſint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, niſi ob eccleſiæ utilitatem, & neceſſitatem aliud epiſcopo videatur, miniſtraverint; ſed etiam ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus ad ſalutem neceſſaria ſunt; ac ad miniſtranda ſacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur: atque ita pietate & caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari.

[a] Forte, dimittentem: H.

XII.

Seminariorum inſtitutionem, conſervationem, & promotionem in eccleſia Dei ſumme fructuoſam, quo clericalis militiæ propagatur ordo, & progreſſio, tantopere neceſſariam, ut ſtare eccleſiaſtica diſciplina ſine illorum ſubſidio, & adminiculo vix poſſit; in provinciæ Aquilejenſis civitatibus audivimus, & incredibili animi jucunditate etiam vidimus: doluimus autem metropolitanam eccleſiam noſtram propter maximas difficultates hactenus ſeminario caruiſſe, quo tamen modo lætamur nunc ita carere, ut habere pene dici poſſit; ita enim comparata, ac pene inſtituta ſunt, quæ ad ipſius corpus informandum, & inſtruendum prima & neceſſaria ſunt; ut parum deſit, quo actu perfici aliquando tamdem, & brevi quidem temporis ſpatio valeat.

Qui epiſcopi ſeminarium nondum habent; & nihil hactenus pararunt, ut aliquando haberent, monemus illos, quamprimum cogitent de ſeminario in ſua diœceſi erigendo, & ſex menſium ſpatio nobis, qui hoc de genere cogitarint, pararint, effecerint, omnino ſignificent. Si enim vel propter diœceſis paupertatem, vel anguſtiam erigere ſeminarium proprium non valeant, erit quod cogitent, qua poſſint ratione, ſi non longe a ſeminario Aquilejenſi abſint, dimidiam decimam ſuæ diœceſis in illud conferre, ut in idem clerici pro quantitate decimæ, & ſuæ diœceſis commodo & neceſſitate inferantur, & cum reliquis clericis, qui fuerint ex diœceſi Aquilejenſi, alantur, & doceantur.

Quod ſi plures ſint epiſcopi, qui ſeminarii erigendi difficultatem patiantur, ac ſit in cauſa paupertas eccleſiarum; decernimus & plurium epiſcoporum collatione debere commune ſeminarium quamprimum erigi & confici, ut quod ſinguli non poſſunt, univerſi faciant; quod valeat ad ſingulorum utilitatem aliquando derivari: in qua habendam rationem decernimus fructuum, & decimæ attribuendæ ſingulorum epiſcoporum clericis, & numeri clericorum, ne prægravetur ſeminarium, ſed partitione quadam juſta oneris & honoris ſuſtentetur. Si negligenter, (quod opinari non debemus) fuerint; & neceſſario operi erigendo defuerint, erunt partes noſtræ urgere, & a ſacra Tridentina ſynodo ſancte, pieque inſtituta de hoc genere fuerunt, omnino exequi, & actu perficere.

Locus ſeminarii ſi apud eccleſiam cathedralem fieri poſſit, non alibi optandum ut fiat; quo enim propius abſunt clerici, eo facilius, & minore temporis diſpendio in eccleſiam ſe conferunt; nec divagatione ſpatiari, nec longinquitatis ſpatio, ſtudiorum ad diſciplinæ jacturam facere coguntur. Quod ſi locus apud eccleſiam non pateat, ad epiſcopum pertinebit locum idoneum eligere, & in eo ſeminarii domum aptare & erigere.

Duo ſunt in ſeminario clericorum perpetua exercitatione retinenda, ut clerici diſcant, & miniſtrent. Ex iis, quæ addiſcere debent, item duo proponunt; alterum ad pietatis, religionis, & devotionis documenta, quod eſt omnium rerum certiſſimum fundamentum, pertinet: ut Chriſtianæ fidei rudimenta in primis inter ſe juniores addiſcant & recitent:

qui provectiores ſunt, doceant & exerceant: quod ſingulis dominicis & feſtis diebus curandum, & faciendum omnino præcipimus. Curabunt item epiſcopi, ut ſingulis diebus iidem clerici miſſæ ſacrificio interſint, & ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & juxta confeſſoris judicium ſumant corpus domini noſtri Jeſu Chriſti. Alterum pertinet ad ſtudia: Grammatices autem, cantus, computi eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium ſcientiam addiſcant. Item cum primum capere animo, & intelligentia poſſint, ſacram ſcripturam, libros eccleſiaſticos, homilias ſanctorum, atque ſacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cærimoniarum formas. Pars altera miniſteria reſpicit, quæ ab iis, qui in ſeminariis degunt, clericis diligenter obeunda. Sunt autem, quæ vel minorum, vel majorum etiam ordinum executionem reſpiciunt, ut res videbitur poſtulare, & præfectus cærimoniarum ſingulis aut univerſis in eccleſia præſcripſerit. Hæc autem ut fiant ab illis expedite, & apte, inſtitutione, ac exercitatione diligenti curandum erit; quod præfectorum, & magiſtrorum ſolertia effecerit.

Hujuſmodi vero miniſteria feſtis diebus ac dominicis tam in eccleſia cathedrali, quam in aliis præſtare debebunt; ut coram epiſcopo, qui fuerint inſtructiores, ſerviant: qui tardiores, alibi: quod ut accommodate fieri aliquando valeat, in primis cupimus, ſeminarium apud aliquam eccleſiam conſtrui, in qua dominicis diebus ac feſtis horas canonicas pſallere, ac divinis inſervire ſeminarii pueri valeant: hac enim exercitatione facilius ad rituum, & cærimoniarum cognitionem pervenerint. Ut autem in diſciplina eccleſiaſtica commodius inſtituantur, tonſura ſtatim, atque habitu clericali utantur.

Præfecti, magiſtri, miniſtrique ad inſerviendum ſeminario, & domeſtica miniſteria, etiam inferiora obeunda, adſciſcantur probatæ vitæ, & ſpectatæ pietatis homines: qui non modo voluntate, & ſtudio in rei converſationem, & incrementum propendeant, ſed idonei ad provinciam ſibi impoſitam judicentur; in quo ſit epiſcoporum præcipua vigilantia, & diligens ſolicitudo.

Ut autem minore impenſa ſcholis ſeminarii provideatur, ad epiſcopi munus ſpectat, ſcholaſterias obtinentes, & alios, quibus eſt lectionis, vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos ab eiſdem ſcholaſticis eligendos, & ab ordinariis approbandos etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant. Quod ſi epiſcopi judicio digni non fuerint, alium qui dignum ſit, nominent omni appellatione remota: quod ſi neglexerint, epiſcopus ipſe deputet: docebunt autem prædicti, quæ videbuntur epiſcopo expedire. Meminerint autem epiſcopi, concilium Tridentinum ſtatuiſſe, ut officia, vel dignitates illæ, quæ ſcholaſteriæ dicuntur, non niſi doctoribus, & magiſtris, aut licentiatis in ſacra pagina, aut jure canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur, & aliter facta proviſio nulla ſit, & invalida; ideoque id decretum diligenter obſervari epiſcopi curent.

At vero ad ſeminarii fabricam inſtituendam, & mercedem præceptoribus, & miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios ſumptus cum certi reditus ſint neceſſarii ultra ea, quæ ad inſtituendos, & alendos pueros ſunt in aliquibus eccleſiis & locis deſtinata; quæ ei ipſi ſeminario ex concilio Tridentino applicata cenſenda ſunt: debent ab epiſcopo cum conſilio eligendorum ad ipſius concilii præſcriptum ex fructibus integræ menſæ epiſcopalis & aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ ſunt ab ipſomet concilio Tridentino ſigillatim expreſſa & nominata, portiones, aut partes aliquæ detrahi, quibus tota ſeminarii impenſa fulciatur & ſuſtineatur.

Ut autem aliquando tandem beneficia portionibus prædictis detrahendis leventur ac liberentur, ſit epiſcopalis caritatis & ſolicitudinis munus, beneficia aliquot ſimplicia, cujuſcumque qualitatis ac dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia vel præſtimoniales portiones nuncupatas ante vacationem ſine cultus divini & illa obtinentium præjudicio, de conſilio duorum de capitulo, ac item duorum de clero, ſeminario applicare, & incorporare, etiamſi beneficia ſint reſervata, vel affecta. Succedente vero caſu, quo per uniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc portionem ex ſingulis beneficiis, ut ſupra, detractam, & incorporatam decernimus ab epiſcopo, prout res exegerit, in totum, vel pro parte remittendam.

De reverendiſſimorum coepiſcoporum pietate, ac diligentia hoc nobis pollicemur, numquam fore, ut portionem de menſa epiſcopali detrahendam, & ſeminario applicandam ſolvere recuſent; ſed ipſi ceteris exemplo præeant ſeminarii erigendi, & provehendi, & ſuum præcipue munus hac ipſa de re prompte exequendi; cum ſacro Tridentino concilio cautum ſit, ut detrectantes corripiantur, & compellantur.

Totum vero ſeminarii opus, ut bene dirigatur, debet certorum hominum diligentia, pietate, prudentia, ac fide ſuſtineri. Eligant igitur epiſcopi ſinguli duos ex canonicis ſenioribus, & gravioribus, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, quorum conſilio ad ſeminarium gubernandum, & provehendum, quæ fuerint opportuna, & neceſſaria conſtituent, & exequenda mandabunt: dyſcolos & incorrigibiles, malorum morum ſeminatores acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo.

Iidem epiſcopi cum conſilio duorum de capitulo, quorum alter ab epiſcopo, alter ab ipſo capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis; quorum quidem alterius electio ſimiliter ad epiſcopum; alterius ad clerum pertineat; portiones de menſa epiſcopali, ac ex fructibus aliorum beneficiorum quorumcumque in concilio Tridentino pro contributione ad ſeminarium inſtituendum, & conſervandum expreſſorum detrahent, & ſeminario applicabunt, ut opus, cui ſuſtinendo neceſſaria eſt non mediocris impenſa, ac præterea plurimarum rerum circumſpecta proviſio, epiſcopi ſedulitate, & adſcitarum perſonarum adjumento egregio pro Dei gloria muniatur, & ſuſtineatur.

In primis vero ſi qua hactenus beneficia, vel quia proximo tempore inſtituta, vel per incuriam (non enim putamus per induſtriam) omiſſa decimali taxa, comprehenſa non fuerint, illa eruent epiſcopi eadem, qua reliqua beneficia,



ficia, demenſione carpi, & pari decimationis lege limitari & concludi.

Quæ ſupraſcripta omnia & ſingula pro regionis more, & pro eccleſiarum, & beneficiorum qualitate, etiamſi opus fuerit, moderando, & augendo epiſcopi ad felicem ſeminarii profectum neceſſaria, & opportuna decernere, ac providere poterunt.

Leve eſt, quod puerili ætati inſitum eſt, ut vel minimo negotio deleatur & extinguatur: idcirco ſummopere laborandum, ut qui pueri in ſeminarii diſciplina educantur, & pietatis ſtudio, ac modeſtiæ lege adſtricti ſunt, ab ea non diſcedant, quamdiu confirmatiores fuerint. Quod animadvertentes epiſcopi acute proſpicient, ne pueri, dum in inſtituta ſeminarii educatione vivunt, permittantur a diſciplina diſcedere, & libere divagari ſine magiſtro, cuſtode, & reliquorum puerorum communi victu, & exercitatione. Ut alicubi factum eſt, habeant poſt ſtudia & obedientiam recreationes liberiores ætati convenientes, & profeſſioni: ad laxiora ne dimittantur.

De ſeminariis, ubi diœceſes tenuitate laborant, Tridentino concilio ſtatutum eſt, ut ad plurium prælatorum commoditatem, & plurium contributione commune aliquod ſeminarium conſtituatur. Cujus decreti auctoritatem ſequentes, ſtatuimus in tota Iſtria pro illius regionis epiſcopis unicum, ac illud quidem commune ſeminarium inſtitui pro communi religionis commodo ad cleri propagationem, & eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutionem.

## XIII.

Maxima gubernii eccleſiaſtici pars & ratio viget, ut epiſcopus eccleſias, loca, & populos viſitando perluſtret, & quæ acceſſu, fide dignorum teſtimonio, ipſa inſpectione cognoverit, emendanda, & corrigenda, corrigat, & emendet: Idcirco ſacra Tridentina ſynodo cautum eſt in omnibus, quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſpectant; ut epiſcopi, quo aptius, quem regunt, populum in officio, & obedientia contineant; jus, & poteſtatem habeant, etiam tamquam ſedis apoſtolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, & exequendi juxta canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his, ubi de viſitatione, ac morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad ſedem apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat.

Debent autem epiſcopi ſuam diœceſim per ſeipſos, aut, ſi legitime impediti fuerint, per ſuum vicarium generalem, aut viſitatorem, ſi quotannis totam propter ejus latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem majorem viſitare; ita tamen, ut biennio per ſe, vel viſitatores ſuos viſitatio compleatur.

Si autem viſitationis ſcopus viſitantibus propoſitus, ut ſanam orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus inducant; bonos mores tueantur, pravos corrigant; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendant: in quo ad paternam epiſcoporum caritatem, Chriſtianumque zelum pertinebit omnes amplexari; ut modeſto etiam contenti equitatu, ac famulatu quam celerrime, debita tamen cum diligentia, viſitationem abſolvant, omnia exquirant, caute audiant; non facile admittant, aut probent: ita tamen quæ afferuntur, recipiant, ut nec fidem habeant, nec fidem denegent: doce vero Chriſtiana prudentia probent, quæ vera, quæ recta, ac ſincera ſunt: quæ commentitia, calumniiſque infecta, aut dolo, diſpiciant: ut qui ſemel detulit, non iterum, ut deferat, ſpe commodi ulla ducatur.

Cum ad viſitationem egredi epiſcopus animum induxerit, parumper ſeipſum colligat, ac meditetur profectionis ſuæ cauſam: ſi enim cogitatione perſpexerit, ſe aliorum vitam, mores, actiones examinandas ſuſcipere, ut corrigat, emendet, reſtituat: certe ipſe ſatis intelliget, a domo & familia ſua viſitationem inſtituendam, cujus exemplo vel tacitus prædicabit reliquis Chriſtianas virtutes: ut, ſi domum, & familiam non bene compoſitam, otio & levitate diffluentem pro negligentia aliis præbuerit videndam; fructuum univerſæ viſitationis perdiderit, quod licet videatur ſimplici quodam ſermonis contextu propoſitum, ad duo tamen, quæ maxima ſunt in hoc genere, pertinebunt.

Primum eſt, ut talem ſe forma vitæ, famulatus, & familiæ modeſtia epiſcopus præbeat, qualem habere populus exemplaris ad imitandum propoſiti loco poſſit.

Alterum pertinet ad ipſam viſitationem: quid enim ſi epiſcopus caſtitatem, modeſtiam, pietatem, omnes Chriſtianas virtutes indicat, prædicet, inculcet; in domo vitia vigeant, petulantia, laſcivia, temeritas: quod ſi ſuos correxerit, ac bene compoſuerit, omnes in Dei opere adjutores habebit.

Æquum eſt, ut viſitatio, cujus vis eſt ad ordinem reſtituendum inſtituta, certam quamdam methodum habeat: ac, ut ſcripſit pſalmographus: *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, & in oram veſtimenti ejus*: a capite incipiat, & in membra conſtituta quadam norma progrediatur ac diffluat. (Pſal. 132.)

Viſitationis ordo ſit, ut, cum fieri poteſt, primo civitas viſitetur, deinde diœceſis: in civitate vero eccleſia cathedralis, tum collegiatæ, deinceps parochiales omnes: ac, ut a matre pendent reliquæ eccleſiæ forma, imitatione, ritu; ita ratio ſuadet, ut clerus univerſus, qui viſitatione civitatis comprehenditur, evocetur, & aſſiſtat, ac rationem addiſcat reformationis. Perfecta civitatis viſitatione in oppida, caſtra, pagos, villas exeundum. Item beneficia eccleſiaſtica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, ſeu aliis eccleſiis, vel monaſteriis, beneficiis, ſeu collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuo unita, & annexa reperiuntur, ſingulis annis viſitentur: & ſolicite provideatur, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, niſi pro bono eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, cum congrua fructuum aſſignatione ſuper certa re aſſignanda, deputatos, ſeu deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur.

Item ad epiſcopos pertinet, eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas auctoritate apoſtolica ſingulis annis viſitare; & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum,

ANNO CHRISTI 1596.

rum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minime fraudentur: appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus non obſtantibus: quæ omnia concilii Tridentini decreto exploſa fuerunt. Præterea capellas quaſcumque, & ad divinum cultum dedicata oratoria, in quibus miſſæ ſacrum celebratur: item hoſpitalia, & pia loca viſitare epiſcopi non omittant: & in iis emendanda, & reſtituenda reſtituant, & emendent.

Quia in diœceſi quæcumque ad Dei cultum ſpectant, ab ordinario curari, atque iis, quæ oportet, provideri æquum eſt: idcirco ſacra Tridentina ſynodo ſtatutum eſt, ut epiſcopi commendata monaſteria, etiam abbatias, prioratus, & præpoſituras nuncupatas, in quibus non viget regularis obſervantia; nec non beneficia tam curata, quam non curata, ſæcularia & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, etiam tamquam ſedis apoſtolicæ delegati annis ſingulis viſitent; curentque congruentibus remediis, etiam per ſequeſtrationem fructuum, ut, quæ renovatione indigent, aut reſtauratione, reficiantur: & cura animarum, ſi qua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obſequia recte exerceantur. Quod ſi in eis regularis vigeret obſervantia, provideant epiſcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium ſuperiores juxta eorum regularia inſtituta debitam vivendi rationem obſervent, & obſervari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant, ac moderentur: quod ſi admoniti intra ſex menſes non viſitaverint, vel correxerint, tunc epiſcopi etiam ut ſedis apoſtolicæ delegati eas viſitent, & corrigant, prout ipſi ſuperiores facere poſſent, ac deberent.

Ac ne eccleſiis ſæcularibus, quæ nullius diœceſis appellantur, deeſſet ea, quæ interdum deſideratur, proviſio, & ſubſidium; ſacra item Tridentina ſynodo ſtatutum fuit, id quod epiſcopi ſolicite perficere curabunt, ut ipſi, quorum cathedralis eccleſia proximior eſt, ſi id conſtet, tamquam ſedis apoſtolicæ delegati dictas eccleſias, quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur, viſitare non omittant: aut ille epiſcopus, quem ſemel in concilio provinciali prælatus illius loci elegerit.

Ac ne quiſquam clericus cujuſvis alterius privilegii prætextu cenſeatur tutus, quo minus juxta canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit, eodem ſacro concilio Tridentino epiſcopis, qui in ſuis eccleſiis reſederint, tributum eſt, ut qualitercumque exemptos, qui alias ſuæ juriſdictioni ſubeſſent, de illorum exceſſibus, criminibus & delictis quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem tamquam ad hoc ſedis apoſtolicæ delegati corrigendi, & caſtigandi facultatem habeant.

Quod vero in munere paſtorali exequendo patres, qui Tridentino concilio interfuerunt, epiſcopis præſcripſerunt, ut aliquid propoſitum haberent, quod intuerentur, & ſequi in reformandis moribus poſſent; hoc nos in memoriam revocare præſenti conſtitutione decrevimus, ut oculis illorum obverſetur, & omnino hæreat. Meminerint ergo epiſcopi, qui ſubjectos regere, & in vitæ, ac morum honeſtate continere volunt, ſe paſtores, non percuſſores eſſe; atque ita præeſſe ſubditis oportere, ut non eis dominentur, ſed illos tamquam filios, & fratres diligant: elaborentque, ut hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur: quos tamen ſi quid propter humanam fragilitatem peccare contigerit, illa apoſtoli eſt ab eis obſervanda præceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cum ſæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam auctoritas; plus exhortatio, quam comminatio: plus caritas, quam poteſtas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt, ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur: & qui correcti fuerint, emendentur: aut, ſi reſipiſcere noluerint, ceteri ſalubri in eos animadverſionis exemplo a vitiis deterreantur, cum ſit diligentis & pii ſimul paſtoris officium morbis ovium levia primum adhibere fomenta: poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora & graviora remedia deſcendere: ſin autem nec ea quidem proficiant, illi ſubmovendi; ceteras ſaltem oves contagionis periculo liberare.

Viſitantis epiſcopi munus eſt, prædicatione verbi Dei populos ad omnes virtutes Chriſtianas animare, & incendere, ſacramentum confirmationis miniſtrare, eccleſias & altaria, ſi qua fuerint vel conſecranda, vel reconcilianda, conſecrare, ſeu reconciliare: paramenta, corporalia, calices, & alia, quæ benedictione egent, & ad cultum ſacrum deſtinata ſunt, benedicere: ſacriſtiis, & eccleſiis vel reſarciendis, vel ornandis, vel etiam inſtruendis intendere, de cura animarum recte ſuſtinenda inveſtigare, eccleſiaſticorum diligentiam excitare, & corripere; mores illorum opportunis remediis emendare; omnia denique efficere, ut ſacramentorum miniſterio, ſacrorum frequentia, verbi Dei prædicatione, & ſalutaribus monitis, exemplo denique vitæ populus inſtituatur, & in viam cæleſtium mandatorum provehatur. Nec omittant epiſcopi populi vitam inveſtigare, devotionem, & refrigeſcentem caritatem ad bonum revocare; præceptorum divinorum auctoritatem inculcare: uſurariorum, concubinariorum, ſacrilegorum piacula, & vitia inſectari, ut reſipiſcant per gratiam Dei, & melioris vitæ rationem ineant. Quia vero particularia, quæ iis, quæ univerſe prædiximus, continentur, quo enucleatius inſpiciantur, eo fortaſſe fructuoſius viſitatoriæ actioni prodeſſent, ſtatuimus libellum tamquam memorialem pro viſitatione ſingularum diœceſeon provinciæ Aquilejenſis edendum eſſe, quo particulatim omnia, quæ viſitatione promovenda ſunt, tam neceſſaria, quam opportuna contineantur: ad quem conficiendum quia multa ſunt, & varia, & undique ex tota provincia colligenda; reverendiſſimos coepiſcopos noſtros requirimus, ut ſinguli aliquid hoc de genere conficere, & nobis, cum primum licuerit, mittere velint: ut inde communem quamdam viſitandæ provinciæ methodum habeamus; & in tota ſit provincia bene conſtitutum quoad ſingulas illius partes ſit accommodandum.

De viſitatoribus inferioribus, aut archidiaconis, aut deputatis a capitulis, ſervetur quod in concilio Tridentino conſtitutum eſt, de ipſorum approbatione, notarii aſſumptione, rationis eorum, quæ viſitatio complexa eſt, redditione, depoſitionis teſtium, & omnium actorum



ANNO CHRISTI 1596.

exhibitione, ut inſpiciantur ea quæ inferiores agunt, indicunt, præcipiunt, an cum ratione conveniant; & cum epiſcopalis viſitationis præſcripto, & conſtitutionibus, quæ in ſynodo editæ ſunt, conſentiant.

Pro viſitatione notariis non permittendum ut quidquam vel ſponte oblatum accipiant; procurationem vero modeſtam exhiberi (ubi conſuevit) curent epiſcopi; ne gravis, oneroſave ſit viſitatio; quæ oneribus levare, faſciculos impietatum ſolvere, expiare omnia debet. In iis vero locis, ſeu provinciis, ubi conſuetudo eſt, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant; ibi id ſervetur. Si quis autem contra ſacri concilii Tridentini præſcriptum aliquid accipere præſumpſerit, in eum erit juxta ejuſdem concilii ſanctionem graviter animadvertendum.

## XIV.

Feſtos dies in honorem Dei, & ſanctorum ejus inſtitutos ad gratias Deo agendas de beneficiis, quæ a liberaliſſima ejus manu accepimus, veniam peccatorum petendam, & opem divinam implorandam ſervari decet, ut omnium ſæculorum memoria, etiam veteris teſtamenti pagina conteſtatum habemus: quo magis debemus ſervare nos, qui in lucis veritate verſamur, quam ii, qui in umbra futurorum ante ſolis ortum ſedebant. Tempus autem diei feſti in audiendis concionibus, miſſæ ſacro, & divinis officiis ponendum eſt; non in commeſſationibus: multo minus peracto prandio ad ſaltationes, & luſus declinandum; cum ſit in eccleſias ad horas veſpertinas audiendas divertendum, & nomen Dei concorditer, & devote, vel ſilentii meditatione, vel vocis exultatione laudandum. Quod curabunt epiſcopi curatorum diligentia populis inculcari.

Cum vero feſti dies, & alia dominico die in parochialibus eccleſiis populo denuntianda ſint, parochis omnibus diſtricte præcipiendum ſtatuimus, ut in parochialibus eccleſiis omnibus dominicis diebus anni (non obſtante quavis conſuetudine contraria) miſſam celebrent, & feſtos dies, vigilias, & tempora jejuniorum populo promulgent, eumdemque doceant, quæ ſervanda, & quomodo ſervanda ſint: in eos autem, qui defecerint tam in miſſa, quam in aliis, pœnis ſeverioribus ſtatuimus animadvertendum; populum vero monendum, & frequentius incitandum edicimus, ut dominicis ſaltem ac feſtis diebus, ad parochialem ſuam accedat, & ibi miſſæ ſacrum, & concionem audiat.

Abuſu factum eſt, ut in pagis, ſicubi feſtus dies venerit dedicationis eccleſiæ; qui ſolet idem in dominicum, aut alium diem feſtum incidere, curati, qui ab omni parte circumſiſtunt, ad feſtum dictæ dedicationis confluant, & populos ſua profectione miſſæ ſacro diebus etiam ſolennibus fraudare non vereantur: quod aut avaritiæ labem præ ſe fert, aut certe vel ambitionis, vel convivii appetendi cupiditatem indigne olet. Hoc corrigentes epiſcopi omnino tollent, in eam formam redigentes univerſam hanc rationem, ut ſerio præcipiant curatis omnibus, ne ab eccleſia ſua diſcedant in caſu ſupradicto, niſi prius ſacrum fecerint, & populi piæ expectationi indulſerint, & officium ſuum executione, & actu impleverint; alieniores qui ſunt, debitis pœnis coercentes.

Inolevit abuſus, ille quidem a memoria, nedum a conſuetudine fidelium tollendus, ut ſolennioribus quibuſdam diebus vel dedicationis eccleſiæ, vel die natalis ſancti titularis, vel patroni, cum frequens populus ad eccleſiam ſolennitatis, ac devotionis cauſa venit, ut veniam Deo peccatorum precetur, votaque ſua humiliter offerat, ejuſque miſericordiam in ſuam tutelam & ſubſidium imploret, non ſine Dei offenſione, & ſcandalo bonorum choreas ducat, & Gentilitiis quibuſdam ritibus ſe totum dedat: unde committendorum peccatorum occaſio non levis; deinde blaſphemiæ, ebrietates, & periculoſæ interdum rixæ, & homicidia ſubſequuntur: & feſti præſertim dies præpotentis Dei laudibus deſtinati, ipſius ſummi Dei gravi cum injuria traducuntur, ipſis pene eccleſiarum foribus profanatis. Idcirco ſtatuimus per epiſcopos ſingulis eccleſiarum parochis, curatis, & vicariis præcipiendum diſtricte, & ſub interminatione divini judicii mandandum, ut, quantum poſſunt, tantum nitantur, quo abuſus, & corruptela hujuſmodi tollatur: ſemel autem ſingulis menſibus primo dominico die menſis decretum hoc populo promulgent, & intimare ſtudeant: ipſi autem pro viribus curent, ut populum, parochianos in primis ſuos, ab hujuſmodi corruptione avertant, & pro virili abducant, cum dies feſtos ad gloriam Dei inſtitutos ſine ſcandalo, & peccato ducere oporteat. Magiſtratus autem & dominos quoſcumque jus dicentes temporales per miſericordiam Dei obſecramus, ne prætextu juriſdictionis tuendæ (quæ ſi timore Dei, & reverentia ſacrorum non nitatur, incerto nutare ſtatu, & concidere facillime ſolet) grave hoc piaculum defendere, & auctorizare conentur: illis enim omnibus, & ſingulis edicimus, & obteſtamur coram Deo, & angelis, & hominibus, omnia ſcelera, & peccata, quæ præmiſſorum occaſione patrari contigerit, illis, inquam, qui diem ſanctum, & locum ſacrum, vel ſacro hærentem violarint, ac temerarint, ſeu cauſam deliberate dederint, ut violari, ſeu temerari poſſet, tributum iri. Capitulis vero, collegiis, & univerſitatibus eccleſiaſticis tam virorum, quam mulierum, qui juriſdictionem habent temporalem in loco, ſub pœna interdicti ingreſſus eccleſiæ; officialibus autem dictarum univerſitatum, ſive collegiorum, aut capitulorum, ſi eccleſiaſticæ perſonæ ſint, ſub excommunicationis pœna prohibendum decernimus, ne talia permittant, cum impediendi poteſtatem habeant; ne zelo timoris Dei, & ſalutis animarum ſtudio ad majora ſit remedia confugiendum.

Indulgentias, quæ feſtis quibuſdam diebus, aut etiam non feſtis proponuntur, & unum vel plura habent ſigilla, ſi clauſula ſit interjecta: *Porrigendi manus adjutrices*: ut erat ſuperiorum temporum frequens conſuetudo; ſublatas per conſtitutionem Pii quinti fuiſſe declaramus, & per conſequens ab eccleſiis, & locis ſacris tolli omnino jubemus.

Expedit, ubi hactenus ſolertia epiſcoporum proviſum non fuit, ut feſti dies in ſynodo diœceſana promulgentur, & curatis gravi præcepto mandetur, ut ad illius promulgationis præſcriptum populo indicant feſtos dies per annum currentes, quibus ſæcularibus operibus ceſſari debet, ita tamen ut, quod quietis corporalis ratio-

ANNO CHRISTI 1596.

rationem habet, ut vacari Deo animis attentioribus poſſit, ne diverſe pro arbitrio irreligioſo traducatur; imo toti illi dies pietate, & divinorum intereſſentia, & ſacris precibus, & officiis agantur. Inſtituatur autem populus curatorum diligentia, quid illis diebus fieri, quid non fieri oporteat; & culpam reatus, & reverentiam dierum ſanctorum, & mandatorum obedientiam inculcent. Nos autem exiſtimantes, ſi particulares ſancti diœceſeon, & civitatum patroni ſolenni ubique ritu celebrantur; æquum eſſe, ut etiam univerſalium patronorum ratio habeatur, quæ tantæ provinciæ pietate, ac devotione digniſſima eſt; præſenti decreto univerſæ provinciæ Aquilejenſi feſtum diem indicimus natalem glorioſiſſimorum martyrum ſanctorum Hermagoræ, & Fortunati, eccleſiæ & provinciæ Aquilejenſis patronorum, quotannis die duodecima Julii duplici officio celebrandum: ut, qui clariſſimo fidei teſtimonio, & triumphali ſanguine eccleſiæ Aquilejenſis initia dedicarunt; eorumdem glorioſa merita piis ſupplicationibus proſequamur, & patronos gratis animis agnoſcamus, quorum certiſſimo patrocinio muniti ſumus.

Epiſcoporum pietatem & prudentiam compellamus, & pro dierum feſtorum ſolennitate obſervanda ſtudioſe excitamus, ut apud magiſtratus temporales civitatum attente agant, eorum ſubſidium, & auctoritatem implorent, ut in ipſis civitatibus, oppidis, caſtris, & villis feſtorum dierum obſervatio omnino vigeat, & populorum devotio, & religio conſervetur: qui vero pervicaciores fuerint, & irreligioſi etiam plectantur, ut reſipiſcant ipſi: alii quid deceat, addiſcant.

Quod de genere prohibitorum non eſt, & profanis locis exerceri poteſt, hoc idem ſacris exerceri non debet. Monemus igitur epiſcopos, & illorum pietatem, ac religionem requirimus, ut nullo quocumque prætextu, ſolennitate, actione, etiam alicujus ſacramenti miniſterio permittant in ſolo ſacro, qua confluentis eſt populi aditus, aut alibi, quidquam venale cujuſcumque conditionis, aut naturæ, conſtitui, aut vendi; ſed indulgentiæ, aut ſtationis, aut alterius ſolennitatis eccleſiaſticæ tempore, vel alio quovis populorum concurſu ab eccleſiæ veſtibulo, ac toto ambitu venalia cujuſcumque generis omnia & ſingula, licet ſine minimi pretii, amoveant, & opportunis remediis etiam invocato brachio ſæculari deducant, & avertant: multo vero magis in eccleſiæ veſtibulo quocumque pietatis, & religionis colore mercenarios actus exerceri prohibeant: hæc vero a pietate Chriſtiana, & locorum ſacrorum reverentia aliena longe arceri etiam ab eccleſia mandamus, ne ſtrepitu populi divina & ſacra perturbentur. Duo vero in primis debent epiſcopi apud ſe perpendere; tempus diei feſti, quo ad mercimonia, & humanorum contractuum anfractus divertere non decet, ac periculo non vacat: locum, in quo Dei bonitas cum placari ſupplicantium votis deberet, fraudibus tamen, & mendaciis, quæ frequenter in mercaturæ negotio contingunt, offenditur, & irritatur. Agant vero, ut laudetur Deus, & miniſterio paſtorali abuſus, qui late dimanarunt, ratione aliqua tollantur.

XV.

Sanctorum reliquias in cælo regnantium, quæ viva fuerunt membra Chriſti domini, & Spiritus ſancti templum, in honore haberi pietas præcipit, Chriſtiana ratio ſuadet. Quia vero deferendi honoris eſt norma tradenda, ut diſpoſita quadam ratione honor, qui defertur, eluceat: præcipimus epiſcopis, ſi qui partem iſtam nondum expolitam habent, ut in eccleſiis, in quibus eſt reliquiarum celebriorum quantitas, illas omnes diſtincto quodam ordine in ª reliquiarum arte diſpoſitum & expolitum inferant, cryſtallo ſingulis thecis ſuperadjecto, ut videri reverenter poſſint. Sit tamen reliquiario adjectum operimentum ex tabula picta, qua imagines illorum ſanctorum exprimantur, vel aliquid aliud, quo gloria, qua illi fruuntur in cælis, apte ſignificetur. Reliquiarii locus in parte nobiliore eccleſiæ ſelecto aliquo ſacello, aut intra chori ſepta, aut alibi decenter conſtitui debet, cui lampas perpetuo incendatur, ſi per eccleſiæ facultates fieri poſſit; quod ſi reliquiæ ex fragmentis minutioribus conſtent, obvolvantur reliquiæ ſerico aliquo tenui, in quo ſit color ſancto conveniens, ex iis, quos illorum ſanctorum die adhibere eccleſia ſolet: obvoluta in reliquiario cum ſcheda nominis inſerto ſupra cryſtallo conſerventur. Quia vero inter reliquias aliquæ ſunt certæ, & ſeparatim habitæ: aliquæ ſunt certæ, ſed ex pluribus miſtæ: aliquæ vel miſtæ, vel ſeparatim incertæ, ab antiquitate approbatæ, ſed ſchedarum & nominum vel abolitione, vel conſumptione incertæ: de ſingulis aliquid ſtatuere oportet, ut varietate quadam inſcriptionum nec reverentia deſit, nec certa, ubi licet, cognitio deſideretur.

ª Forte, Re- [illegible]

Certis igitur reliquiis, & ſeparatim conſervatis, ſive extra ſericum, quia inſignes, ſive intra ſericum, quia minutiores, ſtatuimus eſſe per ſchedulam formatis characteribus inſcribendum ſancti proprium nomen: iis autem, quæ ex pluribus miſtæ ſunt, inſcribatur: Sacræ reliquiæ ſanctorum N. N. N. Si vero ignorantur nomina ſanctorum, inſcriptio ſit: Sacræ reliquiæ ſanctorum, quorum nomina ignorantur.

Inter iſta epiſcopos monemus de reliquiis inſignioribus, quales ſunt, caput integrum, brachium, aut tibia, vel ſimiles: poſſe illas decentius in vaſis propriis, quæ apte manu artificis expolita ſint, honeſto loco aſſervari, ut etiam in proceſſionibus publicis, præcipue ſi ſanctorum patronorum ſint, efferantur; & publicæ venerationis bonore, ſacriſque obſequiis in patrocinium, & ſubſidium apud Deum vocentur: quod tamen animadvertendum erit, ne umquam in proceſſione, qua ſanctiſſimum effertur Euchariſtiæ ſacramentum, exportentur.

Reliquias ſanctorum, qui fulgent ſicut ſol, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrunt, oſtendi populo luminibus accenſis convenit ac decet: ut enim, quod debetur ſanctorum gloriæ, obſequio religioſo præſtatur, ita etiam fit, ut piorum excitetur devotio, & eorumdem ſupplicationes in ſanctorum invocationem ad humanarum imbecillitatum ſubſidia ardentius incendantur.

Sacrarum reliquiarum publicam propoſitionem aliquo ſolenni die fieri religioſum, & optabile,



ANNO CHRISTI 1596.

bile, modo abſit ſuperſtitio, & avaritia, ac turpis eliminetur quæſtus: idcirco ſtatuimus epiſcoporum diligentia faciendum, ut cum publicæ venerationi in eccleſia ſacræ reliquiæ proponuntur, ne permittant capſulas apponi ad eleemoſynam colligendam, quæ alibi colligi poteſt, ibi non debet, quaſi ad quæſtum, & lucri commodum, non ad pietatem, & devotionem proponantur.

Corpora ſanctorum transferri quidem non poſſunt ſine ſedis apoſtolicæ licentia. Reliquiæ inſignes de loco ad locum transferri ita demum poterunt, ſi epiſcopus decretum in archivo epiſcopali, & libro particulari ſervandum ad rei geſtæ perpetuam memoriam fecerit, cur id fieri permiſerit: translationem vero ſolennem inſtitui, cum res ita tulerit, præcipimus: de loco nobiliore ad ignobiliorem, ut de civitate in pagum, transferri prohibemus: nec epiſcopi ferre debent, nedum concedere, ut fiat. Ipſis autem ſolennioribus diebus, quibus reliquiarum ſacrarum vel publica propoſitio fiet, vel translatio, vel viſitatio, curent epiſcopi, ut moneatur populus, ne comeſſationibus, & ebrietati ſe dedat: qui enim ſanctorum feſtiva gaudia celebrant, ſanctorum debent veſtigia ſequi, non ſuffragiis, & patrocinio ſe illorum indignos præbere.

Reliquiarum novarum exhibitionem, & publicam propoſitionem, itemque novorum miraculorum receptionem, etiam in eccleſiis regularium, ſacri Tridentini concilii decreto interdictam & prohibitam eſſe omnes noverint, niſi prius ab epiſcopo loci recognitæ, & approbatæ fuerint: qui, ſimul atque de iis compertum habuerit, adhibitis in conſilium theologis, & aliis piis viris, ea faciet, quæ veritati, ac pietati conſentanea judicaverit. Quod ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus extirpandus ſit, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat; epiſcopus antequam controverſiam dirimat, metropolitani, & comprovincialium epiſcoporum in concilio provinciali ſententiam expectet: cum nihil inconſulto ſanctiſſimo Romano pontifice novum, aut in eccleſia hactenus inuſitatum vel admitti, vel decerni liceat.

Reliquiarum integrum inventarium, quæ in civitate, & diœceſi ſunt, in epiſcopalibus archivis conſervari cupimus, & mandamus.

XVI.

Domus Dei, quam decet ſanctitudo, domus orationis & ſanctitatis, munditie excellere debet; ut fiant in ea rite divina & ſacra; poſtulationes etiam, precationes, & vota Deo ſolvantur: hanc tamquam ſponſam epiſcopi ſartam tectam conſervari, & non ſolum rebus ad ſacra peragenda neceſſariis, & opportunis inſtitui mandent & præcipiant; ſed iis etiam, quæ locum decent ornari: ſolum bene ſtratum, parietes purgati, cultus univerſus honeſtiſſimus; altaria non conſtituantur nova; non fiant iconis pictura, vel ſculptura cujuſcumque eccleſiaſticæ hiſtoriæ epiſcopis inconſultis, &, dum conſuluntur, proponatur integra plenaque intentio extruere volentium: a ſacris enim imaginibus debet omnis picturæ laſcivia abeſſe, ne procaci venuſtate pingantur, aut curioſius ornentur. Debet hiſtoriæ veritas exprimi, pietas excitari. Intra ſcabellum, ſive baſin iconis, vel intra thecam iconis, vel poſt iconem nihil omnino ſervetur: ſint munda, ſint expedita omnia. A cornu euangelii, ſicubi fuit olim in pariete cuſtodia ſanctiſſimæ euchariſtiæ, & adhuc feneſtellæ pictam habent, aut inſculptam imaginem Chriſti domini, aut inſcriptionem, ex qua colligi poſſet, ibi eſſe ſacramentum corporis Chriſti; tollantur imagines, & ſigna hujuſmodi, ne in re maxima errandi occaſio præbeatur. In dictis feneſtellis bene munitis ſerventur olea ſacra in vaſculis argenteis ſub ſera firma, & clavi. Altaria ſint ſolida circumcirca, ut nihil ſit a parte poſteriore diverticuli vacui propter ſordes avertendas. Ipſa cuſtodia ſanctiſſimæ euchariſtiæ veſtiatur intus panno ſerico, ſeu villuto rubei coloris: in ſuppoſito corporali pyxis locetur: in pyxide ſupponatur corporale, in quo particulæ ſacramenti reſideant: ſi tamen pyxis interius ſit bene levis, & ſplendida, atque inaurata, ut nihil aſperum, aut inæquale appareat, in ea poterit ſine corporali ſacramentum reponi: ad pyxidem contegendam adhibeatur velum ſericum aureis, ſive argenteis lineis diſtinctum, aut alia ratione ſplendidum, & conveniens, quo a ſummo ad imum tota pyxis operiatur: vas, & operculum pyxidis ſit ex argento: ſi pes pyxidis propter eccleſiæ paupertatem fieri argenteus non poteſt, fiat ex ære; tota vero pyxis inauretur.

Cuſtodia in altari bene firmetur, ne moveri loco poſſit: pro ipſa vero cuſtodia conopea comparentur colorum eccleſiaſticorum, quæ plebani, & curati, ſive ſacriſtani pro temporum, & ſolennitatum varietate ad cuſtodiam contegendam adhibebunt. Clavis cuſtodiæ firma ſit, ſit etiam pulcra & inaurata, ubi poteſt; ſi minus poteſt, ſaltem ſit lucida, & chordulæ ſericæ rubeæ inſerta cum flocco filis ſericis & aureis conſerto, quæ a plebanis, & curatis diligenter ſervetur. Intra cuſtodiam nihil omnino ſit præter pyxidem, & ſacramentum.

Fornix, textum, pavimentum, munditie & cultu ſplendeat: parietes omnes ſcriptionibus quibuſcumque mundentur: vaſa lapidea pro ſervando oleo ab eccleſiis aſportentur: fruſtra imaginum ſanctorum, ipſæque imagines, quæ vetuſtate conſumptæ ſunt, & alia eccleſiaſtica laceræ, ſeu fracta, quæcumque combuſtibilia incendantur, & micantur cineres in piſcinam ſacrarii.

Sepulcra, quæ fiunt in eccleſiis, præcipimus opere preſſo extrui, ut nihil emineat, quod incedentibus impedimento ſit. Eccleſiæ pavimentum ſervetur integrum, nec rumpatur niſi ob ſepulcrum muro & fornice conſtruendum. Cruces, calices, nomen venerabile Dei, imagines Dei & ſanctorum inſculptæ, ſive inſcriptæ ſepulcris, vel in ſolo eccleſiæ, quamprimum omnino tollantur; nec ligneæ cruces mortuorum tumulis in cœmeteriis figantur, ne ſacrorum ſignorum conculcatione irreverentiæ culpa committatur.

Feneſtræ eccleſiarum, quibus a privatorum domibus in eccleſiam introſpicitur, vitris & clathris ferreis muniantur, nec aperiantur.

Sumptus omnes, qui ad ornanda altaria neceſſarii ſunt, fiant ab iis, a quibus ante fieri conſueverant.

Miſſalia non tolerentur, quæ non ſint poſt concilium Tridentinum correcta, & a Pio quinto edita.

Quod fuerat antiquis temporibus pie & laudabiliter inſtitutum, poſteriorum temporum iniquitate a recto ſui ordinis inſtituto deflexit; vigi-

ANNO CHRISTI 1596.

vigilantibus c. im populis apud eccleſias, & memorias ſanctorum nocturno etiam tempore frequentantibus, nihil fuerat olim vel petulantia corruptum, vel ſacrilega temeritate fœdatum: quod poſteriorum temporum nequitia & graviorum malorum commiſſione obſolevit. Auditum vero eſt adhuc quibuſdam locis mulieres vigiliis ſanctorum in eccleſiis pernoctare: quod ne fiat, neve prætextu pietatis aliquid gravius contingat, ſtatuimus, prædictum agendi vigilias ritum omnino tollendum eſſe, ac modis omnibus ab epiſcopo delendum, ne, quod eſt ſumme periculoſum, vel conniventia, vel negligentia perſeveret.

Eccleſiam, in qua fiunt ſacra & cultus divinus eo ordine peragitur, externis vacare impedimentis convenit: idcirco decernimus concurſationes pauperum, quorumcumque etiam miſerabilium, qui celebrantibus & orantibus in eccleſia impedimento ſunt, ab omnibus eccleſiis, cum ſacra fiunt, arcendas eſſe; permittatur autem pauperes in eccleſiæ foribus eleemoſynæ petendæ cauſa conſiſtere; modo ne vocibus obſtrepant, ut exaudiantur & divina perturbent.

In eccleſia, quæ domus eſt ſanctæ converſationis & pietatis, diverſari honeſtiſſime æquum eſt, ut etiam apoſtoli dicto monemur, qui precepit mulieres velari propter angelos Dei. Curandum eſt igitur per epiſcopos, ut in eccleſiis dum ſacra celebrantur, mares diſtincto ordine a feminis maneant, & feminæ non niſi velato capite in eccleſiam ingrediantur: quod ubique ſervari etiam juxta doctrinam apoſtolicam æquum eſſet.

Deambulationes, excurſationes, pervicacem curioſorum petulantiam longe ab eccleſia arcendam decernimus; ita acta judicialia, tractatus ſæculares, inſtrumentorum, & contractuum quamcumque ſpeciem; item repoſitiones mercium, tabularum & quorumcumque profanorum in eccleſiis omnibus fieri prohibemus: quod regulares etiam in ſuis eccleſiis diligenter ſervabunt.

Quibuſdam locis abuſu inductum, quotidianaque conſuetudine receptum eſt, ut humili orti loco homines & conjugati, licet non deſint clerici, qui munus hujuſmodi obire poſſent; nec habitudine animi, nec decenti corporis cultu apti, miniſteria in eccleſiis exerceant, quæ clericorum propria ſunt; celebrantibus miniſtrantes, altarium ornatui & eccleſiæ totius cultui ſervientes; cum tamen iſta omnino ignorent & a re ſacra & ſacris hærente tractanda & cuſtodienda alieniores habeantur & appareant. Idcirco ſacrorum canonum conſtitutionibus inhærentes, quibus cavetur, ut in pagis & in villis nedum in civitatibus & opidis, curati clericum apud ſe habeant, qui minorum ordinum officia exerceat; curent epiſcopi omnibus, quibus fieri poteſt, locis, in omnibus eccleſiis curatis tam civitatum, quam oppidorum, pagorum & villarum, ſtipendium ei ſolitum aſſignari; qui cum ſæcularis ſit & conjugatus, ac ineptus, totius eccleſiæ coram hactenus geſſit; deinceps attribuatur clerico, qui ſacerdoti celebranti cum ſuperpelliceo miniſtret, cum pſallente cantet, lectiones in eccleſia legat, eccleſiam & altaria curet, doctrinam Chriſtianam doceat, toti eccleſiæ munera minorum ordinum obeundo præſit, & ſub ſui ſacerdotis obedientia & diſciplina vivat.

Hic autem clericus ætatis ejus ſit, ut hoc obire officium poſſit, natalibus habilis; grammatices non ignarus; ad diſciplinam & peritiam literarum non ineptus, voluntate & ſacramentorum frequentia a pietate non alienus, in habitu, ac tonſura clericali aſſiduus; ut ſpes ſit, illum aliquando gradatim ad ſacerdotium pervenire poſſe.

## XVII.

Ut eccleſiarum bona & jura integrè conſerventur, ne vel temporum injuria, vel uſurpantium cupiditate, quorum inſidiis undique circumveniuntur, pereant; mandamus omnibus & ſingulis epiſcopis, ut cum primum facere potuerint; curent librum confici, in quem referantur epiſcopalis menſæ cenſus, reditus, bona, prædia, jura, & juriſdictiones, & feuda cum finibus, attinentiis & pertinentiis illorum: & in illorum ſingulis notis exprimantur privilegia, tituli, ſeu conceſſiones & legata ita clare & ſpecifice, ut primo liceat intuitu recognoſcere res ipſas, & univerſa eccleſiæ, ſeu menſæ epiſcopalis integra jura; quod ſit perpetuum epiſcopalium jurium monumentum.

Curent præterea epiſcopi, ut fiat item liber, in quem referantur clara & diſtincta ſcriptione dignitates, præbendæ, eccleſiæ parochiales, curatæ, & quæcumque beneficia tam ſimplicia, quam vel reſidentiæ, vel curæ animarum obligationi obnoxia, cum privilegiis, juriſdictionibus, prædiis, reditibus, cenſibus, adjunctis finibus locorum, ac titulis eorum jurium præfatorum ad futurorum temporum memoriam, & eccleſiaſticorum jurium conſervationem: quod ipſum negotium licet prima ſpecie laborioſum & difficile videatur, non magno poterunt epiſcopi negotio per vicarios foraneos, ſeu alios miniſtros idoneos perficere; atque idem curent a capitulis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum fieri.

Cum vero ad rectam adminiſtrationem non minus pertineat poſſeſſa conſervare, quam amiſſa & uſurpata recuperare; ſtatuimus per epiſcopos diligenter urgendum, ut a libris menſæ epiſcopalis, capitulorum, & quorumcumque beneficiorum partitæ, quæ non exiguntur, decerpantur, & in libellum particularem referantur: poſtremo procuratoribus injungant, ut ſuper earum ſingulis experiantur non minus ſcite, quam prudenter, ut amiſſa, ut uſurpata juris mediis recuperentur; recuperationes vero ad ſingulas partitas mandent adſcribi, ut ipſæ etiam in earum, quæ exiguntur, numerum integre referantur.

Locationes bonorum eccleſiaſticorum ultra triennium ſine apoſtolica conceſſione ſub pœna a jure ſtatuta fieri prohibemus: permutationes bonorum eccleſiæ ſine conceſſione apoſtolica, infeudationes & emphyteuſes contra ſacrorum canonum ordinationes & juris tramitem attentari non debere edicimus: attentata in contrarium, caſſa & nulla declaramus, & quatenus opus ſit, irritamus, caſſamus & annullamus, & qui contra fecerint, obnoxios pœnis juris declaramus.

Ut autem ſacrilega uſurpatorum cupiditas ſtatum agnoſcat ſuæ perverſitatis & a malo deſciſcat, in omnibus eccleſiis curatis præcipimus & mandamus, in tertia dominica cujuſcumque menſis intra miſſarum ſolennia promulgari populo decretum ſacri Tridentini concilii ſeſſione 22. cap. 11. de reformatione in linguam Italicam converſum. Confeſſores vero præcipimus omnes



ANNO CHRISTI 1596.

ſerio moneri, ut pœnitentes ſuper uſurpationibus præfatis confeſſionum tempore examinare ſtudeant.

Epiſcopos autem per miſericordiam Dei obſecramus, ut memores officii & muneris ſui intelligant eccleſiarum & Chriſti patrimonii eſſe ſe adminiſtratores; myſteriorum vero Dei diſpenſatores, ut in altero libera ſit exhibitionis & donationis commiſſa poteſtas: in altero vero facultas limitibus certis adſtricta, quos tranſilire non liceat. Neque vero carni & ſanguini de terris, ac bonis eccleſiæ dandum, aut impertiendum, etiam ratione cenſuum, novarum infeudationum & novæ emphyteuſeos, ut terrarum & prædiorum eccleſiaſticorum patrimonialium forma confundatur, & continuetur agrorum ſeries, quam poſteri non agnoſcant, & in eccleſiis ſucceſſores non intelligant: meditentur vero extremi diei rationem illam, quæ diſtricto Dei judicio ſubjicietur, ne ſibi temporalis patrimonii incremento ſalutis & æternæ vitæ interitum comparent, & lucri ſpecie perpetuam & inevitabilem exitii perditionem ſubeant.

Avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, aliena iniquius rapiente, & ad id quod ſuum non eſt, cupiditatem & manus extendente, nedum proprium cupidius retinente, quam Chriſtianam decet caritatem; ferendum non eſt, ut cum jurium eccleſiaſticorum jactura, qui percrebuerant abuſus perſeverent & progrediantur: fit autem, ut adminiſtratores redituum & cenſuum eccleſiaſticorum multa ad ſuum commodum trahant; & dum factis rationibus adminiſtrationis debitores apparent; tum pro eo, quod debent, cenſum livellarium ſuper ſuis bonis eccleſiæ conſtituant; ac ut ſuæ perverſitatis ſolatium in promptu habeant, ita facile adducuntur; ut plura in ſuos uſus inſumant, quam in eccleſiæ commodum: alterum ſequitur, ut omnes certatim eccleſiarum adminiſtrationes cupide potius, quam ambitioſe, quærant, cum tamen livellationes hujuſmodi a parte venditorum iniquæ, a parte emptorum minus licitæ appareant: quod ex bulla Pii quinti de cenſibus ſatis liquet. Idcirco opportuno remedio hujuſmodi malo occurrentes, primo declaramus inhabiles omnes & ſingulos, cujuſcumque conditionis, nominis, ac tituli bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratores, qui ſunt debitores, & debita non ſolidarunt, ad eamdem adminiſtrationem recipiendam, donec, quod debent, integre perſolverint: eorumdem vero electionem, tamquam non legitimam, & contra juris ordinem, & rationem factam, caſſam, & nullam declaramus, & quatenus opus ſit, irritamus, & annullamus: ſecundo livellationes quaſcumque per debitores eccleſiarum, aut alios, modo quo præfertur, etiam ratione cenſuum non ſolutorum factas, nullas pronuntiamus: tertio filios, & heredes debitorum jam defunctorum, donec integram ſummam defunctorum nomine debitam perſolverint, inhabiles ad eccleſiarum adminiſtrationem, quibus aliquid eo nomine debent, dicimus, & declaramus.

## XVIII.

Diœceſeon latitudo efficit, ut cum epiſcoporum oculi in particularia quædam locorum facta, & neceſſitates aſſidue intendi non poſſint, expediat miniſtros diſtributis in diœceſi regionibus habere, quos ipſarum regionum portionibus vicarios foraneos præficiant. Horum epiſcopi fideli ac diligenti opera ad multa ut poterunt, in primiſque ad executionem illorum, quæ ſynodalibus conſtitutionibus præſcribuntur, ac mandantur ad continendos eccleſiaſticos officio, eccleſias ornatu, populos pietatis lege, & ad ea, quæ paucis capitibus perſtringemus; cum ex his aliquando quaſi fundamentis majorum poſſit progreſſionum materia excitari.

Vicariorum foraneorum munus præcipuum eſt, quæcumque de conſtitutionibus, reparationibus, inſtructionibus, exornationibus eccleſiarum, ſacriſtiarum, capellarum, altarium tam particulariter, quam generaliter mandata ſunt, curare ut non modo executioni mandentur, ſed ut bene mandentur: præterea illa etiam, quæ de honeſtate in eccleſiis ſervanda, de ordine, & celebratione miſſarum, & alia omnia, quæ curatorum diligentiæ commiſſa, & mandata ſunt, tam reſpectu miniſterii ſacramentorum, quam aliorum quomodocumque ad ipſorum curatorum munera ſpectantium, curare, & exequi debebunt. Præterea vitam, mores, habitum, converſationem, ſuſpiciones rationabiles de vita, & moribus clericorum intra fines commiſſæ regionis videant, extra judicialiter corrigant, emendare contendant. Si quid tamen vel incorrigibilitate, vel rei natura gravius inciderit, ad epiſcopum diligentiſſime perferant: quæ autem hujus generis fecerint, aut curarint, ea ſcripto comprehendant, ut quandocumque requiſiti, rationem reddere adminiſtrationis ſuæ valeant.

In re, & juribus eccleſiaſticis ſervandis, tuendis, & recuperandis ſolicite particularium locorum curatos urgeant, ne quid vel negligentia pereat, vel potentiorum vi & cupiditate uſurpetur. Si quid inſolentius alicubi fiat, ſtatim epiſcopo ſignificetur.

In camerariorum electione, redituum eccleſiarum diſpenſatione, rationum redditione, reliquorum ſolutione, curent ea tolli, quæ vel impedimentum afferunt, vel damnum inferunt: præterea confinia terrarum, & bonorum eccleſiæ, præcipiant curatorum particularium ſedulitate perfici; negligentes excitent, & ad bonum adducant.

De congregatione caſuum conſcientiæ ſingulis menſibus habenda, vicarii foranei præcipue agant, ut numquam prætermittatur: illam vero ſervato ordine vocent: menſe ante futuram congregationem exhibeant clero ſuæ regionis duos, aut tres caſus in congregatione excutiendos & decidendos. In congregationibus ſervetur ordo, ut ſtatuta die, quæ feſta eſſe non debet, ſummo mane omnes ad ſuum vicarium conveniant, & facto ab omnibus ſacro cum miſſa de Spiritu ſancto fiat congregatio, in qua caſus ante exhibiti decidantur. Ad congregationem evocentur omnes, qui ſunt de regione vicarii: contumaces pœna pecuniaria plectantur: mulctæ in expenſas congregationis, librorum emendorum, & curſorum diſcurrentium inſumantur: liber penes vicarium ſit, ſucceſſori pro tempore tradendus, in quo ſcribantur congregationes cum die, menſe, & anno; ipſi etiam caſus, & deciſiones, præſentia curatorum, qui congregationi interfuerunt, abſentium vel excuſatio legitima, vel contumacia, itemque contumaciæ pœna.

Si quis ter contumax fuerit, ad epiſcopum deferatur, ut remedio graviore contumaciam luere diſcat. Deciſionum exemplum ſingulis

gulis menſibus ad epiſcopum perferendum curet.

Tempore congregationum frugalitas ſervetur inter omnes, qui convenient: dum corpus alitur, lectura aliqua ſacræ ſcripturæ condiatur menſa, alatur animus; ante, & poſt fiat benedictio, & gratiarum actio, inchoante vicario, & proſequentibus reliquis.

Quæ de curatorum reſidentia præſenti ſynodo decreta ſunt, vicarii, ut obſerventur, ſtudioſe curent: ſuper illorum receſſu a cura ex cauſa rationabili ſervandum curent, quod proprio de reſidentia curatorum capite ſtatutum eſt.

Præterea illorum munus ſit, cum aliquis ex curatis ſuæ regionis ægrotare cœperit, inviſere; ſi gravius ſe habuerit, curare diligentius, ut neceſſaria tam ſpiritualia, quam temporalia illi miniſtrentur; ſi obierit, in ſuo libro ſcribant obitum cum die, menſe, & anno, ſtatimque epiſcopum moneant: curabunt vero interim tam vivente curato in ægritudine, quam mortuo, ne cura animarum detrimentum patiatur: rerum, bonorum, quæcumque in vita poſſederit, curam diligentem habeant, ne quid fraudis in præjudicium eorum, qui ſuccedere de jure debebunt, committatur, invocato etiam ſuper his, ſi opus fuerit, brachio ſæculari, exceptis calicibus, miſſalibus, & paramentis tam ex auro, quam ex alia materia conflatis; quæ conſtitutione Pii V. eccleſiis, de quarum fructibus facta ſunt, tradenda hoc caſu, & incorporanda omnino curabunt.

Ex ſacerdotibus alienigenis ſi quis in regionem venerit, ne admittatur ad celebrationem miſſæ, niſi licentiam a foro epiſcopali obtentam in ſcriptis habuerit: illos autem, qui tamquam peregrini ad miſſarum celebrationem admiſſi ſunt, in curam animarum intrudi non permittant. Cooperatores, ſeu capellanos quoſcumque non permittant, confeſſiones audire, & ſacramenta miniſtrare, niſi licentiam in ſcriptis obtentam oſtenderint: eos, qui contra præmiſſa ire præſumpſerint, ad epiſcopum deferre ſtudeant.

Cum vero contigerit, dictos vicarios ad viſionem eccleſiarum ſuæ regionis excurrere vel ordinarii officii ſui obligatione, vel mandato ſpeciali, tum eis non liceat quidquam ne minimum quidem pecuniæ, aut ab eccleſiis, aut ab earum camerariis exigere, ſeu petere, nec ſponte oblatum accipere: ſi contra fecerint, eos declaramus ex nunc pœnas juris a ſacro concilio Tridentino indictas incurriſſe; ut ſatisfaciare ejuſdem diſpoſitioni non omittant. Victualia modeſte exhibeantur, ut nihil inter eccleſiaſticos appareat indecorum, nihil ſuperfluum; omnia moderationis eccleſiaſticæ lege temperata.

Declaramus autem decreta hactenus edita non afficere, aut lædere jura capitulorum eccleſiarum cathedralium fundata in privilegiis & indultis apoſtolicis.

## XIX.

Monialium, quarum dicata Deo virginitas diligenti epiſcoporum vigilantia cuſtodienda eſt, ingreſſum ad monaſteria, diſciplinam, vitam regularem, & pietatem, tamquam certiſſima regularis perfectionis fundamenta, attente inſpicere, attentius promovere, & ſumma ſolicitudine tueri ac defendere, epiſcopali ſolertiæ convenit. Nos vero ex alieno ſumenda potius, quam depromenda de noſtro in medium hoc de genere proponemus: ita tulerunt res, quæ modo noſtræ ſunt officio, & obligatione: quod tamen cœptum eſt, auctore Deo & duce, longius etiam eodem favente Deo ad perfectum aliquando adducetur.

Tria ſunt, quibus præcipue monaſticæ diſciplinæ ſtatus conſervatur, & augetur; ſufficiens communis victus, devota regulæ obſervantia, pia ſacramentorum frequentia: ad quæ ſi accedat paſtoris vigilantia, Deo favente ſperandum eſt profici vel plurimum poſſe. Quia tamen aliqua antecedunt, ut receptio, habitus, & profeſſio; quædam vero etiam ſubſequuntur: de ſingulis ſtatuere non modo utile, ſed neceſſarium exiſtimamus.

Primo igitur quærant, & inveſtigent epiſcopi, quot ſint reditus monaſteriorum, vel quæ eleemoſynarum quantitas; & in ſibi ſubjectis ordinarii, in aliis apoſtolica auctoritate ſibi pontificia conſtitutione attributa, adhibitis ſuperioribus regularibus, præſtituant numerum monialium, quæ in monaſterio ali poſſint. Si plures ſint, quam ali commode poſſint, decedentibus aliquibus non ſufficiatur alia, niſi redigatur numerus eo, ut adæquatis facultatibus poſſit ſuſtentari: quod diſtricte præcipimus obſervandum; ne premat egeſtas, & rei neceſſariæ inopia pereant omnia. Interim vero curetur, ut ipſis monialibus, vel ipſarum induſtria, vel publicis, & privatis eleemoſynis ſubveniatur, diſpoſitis etiam per eccleſias capſulis, in quas caritatis ſubſidia conferantur.

Quia vero monaſteria, quæ opibus olim affluebant, actorum ſeu procuratorum negligentia, ſive potentiorum uſurpatione collabi ita ſolent, ut egere incipiant; & ad paſtoralem pertinet ſolicitudinem, quæ cadere cœperunt, auctoritate & ſubſidio fulcire, ne corruant: omnes & ſingulos epiſcopos hortamur in domino & ſerio monemus, ut omni ſtudio curent, quo monaſteriorum terræ, reditus, cenſus & jura recuperentur; agant apud locorum magiſtratus, procuratores dicto excitent, monialium protectores, ſeu conſervatores incendant, omnia conentur, ne coram Deo negligentiæ arguantur, & ſocordiæ apud homines. Quod ſi idem ſit numerus re imminuta, qui integra fuit, nec reſtitutionis ſpes oſtendatur: cogitent epiſcopi de numero paulatim minuendo per obitum monialium, facto abbatiſſis, ſeu prioriſſis gravi præcepto, ne de receptione alicujus ad monachatum aut tractent, aut deliberent ſe inconſulto. Niſi enim præſenti remedio occurratur, erit magnopere timendum, ne multorum annorum ære alieno, quod neceſſitate contrahitur, univerſus monialium ſtatus opprimatur; quem conſultius minui ex parte aliqua, quam totum extingui, permittendum. Qua ratione ſi augeantur monaſteria legatis piis, & novis reditibus: æquum eſt, ſervatis quæ ſervanda ſunt reliquis, numerum etiam monialium augeri.

Communis debet iis eſſe victus, quarum communis eſt domus, & veſtitus, & regula; neque enim illa, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari, aut mutari poſſunt. Idcirco, ſicubi fieri ſolitum eſt, partitiones de reditibus monaſterii tam tritici, quam vini (quæ fiebant inter moniales, ut quæque portionem haberet, & inde ſibi victum ſufficeret) damnamus & abolemus; & ſub interminatione divini judicii, & pœna excommunicationis in ſingulas conſentientes; in univerſitatem vero interdicti ingreſſus eccleſiæ inhibemus, ne in





poſterum fiant, aut fieri per ipſarum monialium præfectas, abbatiſſas, ſeu prioriſſas permittantur: ipſis vero abbatiſſis, ſeu prioriſſis, ſub pœna privationis ab officio præcipimus, ut quod contra præſentis conſtitutionis tenorem viderint vel cognoverint attentari, aut fieri, epiſcopo ſtatim ſignificent, quo abuſus veteres tandem aliquando tollantur.

Quia in unaquaque re dantur certi gradus, per quos ad majora aſpiratur, & aſcenditur; atque hunc ordinem non in humanis tantum, ſed in ſpiritualibus & divinis etiam inveniri nemo negat: ita, ubi corruptela vetus radices egit, quas ſi ſtatim evellere vi conemur, corruptum antequam ſanetur, etiam ipſum ruet; curandum, ut remedia hujus generis omnia in rationem quamdam temperentur, ut ſi minus celeriter, tuto ſanare veterem morbum valeamus. Decernimus igitur in monaſteriis monialium, ubi jam certus hac de re ordo, & cum ratione conſentiens ſtatutus non eſt; moniali aliqua, cujuſcumque religionis & ordinis ſit, decedente poſt harum conſtitutionum promulgationem, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ confirmationem, ſtatim abbatiſſam, ſeu prioriſſam, cum ſua vicaria, vel, ea impedita, cum alia moniali ex maturioribus ætate, & prudentia, debere thalamum, & omnia quæ in eo ſunt, cujuſcumque generis & qualitatis, nomine monaſterii facto diligenti inventario in tenutam & poſſeſſionem accipere, eaque referre omnia in commune monaſterii veſtiarium, illata pecunia in commune monaſterii ſcrinium. Thalami etiam claves apud ſe retinere pro munere officii ſui, ac de his omnibus quamprimum per literas epiſcopum admonere, ſi quid hoc de genere præcipere voluerit; non obſtante monialis ipſius, dum viveret, electione diſcipulæ, & ejuſdem deſtinatione, etiam cum abbatiſſæ, ſeu prioriſſæ, aut capituli monialium licentia ad futuram thalami, & rerum ſucceſſionem: quæ omnia, tamquam juri, rationi, & ipſis regulæ ſubſtantialibus contraria, nulla declaramus, & quatenus opus ſit, annullamus, & caſſamus: declarantes neque abbatiſſam, neque prioriſſam, neque moniales cujuſcumque pactionis, conventionis, & concordii vigore ad hujuſmodi executionem obligatas fuiſſe, aut obligari potuiſſe, cum ex altera parte ſubſit certiſſima obligatio non conveniendi, ſeu conventa non obſervandi.

Abbatiſſas, ſeu prioriſſas, & earum vicarias, tamquam monaſterii præfectas, ſerio monemus, ut inter ſuas moniales crebro agant hac de re, ut omnes diſcant nihil poſſidere ſe proprie; uſum habere in vita; in morte nullum diſpoſitionis actum habere, aut habere poſſe, etiam conſentiente præfecta; cujus partes ſunt diſpenſare, non diſſipare. Hæc eſt enim diſſipatio regulæ, quæ nec in vita, nec in morte proprietatem regularibus reliquit; &, ſi quando a moniali ægrotante fuerint requiſitæ, ut alii vel ſupellectilem dent, vel thalamum, pie inſtruant hoc non licere; ægræ partes eſſe, ſi quid in vita commiſit, lacrymis, dolore, & pœnitentiæ ſacramento expiare, non ſuperaddere nova piacula, quibus fœdius anima ad tremendum Dei judicium exitura deturpetur: ſi qua licentiam teſtandi, aut quoquo modo diſponendi, aut aliquam eligendi, ſeu nominandi, quæ ſuccedat, de facto dederit, declaramus eam ab officio ipſo facto privatam, & depoſitam: eamdemque in perpetuum declaramus ad idem officium, & alia quæcumque in eadem religione obtinenda, inhabilem.

Has vero conſtitutiones, cum primum a ſancta ſede confirmationem acceperint, præcipimus, ubi monaſteria reformata non ſunt, abbatiſſis, ſeu prioriſſis, & monialibus, in linguam Italicam verſas a vicariis, ſeu ſpecialibus nuntiis epiſcoporum (ubi diſciplina monaſtica reformationem nondum accepit) legi, declarari, & intimari, ac de hujuſmodi intimatione in actis cancellariæ epiſcopalis ſcriptionem fieri diligentem.

In monaſteriis, in quibus proprietas exulat, & omnis affectio corrupta, ſervetur illa rerum omnium communio, quæ nihil habet, & cui nihil deeſt; quæ in egeſtate rerum copiam habet, & nihil omnino habet: ſi quid enim eſt, hoc habet uſu, non affectu; quæ quidem dives inopia in omnium monialium domos & vitam paſtorali prudentia & vigilantia invehenda eſt.

Communis eſſe debet monialium menſa, ad quam omnes, exceptis ægrotantibus, convenire debent, ac tenentur. Pactiones, ſive conſuetudines, quæ corruptelæ ſunt, ut tantum pecuniæ detur ei, quæ ad menſam communem non accedit, rejicimus & nullas dicimus; & quæ vel obſervarint, vel ut obſerventur, inſtiterint, menſis unius voce in capitulo privamus; aut alia pœna, quæ abbatiſſæ, vel prioriſſæ loci, aut vicariæ, ſi principales impeditæ fuerint, conveniens videbitur, plecti mandamus.

In menſa communi non deſit ſpiritualis aliqua lectio, qua corporales cibi ſuaviter condiantur: debent enim, quæ Deo vivunt, ſpiritu magis vivere, ut licet neceſſitati corporis ſerviant, plus tamen animo ſemper tributum velint: liber vero ad lectionem menſæ adhibendus a confeſſario probetur.

Silentium, obedientia, humilitas, caritas, ac reliquæ Chriſtianæ virtutes inter regulares perſonas geminarum clariſſimarum loco ſint, quibus præcipue monialium domus & familia exornetur.

Quæ a regula nomen ducunt, eam, cui ſe profeſſione ſolenni adſtrinxerunt, noſſe regulam debent. Epiſcoporum igitur diligentia efficere debebit, ut regula inter moniales (ubi hactenus omiſſa fuit) lingua Italica ab aliqua ex monialibus, quæ lectioni obeundæ aptior fuerit, & ab abbatiſſa, ſeu prioriſſa deputabitur, frequenter legatur: atque illa quidem in duas diſtinguatur partes, ita ut quotidie legatur aliquid poſt conventualis miſſæ officium vel in choro, vel alibi, ubi commodius poſſit, de tribus, quæ emittuntur in profeſſione, votis, ut ſæpiſſime inculcentur & auctore Deo aliquando hæreant; alia vero per ordinem, ut quolibet feſto die legantur quatuor, aut quinque capita, & a fine in principium redeatur, numquam vero intermittatur. Inter legendum abbatiſſa, ſeu prioriſſa moniales moneat, & redarguat, ſi quid minus ſervetur, aut negligatur: excitet vero ad correctionem & ad futuræ gloriæ cupiditatem, igniculos addens, & ſemina Chriſtianæ pietatis: ſi quid pœnæ a regula ob quodcumque commiſſum, aut omiſſum ſtatutum eſt, hoc præfecta exequatur; ſi fuerit oppoſitum impedimentum, confeſſarium conſulat, epiſcopum moneat.

Statis horis tam matutinis, quam diurnis, & veſpertinis, præfectæ curent, ut omnes moniales in eccleſiam ad laudes Deo perſolvendas con-

conveniant, & in ea non nugis & collocutionibus operam dent: nulla vero monialis quocumque prætextu excuſetur a choro, niſi vel ægritudinis cauſa, vel ægrotantium cuſtodia, vel juſti impedimenti excuſatione, quam præfectarum munus erit cognoſcere, & ſi legitima fuerit, etiam admittere. Quæ in chorum non venerint, pœna regulæ, aut alia etiam graviori, pro culpæ modo, a præfecta plectantur; ac ſi contumacius perſeverarint, epiſcopo ſignificetur, & medicinam conficiat ipſi ægritudini accommodandam.

Admoneantur ſanctimoniales, ut ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas. Quod feſtis ſolennioribus anni, item beatæ Mariæ virginis, & ſanctorum apoſtolorum, omittere non debebunt. His attribuatur confeſſarius ætate, & prudentia maturus, vita, moribus, & doctrina probatus: qui etiam pro opportunitate norit aliquid e ſacris ſcripturis depromere ad ſpiritualem ipſarum jucunditatem, & perfectæ vitæ progreſſionem: præter ordinarium alius extraordinarius ab epiſcopo eiſdem bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat.

Seniorum monialium partes ſunt, juniores ad ſacramentorum frequentiam, & omnes alios pietatis, & devotionis actus invitare verbo, exemplo, caritate; ut ad juniorum modeſtiam, ac religionem pertinet, omnia, quæ in regula ſunt, præcepta obſervare, ad ea ſe aſſidue exercere, & nihil omittere illorum, quæ ad regularis perfectionis implementum ſpectare aliqua ratione poſſunt.

At vero non exigua eſt educationis vis, qua ſit habitus difficile mobilis, & par naturæ habilitas quædam: quo uno præcipue nititur morum & vitæ bene agendæ fundamentum: hoc attendant epiſcopi, ſicubi adhuc non eſt inſtituta ratio virginum ad ſanctimonialium perfectionem traducendarum; & omnino proſpiciant, ut quamprimum in ſingulis monaſteriis inſtituatur novitiatus, in quem tam præſentes puellæ, quæ degunt in monaſteriis apud ſeniores, ibique in probatione morantur; quam omnes, quæ in futurum ad monaſticam vitam aſpirabunt, recipiantur. Quæ illuc vel ſuo diſſenſu, vel parentum, aut propinquorum impedimento divertere noluerint, dimitti a monaſterio volumus: nec eis ſuffragetur ſuperiorum temporum abuſus, aut pactio, ſive concordium cum monaſterio, aut monaſterii præfectis alias initum: quam pactionem, ſeu conventionem iniri non potuiſſe declaramus contra commune bonum monaſterii; initam vero non tenere, nec quemquam obligare. In primis vero abolemus, & extinguimus in omnibus provinciæ Aquilejenſis monaſteriis monialium diſcipularum nomen, & uſum, quo ſolebant moniales puellam tam ex conſanguineis, quam ex alienis, recipere in diſcipulam, illamque educare, & uſque ad profeſſionem in monaſtica diſciplina in proprio thalamo exercere. Inde enim, ut eſt ſexus, & ſæculi infelicitas, parum boni oriebatur, utinam nihil vel mali vel ſcandali: in primis vero educationis diſſimilitudo, & educantium diverſitas nihil hactenus effecit, In quo non incompoſitio quædam, & diſſonantia videatur, uniformi aliquando ratione, & diſcipliна temperanda: quod novitiatus unico remedio favente Deo fieri poterit.

A tempore novitiatus e ſeptis monaſterii exire novitiis nullatenus permittatur. In novitiatum nulla recipiatur ſine habitu regulari. Ad habitum nulla niſi major duodecim annorum: at vero antequam inducatur in monaſterium, de libero ejus conſenſu interrogata ab epiſcopo, vel vicario generali, aut aliquo ab eis deputato, inducetur in eccleſiam interiorem, ubi ſacro audito, & accepta ſanctiſſima communione de confeſſarii, aut alterius manu, juxta morem locorum, aſſumet ab eodem habitum regularem, & in novitiatum recipietur; ac finito tempore novitiatus, & probationis, quod minus non ſit anno, ſi decimum ſextum ætatis annum impleverit; (quod ſcripto authentico conſtare debebit) & interrogata ab epiſcopo, vel vicario ejus generali de pio illius conſenſu, & libera voluntate certum teſtimonium dederit, ad profeſſionem recipi liceat. Optamus autem, ut vetus monialium ſolenniter velandarum mos oblivione, ac deſuetudine pene antiquatus ad uſum priſtinum inſtituto & ritu proprio revocetur; modo intra monaſterium fiat.

Novitiatum viſitet ſingulis menſibus abbatiſſa, ſeu prioriſſa cum vicaria, & ſignificet epiſcopo ſtatum illius & puellarum diſciplinam & præfectæ diligentiam.

Uſu pene locorum omnium receptum eſt, ut puellæ, quæ diſciplinæ & educationis locum alibi non inveniunt, in monaſteria conſentientibus epiſcopis recipiantur & ibi pietatem diſcant, & moribus pene eccleſiaſticis inſtituantur; ut, quo ſe contulerint, vel nuptui etiam traditæ fuerint, domos, familias, filios, pietatis ac religionis tacitis quaſi documentis, quod a pio vitæ exemplo colligitur, imbuant & erudiant; quod ad gloriam Dei & ſalutem animarum pertinere nemo negarit. Ne tamen, quod paſſim fit ad commune bonum, communem afferat & inſignem regularibus domibus jacturam: decernimus, (quod multis jam locis factum audivimus, probavimus, ac imitari affectamus) quamprimum monaſteriis monialium, quæ puellarum educandarum ſtudium non refugiunt, aliquam in ipſo monaſterio partem aptari a monialium cellis ſeparatam, in quam recipiantur puellæ educandæ, & ibidem erudiantur. Sit autem una omnium magiſtra, cujus dicto puellæ omnes pareant, a qua una omnes addiſcenda addiſcant: primum doceantur doctrinam Chriſtianam, officium beatæ Mariæ virginis, ſeptem pſalmos pœnitentiales, coronam & roſarium; acu etiam pingere & alia facere, quæ ad ſexum muliebrem honeſtandum & familias induſtria tuendas pertinere poſſunt. Hæ vero ſi ſemel ante finitum educationis tempus exiverint, vel eductæ fuerint a monaſterio, ſpem deponant reſtitutionis.

Salarium pro qualibet puella aſſignatum totum abbatiſſæ, vel prioriſſæ ſolvatur, unde victus puellis, magiſtræ vero aliquid commodi ultra victum propter docendi laborem ſuppeditetur.

Alium educandarum puellarum modum abolemus, ac tollimus, ut jam illa, quæ mercimonii & irreligioſi lucri cupiditatem non olent modo, ſed vere habent, a ſanctimonialium domo, quæ proprium non in re modo, ſed in ipſa voluntate abdegarunt, longiſſime arceantur.

Clauſuram monialium, ſi epiſcopis ſubſint, ordinaria, ſin minus, apoſtolica auctoritate juxta Tridentini concilii decretum ab ipſis revideri, vel apoſtolica delegata auctoritate, vel ordinaria convenit & reformari. In primis circa viridaria & hortos inſpicienda muri altitudo, arborum a muris diſtantia, in ipſis ſeptorum muris foramina tam intus, quam extra, ut diligentiſſime virginum Deo dicatarum conſervationi proſpiciatur. Portas ingreſſus in monaſterium bene muniendas, numquam niſi ex cauſa neceſſaria aperiendas præcipiant. Parlatorii vero interior porta ſera & vecte præſertim claudatur: clavis ab abbatiſſa, ſeu prioriſſa, aut vicaria ſervetur: in parlatorio a parte monialium nihil omnino ſit, quo porta interius obſerari poſſit; ſi fuerit aliquid cum moniali a quoquam agendum, petat ipſa monialis a præfecta monaſterii licentiam & clavem: expedita collocutione obſerata porta clavem reſtituat: in quo ſtatuimus obſervari, ut patres & matres etiam ſine licentia (quoad fratres vero decernimus ſervandum, quod eſt epiſcoporum diligentia hactenus conſtitutum) poſſint ſuas vel filias, vel ſorores alloqui: ſi alius extra hos fuerit, qui alloqui monialem velit, licentiam in ſcriptis ab epiſcopo obtineat: hi tamen non permittantur alloqui ſine licentia abbatiſſæ, ſive prioriſſæ, & præſentia auditricis: ubi vero ordo jam inſtitutus eſt prædicto exactior, ille ibi ſervetur.

Feminis, quæ meretricium exercuerunt, aut quarum honeſtas in dubium revocata aliquando fuit, cum monialibus tractare, loqui, negotium habere nullatenus concedatur, etiamſi cauſa prætendatur honeſta; de qua tamen bene ſuſpicari tutum omnino non eſt.

Epiſcopi ingreſſu nulli concedant, niſi ex cauſa neceſſaria & in ſcriptis; ipſi vero numquam ingrediantur, niſi ex cauſa neceſſaria, & obſervent conſtitutionem Gregorii XIII. latam die 23. Decembris MDLXXXI. ut cenſuras pontificias declinent.

Liber conficiatur in quolibet monaſterio, in cujus parte ſcribantur omnia nomina & cognomina & patria monialium viventium. Sit pars libri attributa ſcriptioni monialium morientium: tertia pars contineat nomina novitiarum cum die, menſe, & anno receptionis: quarta pars habeat profeſſiones cum die, menſe, & anno; & profeſſarum nominibus, cognominibus, & patria.

Præter hunc librum habeatur item liber puellarum quæ educantur: ſcribantur in eo in prima facie paginæ nomina, cognomina, & patria puellarum educandarum cum die, menſe, & anno ingreſſus, & cum aſſignata quantitate pecuniæ, aut illius ſpeciei, quæ fuit attributa pro cujuslibet victu: ex altera parte ſcribantur quæcumque exhibita ex attributis pro victu.

Uterque liber ſit apud præfectam monaſterii, ſive abbatiſſam, ſive prioriſſam, & diligenter cuſtodiatur; & epiſcopo, quandocumque voluerit, ac requiſierit, ſit in promptu: appareat vero, ut in reliquis, in his etiam diligentia illarum, quæ præfecturæ munus ſuſceptum habent, ut laudem mereantur & præmium in cælo bene geſtæ provinciæ.

Multo vero plura ſtatuenda pro bono ſanctimonialium ſtatu viderentur, niſi cogitandum eſſet de domini ſententia, qui cum multa apoſtolos docere & præcipere eiſdem haberet, illa reſervavit quæ portare tunc non poſſent, in aliud tempus extrahenda, cum habiliores ad intelligendum facti eſſent. Nos vero ſi de monialium domibus in provincia bene conſtitutis cogitamus, hæc quæ jecimus fundamenta illo pertinebunt, ut quod præſentibus decretum putavimus, jam factum laudemus: ſi vero illarum rationem habemus, quæ principia & baſes, quibus ſuſtententur, adhuc non habent, ſatis multa ſtatuimus, ut quæ modo portare non poſſint inculcare ſupervacaneum videatur. Quod de reliquis etiam ad gubernium eccleſiaſticum pertinentibus eodem conſilio decreviſſe & ſtatuiſſe nos per Dei gratiam non pœnitebit.

Presbyteros ſæculares ac regulares ſine expreſſa licentia epiſcoporum decernimus non permittendos, ut in eccleſiis monialium epiſcopis ſubjectarum celebrent.

Ac ut laudamus quod multis jam factum locis audivimus, ita ubi non eſt inſtitutum, decernimus inſtituendum, ut muſicas laicorum, ſeu clericorum, in monialium eccleſiis epiſcopi non permittant, niſi licentia præcedente.

Extremum hoc epiſcopos monemus, accurate proſpiciendum, ut incongruæ cuidam rei, quæ inter monialium converſas paſſim viget, occurrant; nec permittant illas a monaſteriis ſuæ diœceſis ad colligendas eleemoſynas extra diœceſim diſcedere ſine literis commendatitiis; ut cognoſcantur unde veniant, & quo, cujuſve rei cauſa, proficiſcantur; aut ad eleemoſynarum collectiones, cum aliunde venerint, non admittant, niſi præfatas commendatitias attulerint; nec adhuc permittantur eleemoſynas colligere, niſi domum ante, in quam diverterint, & in qua permaneant, ipſi notam fecerint.

Supraſcriptas conſtitutiones in provinciali ſynodo prima Aquilejenſi promulgatas, & receptas, de conſilio & conſenſu reverendiſſimorum dominorum coepiſcoporum noſtrorum decernimus in ſynodo prima diœceſana a ſingulis epiſcopis promulgari, & executioni mandari, quatenus epiſcopalis ſolicitudo conficere poterit.

Si qua autem ſuper illis, aut illarum aliqua, circa veram intelligentiam dubitatio emerſerit, illius nobis declarationem uſque ad futuram ſynodum provincialem item de conſenſu eorumdem reverendiſſimorum dominorum coepiſcoporum reſervamus.

Præfatarum vero conſtitutionum diſpoſitionem ſanctæ ſedis judicio ſubjicimus, & confirmationem, & approbationem ab eadem petendam & impetrandam hujus ſanctæ ſynodi Aquilejenſis nomine decernimus omni meliori modo ad laudem omnipotentis Dei. Amen.

Ego Franciſcus patriarcha Aquilejenſis definiens ſubſcribo.

Ego Georgius epiſcopus Petinenſis definiens ſubſcribo.

Ego Cæſar epiſcopus Parentinus definiens ſubſcripſi.

Ego Michael epiſcopus Vincentinus definiens ſubſcripſi.

Ego Jacobus epiſcopus Feltrenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Claudius epiſcopus Polenſis definiens ſubſcripſi.

Ego M. Antonius epiſcopus Cenetenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Albertus epiſcopus Famaguſtanus, coadjutor

ANNO CHRISTI 1596.

tor Veronæ, definiens ſubſcripſi.

Ego Marcus epiſcopus Paduanus definiens ſubſcripſi.

Ego epiſcopus Comenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Aloyſius epiſcopus Tarviſinus definiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus de Pampero, canonicus Utinenſis, ac procurator ſpecialis reverendiſſimi domini Joannis Ingegneri epiſcopi Juſtinopolitani, ejus nomine interfui, ac ſubſcripſi, & omnia & ſingula in hac ſancta ſynodo acta & publicata ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Horatius Buſinus juris utriuſque doctor & presbyter, ac civis Æmonienſis, procurator ſpecialis reverendiſſimi domini Antonii Saraceni epiſcopi Æmonienſis, nomine ejus interfui, & ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſynodo acta, edita & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Valerius Trapola a Collibus, juris utriuſque doctor, & vicarius generalis reverendiſſimi domini domini Matthæi Sanuti epiſcopi Concordiæ, ejuſque in hoc ſpecialis procurator, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia & ſingula in hac ſancta ſynodo decreta, atque edita & publicata, ejus & eccleſiæ nomine recipio.

Ego Gaſparus Pinellus doctor ſacræ theologiæ reverendiſſimique domini epiſcopi Bellunenſis procurator ſpecialis, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſynodo acta, edita & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

*Superiora omnia ſynodi hujus provincialis decreta recognita & approbata fuerunt a ſacra congregatione concilii Tridentini.*

HIERONYMUS CARDINALIS MATTHÆJUS.

In civitate Utini die 28. Octobris 1596. comparuit coram reverendiſſimo domino patriarcha Aquilejæ, *&c.* metropolitano reverendus presbyter dominus Michael Paſſera canonicus Tergeſtinus, & ſpecialis nuntius pro reverendiſſimo domino epiſcopo Tergeſtino ad proponendas excuſationes ejuſdem reverendiſſimi domini epiſcopi in ſynodo provinciali Aquilejenſi, ut patet mandato ſui procuratorii ſub die 26. Octobris ejuſdem anni manu domini Georgii Piccardi notarii Tergeſtini.

Die 11. Novembris 1596. coram eodem reverendiſſimo domino patriarcha metropolitano comparuit reverendiſſimus & excellentiſſimus dominus Joſephus Roboretus, cathedralis eccleſiæ Tridentinæ canonicus, & epiſcopatus Tridentini pro illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino domino Ludovico ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali Madruccio dictæ eccleſiæ epiſcopo vicarius generalis, & ab eodem illuſtriſſimo domino cardinali, ut patet literis dominationis ſuæ illuſtriſſimæ datis Romæ die 19. Octobris 1596. manu propria ſubſcriptis, & ſolito ſigillo obſignatis, ſpecialis nuntius deſtinatus ad ſynodum provincialem Aquilejenſem.

ANNO CHRISTI 1599.

## ** DIAMPERIENSE CONCILIUM PROVINCIALE.

*Habitum anno 1599. ab archiepiſcopo Goenſi in oppido Diamper, quod eſt in Aſia prope civitatem, quæ dicitur ſancti Thomæ.*

Antonius Poſſevinus Societatis JESU doctiſſimus theologus in apparatu ampliſſimo ad bibliothecam ſacram docet illud concilium non tam ſtatuiſſe, quam ad effectum perduxiſſe, quæ ad catholicam religionem, atque ad diſciplinam omnem eccleſiaſticam reſtituendam pertinent. Quod ut planius intelligatur (verba ſunt illius) expedit ut epiſtolæ partem ad noſtros miſſam, ab eo qui toti rei interfuit, huc attexam. Sic autem ſcribit.

ARchidiaconus paulatim ab epiſcopi obedientia omnino ſe ſubtrahit, illumque comitari recuſat, excommunicatos ab archiepiſcopo recipit, patriarchæ nomen delendum negat; multa alia murmurat redolentia impietatem. Paucis poſt diebus archiepiſcopus ſolennem ordinum celebrationem indicit. Archidiaconus autem maximum juriſdictionis augmentum impedire laborat, timorem incutit promovendis, eorumque parentibus, ſed fruſtra. Sabbato ante dominicam paſſionis plurimos ad ſacros ordines promovet, adminiſtrantibus, laudantibuſque univerſis ſacras cæremonias. His abſolutis confert ſe *Carturem*; ut ibi hebdomadæ ſanctioris ſacramenta peragat. Palmarum ramos ſolenni apparatu benedicit, quinta feria in cœna domini ſanctum chriſma conficit; pedes duodecim ſacerdotum abluit lacrymis & aqua; ſanctiſſimum Chriſti corpus de more ſepulturæ mandat. Virtutem Spiritus ſanctus addit ſacris cæremoniis maxima enim hominum frequentia tam divinos intuens ritus divinitus movetur; emolleſcunt lapides, petræ ſcinduntur, fluunt lacrymæ, talia ſiccis oculis contemplari unuſquiſque ſacrilegium ducit, mixtis vocibus lacrymis omnes proclamant; Paſtor hic noſter eſt, nos oves ejus, hunc omnes recipimus, hujus vocem audire volumus. Babyloniæ mercenarii, lupi rapaces abeant in malam crucem, diſcedant a nobis operarii iniquitatis, quoniam dominus magnificavit facere nobiſcum; Romanæ eccleſiæ filii ſumus; hanc omnium eccleſiarum caput eſſe, atque magiſtram confitemur. Talia jam corde credentibus, ore, oculiſque confeſſio fiebat ad ſalutem. Quæ tunc eſſe archiepiſcopi gaudia, qui animi ſenſus, lacrymarum impetus lætificantes civitatem Dei declarabant. Sacroſancto dominicæ reſurrectionis die maxima pompa fit proceſſio. Pater Franciſcus Roz, graviſſimam ad populum habet concionem, eo fructu, ut, ſi quid veneni adhuc reſiduum latitabat, prorſus expelleret, univerſaque civitas cum Chriſto ad veram fidei catholicæ viam reſurgeret. Maximo igitur fructu redit archiepiſ-

*Franciſcus Roz, S. J. qui poſtea ejus ſedis eſt electus epiſcopus.*



ANNO CHRISTI 1599.

copus eo conſilio, ut ſi nolit obedire archidiaconus, hunc deponat, alterum conſtituat. Itaque ad illum literas mittit, admonens ut reſipiſcat, & intra ſex dies quibuſdam conditionibus acceptis Viapicottam ſe conferat; ſin minus, anathemate, utpote pertinacem hæreticum ſciat ſe publice feriendum eſſe. Ipſe metu perculſus reſpondet conditiones oblatas ſe accipere, eique in omnibus obedire paratum eſſe. Interim patrem Franciſcum Roz rogat per literas ut eo ſe conferat, ubi ipſe ſtatutam diem expectabat. Pater paterno affectu admonet, hortatur, obſecrat, finem imponat ſcandalis, miſereatur animæ ſuæ, in quot pericula ſe conjiciat, contempletur: antiſtitis clementiam & facilitatem agnoſcat, non abutatur patientia Dei ad pœnitentiam ipſum vocantis; ne ponat ſpem ſuam brachium carnis, ſciat reges omnes infideles, quorum auxilio defectionem aggreſſus erat, ei futuros parum fideles. Victus ille tandem, ſive verbis patris, ſive metu, accedit ad archiepiſcopum: pius pater filium prodigum amplectitur, largitur veniam, crucem precioſiſſimam in amoris ſignum donat, majora promittit, ſi perſtet in bono. Sequenti die in eccleſia indicit concilium provinciale ad hæreſes extirpandas, mores corrigendos, ſuperſtitiones evellendas, omnia demum ad divinum cultum ſpectantia componenda. Convocantur per literas omnes eccleſiaſtici ex omnibus oppidis præcipui viri quatuor ſtatuta die. Maxima omnium lætitia, ſummoque omnium conſenſu celebratum eſt in oppido Diamper, in quo hæreſes omnes, earumque auctores ſectatoreſque, præcipue Babyloniæ patriarcham anathematizarunt, Romanum autem pontificem Chriſti vicarium, & eccleſiæ caput agnoverunt; eique obedientiam promiſerunt; nullumque epiſcopum, niſi a Romana ſede deſtinatum recepturos ſe ſacramento obſtrinxerunt. Sub finem ſingulis eccleſiis parochi deputati ſunt, quod quidem in hac diœceſi novum fuit. Ad eorum ſuſtentationem mille aureos e ſuis redditibus quotannis ipſe archiepiſcopus aſſignavit. Inſumpſit in hac viſitatione pius paſtor fere ſex & decem millia, ſed fructu milleſimo. Peracta ſynodo archiepiſcopus totam diœceſim viſitare aggreditur, ut executioni mandentur, quæ legitime decreta fuerant in concilio. Statim igitur proficiſcitur Angamale (metropolis eſt diœceſeos, & epiſcopi ſedes) excipitur ab omnibus maximo triumpho. Ipſum ſolum ſtratum candidis linteaminibus, floribus, frondibus reſperſum. Præibant triginta fere viri ex nobilioribus læto tripudii genere, ſubſequabantur alii ludentes armis maxima celeritate, plaudebat immenſa hominum multitudo manibus, vocibus, tympanis, tubarum ſono, magnis acclamationibus aerem complebant, nec deerant bellica inſtrumenta, quæ ex tanti viri adventu acceptam lætitiam ceteris teſtabantur. Hic quatuor in eccleſiis ſacro chriſmate maximum hominum numerum confirmat; Sacerdotes, clericique, qui concilio non interfuerunt, publice hæreſes & patriarcham abjurant: Romano pontifici obedientiam ſpondent, ſicut in concilio ſancitum fuerat. Interim pater Franciſcus Roz, & ego, libris examinandis incumbimus, delemus, ſcindimus, integra volumina in ignem conjicimus: quanta animi voluptate, explicare non poſſum. Duodecim pene dies in hoc labore conſumpſimus: volumina enim omnia tam defuncti epiſcopi, quam aliorum ſacerdotum, fidei catholicæ puritati, aut flammis reſtituimus. Miraculo tribuebant omnes hoc opus; adeo enim prius libris ſuis addicti erant, ut a nobis nec aperiri paterentur. Jam vero pro libito eos abradere, detruncare, integroſque comburere non moleſte ferebant. Proſecutus eſt archiepiſcopus viſitationem, maxima, ut ipſe teſtabatur, animi ſuavitate. Ubique excipiebatur ut paſtor bonus, ipſeque boni paſtoris officium exequebatur; confirmabat, pueros baptizabat, uxorati ſacerdotes expellebant ſocias; pueris puelliſque, indutus pontificiis veſtimentis, doctrinam Chriſtianam per alumnos noſtri ſeminarii maximo fructu tradebat, concionabatur quotidie, perpetuas eleemoſynas pauperibus erogabat; accurrebant reges ſinguli Malabarum, ut viderent talem virum, tam humiliter benigneque oviculas ſuas tractantem. Ipſe res omnes ad eccleſiæ bonum ſpectantes ſtatuabat, ſuperpellicia, capſulamque chriſmatis, aram conſecratam, veſtes ad faciendum ſacrum neceſſarias in ſingulis eccleſiis collocabat. Baptizandi, inungendi infirmos, nuptias celebrandi modum a patre Franciſco Roz e Latina in Syriacam linguam converſum, una cum doctrina Chriſtiana lingua Malavarica conſcripta ſingulis parochis tribuebat: libros ubique examinabamus; expurgatis eis maxima diligentia, jam hujus eccleſiæ faciem alteram diceres: ubique enim in eccleſiis ſummi pontificis nomen reſonat: Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, aliorumque ſanctorum quos catholica veneratur eccleſia, nomina ſanctiſſima exaudiuntur. Obmutuit Neſtorii, aliorumque hæreticorum impudentiſſimum os. Sacramentorum uſus de more eccleſiæ Romanæ frequentior, maximam denique in omnibus ager dominicus ubertatem promittit in ſegete. Hæc in genere: nam minutiſſima quæque ſcribere eſſet immenſum. Patres ſocietatis noſtræ proximorum ſalutis amore, indefeſſum laborem devorabant, ducebant archiepiſcopum, reducebantque, in omnibus concilii, ſtudii, laboris participes effecti, (ut melius dicam) auctores. Agnoſcit ipſe archiepiſcopus noſtram operam, prædicat diligentiam, laudat ſocietatis inſtitutum.

*Hæc Joannes Maria Camporeus ſocietatis noſtræ, ex collegio ejuſdem ſocietatis S. Crucis, Vaipicottæ in India orientali 28. Novemb. anno 1599. qui etiam adjecit quibus quiſque Neſtorianorum liber ſcatebat erroribus, quæ quidem omnia apud nos extant ab eodem ſcripta.* Hactenus Poſſevinus.

ANNO CHRISTI 1605.

# VITA
## LEONIS PAPÆ X.
## VULGO XI.

LEo hujus nominis decimus, Alexander Medices ante vocatus, patria Florentinus, Coſmi magni ducis Etruriæ conſobrinus, ex cardinale ſanctorum Joannis & Pauli (quem titulum virtutibus ejus debitum Gregorius XIII. ei contulerat) Clementi VIII. in pontificatu ſubrogatus eſt quarto Nonas Aprilis, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinto, imperante Rodulpho II. Ante pontificatum, archiepiſcopatu etiam Florentino fungens, a Clemente VIII. ad Henricum IV. Galliæ regem anathemate jam ab eodem pontifice expiatum, legatus de latere miſſus eſt: ubi per annos duos moratus, legatione bene geſta, & pace tandem inter potentiſſimos Galliæ & Hiſpaniæ reges A conſtabilita, Ferrariam, ubi Clemens agebat, profectus, magno pontificis & cardinalium præſentium applauſu exceptus eſt. Quando vero ad gubernacula eccleſiæ admotus eſt, tantam ſtatim omnium ordinum ſpem de ſe concitavit, quantam inſperata & nimis accelerata mors conſternationem omnibus attulit. Nam cum ad ſanctum Joannem Lateranenſem poſſeſſionis capiendæ cauſa, de more, celeberrimo comitatu ſe contuliſſet; a maximis ſudoribus ſubito refrigeratus in morbum graviſſimum incidit, ex quo vigeſimo ſeptimo Aprilis ejuſdem anni, poſtquam viginti quinque dies eccleſiæ præfuiſſet, in humanis eſſe deſiit.

# VITA
## PAULI PAPÆ V.

PAulus V. Camilli Burgheſii nomine ante dictus, patria Romanus, Antonio Burgheſio Senenſe, advocatorum conſiſtorialium decano, & Flaminia Aſtallia, rari & incomparabilis exempli femina prognatus, poſt referendarii utriuſque ſignaturæ & auditoris cameræ munera bene geſta, poſtque legationem apud regem catholicum in re ardua feliciter peractam, ex cardinale tituli ſancti Chryſogoni, communi omnium ſuffragio, viva voce pontifex renuntiatus eſt 16. Maii anno ſalutis 1605. imperante Rodulpho II. coronatus vero 29. Maii ipſo ſolenni die pentecoſtes. Pontificatum a promulgatione jubilæi, & reipublicæ Chriſtianæ ubique ſtatu in melius commutando exorſus eſt. Crebris literis principes ad propulſandos ab Hungaria Turcas concitavit, pecuniam militemque in belli ſocietatem miſit. Eodem tempore regi Poloniæ Sigiſmundo poteſtatem fecit jungendi ſibi Conſtantiam Auſtriacam, cujus ſororem habuerat in matrimonio, ut denuo Germanicas & Polonicas vires in finitimum Turcam alioſque communes hoſtes renovata affinitate conjungeret. In Urbe Vaticanum divi Petri templum, opus integri ſæculi continuata molitione conditum, adhuc ſemiperfectum, porticu, & aliis acceſſionibus adjunctis, abſolvit. Virgini Mariæ magnificentiſſimum ſacellum in baſilica Eſquilina ædificavit. Vaticanum & Quirinale palatia amplificavit, & ornavit: Romamque innumeris ædificiis illuſtravit, & marmoream reliquit. In Italia Veneti patres quædam ſibi arrogabant, quæ ſibi licere jure imperantis reipublicæ arbitrabantur: Paulus, qui prætextu firmandæ ſæcularis potentiæ pontificiam auctoritatem minui, & libertatem eccleſiaſticam labefactari ſentiebat, ſeverius animadvertere compulſus eſt. Timebatur quorſum hæc forent evaſura, cum gliſcente malo Galliæ Hiſpaniæque reges repetitis officiis & precibus opB portune intervenere. Quo quidem tempore rem eccleſiaſticam præclare geſſit Maphæus Barberinus, apoſtolicæ ſedis in Gallia internuntius; paulo ante Vaticana purpura decoratus. Hinc res amice tranſacta, & ab inclyta republica diſceptationibus in obſequium verſis, pontifex eam priſtina benevolentia complexus, impendentem Italiæ nubem diſcuſſit, quam ſtatim tranquillitas eſt conſecuta. Confeſtim Paulus curarum molem vertit in Germaniam, rebuſque inter Rodulphum imperatorem ejuſque fratrem Mathiam compoſitis, impenſe operam dedit, ut inter catholicos Germaniæ principes C fœdus iniretur adverſus unionem hæreticorum, qui teterrima in Romanæ fidei perniciem conſilia ceperant. Primo quidem bellum anceps, & dubii eventus videbatur: moritur Mathias imperator, ſuccedit Ferdinandus. Bohemi proceres, legitimo principe recuſato, Palatinum Rheni accerſunt, regem ſibi creant, & catholicis ultima minantur. Deo auſpice, & Maximiliano Bavariæ & Chriſtiani exercitus duce, una cum Cæſarianis legionibus furori ſectariorum obviam itum. Hinc catholica res ſummo periculo exempta, ſuperati Bohemiæ ſaltus, fugati, & cæſi ad ſatietatem hoſtes, capta Praga, urbs belli D caput, recepta Bohemia, Moravi, Sileſii ſubacti: afflicta, pulſa, oppreſſa hæreſis. De quibus Paulus certior factus, ad Teutonicum virginis templum ſupplicatione decreta, gratulatus eſt vindici Deo victoriam. Sed quanta vi Paulus hoſtes eccleſiæ conabatur opprimere, tanto ſtudio pacem catholicorum principum amplexus, diligenter cavit, ne qua labaret ex parte: exortoſque tumultus oppoſita majeſtate compeſcuit. Bella inter Maximilianum Bavariæ ducem & Saltzburgenſes, Carolum Emanuelem Sabaudiæ ducem & Ferdinandum Gonzagam in ditione Monferratenſi, Venetos & arciducem Grecienſem ad Gradiſcam in Carnorum finibus per



ANNO CHRISTI 1605.

per legatos ſuos ſedavit & extinxit. Nec minore cura religionem ubique tuebatur quam pacem. Catholicos in Britannia fidei cauſa laborantes, pontificiis literis admonuit, ut poſtulatum ab hæretico rege jusjurandum fidelitatis non offerrent, quod ſectarii ad infringendam Romani pontificis auctoritatem obtruſerant. Ad Indos promulgando evangelio presbyteros tres ſocietatis Jeſu, & e ſanctorum Auguſtini, Dominici, & Franciſci familiis crebro miſit: Carmelitas excalceatos in Perſidem, magno fidei catholicæ incremento. Eodem auſpice Serræ Leænæ in India rex, ejuſque duo germani fratres, & liberi quatuor, ad vitæ fontem barbariem ſimul & impietatem eluerunt. A patriarchis Melchiſedeco Armenio, & Petro Maronita, legatos benigne ſuſcepit, Romæ perdiu laute largiterque aluit, muneribus in digreſſu donatos domum ſui amantiſſimos remiſit. Armenio quidem profitendæ fidei formulam Arabico ſermone conſcriptam tranſmiſit, juſſitque in miſſæ ſacrificio aquam cum vino miſcere; atque ex triſagio celebri hymno auguſtiſſimæ Trinitatis, quædam quæ irrepſerant verba rejicere. Petro Maronitarum patriarchæ, qui Libanum montem incolit, multa petenti plura largitus eſt, auctumque argenteis haud vulgari opere vaſis & ſacerdotali ſupellectile mirifice recreavit. In ejus gratiam precationum eccleſiaſticarum breviaria, quæ antea manuſcripta illi nationi paulatim vetuſtas ſubducebat, Romæ novis typis in eam rem fabricatis mandavit excudi. Epiſcopis Græciæ ſolicite providit, patreſque e ſocietate Jeſu cum Gallico oratore Conſtantinopolim ad rem catholicam fovendam profectos enixe juvit: alios Belgradum dimiſſos, & alios in ultima Sinarum regna ſolventes, donis ampliſſimis cumulavit. Porro is operæ fructus præter ceteros extitit non pœnitendus, quod honorificentiſſimis legationibus celebrata eſt Romana ſedes. Alvarus Congi rex Antonium Nigritam, ut per eum ad pedes pontificios ipſe procumberet, Romam miſit. Ex torrida mundi plaga, Demetrius Moſchorum A dux per certos homines veneratus eſt Pauli majeſtatem. Rex Voxius e Japonia promoturum ſe rem Chriſtianam ſpopondit. Perſarum rex ab ultima Aſia faſtigium pontificis coluit, etſi poteſtatem magis quam religionem veneratus. Nec ſi tantus apud exteros, minor interim Paulus auctoritate regnavit in ſuos, quorum præſertim utilitati, otio, & ſecuritati, ſi quis alius, invigilavit. Armamentaria Bononiæ, Anconæ, Ferrariæque paravit; Ferrarienſem arcem a Clemente VIII. inchoatam in opportuniorem forB mam redegit, & perfecit. Ædificationem portus ad Centumcellas, jampridem cœptam, lentoque opere ſub aliquot pontificibus provectam, promovit. Anconæ portum dilatavit, repurgavitque. Padum Bononienſium, Ferrarienſium, & Ravennatum agros exundantem coercuit. Egit cum Coſmo Etruriæ magno duce, ut Clanis fluvii laxati obices arctarentur, ne plus æquo in Tiberim erumperet, unde plana Urbis inundarentur. Vias publicas munivit ac ſtravit: fluvios pontibus junxit: veterem Anienis, a NarC ſete factum; collabentemque alterum ſuper Lirim reſtituit, novum in Umbria Nari impoſuit. Paulam aquam, magnum aquæ flumen, xxxv. ab Urbe milliario, ex agro Braccianenſi opere ſubterraneo & arcuato, veteribus aquæ Alſietinæ ductibus reſtitutis, noviſque additis, partim in Janiculum, partim in urbem Leoninam deduxit. Accedebat tanto pontifici inſignis pietas, & religionum arbitro digna religio. Mane præter horarias preces, aliis vacare ſolitus, quotidie animæ noxas confeſſione expiabat, & D ad aram, oblata laudis hoſtia, divino epulo paſcebatur. Uſum euchariſtiæ ſumendæ longe frequentiorem in urbe inſtituit, atque ex divino ærario depromptis indulgentiis largiſſime ditavit. Franciſcam virtutis pluſquam Romanæ feminam, & Carolum Borromeum, in cœtum ſanctorum tranſcripſit. Tantis rebus geſtis, cum ſexdecim prope integros annos pontificatum tenuiſſet, & annos 68. menſes 6. dies 11. vixiſſet, obiit Paulus die 28. Januarii anni 1621.

ANNO CHRISTI 1607.

# ** CONCILIUM MECHLINIENSE PROVINCIALE

Celebratum anno domini MDCVII. tempore Pauli V.

*CONVOCATIO CONCILII provincialis Mechlinienſis.*

Mathias Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Mechlinienſis, reverendiſſimis dominis epiſcopis comprovincialibus ſuis, totique clero, & univerſo populo diœceſis ac provinciæ Mechlinienſis, ſalutem in domino.

*DOcet nos evangelium, dormientibus hominibus, in agro dominico ab inimico ſuperſeminari zizania: quo fit ut in eccleſia Dei nunquam hæreſes, nunquam deſint ſcandala. Quapropter maxime neceſſarium eſt non dormire, ſed ſemper vigilare paſtores eccleſiæ, ut in ea, vel non ſuperſeminentur depravatæ doctrinæ morumve zizania, vel ſi ſubnaſci aliqua cœperint, tempeſtive opprimantur, aut evellantur. Atque ideo etiam conſuetudinis ſemper fuit, jam inde ab apoſtolorum temporibus, in eccleſia Dei ſynodos &* E *concilia cogere; per quæ ſuperiorum eccleſiaſticorum communi vigilantia, conſilio ac decreto, dictis malis occurreretur, & ſana doctrinæ puritas & morum integritas illibata conſervaretur; ut ex omnium ſæculorum hiſtoriis, & conciliorum decretis, quæ etiamnum in omnium manibus ſunt, manifeſtiſſime conſtat. Quapropter etiam ſacroſancta ſynodus Tridentina merito mandavit omnibus metropolitanis, ut ſingulis trienniis convocatis omnibus comprovincialibus ſuis, provinciale concilium celebrent. Eidem ſacro decreto, mox a dicto ſacroſancto concilio Tridentino abſoluto, anno ſcilicet ſeptuageſimo, Mechliniæ obedire voluit illuſtriſſimus & reverendiſſimus D. cardinalis Granvellanus, piæ memoriæ, primus archiepiſcopus Mechlinienſis, quantumvis ob neceſſarias cauſas extra provinciam ſuam degens: ac deinde rurſum anno ſeptuageſimo quarto Lovanii. Sed cum*

anno

ANNO CHRISTI 1607.

*anno ſeptuageſimo octavo ingraveſceret bellum civile, & mox tota hæc regio ferro flammaque tradita videretur: ſic ut ſeptem civitatum epiſcopalium hujus provinciæ duæ tantum immunes manerent ab oppreſſione hæreticorum; ac proinde omnia paſſim capitula diſpergerentur, monaſteria exterminarentur, parochiales eccleſiæ devaſtarentur, itinera denique omnia latronibus infeſtarentur, totuſque clerus proſcriberetur proſtigareturque: neceſſario intermitti debuit ſanctum hoc opus cogendorum conciliorum provincialium, cum tamen iis alioqui maxime opus videri poſſet, ob effuſam ubique hæreſim, & morum corruptelam. Nunc autem per Dei miſericordiam, & regis ac principum noſtrorum catholicorum non minus ſumptuoſam, quam laborioſam ſolicitudinem nonnihil mitigata calamitatis acerbitate, re communicata cum reverendiſſimis fratribus noſtris comprovincialibus, ac cum venerabilibus dominis in Chriſto nobis plurimum dilectis decano & capitulo eccleſiæ noſtræ metropolitanæ, necnon cum vicariis noſtris, ſynodi provincialis convocationem exiſtimavimus non diutius differendam; ſed eam proxima hac æſtate, Deo opitulante, celebrandam; idque prout etiam ſereniſſimæ [a] S. celſitudini viſum eſt, in civitate Mechlinienſi, eccleſiaque noſtra metropolitana. Quapropter reverendiſſimos in Chriſto patres, ac fratres, Gandenſem, Silvaducenſem, Ruremundanum, Brugenſem, Antuerpienſem, & Iprenſem, ipſorumque cathedralium eccleſiarum capitula, ac alios quoſcumque qui de jure vel conſuetudine concilio provinciali intereſſe debent, ſerio requirimus, hortamur, & monemus; & nihilominus pro auctoritate noſtra archiepiſcopali, eiſdem, & eorum ſingulis, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis a jure ſtatutis, diſtricte præcipimus ac mandamus, ut per ſemetipſos, aut ſi forte juſto detineantur impedimento (de quo competentem fidem facere tenebuntur) ſaltem per procuratores ſuos legitimos, ad dictam ſynodum, & concilium provinciale in dicta civitate Mechlinienſi celebrandum, die vigeſima quinta Junii, poſtridie ſcilicet S. Joannis Baptiſtæ præſentis anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptimi, conveniant ac compareant. Ipſique reverendiſſimi comprovinciales noſtri, quoſcumque ſuarum diœceſium reſpective abbates, prælatos, capitula & conventus, alioſque qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent ad hanc ſynodum, tunc quoque comparere faciant; ad nobiſcum, de modo & ratione, quibus errantes a fide ad eccleſiæ gremium revocari; vitia, abuſus, & ſcandala tolli; & eccleſiaſtici officii ratio in melius reformari valeat, aliiſque ad hanc rem pertinentibus & neceſſariis, tractandum, conſultandum, ac demum per nos cum præfatis reverendiſſimis fratribus & coepiſcopis ſuffraganeis noſtris prout opportunum videbitur, Deo aſpirante, concludendum, decidendum, & ſtatuendum. Ut autem præſentes noſtræ literæ, ad omnium, quorum intereſt, notitiam perveniant, earum exempla per ſecretarium noſtrum ſubſignata, ac contraſigillo noſtro munita, valvis ſingularum eccleſiarum cathedralium noſtræ provinciæ, necnon collegiatarum ſancti Petri Lovanii & S. Gudilæ Bruxellæ affigi volumus; ac eos, quos concernunt, ſic arctari, ac ſi ipſiſmet coram prælecta & inſinuata forent, decernimus & declaramus: cum intimatione, quod ſive ad dictam diem comparuerint, ſive non, nos nihilominus ad dictæ ſynodi provincialis celebrationem procedemus, & procedi faciemus prout juris fuerit & rationis, abſentium contumacia in aliquo non obſtante. Datum Mechliniæ in palatio noſtro archiepiſcopali pridie Kalendas Martii, anno domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo.*

[a] ſerteſuæ. H.

De mandato reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini archiepiſcopi Mechlinienſis.

*Jac. van. Saſſeghem. ſecret.*

## DECRETUM.

*Quod nulli præjudicium fiat ex ordine evocationis aut ſeſſionis in hac ſynodo: pronunciatum a ſecretario concilii, die* XXVI. *Junii anni* MDCVII.

HAbita cum noſtris confratribus epiſcopis comprovincialibus ſuper ordine eccleſiarum matura communicatione; de ipſorum conſilio & aſſenſu, ad evitandas quæſtiones, quæ inde in principio oriri poſſent, declaramus omne id ſine præjudicio ordinis & honoris futurum, quicquid in præſenti provinciali concilio accidet, ex eccleſiarum evocatione, aut deputatorum ſeſſione: quodque nemo per hoc aliquid novi juris quoquo modo prætendere poterit in futurum. Ne tamen quæſtiones de ordine eccleſiarum cum alicujus injuria diſſimulare velle videamur, liberum erit omnibus, ſuo tamen loco, rationes ſi quas habeant, proponere a patribus examinandas.

*Oratio exhortatoria habita per reverendiſſimum & illuſtriſſimum dominum archiepiſcopum Mechlinienſem ad univerſum clerum in concilio provinciali jam congregatum.*

## REVERENDISSIMI PATRES,

### REVERENDI, AC VENERABILES DOMINI.

GRatias divinæ bonitati ago, quæ in dira hujus belli tempeſtate animos veſtros permovit, voſque in itinere ſic conſervavit, ut ad hunc ſacrum cœtum ſalvi conveniretis: ubi jam mihi incumbit vobis aperire cauſas hujus convocati concilii, & ejus celebrandi modum aliquem proponere. Quod quidem non videor commodius facturus, quam ob oculos ponendo exhortationem pientiſſimi & zeloſiſſimi principis Nehemiæ, cujus hæc ſunt verba: *Vos noſtis afflictionem, in qua ſumus, quia Jeruſalem deſerta eſt, & porta ejus conſumpta ſunt igni. Venite, & ædificemus muros Jeruſalem, & non ſimus ultra opprobrium.* (2. Eſd. 2.) Qua quidem exhortatione vir ſanctus ac prudens alloquitur contribules ſuos de tribu Juda & Benjamin, jam ex Perſica captivitate reduces, qui cum ipſo in afflictione erant; eo quod templum invenirent conflagratum, ac nata in eo virgulta & arbuſta; ſacerdotes levitaſque profligatos, clauſa jam ora canentium dominum, defeciſſe ſacrificia, officiaque divina, (Eſd. 13.) neglectas plane contemptaſque ſanctæ legis cærimonias, (Pſal. 105.) muros Jeruſalem devaſtatos, populum commixtum fuiſſe inter gentes, & didiciſſe opera eorum; bonam denique Iſraelitarum partem adhuc inter atheos detineri captivam; ac præter hæc omnia, ſe undique Dei ſuiſque hoſtibus circumcingi; idque (quod plurimum eos angebat) propter ipſorum peccata, dicente Jeremia propheta: (Tren. 1. Dan. 3. 1. Eſd. 9. 2. Eſd. 8.) *Peccatum peccavit Jeruſalem, & ideo inſtabilis facta* eſt.



ANNO CHRISTI 1607.

Quod etiam flebiliter Deo confitebantur Daniel, Eſdras, & Nehemias. Sed hæc illorum afflictio fuit. Nunc noſtram inſpiciamus, neque ei abſimilem reperiemus. Quot enim nunc templa exuſta? Quot monaſteria paſſim vaſtata? Quot altaria everſa, quot polluta vidomus? atque utinam non multo plura viva Dei templa præteriti temporis tempeſtate, non tantum in Hollandia, Zelandia, Geldria, Friſia, ac Tranſiſulana, verum & in multis Brabantiæ locis, diabolo ceſſiſſent! Quot infauſtis hiſce temporibus abuſus, quot ſcandala ſubnata ſunt? Dei miniſtrorum numerus quomodo imminutus eſt, ut, cum in ſingulis pene parochiis plures eſſe ſolerent, qui laudes Deo perſonarent, cultum divinum ac ſacrificia ad Deum populo placandum concelebrarent, necnon verbo Dei ſanctiſſimiſque ſacramentis populum paſcerent, nunc in oppidis quidem pauci ſint, in pagorum multis eccleſiis nulli: & inter eos ipſos, quos populi neceſſitatibus divina clementia reliquit, heu! quam multi adhuc neceſſariis vitæ deſtituti? Quam multi denique morum correctione indigent? Scholæ grammaticales pleræque omnes defecere; catechiſticæ paucæ ſunt; pauca ſeminaria ſacerdotum, eaque ipſa parum dotata. Et quod omnium maxime deplorandum eſt; quam multis in locis officium divinum Deum populo irritat magis quam conciliat, ob id celebrantium nauſeam ac præcipitantiam, ob paramentorum ſordes & contemptibilem vilitatem, atque ob veterum ſanctarum auguſtarumque cærimoniarum neglectum & contemptum? Quantum in multorum animis, ex converſatione cum hæreticis hic multis annis paſſim dominantibus, pravi fermenti hæſit, imo & hæret etiamnum? Quot in populi manibus pernicioſi relicti ſunt libri, ceu quædam gentium idola? Et ut mala cuncta breviter recenſeam; quantus denique numerus fratrum, conſanguineorum, & amicorum noſtrorum adhuc ſub diro illorum jugo in vicinis provinciis detinetur, cum graviſſimo periculo animarum ſuarum? Quæ quidem omnia in vindictam peccatorum noſtrorum idubie patimur, dum gratiam Dei in vacuum accepimus; (2. Cor. 6. Luc. 13. Matth. 21. 2. Theſ. 2. Nu. 21.) dum arida ligna manſimus, non reddentes fructum domino vineæ, neque caritatem veritatis habuimus; dum anima noſtra nauſeavit ſuper manna noſtro, nimirum verbo Dei, & ſacroſanctis ſacramentis, quaſi cibo leviſſimo; & domus orationis, cultuſque divini neglecta, ſordibus horruit, & non niſi ſolis labiis in ea Deus honorari viſus eſt. (Apoc. 3.) Sane his & infinitis aliis eccleſiæ Belgicæ malis qui non affligitur, qui non uritur, ob hæc qui non gemit, aut pie luget, nec calidus eſt, nec frigidus; & nullius minus, quam Eſdræ, quam Nehemiæ imitator. Quid ergo a nobis omnibus hæc eccleſiæ Dei facies requirit, patres reverendiſſimi & fratres, quotquot adeſtis, cariſſimi? Anne, ut ſuaviter ſedentes, otioſi, ſpectemus ipſius collabentis miſeriam, nec aſcendamus ex adverſo opponentes murum pro domo Iſrael? (Ezech. 13. Amos 6. Luc. 10. Ezech. 34.) Nihil patientes ſuper contritione Joſeph? & quaſi per viam, id eſt, obiter & ex occaſione tantum ſalutantes ac ſalvantes ſubditos noſtros, lana honoris, & lacte utilitatis ex grege nobis commiſſo contenti, ac interim quod perit, non requirentes? Abſit, abſit inquam. Quia, teſte D. Aug. (Ep. 148.) *ut nihil eſt in hac vita, & maxime hoc tempore, facilius, lætius, & hominibus acceptabilius, epiſcopi, presbyteri, aut diaconi officio, ſi perfunctorie, atque adulatorie res agatur; ita nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius.* Et quidem videri poſſemus perfunctorie egiſſe, quod dictis malis per concilium occurrere non ſtuduerimus, præſertim id ſerio mandante ſacro concilio Tridentino: verum id ob belli impedimenta, ac ſpem rerum tranquilliorum, ac proinde etiam majoris fructus, uſque nunc differendum prudenter judicabat illuſtriſſimus & reverendiſſimus Octavius Frangipani, archiepiſcopus Tarentinus, nuncius apoſtolicus, pridem hinc digreſſus. Nimirum, quia poſuit præteritis annis Deus tenebras, & facta eſt nox; (Pſal. 103.) in ipſa pertranſierunt omnes beſtiæ ſilvæ, brutales nimirum illi itinerum infeſtatores; necnon etiam hæretici, ut catuli leonum rugientes, ut rapiant eſcam ſibi, animas a Deo deſertas. Sed dum nunc videtur oriri ſol induciarum, & ſperatæ pacis, & in cubilibus collocantur hi catuli, juſſi nimirum intra ſua præſidia ſe continere: exibit homo ad opus ſuum. Tempus ſcilicet eſt, ut pro nunc operi accingamur, nunc bona conſilia ineamus ad mundanda ſancta, & renovanda, (1. Mach. 4.) ne diutius quieſcentibus nobis exprobret per prophetam ſuum Zachariam Deus: *O paſtor & idolum, derelinquens gregem.* (Zachar. 11.) Si ſcilicet cum oculos, ut idolum, habemus, nec tamen oſtendamus nos videre abuſus, & ſcandala per nos corrigenda: pedes, ut idolum, ſed perambulare gregem dominicum non lubeat; nec clamemus in gutture noſtro, quantumvis lupum graſſari intelligamus: nares quidem habeamus, nec tamen ſubodoremur quo hæc mala tendant omnia, quid nobis, quid ovibus noſtris ſint allatura. Conſilio igitur Nehemiæ acquieſcamus, & quid porro dicat audiamus: *Venite, & ædificemus,* inquit, *muros Jeruſalem.* (2. Eſd. 2.) Qua quidem exhortationis voce *venite* nullam profectionem corporalem requirebat, jam exiſtentibus in Judæa hæc loquens; ſed animorum conjunctionem in opus, quod præ manibus erat, quam & obedienter mox præſtabant, dicente ſcriptura: (1. Eſd. 2.) quod congregata ſint in opus quadraginta duo millia virorum, quaſi vir unus; id eſt, omnes in eundem ſcopum collimantes, omnes id ipſum concorditer agentes. Quod & nobis omnibus ad hanc congregationem convenientibus ſummopere obſervandum erit, ut ſimus, quaſi vir unus, & nihil æque caveamus, atque contentionis ſtudium; quo (quod abſit) oboriente, nihilo amplius fecerimus, quam qui turrim Babylonicam moliebantur jam diviſis inter ſe linguis. (Gen. 11.) Rogo itaque vos omnes obedire apoſtolo dicenti: (1. Cor. 1.) *Obſecro autem vos, fratres, per nomen domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Proponere quidem, & ſuggerere cuique licebit, quod ad rem pertinere putaverit; ſed ut hoc non niſi ſuo loco & ordine fiat, nec importuna ſuggeſtione quiſquam perturbet, ſignificabuntur omnibus capita ſeu tituli agendorum, & eorum ordo, quo ſuo loco & tempori quiſque ſuum conceptum reſervet. Interim vero ſapere apud ſemetipſum, aut, quod hinc naſci ſolet, pro ſententia ſua, quam Chriſtiana humilitas aliorum judicio ſubjicere mandat, decertare aut contendere nemo præſumat, memor dicti apoſtolici: (1. Cor. 11.) *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia Dei.* Et alte quiſque recogitet admonitionem Jacobi apoſtoli, qui cum initio capitis tertii epiſtolæ ſuæ dixiſſet; (Jacob. 3.) *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quia*

ANNO CHRISTI 1607.

*quia majus judicium ſumitis*; addit in fine: *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens a patre luminum, ſed terrena, animalis, diabolica.* Et porro judicans, quando quis exiſtimare poſſit ſe vere ſapere, ſubnectit: *Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens.* O vere aurea verba! quæ vel ſola merito ſufficiant ad hæreſes omnes extinguendas, ad pertinaces omnes confundendos, ad diſcordes omnes conciliandos. Quare qui pudicam non habet ſapientiam, id eſt, non verecunde ſententiam ſuam profert; qui modeſtam ſapientiam non habet, id eſt, non humiliter de ſuo judicio ſentit; qui bonorum ſuaſionibus acquieſcere reſpuit, ideoque ſuadibilis non eſt; qui non veretur a bonis diſſentire; liquide cognoſcat non eſſe ſapientiam ſuam de cælo a patre luminum, ut pro ejus defenſione contendere debeat. Et magnopere præterea nobis conſiderandum eſt, quod de naſcente eccleſia refert beatus evangeliſta Lucas, nimirum fidelibus fuiſſe omnibus cor unum, & animam unam: quorum hic, ſi unquam alias, fidos imitatores nos eſſe convenit: unde & ſe quiſque ſuſpectum habere debet, ne ſui ſenſus amantior impios Sanaballath & Tobiam plus referat deſtruentes, quam pios Nehemiam & Eſdram ædificantes: nam, ut ait ſapiens, *Unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor?* Sed pergamus, & quid porro Nehemias moneat, videamus. Poſtquam enim is poſt verbum (*venite*) animorum unionem indixerat, non minus quid nobis nunc, quam quid illis tunc agendum erat, conſequenter deinde expreſſit: *Ædificemus*, inquit, *muros Jeruſalem*. Ad id nempe, quadraginta duo millia virorum convenerant, huic operi, quaſi vir unus, incumbebant. Illud ipſum & nobis nunc cordi ſit, huic ſedulo intendamus, ad quod tanto numero convenimus: nam hæc eſt ratio, hic unicus ſcopus hujus convocati concilii, ut videlicet unanimi ſtudio, & ut ſapientes architecti, eccleſiæ collapſa reſtauremus, angulari lapidi pie ſuperædificantes. At videat unuſquiſque, inquit apoſtolus, quomodo ſuperædificet: nam fabros ſpirituales eſſe ſacerdotes & eccleſiæ paſtores teſtatur Deus, loquens Jeremiæ prophetæ, qui erat de ſacerdotibus Anatoth: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, ædifices & plantes.* Evellamus igitur, quæ in agro dominico deprehenderimus ſuccreviſſe zizania, quæque in atriis domini ſubnata virgulta: deſtruamus male fabricata per præteritorum temporum nimiam licentiam: plantemus e diverſo ſalutarium legum ſanctarumque conſtitutionum ſurculos, unde piorum operum & vitæ vere eccleſiaſticæ fructus proveniant: & dum ſinguli non poſſumus omnia, Nehemiæ ſapientiam ſequamur; ut quemadmodum ille plurimos in fabricam ſuam conquirebat operarios, ita & nos hic ſoliciti ſimus de creandis paſtoribus, præcipuam curam in hoc concilio gerentes circa erectionem & dotationem ſeminariorum: (quod & præ ceteris voluit nobis eſſe cordi S. concilium Tridentinum) ut in iiſdem multi adaptentur paſtoratui; quia meſſis ubique multa, ſed operarii, eheu! nimis pauci. Deinde ubi paſtores aſſumpſerimus, & hoc nobis ſerio curandum venit, ne ii ipſi fraudentur cibo ſuo, aut eorum neceſſitatibus quid deſit in hac tanta annonæ caritate: qui enim bene præſunt presbyteri, duplici honore digni haberi debent, ne tædio per inediam ſuperati, ſtationem ſuam deſerant. Sed & aliud factum nobis in Nehemia imitandum occurrit: quod videlicet, ſicut is, diſtributis oneribus, certas murorum rupturas certis familiis ſarciendas deſtinabat, donec omnes in unum conſolidarentur; ita & diverſis hic diverſa incumbent munera, ut nimirum alii proponant, alii reſolvant & decernant: alii ſecretarii ſint, alii negotiorum promotores: hi quæ ad theologiam, alii quæ ad jus pertinent, ſubminiſtrent: ſicque gratiam quiſque ſibi datam in alterutrum (ut loquitur apoſtolus) adminiſtrabit. Omnia vero noſtra in caritate fiant, & unus tam pii operis conſummandi ſcopus nos connectat & quaſi virum unum efficiat. *Ædificemus & plantemus*, a nobis ipſis inchoando; ſuum videlicet quiſque ac domeſticorum ſuorum hortum primum zizaniis expurget, & inde veteris hominis rudera removeat: atque ut ipſimet imprimis tamquam lapides vivi Chriſto ſuperædificemur, ſerio ſinguli noſtrum per veram pœnitentiam, jejunia, eleemoſynas, devotas preces, piaque ac frequentia ſacrificia, ad Deum recurramus; enixe rogantes, ut nos ſpiritu ſuo dirigat, & recta ſapere concedat, ſuggeratque ſervis ſuis, quæ ad renovationem eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæque ad bonam ac ſalutarem populi ſui directionem neceſſaria novit: ſicque benigne faciat in bona voluntate ſua Sioni, ut per pia ſanaque conſilia, ac decreta noſtra, ædificentur muri Jeruſalem; atque ita noſtras, omniumque nobis ſubditorum, juxta dictum apoſtoli Petri, caſtificet animas in obedientia caritatis: id eſt, omnium mentes purificet, omniumque oculum ac intentionem tam ſimplicem faciat, ut ex imis præcordiis quiſque ſe oſtendat diligere decorem domus Dei, prompte obediendo in hac ſacra congregatione decernendis: Nam ſine vera perfectaque obedientia, nullus concilii fructus. Nemo igitur contra id quod verum, juſtum, & ſanctum eſt, quod canonibus veteribus, quod denique novo juri ſacroſancti concilii Tridentini conforme, ſui capituli, ſui monaſterii, ſuæ eccleſiæ conſuetudines alleget, ſed evelli obedienter patiatur, quod per inolitam conſuetudinem male ſuccrevit, ut meliori plantæ locus ſiat: nemo hic jus acquiſitum contra jus in ſacris canonibus aut ſancto concilio Tridentino ſancitum alleget: nemo altare contra altare erigat: nemo privilegia contra intentionem dantis extendat, aut abrogata obtendat: nemo denique ſe a Dei lege, aut apoſtolicæ ſedis delegatis, exemptum putet. Hortor autem vos paucis, cum apoſtolo dicente: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus veſtris.* Serio conſideret quiſque, nullum agrum, nullum hortum tam bene excultum, qui non ſubinde indigeat expurgatione & raſtro: nullam quoque tam exacte ædificatam domum, quæ non aliquando reſtaurationem requirat. Quocirca & mira providentia Spiritus ſanctus eccleſiam ſuam regens, per ſacrum concilium Tridentinum mandavit in omni provincia concilium ſingulis trienniis, in omni diœceſi ſingulis annis cogendum. Quod totum indubie fruſtraneum & illuſorium erit, niſi adſit, ut ante diximus, vera obedientia: quæ ubi deeſſe ſolet, & conciliorum celebratio, & ipſa quoque religio tandem perire ſolet. Quamobrem & ſic comminatur Deus per prophetam Oſee: *Verumtamen unuſquiſque non judicet, & non arguatur vir; populus enim tuus ſicut ii qui contradicunt ſacerdoti. Et corrues hodie, & corruet etiam propheta*, id eſt, prophetia, *tecum.* O terribiles Dei minas! o peccatum grande & exoſum nimis divinæ majeſtati, contradictio! O infelicem, o miſeram, inquam, regionem illam, ubi in tantum invaluit ſpiritus contradictionis erga paſtores eccleſiæ, ut, dum nullus ſequitur fructus, Deus ipſe ſuadeat non judicari, id eſt puniri; non inquam, redargui virum, quod contradici ſoleat ſacerdoti, aliis ſemper atque aliis repertis contradictionis ac inobedientiæ coloribus. Audiant ergo tales, & hanc prophetæ ſententiam ſerio ruminent: *& corrues hodie*, id eſt, brevi. Cum enim per hunc ſpiritum contradictionis & inobedientiæ *effuſa fuerit contemptio ſuper principes*, illorum nimirum ſucceſſores, de quibus dicitur, *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*; errare hujuſmodi facit Deus in invio viæ latæ, cujus noviſſima ducunt ad mortem, & non in via arcta & recta. Sed quid multa? Ad Eſdram & Nehemiam denuo recurramus: eorum prudentiam & animi fortitudinem conſideremus, aſſequamur, imitemur. Illi enim, ut multos patiebantur operi ſuo obgannientes ac contranitentes, multos item apud regem Perſarum calumniantes, quales erant Beſelam & Tabeel, qui odio, quo in piam hanc fabricam æſtuabant, prætexebant gratam memoriam ſalis quod in palatio regio comederant, atque animum impatientem læſionis regis, ſeu juriſdictionis illius: illi, inquam, divinæ protectioni difficultatem omnem ferventibus precibus committentes, necnon zelo ſuo fortiter inſiſtentes, una manu trullam ad operis provectionem, altera gladium ad hoſtium averſionem geſtabant; unde & Dei manum bonam ſuper ſe ſentiebant, atque opus ſuum feliciter conſummabant. Nos quoque juxta egregium hoc Nehemiæ & Eſdræ factum, in hac ſpirituali ædificatione ſemper quidem prudenter, ſed & non minus fortiter elaboremus; nec extimeſcamus tam in decernendis ac ſtatuendis, quam etiam in exequendis bonis conſtitutionibus, vel domeſticorum vel exterorum quorumcumque ſiniſtras machinationes; confidentes benigniſſimum Deum indubie cauſam ſuam judicaturum, ac fideles miniſtros ſuos directurum & protecturum: ut hac ratione cum Nehemia recte ſententiam concludamus: *Non ſimus ultra opprobrium.* Ante enim ſtupendæ pulcritudinis, & toto orbe celebratum fuerat templum: civitas item regia; & circumvicinis omnibus imperitans Jeruſalem; unde & *dominam gentium*, & *principem provinciarum* eam nominat S. Jeremias, quam nemo non ſuſcipiebat, reverebatur. Sed ecce, hæc flammis & depopulationi tradita, nunc deriſioni, ſannis atque opprobriis hoſtium exponebatur, dicentium: *Hæccine eſt urbs perfecti decoris, & gaudium univerſæ terræ?* Judæi quoque ipſi (natio tam grandis & inclyta, ut haberet Deum appropinquantem ſibi quamque cælum ſuo manna paſcebat, ac mare rubrum, & ipſe Jordanis extimeſcere videbatur, quæque poſtmodum tanto fuit hominibus terrori, ut tria tantummodo millia Judæorum, centum millia hominum in Antiochia trucidarint) in tantum a gentibus nunc contemnebantur & opprimebantur, atque adeo ipſis exoſi facti erant, ut & impune eos occidere liceret, & mortui, regis juſſu, ſepultura privarentur, ut ex Tobiæ hiſtoria patet. Quo tamen nihil Judæis accidere potuit gravius, quam quod hoc ipſum opprobrium in Deum redundare videretur, tanquam ſalvare nequiviſſet populum ſuum: dum ejuſdem Dei impotentiæ hoſtes aſcriberent, quod alioqui peccatis ipſius populi imputandum erat; quodque hoc pacto nomen Dei blaſphemaretur in gentibus. Quemadmodum ergo ruina templi, devaſtatio civitatis Jeruſalem, ac ipſius populi immanis depreſſio, magno opprobrio fuere Judæis: ita & nunc non minus nobis irriſioni ſunt, templorum ac monaſteriorum everſio, eccleſiarum depauperatio, ſacerdotii quidam contemptus, atque hinc presbyterorum exiguus numerus: hoſtium denique imperium in tot catholicas civitates. Ob quæ & alia nihil pene ſonant hæreticæ conciones, quam improperia, & deſpectum catholicæ eccleſiæ & religionis, in ſummam profecto veræ fidei noſtræ injuriam, ac proinde etiam ipſius Dei blaſphemiam: & præſertim dum temere in publicis literis, non ita pridem a nobis lectis, adverſarii noſtri jactare audent; quod Deus per eorum proſperitatem, & noſtram adverſitatem, teſtetur veritatem religionis ipſorum: quam tamen non niſi perfidiam eſſe certo cognoſcimus. O ſuperbiam execrandam! o dira improperia! Hæccine diutius toleremus? Elaboremus patres, elaboremus, inquam, ut hanc adverſariis occaſionem evomendorum opprobriorum, quæ non tam ex fortitudine eorum, quam ex merito peccatorum noſtrorum, exque neglectu animarum officiique noſtri, atque ex quadam divini cultus nauſea, ipſis naſcitur, penitus tollamus; totis viribus id, ad quod hoc concilium coactum eſt, exequamur: evellamus zizania, ſcandala & abuſus vitemus, corrigamus; male fabricata deſtruamus; muros Jeruſalem ædificemus; templa viva extruamus; ſurculos piæ juventutis plantemus, hortos denique noſtros novellis virtutum plantis, per ſeriam vitæ emendationem, morum correctionem, ac eccleſiæ divinique cultus reſtaurationem ſerio exornemus; ac tum demum certo confidamus, veluti ſublata cauſa, etiam tollendum effectum, opprobrium videlicet ipſum; ſimulque futurum, ut eccleſiæ Dei, ejuſque miniſtris ac filiis priſcus ſuus honor, juriſdictio & dignitas redeat: quodque conſequenter, qui eccleſiam velut navem rimoſam, domumve ruinoſam ante fugiebant, deſerebant, & deſtruebant; nunc ad eam debite expurgatam, ac bonis legibus reſtauratam, revertentur, eamdemque nobiſcum denuo viſitabunt, ædificabunt, exornabunt.

## INDEX TITULORUM TOTIUS concilii:


I. *De profeſſione fidei, ac de his quæ ad ejuſdem fidei integritatem conſervandam pertinent.*
II. *De ſacramentis in genere.*
III. *De ſacramento baptiſmi.*
IV. *De ſacramento confirmationis.*
V. *De ſacramento pœnitentiæ.*
VI. *De indulgentiis.*
VII. *De ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento.*
VIII. *De ſacramento extremæ unctionis.*
IX. *De ſacramento ordinis.*
X. *De ſponſalibus & ſacramento matrimonii.*
XI. *De doctrina & prædicatione verbi Dei.*

ANNO CHRISTI 1607.

XII. *De officio divino & cærimoniis.*
XIII. *De feſtis & jejuniis.*
XIV. *De imaginibus & ſanctorum reliquiis.*
XV. *De ſuperſtitione.*
XVI. *De epiſcopis, & eorum officio, ac ſede vacante.*
XVII. *De archipresbyteris, paſtoribus, & cuſtodibus, eorumque officiis.*
XVIII. *De vita & honeſtate clericorum, eorumque correctione.*
XIX. *De beneficiis & officiis eccleſiaſticis, ac beneficiatorum reſidentia.*
XX. *De ſcholis.*
XXI. *De ſeminariis.*
XXII. *De elocatione & conſervatione bonorum eccleſiaſticorum,*
XXIII. *De reparatione eccleſiarum.*
XXIV. *De regularibus & monialibus.*
XXV. *De foro, juriſdictione, & immunitate eccleſiaſticis.*
XXVI. *De ſynodo provinciali & diœceſana.*

## DECRETA ET STATUTA SYNODI provincialis Mechlinienſis.

## TITULUS PRIMUS.

*De profeſſione fidei, ac de his quæ ad ejuſdem fidei integritatem conſervandam pertinent.*

### CAPUT PRIMUM.

CUM a fide, tamquam a fundamento, pendeat vita ſpiritualis, & religio noſtra: ab ea exordium ſumendo ſacra provincialis ſynodus Mechlinienſis legitime congregata ſtatuit, & decernit, ut omnes profeſſores, concionatores, confeſſarii, ac etiam quicumque in hæreſim lapſi ad eccleſiæ gremium redeunt, ſinguli, præter abjurationem & alia ad quæ tenentur, coram ordinario ſuo, ejuſve vicario generali, aut alio ab altero eorum ad id deputando, faciant profeſſionem fidei juxta bullam Pii IV. & in Romanæ eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant ac jurent.

### CAPUT II.

Multo magis ſaluberrimum decretum concilii Tridentini, de ſimili fidei profeſſione, in manibus ordinarii, ejuſve vicarii generalis facienda ab omnibus & ſingulis, qui de canonicatibus, & dignitatibus in eccleſiis cathedralibus & quibuſcumque beneficiis curam animarum habentibus proviſi ſunt, ſi alicubi forte obſervari deſierit, in uſum revocetur; cum declaret idem concilium, quod alioqui prædicti omnes non faciant fructus ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

### CAPUT III.

Ludimagiſtri emittant fidei profeſſionem juxta formulam a ſanctæ memoriæ Pio quarto præſcriptam. Typographi vero, bibliopolæ, ac librarii, faciant fidei profeſſionem juxta formulam hic ſubjunctam; ſic tamen ut ubi excepturus juramentum forte habebit aliquam rationem de profeſſuri fide dubitandi, eum præmoneat & examinet circa aliquos articulos hoc tempore maxime controverſos. Ludimagiſtri ac ludimagiſtræ, & quicumque eorum hypodidaſcali ſeu cooperatores ſunt, in iis locis ubi eſt ſcholaſticus, coram eo; alibi coram archipresbytero, hanc fidei profeſſionem facient: typographi vero, bibliopolæ ac librarii, in manibus ordinarii, aut ab eo ad id deputandi. Et inſuper hi juramentum præſtabunt de non invehendis, nec diſtrahendis, vel etiam compingendis libris prohibitis: illi quoque etiam oblata fidei profeſſione, non aliter tamen ad aperiendam ſcholam admittentur, quam ſi ſcholaſtico, vel ubi is non eſt, archipresbytero ſuo, de eorum fidei integritate, morumque probitate, per fide digna teſtimonia ſufficienter conſtiterit.

### CAPUT IV.

*Ego N. omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, & quæ a ſacris canonibus, & generalibus conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita & declarata fuerunt, indubitanter recipio atque profiteor; necnon Romano pontifici, ſummo in terris Jeſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro; ſimulque hæreſes omnes ab eccleſia damnatas & rejectas, ego pariter damno & rejicio. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.*

### CAPUT V.

Nemo præter typographos, bibliopolas, & librarios juratos, ullos libros excudere; aut venales exponere præſumat. Ipſis etiam typographis, bibliopolis ac librariis, non liceat vel alios libros imprimere, quam qui ab ordinario, vel aliquo approbato cenſore, examinati & approbati fuerint; vel alios venales exponere, aut ſecreto diſtribuere, quam quorum catalogus ab ordinario vel approbato cenſore ſit viſus & approbatus, ſub pœnis pro qualitate & circumſtantiis facti infligendis.

### CAPUT VI.

Libri etiam domorum mortuariarum non diſtrahantur, niſi ab approbato aliquo cenſore, vel alio ad id ab ordinario deputato viſitati, & vendi permiſſi fuerint. Et viſitatio iſta gratis fiat.

### CAPUT VII.

Moneant diligenter parochi ſibi ſubditos; libros hæreticos, vel ex profeſſo lubricos, nullo modo legere vel habere licere; eiſque prohibitiones quæ habentur in indicibus librorum prohibitorum, ſedis apoſtolicæ auctoritate poſt concilium editas, crebro inſinuent.

### CAPUT VIII.

Statuant etiam noſſe vultum pecoris ſui, & ſi quem inter ſubditos ſuos peregrinis doctrinis abductum, falſave dogmata ſpargentem adverterint, eum ordinario, vel ejus vicario generali, aut officiali mox denuntient; necnon & illos, quos eccleſiam, divina officia & ſacramenta debitis temporibus non frequentare, vel aliter de hæreſi ſuſpectos eſſe deprehenderint, niſi moniti ſtatim ſe purgent, aut emendent.





ANNO CHRISTI 1607.

### CAPUT IX.

Ludi theatrales non aliter deinceps permittantur, quam ſi ab ordinario, vel eo quem ipſe ad id deputaverit, permittendi videantur. Idemque ſit de actionibus mimorum & hiſtrionum, qui vulgo *Camer-Speelders* vocantur; ac de cantilenis, rythmis, & quibuſvis ſcripturis, quæ paſſim ab ignotis & exteris hominibus venales circumferuntur, aut etiam publice decantantur. Et ut hæc omnia exactius obſerventur, decernit ſynodus ſupplicandum ſereniſſimis principibus, ut in eo auctoritatem ſuam interponant.

## TITULUS SECUNDUS.

*De ſacramentis in genere.*

### CAPUT I.

IN adminiſtrandis ſacramentis, paſtorale ſuæ eccleſiæ cathedralis omnes ſequantur, & eo deficiente, eccleſiæ metropolitanæ; nihil temere addendo, demendo, vel immutando.

### CAPUT II.

Adminiſtraturi ſacramenta baptiſmi, ſacræ euchariſtiæ, extremæ unctionis, & matrimonii, necnon concionaturi, ſtola & ſuperpelliceo vel alba ſint induti. Sacerdotes quoque ſæculares, nonniſi ſuperpelliceo induti, in locis ſacris ſæcularium confeſſiones accipiant. Paſtores vero, & vicepaſtores, etiam ſtolam ſuperaddant.

### CAPUT III.

In adminiſtratione quorumcumque ſacramentorum, vis & efficacia eorum, pro captu ſumentium ac præſentium, ſæpe a paſtoribus explicentur; omneſque preces ſacramentales, maxime vero ipſæ formæ ſacramentorum, tractim, diſtincte, & attente cum debita reverentia pronuntientur.

### CAPUT IV.

Et ne, dum quis aliis eſt miniſter ad ſalutem, damnationem ſibi acquirat, caveat quiſque diligentiſſime, ut qua decet munditie & puritate ſacramenta adminiſtret.

### CAPUT V.

Paſtores ad adminiſtranda ſacramenta vocati, officio ſuo fungi non tardent, graviter alioqui puniendi; graviſſime vero, ſi quem ipſorum negligentia ſine baptiſmo, confeſſione, ſacro viatico, aut extrema unctione, ex hac vita migrare contigerit.

### CAPUT VI.

Non modo archipresbyteri ſingulis annis ab ordinario ſuo, vel ſede vacante a vicario generali, ſacrum chriſma, & ſacra olea tempeſtive petant, & per ſacerdotem, diaconum, vel ſaltem ſubdiaconum, in mundis & honeſtis vaſculis (ſcilicet ſtanneis aut argenteis, nullo modo vero cupreis, teſtaceis aut vitreis) ad locum reſidentiæ ſuæ ferri curent: ſed paſtores etiam ſinguli quotannis ab archipresbytero ſuo, vel ex ea eccleſia unde conſueverunt, per ſe aut alium ſacerdotem, non autem illo inferiorem, in ſimilibus vaſculis ſacrum chriſma ſanctaque olea ferre non omittant; iiſque receptis, veteribus non utantur: ſed quidquid ex illis ſuperfuerit, ſi liquidum, lampadi, quæ lucet ante venerabile ſacramentum, infundatur; ſin autem bombici vel goſſipio immixtum fuerit, ſuper piſcinam comburatur.

## TITULUS TERTIUS.

*De ſacramento baptiſmi.*

### CAPUT I.

PAſtores ſacrum fontem ſub operculo & ſera diligenter ſervent; ſacrum quoque chriſma, & oleum, ſub ſera, & loco honeſto. Et ſabbato ſancto, ac in vigilia pentecoſtes aquas baptiſmales conſecraturi, ipſum fontem antea per ſe, vel ſaltem aliquem in ſacro ordine conſtitutum, mundent.

### CAPUT II.

Quilibet parochus librum habeat, in quo ſingulorum baptizatorum, necnon parentum, & patrinorum ac matrinarum nomina & cognomina, diemque baptiſmi diligenter deſcribat, eumdemque quotannis in viſitatione archipresbytero exhibeat; nec unquam plures, quam unum ſuſceptorem, vel unam ſuſceptricem, vel ad ſummum unum & unam admittat. Et ſi qui alii ad tangendum infantem inſtar patrinorum ſe ingerant, declaretur aperte ante baptiſmum, nec eos nec alios, præter deſcriptos ſeu deſignatos, ullam cognationem ſpiritualem contrahere.

### CAPUT III.

Curent quantum fieri poteſt parochi, ne gentilium aut alia profana nomina pueris imponantur.

### CAPUT IV.

De pueris expoſititiis id obſervent parochi, ut ſi inveniant certa circa infantem indicia, per quæ conſtet eum non eſſe baptizatum, utpote ſal, quod mulieres apud eum deponere ſolent, tamquam indicium non collati baptiſmi: eo caſu talem infantem abſque ulla hæſitatione baptizent, nulla appoſita conditione: ſi vero nulla ſigna, nullumque teſtimonium ejus rei deprehendant, eum ſub conditione baptizent.

### CAPUT V.

Prohibet præterea ſancta ſynodus, ne quis paſtorum baptiſmi ſacramento, alio in loco, quam in illis eccleſiis, in quibus ſacri fontes conſtituti & conſecrati ſunt, exceptis caſibus in jure permiſſis, conferre audeat.

### CAPUT VI.

Et quia frequens experientia docet, modernos hæreticos ſæpe contra receptam eccleſiæ

conſuetudinem & antiquiſſimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipſam pronuntiante: ab hæreticis (qui non ſunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis catholicus præſto eſt) baptizati, ſimiliter ſub conditione baptizentur.

### CAPUT VII.

Hortatur hæc ſynodus & requirit omnes magiſtratus ſingulorum locorum, ne quam ad obſtetricandum parturientibus admittant, niſi prius a curato loci, ubi obſtetrix moratur, teſtimonium ſinceræ & catholicæ fidei habeat, profeſſionemque fidei coram archipresbytero ſuo faciat; necnon materiam formamque baptiſmi teſtimonio ejuſdem curati probe calleat: & ultra conſuetum juramentum, juret etiam, quod infantes a ſe excipiendos quantocyus, vel ſaltem intra tres dies baptizari curabit; aut ſi obſiſtentibus parentibus vel amicis id efficere non poſſit, mox paſtori loci eos denuntiet.

### CAPUT VIII.

Puerperæ, cum a puerperio domum exeuntes ſe ad eccleſiam contulerint, a parocho proprio juxta probatiſſimam eccleſiæ conſuetudinem purificentur.

### CAPUT IX.

Ad abolendam pravam illam conſuetudinem, qua ruri præſertim poſt baptiſmum puerorum convivia non ſine maximis incommodis & periculis tam puerperæ quam infantis celebrari conſueverunt: mandat hæc ſynodus paſtoribus, ut ſubinde moneant & hortentur ſubditos ſuos ut ab hujuſmodi conviviis abſtineant. Quod ut facilius impetrent, caveant imprimis ipſi, ne quantumvis invitati dictis conviviis interſint.

## TITULUS QUARTUS.

*De ſacramento confirmationis.*

### CAPUT I.

DE dignitate, vi, & effectibus hujus ſacramenti parochi ſubditos ſuos ſæpe diligenterque inſtruant; maxime ſub id temporis, quo illud epiſcopus in iis locis adminiſtraturus eſt.

### CAPUT II.

Moneant tunc etiam, ſacramentum hoc iterari non poſſe; & confeſſionem præmittendam a confirmandis, ſi ſunt doli capaces: eoſque qui in baptiſmo patrini eſſe non poſſunt, nec hic eſſe poſſe: necnon de conferendis integris mundiſque faſciis juſtæ magnitudinis, ut fronti & capiti circumcingi poſſint: item de patrinorum obligatione, ac cognatione ſpirituali, quam cum confirmandis eorumque patre & matre contrahunt, ejuſdemque cognationis effectu, ac ſimilibus.

## TITULUS QUINTUS.

*De ſacramento pœnitentiæ.*

### CAPUT I.

NEMO, etiam regularis, confeſſiones ſæcularium, ne quidem ſacerdotum, audire præſumat extra mortis articulum, niſi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab ordinario loci idoneus judicatus & admiſſus fuerit. Admiſſio quoque iſta in ſcriptis habeatur.

### CAPUT II.

Judicem ſedentem ſententias ferre oportet: ideo etiam confeſſarius non niſi ſedens confeſſiones excipiat, quacumque etiam pœnitentes dignitate fulgeant.

### CAPUT III.

Ubi erecta necdum ſunt confeſſionalia, quæ confeſſarium a pœnitente, aſſerculo cancellato; ac pœnitentem a ſequentibus, alio aſſerculo disjungant: intra tres menſes a publicatione decretorum hujus concilii, ſumptibus fabricarum erigantur; & ab eo tempore nemo ſine licentia ordinarii extra ejuſmodi confeſſionalia, feminarum confeſſiones audire præſumat, niſi in caſu neceſſitatis, ſub pœna arbitraria.

### CAPUT IV.

Sciat quilibet a caſibus ſedi apoſtolicæ, aut epiſcopo reſervatis ſe abſolvere non poſſe, præterquam in mortis articulo, niſi ad hoc ſpecialem facultatem debite acceperit; quo caſu etiam ſuper irregularitatibus aut votis diſpenſare non præſumat, niſi aliam ſpecialem poteſtatem ad hoc habuerit.

### CAPUT V.

Magna oportet eſſe inſtructum ſcientia, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet. Ideo confeſſarii, quibus non hominis, ſed Dei judicium exercendum eſt, & quidem de animabus pretioſo Jeſu Chriſti ſanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde neceſſariam ſibi ſcientiam hauriant, diligentiſſime vacare merito debent; utpote, directorii Polanci, manualis Navarri, aut ejus compendii, ſummæ Toleti, enchiridii Binsfeldii, & ſimilium.

### CAPUT VI.

Meminerit unuſquiſque, confeſſionis ſigillum ſtrictiſſime ſervandum eſſe, etiam ſub pœna depoſitionis a ſacerdotali officio, & detruſionis in arctum monaſterium, ad agendam ibidem perpetuam pœnitentiam. Hoc porro ſigillum ad ea ſe quoque extendit, quæ ſubinde, occaſione eorum quæ in confeſſione detecta ſunt, poſt datam abſolutionem a confeſſariis interrogati pœnitentes vel repetunt, vel diffuſius enarrant; quæ perinde, ut ea quæ in ipſa dicta ſunt confeſſione, ſecreta ſunt habenda.

### CAPUT VII.

Nemo aliquem ad perpetuo ſibi ſoli confitendum



dum obliget. Et ejuſmodi promiſſionem etiam juratam, tanquam irrationabilem & indiſcretam, hæc ſynodus irritam eſſe declarat, & quatenus opus eſt, irritat.

### CAPUT VIII.

Ut autem paſtores & confeſſarii ſciant, cujuſmodi ſatisfactiones pœnitentibus injungere debeant, mature expendant verba Tridentini concilii capite octavo, ſeſſione decima quarta, quæ ſunt hæc: Debent ergo ſacerdotes domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantum ad vitæ novæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claves ſacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui patres & credunt, & docent.

## TITULUS SEXTUS.

*De Indulgentiis.*

INDULGENTIAS, atque alias ſpirituales gratias, ab ordinariis locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe ſacrum Tridentinum concilium decernit: quod ab eis erit diligenter obſervandum, ſumma in illis indulgentiis adhibita diligentia, atque ita ad Tridentini concilii præſcriptum, coercitis iis qui oblata caritatis ſubſidia colligunt, hos eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri omnes intelligant.

## TITULUS SEPTIMUS.

*De ſanctiſſimo eucharistiæ ſacramento.*

### CAPUT I.

IN ſingulis eccleſiis parochialibus plures hoſtiæ ſacræ ad uſum ægrotorum continuo aſſerventur, & quidem ſub ſera, & in loco honeſto, ac decenti vaſculo. Et ſingulis ſaltem hebdomadis, aut circiter, vel ſi humiditas loci requirat, etiam ſæpius, ſpecies ſacramentales renoventur.

### CAPUT II.

Ubicumque locus ab hoſtibus ac prædonibus eſt tutus, & facultates eccleſiæ ferunt, continuo tam de nocte quam de die, ante tabernaculum ſanctiſſimæ euchariſtiæ lumen ardeat, alibi ſaltem ſub officio divino.

### CAPUT III.

Paſtores, & quicumque alii ſacerdotes, venerabilis corporis Chriſti ſacramentum ad ægrotos, aut alios, nunquam perferant, niſi decenter & reverenter ornati ſtola & ſuperpelliceo, & cuſtos ſuperpelliceo indutus lumen & campanulam ſonantem præferat; quo populus ſui moneatur officii, tum erga ſacramentum, tum erga laborantem infirmum. Idque obſervetur, etiamſi infirmus frequentius in ægritudine ſua viaticum ſalutis ſibi deferri petat; alioqui pœna arbitraria punientur. Et quando fieri poteſt, antequam ſacra euchariſtia ad ægrotum deferatur, præmittatur confeſſio.

### CAPUT IV.

Numquam unica duntaxat hoſtia ad ægrotum deferatur, ne parocho ad eccleſiam redeunte inane vaſculum populus adoret.

### CAPUT V.

Quilibet annos diſcretionis habens communicare debet ut minimum in paſchate in eccleſia parochiali. Incipit autem paſcha ad hunc effectum in dominica palmarum, & durat uſque ad dominicam in albis, incluſive.

### CAPUT VI.

Qui huic mandato eccleſiæ non obedierint, vel in paſchate a parochia abſuerint, & reverſi intra octo dies non docuerint ſe alibi in paſchate communicaſſe, mox epiſcopo denuntientur; ut ejus judicio, niſi legitimam excuſationem attulerint, & vivi ab ingreſſu eccleſiæ arceantur, & mortuis eccleſiaſtica denegetur ſepultura. Ultimo quoque ſupplicio afficiendis tempeſtive de ſacra euchariſtia provideatur. Quod ut fieri jubeant, rogentur ſereniſſimæ ſuæ celſitudines.

### CAPUT VII.

Concubinarii publici, antequam concubinas ſuas actu dimiſerint, ad ſacram communionem non admittantur: neque etiam publici uſurarii, vel palam inimicitias exercentes, niſi illis uſuris renuntiaverint, & injuſta lucra reſtituerint, aut de iis reſtituendis cautionem dederint; & hi reipſa pacem compoſuerint, vel ſeſe ad reconciliationem debite obtulerint.

### CAPUT VIII.

Sacroſancta euchariſtia pie & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis ſupplicationibus defertur; potiſſimum vero in feſto ſacro Chriſti corpori conſecrato, ejuſque octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non niſi in arduis cauſis pacis, & publicæ neceſſitatis, vel utilitatis. In illis autem proceſſionibus, ad quas populus non tam orandi, quam ſpectandi gratia confluere ſolet, abſtineatur. In communibus autem ſupplicationibus circumgeſtari poterunt ſanctorum reliquiæ.

## TITULUS OCTAVUS.

*De ſacramento extremæ unctionis.*

### CAPUT I.

PAROCHI ægrotos ſæpe inviſant, hortenturque ne ad extremum ſacramenti hujus ſuſceptionem differant; at potius ſenſibus rationiſque uſu adhuc integris, illud ſibi adminiſtrari

ſtrari petant, ut ita uberiorem ejus fructum percipiant.

CAPUT II.

Falluntur qui exiſtimant ſuſcepto hoc ſacramento vel teſtamentum condi non poſſe, vel ſpem convaleſcendi ob id imminui. Ideoque paſtores contrarium ſubinde populum doceant. Et ſi forte alicubi uſu introductum ſit, ut teſtamentum a ſuſceptione hujus ſacramenti conditum non ſubſiſtat, declarat hæc ſynodus ejuſmodi conſuetudinem pro corruptela habendam eſſe; utpote cauſam, cur tam ſalutaris ſacramenti ſuſceptio ad extremum vitæ ſpiritum a pleriſque differatur; iique interim effectus ſacramenti non percipiant, & ſæpe etiam ſine eo moriantur.

## TITULUS NONUS.

*De ſacramento ordinis.*

CAPUT I.

AD minores ordines promovendi, bonum a parocho, & magiſtro ſcholæ in qua educantur, teſtimonium habeant.

CAPUT II.

Majoribus ordinibus inſigniendi, ſi ſint religioſi, a ſuperiore ſuo, ætatis, natalium, ac vitæ, morumque probitatis debita teſtimonia in ſcriptis adferant: ſæculares, ſi in eccleſia collegiata, cive ſubjecta, reſideant, a decano capituli; ſi in collegio vel pædagogio aliquo degant, ab illius præſide; alioquin a proprio paſtore ſimilia exhibere debeant. Et non habens hujuſmodi teſtimonia, ne ad examen quidem admittatur, niſi epiſcopo aliter videatur.

CAPUT III.

Fiant inſuper proclamationes promovendorum ad ſingulos ordines majores juxta decretum concilii Tridentini; & qui de iis non docuerint, rejiciantur.

CAPUT IV.

Doceant religioſi, etiam ordinum mendicantium, de ordinibus ſuſceptis teſtimonio ipſius epiſcopi, per literas a ſecretario epiſcopi expeditas, & ſigillo ejuſdem epiſcopi communitas, antequam ad alium ordinem ſuſcipiant.

CAPUT V.

Epiſcopi ſubditos ſuos non niſi jam probatos & examinatos ad alium epiſcopum dimittant, juxta decretum concilii Tridentini.

CAPUT VI.

Tituli patrimoniales, & beneficiales, ſint deinceps ad minimum quadraginta florenorum; nec ullus eorum, niſi viſis literis in debita forma expeditis, admittatur.

CAPUT VII.

Nemo ad ordines titulo beneficii quantum-vis optimi promoveatur, niſi canonicam inſtitutionem & pacificam poſſeſſionem ejuſdem antea obtinuerit.

CAPUT VIII.

Juret deinceps quilibet ordinendus ad titulum patrimonialem, aut beneficialem, quod titulum, quem pro futura ſua promotione exhibet, vere & ſine ulla fraude poſſideat; quodque illum non reſignabit, vel alienabit, niſi ei de alio ſufficienti titulo ſit proſpectum; neque tunc quidem aliter, quam ſcitu & conſenſu ſui epiſcopi, in literis ipſius reſignationis aut alienationis exprimendo: item quod titulum illum, qui in locum prioris tituli ſucceſſerit, abſque ſimili conſenſu non reſignabit, vel alienabit.

## TITULUS DECIMUS.

*De ſponſalibus, & ſacramento matrimonii.*

CAPUT I.

PAROCHUS ante ſolemnitatem matrimonii tam ſponſum, quam ſponſam expreſſe interroget, num libere, & ſine ulla coactione ad matrimonium ſimul contrahendum advenerint: & ſi alterum eorum ad id coactum eſſe adverterit, ad ſolennizationem matrimonii non procedat, nec alteri ad hoc vices ſuas committat, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio.

CAPUT II.

Proclamationes matrimoniales tribus diſtinctis dominicis, vel feſtivis diebus, ſub ſummo ſacro, vel concione, aut alioqui ſub frequenti populi conventu fieri debent. Si quis ſine iis, earumve remiſſione ab ordinario in ſcriptis obtenta, matrimonio jungere aliquos præſumat, graviter puniatur.

CAPUT III.

Quandocumque matrimonium contrahere volentes ſunt diverſarum diœceſium, decanatuum, vel parochiarum: parochus unius ad matrimonii ſolennizationem non procedat, niſi & omnes proclamationes in eccleſia ſua fecerit, nullumque intellexerit canonicum impedimentum; & ſimiliter parochum alterius ſponſorum omnes tres proclamationes feciſſe, & nullum canonicum impedimentum denuntiatum eſſe, ex teſtimonio ejuſdem paſtoris certo cognoverit, vel de diſpenſatione ordinarii ipſi conſtiterit. Et ſi forte ſignaturam illius paſtoris non noverit, & teſtimoniales ſibi exhibitas de facto ſuſpectas habeat: exigat teſtimonium ſaltem unius perſonæ fide dignæ, quod teſtimoniales illæ ſint ſcriptæ, vel ſubſignatæ manu ejus a quo ſcriptæ vel ſubſignatæ eſſe dicuntur; vel ſi hujuſmodi teſtimonium haberi non poſſit, exigat juramentum ab altero ſponſorum, quem teſtimoniales illæ concernunt, quod eas a parocho ſuo acceperit, vel ab eo ſcriptas eſſe ſciat. Et ſi quem hic perjurum eſſe, aut crimen falſi commiſiſſe contigerit, is graviſſime puniatur.

CA-





CAPUT IV.

Impedimento aliquo denuntiato, vel matrimonio deſponſorum oppoſitione aliqua facta, non prius ad ulteriores proclamationes aut matrimonii ſolennizationem parochus procedat, quam re ad ordinarium, vel vicarium ejus, vel officialem delata, ab eodem intellexerit quid facere debeat.

CAPUT V.

Parochi omnes impedimenta matrimonii exacte noſſe, & in memoria habere ſtudeant, & ſubinde in concionibus ſuis ea populo declarent. Et inter cetera ſciant, ſuoſque doceant, affinitatem ortam ex copula illicita impedire matrimonium in primo & ſecundo gradu tantum; & nullam omnino cognationem ſpiritualem contrahi inter ſuſceptorem & ſuſceptricem; nec etiam inter baptizatum, vel confirmatum & ſuſceptum, & ſuſcipientis conjugem.

CAPUT VI.

Meminerint parochi ſibi non licere vagorum hominum matrimoniis intereſſe, niſi re ad ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi in ſcriptis obtinuerint: neque ea licentia ſine cauſæ cognitione & matura deliberatione detur.

CAPUT VII.

Habeant quoque ſinguli paſtores librum in quo deſcribant nomina & cognomina matrimonio junctorum, ac teſtium, necnon diem & locum contracti matrimonii; eumdemque librum diligenter cuſtodiant, & quotannis in viſitatione archipresbytero exhibeant. Qui quidem liber ubi jam completus fuerit, ſervabitur in archivis eccleſiæ.

CAPUT VIII.

Tempus clauſum diligenter obſervetur: & ſi quando ex legitima cauſa aliqui ad matrimonium tunc contrahendum per ordinarium admittantur, abſtinendum tamen erit a ſolennitatibus nuptialium conviviorum, choreis, ſponſarum publicis traductionibus, & ſimilibus; quæ temporis ſanctitati repugnant; a quibus ſimiliter abſtinendum erit, etſi matrimonium antea contractum fuerit; ſub pœna arbitraria.

## TITULUS UNDECIMUS.

*De doctrina & prædicatione verbi Dei.*

CAPUT I.

MEMINERINT regulares ſe ſine licentia ſuperiorum ſuorum, ac benedictione epiſcopi diœceſis in qua degunt, in eccleſiis ordinum ſuorum, & ſine expreſſa licentia tam epiſcopi quam ſuperiorum ſuorum, in eccleſiis non ſuorum ordinum prædicare non poſſe, nec uſquam omnino epiſcopo contradicente.

CAPUT II.

Pari aut majori ratione, ſacerdotibus & diaconis ſæcularibus, nec ſine licentia ordinarii, nec eo contradicente prædicare licet. Et paſtores neminem omnino in eccleſiis ſuis concionari permittant, niſi de ejuſmodi licentia ordinarii in ſcriptis prædocuerit.

CAPUT III.

Abſtineant concionatores ab inanibus, ac difficilibus, captumque auditorum ſuperantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæſtionibus, a conviciis, a fabuloſis, & a narratione apocryphorum, iiſque omnibus, quæ vel auditoribus riſum moveant, vel eorum animos a ſuperioribus ſuis avertant: neve paſſim hæreticorum argumenta apud imperitam multitudinem referant; ſed ea tantum doceant, quæ ad fidem veram, pietatem, obedientiam, & concordiam pertinent, quæque ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem. Annuntiando cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia quæ quemque declinare, & virtutes quas ſectari oportet.

CAPUT IV.

Paſtores eccleſiarum ruralium ſingulis diebus dominicis ſub concione recitent lingua vernacula tractim & intelligibiliter orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum fidei, & præcepta decalogi & eccleſiæ.

CAPUT V.

Diverſitas libellorum doctrinæ Chriſtianæ, ſive catechiſmi, magnam in diſcendo & docendo parit difficultatem. Ideoque mandat hæc ſynodus, ut parochi, aliique omnes ad quos ſpectat, a feſto nativitatis domini proxime venturo, unum & eumdem modum in docendo & diſcendo doctrinam Chriſtianam ubique teneant, tenerique faciant; eum ſcilicet, qui in libello auctoritate hujus concilii ad eum finem brevi edendo, continebitur.

CAPUT VI.

Optat denique hæc ſynodus, ut paſtores ſingulis diebus dominicis ac feſtivis catechizandæ juventuti ſerio ſe dent, vel ubi alteri alicui id oneris incumbit, diligenter ſuperintendant.

## TITULUS DUODECIMUS.

*De officio divino, ac cærimoniis.*

CAPUT I.

CUm in officio divino negotium nobis ſit cum Deo ipſo, qui rex regum eſt, & dominus dominantium, merito non modo ſtatis horis ad chorum conveniatur, ſed in eo etiam a fabulis, riſibus, & aliis inſolentiis omnino abſtineatur, ſub pœna amittendæ diſtributionis, & alia arbitraria pro modo ſcandali.

CAPUT II.

Meminerint autem omnes tam in dignitate conſtituti, quam canonici, capellani, vicarii, be-

beneficiati, & reliqui habituati, mandati concilii Tridentini; ut omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia, atque in choro ad pſallendum inſtituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare. Quod decretum præſens ſynodus inviolabiliter obſervari mandat.

## CAPUT III.

Diſtributiones chori diſpenſentur ſecundum præſcritum concilii Tridentini ad tertiam partem fructuum. Ut vero minores horæ non negligantur, pro illis certæ diſtributiones aſſignentur, aut minores illæ horæ majoribus adjungantur; ita ut in majoribus illis hóris nemo diſtributione gaudeat, niſi qui in minoribus quoque horis debite interfuerit.

## CAPUT IV.

Careant quoque diſtributionibus qui ante *Gloria patri* primi pſalmi cujuſque officii uſque ad finem eidem officio actualiter non interſunt; exceptis dumtaxat iis, qui ex cauſis expreſſis in cap. unico de clericis non reſid. in 6. & in primo concilio provinciali Mechlinienſi hoc tit. cap. 4. 5. & 6. Et in bullis erectionis epiſcopatuum hujus provinciæ, præ præſentibus & officio divino intereſſentibus habendi ſunt, & ut tales diſtributionibus gaudero debent.

## CAPUT V.

In eccleſiis, quæ needum recepto uſu Romano proprium officium adhuc ſervant, vel recepto etiam uſu Romano propria quædam officia patronotum ſuorum illi admiſcent, ſi apoſtolica auctoritate needum ejuſmodi officia recognita, & debite ab incertis & apocryphis purgata ac correcta ſint, intra ſex primos menſes id fiat.

## CAPUT VI.

Servi ad officium divinum venientes, etſi diſtributione privandi ſint, libere tamen chorum intrare permittantur. Et ſi quis eos manuum, vel pedum plauſu, aliove ſtrepitu excipiat, ipſe quoque diſtributione privetur, & inſuper pro modo ſcandali puniatur.

## CAPUT VII.

Gravis tantum & quæ pios motus moveat muſica officio divino adhibeatur, non etiam laſciva vel ſæcularis. Similiter & organa, & quæcumque inſtrumenta muſica, tam in proceſſionibus quam in eccleſiis, modulatione ſua laſcivas cantiones non imitentur; nec præfationem aut orationem dominicam in miſſa abſumant.

## CAPUT. VIII.

Tintinnabula quoque & campanas ad harmoniam quamdam pulſantes, ejuſmodi pulſatione turpes, inhoneſtas vel ſcandaloſas cantiones non exprimant, vel imitentur, ſed potius hymnorum & canticorum eccleſiæ modulationes. Et ſicubi neceſſe fuerit, cum magiſtratu deſuper agatur.

## CAPUT IX.

Nemo in loco ſacro vel convivium inſtituat, vel convivio interſit, aut negotiationem exerceat, vel in eo etiam poſt officium divinum deambulet ſub pœna arbitraria.

## CAPUT X.

Proclamationes quoque forenſes, & denuntiationes quarumcumque venditionum, vel rerum venalium, etiam in templo fieri ſolitæ, deinceps non fiant, niſi extra templum, & officio divino prorſus abſoluto.

## CAPUT XI.

Mandat deinceps hæc ſynodus, ut conventus capitularis non fiat ſub officio divino, niſi res, ob urgentes aut repentinas cauſas, moram non patiatur.

## CAPUT XII.

Canon miſſæ ſecreto pronuntietur; nihilque in eo, etiam pietatis prætextu, unquam addatur, vel mutetur. Et generaliter alios ritus, aliaſve cærimonias vel preces in celebratione miſſarum nemo adhibeat, præter eas, quæ ab eccleſia probatæ & receptæ ſunt.

## CAPUT XIII.

Curent ubique paſtores, necnon alii ad quos id pertinet, ut ſacri calices, corporalia, purificatoria, albæ ac reliquæ veſtes ſacerdotales, omniaque paramenta altaris, ſemper ſint integra & munda; idque ſub pœna arbitraria, pro modo culpæ, & negligentiæ.

## CAPUT XIV.

Ubi eccleſiarum paupertas calices argenteos emi non patitur, hortatur ſynodus, ut ſaltem ſuperior eorum pars ſeu cuppa ſit argentea, maxime ubi non eſt periculum ab hoſtibus aut prædonibus. Ubi vero ob ejuſmodi periculum, aut extremam paupertatem, calices ſtannei adhuc tolerandi ſunt, ut minimum ſingulis ſaltem quindecim diebus debite mundentur.

## CAPUT XV.

Vago ac ignoto ſacerdoti, etiam regulari, miſſam celebrare non liceat, niſi oſtenſis teſtimonialibus vel commendatitiis literis ſui ordinarii: nec cuiquam omnino extra eccleſiam, & ad divino cultui dedicatum & ab ordinario deſignatum oratorium.

## CAPUT XVI.

In omnibus pagis totius provinciæ miſſa parochialis dominicis & feſtis diebus certa & eadem hora ſemper fiat, quacumque ratione in contrarium non obſtante, ſub pœna arbitraria.

## CAPUT XVII.

Pauperes per eccleſias tempore miſſarum, prædicationum, aliorumve divinorum officiorum, mendicare, ſeu eleemoſynas petere non permittantur, ſed ad valvas eccleſiæ ſtare jubeantur: deputenturque ubique a ſuperioribus vel adminiſtratoribus eccleſiarum, qui pauperes mendicantes ab eccleſiis arceant & expellant, & quidem ſi neceſſe fuerit, ſub certo honorario ex bonis menſarum pauperum perſolvendo.



## CAPUT XVIII.

Ut uniformitas cærimoniarum uſus Romani ubique tandem inducatur, quilibet ordinarii in ſingulis decanatibus ſuæ diœceſos, & inſuper omnia & ſingula capitula, tam collegiata, quam cathedralia, aliquos deputent cærimoniarum & rituum eccleſiæ Romanæ peritos, qui primitias celebraturos dictis cærimoniis ac ritibus debite inſtruant. Et deinceps nemo ſæcularis primitias celebrare præſumat, niſi ab aliquo ex dictis deputatis eaſdem cærimonias & ritus ſe perfecte didiciſſe capitulo, vel archipresbytero, cui ſubeſt, teſtimonio inſtructoris ſui debite probaverit, ſub pœna arbitraria.

## CAPUT XIX.

Ut autem hæc uniformitas ſacrorum rituum & cærimoniarum magnopere commendans catholicæ religionis dignitatem & unitatem, in omnibus etiam reliquis eccleſiaſticis officiis adhibeatur; imprimendum in hiſce partibus, & ab omnibus quos concernit, quoad fieri poterit, obſervandum erit cærimoniale epiſcoporum quod magno labore & induſtria ad hoc componi juſſit fel. rec. Clemens PP. VIII. & in omnes eccleſias metropolitanas, cathedrales, & collegiatas introduci diſtricte mandavit.

## CAPUT XX.

Hoc vero cum fieri non poſſit ſine magiſtro cærimoniarum, qui totus in eo ſit, ut dictum cærimoniale perlegat, & aliis rationem dictarum cærimoniarum oſtendat & præeat; mandat hæc ſancta ſynodus, ut in ſingulis eccleſiis cathedralibus & collegiatis ſumptu capituli aliquis ad hoc maxime idoneus conſtituatur, cui in ritibus omnes obedire teneantur.

# TITULUS XIII.

*De feſtis, & jejuniis.*

## CAPUT I.

MEminerint exempti omnes, etiam regulares, decreti concilii Tridentini, quo dies feſtos, quos in diœceſi ſua ſervandos epiſcopus præcepit, ipſi quoque ſervare jubentur.

## CAPUT II.

Paſtores ſingulis diebus dominicis ſub concione vel ſummo ſacro, dies feſtos & jejunia ea ſeptimana occurrentia populo denuntiare non omittant.

## CAPUT III.

Dies feſti tam celebriores, quam minus ſolennes, necnon jejunia per totam provinciam ſervanda, in prima ſynodo provinciali Mechlinienſi plene enumerantur: ita tamen ut in locis, ubi vel plura vel ſtrictius obſervata fuerint, mandet ſynodus ut pia conſuetudo obſervetur. Quænam vero feſta in ſingulis diœceſibus, ſingulisque parochiis inſuper ſervari debeant, ſtetur conſuetudine cujuſque loci.

## CAPUT IV.

Nundinæ annuæ, & forum rerum venalium hebdomadarium, cum in diem feſtum incidunt, in alium transferantur. Et jejunia in diem dominicam incidentia, pridie ſerventur.

## CAPUT V.

Feſtum annuntiationis beatæ Mariæ, ſi quando inter dominicam palmarum & dominicam in albis occurrerit, celebretur juxta receptam conſuetudinem tam a populo, quam a clero, feria tertia poſt dictam dominicam in albis: ſi vero in aliam quamlibet dominicam quadrageſimæ præterquam palmarum inciderit, celebretur feria ſecunda proxime ſequenti etiam a populo.

## CAPUT VI.

Feſtum S. Marci, ſi in hebdomada paſchæ vel in dominica *quaſimodo* evenerit; celebretur feria poſt *quaſimodo*, tam a clero, quam a populo. Si vero in aliam dominicam inciderit, feſtum quidem ſervetur die dominica; ſed proceſſio, abſtinentia a carnibus per totum diem, & jejunium uſque ad prandium, ſerventur die ſequenti. Quod ſi vero in feriam quintam poſt dominicam *quaſimodo* translatum, cum feſtis SS. Philippi & Jacobi, aut S. crucis concurrerit; celebritas quidem a populo illis ipſis diebus ſervabitur, ſed dicta proceſſio, abſtinentia & jejunium ſicut in diebus rogationum, in feriam quintam transferentur.

# TITULUS XIV.

*De imaginibus, & ſanctorum reliquiis.*

## CAPUT I.

NE per falſi dogmatis imagines rudibus periculoſi erroris occaſio præbeatur, nulla unquam in eccleſiis etiam exemptis inſolita imago ponatur, niſi ab ordinario prius approbata fuerit. Curentque diligenter epiſcopi, ut in imaginibus tam ſculptis quam pictis, loco ſacro jam illatis, vel deinceps inferendis, nihil inordinatum, nihil profanum, nihil inhoneſtum appareat; neque in intima altarium tabula, vivorum effigies depingantur.

## CAPUT II.

Imagines ſacras ſæculariter comptas, nec in templis, nec in proceſſionibus tolerent epiſcopi; & quæ ad ornatum ſupplicationum proponuntur, ejuſmodi ſint quæ oculos ſpectantium non offendant.

## CAPUT III.

Nemo eccleſiaſtici ordinis, laſcivas, & ob nuditatem vel aliter obſcœnas, & quæ pias mentes offendant, imagines in ſuis ædibus ac hortis ponat, vel retineat, ſub pœna arbitraria. Concionatores quoque contra hujuſmodi ima-

imaginum, quocumque etiam profano loco poſitarum, deteſtandum uſum, frequenter conciones ſuas inſtituant.

### CAPUT IV.

Reliquiæ ſanctorum in vaſis honeſtis, ſeu capſulis obſeratis, locoque honeſto (non tamen in tabernaculo ſanctiſſimi ſacramenti) aſſerventur; nec ex iis per alium, quam per ordinarium loci, aut ab eodem ad id poteſtatem in ſcriptis habentem, unquam educantur.

### CAPUT V.

Numquam etiam reliquiæ vel imagines in proceſſionibus deferantur, niſi per clericos ſacris initiatos, quantum fieri poteſt; neque tam longi itineris circuitu, ut aut populi devotio langueſcat, aut compotationibus aliiſque inſolentiis occaſio præbeatur.

## TITULUS XV.

*De ſuperſtitione.*

### CAPUT I.

NEmo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda ſuperſtitioſis remediis utatur; vel ſuper rebus deperditis, aut ſuper futuris eventibus, ac quibuſvis ſecretis, divinos, ſeu pro divinis ſe venditantes conſulere præſumat. Si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abſtinuerit, mox ipſi ordinario vel officiali denuntietur, juxta bullam Sixti V. editam contra exercentes aſtrologiæ judiciariæ artem, quæ incipit: *Cæli, & terræ Creator.*

### CAPUT II.

Et nihilominus hæc ſynodus mandat omnibus judicibus eccleſiaſticis, ut in exilium mittant vel mitti curent, omnes qui ſuper futuris eventibus aliiſque ſecretis reſponſa dant; eoſque qui tales conſulunt, graviter puniant, & multo gravius animadvertant in maleficos & incantatores, & etiam omnes qui vulgo Ægyptii vocantur.

### CAPUT III.

Et quoniam rudis populus ſæpe ex ignorantia ſuperſtitionibus inquinatur, parochi ſubditos ſuos diligenter de illis doceant, & inter cetera, ſuperſtitioſum eſſe, expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa nec ex ſua natura, nec ex inſtitutione divina, nec ex ordinatione vel approbatione eccleſiæ producere poteſt.

### CAPUT IV.

Nullus omnino exorcizare præſumat ſine licentia ordinarii in ſcriptis obtenta: nemo etiam utatur aliis exorciſmus, quam ab ordinario approbatis, vel poteſtate exorcizandi ulla ratione abutatur, ſub pœna perpetuæ privationis illius officii, & alia arbitraria.

## TITULUS XVI.

*De epiſcopis, & eorum officio, ac ſede vacante.*

### CAPUT I.

QUanto ſublimior eſt epiſcoporum dignitas, tanto etiam purior ac ſanctior debet eſſe ipſorum vita. Quare mores ſuos omnes ita componant, ut reliqui ab iis frugalitatis, modeſtiæ continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint; nihilque in eorum ſupellectili, menſa, victu, ac reliquo vitæ genere appareat, quod non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat.

### CAPUT II.

ET quia in tremendo ſtrictiſſimi judicii die, non pro ſeipſis tantum, ſed pro animabus etiam ſibi commiſſis rationem reddituri ſunt: ſummo ſtudio & continua vigilantia gregem ſuum paſcant, & regant; officiumque ſuum in omnibus, maxime quoad executionem decretorum concilii Tridentini, & hujus provincialis, cum omni diligentia & ſolicitudine explicent.

### CAPUT III.

Inter cetera meminerint oneris prædicandi verbi Dei, & totius diœceſeos ſingulis ſaltem bienniis viſitandæ.

### CAPUT IV.

Curent etiam ut jura & ſtipendia ſecretariorum, & aliorum quorumcumque miniſtrorum ſuorum, ſacris canonibus & decretis concilii Tridentini in nullo contrarientur: atque inſuper pro qualitate laborum & ratione ſumptuum ita ſint moderata, ut iis ſe gravari nemo jure conqueri poſſit: & ſi quis in eorum exactione exceſſiſſe deprehendatur, graviter puniatur; & relapſus, officio privetur.

### CAPUT V.

Meminerint epiſcopi ſe conformare decreto ac conſtitutioni concilii Tridentini ſeſſ. 25. De reform. cap. 1.

### CAPUT VI.

Cum primum ſedes epiſcopalis vacaverit, ſupplicationes ac preces publice, privatimque habeantur, atque a capitulo per civitatem & diœceſim indicantur, quibus clerus, populuſque bonum a Deo paſtorem valeat impetrare.

### CAPUT VII.

Vacante eadem ſede epiſcopali ſequentur cathedralia capitula in adminiſtratione dictæ ſedis; juxta conſtitutionem concilii Tridentini ſeſſ. 24. De reform. cap. 16.

### CAPUT VIII.

Facta novi epiſcopi nominatione, proceſſus ſuper ejus natalibus, vita, ætate, doctrina, & moribus, Romam tranſmittendus, fiat juxta diſpoſitionem bullæ Gregorii XIV. quæ incipit: *Onus apoſtolicæ ſervitutis.*



## TITULUS XVII.

*De archipresbyteris, paſtoribus, & cuſtodibus, eorumque officiis.*

### CAPUT I.

Adeptus paſtoratum, ultra profeſſionem fidei, faciet etiam ſubſequens juramentum, antequam cura animarum, vel poſſeſſio paſtoratus ei detur.

### CAPUT II.

*Ego N. juro & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem ſummo pontifici Romano, ac reverendiſſimo domino epiſcopo N. eorumdemque ſucceſſoribus. Item juro & promitto eccleſiæ meæ parochiali de N. fideliter deſervire ſecundum oneris illi annexi exigentiam, & in eo perſonaliter reſidere. Bona paſtoratus vel eccleſiæ meæ non alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare ſtudebo. Specificationem omnium fructuum paſtoratus mei, cum debita deſignatione hypothecarum, limitum & terminorum, intra annum a feſto nativitatis S. Joannis Baptiſtæ proxime venturo, archipresbytero tradam; fructus anni, in quo me mori aut meam eccleſiam dimittere continget, ſubjicio & obligo ad laudabilem deſervituram uſque ad feſtum nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, mortem vel dimiſſionem meam proxime ſubſecuturum. Sic me Deus adjuvet, &c.*

### CAPUT III.

Cum a concilio Tridentino conſtituta ſit certa ratio providendi rectoribus eccleſiarum parochialium de competentia vivendi: mandat ſynodus provincialis epiſcopis, ut iiſdem juxta præſcriptum dicti concilii de portione canonica provideant: quam quidem, computatis certis fructibus & emolumentis, ac incertis ſeu accidentalibus quæ ad certam ſummam communibus tribus aut quatuor annis ultimo præteritis redigi poſſunt, ſingulis paſtoribus, non infra triginta quinque libras, nullis autem ſupra quinquaginta libras groſſorum Flandriæ, iidem epiſcopi conſtituant; niſi eorumdem judicio parochiæ amplitudo aliquid amplius ultra quinquaginta libras requireret. Ut vero hæc omnia perfici poſſint, licebit epiſcopis per unionem vicinarum & minorum eccleſiarum, aut ſimplicium beneficiorum, vel per conceſſionem deſerviturarum, & alias propter idoneorum ſacerdotum raritatem, per modum proviſionis providere.

### CAPUT IV.

Si vero contingat oriri aliquam difficultatem paſtoribus in aſſignanda judicio epiſcopi dicta canonica portione; iidem epiſcopi, ſeu eorumdem vicarii aut officiales, ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, audita nuda petitione parochorum, ac eorum quorum intereſt reſponſione, & facta deſuper ſummaria informatione, quod ipſis parochis deeſſe comperierint, ad ſummam ſuperius taxatam per modum proviſionis adjudicabunt: & appellatio executionem non ſuſpendat.

### CAPUT V.

Eccleſiis parochialibus vacantibus curabunt epiſcopi & archidiaconi, ut quam fieri poterit citiſſime, iiſdem de idoneis paſtoribus provideatur, illique mox inſtituantur: & ſic a capta poſſeſſione, & inchoata reſidentia, pro rata temporis fructibus gaudeant.

### CAPUT VI.

Quandiu ob malignitatem horum temporum & raritatem idoneorum ſacerdotum, ſingulis pagis de proprio paſtore provideri non poteſt, ſed uni parocho duorum aut trium pagorum curam committere ordinarii coguntur; curent ejuſmodi deſervitores, ut onera miſſarum ſingulis paſtoribus incumbentia fideliter expleantur.

### CAPUT VII.

Archipresbyteri & paſtores decreta concilii Tridentini, necnon hujus & primæ ſynodi provincialis, ſæpe diligenterque legant; & quæ paſſim in iiſdem ponuntur officium ipſorum concernentia, quam diligentiſſime exequantur.

### CAPUT VIII.

Paſtores ab omnibus ad ſuas parochias commigrantibus, ſi eorum vitam & fidem aliunde cognitam non habuerint, exigant deſuper literas teſtimoniales ultimi ipſorum paſtoris: quæ ſi non exhibeantur, curiæ epiſcopi inſinuent, ut eas exhibere compellantur juxta edicta deſuper emanata.

### CAPUT IX.

Piorum legatorum diligentem curam habeant, & ſeriis monitionibus ſatagant, ut ante finem anni piis fundatorum voluntatibus ſatisfiat: alioquin ii quibus hoc onus incumbit ordinario denuntientur.

### CAPUT X.

Archipresbyteri ſinguli, ubi id juris ex conſuetudine habent, eccleſias parochiales, capellas & hoſpitalia, aliaque pia loca diſtrictus ſui, juxta commiſſionem ſibi ab ordinario datam vel dandam, quotannis viſitent; actaque viſitationis intra tempus ab ordinario præſcriptum vel præſcribendum, ad ipſum vel vicarium ejus generalem tranſmittant.

### CAPUT XI.

Inter cetera viſitaturi ſerio inquirant, an paſtores ipſi, ac reliqui ſacerdotes, & miniſtri eccleſiæ honeſte vivant; & an officio ſuo in prædicatione verbi Dei, celebratione miſſarum, adminiſtratione ſacramentorum, ac ceteris omnibus ſatisfaciant.

### CAPUT XII.

Videant etiam, an eccleſiæ & domus paſtorales & capellanorum ſint ſartæ tectæ.

### CAPUT XIII.

Advigilent quoque ut bona fabricarum, & pauperum, bene & fideliter adminiſtrentur.

### CAPUT XIV.

Capitula paſtorum ſinguli archipresbyteri quotannis celebrent, præciſe illo die quem ordinarius illis ſtatuet; ut ita ordinarius, ſi ita expedire judicaverit, vel aliquem ad ea mittere, vel iis ſignificanda ſcripto ſignificare poſſit.

### CAPUT XV.

Cuſtodes quarumcumque eccleſiarum parochialium, ac ſacellorum, præſtent juramentum de obedientia in his quæ officii ſui ſunt, exhibenda paſtori & æditnis. Item requiſiti dent cautionem pro his quæ illorum curæ committuntur, ac promittant ſe in officio divino & adminiſtratione ſacramentorum ſuperpelliceo uſuros: alioqui officio privandi. Et ſi cuſtodes non reſideant, teneantur providere eccleſiæ de idoneo aliquo ſubſtituto, cum ſtipendio ordinarii arbitrio illi conſtituendo.

### CAPUT XVI.

Sacerdotes quoque quando haberi poterunt, præ ceteris ad officia cuſtodum aſſumantur; ut hac ratione officium divinum honeſtius peragi, & ſcholæ de ludimagiſtro, & populo de miſſa matutinali proviſum eſſe poſſit.

## TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

*De vita & honeſtate clericorum eorumque correctione.*

### CAPUT I.

NEMO, etiam in ordine ſacro conſtitutus, fidejubeat: ſciantque omnes clerici ipſis non licere ullo pacto fori privilegio renuntiare; & ſi renuntiaverunt, nullam eſſe renuntiationem in eoſque ad ſacrorum canonum præſcriptum agi poſſe, & debere.

### CAPUT II.

Quilibet tonſuram habeat ſuo gradui & ordini congruam, eamque ſemper conſpicuam.

### CAPUT III.

Nemo beneficiatus, vel in ordine ſacro conſtitutus, barbam geſtet alatam: & quilibet ſacerdos ita inſuper ſuperius labrum reſciſſum habeat, ut ſanguinem Chriſti ſumpturo non ſit impedimento.

### CAPUT IV.

Etſi habitus non faciat monachum, tenentur tamen clerici oppidis veſtes geſtare ſuo ordini congruentes, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant: ideoque tunicas exteriores manicatas, & clericale biretum, quod eſt eccleſiaſticorum hominum proprium ſemper gerant: galerum vero [illegible] adhibeant, niſi cum ob adverſam valetudinem, aut aeris intemperiem, pluviamve ingruentem adhiberi oporteat; qui tamen ſericus non ſit, aut inſtar militarium turbinatus: quem etiam, cum primum in eccleſiam vel in ædes publicas præcipue ingreſſi ſunt, ſtatim deponant. Qui vero ruri agunt, veſtem interiorem, ut minimum, ad dimidium tibiarum uſque promiſſam habere debeant. Porro clerici viatores aut peregrinantes, ita ſe decenter ſuaque profeſſione digne gerant, ut eorum moribus, verbis, habituque modeſto per omnia glorificetur Deus. Et quoniam mundana curioſitas quotidianas adinvenit levitates, omnis ille habitus quibuslibet eccleſiaſticis perſonis interdictus ſit, a quo epiſcopus abſtinendum mandarit: & qui ab epiſcopo moniti, etiam per edictum publicum, honeſtum habitum clericalem non geſtaverint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, officio, & beneficio, ac fructibus, & redditibus, & proventibus ipſorum beneficiorum, necnon ſi ſemel correpti iterum in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coerceantur.

### CAPUT V.

Clerici quoque beneficiati, vel in ſacris conſtituti, decimas, cenſus, prædia, aut terras alienas non conducant, quæſtus faciendi gratia, neve ullam negotiationem ſæcularem exerceant, ſub pœna arbitraria.

### CAPUT VI.

Neque edendi vel bibendi cauſa tabernas ingrediantur, niſi peregrinationis, vel alia neceſſitate compulſi, ſub pœna arbitraria.

### CAPUT VII.

Ebrietas quemlibet hominem valde dedecet, quod mentis inducat exilium, ſed maxime perſonas eccleſiaſticas, quod præter peccati & ſcandali gravitatem etiam libidinis fomitem ſubminiſtret. Quare & tanto diligentius omnes ab ea ſibi caveant, & in eam lapſi pro gravitate delicti & ſcandali puniantur.

### CAPUT VIII.

Quoad concubinarios (ſi qui ſint, quod Deus avertat) vel ſuſpectam cum mulieribus conſuetudinem habentes, juxta decreta canonum & concilii Tridentini rigoroſe puniantur. Et hujuſmodi mulieres, ſi monitæ ab ordinario, ſe ab eorum conſuetudine non ſejunxerint, extra oppidum, vel diœceſim, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachio ſæculari, ejiciantur.

### CAPUT IX.

Et generaliter quæcumque a ſacris canonibus, præſertim concilii Tridentini, de vita, honeſtate, & modeſtia clericorum retinenda, & ſimul de luxu, luſibus, & quibuſcumque criminibus vitandis ſancita ſunt; eadem omnia ſub iiſdem pœnis tanquam hic repetita, hæc ſynodus ſervari mandat.

TITU-





## TITULUS DECIMUS NONUS.

*De beneficiis & officiis eccleſiaſticis, ac beneficiatorum reſidentia.*

### CAPUT I.

EX promotione inidoneorum miniſtrorum, eccleſiæ plurimum mali & ſcandali provenire res ipſa loquitur. Quare mandat ſynodus, ut non tantum epiſcopi, ætate, vel moribus, vel eruditione, vel aliter quomodocumque inidoneos, a ſuſcipiendis ordinibus arceant; verum etiam ut quælibet beneficia & officia eccleſiaſtica dignis tantum, & ſine acceptione perſonarum conferantur, utque in conferendis paſtoratibus ſervetur decretum concilii Tridentini ſeſſ. 24. c. 18. de reform. etiam quoad convocationem examinandorum per edictum publicum.

### CAPUT II.

Cum dignitates in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis ad conſervandam augendamque eccleſiaſticam diſciplinam ſint inſtitutæ, ut qui eas obtinent, pietate præcellant, & aliis ſint exemplo: ſtatuit hæc ſynodus, omnium eccleſiarum & monaſteriorum abbates, præpoſitos, prælatos, decanos, archidiaconos, archipresbyteros, pœnitentiarios, cantores, ſcholaſticos, theſaurarios, & canonicos cathedrales, nec non poſſeſſores capellaniarum, quas vocant, animarum, quæve ex fundatione perſonalem reſidentiam requirunt, & alios omnes beneficiorum, quibus aut cura animarum annexa eſt, aut onus ſimile incumbit, poſſeſſores, ad perſonalem reſidentiam in eccleſiis ſuarum dignitatum aut beneficiorum obligari & perſonaliter reſidere debere. Quod ſi id præſtare neglexerint, adverſus eos, ad ſacrorum canonum, ac ſacri concilii Tridentini præſcriptum procedetur.

### CAPUT III.

Si quis autem ex prædictis, ſeſe privilegio perpetuo aut temporali tutos & exemptos a perſonali reſidentia putent: dictum privilegium epiſcopo, ſeu ejus vicario intra tres menſes exhibeant, ut cognoſcat an ex veris cauſis conceſſum ſit, nec ne.

### CAPUT IV.

Beneficiati, neque ex fundatione, neque ex conſuetudine vel aliter ad perſonalem reſidentiam obligati, nihilominus onera miſſarum beneficiis ſuis incumbentia, in eccleſiis ubi ea fundata ſunt, plene ac debite expleri curent: alioquin hoc ipſo, etiamſi in loco privilegiato reſederint, a fructibus beneficiorum ſuorum ſuſpendantur, & ſuſpenſi maneant, donec debite docuerint de impleto onere miſſarum, ob cujus omiſſionem ſuſpenſi fuerant.

### CAPUT V.

Pluralitas beneficiorum, & certum continet animarum periculum, & totius ordinis eccleſiaſtici perverſio eſt: ideoque mandat hæc ſynodus exacte ſervari quicquid de ea in cap. De multa, X. De præbendis, ac in aliis ſacris canonibus, & præſertim in ſacro concilio Tridentino decretum & ſtatutum eſt.

### CAPUT VI.

Permutationes beneficiorum, quas vocant triangulas, & ſimplices reſignationes beneficiorum in favorem tertii, cum clauſula, *non aliter, neque alias*, improbat etiam hæc ſynodus, eaſdemque deinceps fieri prohibet.

## TITULUS VIGESIMUS.

*De ſcholiis.*

### CAPUT I.

EX bona educatione ac inſtitutione juventutis pendet pro magna parte ſalus totius reipublicæ. Quapropter ubicumque ſcholæ tam quotidianæ quam dominicales adhuc requiruntur; agant archipresbyteri cum magiſtratibus & præfectis locorum, ut eæ mox erigantur, ſimulque rationem ineant ipſis ludimagiſtris de annuis ſtipendiis providendi.

### CAPUT II.

Pauperes per ſubtractionem eleemoſynarum menſæ pauperum, alii vero aliis pœnis liberos alioſque domeſticos ſuos ad ſcholas dominicales, ac lectionem catechiſticam mittere, per magiſtratus & præfectos locorum ſine conniventia compellantur: eoque tempore, quo juventus in ſcholis inſtituitur, a tripudiis & aliis inſolentiis, quibus juvenes a ſcholis avocentur, omnino abſtineatur.

### CAPUT III.

Optat hæc ſynodus, ut tam in dominicalibus, quam aliis quibuſcumque ſcholis, maſculi a viris, & puellæ a mulieribus tantum inſtruantur: ubicumque tamen id obtineri non poterit, ſaltem locis, & interſtitiis maſculi, a puellis ſeparentur.

### CAPUT IV.

Scholæ ſcholaſticis capitulorum ſubjectæ, ab iiſdem ſcholaſticis; ceteræ omnes ab archipresbyteris, vel aliis ad id ab ordinario deputatis, ſingulis ſaltem ſemeſtribus ſerio viſitentur: nec ulli omnino libri in iis prælegantur, qui turpe aut obſcœnum quid contineant, quique ab ordinario approbati non ſint.

### CAPUT V.

Scholas dominicales frequentantes non tantum doceantur legere & ſcribere; verum etiam & quidem præcipue inſtituantur in rudimentis fidei: & ante omnia doceantur orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum fidei, præcepta decalogi & eccleſiæ, modumque confitendi, ac miſſæ ſacrificio inſerviendi: & qui grandiores ſunt, rationem etiam ſe parandi ad communionem.

### CAPUT VI.

Inſuper hortatur hæc ſynodus, ut in ſcholis Latinis doceatur cantus Gregorianus, necnon ut ludimagiſtri & ludimagiſtræ ſcholarum lin-

guæ vernaculæ, juventutem ſuam ſtatis diebus ad lectionem catechiſticam deducant, eoſque ibidem in officio contineant.

## TITULUS VIGESIMUS PRIMUS.

*De ſeminariis.*

### CAPUT I.

UBICUMQUE ſaluberrimum decretum concilii Tridentini de inſtituendis ſeminariis necdum executioni mandatum eſt; curent epiſcopi, illi plene ac debite ſatisfieri in proxima ſynodo Diœceſana, in ſingulis diœceſibus, quam citiſſime fieri poterit, celebranda. Ut autem hoc pro præſentis temporis ſtatu commode fiat, ſexageſimus denarius, aut plus minuſve, prout videbitur epiſcopo, cum conſilio eorum qui ex decreto dicti concilii Tridentini eidem ſunt adjungendi, e bonis eccleſiaſticis in qualibet diœceſi in hunc uſum applicetur.

### CAPUT II.

Inter alia doceantur cantum Gregorianum, & cærimonias eccleſiæ; & in illis ipſis, in cathedralibus & aliis eccleſiis exerceantur.

### CAPUT III.

Rector vel præſidens ſeminarii ad minimum ſingulis annis adminiſtrationis ſuæ computum fideliter reddat.

### CAPUT IV.

Quæ præterea pro pia inſtitutione ejuſmodi juventutis & ſeminariorum erectione, a ſacroſancta Tridentina ſynodo decreta ſunt ſeſſion. 23. cap. 18. De reformat. hic habeantur pro inſertis.

## TITULUS XXII.

*De elocatione & conſervatione bonorum eccleſiaſticorum.*

### CAPUT I.

QUÆ in prima ſynodo provinciali Mechlinienſi de conſervatione ac debita adminiſtratione bonorum eccleſiaſticorum decreta ſunt, eadem omnino amplectitur hæc ſynodus: & inſuper iis adjicit ea quæ ſequuntur.

### CAPUT II.

Bona eccleſiæ locare non liceat ultra tempus a jure permiſſum.

### CAPUT III.

Poſſeſſores quorumcumque beneficiorum, literas fundationum eorumdem, & omnium bonorum ad beneficia ſpectantium, decanis capitulorum vel archipresbyteris, quorum viſitationi ipſa beneficia ſubſunt, intra trimeſtre poſt publicationem præſentis ſynodi exhibeant, in archivis epiſcoporum vel capitulorum aſſervandas, sub pœna quatuor florenorum ſeminario applicandorum; vel ſi eas ſe habere negent, ſub juramento ſe deſuper expurgent.

### CAPUT IV.

Ubicumque regiſtra bonorum quorumcumque, collegiorum eccleſiaſticorum, beneficiorum, fabricarum, menſarum ſancti Spiritus, aliarumque piarum fundationum, a quindecim annis legitime renovata non fuerint, renoventur ea cum debita deſignatione limitum & conterminorum infra annum proximum, idque ſumptibus eorum in quorum utilitatem ſiunt.

### CAPUT V.

Et quia injuria horum temporum multa interciderunt munimenta bonorum eccleſiaſticorum: ut iniquis debitoribus, quos in poſterum forte ſolutionem denegare contingeret, obvietur; mandat hæc ſynodus univerſis beneficiatis hujus provinciæ, ut ſinguli legitima faciant manualia, in quibus annuam ſolutionem ita ſignent, ut ex eiſdem manualibus ſucceſſu temporis legitima poſſeſſio probari poſſit. Et hæc ipſa manualia quotannis a decanis viſitentur, & ſucceſſoribus gratis relinquantur.

### CAPUT VI.

In ſingulis eccleſiis parochialibus & ſacellis fiat inventarium omnium ornamentorum, & quorumcumque aliorum bonorum mobilium ad ipſam eccleſiam, vel ſacellum pertinentium; idemque inventarium a paſtore, vel rectore ſacelli, ac ædituis ſubſignetur; atque ita ſubſignatum cum ceteris munimentis debite aſſervetur.

### CAPUT VII.

Paſtores, & quicumque alii beneficiati, domos beneficiorum ſuorum integras conſervent, ac debite reparent, niſi reparatione earumdem ab aliis fieri debere certo conſtet. Archipresbyteri, ubi ipſis id juris ex conſuetudine competit, illas ſingulis annis ſerio viſitent; & quando eas reparatione indigere advertent, eam mox fieri mandent; & non obedientes denuntientur epiſcopo, vel ejus vicario generali, ut ad debitas reparationes faciendas, prout juris & rationis fuerit, compellantur, & pro præterita negligentia etiam puniantur. Si vero ad hujuſmodi reparationes obligatos, iis necdum perfectis, ex hac vita migrare contigerit: bona domorum mortuariarum, eorumque qui beneficia ſua dimiſerunt, arreſtentur, & arreſtata maneant donec eæ perfectæ fuerint.

### CAPUT VIII.

Rationes fabricarum, & menſarum pauperum, aliarumque piarum fundationum, ſingulis annis ubique reddantur; vel ſaltem, ubi tenuiores ſunt earum proventus, ſingulis bienniis: & de decennio in decennium contineant plenam ſpecificationem quantitatis, limitum & conterminorum, ſilvarum, pratorum, ac terrarum arabilium; nec non expreſſam deſignationem tam fundorum & ædium, ſuper quibus redditus, vel cenſus hypothecati ſunt, quam ædium



ædium & fundorum iiſdem hypothecis adjacentium & conterminorum.

### CAPUT IX.

Certi quoque dies ad audiendas rationes ubique conſtituantur: & ſi eorum, quibus rationum redditio incumbit, culpa vel negligentia evenerit, quominus ſtatuto tempore redditio illa facta fuerit, ſinguli eorum multentur; & multa applicetur fabricæ, menſæ pauperum, vel fundationi, cujus computus reddi debuerat.

### CAPUT X.

Ordinarii ipſi per ſe, vel ſaltem per archipresbyteros, vel alios ad id deputandos, non tantum fabricarum, & menſarum pauperum, ſed etiam hoſpitalium, domorum, orphanorum, ac quorumcumque locorum piorum computus ſemper audiant: & examinatis præcedentibus computibus videant num eorum concluſiones debite purgatæ, ſeu reliqua eorum plene ſoluta ſint; utque omnia debite adminiſtrentur, diligenter advigilent.

### CAPUT XI.

Hoſpitalia in ſubſidium peregrinorum erecta, hiſtrionibus, aleatoribus, aliiſque id generis hominibus non pareant: nec in iis viri cum feminis verſari permittantur, etiamſi ſe matrimonio junctos eſſe aſſeverent.

### CAPUT XII.

Decretum concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 11. De reformat. contra occupatores quorumcumque bonorum & jurium eccleſiæ ſubinde populo per concionatores inculcetur, eumque in finem hæc ſynodus illud de verbo ad verbum hic inſerendum cenſuit: *Si quem clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate etiam imperiali aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus eccleſiæ, ſeu cujuſvis ſæcularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumve piorum locorum juriſdictiones, bona, cenſus ac jura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe vel alios, vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum aut laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, pervenerint, eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori ſive beneficiato, integre reſtituerit, ac deinde a Romano pontifice abſolutionem obtinuerit; quod ſi ejuſdem eccleſiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus ultra prædictas pœnas eo ipſo privatus exiſtat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis & uſurpationis hujuſmodi fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat; necnon quibuſcumque beneficiis privatus ſit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & a ſuorum ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem, ſui ordinarii arbitrio ſuſpendatur.*

### CAPUT XIII.

DENIQUE quicumque habent reliquias, ornamenta, munimenta, vel alia quæcumque, ad eccleſias, hoſpitalia, monaſteria, aliave loca pia diruta vel deſerta, ſive rectoribus deſtituta, quo modolibet ſpectantia, ad archivia epiſcopi deferre teneantur ibidem conſervanda.

## TITULUS XXIII.

*De reparatione eccleſiarum.*

CUM infinitæ quotidie oriantur lites ſuper reparatione eccleſiarum, ſtante hoc civili bello deſtructarum, eo quod epiſcopatus hujus provinciæ ſint in diverſis ducatibus & comitatibus, & proinde non ubique eædem ſint conſuetudines: viſum fuit huic ſynodo per modum proviſionis, & ſine alicujus præjudicio, ex communi juris diſpoſitione per ſacrum concilium Tridentinum innovati, certam ſuper hac re ineundam eſſe rationem, cui omnes ſeſe conformare teneantur, poſteaquam ſuper eadem cum ſereniſſimis ſuis celſitudinibus maturius actum fuerit.

## TITULUS XXIV.

*De regularibus & monialibus.*

### CAPUT PRIMUM.

MEMINERINT ſuperiores monaſteriorum, & domorum tam virorum, quam mulierum, decreti concilii Tridentini, quo ſtatuitur, ut is tantum numerus conſtituatur ac conſervetur, qui vel ex redditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

### CAPUT II.

Curæ ſit etiam epiſcopis, & aliis ſuperioribus, ut juxta decretum dicti concilii, extraordinarium confeſſarium bis aut ter in anno monaſteriis ſanctimonialium offerant, qui non unius vel alterius tantum, ſed omnium omnino confeſſiones audire debeat: & certi ad hoc dies ubique præfigantur.

### CAPUT III.

Sciant ſimiliter ipſæ ſanctimoniales, etiam exemptæ, ſibi non licere poſt profeſſionem, etiam ad breve tempus, monaſterium egredi; niſi ob aliquam ex tribus cauſis expreſſis conſtitutione ſanctæ memoriæ Pii V. hac de re edita, quæ inviolabiliter eſt obſervanda.

### CAPUT IV.

Cetera omnia de regularibus, ac monialibus in concilio Tridentino, & in prima ſynodo provinciali Mechlinienſi decreta amplectens & innovans hæc ſynodus inſuper addit ea quæ ſequuntur.

CAPUT V.

In conventuali religioſorum & monialium menſa lectio ſacra, quantum res patitur, nunquam omittatur.

CAPUT VI.

Prælati regularium eos tantum ſubditis ſuis confeſſarios deputent quos prævio examine per ſe vel lectorem ſuum facto, invenerunt ſufficienter idoneos.

CAPUT VII.

Libertati profeſſionis virginum Deo dicandarum hæc ſynodus proſpicere volens, hoc præſenti decreto tollit omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ dictæ libertati aliquo modo officere poſſunt. Prohibet itaque, ne quarumcumque virginum capilli ante profeſſionem reſecentur; mandatque ut epiſcopi, vel ab eis deputati, earumdem virginum voluntatem, tam ante ſuſceptionem habitus, quam ante profeſſionem, ſacro Tridentino concilio ita jubente, diligenter explorent, non aliter tamen quam eas ſolas eſſe certo cognoſcant.

CAPUT VIII.

Valde dedecet in monaſteriis tam virorum, quam mulierum, hoſpitibus advenientibus vina & cerviſiam vendi: atque ideo etiam hæc ſynodus id fieri diſtricte prohibet, ſub pœna arbitraria.

CAPUT IX.

Si decreto concilii Tridentini de lectione ſacræ ſcripturæ in monaſteriis religioſorum habenda, negligentia prælatorum alicubi non ſatisfiat, epiſcopi locorum, auctoritate a dicto concilio ſibi attributa, id debite procurent.

TITULUS XXV.

*De foro, juriſdictione & immunitate eccleſiaſticis.*

CAPUT I.

ORDINARII locorum, eorumque officiales, juxta decretum concilii Tridentini, cauſas omnes, etiam beneficiales, ſaltem infra biennium a die motæ litis terminent: alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum, judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire.

CAPUT II.

Judices appellationum eas non recipiant, niſi a definitiva, vel definitivæ vim habente, & cum gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat; prout per concilium Tridentinum decretum eſt.

CAPUT III.

Ut in ceteris omnibus, ita quoque vel maxime in adminiſtranda juſtitia, quoad ſtatuta



A curiarum, ſalaria, & ſtipendia miniſtrorum & practicorum earum, ceteraque hujuſmodi, uniformitatem in tota provincia ſervari expedit. Et ideo ſtatuit præſens ſynodus, ut uniformis & moderata ratio, deſuper ejuſdem ſynodi auctoritate conſtituenda, ab omnibus, quos concernit, obſervetur.

CAPUT IV.

In correctionibus conforment ſe epiſcopi decreto concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 3. ut nimirum rarius cenſuris utantur, ſed aliis mediis ibidem a concilio præſcriptis.

CAPUT V.

B Ut ſatisfiat decreto concilii Tridentini, quod jubet in ſingulis conciliis provincialibus, aut diœceſanis, aliquot perſonas juxta conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *Statutum, &c.* qualificatas, & alioquin ad id aptas deſignari, quibus præter ordinarios locorum, cauſæ eccleſiaſticæ in partibus delegandæ, a quolibet legato vel nuntio; atque etiam ab ipſa ſede apoſtolica committantur: præſens ſynodus deſignat, & nominat perſonas infraſcriptas, earumque nomina, cognomina, & qualitates ad ſuam ſanctitatem tranſmittenda eſſe ſtatuit.

C *IN ARCHIEPISCOPATU MECHLINIENSI pro idoneis nominati & deſignati ſunt.*

MEchliniæ, D. Henricus Franciſcus Vander Burch, I. V. licentiatus, decanus eccleſiæ metropolitanæ Mechlinienſis, & vicarius generalis archiepiſcopatus ejuſdem.

D. ac M. Petrus Vanden VViele, S. theologiæ licentiatus, ejuſdem eccleſiæ metropolitanæ archidiaconus.

D. Jacobus Boonen, I. V. licentiatus, canonicus & officialis Mechlinienſis.

*Lovanii*, Reverendus pater D. Libertus Schaloun, abbas Ulierbacenſis.

D Reverendus pater D. Joannes Druſius, S. theologiæ licentiatus, abbas Parcenſis.

Reverendus pater D. Ludovicus ab Eynatten, abbas S. Gertrudis, & conſervator privilegiorum univerſitatis Lovanienſis.

*Bruxellæ*, D. Petrus Pantinus, decanus inſignis eccleſiæ collegiatæ S. Gudilæ Bruxellenſis, protonotarius apoſtolicus.

D. Cæſar Clemens, S. theologiæ doctor, decanus eccleſiæ collegiatæ Anderlechtenſis, protonotarius apoſtolicus.

D. Cornelius VVorzel, S. T. licentiatus, decanus Bredanus, & plebanus Bruxellenſis.

*In epiſcopatu Gandenſi*, D. ac M. Adrianus

E Varræus, S. T. licentiatus, cathedralis eccleſiæ S. Bavonis præpoſitus.

D. ac M. Petrus Bernaerts, S. Th. licentiatus, ejuſdem eccleſiæ decanus.

Reverendus pater D. Livinus Vander Meulen, abbas Thrunchinienſis.

D. Franciſcus del Rio, I. V. licentiatus, canonicus eccleſiæ cathedralis S. Bavonis, & officialis Gandavenſis.

D. ac M. Philippus Iadaert, S. T. licentiatus, eccleſiæ collegiatæ S. Pharaildis decanus.

*In epiſcopatu Buſcoducenſi*, D. ac M. Gisbertus Coeverinix, S. Th. licentiatus, & eccleſiæ cathe-





A dralis decanus, deſignatus epiſcopus Daventrienſis.

Reverendus pater D. Arnoldus Veſſemius, abbas monaſterii Bernenſis.

D. Everardus de Raveſteyn, I. V. licentiatus, canonicus dictæ cathedralis eccleſiæ, & officialis.

*In epiſcopatu Ruremundenſi*, D. ac M. Petrus Pollive, S. T. doctor, cathedralis eccleſiæ Ruremundenſis decanus.

D. Fredericus Joannis, cantor ejuſdem eccleſiæ, & canonicus.

D. Guilelmus Randeraet, I. V. licentiatus, & ejuſdem eccleſiæ canonicus.

*In epiſcopatu Brugenſi*, D. ac M. Nicolaus de

B Heere, eccleſiæ cathedralis Brugenſis decanus.

Reverendus pater D. Joannes de Bourier, abbas monaſterii S. Andreæ.

Reverendus pater D. Joannes Montanus, abbas monaſterii de Eeckhoudt.

D. ac M. Arnoldus a Mechlinia S. T. licentiatus, eccleſiæ cathedralis archidiaconus, & canonicus.

D. Remigius Driutius, I. V. licentiatus, canonicus ejuſdem eccleſiæ, & officialis.

D. ac M. Dionyſius Chriſtophori, S. T. licentiatus, ejuſdem eccleſiæ canonicus, & ſcholaſticus.

*In epiſcopatu Antuerpienſi*, D. Joannes del Rio, I. V. licentiatus, decanus eccleſiæ cathedralis

C Antuerpienſis, & vicarius epiſcopatus ejuſdem, & protonotarius apoſtolicus.

Reverendus pater D. Dionyſius Feyten, abbas monaſterii S. Michaelis.

D. Cornelius de VVitte, S. T. licentiatus, archidiaconus & canonicus dictæ cathedralis eccleſiæ.

D. Joannes Gevarts, I. V. licentiatus, ejuſdem eccleſiæ canonicus & officialis.

D. Antonius Heylſvvigen, I. V. licentiatus, ejuſdem eccleſiæ canonicus & theſaurarius.

D. ac M. Aubertus Miræus, S. T. baccalaureus, canonicus & ſcholaſticus ejuſdem eccleſiæ.

*In epiſcopatu Yprenſi*, D. Iudocus Veranneman, eccleſiæ cathedralis decanus.

D Reverendus pater D. Carolus de Argenteau, monaſterii S. VVinoci abbas.

Reverendus pater D. Vincentius du Boer, monaſterii S. Joannis abbas.

D. Carolus van Houcke, I. V. licentiatus, cathedralis eccleſiæ archidiaconus & canonicus.

D. Ludovicus Vlaminck, I. V. licentiatus, ejuſdem eccleſiæ cathedralis theſaurarius.

D. Franciſcus de Montmorency, eccleſiæ collegiatæ oppidi Caſletenſis præpoſitus.

Si quempiam ex prænominatis ante proximam ſynodum provincialem, aut diœceſanam mori contigerit, epiſcopus cum conſilio capituli alium uſque ad proximam ſynodum conſtituet, eandemque ſubſtitutionem ad ſedem apoſtolicam

E tranſmitti curabit.

TITULUS XXVI.

*De ſynodo provinciali & diœceſana.*

CAPUT I.

CONCILIO provinciali, vel diœceſano, debite convocato, omnes qui de jure vel conſuetudine illi intereſſe debent, die & loco præfixis perſonaliter comparebunt; niſi legitime impediti fuerint; quo caſu tempeſtive de



cauſa impedimenti fidem facient; & nihilominus procuratorem virum eccleſiaſticum mittent, non tantum ad audiendum & referendum, ſed etiam ad deliberandum, & agendum, quæ principalis faceret, ſi perſonaliter intereſſet; necnon ad ſimpliciter acceptandum & recipiendum quæcumque in ipſa ſynodo ſtatuta & decreta fuerint.

CAPUT II.

Contra abſentes non legitime excuſatos, vel qui procuratorem ſufficienti mandato inſtructum non miſerint, primum ad contumaciam etiam per affixionem edicti publici ad valvas loci in quo concilium celebrabitur, deinde ad alias pœnas juxta canonicas ſanctiones decernendas procedatur.

CAPUT III.

Nemo, ſine licentia præſidis concilii, a concilio recedere audeat; neque tunc aliter quam ſufficienti conſtituto procuratore.

CAPUT IV.

Quod ſi epiſcopi, & alii qui intereſſe debent, a noviſſimo concilio circa hæc aliquid obſervaverint, quod in futuro concilio proponendum videatur, id uno menſe ante diem præfixum ipſi metropolitano per literas ſignificent.

CAPUT V.

Quæcumque in hac provinciali ſynodo ad majorem Dei gloriam, & animarum ſalutem ſtatuta ſunt per univerſam Mechlinienſem provinciam, per ſingulas diœceſes intra annum diœceſanis ſynodis publicanda ſunt; ad quos omnes omnino tam exempti, quam non exempti, ut publicari ea audiant & ad ea ſe conforment ex decreto Tridentinæ ſynodi ſeſſ. 24. de reform. cap. 2. accedere tenebuntur.

Quæ reliqua ſunt reformationem concernentia, & tempore exiguo expediri non potuerunt, epiſcopi in proxima ſynodo diœceſana ſtatuant, prout utilitatem eccleſiæ poſtulare judicabunt. Mandat poſtremo hæc eadem ſynodus provincialis, ut quæcumque tam in concilio Tridentino, quam in hac ipſa ſynodo decreta & ſtatuta ſunt, poſt impreſſionem inviolabiliter obſerventur; omnia interim & ſingula cenſuræ & judicio ſedis apoſtolicæ quam humillime ſubmittens. Actum Mechliniæ anno domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo die decima nona menſis Julii. *Subſignatum*:

Matthias archiepiſcopus Mechlinienſis.
Petrus Damant epiſcopus Gandavenſis.
Gisbertus Maſius epiſcopus Buſcoducenſis.
Henricus epiſcopus Ruremundenſis.
Carolus Philippus de Rodoan epiſc. Brugenſis.
Joannes Miræus epiſcopus Antuerpienſis.
Carolus Maſius epiſcopus Yprenſis.

Ante horum decretorum publicam lectionem reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus præſidens, re cum reverendiſſimis dominis coepiſcopis communicata, ſequentem ſchedulam de ſcripto pronuntiavit, eamque hic ad calcem ad verbum adſcribi mandavit:

*Reverendi, ac venerabiles domini: rerum de quibus hactenus hic actum eſt multitudo, & gravitas merito tempus extenſius requirerent, & longius,*

ANNO CHRISTI 1607.

*gius, præſertim cum de pleriſque etiam ſint conſulendæ ſereniſſimæ celſitudines ſuæ, quarum protectione ſperamus faciliorem executionem. Sed cum reverentiæ veſtræ ſæpius nobis expoſuerint, quanto cum damno ab ovibus ſuis abſint, & quanto hic ſumptu detineantur, ideoque ſe non ferre diuturniorem moram: viſum eſt reverendiſſimis patribus hujus ſynodi, vos cum bona venia ſua dimittere, declarando, & conſueto modo publicando, quod vobis auditis, & expenſis rationibus veſtris, & ſuis, decernendum & obſervandum videtur.*

Poſt cujus ſchedulæ pronuntiationem prædicta concilii decreta publice lecta fuerunt, die vigeſima menſis Julii anni milleſimi ſexconteſimi ſeptimi. In cujus rei fidem nos infra ſcripti ejuſdem concilii ſecretarii propria manu ſubſcripſimus.

Petrus Pantinus, protonotarius apoſtolicus, decanus eccleſiæ S. Gudilæ Bruxellenſis.

Dionyſius Chriſtophori, cathedralis eccleſiæ Brugenſis canonicus & ſcholaſticus.

## TESTIMONIUM

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI domini D. cardinalis Pamphilii ſuper facta recognitione concilii provincialis Mechlinienſis, ab illuſtriſſimis & reverendiſſimis DD. DD. cardinalibus interpretibus ſacri concilii Tridentini.

*NOS Hieronymus tituli ſancti Blaſii de annulo S. R. E. cardinalis Pamphilius, fidem facimus & atteſtamur, decreta confecta in provinciali ſynodo a reverendiſſimo D. archiepiſcopo Mechlinienſi, eaque a R. D. Dionyſio Chriſtophori, cathedralis eccleſiæ Brugenſis canonico ipſiuſque archiepiſcopi procuratore ad ſanctiſſimum D. N. perlata, a ſacra congregatione cardinalium concilio Tridentino interpretando præpoſitorum emendata, recognita, atque aptata fuiſſe: necnon eorumdem decretorum exemplum apud ipſam congregationem remanſiſſe; cum quo hujuſmodi decreta hoc libello chartarum* XXXIX. (*quarum prima incipit* Decreta, *&c. ultima vero,* potuerunt, *&c. & deſinit,* Eccleſiæ Brugenſis canonicus & ſcholaſticus) *deſcripta & collata in omnibus & per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infraſcripto ſecretario item ſubſcibi, ſigillique noſtri impreſſione communiri mandavimus. Datum Romæ, die* III. *Aprilis anno* MDCVIII.

Hieronymus cardinalis Pamphilius.

Joannes Franc. Fagnanus ſacræ congregationis concilii ſecretarius

## B R E V E

Sanctiſſimi D. N. Pauli PP. V. ſuper confirmatione concili provincialis Mechlinienſis.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopo & epiſcopis provinciæ Mechlinienſis Paulus PP. V.*

VENERABILES fratres, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Acta ſynodi provincialis Mechlinienſis a fraternitatibus veſtris nuper habitæ, quæ dilectus filius Dionyſius Chriſtophori canonicus & ſcholaſticus eccleſiæ Brugenſis ad nos detulit, ut, ſi nobis probarentur, illa confirmaremus auctoritate noſtra apoſtolica; nonnullis mutatis, ut videbitis, approbavimus: recognita prius mandato noſtro, a venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, interpretibus ſacri concilii Tridentini. Laudamus valde, fratres venerabiles, zelum pietatis, prudentiam, & vigilantiam veſtram, quam in hujuſmodi decretis ſanciendis agnovimus; ac Deum ſapientiæ & miſericordiarum patrem precamur, ut quotidie in vobis augeat dona divinæ ſuæ gratiæ, ut miniſterii veſtri ac laborum, quos ad ejus ſanctiſſimi nominis gloriam, & animarum ſalutem ſuſcipitis, præmia benignus vobis retribuat, cum reddideritis rationem villicationis veſtræ. Quemadmodum etiam hortamur, atque apoſtolica auctoritate, quam a Dei benignitate licet immeriti accepimus, jubemus, ut ejus ſynodi decreta omnia, quæ ad ſacrorum canonum præſcriptum omnes iſtius provinciæ epiſcopos omneſque eorum diœceſanos obſtringunt, ab omnibus quam diligentiſſime & inviolate ſerventur: ac vobis omnibus apoſtolicam benedictionem noſtram peramanter largimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, quarto Kal. Maii, MDCVIII. pontificatus noſtri anno tertio.

*Petrus Stroza.*

## ALIUD TESTIMONIUM

Examinati concilii, ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo D. cardinale Pamphilio directum reverendiſſimo & illuſtriſſimo D. archiepiſcopo Mechlinienſi.

Perilluſtri ac reverendiſſimo domino uti fratri D. archiepiſcopo Mechlinienſi.

*PERILLUSTRIS ac reverendiſſime domine, Uti frater: Provincialem ſynodum Mechlinienſem ab amplitudine tua adhibitis comprovincialibus epiſcopis noviſſime celebratam, & a reverendo domino Dionyſio Chriſtophori cathedralis eccleſiæ Brugenſis canonico & ſcholaſtico, amplitudinis tuæ, & ipſorum comprovincialium epiſcoporum procuratore exhibitam ejuſque decreta ad mores moderandos, exceſſus corrigendos, abuſus iſthic bellorum præſertim injuria, atque hæreticorum artibus introductos, eradicandos, pie ac ſapienter confecta, illuſtriſſimi cardinales Tridentini concilii, ſanctiſſimi D. N. auctoritate interpretes, pro munere ſibi injuncto diligenter recognoverunt, atque ubi oportuit, etiam emendarunt. Itaque illam ipſam ſynodum ad amplitudinem tuam nunc remittimus, pro ſui muneris debito edendam, publicandam, & ſedulo in iſta provincia obſervandam, ut egregia, ac pientiſſima opera, & induſtria ſaluberrimique laboris fructus quos ſibi initio propoſuit, uberiores in dies, adjuvante domino, percipiat. Quod ut cumulate & quam celerrime fiat, nos ſummis precibus a divina benignitate contendimus, amplitudinique tuæ ſalutem plurimam precamur in domino. Romæ die* X. *Aprilis, anno* MDCVIII.

Amplitudinis tuæ perilluſtris ac reverendiſſime Uti frater ſtudioſiſſimus Hieronymus cardinalis Pamphilius.

Secundæ literæ prænominati illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini D. cardinalis Pamphilii ad dictum reverendiſſimum & illuſtriſſimum D. archiepiſcopum Mechlinienſem, teſtantes omnium proteſtationum in examine & recognitione hujus concilii eam habitam rationem, quam jus & ratio requirit, ideoque illud jam omnes obligare.



ANNO CHRISTI 1607.

Perilluſtri ac reverendiſſimo domino Uti fratri D. archiepiſcopo Mechlinienſi.

*PErilluſtris ac reverendiſſime domine Uti frater. Synodum provincialem Mechlinienſem ab amplitudine tua adhibitis comprovincialibus epiſcopis noviſſime celebratam, a ſacra congregatione cardinalium concilii Tridentini interpretum recognitam, ac nonnullis opportune immutatis probatam fuiſſe, jam aliis literis pro munere noſtro atteſtati ſumus. Nunc ne cuipiam adverſus ipſum concilium, prudenter ac moderate unanimi epiſcoporum conſenſu confectum, conquerendi anſa, aut occaſio ulla ſuperſit: ſuperaddere placuit, quod reipſa verum, illuſtriſſimos patres in ea recognitione, atque emendatione, proteſtationes iſtic habitas, ac in ipſa ſynodi calce deſcriptas, perlegiſſe, expendiſſeque, ac earum, quantum ſacri canones juſtitiæ norma ſuadebant, rationem habuiſſe. Illam igitur ipſam ſynodum, ejuſque decreta incunctanter exequantur. Amplitudo tua, quando jam nullum obſiſtit impedimentum, & bene valeat in domino, a quo diuturnam illi incolumitatem cum ejus gratiæ incremento precamur. Romæ, die* XXIII. *Maii,* MDCVIII.

Amplitudinis tuæ, perilluſtris ac reverendiſſime Uti frater, ſtudioſiſſimus Hieronymus cardinalis Pamphilius.

ANNO CHRISTI 1609.

# CONCILIUM PROVINCIALE NARBONENSE

Habitum anno domini MDCIX.

## INDEX TITULORUM.


I. *DE profeſſione fidei.*
II. *De rudimentis fidei.*
III. *De libris vetitis.*
IV. *De divini verbi prædicatoribus: & præbenda theologali.*
V. *De cuſtodia euchariſtiæ.*
VI. *De reliquiis, & veneratione ſanctorum.*
VII. *De imaginibus.*
VIII. *De Blaſphemis.*
IX. *De feſtorum dierum cultu.*
X. *De obſervatione jejuniorum.*
XI. *De hæreticis.*
XII. *De indulgentiis.*
XIII. *De ſacramentis in genere.*
XIV. *De ſacramento baptiſmi.*
XV. *De ſacramento confirmationis.*
XVI. *De ſacramento pœnitentiæ.*
XVII. *De caſibus reſervatis.*
XVIII. *De ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento.*
XIX. *De miſſæ ſacrificio.*
XX. *De clericis peregrinis & vagis.*
XXI. *De ſacramento ordinis.*
XXII. *De matrimonio.*
XXIII. *De extrema unctione.*
XXIV. *De ſepulturis.*
XXV. *De teſtamentis.*
XXVI. *De epiſcopis.*
XXVII. *De viſitatione.*
XXVIII. *De ſynodo diœceſana.*
XXIX. *De concilio provinciali.*
XXX. *De capitulo & canonicis.*
XXXI. *De beneficiis conferendis.*
XXXII. *De parochis ſeu curatis, & reſidentia eorumdem.*
XXXIII. *De abbatibus regularibus, & monialibus.*
XXXIV. *De confraternitatibus.*
XXXV. *De purgatoriis.*
XXXVI. *De capellanis capellaniarum.*
XXXVII. *De fabricis eccleſiarum.*
XXXVIII. *De hoſpitalibus.*
XXXIX. *De eccleſiis & altaribus.*
XL. *De miſſali & officio divino.*
XLI. *De vita & honeſtate clericorum.*
XLII. *De foro eccleſiaſtico.*
XLIII. *De officialibus foraneis.*
XLIV. *De monitoriis & excommunicationibus.*
XLV. *De ſimonia & confidentia.*
XLVI. *De uſurariis, concubinariis, & adulteris.*
XLVII. *De decimis.*
XLVIII. *De pœnis.*
XLIX. *Concluſio concilii.*
L. *Subſcriptiones epiſcoporum.*


IN NOMINE SANCTISSIMÆ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen.

*STATUTA ET DECRETA CONCILII provincialis Narbonæ habiti, anno domini milleſimo ſexconteſimo nono, in eccleſia ſancta & metropolitana, ſub illuſtriſſimo & reverendiſſimo in Chriſto patre, & domino, domino Ludovico de Vervins, archiepiſcopo ſanctæ primæ ſedis Narbonæ, primate & præſidente.*

NOs Ludovicus de Vervins, Dei & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus ſanctæ primæ ſedis Narbonæ, primas, & præſidens natus comitiorum generalium trium ordinum provinciæ Occitaniæ, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum dominorum coepiſcoporum noſtrorum in provinciali ſynodo Narbonenſi, hæc ſtatuimus.

## CAPUT I.

AD tollendos Gentium errores miſſi apoſtoli, qui prius docere, tum baptizare debebant, [a] & uno quaſi inter ſe dato ſymbolo a falſis prophetis in veſtimentis ovium venienſibus, cum lupi rapaces eſſent, diſcernerentur, ſimul in unum congregati qui paulo poſt ſejuncti diverſas permeare debebant terras, uno ore totius fidei noſtræ compendium profeſſi, hoc præciſe prædicari ſtatuerunt: & merito, cum teſtante apoſtolo, ſine fide quæ radix eſt, & aliarum virtutum fundamentum, impoſſibile ſit Deo placere: ne quaſi arbores autumnales eradicatæ, errorum & hæreſeon tempeſtatibus & ventis proſtrati, ſine fructu reperirentur. Nec aptius unquam ad refellendos errores, & hæreſeon inſultus repellendos excogitavit remedium eccleſia, quam ſi coetus omnium in

[a] Forte, ut uno. it.

ANNO CHRISTI 1609.

in Spiritu ſancto congregatorum apoſtolorum fidei ſacram confeſſionem, pro neceſſitate explanatam profiteretur. Hoc præſtitere concilia œcumenica & a nobis id fieri expoſcunt, & ſuo quodammodo jure imperant: nec in hoc fas eſt uti præcepto, ad quod omni jure invitamur, & volentes impellimur. Idcirco de divinis rebus & eccleſiaſticis officiis, ad Dei gloriam & eccleſiæ incolumitatem ſalutemque ſpectantibus tractantes in hac ſynodo legitime congregata, ut quod bonum eſt firmiſſima fide fundemus, ſpe erigamus, & caritate muniti in omnibus Deo inſpirante perficiamus: a fidei profeſſione, juxta receptum eccleſiæ univerſalis ritum initium ſumendum eſſe duximus, in hanc quæ ſequitur formam.

EGO N. firma fide credo & profiteor, omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine, ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram patris: Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur: qui locutus eſt per prophetas. Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones, firmiſſime admitto & amplector.

Item ſacram ſcripturam, juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque eſſe vere & proprie ſeptem ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta: atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria: ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem & matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his baptiſmum, confirmationem & ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum adminiſtratione, recipio & admitto.

Omnia & ſingula quæ de peccato originali & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo, definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum proprium & propitiatorium ſacrificium, pro vivis & defunctis: atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam converſionem, catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe: eoſque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum, habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem affirmo.

Sanctam, catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici, beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cetera item omnia a ſacris canonibus & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo, tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque, ab eccleſia damnatas & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno rejicio & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime Deo adjuvante, retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectat, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum: ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia.

Hanc eamdem fidei profeſſionem, quam nos archiepiſcopus, & epiſcopi comprovinciales & ſuffraganei noſtri, abbates, & omnes in hac noſtra ſynodo provinciali congregati, ſponte profeſſi ſumus: mandavimus, ut omnes qui ad quæcumque aut qualiacumque officia, onera & beneficia eccleſiaſtica, regularia aut ſæcularia, cum, vel ſine cura, in poſterum promovebuntur, priuſquam fructus eorumdem faciant ſuos, aut poſſeſſio (potius intruſio tunc dicenda eſt) illis ſuffragetur, in manibus ordinariorum beneficii ſibi collati, ſive ſæculares ſint aut regulares, emittant: & de eadem in collationum libris mentionem facere tenebuntur. Quod ſi abſentibus fiat collatio, tenebitur proviſus, coram ordinario loci in quo reſidet, eamdem fidei profeſſionem emittere, & de hoc fidem in forma publica facere collatori dicti beneficii infra tres menſes: & hoc toties quoties novam proviſionem, aut ordinationem obtinebunt.

Eam-



ANNO CHRISTI 1609.

Eamdem profitebuntur ſcholarum magiſtri, & qui ad ſacros ordines promovebuntur, aut doctoratus alteriuſve gradus inſignia recipient; quod idem præſtabunt curati omnes, & alii de jure vel conſuetudine in ſynodis diœceſanis & in conciliis provincialibus aſſiſtentes, priuſquam ad alia progrediantur.

*De fidei rudimentis, & doctrina Chriſtiana.*

## CAPUT II.

UT populus quod bonum eſt a malo diſcernere, & quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt ſcire valeat, parochi omnes, ſingulis diebus dominicis, in Scadafallo eccleſiæ, ac inter miſſarum ſolennia, populo nunciabunt, quæcumque per nos & coepiſcopos noſtros conſtituentur: & nominatim diſtincta & intelligibili voce recitabunt orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum apoſtolorum, Dei & eccleſiæ præcepta, ſeptem peccata mortalia, virtutes theologales & cardinales, & fuſius ea populum docebunt, quibus ad virtutem allici & a vitio abduci poſſit: negligentes vero parochi, a locorum ordinariis puniantur.

Cum autem adoleſcentium ætas, niſi a teneris annis inſtituatur, prona ſit ad mundi illecebras & voluptates ſectandas: ſancte a patribus inſtitutæ fuerunt doctrinæ Chriſtianæ ſcholæ, in quibus utriuſque ſexus juvenes fidei rudimenta edoceantur, & ad pietatem, religionem, bonoſque mores informentur.

Ideo ne parvulos panem petentes, dum non eſt qui frangat, fame perire patiamur, & ut bonum fiat in fide tyrocinium; atque ab omnibus obſervetur, quod a multis annis, non ſine ſpirituali fructu, in noſtra civitate & diœceſi Narbonenſi ſuper hoc inſtitutum fuit.

Præcipimus omnibus rectoribus, vicariis perpetuis, & aliis curam animarum habentibus, ut ſingulis diebus dominicis poſt prandium, dato campanæ ſigno, patresfamilias cum pueris in eccleſia convocent: ubi eos fidei rudimenta edoceant, & ſuper eiſdem diligenter interrogent, formam catechiſmi inſequentes: ad quod invitati fideles omnes pro commodis & utilitatibus quas inde conſequentur frequentiores erunt, dum viderint effrenatam & lubricam puerorum ætatem, hac ratione, ſuavi quodam fræno cohiberi & caſtiſſimis moribus inſtitui: quibus imbuti toto vitæ curriculo innumeros fructus producant: atque ideo obſecramus, ut niſi legitime præpediti fuerint, tam ſalutare officium amplectantur.

Hanc tandem doctrinam Chriſtianam facient ſemel in quaque hebdomada ſuis diſcipulis ſcholarum magiſtri.

*De libris vetitis.*

## CAPUT III.

QUod ſancte a conciliis ordinatum eſt inſequentes, quoſcumque libros a ſancta ſede apoſtolica vetitos, & ex profeſſo de hæreſi & rebus obſcœnis tractantes, aut legi aut domi retineri prohibemus, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & aliis pœnis a ſummis pontificibus & œcumenicis conciliis ordinatis.

Curent ergo epiſcopi pro ſubditorum ſalute, ne libros hujuſmodi retinentes, pœnas ignoranter incurrant; ut omnes parochi indicem librorum a ſancta ſede apoſtolica prohibitorum, penes ſe habeant, eumdemque populo, bis ſaltem in anno perlegant.

Biblia vero ſacra, idiomate Gallico conſcripta, legere aut domi retinere nemini liceat, niſi ab epiſcopo, aut ejus vicario generali, expreſſa in ſcriptis obtenta licentia: quam non concedent niſi eiſdem viſis, lectis & approbatis, ne venenum ab hæreticis ſparſum in permultis verſionibus, leniter ſerpens, animas alioquin pias inficiat.

Pœnam magos conſulentium ſatis expreſſit ſcriptura ſacra dum ait: *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos & cum eis fornicata fuerit ponam faciem meam contra illam.* Levit. 20. Quia tamen liberius peccant nonnulli, dum pœnam ejuſmodi ſcelerum differri experiuntur & ut talem licentiam præſenti decreto reprimamus: damnamus magos, veneficos, divinatores, ſortilegos, conjectores, augures, haruſpices, mathematicos judiciarios, cum dæmonibus fœdera & pacta tacite, vel expreſſe habentes, morbos imprecationibus, verbis, ligaturis, aut actionibus ſuperſtitioſe ſanare intendentes, eoſque, uti ſacra decreta excommunicarunt ipſo facto, ſic & nos excommunicamus. Quos dum parochi tales agnoverint, & poſt trinam monitionem teſtibus adhibitis, ſi ab eiſdem ceſſare noluerint excommunicatos nominatim publice denuncient, & ab eccleſiis arceant, & ejiciant.

*De divini verbi prædicatoribus, ac de præbenda theologali.*

## CAPUT IV.

MIſit Deus apoſtolos in univerſum mundum ut prædicarent evangelium, quibus animas ligandi atque ſolvendi facultate conceſſa, populus obedientiam & attentionem illis ex Dei mandato præbere tenebatur. His vero cum ſucceſſerint epiſcopi in dignitate, ita etiam eos ſequuntur in munere. Ideo per ſeipſos, niſi legitime impediti, verbum Dei, tam in civitate quam per totam diœceſim populo nuncient. Et quia non omnia ſoli in omnibus poſſunt, probitate, doctrina & religionis catholicæ fervore præſtantes & idoneos concionatores habere procurent: qui dominicis & feſtivis diebus prædicent, facultate prius in ſcriptis ab eiſdem epiſcopis, aut vicariis generalibus obtenta: per quam exprimetur in quo loco valeat, & quanto ſit tempore duratura: ſine qua a parochis non admittantur, ſive ſint ſæculares, ſive regulares: quam non concedant epiſcopi niſi poſt profeſſionem fidei, in eorum manibus ſemel ab eiſdem emiſſam: dictam vero licentiam gratis dare teneantur. Si quis autem ſine ipſa licentia quæ ultra annum valere non debet, in præjudicium epiſcoporum tale munus uſurpaverit, excommunicetur, Parochus vero qui illum admiſerit, ſevere arbitrio ordinarii puniatur.

Nulli regularium alicubi, etiam in eccleſiis ſuorum ordinum, concionari liceat, niſi prius a ſuis ſuperioribus, de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, cum qua ſe perſonaliter coram epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In eccleſiis vero quæ ſuorum ordinum non ſunt ultra licentiam ſuorum ſuperiorum epiſcopi quoque

que facultatem in ſcriptis habere teneantur, ſine qua in eiſdem nullo modo concionari poſſint.

Concionatores ea tantum prædicent, quæ ad divini verbi explanationem, virtutis laudem, vitiorum contemptum pertinent: improbatas hiſtorias, fabulas, & alia ad riſum invitantia, minime proponant. Quod ſi hæreticorum dogmata aliquando tractanda fuerint, tantum de illis dicant quantum viderint populo expedire, hæreticorum rationes proponendo veluti per contemptum, quas ſtatim refellent, ſolutionibus dilucidis & explicitis, ſevere in hæreticos invehendo, ut populus dignoſcere poſſit quantum a via veritatis & recto fidei tramite deſciverint.

Si vero (quod Deus avertat) prædicator errores aut ſcandala diſſeminaverit in populum, in quacumque eccleſia fuerit, epiſcopus ei concionari inhibeat. Quod ſi hæreſes prædicaverit, contra eum procedat ſecundum juris diſpoſitionem, & conſtitutiones concilii Tridentini, ſectione quinta, cap. 2. de reformatione.

Dum concio habetur in eccleſia, miſſam in eadem, aut ejuſdem aliquo ſacello a quovis ſacerdote celebrari, aut ſacramenta (dummodo mortis periculum non immineat) miniſtrari prohibemus.

Quod ſimoniam ſapit & quæſtum ſordidum, ut in poſterum vitetur, ſancimus ne divini verbi prædicatores ſuper mercede ullo modo paciſcantur.

Voluere patres ſacri concilii Tridentini in omnibus metropolitanis & cathedralibus eccleſiis, præbendam primo vacantem, pro magiſtro theologiæ aſſignari: quod tamen hactenus in permultis factum non extitit: & ideo præſenti decreto mandamus, ut in omnibus eccleſiis, tam metropolitanis, quam cathedralibus, ubi præbenda theologalis inſtituta eſt, conſervetur; ubi vero nulla aſſignata eſt, primo vacans ad id deſtinetur: & prout talem præſenti decreto ad hoc aſſignamus, quæ numquam conferri poſſit niſi doctori vel licentiato, aut baccalaureo in theologia: qui per ſeipſum ſingulis diebus dominicis, verbum Dei publice in eiſdem eccleſiis actualiter prædicet, & bis in hebdomada caſus conſcientiæ doceat: quem attente audire canonicos & alios eccleſiarum cathedralium aut collegiatarum beneficiatos hortamur: parochos vero & alios ſacramenta eccleſiaſtica adminiſtrare intendentes, ad id per ordinarios omni via juris compelli volumus & jubemus.

In eccleſiis cathedralibus regularium, in quibus nullæ ſunt præbendæ, ſed tantum portiones monachales: ex nunc unam ex dictis portionibus monachalibus, pro dicta præbenda theologali conſtituimus & aſſignamus: cui, ſi non ſit ſufficiens, aliquod beneficium uniant epiſcopi, dummodo eccleſia ſic uniti beneficii, debitis non fraudetur obſequiis. Quod ſi circa prædicta epiſcopi negligentius ſe geſſerint, capitula eccleſiarum cathedralium, eos pro tali præbendarum, vel portionum aſſignatione, omni juris via & ratione perſequantur.

*De cuſtodia euchariſtia.*

## CAPUT V.

EUCHARISTIÆ ſacramentum, ſalutis noſtræ pignus, in cujus præſentia contremiſcunt angeli, videntes ibi contineri mundi & cæli redemptionem, uti omnium ſacramentorum excellentiſſimum eſt, ita majori devotione ac reverentia tractandum, & quaſi viaticum omnibus neceſſarium, ſemperque paratum aſſervandum. Ideo in loco decenti ſit tabernaculum exterius, quo fieri poterit apparatu ornatum, cum ſigno patenti, demonſtrante ibi contineri eum cui adoratio debetur: intus vero panno ſerico ornetur. Apponantur lapis portatilis conſecratus, & corporalia, ſuper quibus ſit vaſculum argenteum vel aureum, in quo linteaminibus ſacris complicatum reſervetur ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum: cujus renovatio, ad minus fiat decimo quinto quoque die. Curent autem parochi aut alii ſacerdotes talem curam habentes, ut clavi obſeretur, ne quid nefandum, quod abſit, per impios circa illud agatur: ante quod perpetuo teneant noctu diuque lampadem jugiter ardentem.

Intra dictum tabernaculum, nihil aſſervetur præter tremendum illud ſacramentum: amoveantur, & ex eo reliquiæ: imo etiam vaſa oleorum ſanctorum: & ut venientes ad adorandum, norint ubi reſideat ſanctiſſimum ſacramentum, tabernaculum in medio majoris altaris, aut alio eminentiori & decentiori eccleſiæ loco, reponatur.

Atque ut ſacro pabulo refecti, ex hac vita diſcedant Chriſti fideles, cum primum infirmum intra parochiam ſciverit parochus, illum inviſat, horteturque ad ſacrum pœnitentiæ & altaris ſacramentum ſuſcipiendum, eidemque de peccatis ſuis pœnitenti & confeſſo, illud rogatus, citiſſime deferat, dato Campanæ ſigno, ut populus accedat illud idem comitaturus: ſit vero, parochus indutus ſuperpelliceo & ſtola, veloque ſerico ab humeris pendente, quo vaſculum dicti ſacramenti obtegatur, & ita compoſitus necnon baldachino, ſi fieri poſſit, ſuper eodem portato, pro tanti ſacramenti reverentia, præcedente lumine, a clerico tintinabulum pulſante: duas in dicto vaſe (una ſaltem intra tabernaculum relicta) ad ægrotum accedendo conſecratas hoſtias deferat, quarum alteram tradat infirmo, alteram redeundo ad eccleſiam, populus reverenter adoret. Pſalmos, eundo & redeundo, mediocri voce proferat, & ut in domo ægroti ſit menſa decenter ornata cum luminaribus ad vaſculum tanti ſacramenti, ſuper eamdem, reponendum, diligenter procuret.

Monemus etiam parochos, ut poſtquam ad eccleſiam redierint, populum excitent ad tantum ſacramentum comitandum. Indulgentias quadraginta dierum, quas ſuper hoc concedimus, publicent, & ad orandum pro infirmo, hortentur.

*De reliquiis & veneratione ſanctorum.*

## CAPUT VI.

ECCLESIA catholica Spiritu ſancto edocta, & antiqua patrum traditione, ſemper dixit ſanctos cum Chriſto regnantes invocandos, & illorum reliquias, quæ vera membra Chriſti fuerunt, & templum Spiritus ſancti, venerandas. Quod ut a fidelibus majori devotione fiat, ſtatuimus ut in locis honeſtis ac decentibus vaſculis, ſive capſis, qua debent religione aſſerventur.

Numquam tamen & nullibi proponantur venerandæ, niſi quæ ab epiſcopo probatæ fuerint veræ reliquiæ: qui de novo inventas non niſi conſulto & expreſſe approbante ſummo pontifice venerandas exhibeat.





Si tamen tales in honore habitas repererit, de quibus non ſatis conſtet: ne falſæ credulitati, aut ſuperſtitioni locus ſit, adhibitis in conſilium theologis & piis viris, ea faciat & ordinet, quæ pietati & veritati conſentanea judicaverit.

Populo dumtaxat feſtis ſolennioribus proponantur atque nonniſi a ſacerdote, aut in ſacris ordinibus conſtituto, & ſuperpelliceo induto, ardenti face præeunte deferantur.

In loco decenti & mundo, pannoque ſerico ornato, ardente in eodem, ſi fieri poſſit, perpetuo lampade, aſſerventur; necnon clavibus obſerentur capſæ aut armaria in quibus reconduntur, quæ penes viros graves de clero, ab epiſcopo deputandos remaneant, quas non exhibeant quibuſcumque perſonis: nec ipſi capſas aperiant, niſi de expreſſo ſolius epiſcopi mandato. Qui ſecus egerint ſevere arbitrio ordinarii puniantur.

Et ut quæ ſemel probatæ fuerint, ſemper tales habeantur, curent epiſcopi earumdem inventarium in ſingulis eccleſiis fieri, cujus tranſcriptum penes ſe habeant; originale vero in eccleſiis in quibus tales reliquiæ fuerint perpetuo maneat.

Dictæ vero reliquiæ ad ægrotos, non niſi in extrema neceſſitate, & tunc de expreſſo mandato epiſcopi deferantur; caveantque ſacerdotes & alii omnes cujuſcumque ordinis & ſexus, illis uti ad ſuperſtitioſas obſervationes, uſuſque profanos, prout hactenus, turpis lucri gratia, actum fuiſſe compertum eſt: alias, præter excommunicationis ſententiam quam incurrunt ipſo facto, arbitrio ordinarii etiam coerceantur.

*De imaginibus.*

## CAPUT VII.

IMagines quæ rudium & imperitorum libri ſunt in eccleſiis, prout ſemper probavit eccleſia, aſſerventur. Quibus honorem & reverentiam impertiendam docent patres ſancti: quas tamen in eccleſia obſcœnis figuris depictas, figmenta poetarum repreſentantes, aut alias indecentes, non admittent epiſcopi, ne in eis videat populus illorum imaginem, quorum lectio Chriſti fidelibus eſt interdicta.

De novo non ponantur aut depingantur pro eccleſiis & piis locis imagines, ſine epiſcopi aut vicarii generalis conſenſu, qui videant diligenter, ne quid apocryphum aut ſuperſtitioſum depingendum approbent.

Mutilas & truncatas imagines, aut quæ ad pietatis, vel Dei cultum non conducunt, ab eccleſiis extrahere procurent epiſcopi.

*De Blaſphemiis.*

## CAPUT VIII.

QUæ pœna plecti debeant qui ore ſacrilego ſacrum Dei nomen, & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ac deiparæ virginis Mariæ, aut aliorum ſanctorum blaſphemaverint, ex ipſius Dei verbis liquido conſtat, cum præcipit: blaſphemantem extra caſtra ejectum lapidari debere. Ideoque cum liberius peccent permulti eoquod mitius cum eis actum fuerit: eorum effrænatam loquendi licentiam reprimere cupientes, ſtatuimus quod ſi quis ore impuro blaſphemarit: ſi clericus ſit, excommunicetur, & arbitrio ordinarii puniatur; ſin vero laicus, & monitus prima, ſecunda & tertia vice, adhibitis duobus ſaltem teſtibus, non deſtiterit, a catholicorum cœtu expulſus, publice excommunicatus per parochum declaretur.

*De feſtorum dierum cultu.*

## CAPUT IX.

SAnctorum ſolennitates celebrandas patres cenſuerunt, ut vel eorum in animis noſtris excitarent imitationem, vel ut eorumdem meritis conſociati, beatorum mentium precibus juvaremur. Nam ut ait D. Auguſtinus ſolennitates martyrum, exhortationes martyriorum ſunt, ut eos imitari non pigeat quos celebrare delectat.

Quocirca doceant primo parochi, ceterique Dei præcones, quo ſtudio diebus feſtis Dei cultui dedicatis; divinis officiis, concionibus audiendis, doctrinæ Chriſtianæ, aliiſque id genus piis operibus vacandum ſit: in quibus quiſque integram miſſam ſub peccati mortalis pœna, niſi juſta præpeditus cauſa, audire debet.

Ne dominicis aut aliis feſtivis diebus, ab eccleſia præſcriptis, ſervile aliquod opus fiat prohibemus: nihil emi vendive poſſit, niſi quod illorum dierum victui neceſſarium ſit: nulli fiant incantus, ſive ſubbaſtationes, nec merces cujuſcumque generis exponant mercatores: nec officinas ſuas, aut tabernas aperiant.

Mercatus, emporia, & nundinæ, nuſpiam fiant diebus feſtis, ſed in antecedentem, vel ſubſequentem feſtivitatis diem transferantur.

Abſtineant omnes a quarumcumque rerum vehiculis & agrorum cultura: tum a comeſſationibus, ebrietatibus & impudicitiis; ne feſti dies in luxu & laſcivia agantur, & Deus conqueratur de illis, ſicut olim fecit per prophetam, dum ait, incenſum abominationem eſſe, & ideo ſe neomenias & ſabbata, necnon calendas odiſſe; & projecturum ſuper facies ſtercus ſolennitatum talia agentium: ſed cum omni cultu, reverentia, & cordis munditia, ſanctorum ſolennitates celebrentur, & nominatim a clericis qui a choreis, tripudiis & ludis publicis aut aliis, dictis diebus prohibitis maxime, abſtinere debent.

Si aliqua urgeat neceſſitas ratione cujus in diebus feſtivis ſervile aliquod opus fieri oporteat, conſulatur epiſcopus, vel ejus in ſpiritualibus vicarius, qui re diligenter inſpecta, quæ congrua fuerint decernat.

Quo tempore divina officia peraguntur, aut dum conciones habentur, otioſam & vagam turbam e tabernis, foro, & plateis, abigant parochi, rebuſque ſacris intereſſe compellant: non fiant theatrales ludi, ſpectacula, aut tragœdiæ, nec choreæ privatim vel publice ducantur.

Contra præinſerta ſtatuta noſtra de feſtorum obſervatione agentes, abſque aliis literis in forma, per parochos, ad ordinarium, vel ejus officialem ad quem cognitio pertinet, per ſolam ſchedulam continentem aſſignationem reo,

ad

ANNO CHRISTI 1609.

ad primam diem juridicam & ſignatam ab ipſis, deſerantur: ut pœnis debitis ſecundum delicti gravitatem puniantur.

Cum multas ſanctorum feſtivitates in noſtra provincia celebrare conſuevifſent homines, pro cujuſque civitatis arbitrio: nobis viſum eſt ſeligere, quas ubique terrarum obſervat eccleſia, præter eas quæ cuique urbi ſint propriæ, quaſque parochus quilibet in ſua parochia habeat in tabula deſcriptas.

Ita tota noſtra provincia feſtos dies celebrari & inviolabiliter obſervari præcipimus, juxta calendarium reformationis, felicis memoriæ Clementis VIII.

In quolibet autem die epiphaniæ, annis ſingulis, indictio Romana, epacta, numerus aureus, litera dominicalis, & feſta mobilia ejuſdem anni per parochum inter miſſarum ſolennia e ſuggeſtis denuncientur.

Et ultra feſtos dies cuique diœceſi proprios, pro locorum conſuetudine & populi devotione decernant & inſtituant epiſcopi, quantum ad Dei laudem conferre judicaverint. Neque propterea pias hominum voluntates, plures dies feſtos celebrantium contemnimus: ſed tales ut idem præſtent hortamur, ſcientes non inde ſterilitatem, ſed rerum omnium abundantiam venire, cum non ſit aliquid qui plantat aut rigat, ſed Deus eſt qui incrementum dat: ideo ſanctorum alia feſta, ad arbitrium & devotionem populi celebranda remittimus.

Feſtum annunciationis B. Mariæ virginis ſecundum eccleſiæ univerſæ ritum, numquam transferatur, etiamſi in ſabbato ſancto, vel alio die majoris hebdomadæ evenerit, licet officium transferri neceſſe ſit.

*De obſervatione jejuniorum.*

## CAPUT X.

Cum quadrageſimale jejunium a traditione apoſtolorum habeat eccleſia, illud ſancte a fidelibus obſervandum eſt. Nam jejuniis ſiccatur vitiorum ſentina, marcet petulantia, languet concupiſcentia, & fugitivæ abeunt voluptates.

Ideo præfatum quadrageſimale jejunium, vigiliæ, & quatuor tempora, per abſtinentiam & ciborum delectum obſerventur.

Dictis temporibus, cibi venales vetiti non exponantur, ſed pro neceſſitate ægrotantium clam & ſine ſcandalo miniſtrentur, habentibus expreſſam ab ordinario in ſcriptis licentiam: quam nonniſi nota neceſſitate, &, ſi fieri poſſit, medicorum atteſtatione inſpecta conferent.

Medicos vero omnes quibuſdam diebus ante quadrageſimam epiſcopi ad ſe venire mandent, & moneant ne propriæ ſalutis immemores, facilitate nimia, cujuſpiam male affectam teſtentur ſanitatem, ne ſibi parent gehennam alios nimia adulatione perdentes, hortantes omnes in domino ut frequentes ſint audiendis concionibus, & ſacramentis eccleſiæ recipiendis, eo præcipue tempore, quo fideles ſtudioſius rebus divinis vacare debent, cum ſit tempus acceptabile, & dies ſalutis.

*De hæreticis.*

## CAPUT XI.

Quia non ſine magna animarum jactura & gravi eccleſiaſticæ unitatis detrimento, elapſis temporibus quædam in hac noſtra provincia falſæ hæreticorum doctrinæ increverunt: fugienda eſt illorum familiaritas, qui errores & ſcandala in populum diſſeminant, & Deus optimus maximus votis, precibuſque obnixe rogandus, ut hi tot errorum tenebris implicati catholicam veritatem cognoſcant & ſequantur. Quamdiu vero membra non ſunt eccleſiæ: rei ſacræ, aut ſacramentorum adminiſtrationi adeſſe non permittantur, ſed prorſus ab eccleſiarum liminibus arceantur, præterquam concionis tempore: ut pudore affecti & confuſi, aliquando reſipiſcant, quos anathemate ferit eccleſia, & tanquam putrida membra, ne ſana inficiant, reſecat. Suos igitur ſæpius moneant ſubditos epiſcopi, ut ſi propter ſæcularia cum illis agere cogantur, de rebus fidei, credentes certo quæ credit eccleſia, non diſputent: ne hamo falſitatis capti, dum nimis curioſe & præter captum inquirunt, mortem ſibi certiſſimam afferant.

*De indulgentiis.*

## CAPUT XII.

Plus quam ſufficienter pro peccatis noſtris perſolvit Chriſtus, per opera, ad quæ non tenebatur pro noſtra redemptione: quorum merita, ut theſaurum pretioſiſſimum, in manibus D. Petri apoſtolorum principis, ejuſque ſucceſſorum tradidit: ut pro ſua prudentia ad libitum fidelibus communicarent, per conceſſiones quas ſemper indulgentias nominavit eccleſia populo utiles: eas tamen quæſtus ſordidi gratia publicari vetitum eſt.

Idem ſtatuimus ne in eccleſiis, aut alias quoque modo, publicentur indulgentiæ niſi ab epiſcopis viſæ, & per eorum ſigillum aut ſignum, & ſecretarii ſubſcriptionem, appareat parochis eas a ſummo pontifice conceſſas fuiſſe.

Parochi vero & concionatores, indulgentiarum valorem, utilitatem, & efficaciam fidelibus explicent: ſimulque oſtendant, cum qua diligentia pietate & puritate mentis, applicare quiſque ſibi eas debeat.

In eccleſiis quibus indulgentiæ conceſſæ fuerint, & capellis ſeu altaribus privilegiatis: tabula publice apponatur, ſigno & ſigillo epiſcopi, ejuſque ſecretarii notata, qua appareat quid conceſſit, ad dictas indulgentias conſequendas.

*De ſacramentis in genere.*

## CAPUT XIII.

Cum tanta ſit humanæ naturæ imbecillitas, ut ad divina capeſſenda, animus vix poſſit aſſurgere, niſi quibuſdam adjuvetur adminiculis: cumque carnali hoc & caduco corpore, velut carcere quodam incluſus, ſenſuum miniſterio pluſimum utatur; divinæ ſapientiæ viſum eſt, mortalium infirmitati ſe accommodare; ſuam virtutem & gratiam, per quaſdam externas res, & ſigna, quæ ſenſibus percipiuntur, nimirum per ſeptem ſacramenta eccleſiæ, conferre: a quibus omnis juſtificatio noſtra incipiat, vel cœpta augeatur, amiſſave reparetur, & non ponentibus obicem conferatur.



ANNO CHRISTI 1609.

Paſtores omni ſtudio & diligentia invigilare debent, ut ſuarum eccleſiarum parochi, rite & qua decet ſedulitate ſacramenta fidelibus adminiſtrent: nec aliis unquam, niſi præſcriptis a Romana eccleſia, ſacramenta adminiſtrandi formulis & cærimoniis: neve cum alio rituali aut ordinario, quam ad uſum Romanum, ut iiſdem omnes cærimoniis ubique utantur, & ſuperfluæ, inutiles & fucatæ cærimoniæ (ſi quando per particulares contra inſtituta eccleſiæ inventæ fuerint) de medio tollantur, & prorſus eliminentur.

Sit inſuper parochus ad quem adminiſtratio ſacramentorum ſpectat, purus, & ab omni labe lethalis peccati alienus, ne dum aliorum quærit ſalutem, ſeipſum condemnet, ſibique æternæ damnationis ſit miniſter: & illi dicatur a Deo, ſigna novi, ſacramentum approbo, gratiam largior: tu vero labiis & corde pollutus quis es?

Et quemadmodum intus candidæ innocentiæ ſtola exornatus eſſe debet, ita etiam extrinſecus mundo ſuperpelliceo ſtolaque ſit ſemper indutus, ut populus intelligat non vulgarem ſed cæleſtem rem agi, cum ſacramenta tractantur.

Ad hæc, noverint rectores animarum, cum ſacramenta ſint dona Dei; liberaliter & gratis conceſſa, non ſolum ſine ſimoniæ labe, verum etiam ſine avaritiæ ſuſpicione eſſe exhibenda: ac propterea maxime caveant ne in eorum adminiſtratione quicquam prorſus verbis, aut etiam ſignis vel minimum, quovis modo petatur, aut exigatur. Qui ſecus fecerint, & pœnis a jure communi ſtatutis, & aliis arbitrio epiſcopi plectantur.

Volumus autem & ordinamus, quod parochus, aut ejus vicarius, ad aliam eccleſiam ſi tranſire contingat, non diſcedat niſi ſucceſſori relictis & aſſignatis libris in quibus eorum qui baptizati, confirmati, excommunicati, matrimonio juncti, & ſepulti nomina deſcripta fuerint.

Superbis cum reſiſtat Deus & humilibus det gratiam, cujus vaſa ſunt ſacramenta, ad hæc ſuſcipienda fronte elata accedentes, non debent admitti; ſed qui exteriori corporis geſtu internam denotent animi demiſſionem: propterea nulla ſacramenta conferantur arma geſtantibus, ſed ea deponant ſuſcipientes, & eorum patrini, quando neceſſarii ſunt.

*De baptiſmi ſacramento.*

## CAPUT XIV.

Inter omnia novæ legis ſacramenta, primum maximeque neceſſarium & utile eſt baptiſmus: in quo ſordes peccatorum tam originalis quam actualium deponuntur; & per quem fidei ſignaculum recipimus, militiæque Chriſtianæ adſcribimur; nec ulli qui eo privatus eſt in re aut in voto, ad regnum cælorum patet aditus.

Idcirco in domino præcipimus, ut quam citiſſime fieri poterit, liberos ſuos parentes baptizandos curent: neque diu ſuſceptrices & patrinos expectent: [a] in tali expectatione animas pretioſo Chriſti ſanguine redemptas, maximo graviſſimoque æternæ mortis periculo e quo emergere nunquam poſſint exponant: propterea jubemus ut ultra tres dies ab infantum nativitate, vel ad ſummum ultra octo hoc ſacramentum nullo pacto differatur.

a) Fors. eo tali. H.

At ſi aliquod recens natis infantibus immineat vitæ periculum, curent parentes omni adhibita diligentia domi vel a presbytero, vel a laico abſente ſacerdote, vel non exiſtente ibi laico viro, a femina eos baptizari, cum intentione faciendi quæ juſſit Chriſtus, & intendit eccleſia, cum aqua elementari ſimplici, & verbis domini noſtri Jeſu Chriſti diſtincte prolatis: nempe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* Quæ ſi Latine neſciant, vulgari idiomate per baptizantem proferri poterunt.

Nomen infantis qui domi ob neceſſitatem baptizatus eſt, in librum baptizatorum, a parocho, notato patrini nomine, & ejus qui domi ad baptiſmum, & qui in eccleſia ad catechiſmum & exorciſmum adhibitus eſt, de more referatur.

Curatis autem, ſacerdotibuſve, extra neceſſitatis caſum, ſub pœna excommunicationis ad domum cujuſquam, etiam magnatis, ad baptiſmum miniſtrandum accedere prohibemus: neceſſitas autem illa intelligatur quæ mortem infanti minetur.

Neque præterea aliquis ſit qui cærimonias & ritus S. Romanæ eccleſiæ (quæ multum pietatis & utilitatis habent) negligat; ſed poſt eorum convaleſcentiam, & quam citiſſime fieri poterit, infantes in domo baptizati, ad eccleſiam, & parochum portentur, dictarum cærimoniarum cauſa: ſub pœna contemptus præcepti eccleſiæ; hujuſmodi etiam cærimoniæ, iis qui ab hæreticis baptizati ad eccleſiam revertentur erunt obſervandæ, dum tamen in baptiſmo formam materiamque delatam adhibuerint.

Quos jam baptizarint hæretici, eos rebaptizare prohibemus, ſub pœnis in ſacris canonibus contentis: niſi forte inſtitutam a Chriſto baptiſmi formam materiamque eos minime obſervaſſe conſtaret.

Admoneant interim parochi ſuſceptores & patrinos de cognatione ſpirituali, quæ contrahitur inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, ac inter tenentes ſive ſuſcipientes & baptizatum: deque illorum in contrahendis matrimoniis impedimento: & quod ad parvulum edocendum in fide catholica, hoc negligentibus, aut vita functis parentibus, ſint obligati.

Similiter declarent quod poſtquam domi fuerit baptizatus puer, & ad eccleſiam pro dictis cærimoniis faciendis defertur, qui eumdem levant non fiunt compatres, neque cognationem aliquam (quæ tantum eſt in ipſo actu baptiſmi) contrahunt.

Obſtetrices duobus poſt hujus decreti promulgationem menſibus, pœna arbitrio epiſcopi propoſita, non præſtent officium, niſi per parochum in ſcriptis probatæ ſint, & idoneæ judicatæ ad ſacramentum baptiſmi, cum neceſſe fuerit, adminiſtrandum, ſuper quibus invigilare debent animarum rectores.

Quæ autem probata eſt moneatur, ut curet quoad fieri poteſt, cum baptizat, duas ſal-

A tem mulieres, ac matrem præſertim, ſi poteſt, teſtes adeſſe; quæ in baptizando verba ab ea diſtincte prolata audiant.

Parochus vero, cum perquiret an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget; ut ſibi conſtet, an baptiſmi forma recte adhibita ſit, an vero ſecus, quam ob rem oporteat infantem a ſe baptizari.

In baptiſmo ſacerdos aut parochus baptizans, præſentem adeſſe non patiatur, neque Judæum, neque hæreticum, neque denique alium quemquam a fide Chriſtiana averſum: minuſque admittat aliquos compatres, de fide ſuſpectos vel nondum confirmatos.

Licet expoſitus aut projectus infans ſchedulam B habeat collo appenſam, quæ illum baptizatum eſſe teſtetur: ſi tamen re diligenter perquiſita, quemadmodum catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe, hac conditionis formula baptizetur, *Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo:* [a] &, *ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Amen.

[a] Forte, ſed ſi. n.

Sacerdos aut parochus baptizans caveat ne ad infantem baptizandum, alio chriſmate utatur quam eo, quod illo ipſo anno conſecratum eſt: ut veteri canone cavetur, ſub pœna ſuſpenſionis incurrendæ.

Et quia in baptiſmi ſuſceptione, ſatanæ mundique pompis renunciatur, abſurdum eſt magnifico C adeo luxu, inanibuſque ſumptibus diem quo baptiſmus confertur tranſigi ſolennem; itaque muſicorum conventum, concomitationem, riſus jocoſque effuſiores, deambulationes & oſcula in eccleſia omnino prohibemus.

Et quia avaritia ſuadente, permulti in electione ſuſceptorum ſive compatrum, non quidem probiores ſed ditiores paſſim eligunt: ſub pœna excommunicationis ſtatuimus, & mandamus, tam contra recipientes, quam dantes, ne puero vel parentibus, pro nova ejuſmodi cognatione aliquid ullo modo donetur: exceptis iis quibus ob ſummam egeſtatem, eleemoſynam impertiri videbitur neceſſarium.

Conſuetudinem vero deteſtabilem, quæ nonnullis D in locis pernicioſe invaluit, per quam pueri de novo baptizati, ſuper altari, pecunia vel aliquo munere a compatribus redimendi exponuntur, damnamus, penituſque improbamus.

Quoniam compaternitas vinculum inducit ſpirituale, & ad plura quæ minus forte conſiderantur adſtringit: ſacrorum canonum, & maxime concilii Tridentini veſtigiis inhærendo, ſtatuimus: ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier: vel ad ſummum unus & una, baptizandum de ſacro lavacro ſuſcipiant, & non plures. Parochus vero antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter inquirat qui compatres ſunt electi, quos tantum admittat & non alios.

E Si duo vel plures infantes, uno & eodem tempore baptizandi afferuntur, eorum unicuique, catechiſmum, exorciſmum & reliquas ſtatutas cærimonias, baptiſmumque parochus ſigillatim miniſtret atque adhibeat.

Fideles qui præſentes adſunt, pie, religioſe, omnique animi attentione adeſſe ſæpe moneat: memoria tacita ſtudioſe ſecum recogitantes, quæ Deo, cum baptiſmum ipſum ſuſceperunt, ſancte ſpoponderint.

Curent parochi ut infantibus proprio nomine in baptiſmo appellandis, nomina patrum veteris teſtamenti raro imponantur: nunquam autem quæ turpia aut ridicula ſunt, ſicut nec ea quæ impiorum & impurorum hominum memoriam referant: ſed illorum qui ob veræ pietatis ac ſanctæ religionis, virtutiſque Chriſtianæ laudem, ſanctorum numero adſcripti ſint, ut & in ipſo vitæ ingreſſu cum ethnicis, Judæis, & hæreticis, ne nomen quidem commune fideles habere ſe velle proteſtentur; nec ipſi infantes etiam cum ætate proceſſerint nominum ſimilitudine ad eorum a quibus illa accepta ſint imitationem excitentur.

Baptiſterium clauſum perpetuo ſit, mundum purumque continuo fulgeat nitore: tum reliqua omnia in manuali deſcripta ad ejus nitidum cultum accommodentur.

Dictum autem baptiſmi ſacramentum, nudis infantibus tantummodo, dum abluuntur, conferant parochi, niſi aliquod grave inde viderint futurum incommodum: caveantque ne ex nimia infuſione aquæ, baptizato damnum aliquod inferatur.

Quod ſi alterius parochiæ (quod non fiat niſi de licentia epiſcopi) infantem parochus aliquis baptizaverit, tunc teneatur ad proprium parochum deferre, ut ipſe nomen & cognomen baptizati, parentum, & ſuſcipientium in libro baptizatorum deſcribat.

*De confirmatione.*

## CAPUT XV.

Sanctorum patrum inſtitutionibus conſtat, nos in baptiſmo regenerari ad vitam: & poſt baptiſmum in hoc ſacramento quo per impoſitionem manuum epiſcopi, Spiritus ſanctus diffunditur in corda fidelium, robur atque fortitudinem dari.

Ut enim athletas, antequam ad ſingulare aliquod certamen deſcenderent, ungi ſolitos teſtatum eſt: ſic vetus Chriſti miles ſacro chriſmate ungitur, ut omnia tela nequiſſimi hoſtis facile retundat, & in malitia ſpirituali, contra carnis, mundi, & diaboli tentationes conſignetur. Ideo hoc ſacramentum fideliter & ſolicite adminiſtrent epiſcopi, ne per eorum negligentiam fiant vires populi ſibi commiſſi ad reſiſtendum imbecilliores.

Sint itaque ſoliciti patres, pueros ſuos epiſcopo confirmandos offerre: non admittantur autem ad hoc ſacramentum, niſi ſint perfectæ ætatis: vel ad minus qui ſeptimum annum attigerint; qui orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum apoſtolorum, & decem præcepta decalogi norint. Adultos etiam peccata confiteri, ſymbolum profiteri, & jejunos accedere hortentur, ſi hora matutina hoc ſacramentum conferatur.

Atque ob eam quidem cauſam, epiſcopus illa fidei rudimenta ſibi ab illis recitari jubebit: quam diligentiam idem epiſcopus etiam, ut opus eſſe viderit, aliquando præſtet per ſe vel alium ſacerdotem, quem ad eam rem cognoſcendam conſtituerit.

Procurent etiam epiſcopi per parochos populum doceri vim, effectum & dignitatem hujus ſacramenti; non ſolum ante diem confirmationis, quem prius populo annuntiari oportet, ſed etiam ſæpe intra annum.

Caveant epiſcopi in hujus ſacramenti adminiſtratione, ab omni ſtrepitu, vociferatione & confabulatione: ſint quoque compoſiti qui ejuſmodi ſacramentum recipiunt, manibus ante pectus jun-



A junctis, ſuo omnes ordine religioſe ac devote cum ſancto ſilentio orent.

Omnes qui ad hoc ſacramentum accedent chirographum præ manibus geſtabunt, in quo deſcriptum ſit nomen illius qui confirmandus eſt, & præterea patrini, quod eccleſiaſticus ab epiſcopo deputandus de manu confirmandi accipiat, ejuſque nomen intelligibili voce legat, & illud idem aſſervet: ut deinde omnia confirmatorum nomina per parochum in libro baptizatorum ſeparatim tranſcribenda, eidem tradat.

Non ſit patrinus aut matrina in confirmatione, qui infantem levarit, nec pater aut mater, ut in rebus fidei confirmati novum recipiant tutorem.

Sacrilegam multorum conſuetudinem nimia lucri B cupiditate in ſacramenti confirmationis iterata ſuſceptione abolere cupientes, inhibemus patrinis & matrinis ſub pœna excommunicationis, aliquam pecuniam, aut aliud quidpiam confirmatis dare: ſed tantum curent eos docere quæ deceant Chriſtianum, ſacro chriſmate in confirmatione linitum.

*De ſacramento pœnitentiæ.*

## CAPUT XVI.

Qui ſtolam innocentiæ ſibi in baptiſmo traditam amiſerint, aut ſe peccatis lethalibus macularint, his non minus neceſſarium eſt C ſacramentum pœnitentiæ; quam ſacrum lavacrum infectis originali peccato, cum illud dicatur ſecunda poſt naufragium tabula: ut autem non fructuoſe ſuſcipitur niſi in ſuſcipiente ſit oris confeſſio, cordis contritio, & operis ſatisfactio, ita in conferente juriſdictio, & inter lepram & lepram diſcretio eſſe debet.

Quapropter ad fidelium, confeſſiones audiendas nullus ſive ſæcularis, ſive regularis ſit, aut quacumque dignitate vel auctoritate fulgens admittatur, niſi qui per epiſcopum, prævio ſuper literatura examine diligentique de vita & moribus inquiſitione præcedentibus, factoque de prudentia experimento, fuerit approbatus: & in ſcriptis obtinuerit facultatem, quæ gratis detur: D & ſine qua nemini omnino liceat audire confeſſiones, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: cum alias non ſit abſolvere, ſed confitentem decipere: excepto mortis periculo, in quo quilibet ſacerdos, vere pœnitentem poteſt ab omnibus peccatis abſolvere.

Quilibet epiſcopus, prout viderit pro bono ſubditorum eſſe neceſſarium, brevem inſtitutionem faciat pro confeſſariis monendis, cujus exemplar ſinguli habere teneantur.

Examinati moneantur, ut non alia utantur abſolutionis formula, quam quæ inferius eſt inſerta, videlicet poſt preces: *Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis* E *perducat te ad vitam æternam. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors dominus.* Poſtea ſubdat: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt ſummus pontifex te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis in quantum poſſum & indiges: deinde ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen: Paſſio domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ ſemper virginis, & omnium ſanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſit tibi in remiſſionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* Sed ex his omnibus maxime advertant ne verba quæ eſſentialia ſunt omittantur nimirum: *Ego te abſolvo, ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.* Quæ proferat confeſſarius diſtincte, ſigno crucis ſignando confitentem.

Utile eſt ſæpius perditam gratiam hoc ſalutari pœnitentiæ remedio recipere. Hortamur itaque fideles omnes, ut ſi fieri poſſit, quater in anno peccata ſua confiteantur: quod facere poterunt cuilibet ſacerdoti approbato. In paſchate tamen teſtificationem chartula, aut nota aliqua confitentibus dare tenebuntur confeſſarii delegati, quam illi ad parochum deferant, qui eorum nomina in libro deſcripta diligenter cuſtodiet.

Judex conſtitutus cum ſit ſacerdos, ut ſolvat aut liget, pœnitentes non audiat niſi pro tribunali ſedendo, pœnitente genua flectente, palam & intra eccleſiam, hora diurna, nulliſque ſubjectis pulvinaribus, ut ſe reum agnoſcat atque profiteatur, excepta ægrotantium neceſſitate.

Ob tanti ſacramenti reverentiam, in qualibet eccleſia tot conſtituantur confeſſionalia in loco patenti, quot probandi erunt ſacerdotes neceſſarii ad audiendas confeſſiones: & ita diſponantur, ut confeſſarius a pœnitente recte dividatur per aſſeres, in quibus ſit craticula ex qua pœnitentis delicta confeſſarius, & confeſſarii monita pœnitens clare & diſtincte percipiat.

Sordidum quæſtum nutu aut voce a pœnitentibus ne petant confeſſarii, ſed tantum recipiant eleemoſynas, quas libere ſibi ab ipſis dari videbunt, nec confeſſiones audiant niſi decenti habitu, ſive ſæculares aut regulares ſint.

Et quoniam propter peccata ſæpe a Deo mittuntur infirmitates, a quibus non niſi peculiari quadam ipſius ope ſanari poſſumus: ſalutarem Innocentii tertii conſtitutionem inſequentes, præcipimus medicis, ut ægrotum cum primum inviſerint, ad peccata ſua idoneo confeſſario confitenda hortentur, & moneant: nec eum niſi confeſſum, tertio inviſant, ſub pœna excommunicationis.

Ne pro terreno, in homine deturpetur quod ad imaginem Dei effectum eſt, cum anima longe corpori præſtet: pro quacumque infirmitate corporis ſananda, ſub interminatione divini judicii, inhibemus medicis remedia ordinare, per quæ ad peccatum mortale invitari poſſit ægrotus.

*De caſibus reſervatis.*

## CAPUT XVII.

Abſolutio peccatorum cum actus ſit juriſdictionis, non poteſt ſacerdos a peccatis abſolvere, niſi inquantum ſibi juriſdictio eſt attributa: unde ſimpliciter approbatus non poteſt ab omnibus caſibus abſolvere, ſed ad epiſcopum aut ſummum pontificem remittet pœnitentem, in quo caſus ſedi apoſtolicæ aut epiſcopo reſervatos inveniet. Epiſcopus tamen a caſibus ſibi reſervatis abſolvendi facultatem quadrageſimali tempore gratis concedat ſacerdotibus, quos alios idoneos ad audiendas confeſſiones judicaverit: demptis iis quos graviores & propter nimiam indulgentiam abſolvendi frequentiores repererit, ne facilis ad ea perpetranda reddatur populus. Ea tamen utetur prudentia, ut

ut non ſevere & rigide remiſſum perturbet, ſed hortatione & leni diſcurſu, gravitatem peccati explicando, affabilitatem prælati demonſtrabit: & efficiet externo geſtu, ut non abire juſſum ſine abſolutione cognoſcant circumſtantes: imo & ipſe ſacerdos adibit epiſcopum, facultatem a tali caſu abſolvendi petiturus.

Caſus ſibi reſervatos publicare facient epiſcopi in ſuis ſynodis diœceſanis, ut norit quilibet quid ſibi conceſſum, quid denegatum: ne cum damno pœnitentium in alienam meſſem falcem mittat.

Cum ſibi reſervandi caſus facultatem habeant epiſcopi, ea tamen parce utentur, ne propter nimiam ſeveritatem ſuffuſi rubore ſubditi peccata retineant: ſed eos tantum ſibi reſervabunt, quos ad bonum animæ ſubditorum conducere judicabunt.

*De ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento.*

## CAPUT XVIII.

SACRAMENTUM fidelium viaticum, & propter rem in eo ſumptam ſacramentorum omnium excellentiſſimum, omnibus re ipſa aut voto, ad ſalutem neceſſarium, ex præcepto eccleſiæ ſemel ſaltem in anno ſuſcipiendum, digne diſpoſitis, ut non eſt negandum, ita impuris non concedendum: ſed his, qui, ut ait apoſtolus, ſe prius probaverint, & ſic ad illud manducandum acceſſerint. Vita enim eſt bonis, & mors malis: nam qui indigne arcam fœderis tangunt, retro mortui cadunt.

Idcirco tempore paſchatis ſemel, a proprio parocho recipiet auguſtiſſimum euchariſtiæ ſacramentum quilibet fidelis, ſub pœna excommunicationis: qui cum parochus noſſe debeat vultum pecoris, tum rejiciet, pro ut illi injungimus, a ſuſceptione tanti & tam tremendi ſacramenti, excommunicatos, uſurarios manifeſtos, adulteros, concubinarios, blaſphematores notorios, meretrices, & alios infames peccatores, ut par eſt, non pœnitentes.

Quilibet parochus deferet ad ſynodum, & in ſcriptis tradet nomina & cognomina eorum qui non communicarunt illo anno, quos monendos tertio curabit epiſcopus: alias non obedientes a communicatione fidelium ut excommunicatos arcendos jubebit. Feſtum autem paſchatis a die dominica in ramis palmarum, uſque ad dominicam in albis incluſive volumus intelligendum.

Dum miniſtrabunt euchariſtiæ ſacramentum, illud deferent ſacerdotes in pixide, aut intra calicem. Sit vero communicantium mappa munda & nitida, ut ſi (quod abſit) aliquando e manu decideret ſacra hoſtia, eam non humi, ſed in dicta mappa reſervatam recipiant ſacerdotes.

Priuſquam vero communicantibus tradant ſacram hoſtiam, vertentes ſe ab altari ad communicantes in manu dextera, ſupra pixidis aut calicis os appoſita, unam hoſtiam tenentes, qua decet reverentia, voce aliquantulum elata dicent: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: tum capite aliquantulum inclinato, lente, ut idem una cum illis proferre poſſint communicantes, ſubjungent ter lingua Latina, aut vernacula: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea*: & proſequendo communionem, dicent: *Corpus domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen*: ſignando deinde ſigno crucis recipientem.

Non utatur parochus calice ad dandam purificationem: ſed habeat cyathum mundum, in quo ſit vinum aut aqua, quem deferat miniſter, cum mantili, & communicatis purificationem dabit: ita tamen ut cum ſacerdoti euchariſtiam deferenti obviverit, ei profunde genu flectat.

Sub pœna excommunicationis prohibemus ſacerdotibus ſacram euchariſtiam miniſtrantibus, quoquomodo a ſuſcipientibus ſacramentum aliquid quæritare.

Non admittant parochi infantes ad ſuſceptionem tanti ſacramenti, quod cibus eſt grandium: ſed eos tantum quorum ſit probata vita & modeſtia, qui quod ore ſumpſerint mente ruminare poſſint.

*De miſſæ ſacrificio.*

## CAPUT XIX.

PIGNUS redemptionis noſtræ, & quotidianum humanæ reconciliationis incrementum, ac ſacrificium, quanta debeat reverentia celebrari, & qua cordis puritate ad illud accedere teneatur ſacerdos, ſatis expreſſe notant, qui angelis ſuperiores aſſerunt ſacerdotes, dum ſæpius agunt celebrando quod ſemel in utero virginis actum eſt: quod eo attentius conſiderabit ſacerdos miſſam celebraturus, ſi adverterit ſe pontificem prius pro ſe, deinde vero pro peccatis populi ſacrum facturum.

Irrepſere tamen permulta, quæ minus ad devotionem populum excitant, aut ad riſum provocant, imo a frequentatione tanti ſacrificii avocant: dum turpi quæſtu, non ſatis parati, indecenter ad altare accedunt, & in eo minus modeſte ſe gerunt.

Nos itaque primum illum candorem videre cupientes in ſacerdotibus, ſtatuimus, ut celebraturi purgata primum conſcientia ſe in ſacrarium recipiant, ubi repertis his, & in miſſali perlectis, quæ in miſſa ſunt recitaturi, orationes ob ordinario Romano præſcriptas, pro ſua devotione fundent & pronuntiabunt: tum parabunt calicem cum purificatorio, patellam cum hoſtia munda, & ſacris linteaminibus & velo, ſi haberi poſſit, cooperient. Intra dictum ſacrarium & non alibi induent ſe veſtibus ſacris; & deinde pileo quadrato in capite geſtando, & calicem paratum deferendo, & præcedente miniſtro, ad altare accedent, coram quo profunde inclinati, detecto capite & facta reverentia, & ſuper eodem ſacris linteaminibus explicatis, & parato miſſali in cornu epiſtolæ, introitum & reliqua in miſſa recitabunt & facient: nihil addendo vel diminuendo, nec ullas adhibendo cærimonias, præter eas quæ in miſſali Romano expreſſe notantur: ut unitas in fide & moribus, & actionibus, inter fideles, ſicut ſemper fuit ubique terrarum, reperiatur.

Pacta & conditiones ſordidas, quæ ſimoniam ſapiunt, pro miſſarum celebratione vitabunt: nec ipſis miniſtrantibus, laici certo & ſuperſtitioſo candelarum numero utantur, aut alia agant quæ ſuperſtitionem denotant: ipſi vero miſſam de officio recitent, niſi aliud neceſſitas exigat: nec vero per eos, ſub pœna excommunicationis, addantur pſalmi, aut alia quæcunque in miſſa, præter tertiam orationem, quam quiſque celebrans ad libitum recitare poteſt.







Non celebretur miſſa pro defunctis, niſi corpore præſente: nec fiant publicæ mortuorum abſolutiones, diebus dominicis & feſtivis ſolennibus poſt miſſæ celebrationem: aliis vero diebus non fiant dictæ abſolutiones niſi depoſita caſula. Nec celebrentur miſſæ in domibus privatis, etiam magnatum & potentum, niſi eſſet ſacellum ad hoc ſpecialiter conſtructum & per epiſcopum aut de ejus mandato benedictum, niſi etiam altare portatile conſecratum.

Miniſtrantes celebrantibus induantur toga talari, nec ad id admittantur feminæ, quibus nec eſt licitum parare altare, cum ſilere debeant in eccleſia, & propter ſacerdotes faciem velare: illis ideo prohibemus ne ad altare propius accedant, dum divina peraguntur.

Infinitum tanti ſacrificii meritum omnibus quidem prodeſt, ſed his maxime qui præſentes ſunt, & modeſte ſe gerunt: ideo curent ſacerdotes, circumſtantes omnes, uti invitantur, elevare corda, ſpiritum dimittere, quod exteriori corporis diſpoſitione denotent: & idcirco ſtantes, irreverenter ſedentes, aut capite operto eſſe in eccleſia a conſecratione ſacri corporis Chriſti uſque ad communionem non permittant.

Dum celebrantur, ut vulgo dicitur, novæ miſſæ, non ſint choreæ: & eas ducere tam ſacerdoti primam miſſam celebranti, quam aliis omnibus diſtricte prohibemus: tunc vitentur ſumptuoſa convivia & alia omnia quæ luxum ſapiunt abigantur: ſed in ſacerdotibus ſit omnis modeſtia quæ audientes miſſam ad devotionem commoveat: ſecus agentes arbitrio ordinarii puniantur.

Quod ex devotione pro miſſarum celebratione per fideles ſacerdoti in eleemoſynam erogatur, ipſe recipiat: a pluribus idem non petiturus, ſub pœna excommunicationis.

Piæ defunctorum voluntates mandari executioni cum non poſſint, propter modicitatem rerum legatarum, & ſacerdotes non habeant ex his, unde vitæ neceſſaria recipiant: ideo juxta ſacri concilii Tridentini ſtatuta, ſeſſione vigeſima quinta, de reformatione, decernimus, ut re diligenter inſpecta, in ſynodo diœceſana, uniant diverſa legata, aut beneficia in quibuſvis ſint eccleſiis: aut officia minuant, prout viderint expedire.

Sacerdotibus quacumque dignitate fulgentibus, niſi fuerint epiſcopi aut abbates, uſum mithræ habentes, in fine miſſæ, hac ſola benedicendi forma uti mandamus: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Amen. Et hoc non admodum ſonora, ſed nihilominus intelligibili voce fiat.

*De clericis peregrinis & vagis.*

## CAPUT XX.

NON permittant rectores eccleſiarum quemquam ſacerdotem, in ſuis eccleſiis celebrare, niſi viſa licentia eidem in ſcriptis conceſſa per epiſcopum, aut vicarium generalem diœceſanum: facultatem autem hujuſmodi non concedant epiſcopi niſi viſis literis ordinum clerici, & atteſtatione proprii epiſcopi, ſuper vita & moribus eo anno conceſſis: quam atteſtationem clerici peregrini ab epiſcopis in quorum diœceſibus morati fuerint, diſceſſuri obtinebunt.

Regulares vero a ſuis ordinariis in forma obtentam obedientiam exhibeant, ſi facultatem celebrandi ſibi concedi intendant.

Criminoſos aut apoſtatas credimus clericos ſæculares aut regulares, non habentes ſimiles atteſtationes aut obedientiam: ideo qui ſine ipſis deprehenſi fuerint capiantur, & in carceres detruſi puniantur, aut ad ſuos ſuperiores ordinarios remittantur.

Si religioſus cujuſcumque ordinis extra ſui monaſterii ſepta repertus fuerit, ſine regulari habitu, per locorum ordinarios incarceretur, & juxta ſanctiones canonicas puniatur.

*De ſacramento ordinis.*

## CAPUT XXI.

PER ſeipſos ordines conferant epiſcopi ſubditis ſuis, examinatis, & ſufficientibus repertis, quorum illis ſit probata vita, per diligentem inquiſitionem & atteſtationem a parocho, magiſtro ſcholæ & ſenioribus loci in quo reſidet ordinandus. Quod ſi infirmitate aut alio legitimo detentus impedimento epiſcopus proprius ad alium remiſerit eum qui eſt ordinandus, hoc faciet literis dimiſſoriis: quas non concedet pro quocumque ordine, niſi ita prius examinato & approbato, ac ſi ipſe eumdem ordinem, pro quo dimittitur, eidem conferre deberet.

Fidei rudimenta ignorantes, ſacro chriſmate non deliniti, legere & ſcribere neſcientes, ſpurii aut illegitimi, ad primam clericalem tonſuram abſque epiſcopi diſpenſatione non admittantur.

Omnia quæ a ſacris canonibus & nominatim a ſacro concilio Tridentino, ſeſſione vigeſima tertia de reformatione conſtituta ſunt, in conferendis ordinibus, ab epiſcopo, & ordines recipientibus inviolabiliter obſerventur.

Literæ dimiſſoriæ illis tantum conferantur, quos prævio examine, & diligenti facta inquiſitione, de ipſorum vita & moribus, idoneos & probatæ vitæ repererint: quique vel titulo beneficii, vel patrimonii, valorem triginta aureorum annuis reditibus actualiter poſſideant: ne tandem in dedecus miniſterii dum ſacerdotes fuerint, ſe vilibus immiſcere vel mendicare cogantur.

Et ne talis ſupponatur titulus, illum non recipient, niſi inſtrumento publico atteſtatum per officiarios, & conſules loci in quo erunt bona patrimonii, qui dicant & teſtentur bona expreſſa in dicto titulo vere poſſideri a conſtituente, & ipſum ære alieno non gravatum, talia bona dare poſſe quæ ad valorem annuum reditus præfati aſcendunt: cujus tituli & atteſtationum copiam penes ſe debite ſignatam, reſervabit epiſcopi ſecretarius.

In literis dimiſſorialibus non inſeratur clauſula illa: *conſcientiam noſtram exonerantes: veſtram onerantes*: cum nullus remitti debeat quin ejus ordinis, ad quem ſumendum remittitur ab ordinario, capax & idoneus fuerit judicatus.

Sed quoniam talis abuſus jam ab aliquibus annis in noſtra inolevit provincia, dum permulti furtim beneficia aut capellas ſub colorato aut fraudulento aliquo titulo mendicant, variis artibus & fallaciis confingentes ſe beneficium eccleſiaſticum, aut etiam facultates alias ſufficientes poſſidere, cum a nobis aut coepiſcopis

in examine, tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerint ob ſupinam illorum in rebus divinis ignorantiam.

Statuimus quod in poſterum nulli epiſcopi ordines vel literas conferant dimiſſorias, niſi his quos ſciverint de ſua diœceſi oriundos : aut in ea per tres annos beneficium pacifice poſſederint, annui reditus valoris ſupra dicti triginta aureorum, alias nonobſtante poſſeſſione beneficii minoris valoris, ab ordinum ſuſceptione repellant.

In literis dimiſſoriis, non detur facultas niſi ad ſolum ordinem ſacrum ſuſcipiendum intra annum; quo elapſo, dictæ literæ nullius ſint effectus.

Propter abuſus, quos experimento cognovimus in extraneis, qui ſub falſis & fictis dimiſſoriis, ad ordines ſuſcipiendos, & ut examen a ſacris ſanctionibus ordinatum evitare poſſint, in Galliam veniunt : ſtatuimus ut nullæ externorum admittantur dimiſſoriæ, ſed cum illis a ſuſceptione ordinum rejiciantur : niſi ſint regulares, qui ſaltem per annum intra regnum reſederint, & ibidem ab ordinariis præſentis regni dimiſſorias obtinuerint.

*De matrimonio.*

## CAPUT XXII.

MAtrimonium a Deo inſtitutum, unionem Chriſti & eccleſiæ perfecte ſignificans, unde magnum ſacramentum eſt appellatum, licet puritatem denotet, tamen propter laſciviam & immoderatos appetitus fœdatur a permultis, dum quod Deus conjunxit non ſine ſacrilegio ſeparare tentat : & quod libere agendum eſt, vi aut metu fieri procurant. Quod advertens ſacroſancta Tridentina ſynodus, & cum tot, tantiſque malis curandis ſanandiſque optima & opportuna remedia inſtituerit quæ perutilia judicavimus : idcirco ejuſdem concilii decreta, quæ in tota noſtra provincia obſervanda ſtatuimus, de verbo ad verbum hic ad hos fines inſeri juſſimus.

Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu eccleſia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos ſancta ſynodus anathemate damnat, qui ea vera & rata eſſe negant, quique falſo affirmant, matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe : nihilominus ſancta Dei eccleſia, ex juſtiſſimis cauſis, illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. Verum cum ſancta ſynodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe, gravia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur : idcirco ſacri Lateranenſis concilii ſub Innocentio III. celebrati, veſtigiis inhærendo, præcipit, ut in poſterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus feſtivis in eccleſia inter miſſarum ſolennia, publice denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum : quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie eccleſiæ procedatur : ubi parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat : *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, vel aliis utantur verbis juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur : deinde ante illius conſummationem denunciationes in eccleſia fiant, ut ſi quæ ſubſint impedimenta facilius detegantur, niſi ordinarius ipſe expedire judicaverit ut prædictæ denunciationes remittantur; quod illius prudentiæ & judicio ſancta ſynodus relinquit. Qui aliter quam præſente parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius parochi, ſeu ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & ejuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat. Inſuper parochum vel alium ſacerdotem qui cum minore teſtium numero, & teſtes qui ſine parocho vel ſacerdote hujuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes, graviter arbitrio ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem ſancta ſynodus hortatur ut conjuges, ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent : ſtatuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam niſi ab ipſo parocho vel ab ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii ſacerdoti concedi poſſe : quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio nonobſtante. Quod ſi quis parochus vel ſacerdos, ſive regularis ſive ſæcularis ſit, etiam ſi id ſibi ex privilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parochiæ ſponſos ſine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit : ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. Habeat parochus librum in quo conjugum, & teſtium nomina, diemque, & locum contracti matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Poſtremo ſancta ſynodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad euchariſtiæ ſacramentum pie accedant. Si quæ provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus conſuetudinibus, & cærimoniis hac in re utantur, eas omnino retineri ſancta ſynodus vehementer optat. Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, ordinariis omnibus præcipit ut cum primum poterunt, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum diœceſeon parochialibus eccleſiis, idque primo anno quam ſæpiſſime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.

Vagos & qui habent incertas ſedes, quique ſæpiſſime relicta prima uxore adhuc vivente, cum alia contrahunt, & ſic in adulterio permanent, non admittant parochi ad contrahendum matrimonium : ideo banna, in utraque contrahentium parochia publicentur : & ſi adeo diſtans ſit parochia alterius contrahentium ut a parocho benedicente atteſtatio publicationis bannorum in altera parochia perfecte non dignoſcatur, eam ab ordinario loci atteſtatam per literas in forma cum ſigno & ſigillo epiſcopi requiret : ſine qua partes vinculo matrimonii copulare prohibetur.

Matrimonium non domi, ſed in loco ſacro celebretur, ab aurora uſque ad meridiem, in miſſa tantum; nec ad contrahendum parochi admittant fideles ab adventu domini, uſque ad epiphaniam; & a feria quarta cinerum, uſque ad dominicam in albis, ſine epiſcopi licentia : ſecundæ vero nuptiæ nuſquam benedicantur.

Non contrahent catholici cum hæreticis, nec enim fas eſt ad ſacramentum matrimonii quod gratiam confert, excommunicatum, talis gratiæ incapacem, recipere.

Gradus omnes cognationis tam carnalis quam ſpiritualis, affinitatis, juſtitiæ, & publicæ honeſtatis, qui a ſacro concilio Tridentino impedire matrimonium declarantur, nos eoſdem etiam gradus legitima eſſe matrimonii impedimenta declaramus; & in illis contracta dirimenda eſſe, & ſic contrahentes puniendos decernimus juxta dicti ſacri concilii decreta.

Prohibeant epiſcopi ludos qui impudenter in contemptum ſecundarum nuptiarum a permultis fieri ſolent, *carivarios* vulgo appellatos : contumaces & inobedientes pœna excommunicationis coerceant.

Qui ſemel contraxerint, ad contrahendum de novo non admittantur, niſi certo conſtiterit de morte alterius cum quo nupſerant.

Excommunicationis ipſo facto incurrendæ ſententiam ferimus, in eos qui ſortilegia, & veneficia aut incantationes, in matrimonia contrahentes, aut benedictionem nuptialem ſuſcipientes exercent.

Matrimoniales denunciationes ſolus epiſcopus, vel ejus in ſpiritualibus vicarius generalis, ex cauſa bene nota remittat : officiales vero ſuper illis diſpenſare non attentabunt cum illud illis prohibitum ſit, prout præſenti decreto prohibemus.

De cauſis vero matrimonialibus nullo modo, etiam de conſenſu partium cognoſcant officiales foranei, quas tantum in foro metropolitano aut epiſcopali tractari volumus.

Qui in gradibus prohibitis contraxerint, eos parochi diligenter inquirant & epiſcopo denuncient : qui impedimento cognito ipſos ſeparet, & ſimul prohibeat ſub excommunicationis ſententia, & aliis pœnis contra tales jure ſtatutis in ipſos agat.

Dum contrahitur in eccleſia matrimonium vitentur riſus, ſtrepitus, & alia indecentia, ſicut & durante adminiſtratione ceterorum ſacramentorum. Quod ſi quidam contumaces a talibus abſtinere tunc neglexerint, excommunicationis mucrone feriantur, & ab eccleſia arceantur.

*De extrema unctione.*

## CAPUT XXIII.

EXtremam unctionem infirmantibus ſolamen eſſe ad ſalutem corporis recuperandum & medium aptiſſimum ab hac vita cum majori gratia diſcedendum ex D. Jacobi verbis ſatis conſtat, quoniam ut ait, orante ſacerdote & ægrotum oleo ungente in nomine domini ſalvatur infirmus, & ſi in peccatis ſit, remittuntur ei : ideo parochi, cum ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ægroto miniſtraverint, hortabuntur eumdem ut ſe ad ſacram unctionem recipiendum præparet : ſubditos vero omnes, frequenter moneant, ne ſint in ſuſcipiendo tam utili ſacramento negligentes; & curent crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani & impia opinione abducere, qua plerique ſiniſtre de virtute hujus ſacramenti ſentiunt : perinde ac ſi mortem ægris acceleret, cum tamen certum ſit hujus virtute ſacramenti non animæ tantum, ſed & corporis ſanitatem a Deo optimo maximo, ſæpiſſime concedi.

Eos ſæpius viſitent parochi quibus hoc ſacramentum contulerint; non enim muneri proprio ſatis eſt factum, niſi eos in periculo mortis inviſant, & hortentur ad conſtantiam in fide, patientiam in morbo, ut finem ſuum feliciter explere poſſint in religione catholica, cum de æterno bono aut malo in tali ſtatu agatur.

Illud vero ſacramentum non illis ſolum conferant parochi de quorum ſalute corporis nulla omnino eſt ſpes, ſed illis etiam in quibus vitæ diſcrimen eſſe judicabunt : & ut interſint dum tale ſacramentum confertur, hortentur fideles & indulgentias quadraginta dierum quas intereſſentibus ter Pater & Ave., pro ægroto recitantibus conferimus, intelligibili voce publicent.

*De ſepulturis & cura pro mortuis habenda.*

## CAPUT XXIV.

SEcunda quaque feria, ſi fieri poterit, miſſam pro defunctis celebrari curabunt parochi, & diebus dominicis populum ad preces fundendas pro defunctorum liberatione hortabuntur.

Dum publica ſacrorum ſolennia peraguntur, aut noctu, mortui nuſquam efferantur; ſi vero pomeridiano tempore funus agitur miſſarum ſolita celebratio in craſtinum aut alium diem non impeditum transferatur.

Intra eccleſiam & maxime prope altare non ita facile admittantur ſepeliendi, ſed illis tantum quos aut dignitas eccleſiaſtica, aut nobilis proſapia, aut virtutis laudabilis ſplendor commendarint : quod ſi ſepulcra intra eccleſiam conſtruxerint, ſuper ſoli planitiem non attollantur, quibus nullæ inſcriptiones niſi conſulto & approbante epiſcopo, archidiacono, aut rectore eccleſiæ apponantur.

Funera ab heredibus defunctorum ducantur, ſi per ipſos teſtamentorum tabulis aut alias non fuerint ordinata juxta perſonæ & facultatum qualitatem; & ad hoc per locorum ordinarios compellantur, cum talis pietas erga defunctos a ſuperſtititibus debeatur.

Sordidas exactiones & pro exequiis defunctorum illicitas pactiones a ſacerdotibus fieri non per-

ANNO CHRISTI 1609.

permittant epiſcopi, & quas factas noverint, irritas declarent, & in hoc deprehenſos ſacerdotes qua decet ſeveritate puniant.

Non ſepelientur defunctorum corpora niſi poſt horas viginti quatuor, niſi fuerint pueruli: nec in funere mortuum habita oratione laudabit aliquis, niſi hoc ſciente & approbante epiſcopo. Concionem vero habere poterit qui alias ad hoc fuerit approbatus, de mortis certitudine, & ejuſdem horæ incertitudine, judicii Dei ſeveritate, aut aliis quæ audientes ad ſe parandum ad mortem commovere poſſint.

Excommunicati decedentes, priventur eccleſiaſtica ſepultura, quod ſi ivi in loco ſacro ſepulti fuerint, dum libere agetur, oſſa & cineres, ſi diſcerni ab aliis poſſint extrahantur & inde ejiciantur.

Cœmeteria omnia religioſe & honeſte teneantur, debiteque claudantur muris, aut foſſa: ita beſtiis in ea non pateat aditus: ad quod communinitates locorum per ordinarios compellantur: implorato brachii ſæcularis auxilio, ſi opus ſit.

Super quæſtionibus quæ oriuntur ratione ſepulturæ defuncti: ſi teſtamento aut verbo præſentibus ſaltem duobus teſtibus eam non elegerit, aut habeat ſuæ familiæ propriam, ſummarie per ordinarium loci provideatur, cujus ſententia, nonobſtante quacumque appellatione executioni demandetur: quod ſi facile adiri non poſſit ordinarius, aut cauſa breviter tractari, tunc corpus defuncti intra cœmeterium eccleſiæ parochialis in qua deceſſit ſepeliatur. Alio cadavera portantes, favorem aut conſilium dantes, ad hoc excommunicentur, donec arbitrio ordinarii fuerit ſatisfactum, etiam ſi ſint religioſi aut mendicantes: externi vero aut peregrini parochiam appellamus eam intra quam ægrotus deceſſit, a cujus parocho infirmus eccleſiaſtica recipere debet ſacramenta.

Decedentes in parochia ſi alibi ſepeliendi, id non fiat niſi vocato parocho: & tunc matri eccleſiæ præſententur, quæ ex funeralibus juribus recipiat juxta conſuetudinem de qua diligenter inquirant epiſcopi diœceſim viſitantes, cruce præeunte, dum itur ab eccleſia in domum defuncti ad ſepulturam deferendi, vigiliæ mortuorum ſine cantu, voce tamen aliquantulum elevata, per clericos, ſive regulares ſint, recitentur: ut populus eccleſiaſtica munia eos obire tunc intelligat.

*De teſtamentis.*

## CAPUT XXV.

PRælati viſitando diœceſim inquirant de piis defunctorum legatis, ſuper quibus ſimpliciter & de plano ordinent, ut executioni demandentur: quod ſi ambiguum aliquid ſit, aut præter naturam rei pie fundatæ in teſtamento, aut clauſula legati appoſita, id auctoritate ſua interpretentur, explicent & moderentur epiſcopi.

Si quid perpetuum aut temporaneum teſtamento pie legatum ſit, notarius poſt octo dies a morte teſtatoris, ejuſdem teſtamenti clauſulas legata continentes, parocho defuncti remittere debet, ſub pœna excommunicationis: rector vero poſt octo dies illarum copiam ad officialem vel promotorem mittere teneatur, ut per tum nomine ordinarii, qui executor eſt piarum voluntatum, ea executioni demandari procuret: niſi fuerint executores per defunctum expreſſe nominati.

ANNO CHRISTI 1609.

Omnibus piis legatis infra ſex menſes poſt mortem teſtatoris ſatisfiat, niſi aliud in teſtamento fuerit deſignatum.

Executores teſtamentarii reddere debent rationem adminiſtrationis diœceſano, quem ut procuratorem animarum piarum vocare debent in diſtributionibus legatorum: alioquin tales diſtributiones nullæ ſint: & ad eaſdem hæredes iterum cogantur.

Tabulæ teſtamentorum, pia legata; ſive perpetua, ſive ad tempus præſcripta continentium denunciata per notarios parocho, & per parochum promotori, ſive procuratori animarum piarum deſcribantur: & tranſſumpta in archivis epiſcopi reponantur: expenſis illius in cujus favorem talia legata fuerint facta.

*De epiſcopis.*

## CAPUT XXVI.

COnſtituit Deus apoſtolos quibus ſuccedunt epiſcopi, qui quaſi in altiſſima eccleſiæ conſtituti arce, invigilare debent ſuper gregem & in cuſtodia ſanctuarii excubare.

Videant igitur ne aut incuria, aut inertia dormitantes, aliquid damni patiantur ſubditi; curentque & ſoliciti ſint, de credito ſibi populo, errantes in viam reducere, perditos requirere & recuperare conentur: id vero fiet ſi actiones proprias ad petram, qui Chriſtus eſt allidentes, quod in ipſis ex humana infirmitate ſordidum fuerit mundaverint, ſicque multo liberius feſtucas, quas viderint in aliorum oculis amovebunt, non pertimeſcentes, ne ſibi dicatur, frater amove prius trabem quæ in oculo tuo eſt.

Primum igitur in ſanctis meditationibus & orationibus frequenter certam ſibi quotidie horam ſumat epiſcopus; quam in ſtudio & exercitatione divinarum contemplationem inſumat: in quibus Deo non pro ſe tantum ſed pro fidelibus ſibi commiſſis, preces fundat humiliter, ut quod in ipſis contractum divina bonitate alligetur, quod languidum eſt ſanetur, perditum reparetur, & quod bonum eſt conſervetur. Singulis diebus ad veſperum, horam deſignet qua ſuam familiam in ſacellum domeſticum, aut oratorium convocet, ubi ipſo præſente ſi non impeditus ſit, recitari faciat litanias & pias orationes: tum quiſque breve examen conſcientiæ efficiat; pro feſtis diebus, miſſæ ſaltem ſacrificio interſit epiſcopus, ſi ipſe celebrare non poſſit: dominicis, vero & feſtivis, miſſam dicat, cum ipſe ſit aſſumptus ex hominibus ut pro peccatis populi ſacrificium offerat.

Quotieſcumque munia ſpecialia exercebit, paratus accedet, poſt miſſam celebratam in fine expreſſe orabit, ut ſibi præſto ſit Dei gratia in tali munere obeundo, ut vero populus miniſterii ab epiſcopo peragendi, illiuſqe inſtitutionis ab eccleſia cauſas odorari poſſit, priuſquam ea munia aggrediatur epiſcopus, eaſdem brevi ad populum habita concione explicabit.

Canonicas horas diſtincte & attente, ſi non cum choro, apud ſe recitent epiſcopi, ſtatis horis, quas præveniendo potius, quam tardando perſolvere debent.

Singulis diebus feſtis & dominicis in choro divinis officiis ſaltem miſſæ & veſperis interſint.

Offi-



ANNO CHRISTI 1609.

Officiarios & maxime officiales ac promotores, viros probata vita & doctrina conſpicuos inſtituant; ut ſi aliquantum in ſcientia deficiant, illud vitæ probitate & integritate compenſent.

Se faciles adeuntibus præbeant, præſertim vero conquerentibus de injuriis receptis, denunciantibus ex caritate defectus ſubditorum quorumcumque, & pauperum miſerias vel infirmorum dolores declarantibus; quibus ita paterna dilectione provideant, ut egentibus largas eleemoſynas concedant, inimicos concilient, infirmos viſitent, quibus ſanctam benedictionem concedendo & dolorem levabunt, & forſan ex Dei bonitate ſanitatem reſtituent.

Convivia non faciant frequentia, a laicorum nimia familiaritate abſtineant, ne ſic dignitatem imminuant, ſed tempus pro exercitatione aſſumendum ſacrorum librorum lectioni, & piis hominum colloquiis impendant; petentibus maxime conſilium dent, & afflictos benigne conſolentur.

In domibus ſuis feminas non admittant: domeſticos de fide bene ſentientes, modeſtos & pios habeant, quos ſemel in menſe confiteri & ſacram euchariſtiam ſumere procurent, & lectionem ſacrorum librorum in menſa per clericum faciendam.

Si coepiſcoporum aliquis, temporum vel bellorum injuria, fame, peſtilentia aut aliarum difficultatum calamitatibus oppreſſos ſciverit, orationibus & privatis & publicis, largaque eleemoſynarum largitione conabitur quam citiſſime ſublevare.

Frugali menſa & mediocri ſupellectili contenti ſint epiſcopi, atque in reliquo vitæ genere mediocritatem ſectentur: caveantque ne quid in tota familia ſua, ab hoc ſancto inſtituto alienum appareat, quodque ſimplicitatem, pietatem, divini cultus ardorem & vanitatis mundique contemptum non præ ſe ferat: ſicut enim ſordidus & maculatis veſtibus indui non eſt licitum: ita precioſis & profanis aut varie contextis uti non decet. Non in publicum prodeant ſine talari tunica, & roqueto. Juxta temporum & locorum rationes, veſtiantur modeſte ita ut gravitatem ſapiant, ſive in publico, ſive privatim, ſive in itinere, ſive in civitate ſemper in eo habitu, & forma incedant quo appareant & judicentur epiſcopi.

Tonſuram ſemper conſpicuam gerant in capite grandiorem multo quam ceteri inferiores ſacerdotes, tanquam a terrenis curis magis abſtracti: populo ſemper ſanctam benedictionem impertiantur, dum per civitatem aut diœceſim incedunt.

Picturas omnes profanas res repræſentantes, domi non retineant: obſcœnas omnino rejiciant, eaſque tantum habeant quæ ad pietatem provocant intuentes.

Quos habebunt domi clericos nonniſi clericali & decenti habitu uti permittant, illoſque non retineant, niſi ſint bonæ exiſtimationis. Opera miſericordiæ frequenter exerceant, ut ſancta converſatione quaſi epiſcoporum teſtes ſint & imitatores: quorum unum ſuper familiam conſtituant, qui laicorum domeſticorum actiones percunctetur, & videat num aliquid præter decentiam Chriſtianæ converſationis perpetrent; & delinquentes corrigat: non enim fas eſt in tali familia ſcandaloſos aut ullius criminis ſuſpectos eſſe; ideo errantes ſevere reprimant per ſe epiſcopi, pertinaces e familia excludant, ægrotantes omni ſollicitudine & pietate curent, nec ſumptibus parcant.

ANNO CHRISTI 1609.

Gravem aliquem ſæcularem aut regularem confeſſarium eligant, qui ſit ſacra ſcientia, prudentia & vitæ ſanctitate inſignis, cujus ſtudio & precationis ſpiritu, in gravioribus difficultatibus uti poſſint.

Capitulis metropolitanis & cathedralium eccleſiarum præcipimus, ut ſtatim poſt mortem prælati, metropolitanum & coepiſcopos noſtros commonefaciant; qui omnes ſolenni cærimonia miſſam pro defuncto celebrari curabunt: tum indictis publicis ſupplicationibus Deum deprecabuntur, ut orbato gregi velit juxta cor ſuum paſtorem mature concedere.

*De viſitatione.*

## CAPUT XXVII.

NISI gregem inviſerit, quid in eo infirmum ſit ignorabit, & medicamina ægris applicare non poterit. Ideo ut agnoſcere poſſit epiſcopus gregem ſuum, hæreſes tollat, pravos mores corrigat, rebelles & obſtinatos verborum aſperitate, deterreat; at conſoletur puſillanimes, proboſque confirmet. Exacta eccleſiarum viſitatio, ab omnibus maxime neceſſaria ſemper eſt judicata.

Eccleſias igitur epiſcopi, juxta concilii Tridentini decreta, viſitent; ac quæ pie & ſancte de viſitatione ſancita ſunt, diligentiſſime obſervent.

Si non ſingulis annis, tertio ſaltem quoque anno univerſam diœceſim viſitent: moderato tamen comitatu, ne ſubditos nimiis ſumptibus opprimant: eoſque ſecum aſſumant, quos probatæ fidei & doctrinæ noverint, & quorum integra fama iis ad quos proficiſcuntur exemplo eſſe poſſit.

Cathedrales in primis viſitent eccleſias, tum collegiatas, deinde parochias, ſeminaria, ſodalitates, hoſpitalia, ac cætera pia loca: abuſus, ſi qui irrepſerint, ab eis tollant: modos ſtatuant, quibus in poſterum vitari poſſint: cum magiſtratus, tum viros graves accerſant, quibuſcum agant, ut ab eis libere ac ſine dolo, vitam & mores clericorum audiant. Id vero diligenter attendant & videant, num publice aut privatim de vita clericorum ſit inquirendum.

Pro loci & perſonarum varietate licet aliter atque aliter aliquando agendum ſit, quod a prudentia & judicio epiſcoporum pendebit: ut plurimum tamen quæ ſequuntur erunt exequenda.

Studeant prius verbi Dei prædicatione, & paterna cohortatione, ad religionem, vitæ innocentiam, pacem & concordiam omnes hortari: tum moneant ſe confirmationis ſacramentum, ſi id commode fieri poteſt, collaturos, hortenturque populum ad tantum ſacramentum digne ſuſcipiendum. Quod quidem conferetur adultis, prævio examine capacibus repertis, & ſacramento pœnitentiæ purgatis; tum datis indulgentiis, ſolennis in eccleſiis cathedralibus & collegiatis defunctorum abſolutio peragetur.

Hortentur in primis epiſcopi canonicos & habituatos dictarum eccleſiarum, peculiares quaſdam orationes Deo fundere, ut divina ope auxilioque adjuti, poſſint ex tam ſancta & ſalutari actione, fructum ad majorem Dei honorem

norem & gloriam, ad animarum ſuarum ſalutem, vitæ morumque reformationem neceſſariam percipere.

Ad cujus operis perfectionem, quo facilius & ordinatius procedatur, dictam ſuam viſitationem in quatuor præcipua capita per articulos diviſa diſtribuent, ut ſuper eiſdem reſponſuri mature ſeſe præparent.

Primum caput ſpectabit ad locum, qui eſt templum materiale & eccleſia.

Secundum ad perſonas divino ſervitio in dicto loco aut eccleſia fieri ſolito deſtinatas.

Tertium ad inſtrumenta & ornamenta mobilia, aliaque id genus ad obſequium divinum requiſita & neceſſaria.

Quartum ad proventus & reditus, tum in communi, tum in particulari, dictorum eccleſiaſticorum nutritioni & alimentis affectatos.

Tamquam delegati ſedis apoſtolicæ munus viſitationis ſuæ exercentes epiſcopi, beneficia quæ non ſufficiunt ad unius ſacerdotis alimenta, duo vel plura ſimul uniant, ſi opus ſit: ut ſacerdotes, quibus per ordinarios collatores conferentur, unde poſſint vivere ſufficienter habeant, & officia eccleſiaſtica exerceant ab epiſcopis præſcribenda, quoad fieri poterit, juxta fundatorum intentionem.

*De ſynodo diœceſana.*

## CAPUT XXVIII.

POENA propoſita illis eſt, qui abſque legitima cauſa ad ſynodum diœceſanam venire neglexerint, tempore a jure ſtatuto, & ab epiſcopo indicto. Ad ſynodum igitur diœceſanam convenire compellant, omnes & ſingulos qui jure vel conſuetudine ad hoc tenentur, comparentes in habitu ordini ſuo proprio & decenti interſint: alias non recipiantur in ſynodo, poſt annum in qualibet diœceſi habenda.

Præſentis ſtatuta concilii publicentur, quæ præſentes omnes juramento medio promittent obſervare.

Deferat quiſque archipresbyter in ſcriptis nomina omnium in ſuo archipresbyteratu beneficia obtinentium, qui non reſidentes fuerint: aut curam animarum habentes, ſe ad ſacrum presbyteratus ordinem promoveri non fecerint.

Beneficia obtinentes, & in ſynodo comparentes, beneficiorum ſuorum titulos demonſtrabunt: alias pro abſentibus & contumacibus cenſeantur.

Quicumque ſynodo intereſſe debent, ſi præſentes propter legitimum impedimentum non fuerint, & hoc caſu niſi per procuratorem debite comparuerint, pœna arbitrio ordinarii plectantur: & in valvis parochialium eccleſiarum ipſorum citentur, ad purgandam contumaciam intra menſem: qui niſi comparuerint, per alium menſem iterum vocati, ſuſpendantur: creſcente vero contumacia, & tertio citati, beneficiis priventur.

Hortamur coepiſcopos noſtros, ut abſentes a ſynodo, ſi infra menſem poſt eamdem comparuerint, mitius agant cum illis, mulcta pecuniaria in pios uſus convertenda: quibus proponant conſtituta in ſynodo, & inviolabiliter ſe obſervaturos promittant.

Qui legitime impediti per procuratorem comparuerint, non recipiantur, niſi in mandatis expreſſum ſit, quod quæcumque in dicta ſynodo conſtituentur, & ordinabuntur, conſtituens obſervabit, & ipſa ſibi ſatis ſufficienter intimata declarabit, dum in eadem fuerint conſtituta.

Gravi mulctetur pœna, qui pro alio, ſine ſpeciali mandato, comparuerit.

Ad ſynodum autem diœceſanam venire cogantur, omnes qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent.

*De concilio provinciali.*

## CAPUT XXIX.

QUÆ dormitantibus epiſcopis per inimicum hominem ſuperſeminata fuerit zizania facilius eradicatur, priuſquam cum aliis herbis altius creverit: univerſa vero eccleſia cum difficillime congregari poſſit, congregata tamen ſparſos in unaquaque eccleſia defectus pro ſuo jure tollere, morbiſque mentis mature mederi & occurrere nititur. Proinde ad tollendos abuſus, mores componendos, & concordiam pacemque conſervandam, voluit, & inſtituit provinciales per metropolitanum convocari ſynodos: in quibus quid clero aut populo mancum ſit, regulari poſſe judicavit. Hoc tamen in hac noſtra provincia, tam utile medium intermiſſum eſt & neglectum. At ut [a] tanquam ſalutare & neceſſarium inſtitutum diligentius poſt hac obſervetur.

Statuimus ut tertio quoque anno provincialis ſynodus convocetur: quam ex nunc ad diem duodecimam Maii, anni domini milleſimi ſexcenteſimi duodecimi indicimus, cui intereſſe tenebuntur omnes domini epiſcopi ſuffraganei, vel eorum vicarii generales, abbates cujuſcumque ordinis, omnes primæ poſt epiſcopum dignitates eccleſiarum metropolitanarum & cathedralium, & earum capitula, ſicut & collegiatarum, per deputatos: priores clauſtrales, juriſdictionem in ſuos monachos & monaſteria ſine ullo abbate, aut dependentia, habentes: & hoc ſub pœna excommunicationis. Capitula vero monaſteriorum regularium, per eorum deputatos regulares, ad id etiam invitentur: ſalvis ſemper ipſorum immunitatibus, de quibus tunc fidem faciant. Quod ſi legitima ſubſit abſentiæ cauſa, epiſcopi, quod pro utilitate & bono ſuarum eccleſiarum, in eadem ſynodo tractandum viderint, in ſcriptis ad nos, per menſem ante tranſmittant: & eodem die nuntium & procuratorem virum probum, actu ſacerdotem, capacem & idoneum ad impedimentum ſignificandum, & omnia ac ſingula ſtatuenda, nomine ſuo approbandum mittant: qui nomine illius, a quo miſſus fuerit, in omnibus deliberet, & ſtatutis ſubſcribat. Ideo talem a conſtituente per mandatum expreſſe recipiet facultatem.

Norint autem eccleſiarum cathedralium procuratores, abbates, & alii quicumque deputati, conſultivam, non autem deliberativam, in eadem ſynodo ſe vocem habere.

Procurationes coepiſcoporum noſtrorum per concilium examinabuntur: utrum cauſa legitima ſit, vel probatione indigeat. Si per contemptum potius, quam juſta præpediti cauſa, venire neglexerint, per ordinationem ejuſdem concilii, privatione tertiæ partis fructuum menſæ ſuæ epiſcopalis pro illo anno mulctentur, quam fabricæ eccleſiæ cui præeſt, & pauperibus, æquis portionibus, per deputandum a concilio, diſtribuendam volumus.

[a] Forte, tam ſalutare. H.



In ea vero ſynodo, præcedentibus ſupplicationibus, publice per epiſcopos in ſuis diœceſibus ordinandis, & aliis peractis, quæ in pontificali & cæremoniali Romano caute præſcripta ſunt, tractabitur; primo utrum, quæ in præcedenti ſynodo ſtatuta fuerunt, executioni fuerint mandata: quod ſi quædam obſervata non fuerint, cauſa cognita, deficientes, per concilium, prout juris & rationis fuerit, punientur. Videbunt & inquirent congregati, utrum epiſcopi ac alii, pro ſuo munere, ſicut tenentur, in ſuis eccleſiis reſidentes fuerint, & viſitationem perfecerint.

Pridie vero ante inchoationem concilii, epiſcopi cum omni familia, & omnes alii qui ſynodo aderunt, preces ad Deum fundent; ut nominatim dignetur in re tam gravi, & quæ eccleſiam tangit ſuo Spiritu ſancto diregere.

Promotores & officiarios conſtituent, non novos homines, ignotos & imperitos, ſed eos quorum probata ſit vita, & doctrina tales, ut munus ejuſmodi digne valeant exercere.

Si quæ ſint inter coepiſcopos ipſos, aut inter epiſcopum & eccleſias ſuas, immo & inter diverſas eccleſias controverſiæ, in concilio tractentur; & ſi fieri poteſt, ſine ſtrepitu judicii concilientur & terminentur: ad quos fines, per ſex menſes ante inchoationem concilii, moneatur metropolitanus, per epiſcopos, capitula, aut alios, ex caritate ſola, de dictis diſcordiis aut litibus: ut per eumdem metropolitanum moneantur litigantes, ut veniant parati & cum juribus accedant.

Fiat indictio futuri concilii in ultima ſeſſione concilii provincialis: quo abſoluto, & factis acclamationibus, decretis ejus, manu propria, tam epiſcopi, quam procuratores ſubſcribant, licet in omnibus nomine proprio non conſenſerint: judicia enim ſanioris & majoris partis prævalent, & quod concluſum fuerit a pluribus, cenſetur approbatum. Qua non obſtante ſubſcriptione, ſi in aliquibus quis ſe gravatum ſenſerit, viam juris, per appellationem ad ſummum pontificem, provincialis concilii judicem, ei patere declaramus.

*De capitulo & canonicis.*

## CAPUT XXX.

CAPITULA quæcumque eccleſiarum ſæcularium aut regularium, non obſtantibus privilegiis quibuſcumque, per ordinarios viſitabuntur, juxta decreta ſacri concilii Tridentini: quibus per canonicos ſtatuta, ſi quæ ſint, probanda, vel improbanda exhibeantur: quod ſi nulla ſint, fieri citiſſime procurabunt. Certo & ſtato die pro negotiis eccleſiæ tractandis, oratione præmiſſa congregabuntur canonici hora matutina, ante vel poſt miſſam, ne eccleſia divinis fraudetur obſequiis.

Omnium bonorum eccleſiæ, inſtrumentorum, & piarum fundationum inventarium fiet, quod epiſcopo, quoties requiſiverit, exhibere tenebuntur; ut appareat, utrum dolo aut incuria, piis defunctorum intentionibus non ſatisfiat, & an aliquid fuerit alienatum.

Dignitates, officia, perſonatus, canonicatus, aut præbendæ non conferantur, niſi illis qui ætatem a ſacro concilio præſcriptam attigerint. Alia vero curam animarum habentia, his qui infra annum presbyteri eſſe poſſint, tantummodo conferantur. Alias collationes factas de hujuſmodi beneficiis nullas & irritas declaramus.

Non habeant vocem in capitulo, nec locum in ſubſellis ſuperioribus canonici, qui non ſunt in ſacris ordinibus conſtituti.

Diſtributiones illi tantum percipiant, qui præſentes divinis interſunt officiis: exceptis iis, quos infirmitas, ſeu quævis alia neceſſitas, eccleſiæ utilitas, aut alia canonica juſta cauſa excuſat. Quod ut ſciri poſſit, punctuatura in omnibus eccleſiis cathedralibus, aut collegiatis, diligenter ſervetur; in qua præſentium nomina, & cauſa abſentium, ſi juſta ſit, deſcribantur.

Cum beneficia, ad divinum cultum, atque eccleſiaſtica munia obeunda, ſint conſtituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, ſed ut ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur:

Statuimus in eccleſiis, tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum ac obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, perſonatuum, portionum, & officiorum, ſeparari debere, atque in quotidianas diſtributiones converti: quæ inter dignitates obtinentes & divinis intereſſentes proportionaliter juxta diviſionem ab epiſcopo, etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione faciendam, dividatur; ſalvis tamen conſuetudinibus earum eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſervientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt: non obſtantibus exemptionibus aliiſque conſuetudinibus etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuſcumque: creſcenteque non ſervientium contumacia, liceat contra eos procedere juxta juris ac ſacrorum canonum diſpoſitionem. Non reſidentes archidiaconi ceterique dignitates, perſonatus & officia in eccleſiis metropolitanis, cathedralibus, aut collegiatis obtinentes, quibus juriſdictio aut officium proprium eſt attributum, ad muneris ſui functionem perſonaliter per fructuum ipſarum dignitatum, perſonatuum vel officiorum, ſubtractionem, ab ordinariis compellantur.

In choro colloquia non permittantur: non dormiat aliquis: non nugetur: literas aut libros non legat: officium privatim non recitet: per chorum non vagetur, aut indecore ſedeat: ſed omnes divina officia & preces, devote, attente, & graviter in choro ſimul cantent; nec maneant otioſi, ſed ſint modeſte compoſiti officium recitando; ut ad devotionem populus, & exaudiendas orationes Deus excitari poſſit.

Spurii filiique presbyterorum, non deſerviant, aut beneficium [a] quodque obtineant in eccleſiis, in quibus patres eorum præbendam aut beneficium aliquod habeant aut habuerint.

Dum recitantur divina, in choro interſint clerici, qui cappas, almutias, ſuperpellicea & alia veſtimenta geſtantes, pro loci conſuetudine deferant; quæ lacera aut immunda non ſint, alias a capellano diſtributionibus priventur.

Canonici qui canonicales, & alii qui beneficiis annexas domos habent, in illis reſideant: aut ſi non habent, intra clauſtra eccleſiarum cogantur

[a] Forte, quodcumque. H.

ANNO CHRISTI 1609.

tur habitare, ne convictu & contubernio laicorum rei ſacræ miniſterium vituperetur, & inde ſcandala oriantur.

Quæcumque de vita & honeſtate clericorum in hac ſynodo per nos ſtatuta fuerint, quam diligentiſſime ab omnibus canonicis, aliiſque eccleſiarum metropolitanæ, cathedralium, & collegiatarum beneficia obtinentibus, ſive dignitates aut officia ſint, obſervari præcipimus: cum tales deceat a canonicis ſanctionibus, ne tranſverſum quidem unguem recedere, qui propterea canonici ſunt appellati.

Nullo modo liceat epiſcopis, capellanis, aut beneficiatis quibuſcumque, bona eccleſiæ alienare, ſive mobilia ſint, ſive immobilia: alias præter excommunicationis ſententiam, quam ipſo facto incurrent, ab ordinariis ad arbitrium mulctentur. Quod ſi pretium ex tali venditione proveniens in proprios uſus converterint, tanquam ſacrilegi ab ordinariis puniantur.

Sedulo igitur inquirant epiſcopi, utrum quid tale hactenus actum fuerit, ut in integrum reſtituantur eccleſiæ, mala perditorum fide ſic expoliatæ.

In eccleſiis collegiatis, doctori theologo una ex præbendis canonicalibus conferatur ad ſacram ſcripturam explanandam perito, qui caſus conſcientiæ publice doceat, & in choro dum recitantur horæ canonicæ intereſſe teneatur, quando per occupationes lectionum ſibi licuerit, ſuper hoc ejus conſcientiam onerantes: & quidem juxta concilii Tridentini ſuper hoc editum decretum.

Manſionarii & beneficiati eccleſiarum metropolitanarum, cathedralium & collegiatarum, in choro præſentes ſint dum divina celebrantur, & horæ canonicæ recitantur: munia quiſque pro officio ſuo obeat, & abſentibus illis qui ad aliquid agendum ſunt deſtinati (quos niſi legitime abſint, capituli arbitrio puniri volumus) præſentes quod ſibi per præcentorem, aut a capellano mandatum fuerit præſtabunt ſine ſtrepitu. Ideo talia beneficia non niſi in cantu & literatura peritis conferri volumus, qui per ſeipſos munus ſuum intra annum exercere valeant: alias collationes factas præſenti decreto irritamus, & nullas declaramus.

Omnes, cujuſcumque fuerint dignitatis, eccleſiaſticos, etiam exemptos, ſupplicationibus publicis, a ſuperioribus convocatis, intereſſe jubemus: quibus tam in incedendo, quam ſedendo in choro & aliis locis, ordinem aſſignent epiſcopi, juxta cærimoniale felicis memoriæ Clementis VIII. quod in omnibus recipimus, & in tota noſtra provincia recipi volumus, & juxta ritus per ipſum conſtitutos procedi præcipimus. Præcedentia clericorum in eccleſiis aut actionibus quibuſcumque, ſi controvertatur, coram epiſcopo, aut ejus officiali, & non alibi tractetur: contra actorem, ſi reum coram alio in jus vocaverit, ſi monitus non deſtiterit, excommunicationis ſententiam ferat epiſcopus.

*De beneficiis conferendis.*

## CAPUT XXXI.

POteſtatem habentes conferendi beneficia quæcumque hortamur in domino, ut non favore, precibus, potentia, aut cognitione moti, illa conferant: ſed Deum præ oculis habentes, videant quos capaces & idoneos ad id judicaverint: attendentes ſi in hoc deliquerint, Deo rationem pro illis ſe reddituros. Quibus vero beneficia conferent, ſi ea reſidentiam requirant, ab eiſdem juramentum de reſidendo recipient.

Jurent recipientes collationes beneficiorum, quod bona eorum conſervabunt, non alienabunt, alienata diligenter perquirent, & reſtitui omni via juris procurabunt: quod ſi non fecerint, expenſis eorum fieri per deputandum ab epiſcopo ipſo facto conſentient.

Proviſionem beneficii recipientes, ejuſdem poſſeſſionem adepti, mobilium ad beneficium pertinentium fieri inventarium procurabunt; ſcientes ſe teneri, prout præſenti decreto ſtatuimus & ordinamus, quod beneficiati cujuſcumque beneficii, decedentes, reſignantes, aut permutantes, eadem mobilia quæ ad beneficium pertinent, ſucceſſoribus relinquant: ad quod omnia & quæcumque bona defuncti, aut cedentis beneficium, obligata maneant: tum ut fraus omnis vitetur, defuncti beneficiati bona, requirente promotore epiſcopi, ſequeſtrentur, ni velint heredes datis cautionibus de bono ſucceſſori debito reſpondere.

Et quia permulta ſcandala in Dei eccleſiam irrepunt, propter clericos, qui nihil habentes præter beneficium, illud tamen ſeducti, aut alias ad id inducti, reſignant; & ad egeſtatem necnon mendicitatem, cum miniſterii vituperio reducuntur: omnes reſignationes factas, aut in poſterum faciendas, a clericis nihil aliud ſufficienter ad victum præter beneficium poſſidentibus, nullas & nullius effectus irritaſque declaramus.

*De parochis, ſeu curatis, & reſidentia eorumdem.*

## CAPUT XXXII.

PEr ſacramenta voluit Deus, tamquam per media, nobis gratiam conferre. Propter quam recipiendam, cum ex illa finalis dependeat poſſeſſio gloriæ, ut populum nobis commiſſum, ad finem propter quem conditus eſt perducere poſſimus: præſentem ſynodum ſub Spiritu ſancto congregatam habuimus. Et quia ſacramentorum hujuſmodi miniſtri ſunt parochi: ideo licet ſparſim diverſis in locis, per occaſionem de iis plura dixerimus, ſub hoc tamen capite, nonnulla de munere parochorum addidiſſe erit perutile. In quibus præter vitæ probitatem, ſcientiam, ut docere ſibi ſubditos; & poteſtatem, ut ſolvere, & ligare poſſint, requiſitam agnoſcimus: quam niſi rite a prælatis ſuſceperint, non abſolvunt a peccatis populum, ſed temere hujuſmodi poteſtatem uſurpantes, decipiunt.

Non igitur curam animarum ſibi aſſumant, nec habere præſumant ſacerdotes, niſi titulum parochialis eccleſiæ, vel alias munus curæ animarum, aut ab ordinario obtinuerint; aut alias canonice obtentum, eidem exhibuerint ut noverit epiſcopus a quo animarum ſibi commiſſarum rationem ſit petiturus. Qui vero eccleſiam regere, aut ſacramenta adminiſtrare aliter attentaverit, cum non per oſtium, ſed aliunde in ovile venerit, tanquam furem & latronem præſenti decreto a divinis ſuſpendimus, fructibus beneficii privamus, & ordinariorum arbitrio puniri volumus.



ANNO CHRISTI 1609.

Invigilent parochi ſuper gregem, & parati ſemper ſint, ne per illorum negligentiam, aut parvuli ſine baptiſmo, aut adulti ſine ſacramentis pœnitentiæ, communionis, & extremæ unctionis moriantur.

Infirmos ſæpius viſitent & conſolentur, ac de ſalute animæ moneant.

Inquirant ſi qui ſint in parochia de fide male ſentientes, nominatim excommunicati, & uſurarii, concubinarii, adulteri, & blaſphemi notorii, quos moneant privatim, teſtibus vocatis; & niſi reſipuerint, eorum nomina ad promotorem in ſynodo diœceſana deferant: qui de mandato epiſcopi providebit ſuper ſalute animarum ipſorum, ut juris erit.

Olea ſancta intra cremerias nitidas, mundas, & non fractas diſtincte cuſtodiant: quæ ſingulis annis poſtquam recenter facta fuerint, ab archipresbytero ſtatim recipiant.

Librum habeant parochi, in quo deſcribant nomina & cognomina baptizatorum, patris & matris, necnon ſuſcipientium, cum die, menſe, & anno: ſimiliter & ſeparatim in eodem libro, conjugatorum, & duorum aut trium teſtium in matrimonio præſentium. In alia parte ejuſdem libri, deſcribant nomina & cognomina decedentium in parochia, locum & diem ſepulturæ, nomen notarii qui teſtamentum receperit, diem datæ ejuſdem nominatim exprimant, ſi quid per dictum teſtamentum, aut aliam ultimam diſpoſitionem pie legarint. Si vero ſacramentum confirmationis in parochia contulerit epiſcopus, in eodem libro per ipſum parochum, loco ſeparato, nomina & cognomina confirmatorum reponantur.

Habeant præterea librum, in quo deſcribant inventarium rerum omnium mobilium aut immobilium, ad ſuas eccleſias pertinentium. Notent in ipſis domos, agros, vineas, & alias poſſeſſiones cum eorum confinibus: & inſtrumenta fundationum & recognitiones colligant, atque tranſſumptum ejuſdem libri & documentorum, penes epiſcopum remittant in archivis epiſcopalibus reponendum.

Tabellam habeant in ſacriſtia, in qua deſcripta ſint officia, quæ fieri debent in ſuis eccleſiis; fundationes annotabunt, menſem & diem, in quo miſſæ, aut alia officia propter illas, ſunt celebranda.

Diebus dominicis pronum faciant, juxta ritum a nobis præſcribendum, non tamen concionabuntur, niſi expreſſe examinati ad hoc per epiſcopum in ſcriptis fuerint approbati: contra agentes arbitrio ordinarii puniantur.

Quæ in viſitationibus ordinata fuerint, inviolabiliter obſervabunt, & a parochianis obſervari procurabunt: quod ſi eos ad hoc negligentes viderint, in ſcriptis ſemel in anno epiſcopo denunciabunt.

Per ſeipſos ſacramenta miniſtrent, & munera atque officia ſuarum eccleſiarum præſtent: neque ab ipſis etiam ſecundariis, niſi juſta cauſa detenti, fieri aut miniſtrari permittant.

Penes ſe habeant biblia ſacra, librum caſuum conſcientiæ, conſtitutiones hujus ſynodi provincialis, & diœceſanæ, quas ab omnibus ſibi ſubditis obſervari curabunt.

Servitio parochialis eccleſiæ intereſſe & pſallere debent omnes ſacerdotes, in eadem aliquod beneficium aut officium obtinentes, cum ſuperpelliceo & habitu decenti: quod ſi quis contumax, monitus a parocho, muneri ſuo ſatisfacere neglexerit, per epiſcopum cum pœna impoſita ad hoc compellatur.

Indignum eſt ſacerdotem, lictorum & præconum in eccleſia vices gerere. Ideo prohibemus ſacerdotibus quibuſcumque, in eccleſiis quicquam publicare, præter banna matrimoniorum, monitoria, & alia quæ de mandato ordinarii aut officialium eccleſiaſticorum recipient, ſub pœna carceris.

Quos ſciverint hæreticos, aut excommunicatos, in eccleſiis non recipiant: niſi ſibi conſtiterit illos reſipuiſſe, & in gremium eccleſiæ receptos fuiſſe.

De novo ad ſuas parochias venientium, mores, vitam & actiones diligenter animadvertent, num ſacramenta eccleſiaſtica ſuſcipiant: notabunt an mulieres ſecum habuerint, inquirent an & ubi matrimonium contraxerint, atteſtationes videbunt, ſine quibus, & ſi eas in forma non exhibuerint, implorato brachii ſæcularis auxilio, eos ab invicem ſeparari procurabunt.

Dum cognoverint pauperes infirmos, & ſenio confectos, rebus neceſſariis indigere, eos viſitabunt, eleemoſynas juxta facultates ſuas erogabunt, & a parochianis ſublevari curabunt.

Omnes curam animarum habentes reſidere debent in ſuis parochiis: ſub pœnis a ſacris conſtitutionibus, & Tridentina ſynodo latis.

Si quis tamen juſtam cauſam habet diſcedendi a parochia, videlicet vitæ diſcrimen, aut aliam legitimam: id non fiat, niſi prius ab ordinario obtinuerit literas, de non reſidendo: quæ non conferentur ultra duos menſes niſi cauſa videatur graviſſima: appoſitis conditionibus, prout ad bonum eccleſiæ conferre judicaverit.

Literæ vero, de non reſidendo, non conferentur, niſi ſub modis ſuperius expreſſis, oſtendantur procuratori fiſcali, aut ejus ſubſtituto in ſynodo: & non confirmentur ad ſequentem annum, niſi creſcente ac urgente cauſa juſta & legitima.

Non cenſeantur reſidere, qui tres menſes in anno, etiam per diverſa intervalla, abſentes fuerint, & qui intra fines parochiæ non habitaverint. Nec enim gregem paſcere creditur, qui ſemel in die, & quaſi curſim illum intuetur.

Quod ſi aliquando ex cauſa ab epiſcopo probanda, & ad hoc in ſcriptis per eumdem conceſſa, diſcedendi a parochia facultatem obtinuerint parochi, quæ tamen non dabitur niſi per duos menſes: ſtatim de vicario temporali providebitur, qui poſtquam examinatus, idoneus fuerit repertus, recipiet literas regiminis in ſcriptis. Si vero abſque hujuſmodi literis parochialem eccleſiam regere præſumpſerit; incarceretur, & pœnis arbitrio ordinarii puniatur.

De oblatis in eccleſia, quæ omnia ad parochum pertinent, vel minimam portionem, quacumque conſuetudine non obſtante, ſub pœna excommunicationis, accipere laici non præſumant.

Quivis parochus, ſub pœna privationis fructuum beneficii, in domo propria eccleſiæ ſuæ parochialis, reſidere habeat, & eam debite reparare: ad quod ab ordinariis per fructuum ſubtractionem compellatur.

Beneficiarii, fructus beneficii laicis aut aliis qui-

quibuſcumque arrentando, non apponant clauſulam, quod rentarii eccleſiæ ſervitium facere per ſeipſos aut per alios teneantur, ſed penſionem ab epiſcopo pro inſervientibus eccleſiæ deſignandam reſervabunt: & presbyteros pro ſervitio faciendo per epiſcopum approbandos præſentabunt; inhibentes quibuſcumque ſacerdotibus in eccleſiis munus aliquod eccleſiaſticum obire, niſi mandato prioris, aut alterius ad quod beneficium in titulum pertinebit.

Quocumque modo de aliquo proviſus beneficio, ſi in eodem poſſeſſorem invenerit, munus aliquod in eccleſia non exerceat, quovis prætextu, donec per judicem competentem, ſuper credentia, aut per epiſcopum, ſeu per ejus in ſpiritualibus vicarium, fuerit ſuper hoc ordinatum. Contra hoc noſtrum decretum agentes, tanquam intruſos & divini officii perturbatores, jure ſibi quæſito privatos declaramus, & pœnis debitis per officiales puniri mandamus.

*De abbatibus regularibus, & monialibus.*

## CAPUT XXXIII.

ABBATES, quibus in religioſos juriſdictio eſt attributa, eos, ut voto emiſſo ſatisfaciant, ſæpius hortabuntur, cum comminatione pœnarum: rebelles & inobedientes, ſervato regularum & conſtitutionum ſuarum ordine, intra ſepta monaſterii punient, ut quod in occulto geſtum fuerit in abſcondito reparetur. At vero ſi actione publica populum offenderint, & abbatum negligentia impuniti maneant, per ordinarios, juxta ſacros canones eorum incuria ſuppleatur: & contra delinquentes ſecundum facti exigentiam procedatur.

Extra ſepta monaſterii degere religioſum non ſinant epiſcopi: niſi eidem ad hoc conceſſam in ſcriptis facultatem ab ejus ſuperiore videntes: cujus ſi cauſam legitimam non probaverint, intra monaſterium redire compellant.

Intra clauſtra virorum debite diſpoſita, non ingrediantur mulieres, ſub pœna excommunicationis. Ubi vero clauſtra diruta, aut ita diſpoſita ſunt, ut intra illa mulieres admittere cogantur: volumus ea infra tres annos, per abbates in bonum ſtatum regularium diſponi. Ex nunc vero prout ex tunc, mulieres domos religioſorum quocumque pretextu ingredi prohibemus: alias excommunicationem incurrant religioſi, & abbates hoc ſcientes & permittentes. Quod ſi circa prædicta diligentes non fuerint, per ordinarios juxta ſacros canones compellantur, & contra delinquentes procedatur.

Choreas ducere religioſis, quibus luctus proprius eſt, ut indecorum, ita ſevere ab ordinariis puniendum. Non accedant igitur ad profana ſæcularium feſta. Quod ſi regulares non ſubditi epiſcopo in prædictis extra clauſtra monaſteriorum deliquerint: a ſuo ſuperiore, inſtante epiſcopo, intra tempus ab epiſcopo præfigendum ſevere puniantur: ſin minus, ſuperior officio privetur, & delinquentes ab epiſcopo puniri poſſint, juxta decretum ſacri concilii Tridentini.

Monaſteria quævis ita componant abbates aut ſuperiores illorum, ut ſub una clavi & ſera claudi poſſint, quam modo ſervent: nec liceat exitum religioſorum quoquo modo egredi per portas ſibi proprias: alias per diœceſanum expenſis monaſterii claudantur.



Quæcumque ſuper clauſura monialium a ſacroſancta Tridentina ſynodo, & ſummis pontificibus conſtituta & ordinata fuere recipientes, prout præſenti decreto recipimus, & eadem etiam in fine præſentium conſtitutionum inſerta omnibus coepiſcopis noſtris, infra duos menſes publicari mandamus.

Hortamur autem in domino coepiſcopos noſtros, ut quæ a ſacroſancta Tridentina ſynodo illis ſub interminatione maledictionis æternæ, aut a ſummis pontificibus, de clauſura ſeptiſque ſanctimonialium injuncta ſunt, diligenter curent exequenda: ut in quibus locis violata fuerint inſtaurentur; ubi adhuc integra ſunt conſerventur: inobedientes atque rebelles, ipſi tanquam ſedis apoſtolicæ delegati, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, poſtpoſita quacumque appellatione, perſequantur; magiſtratus ſæcularis ope, ſi opus fuerit, ad hoc advocata.

Nemini cujuſcumque ſexus, gradus, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis, liceat ingredi intra ſepta monaſterii monialium: ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, tam contra ingredientes, quam ejuſmodi ingreſſum permittentes: exceptis confeſſariis, pro conſolandis ægrotis & ſacramentis adminiſtrandis, medicis, chirurgis, pharmacopolis, aliiſque operariis neceſſariis: quibus ſine expreſſa ſuperiorum in ſcriptis obtenta licentia, ingredi etiam non liceat.

Temporum injuria factum eſt, ut ſanctimonialium monaſteria extra mœnia urbis vel oppidi conſtituta, diruta & deſtructa ita ſint, vel illorum reditus & facultates ita diminutæ, ut non poſſit in illis talis numerus ſanctimonialium enutriri, qui ad clauſuram obſervandam eſſet neceſſarius, vel clauſura in dictis domibus facile non poteſt introduci. Ideo curent epiſcopi, & omni via juris compellant ſanctimoniales, ut ex his ad nova vel antiqua monaſteria intra urbes vel oppida populoſa & frequentiora reducantur, invocato brachii ſæcularis auxilio, ſi opus fuerit: impedientes vero, vel non obedientes, per cenſuras eccleſiaſticas parere compellant, & alii monaſteria monialium extra urbes aut oppida, ut dictum eſt, conſtituta, in quibus clauſura introducta ſervatur, quia malorum hominum prædæ & multis ſcandalis, ſine ulla ſæpe cuſtodia, ſunt expoſita: ea etiam intra urbes aut oppida, ſi illis ita viſum fuerit, reducere procurent.

*De confraternitatibus.*

## CAPUT XXXIV.

CONFRATERNITATES, & ſocietates, in quibus per particulares quaſdam actiones, aliaque exercitia ſpiritualia, faciliorem ſibi ſalutis viam parare conantur fideles: non diu in bono pergere poſſunt, niſi certis ſtatutis & conſtitutionibus muniantur. Ideo viſitent eas epiſcopi: ubi non ſint, conſtitutiones de novo ordinent; factas, quas ſibi exhiberi jubebunt, approbent, ſi id debere fieri judicaverint. Inquirant modum vivendi, ſuperſtitioſa tollant: rectores & adminiſtratores annuatim eligendos conſtituant, qui infra menſem poſt novam electionem, ſuæ adminiſtrationis rationem reddent coram epiſcopo, aut per eum ad hoc deputato, aliiſque ſecundum confraternitatis conſuetudinem electis: in quo conſiſtant reditus, inveſtigent: & librum inventarii fieri jubebunt; cujus tranſcriptum penes ſe in archiviis retinebunt.





In electionibus vitentur rixæ & partialitates; illique tantum eligantur, qui in ipſa confraternitate laudabiliter fuerint verſati, qui ſtatim & antequam officium exerceant, ſe epiſcopo aut ab eo deputando præſentabunt, approbationem & benedictionem recepturi, in cujus manibus juramentum præſtabunt, ſe fideliter munus obituros, rationem adminiſtrationis reddituros, ut quod ſupererit de reditibus, in pios uſus (conſulto tamen epiſcopo aut rectore eccleſiæ) convertatur.

Præcedentiæ inter confraternitates dirimantur, ut antiquiores confirmatæ & approbatæ, recentioribus præferantur.

Comeſſationes & convivia quæ ſumptibus confraternitatum alicubi fieri ſolent, in poſterum, ſub pœna excommunicationis, ne fiant: nec ſumptus & expenſæ ad hoc factæ, in computis poſt hac admittantur.

In ipſis confraternitatibus & capellis, non aſſervetur ſanctiſſimum Chriſti corpus, niſi hoc expreſſe approbante epiſcopo: quo caſu ſit tabernaculum decenter ornatum, obſeratum clave, ante quod perpetuo lampas ardeat: illius clavem presbyter, & non ſæcularis teneat. In capellis vero earum confraternitatum ubi aliquod recitatur officium, illud fiat hora competenti: ita ut dum parochiale recitatur, in illis omnino ceſſetur.

Caveant in poſterum clerici quicumque, ſub pœna excommunicationis, rectores confraternitatum cum proceſſione vel cantu vocare aut ducere in eccleſiam: ſed ipſi rectores eccleſiam adeant, & proceſſionem, ſi facienda ſit, comitentur.

*De purgatoriis.*

## CAPUT XXXV.

PROPTER diverſas piarum fundationum rationes pro inſtitutione officii purgatorarii, uti, apud nos vulgo appellatur, diverſa ratio adminiſtrationis illius in diverſis locis reperitur, licet omnium munus hoc ſit peculiare pro defunctis miſſas celebrare, & divinis officiis, in quibus inſtitutæ ſunt, intereſſe.

Volumus igitur & ordinamus, ut in locis in quibus per legata fundationum apparet bona tali officio deſtinata, presbyteris oriundis ex loco ubi talis facta fuit fundatio, eſſe attributa; inter presbyteros ex eodem loco oriundos reditus dividantur, ſi officia exercuerint, & divinis interfuerint, poſtquam regentibus & parocho ſignificaverint ſe talium diſtributionum partem prætendere, ut deinde per eoſdem regentes & parochum ad munera ſuo ordine obeunda compellantur.

Ubi vero tales fundationes non reperiuntur aut vetuſta conſuetudine probantur, earum reditus dividantur inter ſacerdotes officia fieri ſolita exercentes: ad quod non admittantur, niſi aut ſervientes eccleſiæ, aut ex loco oriundi. Quod ſi talia officia a ſacerdotibus per epiſcopum deputatis, ſive ad præſentationem alicujus, ſive pleno jure, ſint fieri ſolita: reditus talis officii non faciant ſuos, nec talia exerceant officia, niſi qui literas in forma expeditas ab epiſcopo obtinuerint.



Quicumque vero talium officiorum reditus percipiunt, inventarium bonorum omnium mobilium & immobilium ad dictum officium vel beneficium pertinentium, facere deinceps omnino teneantur: cujus tranſſumptum infra tres menſes in archivis epiſcopi remittendum curent.

Inquirant diligenter ſi quid alienatum fuerit quacumque ex cauſa: quod intra dictum terminum trium menſium, curiæ archiepiſcopi vel epiſcopi denuntiabunt, ut per ipſos, juncto ſibi dicto promotore, reſtitutio in integrum, omni via juris, procuretur: & ſi ad hoc negligentes fuerint, per promotorem ſolum, quem ad hos fines expreſſe deputamus, expenſis tamen redituum talis officii, agatur.

Quicumque talia officia exercebunt quocumque modo, in eccleſia parochiali decantandis officiis intererunt, facientque diaconatus officium dum miſſæ majores diebus dominicis & feſtivis celebrantur.

*De capellanis capellaniarum.*

## CAPUT XXXVI.

PRÆTER jura decimalia, & alia, ſacramenta miniſtrantibus, a piis & catholicis viris, ut preces ad Deum fundantur, miſſæ celebrentur, aliaque a ſacerdotibus particularibus exerceantur, ſunt conceſſa, quæ capellanias vocamus. Ideo juxta morem, & ritum, & maxime juxta fundatorum mentem atque voluntatem, conferri, poſſideri, & in illis officia exerceri, præcipimus: injungentes tales capellanias in præſenti aut in futurum poſſidentibus, ut titulos dictarum capellaniarum, quocumque modo, a quibuslibet obtentos, epiſcopis infra duos menſes exhibeant, alioquin nulli ſint: & eaſdem jure devoluto conferre epiſcopo licere, preſenti capite planum facimus.

Illi miſſas celebrent, officia recitent, & alia præſtent prout in illarum capellaniarum fundationibus erit ſtatutum.

Illarum bona mobilia vel immobilia deſcribant in catalogo, per notarium ſubſcripto: quem ad epiſcopum deferent infra tres menſes, & alienata, ſi quæ ſint, notabunt, eaque juncto ſibi promotore reſtitui procurabunt.

*De fabricis eccleſiarum.*

## CAPUT XXXVII.

QUAMVIS bona quæ fabricæ eccleſiarum poſſident, quid ſpirituale ſint, nec in profanos uſus converti poſſint: laicis tamen illorum adminiſtratio conceſſa eſt, ut bona opera circa talia exercendo, apud Deum mereri poſſint. Abuſus autem quos irrepſiſſe novimus, & propter quæ ſæpe in populum exercetur divina vindicta, de medio tollere cupimus.

Inventarium rerum omnium mobilium & immobilium eccleſiæ fiet, & videbunt electi an omnia in bono ſtatu ſint, rationem de omnibus reddituri.

Non arrentabunt bona ad prædictas fabricas pertinentia, niſi publicis præcedentibus proclamationibus, & de conſenſu parochi: quo præſente, & aliis deputari conſuetis, reddent computa adminiſtrationis. In quibus non ad-

admittantur expenſæ factæ, ſi ſummam ſex francorum exceſſerint, niſi tales expenſæ de aſſenſu expreſſo parochi fuerint factæ.

Ad epiſcopum deferent parochi, ſi quæ bona de fabricis fuerint alienata: ſi particulares abuſus in adminiſtratione ipſarum irrepſerint: qui prout viderit expedire pro bono eccleſiæ ordinabit, & reſtitutionem venditorum, per ſuum promotorem expenſis fabricæ procurari jubebit.

In templo qui pecunias colligunt, quos baſſinarios vocant, hoc faciant ante conſecrationem, ne a tanti myſterii contemplatione perturbetur populus. Quod vero collegerint, in libro ad hoc deſtinato deſcribant: de illis ſicut de aliis reditibus rationem reddant: nec ad munus operarii admittantur, niſi qui fidem catholicam, apoſtolicam & Romanam actualiter profitentur; & qui bene fideliter ſe adminiſtraturos bona eccleſiæ, in manibus rectoris aut ejus vicarii juraverint.

*De hoſpitalibus.*

## CAPUT XXXVIII.

PATRES pauperum & illorum tutores epiſcopi, hoſpitalia ſæpius viſitabunt: inquirent in quo conſiſtant reditus: qui eorum ſint rectores eccleſiarum, in quorum parochia ſita ſint, præſentibus aliis qui ad hoc intereſſe conſueverunt, annis ſingulis videbunt: nec tamen alicui ultra triennium adminiſtratio concedatur.

Hoſpitalitatem ab illis qui ad hoc tenentur exerceri curabunt epiſcopi, rebelles per fructuum ſubtractionem compellant; & in hoſpitalibus, ſacerdotem pro ſacramentis adminiſtrandis, & ſalute animæ infirmorum procuranda inſtituent, aut inſtitutum conſervabunt. Quod ſi ad hoc non ſufficiant reditus, parochum expreſſe monebunt, ut ægrotantium in hoſpitali curam habeat, mercedem pro tali bono a Deo recepturum. Ab hoſpitalibus quæ infirmorum domus eſt, robuſtos & benevalentes ejiciant, immo & ipſos mendicare non patiantur, magiſtratuum ad hoc ope, ſi opus fuerit, implorata.

*De eccleſiis, & altaribus.*

## CAPUT XXXIX.

UT populo demonſtraret Deus majeſtatem ſuam, ſciſcitanti de templo conſtruendo ait: Quam ædificabis mihi domum? cælum & terram ego impleo. Neque propterea qui ubique adorari vult, [a] non ubique ſic ſacrificia offerri intendit; ſed in altaribus quæ pro majori reverentia eccleſiis continentur: in quibus quanta debeat eſſe munditiem, docuit Deus, qui Davidem virum ſanguinum, ad ſibi templum ædificandum indignum duxit, ſed Salomonem regem pacificum ad hoc elegit: cui promiſit ſe orantium in templo preces exauditurum: in quo quidem cor ſuum & oculos eſſe omni ævo declaravit. Atque ideo ut quod ſemel Deo dicatum eſt, in profanos uſus non convertatur; & ut in eccleſiis Deo dicatis, cum majori reverentia, cultus latriæ Deo reddatur: quod non fieret, ſi paſſim & ad libitum cujuſque conſtruerentur eccleſiæ, quæ à ſucceſſoribus non conſervarentur:

a] Delenda videtur particula, non.

Statuimus ut eccleſiæ, capellæ, & altaria, de novo non conſtruantur publice vel privatim in domibus regularium, ſæcularium, aut laicorum, ſine expreſſa ordinarii licentia in ſcriptis conceſſa: quam non concedent, niſi aſſignatis per fundatorem ſufficientibus reditibus, quoad eccleſias & capellas publice extructas, pro eiſdem perpetuo conſervandis, & ſi deſtructæ fuerint, reſtaurandis: immo niſi viderint ad Dei honorem & ſubditorum bonum conducere.

Pietatem ſuam nobis expreſſe commendarunt patres, per tam laudabilia in conſtructione eccleſiarum relicta monimenta, quæ temporum injuria deſtruxit, & evertit. Ea tamen reſtaurari deſiderantes: mandamus, ut epiſcopi tales eccleſias viſitando, inquirant, an ſint reditus, aut in fundis, aut in juribus decimalibus: atque ita tales reditus & fructus percipientium expenſis reparari jubebunt: & beneficiatos ac rectores, niſi ſint pro fabrica reditus, per fructuum ſequeſtrationem, implorato brachii ſæcularis auxilio, ad id ſevere compellant: communitatibus & populo contribuentibus ad illa, ad quæ de jure & conſuetudine tenentur. Quod ſi nulli ſint reditus, aut decimales fructus, populum ad eaſdem eccleſias dirutas conſtruendas hortabuntur: & ſi id tandem eo modo fieri non poterit, cruces loco earum erigent, ut in quo loco Deo ſacrificarunt ſacerdotes, ibidem perpetuo, tali ſigno inſpecto, adoretur Chriſtus, atque inde altaria, ſi quæ ſint, tolli curent.

Ab eccleſia, quæ domus Dei eſt, & quam decet ſanctitudo talis, ut ex ea Chriſtus flagello ejecerit vendentes, & ementes, & arceantur deambulantes: catapultas aut haſtas, niſi pro tutela principis, deferentes, rebelles, aut ſæpius id agentes, excommunicatione ab ordinario feriantur.

Intra eccleſias non fiant conventicula aut cœtus populi, pro negotiis univerſitatis, aut aliis ſæcularibus, & ad hoc convenientes rejiciat parochus. Quod ſi contumaces fuerint, ad ordinarium deferat, qui eos excommunicationis ſententia, eidem parocho in hoc expreſſe obedire compellat.

Magiſtratus ſæculares aut nobiles, in choro & presbyterio ſacerdotibus in ſeſſione impedimento non ſint. Nobiles etiam mulieres presbyterium non ingredi hortamur, ſed orationes ſuas Deo gratiores ſciant, ſi non ut phariſæi nobilitatem prædicent, ſed ſi publicanum imitantes humiliter & a longe diſtantes fundant.

In eccleſiis fieri choreas, comeſſationes, emptiones, aut venditiones prohibemus; ſed clerici hoc permittentes pœna carceris, laici hoc agentes excommunicationis ſententia puniantur. Comeſſationes (quas de fructu vocant) in domibus ſuis, aut alibi ne faciant parochi, nec ad hoc invitent parochianos, quin potius arceant: nec permittant cani in eccleſia, Memento domine David ſen trufe: nec alia ſcurrilia & ridenda, ſub eadem pœna excommunicationis.

Non fiat in eccleſiis aliqua indecentia, nec repræſententur quæ oculos proborum catholicorum offendunt, & populum ad riſum provocent: uti repræſentatio prophetarum aut, paſtorum in nocte natalis domini; cantus prædictionum Sybillarum, columbæ volatus in die pentecoſtes, projectio ignis & aquæ in eadem die. Satis enim eſt firmatum quod credendum nec



nec talibus repræſentationibus indigentiam imperiti. Vernacula lingua in eccleſia non cantentur carmina: quod ſi in die natalis domini permittenda ſint, ea ab epiſcopo legantur, & probata ſubſcribantur.

Mulieres juxta præceptum B. Pauli in eccleſia ſileant, nec cantent intra eam cantiones quaſcumque, die Jovis ſancto: & ad hos fines poſtquam oraverint ſacerdotes, & hymnos ſacros cantaverint, hora nona fores eccleſiæ claudantur, & hora quarta matutina aperiantur: nec in ea remaneant niſi ſoli operarii, & ex ſacerdotibus aliquis.

Intra eccleſiam non ducantur animalia quæcumque, etiam ſi illa offerre intendant laici: ſed ſi pia voluntate ea Deo dicaverint, extra eccleſiam parochus ea recipiat.

Flores aut ramulos, in feſtis ſolennioribus, ad populum ſacerdotes ne deferant: ſed illis ante inchoatum officium, ſi ita videbitur, altaria clericus ornabit.

Quamdiu divina celebrantur, ne ab attentione myſteriorum perturbetur populus, pauperes eleemoſynas non quæritent; ſed in foribus eccleſiæ quæ ſibi largientur, a fidelibus recipiant.

Omnes, maxime parochiales, eccleſias viſitando ſciant epiſcopi an ſint conſecratæ; & eas, ſi adhuc non fuerint, quam citiſſime fieri poterit ſacris adhibitis cærimoniis conſecrabunt.

Ad ſcurrilia vel larvas, indumentis ſacris aut veſtibus ſacerdotum, aut religioſorum, qui temere auſus fuerit uti, excommunicatus nominatim denuncietur; & a judice ſæculari puniri pro rei exigentia, parochus omnem impendat ſolicitudinem.

Amoveantur & deſtruantur, quæ ſub dio & extra eccleſiam ſunt conſtructa altaria, aut altari majori adverſa, aut januis eccleſiæ nimis propinqua, aut alia quacumque ratione incommoda: quod judicio ordinarii relinquitur.

Ornentur altaria ſcabello ligneo quod vernacule dicitur, *marchepied*; mappæ coronis lignea, & ex panno ſerico, aut alio decenti pallium apponantur.

Pavimentum octavo ſaltem quoque die verratur, telæ aranearum amoveantur, & talem in eccleſiis ſaltem requirant mundiciem, quam in domo, niſi ruſtici & calones omnino ſint, habere conantur.

Quod ſi aliqua alia indecentia, non expreſſa, in eccleſiis agantur, per ſeipſos amoveant parochi; quod ſi facile fieri non poteſt, epiſcopo denuncient, per quem ſuper hoc adhibitis juris remediis & pœnis provideatur.

Capellas rurales viſitent ordinarii, in quibus ſunt jura decimalia; & officia, ſi quæ ſint inſtituta, peragi mandabunt: ſi vero non ſint, pro qualitate reditus, & ſecundum rei exigentiam, inſtituere licebit.

*De miſſali & officio divino.*

## CAPUT XL.

QUem in diverſis eccleſiis irrepſiſſe errorem dixerat bonæ memoriæ Pius ſummus pontifex, hujus nominis quintus, experimento probavimus, in hac noſtra provincia; quia ſibi quiſque formaverat epiſcopus ad libitum divinum officium; unde quæ in diverſis eccleſiis legebantur, in multis apocrypha ſibi invicem adverſabantur. Atque ideo decens & admodum eſſet utile, ſi apoſtoli monita ſequentes omnes uno ore Deum qui unus eſt, honorificaremus, & ſicut in fide & eccleſia idem ſentimus, omnes in divinis decantandis officiis conſentiremus.

Ideo ut in omnibus unitas ſit in eccleſia, quæ una eſt: a quibuſcumque eccleſiaſticis, tam metropolitanæ, cathedralium, collegiatarum, aliarumque eccleſiarum officium recitari in choris, & eccleſiis decantari præcipimus, & mandamus, juxta ritum, ordinem, modum, & formam a felicis memoriæ Pio papa hujus nominis quinto præſcriptam, per bullam, ſuper reformatione breviarii editam: quam nos recipimus, & in tota provincia recipi volumus, & præſentis noſtri decreti publicatione ſufficienter promulgatam declaramus: contra eamdem agentes, pœnas per ipſam latas eis indicimus & ſignificamus.

*De vita & honeſtate clericorum.*

## CAPUT XLI.

CUm per abrupta graditur paſtor, ad præcipitia ſequitur ovis: ideo clericos lucem mundi, & ſal populi, ne fumo excæcet fideles & ne ipſis infatuatis non ſit in quo condiatur populus, ſatis fuſe commonuit eccleſia: & contra luxum ac comeſſationes eorum ſalubriter ſancivit de choreis, aleis, ludis, & ſæcularibus negotiis fugiendis, pœnis etiam propoſitis ſancte inſtituit: quæ omnia approbantes, & maxime quæ a ſacroſancta Tridentina ſynodo ſuper hoc ordinata fuerunt, ut inviolabiliter obſerventur ordinantes, hortamur coepiſcopos noſtros, ut ſi quæ per nimiam clericorum licentiam in deſuetudinem abjerint, ab omnibus cuſtodiri procurent. Nonnulla tamen, cæteris omnibus in ſuo robore, uti a nobis approbatis, permanſuris, hic inſeruimus juſte ordinata: ea inſuper ad regimen eccleſiæ neceſſaria ſtatuentes.

Sacerdotes omnes, quorum vita omnium oculis expoſita eſt, ut inde bene vel male vivendi fideles exempla deſumant, in ſacris ordinibus conſtituti, aut beneficia obtinentes, ſingulis diebus officium recitent, ni fructibus privari velint, uti eos privatos declaramus: quos pauperibus aut fabricis applicandos ordinamus: ſegniter circa hoc, poſtquam moniti fuerint, ſe agentes, epiſcoporum animadverſionibus ſubjacebunt.

Veſtes non ſericas, aut ſerico foderatas, aut quocumque modo diſſectas; vel bombicino limbo ornatas, nec caligas tumentes geſtent: non ſordidas, ſed decentes: ne in nimio cultu vanitas, in abjecta incuria ruſticitas accuſetur. Veſtium autem omnium color ſit niger. Quod in populo veniale eſt, in ſacerdote judicatur ſacrilegium. Ideo ut monemus populum, ita clericos diſtricte choreas quacumque ex cauſa ducere, aut illis intereſſe prohibemus: vitent tripudia, ludos publicos, larvas non geſtent aut larvatos ſequantur, comœdias; fabulas, aut ludicra, & quæ ab hiſtrionibus exhibentur, non agant, ad hiſtriones non accedant: ne puritas ſacerdotis, rerum inanium aut etiam obſcœnarum aſpectu polluatur, conviviis illicitis, crapula & ebrietate: contra agentes pœna carceris & alia ad arbitrium ordinarii comprimantur.

Non ludant aleis, teſſeris, chartis, aut alio ludo prohibito vel indecoro, præſertim publice; ut illorum in omnibus nota modeſtia, promptiores eos reddat ad libere in hoc peccantes arguendum. Noctu per urbem poſt horam nonam, niſi maxima urgente neceſſitate non incedant: deprehenſi incarcerentur: enſes aut alia quæcumque offenſiva arma, niſi pro neceſſitate itineris, non deferant: tabernas non ingrediantur, niſi iter agentes: noctu incedentes ex cauſa rationabili, togas talares deferant: alias in eos ordinarii animadvertant.

Divinum quod a ſacerdotibus exercetur, vituperatur miniſterium, dum ab illis, quibus ſubditur populus, etiam vilia & ſordida ſervitia exercentur: & quos ſibi miniſtrare Deus voluit, domeſticis laicorum ſordibus contaminantur. Caveant igitur clerici ne pincernarum, coquorum, ſtabulariorum, cæteriſque hujuſmodi ſordidis officiis fungantur; immo nec rei domeſticæ vel familiaris adminiſtrationem ſuſcipiant laicorum, nec cauſis litibuſque perſequendis eorum quibus ſerviunt dent operam, aut aliorum nomine: quod diſtrictius ſub anathemate prohibemus: & in tales per epiſcopos pœnis a canonibus ſtatutis agatur.

Non ſint propolæ, empta ex profeſſo vendentes: proventus aut prædia ſæcularia non conducant, ut ex illis quæſtum faciant: non ſint publicani, aut fœneratores: illis alioquin pœnas epiſcopi juxta ſacras ſanctiones infligant. Coram judice ſæculari cauſas non agant ut advocati aut procuratores, præterquam ſuas, pauperum, parentum, aut eccleſiarum in quibus obtinent beneficia, & hoc pro Dei amore: & de licentia epiſcopi in ſcriptis obtenta.

Oſcœna verba, ut & res abhorreant. Panes enim propoſitionis niſi qui mundi a mulieribus eſſent, non manducabant: ſicut & tanti ſacrificii tremenda myſteria tractare decet ſobrios, modeſtos, & pudicos. Neque vero ubi fuerit ſacerdotum cum mulieribus habitatio, antiqui hoſtis ſtimuli deerunt. In ſacerdotibus ſit cordis mundities, caſtitas corporis, viteturque fornicatio, aut quælibet alia incontinentia. Immo & ut talium defectuum ſuſpicio etiam tollatur.

Concubinas aut alias mulieres de quibus propter ætatem, inverecundiam, aut anteactæ vitæ turpitudinem, ſiniſtra ſuſpicio haberi poſſit, in domo vel extra detinere, vel cum illis ullam conſuetudinem habere non audeant clerici: alioquin pœnas ex ſacris canonibus aut ſtatutis eccleſiarum de illis legitimas ſuperiores expoſcant.

Quod ſi a ſuperioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerunt: tertia parte fructuum beneficiorum ſuorum ipſo facto ſint privati; quæ fabricæ eccleſiæ, aut alii pio loco, arbitrio epiſcopi applicetur.

Si vero in eo delicto perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint: non tantum fructus omnes ſuorum beneficiorum eo ipſo amittant, ſed etiam a beneficiorum adminiſtratione, quoad ordinario placuerit, ſuſpenſi removeantur.

Quod ſi ita ſuſpenſi nihilominus ejuſmodi mulieres non expellant, tunc beneficiis quibuſcumque perpetuo priventur, atque inhabiles & indigni ad quoſvis honores, beneficia, & officia, in poſterum cenſeantur; donec per manifeſtam vitæ emendationem a ſuperioribus gratiam meruerint obtinere.

Sed ſi, poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi mali nominis ac famæ mulieres ſibi adjungere auſi fuerint: præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio ab epiſcopis, ad quos prædictorum omnium cognitio ex ſacri concilii auctoritate tantum pertinet, feriantur.

Ad ſacrum presbyteratus ordinem promoti, poſt tres menſes celebrent: alias inſtante promotore pro non obito munere puniendi citentur.

Annulos etiam in quibus repræſentantur imagines ſacræ, in digitis non portent clerici: exceptis iis quibus propter dignitatem a jure eſt expreſſe conceſſum: & hi annulos tantum habeant dignitati congruentes.

*De foro eccleſiaſtico.*

## CAPUT XLII.

Dignitatem ſacri ordinis commendans Deus, inhibuit ſæcularibus tangere unctos ſuos, qui in ſortem domini vocati, illorum pars Deus eſt, illis hereditatem ſuam redditurus. Nec propterea unctionem ſacram, perditorum, ſi qui tales forent, aſylum & anchoram eſſe voluit qua muniti ſontes impuniti manerent: ſed eos ſacros, a ſacris judicari præcipit, & eccleſiaſticam juriſdictionem a ſæculari ſejunxit.

Non ſe immiſceant igitur magiſtratus ſæculares rebus eccleſiaſticis, neque judicium perſonarum aut rerum eccleſiaſticarum arrogent: ne quod ſuum non eſt appetentes, quod ſuum etiam eſt, juſto Dei judicio perdant: interim juxta ſacrorum canonum conſtitutiones (ſi quod hortamur non egerint) excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant.

Non compareant vocati clerici coram judice ſæculari ut cauſas ſuas agant, ſi perſonales ſint, aut de rebus eccleſiaſticis, quarum judici eccleſiaſtico juriſdictio eſt attributa: niſi ut ad ſuperiorem eccleſiaſticum remittantur petituri: quibus ſi denegatum hoc fuerit, ad ſuperiorem provocent, illius mandatis non obtemperantes, ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto actores, ſive clerici aut laici fuerint, incurrunt: cauſam vero appelli promotori denuncient, quod cum clero perſequi teneatur.

Si per ſeipſos epiſcopi pluribus detenti negotiis, cauſas omnes audire, & illis jus dicere non poſſint, propter morum ingraveſcentem corruptelam, perſonas idoneas providas & in jure canonico exercitatas in officiales eligant in urbe principales; aut foraneos, ubi vel eſſe tales ſoliti, vel ut inſtituantur viderint neceſſarium.

Officiales vero pro quibus rationem reddituri ſunt epiſcopi, ut officio fungantur hortentur ſæpius, & cum illis agant de rebus civilibus, & criminalibus, quæ in curiis ventilantur: ut qua fieri poterit meliori & expeditiori ratione provideatur.

Sportulas pro viſitatione proceſſuum aliis taxent, & ſibi tales adeo moderatas aſſignent, ut non venales litigantes accuſent ſententias: ſed in cauſis pauperum omnino gratis, & pro Deo agentes, & in dicendo jure juſtitiam, & lucro contemnendo modeſtiam, commendent. Sordidam veſtem plures maculæ deturpant, & ignaros ſacerdotes & pauperes pluribus vitiis deditos experimur, & impunitos ad totius cleri dedecus ſcimus, dum ſumptibus adhiberi ne-







ceſſariis parcitur ut tales puniantur. Promotores igitur etiam per officii ſuſpenſionem, & aliis juris pœnis compellant, ut contra tales inquirant, debitas pœnas requirant, atque ut juſtum ab officialibus de illis ſupplicium exigatur, epiſcopi procurent: ut eos pœnæ formido terreat, quos virtutis amor non movet: ſumptus vero non ſalaria ſolvent ipſi epiſcopi, cum in talibus gratis agatur.

Non permittant in inferioribus ſedibus, aut ab officialibus foraneis, graviores cauſas, ut puta matrimoniales & criminales, tractari: ſed eas audiat ipſe epiſcopus, & ſententiam ferat: aut ſaltem per officialem ſuum, in majori ſede fieri, & hæc in urbe tractari jubeat, & talium cognitionem aliis interdicat, prout præſenti decreto interdicimus.

Controverſias & lites præcedentiæ, aut præſentationum diverſarum perſonarum in publico agentium, de plano & ſtatim verbo, auditis partibus, ordinet: & quod per ipſum ſtatutum fuerit, ſine præjudicio partium, & nonobſtante quacumque appellatione, ut vitentur rixæ & ſcandala, executioni demandetur.

Duce inſcio caſtra deſerentem morte puniunt leges, cum non ſit liber, qui ſtipendiis alienis nutritur, & fidem juramento medio promiſit. Sic non licet eccleſiaſticis ſtipendia eccleſiaſtica recipientibus, relicta fori eccleſiaſtici arce, ad ſæculare confugere judicium; & quod Deo ſemel dicavit, novis nominibus in alios translatum obligare. Qui ergo clericus nulla ſibi acquiſiti per ordinem privilegii habita ratione, ſe, aut bona ſua, rigoribus curiarum temporalium obligaverit nominatim, re perfecte nota, excommunicetur, & arbitrio ordinarii puniatur: & tali nonobſtante obligatione, coram judice eccleſiaſtico obligationis cauſa tractetur.

Coram judice ſacro & eccleſiaſtico tractentur omnia, quæ ad res ſacras pertinent: & ad illos pertineant lites de portione congrua, de reparatione eccleſiarum, & quæcumque in computorum redditione pro bonis fabricæ eccleſiæ, hoſpitalium, aut etiam baſſinorum, tam purgatorii, quam aliorum controvertuntur: & quod illis tali nomine, aut pro legatis piis debebitur, dicti judicis eccleſiaſtici autoritate exigatur: coram aliis prædictas cauſas tractantes, excommunicatos, ſi moniti non deſtiterint, denuncient.

At ut non tot ſumptus & impenſæ in litigando effundantur, niſi petitionibus factis per actorem reus conſenſerit, & ſi eidem contradixerit, ad probandum ſummarie petitionem, & exceptiones infra dilationem unicam ad arbitrium concedendam, partes admittat judex, ſi decem librarum ſummam non exceſſerit, qua elapſa proceſſus judicetur in ſtatu: niſi judex ex cauſa renovandam eſſe viderit. Quod ſi talem ſummam exceſſerit petitio, partes appunctabit contrarias, ad probandum, articulandum & verificandum quicquid voluerint infra menſem: quo elapſo excludentur & proceſſus aſſignabitur ad conſilium ſine alia ratione cauſæ: ſalva renovatione dilationis, ſi ex cauſa judici bene nota & pro tempore concedenda arbitretur.

Inquiſitiones rerum criminalium aut quæ ſint de jure perpetuo, vel de re notabili, per ſe ipſum faciat judex: alioquin eaſdem Graferio, aut curiæ graduato eodem ſcribente Graferio, ejus ſubſtituto, aut alii in partibus commiſſo demandet.

Inqueſtas, quas nonniſi parte legitime vocata fieri volumus, non videat pars adverſa, niſi prius nullitates & objecta contra teſtes dederit: quod facere teneatur infra octo dies, a recitatione ipſarum inqueſtarum, judicialiter facta: alias pro receptis & publicatis habeantur, & proceſſus ad conſilium aſſignetur, ſine alia cauſæ interpellatione: nec poſt ſupplicationem ad dictam nullitatum & objectuum traditionem ullo modo admittatur, & eiſdem finibus teſtium nomina parti, vel ejus advocato requirenti, tradat Graferius.

Simili vero dilatione fruatur pars adverſa ſi contra inqueſtare voluerit.

Non ſint feriæ niſi a vigilia natalis domini ad diem epiphaniæ incluſive: diebus feſtis ab eccleſia in locis curiarum celebrari mandatis: & a feria quarta in majori hebdomada uſque ad octavam paſchatis incluſive. In cauſis vero criminalibus nullæ obſerventur feriæ: nec ipſarum tractationem ad ſtatam curiæ diem, ſed pro arbitrio aſſignabit judex tam in cauſis appellationis, quam ordinariis: nec enim fas eſt, ut quod impudenter & cum populi ſcandalo actum eſt, tergiverſatione, & ſtili ambagibus remaneat impunitum.

Non impediantur ſuffraganeorum ſubditi ad metropolitanum provocare: & in hoc non recipiantur niſi infra decem dies: ſi in diœceſi: & infra viginti, ſi extra diœceſim ſint, fuerit appellatum.

Et niſi præter inhibitiones virtute literarum factas, citare fecerint partes appellatas ad quindecim dies pro maxima dilatione rerum ordinatarum, executionem non impediant inhibitiones, quas eo caſu irritas declaramus: niſi ſibi conſtiterit de aſſignatione parti data. Cum pateat juris & appellationis abuti remedio qui gravaminis reparationem in brevi non procurat.

Per judices a quo in appellationibus cauſarum criminalium ſuper præparatoria ſeu interlocutoria, niſi tamen ab incompetentia vel propter eamdem appellatum foret, conſtitutio ſacri concilii Trid. ſeſſ. 13. c. 1. de reform. obſervetur.

Se præſentabunt vocatus & provocans ſtatuta die, & pro introductione appellationis ab utraque partium in fine cauſæ quinque ſolidos recipiat Graferius: prima die juridica ſi non ſe præſentaverit appellans, tollantur inhibitiones cum expenſis: ſi vero appellatus abſens fuerit, iterato citetur ſufficientius, & remanentibus inhibitionibus: nec audiatur ſecundo citatus, niſi ſolutis expenſis ſecundæ citationis, taxandis per judicem, aut ab eo ad id deputandum.

Sive ab interlocutoria habente vim definitivæ, ſive a definitiva fuerit provocatum, infra menſem præciſe a die intimationis literarum appellationis & aſſignationis datæ, proceſſum remittat appellans. Alias tollantur inhibitiones, & partes remittantur ad judicem a quo una cum expenſis: atque ideo contra Graferias primæ inſtantiæ, concedantur literæ compulſoriæ, quibus niſi paruerint, ad expenſas partium condemnentur. Licitum tamen erit parti appellatæ, citius proceſſum remittere. In cauſis vero criminalibus aut promotor ipſe ſolus, aut Graferius, infra dictam dilationem, imo quam citiſſime fieri poterit, expenſis appellantis remittant.

Videat proceſſum advocatus provocantis, antequam remittat, ut paratus ſtet judicio in

prima curia, & concludat præſente partis appellatæ advocato: qui ſi in concludendo contrarii fuerint, judex ad conſilium cauſam aſſignet, ſalvo partibus dicere & producere quidquid voluerint infra tres dies, reliquis omnibus dilationibus abrogatis, prout de præſenti abrogatum. Si vero noluerit concludere in prima die curiæ, proceſſu remiſſo, ordinabit judex quod ad primam præciſe concludat, alias habeatur pro concluſo, & ad conſilium.

Remiſſo proceſſu poterit appellatus, aut ejus advocatus in Graſo videre appellationem & appellatos, ut concludendo narret utrum intra tempus fuerit provocatum: ut ſi appellationem deſertam teſtatus fuerit Graſerius, ſtatim remittantur partes, & inhibitiones tollantur. Ideo teneatur Graſerius exhibere proceſſum in Graſo ad fines ſupradictos, & recipiat quinque ſolidos pro tali communicatione tunc, vel in fine cauſæ: & in extractu narret tales & alias viſiones, & diem remiſſionis proceſſus cum dictis & requiſitionibus partium.

In quibuſcumque cauſis non recipiantur provocantes ab interlocutorio, niſi tale ſit gravamen, quod in definitiva reparari non poſſit: ſed cognita cauſa remittantur cum expenſis, & hoc fieri poſſit in audientia, communicatis promotori actis: immo mulctentur arbitrio judicis, ſi frivola ſit appellatio.

Non audiantur provocantes in criminalibus, ſi contra eos per judicem a quo jam decretum fuerit, niſi præſentes compareant, aut ſe in ſtatu remittant: qui non diſcedant niſi actis promotori communicatis, & eodem promotore audito fuerit ordinatum. Non obſtantibus appellationibus, & ſine illarum præjudicio, judici a quo [a] ſua decreta exequi facere, omni via juris contra appellantem licebit.

Semel cum mandato ſuſceptam cauſam non poterit dimittere advocatus, ſed eam teneatur perſequi aut ſubire judicium.

Coram officialibus & non alibi petitiones congruæ portionis tractentur. Si vero coram aliis aliquis actor reum pro talibus petitionibus vocaverit, excommunicetur, & pœnis ad arbitrium coerceatur; ſicut & reus ſi vocatus, mandatis talis judicis non obtemperaverit, niſi ſolum finibus declinatoriis.

*De officialibus foraneis.*

## CAPUT XLIII.

UT ſacerdotum ſumptibus parcatur, cuique quod ſuum eſt reddatur, & maxime ne divinum minuatur in eccleſiis ſervitium, dum propter aliquorum pertinaciam aut etiam malitiam litigandum eſt, & ad officiales in urbe longe diſtantes eſt veniendum: inſtituant epiſcopi officiales foraneos, quibus certas regiones & parochias diœceſis diſtribuant, in quibus motas lites juridice agentes, ſuper illis ordinent; ſervatis curiarum primæ inſtantiæ formulis & ſtatutis: ita tamen ut ſi de rebus majoris momenti agatur, re bene examinata poſtquam ad conſilium aſſignatæ reſpective partes dederint de jure ſuo, aut excluſæ legitime fuerint: urbem ipſi officiales adeant & cum peritis advocatis deliberantes, de eorumdem conſilio ordinabunt.

Sæpius inquirant de vita & moribus ſacerdotum in partibus ſibi demandatis reſidentes, exceſſus minores corrigant, nimis frequentes ſi viderint, epiſcopum moneant, ut debitis modis provideat: ſi exceſſus graviores repererint, ad ſuperiorem officialem in urbe, aut ad prælatum remittant. Ipſi vero aliquando parochos convocent, curæ eiſdem commiſſæ rationem petituri, & caſus difficiles, ſi qui ſint, explanaturi: ſicque tandem ſe habeant, ut quaſi oculi epiſcopi, abditiſſima etiam videntes, ne majora & publica eveniant ſcandala provideant per ſe, aut ab epiſcopo in arduis conſilium & opem requirant, & poſtulent.

Super bannorum publicationibus in matrimonio, aut aliis diſpenſatione egentibus, nuſquam diſpenſare audeant, ſub pœna falſitatis, & aliis, arbitrio epiſcopi: atteſtationes de vita & moribus, qualitate, aut etiam de ſufficientia alicujus non faciant, ſive ut in aliis diœceſibus tanquam catholici habeantur, ſive ut ſacerdotes probi recipiantur, aut ut aliqui in curia Romana gratias obtineant, aut in forma pauperum. Cum enim id ad ſolum epiſcopum pertineat de grege ſibi commiſſo rationem redditurum: ſi dictos officiales conſuluerit, quid in rei veritate ſit, epiſcopo nunciabunt.

Facultatem concedendi literas pro regenda aliqua parochia, aut videndi literas ſacerdotum de novo ad diœceſim venientium, approbationem concionatorum & confeſſariorum, ſoli epiſcopi ſibi reſervabunt: aut illis, quibus hoc munus ſpecialiter demandabunt. Officialibus inhibentes prout inhibemus, ne talia agant, ſub pœna privationis officii, & aliis arbitrio ordinarii, non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine, quæ corruptela vocanda eſt.

In illis omnibus quæ ad juſtitiam diſtributivam pertinent, aut morum correctionem, eiſdem officialibus foraneis curati, clerici, & alii omnes illis ſubditi obtemperent, contumaces & rebelles gladio excommunicationis percutiant: & epiſcopus in illos pro modo culpæ mature animadvertat.

De cauſis matrimonialibus & criminalibus non cognoſcant, ſed tales ad officialem in urbe remittant.

*De monitoriis & excommunicationibus.*

## CAPUT XLIV.

EXcommunicationibus quæ malum malorum ſunt, nonniſi in extremis, & quando nullus aderit alius modus ad continendum in munere, vel ad reprimendum a malo populum, utantur epiſcopi: quibus ſolis jus excommunicandi pertinere declaramus in quacumque cauſa, exceptis in litibus, conteſtationibus, & jure diſtributivo dicendo: in quo caſu officialibus contumaces & non obtemperantes mandatis, excommunicationis ſententia, licitum eſt vulnerare.

Ipſi officiales foranei monitoria videbunt, & diligenter examinabunt. Quod ſi in illis minima, & parvi momenti narrari viderint, aut a multo tempore deperdita, & jam ſopita, aut pro detegendis peccatis omnino occultis, vel pro criminibus, quæ alias nequaquam probari poſſint, rejiciant. At vero ſi pro rebus gravibus deperditis, ad pleniorem probationem, & quæ ſaltem ad ſummæ quindecim librarum valorem aſcendent, publicari jubebunt, primo, ſecundo, tertio, & peremptorie per parochum, aut ejus deputatum, & non alium: exceptis caſibus in quibus ſuſpicio eſſet contra eumdem parochum: quo caſu non niſi tali ſuſpicione nota, alium presbyterum ad hoc deputabunt: qui atteſtatam publicationem in ſcriptis ad ſolos epiſcopos remittent: qui ſoli, aut eorum vicarii, viſis eiſdem atteſtationibus, ſi res exegerit, & cauſa attente perpenſa, & examinata, ſententiam excommunicationis publicari mandabunt, aliis omnibus talem facultatem, juxta ſacroſancti concilii Tridentini ſtatuta, tollentes, prout in præſenti tollimus nonobſtante quacumque in contrarium conſuetudine. Inhibentes parochis alias excommunicationes ſuper monitoriis publicare, quam quæ ab epiſcopo aut vicario generali fuerint emanatæ.

Corpus Corinthii tradidit ſatanæ beatus Paulus, ut ſpiritus ſalvus fieret, dum culpa cognita veniam peteret, & in futurum a tali cavere promitteret. Neque vero pœna inflicta unquam mitiganda, niſi purgata contumacia, & obſtinatione depoſita, in melius mores mutentur. Semel excommunicatus & laqueis dæmonis irretitus, ſuppliciter veniam de culpa commiſſa, & abſolutionem a cenſuris petens, benignius recipiatur, & miſericorditer illum abſolvendo cum eo agatur. Vi tamen, aut mediis illicitis abſolutionem a cenſuris obtinentes, cum ſibi aſſiſtentibus, & favorem aut conſilium dantibus, pœnis jure indictis plectantur, tali abſolutione irrita remanente: quam irritam, ſicut & talia agentes, excommunicatos, declaramus.

Ejiciantur a cœtu fidelium & eccleſiis nominatim excommunicati: quos ſingulis diebus dominicis in ſcadafalio per parochum volumus nominari, & ſi in ea per annum ſordeſcere non deſtiterint, ut hæretici puniri poſſint: quos interim, durante illorum contumacia vitabunt fideles: & ne ad munera publica admittantur per eos hortamur: cum non in bove & aſino ſimul arare, divinis monitis ſit ſancitum.

*De ſimonia, & confidentia.*

## CAPUT XLV.

ABOMINATIONUM omnium maximam vidit Ezechiel, cum ſacerdotes temporalia aſpectando, ad altare terga vertentes intuens, floſculos ad nares apponentes inſpexit. Nec enim in domo Dei pejus eſſe poteſt, quam ſi pro minimo, quod pretioſiſſimum eſt contemnatur: ut a permultis fit ſacerdotibus, qui quaſi clitellarii aſini, nomen ſacræ dignitatis deferunt, & ab aliis ſacerdotibus, aut etiam laicis, immo quod pejus eſt mulierculis, reditus percipi patiuntur: qui divina, ornatum templi, ædium conſtructionem, & pauperum educationem contemnentes, per eos qui titulum nudum ferunt, tamquam vilia mancipia, portiunculam ſibi dari ſunt contenti: pacto etiam inito, quod ad libitum eorum eidem muneri & beneficio [a] ceſſuri. In eos, propter quos etiam in populum exercetur divina vindicta, ſæpius invehantur epiſcopi, & pro munere advertant, hortantes ut a talibus abſtinentes, etiam de præteritis dolentes, abſolutionem a cenſuris per Pium IV. & Pium V. contra tales prolatis, a ſede apoſtolica obtineant: & ſi in forma juris tales eſſe probaverint, præter beneficiorum privationem, carcerem, & alias illis pœnas irrogabunt graviſſimas.

Quos ab eccleſia, ejecit Chriſtus dum nummulariorum cathedras evertit, eos prout eccleſia damnat, & anathemate percutit: ita epiſcopi excommunicent, & quos quacumque re temporali, aut pacto illicito res ſacras, aut beneficia obtinuiſſe ſciverint, excommunicatos nominatim, & incapaces ad quæcumque beneficia obtinenda denuncient, ſeverius pro rei qualitate & ſecundum decreta in eos animadvertentes. In ſynodis diœceſanis, autoritate apoſtolica, excommunicatos, paſſive aut active ſimoniacos, & confidentiarios, declarent: & moneant ad fructuum omnium perceptorum & percipiendorum reſtitutionem teneri: & eamdem excommunicationis ſententiam, bis in anno, a parochis alta & intelligibili voce in prono publicari epiſcopi mandent & jubeant.

*De uſurariis, concubinariis, & adulteris.*

## CAPUT XLVI.

CONSUETUDINE peccandi obſtinati, uſurarii, concubinarii, & adulteri publicis, latrare ajunt ſacerdotes, & eccleſiæ paſtores, dum in eos juxta patrum decreta excommunicationis ſententiam proferunt, nec tamen inquiunt mordere, quia in profundum cum venerint impii, (quod maximum malorum eſt) contemnunt; & plus apud eos poteſt temporalis etiam leviſſima pœna, quam ſpiritualium bonorum numquam forte reparanda jactura. Ideo contra tales, pœnis a jure canonico ſtatutis ſevere procedatur.

*De decimis.*

## CAPUT XLVII.

QUOD ſibi totum competebat, inter fideles diſtribuit Deus, cum fructus terræ ad laicos pertinere, decimas & primitias ſacerdotibus deberi declaravit: quas ſine ſacrilegio denegare non poſſunt laici, cum par non ſit ab eccleſia ſubripere, & decimas fraudare: propter duas fraudes, ab irato Deo ſterilitates, peſtes, & alia multa mala in populum immitti ſolent: unde juſtum refercbat, petita obtenturus, Phariſæus, ni ſuperbia elatus id jactitaſſet, dum decimas omnium quæ poſſidebat ſolvere ſe aſſerebat. Ideo detentores & fraudatores jurium decimalium ipſo facto excommunicatos declaramus, a ſolo epiſcopo, integra ſatisfactione facta, abſolvendos, & juxta ſacros canones pœnis afficiendos. Quod ſi epiſcopo inferior, tales ab hujuſmodi excommunicatione abſolvere præſumpſerit (quod non poteſt) arbitrio ordinarii puniatur.

Moneant ſæpius populum confeſſarii & concionatores, decimas omnium, immo & hortalitiorum deberi jure divino: & illas Deo non denegandas, qui rebus ab illis plantatis, & excultis ſolus incrementum dare poteſt. Talis vero excommunicationis ſententia & hoc noſtrum decretum, quater in anno per parochos publicetur & explicetur.

Solvendas ex omnibus voluit decimas, qui mentam & anetum decimari laudavit. Ideo ex omnibus omnino ſolvantur decimæ & primitiæ, juxta antiquas conſuetudines: nec parœcianis unquam quis auxilio & præſidio eſſe præſumat, ſi quæ a beneficiatis fuerint acta, tranſacta, promiſſa, vel conſtituta contra conſuetudinem,

[a] [illegible], vel [illegible], appellantium [illegible]. H.

[a] Forte, ſint ceſſuri. H.

nem, ut minus quam pro more parochiani ſint poſthac ſoluturi : quæ omnia acta, tranſacta, promiſſa, niſi ab epiſcopo re cognita, & juris ſervata forma, vel a ſancta ſede apoſtolica probata fuerint, ut ab illis qui ut tutores in præjudicium ſucceſſorum, agere non poſſunt, irritamus, & annullamus, prout præſenti decreto, irrita & nulla declaramus.

Quod ſacerdotibus de jure divino quæſitum, libere & ſine impedimento licet percipere debeant, multi nihilominus inſidioſe illis ſunt impedimento. Quæ enim vi ut prædones rapere non poſſunt, ſicut latrunculi ſurripere moliuntur, cum jura decimalia ſibi arrentari per beneficiatos procurant, & renuentes compellunt, dum beneficiatis, aut eorum renderiis domos, areas, aut cellaria locare, ubi reponantur fructus decimales, prohibent, aut aliis mediis a perceptione fructuum perturbant. Illos itaque talia agente hortamur, ut ab hujuſmodi abſtineant, & domos ubi reponantur fructus, areas, & cellaria, locare permittant & procurent : alias vi aut dolo actum cum ſimile noverint epiſcopi, ſuper hæc ordinantes, ſemel & iterum jubeant, tertio renuentes excommunicationis gladio feriant : & ſi contumaces fuerint, locum eccleſiaſtico ſubditum interdicto declarent : cum ſacerdotes divina exercere non poſſint, niſi ubi habitent, locum habeant commodum.

Super jure & modo decimandi lanam & agnos, quæcumque in provinciali ſynodo Narbonæ habita anno domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo conſtituta fuere, eadem decernimus, & in poſterum obſervari jubemus.

*De pœnis.*

## CAPUT XLVIII.

PRO malis moribus extirpandis conduntur leges, quæ ſine pœnis vileſcunt, & mores in deterius dilabuntur. Atque ut quæ mature ad laudem Dei, cleri reformationem, & populi ſolatium conſtituta ſunt, inviolabiliter ſerventur : ſtatuimus ut contra decreta noſtra agentibus, pœnæ in eiſdem contentæ, & aliæ ab œcumenicis conciliis, & ſacris conſtitutionibus inſtitutæ infligantur. Quod ſi in aliquibus pœna particularis non eſt expreſſa, hoc perinde actum, ut qui talia decreta violaverint, arbitrio ordinarii pro rei qualitate, & conſideratis circumſtantiis, prout fieri ſtatuimus, puniantur.

Facti, quod male actum eſt excuſat ignorantia, juris non item : quæ tamen ſi non pœnam omnino demit, ſaltem minuit, cum talis prætextu aliquo probabili allegatur : quæ non recipitur, ſi lex ſufficienter publicata violata probetur. Atque ita ne talem ignorantiam prætendant, & opponant ſubditi : coepiſcopis noſtris mandamus, ut in ſynodis diœceſanis præſentes has noſtras conſtitutiones publice legi faciant, immo ex illis quas populo recitari debere ſæpius, judicaverint, deligant : & parochi in prono explicite nunciando legant : quarum librum penes ſe habere quilibet parochus teneatur.

Ut quæ alias in ſynodis provincialibus, per anteceſſores noſtros, aut eorum vicarios ſtatuta fuere approbamus, & innovamus, ac ſi per eos in præſenti ordinata & conſtituta fuiſſent, ſemper valere & inviolabiliter obſervari volumus, & injungimus, dummodo præſentibus noſtris decretis expreſſe non ſint contraria : ſic etiam ad ea, quæ in hac noſtra provinciali ſynodo ordinata & conſtituta ſunt, poſt ſex menſes a die hujus præſentis finiti concilii, omnes & quoſcumque noſtros, & ſuffraganeorum noſtrorum ſubditos obligari ſtatuimus, & mandamus, ac ſi cuilibet in perſona ſignificata, & intimata fuiſſent. Valeant tamen in ſuis diœceſibus epiſcopi, ſuper defectibus quos reformatione indigere noverint, munus viſitationis exercendo, vel alias ordinare & ſtatuere : pœnis impoſitis, prout ad Dei laudem, bonum eccleſiæ, cleri reformationem, aut ſubditorum utilitatem conducere judicaverint.

*Concluſio.*

Quæcumque a nobis pro munere noſtro, & injuriæ temporis ratione habita, mature conſtituta ſunt : qua, in hac noſtra ſynodo legitime congregata, debemus humilitate & obedientia poſſumus, ſanctiſſimi domini noſtri papæ, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ omnium eccleſiarum matri & magiſtræ ſubjicimus, ab eadem perpetuo emendanda & corrigenda, ad Dei optimi maximi honorem & gloriam ſempiternam.

NOS Ludovicus de Vervins, archiepiſcopus & primas Narbonenſis, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum coepiſcoporum noſtrorum, definientes ſubſcripſimus. *L. de Vervins, archiepiſcopus Narbonenſis, ſic ſignatus.*

Ego Chriſtophorus de Leſtang, epiſcopus Carcaſſonenſis, conſentiens ſubſcripſi. *Chriſtophorus de Leſtang, epiſcopus Carcaſſonenſis, ſic ſignatus.*

Ego Bernardus Podianus, Agathenſis epiſcopus, conſentiens ſubſcripſi. *Bernardus Podianus, Agathenſis epiſcopus, ſic ſignatus.*

Ego Petrus de Fleires, epiſcopus ſancti Pontii Tomeriarum, conſentiens ſubſcripſi. *De Fleires, epiſcopus ſancti Pontii Thomeriarum, ſic ſignatus.*

Ego Petrus de Valernod, epiſcopus Nemauſenſis, conſentiens ſubſcripſi. *Petrus de Valernod, epiſcopus Nemauſenſis, ſic ſignatus.*

Ego Ludovicus a Vinea, epiſcopus Uticenſis, conſentiens ſubſcripſi. *Ludovicus a Vinea, epiſcopus Uticenſis, ſic ſignatus.*

Ego Stephanus Polvercilus, epiſcopus Ellectenſis, conſentiens ſubſcripſi. *Stephanus Polverellus, epiſcopus Ellectenſis, ſic ſignatus.*

Ego Petrus Fenoilletus, epiſcopus Monſpelienſis, conſentiens ſubſcripſi. *Petrus Fenoilletus, epiſcopus Monſpelienſis, ſic ſignatus.*

Ego Folcrandus Barreſius, I. V. D. canonicus & ſacriſta eccleſiæ cathedralis Agathenſis, & reverendiſſimi domini, D. Joannis Bonſii, epiſcopi Bitterrenſis, vicarius generalis, & in hoc ſpecialis procurator, ejus nomine interfui, ſubſcripſi, & omnia & ſingula in hac ſancta ſynodo decreta, acta, edita, & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio. *Barres, vicarius generalis Bitterrenſis, ſic ſignatus.*

Ego frater Federicus de Charpene, ordinis eremitarum ſancti Auguſtini, & dicti ordinis in



provinciis Narbonæ, & Burgundiæ provincialis : reverendiſſimique domini D. Gerardi de Robin, Lodovenſis epiſcopi, vicarius generalis : & in hoc ſpecialis procurator, ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia & ſingula in hac ſancta ſynodo decreta, acta, edita, & publicata, ejus & eccleſiæ ſuæ nomine recipio. *Federicus de Charpene, ſic ſignatus.*

*SCribente me Joanne Bertellier, notario apoſtolico, civitatis Narbonæ habitatore, & ſecretario dicti illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini mei archiepiſcopi & primatis ſubſignato, qui de mandato ejuſdem domini mei, & voto patrum in concilio provinciali Narbonæ habito, & finito die ultima menſis Aprilis, anno domini milleſimo ſexcenteſimo nono, quæcumque acta, ordinationes & conſtitutiones ejuſdem concilii, & in ipſis omnibus præſens, ſcripſi : & in eorum omnium fidem & teſtimonium me ſubſignavi, cum teſtibus ſynodalibus, in proceſſu verbali ejuſdem concilii deſignatis.*

Bertellier.

Prout ſuperius ſcriptum eſt, in quinquaginta quinque foliis papyri, præſenti comprehenſo, & ſignato, per magiſtrum Bertellier, notarium apoſtolicum, & ſecretarium noſtrum, necnon concilii noſtri provincialis, de verbo ad verbum ſuper vero originali penes archivia noſtri archiepiſcopatus remanente, & de mandato noſtro proceſſum fuit. In quorum fidem & teſtimonium, poſt debitam collationem coram nobis factam, unumquodque folium hujuſce extracti, per dictum Bertellier, ſignari juſſimus, cum præſenti, quod ſigno & ſigillo noſtro, nos Ludovicus de Vervins, Dei, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus, & primas Narbonenſis communivimus, & expedire fecimus : in caſtro noſtro de Caneto, prope Narbonam, die 26. menſis Maii. Anno domini mileſimo ſexcenteſimo nono.

*L. de Vervins, archiep. & primas Narbonenſis.*

## CONFIRMATIO CONCILII.

*NOS Pompejus tituli ſanctæ Balbinæ S. R. E. presbyter cardinalis Arigonius, fidem facimus & atteſtamur, decreta ſupradicta in provinciali ſynodo, a reverendiſſimo D. archiepiſcopo Narbonenſi confecta, a ſacra congregatione cardinalium concilii Tridentini interpretum emendata, recognita, atque aptata fuiſſe : necnon eorumdem decretorum exemplum apud ipſam congregationem remanſiſſe ; cum quo hujuſmodi decreta, hoc libello chartarum* LVII. ( *quarum prima incipit*, In nomine ſanctiſſimæ, *&c. ultima vero*, has noſtras, *&c. & deſinit*, ſic deſignatus ) *deſcripta & collata, in omnibus & per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infra ſcripto ſecretario item ſubſcribi, ſigillique noſtri impreſſione communiri mandavimus. Datum Romæ, die* XXVII. *Novembris, anno* MDCXI.

P. Cardinalis Arigonius.

Locus ſigilli ſummi pontificis.

Joannes Franciſcus Fagnanus, ſanctiſſimi D. N. apud ſacram congregationem concilii ſecretarius.

## PUBLICATIO CONCILII.

*LUDOVICUS DE VERVINS, Dei, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia, archiepiſcopus ſanctæ primæ ſedis Narbonæ, primas, & præſidens natus comitiorum generalium trium ordinum provinciæ Occitanæ, reverendiſſimis epiſcopis, ſuffraganeis noſtris, clero & populo provinciæ noſtræ, ſalutem.*

CUM in ſuprema provinciæ Narbonenſis ſpecula, divina diſpoſitione conſtituti fuerimus : cunctos, nec ſolum commiſſum nobis gregem, verbo vitæ paſcere, cuſtodire, & in viam ſalutis dirigere ſtatuimus : ſed etiam ſingulos reverendiſſimos ſuffraganeos noſtros, qui in apoſtolicæ ſolicitudinis partem vocati ſunt convocantes, ad hoc laborioſum munus contendimus adhibere : ut quemadmodum concilii provincialis initium, felicemque exitum domino cooperante præſtitimus : ita ſaluberrima illius decreta, omnes hujus provinciæ eccleſiæ admittant, obſervent, & diligentiſſime exequantur. Sane licet in ſancta œcumenica Tridentina ſynodo, ſaluberrima fuerit ordinatione decretum, ut quolibet ſaltem triennio, metropolitani, ſeu illis legitime impeditis, coepiſcopus antiquior, poſt octavam paſchæ reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittat ſynodum in provincia ſua cogere : quo epiſcopi omnes, & alii qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent, convenire omnino teneantur : non potui tamen ſanctiſſimo mandato citius parere, diuturnis morbis fractus, & perturbatione temporum retardatus. Dei autem adſpirante numine, firmiori valetudine, & viribus nonnihil corroboratis : viſitationem in toto grege nobis commiſſo, ut ab initio pontificatus noſtri ſtatueram, aggreſſi ſumus. In qua concrediti a Deo gregis colluſtratione, quia forte paſtorum, qui præiverant, a quadringentis annis, infelici rerum humanarum conditione, alicubi deſiderabatur ſolicita induſtria, contentius adhibendum nobis ſtudium : multo ſudore, multa, ut air vates Hieremias, evellere, deſtruere, diſperdere, diſſipare, ædificare, & plantare neceſſe fuit : felicibus nihilominus auſpiciis non deſtitimus, quin ſingulas noſtræ diœceſeos eccleſias præſentes perluſtraremus. Cui non pœnitendo labori aliquid deeſſe putaviſſemus, niſi concilii provincialis coitionem, quinquaginta vel plurium annorum intervallo prætermiſſam indiceremus, epiſcopos provinciæ Narbonæ ſuffraganeos noſtros, & alios quorum intererat advocando : ut quæ lapſu temporum depravata, & male obſoleta in domo Dei erant corriggerentur, renovarentur, mores diſſoluti in meliorem frugem tranſirent, exceſſus temperarentur, lites componerentur, atque etiam invaleſcen-

ANNO CHRISTI 1609.

leſcentium hæreſum impetus retardarentur, nihil denique omitteretur quod ad populorum ædificationem, & catholicæ fidei præſidium videretur poſſe pertinere. Hac ſynodo provinciali peracta, illius decreta aliquanto poſt tempore, Romam ad ſanctiſſimum D. N. papam, S. Q. R. E. purpuratos patres miſimus: ut ab eiſdem, de mandato ſummi pontificis, examinata & approbata, in lucem prodirent, & majorem cunctis afferrent venerationem. Cum ergo quæ in dicta noſtra ſynodo definita & ſtatuta fuerunt, ſummi pontificis autoritate confirmata ſint, quamprimum typis ea mandari juſſimus: ut facilius in omnium manus pervenirent. Verſionem Gallicam ex adverſo adhibuimus, ut linguæ Latinæ minus periti, concilii noſtri mentem ſenſumque perciperent, & ad praxim reducerent. Quapropter cum parum conferat leges condidiſſe, niſi eis pareatur: hortamur univerſos provinciæ noſtræ reverendiſſimos dominos coepiſcopos, omnibus vero aliis nobis ſubditis mandamus: ut ordinationes in hac ſacra ſynodo ſancitas, quæ ad integritatem & veritatem Chriſtianæ religionis, ad bonorum reductionem malorumque emendationem, quæ ad populi noſtri pacem, unitatem & concordiam, ad cohibendos inſultus hæreticorum, qui univerſam Chriſtianam rempublicam depravare moliuntur, neceſſariæ ſunt, recipiant; manu, animoque volvant, & ad amuſſim obſervent; atque etiam plebi Chriſtianæ declarare non omittant. Sic enim fiet, ut Deo auſpice fides incrementum accipiat, & populus provincialium clericorum reformatione ædificetur. Nulli ergo nobis ſubditorum liceat has paginas concilii noſtri infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, pœnas juris ſe noverit incurſurum.

ANNO CHRISTI 1612.

# CONCILIUM SENONENSE.

## Pariſiis habitum MDCXII. Pro condemnatione libelli de eccleſiaſtica & politica poteſtate.

Libelli autor Edmundus Richerius, erat res contra ſummi Pontificis poteſtatem.

NOs Jacobus miſeratione divina ſanctæ Agnetis in agone ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis, Perronius nuncupatus, archiepiſcopus Senonenſis, Galliarum & Germaniæ primas: Henricus Pariſienſis, Franciſcus Antiſſiodorenſis, Joannes Meldenſis, Gabriel Aurelianenſis, Renatus Trecenſis, Euſtachius Nivernenſis, & Philippus Carnutenſis, epiſcopi provincialiter congregati: univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem in domino. Cum nobis ex dignitatis & provinciæ noſtræ munere, non magis incumbat fideles nobis ſubditos Chriſti veritatem docere, quam ſedulo animadvertere & obſervare, ne novæ, erroneæ, & perverſæ ſententiæ in eorum animos irrepant, & in eccleſiæ perniciem impune graſſentur: libellum cui abſque nomine autoris, & typographi, titulus eſt, *de eccleſiaſt. & politica poteſtate*, diligenter lectum & expenſum, cenſura & damnatione dignum judicavimus, & declaravimus, & reipſa notamus & damnamus, ob multas quas continet propoſitiones, expoſitiones, & allegationes, falſas, erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, &, ut ſonant, hæreticas: juribus tam regis, quam eccleſiæ Gallicanæ, ejuſque immunitatibus, & libertatibus, per nos non tactis. Quocirca omnibus Chriſtianis nobis ſubditis, quorum ſalus noſtræ partem facit, ejus libelli poſſeſſione, attrectatione, & lectione interdicimus; & a typographis & bibliopolis vendi, aut typis cudi prohibemus; qui ſecus fecerint, pœnis & cenſuris eccleſiaſticis obnoxios volumus, & denunciamus. Præterea cunctis noſtrarum diœceſeon parochis, ut eis notum faciant, mandamus, atque injungimus. In quorum præmiſſorum fidem & teſtimonium, has præſentes literas manibus noſtris ſubſcripſimus, ac per magiſtrum Joannem Baudonyn, publicum autoritate apoſtolica notarium juratum, ac per nos in hac parte pro ſecretario aſſumptum, fieri & ſignari, ſigillorumque noſtrorum appenſione muniri fecimus. Actum Pariſiis in noſtra congregatione provinciali, anno domini MDCXII. die nona menſis Martii.

# CONCILIUM AQUENSE.

## PRO CENSURA LIBELLI EJUSDEM.

NOs Paulus Dei & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia Aquenſis archiepiſcopus, Carolus Reienſis, Bartholomæus Forojulienſis, & Tuſſanus Siſtaricenſis, epiſcopi provincialiter congregati: univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem in domino. Viſo & examinato diligenter libello, cui titulus eſt, *de eccleſiaſt. & polit. poteſt.* Pariſiis excuſo, anno 1611. abſque nomine auctoris, & typographi, in quo multas deprehendimus propoſitiones, expoſitiones, allegationes, & doctrinas falſas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, hæreticas, & impietatem gravemque errorem ſapientes: declaravimus & declaramus prædictum librum dignum condemnatione & cenſura, & ut talem notavimus & condemnavimus; notamus & condemnamus; omnibus fidelibus nobis ſubditis, & quorum ſalus nobis a domino commiſſa eſt, libellum prædictum retinere, legere, aut eo uti, omnibus typographis & librariis eum vendere, publicare, & retinere, ſub pœna excommunicationis prohibentes. Inſuper omnibus prioribus, parochis rectoribus, & aliis curam animarum in noſtra provincia & diœceſibus habentibus, mandamus quatenus hanc præſentem declarationem & cenſuram ſignificent, & in portis eccleſiarum eam appendant, populum ſibi commiſſum ſedulo monentes de hac noſtra declaratione, cenſura, & condemnatione. In cujus rei fidem hiſce præſentibus manu propria ſubſcripſimus, & ſigillis noſtris munivimus, & antiſignari fecimus per magiſt. Brun, noſtri archiepiſcopatus notarium & ſecretarium. Datum Aquis, in noſtra congregatione provinciali, die Jovis 24. menſis Maii, anno ſalut. 1612.



ANNO CHRISTI 1621.

# VITA

## GREGORII PAPÆ XV.

GRegorio decimoquinto, qui Alexander ante pontificatum vocabatur, pater fuit comes Pompejus Ludoviſius, Bononienſis, mater Camilla Blanchina. Adoleſcentiam Romæ apud patres ſocietatis Jeſu, in humaniorum litterarum & philoſophiæ ſtudio traduxit: Bononiæ poſtea legum ſcientiæ incubuit, ubi poſtquam laurea inſignitus fuit, Romam iterum advenit. A Gregorio XIII. primus Capitolii judex electus eſt, a Clemente VIII. creatus utriuſque ſignaturæ referendarius; mox inter Romanæ Rotæ patres adſcriptus eſt. Ab eodem pontifice Beneventum deſtinatus, una cum Maphæo Barberino cameræ apoſtolicæ clerico, tunc præclari oneris comite, poſtea ſummi honoris ſucceſſore, contentiones inter pontificios & regios miniſtros exortas admirabili prudentia compreſſit. Demum a Paulo V. archiepiſcopus Bononienſis declaratus, excitato in Italia bello inter Hiſpaniæ regem ducemque Sabaudiæ eo pacificator immiſſus, ſuſcepto munere digniſſime perfunctus eſt: ideoque a pontifice inter purpuratos patres adſcriptus, anno 1616. Paulo autem e vivis erepto pontifex renunciatus eſt, anno 1621. quinto Idus Februarias. Ferdinandum imperatorem in Germania adverſus hæreticos pugnantem perdiu juvit, tum expedito milite, tum numerata pecunia in menſes ſingulos. Septemviratum auguſtalem, juſque ferendi ſuffragii in eligendo imperatore, quo devolutus ob rebellionem fuerat Rheni Palatinus, ad Maximilianum Bavariæ ducem transferendam curavit. Dux autem tanti memor beneficii, capta Heidelberga, bibliothecam Palatinam, eruditum ex debellatis hoſtibus trophæum, Gregorio pontifici Romæ transferendam, & Vaticanæ addendam, donavit. Sigiſmundum Poloniæ regem conſiliis & pecunia juvit Gregorius contra immenſum Turcarum exercitum, qui excidium Chriſtianis regionibus minitabatur. Marcum Antonium de Dominis, archiepiſcopum Spalatenſem, virum transfugam, & qui ſcriptis auſus fuerat Romanam eccleſiam inceſſere, ex Britannia, in quam conceſſerat, removeri curavit, ac ſcripta ſua edito libro damnantem paterne Romæ excepit. Ac ut prodeſſe univerſo terrarum orbi ſimul poſſet, conventum cardinalium, habendis de propaganda fide conſiliis, inſtituit, annuiſque reditibus firmavit. Quarto Idus Martias, anni 1622. beatos Ignatium ſocietatis Jeſu fundatorem, Franciſcum Xaverium ejus ſocium, Indiarum apoſtolum, Philippum Nerium, congregationis Oratorii auctorem, Iſidorum cultorem agrorum, Thereſiam Carmelitarum Diſcalceatorum inſtitutricem, in ſanctorum numerum retulit. Denique diploma de creatione Romani pontificis per ſecreta ſuffragia, expetitum ab omnibus, tentatum a multis, a nemine perfectum, conſcripſit ipſe, ac publicavit. In has aliaſque plurimas paſtoralis muneris ſui curas, quamvis valetudine ab ipſo ſtatim initio pontificatus, aut tenui aut afflicta, conſtanti & vigente animo ſemper incubuit. Tandem obiit in Quirinali ſeptuagenarius, VIII. Idus Julias, anni 1623.

ANNO CHRISTI 1623.

# VITA

## URBANI PAPÆ VIII.

URbanus VIII. antea Maphæus cardinalis Barberinus nominatus, anno 1623. ſexta die Auguſti, omnium fere votis ad pontificatum promotus eſt: vir tantis ornatus virtutibus, ut natus pontifex, non factus videretur. Pater huic fuit Antonius Barberinus, mater Camilla Barbadora. Avorum ſeriem non parum illuſtrat Franciſcus Barberinus, qui ante trecentos annos floruit; vir juris ſcientia clarus, & elegantiſſimi (ut ſua tempora ferebant) ſtyli, & qui multas pro republica Florentina legationes obivit. Gens enim Barberina ducentis ante ipſum annis, everſa celebri quondam Simiphontana in Etruria republica, non procul a Barberino oppido, Florentiam transmigraverat, ibique inter patricias allecta fuerat: ex quo nullum geſſit nobilitas magiſtratum, quem Barberinis civibus patria non obtulerit. Majorum gloriam æmulatus Maphæus, vita integer, doctrina inſignis, & auguſta oris majeſtate præditus, varias dignitates Romæ obtinuit. Sub Sixto V. & Gregorio XIV. pontificibus,

cibus, utriuſque ſignaturæ referendarius fuit. A Clemente VIII. inter apoſtolicæ cameræ clericos relatus, poſtmodum nuntius extraordinarius in Galliam delegatus eſt, Henrico IV. & Mariæ Mediceæ primogenitam ſobolem Ludovicum XIII. gratulaturus. Ibi conciliata regum & nationis gratia, fecit ut Chriſtianiſſimo regno ſocietatis Jeſu patres, tam bene de Chriſtiana republica meriti, reſtituerentur. Illum e legatione reverſum pontifex in Umbriam miſit, ubi exundantem Traſimenum, & paſſim agros & oppida obruentem repreſſit. A Clemente poſtea auctus dignitate archiepiſcopatus Nazareni in regno Neapolitano, nuntius ordinarius in Gallias iterum mittitur. In qua legatione Paulus V. mortuo jam Clemente VIII. purpuream ei veſtem & eminentiſſimum cardinalis honorem tribuit, anno 1605. Romam magna meritorum fama & futurorum ſpe reverſus, Spoletanæ eccleſiæ præficitur, illique majora Romanæ aulæ negotia deferuntur. Scotiæ patrocinium a pontifice delatum lubens accepit, jam tum magnanimæ caritatis ſolicitudines ultra Oceani terminos propagans. Orientales quoque Græci ejus præſidium ambierunt; eorumque patronus a Gregorio XV. inſtituitur. Viros doctos favore ſemper proſecutus eſt, muſarum ſacris & ipſe operatus. Mortuo Gregorio XV. novemdialibus exequiis peractis, ſacer ſenatus in ampliſſimis comitiis, ubi aderant quatuor Italiæ principes, quatuor pontificum nepotes, quinquaginta ſuffragiis illum pontificem maximum renuntiavit, die quo pſeudoepiſcopus Alberſtatenſis catholicæ religionis hoſtis in Germania victus & fuſus eſt. Die 29. Septembris, qui divo Michaeli ſacer eſt, omnium ordinum comitatu & applauſu coronatur ante auguſtam ſancti Petri baſilicam in Xyſto, ut mos receptus poſtulabat. Die 19. Novembris ad Lateranenſem baſilicam triumphali pompa proceſſit, & peracta cærimonia populo benedixit. Anno eodem Pii V. conſtitutionem de non alienandis eccleſiæ urbibus firmavit, & bullam de reſidentia cardinalium epiſcoporum promulgari fecit. Ordinem equitum Conceptionis virginis a Carolo Gonzaga, tunc Niverni, poſtea Mantuæ duce, inſtitutum confirmavit, ordiniſque inſignia, crucem & paludamentum, inſtitutori conceſſit. Ineunte anno 1625. reſeravit portam ſanctam, & jubileum celebravit, quo durante peregrinos ſumma munificentia, & largitate hoſpitio excepit, & aluit. Beatam Elizabetam Luſitaniæ reginam in ſanctorum numerum retulit. Die 24. Decembris portam ſanctam clauſit. Subſeqentibus annis innumera egit, tam ad fidei catholicæ profectum, eccleſiæque Romanæ gloriam, quam ad urbis ornatum, pontificiæque ditionis ſecuritatem. Æthiopiæ imperator, cum ſuis, abjuratis Dioſcori & Eutychetis erroribus coram catholico Æthiopiæ patriarcha, quem venerabundus exceperat, imperium ſuum ante ejus pedes Romanæ eccleſiæ perpetuo ſubjecit. Primus quoque pontificum Urbanus a rege Congi per oratorem Joannem Baptiſtam Vives Chriſtianæ obedientiæ juramentum excepit. Maronitarum patriarcham ſacra ſupellectile donavit. B. Andreæ Corſino Florentino, ordinis Carmelitarum, ſacros cæleſtium civium honores ſolenni ritu detulit. Mariam Magdalenam Pazziam, Cajetanum Thienæum, congregationis clericorum regularium Theatinorum fundatorem, Andream Avelinum presbyterum, & alios, beatos dici, & ad aras ſacro cultu honorari poſſe declaravit. In urbe, Fuldenſe, Viennenſe, & Pragenſe collegia nationis Germanicæ ad fidei propagationem extruxit. Illyricum a Gregorio XIII. in urbe Lauretana inſtitutum, & nonnullis poſt annis Romam tranſlatum, auxit, & Laureto reſtituit. Vaticanam baſilicam conſecravit, aras & ſacella ſtatuis & multiplicibus operibus ornavit, ac principis apoſtolorum ſepulcrum ænea mole tetraſtylo, qua ſe ſuperatam faſtuoſa fateretur antiquitas, decoravit. Bibliothecam Vaticanam codicibus Græcis manuſcriptis locupletavit, & Palatinæ libros, quos Heidelberga capta Maximilianus Bavarus pontifici dono dederat, ſummis impenſis e Germania tranſvehi, & in extructis armariis congruenter locari curavit. Sapientiam quoque Romanam, vetus urbis Athenæum, nobilibus ædificiis & ornamentis auxit. Quid in arce Ælia egerit, nummi cuſi ſatis oſtendunt: INSTRUCTA, MUNITA, PERFECTA. Portum ad Centumcellas ſub præcedentibus pontificibus ædificari cœptum abſolvit, & commune gentium emporium fecit. In agro Bononienſi, non procul a Scultenna fluvio, arcem Urbanam munitiſſimam, Mutinæ ditioni conterminam, a fundamentis erexit: Ferrarienſem varia acceſſione munitionum firmiorem effecit. Hæc de multis pauca notata ſunt, quibus diuturnam ac celebrem ſui memoriam poſteris relinquet Urbanus; plura etiam moliturus, ſi tam diuturna eum maneat vita, quanta illi ab orbe Chriſtiano exoptatur, qui tantum pontificem jam fere unum & viginti annos veneratur.

ANNO CHRISTI 1624.

# CONCILIUM PROVINCIALE BURDIGALENSE.

A Franciſco Cardinale de Sourdis archiepiſcopo Burdigalenſi, Aquitaniæ primate, habitum anno domini MDCXXIV. menſe Septembri.

## INDEX TITULORUM.

I. *De profeſſione fidei.*
II. *De propaganda fide.*
III. *De officiis divinis.*
*De ſacris reliquiis.*
IV. *De feſtis.*
V. *De ſacramentis.*
*De baptiſmo.*
*De Confirmatione.*
*De euchariſtia.*
*De pœnitentia.*
*De extrema unctione.*
VI. *De ordine.*
*Ad minores.*
*De ſubdiaconatu.*
*De diaconis.*
*De presbyteris.*



ANNO CHRISTI 1624.

*De dimiſſoriis literis.*
VII. *De matrimonio.*
*De concubinariis.*
VIII. *De epiſcopis.*
IX. *De canonicis & capitulis eccleſiarum cathedralium & collegiatarum.*
X. *De parochis.*
XI. *De paſtorum reſidentia.*
XII. *De prædicatione verbi Dei.*
XIII. *De vita & honeſtate clericorum.*
XIV. *De promovendis ad beneficia eccleſiaſtica.*
XV. *De ſimonia & confidentia.*
*De ſyndico in ſingulis diœceſibus conſtituendo.*
XVI. *De ſeminariis.*
XVII. *De monaſteriis.*
XVIII. *De prioratibus & capellis.*
XIX. *De monialibus.*
XX. *De ſepulturis.*
XXI. *De viſitatione.*
XXII. *De concilio provinciali & pœnis.*
*Nomina procuratorum cathedralium.*
*Nomina theologorum & canoniſtarum.*

# DECRETA CONCILII PROVINCIALIS BURDIGALENSIS.

## CAPUT PRIMUM.

### *De profeſſione fidei.*

INter ingentia illa dona quibus devinxit nos ſibi, & benedixit filiis ſuis in ſe ſuavis & miſericors dominus, ea vel maxime longe antecellunt, quorum ſplendore animi noſtri colluſtrati, a terrenis in partem ſortis ſanctorum tranſlati, jam non ſunt hoſpites & advenæ, ſed cives ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu. Quod non modo nos, ſed & reverendiſſimi coepiſcopi noſtræ provinciæ, ſacro cœtu una nobiſcum canonice adunati, agnoſcentes, & quaſi e ſpecula quot & quales ſpiritus procellarum in domum Dei excitet ſatan, ut ab ea veluti nutante quovis ingredientes deturbet, proſpicientes; præcipuas officii noſtri partes eſſe profitemur, ſi ſcoriam, ſtipulam, & cætera pravarum doctrinarum ramenta ſecernentes, longe amoveamus; & pretioſa quæque a patribus, & ſacris œcumenicis conciliis doctrinæ orthodoxæ, & proborum morum condita decreta & documenta ſeligentes, in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt eccleſia, afferamus; quo lapidi illi angulari fideles tanquam lapides vivi ſuperpoſiti, creſcant in eo, donec ad faſtigium & coronidem ædificatione Dei evecta, gloriam demum divinæ majeſtatis in ea irradiare, & ex ea cunctis populis illuceſcere, omneſque ſub uno ſummo pontifice in virum perfectum occurrere, cognoſcatur.

I.

Quæ ita ut proponuntur, & a Deo patre miſericordiarum expetuntur, ſic etiam aſſequi valeamus; & ſacrorum conciliorum cum œcumenicorum, tum provincialis Burdigalenſis ultimi decretis inhærentes; pretioſum hoc fidei fundamentum, adverſus quæcumque inimici tela ignita; undiquaque & quomodocumque contorta, ſcutum inexpugnabile, opponamus: profeſſionem fidei orthodoxæ præſcripto patrum ſacroſancti œcumenici concilii Tridentini, & Pii IV. Pont. Max. conſtitutione conceptam & contextam a nobis & reverendiſſimis coepiſcopis cæteriſque concilii delegatis palam & publice emiſſam, & ab omnibus catholicis emittendam præſertim iis quos tum cura regiminis eccleſiaſtici, tum publice docendi munus pertingit, conceptis verbis præmittendam eſſe decernimus.

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, & quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet. Credo in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium, &c.

Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones, firmiſſime admitto & amplector.

Item ſacram ſcripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque, ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria; ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem, ſine ſacrilegio iterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis: atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti: fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus; & totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem: quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque illorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero, imagines Chriſti, ac deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum, habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſ-

ANNO CHRISTI 1624.

A fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem affirmo. Sanctam catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici B. Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia a ſacris canonibus & œcumenicis conciliis ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo.

B Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me, in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei euangelia.

I I.

C Ut hanc igitur fidei orthodoxæ profeſſionem omnes corde & animo contineant, eoque modo, quilibet errores, ſectæ, damnatæ doctrinæ, & pravitates in hanc provinciam hucuſque libere graſſantes, amoveantur penitus & aboleantur: ſtatuimus imprimis quotquot in poſterum clerici ad beneficia eccleſiaſtica aſſumentur, eos ad præfatam fidei profeſſionem emittendam teneri & obligari, nullique deinceps beneficium jure concedi poſſe, nec fructus illius tuta conſcientia retineri, ni prius hanc formulam corde & ore emiſſam, manu etiam propria ſubſcriptam in manibus ordinarii conceſſerit.

III.

D Concionatores etiam ſemel antequam ad prædicationem verbi Dei in qualibet diœceſi admittant ordinarii, hanc eamdem fidei profeſſionem ab iiſdem ſuſcipiant præcipimus.

I V.

Quinetiam typographos eamdem præſtare neceſſe, quos præterea jurejurando conſtringi volumus, numquam ſe ullos libros impreſſuros, vel venditurος, quin ejus approbatione ordinarii in ſcriptis obtenta, id ſibi licere comprobetur; alioquin pœnis ſacrorum conciliorum decretis in eoſdem latis acriter mulctari mandamus.

V.

E Præceptores autem publici, ſive humaniorum literarum, ſive ſcientiarum ſublimiorum profeſſores, antequam ad id muneris ſeſe accingant, eamdem profeſſionem fidei in ejuſdem ordinarii manibus ex animo legere, ſcriptamque & ſubſignatam deponere decernimus; quoſque item ad gradus honoris & ſcientiarum apicem evehere par erit, idem ipſi præſtare teneantur.

V I.

ANNO CHRISTI 1624.

Qui vero præceptores in pagis & vicis docebunt juventutem, præter profeſſionem fidei ſuperius traditam, literas inſuper ab ordinario loci accipiant, quibus de facultate docendi ſibi conceſſa, rectoribus eccleſiarum fidem facere poſſint: ſecus, ne patiantur eos rectores, ullo pacto docere, invigilentque aſſidue, ne quis hujuſmodi præceptorum, quod non raro accidit, ſit vinoſus, blaſphemus, maledicus, ſcurra, aut aliquo vitio ita inquinatus, quod inde tenera juventus ſemina vitiorum exſugere queat; deque iis omnibus ordinarium certiorem cito faciant rectores, ut indignis præceptoribus amotis, alii idonei in eorum locum ſuffecti, juventuti pie adoleſcenti prodeſſe poſſint. Ac ne progreſſu temporis iidem præceptores a virtute & proborum morum meta deficere videantur, curent ſæpiſſime rectores, de eorum moribus, vita, religione, ſtatu, exercitiis, ad ordinarium ſcribere. Neque ſecus fiat de iis præceptoribus, qui docendi gratia in domibus privatis aſſumuntur, ſed omnes prorſus eamdem fidem profiteantur, ſint orthodoxi, nulluſque hæreticus, aut de hæreſi ſuſpectus, ad id munus a parentibus aſciſcatur. Quod ſi hujuſmodi parentes amodo alios præceptores, quam catholicos, liberis ſuis aſſumpſiſſe, aut poſthac aſſumere cognoſcantur, eos quam cito a filiis ſuis arcere, & e domo pellere, eccleſiaſticis cenſuris compellantur.

V I I.

Quoniam autem tanti æſtimatur rerum commutandarum ratio & ars, ut parentes, neglecta filiorum ſalute, eos in regiones ditioni hæreticorum ſubjectas, & in quibus cultus divinus proſcriptus omnino reperitur, diſcendi idiotiſmi gratia emittere non vereantur: omnes parentes, aut quoſcumque liberorum curam habentes, hortamur in domino, & pro pretioſa pignorum ſalute, ſuæque conſcientiæ ſolvenda obligatione, obſecramus, ne eoſdem ea ratione ante vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum, aut alium conſiſtentis judicii firmum in eaſdem regiones emittant; quam ætatem, ſi qui attigere, & eos eo amandare conveniat, curent ſollicite prædicti parentes, aut alii ad quos cura pertinet, ut antequam proficiſcantur, ita fidei orthodoxæ ſcuto inſtructi ſint, & armati, quo lethifera hæreticorum tela animoſe valeant declinare, conſulantque ſuper hoc parochos ſuos, ut inſtructiores evadant.

V I I I.

Omnes autem præceptores, ſive publici, ſive privati, catechiſmum, ſive doctrinam Chriſtianam, ea forma duntaxat, quæ ab ordinario loci ſibi præſcribetur, juventutem docere, lectiones prævia oratione incipere, itemque finire, & ſingulis dominicis & feſtis ſolennibus diſcipulos ad eccleſiam, pro officiis divinis & concionibus vebi Dei audiendis, deducere teneantur; iiſque diebus ſolum de catechiſmo, & materia pia & devota lectiones habituri.

I X.



ANNO CHRISTI 1624.

I X.

A Cautum ſit vehementer omnibus; ne diſcipulis prælegant, vel eoſdem legere patiantur libros, ex quibus tum perverſam doctrinam, tum morum corruptionem haurire poſſint: ſed omnia pura, terſa, & ad indicem concilii Tridentini perpurgata & concinnata exponantur. Qui ſecus feciſſe aut facere auſi fuerint, ut juventutis temeratores, gravi pœna afficiantur.

X.

B At quod ex parentibus multi reperiantur, quorum cura, & filiorum educandorum ratio ita langueſcit, ut eos, timore domini poſtpoſito, quocumque lubet, divertere ſinant: moneant ſedulo rectores, ſeu parochi & concionatores, populum fidelem teneri, ad filios doctrina Chriſtiana imbuendos, ad eccleſiam deducere, ac ne per eccleſiam errent, aut in ea clamores excitent, ſecum continere, obligari.

XI.

C Sed cum id non ſatis eſſe, ad continendam in officio juventutem, conſtet, ob varias peccandi illecebras, quibus facile irretitur tener animus: optimum remedium fore arbitrati ſumus, ſi ſancta ſancti Caroli veſtigia inſequentes, in omnibus parochiis, pias cum virorum, tum mulierum ſodalitates, quarum munia ſint juventutem e publicis locis, ludis, triviis, exquirere, hortari, & ad eccleſiam deducere, doctrina fidei morumque candore imbuendam, inſtitui curaremus. Quare nobis & reverendiſſimis coepiſcopis præcipua cura ſit, tales ſodalitates ubicumque inſtituere, ſtatutaque & regulas eiſdem tradere, quibus, ſingulis dominicis & feſtis diebus, in eccleſia Dei, hinc pueri, illinc puellæ, novellæ olivarum in circuitu menſæ domini conſiſtentes, præeuntibus diviſim confratribus & ſororibus earumdem ſodalitatum, catechiſmum recitare & ediſcere D poſſint, donec accedente parocho ſeu alio ſacerdote, ex catechiſmo Romano unus aut alter articulus familiariter explicetur: unde divinæ voluntatis major claritas mentibus infundatur.

XII.

E Quod autem tortuoſus ille ſerpens, hæreticorum miniſterio delatus, in tot vertatur figuras, ut in bibliopolarum officinis latitans, a minus cautis hominibus haud diſpici poſſit & deprehendi, ſitque inter verborum, quibus demulcentur hujus ſæculi aures, lenocinia, lethale hæreſis & impietatis concluſum venenum: curet ſollicitis modis epiſcopus in civitate ſua, & oppidis ſuæ diœceſis, prout ſalubriter videbitur expedire, unum aut duos in ſacra theologia magiſtros ſeligere & deputare: quorum munia ſint, quoſvis libros typis applicandos perlegere, diſcutere, approbare aut reprobare, ac inſuper officinas bibliopolarum viſitantes, paleamque a tritico diſcernentes, quoſque libros impreſſos, hæreſim, impietatem ac cauſas temerandæ plebis redolentes, cenſere & notare, hinc magiſtratus poteſtatis ſæcularis invocan-



A tes, ad amovendos hujuſmodi libros, & ne deinceps ſecuras ſimplicium mentes perturbent, igni admovendos. Ac ne ſit liberum quibuſcumque quoſlibet libros, hæreſim aut impietatem continentes, perlegere & retinere; ſed id eis tantum liceat, quibus canonice in ſcriptis eſt conceſſum: cæteris omnibus eoſdem, & omnes per indicem expurgatorium concilii Tridentini damnatos libros, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, legere aut retinere prohibemus.

ANNO CHRISTI 1624.

*De propaganda fide.*

## CAPUT II.

B CUM cæleſtis ſponſi eloquium dulce ſit, & in ore fidelis populi ſuper mel & favum ſuave, ſemen vitæ æternæ contritos corde ſanans, & alligans contritiones eorum, diſperſos in Iſrael reducens, & ſuper aquam refectionis educans populos, animaſque convertens, de ſtercore denique erigens pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat: Sanctiſſimi D. N. curam in propaganda fide exercitam imitantes, Chriſtianiſſimi & piiſſimi regis noſtri ſtudium religioſiſſimum non poſſumus non vehementer laudare, extollere, & narrare in turribus ejus, quod ad eas regnorum ſuorum provincias ſub hæreſis onere gementes varios C concionatores verbi Dei præcones emitti curaverit, emiſſiones certe paradiſi.

I.

Unde nos, quaſi ex ſomno in mediis feri maris fluctibus excitati, decreta ultimi provincialis circa hoc magna cum cura, zelo, & prudentia patrum ſancita, nondum executioni demandata conſiderantes: ne parvuli in nos reclament, temporibus noſtris non fuiſſe, qui panem frangeret eis: reverendiſſimis coepiſcopis provinciæ noſtræ edicimus, ut quæ ab eodem ſuper emittendis concionatoribus ſunt edicta, exequantur ſedulo & perficiant, eoque nomine tot concio- D natores zelo Dei accenſos ſeligant & aſſumant, quot pro prudentia neceſſarios fore judicabunt, ad verbum Dei in iis partibus diſſeminandum, quæ hæreticæ pravitatis pondere preſſæ, auxilium & ſtudium ſuum expectant opportunum, tamdiuque eos in qualibet parte commorari jubeant, quoad nutante, & ruente, vel ex toto, vel ex parte Babel, a pede pauperis conculcetur: eoſdem concionatores ad alia demum loca deſtinando opus euangeliſtæ præſtituros, & miniſterium miſſionis impleturos.

II.

Ac ut iiſdem concionatoribus debita mini- E ſtrentur vitæ ſtipendia, provideant ordinarii, & procurent ea quæ ab ultimo provinciali cauta ſunt, obſervari, aut ex ſingulis & quibuſcumque ſuæ diœceſis monaſteriis & prioratibus conventualibus, ſive ſimplicibus pinguioribus, maxime ubi viget prava hæreſis, & rectores minus ſunt capaces, certam proventuum partem & portionem quamdam ad arbitrium ſuum definiendam, quotannis accipi & detrahi, in hujuſmodi concionatorum impenſas & juſta ſtipendia convertendam, & impendendam, vocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio.



III.

ANNO CHRISTI 1624.

III.

Ne vero difficultas ſit in hujuſmodi concionatoribus ſeligendis, ex quolibet ordine, ſive ſæculari, ſive regulari, eligantur & deputentur, qui in omnibus circa hæc munia, epiſcopis obediant: nec ullus miſſionibus deſtinatus provinciam ſuſcipiat, quin prius ab ordinariis locorum officii peragendi facultatem obtineat.

*De officiis divinis.*

CAPUT III.

Quemadmodum olim Iſraelitæ ad benedictionem Dei colligendam, divinum ſcilicet manna, ſolem præveniebant: ita viris qui officiis mancipati divinis, cæleſtis ſuavitatis dulcedinem ſibi, & fidelibus populis conciliare geſtiunt benedictionem, in matutinis meditandum in domino; ut invocato omnipotentis auxilio demulceantur populorum corda, & inclinentur ad faciendas juſtificationes ejus.

I.

Cumque una ſit fides mentium, ordoque & convenientia in omnibus excelſi operibus prælucentes poſtulent, [a] uno ore etiam, unaque forma, voce & modulatione in divinis laudibus decantandis utamur: nos, ex toto quæ ab ultimo provinciali de divinis officiis recitandis, breviariis & miſſalibus aſſumendis ſancita ſunt, ſervari decernentes, rituale etiam Romanum Pauli V. Pont. Max. juſſu editum & reſtitutum, in adminiſtrandis ſacramentis ab omnibus noſtræ provinciæ parochis, & aliis ſacerdotibus, aſſumi & exacte cuſtodiri, ſecluſis & interdictis quibuſcumque aliis, præcipimus.

[a] Forte, at uno. H.

II.

In ſacrificiis peragendis, ſacerdotes, tanquam angeli, ſacris altaribus aſſiſtentes, puri ſint, mundi, & ſummæ majeſtati per omnia placentes: ea quæ ab ultimo provinciali decreta ſunt, ſervent religioſe, & undequaque circumſpiciant, decretiſque ſeu rubricis, hujuſmodi breviariis, miſſalibus, & rituali præfixis & inſertis, inhæreant, memoriæ mandent & cuſtodiant, ne quid incogitanter actum Deo, diſpliceat, ſibique officere poſſit. Sacerdotes autem ex alia diœceſi in civitatem accedentes, in eccleſiis hujuſmodi civitatis, etiam religioſorum, abſque ordinarii licentia in ſcriptis obtenta, atque adeo in monialium monaſteriis, niſi ex ſpeciali mandato in literis approbationis expreſſo, ad ſacrum faciendum non admittantur: ſintque difficiles ordinarii ad eos ſacerdotes admittendos, qui paupertate preſſi ſingulas provincias peragrantes, facile inducuntur ad præſcripta canonum tranſgredienda.

III.

Nullum autem ſacrum privatum, durante ſolenni publico & parochiali, fieri prohibentes, patrumque noſtrorum provincialis veſtigiis inhærentes, decernimus, verus illud decretum, quo propoſita excommunicationis pœnæ præcipitur, ne quis tribus continuis dominicis a parochialis miſſæ celebratione abſit, ſingulis quibuſcumque dominicis denuntiari populo & publicari: ac, ut accuratius obſervetur, confeſſarios quoſcumque, ſive ſæculares, ſive regulares, ſcrutari pœnitentes, an huic officio ſatisfecerint, propoſita eiſdem gravitate peccati, obligatos eſſe declaramus: iiſdem omnibus & ſingulis concionatoribus & confeſſariis præcipientes, ut inter concionandum, & audiendas confeſſiones, conſulendumque privatim, exhortentur & moneant populum miſſæ parochiali interſit devote, ad verbum Dei & divina officia audienda, & cætera quæ cujuslibet officium pertingunt, ediſcenda. Si quis autem concionator, confeſſarius, aut theologiæ profeſſor, eo temeritatis deveniſſe reperiatur, ut contra hoc decretum aliquid prædicare, conſulere, & docere publice, vel privatim auſus fuerit: eum ipſo facto ſuſpenſionem, & interdictum incurrere decernimus, nulloque eum in loco provinciæ noſtræ, utpote contumacem & ſacris canonibus adverſantem, ad functiones ſuas unquam admittendum eſſe mandamus: eoque ſine epiſcopus, in cujus diœceſi talis patrata fuerit rebellio, hominem audacem ad metropolitanum deferat, cæteros comprovinciales epiſcopos certiores facturum, ne virum contumacem & ſacris canonibus adverſarium uſpiam recipiant, ſed a ſe abjiciant; quo ſcilicet periculo ſuo diſcat eccleſiaſticæ hierarchiæ ordinem haud quaquam eſſe turbandum.

IV.

Grave quamplurimos homines negotia ſæcularia, quamvis leviſſima, tanti facere, ut eorumdem ratione, dominicis diebus & feſtis ſolennioribus ad audiendum ſacrum, nulla ſollicitudine nulloque divini numinis metu adduci poſſint. Moneant igitur parochi omnes & concionatores ſæpiſſime populum iis diebus ad audiendum ſacrum ſub peccati mortalis pœna teneri & obligari: nulluſque ſit qui contra docere, prædicare, aut conſulere audeat: aut ſecus, graviter ab ordinariis puniatur.

V.

Ne vero a divinarum meditatione rerum, populus miſſæ parochiali aſſiſtens avertatur, ſed eo tendat animus quo virtute evangelii multa ſalubriter motus eſt & impulſus: publicationes auctionum, & denuntiationes quaſcumque quæ ad negotia temporalia pertinent, in eccleſia fieri omnino prohibemus. Liberum ſit tamen eaſdem per officiales ſæculares, aut alios, in egreſſu populi ad januas eccleſiarum fieri, & ita factæ publicationis, quo major fides accedat, actum per parochos, ſi negotium id exigat, concedi.

VI.

Ac ne deinceps ſub ſpecie pietatis in celebratione miſſarum ſubrepat avaritia, quibuslibet ſacerdotibus, ſive ordinis ſæcularis, ſive regularis, prohibemus, ne pro miſſis novis celebrandis, patrem & matrem, atque adeo patrinum & matrinam ſibi eligant & aſciſcant; ſed potius aurem inclinantes, populumque & domum patris ſui obliviſcentes, ſacris myſteriis & Deo toti vacent & incumbant.

VII.



ANNO CHRISTI 1624.

VII.

Amoveantur tandem (quod tantopere a ſacris canonibus cautum) omnia profana a domo Dei, clamores, ſtrepitus, colloquia, deambulationes, comeſſationes, choreæ, incompta & profana carmina, cantus impudici, theatrales actiones, & omnia ludicra: & cuncti paveant ad ſanctuarium Dei. Sed & curam habeant parochi & eccleſiarum ſuperiores, ne mendicantium turba eccleſiam circumiens, devotionem populi & officia divina perturbet: moheantque ſedulo populum parochi & concionatores, ita pauperibus in januis eccleſiarum conſiſtentibus ſuccurrat, ut ibi quieſcentes egeni, mens demum populi inter orandum integra conſervetur.

VIII.

In audiendis autem ſacris, ea modeſtia & corporis compoſitione conſiſtere fideles, quibus olim primævi Chriſtiani, viri a mulieribus ſeparati, divinis aſſiſtebant, optaremus. Sed ne quis ſacra altaria contingat & profanet, neve mulieres preſbyterorum ſedilia nimis audacter occupent, & immodeſte ſacris interſint, omnino prohibemus: ſupplicationibus autem, ſive proceſſionibus generalibus & ordinariis, antiquam populorum devotionem cura parochorum pervigilans, & concionatorum zelus reſtituat.

IX.

Quod autem in quibuſdam eccleſiis vergit ad profanationem & irreligionem, ut earumdem fornices ſivæ caveæ negotiis applicentur ſæcularibus & profanis: ne domus Dei, domus negotiationis nuncupetur, talia negotia in iiſdem amodo fiant, prohibemus: ac ne quis domum mœnia eccleſiarum pertingentem ædificet, edicimus. Arceantur etiam omnia profana negotia & ſæcularis poteſtatis placita, & actiones forenſes, ab eccleſiarum cœmeteriis, ut ſacris locis ſancte cuſtoditis, habitis, & circumcluſis, norint omnes domum Dei ſanctitudinem decere.

X.

*De ſacris reliquiis.*

Dolendum, noſtrorum temporum memoria immanitatem hæreticæ pravitatis ita ſæviiſſe, ut divina ſimul & humana conculcans, ſacras ſanctorum reliquias, miſericordiæ Dei erga ſingulas plebes teſtimonia, vel igni admoverit, vel alias disjecerit profanandas. Præcipimus igitur, omnes ſingularum urbium & diœceſum ſacras reliquias, quæ ex tanta impietatis ſævitia ſuperſunt, ſemel ab epiſcopis recognoſci, & in libro deſcriptas (qui in archivia cathedralium aſſervetur) in ſingulis eccleſiis, loco conſpicuo, bene ſepto ac decenter præparato, recondi & conſtitui: e quo, quum pro more ſolennibus diebus venerationis cauſa educi, & in altaribus collocari par erit, id cum omni honore & reverentia fieri mandamus. Caveant autem epiſcopi, inter viſitandum, ne aliquæ reliquiæ a cujuslibet perſonis eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus, ſive regularibus, exponantur, niſi prius a ſe debite ſint approbatæ. Quas vero ſi ne thecis incurioſe retineri invenient, eaſdem in thecis ſuis, arculis mundis & affabre factis contineri & aſſervari, debitoque cum honore a fidelibus haberi procurabunt, univerſis concionatoribus ea in re præcipientes, ut populum doceant, & ad religioſam reverentiam impellant.

XI.

Quod autem ad concilium relatum eſt, quoſdam ſacerdotes privilegii prætextu calices conſecrare, ſacro oleo inungentes: declaramus tales conſecrationes ad epiſcopum dumtaxat pertinere, neque id ulli epiſcopo inferiori licere. Quapropter ne deinceps a quoquam fiat diſtricte prohibemus.

*De feſtis.*

CAPUT IV.

Ita pronus ad lapſum humanus animus, ut quæ olim a ſanctis patribus in conveniendo populos in unum ſunt introducta, ea jam vice verſa populum in varios diſtrahant exceſſus. Ut igitur dies feſti contemplationi rerum cæleſtium, & illuminandis fidelium animis inſtituti, a populo ſancte cuſtodiantur, neque ullis comeſſationibus, ludis, ebrietatibus, choreis, & aliis exceſſibus profanentur, decretum ultimi provincialis innovantes, præcipimus illud ab omnibus obſervari.

I.

Cumque dierum feſtorum divina officia variis in locis omnino perturbentur, nundinationum & mercatuum cauſa, populuſque in mercaturis exercendis totus verſetur a divinis abſtractus: hinc prohibemus quæcumque emporia, mercatus & nundinationes iiſdem diebus fieri & haberi, ſed in craſtinum vel alium profeſtum diem transferri: quoſcumque magiſtratus, judices & dominos temporales, ſub interminatione divini judicii monentes, ne hujuſmodi nundinationes, & conventus complurium malorum, iiſdem diebus agitari & haberi ſinant. Sed & regem Chriſtianiſſimum rogamus & obſecramus, ut quæ tum a pietate ſua, tum a Chriſtianiſſimorum regum anteceſſorum ſuorum circumſpecta religione edicta in profanatores feſtorum & blaſphematores emanarunt, ea tandem pro gloria Chriſti, ſalutari executioni demandari curet & præcipiat.

II.

Ac ut non ſolum a populo mala amoveamus, ſed bona illi acquirenda demonſtremus: omnibus parochis noſtræ provinciæ, ut diebus feſtis vitam ſanctorum, quorum memoria in benedictione celebratur, hora commodiori ad populum de ſuggeſtu legant, & familiaribus verbis explicent, præcipimus: qua veluti ſacro animæ ferculo plebs fidelis erudita, ſanctorum vitam, & mores utiliter imitetur. Quod ſi parochi in iis obſervandis negligentes fuerint, pœnis ad arbitrium ordinarii ſui coerceantur.

III.

III.

Pias olim ſodalitates inſtitutas, in quibus multi in unum coadunati, operibus Chriſtianæ juſtitiæ vacantes, primævam Chriſtianorum communionem demonſtrabant, priſtino religionis & devotionis fervori reſtitui ſummopere peroptamus. Curent igitur epiſcopi in viſitationibus eccleſiarum parochialium, ea ab iiſdem reſecare, quæ aliena prorſus ab hoc ſancto propoſito conſpiciuntur. Hinc aboleantur omnino choreæ, comeſſationes, ebrietates, ludi, cantica profana, blaſphemiæ, contentiones, diſſidia. Sint omnia pia, modeſta, devota, & quæ redoleant animum, cujus corpus crucis mortificationem pro gloria nominis Jeſu jugiter portet. Aut ſecus interdicantur omnes illæ ſodalitates, & bona earumdem quæcumque, collegiis, ſeminariis, ſive fabricis eccleſiarum, aut aliis piis operibus applicentur. Quæcumque autem ſtatuta habere dignoſcentur, ab ordinario loci expendantur, corrigantur, & approbentur, prout in domino ſalubrius videbitur expedire: nec unquam illa inſtituantur abſque epiſcopi licentia.

IV.

Cum autem ſummæ bonitati placuerit, peculiari quodam modo, ſingulas diœceſes quorumdam ſanctorum pretioſa morte eorumque ſinceræ vitæ exemplo clareſcere: cura ſit epiſcoporum, vocatis ex ſuo clero viris piis & doctis, proprium ſanctorum ſuæ diœceſis officium conſtituere & redigere: ne videlicet aliquid fidelibus plebibus deſit ad præpoſitorum ſuorum memoriam cum fructu recolendam & percolendam.

*De ſacramentis.*

## CAPUT V.

QUoniam de plenitudine Chriſti nos omnes accipimus, & omnia chariſmatum dona, quæ cum illo nobis donavit benedictus Deus in ſæcula, in ſacramentis eccleſiæ ſumma liberalitate a Chriſto domino inſtitutis abunde nobis communicantur, & mirabiles botri cypri ex vineis Engaddi in eiſdem veluti expreſſi ſuavitates infunduntur: decernimus, omnia quæ ratione ſacramentorum, ab ultimo provinciali magna cum cura ſunt inſtituta, ab omnibus, quibus animarum cura incumbit, ad amuſſim, quod dicitur, obſervanda; & ne quid in eo peccetur, ritus quibus in ſacramentis adminiſtrandis uti par eſt, ex rituali Romano, Pauli V. Pont. Max. juſſu reſtituto, petendos eſſe & adhibendos.

I.

*De baptiſmo.*

Legantur curioſe regulæ ſeu rubricæ ritualis a ſacerdote baptizante; præcipue vero quæ de ſuſceptoribus & loco baptiſmi conferendi præponuntur: ne aliqui videlicet incaute ad id muneris aſſumantur minus idonei, neve in domibus extra neceſſitatem baptiſmus conferatur, ſed regum id & principum filiis duntaxat ſervetur. Neque parochi & concionatores omittant, formam tanti ſacramenti neceſſariam, ſæpius populum, maxime obſtetrices, docere, ut ea in neceſſitate parvulis cum debita materia adhibita, ipſi in Dei filios vere adoptentur.

II.

*De confirmatione.*

Ne ſacramentum confirmationis, ad augendam Spiritus ſancti gratiam, & in ea confirmandos fideles, ullatenus negligatur: cura ſit parochorum & concionatorum, vim & efficaciam illius populo proponere & explicare, parenteſque & familiarum præcipuos viros & mulieres monere, ut ſtatis diebus filios, famulos, & quaſcumque perſonas ſibi ſubditas, ad eccleſiam deducant ſacro chriſmate inungendas. In pagis vero & vicis dum viſitant epiſcopi, tantum ſacramentum nullus omittat, eaque ratione moneantur fideles nondum confirmati de iis omnibus quæ ad illud digne ſuſcipiendum paranda ſunt: ac præcipue curent ut adulti, vel antea de peccatis confiteantur, vel compuncto animo ſacramentum recipientes, quamprimum ad pœnitentiam accedant; ne quid ſcilicet præpoſtere, inordinate, & ſine fructu fiat.

III.

*De euchariſtia.*

Sæpiſſime fideles ad ſacratiſſimæ euchariſtiæ ſumptionem cum omni devotione & compunctis cordibus accedere peroptamus. Sed ne omittant tempore paſchatis id in propria parochiali præſtare; ſacris canonibus inſiſtentes, ſtatuimus, eo tempore omnes Chriſti fideles, tum ad confeſſionem peccatorum, proprio parocho, aut alii de ejus licentia faciendam, tum ad ſacram euchariſtiam in eadem eccleſia percipiendam teneri & obligari, nulloſque alias præcepto eccleſiæ ſatisfeciſſe, ac proinde in eos, ni reſipiſcant, ab ordinario cenſuris agendum eſſe declaramus. Si qui autem alio ſe transferre pro devotione, aut alia quavis ratione maluerint, accepta prius a parocho licentia, quæ facile concedatur, aut ab ordinario, in domino eccleſiæ ſanctæ obediant, debitam demum atteſtationem proprio parocho, ut ſatisfecerint, exhibituri. Secus, eo modo in eos agatur quo in eos qui nullo modo officio ſuo ſatisfecere. Ac ne quis ignorantia intellectum obducens, nolit intelligere ut bene agat: omnibus parochis & verbi Dei concionatoribus præcipimus, ut initio temporum ſacræ quadrageſimæ, frequenti populo ſæpius hanc confitendi & communicandi obligationem proponant & inculcent vehementer, eoque fine caput, *omnis utriuſque ſexus*, rituali Romano ex condicto eccleſiæ inſertum legant palam & publicent. Qui vero ad confeſſiones audiendas, ſive ſæculares, ſive regulares, in quibuslibet eccleſiis approbati fuerint, idem pœnitentibus conſulere teneantur: aut ſecus ipſi, vel quicumque alii quid contra prædicare, docere, aut conſulere auſi fuerint, ab ordinariis ſuſpendantur ab officio, & interdicantur: ſciantque, nullo modo in noſtra provincia deinceps ad quamcumque functionem admittendos eſſe.

IV.



IV.

Ut autem quantum fieri poteſt debitus honos tanto ſacramento a cunctis fidelibus, dum ad ægrotos defertur ſacro illo viatico muniendos, exhibeatur: moneantur ſæpe fideles, ut pro caritate & pio in Deum affectu ſacramentum auguſtiſſimum comitentur, cernui adorent, auxilium & munimen infirmo implorent, ac demum in eccleſiam uſque religioſe Chriſto famulaturi pergant. Sed curent etiam parochi, ut qui in infirmorum domibus degunt, antequam pignus redemptionis noſtræ eo deferatur, cum cereis accenſis præcedant illud & ſubſequantur. Si qui autem ægroti regularibus confeſſi fuerint, id parocho confeſſarius, vel verbo vel ſcripto ſignificet, quo deinceps ſecurius idem parochus neceſſaria ſacramenta infirmis ſubminiſtrare poſſit.

V.

Sed in omnibus parochiis piam fidelium ſodalitatem, qua ſalutari veluti modo quampluriml ad ſanctiſſimum ſacramentum comitandum impellantur, inſtituere, utile, ſanctum, & fructuoſum. Quapropter ſoliciti ſint in hoc epiſcopi, curentque, ut per parochos & concionatores propoſita conceſſæ indulgentiæ gratia, fideles ad id ſalubriter alliciantur: cætera quæ ab ultimo provinciali præſcripta, & quæ rituali Romano præfixa, rite obſervari decernentes.

VI.

*De pœnitentia.*

De pœnitentia ſervetur decretum ultimi provincialis. Ac præterea cum ad nos relatum ſit, plures ſacerdotes ſæculares & regulares, indulta ſæpe obtinere, ut confeſſiones audiant, & hæreſi, irregularitatibus, & aliis caſibus ſanctæ ſedi reſervatis, abſolvant; eaque poteſtate utantur ſine licentia ordinariorum, ac etiam non deeſſe, qui eo ſolo nomine quod ſint parochi eccleſiarum primitivi, præpoſiti etiam cathedralium, aut collegiatarum, ſacramenta adminiſtrare præſumunt: prohibemus, ne quis virtute cujuslibet indulti, (exceptis indultis pœnitentiariæ ſecretis) aut cujuſvis tituli primitivi parochi, præpoſiti, aut alterius qualitatis prætextu, quælibet ſacramenta adminiſtrare poſſit, abſque prævia approbatione ordinarii, & licentia obtenta: ſecus, contravenientes omnes interdicto feriantur.

VII.

Ac ne quis defectu poteſtatis ſacramentis abutatur, & impune ferat, conſtitutionem felicis recordationis Gregorii XV. quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia*, in concilio publice lectam, & receptam ubique locorum noſtræ provinciæ, publicari, recipi, obſervari, & ſecundum eam a nobis & coepiſcopis comprovincialibus, officialibus, judicibuſque eccleſiaſticis judicari decernimus.

VIII.

Moneant parochi & concionatores frequenter fideles, ut pro percipiendo ſalutari pœnitentiæ fructu ad eam cum humilitate animi & corporis demiſſione accedant. Ideoque quoſvis nobiles & milites armis præcinctos accedentes, niſi depoſitis armis, non admittant: mulieres autem vano cultu ornatas, fucatas, ac pulvere pigmentario conſperſas, graviter reprehendant, & ut pœnitentis Magdalenæ veſtigia legant, & fracto veluti alabaſtro caput Chriſti in pauperibus, & pedes odoribus vitæ æternæ perfundant, & velo capita ex apoſtoli præcepto obumbrent, præcipue hortentur.

IX.

Cumque experientia ſit compertum plures egenos in eccleſiarum januis ad emendicandam ſtipem conſiſtentes, nec ad ſacramentum pœnitentiæ, nec ad ſacram communionem unquam accedere: cura ſit epiſcoporum, eos circa feſtum paſchatis cogere, & animas pauperum participatione ſacramentorum ſalvas facere.

X.

Utque pœnitentibus debita ſolatia, & neceſſaria adhibeantur fomenta, in omnibus eccleſiis cathedralibus, primo a publicatione concilii ſaltem trimeſtri, pœnitentiarius ſacerdos quacumque ratione conſtituatur & deputetur; provideatque epiſcopus ne tam ſalutare animabus remedium in eccleſia ſua diutius deſideretur. Conſtitutus autem pœnitentiarius, ſtatis horis in iiſdem eccleſiis, in tribunali ſuo loco aperto & patenti conſtituto & erecto, reperiatur, qui dum confeſſionibus audiendis operam ſuam collocat, ſi tamen ex canonicis ſit electus, præſens in choro cenſeatur.

XI.

Sed etiam edicimus ut quarumcumque eccleſiarum locis patentibus, non in capellis aut angulis, confeſſionalia collocentur: nunquam vero in ſacriſtiis, laicorum confeſſiones audiantur. Provideat etiam epiſcopus, eccleſiarum habita ratione, ne audiendarum confeſſionum tempora in noctem protrahant confeſſarii, neve ante auroram præveniant.

XII.

*De extrema unctione.*

Neque omittatur extremæ unctionis ſacramentum, ad præſcriptum ultimi provincialis & ritualis Romani, tempore opportuno ægrotis conferri: invigilentque præcipue rectores, ut propoſito ſacramenti fructu illud ſummopere exoptent infirmi.

*De ordine.*

## CAPUT VI.

QUANTA ſit in eligendis eccleſiæ Dei ſacerdotibus & miniſtris adhibenda cura & ſollicitudo, cum ex optima gubernandæ domus ra-

ratione dignoſcitur, cujus ſi fundamentum nutet, totum ædificium ruat neceſſe eſt; tum ex apoſtoli verbis eas virtutes clero attribuentis, quæ ad angelicam pene accedunt puritatem, facile comprobatur. Et quidem ſi onus angelicis humeris formidandum plane diſcutiatur, ſacerdotem Dei ex millibus ſeligendum eſſe comperiemus. Unde nos, quorum opus, opus Dei promovere, & eccleſiæ providere, tales ſacerdotes a nobis ſeligendos eſſe judicamus, qui tumentem plagam peccatorum circumligare noſcentes, & oleo fovere miſericordiæ, nocentibus animabus ſuccurrere poſſint, & e vinea domini revulſis ſpinis ſolliciti agricolæ fructus referre in tempore ſuo. Præter ea igitur ab ultimo provinciali ex ſacris canonibus & decretis ſancita, quæ, ut alia omnia ſervari exacte mandamus: hæc ex iiſdem aſſumentes, omni virtutum genere ſplendeſcere clerum peroptantes, decernimus.

## I.

Ac ut ab initiis exordientes, quaſcumque prius perſonas ineptas, & a ſacris alienas ſecludamus, hinc ad ſingulos gradus progreſſuri, declaramus: imprimis, quoſcumque chriſmatis ſacramento non confirmatos, rudes & ignaros, criminoſos, ſolenniter pœnitentes, neophytos, ebrietati & gulæ deditos, impudicos, lapſos poſt ordinem ſuſceptum, perjuros, uſurarios manifeſtos, infames, ratiociniis obligatos, ſervos, corpore vitiatos, inſigniter deformes, illegitime natos, peregrinos & ignotos, bigamos, irregulares, quovis modo ſuſpenſos, interdictos, excommunicatos, amentes, morbo caduco laborantes, energumenos; ab ordinationibus clerici longe arcendos, ſalva tamen epiſcoporum poteſtate in caſibus a jure permiſſis diſpenſandi.

## II.

In nulla re profecto magis elaborant hujus ſæculi homines, quam ut filii præcipue deformes, & ad negotia ſæcularia inepti, in ſortem domini aſſumantur, ad beneficia certe non ad officia eccleſiaſtica quacumque ratione, cum eos non vocet dominus, promovendi; unde omni capite languido, & omni corde mœrenti, cætera membra rigent eccleſiæ Dei. Ut igitur vocatio votis reſpondeat, probata prius & ex petitione parochorum confirmata neceſſitate eccleſiæ, & utilitate: quicumque ad primam tonſuram eligi petunt, ejus ſint ætatis, in qua quid agant, & quam viam ſibi aperiant, plene dignoſcere poſſint, oportet. Cumque ea ſit quæ circa duodecimum annum verſatur, ſtatuimus nullum deinceps ad primam tonſuram admitti debere, quin duodecimum ſuæ ætatis annum attigerit: de qua, ac etiam de vita, moribus, converſatione, rudimentis fidei ſtudioſe memoriæ commiſſis, legitimis parentibus, propenſione denique ad vitam eccleſiaſticam, debitam a parocho & præceptoribus ſcholæ atteſtationem afferre teneatur; & ne levitate ductus funes ſibi putet caſuros in præclaris, ejus animum tentari. Ideoque certæ cuidam eccleſiæ adſcribi, ut in ea, diebus dominicis & feſtis ſolennibus ſaltem, habitum clericalem geſtet, & ſacerdotibus miniſtret, præcipimus. De quibus cum ab eodem atteſtatio relata fuerit ordinationum tempore, ad tonſuram demum, ſi alias idoneus repertus fuerit, promoveri poſſit. Ita vero promotus, certæ ſtatim eccleſiæ inſerviturus ab epiſcopo ordinante addicatur; geſtet quotidie habitum clericalem, ſacerdotibus pareat ad nutum, obedientiam præſtet, humilitatem præ ſe ferat, & ritus eccleſiaſticos diſcat. Sin vero habitum clericalem ponat, eccleſiæ deſignatæ non inſerviat, & frequenter in ea ſacramenta non ſumat: privilegiis clericatus ſui privari, ac de cætero inhabilem, tum ad beneficia eccleſiaſtica, tum ad ordines ſuſcipiendos, cenſemus.

### *Ad minores.*

## III.

Prudenter admodum & divinitus factum, ut per tot gradus ad ſacerdotium aſcenderent eccleſiæ miniſtri; in quibus ſi punctuatim ſervatis temporum interſtitiis conſiſterent promoti, exercitiis ordinum proxime ſuſceptorum ſedulo vacantes: angelicæ profecto vitæ viros eccleſiaſticos haberemus. Ad minores igitur promoveri cupientes, præter notitiam linguæ Latinæ, quam ſaltem callere debent, ac teſtimonium a parocho & magiſtro ſcholæ, de vita, moribus & converſatione, hæc etiam præſtitiſſe fidem faciant: ſcilicet in tradenda doctrina Chriſtiana in eccleſiis quibus adſcripti fuerunt, parochos juviſſe, habitum clericalem geſtaſſe, eccleſiæ animo inſerviſſe, nitori & purgationi earumdem vacaſſe, altaria concinnaſſe, obedientiam & humilitatem exhibuiſſe, frequenter ad communionem corporis domini pie acceſſiſſe. Ac ut non ficte, ſed vere animus formetur eccleſiaſticus, & quam bonum ſit homini portare jugum ab adoleſcentia, cognoſcatur: optaremus ſane ab uno ad alium minorem ordinem interſtitia a ſacris canonibus præſcripta ſervari, & quemlibet functiones proprii ordinis anno interſtitiorum labente exercere, ne vanæ & otioſæ in eccleſia Dei hujuſmodi functiones ab hæreticis traducerentur. Sed id reverendiſſimorum epiſcoporum judicio, qui pro prudentia & paſtorali ſua ſollicitudine, reique, & perſonarum exigentia, iis viis incendere norunt, quibus eccleſiis ſuis optime conſulatur, ſervari volumus.

## IV.

### *De ſubdiaconatu.*

Circa eos qui ad majores ordines erunt aſſumendi, cum ſemel arctam viam ingreſſi ab ea minime reſilire poſſint, omniſque pœnitentia ſera ſit eis & inutilis: eſt cur major cautio in iis deligendis adhibeatur. Qui minorum igitur officiis rite functi, ad ſubdiaconatum promoveri anhelant: hæc prius apud ſe attente circumſpiciant, ſcrutenturque ſemetipſos, maxime conducit. Sint enim probis & legitimis parentibus orti, titulo ſufficienti ad vitam honeſte ſuſtentandam, vel eccleſiaſtico vel patrimonii, valoris, habita ratione annonæ noſtræ provinciæ, centum viginti librarum argenti ad minus annui reditus, muniti: ſint continentes, puri, caſti, a converſatione mulierum omnino alieni, ſobrii, in lectione interpretum ſacrorum evangeliorum verſati, norintque ſufficienter pſallere: ſtudiis vacaverint, pietati, orationi, ſervaverintque interſtitia a ſuſceptione minorum ordinum oportet, niſi pro officio eccleſiæ impendendo aliter epiſcopo videatur. Nec id ſatis. Cum enim non pauci quæ ſua ſunt, potius quam quæ Jeſu Chriſti quærentes, fictis atteſtationibus & ementito titulo, fæces poſtea eccleſiæ & onus accedant: ne quid in iiſdem promovendis latentis vitii fuco & mendacio contegatur, edicto publico denuntiationes in ipſis miſſarum ſolenniis eccleſiæ parochialis ex qua orti fuerint, vel in qua diutius converſati, morum qualitates patefecerint, fieri præcipimus: quibus denunciationibus palam fiat omnibus ejuſdem loci parochianis, quinam ex eadem parochia ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem brevi ſunt promovendi; ac proinde quibuſcumque præcipiatur ſub excommunicationis pœna, ut de promovendorum legitimis parentibus, ætate, vita, religione, pietate, converſatione, continentia, ſobrietate, abſtinentia, perſeverantia, propenſione ad vitam eccleſiaſticam, cæteriſque virtutibus, valore denique tituli ſufficientis ad vitam, ſive eccleſiaſtici, ſive patrimonii, ad ſummam centum viginti librarum argenti ad minus aſcendentis, aut e contra, gloriam Deo dantes, veritatem proferant & revelent, edicimus. De quibus omnibus parochus fideliter inquirat, teſteſque ipſemet ſibi eligat audiendos, pulſis eis & reprobatis qui a promovendo producti, veritatem minus forſan referrent. Quæ omnia ſi fideliter relata plene promovendis ſuffragentur, examini tamen ſubjecti, capaces, idonei utileſque eccleſiæ, judicentur. Et ne quid adhuc temere ſuſcipiatur, ſed deducat eos ſpiritus domini per ſemitas juſtitiæ, exercitiis ſpiritualibus octo dierum vacare, generali peccatorum confeſſione animam perpurgare eoſdem exhortamur & monemus: & ſic demum ſperantes ſe, Deo auctore, continere poſſe, temporibus ſacræ ordinationis, ad ordinem promoveri peroptamus: alias, vel ſi in uno deficiant, pati repulſam. Promotos autem certæ ſtatim eccleſiæ, officiis ſubdiaconatus ordinis functuros, & alia officia eccleſiaſtica præſtituros, adſcribi & addici, in qua ſingulis dominicis & feſtis diebus ſolennibus corpori & ſanguini D. Jeſu communicent, jubemus. Quod ſi quis relicto loco ad alias eccleſias circumcurſare reperiatur, & officia injuncta minus exequi, interdicti pœna feriatur, & ad ſubſequentes ordines non aſcendat. Ut autem certa habeatur ratio tituli, ad quem ordinati fuerint ſubdiaconi, nullaque fraus intercedat, literas ejuſdem tituli, ſive eccleſiaſtici pacifice poſſeſſi, ſive patrimonii ſufficientis, coram officialibus, ſeu judicibus eccleſiaſticis ordinariorum, aut etiam eorum ſecretariis, exhiberi, examinari, debiteque probari, & regeſto curiæ eccleſiaſticæ, ſive cancellariæ eorumdem ordinariorum inſeri, & hujuſmodi exhibitionis, examinationis, probationis & receptionis, actum in dorſo literarum præfati tituli deſcribi, apponi, & officiales, judices eccleſiaſticos, ſeu ſecretarios, ſubſcribi, ſigilloque ordinarii muniri præcipimus; aut ſecus, omnes promovendos ad ſubdiaconatum, decernimus repellendos, ni ſtatim epiſcopus ordinans, beneficium eiſdem conferre ſit paratus. Regulares autem quicumque, ſine literis ſuperiorum ſuorum, quibus conſtet eos vota religionis emiſiſſe, non ordinentur. Promoti vero, ſi quando ab hujuſmodi ſuperioribus pro criminis exigentia puniri conveniat, & urgeat neceſſitas: ne poſſint tamen habitu religionis privari, itaut extra monaſteria in contemptum eccleſiæ dejiciantur mendicaturi, ſed intra eorumdem monaſteriorum ſepta detineri, puniri, & ſuſtentari: & ad id prædicti ſuperiores per ordinarios compellantur.

## V.

### *De diaconis.*

Quo propius accedunt miniſtri eccleſiæ ad tremenda myſteria pertractanda, eo ferventius muneribus ſuis defungi oportet eos qui a ſacro gradu ſubdiaconi ad onus diaconi cupiunt pertranſire. An igitur caſte, continenter, modeſte annum a promotione ad ſubdiaconatum exegerint, progreſſus cum in literis tum in pietate fecerint, præcipue vero ſacra pœnitentia ſordes animæ ſæpius eluerint, ad ſacram communionem acceſſerint, in docenda doctrina Chriſtiana parochos juverint, inquiri præcipimus. Ideoque de iis omnibus denunciationes, ita ac de promovendis ad ſubdiaconatum, fieri in eccleſia decernimus. De quibus cum teſtimonia valida, & a parocho & a præceptoribus ſcholæ excepta, relata fuerint, promovendi ipſi examinati, capaces, idonei reperti, virtutibus & ſcientia, conſurgentes promoveantur: & promoti, eccleſiæ certæ addicantur, ad aliam pro libito non tranſituri, ſed ejuſdem eccleſiæ officiis divinis vacent, miniſtrent, communicent diebus dominicis & feſtis ſolennibus, munia diaconi & vitæ eccleſiaſticæ puritatem ſemper præ ſe ferentes, & in cunctis, parochis, & eccleſiarum ſuperioribus, circa ſibi injuncta munia, obedientes.

## VI.

### *De preſbyteris.*

Quia vero preſbyter, ex nomine ipſo, iis virtutibus ornatus incedere debet, quibus prælucentibus populus fidelis puris moribus incaneſcere, & vivificatus ſpiritu, caritate incaleſcere videatur: ſumma diligentia uti decet, quo deligendus ſacerdos totus Deo conſecretur. Itaque diaconi exercitationibus rite peractis, renovari in eccleſia denunciationes ſuper vita, moribus, caſtitate, continentia, ſobrietate, converſatione, ſtudio, aptitudine ad ſacra, caritate, animi moderatione, humilitate & obedientia promovendi, præcipimus. De quibus allata & probata parochorum & præceptorum ſcholæ teſtificatione, examini ſubjectus periculum faciat; & experientia ſe tales progreſſus in ſcientia ſanctorum, & conſcientiarum pie & ſalubriter dirigendarum feciſſe commonſtret, quales ad populum docendum ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, & ſacramenta adminiſtranda, ſufficiant. Ac ut ſubſequens zelus priori reſpondeat, exuatque promovendus veterem hominem cum actibus ſuis, in anteriora ſe extendens, ſintque illi oculi ante & retro ad munia ſacerdotis debite peragenda: admiſſus vacet exercitiis ſpiritualibus octo dierum, conſcientiam diſcutiat, & mundatam impleri ſuperna poſtulet gratia, enixe monemus: quo tandem promotus, ita pietate ac caſtis moribus conſpicuus, bonorum morum forma, evadens, ad optima quæque motu ſuo populum impellat: neque ei qui ad titulum patrimonii promotus fuerit, liceat pro voluntate ad diverſas

ſas eccleſias divertere, ſed certa & ſtata eidem attribuatur, ſeu indicetur, in ea officiis vacaturo divinis, & ſingulis dominicis & diebus feſtis ſolennibus ſaltem celebraturo: ſecus, ad beneficia eccleſiſtica obtinenda pro occaſione nunquam aſſumendus. Qui vero ad titulum beneficii promotus exiſtit, ſuæ eccleſiæ penſum reddere debitis juris remediis compellatur. Aut ſi beneficio reſidentiam præſtare nulla cum ratio obligat, nec reſidere velit, alii eccleſiæ ab ordinario ſuo ſit adſcriptus, cui ut alii ſacerdotes, intereſſe, & in ea ſacra facere perſeveret.

VII.

Quoniam autem ea quæ ſuperius pro ordinibus recte ſuſcipiendis ſancita ſunt, ſine ſtato & certo ordine fieri nequeunt: ſacris canonibus inſiſtentes, ſtatuimus, omnes ad majores ordines promovendos, per menſem, ante ſacrarum ordinationum tempora, in urbem ab ordinario edicto publico, ad valvas eccleſiæ fixo, & per parochos urbis publicando, vocandos eſſe; ut de qualitatibus requiſitis denuntiationes in eccleſia, & inquiſitiones, ac atteſtationes per parochos locorum fieri ad ſe quamprimum tranſmittendas, decernat, poſſitque interim animum promovendorum ita ſcrutari, eoſque hortari & monere, exercitiis ſpiritualibus, & animæ generali confeſſione perpurgandæ incumbant: ut nemini cito manum impoſuiſſe cenſeatur. Monere autem populum fidelem tempore ordinationis ſacræ, omnipotenti Deo ſupplicet, ut epiſcoporum mentes ſpiritus ſui afflatu illuminet, & ad eccleſiæ miniſtros digne ſeligendos, & rite promovendos impellat, cura ſit penes parochos eccleſiarum & concionatores.

VIII.

Quod autem ordinatis in ipſa eorum ordinatione multum proderit, & meminiſſe juvabit, ſe quaſi intra cæleſtes choros fuiſſe conſtitutos, ut hinc ad eam aſpirent puritatem, quæ a miniſtris eccleſiæ Dei expectatur: præcipimus, ordinationes ſacras, in eccleſia cathedrali, idque ad majus altare, vocatis præſentibuſque ad id eccleſiæ canonicis, publice celebrandas eſſe. Si vero alio in loco eaſdem celebrari contigerit, id ſemper in digniori eccleſia, & præſente clero illius loci fieri mandamus.

*De dimiſſoriis literis.*

IX.

Graviter officiunt rectæ miniſtrorum eccleſiæ ordinationi, facultates de promovendo a quocumque. Quare, ut probe norit epiſcopus ſubditorum ſuorum mores, per ſemetipſum ordines conferre teneatur, niſi ægritudine, aut alia juſta cauſa impediatur: qua ſubſiſtente, ſubditos ſuos aliter quam jam probatos, examinatos, & de quorum probitate, moribus & converſatione per denuntiationes in eccleſia factas ſibi conſtet, ad aliam viciniorem, ſeu alios certos, non ad quemcumque, dimittat, cauſam in literis exprimendo, cur a ſe non potuerint ordinari; neque ad plures ordines ſacros ſuſcipiendos, ſed ad unum dumtaxat: quo ſuſcepto vel temporibus ordinationum a

A a die facultatis conceſſæ proxime ſequentibus lapſis, qualcumque facultatis literas nullas eſſe, & omni virtute carere declaramus.

X.

Quia vero quamplurimi, ob incapacitatem & pravam vitam ab ordinariis ſuis repulſam paſſi, facultates de promovendo a quocumque obtinentes, ſeu habere prætendentes, ſine commendatione & licentia ordinariorum ſuorum, contra ſacros canones ſæpiſſime promoventur: nullus deinceps a quoquam epiſcopo, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus B promoveatur, niſi ejus probitas ac mores, ordinarii ſui teſtimonio commendentur: ſi ſecus fiat, ordinans, a collatione ordinum, per annum juxta ſacri concilii Tridentini decretum, & ordinatus a ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

XI.

Cumque honeſtius ac tutius ſit ſubjecto, debitam præpoſitis obedientiam impendendo, inferiori miniſterio deſervire, quam cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem: ei cujus aſcenſus ad ſacros ordines C a ſuo prælato, ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen quomodo libet extra judicialiter fuerit interdictus, aut qui a ſuis ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores ordines, grados & dignitates, ſive honores, reſtitutio ſuffragetur.

XII.

Sed neque liceat capitulis eccleſiarum, aut aliis quibuſcumque in juriſdictione epiſcopi, loco capituli, ſede vacante ſuccedentibus, inD fra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui beneficii eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere: ſi ſecus fiat, capitulum contraveniens eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: alii autem loco capituli exiſtentes ab officio & beneficio per annum ſint ipſo jure ſuſpenſi: ſic ordinati vero ſi in minoribus conſtituti fuerint, nullo privilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant; in majoribus vero ab executione ordinum ad beneplacitum futuri prælati, ſint ipſo jure ſuſpenſi. AbE bates etiam & alii exempti, aut collegia vel capitula quæcumque etiam cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere non poſſint: ſed horum omnium ordinario ſervatis omnibus a ſacro Tridentino decretis ad epiſcopos, intra quorum fines exiſtunt, pertineat; non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Unde ſuperioribus monaſteriorum, in quibus religioſi fixam & firmam commorandi ſedem habent, prohibemus ne literas dimiſſorias religioſis ſuis, ut a quocumque ordinentur, con-





concedant, ſed a ſuo pontifice aut ab alio de ejus licentia ordinandos eſſe dumtaxat decernimus: eos vero qui pro inſtituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum literis provincialium ſuorum de voto religionis emiſſo fidem facientibus ab ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus: ab aliis numquam niſi atteſtatione præhabita, a pontifice loci ſeu vicario generali obtenta, qua cur apud ſe nequiverint ordinari, perhibeatur. Omnes autem literas ordinis proxime ſuſcepti ordinanti epiſcopo exhibere, aut alias de eodem ſuſcepto fidem facere teneantur.

*De matrimonio.*

CAPUT VII.

CUm ſacramenti matrimonii canonice contrahendi ratio a ſacris canonibus & patrum decretis tradita plene & ſancita reperiatur; neque tamen in ea ubique locorum provinciæ noſtræ, magna cum animarum ſtrage, omnino obſervetur: turbantibus filiis Belial, ſpiritu carnis ſuæ inflatis, qui eo temeritatis devenere, ut ſpretis quibuslibet ſententiis & cenſuris eccleſiaſticis, quod ab hæreſi & impietate haud longe abſcedit, in perpetuo concubinatu vitam tranſigant: placuit nobis eadem quæ a ſanctis canonibus & ſacrorum conciliorum decretis de hac re ſunt conſtituta, innovare, ac inſuper ea decernere, quæ ad eorum exactam obſervationem plurimum roboris habere dignoſcuntur.

I.

Periclitatur admodum fides contrahentium, ſi unus conjugum hæreſi infectus & pertinaciter in ea perſeverans: alter, non ſine peccato & irreverentia ſanctæ matris eccleſiæ, cogatur jugum trahere ærumnoſum. Nam (quod ait apoſtolus) quæ ſocietas luci ad tenebras? Cumque eo modo longe lateque ſerpat & propagetur hæreticæ pravitatis ſoboles, fideleſque a recta liberorum educatione avertantur, totieſque reclamat ſcriptura ſacra, ne cum alienigenis jugum ducant, & experientia ſit compertum, ut olim Iſraelitas a veri Dei cultu, ſic etiam ex catholicis non paucos talibus matrimoniis a fide orthodoxa defeciſſe: nos attenta mente perpendentes verba in concilio Agathenſi quondam prolata, non oportere cum hominibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios vel filias eis dare, ſed potius accipere, ſi tamen ſe profiteantur Chriſtianos eſſe futuros & catholicos: taliaque matrimonia patres ultimi concilii provincialis Burdigalenſis abhorruiſſe, & parentes ſaluti filiorum minus conſulentes; ne eoſdem ad hæc inducerent contrahenda, monuiſſe: ea pro temporum ratione decernenda ſuſcepimus, quæ tanto malo utcumque ſuccurrere queunt. Prohibemus igitur quibuſcumque ſacerdotibus, ſive ſint ordinis ſæcularis, ſive regularis, ne quoſcumque quomodolibet ad ſacramentum matrimonii admittant, quorum alter hæreſim profiteri comprobatur; ſed ambo, ſanctæ Romanæ eccleſiæ fidem profitentes volumus eſſe, & ejuſdem aſſertores, quique Deo adhærentes, ad prolem in timore domini educandam magni ſacramenti beneficio unus ſpiritus effici poſſint. Alioqui præfatos omnes ſacerdotes quoſcum-

A que, ſæculares, vel regulares, beneficia obtinentes, ſuſpenſos eſſe ipſo facto, tam a ſuis ordinibus quam beneficiis, declaramus; eaque ratione hujuſmodi beneficiorum fructus fabricæ eccleſiarum eorumdem per ordinarium applicandos & addicendos, decernimus: non beneficiatos autem ſæculares vel regulares, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis in contrarium allatis, ipſo facto ab ordinum ſuorum functionibus tandiu ſuſpenſos eſſe quoad ordinariis ipſis ſalubriter in domino videbitur expedire.

II.

B Quaſi peccatum ariolandi, non obedire, proclamat ſcriptura. Unde nos non ſatis ponderari poſſe cenſemus, quorumdam hominum temeritatem & inobedientiam, qui libertate ſenſus carnis ſuæ ducti, poſtpoſita etiam perſæpe parentum voluntate, coram vagis & ignotis ſacerdotibus cujuslibet ordinis matrimonia audent clandeſtine contrahere; ac quod menſuram implet ſceleris, ſpretis quibuſcumque eccleſiæ matris monitionibus & cenſuris, in iiſdem matrimoniis ſic contractis, hoc eſt in continuo concubinatu, vitam degere perſeverant. Præcipimus igitur omnibus parochis, & verbi Dei concionatoribus noſtræ provinciæ, ſæpe inter concionandum populum doceant, quam grave C peccatum committant, qui clandeſtine contrahunt: eumque moneant & commoveant frequenter, matrimonia ita contracta, ab eccleſia damnata eſſe penitus, & nulla, meritoque aliquando adulteria, ſæpiſſime concubinatus nominari poſſe: denique arguant, obſecrent, importune, opportune, in omni patientia & doctrina, interminationemque divini judicii oſtendant, quo tanti ſceleris gravitate concepta, ab hujuſmodi matrimoniis fideles tandem abhorreſcant. Et ne lenitate pœnæ ſcelus intumeſcat, quicumque deinceps ſacerdos ſæcularis, aut regularis beneficiarius, tabulis matrimoniis clandeſtinis interfuiſſe convincetur, privationis omnium & quorumcumque beneficiorum obtentoD rum, & inhabilitatis ad alia obtinenda, pœnas ipſo facto incurrat. Non promotus autem ad beneficia, ſive ſit ſæcularis, ſive regularis, nunquam in quibuſcumque provinciæ noſtræ diœceſibus ordinum ſuorum officiis fungi poſſit, donec pœnitentia exacte peracta, judicio ordinarii ſui priſtinis ordinum ſuorum functionibus reſtituatur.

III.

Sed ut omnis matrimoniis clandeſtine contrahendis occludatur aditus: cum ad nos & concilium relatum ſit, in quibuſdam eccleſiis reliE gioſorum ſancti Joannis Jeroſolymitani hanc conſuetudinem, ſeu potius corruptelam vigere, cujus prætextu, quodam veluti privilegio, dictarum eccleſiarum ſacerdotes freti, quaslibet perſonas undequaque ad ſe accedentes, nullis etiam præhabitis matrimonii denuntiationibus, & abſque ſive ordinarii, ſive proprii parochi licentia, admittant: omnibus vicariis perpetuis aliiſque ſacerdotibus ad divina officia & ſacramenta adminiſtranda in hujuſmodi eccleſiis autoritate ordinarii inſtitutis & approbatis, aut aliis quibuſcumque cujuslibet ordinis ſæcularis aut regularis, ibidem introductis,

ANNO CHRISTI 1624.

vel libere ad id ſe quomodolibet introducentibus, vel denique cæteris omnibus eccleſias, ſacella, oratoria ad hæc matrimonia celebranda concedentibus, ſub iiſdem pœnis, privationis omnium beneficiorum obtentorum, & inhabilitatis ad alia, & ſuſpenſionis ab officio, ipſo facto incurrendis, prohibemus ne in iiſdem eccleſiis, præter eas perſonas quæ ſunt ſuæ parochiæ, quaslibet alias, cujuſvis ſint dignitatis & conditionis, abſque licentia proprii parochi, aut ordinarii, in ſcriptis conceſſa, ad ſacramentum matrimonii contrahendum in poſterum admittant: non beneficiatos autem, cujuſvis ſint ordinis, tandiu manere ſuſpenſos decernimus, quamdiu ipſorum ſic contrahentium ordinario conducere videbitur: neque ullo ſe privilegii aut conſuetudinis prætextu, quo minus, etiam remota omni appellatione, canonice plectantur, tutos eſſe putent. Quod decretum ad capellas, ſacella, monaſteria & oratoria intra cujuslibet parochiæ fines conſtituta, extendi debere declaramus: in quibus capellis, ſacellis, monaſteriis & oratoriis, matrimonia contrahi & benedici, abſque ſpeciali ordinarii mandato, inhibemus: alias prædictas capellas, ſacella, monaſteria & oratoria, interdicto ſubjicienda mandamus.

I V.

Ita matrimonii ſacramento debite conſtituendo neceſſarius eſt contrahentium expreſſus conſenſus, ut abſque eo, nullo pacto conſiſtere queat. Quare ut libertati contrahentium conſulatur, neque poſthac tales perſonæ, per vim & metum matrimonio jungantur, quæ ab invicem abhorrentes, ſpinoſam, morum contrarietate, vitam ducere compellantur: hæc ex ſacris canonibus & decretis decernimus, inter raptorem & raptam quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati: &, ſi clerici fuerint, de proprio decidant gradu. Quia vero ita plerumque temporalium dominorum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres ſub eorum jurisdictione degentes minis & pœnis adigant, cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipſi domini illis præſcripſerint: cum maxime nefarium ſit matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias naſci, a quibus protectio expectatur: præcipimus omnibus cujuſcumque gradus dignitatis & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo, directe vel indirecte, ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant: omnibus vero parochis, cæteriſque ſacerdotibus quibuſcumque, ad ſacramenta adminiſtranda aſcitis, ſive ſæcularibus, ſive regularibus, interdicimus ne reclamantibus parentibus filios & filias familias ad ſacramentum matrimonii contrahendum admittant; ſed prius ipſi parochi & ſacerdotes hujuſmodi antequam ultra procedant, ordinarium ſuum conſulere, & ab eo definita ſervare, præcipimus. Nec ipſos parentes verborum apoſtoli immemores eſſe volumus, quibus patres hortatur ne ad iracundiam provocent filios ſuos: ſed eos potius ea prudentia & lenitate pertractent, quibus ingenui homines liberum exerant, & plenum eliciant conſenſum. Ut autem omnis occaſio minuendæ contrahentium libertatis prorſus abſcindatur, omnes & quoſcumque poteſtatis ſæcularis judices exhortamur in domino, vehementerque monemus, ne pro punitione criminum juſtitiæ reddendæ incumbentes, libertatem hujuſmodi hominum a ſe aliquoties opportune detentorum, in contrahendo matrimonio, ullo pacto imminuant; ſed eam ut omnino ad ſacramentum matrimonii neceſſariam conſiderantes, ſervent illis & cuſtodiant integram & illibatam, ac quam ſit juſtum quæ ſunt Dei, Deo, & eccleſiæ ſanctæ matri reddere dignoſcentes, quaſcumque lites & diſſidia ad cauſas matrimoniales mere pertinentia, etiamſi alias litigantes in delicto flagranti interceptos pœna maneat, ea quamprimum ad judices eccleſiaſticos remittant dijudicanda, donec re ab eccleſia canonice diſcuſſa & deciſa, quæ ſui ſunt muneris tunc legitime exequantur.

ANNO CHRISTI 1624.

V.

Abolenda ſane perverſa illa ac ſuperſtitioſa quorumdam opinio, menſe ſcilicet Majo uxorem non ducendi, quaſi aliquid ex eo mali ominis emanans fidelitati contrahentium, ac proſperitati nuptiarum officere poſſit. Doceatur igitur populus, & ab omnibus parochis ſæpe inſtruatur, ut ſuperſtitioſis illis [a] magis fidem haud quaquam adhibeat, ſed præter ea tempora, in quibus ex præſcripto eccleſiæ a celebratione nuptiarum abſtinetur, nullum eſſe quo ipſæ jure & canonice celebrari prohibeantur. Ac præterea iiſdem fidelibus declaretur, diem feſtum S. Joſephi in ſacra quadrageſima ſemper obſervatum ejuſdem eſſe rationis ac ſunt cæteri quadrageſimæ dies, ideoque nulli licere in eo matrimonium celebrare, cum præſertim iis temporibus, fideles orationibus inſtare, purgandis & curandis animabus incumbere eccleſia mater procuret.

[a] Fato, in ſi. II.

VI.

Ceterum cum ex præſcripto ſacri concilii Tridentini, epiſcoporum ſit, ea quæ ad celebritatem matrimoniorum rite peragendam pertinent, præſcribere, ſcilicet, ut ea qua decet modeſtia & honeſtate fiant: univerſis parochis & aliis ſacerdotibus præcipimus, ne alio in loco quam in eccleſia ad contrahendum per verba de futuro, quoſcumque fideles recipiant, niſi alias id ab ordinario fructuoſe ſibi concedatur; ſed curent ſollicite, ut futurorum conjugum mens & cogitatio in acquirenda divina gratia, tota verſetur. Ac ut perfidæ quorumdam erronum concupiſcentiæ occurratur, qui relicta priore uxore ad aliam variis in locis ſeducendam potius quam ducendam accedunt, cum eadem in adulterio victuri: ne deinceps ullas perſonas alterius diœceſis ad præſtandum conſenſum de futuro admittant ipſi parochi, quin prius ſibi valida atteſtatione per ordinarios extraneorum hujuſmodi conceſſa, & ab ordinario in cujus diœceſi matrimonium eſt contrahendum, probata, canonice conſtet, tales contrahere volentes, liberos eſſe & ſolutos, nulloque matrimonio junctos: ſecus, gravi pœna contravenientes parochos & ſacerdotes affici mandamus. Cætera autem quæ de matrimonio pie & fructuoſe contrahendo ſancita ſunt, tum ab ultimo concilio provinciali, tum a felicis recordationis Paulo V. divina providentia papa, in rituali Romano ejuſdem juſſu edito, omnino ſervanda decernimus.



ANNO CHRISTI 1624.

*De concubinariis.*

VII.

Deturpat & imminuit vehementer candorem bonorum morum & ſanctimoniam matrimoniorum, fœdum concubinatus ſcelus: eoque periculoſius graſſatus, quo remiſſa jam diſciplinæ eccleſiaſticæ ſeveritate poſuerit in cælum os ſuum, donec dejiciat illud omnipotens, & impietatis imaginem in civitate ſua confringat. Quocirca nos in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam adverſus Deum ſe extollentem, ſacris canonibus innixi, grave peccatum, homines ſolutos concubinas habere, graviſſimum vero & in magni ſacramenti matrimonii ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere & retinere, conſiderantes: ut huic tanto malo opportunis juris remediis provideamus: ſtatuimus, hujuſmodi concubinarios, tam ſolutos, quam uxoratos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi, poſtquam a ſuo ordinario, etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, a qua non abſolvantur donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum cenſuris neglectis permanſerint, contra eos ab ordinario ſevere, pro qualitate criminis, procedatur. Mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeu concubinariis publice vivunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum ab eccleſia arceantur, & ad inſtantiam eorumdem ordinariorum, ut hujuſmodi mulieres graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diœceſim ejiciantur, poteſtas ſæcularis procuret: aliis pœnis contra adulteros concubinarios inflictis ſuo robore permanentibus.

*De epiſcopis.*

CAPUT VIII.

Optat ſancta mater eccleſia, ut electi & dilecti ſui ſponſi epiſcopi, pro patribus ſuper terram conſtituti, iis virtutum ornamentis decorati præfulgeant, ex quibus myrrha, gutta & caſia gratiæ ſpiritalis a domibus veluti eburneis defluentes, animas fideles delectent, & Chriſto regi adducant in honore ſuo. Unde nos ex reipſa, & ſacris canonibus, munia noſtra indefeſſa cogitatione circumſpicientes, magnopere ſtudium noſtrum excitatum iri rati ſumus, ſi pondera noſtris humeris impoſita, caritatis lance librantes, jugum Chriſti ſuave, & onus leve irrequietis laboribus, ſentiamus.

I.

Epiſcoporum igitur cogitatio ſit ſe ideo eccleſiæ Dei præfectos eſſe, ut attendentes ſibi & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo; vigilent, ſicut apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant: implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos, mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus a ſupremo judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant: neque obliviſcantur, non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit.

ANNO CHRISTI 1624.

I I.

Ac meminerint ſe in medio populi patres, ac veluti formam ac vivam legem, ad quam ſubditi omnes vitæ ſuæ motus componant, conſtitutos eſſe: neque exiſtiment ſe ad propria commoda, ad divitias, aut luxum, ſed ad labores & ſollicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe: cumque reliqui fideles ad religionem & innocentiam facilius inflammentur, ſi præpoſitos ſuos, quæ mundi ſunt, abjicere, & cæleſtia meditari perſpexerint, ea quamprimum a ſe amoveant, quæ carnem & mundum ſapere cognoſcuntur.

III.

Sint igitur epiſcopi modeſta ſupellectili & menſa, ac frugali contenti victu, pauperes ſæpe menſæ adhibentes, eidem per ſe benedicant, lectioneque ſacra totum hominem cibare curantes: ab ea demum ſurgentes, ipſimet Deo gratias agant, miniſtros ab hujus ſæculi & malitiæ mundanæ cultu alienos ſeligentes & retinentes. Denique in toto vitæ genere, ac tota eorum domo, caveant ne quid appareat quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat.

IV.

Sed præcipue perpendant, reditus eccleſiæ, bona Chriſti & pauperum patrimonia eſſe. Quare videant ne ex iiſdem reditibus, conſanguineos familiareſve ſuos augeant & ditent, ac niſi ut pauperibus aliquid concedant: memores ſe ſacris canonibus monitos eſſe, ut omnem humanum hujus erga fratres, nepotes, propinquoſque, carnis affectum (unde multorum malorum in eccleſia ſeminarium extat) penitus deponant.

V.

Pauperes autem pudore ſuffuſos exquirere, alere, pupillis & viduis debita ſolatia impendere, & ut afferantur, procurare, filias egenorum nubiles, ſanctorum exemplo, matrimonio collocare, incarceratis, animæ & corporis ſubſidia ut ſubminiſtrentur, providere, oppreſſos a potentum ſuperbia injuria & inſolenti ſupercilio vindicare, & quarumcumque miſerabilium perſonarum curam continuam habere: hæc omnia pia, quaſi mane ros erumpens, epiſcoporum juſtitiam commendabunt.

VI.

Hinc in corrigendis ſubditorum delictis ſacri canones epiſcopos admonendos cenſent, ut ſe paſtores non percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, ut non eis dominentur, ſed eos tanquam filios & fratres diligant: elaborentque ut hortando & mo-

ANNO CHRISTI 1624.

monendo, ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, & ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigorem, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritatem ita adhibeant, ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris ac neceſſaria conſervetur, & qui correcti fuerint, emendentur; aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri, ſalubri in eos animadverſionis exemplo a vitiis deterreantur: cum ſit diligentis & pii ſimul paſtoris officium, morbis ovium, levia primum adhibere fomenta; poſt, ubi morbi gravitas poſtulet, ad acriora & graviora remedia deſcendere; ſin autem ne ea quidem proficiant, illis ſubmovendis cæteras ſaltem oves a contagionis periculo liberare.

## VII.

Cumque in educendis & educandis ovibus præcipua ac maximi momenti munia ſint, verbum Dei per epiſcopos prædicari, & ſacramenta adminiſtrari: reverendiſſimos coepiſcopos noſtros peramanter monemus, ut per ſeipſos, quantum fieri poterit, ad populos fideles conciones verbi Dei habeant, ac temporibus ſacris quadrageſimæ in eccleſia ſua ad audiendas confeſſiones pœnitentium adſint, & tanquam petra ſalis in medio animalium unius moris in domo inhabitantium conſtituti, ſummum paſtorem dominum Jeſum ſalubria remedia in dulcedine ſua pauperibus paraſſe demonſtrent: cumque omnis pontifex pro hominibus conſtituatur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, ſacroſanctum miſſæ ſacrificium ſingulis dominicis celebrare monemus. Quorum exemplo ſacerdotes omnes, ſingulis ſaltem dominicis & feſtis ſolemnibus, parochi autem ter in hebdomada, pro devotione ſacrum facere teneantur.

## VIII.

Quia vero omnibus debitores ſunt epiſcopi, ſapientibus & inſipientibus, doctis & indoctis: eoſdem hortamur vehementer, ut ad fideles plebes animum intendentes, ſæpiſſime ad ſingulas parochias viſitandas accedant, totamque diœceſim, ſingulo quoque ſaltem triennio, cum pauco, modeſto, & utili famulatu, perficiant; ſancto confirmationis ſacramento populos ungentes, vulneribus peccatorum tumentibus, ſalutaribus verbi divini concionibus, & pœnitentiæ ſacramento medentes: eoque modo qui ultimo provinciali præſcribitur, ſingula perluſtrent & exquirant. Sique juſto detineantur impedimento; curent ſollicite, ut eadem viſitatio a piis eccleſiaſticis, quorum præcordiis amor Dei, & animarum ſalus inhæreat, perficiatur.

## IX.

Meminerint etiam epiſcopi, muneribus ſuis ſe fructuoſe ſatisfacturos, ſi in eccleſiis ſuis, aut pro commoditate in aliis ſuæ civitatis, primis a ſolennibus & majoribus feſtis, diebus, hoc eſt, feria ſecunda paſchatis reſurrectionis domini, pentecoſtes, & craſtino nativitatis Chriſti, fidelibus populis, nondum ſacro chriſmatis oleo injunctis, ſacramentum confirmationis conferant, theſauris gratiæ augendis & conſervandis peropportunum & neceſſarium.

ANNO CHRISTI 1624.

## X.

Et ne quem inſcium verba vitæ æternæ, & bonorum morum unguenta ad oram uſque veſtimenti domini effuſa, lateant: curent epiſcopi veſtigia patrum ultimi provincialis prementes, ad quaſcumque ſuarum diœceſum parochias maxime ubi hæreſes adoleſcunt, & peritia rectorum deſideratur, cujuslibet ordinis concionatores cum benedictione emittere, qui dominum Chriſtum prædicantes, in ejus gloriam fructum centeſimum referant, & hæreſes funditus extirpent pernicioſas.

## XI.

Cum autem in iis myſteriorum divinorum diſpenſatoribus tanta requirantur, ut ſi pro rei magnitudine expendantur, numquam ſatis cantum de iis videri poſſit: ea propter nos regem Chriſtianiſſimum, piiſſimum & invictiſſimum, rogamus, ut ad eccleſiarum regimen, onus quippe angelis formidandum, eos ſolos, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas a puerilibus exordiis uſque ad perfectionis annos per diſciplinæ ſtipendia eccleſiaſticæ laudabiliter acta teſtimonium præbeat, quique talis ſunt ſcientiæ, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati ſatisfacere poſſint, ſeligere religioſe curet, eoſdem demum ſanctiſſimo domino noſtro nominandos & præſentandos. Memineritque rex Chriſtianiſſimus ac piiſſimus, nihil ſe ad Dei gloriam & populorum ſuorum ſalutem utilius poſſe facere, quam ſi bonos paſtores, eccleſiæ gubernandæ idoneos, promoveri ſtudeat, cauteque admodum animadvertat ſe alienis peccatis communicantem, non leviter peccare, niſi quos digniores & eccleſiæ magis utiles ipſe judicaverit, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverit, & quos vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos ſciat, & ſecundum venerabiles beatorum patrum ſanctiones, requiruntur.

*De canonicis, & capitulis eccleſiarum cathedralium & collegiatarum.*

## CAPUT IX.

Capitula, quæ capita populorum, epiſcopos, proxime attingunt, univerſo populo conſpicua & clara eſſe oportet; non ſolum ut eorumdem candidati canonici oculos ad quæcumque circumferant perluſtranda, ſed ut in iis divinæ voluntatis nutus & participationes eluceſcentes, quaſi apocalypſeos ſeniores coronas coram agno demittentes, aſſumptis citharis laudes Deo decantent immortales, & in odorem phialarum ſuarum fideles plebes evehant felicitate donandas.

## I.

Placuit igitur, quæ ab ultimo provinciali de capitulis & canonicis ſalubriter ſunt inſtituta, ea in omnibus eccleſiis cathedralibus & collegiatis rigide obſervari. Ac præterea, ut horis debitis laudes divinæ per ſingulas horas, non curſim & feſtinanter, ſed tractim & cum aliqua quiete in medio cujuslibet pſalmorum verſiculi, cum debita differentia ſolennis & ferialis officii, reverenter ab omnibus perſolvantur, decernere. Utque ipſis celebrandis, pro uniformitate ſeu conformitate inter omnes eccleſias ſervanda, certus ordo præſcribatur & forma: ſtatuimus, ſacrum ſolenne, ſive conventuale, iiſdem horis, modo, & forma celebrari prorſus, quibus ex regulis ſeu rubricis miſſalium Clementis VIII. pontificis maximi juſſu editorum, celebrandum eſſe dignoſcitur: in quo quidem celebrando, ne, præcipue tempore elevationis ſacratiſſimi ſacramenti, aliquid indecorum, vernacule, vel aliud quidpiam alienum, aut ab eccleſia non approbatum, cantetur, ſub gravi pœna prohibemus: cunctos tunc temporis canonicos, quamvis capuciis pro tempore indutos, capite nudo & aperto intereſſe & inſiſtere præcipientes.



ANNO CHRISTI 1624.

## II.

Hac ratione canonicos choro aſſiſtentes gravitatem ſervare, collocutiones vitare, ſcripturas quaslibet, aut libros minime legere, nec privatim officium recitare ſtatuimus; ſed eos labiis omnipotentis beneficio apertis, in pſalmis, hymnis & canticis, Deo alacriter modulari, attentionem commonſtrare, eoque modo devotionem populis infundere & ingenerare decernimus; idque quo accuratius ab omnibus perſolvatur, cura ſit decani, vel ejus cui hoc onus incumbit, diligenter hinc inde invigilare, & ne quid inordinate fiat circumſpicere: tranſgreſſores quoſcumque, illius horæ, in qua circa prædicta exceſſerint, vel alia majori, prout tranſgreſſionis gravitas exegerit, afficiendo pœna.

## III.

Cumque a cathedralibus & collegiatis officii divini rite peragendi forma expectetur & peti debeat: cura ſit penes decanum, ſeu cantorem, vel alium ad quem id pro conſuetudine eccleſiarum pertinet, aut demum penes aliquem, primo quoque menſe poſt publicationem hujus concilii, a capitulo, aut eo poſt menſem deficiente, ab ordinario conſtituendum & deputandum, ſingulis quibuſcumque per hebdomadam proximam peragendorum rationem & ordinem in tabula præſcribere, & eamdem deinde tabulam certo chori in loco affigere, unde cuilibet clarum ſit & notum, quænam ſibi in eadem hebdomada officia incumbant præſtanda. Cæteros autem, dignitates, perſonatus & officia obtinentes, munia ſibi a jure præſcripta, dignitati, perſonatui & officio propria præſtare, & ad id debitis juris remediis compelli, & mulctam officio deficientibus irrogari, mandamus.

## IV.

Ne vero perfunctorio modo & irreligioſe officia peragantur divina, ad præſcriptum ſacrorum canonum omnes canonicos choro, horis debitis, a principio earumdem uſque ad finem adeſſe, nec inde ullum egredi, niſi forte neceſſitate cogente, atque petita & obtenta a præſidente chori licentia, edicimus: aut ſecus, pro illa hora a canonico hebdomadario, ſeu ab eodem chori præſidente, ſine ullo favore expungendum, ſalvis tamen eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ forſan circa hæc arctiores exiſtant. Et ne in ſupplicationibus, ſeu proceſſionibus publicis paucior canonicorum numerus in contemptum cedat eccleſiæ, præſens decretum in hoc etiam ſervari, notarique abſentes & expungi, decernimus. Sed & abuſum illum, quo in una hora aut duabus officiorum divinorum, præſens, totius diei diſtributiones uſurpat, & illum, quo præpoſiti vel decani, aut alii officiales, ſeu officiarii, ex hoc ſolum quod officiarii ſunt, licet actualiter pro utilitate eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt, tolli prorſus & aboleri præcipimus.

ANNO CHRISTI 1624.

## V.

Quia vero diſtributionibus accurate conſtituendis, a quibuslibet ita ac in ultimo provinciali cautum, uſquequaque non ſatisfactum ejuſdem concilii decreto abutentibus: ſtatuimus, in omnibus eccleſiis cathedralibus & collegiatis noſtræ provinciæ, omnium & quorumcumque fructuum & obventionum tertiam partem in diſtributiones, primo a publicatione præſentis concilii trimeſtri, iiſdem dumtaxat qui divinis interfuerunt officiis, impendendas, convertendam: quo tempore elapſo teneatur capitulum, epiſcopum ſuum certiorem facere, ſe præſenti decreto ſatisfeciſſe: aut ſecus, ex eo tempore idem epiſcopus autoritate hujus concilii, quotam illam per ſe in diſtributiones convertendam detrahere poſſit; capitulum contradicens per ſequeſtrationem fructuum compellendo, deque toto negotio ad metropolitanum ſcribendo, qui viribus conjunctis in rebelles agens, eorum contumaciam compeſcat.

## VI.

Extra chorum autem canonicos divinorum officiorum tempore deambulare, vagari, fabulari, & diebus dominicis & feſtis ſolennibus capitula habere, quandoque vero e choro officia divina perturbantes exire, & capitulum abſque urgente neceſſitate cogere, ut peſſimi exempli, ſub pœnis in ſacris canonibus latis, diſtricte prohibemus. In audiendis autem verbi Dei in iiſdem eccleſiis concionibus, frequentes adeſſe canonicos, eo veſtitu, quo in choro pro diverſitate temporis utuntur, indutos, præcipimus.

## VII.

Sed & illa fraus longe amovenda, qua, quod cuilibet canonico per tres menſes abeſſe concedatur, quidam tuti, nullam fere reſidentiam eccleſiis exhibere dignoſcuntur. Decernimus igitur tres illos abſentiæ menſes ita numerandos eſſe, ut in iiſdem omnes dies, ſive continui, ſive non continui, & interpolati, concludantur: unde qui a reſidentia ultra tres menſes eo modo reductos, abfuerit, pœnis eum a ſacris canonibus contra abſentes latis feriri, & capitulum in hoc contra ſacros canones diſpenſare non poſſe cenſemus.

## VIII.

Decet metropolitanam eccleſiam, & alias cathedrales, eas perſonas ita probitate ac ſcientia commendatas ad canonicatus eligere & aſſumere, ut ex iis corpus capituli coaleſcens, ſenatus epi-

ANNO CHRISTI 1624.

epiſcoporum, unde conſilium accerſant, merito dici poſſit. Quare nos, epiſcopos, cathedralium capitula, aut alios, ad quorum electionem ſeu collationem canonicatus & beneficia cathedralium, quomodocumque ſpectant, nullos deinceps ad hujuſmodi canonicatus & beneficia aſſumere, niſi quos præhabito eorumdem in capitulo examine, iis virtutibus, ſcientia, & experientia, notitiaque & uſu cantus & pſalmodiæ præcellere probaverint, & in eo ordine quem hujuſmodi canonicatus & beneficia requirunt, conſtitutos eſſe norint, aut ſaltem in ea ætate, ut infra annum ad eumdem promoveri poſſe perſpexerint, decernimus. Electiones & collationes quaſcumque aliter factas, amodo, & ex eo tempore nullas eſſe penitus & irritas, declarantes, taleſque ideo canonicatus jure impetrandos.

IX.

Et ne rigore ſacrorum canonum remiſſo dignitates obtinentes in minoribus adhuc conſtituti, ad ſacros ordines negligant promoveri: decernimus, eos (juſto impedimento ceſſante) infra annum ad ſacrum presbyteratus ordinem promovendos: aut ſecus, ex eo tempore, donec ad eumdem ordinem promoti fuerint, dimidiam illis partem diſtributionum, quæ dantur his qui certis horis interſunt, ſubtrahendam eſſe, non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus, vel ſtatutis, præcipimus: creſcente vero negligentia & contumacia, aliis etiam eos pœnis ad præſcriptum ſacrorum canonum afficiendos, atque adeo uſque ad privationem dignitatum hujuſmodi ab ordinariis coercendos.

X.

Sed quod præcipue eccleſiarum decorem & ordinem eccleſiaſticum valde commendat, conſeſſus nimirum pro ordine cuilibet attributus: placuit nobis, inter cunctos metropolitanæ, cathedralium, & collegiatarum canonicos, ſive in choro & proceſſionibus, ſive in capitulo & congregationibus exiſtentes, hunc ordinem obſervari, quo ſacerdotem diacono, diaconum vero ſubdiacono præferri jura præſcribunt: quamvis hi ratione antiquioris receptionis, illos antecedere cenſeantur; donec ad ſacrum presbyteratus ordinem tandem promoti, debitum ſibi ratione receptionis locum repetere poſſint.

XI.

Quoniam autem dignitates eccleſiarum eo ſunt inſtitutæ, quo accuratius officia pendantur divina, gravitaſque ſacerdotum in primis chori ſubſelliis aſſidentium eluceſcens, quemlibet exemplo ſuo ad ſua munia rite perſolvenda impellat: quoſcumque, dignitates, perſonatus, & officia virtute canonicatus ad effectum in eccleſiis hujuſmodi obtinentes, choro & officiis divinis intereſſe, teneri & obligari decernimus: ſecus, gravi pœna mulctandos, niſi alias pro injuncto ſibi officio adeſſe contingat.

XII.

Cumque tot cærimoniæ in eccleſia utiliter inſtitutæ abſque intenſo ſtudio in omnibus obſervari nequeant: nos eā decori eccleſiarum decoro conſulentes, ſtatuimus, in ſingulis eccleſiis cathedralibus, collegiatis, unum aut duos cæ-

A rimoniarum magiſtros inſtituendos, habendos, & retinendos, quorum munia ſint curare, ut officia divina ad præſcriptum regularum, ſeu rubricarum breviarii & miſſalis, quam accurate perſolvantur, & cærimoniæ quæcumque omnes fructuoſe, & ut par eſt adhibeantur & obſerventur: quibus quidem cærimoniarum magiſtris pro qualitate & merito, in choro locum attribui mandamus.

XIII.

Et ne cæleſtis ſacrorum librorum theſaurus neglectus jaceat, ſacris canonibus innitentes in omnibus eccleſiis collegiatis noſtræ provinciæ,
B in quibus canonicorum numerus decimum quemque excedit, ita ac in cathedralibus, canonicus theologalis inſtituatur amodo, & perpetuo deputetur: teneanturque quicumque theologales canonici ad canonicos, & eccleſiaſticos eccleſiarum hujuſmodi diebus conſuetis ſacræ theologiæ lectiones habere. Ideoque præbenda quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis, primo vacatura, cui aliquod onus incompabile conjunctum non ſit, theologo, per eos ad quos hujuſmodi præbendarum electio, ſeu collatio pertinere cognoſcitur, conſtituatur, deputetur, & conferatur. Collationes & electiones quaſcumque aliter factas, nullas eſſe, invalidas declarantes, poſſeque ordinarium, hu-
C juſmodi præbendæ ſic vacanti providere. Canonici autem omnes prædictarum eccleſiarum, tam cathedralium, quam collegiatarum, lectionibus theologorum adeſſe, eas audire, excipere, ſub pœnis diſtributionum illius diei in pauperes erogandarum, & aliis creſcente contumacia juris remediis, compellantur. Theologales autem, in lectionibus habendis, ſi qui negligentes extiterint, privilegio canonicis theologalibus conceſſo, non gaudeant: ac inſuper, ſi diebus ſolitis non legerint, illorum dierum diſtributionibus careant & priventur. Habeant etiam conciones verbi Dei ad populum ſingulis dominicis, & feſtis diebus ſolennibus in cathedrali ubi id commode fieri poteſt: ſin mi-
D nus, in aliis eccleſiis ab ordinario eiſdem aſſignandis.

XIV.

Ac ne graduati tantum, ſed docti, ad beneficia aſſumantur eccleſiaſtica: quibuſcumque ſtudiorum univerſitatibus generalibus noſtræ provinciæ prohibemus, ne ulli cujuſcumque ſcientiæ, gradus literas concedant, quin prius ipſe, publice rigoroſo examine probatus omnium doctorum, debito modo ad id vocatorum, votis & calculis nitatur: hincque ne fraus aliqua in hujuſmodi graduatorum literis deliteſcat, poſſe ordinarium quoſvis graduatos, etiam nominatos pro beneficiis obtinendis, examinare, & re-
E pellere indoctos, declaramus.

XV.

Damnata prorſus ab eccleſiis cathedralibus & collegiatis aliiſve, tamquam ſimoniæ labis prava illa conſuetudo, qua, in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus cathedralis eccleſiæ vel beneficii, canonicatuum aut præbendarum, vel pars proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones ex fructibus, [illegible] ſolu-



ANNO CHRISTI 1624.

ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus eccleſiis turnorum lucra, interponuntur. Quocirca nos ſimoniæ prolem quamcumque, & avaritiam ab eccleſia Dei ſejungendam ducentes: prohibemus, ne quid pro ingreſſu, admiſſione & receptione ad beneficia quæcumque, certæ cuidam perſonæ, ſive capitulo, in ſingulos poſtea canonicos diſtribuendum concedatur, aut quod in pios uſus non convertatur. Dare aliquid fabricis eccleſiarum, ornamentis & reſtaurationibus earumdem impendendum, minime reprobamus. Ac proinde tales, ut præfertur, ad beneficia eccleſiaſtica ingreſſus, ut ſimoniacos damnamus; contravenientes quoſcumque, pœnis contra ſimoniacos, ſacris canonibus, & variis ſummorum pontificum editis conſtitutionibus, puniendos eſſe decernentes.

*De parochis.*

CAPUT X.

PAROCHIS, apud quos qui deſcendunt ab Jeruſalem in Jericho, & incidunt in latrones, deponuntur, vivificandi cura derelicta, & miſericordis Sammaritani apothecæ curandis animabus balſama redolentes, & includentes, concreditæ ſunt & conceſſæ. Unde perſpicaci eos ingenio præditos, & urgentis caritatis pulſu ad vulnera peccatorum detegenda, & abſtergenda, ſuaviter perculſos, denique in procuranda animarum ſalute ſummopere patientes convenit, & perneceſſe eſt reperiri.

I.

Nos igitur quæ ab ultimo provinciali de parochorum muneribus & officiis, tum erga univerſos, tum ſingulos parochianos, fuſe deſcripta ſunt, cauta, & edicta, innovantes: eadem univerſis & ſingulis provinciæ noſtræ rectoribus, eorumque vices gerentibus, præcipimus ex animo obſervanda & religioſe cuſtodienda.

II.

Sed nobis invigilandum præcipue, ne fidelibus populis ullum afferatur aut obſtet impedimentum, quo minus & ſacris officiis intereſſe, & ſacramenta pro neceſſitate ſalubriter ſuſcipere poſſint. Quocirca nos attenta mentis cogitatione ſingula ponderantes: decernimus, in omnibus eccleſiis parochialibus vel baptiſmalibus; in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus rector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis ſacramentis, & cultui divino peragendo, tot ſacerdotes ad hoc munus adjungendos eſſe, quot ſufficiant ad ſacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum: ad idque rectores decimas recipientes, vel alios ad quos pertinet, juris remediis cogendos.

III.

In iis vero in quibus ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem, parochiani, ſine magno incommodo, ad percipienda ſacramenta & divina officia audienda accedere non poſſunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, juxta formam Alexandri III. quæ incipit, *ad audientiam*, conſtituant ordinarii: ſacerdotibus autem,

A de novo, eccleſiis noviter erectis, præfectis, competens aſſignetur portio, arbitrio ejuſdem ordinarii, ex fructibus ad eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus: &, ſi neceſſe fuerit, populum compellant ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiunt ad vitam dictorum ſacerdotum ſuſtentandam, quacumque reſervatione generali, vel ſpeciali, vel affectione ſuper dictis eccleſiis, non obſtantibus: neque hujuſmodi ordinationes & erectiones poſſint tolli, nec impediri, ex quibuſcumque proviſionibus; etiam vigore reſignationis, aut quibuſvis aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus.

IV.

B Ut autem iis eccleſiis, in quibus loci populus pro majori parte, vel ex toto, hæreticæ pravitati adhæret, conſulatur, neve capaci & ſtudioſo paſtore diutius deſtituantur: eaſdem ſæpius viſitent ordinarii: ſique illiterati & imperiti rectores, & ſacris minus apti inveniantur in iiſdem deſervire, coadjutores aut vicarios, qui muneribus, ratione populi, reſpondere poſſint, pro tempore deputare, partemque fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter, quacumque appellatione & exemptione remota, ipſi providere poſſint ordinarii. Reclamantes autem parochi, quod eccleſiæ forſan dirutæ, paucique ſint, vel nulli catholici, mi-
C nime audiantur: cum per ipſos tumentis oceani fluctus inter confertiſſimas infidelium turmas, animarum ſalus ſit quærenda. Neve vero ipſæ eccleſiæ parochiales noſtræ provinciæ dirutæ diutius jaceant, ſed tandem purgentur & rædificentur: teneantur rectores, & quicumque alii, intra earumdem fines decimas recipientes, donec perficiantur, omnino tertiam partem omnium proventuum in hujuſmodi reſtaurationes impendere, & ad id ab ordinario cogantur. Non intendimus autem per hoc, laicos a debita quota in hujuſmodi reſtauratione contribuenda liberare, nec rectoribus & aliis eccleſiaſticis decimas utcumque in iiſdem parochiis percipientibus, præjudicium inferre.

D V.

Iis autem parochialibus, in quibus ita tenues ſunt proventus, ut inde rectores enutriri & ſuſtentari non valeant, conſulentes: decernimus, quæcumque beneficia ſimplicia, ſive ſæcularia, ſive regularia, quocumque nomine cenſentur, intra limites earumdem parochialium conſiſtentia, ab ordinario hujuſmodi eccleſiis unienda eſſe & annectenda: aut ſi nulla ſint, fructus quarumcumque decimarum parochialium ab eodem ordinario ipſis applicandos & addicendos. Iis vero eccleſiis quarum parochiani, partim intra muros urbium & oppidorum, partim extra
E eoſdem degunt, penſatis omnibus ſollicita epiſcoporum cura provideat.

VI.

Non ſecus eccleſiis unitis ſancti Joannis Jeroſolymitani, ſancti Antonii, & quorumcumque ordinum regularium præceptoriis providendum eſſe ſtatuimus: quæ ne diutius ſuis deſtituantur obſequiis, in iiſdem ordinarii vicarium perpetuum inſtituant, quem debita & juſta fructuum portione pro arbitrio ſuo definienda firment & ſtabiliant, non obſtantibus

qui-

quibuſcumque privilegiis in contrarium toties interpoſitis.

VII.

Aliarum autem eccleſiarum uniones capitulis, dignitatibus, monaſteriis, & aliis quibuslibet eccleſiis factæ juxta formam a ſacro concilio Tridentino præſcriptam, per ordinarios expendantur: ſique invalidæ reperiantur, vel a capitulo, dignitatibus, monaſteriis, & aliis ter monitis per tres menſes a publicatione præſentis concilii exhibitæ & oſtenſæ non fuerint, hujuſmodi eccleſiis habitis hactenus unitis [a] ſic vacantibus ordinarius provideat: in cæteris autem vicarius perpetuus cum congrua fructuum portione inſtituatur & ſtabiliatur.

a Fuit, ſi. cut. H.

VIII.

Cæterum omnes parochos in verbo & doctrina laborare, exemplo prælucere, doctrinam Chriſtianam docere, bona eccleſiæ conſervare, presbyterales domos nulli locare, ſed in iiſdem conſuetam & debitam reſidentiam exhibere; ubi vero eaſdem domos dirutas, & ſolo æquatas eſſe conſtat, ædificare, ſeu ut ædificentur, curare, remediis juris utentes, præcipimus: deque his omnibus, & in decretis ultimi concilii provincialis contentis, ordinarios inter viſitandum, eoſdem rectores examinare, inquirere & ſcrutari, ne ulla in re debita officia derelinquant, ſtatuimus.

*De paſtorum reſidentia.*

## CAPUT XI.

EX mutuo eorum reſpectu qui optime præeſſe, & aliorum qui eiſdem ſubeſſe ſecure norunt, quanta ſit in eccleſiis curam animarum habentibus reſidendi neceſſitas, & obligatio, facile convincitur. Cum enim ſacerdotia, populi curandi, non ſacerdotis nutriendi gratia ſint inſtituta, & eos paſtores, tamquam cuſtodes ſuper muros Jeruſalem poſitos, plebs fidelis expectet; quorum ora & linguæ clament quotidie, manus plantent & ædificent, oculi vero pervigiles ab aquilone malum omne conſurgens proſpicientes, ſuperno colluſtrati lumine, avertant: placuit omnino nobis, ea quæ de reſidentia paſtorum ab ultimo provinciali cauta ſunt, innovare.

I.

Præcipimus igitur, omnia & ſingula in eodem decreto contra non reſidentes lata, exacte ab omnibus obſervari: eoſque pœnis omnibus afficiendos, qui ovili derelicto oves proprias linquunt diſturbandas, gemini ad hoc, juxta patrum decreta, privilegio ſeu exemptione quacumque ſuffragante.

II.

Ut autem malitioſæ quorumdam ſubtilitati obvietur, qui lites ſuper poſſeſſione beneficiorum ſuorum ſibi procurantes, ab ipſa reſidentia liberi & immunes cenſeri volunt: decernimus, omnes & quoſcumque actu beneficiorum fructus ſuſcipientes, & retinentes, ad reſidentiam prædictam teneri & obligari, non obſtante intentata lite, niſi de ordinarii ſui licentia ad eam decidendam abeuntes, intra annum definiri eam & judicari omnino curaverint; aut ſecus, de confidentia ſuſpectos venire, & ad reſidentiam, uſque ad privationem hujuſmodi beneficiorum, compelli poſſe.

III.

Sed etiam cenſendi ſunt ii rectores, qui declinandæ punitionis gratia, quibuſdam interpolatis diebus in beneficiis ſuis reſidere diſpiciuntur, pro majori totius anni parte, a iiſdem abſcedentes. Declaramus igitur, eoſdem officio ſuo & debitæ reſidentiæ non ſatisfacturos, niſi continuo eamdem omnino præſtare perſeverent. Ideoque curæ ſit omnibus epiſcopis, archipresbyteros, decanos, ſive teſtes ſynodales monere, & eiſdem injungere, ut jugi circumſpectione invigilantes proſpiciant, ne quis ita ſe a rectoria ſua abſentet, ut perſæpe multis interpolatis diebus, ex toto fere ab eadem abeſſe cenſeatur. Quod ſi quis ita negligens, & propriis commodis inhians reperiatur, in eum inquiri, & re probata, ad ſacrorum canonum præſcriptum coerceri præcipimus.

IV.

Eodem modo cenſemus de iis qui ſatis leviter ducti, abſque epiſcoporum ſuorum licentia eccleſiam pro tempore relinquentes, in alias tranſmigrant diœceſes. Quapropter nullus deinceps parochus, ſive vicarius in aliqua parochia approbatus, ab eadem abeſſe, & ad aliam diœceſim proficiſci poſſit, niſi præhabita ordinarii ſui licentia: alioquin pœnis eum in non reſidentes latis affici mandamus: eaque ratione diligenter archipresbyteri, decani & teſtes ſynodales officio ſuo fungentes, ad ordinarium deferant puniendum.

V.

Quod autem quamplurimi ad eccleſias parochiales aſſumpti, ſtudiorum peragendorum prætextu, a reſidentia præſtanda tutos ſe eſſe contendunt, numquam ad perfectam ſtudiorum metam perventuri: ut eiſdem omnis amputetur occaſio non reſidendi, omneſque rectores forma gregis facti, monens & ad pietatem impellens, exiſtant: reverendiſſimos coepiſcopos noſtros monemus, & exhortamur, cauti ſint vehementer in hujuſmodi diſpenſationibus ſtudiorum cauſa elargiendis; nullique deinceps concedant, niſi id perſonæ meritum in utilitatem eccleſiæ ceſſurum exigere comprobetur.

VI.

Cæterum epiſcopi, cæterique beneficiorum diſpenſatores atque largitores, nulli amodo beneficium curatum, vel reſidentiam requirens, conferant, niſi præſtito prius per eum jurejurando ſe aſſiduum in eo futurum, ſemperque commoraturum: cujus juramenti præſtiti certam rationem literæ beneficii conceſſi contineant.

De



*De prædicatione verbi Dei.*

## CAPUT XII.

NUllum adeo protervorum ingeniorum ferax ſæculum ſucceſſiſſe reperitur, quam in quod peccata nos noſtra invexerunt, miſericordia tamen Dei protegendos. Nam graſſante præſertim pravitate hæretica, immo ſæviente impietate, quilibet homunciones, vel ex infima plebe, arrepta ſacrilege ſacra biblia interpretari, & ex iis ſemetipſos paſcentes, ſalutem haurire opinantes: in eadem demum, magno cum animarum interitu, veluti fluctus feri maris, deſpumant ſuas confuſiones, & incautas innocentium animas pertrahunt in judicium magni Dei, vinculis æternis ſub caligine cruciandas. Quo magis enitendum nobis eſſe circumſpicimus, ne verbum vitæ, lucerna pedibus noſtris, ab indignis tradatur, & mixtis inanibus, & opinionum nebulis obſcuretur. Ac licet multa ſint, ab ultimo provinciali ex concilio ſacro Tridentino decreta, quæ ſi exacte ſervarentur ab omnibus, abunde ſufficere poſſent: attamen pro dignitate rei & neceſſitate, hæc ex ſacris conciliis & canonibus decernere voluimus, quæ valde in rem catholicæ fidei fore confidimus: quo tandem fideles plebes divini verbi pabulo exſatiatæ gloriam Dei eructent immortalem.

I.

A perſonis igitur concionatorum incipientes, ſtatuimus nullum eſſe ad tantum munus aſſumendum, quin initiatus ſacro diaconatus ordine, iis virtutum inſigniis, & ſcientiarum divinarum copia ſit inſtructus, quæ ad veritatem verbi Dei pure & orthodoxe prædicandam ſatis valeant. Quocirca eum, an in doctrinæ fidei articulis & dogmatibus a ſacro Tridentino explicatis, clare elucidandis, canone ſcripturæ, peccato originali, juſtificatione, ſacramentis, ſacrificio miſſæ, purgatorio, invocatione ſanctorum, ſacris reliquiis, imaginibus ſanctorum, indulgentiis, papæ auctoritate, jejuniis, dierum feſtorum ratione, verſatus ſit, tentandum eſſe præcipimus.

II.

Ac præterea, eumdem peritiam bibliorum habere, commentaria varia evolviſſe, ſenſus diverſos callere, traditiones apoſtolicas tenere, patrum ſcripta legiſſe, & ex iis quemdam ſibi familiarem retinere intendimus: doctrinam inſuper œcumenicorum conciliorum, ſanctorum vitas, pontificum jura, provincialia concilia & diœceſana ſufficienter memoriæ mandaſſe oportebit: neque ignorare, ſed theologiæ myſticæ operam navaſſe oſtendat: & ut meditandum ſcilicet & orandum, exercitiiſque ſpiritualibus vacandum, indicet, quo pias animas, & in via Dei proficientes, valeat erudire, cum ſcriptum ſit, ſi cæcus cæcum ducat, ambos in foveam cadere.

III.

Hinc edicimus, omnes, & quoſcumque religioſos, extra clauſtra viventes, ad concionandum non admittendos, nec alios quoſvis ſæculares, cujuſvis privilegij prætextu, ni prius ab epiſcopo loci, ſcientia, doctrina, & probitate approbati fuerint, licentiamque in ſcriptis obtinuerint. Quod ſervari etiam volumus in iis religioſis, qui eamdem facultatem a ſummo pontifice adepti, abſque ordinarii licentia prædicare præſumunt: quos ideo coram ordinariis conceſſæ facultatis literas exhibere jubemus, aut ſecus, eadem uti prohibemus.

IV.

Sed nullo modo audiendi ſunt quæſtores eleemoſynarii, ut per ſeipſos, aut alios poſſint prædicare, immo, quod ſanxit ſacrum concilium Tridentinum, nomen eorum extinguendum penitus & abolendum cenſemus: patianturque repulſam hoſpitalarii quicumque, ſeu ab iis deputati, qui colligendæ eleemoſynæ gratia, certas indulgentias circumferunt publicandas.

V.

Quamvis autem parochi, ex vi promotionis ſuæ ad regimen animarum, jus concionandi habere videantur: ne tamen id muneris aſſumant, ſi ſe ea doctrina pollere non exiſtiment, quæ ad pure verbum Dei diſſeminandum ſufficiat, prohibemus: ſed exhortari dumtaxat populum, & monere, quas virtutes amplecti, quæve vitia fugere debeat, indicare: & doctrinam Chriſtianam tradere valeant, ſatiſque ſit illis liber Homiliarius, vel concilii Tridentini catechiſmus parochianis ſuis ex ſuggeſtu prælegendus. Qui vero felicioris fuerint ingenii, cura ſit epiſcopi diœceſani eos ad ſe aliquoties advocare, audire concionantes, illiſque animos addere ad bene & fructuoſe concionandum. Quos autem ad ea munia minus aptos animadvertet, prohibeat ne deſtruant potius quam ædificent: ſique illis prædicandi obligatio incumbat, per alium concionatorem munia debita implere compellantur.

VI.

At ne quis concionator, quamvis approbatus, in aliquo diœceſis loco provinciam prædicandi, inſcio ordinario ſuſcipiat: epiſcopi ſolum ſit, in omnibus ſuæ diœceſis eccleſiis, etiam exemptis, ſed in quibus cura ſit animarum, concionatorem eligere, & conſtituere, conſuetudinibus, & contrariis quibuſcumque abrogatis. Ac non ſecus fiat in iis locis, in quibus, pro majori commoditate populi, temporibus adventus & quadrageſimæ, concio haberi ſolet in eccleſiis mendicantium: ſed ad epiſcopum prorſus talis concionatoris electio pertineat. Neque valeat ullo modo eorum ratio qui prætextu, vel eleemoſynarum, vel alimentorum, ad concionatorem ſuſtentandum contribuendorum, eumdem eligendi jus ſibi arrogare præſumunt: ſed id juris ſit omnimode penes epiſcopum, qui ſolita alimenta & eleemoſynas concionatori concedendas, ſubminiſtrari ab iis qui eaſdem ſoliti ſunt impendere, quacumque ratione, etiam per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione remota, curabit.

VII.

Quænam autem concionatori ad populum ſint præ-

prædicanda, maximus in iis haberi debet delectus, & quæ ſemel electa fuerint, juxta eum ſenſum quem tenuit, & tenet ſancta mater eccleſia, in publicum proferantur, & proponantur: ſed præcipue verſetur concionator, in evangelii, ſymboli, orationis dominicæ, ſalutationis angelicæ, decem præceptorum, ſacramentorum eccleſiæ, & ſacrorum rituum dilucidatione: nec unquam omittat ſacroſancta myſteria majorum feſtorum, tum religioſum eorumdem anniverſarium cultum, ac in iis colendis ſacrarum cærimoniarum rationes & ſignificationes docere, & familiariter tractare, jejuniorum etiam ſtata tempora, adventus & quadrageſimæ, aliaque ſacramentalia elucidare: jubilæi item, ſupplicationum ſolennium, & aliarum devotarum actionum, quæ ſæpe ab ordinariis indicuntur, ſpiritum & mentem patefacere: ut iis inſtructus fidelis populus paratiorem mentem afferat donis cæleſtibus imbuendam. At officia quæcumque pecularia oſtendere, videlicet, patris, filii, uxoris, domini, ſervi, laici, privati, magiſtratus, omnium denique ætatum, generum, ordinum, quibus unuſquiſque in officio ſuo continetur, præcipuas partes concionatoris exiſtimet, plebeſque ut eccleſiæ obedientes evadant, decreta cum œcumenicorum conciliorum, tum provincialium docere, & ſæpius inculcare. Ex iis autem quæ in ſacroſancto miſſæ ſacrificio leguntur, aliquid exponere & explicare, atque inter cætera hujus ſanctiſſimi ſacrificii miſſæ myſterium aliquod declarare, ex ſacri Tridentini præſcripto longe utiliſſimum.

VIII.

Quæ autem concionatori ſunt fugienda, multa eſſe norunt omnes, ſed hæc dumtaxat præſcribamus. Ne igitur certum tempus Antichriſti, extremi judicii, apocrypha, falſa miracula, fabulas, profana, ambigua, obſcura, dubia, difficilia, ac ſupra plebis captum afferat concionator; neve opiniones hæreticorum introducat coram imperitis hominibus: ſi quando vero opus eſſet, hujuſmodi falſitates reprobet, veritatem catholicam aſſerendo, quam confirmare, ex ſanctæ eccleſiæ, conciliorum & probatæ conſuetudinis auctoritate, munus erit; exprimendo locos, ex quibus male intellectis peſtifera lues enata ſit, illorum genuinum & catholicum ſenſum afferendo. Vitet autem orationem fucatam, & pigmentis exquiſitis ornatam & concinnatam, ne potius prædicare ſe, quam Jeſum Chriſtum videatur. Sed iis omnibus futilibus dimiſſis, diligens ſit in reprehendendis vitiis, quæ in populum graſſari potiſſimum animadvertet: quæ ut probe dignoſcere poſſit, cura ſit epiſcopi, ſeu parochorum, in quorum eccleſiis conciones habentur, concionatorem certiorem facere & monere de iis vitiis in quæ populus ejuſdem loci inclinat, ad ea fortiter pollea & ſuaviter fugienda & declinanda.

IX.

De [illegible] concionandi: quia is a plurimis eſt [illegible], placuit nobis & reverendiſſimis epiſcopis, [illegible]ductionem illam concionatorum, a ſancto Carolo archiepiſcopo quondam eccleſiæ Mediolanenſis, [illegible] doctorum ſtudio editam, ut [illegible] dignam,

A quæ ab omnibus ſervetur, in provincia noſtra obſervari. Quapropter omnibus & ſingulis concionatoribus eamdem penes ſe habere, & juxta eam quam poterunt conciones ſuas efformare præcipimus.

X.

Jam vero in quibus eccleſiis, & quoties ſit habenda divini verbi concio, decernimus in ſingulis eccleſiis metropolitana, cathedralibus, ac parochialibus, ſingulis dominicis, & feſtis diebus ſolennibus, concionnem ad populum habendam eſſe, ſive ab epiſcopis, ſive a parochis, aut, iis legitime impeditis, ab aliis concionatoribus cujuslibet ordinis, debite approbatis, per eos ad quos pertinet, ſuſtentandis: in quibus ſacra eloquia & ſalutis monita familiari ſermone explanare, eademque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus, inſerere, & fideles in lege domini erudire pareit: & ne tantus cœleſtis doctrinæ fons irriguus deſinat ubertim dimanare, cura ſit & ſollicitudo ordinarii, quoſcumque parochos pro redituum ratione ad concionatorum impenſas perſolvendas per debita juris remedia compellere. Ac ne quis ſibi deſit in hauriendis æternæ vitæ verbis, omnes & ſingulos cujuſcumque eccleſiæ parochialis parochianos, ut ad eccleſiam ſuam propriam, hauriendi verbi divini & ſacri audiendi cauſa conveniant, exhortamur & monemus: quibuſcumque concionatoribus, ut ad id ſalutaribus verbis eos impellant, præcipientes.

XI.

De hora autem qua conciones habendæ ſunt, ſervetur cuilibet diœceſi ſua conſuetudo: ſed nulla concio habeatur eadem hora qua epiſcopus in civitate concionem habet.

*De vita & honeſtate clericorum.*

## CAPUT XIII.

Quantas vires habeat ad continendos in officio fideles, vita & honeſtas clericorum, oſtendunt tot decreta ſuper iiſdem quondam a patribus lata. Ea enim perefficax ſemper viſa eſt docendi populi ratio, ſi quod verbis exprimunt ſacerdotes, id omne vitæ puritate & innocentia præſtantes, in cunctis, fidelibus populis tanquam ſtellæ matutinæ prælucerent.

I.

Decreta igitur ultimi provincialis in omnibus innovantes, ſtatuimus inſuper, nulli ſacerdoti alienæ diœceſis, literis ordinarii ſui commendato, in civitate & diœceſi ultra menſem commoraturo, licere ad quaſcumque divertere eccleſias: ſed eum certæ cuidam eccleſiæ, ad ſacra pro devotione facienda, ab ordinario loci adſcribendum eſſe, ut de ejus moribus & vita parocho ejuſmodi eccleſiæ ordinario fidem faciente, ex diœceſi aliquando ipſe ſacerdos diſcedens in benedictione dimitti queat.

II.

Quoniam autem vel minimam criminis ſuſpicio-



cionem perſonis eccleſiaſticis affingere, plurimos offendit, quoſcumque presbyteros in noſtra provincia degentes exhortamur, & vehementer monemus, ne pro caritate erga ſorores & neptes exercenda, eas ſecum ſolas in eadem domo retinere, ſed extra potius alere & enutrire procurent: numquam ſecum in eodem cubiculo quieſcere ſinentes. Curent autem epiſcopi, ne ſub eodem parentelæ titulo quoſvis ſacerdotes cum mulieribus cohabitare, antequam de conſanguinitatis veritate plene ſibi conſtet, permittant: alias eoſdem pœnis in jure latis coerceant: de aliis ſacerdotibus, quorum conſanguineæ commodum in ſæculo vivere poſſunt, idem cenſentes.

III.

Eo tendit conſuetudo illa, qua ſacerdotes Dei ad quoſvis infantes de fonte ſuſcipiendos a multis invitati, tam gravem perſæpe incurrunt nimiæ familiaritatis ſuſpicionem, quod inde ſcandalum populo generetur pernicioſum. Prohibemus igitur, ne quis parochus infantes in propria parochia, & ex parochianis ſuis natos e ſacro baptiſmatis fonte ſuſcipere queat: non parochos autem monemus & exhortamur, ut hominum hujus ſæculi rubiginoſam familiaritatem devitantes, numquam ad eos infantes ſuſcipiendos accedant, qui ſibi nulla conſanguinitatis & affinitatis ratione conjunguntur. Si quæ autem ſuper his decreta in aliqua diœceſi arctiora pro meliori ejuſdem ſtatu & ordine lata fuerint, eadem ſervari mandamus.

IV.

At quod multi clerici etiam beneficiati coronam & habitum minime geſtare, nec eccleſiis inſervire reperiuntur, ſed militiæ mundanæ ornamentis & veſtibus uti pulchrum putantes, ordinem confundere eccleſiaſticum, & omnia pervertere viſuntur: omnibus eccleſiaſticis noſtræ provinciæ, cujuſcumque dignitatis, ſtatus & conditionis exiſtant, injungimus, ut iis veſtimentis, quæ ab ultimo provinciali ſibi præſcribuntur, incedant induti, coronam clericalem geſtantes: ne ſit præterea illis capillatura impariter attonſa, non ſuperioris labii barba arte elaborata aſſurgat, ne rotunda, quam vocant, collo applicata, exiſtat ad collaria dilatanda & ſuſtinenda, ſed brevia ſint illa & deorſum modeſte inclinata: deponant etiam pallia ex ſericis filis duplicata & contexta, formulæque roſarum ſericæ ſoleis inditæ abjiciantur, deaurata denique calcaria ab iiſdem prorſus longe ſiant. Quod ſi qui ſuæ ſortis, calicis & hereditatis domini immemores, eadem a ſe non abjiciant, & canonicum ſeu clericalem, tanti momenti ad exiſtimationem eccleſiaſticam conſervandam, ornatum induere renuerint: ii omnes quamprimum a ſuo ordinario ter moneantur, ut infra competentem terminum, clericalem habitum & coronam geſtare habeant, aut ſecus, creſcente contumacia omnibus ſuis beneficiis priventur, & de cætero ad alia obtinenda inhabiles cenſeantur. Alii autem non beneficiati, privilegiis clericatus ſui non gaudeant, & ad beneficia eccleſiaſtica nequaquam promoveantur: curentque ſollicite locorum ordinarii, beneficiis ita vacaturis provideatur, ut cura animarum in eis &

officia divina nullatenus negligantur: Qui vero ad beneficia, monaſteria ſcilicet, & prioratus conventuales, aſſumpti, ſacris ordinibus initiari, & ſuis muneribus ſatisfacere contemnunt, & quaſi potentes venatores coram domino militiæ mundanæ armis circumdati, & accincti, vitam degunt eccleſiaſticis plane viris indignam: ut infra annum ad ſacros ordines promoveantur, & ex nunc habitum geſtent clericalem, & ſtatui ſuo convenientem, decernimus: aut ſecus, cenſuris eccleſiaſticis, & aliis pœnis afficiendos, ac tandem iiſdem beneficiis privandos eſſe declaramus. Ideoque regi piiſſimo ac Chriſtianiſſimo ſupplicamus, ad eadem beneficia, ſuæ majeſtati, ratione nominationis, reſervata, ut indebite poſſeſſa & occupata, ſanctiſſimo domino noſtro tales perſonas nominet & præſentet, quales pro conſcientia hujuſmodi beneficiis optime conſulturus arbitrabitur: quo tandem, confuſione ſublata, ordo eccleſiaſticus floreat inter liliata diademata. Neque epiſcopi comprovinciales in quorum diœceſibus hæ vigent corruptelæ, omittant ea de re Chriſtianiſſimum regem certiorem facere, & illius pietatem movere indeſeſſam.

V.

Indecorum valde & profanationi proximum, ut quis ludicra acturus, veſtes clericales, monachales, & aliquando epiſcopales, induat, populorum plauſum excitaturus. Quare, ne id fiat, diſtricte prohibemus, & contravenientes gravi pœna mulctari mandamus.

VI.

Conſulendum tamen iis clericis qui viæ ſe dedentes, gravarentur, ſi conſuetis uterentur indumentis: quocirca liceat iiſdem iter facientibus, veſtimentis uti contractioribus, & ad itinera facienda accommodatis, ſimplicibus tamen, & in quibus honeſtas & decorum ordinis eccleſiaſtici eluceat, quo perſonis Deo dicatis ſuus honos poſſit rependi.

VII.

De clericis ad fora ſæcularia confugientibus, extra caſus a jure conceſſos de litibus diſceptaturis, ſervetur decretum ultimi provincialis: aut ſecus, contraveniens quicumque ſuſpenſionem ipſo facto incurrat, & ad functiones ſuas intra provinciam exercendas nequaquam admittatur, faciatque epiſcopus loci metropolitanum certiorem, quo deinceps comprovinciales epiſcopi rebellem dignoſcentes, a ſuis diœceſibus repellant.

*De promovendis ad beneficia eccleſiaſtica.*

## CAPUT XIV.

Ut integritas eorum qui ad beneficia eccleſiaſtica aſſumuntur, ſalutem animarum procuret, veſtigiis patrum ultimi provincialis inhærentes, reverendiſſimos epiſcopos comprovinciales exhortamur & monemus, ut quæ ab iiſdem patribus de examine promovendorum ad beneficia eccleſiaſtica, ſancita ſunt, in ſuis diœceſibus exequentes, eas perſonas ad regimen aſſumant animarum, quæ mu-

muneribus ſibi impoſitis fructuoſe reſpondere poſſint.

I.

At ne quis pro cujuſvis reſcripti apoſtolici, vel ſimplicis ſignaturæ executione, exiſtimet, vocem ordinarii, in ipſis reſcriptis appoſitam, capitulis, abbatibus, aliiſve ſuperioribus ordinum, etiam alias collatoribus competere: declaramus, clauſulam illam, (*& committatur ordinario*) in hujuſmodi reſcriptis apponi ſolitam, ſolis primatibus, archiepiſcopis, & epiſcopis, ſeu eorum vicariis generalibus convenire & competere: ac proinde, nulla ab hujuſmodi capitulis, abbatibus, & aliis quibuſcumque mandata, aut reſcripta apoſtolica, ſeu ſimplices ſignaturas ex vi hujuſmodi clauſulæ executioni demandari poſſe. Nec ſecus de reſignationibus ex cauſa permutationis factis judicamus, ſed ea omnia ad epiſcopos dumtaxat pertinere, excluſis aliis omnibus, edicimus. Quare ſi quid contra eadem actum fuerit, invalidum ſit & inane, & gravi pœna ab epiſcopis contravenientes quicumque, ſæculares vel regulares, coerceantur.

II.

Neque liceat inferioribus collatoribus, abbatibus ſcilicet, & prioribus conventualibus, laiciſve patronis quibuſcumque, ſi quod forſan jus conferendi ſibi ex privilegio conceſſum ſit, & debite probatum, beneficia eccleſiaſtica curam animarum habentia, conferre, donec ipſi providendi ad eadem beneficia ab epiſcopo examinati, probati, & ad eoſdem remiſſi fuerint: quaſcumque proviſiones & collationes aliter factas, nullas eſſe, & irritas declarantes.

III.

Prohibemus ne quis deinceps officialis aut judex eccleſiaſticus, aut quicumque alii, cujuſvis privilegii prætextu, monitorias excommunicationis literas pro rebus deperditis, aut aliis exceſſibus, ad forum eccleſiaſticum contentioſum non deductis, concedant; ac ſuper matrimoniorum denunciationibus, aut quibuſcumque aliis indulgendis diſpenſationes elargiantur: ſed ea omnia ad epiſcopos, ſeu eorum vicarios generales ſolum pertineant. Atteſtationes autem ſuper vita, moribus, & capacitate ad beneficia eccleſiaſtica in forma gratioſa, quam vocant, obtinenda, optimo eccleſiarum regimini adverſarias concedere, nedum ipſi officiales, aut quicumque alii, ſub pœna ſuſpenſionis, ad arbitrium epiſcopi valeant: ſed neque etiam eas ipſi epiſcopi, niſi pro beneficiis conſiſtorialibus, cuiquam concedant.

*De ſimonia & confidentia.*

## CAPUT XV.

AB origine horrendum Simoniæ ſcelus, eccleſiæ Dei officiens, tantas vires temporis progreſſu ſibi aſcivit, ut interminatione pœnarum excommunicationis, privationis honoris, perpetui anathematis, depoſitionis, infamiæ, ac perpetuæ in monaſterio mancipationis, haud potuerit contineri, cum vel ex ſolo, [illegible], pravitatis, labis, fraudis, infamiæ, contagionis nomine, cujus a patribus inſimulatum eſt & damnatum ſcelus, potuiſſent homines cupidi ab eodem perpetrando avocari. Quia vero iidem tanta cupiditate eccleſiaſticas res pecunia poſſidendi efferuntur, ut, quamvis ſupradictis pœnis jure & ipſo facto perciti, divini judicii acrimoniam non pertimeſcant: acriori nos ſtilo eos ducimus feriendos, variaque ſceleris capita, unde virus in eccleſiæ corpus effunditur, ſeorſum penſata a nobis eſſe præſcindenda.

I.

Plurima olim beneficia, muneribus & donariis clara, eaque pinguiora, ad divina officia in eccleſia Dei continuo peragenda fundare antiquorum Chriſtianorum pietas curavit. Hæc ab eccleſia Dei probata, laudata, cuſtodita. Sanctum ſiquidem, aurum, argentum, æs, & alia id genus in tabernaculum Dei tranſportare, & eidem conſecrare. Sed cum ex adipe prodierit iniquitas, & ingens & egens clericorum turba in eccleſiam ſpecie divini officii accuratius peragendi introducta, laicorum hominum cupiditati & rapacitati nomine fiduciario famulata eſt & inſervivit: tunc prædictorum beneficiorum jura, proventus, reditus, cenſus, ſuppreſſis a ſacrilegis hominibus, titulis, chartis, documentis, contractibus, pro majori parte ab eccleſia ad dominium temporale tranſlata ſunt: pars etiam decimarum parochialium, titulo falſæ infeudationis ſuppoſito & ementito, eodem tranſportata. Quare cum hoc malum præcipuas vires hauriat ab ipſis clericis, ſeu presbyteris, paupertate preſſis, eorumque nomine fiduciario ſuſtentetur: ſtatuimus, ut quicumque clericus vel ſacerdos beneficia eccleſiaſtica, ſive ſimplicia, ſive parochialia, laicorum aut aliorum pernicioſæ utilitati conſulens, eaque ratione nomen accommodans, repertus fuerit obtinere: præter pœnas excommunicationis, privationis, inhabilitatis, depoſitionis, & alias tam in corpore juris quam in ſummorum pontificum conſtitutionibus, & ultimo provinciali Burdigalenſi inſertas & latas, quas ipſo facto & jure incurrat: vel in monaſterium ad vilia miniſteria præſtanda detrudatur, vel intra provinciam, ad ſuorum ordinum functiones exercendas nunquam recipiatur, omni ſpe miſericordiæ, quod eſt a ſacris canonibus ſancitum, eidem ſublata: niſi tamen tanta fuerit ejuſdem pœnitentia, ut a ſanctiſſimo D. N. prius rehabilitatus, & functionibus ordinum reſtitutus, a proprio ſuo ordinario alicui eccleſiæ conſtituatur famulaturus. Laici vero donec reſipuerint, omniaque bona ſuppilata eccleſiæ reſtituerint, terribili anathematis mucrone perfoſſi, ab eccleſia Dei, quam tantopere læſerunt, modis omnibus abſcindantur.

II.

Sed cum præcipua cura debeat eſſe, in ſordida confidentiæ labe detegenda, quo tandem palam facta & comprobata, remediis juris ita confodiatur ut nuſquam reviviſcat, ſed evaneſcat prorſus, & extinguatur: ea nobis viſa ſunt præſcribenda, quibus utcumque pateat abhorrendum ſcelus. Quicumque igitur clerici, vel ſacerdotes, coram ordinario ſuo ad exhibendas beneficiorum ſibi collatorum literas citati, vel

juſſi





juſſi ad ſynodum diœceſanam aſportarent, vel in viſitatione præ manibus haberent, eas non potuerunt exhibere, ſed ab alio detineri faſſi fuerunt: qui ad ſacros ordines, ſine juſto titulo, & ſufficienti ad vitam, promoti fuerunt: qui fructus beneficiorum ad plures annos collocatos in præpotentum domos tranſportari ſiverunt: qui ſæpius ægrotantes eadem beneficia reſignaverunt, & rurſus eadem convaleſcentes retinuerunt: quicumque etiam collatores, & reſignantes, inter quos peſſima quadam conſuetudine convenit ut reſignatum beneficium certæ perſonæ & deſignatæ infallibiliter conferatur: qui ſine intentione clericandi, beneficia ad tempus retinent, in cognatos tandem reſignanda, eoque modo de uno ad alium transferenda, & perpetuo in eadem domo, quaſi hæreditario jure poſſidenda: hi omnes de ſimonia & confidentiæ labe ſuſpecti valde cenſeantur; ac in eos tamdiu procedatur, & inquiratur, quoad ſimonia ſeu confidentia detecta, canonice puniantur. In aliis vero omnibus, ita invigilent ſedulo collatores, ordinarii, ut minima confidentiæ & ſimoniæ ſuſpicio, proviſiones quaſcumque remoretur, judicium ſuſpendat, donec diſcuſſo dubio veritas plenius innoteſcat. In qua quidem inveſtiganda ordinem, cum in Sixti V. Pont. Max. conſtitutione, tum in ultimo provinciali præſcriptum, ſervari præcipimus. Utque ſciant omnes, nulluſque ignorantiæ cauſas conquirere poſſit, ex quibus rationibus agendum: ad extirpandam ſimoniæ & confidentiæ labem, eamdem Sixti V. Pont. Max. conſtitutionem in ſingulis ſynodis diœceſanis, immo & in omnibus eccleſiis parochialibus, per annum aliquoties infra miſſarum ſolennia legi, & publicari, ordinarii ipſi ſollicito ſtudio procurabunt.

III.

Augent impiorum hominum audaciam, perverſa quorumdam conſilia, ac plurimorum in tegendo ſcelere ſilentium. Quare felicis recordationis Pauli II. Pont. Max. conſtitutioni innitentes, quicumque mediatores & adjutores, quo actus ſimoniæ ſeu confidentiæ perficeretur, extiterunt, aut ad id favorem, conſilium, aut auxilium, quomodolibet dederunt: eos omnes ſententiam excommunicationis incurriſſe, a qua niſi a ſummo pontifice abſolvi nou poſſunt præterquam in mortis articulo, declaramus: taleſque iis excommunicationum denuntiationibus quæ in prono ſingulis dominicis, infra miſſarum ſolennia, contra ſortilegos & alios impietatis ſatores feruntur, adjungendos, & pro excommunicatis denunciandos decernimus. Ac inſuper monitorias literas, ſive excommunicationes, quoties ſalubriter videbitur expedire, a ſingulis ordinariis decerni, & per ſingulas diœceſum parochias emitti: quibus, omnibus & ſingulis eccleſiaſticis ſæcularibuſque perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, præcipiatur, ut eos omnes quos ſimoniam & confidentiam hujuſmodi commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe & fuiſſe ſciverint, per ſe vel per alios revelare quantocius non omittant. Quod ſi non fecerint, abſolvi non valeant, donec revelatione facta, tanti criminis detecti complices arctius puniantur. Moneanturque ſæpiſſime, per parochos & concionatores, fidelis populus; eos



omnes qui directe vel indirecte pecuniam ad beneficia eccleſiaſtica, ſibi vel aliis acquirenda, contulerint, promiſerint, aut conferri & promitti curaverint, aut quid aliud pecunia æſtimabile, ad hunc finem contribuerint, excommunicatos eſſe, a via Dei averſos, & a bonis eccleſiæ Dei, penitus excluſos: quibus monitionibus crebro repetitis & inculcatis, ab horribili flagitio fideles retineri non vane confidimus.

IV.

Majores turbas agunt nobiles quidam, infelicium videlicet noſtrorum temporum viri potentes, qui pinguiorum beneficiorum dulcedine illecti, in eam devenere audaciam, ut ſpretis quibuſcumque juribus, diviniſque & humanis judiciis poſtpoſitis, beneficia eccleſiaſtica contra jus omne retinere, ab iiſque juſtos poſſeſſores vi & armis propulſare & depellere contendant. Unde non ſolum turbantur, ſed ceſſant divina officia, eccleſiæ diruuntur, fides quorumdam nutat, plebs, verbi Dei fame enecta jacet, hæreſis dilatatur, ſeminatur impietas & adoleſcit, ira Dei denique in gentes & regna diffunditur, & agri dominici pulchritudo peſſumdatur. Quæ omnia cum ſæpius, nos & reverendiſſimi epiſcopi comprovinciales, maturo judicio penſitaremus, & eccleſiam Dei quaſi Jeruſalem in promorum cuſtodiam tranſlatam compuncto animo cerneremus, armaque militiæ noſtræ in tanta impietate auſos ſacrilegos comprimere non poſſe diujudicaremus, dominique ſalutem eſſe & benedictionem profiteremur ab ipſo piiſſimo laborantium protectore indefeſſis lacrymis petendum duximus, ut quod in manu ſua tenet cor regis, illud tandem inclinet ad ea edicenda & peragenda, quæ ad pernicioſam ſimoniæ & confidentiæ peſtem e regnis ſuis depellendam ſatis valeant. Hæc igitur a Chriſtianiſſimo eodemque piiſſimo & invictiſſimo rege rogamus, ac per viſcera miſericordiæ Dei, in pulchritudine a ſe partæ pacis obſecramus.

1. Bullas ſeu conſtitutiones ſummorum Pontif. Pii V. & Sixti item V. in ſimoniacos & fiduciarios; ad abolendam ſordidæ confidentiæ labem latas, in regnis ſuis publicari, recipi, ſervari, & ſecundum eaſdem lites judicari jubeat.

2. Claros & inſignes pietate viros, cum ex cleri ſupremo ordine, tum ex variis nobilitatis & juſtitiæ ordinibus ſelectos & aſſumptos, ad ſingulas regnorum ſuorum provincias angelos pacis emittat, qui in circuitu timentium dominum, amare defleant ruinas ob infamem illam confidentiam dehiſcentes, & ad eaſdem implendas, capita belluæ inquirant & exquirant diligenter, conquiſita vero & detecta ad ſe deferant, juſtitiæ manu obtruncanda.

3. Eaque ratione quoſcumque præpotentes & nobiles viros, cujuſcumque conditionis, ſtatus, ordinis, & dignitatis exiſtant, fructus beneficiorum eccleſiaſticorum indebite corradentes, juraque eccleſiarum ad ſe trahentes, tanquam ſacrilegos ſeveris pœnis coerceat, atque adeo ex albo nobilitatis expunctos, ab ipſo nobilitatis gradu defeciſſe, edicto publico declaret.

4. Utque ea quæ ſuper his decernentur & finientur, debitæ executioni demandentur,

ANNO CHRISTI 1624.

nulluſque deinceps ad diſturbandam domini meſſem, & domum Dei concutiendam, aſſurgat ſatan: legatis provinciarum committat ac præcipiat, armata manu ſingula judicia, decreta, mandata, & edicta exequantur, tueanturque domum Dei viventis & videntis: donec ſacerdotibus eccleſiæ Dei reſtitutæ, purgatæ, nitidæ, auro incruſtatæ, pelluceant, officia divina in iiſdem reſonent: & ſicut in diebus antiquis piiſſimorum & Chriſtianiſſimorum regum verba vitæ æternæ eo fideles advocent, ad conſtituendum diem ſolennem in condenſis pro feliciſſimo regis Chriſtianiſſimi ſtatu & proſperitate.

V.

*De ſyndico in ſingulis diœceſibus conſtituendo.*

In tantis hujus ſæculi corruptelis, litiumque diſceptationibus & cauſis definiendis, per tot anfractus dilationum & circuitus formalitatum, (ut vocant) ad eundum tot tamque graves impenſæ ſupportandæ, ut ſacerdotes tenuiores, quibuſcumque juribus licet innixi, definitivam tamen ſententiam ſuper beneficiis agitatis ſi expectent, ætatem ſane cum omnibus bonis plane conſumment; quam etiam ſententiam obtentam, refragante adverſariorum prædivitum potentia, executioni demandare nequaquam poſſe, ſatis compertum eſt. Ea de re, nos juſtis & canonicis tenuiorum ſacerdotum conatibus conſulentes, decernimus, in qualibet diœceſi provinciæ noſtræ, virum eccleſiaſticum capacem, presbyterum zelo divino accenſum, & in rebus gerendis ſolertem ſyndicum ab epiſcopo cum clero ſuo in ſynodo diœceſana eligendum & inſtituendum eſſe, qui juſto procuratorio firmatus & conſtitutus, totius diœceſis, cleri nomine, cauſas tenuiorum ſacerdotum ubicumque, quomodocumque, & coram quibuſcumque judicibus, impenſis communibus agere, promovere, & diſceptare teneatur: donec litibus profligatis omnino, & ſacerdotibus in poſſeſſionem pacificam beneficiorum contra reflantem ſacrilegorum audaciam introductis, ex fructibus dictorum beneficiorum obtentorum, habita redituum eorumdem ratione, prædictarum impenſarum pars quædam annuatim, uſque ad plenam ſolutionem, illius diœceſis clero rependatur.

*De ſeminariis.*

CAPUT XVI.

QUia decretum ab ultimo provinciali latum de ſeminariis in ſingulis diœceſibus inſtituendis, nondum ubicumque & uſquequaque executioni demandatum eſſe conſtat: nos neceſſitate hujuſmodi ſeminariorum mature conſiderata, & ſingulis viis & modis quibus finem ab omnibus optatum aſſequi valeamus, magna cum cura penſatis: decernimus, omnia & ſingula in hujuſmodi decreto deſcripta & ſancita a ſingulis epiſcopis comprovincialibus exacte obſervanda; quæ ut quamprimum fiant, eoſdem coepiſcopos noſtros per ſalutem animarum ſibi a ſummo paſtore concreditarum exhortamur & obſecramus. Et ne aliqua tanti boni communicationem remoretur difficultas, cum fere nulla ſint beneficia ſimplicia quæ ſeminariis poſſint annecti & uniri: poſſint comprovinciales epiſcopi unam eccleſiam parochialem dumtaxat, pinguioris præſertim proventus, ſeminariis unire & incorporare: eoque nomine ſanctiſſimo D. N. ſupplicetur, ut in hoc, univerſalis ſuæ providentiæ ſollicitum ſtudium impendat.

*De monaſteriis.*

CAPUT XVII.

I.

QUia quamplurimi priores curati ordinis S. Auguſtini canonicorum regularium, & alii regulares curam animarum habentes, ideo ſe a reſidentia exemptos putant, quod ex voto monaſteriis inſerviendis ſunt deputati: declaramus, quoſcumque regulares curam animarum habentes, ad reſidentiam in prioratibus curatis, & aliis beneficiis quibus animarum cura annexa eſt, præſtandam teneri: abbates vero & quoslibet præpoſitos, ad alios monachos ſuis monaſteriis addicendos obligari. Curent igitur epiſcopi ut hujuſmodi priores & alii regulares in eccleſiis ſuis reſideant, alias pœnis eos in non reſidentes latis coerceant: abbates autem & quoſvis monaſteriis præfectos, ut muneribus ſatisfaciant, jure compellant.

II.

Abbates, priores, & quicumque ex privilegio uſum mitræ & baculi habentes, nequaquam iis ornamentis & inſigniis uti poſſint, niſi intra ſepta monaſteriorum ſuorum: idque de abbatibus titularibus, & ab epiſcopo benedictis ſolum, intelligatur.

III.

Regulares quicumque, ſine licentia ſuorum ſuperiorum vagantes, ab epiſcopis locorum puniantur, & ad ipſos ſuperiores, ut inſtitutum ſuum ſervent, remittantur. Eremitæ vero ſine licentia epiſcoporum a cellulis diſcedere non præſumant: aut ſecus, ſevere coerceantur.

IV.

Controverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe cum ſcandalo oriuntur inter eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares quam regulares, cum in proceſſionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, in deferenda umbella, & aliis ſimilibus, epiſcopus, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque componat. Exempti autem omnes tam clerici ſæculares, quam regulares quicumque, etiam monachi, ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur, iis tantum exceptis qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

V.

Monaſteria autem, eccleſiæ, conventus, aut collegia ædificari non poſſint, nec ulla congregatio ſæcularis aut regularis, in quibuſcumque diœceſum locis inſtituatur & firmetur, ſine licentia & expreſſo conſenſu epiſcopi.

De



ANNO CHRISTI 1624.

*De prioratibus & capellis.*

CAPUT XVIII.

INNUMERA pene beneficiorum ſimplicium, maxime regularium, multitudo pro continuo divinæ majeſtatis celebrando cultu, anteceſſorum noſtrorum pietatem & zelum arguit indefeſſum: ſed hoc noſtro ævo infelici beneficiorum hujuſmodi expilatio, & ſordidæ avaritiæ & irreligioſæ profanationi ſubſerviens proſtitutio, majorum zelum in filiorum cordibus jamdudum extinctum eſſe commonſtrat.

I.

Quare ſollicito ſtudio epiſcopi quoſcumque prioratus ſimplices cujuſvis ordinis ſæcularis vel regularis, ſingulis annis, & quoties opus eſſe judicaverint, viſitare aggrediantur, diligenterque quænam officia divina ipſis ſint impendenda, quæ onera ſupportanda, quive fructus, cenſus, & proventus redeant quotannis, & a quo percipiantur, exquirant: ut eo modo præcognitis officiis divinis & oneribus, ea tandem in eccleſiis prioratuum hujuſmodi continuo decernant perſolvenda: ſi vero nulla ratione quænam ſint, inveſtigari poſſit, tunc ſingulorum beneficiorum cenſibus & proventibus ponderatis, prout magis vel minus accreſcere & decreſcere dignoſcentur, de officiis peragendis ita cenſeant ordinarii, ut eadem beneficiis plene reſpondeant; contravenientes quoſcumque priores, per ſequeſtrationem fructuum, & alias pœnas ad debita onera compellendo: non obſtantibus quibuſcumque pravis conſuetudinibus, & corruptelis in contrarium allatis.

II.

In his autem prioratibus viſitandis, ubi eccleſiæ dirutæ, & priorales domus, ſive temporum injuria, ſive priorum incuria disjecta jacent, ordinarii debito incumbentes officio, ex reditibus dictorum prioratuum certam quot annis partem, pro arbitrio ſuo definiendam, in hujuſmodi eccleſiarum reſtaurationem, & domorum reædificationem, decernant impendendam; donec omnibus priſtino ſtatui reſtitutis, antiquus etiam cultus & debita reducantur officia. Et ne tam ſalutaris decreti executionem ullum remorari poſſit impedimentum, per ſequeſtrationem fructuum hujuſmodi beneficiorum, vocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, ordinarii ipſi procedant.

III.

Præcipue inveſtigandum an hujuſmodi prioratus pinguioris reditus, ſimplices nuncupati, conventuales exiſtant: quod vel ex ipſis eccleſiarum ædificationibus, & ædificiorum formis & figuris, vel ex horum omnium ruderibus facile diſpici poteſt. Sique eos inter conventuales annumerari conveniat: curandum, ut tot religioſi in eis inſtituantur, quot conſuetudo & proventuum rationes exigere videntur. Neque in hoc audiendi priores commendatarii reclamantes, ſed ad debita officia & onera hujuſmodi accurate reddenda, debitis juris remediis compellendi. Quod ſi forſan tot religioſi ſtatim non inveniantur, beneficiorum hujuſmodi fructibus ſuſtentati ſacerdotes ſæculares, religioſorum onera & officia auctoritate ordinarii ſuppleant; donec ipſi reperti muneribus ſuis ſatisfacere perſpiciantur.

IV.

Monaſteria autem cujuſcumque ordinis, pro majori parte ſolo æquata, & in quibus officia divina pro inſtituti ratione non rependuntur, curent ordinarii ut reſtituantur, parſque tertia proventuum reparationibus & ædificationibus applicetur, donec reſtaurato monaſterio, clauſtis, & domibus extructis, monachi regulam & inſtitutum ſervare poſſint.

V.

Providendum certe capellis, quarum bonis pro majori parte uſurpatis & ſuppilatis, ex ſolo earumdem nomine pietas fundatorum commendatur. Idcirco nos ut tanto ſacrilegio utcumque occurramus, in omnibus noſtræ provinciæ, metropolitana, cathedralibus, collegiatis, aliiſve regularium & mendicantium eccleſiis, primo quoque trimeſtri, cathalogum ſeu inventarium omnium capellaniarum inibi reſpective fundatarum fieri, officia cujuslibet notari, bona & cenſus exquiri, fundationes evolui, & quænam officia & onera cuilibet impoſita, deſcribi, capellanos quoſcumque citari, & ad officia pendenda, & onera ſupportanda, cogi decernimus: ac deinceps idem inventarium, ita cum exacta cura perfectum ad ordinarium deferri: ex quo cum duobus canonicis a capitulo deputatis, ipſe ordinarius, capellaniis certi proventus recognitis, & probatis, officia deſtinet facienda, & catalogum e quo quæ cuilibet capellaniæ officia conveniant, & quibus peragenda, pateat, choro affigi decernat: de aliarum autem capellaniarum proventibus minus certis, amplius inquirendum cenſeat. Sed de iis quarum tanta onera præſcribuntur, ut habita redituum ratione rependi non poſſint, cura erit epiſcopi ea ad juſtum penſum reducere, & ſacra facienda ad pauciorem numerum redigere. Quod de iis capellaniis in aliis eccleſiis fundatis fieri omnino cenſemus: tandiuque procedendum donec hujuſmodi capellaniarum probatione habita, eiſdem canonice provideatur.

VI.

Et ne, quod ſupereſt hujuſmodi capellaniarum, incuria aliqua depereat, ſed potius conſervetur, deperdita vero aliquo pacto recuperentur: ſtatuimus edicto publico, per ordinarios ferendo, monendum eſſe populum in quibuslibet diœceſum eccleſiis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut quicumque bona, reditus, cenſus, prædia, agros, aut alia quæcumque ad quaſcumque capellanias pertinentia indebite poſſident, & retinent ea, ſtatim capellanis quamprimum reſtituant: quicumque autem inſtrumenta, documenta, & fundationes earumdem, precipue notarii, apud ſe detinent, nomina capellaniarum, proventuum & redituum earumdem, ſuper & exquibuſcumque domibus & prædiis debitorum norunt: qui denique officia divina & onera ratione hujuſmodi capellaniarum perſolvenda & ſupportanda, vel viſu



vel

vel auditu, vel quoquo pacto ſciverint, ea omnia patefaciant, dicant & revelent: curentque ſollicite rectores eccleſiarum, ut cunctos ſuos parochianos, peccati gravitate penſata, ad veritatem detegendam impellant.

VII.

Sed neque ſatis. Cum enim maxima pars hujuſmodi capellaniarum, a pueris clericis, habitum clericalem non geſtantibus, occupetur: edicto eos publico, præ foribus eccleſiarum, in quibus hujuſmodi capellaniæ ſunt fundatæ, affigendo, citari decernimus, ut coram ordinario infra competentem terminum ſiſtentes, jurejurando ab eis præhabito dicant quot & quales capellanias retinent, quæ earumdem bona, cenſus, reditus, ubi ſita, quas fundationes, documenta & inſtrumenta, apud ſe habeant: ex quibus ſtatus hujuſmodi capellaniarum perſpici poſſit, & probari, eaque exhibeant, ſtatim dicant, & patefaciant: ſed & quænam officia præſtanda, & onera ſupportanda, vel ex ſe ipſo, vel ex fama publica dignoſcentes declarent. De quibus omnibus, omni meliori forma & modo, actum, quo ſtatus, ordo & conditio hujuſmodi capellaniarum conſerventur, conſcribi præcipimus: rebelles vero, contumaces, & citationi non ſatisfacientes, tamdiu debitis juris remediis agitari decernimus, quoad vel debitæ citationi pareant, & juſſis ordinarii obſequantur, vel tandem ipſis capellaniis priventur, aliique demum capaces & idonei ſubſtituti officia divina accurate perſolvant.

VIII.

Ac ne poſt hac hujuſmodi capellaniarum ordinem & ſtatum bene reſtitutum, ulla perturbet confuſio: ſtatuimus omnium inſtrumentorum, fundationum, & documentorum quorumcumque, atque etiam actorum perquiſitionis proventuum, & ſtatus hujuſmodi, ac etiam bonorum immobilium, duo inventaria facienda eſſe; quorum unum in eccleſia, in qua ipſæ capellaniæ dignoſcuntur fundatæ, alterum in archivio cathedralis aſſervari & cuſtodiri decernimus: ac inſuper tabulam in qualibet eccleſia affigendam, ex qua quibuſcumque clarus ſit & pateat numerus capellaniarum: officia denique, & onera: quo capellani in aliquo deficientes, ſtatim diſpici queant, & ad ordinarium deferri.

*De monialibus.*

CAPUT XIX.

MONIALIUM monaſteria, hortos ſponſarum Chriſti concluſos, intra quorum ſpinoſa ſepta pulchritudinem expendunt, ſuaviſſimos odores exhalant liliata ſerta, omni cuſtodia cuſtodiri, & ne ulla ex parte aquilonum rigore unquam marceſcant, circumcludi providendum.

I.

Quapropter ſacris canonibus inhærentes, epiſcopi ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, monentur, ut in omnibus monaſteriis exemptis, & non exemptis, clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent: inobedientes, atque contradictores, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

II.

Nemini autem monialium liceat, poſt profeſſionem, exire a monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque pretextu, niſi ex legitima cauſa, ab epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & privilegiis non obſtantibus.

III.

Ingredi autem intra ſepta monaſterii nemini liceat, cujuſcumque generis, aut conditionis ſexus, vel ætatis fuerit, ſine epiſcopi vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum epiſcopus vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſariis: neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.

IV.

Sed libertati profeſſionis virginum Deo dicandarum proſpicientes, ſtatuimus atque decernimus, ut puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante, eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit epiſcopus, vel, eo abſente, vel impedito, ejus vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat; & ſi voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requiſitas juxta monaſterii illius & ordinis regulam, nec non monaſterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cujus profeſſionis tempus ne epiſcopus ignoret, teneatur præfecta monaſterio eum ante menſem certiorem facere. Quod ſi præfecta certiorem epiſcopum non fecerit: quamdiu epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit. Ne vero puella intra ſepta monaſterii recluſa voluntatem minus declaret, ex monaſterio egreſſa coram altari eccleſiæ præcipuo audiatur; & ſi perſeveret, clauſuram ſtatim repetat.

V.

Hinc fit, ut ex ſacris canonibus, anathemati ſubjiciamus omnes & ſingulas perſonas, cujuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, ſæculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in caſibus in jure expreſſis, ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque religionis, vel ad emittendam profeſſionem: quicumque conſilium vel favorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubjicimus eos qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine juſta cauſa impedierint. Eaque omnia & ſingula, quæ ante profeſſionem vel in ipſa profeſſione fieri oportet, ſerventur, non ſolum in monaſteriis ſubjectis epiſcopo, ſed in aliis quibuſcumque. Cæterum in aliis rebus conſtitutio Gregorii XV. a præſenti concilio recepta & publicata ſervetur.

*De ſepulturis.*

CAPUT XX.

IN hoc conveniunt omnes populi, ut de ſepulturis ſit illis præcipua cura: ſed præſertim Chriſti fidelibus, ut uno in loco religioſo, bene ſepto & rite benedicto, ab omnibus ſordibus alieno, membra, Spiritus ſancti quondam templa, in reſurrectionem vitæ e pulvere proceſſura, ſepeliantur, & ab eis quævis arceantur profana, & ſubmoveantur, procurare, ſemper commendatiſſimum.

I.

Cumque ultimum provinciale concilium de ſepulturis agens, ea ſanxerit quæ olim ſanctos patres religioſe cuſtodiſſe ſacræ teſtantur hiſtoriæ: eadem nos innovantes, omnibus parochis, eccleſiarum æditiis, ac dominis temporalibus, ne cui deinceps intra eccleſias jura ſepulturæ, & cujuſvis ſedis imponendæ, & in eis retinendæ, concedere poſſint, interdicimus. Sed ea facultas duntaxat epiſcopis reſervetur, qui penſata perſonæ qualitate & merito, ita ea concedant, ut raro in heredes tranſire ſeu transferri poſſint: neque intra chorum ſeu cancellos eccleſiarum: niſi rariſſime, & inter quæ, & præcipuum eccleſiarum altare, decem ſaltem pedes intercedant.

II.

Non liceat autem in eccleſiis jura ſepulturæ obtinentibus, ſupulturæ ſuperficiem a terra vel tantillum erigere: ſed ea pavimento ſit æqualis ſemper. Sique monimentum aliquod incidi petant, id in parietibus, de licentia ordinarii tantum fieri poſſit; nullumque jus ſepulturæ quævis uſurpatio, ſine titulo ab epiſcopis conceſſo, cuiquam acquirere valeat: poſſintque viſitatores eccleſiarum officio incumbentes, omnia ſedilia, ſine auctoritate epiſcopi, eccleſiis impoſita, amovere, & de ſepulturis conceſſis inquirere, ne hac ratione eccleſiarum pax & populi interturbetur.

III.

Poterunt autem ſacerdotes, eccleſiarum patroni ſive fundatores, & domini temporales, parochiarum juriſdictionem ſæcularem habentes, in eccleſiis ſepeliri: ſed in eorumdem funeribus funebres orationes haberi, ſine epiſcopi licentia, prohibemus. Quæ tamen ſi unquam fieri concedantur, caveant concionatores, ne vana vane commendare cenſeantur.

IV.

Cœmeteria vero religioſe olim habita, modo aperta & profanationi proſtituta, curent quamprimum epiſcopi, ut quacumque ratione concludantur: & ſi quæ viæ publicæ in iiſdem reperiantur, ceſſent amodo, obſtruantur, & alio transferantur: vel ſi id fieri non poſſint, muri utrimque conſtruantur, vocato adhoc, ſi opus fuerit, poteſtatis ſæcularis auxilio.

V.

Sed ut eccleſiis debitus honor & cultus rependatur, cœmeteriis autem ſua conſervetur ſanctitas & religio: ſi quæ hæreticorum in iiſdem tumulata ſint cadavera, exhumari, & extra eccleſias & cœmeteria tranſportari, locaque reconciliari, vocato ad hoc, ſi opus, poteſtatis ſæcularis auxilio, quam primum præcipimus. Et ne ſub ſpecie humanitatis, ulla catholicis inuratur impietatis & hæreticæ pravitatis macula: ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda, omnibus & quibuſcumque perſonis, ne deinceps funeribus, baptiſmis, matrimoniis, ſponſalibus cæteriſque actionibus hæreticorum, irreligioſum eorum cultum redolentibus, intereſſe poſſint, interdicimus. Curentque epiſcopi autoritate præſentis concilii, tales perſonas, niſi ab his impietatibus abſtinere velint, nominatim denuntiare.

VI.

In ſepeliendis autem fidelium corporibus, prohibemus ne quis ea regularis e domo efferat, aut ſtolam ad id gerat extra ſui monaſteri ſepta, neve ſacramentum euchariſtiæ ad infirmos deferre, aut mulieres puerperas in eccleſiam introducere præſumat: cum ea omnia ad parochos pertinere dignoſcantur. Qui ſecus fecerit, graviter ad arbitrium ordinarii puniatur. Nunquam autem quivis regulares, ad eligendam ſepulturam in ſuis monaſteriis, ſub pœnis in conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit, *Animarum periculis*, contentis ullos inducant.

*De viſitatione.*

CAPUT XXI.

I.

QUONIAM ea quæ ad viſitationem fructuoſe & canonice in quibuslibet eccleſiis perficiendam neceſſaria videbantur, fuſe admodum & exacte ab ultimo provinciali declarata ſunt & tradita: ea nos omnia & ſingula innovantes, & obſervari præcipientes, ſacris canonibus innixi: decernimus inſuper, monaſteria cujuſcumque ordinis, quorum regulares congregationibus generalibus ſive provincialibus nondum aggregati, aut in quibus, licet aggregati ſint, regula & inſtitutum nullo modo ſervatur, ab ordinariis epiſcopis locorum ſingulis viſitanda: non obſtantibus exemptionibus, conſuetudinibus & privilegiis quibuſcumque in contrarium allatis, contradictores omnes pœnis, ſanctorum patrum conſtitutionibus latis, compeſcendo.

ANNO CHRISTI 1624.

II.

Archidiaconi vero & alii, de conſenſu ordinarii epiſcopi duntaxat viſitantes, & quicumque id munus exequentes, jus procurationis, niſi perſonaliter viſitent, exigere non poſſint.

III.

Archipresbyteri ſeu decani in ſingulis diœceſibus conſtituti, jugi circumſpectione mores clericorum, ſtatum & ordinem parochiarum, ac etiam laicorum, ſollicite obſervent & proſpiciant, deque iis omnibus ſingulo quoque menſe epiſcopum certiorem faciant. Et ne propter archipresbyteratus diſtantiam minus officio ſuo ſatisfacere poſſint: in cujuslibet archipresbyteratus tractu, duo rectores aut plures pii eccleſiaſtici teſtes ſynodo diœceſana ab ordinario nominati & electi, archipresbyteris ſeu decanis adjungantur, qui zelo regiminis eccleſiaſtici inflammati, ſedulo invigilent, & ordinatium ſtatis temporibus, de ſtatu, conditione, & exceſſibus hujuſmodi archipresbyteratus certiorem faciant: poſſintque ordinarii archipresbyteris, decanis, & teſtibus ſynodalibus inquiſitionum ſeu informationum conficiendarum, ſine alio ſpeciali mandato, facultatem, quo citius quæcumque vitia purgentur, & cuncti in ordine contineantur, concedere: quas inquiſitiones & alias probationes ab iiſdem perfectas, teneantur officiales recipere, & ex iiſdem ad alia juris remedia procedere.

IV.

Syndici autem, æditui, operarii, & alii bonorum eccleſiarum receptores, aut procuratores quicumque, teneantur coram epiſcopis, & aliis de eorum conſenſu eccleſias hujuſmodi viſitantibus, rationes ſuæ adminiſtrationis exhibere & reddere; examinatis autem omnibus, quæ ſuperfuerint, ipſis eccleſiis impendere.

*De concilio provinciali & pœnis.*

CAPUT XXII.

QUIA ab ipſius naſcentis eccleſiæ exordio, caritate præſertim tum efferveſcente, nihil utilius ad propagandam fidem, ſuavius ad corrigendos exceſſus, ſolidius ad populos intra terminos antiquorum continendos adinventum eſt, quam ut certis temporum intervallis epiſcoporum conciliæ haberentur: nos eam curam in nobis, & reverendiſſimis epiſcopis comprovincialibus, ita excitandam eſſe ducimus, ut ea deinceps cogere nunquam omittamus: hinc ſperantes tot malorum ſegetes, ex nefariis noſtrorum temporum hæreſibus, nefandis impietatibus adhuc pullulantes, eradicari poſſe, & ad vitæ æternæ ſemina ſuſcipienda novale novari.

I.

Quare ultimum concilium provinciale, primum poſt ſacroſanctum & œcumenicum Tridentinum, tanta cura, ſollicitudine & labore, a bonæ memoriæ Antonio prædeceſſore noſtro, & reverendiſſimis tum epiſcopis comprovincialibus habitum & abſolutum, a ſancta ſede apoſtalica in benedictione approbatum, & ab omnibus cum plauſu & mentis jubilatione receptum approbantes; omnia & ſingula illius decreta in omnibus ſervari præcipientes, ſtatuimus, ſecundum provinciale noſtrum Deo favente, ad triennium, ab hinc proximum, in hac metropoli, die a nobis indicenda habendum eſſe, & celebrandum; in quo peragendo eam a nobis & reverendiſſimis coepiſcopis formam, quæ ab ultimo canonice præſcripta eſt, ſervandam fore declaramus.

II.

Teneantur omnes epiſcopi, ſub pœnis ſacris canonibus latis, ſtata die concilio adeſſe. Itaque in benedictionibus tempora prævenire curent, ut illuminata mente, & purgato ſpiritu principali affectu, conjunctis & ſollicitis animis eccleſiæ Dei providere poſſint.

III.

Et ne tot decreta condere, & canones conſtituere, vanum ſit & infructuoſum, niſi ſeveris pœnis in contravenientes latis eadem demum firmentur, & in vigore conſerventur: præter eas pœnas in ultimo & præſenti concilio fixas, & conſtitutas, aliæ etiam omnes ſacris canonibus & conſtitutionibus inſertæ, quas innovamus, ab omnibus epiſcopis, officialibus, & judicibus eccleſiaſticis quibuſcumque, adduci poſſint, & juxta eaſdem contravenientes quicumque puniri.

IV.

Sed caveant quicumque, ſive epiſcopi, ſive officiales, & judices eccleſiaſtici, in hujuſmodi pœnis & mulctis infligendis, ne quid commoditati propriæ, & utilitati conſulentes, ſibi attribuant: ſed omnia prorſus in pios uſus convertant & impendant, parte tamen aliqua pro eorum arbitrio accuſatoribus & delatoribus relicta.

V.

Quoniam autem nihil tam clarum & apertum quin ſubinde tergiverſatio aliqua offuſcare poſſit; hincque difficultates & ambiguitates quædam ſuboriri poſſent, executionem decretorum impeditura: omnium & ſingulorum decretorum præſentis concilii, declarationem, elucidationem, & interpretationem, donec proximum provinciale habeatur concilium, ad nos pertinere definimus.

VI.

Cumque multa in præſenti concilio, quæ particularem cujuslibet diœceſis ſtatum attingunt, forent decernenda: ea nobis & reverendiſſimis epiſcopis, in ſynodis diœceſanis, ex ſacris canonibus, pro prudentia & zelo linquimus definienda.

VII.



ANNO CHRISTI 1624

VII.

Et ne aliquis harum noſtrarum conſtitutionum ignorationem prætendere poſſit, omnibus reverendiſſimis coepiſcopis noſtris mandamus, ut eaſdem in proximis ſuis ſynodis publice legi & recitari jubeant. Omnibus autem ordinis eccleſiaſticis viris præcipimus, ut intra tres menſes, poſtquam prædictarum conſtitutionum liber editus fuerit, eundem ſibi comparent, apud ſe habeant, atque diligentiſſime legant, & mente teneant: idemque in ſingulis cathedralibus, collegiatis & parochialibus eccleſiis, certo aliquo loco repoſitus aſſervetur: declarantes univerſas has conſtitutiones, poſt ſextum menſem, a die earum promulgationis, in eccleſia noſtra metropolitana factæ, plenam autoritatem habituras, ac ex eo tempore omnes & ſingulos, earum obſervationi perinde devinctos, & obligatos eſſe, ac ſi ſingulariter eis præſentibus ſignificatæ & intimatæ fuiſſent; & ſi contra quicquam admiſerint pœnis & mulctis, quæ in eis conſtitutæ ſunt, teneri. Ab eo etiam promulgationis die tempus eorum decretorum inchoari decernimus, quibus certo præſcripto dierum ſpatio, aliquid præſtari juſſum eſt.

VIII.

Hæc autem omnia & ſingula concilii præſentis decreta, ut noſtra omnia, ſanctiſſimo domino noſtro, Chriſti in terris vicario, univerſalis eccleſiæ moderatori ſummo, æternum vigilantiſſimo, perluſtranda, corrigenda, emendanda, & amplianda, genibus in obedientiam flexis ſummittimus: faxitque ſummus animarum paſtor, lux vera, lumen de lumine, ut lucerna humilitatis noſtræ pro curandis animabus, ad eum accedens illuminetur, & facies noſtræ non confundantur.

NOS F. T. S. Praxedis S. R. E. P. cardinalis, hujus Baſilicæ archiep. Aquit. primas, hæc decreta a nobis definita ſubſcripſimus.

*F. cardinalis arch. Burd.*

Ego Antonius epiſc. Condomienſis ſubſcripſi.
Ego Antonius epiſcopus eccleſiæ Engoliſmenſis ſubſcripſi.
Ego Henricus Ludovicus epiſcopus Pictavienſis ſubſcripſi.
Ego Franciſcus epiſcopus Petracoricenſis ſubſcripſi.
Ego Michael Raoul epiſcopus Santonenſis ſubſcripſi.
Ego Henricus epiſcopus Malleacenſis ſubſcripſi.
Ego Emericus epiſcopus Lucionenſis ſubſcripſi.

NOMINA ET COGNOMINA procuratorum, cum cathedralium, tum aliarum eccleſiarum, qui concilio interfuerunt.

*Procuratores eccleſiæ metropolitanæ.*

JACOBUS Deſaigues, decanus.
Petrus Peyriſſac, canonicus, archidiaconus.
Gilbertus Grimaud, canonicus.
Petrus Moiſſet, canonicus.

*Procurator eccleſiæ Pictavienſis.*
Petrus Couſtiere, canonicus.
*Procuratores Santonenſis eccleſiæ.*
Guillelmus Truoy, canonicus.
Helias Pitard, canonicus.
*Procuratores Aginnenſis eccleſiæ.*
Balthazar Gelas, archidiaconus major.
Petrus Sauveur, canonicus.
*A parte cleri Aginnenſis.*
Joannes Girardin.
Joachim de Bourges.
*Procuratores eccleſiæ Condomienſis.*
Antonius de Cous, canonicus & archidiaconus major.
Stephanus Margeon, canonicus.
*A parte cleri.*
Joannes de Foix, rector Neraci.
Bortholomæus la Fargue, rector Deſprez.
*Procuratores Engoliſmenſis eccleſiæ.*
Joannes Meſneau, Theſaurarius eccleſiæ Engoliſmenſis.
Leonardus de la Foreſtie, canonicus.
*Procuratores Petracoricenſis eccleſiæ.*
Joannes Pichard, canonicus & archidiaconus.
Petrus du Chaiſne, canonicus, archidiaconus.
*Procurator monaſterii cathedralis Malleacenſis.*
Frater Valentinus Ourry, infirmarius Malleacenſis.
*A parte cleri.*
Hilarius de la Pommeraye, archidiaconus.
Jacobus Vaslin, rector Fonteniaci.
*Procuratores Lucionenſis eccleſiæ.*
Henricus Admirant, canonicus.
Franciſcus Richetean, canonicus.
*A parte cleri.*
Renatus Favier, canonicus & ſuccentor.
Hilarius Calier, canonicus eleemoſynarius.
*Procurator eccleſiæ Sarlatenſis.*
Paſchalis de la Brouſſe, canonicus.
*A parte cleri.*
Joannes de Carbonniers de Jayac, decanus eccleſiæ Sarlatenſis.

*Procuratores eccleſiæ collegiatæ S. Severini, qui initio tantum interfuere, ob præcedentiam ante procuratores cathedralium non conceſſam.*

Joannes de Coſages, theſaurarius.
Petrus de Cruzeau, ſacriſta.
Joannes de Moucy, canonicus.
Petrus de Beaulieu, canonicus.
*Procurator eccleſiæ collegiatæ S. Æmiliani.*
Romanus Barbot, canonicus eleemoſynarius.
*Procurator monaſterii ſanctæ crucis Burdegalenſis.*
Frater Archambaudus Chriſtut, monachus ſubprior.
*Nomina theologorum & canoniſtarum, & primo metropolitanæ eccleſiæ.*
Gilbertus Grimaud, doctor facultatis Pariſienſis.
Raymundus de Strictis, ſociet. Jeſu.
Jacobus Gordonus, ſociet. Jeſu.
Aſcenſius Henriquez de Monnegro, doctor theologus, & canoniſta.
F. . . . . Jordanus ord. S. Franciſci de obſervantia.
F. Sylveſter Grandis, recollectus.
Bernardus Deſpruts, canonicus Santonenſis, doctor theologus, vocatus ab illuſtriſſimo D. metropolitano.
Frater Archambaudus Chriſtut, doctor theologus.

San-

ANNO CHRISTI 1624.

*Santonenſis eccleſiæ.*

Helias Pitard, doctor Theologus.

*Aginnenſis.*

Petrus Sauveur, doctor theologus.
Bernardus Daure, doctor theologus.
Imbertus Rocquiert, doctor theologus.

*Pictavienſis.*

Petrus Humeau, doctor theol.
Dionyſius Guilloteau, doctor theol.

*Condomienſis.*

Stephanus Margeon, doctor theol.
Joannes Daure, doctor theol.
Bartholomæus la Fargue, doctor theologus.

*Petracoricenſis.*

Joannes Pichard, doctor theolog.

*Malleacenſis.*

F. Valentinus Ourry, doctor facult. Pariſienſis.
Hilarius de la Pommeraye, doctor facult. Pariſienſis.
Jacobus Vaslin, doctor facultatis Pariſienſis.
F. Rolandus Bourdon Auguſtinianus, doctor facult. Pariſienſis.
Petrus Charon, in decretis baccalaureus.

*Lucionenſis.*

Jacobus de la Boulaye, Baccalaureus in Theolog. facult. Pariſienſis.

*Sarlatenſis.*

Paſchalis de la Brouſſe, doctor Theol.

*Promotores concilii.*

Petrus Peyriſſac, & Joannes Meſneau, qui ſupra.

*Secretarii concilii.*

Joannes Bertheau, archidiaconus metropolitanæ, & Petrus Sauveur, qui ſupra.

## ACTA. EJUSDEM CONCILII.

*Edictum de concilio.*

FRANCISCUS, miſeratione divina S. R. E. tituli ſanctæ Praxedis presbyter CARDINALIS de SOURDIS, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus Burdigalenſis, Aquitaniæ primas.

Concilia provincialia bis quondam in anno haberi ſolita, & per ſacroſanctum & œcumenicum Tridentinum ſingulo quoque ſaltem triennio in ſingulis provinciis habenda, etſi turbata Gallia, in eccleſia noſtra metropolitana nondum habere potuimus: nunc tandem, armis invictiſſimi Ludovici XIII. Chriſtianiſſimi Galliarum regis, pace reducta, favente Chriſto Jeſu ſalvatore noſtro, quamprimum cogere aggredimur. Cum enim is optimus conſervandæ diſciplinæ eccleſiaſticæ a patribus divino numine afflatis ſit introductus modus, ita ſollicite ac fructuoſe olim ſervatus; & pro corrigendis exceſſibus, moribus reformandis, querelis & controverſiis componendis, ab œcumenico Tridentino ſalubriter demum innovatus: viſum nobis incumbendum in hanc curam, qua deinceps concilia provincialia ſtatis temporibus habeantur. Quare nos, quod ad majorem omnipotentis Dei gloriam & ſanctorum ejus, eccleſiarumque provinciæ noſtræ incrementum bene vertat & cedat: concilium provinciale in eccleſia noſtra metropolitana Burdigalenſi ad Cal. Octob. proximiores habendum & inchoandum decrevimus, ad idque reverendiſſimos DD. epiſcopos comprovinciales noſtros, per literas A noſtras ad ſingulos nominatim datas evocavimus: univerſis ideo & ſingulis, qui pro more hujus provinciæ de jure vel conſuetudine conciliis provincialibus conſidere debent, & aliis quibuſcumque, etiam exemptis, qui ſua intereſſe putant, mandantes, ut ſub pœnis in jure & ultimo provinciali contentis ad condictam diem adeſſe curent: pios quoſcumque fideles, qui in agro dominico confertas ſegetes ad meſſem inalbeſcere exoptant, pro tantis operariis, dominum meſſis rogent, enixe hortantes. Ac ne quis inſcius a concilio abſit & deficiat, neve cauſam ignorantiæ prætendere poſſit: præſens edictum fieri, & per ſecretarium noſtrum ſubſcribi, ſigilloque noſtro muniri juſſimus: B idque ad valuas, cum metropolitanæ noſtræ, tum ſingularum cathedralium, & inſignium collegiatarum affigi voluimus. Burdigalæ, die 28. menſis Julii, anno domini milleſimo ſexenteſimo vigeſimo quarto.

ANNO CHRISTI 1624.

## LITERÆ SCRIPTÆ AD reverendiſſimos DD. epiſcopos provinciæ.

*FRANCISCUS MISERATIONE divina S. R. E. tituli ſanctæ Praxedis, &c. Reverendiſſimo domino epiſcopo N. ſuffraganeo noſtro ſalutem in domino.*

REVERENDISSIME DOMINE: Quod C tantopere, ab ipſius aſſumptionis noſtræ ad ſedem Burdigalenſem exordio, optavimus; & a Deo Patre & ſalvatore noſtro Jeſu Chriſto, in Spiritu ſancto demiſſe expetere conati ſumus: ut ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, controverſias componendas, aliaque ex ſacris canonibus permiſſa, ad præſcriptum ſacroſancti œcumenici concilii Tridentini, & nuperi provincialis Burdigalenſis opportuno tempore ſynodum provincialem cogeremus: id tandem tempore accepto agendum ſuſcepimus. Quare pro ſuſcepti regiminis officio provinciæ noſtræ reverendiſſimos epiſcopos ad ſynodum epiſcoporum evocare rati, eandem in noſtra eccleſia metropolitana Burdigalæ ad D calendas proximiores Octobris inchoandam & habendam cenſuimus & ediximus, ad eamque amplitudinem V. pro autoritate noſtra metropolitana vocare, & ut ſtato die omnino interſit, monere, prout præſentibus noſtris literis vocamus & monemus: niſi (quod abſit) aliquod te juſtum quo minus adeſſe concilio queas, detineat impedimentum: quo tamen exiſtente, tuum erit, id quamprimum nobis ſignificare, & juxta canonicas ſanctiones probare; Procuratoremque ita ac in ultimo provinciali præfinitur, ad ſynodum mittere, ſtatum & ordinem tuæ diœceſis demonſtraturum, & a concilio decernenda, ad te demum relaturum. Cum enim ſacrorum canonum decreE ta, & patrum ultimi provincialis veſtigia, una cum reverendiſſimis coepiſcopis noſtis in concilio tum exiſtentibus, exacte premere cupiamus: cogeremur certe, pœnis te in dicto provinciali contra abſentes latis vel inviti ferire. Eoque nomine, amplitudinem V. reverendiſſimam, ne nobis & ſibi deſit monemus: ac præterea, ut edictum noſtrum ſuper celebratione ſynodi paucis verbis conceptum, & in his literis incluſum, in ſuæ cathedralis & aliarum inſignium ſuæ diœceſis, ſi quæ ſint, eccleſiarum valuis, ut quibuſcumque innoteſcat, & nullus excuſationi pateat aditus, affigendum & publicandum diligenter curet, illiuſque publicationis per acta publica cito nobis fidem facere velit. Quod vero antiſtitem ad ſynodum provincialem accedentem, aliquot cum dignitate tum eximia & ſingulari pietate præſtantes viros, ex ſacrorum canonum decretis ſecum adducere juvat & præcipitur, quo citius videlicet, dilucidius, & uberius ſingula pertractentur, & ea quæ correctione indigere videbuntur, ſuavius in ordinem reducantur, quæque ſancte decreta fuerint, facilius animis demittantur & executioni demandentur; ſintque qui ad futurum concilium contravenientes, & a recto canonum tramite aberrantes, quoſcumque deinde rebelles, infracto animo deferant puniendos, aliaque ſtatuenda certis locis & per concilium ſtabilienda ſollicito ſtudio pervideant & inveſtigent: idcirco, amplitudinem V. reverendiſſimam hortamur, tria præſtare velit: primum quidem ut duos ex capitulo ſuo, & doctrina & probitate præſtantes viros ſecum ducendos, qui ſynodi tractatibus intereſſe poſſint, & ſuper iis maxime quæ rem ipſius capituli contingunt, proſpicere, aſſumat. Alterum, duos etiam ex totius cleri corpore, qui rerum experientia & doctrina prævalentes, ſynodo prodeſſe poſſint, accerſat. Denique ut alios item duos, & eos quidem pro ſingulari ſua vigilantia ſpiritu ferventes, & quorum corda zelus domus Dei comedat, vitæ puritate & innocentia claros, qui a concilio munus accipiant, a fine ipſius ad proximum uſque, jugi circumſpectione diœceſim perluſtrandi, & ſingula quæque a canonibus & patrum decretis vel minimum deviantia notandi, eademque ad proximiorem denique ſynodum provincialem accurate referendi, ſeligat & ſecum ducat. Idque certe vehementer optamus: eo modo ſperantes poſſe, antiquam & pene jam antiquatam diſciplinam eccleſiaſticam recuperari, dignitatem noſtram retineri, jura & bona eccleſiæ vindicari, animarumque ſalutem procurari. Ac ut in ea iſta felicius ac fructuoſius pro dignitate agitentur & eveniant, cum omne donum perfectum de ſurſum ſit, & a patre luminum deſcendat, eaque ratione ſummis precibus ab ipſo expetendum & expectandum: reverendiſſimam V. amplitudinem etiam atque etiam rogamus, ut menſe celebrationem concilii præcedente in ſingulis ſuæ diœceſis eccleſiis, quemadmodum in ultimo provinciali cautum eſſe conſtat, preces & ſupplicationes cum jejunio indicat & decernat, pro ſalutari nimirum concili ingreſſu, progreſſu, & exitu: quo in ipſis patrum acclamationibus, dominum introitum noſtrum cuſtodiſſe, & exitum uſque in ſæculum, quilibet lætus perſentiſcat & proclamet. Interim amplitudinem V. reverendiſſimam Deus diu incolumem ſervet, ſummopere precamur. Burdigalæ 28. Julii, 1624.



ANNO CHRISTI 1624.

*Decretum de modo vivendi in concilio.*

FRanciſcus, miſeratione divina, &c.

Cum tanta ſit divinæ bonitatis erga figmentum humanum dignatio, ut quamvis peccatorum ſordibus inquinatum, benedictionibus illud tamen ſuæ dulcedinis præveniat, & pellectum miſericordiæ ſuavitate deducat in miſerationibus coronandum: tuncque illi divini luminis radius affulgeat, cum depoſitis pœnitentiæ ſacramento injuſtitiæ ſuæ pannis novum hominem induit, qui ſecundum Deum creatus eſt A in juſtitia & ſanctitate veritatis: idcirco, ad induendos provinciæ noſtræ populos virtute ex alto, a ſacroſancto concilio Tridentino, ſpiritu dictante divino, concepta, effuſa, & declarata, nos accingentes, in eum primo omnium oculo humilitatis noſtræ conjicimus, qui ſuo obtentu faciem terræ renovare, acceſſu recreare, greſſus noſtros dirigere, & lucernam noſtram illuminare poteſt. Quamobrem ut olim in Sina ad percipienda divina mandata electo populo veſtimenta lavari, mundari, tertiumque in diem parari præceptum eſt; quo ſcilicet cæleſtia illa verba nitidis impreſſa præcordiis firmius inhærerent: ita nos, civitatis Burdigalenſis cives, & quoslibet in ea degentes, quoB rum & totius provinciæ gratia, ſalutaria decreta concilium meditatur, paterno ac eo quo poſſumus paſtorali affectu hortamur ac monemus, ut negotiorum temporalium diſcuſſa, qua ſæpius Spiritus ſancti odores extinguuntur, caligine, radio divinæ caritatis illuſtrati, peccata ſua detegentes, deteſtentur, ſacramento pœnitentiæ contractas ſordes eluant, autori gratiæ in ſacra ſynaxi ſeſe conjungant, operibus juſtitiæ incumbant, pauperum inediam & egeſtatem miſericordia ſublevent, incarceratis & præ tenuitate pudore affecti auxilium preſtent, eoſque qua maxime poterunt, conſolentur, mutuiſque conſiliis proximos laborantes quoquo pacto juvent, ſobrie, caſte, juſte, & C pie, ut decet veros Chriſtianos & catholicos, vivant; orationibus inſtent, ad divinum auxilium nobis & patribus in concilio aſſidentibus impetrandum, memores divini eloquii, qualis populus reperitur, talem & ſacerdotem eſſe, & a Deo concedi. Omnibus ideo nos in hac civitate degentibus jejunium quartæ & ſextæ feriæ, & diei ſabbati primæ concilii hebdomadæ ſervari mandamus. Ac ut non ſolum ſalutaribus verbi monitionibus ad id moveantur fideles plebes, ſed efficaci vitæ exemplo veluti impellantur: reverendiſſimos DD. epiſcopos comprovinciales noſtros monemus vehementer, puris mentibus ad Deum accedant, ſacroſancto miſſæ ſacrificio quotidie interſint, illud ſaltem D ter in hebdomada celebrent, frugali menſa, in qua ſe ſacra lectione reficiant, utantur, ſingulis ſextis feriis jejunent, orationibus frequenter Deum exorent, familiares in officio contineant, pauperibus & egenis ſeminent in benedictionibus, & de ſubſtantia ſua omnipotentem honorent, omnibuſque animæ nervis contendant, ut quæ ad debitam provinciæ noſtræ, cum cleri, tum populi reformationem, in gaudio de fontibus ſalvatoris hauſerint, ea demum propalent & in medium proferant.

Præterea ut tanti conatus intendant proſpere & procedant, membraque ſimul cum capite caritate connexa, & igne divini amoris ardentia mutuo ſeſe juvent auxilio: in omnibus ecE cleſiis hujus Burdigalenſis civitatis, ſacroſanctum miſſæ ſacrificium de Spiritu ſancto ter in hebdomada, diebus videlicet Dominico, Martis, & Jovis, celebrari, quotidie litanias ſanctorum inter procedendum cum orationibus congruentibus recitari, collectam de Spiritu ſancto a quolibet ſacerdote celebrante aſſumi, ac demum, quod ait apoſtolus, obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, imprimis pro ſanctiſſimo domino noſtro Urbano papa, pro Chriſtianiſſimo rege noſtro Ludovico, pro cæteris regibus & principibus Chriſtianis, aliiſque dignitate in populo præcellentibus,

tibus, denique pro omnibus hominibus fieri præcipimus: ut iis ſalutaribus modis in caritate radicati & fundati, idem ſapientes, idemque ſuſcipientes, orbi Chriſtiano pace reddita, ad dejiciendas impietatis machinas & hæreſis technas, unico illo caritatis nexu fœderati, poſt tot tantaſque in bellis civilibus ſanguinis Chriſtiani effuſiones, ſeſe tandem accingant.

Ne vero durante concilio in eccleſia Dei ullo pacto interturbetur ſacer conſeſſus: colloquia, deambulationes, tumultus, ſtrepitus, & alia id genus amoveri, ceſſare, & amandari jubemus: e contra omnes aſſiſtentes ea, modeſtia, vultu, geſtu, inceſſu, compoſitione conſiſtere, quibus & corpore & animo iis quæ a nobis peragentur, præſto adeſſe & intendere diſcernantur.

In congregationibus autem ſive privatis, ſive publicis qui intereſſe debent & poſſunt, ea moderatione animi & lenitate, qua viros ſpiritu Dei afflatos animi ſui ſenſa ſine ulla altercatione aut contentione proferentes decet, uti peroptamus.

Nullus item ratione præcedentiæ, ſive in congregationibus, exoriatur tumultus: nec in alium jus aliquod ob id ſibi acquiſitum eſſe quis exiſtimet: ſed cuilibet ſua jura eo quo ante concilium competebant modo decernimus conſervari.

Denique quemadmodum in ultimo provinciali canonice cautum eſt, ne quis epiſcopus, aut alius qui concilio intereſſe debet, ab hac civitate Burdigalenſi, ante ejuſdem concilii finem, ſub pœnis in eo & jure contentis, diſcedere poſſit, niſi prius ſuæ diſceſſionis cognita cauſa, examinata, & probata fuerit, eoque caſu, procurator qui actis concilii ſuo & eccleſiæ nomine ſubſcribat, & ejuſdem concilii decreta ſuſcipiat, debite ſit conſtitutus, prohibemus.

*CONGREGATIO PRIMA PRIVATA, habita in ſecretiori conſiſtorio porticus palatii archiepiſcopalis.*

Die ultima menſis Septembris, anno domini 1624. habita congregatio privata in ſecretiori conſiſtorio porticus palatii archiepiſcopalis Burdigalæ, ab illuſtriſſimo D. cardinali, & archiepiſcopo, cui interfuerunt reverendiſſimi DD. epiſcopi comprovinciales, Condomienſis, Engoliſmenſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, & Lucionenſis: ibique actum de modo habendæ congregationis publicæ, de creandis officiariis, ſeu adjutoribus concilii, de præcedentia procuratorum, & eccleſiarum cathedralium, inter ſe, de theologis & canoniſtis aſſumendis, de prima ſeſſione, de congregationibus privatis & publicis, & ſecunda ſeſſione indicenda. Quibus peractis, illuſtriſſimus D. cum reverendiſſimis DD. epiſcopis habuit congregationem publicam.

*Congregatio publica prima, habita in porticu palatii archiepiſcopalis, ad eaſdem congregationes deſignata.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Anno domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, die ultima menſis Septembris, pontificatus ſanctiſſimi D. N. Urbani, divina providentia papæ VIII. ſecundo, fuit congregatio publica in porticu palatii archiepiſcopalis Burdigalenſis, deſignata ad habendas publicas congregationes, in qua præſidens extitit illuſtriſſimus & reverendiſſimus D. D. cardinalis, & metropolitanus: reverendiſſimus D. Antonius de Coux, Condomienſis, antiquior ſuffraganeus: reverendiſſimus D. Claudius Gelas, epiſcopus, & comes Aginnenſis: reverendiſſimus D. Henricus Ludovicus Rupipozeus, epiſcopus Pictavienſis: reverendiſſimus D. Franciſcus de la Beraudiere, epiſcopus Petracoricenſis: & reverendiſſimus D. Emericus de Bragelonne, epiſcopus Lucionenſis; qui omnes juxta ordinem conſecrationis conſedere. Hinc illuſtriſſimus D. metropolitanus, capitulorum & aliarum eccleſiarum deputatis edixit, ut eumdem ordinem ſervarent inter ſe, quem reverendiſſimi DD. epiſcopi, ratione antiquioris conſecrationis, ad epiſcopatum ſervarent; idque eſſe & juribus & rationi conſentaneum. Quibus prolatis, ad ea inſurgentes reverendus D. de Pitard, canonicus, theologus eccleſiæ cathedralis Santonenſis, & reverendus D. Guillelmus Truoy, canonicus ejuſdem eccleſiæ, ambo a capitulo deputati, petierunt cum omni honore & reverentia ab illuſtriſſimo metropolitano, quæ illuſtriſſimæ dominationi placuere, perpendere, non eſſe eumdem ordinem, qui inter reverendiſſimos DD. epiſcopos ſervatur, inter capitula, ratione præcedentiæ, ſervandum: hæc enim numquam mutari dicebant, illos vero ſæpe. Quare cum inter capitula cathedralium, ratione inſtitutionis eorum, antiquiorem locum eccleſia Santonenſis obtineret: poſtularunt, ut poſt Pictavienſis eccleſiæ deputatos locum aſſumerent, & cæteros antecederent. Eadem petiere alii deputati. Quibus cum id non poſſe concedi ab illuſtriſſimo D. metropolitano reſponſum: actum tamen eiſdem eſt conceſſum, ſi alio in loco conſiderent, nullum inde ſibi eccleſiæ præjudicium generari, quominus probata antiquitate, & jure prætenſo poſtulata concederentur. His dictis, illuſtriſſimus D. metropolitanus, in cathedra a terra paululum elevata, aſſurgens detecto capite, recitavit orationem, *Adſumus*, & pauca præfatus de fine concilii, conſtituit & edixit, ſingulis diebus duas congregationes habendas, primam privatam hora octava ante meridiem, in qua intereſſent ſoli epiſcopi: alteram publicam, hora prima pomeridiana, in qua omnes deputati capitulorum, & doctores infra nominati. Tuncque juſſum ut omnes, præter deputatos & doctores tam ex civitate aſcitos, quam ab reverendiſſimis DD. epiſcopis adductos, exirent a concilio. Hinc ventum ad procuratoria deputatorum expendenda. Ac primum exhibitum eſt procuratorium deputatorum eccleſiæ metropolitanæ, quo procuratores conſtituuntur & deputantur reverendi domini, magiſtri Jacobus Deſaigues, decanus: Petrus Peyriſſac, canonicus, archidiaconus Blavienſis: Gilbertus Grimaud, canonicus theologalis, & Petrus Moiſſet, canonicus, in ſacra theologia licentiatus.

Secundo, exhibuit procuratorium reverendus D. magiſter Petrus Couſture, presbyter, in utroque jure licentiatus, canonicus eccleſiæ cathedralis Pictavienſis, a capitulo ejuſdem eccleſiæ deputatus.

Succeſſere tertio loco reverendi domini, Guillelmus Truoy, presbyter, canonicus eccleſiæ Santonenſis, & conſiliarius in præfectura Santonenſi; & Helias Pitard, presbyter, canonicus theologalis dictæ eccleſiæ, qui procuratorium exhibuere.



Quarto, prodiere reverendi domini, magiſtri, Balthazar Gelas, archidiaconus major eccleſiæ Aginnenſis, & Petrus Sauveur, presbyter, canonicus theologalis ejuſdem eccleſiæ: & procuratorio oblato, & diſcuſſo, conſedere: quibus pro clero diœceſis Aginnenſis adjuncti reverendi D. D. Joannes Girardin, & Joachim de Bourges; adducti a reverendiſſimo D. epiſcopo.

Quinto, ſurrexerunt reverendi DD. magiſtri, Antonius Decous, canonicus, & archidiaconus major eccleſiæ Condomienſis; & Stephanus Margeon, canonicus theologalis dictæ eccleſiæ: & exhibuerunt procuratorium; & ſtatim locum acceperunt.

Sexto, explicarunt procuratorium ſuum reverendi D. D. magiſtri, Joannes Meſneau, theſaurarius eccleſiæ Engoliſmenſis, & in præfectura Engoliſmenſi conſiliarius regius; & Leonardus de la Foreſtie, canonicus ejuſdem eccleſiæ, juris utriuſque licentiatus.

Septimo, ſurrexit reverendus D. magiſter Joannes Pichard, presbyter, canonicus & archidiaconus eccleſiæ cathedralis Petracoricenſis: qui exhibito procuratorio ſedit: & conceſſum reverendo D. du Chaiſne, canonico, & archidiacono ejuſdem eccleſiæ, abſenti, procuratori item a capitulo in eodem procuratorio conſtituto, locum retinere.

Octavo, reverendus D. Frater Valentinus Ourry, monachus, infirmarius monaſterii cathedralis Malleacenſis, exhibuit procuratorium, & locum accepit.

Reverendi item DD. magiſtri, Hilarius Pomeraye, presbyter, doctor in ſacra facultate theologiæ Pariſienſis; & Jacobus Vaſſin, presbyter, doctor theologus facultatis Pariſienſis, rector Billariæ Fonteniaci Comitis, diœceſis Malleacenſis, exhibuere procuratorium a clero totius diœceſis Malleacenſis.

Nono, procuratorium capituli eccleſiæ cathedralis Lucionenſis eſt expenſum; quo reverendi DD. magiſtri Henricus Admiraut, & Franciſcus Richeteau, canonici eccleſiæ prædictæ Lucionenſis, procuratores dicti capituli conſtituuntur. Petivit autem reverendus D. Admiraut, ut inter capitula non ita ab antiquo inſtituta, primum locum obtineret: quia ſi juxta ordinarium, reverendiſſ. D. epiſcopi Lucionenſis, nuper ad munia epiſcopalia aſſumpti locum retineret, hinc eccleſiæ ſuæ præjudicium inferretur. Cui reſponſum, ex eo nullum eccleſiæ ſuæ præjudicium generari poſſe, quemadmodum in decreto de modo vivendi continebatur. Actum tamen conceſſum præfato domino Admiraut, ſe ea verba in concilio dixiſſe.

Decimo, adfuerunt reverendi DD. magiſtri, Joannes de Foix, presbyter, rector Neraci; & Bartholomæus la Fargue, rector B. Mariæ Deſprez, deputati a clero diœceſis Condomienſis: a quo exhibuere procuratorium ſibi conceſſum; & conſedere.

*Procuratoria collegiatarum.*

De eccleſiis collegiatis acceſſere, pro eccleſia ſæculari & collegiata ſancti Severini, prope & extra muros Burdigalenſes, reverendi DD. magiſtri, Joannes de Couſages, theſaurarius; Petrus de Cruſeau, ſacriſta; Joannes de Moucy, & Petrus de Beaulieu, canonici eccleſiæ prædictæ: qui exhibito procuratorio, & diſcuſſo, locum in concilio ſumpſere.

Adfuit ultimo reverendus D. magiſter Romanus Barbot, canonicus & eleemoſynarius eccleſiæ ſæcularis & collegiatæ S. Æmiliani, diœceſis Burdigalenſis: cui procuratorio conceſſo, conceſſum etiam in concilio aſſidere.

Quæ omnia procuratoria diſcuſſa, & examinata, approbata ſunt ab illuſtriſſimo metropolitano, & reverendiſſimis epiſcopis, prout juribus congruunt dumtaxat.

*De adjutoribus concilii.*

Hinc egit illuſtriſſimus D. metropolitanus, de adjutoribus concilii eligendis, & conſtituendis. Imprimis conſtituit promotores reverendos DD. magiſtrum Petrum Peyriſſac, presbyterum, & canonicum, & archidiaconum Blavienſem in eccleſia metropolitana; & magiſtrum Joannem Meſneau, canonicum, & theſaurarium Engoliſmenſis eccleſiæ, conſiliarium regium in præfectura Engoliſmenſi.

Secundo, deſignavit ſecretarios concilii reverendos DD. magiſtrum Joannem Bertheau, presbyterum, in ſacra theologiæ facultate licentiatum, archidiaconum Fronſaci in eccleſia metropolitana, & magiſtrum Petrum Sauveur, presbyterum, canonicum theologalem eccleſiæ cathedralis Aginnenſis.

Tertio, ad diſcutiendas abſentium cauſas & excuſationes, tum ad cauſas particularium audiendas, liteſque & controverſias inter reverendiſſimos DD. epiſcopos, & eorum capitula ſubortas, componendas, vel ad ſynodum referendas, reverendiſſimos DD. epiſcopos, Aginnenſem & Petragoricenſem, conſtituit: quibus adjunxit in ſubſidium reverendos DD. Balthazar Gelas, archidiaconum majorem eccleſiæ cathedralis Aginnenſis; Heliam Pitard, canonicum theologalem Santonenſem, & Henricum Admirault, canonicum Lucionenſem; qui, ſi quid afferretur in præfatos reverendiſſimos DD. epiſcopos judices conſtitutos, id expenderent, & ad ſynodum referrent.

*Theologi, & canoniſtæ.*

Sed præcipue ratio habita eſt ab illuſtriſſimo D. metropolitano, & reverendiſſimis epiſcopi theologorum, & canoniſtarum.

*Theologi metropolitanæ eccleſiæ nominati ſunt.*

Reverendus D. Gilbertus Grimaud, canonicus theologus metropolitanus.

Patres, Raimundus de Strictis, & Jacobus Gordonus, presbyteris ſocietatis Jeſu.

Doctor Henriques de Monnegro, theologus, & canoniſta.

Pater...... Jordanus de Obſervantia.

Pater Sylveſter Grandis, Recollectus.

Reverendus D. Bernardus Deſpineta, canonicus eccleſiæ Santonenſis, doctor theologus, vocatus ab illuſtriſſimo metropolitano.

*Theologi adducti a reverendiſſimo D. epiſcopo Lucionenſi.*

Reverendus D. Jacobus de la Boulaye, baccalaureus in ſacra facultate theologiæ Pariſienſis.

*A parte cleri Lucionenſis.*

Reverendus D. Renatus Favier, canonicus, & ſuccentor Lucionenſis.

Re-

Reverendus D. Hilarius Caliſer, canonicus, eleemoſynarius Lucionenſis.

*Theologi adducti a reverendiſſimo D. epiſcopo Aginnenſi.*

Reverendi DD. magiſtri, Petrus Sauveur, canonicus theologus: Bernardus Daure, & Imbertus Roquier.

*Theologi a reverendiſſimo D. epiſcopo Pictavienſi adducti.*

Reverendus D. magiſter Petrus ........ canonicus eccleſiæ Pictavienſis, doctor theologus.

Reverendus D. magiſter Dionyſius Guilloteau, presbyter, canonicus theologalis eccleſiæ Pictavienſis.

*Theologi a reverendiſſimo D. epiſcopo Condomienſi.*

Reverendi DD. magiſtri, Stephanus Margeon, canonicus theologalis Condomienſis: Joannes Daure, presbyter, doctor theologus: Bartholomæus la Fargue, presbyter, doctor theologus.

*Theologus Santonenſis.*

Reverendus D. Elias Pitard.

*Theologus Petracoricenſis.*

Reverendus D. Pichard, canonicus theologalis.

*Theologi Malleacenſes.*

Reverendi DD. F. Valentinus Ourry, monachus, theologus Malleacenſis: Hilarius de la Pommeraye, doctor theologus Pariſienſis: Jacobus Vaslin, doctor Pariſienſis: Franciſcus Bourbon, Auguſtinianus, doctor Pariſienſis: magiſter Petrus Charon, presbyter, in decretis licentiatus.

Tandem decretum eſt, primam ſeſſionem habendam eſſe, die prima Octobris 1624. in eccleſia metropolitana, in qua omnes tum epiſcopi tum deputati, per manus illuſtriſſimi D. ſacratiſſimam euchariſtiam ſumerent.

Lectum inſuper decretum de modo vivendi, in dicta ſeſſione legendum: edictumque, profeſſionem fidei emittendam ab omnibus in dicta ſeſſione: ſecundam autem ſeſſionem futuram, die mercurii 9. Octobris, quæ ſacra eſt divo Dionyſio.

Ac antequam ſurgerent patres, & diſcederent, jurejurando omnes cum deputatos tum concilii coadjutores, ad petitionem promotorum, conſtrinxit illuſtriſſimus, ne quid de iis quæ in congregationibus, ſive privatis ſive publicis, tractarentur, patefacerent, & publicarent. Tunc congregatio finita.

*Prima ſeſſio.*

ANNO domini milleſimo ſexenteſimo vigeſimo quarto, prima die menſis Octobris, pontificatus ſanctiſſimi D. N. Urbani, divina providentia papæ VIII. anno II. habita eſt prima ſeſſio in eccleſia metropolitana ſancti Andreæ Burdigalæ, hac veluti forma.

Hora octava præciſe illuſtriſſimus & reverendus D. cardinalis metropolitanus pontificalia induit in ſacello palatii archiepiſcopalis. Non longe ab eodem ſacello, in protocubiculo palatii, reverendiſſimi DD. epiſcopi comprovinciales, Condomienſis, Engoliſmenſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis & Santonenſis, eadem ornamenta cum mitra ſumpſere. Procuratores omnes, & theologi, & quicumque primæ congregationi publicæ interfuerant, cum ſuperpelliceis, & almutiis, aliiſve ornamentis.

Quibus paratis, tum acceſſit capitulum metropolitanæ proceſſionaliter, cujus canonici omnes pluvialibus induti: acceſſere etiam procuratores eccleſiarum collegiatarum, & ſæcularium ſancti Severini & ſancti Æmiliani. Hinc proceſſum eſt ad metropolitanam eccleſiam, procedentibus primo, ordine eccleſiaſtico, procuratoribus collegiatarum, tum cathedralium, tum metropolitanæ, ac tandem reverendiſſimis DD. epiſcopis, illuſtriſſimo D. cardinali metropolitano, poſt omnes, retro populo civitatis.

Cum omnes ad eccleſiam pervenere, decanus & canonici metropolitanæ loca conſueta retinuere: procuratores hinc & inde in ſubſelliis canonicorum locum ſumpſere: at reverendiſſimi DD. epiſcopi, in ſubſelliis in formam hemicycli ante majus altare paululum a terra erectis, & tapetibus ornatis, conſedere, illuſtriſſimo D. cardinali metropolitano celebrante pontificaliter in loco a cornu evangelii paulo altius erecto, ſub umbella cum aſſiſtentibus aſſidente, deinde ad altare ſtante.

At ubi ventum circa communionem, ad ſacram ſynaxim acceſſere primo reverendiſſimi DD. epiſcopi, tum deputati metropolitani, deinde omnes ordine pie admodum ſucceſſere. Quibus peractis, conſidentibus & reverendiſſimis DD. epiſcopis in ſubſelliis ſibi paratis, & illuſtriſſimo D. metropolitano, pluviali induto, coram altari in faldiſtorio, actæ ſunt orationes & preces ad præſcriptum ſacrarum cærimoniarum: in quarum fine habuit concionem Gallico ſermone reverendus D. de Grimaud, canonicus theologalis metropolitanæ.

Hinc conſidentibus, illuſtriſſimo D. metropolitano ſub umbella, reverendiſſimis DD. coepiſcopis in ſubſelliis ſibi paratis, cum pluvialibus & mitris, unus ex ſecretariis acceſſit ad illuſtriſſimum metropolitanum, & ex illius manibus accepit decreta prælegenda: qui ſuggeſtum conſcendens, ex eo legit primo decretum de aperienda ſynodo.

*Decretum de aperienda ſynodo.*

ILLUSTRISSIME & reverendiſſime domine, reverendiſſimi patres, placetne vobis ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ad tuendam & augendam Chriſtianæ Religionis diſciplinam, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, & controverſiis componendis provinciæ Burdigalenſis, aliiſque ex ſacris canonibus permiſſis, ſacrum Burdigalenſe provinciale concilium incipere?

Lecto hoc decreto, alter ſecretarius, & notarius concilii, acceſſere ad illuſtriſſimos & reverendiſſimos DD. epiſcopos, vota requirentes, hoc modo: placetne vobis, reverendiſſimi DD. decretum? qui omnes, placet, proferentes: tum idem ſecretarius & notarius retulerunt ad illuſtriſſimum metropolitanum, decretum patribus placuiſſe. Quo audito, illuſtriſſimus dominus metropolitanus dixit:

Decretum placuit omnibus patribus: itaque decernimus, provincialis Burdigalenſis ſynodi initium fieri, & jam factum eſſe.

Tum de mandato illuſtriſſimi metropolitani, ſecretarius in ſuggeſtu legit decretum de modo vivendi.

Decre-



*Decretum de modo vivendi.*

FRanciſcus, &c. ut ſupra pag. 1689.

Lecto decreto de modo vivendi, ſecretarius alter, & notarius, petierunt a reverendiſſimis DD. epiſcopis: illuſtriſſime, & reverendiſſime D. reverendiſſimi patres, placentne hæc decreta vobis? R. placent.

Quo reſponſo accepto, illuſtriſſimus metropolitanus ait.

Decreta placuerunt, ideo agendæ ſunt Deo gratiæ.

Patres reſponderunt: Deo gratias.

Tunc vocati reverendiſſimi DD. epiſcopi qui ſynodo provinciali intereſſe debent, qui ad prolationem nominis dixerunt, adſum.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Condomienſis R. adſum.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Engoliſmenſis, R. adſum.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Aginnenſis, R. adſum.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Sarlatenſis, abfuit.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Pictavienſis, R. adſum.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Petracoricenſis, R. adſum.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Santonenſis, R. adſum.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Malleacenſis, abfuit.

Reverendiſſimus D. epiſcopus Lucionenſis aberat a ſeſſione, morbi cauſa.

Reverendiſſimis DD. epiſcopis vocatis, inſurrexerunt in abſentes reverendi domini promotores: hoc modo.

Illuſtriſſime & reverendiſſime domine, cum per literas monitoriales, & per edictum generale illuſtriſſimæ & reverendiſs. V. D. reverendiſſimi DD. epiſcopi omnes provinciæ Burdigalenſis, & reliqui qui de jure ſeu conſuetudine huic ſacræ provinciali ſynodo intereſſe debent, moniti fuerint ut hodierno die in hac ſancta ſynodo adeſſent, pro ejus celebratione juxta formam ſacrorum canonum, & præſertim ſacri concilii Tridentini, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, & controverſias componendas, quæ in hac provincia, moderatione, correctione, & compoſitione indigerent: nonnullique monitionalibus literis, ut reverendiſſimi DD. epiſcopi, Sarlatenſis & Malleacenſis, non parendo, adeo contumaces & negligentes extiterint, ut neque ad hoc ſacrum concilium adfuerint, nec ad ſe excuſandum de juſto impedimento nuncium miſerint: idcirco pro noſtri muneris officio, nos Petrus Peyriſſac & Joannes Nieſſucan ſacræ hujus ſynodi promotores, eorum contumaciam accuſando, inſtamus apud illuſtriſſimam & reverendiſs. D. V. ut reliquos juris gradus progrediatur.

His auditis, illuſtriſs. D. metropolitanus dixit: Admittimus, ni per tres dies hanc ſubſequentes compareant.

Deinde de mandato illuſtriſſimi metropolitani lectum eſt decretum de profeſſione fidei.

*Decretum de profeſſione fidei.*

INter ingentia illa dona, &c. ut ſupra pag. 1633.

Quo lecto & approbato, profeſſio fidei lecta eſt e ſuggeſtu juxta formam a Pio V. Pont. Max. conceptam, idque ab eodem ſecretario, in eodem ſuggeſtu ſtante. Qua finita, illuſtriſſimus acceſſit ad altare majus, ibique depoſita mitra, genibus flexis, & ſacra evangelia tangens, dixit:

Ego Franciſcus cardinalis de Sourdis, archiepiſcopus Burdigalenſis, Aquitaniæ primas, ea omnia & ſingula quæ a ſacroſancta œcumenica Tridentina ſynodo definita, & ſtatuta ſunt, recipio: necnon veram obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeo & profiteor, hæreſeſque omnes a ſacris canonibus & generalibus conciliis, præſertimque ab eadem ſynodo damnatas, deteſtor & anathematizo, juxta formulam præſcriptam a ſanctiſſimo D. N. Pio IV. Pont. Max.

Quo facto, aſſumpta mitra, & reverentia facta ad altare, & inclinatione ad reverendiſſimos epiſcopos, regreſſus eſt ad locum ſub umbella, ubi librum evangeliorum tenente apertum, & juramenti ſupradicti formam, acceſſere ad illuſtriſſimum, ordine quiſque ſuo, reverendiſs. domini epiſcopi, & idem juramentum, depoſita mitra, & genibus flexis, tactis ſacroſanctis evangeliis, emiſerunt; deinde omnes officiarii & deputati concilii.

Quibus peractis, de mandato illuſtriſſimi, ſecretarius in ſuggeſtu manens, legit decretum de ſecunda ſeſſione habenda: hoc modo.

Illuſtriſs. & reverend. D. reverendiſs. patres, placetne vobis ſecundam ſeſſionem fore die nona Octobris, menſis præſentis, quæ erit ſacra D. Dionyſii memoriæ colendæ; ita tamen ut ad aliam diem prorogari poſſit, ſicuti pro rebus concilii bene gerendis conducere videbitur?

Qui omnes, ſecretario & notario vota inquirentibus reſponderunt, placet. Et relatione facta ad illuſtriſs. metropolitanum, ipſe benedictionem ſolennem impertivit, & indulgentias centum dierum e ſuggeſtu per ſecretarium ibidem ſtantem publicari juſſit; & cuncti receſſere.

**Prima Octobris.**

*Congregatio particularis ſecunda.*

EAdem die, prima Octobris, 1624. hora prima a meridie, in ſecretiori conſiſtorio porticus archiepiſcopalis Burdigalenſis habita eſt congregatio privata, in qua tractatum de præcipua materia die ſubſequenti agitanda, nimirum de matrimonio: tum definitum ut reverendiſs. DD. epiſcopi, Condomienſis & .... ſimul & reverendiſs. DD. epiſcopi Pictavienſis & Santonenſis ſimul etiam: ſed in ....... congregationibus, vocatis ad id theologis, qui magis ſibi placerent, ultimum provinciale concilium legerent, & ea quæ ſunt obſervata, notarent; quæ vero minime, etiam ſeligerent, & quibus viis ea executioni demandarentur, inveſtigarent.

Huic congregationi interfuerunt illuſtriſs. DD. cardinalis metropolitanus, reverendiſſimi DD. epiſcopi, Condomienſis, Engoliſmen-



ſis,

ſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, ſed aberat reverendiſſimus D. Lucionenſis. Vocati ſunt ad congregationem quidem doctores.

Secunda die Octobr. 1624.

*Tertia congregatio privata.*

HOra octava diei ſecundæ Octobris, 1624. habita eſt congregatio privata ab illuſtriſſimo, in eodem ſecretiori conſiſtorio: in qua fuerunt reverendiſſimi DD. epiſcopi, Condomienſis, Engoliſmenſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Lucionenſis, præſentibus duobus ſecretariis: ibi tractatum de matrimonio in congregatione publica agitando.

*Congregatio publica ſecunda.*

DIe ſecunda Octobris, 1624. hora prima pomeridiana, habita eſt congregatio ſecunda publica ab illuſtriſſimo: cui interfuerunt reverendiſſimi DD. Condomienſis, Engoliſmenſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Lucionenſis: adfuerunt adjutores concilii procuratores eccleſiarum cathedralium & collegiatarum ſancti Severini & ſancti Æmiliani. Initio ortum eſt diſſidium inter procuratores cathedralium, & collegiatæ ſancti Severini: hi exiſtimantes a latere ſiniſtro ante procuratores cathedralium poſt metropolitanæ deputatos, ſe eſſe conſeſſuros. Quod cum illis denegatum eſſet a congregatione, abjerunt. Acceſſit autem reverendus D. Frater Archambaudus Chriſtut, doctor theologus, monachus & ſubprior monaſterii ſanctæ Crucis Burdigalenſis: qui nomine capituli dicti monaſterii, procuratorio exhibito, locum in concilio accepit. Tractatum in hac congregatione de matrimonio, & via inveſtigata & exquiſita, quibus pro bono contrahentium & gloria Dei legitime contraheretur, & poteſtas & juriſdictio eccleſiaſtica ſervaretur. Quibus exagitatis, edictum ab illuſtriſſimo ut die ſequenti tractaretur de ſimonia & confidentia, & quibus viis fœdæ labi occurri poſſet.

Die tertia Octobris.

*Congregatio privata quarta.*

DIe tertia menſis Octobris, 1624. hora octava, in ſecretiori conſiſtorio porticus archiepiſcopalis, habita eſt congregatio quarta privata, in qua convenere cum illuſtriſſimo D. metropolitano reverendiſſimi DD. epiſcopi Condomienſis, Engoliſmenſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Lucionenſis: vocati ad hanc congregationem reverendi patres, Gordonus & Raimundus de Strictis, presbyteri ſocietatis Jeſu: quibus auditis & excluſis, tractatum de materia ſacramenti matrimonii, & neceſſitate libertatis ad conſenſum; apertumque oſtium ad tractandum de ſimonia & confidentia.

*Congregatio publica tertia.*

EAdem die tertia Octobris 1624. hora prima pomeridiana, in portico archiepiſcopalis palatii habita eſt ab illuſtriſſimo D. metropolitano congregatio tertia publica, cui interfuerunt reverendiſſimi DD. epiſcopi Condomienſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, & Lucionenſis; cum deputatis capitulorum, & doctoribus, & aliis a reverendiſſimis DD. adductis. Oratione præhabita, propoſuit illuſtriſſimus D. metropolitanus confidentiam & ſimoniam diſcutiendam; remediaque exquiſivit, quibus peſſima lues extingui poſſet. Res agitata nimis: tum illuſtriſſimus metropolitanus cum neceſſitatem ſacrarum ordinationum rite habendarum expoſuiſſet, in craſtinum rem diſcutiendam & agitandam eſſe cenſuit. Soluta autem congregatione, auditis reverendiſſimis DD. epiſcopis & eorum adjunctis ſuper neceſſitate diſceſſionis reverendi D. Balthazar Gelas, archidiaconi majoris eccleſiæ Aginnenſis, conceſſum illi ut a concilio, immo & a civitate diſcederet.

Hac die reverendiſſimus Henricus Deſcoubleau, epiſcopus Malleacenſis, Burdigalam venit, concilio operam daturus; reverendum patrem Burdonum Auguſtinianum, doctorem Sorbonicum adducens, & ....... Charon, doctorem.

Die quarta Octobris 1624.

*Congregatio quinta privata.*

DIe quarta menſis Octobris 1624. quæ ſacra eſt memoriæ D. Franciſci, hora ſeptima matutina, adierunt omnes reverendiſſimi DD. epiſcopi, cum illuſtriſſimo metropolitano, eccleſiam patrum Recollectorum: ibi fere omnes ſacrum fecere, & concionem doctoris ...... ab illuſtriſſ. vocati audiere. Hiſque Deo datis, in porticu archiepiſcopali, conſiſtorio ſecretiori; habita eſt quinta congregatio privata, cui interfuere omnes reverendiſſ. DD. epiſcopi, qui in aliis, & inſuper reverendiſſ. D. epiſcopus Malleacenſis, ſeditque poſt reverendiſſ. D. Santonenſem, orationeque præmiſſa, actum primo an reverendi DD. promotores ad privatam congregationem introducerentur, eique intereſſent: ſed ....... id fieri non debere. Tractatum inde de ſacramento ordinis, quibus modis uti par eſſet ad conſtituendos dignos eccleſiæ Dei miniſtros.

*Quarta congregatio publica.*

IN eadem porticu archiepiſcopali, hora prima a meridie 4. Octobris 1624. habita eſt ab illuſtriſſ. metropolitano quarta congregatio publica, cui interfuerunt omnes reverendiſſimi, & procuratores, & theologi, actumque de ſacramento ordinis rite conferendo, & quo pacto eccleſia Dei miniſtro zelo Dei accenſos retinere poſſit.

Die quinta Octobris 1624.

*Congregatio privata ſexta.*

HOra ſeptima matutina habita eſt congregatio privata in loco aſſignato ab illuſtr. metropolitano, ubi interfuerunt omnes reverendiſſ. DD. epiſcopi, & tractatum de iis qui admittuntur ad tonſuram, & ad ordines, præcipue de titulo patrimonii.

*Con-*





*Congregatio publica quinta.*

EADEM die habita eſt congregatio publica quinta ab illuſtriſſ. metropolitano, hora conſueta, in inferiori aula (ob nimium calorem) cui interfuerunt omnes reverendiſſimi DD. epiſcopi, procuratores eccleſiarum, & doctores: tractatum de reſidentia canonicorum rectorias habentium cum canonicatu: item de præcedentia canonicorum, & dignitatum eccleſiarum ob presbyteratum: item actum de proceſſione generali, craſtina die facienda, & quem quiſque locum haberet inter procuratores cathedralium. Sed cum res non potuerit definiri, omnes exhortatus eſt illuſtriſſ. metropolitanus, ne quis ratione dictæ præcedentiæ aliquas turbas ageret; potius, ſi irrequieto animo eſſet, abſtinere: cum vero ſibi a metropolitano eccleſiæ, honorem concedi, ut ſi omnes procuratores cathedralium cum ſuperpelliceis & pluvialibus adeſſent, a ſiniſtris ejuſdem eccleſiæ metropolitanæ procederent, a ſolo decreto metropolitano canonicis retento.

a Forte, ſola dextra a canonicis metropolitanæ retenta. H.

*Die dominica ſexta Octobris 1624.*

HAC die dominica ſexta Octobris 1624. illuſtriſſ. & reverendiſſ. D. metropolitanus, cum cappa rubra oblonga, reverendiſſimi DD. epiſcopi, cum rocheto & mozetta, canonici metropolitani, & procuratores cathedralium & collegiatarum, & alii a clero deputati, cum ſuperpelliceis, multi cum almutiis, paululum ante octavam horam matutinam, ex palatio archiepiſcopali ad eccleſiam metropolitanam acceſſere, ubi illuſtriſſ. Metropolitanus & reverendiſſimi DD. epiſcopi, cum amictu, pluviali, & mitra, ex ſacriſtia illuſtriſſimi, ad ſedilia ſupra deſcripta, ante majus altare prodiere, celebrante in pontificalibus, reverendiſſ. D. epiſcopo Condomienſi, ſuffraganeo antiquiore, & illuſtriſſ. D. Metropolitano in cathedra ſub umbella, cum mitra, & pluviali, ſedente.

Lecto euangelio, concio habita eſt a reverendo patre Raimundo de Strictis, Jeſuita: in cujus fine data eſt abſolutio generalis ab illuſtriſſ. Metropolitano: finita autem miſſa, omnes ordine epiſcopi cum pluvialibus & mitris, canonici metropolitani cum pluvialibus a dextra, procuratores cathedralium, & alii ex diverſis diœceſibus, a ſiniſtris: parochiæ & conventus Burdigalæ, illuſtriſſ. Metropolit. ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum devote geſtante, proceſſere a metropolitana recta ad eccleſiam ſancti Simeonis uſque, ultra quam paululum progreſſi, & per viam paſſim S. Georgii nuncupatam in vicum Lupinum ingreſſi, ad metropolitanam rediere, magna cum lætitia populi, apparatu viarum, applauſu omnium, comitantibus omnium magiſtratuum urbis, ſolis juratis, cæteris in villas vindemiæ cauſa digreſſis.

At a meridie hora tertia, apud Carthuſianos, quod is dies conſecratus eſſet memoriæ S. Brunonis, veſpertinis horis & precibus interfuerunt, theſauris indulgentiarum ibidem a ſummo pontifice eadem die conceſſis participaturi.

Die ſeptima Octobris 1624.

*Congregatio privata ſeptima.*

DIE ſeptima Octobris 1624. hora octava matutina, congregatio privata habita eſt, in qua omnes epiſcopi convenere: tractatum de literis dimiſſoriis.

*Congregatio publica.*

EADEM die ſeptima Octobris, 1624. in aula inferiori habita eſt congregatio publica ab illuſtriſſ. metropolitano, cui aſtitere reverendiſſimi DD. epiſcopi omnes cum deputatis & doctoribus: actum de dimiſſoriis ad ordines concedendis.

Die octava Octobris, 1624.

*Congregatio octava publica.*

DIE octava Octobris, 1624. hora octava, habita eſt congregatio privata ab illuſtriſſ. D. metropolitano: interfuere reverendiſſ. DD. epiſcopi: abſuit tamen reverendiſſ. D. Pictavienſis, morbi cauſa. Actum adhuc de dimiſſoriis, & de religioſis ſpoliatis a ſuperioribus, & ejectis.

*Die octava: Congregatio publica ſeptima.*

EADEM die octava Octobris, 1624. hora prima poſt meridiem, in aula inferiori archiepiſcopalis palatii, habuit illuſtriſſ. D. metropolitanus congregationem publicam. Interfuere reverendiſſimi DD. epiſcopi, præter reverendum D. Pictavienſem, abſentem morbi cauſa. Tractatum de iiſdem dimiſſoriis, & cœptum agi de officiis divinis, & miſſa parochiali.

*Secunda ſeſſio.*

DIE nona menſis Octobris, anno 1624. ſacra D. Dionyſio, habita eſt ſecunda ſeſſio in eccleſia metropolitana. Hora octava matutina illuſtriſſ. D. metropolitanus indutus cappa rubra, reverendiſſ. DD. epiſcopi Condomienſis, Aginnenſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Malleacenſis, Lucionenſis, induti rocheto & mozetta, comitantibus canonicis metropolitanis, e palatio archiepiſcopali in eccleſiam metropolitanam pervenere: ubi illuſtriſſ. D. metropolitanus accedens ad ſedem pontificalem ſub umbella, reverendiſſimi ad ſubſellia conſueta, ſine paramentis, ſacrum audivere ab reverendiſſimo D. epiſcopo Engoliſmenſi in pontificalibus celebratum. Finito ſacro, illuſtriſſimus D. metropolitanus induitur pontificaliter, reverendiſſ. DD. epiſcopi in ſacriſtia etiam induuntur pluvialibus & mitris: cumque acceſſiſſent ad ſedilia conſueta, illuſtriſſ. D. metropolitanus e cathedra deſcendit, & coram altari precibus conſuetis recitatis, denuo ad cathedram aſcendens, concionatori benedixit. Auditur concio a reverendo patre Jordano ordinis Obſervantiæ peracta. Finita concione, archidiaconus Lerinenſis poſuit decreta publicanda in manu illuſtriſſ. D. metropolitani: tuncque accedens ſecretarius unus, prædicta decreta e manibus illuſtriſſimi acce-

accepit, cathedram concionatoris aſcendit, legitque primo quod ſupererat decretorum de profeſſione fidei. Quibus lectis, alter ſecretarius cum notario concilii acceſſit ad reverendiſs. DD. epiſcopos, vota exquirens; qui reſponderunt, placet. Hinc ad illuſtriſs. placita fuiſſe referens ille ſecretarius, illuſtriſſ. D. metropolitanus dixit: decreta placuerunt patribus, ideo agendæ ſunt Deo gratiæ. Patres reſponderunt: Deo gratias.

2. Lectum caput de ſacramento matrimonii: quo finito, ſecretarius exquiſivit vota, ut prius; a reverendiſſ. DD. reſponderunt ſibi decreta placere: quod altius pronunciatum ab illuſtriſſimo, decreta placuerunt; agendæ ſunt Deo gratiæ. Patres dixerunt, Deo gratias.

3. Lectum eſt decretum de ſimonia & confidentia. Finita lectione, exquiſita ſunt vota, ut prius, relatumque decreta placuiſſe, & Deo gratias agendas eſſe.

4. Lectum eſt caput de ordine. Finito capite, exquiſita vota, placuere decreta, & dictum ab illuſtriſſimo: Decreta placuere patribus; ideo agendæ Deo gratiæ. Reſponderunt patres: Deo gratias.

Tunc lectum decretum de ſeſſione tertia, hoc modo:

Illuſtriſſime domine, reverendiſſ. patres, placetne vobis tertiam ſeſſionem futuram die decima octava labentis menſis Octobris, quæ D. Lucæ evangeliſtæ claræ memoriæ conſecratur? exquiſitis votis a patribus, dictum ab omnibus: placet.

Antequam aſſurgeret illuſtriſſimus, & reverendiſſimi patres diſcederent, promotores concilii inſtitere contra reverendiſſimum D. epiſcopum Sarlatenſem; quod cum debite fuerit monitus, tamen ad concilium non acceſſerit, neque procuratorem miſerit, excuſationes, ſi quas haberet, relaturum; ac proinde contra eum ut procederetur juxta formam juris, in abſentes latam, petierunt. Quibus illuſtriſſ. D. metropolitanus reſpondit: procedatur.

Tum benedictione ſolenni conceſſa, & indulgentiis centum dierum publicatis, illuſtriſſ. D. metropolitanus, reverendiſſimi patres, in ſacriſtiam diſceſſere.

*Congregatio publica octava.*

DIE nona Octobris, 1624. hora prima pomeridiana, in aula inferiori habita eſt congregatio publica octava ab illuſtriſſimo metropolitano: interfuere reverendiſſ. DD. epiſcopi, Condumienſis, Engoliſmenſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Malleacenſis, & Lucionenſis, cum procuratoribus, & doctoribus. Abfuere, morbi cauſa, reverendiſſimi DD. Aginnenſis, & Pictavienſis: tractatum de vita & moribus clericorum. At quia illuſtriſſ. D. metropolitanus invitarat denuo capitulum Sarlatenſe, ut ſeligeret quem vellet ad concilium mittendum: acceſſit reverendus D. Joannes de Carbonniere de Jayac, decanus eccleſiæ Sarlatenſis: a quo exhibito procuratorio, eoque diſcuſſo, repertum eſt eum procuratorem fuiſſe conſtitutum a definitoribus cleri Sarlatenſis, non autem a capitulo. Admiſſus eſt tamen in concilium pro ſua qualitate viri, & rerum agendarum prudentia. Surrexere tum promotores [illegible], quod reverendiſſimus D. Sarlatenſis ad concilium provinciale neque veniſſet, neque ſuis miſiſſet, petiere ut tertia pars fructuum

epiſcopatus Sarlatenſis, fabricæ eccleſiæ Sarlatenſis per concilium addiceretur. Actum promotoribus conceſſum eſt.

Die decima Octobris, 1624.

*Congregatio privata nona.*

DIE decima Octobris, 1624. hora octava matutina, habita eſt ab illuſtriſſimo D. metropolitano congregatio privata, cui interfuerunt reverendiſſimi DD. Condomienſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Malleacenſis, & Lucionenſis, reverendiſſimis DD. Engoliſmenſi & Aginnenſi morbi cauſa abſentibus. Tractatum de officiis divinis.

*Congregatio publica nona.*

DIE decima Octobris, 1624. hora prima pomeridiana, habita eſt ab illuſtriſſimo D. metropolitano congregatio publica nona in aula inferiori. Reverendiſſimi DD. epiſcopi interfuere præſentes. Reverendiſſ. DD. Engoliſmenſis, Aginnenſis & Pictavienſis abſentes, morbi cauſa: tractatum de capellis; & prioratibus ſimplicibus: item de officiis canonicorum.

*Congregatio privata decima.*

DIE undecima Octobris 1624. hora octava matutina, habita eſt congregatio privata ab eodem illuſtriſs. D. metropolitano: cui interfuere reverendiſs. DD. epiſcopi, præter Aginnenſem abſentem, morbi cauſa. Actum de capitulis.

*Congregatio publica decima.*

DIE undecima Octobris 1624. hora prima pomeridiana, in inferiori aula archiepiſcopalis palatii habita decima congregatio publica ab eodem illuſtriſſimo D. metropolitano, cum omnibus reverendiſſimis DD. epiſcopis, præter Aginnenſem & Pictavienſem, morbi cauſa: adfuere etiam procuratores, & doctores.

Initio congregationis acceſſit reverendus D. Paſchalis de la Brouſſe, presbyter, canonicus eccleſiæ Sarlatenſis, doctor theologus, qui procuratorio capituli ſui exhibito, & probato, locum accepit in concilio.

Tractatum de rebus ad capitulum pertinentibus: maxime agitatum de fructibus canonicatuum, (quos Groſſos vocant) fabricæ applicandis, accedente abſentia canonicorum: neque tamen res deciſa, ſed in alium diem dilata a concilio, non ſine cauſa. Lecta in fine congregationis bulla S. D. N. papæ Gregorii XV. lata in religioſos ordinarii juriſdictioni, ratione adminiſtrationis ſacramentorum ſubjectos: tum ſoluta quæſtio eſt, & congregatio.

*Congregatio privata undecima.*

DIE duodecima Octobris 1624. hora ſeptima matutina, habita eſt congregatio privata. Interfuere cum illuſtriſſimo metropolitano reverendiſſimi DD. epiſcopi, præter reverendiſſimum D. Aginnenſem, morbi cauſa abſentem. Tractatum & concluſum de iis quæ ad capitula eccleſiarum pertinent.





*Congregatio publica undecima.*

DIE duodecima Octobris 1624. in aula inferiori, hora prima pomeridiana, habita eſt congregatio publica, cui interfuere illuſtriſſimus D. metropolitanus, reverendiſs. DD. epiſcopi Condomienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Malleacenſis, & Lucionenſis; abſentibus aliis morbi cauſa. Adfuere etiam procuratores eccleſiarum, & doctores. Tractatum de feſtis, & rectoris eccleſiarum.

*Dominica decima tertia 1624.*

DIE dominica 12. Octobris 1624. illuſtriſſimus D. metropolitanus, & reverendiſſimi DD. epiſcopi, viſitarunt eccleſias deſignatas pro indulgentiis acquirendis in civitate Burdigalenſi, hora matutina, ad inſtar eccleſiarum Romanarum: ſolenni ſacro & concioni verbi Dei interfuerunt in eccleſia D. Petri Burdigalenſis: nihil aliud actum eo die.

*Congregatio privata duodecima.*

DIE 14. Octobris 1624. hora matutina, in palatio archiepiſcopali habita eſt congregatio privata ab illuſtriſſimo D. metropolitano: interfuere reverendiſſimi DD. epiſcopi omnes: actum adhuc de capitulis, feſtis, confratriis, & aliis rebus.

*Congregatio publica duodecima.*

DIE 14. Octobris 1624. hora prima pomeridiana, congregatio publica habita eſt ab eodem illuſtriſſimo D. metropolitano in aula inferiori. Adiere reverendiſſimi DD. epiſcopi, præter reverendiſſimum D. Engoliſmenſem, & Pictavienſem: adfuerunt etiam procuratores eccleſiarum, & doctores. Actum de variis rebus.

*Congregatio privata decima tertia.*

DIE 15. Octobris 1624. hora matutina, in palatio archiepiſcopali, habita eſt congregatio privata ab illuſtriſſimo D. metropolitano, cui interfuere omnes reverendiſſimi DD. Actum de variis rebus.

*Congregatio publica decima tertia.*

DIE 15. Octobris 1624. hora prima pomeridiana, congregatio publica habita eſt ab eodem illuſtriſſimo D. metropolitano, in aula inferiori palatii archiepiſcopalis: adſtitere omnes reverendiſſimi DD. epiſcopi, præter reverendiſſimum D. Pictavienſem, morbi cauſa abſentem: actum etiam ibi de variis rebus, præcipue de epiſcopis. Sed poſtularunt quidam ex procuratoribus capitulorum, ut decreta quæ a patribus in congregationibus privatis definiuntur, eadem poſtea in congregatione publica, die præcedente ſeſſionem, legerentur: non enim in ipſa ſeſſione ſe poſſe audire quæ decreta ſunt, ni prius ipſi eadem in congregatione audiant. Inter quos procuratores ſurgit D. de Pitard, canonicus theologalis Santonenſis, procurator capituli dictæ eccleſiæ, contendens, omnes procuratores capitulorum in concilio, in rebus conciliariis de dirigendis, vocem deciſivam habere, præjudiciumque capitulis ea propter inferri: idque probare niſus, tum autoritate ſcripturæ, tum quod id non clare in conciliis generalibus & ab eccleſia definitum. Quod cum unanimi conſenſu patrum exploderetur, utpote judicatum jam, & ab ultimo concilio definitum, a ſummoque pontifice declaratum, & ab eccleſia obſervatum, in ea verba auſus eſt prorumpere: nimirum neque papam, neque epiſcopos de hac re judicare poſſe, quod in lite partes eſſent, papamque in favorem epiſcoporum ſemper judicaturum. Cui cum obſiſterent reverendiſſimi DD. epiſcopi, addidit ipſe etiam ſe majora dicturum, vel etiam pejora, aſſerens, pro confirmatione ſuæ opinionis, regem Chriſtianiſſimum in conſiſtorio ſuo exiſtentem, nullam ferre ſententiam, nec poſſe, ſecundum bene regulatam rationem, ni prius numeret conſilia & vota ſenatorum. Quæ cum valde aliena judicarentur a patribus, ſoluta congregatione, dilata ſunt in craſtinum decidenda.

*Congregatio privata decima quarta.*

DIE decima ſexta Octobris, anno domini 1624. in palatio archiepiſcopali habita eſt congregatio privata. Interfuere illuſtriſſimus D. metropolitanus, reverendiſs. DD. epiſcopi omnes. Actum de prolatis a D. de Pitard, miſſuſque a parte concilii qui eum exquireret: cui deinde in congregatione privata ſiſtenti, ab illuſtriſſimo metropolitano oſtenſum quam longe abeſſet a vero, & a definitionibus ſacrorum conciliorum: proinde hanc mentem deponeret, curaretque ſatisfacere in congregatione publica; ea quæ heſterna die attulerat, ſane male prolata, retractaret, vel ita a ſe dicta explicaret, ut in bonam partem a patribus & cæteris procuratoribus acciperentur. Cæterum, concilium exiſtimare, nullo modo eum cogitaſſe proterve aliquid contra praxim eccleſiæ communem moliri: attamen concilium decreturum ſuper iis hoc modo:

Sacro approbante concilio, decretis ultimi concilii provincialis Burdigalenſis inhærentes, opinionem quorumdam, qui auſi ſunt aſſerere, præter epiſcopos, quoſdam etiam alios habere vocem deciſivam in concilio provinciali, ut erroneam judicamus: quibuſcumque deinceps eamdem proponere, in concionibus agitare, docere, & tenere prohibentes.

Quibus reſpondit ipſe D. de Pitard, ſe hujuſmodi verba protuliſſe, non quod a ſummo pontifice reclamaret, vel a debita obſervantia & obedientia erga ſanctam ſedem a ſe debita, deficeret; & ab eccleſia, quam & verbis & ſcriptis propugnarat, vel tantillum deflecteret: ſed fervore & zelo partium capitularium ſuſtinendarum delatus, rationibus in contrarium allatis adductus, ea utrimque protuliſſe. Cæterum, ſe in congregatione publica acturum, ut quæcumque aliena forſan de ſe audirentur, verbis diſſolveret, & plene concilio ſatisfaceret, omnia ſua dicta & ſcripta eccleſiæ judicio ſubjiciendo.

*Congregatio publica decima quarta.*

DIE decima ſexta Octobris, anno domini 1624. in aula inferiori habita eſt congre-

gatio publica. Interfuere omnes, illuſtriſſimus metropolitanus, & reverendiſſimi DD. epiſcopi, præter D. Pictavienſem, morbi cauſa abſentem: actum de variis rebus, & conceſſum ut decreta in congregatione publica legerentur die præcedente ſeſſionem. Præterea reverendus de Pitard, theologus canonicus Santonenſis, ita ac promiſerat in congregatione privata, illuſtriſſimo D. & reverendiſſimis DD. epiſcopis, & omnibus, ſuper iis quæ de voce deciſiva & papa ante dixerat, plene ſatisfecit.

*Congregatio privata decima quinta.*

DIE decima ſeptima Octobris 1624. in palatio archiepiſcopali habita congregatio privata: interfuere omnes, illuſtriſſimus, & reverendiſſimi DD. epiſcopi. Actum variis de rebus.

*Congregatio publica decima quinta.*

DIE decima ſeptima Octobris 1624. in aula inferiori habita congregatio publica: interfuere omnes, præter D. Pictavienſem, morbi cauſa: adfuere procuratores: lecta deinde decreta hucuſque [a] digreſſa, conceſſumque procuratoribus capitulorum, ſi quid haberent quod dicerent, notario concilii ſignificarent. Quibus dictis, reverendus decanus metropolitanus cum aliis ejuſdem eccleſiæ procuratoribus, ea retulit quæ ad capitulum hujuſmodi eccleſiæ videbantur pertinere: cui reſpondit illuſtriſſimus. Dicta conciliorum & reſponſa continentur in actis coram notario concilii præfectis, quæ juſſit illuſtriſſimus præſentibus actis concilii inſeri, ut ſequitur.

a Forte, digeſta. H.

*Proteſtatio Jacobi Deiſaigues, decani eccleſiæ Burdigalenſis, nomine capituli, ne decreta in hoc concilio vel jam facta, vel in poſterum facienda, eccleſiæ ſuæ juribus & privilegiis noceant. Quod inſtrumentum, quia Gallico idiomate conceptum eſt, hic omiſimus.*

*Tertia ſeſſio, die decima octava Octobris, 1624.*

DIE decima octava menſis Octobris, anno domini 1624. in eccleſia metropolitana Burdigalenſi, habita eſt tertia ſeſſio concilii provincialis, hoc modo; hora octava matutina, omnibus paratis, adfuere omnes in palatio archiepiſcopali reverendiſſimi DD. epiſcopi, excepto reverendiſſimo D. Pictavienſi: convenere procuratores eccleſiarum, & doctores, & capitulum metropolitanum, cum ſuperpelliceis & almutiis. Hinc proceſſum ad metropolitanam ubi quiſque in loco aſſueto conſtitutus: reverendiſſimus D. epiſcopus Aginnenſis ſacrum ſolenne celebravit: quo perfecto, illuſtriſſimus D. metropolitanus, in cathedra, & reverendiſſimi DD. epiſcopi pontificalibus in ſubſelliis, induti, precibus ſolum perfectis, concioni a patre reverendo Bourdono Auguſtiniano aſtitere. Tuncque archidiacono Lernenſi in manibus illuſtriſſimi D. metropolitani decreta reponente, acceſſit ad illuſtriſſimum D. metropolitanum unus ex ſecretariis, qui accipiens de manibus illius decreta legenda, cum debitis inclinationibus ſuggeſtum conſcendit, decreta legit, & publicavit: ad ſingula notis exquiſitis per alterum ſecretarium in præſentia notarii concilii, reſponderunt, placet: quibus illuſtriſſimo D. metropolitano nunciatis, pronunciavit: decreta placuerunt patribus: ideo gratiæ Deo agendæ. Reſponderunt: Deo gratias. Decreta autem lecta ſunt de reſidentia paſtorali, de officiis divinis, de vita & honeſtate clericorum, de parochis, de prioratibus, & capellis, de canonicis & capitulis, de prædicatione verbi Dei, de epiſcopis. Tandem lectione decretorum perfecta, lectum decretum de prorogatione concilii: hoc modo:

Illuſtriſſime & reverendiſſime D. reverendiſſimi patres: placetne vobis ad omnia accurate pertractanda & abſolvenda, præſentis ſeſſionis prorogationem, ſeu continuationem fieri, & in diem Jovis 24. præſentis menſis Octobris transferri? votis exquiſitis, reſponderunt: placet. Hinc data eſt benedictio ſolennis ab illuſtriſſimo D. metropolitano, & publicatæ indulgentiæ centum dierum: ſurrectiſque patribus, perfecta ſeſſio eſt, & cuncti abſceſſere. Quia vero hora prima pomeridiana inſtabat in fine ſeſſionis, nihil actum a meridie.

*Congregatio privata decima ſexta.*

DIE decima nona Octobris, 1624. habita eſt congregatio privata in palatio archiepiſcopali, hora matutina. Adfuerunt omnes, illuſtriſſimus D. metropolitanus, & reverendiſſimi DD. epiſcopi, præter reverendiſſimum Lucionenſem. Actum de abſentia reverendiſſimi D. epiſcopi Sarlatenſis, & de vicario generali in diœceſi Sarlatenſi conſtituendo, ad inſtantiam promotorum. Cumque reverendiſſimi DD. epiſcopi, Aginnenſis & Petracoricenſis, judices ſuper excuſationibus abſentum conſtituti, ex auditione reverendi D. decani Sarlatenſis eccleſiæ a clero deputati, & reverendi domini de Brouſſe, canonici ejuſdem eccleſiæ a capitulo deputati, an concilium retuliſſent, duodecim parochias circiter, omnino parochis deſtitutas, & harum eccleſias dirutas eſſe, plures vero alias nomine fiduciario occupatas, vicariumque generalem ab epiſcopo Sarlatenſi in ſua abſentia regularem Carmelitam Hiſpanum conſtitutum eſſe: omnibus agitatis, & penſatis, promotores inſtitere hoc modo:

Promotores ſacræ ſynodi provincialis Burdigalenſis requirunt, reverendiſſimum D. Sarlatenſem epiſcopum, ob abſentiam ejus vere contumacem, tertia parte fructuum, quos ipſe anno, ex eccleſia cui præeſt, perciperet, privari, fabricæ eccleſiæ cathedralis Sarlatenſis applicanda.

Unde ſententia lata hoc modo ſequitur.

FRANCISCUS, miſeratione divina, S. R. E. tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis de Sourdis, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus Burdigalenſis, Aquitaniæ primas, in concilio provinciali Burdigalæ exiſtenti, definientes:

Audita inſtantia promotorum concilii, & accepta relatione & probatione canonica ſuper reverendiſſimi Sarlatenſis epiſcopi ſuffraganei noſtri abſentia, & contumacia, variiſque Sarlatenſis diœceſis eccleſiis partim ſolo æquatis, & rectoribus deſtitutis, partim a primis loci viris nomine fiduciario intercedente occupatis, exceſſibus denique, ac incurioſo eccleſiæ regimine, ita ut ipſe Sarlatenſis epiſcopus diſcenens, in ea regularem Carmelitam natione Hiſpanum, vicarium generalem conſtituerit: nos, ne diutius tanta patiatur eccleſia Sarlatenſis diſpendia, decernimus vicarium generalem in dicta diœceſi ........ concilii conſtituendum eſſe, prout jam ad animarum ſalutem, & eccleſiarum optimum regimen animum intendentes; egregium virum, Magiſtrum Joannem de Carbonniere de Jayac, presbyterum, in juribus baccalaureum, decanum eccleſiæ Sarlatenſis, ſufficientem, capacem & idoneum, & cujus experientia in rebus eccleſiæ bene gerendis perſpecta eſt & nota, vicarium generalem diœceſis Sarlatenſis in ſpiritualibus & temporalibus per annum dumtaxat dicimus, facimus, & creamus: Eidem præcipue mandantes & injungentes ut ſtatim atque Sarlatum ex concilio provinciali redierit, omnium eccleſiaſticorum ſynodum cogere aggrediatur, ut in ea cuncti diœceſani, capitula ſcilicet, priores, rectores, & alii eccleſiaſtici, qui de jure, vel conſuetudine ſynodo Sarlatenſi intereſſe debent, ex omnibus ſacerdotibus eum ſyndicum totius diœceſis eligant & conſtituant, quem capacitate, probitate, & zelo ita commendari norint, ut impenſis communibus in eos qui ſordidæ confidentiæ nomine beneficia occupant & expilant eccleſiaſtica, debitis juris remediis, etiam vocato brachii ſæcularis auxilio, agere ſollicite valeat; tamdiuque negotium perſequatur, quoad amotis confidentiariis & expilatoribus, eccleſiis hujuſmodi eccleſiaſtici capaces & idonei debita impendentes obſequia conſtituantur: conſtituti vero, & pacifice beneficia obtinentes, ex fructibus dictorum beneficiorum impenſas in litibus diſceptandis a clero ſupportatas, ipſi clero rependant: ac inſuper curet idem vicarius generalis, ut eccleſiarum omnino deſtitutarum, in quibus, fugiente paſtore, pravitas hæret hæretica, decimæ, & quicumque proventus retineantur, & ſequeſtri ponantur, in reſtaurationem & reædificationem convertendi: provideatque omnibus melioribus viis & modis, ut deinceps divina officia in hujuſmodi eccleſiis perſolvantur, & prædicatio orthodoxæ fidei, langueſcentes animas, efficaci verbo percuſſas, ſanet tandem, & eccleſiæ reſtituat: omnia denique obſervet quæ ad tollendos exceſſus & ruinas reſervandas plurimum valere, pro prudentia judicabit. Committentes eidem eo nomine & concedentes omnia & ſingula quæ de jure vicariis generalibus diœceſum dari, committi, & concedi ſolent præſentibus; eadem pro expreſſis habentes ita ac ſi de verbo ad verbum insererentur ad regimina eccleſiæ neceſſaria plene dirigenda; de omnibus a ſe geſtis per ſemeſtrem; nos certiores faciendo. Hinc revocamus quoſcumque vicarios generales ab ipſo Sarlatenſi epiſcopo conſtitutos. Cæterum, quia idem epiſcopus Sarlatenſis ſuffraganeus debite monitus præſenti concilio adeſſe, noluit accedere, & adhuc contumaciam extendit, ſacrum concilium contemptui habens: nos ſacris canonibus innitentes, tertiam partem omnium & quorumcumque fructuum & obventionum unius anni epiſcopatus Sarlatenſis prædicto ſuffraganeo contumaci ſubtrahendam eſſe decernimus, prout præſenti decreto auferimus, detrahimus, eamdem fabricæ eccleſiæ Sarlatenſis attribuentes & applicantes: eoque fine, per ſequeſtrationem fructuum, proventuum, & obventionum hujuſmodi, debitis juris remediis utendo, procedendum eſſe, præcipimus, vocato adhoc poteſtatis ſæcularis auxilio. Datum Burdigalæ in concilio provinciali, die decima nona Octobris, anno domini 1624.





Decrevere tamen patres, ſubſequentem clauſulam præſenti regiſtro inſerendam.

Non abnuimus tamen, ſacro annuente concilio, quum ſe prædictus ſuffraganeus per tres menſes abhinc Burdigalem appulerit, vel excuſationes per ſe, vel procuratorem debite conſtitutum, legitimas & probatas attulerit, & decretis concilii provincialis ſubſcripſerit, hujuſmodi applicationis & fructuum ſequeſtrationis debito gratioſe liberetur.

Ad libellum autem ſupplicationum ſyndici capituli cathedralis Sarlatenſis, neceſſitatem prædictæ eccleſiæ, & ruinas imminentes exponentis, ac pecunias ex non comparitione ad ſynodos diœceſanas, poſtulantis, ut fabricæ eccleſiæ applicarentur; hæc edixere patres.

Reſtaurationi eccleſiæ Sarlatenſis providentes, decernimus, omnes & ſingulas pecuniæ ſummas nondum ſolutas ratione ........ ſive comparitionis eccleſiaſticorum diœceſis Sarlatenſis, tum ad ſynodos antea habitas, tum ad ſynodum proximiorem, juſſu præſentis concilii habendam, proventuras, fabricæ ejuſdem eccleſiæ applicandas, prout ex hoc tempore addicimus, [a] ſupplicamus. Actum in congregatione privata concilii provincialis Burdigalæ, die decima nona menſis Octobris 1624.

a) Lege, applicamus. H.

*Congregatio privata decima ſeptima.*

EADEM die decima nona Octobris, 1624. non eſt habita congregatio publica, ſed privata, in palatio archiepiſcopali. Interfuere omnes, præter reverendiſſimum D. Lucionenſem. Actum de monachis, & variis rebus.

Dominica vigeſima Octobris 1624.

*Congregatio privata decima octava.*

DIE dominica, vigeſima Octobris, 1624. hora matutina, non eſt habita ulla congregatio: a meridie habita eſt congregatio privata. Actum de variis rebus, ac præcipue relatum eſt negotium concubinatus domini de Saugean, Burdigalenſis, qui in concubinatu notorie monitus ab illuſtriſſ. Metropolitano, futurus excommunicatus, nullaque pœnitentia motus, inſordeſcebat. Actum in concilio, ut iis benedictionibus præveniretur, quibus vel ipſa pervicacia, ſi adeſſet, miteſceret; datumque in mandatis uni ex ſecretariis, & notario concilii, ut hominem convenirent, miſerrimum ſtatum in quo volutabatur, repræſentarent; nulloque eum majori bono poſſe privari, quam ab uberibus dulcedinis matris eccleſiæ avulſum eſſe; quæ tamen illi conatum offerebat [b] exſurgendæ, ſi ſuperba ſupercilia & contumacia, Deo, eccleſiæ, ac paſtori ſummitteret, & a ſe tanti mali cauſas arceret; e contra vero omnia mala, ni reſipiſceret, in eum occaſura.

a] Forte, exſurgendi. H.

*Congregatio privata decima nona.*

DIE vigeſima prima Octobris 1624. habita eſt congregatio privata: interfuere om-

ANNO CHRISTI 1624.

omnes, præter Lucionenſem: tota congregatio occupata fuit in diluendo ſcelere ſeneſcalli Santonenſis: pro cujus memoria hæc regiſtro inſita.

Cum ad concilium querelæ allatæ fuiſſent de exceſſibus irreligioſis domini temporalis baronis d'Authon, Santonenſis ſeneſchalli, quod eo temeritatis paucis ante diebus deveniſſet, ut in ipſa eccleſia Caſtelli inſulæ d'Oleron, infra miſſarum ſolennia, concionatorem ordinis patrum Recollectorum, & ex ipſo ſuggeſtu concionantem, deturbaret, & verbo Dei obſtruens multa inclamaſſet, & parochum, ut ſacroſanctum miſſæ ſacrificium perficeret, coegiſſet: unde concilium, murum ſe pro eccleſia Dei opponens, quo patrati ſceleris pœnas...... in caput autoris a rege Chriſtianiſſimo poſtulavit infundendas, autorem ſceleris deferri latagebat: accidit ut ipſe Santonum ſeneſchallus, cum domino temporali de Pons, & marchione de Roitelin, qui eum comitati ſunt, ſalutaribus motibus quaſſatus Burdigalam appulerit, pœnas ſceleris [a] declamaturus. Quare concilium ipſum, licet juſtitiam indutum, miſericordia etiam præventum eſt. Accedens igitur baro ſeneſchallus, & ingreſſus concilium, aſſidentibus patribus, timore judicii divini correptus, flexis in pœnitentiam genibus, peccatum ſuum confeſſus eſt, veniam deprecatus, & criminum abſolutionem. Quibus viſis & auditis, illuſtriſſimus D. metropolitanus, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum patrum, eumdem baronem nomine proprio interpellans, ut ſurgeret, & ſtaret, curavit; iiſque ſermonibus pœnitentem accepit, quibus turbatam & quaſſatam conſcientiam lenire exiſtimavit, præclara nimirum illius facinora, & bene anteactæ vitæ, pro Dei gloria, & Chriſtianiſſimo Franciæ ſtatu, recordationem efficere, ut tanto mitius in delendo facinore tractaretur a concilio, quanto fortius ſpes, e pœnitentiæ tenebris, protegendæ demum a ſe eccleſiæ Dei concipiebatur. Quapropter cum & reatum agnoſcens, pœniteret, & reſipiſcens omnia officia pro tuenda fide orthodoxa offerret: concilium, quantum in ſe erat, hanc notam ab illo arcere, cumque pro ſalutari pœnitentia & abſolutione accipienda, monitis denique ſalutis ſuſcipiendis, ad reverendiſſ. D. epiſcopum Santonenſem ordinarium ſuum remittere. Quibus ipſe baro exhilaratus, gratias agens concilio, & confidens, ſe, autore Deo, tanto majora pro eccleſia Dei ſubiturum, quanto ſe ab obedientia ſanctæ matris ſubduxerat, e concilio diſceſſit. Hinc læti patres, quod homo potens, clarus, juſtitiæ Santonenſis primus, officio reſtitutus, exemplo obedientiæ præclaro, plurimos ad debita revocaret obſequia.

[a] Forte, declinaturus. H.

*Congregatio privata decima.*

Eadem die habita eſt congregatio privata, hora ſecunda pomeridiana, in reditu ab oratione habita per primarium collegii Aquitanici, in aula publica ejuſdem collegii: interfuere illuſtriſſimus D. & reverendiſſ. DD. epiſcopi. Actum de variis conſtitutionibus, & unionibus.

*Congregatio privata vigeſima prima.*

Die vigeſima ſecunda Octobris 1624. in palatio archiepiſcopali, hora matutina, habita eſt congregatio privata. Illuſtr. D. Metropolitanus, & reverendiſſ. DD. epiſcopi omnes interfuere. Lecta decreta facta ab ultima ſeſſione, reſponſumque ad libellum ſupplicationum, presbyterorum præbendatorum, metropolitanæ antea oblatum: quo petebant ut almutiis & cappis nigris uti liceret ad præſcriptum ultimi provincialis. Re diſcuſſa ab reverendiſſimis Aginnenſi, Petracoricenſi, judicibus controverſiarum, & relata ad ſynodum, pronunciatum hoc modo.

Auditis in concilio provinciali procuratoribus & deputatis eccleſiæ metropolitanæ, nos ultimi provincialis decretum exequentes; decernimus ut ante dicti presbyteri præbendati, aliique dictæ eccleſiæ perpetuo inſervientes, almutiis & cappis nigris pro diverſitate temporis induantur & ornentur: differentia ſit tamen aliqua in almutiis, & in cappis, nulla ſint paramenta diverſi coloris: non autem intendimus ex hoc, aliquod jus prædictis præbendatis acquiſitum ad potiora ſtipendia expetenda, aut præeminentias & prærogativas alias in eadem eccleſia obtinendas: ſed eadem prorſus jura quæ antea, ipſis præbendatis competebant. Actum Burdigalæ, in congregatione privata concilii provincialis, die 22. Octobris 1624.

*Congregatio publica ultima.*

Die vigeſima ſecunda Octobris 1624 hora prima pomeridiana, in aula inferiori habita eſt congregatio publica ultima. Interfuere reverendiſſimi: actum variis de rebus, & relicta pars decretorum hactenus conditorum.

*Congregatio privata vigeſima tertia.*

Die vigeſima tertia Octobris, anno domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, hora matutina octava, in palatio archiepiſcopali habita eſt congregatio privata. Interfuere reverendiſſ. DD. epiſcopi, Condomienſis, Engoliſmenſis, Aginnenſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Malleacenſis, Lucionenſis. Actum de decretis in fine concilii ferendis, & aliis rebus, tum præcipue de libris Milhardi de caſibus conſcientiæ editis, interdicendis; actumque decretum hujuſmodi.

*Cenſura librorum Milhardi.*

Quia vero inter caſus conſcientiæ a Petro Milhardo vulgari ſermone in lucem editos, multa ſunt quæ potius animas puſillorum offendunt, quam ædificant, dum ſimoniæ & uſuræ circumſtantias ita delineat, ut ejuſmodi peccatis quaſi viam aperire magis quam præcludere videatur: necnon libertinis anſam aliquam dedere, prætextu pravæ multorum conſuetudinis, impune violandi generalia illa præcepta eccleſiaſtica de audiendo ſacro diebus feſtis, & de jejunando quadrageſimæ temporibus: nos his aliiſque permultis de cauſis lectionem librorum omnium quos prædictus Milhardus, de caſibus conſcientiæ quovis idiomate conſcripſit, & quocumque titulo cenſeantur, omnibus provinciæ fidelibus omnino interdicimus: invigilentque ordinarii, cenſuris, cum opus fuerit, adhibitis, ne ejuſmodi



ANNO CHRISTI 1624.

modi aut aliis erroribus ſibi commiſſæ plebes inficiantur.

*Congregatio privata vigeſima quarta.*

Die vigeſima tertia Octobris, 1624. in palatio archiepiſcopali habita eſt alia congregatio privata, ut dictum fuerat in præcedenti, inter reverendiſſimos DD. epiſcopos, cum illuſtriſſimo D. metropolitano. Interfuerunt reverendiſſimi DD. Condomienſis, Pictavienſis, Petracoricenſis, Santonenſis, Malleacenſis. Lecta ſunt ibi decreta de propaganda fide, viſitatione, fine concilii; & actum de variis rebus quæ ad finem concilii & ſeſſionem pertinebant: ac prætetea actum de conſervatione jurium epiſcopalium; hincque ſubſequens decretum.

Nos in concilio provinciali exiſtentes & definientes; cum ad ea quæ paſtoralia jura cuilibet epiſcopo in propria diœceſi conſervanda pertingunt, animum intenderemus, & ut nulla ex parte imminuerentur, provideremus: hinc declaramus, nulli epiſcopo prætextu cujuſvis abbatiæ, prioratus, aut alterius beneficii ab eo poſſeſſi, licitum eſſe uti baculo paſtorali in divinis officiis, niſi intra ſuam diœceſim fuerit prædictum beneficium: vel niſi in eodem plenam & epiſcopalem habuerit juriſdictionem, vel forte quoad hoc ſpeciali privilegio apoſtolico ſit munitus. Datum Burdigalæ, in congregatione privata concilii reverendiſſimorum epiſcoporum comprovincialium, die vigeſima tertia Octobris 1624.

*Continuatio ſeſſionis tertiæ.*

Die Jovis, vigeſima quarta menſis Octobris, anno domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, fuit continuatio tertiæ ſeſſionis, ac tandem concluſum concilium. Hora ſeptima matutina, illuſtriſſimus D. metropolitanus, reverendiſſimi DD. epiſcopi omnes, canonici metropolitani, procuratores eccleſiarum, & doctores & officiales concilii, e palatio archiepiſcopali in metropolitanam proceſſere: ibique reverendiſſimus D. Pictavienſis ſacrum ſolenne fecit de beata virgine, illuſtriſſimo D. metropolitano, in cathedra ſub umbella, reverendiſſimis DD. epiſcopis in ſubſelliis paratis, aſſidentibus. Perfecto ſacro, amictis pontificalibus indutis, precibus de more actis, reverendiſſimus D. epiſcopus Aginnenſis habuit concionem dilucidam in fine concilii, de eccleſiæ fortitudine, unione epiſcoporum, & totius cleri. Qua feliciter & fructuoſe perfecta, unus ex ſecretariis acceſſit ad illuſtriſſimum, de manu illius decreta ſuſcipiens; quibus acceptis, ſuggeſtum conſcendit, & legit omnia decreta, ſcilicet de ſacramentis, de feſtis, de ſepulturis, de viſitatione, de archipresbyteris, & teſtibus ſynodalibus, & aliis, ſuis locis reponendis: de ſeminariis, de promovendis ad beneficia, de propaganda fide, de monaſteriis, de monialibus, de concilio provinciali, & pœnis. Quæ, votis a patribus exquiſitis, placuiſſe eiſdem patribus publicatum eſt, & gratiæ Deo actæ.

*De ſubſcribendo decretis concilii.*

Hinc lectum eſt decretum de ſubſcribendo decretis concilii, ab eodem ſecretario qui in ſuggeſtu.

*Decretum de ſubſcribendo.*

Franciſcus, miſeratione divina, S. R. E. tituli S. Praxedis, presbyter cardinalis, archiepiſcopus Burdigalenſis, Aquitaniæ primas, admonet reverendiſſ. Patres omnes qui huic ſynodo jure interſunt, & interfuerunt, ut poſt ſe ſinguli loco & ordine ad altare majus accedant, & iis quæ in hac ſancta ſynodo decreta ſunt, ſubſcribant.

Quod decretum cum omnes placere ſibi dixerint patres, illuſtriſſimus D. metropolitanus acceſſit ad majus altare, inclinationem faciens ad reverendiſſimos epiſcopos: & primus ſubſcripſit, hoc modo:

Nos F. T. S. Praxedis, S. R. E. P. cardinalis, hujus Baſilicæ archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, hæc decreta a nobis definita ſubſcripſimus: F. card. arch. Burd.

Deinde ſucceſſere omnes, poſtquam illuſtriſſimus rediit ad cathedram ſuam: ſinguli cum accederent, debitas inclinationes facientes, tum ad illuſtriſſimum, tum ad altare, idque juxta ordinem, hoc modo:

Ego Antonius, epiſcopus Condomienſis, ſubſcripſi.

Ego Antonius, epiſcopus Engoliſmenſis eccleſiæ, ſubſcripſi.

Ego Claudius, epiſcopus Aginnenſis, ſubſcripſi.

Ego Henricus Ludovicus, epiſcopus Pictavienſis, ſubſcripſi.

Ego Franciſcus, epiſcopus Petracoricenſis, ſubſcripſi.

Ego Michael Raoul, epiſcopus Santonenſis, ſubſcripſi.

Ego Henricus, epiſcopus Malleacenſis, ſubſcripſi.

Ego Emericus, epiſcopus Lucionenſis, ſubſcripſi.

*De fine concilii.*

Cumque omnes acceſſiſſent, & ad ſubſellia rediiſſent, actum de fine concilii: hincque ſecretarius in ſuggeſtu exiſtens, ait:

Reverendiſſimi patres, placetne vobis, ad Dei omnipotentis laudem, hujus concilii provincialis finem jam fieri? exquiſitis votis, reſponderunt; placet.

Tum de mandato illuſtriſſimi metropolitani, ſecretarius legit decretum hoc modo.

Nos Franciſcus, S. R. E. cardinalis, tituli S. Praxedis, archiepiſcopus Burdigalenſis, Aquitaniæ primas, Deo autore & adjutore cum abſoluta ſint quæ pro temporis ratione agi gerique poſſe videbantur; cumque paſtoralis cura reverendiſſimos epiſcopos, qui huic ſancto concilio interfuerunt, & interſunt, ad eccleſiarum ſuarum ſtatus & paſtorales vigilias revocet: propterea huic ſancto concilio finem imponi cenſuimus.

Hinc illuſtriſſimus D. metropolitanus ad reverendiſſ. patres pauca de ſollicitudine paſtorali præfatus, juſſit ut ſecretarius in ſuggeſtu exiſtens, legeret quæ præcipue in fine hujus ſancti con-

ANNO CHRISTI 1624.

concilii a Deo eſſent expetenda : quæ quidem in tria puncta ipſe illuſtriſſimus redegerat, hoc modo.

*Oratio mentalis.*

I.

REverendiſſimi patres, tota mente & pio affectu orate pro ſanctiſſimo D. N. Urbano papa VIII. ut eum Deus Spiritu ſancto in ſalutari gratia gubernet, dirigat, & defendat.

II.

Reverendiſſimi patres, toto cordis affectu orate, ut inclinet Deus ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ ſuæ, & in protectione eccleſiæ ſuæ ſanctæ antiqua ſui brachii operetur miracula, & maxime ut provincia hæc veſtris culta laboribus, in ſanctæ reformationis inſtitutis progrediatur : ut in omnibus, & per omnia glorificetur Deus & pater domini noſtri Jeſu Chriſti.

III.

Reverendiſſimi patres, toto cordis affectu orate pro Chriſtianiſſimo rege noſtro Ludovico, ut victoriam de inimicis crucis Chriſti, reportet feliciſſime, & præcedat eum angelus Domini in cunctis illius operibus, & comitetur in via, donec afferatur illi ſceptrum regni æterni.

His edictis, illuſtriſſimus, & reverendiſſimi patres, genibus flexis ante majus altare, in oratione mentali perſtiterunt per dimidiam horam.

Finita oratione, facta eſt proceſſio in eccleſia & in clauſtris : qua redeunte, diſtributæ tabellæ acclamationum, tum illuſtriſſ. D. metropolitano & patribus, tum principibus viris ſupremi ſenatus, & aliis aſſiſtentibus, aſcendente interim ſuggeſtum uno e ſecretariis, qui & archidiaconus eccleſiæ metropolitanæ : ibique incipit hoc modo.

*Acclamationes patrum in fine concilii.*

*Arch.* Soli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

℟. Laudamus te, domine, qui illuminans mirabiliter a montibus æternis, ſacrum iſtud provinciale concilium ad optatum exitum mira benignitate perduxiſti : tibi laus, tibi poteſtas & imperium in ſæculum, & uſque in ſæculum ſæculi.

*Arch.* Beatiſſimo Urbano papæ, & domino noſtro, ſanctæ univerſalis eccleſiæ pontifici, anni permulti, ut cunctas gentes in obſequium Chriſti pro ſua paſtorali ſollicitudine pertrahat.

℟. Impleat dominus omnes petitiones ſanctiſſimi patris, & ita omne concilium ipſius adverſus inimicos crucis Chriſti confirmet, ut ad

A nihilum deveniant, tanquam aqua decurrens, & ſicut deficit fumus, deficiant.

*Arch.* Patriarchis, & archiepiſcopis omnibus, quos Chriſtus fecit regnum, & ſacerdotes Deo & Patri ſuo, accuratiſſima in creditos ſibi populos vigilantia.

℟. Anticipent vigilias oculi eorum, & annos æternos in mente habeant, intendant ad viſitandas omnes gentes, quas lavit agnus in ſanguine ſuo.

*Arch.* Chriſtianiſſimo regi noſtro Ludovico, cujus laus in fines terræ, ob zelum domus domini, perpetua & illibata felicitas.

℟. Deus primogenitum ponat illum excelſum præ regibus terræ; in æternum ſervet illi B miſericordiam ſuam, & dies ſuper dies ejus; ad diſſipanda conſilia hæreticorum, adjiciat.

*Arch.* Regibus, & Chriſtianis principibus, cunctiſque ſublimioribus poteſtatibus, ſalus & uberrima omnipotentis benedictio.

℟. Deduc eos, domine, in portum voluntatis eorum, tuamque ipſis miſericordiam prætende : ut eccleſiæ vineam, quam plantavit dextera tua, adverſus inſidias ſatanæ concordiſſime communiant; omneſque populi, qualibet perturbatione ſubmota, liberis tibi mentibus deſerviant.

*Arch.* Fidelibus provinciæ noſtræ & populo Chriſtiano univerſo pax Chriſti æterna.

℟. Vias tuas, domine, demonſtra illis, & C dirige eos in veritate tua, ut non obliviſcantur operum altiſſimi, & mandata ejus exquirant.

*Arch.* Reverendiſſimis hujus provinciæ epiſcopis, ad eccleſias ſuas reditus, cum jam hauſerint aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

℟. Proſperum iter faciat eis Deus ſalutarium noſtrorum, ut immolent ei ſacrificium laudis, & benedicant populo ſuo in pace.

*Arch.* Nos, domine, memores mandatorum tuorum, & decretorum ſacri hujus conſeſſus, ad faciendum ea in ſanctuario quod firmaverunt manus tuæ, corpore tibi pariter famulemur & mente, intercedente B. virgine Maria, ſanctis apoſtolis Petro, Paulo, & Andrea, & D omnibus ſanctis.

℟. Amen, Amen.

Statim atque acclamationes perfectæ fuerunt, actæ Deo gratiæ, eoque fine cantatur, *Te Deum* : & cantico finito, & oratione pro gratiarum actione, ab illuſtriſſ. D. metrop. recitata, ſinguli patres, ordine, cum mitris, factis inclinationibus debitis, acceſſere ad illum in cathedra ſub umbella ſtantem, & accepere oſculum pacis, & dedere : ac etiam omnes regreſſi ad ſubſellia, mutuis amplexibus inter ſe pacis oſculum dederunt, & acceperunt.

Quibus perfectis, illuſtriſſ. D. metropolitanus dat benedictionem ſolennem, & publicaE tur centum dierum indulgentiæ. Tandem idem ſecretarius, qui & archidiaconus, conclamat, cantando. Recedamus in pace. Et chorus reſpondet : In nomine domini. Tum illuſtriſſ. D. metropolitanus & reverendiſſimi DD. epiſcopi, depoſitis ornamentis, receſſere.

CON-



ANNO CHRISTI 1642.

# ** CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM

## Contra Calvini dogmata, anno Domini MDCXLII.

GRÆCORUM ſynodos, ex quo a Romana eccleſia ſeceſſerunt, colligere omnes inſtituti noſtri non fuit. Hanc tamen minime duxi prætermittendam, quæ Calvini errores præſide Parthenio patriarcha damnavit : quos Græcis ſuis obtrudere conatus erat Cyrillus, qui patriarchatum ante occupaverat, vir nequam, & precio, id ut aggrederetur, redemptus. Litteras igitur Parthenii ſynodicas hic repræſento, uti editæ ſunt typis Jaſii in Moldavia, in monaſterio ſanctorum trium præſulum, anno ſal. MDCXLII. Decemb. xx.

ΠΑΡΘΕΝΙΟΣ ΕΛΕΩ ΘΕΟΥ A ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

ΤΗΣ ἡμῶν μετριότητος συνοδικῶς προκαθημένης, συνεδριαζόντων αὐτῇ καὶ τῶν ἱερωτάτων ἀρχιερέων, καὶ ὑπερτίμων, τῶν ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητῶν αὐτῆς ἀδελφῶν, καὶ συλλειτουργῶν, καὶ τῶν τιμιωτάτων κληρικῶν τῆς καθ᾽ ἡμᾶς τοῦ Χριστοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, προήχθησαν εἰς μέσον κεφάλαιά τινα, ἐπιγραφὴν ἔχοντα τοῦ πρὸ ἡμῶν πατριάρχου γέροντος κὺρ Κυρίλλου. περὶ ὧν ἐζητήθη, εἰ χρὴ ταῦτα ὡς εὐσεβῆ λογίζεσθαι καὶ κατέχειν, ἢ ὡς τῆς ἡμετέρας ἀνατολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας ἀλλότρια ἀποκηρύττεσθαι. B διὸ πᾶσα ἡ ἱερὰ σύνοδος αὕτη, ἕκαστον αὐτῶν ἐπιμελῶς ὑπεξελθόντες, καὶ τὸν νοῦν τῶν γεγραμμένων ἀνακρίναντες, εὗρον αὐτὰ πάντα (τοῦ ἑβδόμου ἐκτὸς) τῆς Καλβινικῆς ἀντεχόμενα αἱρέσεως, καὶ ὡς πορρωτάτω τῆς χριστιανικῆς τῶν ἀνατολικῶν θρησκείας ἀπέχοντα.

α΄. Ἐν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ, τὴν ἀΐδιον καὶ ὑπαρκτικὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος πρόοδον ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ ὑποτίθησι, παρὰ γνώμην τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.

β΄. Ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τὴν ἁγίαν γραφὴν γυ- C μνὴν ἐξηγήσεων τῶν τῆς ἐκκλησίας ἁγίων πατέρων δεχόμενος, τὰ ταῖς οἰκουμενικαῖς συνόδοις θεοπνεύστως ἐκφωνηθέντα διαβάλλει, καὶ τὰς ἀρχῆθεν κατὰ διαδοχὴν κεκρατηκυίας ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἀποπέμπεται παραδόσεις, ὧν ἐκτὸς εἰς ψιλὸν ὄνομα περιστραίη τὸ κήρυγμα ἡμῶν, ἤ φησι Βασίλειος.

γ΄. Ἐν δὲ τῷ τρίτῳ τὸν θεὸν ὑποτίθησιν ἀδικώτατον, τυραννικῇ χρώμενον ἐξουσίᾳ, μόνῃ λέγων τῇ θελήσει αὐτοῦ τοὺς μὲν εἰς δόξαν προορίσαι, τοὺς δὲ ἀποβάλλειν εἰς κόλασιν, μηδαμῶς τὰ ἔργα αὐτῶν σκοπούμενον. οὗ τί ἂν γένοιτο ἀσεβέστερον; D

δ΄. Τὸ δὲ τέταρτον τῷ πρὸ αὐτοῦ ὅλως ἀντίκειται. εἰ γὰρ οὐκ αἴτιος τῶν κακῶν ὁ θεός, πῶς τῷ οἰκείῳ θελήματι τοὺς ἀδοκίμους ἐπὶ τῷ κακοποιεῖν ἐξεπίτηδες προήγαγεν;

ε΄. Ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ τὴν θείαν παρεξηγεῖ πρόνοιαν, περιάπτων αὐτῇ κυρίως καὶ πρωτουργῶς τὰ κατὰ παραχώρησιν αὐτῆς ὑπὸ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τε, καὶ δαιμόνων γινόμενα, ὡς ἐξ ὧν παράγει μαρτυριῶν ἐπιστώθη· τοῦτο δὲ πᾶσαν ὑπερβαίνει βλασφημίαν.

ϛ΄. Τὸ δὲ ἕκτον· περικλείων πᾶσαν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, οὐ μόνον τὴν

*PARTHENIUS MISERICORDIA Dei archiepiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ, & œcumenicus patriarcha.*

PRÆSIDENTE ſynodice mediocritate noſtra, aſſidentibus ipſi ſanctiſſimis epiſcopis, & honoratiſſimis, dilectis in Spiritu ſancto fratribus, & comminiſtris, nec non ſpectatiſſimis clericis magnæ Chriſti eccleſiæ, quæ apud nos eſt, producta ſunt in medium capitula quædam inſcripta nomine deceſſoris noſtri patriarchæ ſenis, domini Cyrilli : de quibus quæſitum eſt, eane oporteret ut pia reputare & amplecti, an vero ut ab Orientali noſtra & apoſtolica Chriſti eccleſia longe aliena rejicere. Quare univerſa hæc ſacra ſynodus, horum ſingulis diligenter examinatis, & inveſtigata eorum quæ ſcripta erant, ſententia, cenſuit hæc omnia (præter ſeptimum) Calvinicam hæreſim profiteri, & a catholica Orientalium religione longiſſime diſcrepare.

I. In primo enim æternam & ſubſtantivam Spiritus ſancti proceſſionem ex Patre Filioque conſtituit, præter catholicæ eccleſiæ mentem. *Græcorum hæreſis hic continetur.*

II. In ſecundo vero ſanctam ſcripturam ſine interpretationibus ſanctorum eccleſiæ patrum recipiens, calumniatur quæ divino afflatu ab œcumenicis ſynodis pronunciata ſunt, repudiatque traditiones, quæ per orbem univerſum obtinuerunt, ſine quibus fides omnis noſtra in vanum & tenue nomen abiret, inquit Baſilius.

III. In tertio autem Deum facit iniquiſſimum, tyrannica poteſtate utentem, aiens eum ſola ſua voluntate alios prædeſtinare ad gloriam, alios in pœnam mittere, nulla operum habita ratione. Quo quid magis impium proferri poſſit?

IV. Quartum autem cum præcedenti omnino pugnat. Si enim malorum cauſa non eſt Deus, quomodo propria voluntate reprobos de induſtria ad peccandum impellit?

V. In quinto vero de Divina providentia perperam loquitur, tribuens ipſi proprie ac primario, quæ a malis tum hominibus, tum angelis, ex ejus permiſſione fiunt : ut liquet ex iis, quæ adducit, teſtimoniis. hoc vero blaſphemiam omnem excedit.

VI. Sextum autem naturam humanam omnem obnoxiam peccato faciens, non ori-

ANNO CHRISTI 1642.

originali tantum, ut & noſtra profitetur eccleſia, ſed & quod ex eo ſcaturit, voluntario ac mortali, quod illius fructum quendam appellat, nemineмque ab eo immunem volens, (mortali ſcilicet, quod condemnationi obnoxium reddit eum qui ipſum operatur) ne maximum quidem inter natos mulierum, neque benedictam in mulieribus, aut patriarchas ullos, aut prophetas & apoſtolos, ut alienum a fide noſtra judicatum eſt.

VIII. In octavo vero ſanctorum interceſſiones tollit, & angelorum protectiones, necnon eas, quæ a ſacerdotibus pro toto orbe fiunt, orationes & interceſſiones, quibus eccleſiam conſervari credimus.

IX. In nono vero fidem ſine operibus ſalvare ſtatuit; eſſe autem hanc non opus noſtrum, ſed Chriſti unius extrinſecus juſtificantis hominem per vitam ac mortem ſuam, ne videatur quidquam ad ſalutem ſuam homo conferre.

X. In decimo autem terreſtrem, ac cæleſtem eccleſiam confundens, pontificiam poteſtatem tollit, & per ipſam, totam eccleſiæ perfectionem. Quo quid perturbatius eſſe poteſt?

XI. In undecimo vero terreſtris hujus eccleſiæ membra ſolos electos eſſe vult, neque eos præciſe, qui ejus myſteriorum cum fide ſunt participes; quemadmodum & Paulum, eccleſiam perſequeretur, membrum illius fuiſſe, quod ex utero prædeſtinatus eſſet: & Judam, cum perinde atque apoſtoli cæteri, miracula faceret, ejuſdem membrum tunc minime fuiſſe.

XII. In duodecimo vero enitens ſcriptor patrum doctrinas e medio tollere, eccleſiam ait a Spiritu ſancto doceri; quod verum cum ſit, ab eo eſt maligne pronunciatum. Nam docetur quidem a Spiritu ſancto eccleſia noſtra, ſed non immediate, at hominum manibus atque linguis utente Spiritu. Homines enim erant, & prophetæ, & apoſtoli, qui verbum Domini prædicaverunt, conſcripſeruntque, quamvis oracula illa dicerentur eſſe Spiritus ſancti & Divina, quaſi inde afflata, nihilque humani habentia. Eccleſia igitur inſpiratis divinitus patrum oraculis edocta, non ab homine, ſed a Spiritu ſancto doceri dicitur. Illi enim divino impulſi ſpiritu nos docent, non ſecundum hominem, at ſecundum eum, quem a Spiritu acceperunt, afflatum: quod ex ea, quæ inter illos eſt concordia manifeſtum eſt. Quod vero hoc ipſo in capite dicatur fieri poſſe ut erret eccleſia, idque cum & doctorem Spiritum, & Chriſtum caput habeat, quam neque maculam habere, neque rugam, ſed totam pulchram & perfectam eſſe dictum eſt, ut impium eſt damnatum.

XIII. Decimum tertium autem nullam vult eſſe bonis operibus in hominum ſalute partem, hoc uno tollens, quantum quidem in ipſo eſt, non ſolum virtutem omnem, cæleſtemque vitam, ſed & ſcri-

A προπατορικὴν, ὡς καὶ ἡ ἐκκλησία ἡμῶν ὁμολογεῖ, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐξ αὐτῆς ἀναβλύζουσαν προαιρετικὴν, καὶ θανάσιμον, ἣν καρποὺς ἐκείνης ὀνομάζει, καὶ μηδένα ἐξαίρων ταύτης, (τῆς θανασίμου δηλαδὴ, τῆς κατάκριτον ἐκτελούσης τὸν ταύτην ἐργαζόμενον) οὔτε τὸν ἐν γεννητοῖς γυναικῶν μείζονα· οὔτε τὴν ἐν γυναιξὶν εὐλογημένην, τὴν ἄμωμον καὶ ἀειπάρθενον Μαρίαν, ἢ προπάτορας τινας, ἢ προφήτας, καὶ ἀποστόλους, ὡς ἀλλότριον καὶ αὐτὸ τῆς πίστεως ἡμῶν κέκριται.

ή. Ἐν δὲ τῷ ὀγδόῳ τὴν τῶν ἁγίων ἀναιρεῖ μεσιτείαν, τάς τε τῶν ἀγγέλων προστασίας, καὶ μὴν καὶ τὰς τῶν ἱερέων ὑπὲρ παντὸς τοῦ κόσμου ἐντεύξεις τε καὶ μεσιτείας, αἷς τὴν ἐκκλησίαν
B διατηρεῖσθαι πιστεύομεν.

θ΄. Ἐν δὲ τῷ ἐννάτῳ τὴν πίστιν γυμνὴν τῶν ἔργων σώζειν ὑπολαμβάνει· εἶναι δὲ ταύτην οὐκ ἔργον ἡμέτερον, ἀλλὰ τοῦ Χριστοῦ μόνου, ἔξωθεν δικαιοῦντος τὸν ἄνθρωπον διὰ τῆς ζωῆς καὶ θανάτου αὐτοῦ, ἵνα μὴ δόξῃ καὶ ὁ ἄνθρωπος πρὸς τὴν ἑαυτοῦ τι συμβάλλεσθαι σωτηρίαν.

ί. Ἐν δὲ τῷ δεκάτῳ τήν τε ἐπίγειον, καὶ τὴν ἐν οὐρανοῖς ἐκκλησίαν συγχέων, τὴν ἀρχιερατικὴν ἀναιρεῖ ἐπιστασίαν, καὶ δι᾽ αὐτῆς ὅλον τὸ τῆς ἐκκλησίας πλήρωμα· οὗ τί ἂν εἴη ἀκοσμότερον;

C ιά. Ἐν δὲ τῷ ἑνδεκάτῳ, μέλη τῆς ἐνταῦθα ἐκκλησίας μόνους τοὺς ἐκλεκτοὺς εἶναι βούλεται, καὶ οὐ τοὺς ἁπλῶς κοινωνοῦντας καὶ μετέχοντας τῶν ἐκείνης μυστηρίων μετὰ πίστεως, ὡς καὶ τὸν Παῦλον, ὅτε τὴν ἐκκλησίαν ἐπόρθει, μέλος ἐκείνης εἶναι, διὰ τὸ ἐκ κοιλίας αὐτὸν ἀφωρίσθαι· τὸν δὲ Ἰούδαν ὅμοια τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις δυνάμεις ἐκτελοῦντα, μὴ μέλος αὐτῆς τηνικαῦτα χρηματίσαι.

ιβ΄. Ἐν δὲ τῷ δωδεκάτῳ ἀγωνιζόμενος ὁ συγγραφεὺς τὰς τῶν πατέρων διδασκαλίας ἐκ μέσου ἆραι, τὴν ἐκκλησίαν φησὶν ὑπὸ τοῦ παναγίου πνεύματος διδάσκεσθαι· ὃ ἀληθὲς ὂν, αὐτὸς κα-
D κοήθως εἰσάγει. διδάσκεται μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἡ ἐκκλησία ἡμῶν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀμέσως, γλώσσαις δὲ καὶ χερσὶν ἀνθρωπίναις κεχρημένου τοῦ πνεύματος. ἄνθρωποι γὰρ ἦσαν οἵ τε προφῆται, καὶ οἱ ἀπόστολοι, οἱ τὸν λόγον τοῦ κυρίου κηρύξαντες, καὶ γράψαντες· καίτοι τῶν λογίων ἐκείνων λεγομένων εἶναι τοῦ πνεύματος καὶ θείων, ὡς ἐκεῖθεν ἐμπνευσθέντων, καὶ μηδὲν κεκτημένων ἀνθρώπινον. καὶ ἡ ἐκκλησία γοῦν ὑπὸ θεοπνεύστων λογίων τῶν πατέρων διδασκομένη, οὐ λέγεται ὑπ᾽ ἀνθρώπων, ἀλλ᾽ ὑπὸ τοῦ πνεύματος διδάσκεσθαι· ἐκεῖνοι γὰρ πνεύματι θείῳ κινούμενοι διδάσκουσιν ἡμᾶς, οὐ κατ᾽ ἄνθρωπον, ἀλλὰ καθ᾽ ἣν ὑπὸ τοῦ
E πνεύματος ἔλαβον ἐμπνευσιν· ὃ δῆλον ἐξ ἧς πρὸς ἀλλήλους ἔχουσι συμφωνίας. τὸ δὲ τὴν ἐκκλησίαν ἀποφαίνεσθαι ἐν τῷ αὐτῷ κεφαλαίῳ δυνατὸν εἶναι ἁμαρτάνειν, καὶ ταῦτα τὸ πνεῦμα κεκτημένην διδάσκαλον, καὶ τὸν Χριστὸν κεφαλὴν, περὶ ἧς εἴρηται, ὅτι σπῖλον ἢ ῥυτίδα οὐκ ἔχει, ἀλλ᾽ ὅλη ἐστὶ καλὴ καὶ τελεία, ὡς δυσσεβὲς ἀποκεκήρυκται.

ιγ΄. Τὸ δὲ δέκατον τρίτον ἐκβάλλει τὰ καλὰ τῶν ἔργων τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας, ἀναιρῶν διὰ τούτου, τό γ᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ, οὐ μόνον ἀρετὴν πᾶσαν, καὶ βίον ἔνθεον, ἀλλὰ πᾶσαν τὴν ἱερὰν γραφὴν,



ANNO CHRISTI 1642.

φὴν, ἐπὶ τὰς ἀγαθὰς τῶν πράξεων παρορμῶσαν, A ἐφ᾽ ὧ σωτηρίας τύχοιεν.

ιδ΄. Τὸ δὲ τέταρτον καὶ δέκατον κατὰ τοῦ αὐτεξουσίου στρατευόμενον, τὴν ἀνθρωπίνην παρασαλεύσαι φύσιν ἀποπειρᾶται, τὸ εἶναι αὐτῆς κεκτημένην ἐν τῷ λογικῷ τε, καὶ αὐτεξουσίῳ.

ιέ. Ἐν δὲ τῷ δεκάτῳ πέμπτῳ τὰ πέντε τῆς ἐκκλησίας ἀρνεῖται μυστήρια, τὴν ἱερωσύνην, τὸ ἱερὸν μύρον, τὸ εὐχέλαιον, τὴν διὰ τῆς μετανοίας ἐξομολόγησιν, καὶ τὸν τίμιον γάμον, ἃ πάντα ὡς ἱερὰ, καὶ θείας χάριτος μεταδοτικὰ, ἡμῖν ἡ ἀρχαία κατέλιπε παράδοσις.

ιϛ΄. Καὶ τὰ λοιπὰ δὲ δύο καθομολογῶν μυ-
B στήρια, ἐν τοῖς δυσὶν ἐφεξῆς κεφαλαίοις οὐχ ὑγιῶς τὴν δύναμιν αὐτῶν ἐκτίθησι. τῷ μὲν γὰρ βαπτίσματι οὕτω δικαιοῦσθαι οἴεται τὸν βαπτιζόμενον, ὡς μὴ οἷόν τε εἶναι κατ᾽ οὐδένα τρόπον ἀπολέσθαι, ἐπιλελησμένος τῶν μὴ τοῦτον φυλαξάντων ἀμόλυντον, μήτε τὴν πίστιν μέχρι τέλους τετηρηκότων, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲν τῷ λουτρῷ ἀπονάμενων, ἀλλὰ τῇ αἰωνίῳ κατακριθέντων κολάσει.

ιζ΄. Τὴν θείαν δὲ εὐχαριστίαν οὕτω διαρρήγνυσιν, ὡς μηδὲν αὐτῇ ἕτερον εἰ μὴ τύπον ψιλὸν ἐγκαταλείπειν, ὡς ἂν εἰ ἔτι τῇ σκιᾷ τοῦ παλαιοῦ νόμου ἐλατρεύομεν. οὐ γάρ φησιν εἶναι σῶμα Χριστοῦ
C ἀληθινὸν τὸν ὁρώμενον καὶ ἐσθιόμενον ἄρτον, ἤδη ἁγιασθέντα, ἀλλὰ τὸ νοούμενον πνευματικῶς, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, φανταζόμενον· ὃ πάσης ἀσεβείας ἀνάπλεων. ὁ γὰρ Ἰησοῦς οὐκ ἔφησε, τοῦτό ἐστιν ὁ τύπος τοῦ σώματός μου, ἀλλὰ, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τοῦτο δηλαδὴ τὸ ὁρώμενον, καὶ λαμβανόμενον, καὶ ἐσθιόμενον, καὶ κλώμενον, ἁγιασθὲν ἤδη, καὶ εὐλογηθέν.

ιή. Ἔσχατον δὲ πάντων, ἐπὶ προφάσει δῆθεν τοῦ καταβαλεῖν τὸ καθαρτήριον πῦρ, τὰς νενομισμένας ἡμῖν ἐπὶ τοῖς ἀποιχομένοις μνείας ἐκβαλεῖν κατεπείγεται, δι᾽ ὧν ἐλπίζομεν ἄνεσιν αὐ-
D τοῖς, καὶ ἀναψυχὴν παρὰ θεοῦ παραπέμπεσθαι τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν.

Πρὸς τούτοις ἐνεφανίσθησαν, καὶ ἃς τοῖς κεφαλαίοις προσέθηκεν, ἐρωτήσεις, καὶ ἐγνώσθησαν πάσῃ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ, οὐδὲν ἄμεινον τῶν κεφαλαίων διακείμεναι. Οὐ μόνον γὰρ τὰς τῆς γραφῆς ἑρμηνείας, τὰς τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἐκπονηθείσας, ὡς καὶ πρότερον, παρακρούεται, ἀλλὰ καί τινα τῶν ἐκείνης ἀθετεῖ βιβλίων, ἅπερ αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, ὡς κανονικὰ ἐδέξαντο. καὶ ἐπὶ πᾶσι, τὴν τῶν σεπτῶν καὶ ἁγίων εἰκόνων σχετικὴν ἀποβάλλεται προσκύνησιν, ἣν ἡ ἑβδόμη ἐκύρωσεν οἰκουμενικὴ ἁγία σύνοδος.
E

ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ τά τε κεφάλαια ταῦτα, καὶ τὰς ἐρωτήσεις, κοινῇ ψήφῳ πλείως (φησὶν ἡ ἁγία σύνοδος αὕτη) ἀνατρέπομεν, καὶ τῆς ἡμετέρας αὐλῆς ἀπελαύνομεν, ὡς αἱρέσεων πεπληρωμένα, καὶ πάντη ἀλλότρια τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν θρησκείας· τόν τε συγγράψαντα ξένον τῆς ἡμῶν κρίνομεν πίστεως, πᾶσι δηλοποιοῦντες, ὡς καταψεύδεται ἡμῶν ὁ τούτων συγγραφεὺς, λέγων τὴν ἰδίαν αὐτοῦ πίστιν ἀνατολικὴν ὁμολογίαν εἶναι τῆς χριστιανικῆς πίστεως τῶν γραικῶν, Καλβινικὴν



A pturam omnem ſacram, quæ homines hortatur ad bonas actiones, ut ſalutem conſequantur.

XIV. Decimum quartum autem contra liberum arbitrium pugnans, naturam humanam evertere molitur: cujus eſſe, in ratione ac libertate poſitum eſt.

XV. In decimo quinto negat eccleſiæ ſacramenta quinque; ſacerdotium, ſacram unctionem, ſacrum oleum, confeſſionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias; quæ omnia ut ſacra, & Divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.

B XVI. Duo vero alia ſacramenta admittens, duobus deinceps in capitibus eorum virtutem non recte exponit. Nam baptiſmo quidem ita juſtificari baptizatum putat, ut perire is nullo modo poſſit; reſpectum ad eos non habens qui ſacramentum hoc incontaminatum non cuſtodierunt, neque fidem ſervaverunt ad finem uſque, adeoque fructum lavacri nullum cepere, ſed æternis ſuppliciis damnati ſunt.

XVII. Divinam autem euchariſtiam ita convellit, ut nihil ipſi aliud, niſi nudam figuram relinquat, quaſi adhuc in umbra veteris legis ſerviremus. Negat enim eum,
C qui videtur, & comeditur, panem jam ſanctificatum, eſſe verum Chriſti corpus, ſed ſpiritaliter tantum intellectum, aut potius imaginando fictum, quod omni impietate plenum eſt. Neque enim dixit Jeſus, Hoc eſt figura corporis mei; ſed, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus; hoc ſcilicet quod videtur, & accipitur, & comeditur, & frangitur, ſanctificatum jam, & benedictum.

XVIII. Poſtremum vero omnium, ut prætextum videlicet quærat rejiciendi ignis purgatorii, id agit ut repudiet ſolemnes nobis ac legitimas pro defunctis commemorationes, per quas ſperamus requiem
D iis, & reſpirationem ab acerbitatibus, quæ illos premunt, a Deo eſſe concedendam.

Præterea prodierunt & interrogationes, quas capitulis adjunxit, & judicatæ illæ ſunt univerſæ huic ſynodo nihilo capitulis meliores. Non ſolum enim ſcripturæ interpretationes a patribus noſtris elaboratas, ut prius, rejicit; ſed & libros ejus aliquos abrogat, quos ſanctæ & œcumenicæ ſynodi, ut canonicos receperunt. Ad hæc omnia, venerabilium & ſanctarum imaginum relativum cultum reſpuit, quem ſancta œcumenica ſynodus ſeptima confirmavit.
E

QUAPROPTER, & hæc capitula, & interrogationes, communi ſuffragio plene (ait ſacra ſynodus) ſubvertimus, & ab aula noſtra repellimus, tamquam hæreſibus repleta, & omnino ab orthodoxa noſtra religione aliena, eumque qui iſta conſcripſit, exſortem fidei noſtræ judicamus: omnibus declarantes eorum ſcriptorem falſo nos criminari, dum ait privatam ſuam fidem eſſe Orientalem Chriſtianæ fidei Græcorum profeſſionem, cum ſit Calviniça, non noſtra. Eos vero, qui hæc capitula,

ut vera & pia ſcilicet legunt, & pertinaciter retinent, eaque ſive verbis, ſive ſcriptis defendunt, tanquam conſentientes & communicantes ejus hæreſibus, & corruptores eccleſiæ Chriſti, arcemus a congregatione fidelium, & tamquam ethnicos ac publicanos haberi præcipimus, nullam habentes communionem nobiſcum, cujuſcunque conditionis ſint; & ſunto æterno anathemati obnoxii, & ſegregati a Patre, Filio, & Spiritu ſancto, uno ſecundum naturam, ſolo Deo, & in hoc futuroque ſæculo, & maledicti, & expertes veniæ, & inſolubiles poſt mortem, & æternæ damnationis participes. Neque enim unquam eccleſia noſtra talibus dogmatibus deluſa eſt; atque utinam nunquam in poſterum tantopere præcipitetur, gratia regentis ipſam, & gubernantis Spiritus. In confirmationem vero & autoritatem præſentis actionis, mandata ſunt præſentia ſacro codici magnæ Chriſti eccleſiæ, quæ apud nos eſt, ſubſcripta propriis manibus ſanctiſſimorum epiſcoporum, & ſpectatiſſimorum clericorum.

Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo; menſe Majo: Indictione decima.

PARTHENIUS miſericordia Dei archiepiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ, & œcumenicus patriarcha.

Synodicæ huic epiſtolæ ſanctiſſimi patris, & paſtoris noſtri, patriarchæ Conſtantinopolitani, conſentiens in omnibus ego Petrus Mogilas, humilis archiepiſcopus metropolitanus Ciobi, & Haliciæ, & omnis Ruſſiæ, exarchus ſancti apoſtolici throni Conſtantinopoleos, archimandrita lauræ Pietzarii, ſubſcribo propria manu, tum meo nomine, tum nomine omnis eccleſiæ Chriſtianæ, orthodoxæ & catholicæ, quæ eſt in Ruſſia minore.

Athanaſius Puſinas, epiſcopus Luceorii, & Hoſtrogii.
Arſenius Zeliborſcius, epiſcopus Leopoleos Haliciæ, Caminiciæ Podoliæ.
Silveſter Ulebitzius Bœutinſcius, epiſcopus Premiſlai, & Samborii.
Silveſter Coſſophus, epiſcopus Mſteſlaviæ, Orſiæ, & Mogilaviæ.

Joannicius, Heracleæ.
Gregorius, Lariſſæ.
Pachomius, Chalcedonis.
Daniel, Serrarum.

*Curatores ſynodi.*

Anthimus, Cyzici,
Porphyrius, qui ante Nicææ fuit;
Gregorius, Corinthi;
Geraſimus, Philipporum.

ὖσαι; ϗ οὐχ ἡμετέραι. τοὺς δὲ ταῦτα τὰ κεφάλαια, ὡς ἀληθῆ ϗ εὐσεβῆ δῆθεν ἀναγινώσκοντας, καὶ διακρατοῦντας, ὑπερμαχοῦντας αὐτῶν, εἴτε συγγράμμασιν, ὡς συμφρονοῦντας, ϗ συγκοινωνοῦντας αὐτοῦ ταῖς αἱρέσεσι, ϗ λυμεῶνας τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας, ἀποβαλλόμεθα τῆς τῶν πιστῶν ὁμηγύρεως, ϗ ὡς ἐθνικοὺς ϗ τελώνας λογίζεσθαι διατεττόμεθα, μηδεμίαν κοινωνίαν ἔχοντας μεθ᾽ ἡμῶν, ὁποίας ἂν εἶεν καταστάσεως. ϗ ἔστωσαν τῷ αἰωνίῳ ἀναθέματι ὑπόδικοι, ϗ ἀφωρισμένοι παρὰ πατρὸς, υἱοῦ, ϗ ἁγίου πνεύματος, τοῦ ἑνὸς τῇ φύσει, μόνου θεοῦ, ἔν τε τῷ νῦν αἰῶνι ϗ τῷ μέλλοντι, ϗ κατηραμένοι, ϗ ἀσυγχώρητοι, ϗ ἄλυτοι μετὰ θάνατον, καὶ μέτοχοι τῆς αἰωνίου κολάσεως. οὐ γάρ ποτε ἡ ἡμετέρα ἐκκλησία τοῖς τοιούτοις καθυπήχθη δόγμασι· μήτε μὴν εἰς αὖθις τοσοῦτον κατενεχθείη, χάριτι τοῦ ὁδηγοῦντος αὐτὴν ϗ κυβερνῶντος πνεύματος. Εἰς πίστωσιν δὲ τῆς παρούσης πράξεως καὶ ἀσφάλειαν, κατεστρώθη τὸ παρὸν ἐν τῷ ἱερῷ κώδικι τῆς καθ᾽ ἡμᾶς τοῦ Χριστοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, ὑπογραφὲν ἰδίαις χερσὶ τῶν ἱερωτάτων ἀρχιερέων, ϗ λογιωτάτων κληρικῶν.

Ἐν ἔτει σωτηρίῳ χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ, ἐν μηνὶ Μαΐῳ, Ἰνδικτιῶνος δεκάτης.

ΠΑΡΘΕΝΙΟΣ ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, ϗ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Τῇ συνοδικῇ ταύτῃ ἐπιστολῇ τοῦ παναγιωτάτου πατρὸς, καὶ ποιμένος ἡμῶν, πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, συμφωνῶν ἐν πᾶσι ϗ συναινῶν ἐγὼ Πέτρος Μογίλας, ταπεινὸς ἀρχιεπίσκοπος μητροπολίτης Κιόβου, ϗ Ἀλικίας, ϗ πάσης Ῥωσίας, ἔξαρχος τοῦ ἁγίου ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς Κωνσταντινουπόλεως, ἀρχιμανδρίτης τῆς λαύρας Πιετζαρίου, ὑπογράφω ἰδίᾳ χειρὶ, δι᾽ ἐμέ τε, ϗ ἐκ προσώπου πάσης τῆς ἐν Χριστῷ ἐκκλησίας τῆς ὀρθοδόξου, ϗ καθολικῆς τῆς οὔσης ἐν τῇ μικρᾷ Ῥωσίᾳ.

Ἀθανάσιος Πυσίνας, ἐπίσκοπος Λυκεωρίου, ϗ Ὀστρογίου.
Ἀρσένιος Ζελιβόρσκιος, ἐπίσκοπος Λεωπόλεως Ἀλικίας, ϗ Καμινικίας τῆς Ποδωλίας.
Σίλβεστρος Οὐλεβίτζιος Βοητίνσκιος, ἐπίσκοπος Πρεμισλάου, ϗ Σαμβωρίου.
Σίλβεστρος Κόσσοφος, ἐπίσκοπος Μστισλαβίας, Ὀρσίας, ϗ Μογιλαβίας.
ὁ Ἡρακλείας, Ἰωαννίκιος.
ὁ Λαρίσσης, Γρηγόριος.
ὁ Χαλκηδόνος, Παχώμιος.
ὁ Σερρῶν, Δανιήλ.

Οἱ ἐπίτροποι τῆς συνόδου.

ὁ Κυζίκου, Ἄνθιμος.
ὁ πρώην Νικαίας, Πορφύριος.
ὁ Κορίνθου, Γρηγόριος.
ὁ Φιλίππων, Γεράσιμος.

ὁ Χίου,





ὁ Χίου, Ἱερεμίας.
ὁ Νικαίας, Πορφύριος.
ὁ Προύσης, Χρύσανθος.
ὁ Βιδύνης, Σωφρόνιος.
ὁ Φιλιππουπόλεως, Γαβριήλ.
ὁ Λήμνου, Ἰγνάτιος.

Βαρλαὰμ μητροπολίτης Σοτζάβας, ϗ πάσης Μολδοβλαχίας, ϗ ἔξαρχος Πλαγιανῶν.
Εὐλόγιος, ἐπίσκοπος Ῥωμάνου.
Ἀναστάσιος, ἐπίσκοπος Ῥαδαυτζίου.
Γεώργιος, ἐπίσκοπος Χουσίου.
Σωφρόνιος ἱερομόναχος, ϗ καθηγούμενος τῆς ἡγεμονικῆς μονῆς τῶν τριῶν ἱεραρχῶν τῆς ἐν Γιασίῳ Μολδοβλαχίας.
Ὁ κῆρυξ τοῦ εὐαγγελίου Μελέτιος Συρίγος, ἱερομόναχος.
ὁ μέγας ἀρχιμανδρίτης τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Φιλόθεος.
ὁ μέγας πρωτοσύγκελος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Νικηφόρος.
ὁ μέγας λογοθέτης τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Λάσκαρις.
ὁ μέγας οἰκονόμος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Χριστόδουλος, ἱερεύς.
ὁ μέγας σακελλάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Θεόλογος, ἱερεύς.
ὁ μέγας χαρτοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Εὐστάθιος, ἱερεύς.
ὁ μέγας ἐκκλησιάρχης τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Δανιήλ.
ὁ νομοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Παρασκευᾶς, ἱερεύς.
ὁ σακελλίου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Γεώργιος.
ὁ πρωτέκδικος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Θωμᾶς.
ὁ πρωτονοτάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Φίλιππος.
ὁ μέγας πριμμικήριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Φίλιππος.
ὁ δικαιοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Μιχαήλ.
ὁ μέγας διερμηνευτὴς τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Ῥάλης.
ὁ λογοθέτης τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Νικόλαος.
ὁ ὑπομνηματογράφος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Κωνσταντῖνος.
ὁ πρωταποστολάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Κωνσταντῖνος.
ὁ λογοθέτης τοῦ γενικοῦ, Χρυσόσκουλος.
ὁ νοτάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Δημήτριος.

Jeremias, Chii.
Porphyrius, Nicææ.
Chryſanthibus, Pruſæ.
Sophronius, Bidynæ.
Gabriel, Philippopoleos.
Ignatius, Lemni.

Barlaam metropolitanus Sotzavæ, & omnis Moldaviæ, & exarchus Plagenarum.
Eulogius, epiſcopus Romani.
Anaſtaſius, epiſcopus Rhadautzii.
Georgius, epiſcopus Chuſii.
Sophronius hieromonachus, & præfectus monaſterii trium præſulum, quod eſt Jaſii Moldaviæ.

Meletius Syrigus, hieromonachus, prædicator evangelii.

Philotheus, magnus archimandrita magnæ eccleſiæ.
Nicephorus, magnus protoſyngelus magnæ eccleſiæ.
Laſcaris, magnus logotheta magnæ eccleſiæ.

Chriſtodulus, ſacerdos, magnus œconomus magnæ eccleſiæ.
Theologus, ſacerdos, magnus ſacellarius magnæ eccleſiæ.
Euſtathius, ſacerdos, magnus chartophylax magnæ eccleſiæ.

Daniel, magnus eccleſiarcha magnæ eccleſiæ.
Paraſcevas, ſacerdos, nomophylax magnæ eccleſiæ.

Georgius, minor ſacellarius magnæ eccleſiæ.
Thomas, protecdicus magnæ eccleſiæ.

Philippus, protonotarius magnæ eccleſiæ.

Philippus, magnus primicerius magnæ eccleſiæ.
Michael, dicæophylax magnæ eccleſiæ.

Rhales, magnus interpres magnæ eccleſiæ.

Nicolaus, logotheta magnæ eccleſiæ.

Conſtantinus, a commentariis magnæ eccleſiæ.
Conſtantinus, protapoſtolarius magnæ eccleſiæ.

Chryſoſculus, logotheta ærarii generalis.
Demetrius, notarius magnæ eccleſiæ.

ANNO CHRISTI 1672.

*ILLUSTRISSIMO ET magnificentiſſimo duci, religioſiſſimoque domino & principi omnis Moldaviæ, Domino D. JOANNI BASILIO BOIBONDA, ſalutem a Deo.*

TUUM erat certe, dux magnificentiſſime, typis etiam ſynodicas haſce literas committere. Etenim cum hanc tibi poteſtatem dederit Dominus, ut eſſes ejus eccleſiæ propugnator, & generoſus ſubverſor hæreſum, te uno ex omnibus terræ principibus electo tanquam ſibi utili; cuinam alteri incumberet pravas opiniones proſcribere, niſi religioſiſſimæ tuæ magnificentiæ? Qui cum videres Chriſtianas eccleſias perturbatas ob Calviniana quædam capitula, quæ recens prodierant, contendebanturque noſtra eſſe, quod inſcriberentur: Orientalis confeſſio Chriſtianæ fidei: nunquam pigritatus es, ſed funem omnem movere non deſtitiſti, donec evocatis vicem gerentibus ſanctiſſimi & apoſtolici throni œcumenici, & univerſa ſacra illius ſynodo, & ex Ruſſia legatis ejus, quæ illic eſt, eccleſiæ, cum ipſis adulterina omnia dogmata convulſiſti, publicis literis conſignans, rataſque faciens ſinceras Orientalis eccleſiæ doctrinas. Nunc autem omnibus Chriſtianis orthodoxis detegens abſconditum illis capitulis virus, publice proſtare voluiſti, quid de iis ſentiat magna Chriſti, quæ apud nos eſt, eccleſia: ut poſſent ubique dignoſcere oves Domini, quibus a pabulis abſtinere oporteat, & quænam ad paſcua indubitanter accedere. Quapropter gratias Deo reddentes propter ea, quæ per te nobis ab ipſo proviſa ſunt, toto ex animo ipſum precamur, ut præſentem tibi vitam longævam ac pacificam donet, principatus thronum ad finem uſque ornanti, in ipſius gratia: in futura vero e terreſtribus ad cæleſtia te palatia tranſmittat.

*Legati Conſtantinopolitani, & exarchi patriarchici, miſſique ex Ruſſia legati.*

Porphyrius, qui ante Nicææ fuit.
Meletius Syrigus, hieromonachus, & prædicator evangelii.
Iſaias Trophimius, præfectus ſancti Nicolai.

Ignatius Xenovicius, prædicator evangelii.

Joſeph Cononovicius, præfectus ſanctorum Theophaniorum.

ΤΩ ΕΚΛΑΜΠΡΟΤΑΤΩ καὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ Δουκὶ, θεοσεβεστάτῳ τε αὐθέντῃ καὶ ἡγεμόνι πάσης Μολδοβλαχίας, Κυρίῳ, Κυρίῳ ΙΩΑΝΝΗ ΒΑΣΙΛΕΙΩ ΒΩΙΒΟΝΔΑ, σωτηρίαν παρὰ θεοῦ.

ΣΟΝ ἦν ὡς ἀληθῶς, Δοὺξ μεγαλοπρεπέστατε, τύποις ἐκδοῦναι καὶ τὰ συνοδικὰ ταυτὶ γράμματα· ἐπειδὴ γάρ σοι τὸ σύνθημα δέδωκεν ὁ κύριος, τοῦ εἶναί σε τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ πρόμαχον, καὶ τῶν αἱρέσεων γενναῖον καταλυτήν, σὲ μόνον ἐκ πάντων τῶν ἐπὶ γῆς ἡγεμόνων, ὡς εὔχρηστον αὐτῷ ἐκλεξάμενος· τίνι ἂν ἄλλῳ ἐπέκειτο τὰς κακοδοξίας στηλιτεῦσαι, εἰ μὴ ἄρα τῇ σῇ θεοσεβεστάτῃ μεγαλονοίᾳ; ὃς ἰδὼν τὰς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας ταραττομένας ἐπὶ τοῖς νεωστὶ ἀναφανεῖσι Καλουινικοῖς κεφαλαίοις, διατεινομένοις ἡμέτεροις εἶναι, τῷ ἐπιγράφεσθαι ἀνατολικὴ ὁμολογία τῆς χριστιανικῆς πίστεως, οὐδόλως κατενάρκησας, ἀλλὰ πάντα κάλων κινήσας οὐκ ἀνέσχης, ἕως οὗ μεταπεμψάμενος τοποτηρητὰς τοῦ ἁγιωτάτου καὶ ἀποστολικοῦ θρόνου τοῦ οἰκουμενικοῦ, καὶ πάσης τῆς περὶ αὐτὸν ἱερᾶς συνόδου, καὶ ἀπὸ Ρωσίας λεγάτους τῆς ἐκεῖσε ἐκκλησίας, σὺν αὐτοῖς πάντα τὰ νενοθευμένα κατέρραξας δόγματα, δημοσίοις βίβλοις ἐγκρίνας τε, καὶ κυρώσας τὰ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας γνήσια διδάγματα. καὶ νῦν δ᾽ ἅπασι τοῖς χριστιανοῖς πᾶσιν ὀρθοδόξοις ἐκκαλύπτων τὸν ἐγκεκρυμμένον ἰὸν τοῖς κεφαλαίοις ἐκείνοις, καλῶς προὔθηκας ἐκδοθῆναι, ἣν ἔχει δόξαν περὶ αὐτὰ ἡ καθ᾽ ἡμᾶς τοῦ Χριστοῦ μεγάλη ἐκκλησία, ἐφ᾽ ᾧ ἔχοι πανταχῇ τὰ τοῦ κυρίου πρόβατα διαγινώσκειν, ὁποίων βρωμάτων ἀπέχεσθαι χρή, καὶ ποίαις τισὶ νομαῖς ἀναμφιβόλως προσπελάζειν· διὸ χάριτας τῷ θεῷ ἀποδιδόντες, ἐπὶ τοῖς διὰ σοῦ παρ᾽ αὐτοῦ οἰκονομηθεῖσιν ἡμῖν, ἐξ ὅλης ψυχῆς ἱκετεύομεν αὐτόν, τὴν παροῦσαν ζωήν, μακραίωνα καὶ εἰρηνικὴν σοι δωρήσασθαι, τὸν τῆς ἡγεμονίας θρόνον μέχρι τέλους κοσμοῦντι, ἐν τῇ αὐτοῦ χάριτι· ἐν δὲ τῇ μελλούσῃ, ἐκ τῶν ἐπὶ γῆς, εἰς τὰ οὐράνια μεταθεῖναί σε βασίλεια.

Οἱ ἀπὸ Κωνσταντινουπόλεως λεγάτοι, καὶ ἔξαρχοι πατριαρχικοί, καὶ οἱ ἀπὸ Ρωσίας λεγάτοι.

Ὁ πρώην Νικαίας, Πορφύριος.
Μελέτιος Συρίγος, ἱερομόναχος, καὶ κήρυξ τοῦ εὐαγγελίου.
Ἡσαΐας Τροφίμιος, ἡγούμενος τοῦ ἁγίου Νικολάου.
Ἰγνάτιος ὁ Ξενοβίκιος, ὁ κήρυξ τοῦ εὐαγγελίου.
Ἰωσὴφ Κοπονοβίκιος, ἡγούμενος τῶν ἁγίων θεοφανίων.

VITA



# VITA
## INNOCENTII PAPÆ X.

INNOCENTIUS hujus nominis X. antea Joannes Baptiſta Pamphilius, Romanus, natus die VII. Maii, anni M. DLXXIV. ex Camillo Pamphilio, & Flaminia Bubala de Cancellariis: a puero litteris humanioribus, tum juriſprudentiæ dedit operam, ejuſque lauream, anno ætatis vigeſimo, aſſecutus, primum advocatus conſiſtorialis, deinde Rotæ Romanæ auditor fuit. A Gregorio XV. nuncius apoſtolicus in regnum Neapolitanum miſſus eſt. Urbano VIII. pontifice, cum Franciſco cardinali Barberino, apoſtolico in Gallias legato, datarii & primi miniſtri munus exercuit. Inde creatus patriarcha Alexandrinus, & nuncius apoſtolicus apud regem catholicum, cardinalium demum collegio adſcriptus eſt die XXX. Auguſti, anno ſalutis M. DC. XXVII. ſed non renunciatus niſi anno M. DC. XXIX. Congregationi immunitatis eccleſiaſticæ præfuit, in congregatione ſancti officii locum habuit, Polonici regni patronus fuit. Urbano VIII. ſucceſſit, pontifex creatus die XV. Septembr. anno M. DC. XLIV. In pontificatu Caſtrum expugnavit, cardinalem Ludoviſium ad reginam Hiſpaniarum legatum miſit, annum jubilæi indixit ac celebravit, vectigal frumentarium minuit, acerrimi ubique judicii animique conſtantiſſimi laude inſignis. Obiit Romæ die VII. Januarii, anno Chriſti M. DC. LV. ætatis LXXXI. pontificatus XI. ſepultus in Vaticano, donec transferatur in magnificum S. Agnetis templum, quod ejus ſumtu ædificatur in Circo Agonali, cujus e regione obeliſcum erexit. Templum S. Petri in Vaticano, & S. Joannis in Laterano, marmoreis pavimentis, aliiſque operibus, egregie ornavit. Erecta ipſi ſtatua eſt in Capitolio.

### EPISCOPORUM GALLIÆ LITTERÆ, ad Innocentium papam X.

Quibus rogant, ut de quinque propoſitionibus excerptis ex Cornelii Janſenii Iprenſis epiſcopi libro, qui *Auguſtinus* inſcribitur, pronunciet.

BEATISSIME pater, Majores cauſſas ad ſedem apoſtolicam referre ſolemnis eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes, de graviſſimo circa religionem negotio ſanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commovetur, ob librum poſtumum & doctrinam reverendiſſimi Cornelii Janſenii Iprenſis epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat tum concilii Tridentini auctoritate, tum bullæ illius, qua Urbanus VIII. felicis memoriæ adverſus Janſenii dogmata pronunciavit; & decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Baium edita confirmavit. Atque hujus bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicaſti: ſed quia nulli ſigillatim propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitus ſperamus: ſi, ut precamur, ſanctitas tua quid hac in re ſentiendum ſit, clare diſtincteque definiat. Obteſtamur ergo ut has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, ſanctitas tua expendat, ac perſpicuam, & certam de unaquaque ſententiam ferat.

*I. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

*II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

*III. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate; ſed ſufficit libertas a coactione.*

*IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

*V. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Experta eſt nuper beatitudo tua, quantum apoſtolicæ ſedis in gemini eccleſiæ capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem & imperium venti & mare obediemnt. Quamobrem flagitamus, beatiſſime pater, ut clara firmaque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſententia, cui reverend. ipſe Janſenius morti proximus opus ſuum ſubjecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, eccleſiæ tranquillitatem ſplendoremque reſtituas. Dum hæc ſpes mentibus noſtris affulget, ſanctitati tuæ multos & proſperos annos, ſæculoque beatiſſimam æternitatem, rex ſæculorum immortalis adjiciat, optamus ac vovemus.

### INNOCENTII PAPÆ X. CONSTITUTIO.

De quinque propoſitionibus ex Janſenii libro excerptis.

*Innocentius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

CUM occaſione impreſſionis libri, cui titulus, *Auguſtinus Cornelii Janſenii, epiſcopi Iprenſis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis: complures Galliarum epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut eaſdem propoſitiones


nobis

nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor vero præfatarum propoſitionum eſt prout ſequitur.

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

III. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſidue pulſant, illa in primis cordi eſt, ut eccleſia Dei nobis ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis, ſecure navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, a pluribus in ſacra theologia magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones ut ſupra, nobis oblatas, fecimus ſingillatim diligenter examinari; eorumque ſuffragia, tum ſcripto relata, mature conſideravimus, eoſdemque magiſtros, variis coram nobis actis congregationibus, prolixe ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet diſſerentes audivimus.

Cum autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad Divinum implorandum auxilium, multorum Chriſti fidelium preces, tum privatim, tum publice indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem ferventius, ac per nos ſollicite implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Divino numine favente, ad infra ſcriptam devenimus declarationem, & definitionem.

Primam prædictarum propoſitionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant:* temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur:* hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione:* hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare:* falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe:* falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac præſenti noſtra declaratione & definitione continetur, ſub cenſuris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in jure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque locorum ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis inquiſitoribus, ut contradictores & rebelles quoſcumque per cenſuras & pœnas prædictas, cæteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis, omnino coerceant & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LIII. pridie Kal. Junii, pontificatus noſtri anno nono.

Hi. datarius.

G. GUALTERIUS.
P. CIAMPINUS.

# VITA

## ALEXANDRI PAPÆ VII.

ALEXANDER VII. antea Fabius Chiſius, nobilis Senenſis, filius Flavii & Lauræ Marſiliæ, natus eſt die XIII. Februarii anno M. D. LXXXIX. Ab Urbano VIII. vicelegatus Ferrarienſis primum, deinde Melitenſis inquiſitor renunciatus [illegible] nuncius apoſtolicus apud electores imperii, interfuit Monaſterienſi conventui pacis conciliandæ cauſa congregato. Ab Innocentio X. revocatus Romam, primum pontifici a ſecretis fuit, deinde ab eodem presbyter cardinalis tituli S. Mariæ de Popolo creatus. Ab Innocentii obitu electus eſt pontifex die VII. Aprilis, anno M. DC. LV. Venetos Turcico laborantes bello, regem Poloniæ, præter bellum contra Moſcos, etiam civilibus diſſidiis jactatum, grandi pecunia juvit. Sueciæ reginam Chriſtinam, ex hæreſi converſam ad catholicam fidem,



fidem, ſummo apparatu Romæ excepit. Urbi peſtilentia laboranti paterna benignitate & inſigni liberalitate ſubvenit. In ſanctorum album ſolemniter retulit ſanctos Thomam Villanovanum, archiepiſcopum Valentinum, & Franciſcum Saleſium, epiſcopum Gebennenſem. Ornavit magnifice eccleſias in Urbe, S. Mariæ de Populo, S. Mariæ de pace, & S. Mariæ ad martyres, Rotundam vulgo dictam, olim Pantheum. Porticus Vaticanas circa plateam divi Petri extruxit. Cathedram S. Petri in ſacellum ſumptuoſiſſime ornatum tranſtulit: Ceſtii ſepulcrum reſtauravit: vias Urbis pleraſque direxit, præſertim eam quæ Curſus dicitur, aut Stadium Romanum. Auxit ædem Sapientiæ Romanæ templo & bibliotheca: palatium Quirinale amplificavit. Obiit die XXII. Maii an. M. DC. LXVII.

## ALEXANDRI PAPÆ VII.

## CONSTITUTIO,

Qua præſcribitur formula, cui ſubſcribendum adverſus quinque propoſitiones Janſenii.

*Alexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

REGIMINIS apoſtolici Divina providentia nobis quamvis immeritis commiſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimum, quæ catholicæ religionis integritati & propagationi, animarumque ſaluti, & fidelium tranquillitati conſulere apta & idonea eſſe judicamus, animum & curam omnem quantum licet in Domino applicemus. Quamobrem Cornelii Janſenii hæreſim in Galliis præſertim ſerpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis prædeceſſore noſtro fere oppreſſam, ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros, & cavillationum flexus euntem, ſingulari conſtitutione ad hunc finem edita, altero aſſumptionis noſtræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plene conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent: qui tamen unicus erat votorum & curarum noſtrarum ſcopus, quibus operam & induſtriam ſuam egregio ſane ſtudio venerabiles fratres noſtri archiepiſcopi & epiſcopi regni Galliæ, earundem conſtitutionum apoſtolicarum executioni præcipue intenti, contulerunt; & cariſſimus in Chriſto filius noſter rex Chriſtianiſſimus ſingulari pietate auxiliarem dextram ſtrenue ac conſtantiſſimo animo porrexit. Cum autem præfatus rex Chriſtianiſſimus eodem religionis zelo ductus, per ſuum in Urbe oratorem nobis ſignificari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quam ſi omnes certam formulam ſubſcriberent noſtra auctoritate firmatam, in qua quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui titulus, AUGUSTINUS, excerptas ſincere damnarent, ac proinde illam a nobis quantocitius expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omneſque removendos obtentus flagitaverit. Nos tam piis dicti regis Chriſtianiſſimi votis benigne annuendum eſſe ducentes, formulam infra ſcriptam ab omnibus eccleſiaſticis, etiam venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopis, & epiſcopis, nec non aliis quibuſcunque eccleſiaſtici ordinis, tam regularibus quam ſæcularibus, etiam monialibus, doctoribus, & licentiatis, aliiſque collegiorum rectoribus atque magiſtris, ſubſcribi diſtincte mandamus, idque intra tres menſes a die publicationis ſeu notificationis præſentium. Alias contra eos, qui intra terminum præſcriptum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus juxta canonicas conſtitutiones, & conciliorum decreta.

*Formula a ſupradictis ſubſcribenda.*

EGO N. conſtitutioni apoſtolicæ Innocentii X. datæ die XXXI. Maii M. DC. LIII. & conſtitutioni Alexandri VII. datæ XVI. Octobris M. DC. LVI. ſummorum pontificum, me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen *Auguſtinus*, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas conſtitutiones ſedes apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper & perpetuo validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcunque judices, ordinarios & delegatos, ubique judicari & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum & inane eſſe, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiſcopis, & epiſcopis, aliiſque locorum ordinariis committimus & mandamus, ut ſinguli in ſuis diœceſibus, ac locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequi ac obſervari ab omnibus curent, & inobedientes quoſcunque per ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino compellant. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtram conſtitutionem & ordinationem infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LXIV. XV. Kal. Martii, pontificatus noſtri anno decimo.

J. cardinalis prodatarius.

S. UGOLINUS.

*Viſa de Curia.* P. CIAMPIN.

D. CIAMPINUS.

EJUS-

Ex Hard. Conc. tom. XI. p. 147.

## EJUSDEM ALEXANDRI PAPÆ VII.

Innovatio conſtitutionum & decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis, animam beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione, a peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum.

Alexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitudo omnium Eccleſiarum, quam licet meritis & viribus longe impares, Dei Optimi Maximi voluntate & providentia gerimus, in id nos anxie tenet intentos & vigilantes, ut ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione & fragilitate neceſſe eſt ut veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exoriantur; utque exorta quam celerrime & quam diligentiſſime amoveantur: nam iis per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus vero præbentur præſens afferunt labendi periculum; quorum nos pro noſtro Paſtoralis officii debito, & damnum ſummopere dolemus, & diſcrimine aſſidue utimur. Sane vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus beatiſſimam Matrem Virginem Mariam pietas, ſentientium, ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus, fuiſſe ſpeciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum *Jeſu Chriſti* ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præſervatam immunem, atque in hoc ſenſu ejus Conceptionis feſtivitatem ſolemni ritu colentium & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujuſmodi cultus poſt editas a fel. rec. Sixto Papa IV. prædeceſſore noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas ſacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit. Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum Ordinem, & Confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem *indulgentias*: ita ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur. Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis in concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa ſcandala, jurgia, & diſſenſiones, rec. mem. Paulus Papa V. etiam prædeceſſor noſter vetuit horum opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publice doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius Papa XV. ſimiliter prædeceſſor noſter ad privata etiam colloquia extendit; mandans inſuper in favorem ejuſdem ſententiæ, ut ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino officio celebrandis tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres epiſcopi fere omnes Hiſpaniarum, cum eccleſiarum ſuarum capitulis, datis ad nos literis expoſuerunt; accedente etiam inſinuatione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi earumdem Hiſpaniarum regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad nos oratorem venerabilem fratrem Ludovicum epiſcopum Placentinum: per quem etiam delatæ fuerunt ad nos ſupplicationes regnorum earumdem Hiſpaniarum; pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publice, præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare; & favorem a Romanis Pontificibus cultui & feſto ſecundum illam præſtitum ita interpretari, ut fruſtrentur; immo eccleſiam Romanam huic ſententiæ & cultui juxta illam beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Chriſti fideles e ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando; unde offenſiones, ſcandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. noſtri prædeceſſores, perdurant adhuc; & ex occaſione eorumdem adverſantium majora his incommoda in poſterum prudenter & merito timentur. Quapropter ſuper his tam præfati epiſcopi cum eccleſiarum ſuarum Capitulis, quam memoratus Philippus rex, ejuſque regna, nobis pro opportuno remedio inſtanter ſupplicari fecerunt. Nos conſiderantes quod Sancta Romana eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter celebrat, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium olim ordinavit, juxta piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ a Sixto IV. prædeceſſore noſtro emanavit; volenteſque laudabili huic pietati, & devotioni, & feſto, ac cultui ſecundum illam exhibito, in eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo favere; necnon tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi beatiſſimam Virginem, præveniente ſcilicet Spiritus ſancti gratia a peccato originali præſervatam; cupienteſque in Chriſti grege unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſedatis offenſionibus & jurgiis, amotiſque ſcandalis, conſervare: ad præfatorum epiſcoporum cum eccleſiarum ſuarum Capitulis, ac Philippi regis ejuſque regnorum oblatam nobis inſtantiam, ac preces, Conſtitutiones & decreta a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione, Spiritus ſancti gratia donatam, & a peccato originali præſervatam fuiſſe, necnon & in favorem feſti, & cultus Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & ſub cenſuris & pœnis in eiſdem Conſtitutionis contentis obſervari mandamus. Et inſuper omnes & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones ſeu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur, vel qui eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquomodo directe, vel indirecte, aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, ſive ſacram Scripturam, aut ſanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi: denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quidquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint; præter pœnas & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per præſentes ſubjicimus, etiam concionandi, publice legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa & paſſiva in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione privatos eſſe volumus: necnon ad concionandum, publice legendum, docendum, & interpretandum, perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere abſque alia declaratione; a quibus pœnis non niſi a nobis ipſis, vel a ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint: necnon eoſdem aliis pœnis noſtro & eorumdem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubjacere volumus, prout ſubjicimus per præſentes: innovantes Pauli V. & Gregorii XV. ſuperius memoratas Conſtitutiones, ſive decreta. Ac libros in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut ſupra, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli V. ſupra laudatum decretum edita, aut in poſterum quomodolibet edenda, prohibemus, ſub pœnis & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſſe prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem, Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum a Romana eccleſia & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum, prout nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit Sixtus IV. aliique prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubjicimus, quas in contrafacientes huic noſtræ Conſtitutioni ſuperius infliximus. Volentes quod contra hujus noſtræ Conſtitutionis tranſgreſſores, etiam Regulares cujuſvis ordinis, & inſtituti, etiam Societatis JESU, & quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque eccleſiaſticas & ſæculares perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam eccleſiaſticæ, quam ſæcularis, ut præfertur, tam epiſcopi, & prælati ſuperiores, aliique locorum Ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſtricte animadvertant. Nos enim iis & eorum cuilibet contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem & auctoritatem, iiſdem auctoritate & tenore tribuimus, & impartimur: in eoſque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire diſtricte præcipimus, & mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſvis indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſvis perſonis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam cardinalatus, patriarchali, archiepiſcopali, epiſcopali, & quavis alia dignitate & honore conſtitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nequeant, quomodolibet conceſſis; quibus omnibus, & eorum ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de eis ipſorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clauſulas, mentio habenda, aut alia exquiſita forma obſervanda foret: tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem hæc noſtra conſtitutio, & præmiſſa omnia, ad eorum omnium, quorum intereſt, notitiam congruentius pervenire poſſint; in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna privationis ab ingreſſu eccleſiæ eo ipſo incurrenda præcipimus & mandamus, omnibus & ſingulis locorum Ordinariis, ac eorum vicariis, ſuffraganeis, & officialibus quibuſcumque, & aliis ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat & pertinet; quatenus hujuſmodi noſtram conſtitutionem ſingulis ſuæ diœceſis vel diſtrictus prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportune inſinuent, & publicent, ac inſinuari & publicari faciant; ne quis in poſterum quoquomodo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare. Volumus & ſimiliter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præſentes litteræ per aliquos ex noſtris curſoribus baſilicarum ſancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, & cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes & ſingulos, ad quos ſpectet afficiat & arctet, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent, & quod illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi oſtenſæ vel exhibitæ forent. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, sub annulo Piſcatoris, die VIII. Decembris, MDCLXI. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

S. UGOLINUS.

ANNO CHRISTI 1672.

Ex Harduini Coll. Conc. to. XI, p. 179.

# SYNODUS HIEROSOLYMITANA

Adverſus Calviniſtas, anno MDCLXXII. ſub Patriarcha Hieroſolymorum Doſitheo celebrata.

DUCE CHRISTO. ΧΡΙΣΤΟΣ ΗΓΕΙΣΘΩ.

*Clypeus orthodoxæ fidei, ſive Apologia ab ſynodo Hieroſolymitana ſub Hieroſolymorum Patriarcha Doſitheo compoſita adverſus Calviniſtas hæreticos, Orientalem eccleſiam de Deo rebuſque divinis hæretice cum ipſis ſentire, mentientes.*

Ἀσπὶς ὀρθοδοξίας, ἢ ἀπολογία καὶ ἔλεγχος πρὸς τοὺς διασύροντας τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν αἱρετικῶς φρονεῖν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων, ὡς κακοφρονοῦσιν οὗτοι αὐτοὶ οἱ Καλουῖνοι δηλονότι· συμπηχθεῖσα παρὰ τοῖς ἐν Ἱεροσολύμοις τοπικῆς συνόδου, ἐπὶ Δοσιθέου πατριάρχου Ἱεροσολύμων.

*UNIVERSIS UBIQUE TERRARUM, ſive etiam in mari agentibus, orthodoxis Epiſcopis, fratribus & comminiſtris noſtris in Spiritu ſancto: & omnibus omnino piis ac fidelibus Chriſtianis filiis, dilectis noſtris, in Domino ſalutem.*

ΤΟΙΣ ΑΠΑΝΤΑΧΟΥ ΓΗΣ καὶ θαλάσσης, ὀρθοδόξοις ἐπισκόποις, ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς ἡμῶν ἐν ἁγίῳ πνεύματι· καὶ πᾶσι ἁπλῶς τοῖς εὐσεβέσι, καὶ ὀρθοδόξοις χριστιανοῖς τέκνοις, ἀγαπητοῖς ἡμῶν, ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Latine vertit Domnus M. F. e Congregatione S. Mauri, Ordinis S. Benedicti; ediditque Pariſiis, an. 1676. Verſio hic eſt ſubinde recognita.

TEmpus loquendi, *& tempus tacendi*, monet ſapiens Eccleſiaſtes: hinc quidem ſuum rei cuilibet tempus eſſe ſignificans; quemadmodum alibi dixit: Loquendi non inſtante neceſſitate, tace; inſtante, loquere. Quemadmodum autem interrogante nemine, nulla loquendi neceſſitas; ita interroganti quæ noſti, reſponſum continere, ſumma malitia eſt. Porro ſi de Deo rebuſque divinis interrogatio fuerit, impietatis in notam quomodo non incurrat, qui reſponſioni par cum eſſet, ei tamen ſilentium antetulit? Nos quidem cum tacendi, tum loquendi modum ſatis ille docuit, qui dixit: *Diſponet ſermones ſuos in judicio*; maxime cum & ſilentium Deus indicat, ait enim: *Tace, Iſrael, & audi*; (quippe non loquendi modo mandatum accepimus, verum & eos qui utilia loquuntur, audiendi:) & loqui rurſum ipſe præcipiat, os noſtrum aperiat, & vocem nobis impertiatur. Legimus enim ad Ezechielem paſſim dictum eſſe: *Fili hominis, dic domui Iſrael*. Et rurſus ad ipſum: *In die illa aperietur os tuum, & loqueris, & non ſilebis ultra*. Moyſi vero, quem Pharaoni mittebat, impeditioris & tardioris linguæ cauſa formidanti, dixit: *Vade, & ego aperiam os tuum, & inſtruam quæ locuturus es*. His igitur & conſimilibus exemplis in Scriptura expreſſis & nos religioſe obſequentes, nemine quidem rogante & ad loquendum provocante, tempus eſſe ſilendi novimus; urgente vero interrogatione, aut quapiam alia loquendi neceſſitate, ſermoni quamprimum nos accingimus. Cum enim de fide rebuſve credendis interpellamur, indignum ducimus ut loqui reformidemus. Si vero hominibus hæreticis, atque

Ex Bibliotheca Regia, ubi MS. exemplar aſſervatur, ab ipſis met Patribus Hieroſolymitanis miſſum ad Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIV.

ΚΑιρὸς τοῦ λαλεῖν, καὶ καιρὸς τοῦ σιγᾶν, ὁ σοφὸς ἐκκλησιαστὴς παραινεῖ, ἐν οἷς που καιρὸν εἶναι παντὶ πράγματι ἀποφαίνεται. ὡσανεὶ ἔλεγεν· ἀνάγκης μὴ οὔσης σίγα, καιροῦ δὲ κατεπείγοντος λάλει. ἀνάγκη μὲν γὰρ λαλεῖν οὐκ ἔστι τὸν μὴ ἐρωτώμενον, ἐρωτώμενον δὲ περί τινος χρησίμου καὶ ἀναγκαίου λόγου, ἐπιστάμενόν τε, καὶ μὴ ἀποκρινόμενον, ἐσχάτης ἂν εἴη μοχθηρίας. εἰ δέ που τὸ ἐρωτώμενον περὶ Θεοῦ ἢ θείων πραγμάτων καθέστηκε, πῶς οὐκ ἀσεβείας γραφήσεται ὁ εἰδώς, καὶ σιγὴν ἄγειν ἑλόμενος; καὶ ἡμεῖς τοιγαροῦν ὅσον τὸ καθ' ἡμᾶς ἀμφοτέρων τούτων, σιγῆς καὶ λόγου φημί, διαιτηταὶ μεμαθήκαμεν εἶναι κατὰ τὸν εἰπόντα· οἰκονομήσει τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐν κρίσει· μάλιστα δὲ σιωπᾶν, Θεοῦ ἐπιτάττοντος· σιώπα γάρ, φησί, καὶ ἄκουε, Ἰσραήλ. (οὐ γὰρ μόνον λαλεῖν, ἀλλὰ καὶ ἀκούειν τῶν χρήσιμα λεγόντων προστετάγμεθα·) καὶ αὖθις λαλεῖν τοῦτο κελεύοντος, καὶ στόμα ἀνοίγοντος, καὶ φωνὴν διδόντος. μανθάνομεν γὰρ πρὸς μὲν τὸν Ἰεζεκιὴλ πολλάκις εἰρηκέναι· υἱὲ ἀνθρώπου, εἶπον τῷ οἴκῳ Ἰσραήλ. καὶ ἐν ἑτέρῳ πάλιν πρὸς αὐτόν· ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ διανοιχθήσεται σου τὸ στόμα, καὶ λαλήσεις, καὶ οὐ μὴ ἀποκωφωθήσῃ ἔτι. πρὸς δὲ τὸν Μωϋσῆν στελλόμενον πρὸς Φαραώ, ὑποστελλόμενον δὲ διὰ τὸ ἰσχνόφωνον καὶ βραδύγλωσσον· πορεύου, ἔφη, καὶ ἐγὼ ἀνοίξω τὸ στόμα σου, καὶ συμβιβάσω σε ἃ μέλλεις λαλῆσαι. τούτοις οὖν καὶ τοῖς τοιούτοις γραφικοῖς παραδείγμασιν εὐσεβῶς καὶ ἡμεῖς ἑπόμενοι, καιρὸν οἴδαμεν σιωπῆς μηδενὸς ἐνοχλοῦντος, καὶ πρὸς λαλιὰν παρορμῶντος· ἐπειγόμεθα δὲ αὖ ἐρωτώμενοι, ἢ καὶ ἄλλως πῶς τοῦ καιροῦ κατεπείγοντος, φωνὴν



ANNO CHRISTI 1672.

φωνὴν ἀφιέναι. ὅταν μὲν γὰρ περὶ πίστεως, ἢ τῶν πιστευομένων τινῶν πραγμάτων λόγον ἀπαιτώμεθα, δεινὸν ἡγούμεθα τὸ ὑποστέλλεσθαι. ἂν δὲ καὶ ἀσεβείας, ἢ αἱρέσεως ἄλλης τινὸς ἐγκαλώμεθα παρ' ἑτεροδόξων ἀνδρῶν, καὶ πρὸς οὐδὲν ἄλλο χρήσιμον ἀποβλεπόντων, ἢ πρὸς τὸ συστῆσαι τὴν ἑαυτῶν δόξαν ἐκ τοῦ διασύρειν τοὺς ἄλλους· τότε δὴ τὸν Ἠλιοῦ ζῆλον ἀναλαβόντες, θερμότερον διεγειρόμεθα πρὸς ἀπάντησιν· καὶ πάσχοντες τὰ τοῦ Ἱερεμίου, τὰ αὐτὰ ἐκείνῳ φθεγγόμεθα· τὴν κοιλίαν μου ἀλγῶ, καὶ τὰ αἰσθητήρια τῆς καρδίας μου· μαιμάσσει ἡ ψυχή μου, σπαράσσεται ἡ καρδία μου· οὐ σιωπήσομαι, ὅτι φωνὴν σάλπιγγος ἤκουσεν ἡ ψυχή μου, καὶ κραυγὴν πολέμου. σάλπιγγος γὰρ ἀγρίας ἠχωδέστερα, καὶ πολέμου δεινοῦ βαρύτερα βροντῶσι τὰ ἔναγχος ἀπὸ Γαλλίας ἐλθόντα πρὸς ἡμᾶς (ὡς μὴ ὄφελον ἐνηχηθῆναι, καὶ παρ' ἡμῖν) μηνύματα. οἱ γὰρ ἐν ἐκείναις εὑρισκόμενοι Καλουῖνοι ἐθελοντὶ κακουργοῦντες φασὶ τὴν ἀποστολικὴν καὶ ἁγίαν ἡμῶν ἐκκλησίαν, τὴν ἀνατολικὴν δηλαδή, φρονεῖν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων, ὡς αὐτοὶ ἐκεῖνοι κακοφρονοῦσιν. οὐ μόνον δὲ λόγοις, ἀλλὰ καὶ συγγράμμασιν οἱ αἱρετικοὶ οὗτοι, ὡς φαίνεται παρά τινι Κλαυδίῳ ὑφηγητῇ τοῖς ἐν Καρεντονίᾳ Καλουΐνοις, ἐπεχείρησαν ἡμῶν κατηγορεῖν, ὃ καὶ μάλιστα εἰς τὸ προκείμενον ἔργον ἡμᾶς παροτρύνει, μὴ εἰδότες οὔτε τί λέγουσιν, οὔτε περὶ τίνος διαβεβαιοῦνται, οὐκ αἰδούμενοι οὔτε γοῦν τοὺς ἀνθρώπους, ὧν ἐνώπιον τοσαῦτα ψεύδεσθαι κατατολμῶσι.

Τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων, ἐπειδὴ χάριτι Χριστοῦ συνήλθομεν χάριν ἐγκαινίων τοῦ θειοτάτου ναοῦ τῆς ἐν Βηθλεὲμ κατὰ σάρκα γεννήσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ καὶ Θεοῦ· ὃν ὁ κύριος ἀνοικοδομηθῆναι ἐν τοῖς πανδείνοις τούτοις καιροῖς τοῦ διωγμοῦ, καὶ χαρισθῆναι κεκαλλωπισμένον τοῖς πανταχοῦ γῆς γνησίοις τέκνοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ηὐδόκησεν· εὑρισκομένων μεθ' ἡμῶν, καὶ τῶν ἀπὸ τῶν περάτων τῆς γῆς ἐπιδημούντων προσκυνητῶν ἱερέων, κληρικῶν, καὶ λοιπῶν χριστιανῶν, ᾠήθημεν δεῖν ἐν συνόψει τὴν περὶ ὧν ἡ μήτηρ ἡμῶν ἀποστολικὴ ἐκκλησία κατηγορεῖται, δόξαν εἰπεῖν, ἵνα καὶ δι' ἡμῶν ἡ παραδοθεῖσα παρὰ τοῦ κυρίου, καὶ κηρυχθεῖσα παρὰ τῶν ἀποστόλων, καὶ φυλαχθεῖσα παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, πίστις ἡμῶν φανερὰ ᾖ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, καὶ τὸ ψεῦδος τῶν ἐναντίων φωραθέν, (καίτοι πεφωραμένον πρόσθεν, καὶ καθ' ἑαυτὸ ὡς τραγελάφους πλάττον, καὶ ὑπὸ πολλῶν τῶν πρὸ ἡμῶν) ἡ ἀλήθεια ὡς εἰκὸς λαμπρότερον ἡλίου λάμπουσα γνωρισθῇ. Εἰ δέ που καὶ φανείημεν ταὐτὸ λέγοντες, καὶ πολλάκις ἀποφαινόμενοι περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἀλλὰ τοῦτο πρὸς κατάληψιν τελείαν τῶν λεγομένων παντὶ τῷ ἐντυγχάνοντι τῷ συγγράμματι πεφιλοπόνηται.

Ἰστέον οὖν ὅτι οἱ πρόκριτοι τῶν αἱρετικῶν τούτων, οὐκ ἀγνοοῦντες τὴν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας δόξαν, φασὶν αὐτὴν ἴσα ἐκείνοις ἐν τοῖς

ſuam ut obtrectatione ceterorum gloriam obfirment, modo ſtudentibus, impietatis aut falſi cujuſdam dogmatis inſimulamur; tunc Heliæ inſtar zelo ſuccenſi, reſponſionem animoſiores aggredimur, ac Jeremiæ paſſionum conſcii, ejuſdem etpectamus & verba: *Ventrem meum doleo, & ſenſoria cordis mei; fluctuat anima mea, dilaceratur cor meum; non tacebo, quoniam vocem tubæ audivit anima mea, clamorem prælii*. Etenim terribili ſonantiores buccina, & duro graviores bello, e Galliis ad nos uſque tonant modo rumores, utinam apud nos numquam auditi. Quippe improbitati gratis indulgentes, qui in illis habitant, Calviniſtæ, ſuas de Deo rebuſque divinis hæreſes, Apoſtolicæ noſtræ ac ſanctæ Orientali Eccleſiæ affingunt; atque id quidem non modo ſermonibus, verum etiam & ſcriptis imponere nobis hæreticos hujuſmodi ſuſcepiſſe nemo neſcit, qui Claudium quemdam Carentonienſium Calviniſtarum Miniſtrum perlegerit. Id vero ad ſuſceptam Apologiam nos vehementius accendit, quoniam quod dicunt, quod affirmant, neſciunt: qui vel homines metuere debuiſſent, coram quibus talia mentiri nec verentur.

His igitur ſe ſe ita habentibus; cum ad perficiendam ſacratiſſimæ Ædis Bethleemiticæ, ubi Salvator ac Deus noſter Chriſtus ſecundum carnem natus eſt, dedicationem conveniſſemus, quam per id miſerrimæ ætatis ac perſecutionis reſtaurari Domino placuit, ac veris Eccleſiæ Catholicæ ubique terrarum agentibus filiis eleganter ornatam reſtitui: adſcitis etiam nobiſcum Sacerdotibus, Clericis, necnon & Chriſtianis ceteris, qui e terræ finibus illuc adoraturi convenerant; matris noſtræ Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrinam ſuper his quæ affinguntur illi, exponendam duximus, ut quæ a Domino nobis tradita, ab Apoſtolis promulgata, & ab ſanctis Patribus conſervata eſt fides noſtra, nobis edicentibus, univerſo manifeſta fiat mundo; ac retecto adverſariorum noſtrorum mendacio, (etſi jampridem ab anteceſſorum noſtrorum quampluribus deprehenſum eſt, ac ſuopte delapſum, utpote ad hircocervorum inſtar conflatum) ceu ipſo rutilantior ſole veritas innoteſcat. Quamvis autem quæ jam diximus, rurſum eloqui, ac ſuper eodem argumento frequenter verba facere videamur: id tamen ad pleniorem dictorum comprehenſionem, ſtudioſis lectoribus hocce libello juverit iterum pertractare.

Sciendum igitur eſt, hæreticorum hujuſmodi præpoſitos, doctrinam Orientalis Eccleſiæ haud quidem ignorantes, ſuos tamen circa Deum reſque divinas, errores

ANNO CHRISTI 1672.

res illi affingere, eamque, quo rudiores ſeducant potiſſime, opera data inculpare. Cum enim ab Occidentalibus jam jam receſſerint, ſeque ab omni demum Eccleſia Catholica procul fecerint, maniſeſtiſſime ſe ſe probant hæreticos, immo & hæreticorum coryphæos. Nam falſa atque inepta non modo dogmata, ſui ſupra modum amantes, induxere, ſi tamen dogmata licet fabellas appellare: at etiam Eccleſiæ prorſus extorres facti ſunt, cum Eccleſia Catholica, ut dictum eſt, nulla penitus communione conjuncti. Ac eorum quos ſuis ſeduxere fabulis, converſionem veluti pertimeſcentes, eo fraudis B confugere, ut quod illi circa fidem ſentiunt, hoc ipſum & Orientalem ſentire Eccleſiam perſuaderent. (Deo nempe, etſi mirabiliter id ſinente, at ſignificante Chriſtianum nec dici poſſe, nec eſſe, Eccleſiæ nomine non inſignitum: quin & docente, eos, etſi neſcientes, hoc ipſo Catholicæ Eccleſiæ fuiſſe allectos, quo in illa mereri ſe ſe moliti ſunt perſuadere.) Non ita porro id probare nituntur, ut vera eſſe univerſe ea quæ credimus, aſſerant: ſi enim ita eſſet, alia in nobis nequaquam reprehenderent, at nobiſcum in omnibus conſentirent; ſed nec apud nos ſe ſe conſtituere magiſtros C appeterent, qui heri & nudiuſtertius frementes meditati ſunt inania: immo a nobis edoceri noſtræque obedire fidei ſtatuerent, quam prædicantibus Apoſtolis Eccleſia Catholica ſuſcepit, modo tenet, ac in finem ſæculi, ſcilicet quoaduſque veniat Dominus, ipſo Deo Salvatore duce, conſervabit. Sed quia procul a nobis illi abſunt, neque Calviniſtis omnibus id quod adverſus eos confinxere duces eorum, notum facere valeamus; quidquid recens induxere Calviniſtæ, ipſam eſſe perpetuam Orientalis Eccleſiæ fidem, gloriari, ſeducendis rudioribus, ſatis habuere. Verum quemadmodum lucis ad D tenebras, aut Chriſti ad Belial ſocietas eſſe non poteſt: ita nec una adverſariorum noſtrorum cum Eccleſia orientali de rebus fidei ſententia, quamdiu hæreſiarcham Calvinum voluerint habere magiſtrum.

A περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων. ἀλλ' ἐξεπίτηδες αὐτῆς κατηγοροῦσι πρὸς ἀπάτην μάλιστα τῶν ἀπλουστέρων. τῶν δυτικῶν γὰρ ἀποσχισθέντες, εἴτουν ἀπορραγέντες, καὶ ἔπειτα πᾶσαν ἁπλῶς τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ἀποποιησάμενοι καὶ ἐλεγχόμενοι προφανῶς, ὡς αἱρετικοί εἰσι, καὶ αἱρετικῶν οἱ κορυφαιότατοι. ἐπειδὴ οὐ μόνον καινῶν καὶ γελοίων δογμάτων (εἰ δέον ὅλως τοὺς μύθους δόγματα ὀνομάζειν) ἐγένοντο διὰ φιλαυτίαν εἰσηγηταί· ἀλλὰ καὶ μηδόλως ἐκκλησίας μετέχουσιν, ὡς μηδεμίαν ὁπωσοῦν κοινωνίαν ἔχοντες μετὰ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ὡς εἴρηται. καὶ ὥσπερ B δεδιότες μήποτε ἐπιστραφῶσιν οἱ ἀθλίως ἐκείνοις προσέχοντες, ἐπενόησαν λέγειν, τοῦτ' ἔστι τὸ προφανέστατον ψεῦδος, ὅτι ἅπερ αὐτοὶ περὶ πίστεως φρονοῦσι, ταῦτα καὶ ἡ ἀνατολικὴ φρονεῖ ἐκκλησία. (τοῦ Θεοῦ, κἂν τοῦτο θαυματοποιοῦντος, καὶ δεικνύοντος, τὸν μὴ κοσμούμενον καὶ τῷ τῆς ἐκκλησίας ὀνόματι, ἀδύνατον μήτε χριστιανὸν λέγεσθαι, μὴ ὅτι γε χριστιανὸν εἶναι· διδάσκοντος δὲ αὐτοὺς ἐν τούτῳ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ προστεθῆναι, εἰ καὶ οὐ συνῆκαν.) καὶ τοῦτο οὐχ ὡς πρεσβεύοντες τὰ ἡμέτερα παντάπασιν εἶναι ἀληθῆ. εἰ γὰρ οὕτως ἦν, οὐκ ἂν ἐν ἄλλοις κατηγόρουν ἡμῶν, ἀλλ' ἐν πᾶσι συνῄνουν· οὔτε μὴν διδάσκαλοι ἡμῶν C προεθυμοῦντο γενέσθαι, οἱ χθὲς καὶ πρότριτα φρυάξαντες ἐμελέτησαν κενά· ἀλλὰ παρ' ἡμῶν μαθεῖν, καὶ ἡμῖν πείθεσθαι ἤθελον, φρονοῦσιν ἅπερ ἀπόστολοι μὲν ἐκήρυξαν, ἡ καθολικὴ δὲ ἐφρόνησε καὶ φρονεῖ ἐκκλησία, καὶ δὴ καὶ φρονήσει εἰς τὸν αἰῶνα· ἕως ἂν ἔλθῃ δηλονότι ὁ κύριος, ἐν αὐτῷ Θεῷ σωτῆρι ποδηγέτῃ. ἀλλ' ὅτι μακρὰν ἐκείνων διεστηκότων ἡμῶν, καὶ τρόπῳ τινὶ μὴ δυναμένων πᾶσι Καλουΐνοις γνώριμον ἀποκαταστῆσαι τὸ κατ' ἐκείνων τῶν ἰδίων καθηγεμόνων σκευώρημα, ἤρκεσεν αὐτοῖς πρὸς μόνην ἀπάτην τῶν ἀπλουστέρων ἐγκαυχᾶσθαι, ὅτι εἴτι Καλουΐνοις κεκαινοτόμηται, τοῦτο καὶ ἡ ἀνατολικὴ φρονεῖ ἐκ- D κλησία καὶ ἀνάπαλιν. ἀλλ' ὡς ἀδύνατον ἐν ταὐτῷ ἅμα εἶναι φῶς καὶ σκότος, ἢ Χριστὸν καὶ Βελίαρ. οὕτως ἀδύνατον τοῖς ἐναντίοις ἕως ἂν ὑπὸ προστάτῃ Καλουΐνῳ αἱρεσιάρχῃ πλέουσι, τὸ αὐτὸν εἶναι ἐν τοῖς περὶ πίστεως τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ.

Porro Catholicam Orientalis Eccleſiæ fidem ſtrenuos hujuſmodi homines agnoviſſe (ut ignorare fingant) manifeſtum eſt: ac primum quidem e ſacris Scripturis, quas optime omnium intelligere ſe ſe gloriantur: deinde ex ſanctis eccleſiæ E catholicæ Theologis. Norunt quippe certiſſime hominum non modo, ſed & Dei quoque calumniatores illi, norunt juſtum eſſe Deum, ac omnium noſtrum patrem, uti paſſim ipſemet indicavit. Norunt & data eſſe hominibus præcepta, ceu rem hominum ſaluti perneceſſariam: item boni electionem ac fugam mali apud Scripturam edoceri: item & repoſitam eſſe unicuique ſecundum opera ſua retributionem: item auctorem malorum non eſſe Deum, neque perſonarum acceptorem,

Ὅτι δὲ οἱ καλοὶ οὗτοι ἄνδρες οἴδασι τὴν ὀρθόδοξον τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας δόξαν, (εἰ καὶ ὑποκρίνονται μὴ εἰδέναι) φανερόν. πρῶτον ἔκ τε τῆς ἁγίας γραφῆς αὐτῆς, (ἣν οὗτοι μάλιστα μεγαλορρημονοῦσιν εἰδέναι) καὶ ἀπὸ τῶν ἁγίων τῆς E καθολικῆς ἐκκλησίας θεολόγων. οἴδασι γὰρ σαφῶς, οἴδασιν οἱ κατήγοροι οὐ μόνον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, ὅτι εἴπερ δίκαιος ὁ Θεός, καὶ εἴπερ πατὴρ πάντων ἡμῶν ἐστιν, ὡς αὐτὸς τοῦτο εἴρηκεν ἐν πολλοῖς· καὶ ὅτι ἐντολαὶ ἐδόθησαν τοῖς ἀνθρώποις ὡς ἀναγκαῖόν τι χρῆμα πρὸς σωτηρίαν· καὶ ὅτι αἵρεσις μὲν τοῦ καλοῦ, φυγὴ δὲ τοῦ κακοῦ διδάσκωνται παρὰ τῆς γραφῆς· καὶ ὅτι ἑνὶ ἑκάστῳ ἀποδοθήσεται κατ' ἃ ἔπραξεν· καὶ ὅτι ὁ Θεὸς οὐκ ἔστι τῶν κακῶν αἰτία, οὔτε μὴν προσωπολήπτης, ὥστε ἀναιτίως τοῦτον μὲν ἀγαπᾶν,

τοῦτον



τοῦτον δὲ μισεῖν· ἀλλὰ πάντων βούλεται καὶ θέλει τὴν σωτηρίαν, ὅτι βεβαία καὶ ἀναγκαία ἡ τοῦ αὐτεξουσίου θέσις, ὃν τρόπον πρεσβεύει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, πάντῃ καὶ διωκτέα τῶν ἱερῶν τῆς πίστεως περιβόλων ἡ φλυαρία τῆς εἰσηγήσεως τοῦ Ἑλληνικοῦ τῆς εἱμαρμένης μύθου, ὃν ὡς λύμην φθοροποιὸν ἡ τοῦ Καλουΐνου τοῖς ἀνθρώποις εἰσήνεγκε μοχθηρία. Πᾶσαν μὲν ἀρετὴν τοῦ κατὰ Χριστὸν βίου διώκων, (δι' ἣν Χριστὸς ἐνηνθρώπησε) πᾶσαν δὲ κακίαν καὶ ἀνομίαν εἰσάγων, καὶ τὸ δεισιδαιμόνειον ἐκεῖνο, καὶ ψευδεπίπλαστον, ὅτι ἡ πίστις δηλαδὴ ἁπλῶς καὶ μόνη σώζει τὸν ἄνθρωπον, οὐδ' ὅτι οὖν ἰσχυόντων τῶν ἔργων, B ἃ ἡ γραφὴ τρανώτερα ποιεῖν τοὺς θέλοντας τυχεῖν σωτηρίας προτρέπεται, ἐπειδὴ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι.

A quatenus illi, quod alterum diligat, odio alterum habeat, iniquitati non poſſit verti, qui vult omnes homines ſalvos fieri. Norunt denique liberum arbitrium, uti dogma certiſſimum, quemadmodum Catholica ſentit Eccleſia, neceſſario eſſe admittendum: atque a ſacris fidei ſeptis prorſus emandandam nugatoriam quamdam de fatali apud Græcos neceſſitate narrationem, quam ut exitialem hominibus peſtem Calvini malitia concionavit. Quippe omnibus Chriſtianæ vitæ virtutibus bellum indixit: (quas ut doceret Chriſtus, homo factus eſt:) & quo iniquitati ac vitio cuilibet viam faceret, id fucatæ ſu- B perſtitionis invexit, hominem ſola fide, non autem operum merito, ſalvari. Quæ tamen Scriptura eos qui ſalutem adipiſci volunt, palam facere cohortatur, ſiquidem fides ſine operibus mortua eſt.

Καὶ ὅτι εἰ δεῖ πείθεσθαι Παύλῳ, καὶ ταῖς οἰκουμενικαῖς ὑπείκειν συνόδοις, καὶ ἱστορικῶν τῶν περὶ τῶν ἐξαρχῆς τῇ ἐκκλησίᾳ συμβάντων, ὅσον τὸ κατ' αὐτοὺς ἀποφαινομένων ἀκούειν, καὶ μὴ ἐναντιοῦσθαι τοῖς ἐγγὺς τῶν ἀποστόλων χρηματίσασι διδασκάλοις, καὶ πνευματοφόροις ἀνδράσι, καὶ τοῖς μετέπειτα ἐκείνων συγγράψασι συν- C τομωτέρῳ τρόπῳ μέν, ταῦτα δὲ ἐκείνοις τοῖς θείοις πατράσι, καὶ ἁπλῶς τῇ θείᾳ γραφῇ ἐν πολλοῖς ἀποφαινομένῃ σαφέστατα, (ἐξ ὧν ἁπάντων συνάγεται τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον·) δεῖ καὶ ἑπτὰ εἶναι πιστεύειν τὰ μυστήρια τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, δι' ὧν ἁγιαζόμεθα καὶ Χριστῷ συναπτόμεθα, καὶ τῆς μελλούσης ζωῆς λαμβάνομεν τὸν τέλειον ἀρραβῶνα, σπουδάζοντες ἐφ' οἷς ἐκτίσθημεν ἔργοις ἀγαθοῖς, τὰς ἁγίας εἰκόνας προσκυνεῖν, τοῖς ἁγίοις χρῆσθαι μεσίταις, καὶ τιμᾶν αὐτούς, ὡς φίλους Θεοῦ· καὶ ὅλως ἀπαραλλάκτους κατὰ πάντα φυλάττειν τὰς D παραδόσεις, ἃς κατέχει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, ἐξ αὐτοῦ τοῦ καιροῦ τῶν ἀποστόλων, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε διὰ γραφῆς, ἣν ἀδύνατον ὅλως σφαλῆναι, ὡς πλουτοῦσαν διδάσκαλον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Οἴδασι, φαμὲν σαφῶς, οἱ κατήγοροι καλῶς, τήν τε γραφὴν καὶ τοὺς πατέρας, καὶ ἑπομένους ἐξ ἐκείνων, καὶ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν ἡμῶν. (οὐ γὰρ ἄλλο τι ἐστὶ τὸ φρόνημα τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, ἀλλ' ἢ τὸ θεῖον ῥῆμα πιστευόμενον ὀρθῶς, καὶ ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἀναπτυσσόμενον εὐσεβῶς, καὶ αἱ παρὰ τῶν ἀποστόλων διαλόγου παραδόσεις, ὑπὸ τῶν πατέρων φυλαχθεῖσαι ἄχρις ἡμῶν·) ἀλλ' ἐμμένοντες τῇ πεισμονῇ, ἥ τις τοῖς αἱρετικοῖς ἐστιν ἴδιον, κωφεύουσι καὶ οὐ διορθοῦνται. ἡμεῖς δὲ ἵνα μὴ τὰ τῆς γραφῆς, ἢ τῶν πάλαι πατέρων λέγοντες ἐπιλείψῃ ἡμᾶς ὁ χρόνος διηγουμένους, ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς γεγενημένων ἀποδείξομεν τὸ προκείμενον.

Norunt præterea; ſiquidem divo Paulo & œcumenicis Conciliis adhibenda fides eſt, atque iis non minus attendendum, quæ a principio contigiſſe Eccleſiæ hiſtorici produnt, quam quæ opinantur ipſi; neque ſanctis Doctoribus ac Spiritu ſancto plenis hominibus, Apoſtolorum C ſupparibus, obſiſtendum, qui divinas ad res exponendas incubuere; nec aliis, qui ſtrictius quidem, at eadem prorſus, quæ ſancti Patres illi conſcripſere; nec denique ſacræ Scripturæ, quæ non ſemel hæc ipſa apertiſſime declarat: (e quibus totum colligitur religionis noſtræ myſterium:) Hæc igitur ſiquidem illi norunt, norunt utique credenda eſſe ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, quibus & ſanctificamur, & Chriſto conjungimur, & futuræ vitæ perfectum pignus accipimus; ſi modo, quibus conditi ſumus, bonis operibus vacamus, ſi ſacris imaginibus cultum adhibemus, ſi Sanctis ceu mediatoribus apud D Deum utimur, eoſque tamquam Dei amicos veneramur: ſi denique traditiones, quas ſive per ſermonem, ſive per Scripturam Catholica didicit Eccleſia, quæ ſancto Spiritu erudita, errare non poteſt, illibatas conſervamus. Probe itaque norunt juxta ac evidentiſſime calumniatores illi & ſacram Scripturam, & ſanctos Patres, & qui eorum veſtigiis inſtitere, necnon & orthodoxam eſſe fidem noſtram: neque enim aliud quidquam Eccleſia ſentit Orientalis, quam verbum divinum, uti par eſt creditum & ab ſanctis Patribus religioſe explanatum, & traditiones ab Apoſtolis per ſermonem acceptas, atque ab iiſdem ſanctis Patribus ad nos uſque conſervatas: at ſuis pertinaciter erroribus adhærentes, obſurdeſcunt, nedum ad fidem orthodoxam ſe ſe recipiunt. Nos vere quia Scripturæ & ſanctorum Patrum oracula proſequentes, tempus deficeret, ex his quæ apud nos geſta ſunt, rem totam demonſtrabimus.

Μετὰ γὰρ πεντήκοντα ἔτη τῆς Λουθήρου μα-

Elapſis ab Luthero quinquaginta an-

ANNO CHRISTI 1672.

A nis, Martinus Cruſius Tubingenſis, cæteriſque cum eo novitatum Lutheri peritiores, (porro non alia eſt Lutheri hæreſis, atque Calvini, quamquam nonnihil videtur intereſſe:) ſuæ capita profeſſionis ad eum qui Catholicæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ id temporis clavum tenebat, direxere; quatenus, uti dicebant, dignoſcerent, an cum Orientali Eccleſia de doctrina convenirent. Verum ad illos, immo & contra ipſos, inſignis ille Patriarcha ſermones tres, ſeu magis peritas reſponſiones, reſcripſit: quibus & omnem eorum hæreſim theologice juxta ac catholice confutabat, & orthodoxas opiniones, quaſcumque a principio Eccleſia obtinuit B Orientalis, eos edocebat: quamquam hæc illi nequaquam attenderunt, quippe nuncium pietati penitus remiſerint. Habetur liber iſte Græce & Latine editus Wittembergæ in Germania, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto.

Sed & ante Patriarcham iſtum, nomine Jeremiam, Joannes Nathanael presbyter & œconomus Conſtantinopoleos, in tractatu quem de expoſitione ſacræ Liturgiæ edidit; ac rurſum poſt eumdem Jeremiam, Gabriel Severus Moreanus, fratrum noſtrorum [a] Cretenſium Archiepiſcopus, in libro quem de ſeptem Eccleſiæ C Catholicæ ſacramentis compoſuit: univerſam Orientalis Eccleſiæ doctrinam manifeſtius exhibuere.

[a] Id eſt, qui Venetiis degebant.

Non ſolum autem iſti, ſed & alii bene multi (quos, cum opus fuerit, recenſebimus:) idem nuper argumentum ſunt proſecuti. Ac in primis ante annos ſex aut ſeptem prodiit in lucem liber cui titulus, *Confeſſio orthodoxa eccleſiæ Orientalis*, ab ſanctiſſimo quidem illo Kiæbæ Archiepiſcopo Petro, exaratus: at ob nonnulla obſcura & emendatione digna quæ habebat, ab Meletio Cretenſi, magnæ eccle- D ſiæ quæ eſt Conſtantinopoli Doctore ac Protoſyncello, juſſu Synodi apud Jaſium celebratæ explicatus & emendatus. Hunc omnino excepit, & modo etiam excipit eccleſia Orientalis; ac optimus, illuſtriſſimus, necnon & ſapientiſſimus Princeps dominus Panagiotti, utriuſque Imperii, Orientalis nimirum & Occidentalis, linguarum Interpres periſſimus, ac pietatis zelantiſſimus, ad unum autographi apicem typis mandavit. [b]

[b] Adde, nihil prorſus detrahens vel addens.

Cum itaque hæc omnia probe ſciant ad- E verſarii noſtri, atque prædictorum etiam librorum plurimi apud illos fuerint excuſi: manifeſtum eſt, eos non jam ex fidei noſtræ ignoratione, ſed ex ſumma impudentia nobis imponere, & ad ſimplicium ruinam ea nobis affingere, quæ noſtra non ſunt, ſuſcepiſſe.

Verum enimvero recte nonnulli dixere, (nam & hoc verum eſt) ſimplicem eſſe veritatem, mendacium vero multifidum: quippe fugaces hujuſmodi [illegible] caſtelli [illegible] fundamento, hoc quod primum

A νίας, ὁ ἀπὸ Τυβίγγης τῆς Γερμανίας Μαρτῖνος Κρέσιος, μετὰ καὶ ἄλλων σοφιστῶν τῆς καινοτομίας Λουθήρου, (ἀδελφὰ δέ πως φρονεῖ Λουθῆρος Καλβίνῳ, εἰ καὶ ἔν τισι διαφέρειν δοκοῦσιν.) ἔπεμψαν τὰ κεφάλαια τῆς αἱρέσεως αὐτῶν τῷ τηνικαῦτα πηδαλιουχοῦντι τὸ πλοῖον τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, ἵν' εἰδῶσιν εἰ συμφωνῶσι τῇ δόξῃ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, ὡς ἐκεῖνοι ἔλεγον· ὁ δὲ ἀοίδιμος ἐκεῖνος τρεῖς πρὸς ἐκείνους καὶ κατ' ἐκείνων συνεγράψατο λόγους, εἴτουν πραγματικὰς ἀποκρίσεις, πᾶσαν μὲν θεολογικῶς καὶ ὀρθοδόξως ἐλέγχων αὐτῶν αἵρεσιν, πᾶσαν δὲ γνώμην ὀρθόδοξον B ἄνωθεν ἐπικρατήσασαν τῇ ἐκκλησίᾳ διδάσκων αὐτούς· οἱ καὶ οὐ προσέσχον ἅπαντες, τῇ εὐσεβείᾳ χαίρειν εἰπόντες. ἔστι δὲ ἡ βίβλος τυπωθεῖσα Γραικολατινιστὶ, ἐν Βιρτεμπεργίδι τῆς Γερμανίας, κατὰ τὸ ἀ φ π δ' ἔτος τῆς σωτηρίας.

Πρὸ τούτου τε τοῦ κὺρ Ἱερεμίου, Ἰωάννης ἱερεὺς ὁ Ναθαναὴλ καὶ οἰκονόμος Κωνσταντινουπόλεως, ἐν ᾧ ἐξέθετο περὶ τῆς ἑρμηνείας τῆς ἱερᾶς λειτουργίας· καὶ μετὰ τοῦτον τὸν κὺρ Ἱερεμίαν, Γαβριὴλ Σεβῆρος ὁ ἀπὸ Πελοποννήσου, μητροπο- C λίτης τῶν [a] ἐν Ἐνετίῃσιν ἀδελφῶν, ἐν ᾧ συνέγραψε περὶ τῶν ἱερῶν ἑπτὰ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας μυστηρίων συνταγματίῳ, ἀρίδηλως τὴν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας δόξαν παρέστησαν.

[a] Id eſt, in Venetiis.

Οὐ μόνοι δὲ οὗτοι, ἀλλὰ καὶ ἄλλοι πολλοὶ περὶ τῆς τοιαύτης ὑποθέσεως συνεγράψαντο νεωστὶ, οὓς ἀριθμήσομεν ἐν καιρῷ ἰδίῳ. πρὸ ἐτῶν καὶ μάλιστα ἕξ, ἢ ἑπτὰ, βίβλος πέπυωται, ἐπιγραφομένη, Ὁμολογία ὀρθόδοξος τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, ἣν συνεγράψατο μὲν ὁ ἁγιώτατος ἐκεῖνος μητροπολίτης Κιαίβου Πέτρος· ἐσαφήνισε δὲ D καὶ ἐδιωρθώσατο, εἴ τι σαφηνείας καὶ διορθώσεως ἐδεῖτο, ἐν αὐτῇ προτροπῇ τῆς ἐν Ἰασίῳ συνόδου, ὁ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει μεγάλης ἐκκλησίας πρωτοσύγγελος καὶ διδάσκαλος Μελέτιος Συρίγου, ὁ ἀπὸ Κρήτης ὁρμώμενος. ἐδέξατο δὲ αὐτὴν καὶ δέχεται ἁπαξαπλῶς πᾶσα ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία· ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν τύποις μηδὲν ἀφαιρήσας, ἢ [b] προστεθεικὼς ταύτῃ, ἀλλὰ κατὰ πάντα ὁμοίαν τῷ πρωτοτύπῳ, ὁ πάντ' ἀγαθὸς ὁ ἐκλαμπρότατος καὶ σοφώτατος ἄρχων κύριος Παναγιώτης, ὁ μέγας ἑρμηνεὺς τοῦ ἀνατολικοῦ καὶ δυτικοῦ κράτους, καὶ τῆς εὐσεβείας ἄκρος ζηλωτής.

[b] Προσθείς.

Εἰ οὖν ταῦτα πάντα οἱ ἐναντίοι ἴσασι, καὶ παρ' E ἐκείνοις αἱ πλεῖσται τῶν βίβλων πεπύπωνται, ἐπέρειστα κατηγοροῦσιν ἡμῶν, δῆλον ὅτι οὐκ ἀγνοοῦντες τὴν πίστιν ἡμῶν, ἀλλ' ἀναισχυντοῦντες, καὶ πρὸς ἀπάτην τῶν ἁπλουστέρων [illegible] ἡμῖν ἀνακαλεῖν ἐπιχειροῦσιν.

Ἀλλὰ καλῶς λέγεταί τισιν, ὅπερ καὶ ἀληθές ἐστιν, ἁπλοῦν δηλαδὴ εἶναι τὸ ἀληθὲς, πολυσχιδὲς δὲ τὸ ψεῦδος. ὅθεν οἱ καλοὶ οὗτοι ἄνθρωποι, τὰ πεπλασμένα αὐτοῖς περὶ ψεύδους ἐπὶ σα-



ANNO CHRISTI 1672.

σαθρῷ θεμελίῳ ἐποικοδόμουν ὑπονοοῦντες, πρὸς A ἄλλο ὀλεθριώτατον καὶ ὅλως ἀνυπόστατον καταφεύγουσιν ἐπιχείρημα. ὡς περικάλυμμα γὰρ τοῦ μὴ ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ ὁπωσοῦν χριστιανῶν ἐλέγχεσθαι, καὶ ὑπὸ τῶν ἐν τῇ ἑῴᾳ καταγνωσθῆναι αὐτοὺς ὡς περιφανῶς καταψευδομένους, προβάλλονται τὸν πρὸ τεσσαράκοντα ἐτῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει πατριαρχεύσαντα Κύριλλον Κρῆτα τὸν Λούκαριν, ὡς δεδωκότα τυχὸν ὁμολογίαν ἀριθμουμένην ἐν κεφαλαίοις δεκαοκτὼ, καὶ ἐρωτήσεσι τέσσαρσιν, ὡς ἐκ προσώπου δῆθεν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, ἅτινα δείκνυσι τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν ὁμοίως φρονεῖν, οἷς ἐκεῖνοι φρονοῦσιν· ἀλλ' ἀχείρωτον καὶ τοῦτο τὸ μέ- B γιστον τούτων ματαιολόγημα, καὶ παντάπασιν ἀδύνατον· δειχθήσεται γὰρ σὺν Θεῷ ποδηγέτῃ.

Πρῶτον, ὅτι Κύριλλον οὐδέποτε τοιοῦτον ἐγνώρισεν ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία, οἷον εἶναι φασιν οἱ ἀντίδικοι, ὑπ' ἐκείνου πώποτε [a] εἴδε τὰ κεφάλαια συγγραφῆναι.

[a] Pro, εἶδε.

Δεύτερον, ὅτι εἰ καὶ δοθείη ὑπόθεσιν ἐκείνου εἶναι, ἀλλὰ πάντῃ λαθραίως ἐκεῖνα ἐξέδωκε, μηδενὸς εἰδότος τῶν ἀνατολικῶν, μὴ ὅτι γε τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.

Τρίτον, ὅτι ἡ Κυρίλλου ὁμολογία οὐκ ἔστι τῆς C ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ὁμολογία.

Τέταρτον, ὅτι δυοῖν θάτερον· ἢ ἀδύνατον εἰδέναι τὴν ὁμολογίαν ταύτην τοὺς ἀνατολικοὺς, ἢ εἰδότας, ἀδύνατον ὅλως εἶναι χριστιανούς.

Πέμπτον, ὅτι οὕτως οἱ ἀνατολικοὶ ἀποστρέφονται τὰ κεφάλαια ταῦτα, ὥστε μεθ' ὅρκου πολλάκις ἀποφαινόμενον τὸν Κύριλλον, καὶ ἐπ' ἐκκλησίας τἀναντία τοῖς κεφαλαίοις διδάσκοντα, μόνον διότι οὐ συνέγραψε κατ' αὐτῶν, διὰ δύο πληρεστάτων συνόδων ἀναθέματι καὶ ἀφορισμῷ καθυπέβαλον.

Ἕκτον δὲ, ἔσω ἔκθεσις ἐν ὀλίγοις περὶ τοῦ πῶς D φρονεῖ ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία, περὶ τῶν ἐν τοῖς κεφαλαίοις προβλημάτων.

## ΚΕΦΑΛ. Α.

ΟΤι μὲν οὖν οὐδέποτε ὡς Καλβινόφρων ἐν τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ ἐγνώσθη ὁ Κύριλλος, παντί που δῆλον τῷ μὴ θέλοντι κακουργεῖν. Ἀλεξανδρείας γὰρ πάπας μετὰ Μελέτιον γεγονὼς, καὶ ψήφῳ κοινῇ τοῦ ἐν Κωνσταντινουπόλει κλήρου (ἐκεῖ που τότε διατρίβοντος Κυρίλλου) εἰς τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνον μετατεθεὶς, οὔτε ἐν συνόδῳ, οὔτε ἐν ἐκκλησίᾳ, οὔτε ἐν οἴκῳ E ὀρθοδόξου τινὸς, καὶ πῶς εἰπεῖν, οὔτε κοινῶς, οὔτε κατ' ἰδίαν εἶπεν, ἢ ἐδίδαξέν τι ὁπωσοῦν ἐξ ὧν ἐκεῖνον πρεσβεύειν οἱ ἐναντίοι φασίν. εἰ δὲ καὶ κατ' ἰδίαν τινὶ, ἢ καὶ πλείοσι τοιοῦτόν τι εἰπεῖν τὸν Κύριλλον οἱ ἐναντίοι φασὶν, οὐκ οἴδασι τί λέγουσιν· ἔδει γὰρ αὐτοὺς, εἴπερ μαρτυρίας φέρειν ἐθέλωσι, μὴ ἐξ ἑαυτῶν, οἳ καὶ ὡς ἐναγόμενοι παρ' ἡμῶν ὅτι κατηγοροῦσι, καὶ ὡς ἀγνῶτες Κυρίλλου οὐκ ἔχουσι τὸ πιστὸν· ἀλλ' ἐξ ὧν οἴδασι καὶ Κύριλλον, καὶ τὴν Κυρίλλου πολιτείαν (ἀφ' ὧν εἰσέτι



A confinxerant, mendacium ubi proſpexere, pernicioſiſſimum ac leviori leviſſimum ſufficiunt artificium. Etenim ne ab totius Europæ Chriſtianis coarguantur, aut ab Orientalibus comperti mendacii auctores demonſtrentur; Cyrillum Lucarem Cretenſem, qui ante annos quadraginta Patriarchalem Conſtantinopolitanam ſedem occupavit, confeſſionem capitulis octodecim & quatuor quæſtionibus conſtantem, Orientalis eccleſiæ nomine edidiſſe aſſerunt, atque Orientalem cum ipſis conſentire Eccleſiam, declaraſſe. At nec ceteris hæc machinatio potentior, aut confutatu operoſior, etſi ſpecioſior: quippe B Deo duce demonſtrabitur.

Primo, Orientalem eccleſiam prædictum Cyrillum, qualem adverſarii noſtri inducunt, penitus neſcire; ipſamque confeſſionem ut fetum ejus nequaquam admittere.

Secundo, hujus auctor ut forte fuerit ille, nemine tamen Orientalium, ac multo minus catholicorum conſcio; ſed prorſus clanculum hanc edidiſſe.

C Tertio, hujus Cyrilli confeſſionem haudquaquam eſſe Orientalis eccleſiæ confeſſionem.

Quarto, Orientales vel confeſſionem iſtam penitus ignoraſſe; vel, ſi noverint, Chriſtianos nequaquam exſtitiſſe.

Quinto, prædicta capitula ita apud Orientales reprobari, ut his contraria non ſemel in eccleſia vel Cyrillus ipſe, etiam cum exſecratione, docuerit, atque ab ſynodis duabus frequentiſſimis propterea ſolum excommunicatione & anathemate perculſus fuerit, quod ſcriptis quoque ea impugnare recuſarit.

Sexto. Sed eſto, ex iis quæ eccleſia D ſentit Orientalis, nonnulla forte opus iſtud habeat; quænam porro in prædictis capitulis explicanda proponantur, examinandum eſt.

## CAPUT I.

CYrillum itaque cum Calvino ſentientem numquam apud Orientalem eccleſiam audiiſſe, nemo, niſi qui calumniari voluerit, ignorare poteſt. Cum enim ad ſedem Alexandrinam fuiſſet aſſumptus, ac communi poſtmodum cleri Conſtantinopolitani ſuffragio ad hujus urbis (in qua tum temporis agebat) thronum inde E tranſlatus: is neque in aliqua ſynodo, neque in eccleſia, neque apud quempiam ex catholicis, uno verbo, nec publice, nec privatim, vel minimum ex iis quæ hunc aſſerere adverſarii clamitant, aut locutus eſt, aut docuit. Sin vero ſingulari forte, aut pluribus tale quid eum protuliſſe contendant: quod dicunt, penitus ignorant. Si enim teſtimonium de Cyrillo dicere in animum induxerant, illud nequaquam a ſe ipſis, ſed a quibus notus ille fuit, (quorum plus mille ſuperſtites ſunt) adhibere debuiſſent: quippe mendaces ac

nulla dignos fide vel eo probamus, quod A hominem ita calumnientur, quem ignorant. Atque ita res agitur, ut qui Cyrillum neſciunt hæretici, ſuis eum vendicare partibus præfracte moliantur; ab iis autem quos annis multis miniſtros habuit ac rerum ſuarum conſcios, nihil tale ſenſiſſe comprobetur. Hinc igitur quod Cyrillus nemini Orientalium uſquam talia ſit locutus, atque ex familiarium ejus teſtimonio abunde evincitur, cum, qualem adverſarii ſtatuunt, talem ab Orientali eccleſia numquam eſſe exiſtimatum.

Deinde, quia ſcriptum minime dubium nullum exſtat propria ejus manu exaratum, in quo approbata reperiantur illa, quæ B teſtantur hæretici.

Denique, quia mille teſtes exploratam Cyrilli pietatem atteſtantes, & nihil non orthodoxum ab illo unquam audiiſſe profitentes, nedum habemus; ſed & librum prolixiorem ab eodem manu propria antea ſcriptum, in quo homiliæ habentur ſingulis Dominicis ac diebus feſtis ab ipſo Conſtantinopoli pronunciatæ, quibus oppoſita ſuppoſititiis hiſce capitibus doctrina diſputatur. Ad plenam autem eorum quæ dicimus, fidem faciendam, nonnulla ex iiſdem homiliis excerpta ſubjicimus.

*Excerpta ex homiliis Cyrilli, quas publice Conſtantinopoli coram Clero & populo ipſe pronunciavit.* C

C O N T R A

I. C A P U T.

*Ex homilia de Chriſti Nativitate.*

„ Et nunc quidem non diſputo, cur „ Deus unus ſit & trinus; & cur Pa„ter, Pater eſt; & Filius, Filius; & D „ Spiritus ſanctus, Spiritus: & qui Pater „ abſque principio eſt, & Filius produ„citur a ſolo Patre per generationem; „ & Spiritus ſanctus item ab ſolo Patre „ procedit.

*Ex homilia in Pentecoſten.*

„ Pater non eſt Filius, neque Spiritus „ ſanctus; ſed ab illo generatur Filius, „ & procedit Spiritus ſanctus. Filius mit„titur a Patre & ab Spiritu ſancto. Ait „ enim Dominus: *Et Spiritus ejus miſit* „ *me*. Spiritus ſanctus mittitur a Patre & E „ a Filio, ad ſanctificationem creatura„rum; procedit tamen ab ſolo Patre. „ Cur autem a ſolo Patre procedat, cum „ tam a Filio, quam a Patre mittatur? „ Nimirum quia ad ſanctificationem miſ„ſio fit, productionem vero proceſſio im„portat ſubſtantialem. Quemadmodum „ autem Spiritus mittit Filium, nec ta„men dici poteſt generare illum; ita Spi„ritus a Filio mittitur, nec tamen ab illo „ procedit. Pater autem Filium & mit„tit, & ſolus ſubſtantialiter producit.

καὶ νῦν μυρίοι ὅσοι ἐν τοῖς ζῶσιν εἰσίν) ἐκ τούτων δέχεσθαι, καὶ τὰς μαρτυρίας· ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τῆς αἱρέσεως αὐτῶν κοινωνὸν εἶναι διϊσχυρίζονται, οἱ μηδέποτε εἰδότες αὐτὸν, οὗτοι δὲ οἱ καὶ ἐνιαυτῶν πολλῷ χρόνῳ ἐκείνῳ διακονήσαντες, καὶ εἰδότες πάντα τὰ κατ' ἐκεῖνον, μὴ τοιοῦτον εἶναι ἀποφαίνονται. ἄρα καὶ ἐκ τοῦ μηδέποτέ τινι τῶν ἀνατολικῶν τοιοῦτόν τι εἰπεῖν τὸν Κύριλλον, καὶ ἐκ τῆς μαρτυρίας τῶν συνήθων ἐκείνῳ οὐκ ἐγνώσθη ἐν τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ, πώποτε τοιοῦτος, οἷον τοῦτον βούλεται ἡ ματαιότης τῶν ἐναντίων.

Δεύτερον, ὅτι μηδεμία ἀνύποπτος συγγραφὴ, ἡ ἰδιόχειρος ἐκείνου φαίνεται τοιαῦτα καθομολογοῦσα, οἷον μαρτυροῦσιν οἱ ἀντίδοξοι.

Τρίτον, ὅτι οὐ μόνον μάρτυρας μυρίους τὴν παρρησιαστικὴν εὐσέβειαν Κυρίλλου ὁμολογοῦντας, καὶ μηδὲν αἱρετικὸν παρ' ἐκείνου πώποτε ἀκούσαντας, ἀλλὰ καὶ βίβλον ἐν μήκει πρώτην ἰδιόχειρον Κυρίλλου ἔχομεν, ἐν ᾗ φαίνονται αἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν ἑκάστῃ κυριακῇ καὶ ἑορτασίμῳ ἡμέρᾳ λεχθεῖσαι ἐκείνῳ ὁμιλίαι, πάντ' ἐναντία ἀποφαινόμεναι τοῖς ὑποβολιμαίοις ἐκείνοις κεφαλαίοις, ἐξ ὧν καί τινας ἐκλογὰς τιθέαμεν ἐν τῷ παρόντι συγγράμματι, εἰς πλείονα πίστιν τῶν λεγομένων ἡμῖν.

Ἐκλογαί τινες ἐκβληθεῖσαι ἐκ τῶν Κυρίλλου ὁμιλιῶν, ἃς ἐπὶ τῷ κοινῷ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, ἐνώπιον τοῦ κλήρου καὶ τοῦ λαοῦ αὐτὸς Κύριλλος τῷ ἰδίῳ στόματι ἔλεξε.

ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΠΡΩΤΟΥ ΚΕΦΑΛΑΙΟΥ.

Ἐκ τῆς εἰς τὴν Χριστοῦ γέννησιν ὁμιλίας.

„ Καὶ οὐ λέγω νῦν ἡμῖν διατὶ ὁ εἷς Θεός ἐστι „ τρισυπόστατος, καὶ διατὶ ὁ πατὴρ, πα„τήρ· ὁ υἱὸς, υἱός· καὶ τὸ πνεῦμα, πνεῦμα· „ καὶ πῶς ὁ πατὴρ μόνος ἀναίτιος· ὁ υἱὸς αἰ„τιατὸς κατὰ γέννησιν παρὰ πατρὸς μόνου, καὶ τὸ „ πνεῦμα ἐκπορευτὸν παρὰ μόνου τοῦ πατρός.

Ἐκ τῆς εἰς τὴν Πεντηκοστὴν ὁμιλίας.

Ὁ πατὴρ οὐκ ἔστιν υἱὸς, οὐδὲ τὸ πνεῦμα, ἀλ„λὰ γεννᾷ τὸν υἱὸν, καὶ ἐκπορεύει τὸ πνεῦμα. „ ὁ υἱὸς πέμπεται ὑπὸ τοῦ πατρὸς καὶ πνεύμα„τος. ὁ γὰρ κύριος· καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἀπέ„σταλκέ με. τὸ πνεῦμα πέμπεται παρὰ πατρὸς „ καὶ υἱοῦ πρὸς ἁγιασμὸν τῆς κτίσεως, ἐκπορεύε„ται δὲ παρὰ μόνου τοῦ πατρός. διατὶ δὲ παρὰ „ τοῦ πατρὸς μόνου ἐκπορεύεται, πέμπεται δὲ „ παρ' ἑκατέρων; νῦν λέξω, ὅτι ἡ πέμψις ἐστὶ „ πρὸς ἁγιασμὸν, ἡ δ' ἐκπόρευσις οὐσιώδης. ὡς „ δὲ πέμπει τὸ πνεῦμα τὸν υἱὸν, καὶ οὐδεὶς λέ„γειν δύναται, ὅτι καὶ γεννᾷ, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς πέμ„πει τὸ πνεῦμα, ἀλλ' οὐκ ἐκπορεύει. ὁ δὲ πα„τὴρ πέμπει μὲν τὸν υἱὸν καὶ μόνος οὐσιωδῶς ἐκ„πορεύει.

Ex





A Ἐκ τοῦ εἰς τὴν κυριακὴν τῆς ἀποκρέω λόγου Κυρίλλου, ἐν ᾧ δείκνυται, δέχεσθαι αὐτὸν τὴν τῶν πατέρων τῆς ἐκκλησίας ἐξήγησιν, καὶ ἑρμηνείαν τῆς θείας γραφῆς.

ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΔΕΥΤΕΡΟΥ ΚΕΦΑΛΑΙΟΥ.

„ Ἐν μέρει κείσθω ὁ λογαριασμὸς, ἐπεὶ ἐν „ τοῖς φυσικοῖς θεωρεῖται, νῦν περὶ τῶν „ τῆς πίστεως, ἃ λόγου οὐ δεῖται, μόνον μαρτυ„ρίας· ἂν δὲν ἔχῃς μαρτυρίαν, δὲν μπορῆς νὰ B „ πιστεύσῃς· ὡς, λόγου χάριν, ἡμεῖς πιστεύομεν „ τὸν Θεὸν πλάσαι τὸν ἄνθρωπον. πῶς ἡμῖν τοῦ„το ἐδηλώθη; ἀλλ' ἢ ὅτι ἐμαρτυρήθη ὑπὸ τοῦ „ Μωϋσέως, ὃς οὐ δύναται ψευσθῆναι, ὅτι οἴ„δαμεν θείῳ κινηθεὶς πνεύματι ἔγραψε. πι„στεύομεν ὅτι ὁ κόσμος οὗτος μέλλει παρέρχε„σθαι· πόθεν οἴδαμεν; ἀλλ' ἢ ὅτι οἱ εὐαγγελι„σταὶ ταῦτα ἐδίδαξαν, οἱ διδάσκαλοι ἐσαφήνι„σαν, καὶ ἡ μαρτυρία τοῖς πιστοῖς ταῦτ' ἔπεισεν ἡ„μᾶς, ὅτι ἄνδρες πεφωτισμένοι ὑπὸ τοῦ πνεύ„ματος ἦσαν· καὶ μάλιστα βεβαιούμεθα, ὅτι „ ὁ Θεὸς δι' αὐτῶν λαλεῖ. διὸ Δαβὶδ ψαλμῷ C „ π' ς'. διηγήσεται κύριος ἐν γραφῇ λαῶν, καὶ „ ἀρχόντων τούτων τῶν γεγενημένων ἐν αὐτῇ. ὁ „ Θεὸς θέλει μᾶς διηγηθῇ ἐγγράφως, εἰς τὴν „ γραφὴν τῶν λαῶν ἤγουν τῶν διδασκάλων, ὅτι „ πολλοὶ, καὶ τῶν ἀρχόντων τῶν γεγενημένων ἐν „ αὐτῇ. τίνες οἱ ἄρχοντες τούτων τῶν λαῶν; οἱ „ εὐαγγελισταὶ καὶ προφῆται. ὅσα λοιπὸν ἀκού„σῃς ἀπὸ τοιούτους λαοὺς καὶ ἄρχοντας, ὅλα ὁ „ Θεὸς τὰ λέγει δι' ἐκείνων, διατοῦτο ἐκεῖνοι ἄ„ξιοι πίστεως. διὸ ὅσα ἠκούσαμεν, δεῖ πι„στεύειν.

Ἐκ τοῦ εἰς τὴν ἀποτομὴν τοῦ προδρόμου αὐτοῦ λόγου.

„ Τετραχῶς γίνεται τὸ καλὸν, κατὰ φύσιν, „ κατὰ λόγον, καὶ κατὰ παράδοσιν. ἔστι δὲ κατὰ „ παράδοσιν ὅσα οὐκ ἔστι γεγραμμένα ἐν τῷ νό„μῳ, ὅσα ἔλαβες παρὰ τῶν πατέρων σου. ἀπὸ „ τοὺς προπάτορας δεδομένα φύλαττε, καὶ οὕτω ποιή„σεις τὸ καλόν.

Ἐκ τῆς εἰς τὴν Χριστοῦ γέννησιν αὐτοῦ ὁμιλίας.

„ Οὐρανὸς καὶ ἡ θεῖα γραφὴ, διατὶ ἔχει πνεῦ„μα καὶ γράμμα, ἀμφότερα οὐρανοὶ λέγονται. E „ ἡ ψιλὴ ἔννοια δέδοται παρὰ κυρίου τοῖς σο„φοῖς, τὴν κατωτέραν ἕκαστος ἔχει. διό φησιν „ ἡ γραφή· ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ τῷ κυρίῳ. ἤ„γουν τὴν ὑψηλὴν ἔννοιαν τοῦ πνεύματος μόνος „ ἔχει ὁ κύριος, καὶ δίδωσι τοῖς πατράσι. διό φη„σιν· ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια.

*Ex ſermone Cyrilli pro Dominica Privicarnii, ubi factam ab eccleſiæ Patribus ſacræ Scripturæ interpretationem cum amplecti demonſtratur.*

C O N T R A

II. CAPUT.

„ Sepoſitis naturalis Philoſophiæ ratio„cinationibus, ad tres fidei, quæ „ non ratione indigent, ſed auctoritate, „ veniamus. Harum quippe ſola fidem „ facit auctoritas: ut, verbi gratia, ho„minem a Deo eſſe formatum credimus: „ id vero non aliunde nobis, quam ex „ Moyſi teſtimonio compertum: cui, ut„pote ſancti Spiritus impulſione locuto, „ mendacium ſubrepere haud potuiſſe non „ dubitamus. Item & pertranſiturum ſci„mus eſſe mundum. Sed unde? niſi quia „ idipſum Evangeliſtæ docuere, demon„ſtravere doctores, & auctoritas ita per„ſuaſit fide digniſſima? Nam & ab Spi„ritu ſancto illuminati erant homines il„li, & (quo confirmamur maxime) per „ illos Deus eſt locutus. Propterea David „ Pſalmo LXXXVI. ait: *Dominus narra*„*bit in Scripturis populorum & principum* „ *horum qui fuerunt in ea*. Quippe eccle„ſiam Deus ſcripto docuit, utique per „ ſcripturas iſtas populorum, id eſt, do„ctorum, (quia multi ſunt) & princi„pum qui fuerunt in ea. Quinam porro „ ſunt iſti principes populorum? evange„liſtæ dubio procul & Prophetæ. Deni„que quidquid ab hujuſmodi populis ac „ principibus audieris, hoc totum ceu a „ Deo in illis loquente dictum, ac pro„inde fide digniſſimum, accipe. Ergo „ quæcumque ita audivimus, his fidem „ adhibere debemus.

D *Ex ſermone ejuſdem* a *de Pœnitentia divi Joannis Baptiſtæ.*

a Lege ex Græco, in Decollationem.

„ Quadruplici ex capite bona habemus „ quæ facere debeamus, nimirum ex na„tura, ex ſermone, ex traditione...... „ Quæ porro ex traditione, ea ſunt quæ „ nulla lege ſcripta præcepta ſunt, ſed a „ Patribus accepta. Quæ igitur a majori„bus acceperis, hæc obſerva, & bene „ operaberis.

*Ex homilia ejuſdem de Chriſti Nativitate.*

E „ Cæli nomine non modo cælum ipſum, „ ſed & ſcriptura ſacra, eo quod ſpiri„tum contineat ſub littera, deſignatur. „ Hujus nudam ſapientibus intelligen„tiam, cum ad eam nulla hominis per„tingere commentatio valeat, imperti„tus eſt Dominus. Propterea ſcriptura „ dicit: *Cælum cæli Domino*. Nimirum „ quia nudam ſpiritus intelligentiam ſo„lus habet Dominus, cujus & conſcios „ Patres effecit: juxta id quod in ſcriptu„ra loquitur: *Vobis datum eſt noſſe my*„*ſteria*, &c.



Ex

A

*Ex homilia ejuſdem pro Dominica tertia Jejunii.*

Eleganter tractans hoc quod dictum eſt: *De omni ligno quod eſt in paradiſo*, &c. poſt multa, ſic loquitur:

Tertio loco auctoritatem eccleſiæ adfero. Unde & tertia die Deus cum a terra ſeparavit aquas, ait: *Germinet terra herbam pabuli, ſeminans ſemen ſecundum genus & ſecundum ſimilitudinem; & lignum fructiferum faciens fructum*. Et quando paradiſum Deus ordinavit, plantavitque *omne lignum ſpecioſum ad aſpectum, & bonum ad eſcam*: tunc de omni quidem ligno ac ſtirpe extra paradiſi medium enatis comedere permiſit; ad illud autem quod in medio erat paradiſi, ne vel manum porrigere mandavit. Unde & monitum te voluit, quoſdam in eccleſia, quæ & paradiſus eſt, medios eſſe fructus, haudquaquam deguſtandos; indictas nimirum ab illa Quadrageſimas & abſtinentias, quas ſi violaveris, inobedientiæ culpam ſimul ac pœnam incurris.

C

*Ex ſermone Dominicæ nonæ, in Evangelium Matthæi, de ambulatione ſupra mare.*

Quemadmodum hic mare nemo trajicit abſque navigio, ita nec mundi vortices trajicere aut evadere quiſquam poteſt abſque navicula, quæ eſt eccleſia Dei. Multi quidem trajicere ſibi videntur, nimirum iniqui & hæretici; ſed quia intra eccleſiam non ſunt, falce meſſoria omnes ſuffocantur. Quando Deus fabricavit Arcam, quotquot intra illam reperti ſunt, evaſere; quotquot extra, periere. Porro eccleſia Dei ipſa eſt Arca, &c.

D

C O N T R A

III. CAPUT.

*Ex homilia in hæc Evangelii verba:* Fecit cœnam magnam.

Qua autem ratione vocat? In theſauris ſapientiæ Dei reperiuntur iſta; nimirum præſcientia, prædeſtinatio, vocatio, juſtificatio, glorificatio: quæ quidem ſi minus apud Deum ſit homo ſortitus, ut ſanctus, ut juſtus fuerit, ut quivis alius exſtiterit, ſalvari nullatenus poteſt. Quem vult Deus ſalvari, hunc cum divæ opitulatione gratiæ, tum & proprio labore, vult ſalutem obtinere. Quippe auxiliante Deo, homo, etſi malus, id aſſequi poteſt, quod ubi Deus præſciverit, ipſum prædeſtinet; nam, ut præſciverit Deus, & prædeſtinat; ac deinde ut prædeſtinaverit, vocat. Te igitur cum vocet, utique ſtrenue laborare te, ut juſtificeris & glorificeris, intendit. Porro opus hominibus, ex quo perdat illos, nuſquam

E

Ἐκ τῆς εἰς τὴν τρίτην κυριακὴν τῶν νηστειῶν ὁμιλίας αὐτοῦ.

Ἐπεξεργαζόμενος γὰρ τὸ ῥηθὲν τό· ἀπὸ παντὸς ξύλου τοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ· φησὶ μετὰ τὰ πολλά.

Τρίτον, τὴν ἐξουσίαν τῆς ἐκκλησίας. διατὶ ὁ Θεὸς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ὅταν ἐχώρισε τὸ ὕδωρ ἀπὸ τὴν ξηράν, εἶπε· Βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου, σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ξύλον κάρπιμον ποιοῦν καρπόν. καὶ ὅταν ἔκαμε τὸν παράδεισον μέσα ἐπρόσταξεν ὁ Θεός, καὶ ἔγινε πᾶν ξύλον ὡραῖον εἰς ὅρασιν, καὶ καλὸν εἰς γεῦσιν. ὅμως δὲν τὸν συμβουλεύει νὰ φάγῃ ἀπὸ τὰ ξύλα, καὶ τὰ δένδρα τὰ ἔξω τοῦ παραδείσου, μόνον ἀπὸ τὰ ἔσω· ὅτι ἐτύπου, ὅτι εἶναι μέσα εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἥτις ἐστὶ παράδεισος, ἤγουν ὅτι σε προστάσσει ἡ ἐκκλησία νὰ τρώγῃς, νὰ μὴ χαλᾷς τὰς τεσσαρακοστὰς τὰς νηστείας. οὕτω γὰρ ποιῶν παρακούεις, καὶ ἄξιος εἶ κολάσεως.

Ἐκ τοῦ εἰς τὸ περὶ τοῦ ἐν τῇ θαλάσσῃ περιπάτου, Ματθαίου. κυριακὴ ἐννάτη.

Καθὼς δὲν μπορεῖ τινὰς νὰ περάσῃ τὴν θάλασσαν χωρὶς καράβι· ἔτζη καὶ τὸν κόσμον τοῦτον, καὶ τὰ κύματα τοῦ δὲν μπορεῖς νὰ τὰ περάσῃς, καὶ νὰ τὰ γλιτώσῃς χωρὶς καράβι. ὅπου εἶναι ἡ ἐκκλησία τοῦ Χριστοῦ. πασχίζουν πολλοὶ νὰ περάσουν, σὰν εἶναι οἱ ἀσεβεῖς καὶ ἄπαντες οἱ αἱρετικοί, ὅπου δὲν εἶναι μέσα εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἀμὴ ὅλοι πνίγονται· ὅταν ἔκαμεν ὁ Θεὸς τὴν κιβωτόν, ὅσοι ἦσαν μέσα, ἐγλύτωσαν· ὅσοι ἦσαν ἔξω, ἐχάθησαν· ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ εἶναι ἡ κιβωτὸς αὕτη.

ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΤΡΙΤΟΥ ΚΕΦΑΛΑΙΟΥ.

Ἐκ τῆς εἰς τό· ἐποίησε δεῖπνον μέγαν· ὁμιλίας.

Πῶς δὲ καλεῖ; ἔσω τοῦ θησαυροῦ τῆς σοφίας τοῦ Θεοῦ εὑρίσκονται ταῦτα. πρόγνωσις, προορισμός, κλῆσις, δικαίωσις, δόξα. καὶ οὐδεὶς δύναται σωθῆναι, εἰ μὴ δὲν λάβῃ διὰ τούτων παρὰ Θεῷ, κἂν ἅγιος ἢ δίκαιος, ἢ ὅτι ἂν καὶ εἴη. ἵνα ὅπου θέλει νὰ σωθῇ, θέλει νὰ ἔχῃ καὶ ἀπὸ τὸν Θεὸν χάριν, καὶ ἀπὸ τοῦ λόγου του. ὅτι δύναται ἀπὸ τὸν Θεὸν ἔχει, ὅτι προγινώσκει ἵνα προορίσῃ, εἰ καὶ κακοί, ὅταν προγνώσει, προορίζει. ὅταν προορίσει, καλῇ. καὶ ἐπειδὴ σε καλεῖ, θέλει καὶ σὺ νὰ κάμῃς ἀπὸ λόγου σου τὸ δύναμαι, ἵνα δικαιωθῇς καὶ δοξασθῇς. ὁ Θεὸς ποτὲ κανένα δὲν προορίζει εἰς κόλασιν, ὅτι θέλει πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. προορίζει δὲ τοὺς καλοὺς εἰς τὴν





A

βασιλείαν. ὅτι προέγνω αὐτοὺς μέλλειν σώζεσθαι. τοὺς δὲ πονηρούς, ἀφ' οὗ προέγνω μέλλειν ἔσεσθαι πονηρούς, προορίζει, ἵνα καλέσῃ· πρότερα γὰρ ἐνέργεια ὁ προορισμὸς τῆς κλήσεως· καλεῖ δὲ αὐτούς, εἰ μόνον βουληθεῖεν μετανοῆσαι. δύνανται γὰρ ἔχοντες τὴν ἐξουσίαν ἐλευθέραν. καλεῖ τοιγαροῦν ὁ Θεός, ἀλλὰ καταφρονοῦσιν οἱ ἄνθρωποι τὴν τοιαύτην κλῆσιν· ὡς οὗτοι σήμερον οὓς καλεῖ εἰς ἀνάπαυσιν, εἰς χαρὰν καὶ δεῖπνον, καὶ δὲν πείθονται.

Ἐκ τῆς μετὰ τὴν ὕψωσιν ὁμιλίας.

B

Πᾶν ὃ κτίζει ἡ ἄκρα ἀγαθότης, οὐ μόνον ἀγαθὸν κτίζει, ἀλλὰ καὶ βούλεται καὶ ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν [a] τείνει· εἰδ' ἄλλως, ἐλάττωμα εἴη καὶ τοῦ κτίζοντος, καὶ τοῦ κτιζομένου. ἐπεὶ δὲ καὶ τὸν ἄνθρωπον καλόν, πάντως βούλεται, ἵν' ὁ σκοπὸς αὐτοῦ ἐπὶ τὸ καλόν. καὶ διατὶ βούλεται εὐλογεῖσθαι παρ' ἡμῶν, ὡς θέλων ἡμῖν τὸ καλόν, καὶ διὰ τοῦτο πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι. φερόμενον δὲ τὸν ἄνθρωπον ἐναντίως ὁρῶμεν, τοῦ Θεοῦ λέγοντος Γεν. η΄. ἔγκειται ἡ διάνοια τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐκ νεότητος. τὸ παρὰ φύσιν ὡς φυσικὸν λογιζόμενος. ἐπειδ' ἔγκειται ἐπὶ τὰ πονηρά, τοῦτο δὲ οὐκ ἔχει παρὰ Θεοῦ· ὁ γὰρ Θεός, ὡς εἴρηται, ἄκρος ἀγαθός, ἄρα ἐκ παραβάσεως καὶ ἁμαρτίας αὐτῷ γίνεται.

a Pro, τείνει.

C

Καὶ μετ' ὀλίγα.

Ὁ γὰρ Θεὸς δῆλον ὅτι πλάστης ἐστὶ τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ὀλετήρ· τὸ γὰρ πλάττει καὶ ἀπόλλυσι ἐναντία· ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις ἐφαρμόζει, ὡς φύσεως νόμοις ὑποκειμένοις, καὶ κατὰ τὴν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν ἣν ἔχουσι, δεδεμένοις, ἀλλ' οὐ Θεῷ.

D

Λέξις.

Ἐγώ σοι τοὐναντίον. ἀποδείξω. ἡ γὰρ γραφὴ λέγει· ἐγὼ ἀποκτενῶ καὶ ζῆν ποιήσω, πατάξω καὶ πάλιν ἰάσομαι. ταῦτα δὲ ἐναντία, τὰ ἄρα ἐναντία παρὰ τῷ Θεῷ.

Ἀπόκρισις.

E

Τὸ ἐναντίον διχῶς, προαιρέσεως ἤτοι διαθέσεως, καὶ πράξεως. τὸ τῆς πράξεως μόνον οὐδὲν κωλύει, οὔτε ἐλάττωμα προξενεῖ. ὁ γὰρ ἀνακαινῶσαι βουλόμενος, οἶκον πρότερον καταβάλλει, ἔπειτα οἰκοδομεῖ· ταῦτα δ' ἐναντία πλὴν πράξεως, καὶ ἐλαττώσεως ἄνευ· τοῦτο ἐπὶ Θεοῦ δι' οἰκοδομήν. τὰ δὲ τῆς διαθέσεως, ὅπερ ἐστί, σήμερον ἓν διανοεῖν ἢ βούλεσθαι, καὶ ἕτερον αὔριον, τοῦτο ἐλάττωμα, ὅμως ἐπὶ Θεοῦ οὐκ ἔστιν. εἰ γὰρ ἀποκτενεῖ καὶ ζωογονεῖ, οὐκ ὅτι βούλεται τὸν θάνατον, ὃν οὐκ ἐποίησε.

A

Deus præfinit, qui *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Prædeſtinat autem bonos ad regnum, quia eos præſcivit ad ſalutis portum perventuros. Malos vero, ex quo futuros præſcivit malos, prædeſtinat ad vocationem, (prima enim divinæ bonitatis operatio, prædefinitio vocationis eſt) eo ut pœnitentiam amplecti velint; quod equidem, liberi cum ſint arbitrii, procul dubio poſſunt. Vocat igitur Deus, ſed talem negligunt homines vocationem: quemadmodum & iſti quos ad quietem, ad gaudium, ad cœnam hodie vocat, venire contempſerunt.

B

*Ex homilia poſt Aſcenſionem.*

Quidquid ſumma bonitas creat, non modo bonum creat, ſed & ipſum quoque vult ad bonum intendere: ſin minus, creaturæ nedum defectus hic eſſet, ſed & creatoris. Unde unicum hominis ſcopum vult eſſe bonum; quem utique bonum creavit. Ac ſubinde id nobis boni procurat, ut laudari a nobis velit, quo æternam univerſum genus hominum ſalutem conſequatur. Nihilominus hominem videmus alio propenſum, & contra renitentem, dicente Deo, Gen. VIII. *Permanet mens hominis ſuper mala a juventute ſua*. Quippe hoc ſibi naturale ducit homo, quod natura neſcit humana: cum nuſquam a Deo, qui (uti diximus) ſumme bonus eſt, ſed ex tranſgreſſione & peccato, hanc nactus ſit ad mala propenſionem.

C

*Et paulo infra.*

Manifeſtum enim eſt, Deum eſſe conditorem hominis, non perditorem: invicem quippe pugnant, condere & perdere; & contraria quidem competere Deo nullatenus poſſunt: quemadmodum angelis & hominibus, utpote qui naturæ legibus ſubſunt, eiſque penes liberam, qua gaudent, facultatem adſtringuntur.

D

*Dices.*

Ego vero eſſe in Deo contraria, tibi probo. In ſcriptura enim dicit ipſe: *Ego occidam & vivere faciam, percutiam & poſtea ſanabo*. Hæc porro contraria ſunt: in Deo igitur ſunt contraria.

*Reſponſio.*

E

Contrarium duplex eſt: alterum electionis, ſive diſpoſitionis; alterum actionis. Porro defectum in Deum contrarietas actionum nullum inducit. Quiſquis enim ſtatuit renovare domum, prius quidem ædificium demolitur, ac deinde ædificat: hæc autem contraria ſunt quantum ad actiones; verumtamen abſque defectu: unde & Deum ab hujuſmodi contrariis non eſſe alienum, ipſa eccleſiæ ædificatio demonſtrat. Secundum diſpoſitionem vero habere contraria, uti cum quis reprobat quod

pri-

ANNO CHRISTI 1672.

pridie probaverat, defectum utique arguit, ac proinde competere Deo nequaquam poteſt. Quamobrem etſi occidit, ac deinde vivificat, non utique quod mortem velit, qui mortem non fecit: abſit enim ut perire hominem Deus velit, quem ipſe plaſmavit. Quod autem mori videmus hominem, numquid invitus hanc operis ſui ruinam Deus ſuſtinet? abſit. Quin immo, niſi ex optimo Dei conſilio, nullus occumbit.

*Et poſt pauca.*

Audire cupis, quidnam ſit crucem tollere? paucis accipe: odiiſſe malum, & Deum diligere, Pſalmo xcvi. *Qui diligitis Deum, odite malum.* Malum quippe reperitur in mundo, non quidem a Deo creatore, ſed ex perverſo hominum uſu introductum.

*Ex homilia in hæc evangelii verba*: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.

Quæcumque diabolo obſequens feciſti, maxima etiam omnium ſuavitate ac voluptate condita, hæc meditare, hæc cogita: Quid inde profeciſti, quid lucratus es? umbram, tenebras. Quæ ardebat in te, miſer, lampadem extinxiſti. Quippe ut peccatum in ſe nemo non habeat: (etenim *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*:) attamen divina nobiſcum diſpenſatione ſic actum eſt, ut boni nonnihil nemo noſtrum non fuerit ſortitus: præſtantius vero poſſidere nihil poſſumus, quam ut lampadem ardentem, dilatatamque cum ad credendum, tum ad ineundam pro delictis noſtris pœnitentiam, mentem habeamus. Porro ſi quod in nobis eſt bonum, ſponte extinxerimus, quantum nobis inde ſuccedit malum? Si cum fæce ſimul vinum in vas infundatur, in fæces aut vinum convertatur, fæces inde generantur multo lutulentiores; ita, ſi quod habet homo bonum, convertatur in tenebras, totus ipſe tenebreſcit, & tota fidei lucerna in illo extinguitur. Atque hoc ipſum Jacobus indicavit dicens: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Oleum ni infuderis, lampas extinguitur: ita fides ſine operibus occidit.

*Ex homilia in Chananæam.*

Animæ peccatricis typum gerit hæc mulier, cui quidem non reſpondit Chriſtus, quamdiu proprii ſpecimen boni nullum patefecit; quia ſalutem abſque operibus bonis conſequi nemo peccator ſperare poteſt. At ubi Chriſto humiliter illa dixit: *Adjuva me*; ſtatim ab illo reſponſum accepit: quippe adjuvari dicitur, qui aliquo præditus eſt bono, & pro novo deprecatur. Ideo igitur tunc illi Chriſtus reſpondit.

*Ex homilia in hæc evangelii verba*: Serve nequam.

Mutationem in Deo ſi deprehendimus, aliam potius quam diſpoſitionis æſtimemus: hæc enim ex varietate oritur paſſionum, quarum quidem apud Deum ne vel minimam reperias, uti docet Thomas lib. I. contra Gent. cap.

ποιητὴς γὰρ καὶ πλάστης ἐστὶ, μὴ γένοιτο δὲ τοῦ ἰδίου πλάσματος τὴν ἀπολείαν ᵃ βούλεται. ὁρῶμεν δὲ τὸν ἄνθρωπον θανάτῳ κατυποβάλλεσθαι. ἄρα βιάζεται ὁ Θεὸς ἀναιτίως ἐπὶ τὴν τοιαύτην φθοράν; μὴ γένοιτο· ἡ γὰρ βουλὴ τοῦ Θεοῦ καλὴ πάντοτε ἦν.

ANNO CHRISTI 1672. a ſive, ἐθέλει.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

Θέλεις ἐν ὀλίγοις ἀκοῦσαι τί ἐστιν ἆραι τὸν σταυρόν; νὰ μισῇς τὰ πονηρὰ, καὶ νὰ ἀγαπᾷς τὸν Θεὸν, ψαλμ. λϛ'. οἱ ἀγαπῶντες τὸν κύριον, μισεῖτε πονηρά. ὅτι γὰρ ἐν τῷ κόσμῳ τοῦτο πονηρόν ἐστιν, οὐχ ὅτι πονηρὸν παρὰ τοῦ κτίστου, ἀλλ' ὅτι ἡ χρῆσις ἡ ἡμετέρα.

Εκ τῆς εἰς τό. ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός.

Οσα γὰρ ποιεῖς εἰς ὑπηρεσίαν τῷ διαβόλῳ, γλύκια καὶ εὐφραίνουσι, ταῦτα μελέτα καὶ φρόντιζε, τί ἐκατόρθωσας; τί ἐκέρδησας; σκίαν, σκότος. ἔσβεσας, ταλαίπωρε, τὸν ἐν σοὶ λύχνον. οὐδείς ἐστιν ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἔχει ἐν ἑαυτῷ. ἐὰν γὰρ εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, ἑαυτοὺς πλανῶμεν, καὶ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. ἀλλὰ ᾠκονόμησεν ὁ Θεὸς, καὶ ἕκαστον ἡμῶν ἔχειν τι ἀγαθὸν, καὶ οὐδὲν κρεῖττον ὡς τὸ ἔχειν τὸν λύχνον ἡμῶν καιόμενον, καὶ τὸν νοῦν ἀνεῳγμένον εἰς τὸ πιστεύειν καὶ μετανοεῖν ἐπὶ τοῖς ἐσφαλμένοις. εἰ δὲ τὸ ἐν ἡμῖν ἀγαθὸν ἐσβέσθη ἑκουσίως ἀφ' ἡμῶν, τὸ ἐναπομένει κακὸν πόσον; ἂν εἰς βουτζὴ κρασὶ εἶναι, καὶ λάσπη, καὶ κρατὶ, τὸ δὲ κρασὶ ἐτράπη εἰς λάσπην, πόση λάσπη εἶναι· οὕτως ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ καλοῦ τραπέντος εἰς σκότος, ὅλος ἔγινε σκότος, ὅλος σβεννύεται ὁ τῆς πίστεως λύχνος. τοῦτο ἦν ὃν ἔλεγεν ὁ Ἰάκωβος, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά. οὐκ ἔθηκας ἐν τῷ λύχνῳ; τὸ φῶς ἀπῴχετο. οὐκ ἐργάτῃ πίστει; ἐνεκρώθη.

Εκ τῆς εἰς τὴν Χαναναίαν ὁμιλίας.

Η γυνὴ αὕτη σημαδεύει τὴν ἁμαρτωλὴν ψυχήν· οὐκ ἀποκρίνεται αὐτῇ, ὅταν οὐδὲν καλὸν ἔχει ἐξ αὐτῆς· ὅτι μηδεὶς ἁμαρτωλὸς ἐλπιζέτω ἄνευ καλοῦ τινὸς ἔργου σωθῆναι. διὸ κατώπερον ὅταν εἶπε, Βοήθει μοι, τότε ἀπεκρίθη· ὅτι βοηθεῖσθαι λέγεται, ὁ ἔχων τι ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ ἐφ' ᾧ ἔχει δεῖται καὶ περισσότερον. διὸ τότε ἀπεκρίθη.

Εκ τῆς εἰς τό· δοῦλε πονηρέ· ὁμιλίας.

Εἰ μεταβολὴν ἐσκέπτουσαν ἐν τῷ Θεῷ, τὴν τῆς διαθέσεως μᾶλλον ἢ ἑτέραν. ἥτις ἐκ πάθους ὡς ἐξ αἰτίας γίνεται· ἐν δὲ τῷ Θεῷ πάθη οὐκ εἰσὶν, ὡς καὶ Θωμᾶς κα-



ANNO CHRISTI 1672.

τὰ ἐθνῶν βιβλίῳ πρώτῳ κεφ. λ'. ἐκεῖνο δὲ ὅσοι δοκεῖ εἶναι μεταβολὴν, τὸ διάφορόν ἐστι τῶν ἀποτελεσμάτων, τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν τῶν ἐν τῷ Θεῷ. οὐδ' ὁπωσοῦν τοιγαροῦν ὁ Θεὸς δεκτικὸς μεταβολῆς. διὰ τοῦτο οὔτε ὅλως πρόφασιν ἔχει οὗτος κατὰ τοῦ Θεοῦ λέγεται· ἀφῆκας, καὶ πάλιν αἰτεῖς· ἀλλὰ μᾶλλον ἀκούει· σὺ αἴτιός μοι, ἄλλως μὲν ἄρξασθαι μετὰ σοῦ, ἄλλως δὲ ποιῆσαι, δοῦλε πονηρὲ, ὁ ᵃ δεδουλωμένος προαιρέσει ἰδίᾳ.

a Pro, δεδουλωμένος.

# ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΟΓΔΟΟΥ ΚΑΙ ᵇ ΕΚΤΟΥ ΚΕΦΑΛΑΙΟΥ.

b Pro ΔΕΚΑΤΟΥ.

Περὶ τῆς τῶν ἁγίων πρεσβείας.

Εκ τῆς εἰς τὴν κοίμησιν τῆς Θεοτόκου ὁμιλίας.

Ομοιόν τι θεωροῦμεν τὴν σήμερον, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς συκώνεται ἀπὸ τὸν θρόνον του, ὅπου καθίζεται ἐκ δεξιῶν τῆς μεγαλοσύνης τοῦ πατρὸς, εὐγαίνει καὶ περνᾷ ὅλους τοὺς οὐρανοὺς, διὰ νὰ προϋπαντήσῃ τὸ μέγα πρόσωπον ἐκεῖνο τὴν μεγάλην βασίλισσαν, τὴν μεγάλην σουλτάναν τὴν παναγίαν κυρίαν, τὴν κυρίαν μας, τὴν ἰδίαν του μητέρα. διὰ τοῦτο καὶ αἱ ἀκολουθοῦσαι αὐτῷ οὐράνιαι δυνάμεις, ἐρωτῶσι καθὼς λέγει ὁ σοφὸς Σολομών, εἰς τὸ ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων κεφ. η'. τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα ἀπὸ ἐρήμου λελευκανθισμένη, καὶ στηριζομένη ἐπὶ τὸν ἀδελφιδὸν αὐτῆς; τοῦτ' ἔστι· ποία εἶναι τούτη ὁποῦ ἀναβαίνει ἀπὸ τὸν ὁρατὸν κόσμον, τόσον ὡραῖα, καὶ εὔμορφη, ἔχουσα τόσην ἐξουσίαν εἰς τὸν βασιλέα μας, ὁποῦ τὴς ὁμοιάζει ὡσὰν νὰ ἦτον ἀδελφίδας; καὶ ταῦτα τοῦτοι λέγοντες, καὶ ἐρωτῶντες, καὶ τὸν βασιλέα καὶ τὴν βασίλισσαν προσκυνοῦσι.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

Τέλος λοιπὸν εἶναι ὁ Θεὸς εἰς τὸν ὁποῖον ὁποῖος σκοπεύει σὰν πρέπει ἐκεῖνος εἶναι τέλειος· διὰ τοῦτο ὅλους τοὺς ἁγίους καὶ δικαίους, τοὺς καλῶς πολιτευθέντας ἐν τῷ κόσμῳ, λέγομεν τελείους· καὶ περισσότερον ἀπὸ ὅλους λέγομεν τὴν παναγίαν μας, ἡ ὁποία ὁλοντελῶς τὸν σκοπὸν καὶ ὅλην τὴν ἔννοιαν εἶχεν εἰς τὸ ἄκρον ἀγαθὸν, εἰς τὸν Θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος, Ρ, ϛ'. ἡ παναγία παρθένος ἁμαρτίας δὲν εἶχεν, οὔτε ἐγνώρισε. τριχῶς ἁμαρτάνει ὁ ἄνθρωπος. τῇ διανοίᾳ, ἄφθορος καὶ ἀμίαντος· τὰ γὰρ τοῦ Θεοῦ ἐθεώρει. τῷ ἔργῳ, λαμπροτέρα ἡλίου, καὶ καθαρωτέρα· μάλιστα καθὼς ἐν τῇ κιβωτῷ ἐσώθη ἡ φύσις ἡ ἀνθρωπίνη, οὕτως ὅς ἐπὶ τῇ παναγίᾳ ἐσκόπει, ἐσώζετο ἐκ τῶν

xc. Quidquid igitur præ ſe fert in Deo mutationis argumentum, hoc moralium, quæ ſunt in Deo, virtutum diverſitatem ſolum arguit, juxta ac perfectionum: nulla itaque apud Deum mutatio eſt, aut viciſſitudinis adumbratio. Atque ineptus propterea ſervi hujuſce nequam obtentus, Deum repetere quod dimiſerat expoſtulantis. Immo vero increpantem audiat: quod non ut alias modo tecum ago, ipſe in cauſa es, ſerve nequam, qui tuo dumtaxat arbitrio deſerviſti.

ANNO CHRISTI 1672.

# CONTRA CAPUT XVIII.

*De cultu Sanctorum.*

*Ex homilia in dormitionem Virginis Deiparæ.*

Simile quid hodie videmus; nam & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, thronum, in quo ſedet a dextris paternæ majeſtatis, deſerens, cælos trajicit omnes, ut illuſtriſſimæ hujuſmodi perſonæ, Reginæ potentiſſimæ, Dominæ ac imperatrici auguſtiſſimæ, necnon & ſanctiſſimæ, Matri nimirum ſuæ occurrat. Propterea cæleſtes, quæ comitantur illi, virtutes interrogant: uti apud Salomonem viii. Cantici Canticorum capite: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto dealbata, innitens ſuper fratrem?* hoc eſt; Quæ eſt iſta quæ hocce viſibili aſcendit e mundo, ita elegans ac formoſa, & ea ipſum apud Regem gratia pollens, qua ſoror apud fratrem? In hac autem interrogatione Regem & Reginam adorant.

*Et paulo poſt.*

Ad extremum Deus finis eſt; & perfectus eſſe debet, quiſquis ad eum collineat. Unde & ſanctos omnes ac juſtos, eos namque quos laudabilis in hoc mundo converſatio commendat, perfectos vocamus: ſed omnium longe ſanctiſſimam Virginem Deiparam prædicamus, quæ nullam non cogitationem ſuam in Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, utpote ſummum bonum, tamquam in ſcopum ſine intermiſſione direxit.

*Et interjectis paucis.*

Stipendia *enim peccati, mors*, Rom. vi. Peccatum ſanctiſſima Virgo nec habuit, nec novit. Tribus quippe modis homo peccat, *nimirum cogitatione, opere, ſermone.* Porro cogitatione nuſquam peccavit, quæ incorruptam atque impollutam undequaque mentem, utpote rerum divinarum jugi contemplatione detentam, conſervavit. Opere non peccavit, quæ ſole ſplendidior ac purior fuit; quippe ſicut a cataclyſmo ſervata eſt per Arcam humana natura; ita qui ſanctiſſimam inſpiceret Deiparam, ab flu-

ANNO CHRISTI 1672.

,, fluctibus paſſionum liber evadebat. De- A
,, nique verbo nunquam offendit.

*Et paulo infra.*

,, Nullam e contagione peccati mortis ,, ſuæ cauſam habuit Virgo ſanctiſſima, ,, ſed ex ipſis dumtaxat naturæ principiis, ,, quibus vel ante peccatum homo conſta- ,, bat; morti quippe ſuapte natura obno- ,, xius erat ille, quamvis optima. Id ve- ,, ro beneficii Deus illi contulit, ut in eo ,, nequaquam operante natura, ſed gra- ,, tia, immortalitatem ſibi conciliaret. ,, Hoc ipſum & ſanctiſſimæ Deiparæ con- B ,, tigit, quæ etſi bonis affluebat, ac pec- ,, catum neſciebat vel minimum, eadem ,, illa, quæ morti addicunt hominem, ,, naturæ elementa geſtabat, ac pariter ,, ſubinde mortalis erat. Verum eam a ,, Deo gratiam obtinuit, ut mortem, ſi ,, ita voluiſſet, nunquam obiret, ſed cæ- ,, lo etiamnum vitæ compos inferretur; ,, hacce tamen uti prærogativa noluit.

*Et interjectis paucis.*

,, Quidnam eſt magnum illud ſignum ,, quod apparuit in cælo, ubi & Deus C ,, habitat, & cæleſtes virtutes aſſiſtunt? ,, Ipſa procul dubio eſt Virgo ſanctiſſima, ,, quæ magnum in terra ſignum cum ex- ,, ſtiterit, eo quod Deum in carne ge- ,, nuit, & poſt partum integerrima virgo ,, permanſit; recte jam & ſignum eſſe di- ,, citur in cælo, eo quod ipſa cum cor- ,, pore aſſumpta eſt in cælum. Et quam- ,, vis concluſum ſepulcro fuerit immacula- ,, tum corporis ejus tabernaculum; in cæ- ,, lum tamen, uti Chriſtus fuerat aſſum- ,, ptus, tertio & ipſa die rediviva migra- ,, vit. Quam ob rem? quia & cæleſtes ,, in virtutes jure pollet ampliſſimo. Idem ,, vero ſignum, eo quod lunam ſub pedi- D ,, bus habeat, eccleſiæ quæ in hoc mun- ,, do eſt, typum eſſe, nemo neſcit; quæ ,, ſuum utique ab ſole lumen mutuatur: ,, & ſtellis duodecim, id eſt, duodecim ,, Apoſtolis coronatur. Præſtantius autem ,, aliquid innuitur, quod ſole amicta ,, exhibetur; hinc enim nihil ab ea di- ,, ſtare Deum, utpote qui ſuis eam ul- ,, nis ſuſtentet, manifeſte demonſtratur.

*Et in fine.*

,, Ita & nos facere debemus, liberum ut E ,, vitæ exitum ſortiamur: maxime vero, ,, ut quod nobis opus ſit, agnoſcamus, ,, quo magnam pertinendi ad cælum fidu- ,, ciam conſequamur. Quippe noſtis ac- ,, ceſſum ad regiam eos habere, & quid- ,, quid optaverint obtinere, quos Regina ,, ſuſceperit. Et nos utique quodcunque ,, volumus, obtinemus, ſanctiſſimam Dei- ,, param habentes auxiliatricem, media- ,, tricem & patronam apud Regem, quem ,, illa pro nobis ... dicens id ,, quod in Canticis legimus: Qui ſedes in

,, κυμάτων τῶν παθῶν, τῷ λόγῳ καὶ τῷ λόγῳ A
,, ἀναμάρτητος.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

,, Ἡ παναγία παρθένος ὁποῦ ἐκοιμήθη, ἡ αἰ- ,, τία τῆς κοιμήσεώς της, δὲν ἦτον ἐξ ἁμαρτίας, ,, μόνον ἀπὸ ταῖς ἄλλαις αἰτίαις ταῖς φυσικαῖς, ,, ταῖς ὁποίαις καθὼς ὁ ἄνθρωπος ταῖς εἶχε καὶ ,, πρὶν ἁμάρτη, καὶ ἦτον ὑποκείμενος τῇ φθο- ,, ρᾷ φυσικὰ, ἂν καλὰ, καὶ ὁ Θεὸς τὸν εἶχε χά- ,, ριν δοσμένην νὰ μὴν ἐνεργῇ εἰς ἐκεῖνον ἡ φύ- ,, σις, μόνον ἡ χάρις, καὶ δὲν ἐμπόρει νὰ ἀπο- B ,, θάνῃ. οὕτω καὶ εἰς τὴν παναγίαν, ἥτις ἂν κα- ,, λὰ καὶ ἁμαρτίαν δὲν εἶχε, πλὴν εἶχεν ἐν ἑ- ,, αυτῇ τὰ φυσικὰ, καὶ ὡς ἄνθρωπος ὑπέκειτο ,, τῷ θανάτῳ· ὅμως εἶχεν ἀπὸ τὸν Θεὸν τοιαύ- ,, την χάριν, ὁποῦ ἂν εἶχε θέλῃ δὲν ἀπόθνε, ,, μόνον ἔτζη ζῶντα ἐπήγαινεν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, πλὴν ,, οὐκ ἐβούλετο.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

,, Τί θαῦμα εἶναι ἐκεῖνο ὁποῦ νὰ φαίνε- C ,, ται διὰ μεγάλον σημεῖον εἰς τὸν οὐρανὸν, ,, ὁποῦ κατοικεῖ ὁ Θεὸς, ἐκεῖ ὁποῦ παραστέκον- ,, ται αἱ ἅγιαι δυνάμεις; ἄλλον δὲν εἶναι παρὰ ,, ἡ παναγία ὁποῦ ἦτον μεγάλον σημεῖον εἰς ,, τὴν γῆν, ἐπειδὴ ἐγέννησε Θεὸν ἐνανθρωπή- ,, σαντα, καὶ γεννήσασα, ἔμεινεν ἄφθορος καὶ παρ- ,, θένος, καὶ ἔτζη λέγεται σημεῖον ἐν τῷ οὐρα- ,, νῷ. διατὶ μὲ τὸ σῶμα ἀνέβη εἰς τὸν οὐρανὸν, ,, καὶ ἂν καλὰ καὶ ἐμπῆκεν εἰς τὸ μνημεῖον τὸ ἀ- ,, χραντόντης ἐκεῖνο σκῆνος, πλὴν εἰς τρεῖς ἡ- ,, μέρας μετεστάθη εἰς οὐρανοὺς μετὰ σώματος, κα- ,, τὰ καὶ ὁ Χριστὸς ἀνελήφθη. διατί; ὅτι με- D ,, γάλην ἐξουσίαν καὶ ἐπ' αὐταῖς ἔχει ταῖς δυνά- ,, μεσι. σημεῖον, διατὶ ἔχει τὴν σελήνην ὑπὸ ,, πόδας, ἤγουν τῆς ἐκκλησίας ἐν ἐπιλανθάνε- ,, ται τῆς ἐν τῷ κόσμῳ, ἥτις τὸ φῶς ἐκ τοῦ ἡ- ,, λίου ἔχει. σημεῖον διατὶ ἔχει τοὺς δώδεκα ἀ- ,, στέρας στέφανον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς; τοὺς δώδεκα ,, ἀποστόλους. τὸ μεῖζον, ὅτι περιβέβληται τὸν ,, ἥλιον, διὰ νὰ σοῦ σημαδεύτῃ, ὅτι δὲν χωρεῖ ,, ἀναμέσον ἐκείνης καὶ τοῦ Θεοῦ οὐδὲν, ὅτι ὁ Θεὸς ,, τὴν ἔχει εἰς τὰς ἀγκάλας.

Καὶ ἐν τῷ πλ...

,, Οὕτω δεῖ καὶ ἡμᾶς ποιεῖν, ἵνα τύχωμεν E ,, ἀπαλλαγῆς· μάλιστα ὁποῦ γνωρίζομεν, πῶς ,, ἔχωμεν νὰ ἀποκτήσωμεν παῤῥησίαν μεγάλην εἰς ,, τὸν οὐρανὸν, ὅτι οἴδατε, καὶ ὁποῖος ἔχει ,, ἀρχὰ τὴν σύλληψιν, εἰς τὴν βασιλείαν ἔ- ,, χει παῤῥησίαν καὶ κάμνει ὅτι θέλει. οἴδα- ,, ὅτι θέλομεν κάμνομεν καὶ ἡμεῖς ἔχοντες μεσί- ,, τριαν, τὴν παναγίαν βοηθὸν καὶ παράκλη- ,, σιν παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἥτις πρὸς αὐτὸν ὑ- ,, πὲρ ἡμῶν παρεσβεύουσα, λέγει ᾆσμα. ,, ὁ κα-



ANNO CHRISTI 1672.

,, ὁ καθήμενος ἐν κήποις ἀκούτισόν μοι, κεφ. ή. A ,, σὺ δὲ ἐν τοῖς φωτεινοῖς καὶ χλωροῖς τόποις κά- ,, θεσαι μετὰ τῶν ἁγίων πάντων, ἐπάκουσον καὶ ,, συγχώρησον τούτοις προσερχομένοις, καὶ ἀξίω- ,, σον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.

Ἐκ τοῦ εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν Θεο- λόγον ἐγκωμίου.

,, Οὕτως ἐδόξασεν αὐτὸν ὁ Χριστὸς, καὶ μετέ- ,, στησεν εἰς οὐρανοὺς, ὁποῦ δέεται τοῦ κυρίου, διὰ ,, τὸ γένος τὸ ἡμέτερον, ὅπως ἀξιώσῃ ἡμᾶς πάν- ,, τας εἰσελθεῖν ἐκεῖ ὁποῦ εἶναι ἐκεῖνος.

Ἐκ τοῦ εἰς τό. κύριε ἐλέησόν μου τὸν υἱὸν, ὅτι σεληνιάζεται.

,, Ὧδε καὶ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔχουσιν οἱ ἅγιοι ἄγ- ,, γελοι ἀναφέρειν δυνάμεθα, καὶ διὰ τὴν φύ- ,, λαξιν τὴν ἡμετέραν.

Ἐκ τοῦ εἰς τὰ ἅγια Θεοφάνια λόγου αὐτοῦ.

,, Ἐπεργαζόμενος γὰρ ποσαχῶς ὁ κόσμος, καὶ ,, λέγων δεύτερον κόσμον τοὺς ἀγγέλους, καὶ συμ- C ,, περαίνων, ὅτι πάντα διὰ τὸν ἄνθρωπον φησί. ,, Δι' αὐτὸν ὁ δεύτερος διὰ τὴν διακονίαν. ἀ- ,, δύνατον γὰρ ἂν εἴη προσαγωγὴν ἡμᾶς ἔχειν, ,, εἰ μὴ δι' αὐτῆς, ὡς ὁ Ἰσραὴλ τῷ Μωϋσῇ, καὶ ,, οὐκ ἐδύνατο λαλῆσαι, εἰ μὴ διὰ Μωσέως· οὕ- ,, τως ἡμεῖς οὐ δυνάμεθα, εἰ μὴ δι' ἀγγέλων, καὶ ,, ἐν ταῖς δεήσεσι καὶ προσευχαῖς.

Ἐκ τοῦ εἰς τό· τί ποιήσει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελοῦ τοῖς γεωργοῖς.

,, Πρῶτον φραγμὸν οὕτω καὶ ὁ Θεὸς, Βασίλειος, D ,, τὰς ἀνθρωπίνας ψυχὰς ἀμπελῶνα λέγει ὁ ,, Χριστὸς τὸν φραγμὸν περιέθηκεν τὴν ἐκ τῶν ,, προσταγμάτων ἀσφάλειαν, καὶ τὴν φυλακὴν ,, τῶν ἀγγέλων· παρεμβαλεῖ γὰρ ἄγγελος κυ- ,, ρίου.

KATA TOY ΔEKATOY KEΦAΛAIOY.

Ἐκ τῆς εἰς τὸν τελώνην καὶ Φαρισαῖον ὁμιλίας, ἐξ ἧς συνάγεται, ὅτι τῆς ἐκκλησίας προΐσταται ὁ ἀρχιερεὺς, καὶ οὐχ οἱ ἱερεῖς.

,, ΕΝ τῷ παραδείσῳ ἣν ἄκρα εὐδαιμονία, E ,, πῶς λέγει ἐργάζεσθαι καὶ φυλάσσειν ἡ γρα- ,, φή; διὰ ταύτας τὰς αἰτίας· ὅτι καθὼς ἔ- ,, θετο τὸν Ἀδὰμ ἐκεῖ ἐργάζεσθαι καὶ φυλάσ- ,, σειν, οὕτως ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶ ,, παράδεισος, τίθησι τὸν ἀρχιερέα καὶ τὴν ἐρ- ,, γάζεται τῷ θείῳ κηρύγματι, καὶ φυλάσσει ,, τὰς ψυχὰς τῶν χριστιανῶν. ὁρᾷς ἕνα παράδει- ,, σον, ἕνα περιβόλαιον περιφραγμένον, ἔχον ,, δένδρα εὔκαρπα, καὶ δύσκαρπα, καὶ ἄκαρ- ,, πα, καὶ ἔσωθεν ὁ περιβολάρης. καὶ ἐκ τῶν

,, hortis, vocem tuam inſinua mihi. Qui ,, lumine perfuſis ac virentibus in locis ,, una cum ſanctis omnibus commoraris, ,, exaudi, & indulgentiam ſupplicantibus ,, impende, eiſque regni cælorum aditum ,, reſerari concede.

*Ex ſermone panegyrico in ſanctum Joannem Theologum.*

,, Ita quidem glorificavit illum Chri- ,, ſtus, & in cælum tranſtulit, ubi Domi- ,, no ſupplicat pro nobis, ut beatam, ,, qua jam ipſe fruitur, manſionem omnes ,, pariter aſſequamur. B

*Ex homilia ejuſdem in illud Evangelii:* Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt.

,, Hinc & colligere poſſumus, quanta ,, ſit ad cuſtodiam noſtram ſanctorum an- ,, gelorum potentia.

*Ex ſermone ejuſdem* [a] *in ſanctam Domini Nativitatem.*

[a] Vetus, in ſanctum Chriſti baptiſmum.

,, Cum enim vario mundum Deus deco- ,, raret artificio, mundumque alterum an- ,, gelos appellaret, propter hominem eſſe ,, omnia declaravit. ,, Propter illum autem eſſe dicitur alter ,, iſte mundus, utique ratione miniſterii. ,, Quod nobis ſi defuerit, acceſſum habe- ,, re non valemus ad Deum: ac ſicut, niſi ,, mediatore Moyſe, verba ad Deum fa- ,, cere non licebat Iſraelitis; ita nec nobis ,, poſtulare, nec orare, niſi per angelos.

*Ex homilia in hæc verba Evangelii:* Quid faciet agricolis illis dominus vineæ?

,, Sepimentum primo Deus adhibuit; ,, &c. Secundum interpretationem Baſilii, ,, animas hominum vineam intelligit Chri- ,, ſtus, cui ſepem circumdedit, ſuorum ,, nempe firmitatem præceptorum; necnon ,, & cuſtodiam angelorum. Scriptum quip- ,, pe eſt: *Immittet angelus Domini in cir- ,, cuitu*, &c.

CONTRA X. CAPUT.

*Ex homilia de Publicano & Phariſæo, ex qua colligitur, eccleſiæ præeſſe epiſcopum, non vero ſacerdotes.*

,, FElicitas in paradiſo ſumma cum eſ- ,, ſet, quamobrem operari in eo ho- ,, minem, & cuſtodire illum ſcriptura te- ,, ſtatur? Nimirum, quia ut in eo po- ,, ſuerat Deus Adamum, qui operaretur ,, & cuſtodiret illum; ita modo in eccle- ,, ſia, quæ & paradiſus eſt, ſtatuit epiſ- ,, copum, qui quidem ſacris in ea con- ,, cionibus operatur, & Chriſtianorum ani- ,, mas cuſtodit. Eſt igitur illa paradiſus ,, ſepe ſua utique cinctus: in quo & ar- ,, bores ſunt aliæ quidem quæ uberem re- ,, ferunt fructum, aliæ quæ rarum, aliæ ,, quæ nullum: & in medio eſt qui cuſto- ,, dit illum. Atque e felicibus quidem fru-

„ fructum colligit, ac ſtudioſe confovet, tardiores inſerit: infructuoſas vero, alias igni deputat, alias ſpe fructus fimo impinguat; & ita quidem ſuam in illas curam impendit. Si vero fur acceſſerit, huic ille ſeu canis allatrat, & ab commiſſo ſibi pomario procul abigit. Ita igitur hoc in paradiſo eccleſiæ paſtor ſe ſe gerit, & uno Dei verbo hæc omnia operatur. Etenim ſi fructum affertis plurimum, aut forte ſi rarum, ad uberiorem verbi divini præconio ille vos accendit; ſi nullum, divina cujuſdam inſtar unctionis adhibet eloquia. Si medium in gregem diabolus irrepſerit, ut furetur, aliumque ad fornicationem trahat, alium ad profligatæ converſationis inſtitutum, verbo paſtoris opus eſt, ut abigatur. Paſtor enim, homo cum ſit, toti nequaquam poteſt oculis propriis invigilare gregi; ſed ſolum ſuppetit illi vocis ſubſidium, qua ſuis ovibus occurrat, illaſque cuſtodiat, juxta exemplum boni paſtoris, & Archipaſtoris Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui dicit: *Pater, ſervavi quos dediſti mihi.*

„ ἀκάρπων μαζώνει τὸν καρπόν. τὰ δύσκαρπα τὰ κεντείζει, τὰ ἄκαρπα ἄλλα καίει, ἄλλα κοπρίζει εἰς ἐλπίδα, καὶ οὕτως τὰ ἐργάζεται. καὶ ἂν ἔλθῃ κλέπτης, ὑλάκτει ὁ κύων, καὶ ἀπὸ τὸν τράφον τὸν διώχνει. οὕτως ὁ ποιμὴν τῆς ἐκκλησίας ἐν τῷ παραδείσῳ στέκεται, καὶ μὲ τὸν θεῖον λόγον σᾶς κυβερνᾷ. ἂν εἶστε καλοὶ καὶ ἔγκαρποι, ἢ δύσκαρποι κεντείζεσθε μὲ τὴν διδασκαλίαν, ἢ ἄκαρποι κοπρίζεσθε μὲ καλὰ λόγια. ἂν ἔλθῃ μέσα εἰς τὸν τράφον ὁ διάβολος, νὰ κλέψῃ, καὶ ῥίξῃ ἄλλον εἰς πορνείαν, ἢ εἰς ἀσωτείαν, δέεται λόγον τοῦ ποιμένος, νὰ τὸν διώχνῃ, ὅτι καὶ ὁ ποιμὴν ἄνθρωπος, καὶ δὲν ἔχει τόσα ὀμμάτια νὰ θεωρῇ πάντα τὸν τράφον, μόνον ἀναμένει τὴν φωνήσας, νὰ τρέξῃ, νὰ σᾶς φυλάξῃ, μιμούμενος τὸν ποιμένα καὶ ἀρχιποίμενα τὸν καλὸν τὸν Χριστὸν ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν λέγοντα: πάτερ, οὓς δέδωκάς μοι, ἐφύλαξα.

## CONTRA CAPUT XIV.

*Ex ſermone ejuſdem in Dominica poſt Aſcenſionem Domini, in quo admittit & probat liberum arbitrium.*

„ DOminus in hodierna evangelii lectione dicens: *Qui vult poſt me venire*, &c. omnem præſcindit mortalibus excuſationem, cum totius ſententiæ ſuæ hoc unum ſtatuit principium, eſſe nimirum libertatem in homine, qua & ſuam edomare carnem, & bonum præ malo poſſit eligere, quin etiam & facere. Sed & hujus compotes eſſe arbitrii homines ipſamet natura docet, Scholarum diſputationes approbant, & ſacra paſſim ſcriptura conteſtatur. Sed enim ni liber, ſervus homo jam eſſet: unde & mali excuſationem haberet, quod utique invitus feciſſet; neque pœnam pro eo ſuſtinere poſſet, quin injuſtam: atque his quidem argumentis eſſe libertatem in homine, probant Theologi.

„ Omne quodcunque fit in mundo vel a Deo eſt, vel a natura, vel fortuito aut caſu contingit. Deus quidem ut primum motus cujuſcumque principium agit in hoc mundo; non tamen quidquid fit, hoc Deus ſeu proprium opus admittit; ſed naturæ, aut fortunæ, aut caſui tribuitur. Hæc autem inſtar ſervorum habent, utpote quæ ab voluntate divina pendent; Deus autem libere & mirabiliter & incomprehenſibiliter operatur. Quin & liberam in Deo agendi rationem ipſa ejus opera teſtantur: horum quippe nemini rationem reddit: ſed quæcumque ipſe voluit, fecit; quo admirationem noſtram concitavit. Quis enim creaturarum magnitudinem, motum & ordinem non demiretur? captum quippe iſta ſuperant humanum; tam & modum quo e nihilo eas edu-

## Κατὰ τοῦ δεκάτου τετάρτου κεφαλαίου.

Ἐκ τοῦ εἰς τὴν μετὰ τὴν ὕψωσιν κυριακὴν αὐτοῦ λόγου, ἐν ᾧ δέχεται καὶ ἀποδείκνυσι τὸ αὐτεξούσιον.

„ Ο Κύριος μας σήμερον ἐν τῷ εὐαγγελίῳ λέγων· ὅς τις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν· σοῦ κόπτει κάθε πρόφασιν, σημαδεύοντάς του εἰς ταυτὴν ἅπασαν τὴν ὑπόθεσιν εἰς μίαν θέσιν, ἥτις ἐστὶ αὐτή. ὅτι ὁ ἄνθρωπος ἔχει ἐξουσίαν, νὰ νικήσῃ τὴν σάρκα, νὰ διαλέξῃ, καὶ νὰ κάμῃ τὸ καλόν· καὶ ὅτι ὁ ἄνθρωπος ἔχει ἐξουσίαν διδάσκει τοῦτο καὶ ἡ φύσις, καὶ ὁ λογαριασμός, καὶ ἡ θεία γραφή. εἰ γὰρ ὁ ἄνθρωπος οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν, ἦτον δοῦλος, καὶ ἐδύνατο ἔχειν πρόφασιν εἰς τὸ κακόν, ὅτι ἂν κάμῃ τὸ κακόν, ἄκοντος τὸ ἐργάζεται. διὸ καὶ ἂν δεῖ κολάζεσθαι, ἢ ἀδίκως· διὸ οἱ θεολόγοι οὕτως ἀποδεικνύουσι τὴν τοῦ ἀνθρώπου ἐξουσίαν.

„ Ὅτι γίνεται ἐν τῷ κόσμῳ, ἢ ὁ Θεός, ἢ ἡ φύσις, ἢ ἡ τύχη, ἢ τὸ αὐτόματον. ὁ Θεὸς πράττει ἐν τῷ κόσμῳ, ὡς πρώτη αἰτία πάσης κινήσεως, καὶ διατὶ δὲν καταδέχεται ὁ Θεὸς νὰ κάμῃ ὅσα γίνεται, διὸ παραχωρεῖ τῇ φύσει, καὶ τῇ τύχῃ, καὶ τῷ αὐτομάτῳ. διὸ ταῦτα δοῦλα ὡς ὅτι κρέμανται παρὰ τῆς βουλήσεως τοῦ Θεοῦ. ὁ δὲ Θεὸς ποιεῖ ἐλευθέρως, καὶ θαυμαστῶς, καὶ ἀκαταλήπτως. καὶ εἰς τὰ ἔργα του φαίνεται τὸ ἐλεύθερον. πάντων γὰρ κύριος οὐδενὶ λόγον δίδωσι· διὸ πάντα ὅσα ἠθέλησεν ἐποίησε τὸ θαυμαστόν· τίς γὰρ ὁρῶν τὸ μέγεθος τῆς κτίσεως, τὴν κίνησιν καὶ τὴν τάξιν οὐ θαυμάζει; τὸ ἀκατάληπτον· τίς γὰρ δύναται καταλαβεῖν τὸν τρόπον, ᾧ κτισάμενος ὁ Θεὸς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος παρήγαγεν; εἰ

„ γὰρ



„ γὰρ ηὐπόρει ὕλης ἐδύνατο μαλάξαι καὶ πρᾶξαι· ἄνευ δ' ὕλης καὶ ἑτέρου τινὸς πῶς ἐποίησεν; ὁρᾷς ὅτι ἀκατάληπτος ὁ λόγος; οὕτως ὁ Θεὸς αἴτιος, καὶ ποιητὴς τῆς κτίσεως, καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ.

„ Πράττει καὶ ἡ φύσις ὅσα πράγματα εὐδοκεῖ ὁ Θεός, διὰ τοῦτο λέγεται κοινὸς δούλη τοῦ Θεοῦ. σὰν νὰ βλαστήσουν φυτά, νὰ φυτεύσουν δένδρα, νὰ γένῃ ψύχρα, ζέστη, χειμών, ἔαρ, τῆς φύσεως ἰδιώματα.

„ Πράττει ἡ τέχνη μιμουμένη τὴν φύσιν. τόσον γὰρ ἠδυνήθη ὁ νοῦς ὁ ἀνθρώπινος νοῆσαι, ὅτι ἠθέλησεν εὑρεῖν τὸν τρόπον, ἵνα κἀκεῖνος αὐτουργὸς φαίνοιτο, καὶ φαίνεται τῇ τέχνῃ. γίνεται δὲ καὶ παρὰ τῆς τύχης, ὡς ὁ ὀρύσσων εὑρίσκει θησαυρόν· μηδὲν νομίσῃς πρώτως τι κρέμμασθαι παρὰ τῆς τύχης· οὐ γὰρ θεὰ ἐκείνη, ὡς οἱ Στωϊκοί, ἀλλὰ τὸ γινόμενον οὐ κατὰ πρόθεσιν, τύχη. πλανοῦνται δ' οἱ λέγοντες ἀπὸ τῆς τύχης βοηθεῖσθαι· οὐ γὰρ οὕτως ἔχει.

„ Γίνεταί τι καὶ ὑπὸ τοῦ αὐτομάτου, ὡς ἡ τοῦ οἴκου πτῶσις.

„ Ὁ ἄνθρωπος τὸ κακὸν πράττων οὐκ ἐξ αὐτομάτου, [a] ὅτι ἅπαξ ἐν δέκα ἢ εἴκοσι ἔτεσιν. οὐκ ἐκ τύχης, ὅτι ἐκείνη οὐ κατὰ πρόθεσιν, ἡ δὲ ἁμαρτία κατὰ πρόθεσιν. οὐκ ἐκ τέχνης, ὅτι ἡ τέχνη ἐγκαταλείπει ἔργον ὑποπίπτον τῇ αἰσθήσει. οὐκ ἐκ φύσεως, ὅτι ἡ φύσις καλὴ παρὰ Θεοῦ. οὐκ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὐχὶ Θεὸς θέλων ἀνομίαν σὺ εἶ. ἐκ τῆς ἰδίας τοῦ προαιρέσεως ἄρα· ἡ δὲ προαίρεσις οὐκ ἂν κινηθείη, εἰ μὴ ἐξουσία παρῇ· ἔχει λοιπὸν τὴν ἐξουσίαν ὁ ἄνθρωπος. πλήν, τοῦτο καὶ ἐκ τῆς θείας γραφῆς γνώσῃ. φησὶ γάρ· οὐ καλὸν τὸν ἄνθρωπον εἶναι μόνον· ποιήσωμεν δ' αὐτῷ βοηθόν. τοῦτο διχῶς νοεῖται· πρῶτον, ὅτι λέγεται περὶ τῆς γυναικός· δεύτερον, τοῦτο τὸ ῥητὸν εἴρηται, ὅταν εὐδαιμόνως ἔζει ὁ Ἀδάμ, ἐν ᾗ εὐδαιμονίᾳ οὐδενὸς ἐδεῖτο. ὁ δὲ Θεὸς λέγει· ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθόν. εἰ μή τις λέξῃ ταύτην καὶ μόνην, ἵνα φυλάττῃ ἑαυτὸν τοῦ πειρασμοῦ. ἐν ᾧ τόπον ἡ γυνὴ ἐβοήθη αὐτῷ; ὅτι καὶ αὐτὴ ἦν αἰτία τῆς πτώσεως. τί λοιπὸν ἕτερον, ἢ τὸ αὐτεξούσιον ἐκεῖνο ἦν; ἀπορήσειε δέ τις ἄρα ὕστερον, ἀφ' οὗ τὸν ἔπλασε τὸν ἔκαμεν αὐτεξούσιον, καὶ οὐχὶ ὅταν τὸν ἔπλασεν.

[a] Forte, ὅτι αὐτόματον ἅπαξ &c.

### Ἀπόκρισις.

„ Τότε τὸν ἔκαμεν ὅταν τὸν ἔπλασε, πλὴν τὸ ῥητὸν τοῦτο ὕστερον τὸ λέγει ὁ Θεός· ἵνα ὁ ἄνθρωπος βεβαιωθῇ διὰ τὸ τόσον χάρισμα, ὅπου ἔχει παρὰ Θεοῦ. διὸ λέγει· ποιήσω-

„ xit, quis comprehendat? Etſi enim materiam emollire, & quæcumque libuiſſet, ex ea componere poterat; qui vero abſque materia aut alio quovis initio quidquam potuit? Incomprehenſibilem igitur cum in creatione univerſi, tum & ceteris in operibus Dei operationem quis non fateatur?

„ Quidquid Deo placet, natura operatur; unde & vulgo Dei famula vocitatur, ſive cum plantas germinat, ſive cum procreat arbores, ſive cum frigeſcit aut æſtuat, ſive cum procellis agitatur, aut verna ſerenitate gaudet: quæ ſunt proprietates naturæ.

„ Ars quoque ad naturæ imitationem operatur: totam enim adhibuit homo mentis aciem, ut quo cujuſdam & ipſe opificii auctor haberetur, adinveniret: id quod in arte quidem eſt aſſecutus. Operatur autem & fortuna, veluti cum fodiens homo terram, theſaurum invenit. Aliquid vero per ſe ab fortuna pendere, ne reputa: neque enim ipſa dea eſt, uti finxere Stoïci; ſed quidquid præter intentionem accidit, fortuna eſt & appellatur. Errant itaque qui auxiliari dicunt fortunam: non enim ita ſe res habet.

„ Caſus quoque effecta quædam ſunt, veluti ruina domus.

„ Homo malum cum operatur, non ex caſu peccat; caſu enim quidquid fit, hoc intra decem annos aut viginti ſemel tantum contingit. Non ex fortuna: hæc enim præter intentionem accidit; peccatum autem ex deliberatione perpetratur. Non ex arte: ars enim opus ſenſibile poſt ſe relinquit. Non ex natura: hanc enim Deus condidit optimam. Non ex Deo: *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Ergo ex propria electione. Porro autem ad electionem non moveretur homo, niſi libertate polleret: igitur libertate præditus homo eſt. Præterquam quod & hoc ipſum e ſcriptura ſacra probatur. In ea quippe legimus non modo bonum factum eſſe hominem, ſed & dixiſſe Deum: *Faciamus ei adjutorium*. Quod dupliciter accipi poteſt: primo quidem, ut dictum ſit de muliere; ſecundo, ut de libero hominis arbitrio. Etenim tum cum Adamo, utpote in felicitate agenti, re nulla opus erat, Deus dixit: *Faciamus ei adjutorium*. Porro cum de ſola muliere quaſi ad tentationem facilius cum illa vincendam ipſi conceſſa, intelligendum id eſſe nemo dixerit: (ſiquidem tentationis auctor illi mulier fuit, nedum ad vincendum non profuit) quid aliud quam liberum arbitrium eſſe potuit iſtud adjutorium? Verum quis fortaſſis audire aveat, quanto, a quo plaſmavit eum, tempore liberum homini arbitrium Deus infudit; aut cur non tum infudit, cum plaſmavit?

### *Reſponſio.*

„ Tum infudit, cum plaſmavit. Verumtamen ita loquitur, ut poſterius infudiſſe videatur, quatenus homo vel ipſa tanti beneficii a Deo ſibi collati comme-

„ moratione armaretur ad conſtantiam: unde &, *Faciamus*, dixit, pro, *Fecimus*, adjutorium; ſtatimque mulierem a qua ipſum prænoverat iri tentatum, ejus e latere formavit. Quaſi dixiſſet *Deus*: adjutorium habet ſuæ libertatis, quo nec ullum, ſi vult, e ſuggeſtione mulieris damnum patiatur. Atque ex his omnibus libertatem manifeſtiſſime colligis, quam inſuper innumeris facile tibi probaverim ſacræ ſcripturæ locis. Sed ne longius protrahatur oratio, idonea ſuppeditat nobis hodierni lectio Evangelii teſtimonia. In hoc enim ita Dominus loquitur: *Qui vult poſt me venire*. Et, *Qui vult animam ſuam ſalvam facere*. Liberum igitur habes arbitrium, quo vel malum opereris vel bonum; elige ergo magis bonum: *Declina a malo, & fac bonum*. Quod ſi bonum ſemel elegeris, ad ipſum omnia tua tamquam ad unicum vitæ tuæ ſcopum dirige; ac tum demum judicium proprium exue. Ait enim Chriſtus: *Abneget ſemetipſum*. Denique ſi vere ad bonum intendis, labori te te ipſum accinge: laborare enim, id eſt, crucem tollere, omnis debet, quicumque ſincere ad bonum intendit.

*Et paulo infra.*

„ Unicuique datur, ut quod a Deo præceptum eſt, exſequatur.

*Et paulo poſt.*

„ Ita & timoratus homo, cum inter bonorum operum, jejuniorum atque vigiliarum diſcrimina ſuam exercuerit animam, mercedem exſpectat.

CONTRA
CAPUT XVI.
*Ex homilia de Baptiſmo.*

*Quod præter Baptiſmum neceſſaria ſunt opera bona.*

„ *Omnis arbor quæ non fert fructum bonum, excidetur*, inquit Joannes Baptiſta, Matth. III. Væ tibi quiſquis in opera bona ſedulus non incumbis. Etenim in foliis quæ habes, ne confide; cum enim in levioribus ac veluti aridis bonis hiſce confidis, ad majora quæ tuam ab gehenna liberare valeant animam, non contendis. Porro fructum deſiderat Deus; ſin minus, ad radicem jam ſecuris poſita eſt: ſecuris, inquam, non alterius fabri, quam Dei.

*Et interjectis paucis.*

„ Omnino neceſſarius eſt Domini Baptiſmus. Ait enim ipſe Joan. III. *Niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Propterea & Joannes, quo neceſſarium eſſe ſignificaret Domini Baptiſmum, dicebat: *Ego baptizavi vos in aqua; ille autem baptizat in Spiritu ſancto*. Et Joan. III. dicitur: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, Spiritus eſt*. Qui in iniquitatibus

„ μὲν, ἀντὶ τοῦ, ἐποιήσαμεν, βοηθόν· καὶ εὐθὺς ἔπλασε τὴν γυναῖκα, ἐξ ἧς ἔγνω ὁ Θεὸς, ὅτι ἔμελλε πειράζεσθαι, ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ. σὰν νὰ εἶχε λέγῃ ὁ Θεὸς, βοηθὸν ἔχει τὴν ἐξουσίαν, καὶ ὅταν θέλει δὲν φοβεῖται, νὰ τὸν βλάψῃ ὁ πειρασμὸς τῆς γυναικός. ἐξ ὧν ἁπάντων συνάγεις τὴν ἐξουσίαν, τὴν ὁποίαν δὲν ἀποδείχνω μὲ ἀπείρους τόπους τῆς γραφῆς, ἵνα μὴ μακρολογῶ, μόνον ἐκ τοῦ σημερινοῦ. λέγει γὰρ ὁ κύριος· ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν. καὶ ὡς ἂν θέλῃ σῶσαι τὴν ψυχήν. ἐπειδὴ ἔχεις τὴν ἐξουσίαν, νὰ κάμῃς τὸ κακὸν καὶ τὸ καλόν; θέλησαι κρεῖττον τὸ καλόν. ἔκκλινον ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποίησον ἀγαθόν. καὶ ἂν θέλῃς τὸ καλὸν ἀπαντῆσαι, τὸν σκοπὸν θὲς εἰς τὸ καλόν, καὶ ἂν θέσῃς ὅλον σου τὸν σκοπὸν ἐκεῖ, τοῦ λόγου σου ἀρνῆσαι. διὸ φησίν· ἀπαρνησάσθω ἑαυτόν. καὶ ἂν θέλῃς τὸ καλὸν κοπίασαι· κοπιάζει γὰρ ὁ θέλων καλὸν, τοῦτο ἐστὶν ἡ ἆρσις τοῦ σταυροῦ.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

„ Τῶρα εἰς ἐσένα στέκει, νὰ κάμῃς τὴν παραγγελίαν τοῦ Θεοῦ.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

„ Οὕτω καὶ ὁ φοβούμενος τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τοῖς κινδύνοις τῶν καλῶν ἔργων, νηστείας, ἀγρυπνίας, ὅταν τὴν δώσῃ, προσδοκᾷ τὸν μισθόν.

ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΔΕΚΑΤΟΥ ΕΚΤΟΥ ΚΕΦΑΛΑΙΟΥ.

Ἐκ τῆς εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα ὁμιλίας.

Ὅτι τὸ βάπτισμα δεῖται τῶν καλῶν ἔργων.

„ Ὁ Βαπτιστὴς μαρτυρεῖ Ματθ. γ΄. πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν, τέμνεται. οὐαί σοι ἀμελοῦντι τῶν καλῶν, μὴ θαῤῥῇς τὰ φύλλα ἃ ἔχεις, τὰ μικρὰ καὶ οὐτιδανὰ καλὰ ὁποῦ θαῤῥεῖς πῶς κάμνεις, νὰ εἶναι εἰς τὴν ψυχήν σοι τόσον χρήσιμα, ὁποῦ νὰ σὲ εὐγάλουσιν ἀπὸ τὴν κόλασιν. ὄχι καρπὸν θέλει ὁ Θεός, καὶ ἂν δὲν κάμῃς, ἤδη ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν κεῖται· ἡ ἀξίνη τοῦ τέκτονος τοῦ Θεοῦ.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

„ Τὸ βάπτισμα τοῦ κυρίου ἀναγκαῖον, Ἰωάννου γ΄. ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. διὸ Ἰωάννης, ὡς ἀναγκαῖον ἔλεγεν· ἐγὼ ἐβάπτισα ὑμᾶς ὕδατι, ἐκεῖνος δὲ βαπτίζει ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Ἰωάννου γ΄. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι· τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμα





„ μά ἐστι. ὅταν γεννᾶται ὁ ἄνθρωπος ἐν ἀνομίαις καὶ ἁμαρτίαις, αὗται δ' ἀφεροῦνται ἐν τῷ βαπτίσματι καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

„ Τὸ βάπτισμα τριχῶς, σκιῶδες, νομικόν, εὐαγγελικόν· σκιῶδες, καὶ νομικόν, ὁ τύπος ἐν τῇ γραφῇ· προπαρασκευαστικόν, οἷον τὸ τοῦ προδρόμου, τὸ ἀναμέσον νόμου καὶ χάριτος· ἐγὼ γάρ, φησι, βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι, ἐκεῖνος δὲ βαπτίζει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. διὸ Παῦλος πραξ. ιθ΄. ἐκέλευσε βαπτίζεσθαι. καὶ Πέτρος πρώτῳ κεφ. μετανοεῖτε, καὶ βαπτιζέσθω ἕκαστος ὑμῶν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. διατί οὕτως; ἀλλ' ἢ ὅτι ἐκεῖνο προπαρασκευαστικὸν ἦν, εὐαγγελικὸν τὸ τοῦ κυρίου, δι' οὗ ἀφαιρεῖται ἡ προπατορικὴ ἁμαρτία.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

„ Τὸ βάπτισμα τοῦτό ἐστι τὸ ἀληθές, ἡ ἀναγέννησις, ἡ ἀνάκτησις. σημεῖον γὰρ καὶ σφραγὶς τοῦ Χριστοῦ. ὅσοι δ' αὐτὸ οὐκ ἔχουσι τοῦτο τὸ σημεῖον, γνωστοί εἰσι μὴ εἶναι τοῦ κυρίου, καθ' ὧν πάνυ ἔχει νὰ καυχᾶται ὁ κοινὸς τῆς σωτηρίας ἐχθρός, καθὼς ἔχει καυχᾶσθαι καὶ δι' ἡμᾶς αὐτούς, ὅταν οὐχ ὁρᾷ ἡμᾶς ἔχοντας τὰ σημεῖα, ἃ ἐπακολουθεῖ τῷ βαπτίσματι.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

„ Καὶ ἡμεῖς ὁποῦ γινόμεσθεν ἁμαρτωλοὶ ἐκ κοιλίας μητρός μας, καὶ πρὸ τοῦ γνῶναι ἁμαρτίαν, ἐσμὲν καταδεδικασμένοι διὰ τὴν προπατορικὴν ἁμαρτίαν, ἀπὸ τὴν ὁποίαν τὸ βάπτισμά μας ἐλευθερώνει.

ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΔΕΚΑΤΟΥ ΕΒΔΟΜΟΥ ΚΕΦΑΛΑΙΟΥ.

Ἐκ τῆς εἰς τὸ πλοῖον βασανιζόμενον ἐν μέσῳ τῶν κυμάτων.

„ Ὅταν καταλαμβάνεις, τί ὁρᾷς; ἄρτον καὶ οἶνον; οὐ διακρίνεις; φάντασμα ὁρᾷς, ἂν θεωρῇς ὡς τόσον, ἂν ἀνοίξῃς τοὺς ἐσωτερικοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ ἴδῃς τὸν κύριον, ἐκεῖ τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐγνώρισας. ἴδοις ὡς οἱ μαθηταὶ σήμερον, καὶ ὡς φάντασμα ὁρῶσι, καὶ κατὰ ἀλήθειαν. ὅταν ὡς φάντασμα γὰρ ἐταράχθησαν. ὅταν κατὰ ἀλήθειαν ἐγνώρισαν, ἐπαρηγορήθησαν, ὅτι ἀπηλλάχθησαν ἀπὸ τοῦ κλύδωνος, ὅτι ἐσώθη ἡ ναῦς, καὶ αὐτοὶ σὺν τῇ νηΐ.

„ & peccatis natus ad Baptiſmum accedit, ſalutari ejus unda ab eis abluitur, juxta id quod in ſcriptura habetur: *Mundans lavacro aquæ in verbo*.

*Et poſt pauca.*

„ Baptiſmus triplex eſt: videlicet legalis ſive umbratilis, qui tamquam figura ponitur in ſcriptura; Evangelicus; & Præparatorius, qualis fuit Joannis Præcurſoris Baptiſmus, inter Gratiam Legemque medius. Ait enim: *Ego baptizo vos in aqua; ille autem baptizat in Spiritu ſancto & igni*. Unde & Paulus Actorum XIX. juſſit baptizari. Et Petrus antea dixerat: *Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu*. Quid ita? utique quia Joannis Baptiſmus erat tantummodo Præparatorius; Domini vero, Evangelicus, quo peccatum originale deletur.

*Et poſt pauca.*

„ Verus autem Baptiſmus iſte eſt & regeneratio & nova creatio: quippe ſignum & character Domini eſt. Domini ergo non eſſe manifeſte deprehenditur, quiſquis hoc ſigno caret: & adverſus eum habet unde glorietur humanæ ſalutis adverſarius; quemadmodum & adverſum nos habet, quoties ea in nobis ſigna non videt, quæ ſunt Baptiſmi conſectaria.

*Et paulo infra.*

„ Et nos quidem, qui peccatores antequam noverimus peccatum, utpote matris ex utero, naſcimur, originalis merito peccati in ſententiam condemnationis incurrimus, ſed ab ea per Baptiſmum abſolvimur.

CONTRA
CAPUT XVII.

*Ex homilia circa navim quæ in medio mari jactabatur fluctibus.*

„ Quid vides, quando communicas panem & vinum? Numquid non diſcernis? hoc tantum ſi reſpicis, phantaſma vides: ſin vero mentis oculos aperis, vides & Dominum. Ibi carnem Domini deprehendis. Attende diſcipulos hodie & phantaſma & Dominum in veritate vidiſſe: tunc quidem conturbati ſunt, quando phantaſma viderunt; aſt ubi reſpexere Dominum, tunc recreati ſunt & tempeſtate ſoluti, quia ſalva navis facta eſt, & ipſi cum navi.

*Ex ſermone in Evangelium de quinque panibus.*

Ter panem fregit Dominus, 1. in Cœna myſtica, Lucæ XXII. ubi infinitam divinitatis virtutem juſſit nos in tranſſubſtantiatione panis accipere.

Εκ τοῦ εἰς τὸ περὶ τῶν ε̄ ἄρτων ῥητοῦ.

Τρὶς ἔκλασε τὸν ἄρτον ὁ κύριος· πρῶτον, ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ, Λυκ. κβ'. ὅτι ἡμᾶς ἔπεισε καταλαβεῖν τὴν ἄπειρον δύναμιν τῆς θεότητος ἐν τῇ μετουσιώσει τοῦ ἄρτου.

## CONTRA II. QUÆSTIONEM.

## ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΔΕΥΤΕΡΑΝ ΤΩΝ ΕΡΩΤΗΣΕΩΝ.

*Ex homilia in Dominicam I. Jejunii.*

TRipliciter imago dicitur. Primo, &c. Secundo, &c. Tertio, quæcumque in materia diverſæ naturæ formatur imago, inanima eſt. Cum vero nonnullas hujuſmodi tum Domini, tum & ſanctorum veneramur imagines, ſive propter eam, qua earum εἰκόνας proſequimur, reverentiam, ſive propter eam, quam habent ad illa, relationem; totum ipſiſmet εἰκονίσμοις honorem deferimus. Dic mihi: Chriſtum diligis? reſpondes: utique diligo. Sanctiſſimam Deiparam & ſanctos diligis? Utique diligo, reſpondebis. Hos itaque venerare. Sed dices: Qui venerer ego quos nec novi, nec video? Propterea tibi reſpondet eccleſia: Imagines eorum honora, & ipſiſmet honorem detuleris, quem & perinde habebunt illi, ac ſi præſentibus adhiberes. Miſeri ac ſceleſti Iconomachi in Deum & ſanctos injurioſi, imagines eorum deſpiciunt: imagines vero cum deſpiciunt, & Deum aſpernantur. Propterea anathema dicit illis eccleſia. Dicebat quidam ſapiens, tria hominum genera honorem dedecere: hominem videlicet ruſticum, deinde honoris ignarum; quantumcumque enim honorem talibus impenderis, ad illum nequaquam attendunt, ſed totum quaſi in vanum projeceris. Denique ingratum ne honora, quia a quo ſibi exhibeatur honor, neque hic attendit, ſed ſolum dicit: Ideo me honorat, quia dignus ſum; propterea hinc nihil illi debeo. Itaque homini, qui ſive ex inani gloria, ſive ex alio quovis perverſo fine, eo abutitur, ne honorem impende. Porro ſi poſtponens tu optimum hocce ſapientis documentum, eum quem ruſticum, & ingratum, & impenſo abuti honore probe noſti, veneraris; Chriſti, & ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ, & ſanctorum imagines colere quomodo recuſas? Væ vobis, Iconomachi.

*Ex longe poſt prædicta.*

Vinum fidei quod tibi Chriſtus, quia vera vitis eſt, infundit, in utrem veterem ne mitte: id eſt, incaſſum illud recipis, niſi in ſinum cum ab hæreſibus, tum & a peccatis renovatum & purgatum excipis. Veteres & diabolici

Εκ τῆς εἰς τὴν πρώτην τῶν νηστειῶν κυριακὴν ὁμιλίας.

ΤΡιχῶς λέγεται ἡ εἰκών, πρῶτον ..... δεύτερον ..... τρίτον δὲ, εἰκὼν ἐν πράγματι ἑτέρας φύσεως, ἄψυχος. ἥτις ἐστὶν ἡ τιμωμένη εἰκὼν παρ' ἡμῶν τοῦ κυρίου καὶ τῶν ἁγίων, ἃς σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν διὰ τὴν πρὸς τὰ πρωτότυπα εὐλάβειαν, καὶ διὰ τὴν σχέσιν, ὅλη ἡ τιμὴ ἀναφέρεται πρὸς τὸ πρωτότυπον. δεῦρό μοι. φιλεῖς τὸν Χριστόν; ναί. τὴν παναγίαν καὶ τοὺς ἁγίους; ναὶ. τίμησον αὐτούς. λέξεις· οὐκ ὁρῶ, οὐ γινώσκω αὐτοὺς, πῶς τιμήσω; διὸ ἡ ἐκκλησία σοὶ ἀποκρίνεται· τίμησον τὰς εἰκόνας τους, καὶ ἡ τιμὴ ἅπαντα ἀναφέρεται πρὸς ἐκείνους, τοιαύτην χάριν σοὶ ἔχουσιν ὡς ἂν τοὺς ἰδίους αὐτοὺς ἐτίμησας. οἱ ἄθλιοι καὶ ταλαίπωροι εἰκονομάχοι καταφρονοῦντες τὸν Θεὸν, καὶ τοὺς ἁγίους καταφρονοῦν καὶ τῶν εἰκονῶν τους· καὶ καταφρονοῦντες τὰς εἰκόνας, καὶ τοῦ Θεοῦ. διὸ ἀναθεματίζει αὐτοὺς ἡ ἐκκλησία. ἕνας σοφὸς ἔλεγεν, ὅτι τρεῖς ἀνθρώπους δὲν πρέπει νὰ τιμήσῃ τινάς· τὸν βάρβαρον, καὶ μὴ εἰδότα τιμὴν· ὅτι ὅσην τιμὴν τοῦ κάμνῃς, σὰν δὲν τὴν ἠξεύρῃ. σὰν νὰ τὴν ἔρριψες. νὰ μὴ τιμήσῃς τὸν ἀχάριστον, ὅτι δὲν ἠξεύρει ἀπὸ ποῦ τοῦ ἦλθε μόνον, σὰν τὸν τιμήσῃς, λέγει· πρέπει με διαπικεῖνο μὲ τιμᾷ, καὶ δὲν τοῦ ἔχω χάριν. νὰ μὴ τιμήσῃς τὸν ἄνθρωπον ὅπου καταχρᾶται τὴν τιμὴν, ἢ μὲ κενοδοξίαν, ἢ μὲ ἄλλον κακὸν σκοπόν. ὅμως ἂν καλὰ καὶ οὕτω σὲ διδάσκει ὁ σοφὸς πλὴν ἐσὺ, ἐκεῖνον τὸν βάρβαρον, ἐκεῖνον τὸν ἀχάριστον, ἐκεῖνον τὸν καταχρώμενον τὴν τιμὴν, σὰν εἶσαι, πεπεδαμένος τὸν τιμᾷς, καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς παναγίας, καὶ τῶν ἁγίων θέλεις καταφρονεῖν; οὐαὶ ὑμῖν, εἰκονομάχοι.

Καὶ μετὰ πολλά.

Τὸν οἶνον τῆς πίστεως τὸν κάμνει ὁ Χριστὸς, ὅστις ἐστὶν ἄμπελος ἀληθινὴ, σὰν τὸν βάλῃς εἰς τὸ παλαιὸν ἀσκὶ, τυπῶσι ἂν δὲν ἔχῃς τὸ κορμίσου καινουργωμένον, καὶ καθαρισμένον δὲν μπορεῖ, νὰ κρατήσῃ καθαρισμένον καὶ καινουργωμένον καὶ ἀπὸ ταῖς αἱρέσαις, καὶ ἀπὸ ταῖς





ταῖς ἁμαρτίαις. παλαιὸν καὶ διαβολικὸν ἀσκὶ ἦτον ὁ Ἄρειος, ὅπου ἐδογμάτιζε τὸν υἱὸν καὶ λόγον τοῦ Θεοῦ κτίσμα, καὶ ὁ Μακεδόνιος ὅπου ἐβλασφήμα εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Παῦλος ὁ Σαμωσατεὺς, καὶ Εὐτυχὴς, οἱ Μονοθελῖται, Σέργιος καὶ Διόσκορος οἱ μονοφυσῖται. ἀλλ' ἔσκασαν δὲν ἐκράτησαν τὸ κρασὶ τὸ καλὸν μέσα τους. καὶ ἵνα ἔσω τοὺς λοιποὺς αἱρετικοὺς, παλαιὰ καὶ σαπρὰ ἀσκία ἦτονε οἱ εἰκονομάχοι, ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνοι κακὸν θάνατον ἐδῶσαν.

Εκ τῆς εἰς τὴν δευτέραν κυριακὴν τῶν νηστειῶν ὁμιλίας, ἔνθα δέχεται τὸ βιβλίον τοῦ Τωβίου καὶ ἀδιακρίτως γραφὴν ὀνομάζει, κατὰ τῆς τρίτης ἐρωτήσεως.

ΤΕτράκις ἐν τῇ γραφῇ φαίνεται, ὅτι ἐπολέμησαν οἱ δαίμονες μετὰ τῶν ἀγγέλων. ἅπαξ ἐν τῷ οὐρανῷ, Ἀποκαλ. ιβ'. Δανιὴλ. ι. β'ον. ὅταν μετὰ τοῦ ἄρχοντος τῶν Περσῶν ἐπολέμησεν ὁ Μιχαὴλ, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο δυνατὸν, ὅτι ἄγγελοι ἦτον οἱ πολεμήσαντες. γ'ον. διὰ τὸ σῶμα τοῦ Μωϋσέως, ὅπου ἐπολέμησε μετὰ Μιχαὴλ. δ'ον. ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Ραγουὴλ, ὅταν ὁ Ασμοδαῖος ἐνικήθη ὑπὲρ Ραφαήλ.

Εκ τῶν θεολογικῶν αὐτοῦ σημειώσεων, φύλλῳ τῷ πζ'. ἐν ᾧ δέχεται τὸ βιβλίον τῆς Σοφίας.

Καὶ γὰρ ὁ διάβολος εἰς τὸ ἐργάσαι τὸν διπλοῦν θάνατον τὸν ἡμέτερον, ἕνα θάνατον ἑαυτοῦ ἁπλοῦν ἐκομίσατο. τέθνηκε γὰρ πνευματικῶς διὰ τὴν ἀσέβειαν, εἰς ἣν παίσας ἡμᾶς, ὑπακούσαντας δὲ ἡμεῖς κατεκρίθημεν. ὅθεν δικαίως γέγραπται Σοφ. α'. ιγ'. ὁ Θεὸς τὸν θάνατον οὐκ ἐποίησεν. οὐ γὰρ ἦν αἴτιος θανάτου· οὐ γὰρ ἡ τοῦ κριτοῦ δικαιοσύνη αἰτία τῆς τιμωρίας, ἀλλ' ἡ κακοῦργος αὐτοῦ πρᾶξις.

Εκ τῆς εἰς τὸν ἄσωτον, ἐν ᾧ δέχεται τὸ βιβλίον τῆς Σωσάννης.

Καὶ δὲν λέγω διατοῦτο, ὅτι δὲν σφάλλει ὁ γέρων ἄνθρωπος, ὄχι μόνον ὅτι ἀκωλύτως ὁ νέος. καλὰ καὶ νὰ εὑρίσκονται καὶ νέοι τινὲς, ὅπου ἔχουσι χάριν ἐκ Θεοῦ, ὡς ὁ Ἰωσὴφ, ὃν ἠγάπα ὑπὲρ τοὺς λοιποὺς υἱοὺς ὁ Ἰακώβ· ὅπου διὰ νὰ ἔχῃ πολλὴν γνῶσιν, ἐβασίλευσεν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ὁ νέος Δανιὴλ ὁ προφήτης τόσον ἦτον γνωστικὸς ὅπου μέσα εἰς τὴν Βαβυλῶνα, ἦτον ἀκουστὸς, καὶ γέροντας κριτὰς ἤλεγξεν, οὕτως ὡς ἦν νέος. πλὴν ἔχουσι χάριν ἐκ Θεοῦ, καὶ καλοὶ ἐξ ἑαυτῶν.

Ταῦτα ἐκ τῶν πολλῶν ὧν ἔχομεν Κυρίλλου ὁμιλιῶν, ἅτινα κατὰ διάμετρον ἀντίκειται τοῖς

utres fuere, Arius, qui Verbum ac Filium Dei docuit eſſe creaturam: & Macedonius, qui in Spiritum ſanctum blaſphemias evomuit: item Paulus Samoſatenus, & Eutyches, Monothelitæ, Sergius & Dioſcorus, unius tantum in Chriſto naturæ aſſertores: ſed diſrupti ſunt, bonum vinum in ſe ipſis continere non valentes. Denique ne omnes recenſeam hæreticos, veteres quoque & putridi utres fuerunt Iconomachi: ſed & ipſi mala morte periere.

## CONTRA III. QUÆSTIONEM.

*Ex homilia pro Dominica IV. Jejunii, in qua librum Tobiæ admittit, & inter ſacras ſcripturas abſolute recenſet.*

LEgimus in ſcriptura, quater cum angelis dæmones dimicaſſe. Primo quidem in cælo, uti ſcribitur tum Apocal. cap. XII. tum Daniel. X. Secundo, quando contra Principem Perſarum Michael pugnavit; non enim fieri poteſt, ut ambo angeli eſſent, ita inter ſe pugnantes. Tertio, quando altercatus eſt cum Michaele diabolus de Moyſi corpore. Quarto, in domo Raguelis, ubi ab Raphaele victus eſt Aſmodæus.

*Ex Commentariis Theologicis ejuſdem Cyrilli, fol. 387. ubi librum Sapientiæ recipit.*

Etenim mortem unam ſibi diabolus ipſe conſcivit, cum duplicis nobis auctor exſtitit: quippe propter impietatem mortuus eſt ille ſpiritualiter, ad quam & nos ab eo deluſi defluximus, eique obtemperantes corporalis damnationem mortis accepimus. Unde & Sap. I. v. XIII. recte ſcriptum eſt: *Deus mortem non fecit*. Neque enim eſſe poterat cauſa mortis: nam punitionis cauſa non eſt juſtitia judicis, ſed culpa delinquentis.

*Ex homilia in Prodigum, ubi hiſtoriam Suſannæ recipit.*

Non propterea tamen ſenes nunquam delinquere, juvenes vero licentiori ſemper indulgere vitæ aſſero. Verumenimvero inveniuntur & adoleſcentes optimi, divinaque gratia repleti, quemadmodum Joſeph, (quem præ filiis ceteris Jacob adamavit) qui ob ſummam, qua donatus fuerat a Deo, ſcientiam, regnavit in Ægypto. Daniel quoque Propheta tantæ potentiæ & auctoritatis apud Babylonem fuit, ut ſeniores judices ipſe quidem adoleſcens corripuerit. Itaque divinam juvenes iſti nacti ſunt gratiam, & ab ineunte ætate virtutem excoluere.

Atque hæc e plurimis, quas habemus, Cyrilli homiliis excerpta ſufficiant, quæ cum prædictis capitulis & quæſtionibus e dia-

diametro pugnant; uti deprehendere nemini non facillimum, vel ſingula excerpta cum ſingulis capitulis ac quæſtionibus, aut cum iiſdem etiam ſimul ſumptis, vel caput quodlibet quæſtioneſque ſingulas cum excerptis omnibus, conferenti. Itaque callidis malignorum exſtructa labiis turris illa proruet, & omnia prorſus evaneſcent, quæ adverſus Orientalem eccleſiam confinxere. Atque catholicorum non modo, ſed & eorum qui vel Chriſtiano cenſeantur nomine, qui malignas hæreticorum machinationes noverit, æterna mendacii juxta ac injuſtitiæ cenſura nemo non damnabit.

κεφαλαίοις ἐκείνοις, καὶ ἐρωτήσεσιν, ὅπερ φανερόν ἐστιν, ἑκάστῳ κεφαλαίῳ, καὶ ἑκάστῃ ἐρωτήσει ἑκάστην ἐκλογὴν παραβάλλουσι. καὶ αὖθις ἑκάστην πᾶσι κεφαλαίοις, καὶ ἐρωτήσεσι, καὶ πάσας ἐκλογὰς πρὸς ἕκαστον τῶν τε κεφαλαίων, καὶ ἐρωτήσεων. καὶ οὕτως ὁ τῆς χαλάσης τῶν ἀνόμων σεσοφισμένος πύργος κατάπεσών, φροῦδα πάντα τὰ κατὰ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας αὐτῶν ματαιολογήματα ἔσονται· καὶ πᾶς τις οὐ μόνον τῶν ὀρθοδόξων, ἀλλὰ καὶ τῶν ὁπωσδήποτε τῇ χριστοῦ προσηγορίᾳ a καλλωπιζομένων γνοὺς τῶν πονηρευομένων αἱρετικῶν τὰς σκαιωρίας, αἰώνιον κατ' αὐτῶν ψῆφον ψεύδους καὶ ἀδικίας ἐξενέγκοι.

a Pr. [illegible]

## CAPUT II.

Cyrillum porro, prædictorum capitulorum ut auctor forte extiterit, ea tamen Orientalium conſcio nemine evulgaſſe, ex iis quæ primo jam capite dicta ſunt, clarum eſt & indubitatum. Quanquam & hoc ipſum ex aliis extra omnem controverſiam argumentis colligitur; ſi enim (dicere liceat) ea in publicum edidiſſet, horum potiſſime trium certo certius adfuiſſet unum.

Primo, iis ſubſcripſiſſent, qui id temporis ibi agebant, ſancti epiſcopi; necnon & clerici ſapientiſſimi, qui Patriarchæ perpetuo aſſiſtunt, (quos Roma vetus vocat cardinales,) eique cooperantur in omnibus. Sed nihil hujuſmodi proferre potuerunt calumniatores noſtri. Etenim ex plurimis hiſce tum epiſcopis, tum clericis, ne vel unus prædicta capitula novit, nedum iis non ſubſcripſit, neque ſuper illis differentem aliquando Cyrillum audiit.

Secundo, eſſent illa in codicibus majoris eccleſiæ tranſcripta, & eorum apographo depictum haberetur eorum qui originali ſubſcripſiſſent, chirographum. Omne enim ſcriptum de fide rebuſque eccleſiaſticis ab patriarcha editum, debet eſſe ſynodicum, hoc eſt, ſynodali cum diſcuſſione ac deliberatione conſtitutum, necnon & ab ſynodalibus ſubſignatum: ac tum demum in codicibus majoris eccleſiæ tranſcribitur. Porro prædicta capitula non ſolum in codicibus non ſunt exſcripta, ſed etiam epiſcopis & clericis, quin & fidelibus populis, hactenus fuerunt ignota, ſi quos tamen eorum excipias. At nec iſtis fuere nota, niſi ex longa adverſariorum noſtrorum deblateratione, qua ſuppoſititia hujuſmodi capitula ceu Orientalis eccleſiæ profeſſionem moliti ſunt populis intrudere: atque ita hoc, quod initio dictum eſt, obtinere, nimirum (& hoc ſæpius dicens non ceſſabo) ſimpliciores in errorem inducere.

Tertio, non ab qualicumque amanuenſi, ſed ab clerico dumtaxat in codice

## ΚΕΦΑΛ. β.

Ὅτι δὲ εἰ καὶ καθ' ὑπόθεσιν Κύριλλος ἦν ὁ τῶν κεφαλαίων ἐκείνων πατήρ, b λατραιῶς ταῦτα ἐξέδωκε, μηδενὸς εἰδότος τῶν ἀνατολικῶν, φανερὸν ἐκ τῶν ἤδη εἰρημένων ἐν τῷ πρώτῳ κεφαλαίῳ· καὶ ἀναμφίβολον. ἔστι δὲ καὶ τοῦτο καὶ ἐξ ἄλλων τινῶν ἀναντιῤῥήτων μαθεῖν. εἰ γὰρ, φέρε εἰπεῖν, δημοσίως ἐξέδωκε, τρία τινὰ μάλιστα ἀναγκαίως ἠκολούθησαν ἄν.

b Pr. λαθραίως.

Πρῶτον, ἵνα ὑπογράψωσιν ἐκεῖνα οἱ παρευρεθέντες ἐκείνῳ τότε θεοφιλέστατοι ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ ἀδιαλείπτως περὶ τὸν πατριάρχην προσκαρτεροῦντες λογιώτατοι κληρικοί, (Καρδινάλιους δὲ αὐτοὺς ἡ παλαιὰ καλεῖ Ῥώμη) οἳ καὶ ἐν ἅπασι τῷ πατριάρχῃ συμπράττουσιν· ἀλλ' οὐ δύνανται πώποτε τοιοῦτόν τι δεῖξαι οἱ κατήγοροι· οὔτε γὰρ ἀρχιερεὺς, οὔτε κληρικὸς ἀπὸ τῶν πολλῶν καὶ μέχρι τοῦ ἑνὸς οἴδασιν, ἢ ὑπέγραψαι τὰ λεγόμενα κεφάλαια, οὔτε μὴν Κυρίλλου περὶ αὐτοῦ καταφάσκοντος ἤκουσαν πώποτε.

Δεύτερον, ἵνα μεταγραφῶσιν ἐν τοῖς κώδιξι τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ μεταγραφέντα αὖθις ὑπὸ τῶν ὑπογραψάντων τὰ πρωτότυπα ὑπογραφῶσι. πᾶν γὰρ περὶ πίστεως, ἢ ἄλλης τινὸς ἐκκλησιαστικῆς ἀναγκαίας ὑποθέσεως διδόμενον πατριαρχικὸν γράμμα, συνοδικὸν εἶναι βούλεται, ὡς συνοδικῇ σκέψει γραφόμενον, καὶ συνοδικῶς ἐξεταζόμενον, καὶ ὑπογραφόμενον· τὸ δὲ τοιοῦτον ἐν τοῖς κώδιξι μεταγράφεται. τοιοῦτον δὲ οὐκ ἦν τὰ λεγόμενα Κυρίλλου κεφάλαια. ἐπειδὴ οὐ μόνον τῆς ἐν τοῖς κώδιξι μεταγραφῆς ὑστέρηνται, ἀλλ' οὐδὲ ἴσασι ταῦτα ἕως τῆς σήμερον, πλὴν ὀλιγίστων, οὔτε ἀρχιερεῖς καὶ κληρικοί, μήτοιγε ὁ κοινὸς τῆς εὐσεβείας λαός. καὶ τοῦτο ὑπὸ τῆς πολλῆς τῶν ἐναντίων διακωδωνίσεως, ἣν καυχώμενοι ποιοῦσι πανταχοῦ, σείοντες τοῖς κατὰ τὰ θρυλλούμενα κεφάλαια ὡς τυχὸν τὴν ἐκκλησίαν ἀνατολικὴν ἴσα ἐκείνοις φρονεῖν· κἀκ τούτου καρποῦσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ εἰρημένον, (οὐ παύσομαι γὰρ τοῦτο πολλάκις λέγειν) ἵνα δηλαδὴ ἀπατῶσι τοὺς ἁπλουστέρους.

Τρίτον, ἵνα ἐν τῷ κώδικι γραφῶσιν ὑπό τινος



νος τῶν κληρικῶν, καὶ μὴ ὑπ' ἄλλου τινός. ἀλλὰ τὰ λεγόμενα Κυρίλλου κεφάλαια, οὐχ ὅτι μηδεὶς τῶν κληρικῶν μετέγραψεν ἔν τινι τῶν κωδίκων τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλος τις· ὡς φαίνεται σεσημειωμένα τὰ περὶ πίστεως καὶ διαταγῶν συνοδικά, καὶ μάλιστα τὰ τοῦ κὺρ Ἱερεμίου πρὸς τοὺς ἀπὸ Λουθήρου, ἃ κεῖνται ἐν τῷ μεγάλῳ κώδικι· καὶ ἐκεῖνα συγγράψας, καὶ μεταγράψας κληρικὸς γνώριμος, Θεοδόσιος μέγας ῥήτωρ ὁ Ζυγομαλᾶς, ὁ ἀπὸ Ναυπλίου τοῦ κατὰ Πελοπόννησον ὁρμώμενος.

Καὶ ἐντεῦθεν δὲ δίκην ἡλίου δῆλον λάμπει τὴν ἡμετέραν ἀλήθειαν. εἰ γὰρ ὁ κὺρ Ἱερεμίας μόνος γράφων πρὸς τοὺς ἀπὸ Λουθήρου, οὐ συνοδικῶς δηλαδή, ἀλλὰ μονώτατος, ἵνα εἶεν ἀξιόπιστα, καὶ μέμψεως χωρὶς τὰ γραφόμενα, ἠξίωσεν ἐκεῖνα τῆς ἐν τῷ κώδικι μεταγραφῆς, καὶ τοῦ λάχιστον τῆς ὑπογραφῆς τοῦ μεγάλου ῥήτορος, πῶς ὁ Κύριλλος ὁμολογῶν, καὶ διοριζόμενος, ὡς ἐκ προσώπου τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, οὔτε τῆς ἐν τῷ κώδικι, οὔτε τῆς ὑπὸ τῶν ἀρχιερέων, ἢ κληρικῶν ἠξίωσεν ὑπογραφῆς; ὥστε τὰ εἰρημένα κεφάλαια, ἐπειδὴ οὐ μόνον τῶν εἰρημένων τριῶν ὑστέρηται, ἀλλὰ μηδ' ἑνὸς ἠξιώθη τῶν τριῶν, εἴπερ ὑπὸ Κυρίλλου ἐξεδόθη, λαθραίως καὶ δολίως ἐξεδόθη.

## ΚΕΦΑΛ. γ.

Ὅτι δὲ καὶ τοῦτο ἀδύνατον, τὴν Κυρίλλου δηλαδὴ ὁμολογίαν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας εἶναι ἢ ὅλως λέγεσθαι ὁμολογίαν, δῆλον, εἰ μὴ πάνυ τις μαίνοιτο, καὶ τοῖς φανερωτάτοις ἐναντιοῦσθαι πειρῷτο. εἰ γὰρ, ὡς εἴρηται, Κύριλλος οὗτος ὁ ποτὲ οἰκουμενικὸς πατριάρχης, βεβαίως καὶ ἀληθῶς αἱρετικὸς ἦν, κἀκεῖνος συνέγραψε τὰ θρυλλούμενα κεφάλαια, καὶ ἄλλα μὲν ἐδίδασκε δημοσίως, ἄλλα δὲ ἐπίστευε τῇ καρδίᾳ, κατὰ τῆς ἰδίας συνειδήσεως ἔγραψε, καὶ ἐπίστευεν, οὐ κατὰ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, ἣν περιέπει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ μὴ τυφούσθωσαν οἱ ἀντίδικοι, δολίῳ καὶ ὅλως ἀθέῳ (εἴπερ ἄθεος ὡς θεοπαίκτης, ὁ ἄλλα μὲν ἔχων ἐν τῇ καρδίᾳ, ἄλλα δὲ ὁμολογῶν διὰ στόματος, παίζων ἐν ἀπαικτοῖς) ἀνδρὶ ἐγκαυχώμενοι· εἰ δὲ καὶ ὡς ἀπὸ μέρους τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ἔγραψε, τί πρὸς ἡμᾶς; αἰσχυνέσθω ὁ καταψευδόμενος, καὶ οἱ τῷ ψευδομένῳ προφανῶς ὡς ἀληθεῖ προσέχοντες.

Ἔτι εἰ ἀναντιῤῥήτως ἔγνωσται, τὴν ὁμολογίαν Κυρίλλου ἀδύνατον εἶναι Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχου ὁμολογίαν, (ὡς ὑστερημένην τῶν προσηκόντων ἰδιωμάτων τοῖς πατριαρχικοῖς γράμμασιν) ἀλλὰ τυχὸν Κυρίλλου τινὸς δολίου ἐν παραβύστῳ φλυαρήσαντος. ἀδυνατώτερον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν πάντῃ ἀδύνατον ὁμολογίαν εἶναι, ἢ λέγεσθαι τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ μάλιστα πρὸς τοῖς εἰρημένοις τρισὶν ἰδιώμασι τῶν

fuiſſent exſcripta prædicta Cyrilli capita: at eo nihil plane minus eſt. Etenim nemo clericorum, immo nec hominum in aliquo majoris eccleſiæ codicum ea tranſcripſit. Quemadmodum & in majori codice reperiuntur ea, quæ ſive circa fidem, ſive circa eccleſiæ regimen ab ſynodis fuere decreta, ac in primis quæ contra Lutheranos Patriarcha Jeremias edidit: ſed & notiſſimus, qui iis ſubſcripſit eaque tranſcripſit, clericus, Theodoſius Zugomalas, magnus Rhetor, Nauplio juxta Peloponeſum oriundus.

Atque hinc quidem nil ſole minus eorum quæ diximus, veritas eluceſcit. Si enim Jeremias Patriarcha contra Lutheranos utique ſolus, id eſt, non ſynodaliter, ſed ſolum ut privatus cum ſcripſiſſet, ea voluit in codice tranſcribi, & inſuper ab Rhetore præſtantiſſimo ſubſignari, quo fide digna & extra inquiſitionem omnem forent, quæ ſcripſerat, admittenda: cur Cyrillus canones ac profeſſionem fidei nomine eccleſiæ Orientalis cum edidiſſet, ea neque in codice exſcribi, neque ab epiſcopis aut clericis curavit ſubſignari? itaque prædicta capitula, cum non modo tria illa in ipſis deſiderentur quæ diximus, ſed illorum vel unum; conſtat, aut numquam, aut clanculum ac doloſe ab Cyrillo fuiſſe divulgata.

## CAPUT III.

Cyrilli etiam confeſſionem nullatenus eſſe nec dici poſſe Orientalis eccleſiæ confeſſionem, nemini non compertum, niſi inſanienti, & apertæ veritati contradicere ſtudenti. Si etenim, uti dictum eſt, Cyrillus iſte patriarcha œcumenicus cum eſſet, certo ac vere hæreticus fuerit, ipſeque decantata capitula compoſuerit, & alia quidem palam docuerit, alia vero occulte crediderit, contra Orientalem eccleſiam, Spiritus ſancti numquam non præſidio circumvallatam, nequaquam ille ſcripſit aut credidit, ſed contra propriam conſcientiam. Ne igitur in vafro ac prorſus atheo homine ultra glorientur adverſarii noſtri: atheus quippe ille eſt, qui Deo illudit, atque in rebus ab ludo remotiſſimis ludit, aliud in mente habens, aliud ore promens. Si vero nomine Orientalis eccleſiæ ſcribere voluit, quid ad nos? Pudore mendax ſuffundatur, & quiſquis comperto ejus mendacio, non ſecus ac veritati, adhærere non erubeſcit.

Evidentiſſime itaque conſtat, Cyrilli confeſſionem nequaquam eſſe poſſe patriarchæ Conſtantinopolitani confeſſionem, utpote quæ careat iis quæ patriarchalibus propria ſunt litteris: ſed forte doloſi cujuſdam Cyrilli occulte nugantis. Longe vero minus, ſatius dixerimus, nullatenus eſſe aut dici poſſe Orientalis eccleſiæ confeſſionem: idque eo maxime, quod præter tria prædicta, quæ ſynodalibus cujuſ-

juſcumque patriarchæ litteris ſunt propria, habere hæc confeſſio debeat ceterorum ſanctiſſimorum patriarcharum & ſententiam & chirographum, necnon & communem tum clericorum omnium, tum & reliquorum ſanctitate & ſapientia præcellentium conſpirationem, ita ut illorum contradicente nemine debita cognoſcatur.

Eccleſia ſiquidem Orientalis nec uni nec duobus, immo nec pluribus, partis dumtaxat, non autem totius nomine agentibus adhæret; neque ſui clavum regiminis committit; quicumque tandem fuerint illi, ſive Theologi præſtantiſſimi, ſive etiam ſanctitate præcellentes, ita ut mortuos revocent ad vitam, ſive dominatum haudquaquam ambientes, nec doloſe agentes; neque ſpectra quædam ad inſtar telæ aranearum artefacta occulte componentes, ſed ad ſummam veritatem unice conſpirantes. Atque hujuſmodi quidem ducta regimine, præceptorem agnoſcit Spiritum ſanctum, & unanimem habet profeſſionem divinis ſcripturis aut Apoſtolicis & Patriarchalibus traditionibus ne vel apice tenus diſſonam.

Ergo manifeſtum eſt Cyrilli confeſſionem eſſe non poſſe Orientalis eccleſiæ confeſſionem: immo vero ſicut album nigro contrarium, & lucis privatio tenebræ ſunt; ita evangelicæ veritati divinitus revelatæ, quam eccleſia tenet Orientalis, non modo contraire opponitur dicta Cyrilli confeſſio, ſed & privative.

## CAPUT IV.

EX omnibus quæ jam dicta ſunt, conſtat, Orientalem eccleſiam contra univerſa ab adverſariis ipſi impoſita eſſe ſuperiorem; neque vel præſumpta illa Cyrilli capitula, vel contentam in illis impietatem unquam vidiſſe, aut credidiſſe, aut credenda tradidiſſe. Firmiter quippe in fide Apoſtolorum & Prophetarum non ſtare, atque immanibus, tamquam nubes ſine aqua, circumferri ventis, ab ea prorſus alienum eſt, quæ ab Spiritu ſancto regitur & docetur. Verum quia non ſemel jam ab initio, hoc eodem de argumento verba fecimus, atque ad aperiendum mendacium ſub ſpecie pietatis ab adverſariis noſtris concinnatum operam dedimus; jam & ad perfectam calumniæ illorum apud fideles iſta perlecturos everſionem juxta ac intelligentiam, noſſe oportet, aut numquam credidiſſe Orientalem eccleſiam juxta doctrinam in iſtis Cyrilli capitulis expoſitam, aut, ſi ita crediderit, partem habere cum Chriſto nullatenus potuiſſe.

Porro iſta numquam credidiſſe manifeſtum eſt [illegible] ſi quando in adverſariorum [illegible] eſſent Orientales prolapſi, id ipſum [illegible] verbis, [illegible] factis, [illegible] demonſtraſſent. Et primum quidem, hanc ſi confeſſionem eſſent amplexi, eam utique de-

συνοδικῶν ἑνὸς ὄντων πατριαρχικῶν γραμμάτων, δεῖται ἀναγκαίως, ἥτε γνώμη, καὶ αἱ ὑπογραφαὶ τῶν λοιπῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, καὶ ἡ κοινωτάτη πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν, καὶ λοιπῶν ἁγιότητι καὶ σοφίᾳ διαφερόντων, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ σύμπνοια· ὥστε σχεδὸν μηδένα τῶν τοιούτων εἶναι τὸν ἀντιλέγοντα.

Ἐπειδὴ ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία οὐ προσέχει, οὔτε θαῤῥεῖ ἔν τινι ἢ δυσὶν ἢ καὶ πλείοσι λόγον μέρους ἔχουσι, καὶ μὴ καθόλου, ἵν' οὕτω διεξάγηται ὡς ἐκεῖνοι ἐθέλουσιν ὁποῖοι ποτ' ἂν ὦσι, κἂν θεολογικώτατοι δηλαδὴ τυγχάνωσιν ὄντες, κἂν ἁγιότητι διαφέρωσιν, ὥστε καὶ νεκροὺς ἀνιστᾶν, μή τί γε φιλάρχοις, καὶ δολίοις, καὶ λαθραίαν μορμολύκειά τινα ὡς ἱστὸν ἀράχνης ἀχειρότευκτα καταπεφλυαρηκόσιν· ἀλλ' ἐν πᾶσι τοῖς εἰρημένοις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἄκρως συμφωνοῦσι· οὕτω γὰρ διεξαγομένη διδάσκαλον γνωρίζει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τὴν συμφωνίαν οἶδε μηδόλως τῷ θείῳ ῥήματι, ἢ ταῖς ἀποστολικαῖς καὶ πατριαρχικαῖς παραδόσεσιν ἀντιπίπτουσαν.

Δῆλον ἄρα τὴν Κυρίλλου ὁμολογίαν ἀδύνατον εἶναι τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ὁμολογίαν, μάλιστα δὲ ὥσπερ τὸ μέλαν ἐναντίον τῷ λευκῷ, ἢ τὸ σκότος στέρησις τοῦ φωτός, οὕτως ἡ λεγομένη αὕτη Κυρίλλου ὁμολογία ἐναντία καὶ στέρησις τῆς ἐν τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ θεοπνεύστου καὶ εὐαγγελικῆς ἀληθείας.

## ΚΕΦΑΛ. δ'.

ΕΚ τῶν ἤδη εἰρημένων τοῖς πᾶσιν ἐγένετο προφανές, ὅτι ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία ἀνωτέρα τυγχάνει τῶν κατηγορημάτων, ἃ καὶ αὐτῇ ἐφόρουν οἱ ἐναντίοι· καὶ ἥκιστα οἶδεν, ἢ ἐξέδωκεν, ἢ ἐπίστευσεν, ἢ τὰ διαληφθέντα Κυρίλλου κεφάλαια, ἢ τὴν ἐν ἐκείνοις περιεχομένην ἀσέβειαν. ἀνοίκειον γὰρ αὐτῇ τὸ μὴ ἵστασθαι ἑδραίως τῇ πίστει τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, καὶ τὸ περιφέρεσθαι, ὡς νεφέλαι ἄνυδροι περιφερόμεναι ὑπ' ἀγρίων ἀνέμων, ἐπειδὴ πλουτεῖ διδάσκαλον καὶ ὁδηγὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἀλλὰ ἐπειδὴ ἐν ἀρχῇ συνεχωρήθη πολλάκις λέγειν περὶ τοῦ αὐτοῦ, καὶ τρόποις παντοίοις φιλοπονεῖν, γυμνὸν ἀποδεικνύειν τὸ ἐν σχήματι εὐσεβείας σόφισμα, καὶ περιτέχνημα τῶν κατηγόρων, εἰς καθαίρεσιν μὲν πάσης τῆς τῶν εἰρημένων ἐπινοίας, κατάληψιν δὲ πρόχειρον τοῖς ἐντυγχάνουσιν εὐσεβέσι, φαμὲν ὅτι δεῖ καὶ τοῦτο εἰδέναι. ὅτι ἢ ἀδύνατον τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν πεπιστευκέναι, ὡς τὰ τοῦ Κυρίλλου κεφάλαια βούλεται, ἢ πεπιστευκυῖαν, πάντη ἀδύνατον αὐτὴν μετὰ Χριστοῦ ἔχειν μερίδα.

Ὅτι δὲ τὸ πρῶτον ἀληθές, φανερὸν [illegible] αὐτοὺς (τοὺς ἀνατολικοὺς) εἴποτε [illegible] τὴν τοιαύτην τῶν ἐναντίων ἄνοιαν, μὴ ψιλοῖς λόγοις, ἀλλὰ αὐτοῖς πράγμασι πιστῶσαι· καὶ πρῶτον, μετὰ δόξης αὐτοὺς τὴν ὁμολογίαν,





λογίαν, ἔγγραφον, καὶ κατησφαλισμένην τοῖς ἐν τῷ τρίτῳ κεφαλαίῳ λεγομένοις ἰδιώμασι. δεύτερον δέ, διασείσειν πάντας τοὺς τῆς ἱερωσύνης βαθμούς, καὶ μάλιστα τὰς τῆς ἐπισκοπικῆς πρὸς τοὺς ἄλλους βαθμοὺς διαφοράς, ὡς εἶναι τοὺς ἐπισκόπους ἀδιαφόρως πρεσβυτέρους, καθὼς ἡ Κυρίλλου μανία ὑπαινίττεται. ἀλλὰ τοῦτο οὐδέποτε τοῖς ἀνατολικοῖς συμβέβηκεν, (οὔτε μὴν συμβήσεται σὺν Θεῷ σωτῆρι) ἐπειδὴ ἕως ἄρτι παρ' αὐτοῖς πραγματικῶς διαφέρουσιν οἱ τῆς ἱερωσύνης βαθμοί, ἄρα μηδέποτε οἱ ἀνατολικοὶ τῇ Κυρίλλου μανίᾳ ἐπίστευσαν.

Ἔτι ἵνα μὴ ἔχωσιν ἑπτὰ τὰ μυστήρια, καὶ τῶν κυριακῶν οἴκων ἐκβάλλωσι τὰς ἁγίας εἰκόνας, καὶ τῷ σημείῳ τοῦ τιμίου σταυροῦ μὴ κατασφραγίζεσθαι, τὰ τῶν ἁγίων λείψανα μὴ τιμᾶν, μήτε μὴν τούτους ὕμνοις καὶ ἑορταῖς δημοσίαις γεραίρειν· τῶν περὶ τῶν κεκοιμημένων μνημοσύνων, καὶ ἀποιῶν ἀπέχεσθαι, καὶ τὴν ὅλην μυσταγωγίαν, ὡς αὐτοὶ οἱ ἀντίδικοι βούλονται, ἐπιτελεῖν.

Ἀλλ' οὔπω τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς ἀνατολικοῖς ἐπράχθη πώποτε· ὥστε οὐ μόνον ἁπλῶς ἑπτὰ εἶναι τὰ μυστήρια ὁμολογοῦσιν, ἀλλὰ καὶ δι' αὐτῶν καθαγιάζονται ὁσημέραι. καὶ οὐ μόνον εὐκτήριος οἶκος, ἀλλ' οὐδὲ οἶκος τῶν τινος χριστιανῶν ἐστιν ἄμοιρος εἰκόνων ἁγίων, καὶ σημείου τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ, ὃν καὶ κατὰ δαιμόνων ἔχουσιν ἀεὶ ὅπλον ἀκαταμάχητον. καὶ οὕτω τιμῶνται παρ' αὐτοῖς τὰ ἅγια λείψανα, ὥστε καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἀσθενείαις, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τούτοις ἰατροῖς χρῶνται, καὶ τιμῶσιν αὐτοὺς ὡς θεράποντας τοῦ Θεοῦ· ὡς μαρτυρεῖ ἡ παρ' αὐτοῖς ὁσημέραι ᾀδομένη παρακλητική, τὸ τριώδιον, καὶ τὰ δώδεκα μηναῖα. ἀλλὰ περὶ μνημοσύνων οὕτω φιλοσοφοῦσιν, ὥστε πάντοτε καὶ κατ' ἐξοχὴν κατὰ πᾶν σάββατον, καὶ ἡμέραν ἑορτάσιμον προσφέρουσι τῷ Θεῷ τὴν ἀναίμακτον θυσίαν ὑπὲρ πάσης ψυχῆς τῶν χριστιανῶν εὐσεβῶν ζώντων, καὶ τεθνεώτων, ἐλεημοσύναις τε καὶ θείοις ἀναθήμασιν ἐξιλεοῦνται τὸ θεῖον. [illegible] πῶς εἰπεῖν οὕτω προσέχουσιν οἱ ἀνατολικοὶ τῇ πίστει τῶν λεγομένων κεφαλαίων, ὥστε, ὡς εἴρηται ἀνωτέρω, κατὰ διάμετρον ἐκείνῃ ἀντίκεινται, μηδαμῶς τῶν ἀποστολικῶν καὶ πατριαρχικῶν παραδόσεων ἀφιστάμενοι, ἄχρι καὶ τῶν ἐλαχίστων. ἀδύνατον ἄρα τοὺς ἀνατολικοὺς εἰδέναι τὴν Κυρίλλου ὁμολογίαν.

Ἐχόμενον δ' ἐστὶν εἰπεῖν, καὶ περὶ τοῦ ἑτέρου μέρους, ὅτι εἰ τυχὸν δοίημεν τοὺς ἀνατολικοὺς πεπιστευκέναι ποτέ, ὡς οἱ ἀντικείμενοι βούλονται, ἀδύνατον αὐτοὺς εἶναι χριστιανούς. τῷ γὰρ πιστεύοντι τρία τινὰ μάλιστα ἀναγκαίως συμβαίνει· καρδίας πίστις ἀναμφίβολος εἰς δικαιοσύνην, στόματος ὁμολογία εἰς σωτηρίαν, καὶ ὁ καρπὸς τῆς πίστεως, καὶ τῆς ὁμολογίας· ἅτινά ἐστι τὰ θεάρεστα ἔργα τοῦ κατὰ Χριστὸν βίου.

Οἱ οὖν ἀνατολικοὶ πιστεύοντες, ὡς ἡ Κυρίλ-

ſcribere, ac tribus conditionibus capite tertio recenſitis munire nequaquam omiſiſſent. Deinde ſtatutum inter ſacros gradus ordinem, ac potiſſimum epiſcopalis ab ceteris diſcrimen ſuſtuliſſent, quatenus epiſcopum & presbyteros inter nihil jam diſcriminis, uti Cyrillus in ſtulta illa confeſſione ſignificat, interceſſiſſet: aſt Orientalibus id numquam contigit, neque juvante Deo Salvatore continget: ſiquidem inter ſacerdotii gradus realem hactenus differentiam agnovere. Igitur Cyrilli commentis Orientales numquam adhæſere.

Item nec ſeptem ſacramenta habuiſſent; neque intra eccleſias & Oratoria ſacras imagines admiſiſſent, neque venerabili ſigno crucis ſe ſignaſſent, neque ſanctorum reliquiis honorem adhibuiſſent, neque hymnis feſtiſque publicis eos coluiſſent. Denique a memoria defunctorum, piiſque pro eorum refrigerio operibus abſtinuiſſent; atque uno verbo totam rem ſacram, eo quo placet adverſariis, ritu perfeciſſent.

Verum hujuſmodi nihil umquam apud Orientales factum eſſe vel inde probatur, quod ſeptem ſacramenta nedum confitentur, ſed & iiſdem quotidie ſanctificantur: & non modo Oratorium nullum, ſed etiam domum Chriſtianorum nullam reperire eſt tum ſacris imaginibus, cum vivificæ crucis ſigno non ornatam: quo quidem ceu inexpugnabili ſcuto adverſus dæmones numquam non inſtruuntur. Ita vero ſanctorum venerantur reliquias, ut eos morbis omnibus ceu medicos adhibeant, & tamquam Dei miniſtros honore proſequantur: uti quæ apud illos quotidie cantantur, Paracliticon, Triodon & Martyrologium, aperte teſtantur. Sed & circa commemorationes ita religioſe ſentiunt, ut abſque intermiſſione, ac in primis ſingulis ſabbatis & diebus feſtis pro fidelium Chriſtianorum omnium, cum vivorum, cum defunctorum, animabus, ſacrificium Deo offerant incruentum, ſacriſque oblationibus & eleemoſynis divinum pro illis Numen exorent. Denique ita a fide prædictorum capitulorum diſtant Orientales, ut e diametro (uti ſupra dictum eſt) iis adverſentur, ne vel latum unguem ab Apoſtolorum & Patrum traditionibus recedentes. Cyrilli igitur confeſſionem impoſſibile eſt Orientales agnoviſſe.

Supereſt ut & caput alterum proſequamur, nimirum a Chriſtiana profeſſione penitus defeciſſe Orientales, ſi quando, uti adverſarii contendunt, credidere. At enim tria ſunt omni credenti perquam neceſſaria: ſcilicet, corde firmiter credere ad juſtitiam, oris confeſſio ad ſalutem, & hujuſmodi tum fidei, tum confeſſionis fructus, Deo videlicet accepta vitæ Chriſtianæ opera.

Orientales igitur juxta Cyrilli confeſſio-

ANNO CHRISTI 1672.

ſionem ſi crediderunt, verbis quidem nequaquam credidere; quandoquidem oppoſitam prædictis capitulis fidem hactenus ſunt profeſſi.

Sed nec operibus umquam, ut antea dictum eſt, ad Calviniſtas acceſſere: igitur corde cum hæreticis convenere, & contentam in hujuſmodi capitulis profeſſionem edidere. (Juvat enim Calviniſtis puerili ſe ſe modo gerentibus ita loqui puerilia.) Porro ita eſt, eos impoſſibile eſt eſſe Chriſtianos. Chriſtiani etenim vel appellatione, nedum Chriſti participatione, indignus profecto eſt, qui (uti feciſſe Cyrillum ſuppoſuimus) alia corde credit, alia tum ore, cum factis confitetur. Pari quippe modo credens Judas, & apparenter quidem diſcipulus, intus vero proditor, igni deputatus eſt ſempiterno.

Quin & hoc impoſſibile eſt: homines quippe cum ſimus, alia ratione quam verbis & ſignis id quod in mente habemus, manifeſtare aliis haudquaquam poſſumus. Porro Cyrilli confeſſioni contraria & verbis & ſignis, proin & corde, Orientales in omnibus credere atque confiteri jam antea demonſtratum eſt.

Rurſus, ſi utique Calviniſtis corde Orientales adhæſere; ſi minus verbis & factis licuit eis (nonnulla forcaſſis haud ſine cauſa) conſentire, at nequaquam ita vehementer eos excipere debuiſſent. Verum ita graviter illis ſuccenſent, ut Dominica poſt diem Octobris undecimam, & prima magnæ Quadrageſimæ Dominica, (quam propterea Ὀρθοδοξίαν vocant) adverſus Iconomachos, & eos qui imagine aut ſimilitudine tenus dumtaxat, ſive etiam figura aut metaphora, non autem realiter & vere, panem & vinum in euchariſtia poſt conſecrationem converti aſſerunt, anathema pronuncient.

Videtur autem ex his quæ in prædictis diebus feſtis dicuntur, hic nonnulla ſubjicere.

Dominica poſt diem menſis currentis (id eſt, Octobris) undecimam, ſanctorum Patrum, qui ad amputanda ſubvertendaque tum Iconomachorum Chriſto Chriſtianiſque infenſiſſimorum, tum & Copronymi, epiſcoporumque ac impiorum patriarcharum illi conſpirantium, tum etiam execrandi eorum conciliabuli athea dogmata, ſanctæ & œcumenicæ Nicænæ ſynodo II. interfuere, memoriam celebramus. Et quidem qualia adverſus hæreticos in ea profiteatur eccleſia, vel ex uno ejuſdem feſti titulo facile deprehendimus.

In Dominica item, quæ Ὀρθοδοξία dicitur, nonnulla proferamus titulum proxime ſequentia. Hæc autem omnia noſſe ex hujuſmodi Triodo quiſque poteſt, qui in illud inciderit.

λου βούλεται ὁμολογία, λόγοις μὲν οὐκ ἐπίστευσαν, ἐπειδὴ καὶ ἕως τῆς ὥρας ταύτης πᾶν τοὐναντίον τῇ ἐν τοῖς κεφαλαίοις πίστει ὁμολογοῦσιν.

Ἀλλ᾽ οὐδὲ ἔργοις αὐτοῖς πώποτε Καλουΐνοις ἐοίκασιν οἱ ἀνατολικοὶ, ὡς εἴρηται ἀνωτέρω· ἄρα καρδίᾳ μόνῃ (ῥητέον γάρ τι νεανικώτερον πρὸς τοὺς ταῖς φρεσὶ νηπιάζοντας Καλουΐνους) τοῖς αἱρετικοῖς συμπεφωνήκασι, καὶ τὴν τῶν κεφαλαίων πίστιν ἐκδεδώκασιν. εἰ δὲ ἀληθὲς τοῦτο, ἀδύνατον αὐτοὺς εἶναι χριστιανοὺς, ἐπειδὴ ὁ ἄλλα μὲν πιστεύων τῇ καρδίᾳ, ἄλλα καὶ ὁμολογῶν τῷ στόματι, καὶ τοῖς ἔργοις, (οἷον συμβέβηκε γεγονέναι, ὡς ὑπετέθη, τὸν Κύριλλον) ἀναποδείκτως ἀνάξιος καὶ αὐτῆς τῆς χριστιανοῦ προσηγορίας, μήτοιγε τῆς τοῦ Χριστοῦ μερίδος. τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ καὶ Ἰούδας πιστεύσας, καὶ προφανῶς μὲν ὢν μαθητὴς, κρυφίως δὲ προδότης, τῷ αἰωνίῳ παρεπέμφθη πυρί.

Ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἀδύνατον· ἀνθρώπους γὰρ ὄντας ἡμᾶς, πῶς ἂν ἄλλως τὰ ἐν τῇ ψυχῇ κοινωνήσαιμεν ἀλλήλοις, εἰ μὴ διὰ φωνῶν, ἔσθ᾽ ὅτε καὶ σημείων. ἀλλὰ τοῦτο προαποδέδεικται τοὺς ἀνατολικοὺς πάντοτε πιστεύειν, καὶ ὁμολογεῖν, τῇ φωνῇ καὶ τοῖς σημείοις ἐναντία τῇ Κυρίλλου ὁμολογίᾳ, ἄρα καὶ τῇ καρδίᾳ.

Ἔτι οἱ ἀνατολικοὶ εἴπερ τῇ καρδίᾳ ἐνεδώκασι Καλουΐνοις, ἔδει αὐτοὺς, εἰ μὴ καὶ τῷ στόματι καὶ τοῖς ἔργοις, διατὶ ἐμπόδιον, μὴ συμφωνεῖν ἐκείνοις, κἂν μὴ κατ᾽ ἐκείνων φέρεσθαι ἀσυμπαθῶς· ἀλλ᾽ οὕτω κατ᾽ ἐκείνων φέρονται, ὥστε καὶ τῇ μετὰ τὴν ἑνδεκάτην τοῦ Ὀκτωμβρίου μηνὸς κυριακῇ, καὶ ἐν ἑκάστῃ τῆς μεγάλης τεσσαρακοστῆς κυριακῇ πρώτῃ, (ἣν καὶ Ὀρθοδοξίαν ἐπωνύμως τῇ σημασίᾳ καλοῦσι) ἀναθέματι τοὺς εἰκονομάχους, καὶ τοὺς εἰκονικῶς, ἢ ὁμοιωματικῶς, ἢ τροπικῶς, καὶ μεταφορικῶς, καὶ μὴ πραγματικῶς, καὶ ἀληθῶς μεταβάλλεσθαι τὸν τῆς εὐχαριστίας ἄρτον καὶ οἶνον μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, εἰς τὸ ἀληθὲς τοῦ κυρίου σῶμα καὶ αἷμα ἀποφαινομένους καθυποβάλλουσι.

Εἰ δὲ δοκεῖ κείσθωσαν καὶ ταῦτά τινα τῶν ἐν ταῖς εἰρημέναις ἑορταῖς λεγομένων.

Κυριακῇ μετὰ τὴν ἑνδεκάτην τοῦ παρόντος (δηλαδὴ τοῦ Ὀκτωμβρίου) μηνὸς μνήμην ἐπιτελοῦμεν τῶν ἁγίων πατέρων τῆς ἑβδόμης ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων τὸ δεύτερον, ἐπὶ καθαιρέσει καὶ ἀνατροπῇ τῶν ἀθέων δογμάτων, τῶν μισοχρίστων, καὶ χριστιανοκατηγόρων, εἰκονομάχων, τοῦ τε Κοπρωνύμου, καὶ τῶν αὐτῷ συμφρονούντων ἐπισκόπων, καὶ ἀπείρων ἀρχιερέων, καὶ τοῦ αὐτοῦ ἀθέσμου καὶ ἐξαγίστου συνεδρίου. καὶ τὰ μὲν τῆς ἑορτῆς ταύτης ἀρκεῖ ἡ ἐπιγραφὴ καὶ μόνη δηλῶσαι, ὁποῖα ἐν ταύτῃ τὰ κατὰ τῶν αἱρετικῶν φιλοσοφούμενα τῇ ἐκκλησίᾳ.

Ἐκ δὲ τῆς Ὀρθοδοξίας ὀλίγα τινὰ μετὰ τὴν ἐπιγραφὴν ἐκτιθέσθω. ἔστι δὲ τοῖς βουλομένοις τὰ λεγόμενα πάντα ἐν ταύτῃ τῷ τριῳδίῳ ἐντυχοῦσιν εἰδέναι.

„ Τοῖς



„ Τοῖς τὴν καθ᾽ ἑκάστην προσαγομένην θυσίαν, ὑπὸ τῶν παραλαβόντων ἀπὸ Χριστοῦ τὴν τῶν θείων μυστηρίων ἱερουργίαν, μὴ δεχομένοις τῇ ἁγίᾳ τριάδι προσάγεσθαι, ὡς ἀντιφθεγγομένοις ἐντεῦθεν τοῖς ἱεροῖς καὶ θείοις πατράσιν.

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Τοῖς ἀκούουσι μὲν τοῦ σωτῆρος περὶ τῆς παρ᾽ αὐτοῦ παραδοθείσης τῶν θείων μυστηρίων ἱερουργίας λέγοντος· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· μὴ ἐκλαμβανομένοις δὲ ὀρθῶς τὴν ἀνάμνησιν, καὶ διὰ τοῦτο ἄλλην εἶναι ταύτην παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῷ σωτῆρι τετελεσμένην εἰσάγουσι, καὶ πρὸς ἐκείνην φανταστικῶς καὶ εἰκονικῶς ἀναφερομένοις, ὡς κενοῦσι τὸ τῆς φρικτῆς καὶ θείας ἱερουργίας μυστήριον, δι᾽ οὗ τὸν τῆς μελλούσης ζωῆς ἀρραβῶνα λαμβάνομεν· καὶ ταῦτα τοῦ θείου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ χρυσορρήμονος, διατρανοῦντος τῆς θυσίας τὸ ἀπαράλλακτον, καὶ μίαν, καὶ τὴν αὐτὴν εἶναι φάσκοντος, ἐν πολλαῖς τῶν τοῦ μεγάλου Παύλου ῥητῶν ἐξηγήσεων.

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Τῷ φρυαξαμένῳ συνεδρίῳ κατὰ τῶν σεπτῶν εἰκόνων.

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Ταῖς ἐκλαμβάνουσι τὰς παρὰ τῆς θείας γραφῆς ῥήσεις κατὰ τῶν εἰδώλων, εἰς τὰς σεπτὰς εἰκόνας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ τῶν ἁγίων αὐτοῦ.

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Τοῖς κοινωνοῦσιν ἐν γνώσει, τοῖς ὑβρίζουσι καὶ ἀτιμάζουσι τὰς σεπτὰς εἰκόνας.

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Τοῖς λέγουσιν, ὅτι ὡς θεοῖς οἱ χριστιανοὶ ταῖς εἰκόσι προσῆλθον.

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Τοῖς τολμῶσι λέγειν, τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν εἴδωλα ποτὲ δεδέχθαι, ὡς ὅλον τὸ μυστήριον ἀνατρέπουσι, καὶ τὴν χριστιανῶν ἐνυβρίζουσι πίστιν,

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Εἴ τις τῆς χριστιανοκατηγορικῆς αἱρέσεως ὄντα πιστά, ἢ ἐν αὐτῇ τὸν βίον ἀπορρήξαντα διεκδικεῖ,

ANNO CHRISTI 1672.

„ Iis qui ſacræ ſcripturæ ac ſanctorum Patrum ſenſui contradicentes, ſingula, quæ illi, qui divina celebrandi myſteria a Deo poteſtatem accepere, offerunt ſacrificia, ſanctiſſimæ Trinitati negant oblata,

Ter anathema.

„ Iis qui Chriſtum quidem audiunt de ea, quam tradidit ipſe ſacrorum myſteriorum celebratione dicentem: *Hoc facite in meam commemorationem*; ſed verbum commemorationis ita interpretantur, ut ab eo quod initio Salvator celebravit ipſe, aliud eſſe ſacrificium iſtud colligant, & hoc ceu figuram dumtaxat & imaginem ad illud referant; itaque tremendum divinæ Liturgiæ ſacramentum, quo futuræ vitæ pignus accipimus, penitus tollant; cum ſanctus pater noſter Joannes Chryſoſtomus omnem prorſus hoc in ſacrificio removeat diverſitatem, immo unum & idem eſſe, in ſuis ſupra magni Pauli epiſtolas commentariis paſſim aſſeveret:

Ter anathema.

„ Injurioſo in ſanctas imagines conciliabulo,

Ter anathema.

„ Iis qui contra venerandas Chriſti Dei noſtri ſanctorumque ejus imagines, ſacræ ſcripturæ ſententias adhibent adverſus prolatas,

Ter anathema.

„ Iis qui venerandas imagines aſpernantium atque in illas injuriorum ſententiæ communicant,

Ter anathema.

„ Iis qui dicunt Chriſtianos ſanctorum imagines ceu quaſdam Divinitates adorare,

Ter anathema.

„ Iis qui dicere non verentur idola apud Orientalem eccleſiam aliquando fuiſſe recepta, totum ita religionis evertentes ſacramentum, & extremam Chriſtianorum fidei injuriam referentes,

Ter anathema.

„ Ei qui in Chriſtianorum calumniatrice hæreſi verſantem, aut cum ea defunctum, defendit,

Ter

ANNO CHRISTI 1672.

Ter anathema.

„ Ei qui Domini noſtri Jeſu Chriſti „ depictam humana ſpecie imaginem ado- „ rare renuerit ,

Ter anathema.

Hæc igitur , & quidem talia Orientales cum amplectantur , corde toto excipiant , confiteantur , & quotidie publice decantent ; profecto cum Calviniſtis circa ea , in quibus petulanter iſti gloriantur , nullatenus umquam conſenſere.

Deinde ſi quid hujuſmodi Orientali contigiſſet eccleſiæ , unus id totum metus effeciſſet . Fuiſſet autem metus iſte vel ſpiritualis , id eſt , Dei : vel humanus . Si Dei , in omnibus neceſſario recte ſenſiſſent ; neque enim aliud mente tenere , aliud ore confiteri ( miſerrimum cum ſit ) licet iis quos verus Dei timor poſſidet . Si vero humanus , nequaquam id quod corde credebant , palam confiteri propterea diſtuliſſent ; id enim execrandis quidem ac deicidis , qui apud Hiſpanias agunt , Judæis ſolitum , ab catholica vero Chriſtianorum profeſſione prorſus alienum . Quippe nec Chriſtiani vel nomine dignus eſt , qui gloriam magis hominum dilexerit , quam Dei . Atqui ab Orientalibus id ſceleris funditus alienum . Etenim ſi ita in errorem induci poſſent illi , ut corde quidem Chriſtianos eſſe poſſe arbitrarentur , ore vero in eamdem cum iis quorum imperio ſubſunt , fidei convenire profeſſionem ; id ipſum utique non omitterent , quo ab duriſſimis , quas ſub eorum dominatu patiuntur , ſe ſe anguſtiis eximerent . At enim ne in cogitationem quidem cadere id Orientalibus poteſt , longe minus igitur tantum ab ipſis ſcelus admitti ; ab impietate etenim ut differre videatur impietas , ad eumdem tamen quos inficiunt , finem , æternam nempe punitionem , ambæ perducunt . Quamobrem omni prorſus ab impietate ceu pœnæ interminabilis advectrice , ſibi cavere debet quiſquis ad æternam ſalutem vult pervenire .

Deinde , quidnam ab Imperatoribus ſuis timent Iberi , tam qui circa Pontum Euxinum habitant , quam qui circa mare Caſpium & Colchi ? Quid timent Leci & Zenychi , Caucaſi montis incolæ , & qui vulgo appellantur Apchaſi , quorum alii quidem Iberis & Colchis per omnia ſimiles ſunt ; alii vero cum ceteris , qui hic recenſentur , fidem tenent orthodoxam ? Quid timent , qui majorem minoremque & albam Ruſſiam , ac florentiſſimum Moſcoviæ regnum , a Poloniæ finibus ad penitiſſimos Orientales , & a Gotthia ſive Sphetzia , uſque ad Unos & Caſpii incolas , & a Tyrba ; quem & Niſſenum vulgo dicunt , necnon & ab Tauroneſo ſive Cherſoneſo , uſque ad oceanum , habitant ? Quid timent Poloni & Orientalis eccleſiæ filii , qui in inſulis &

Ἀνάθεμα τρίς.

„ Εἴ τις οὐ προσκυνεῖ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν „ Χριστὸν ἐν εἰκόνι περιγραπτὸν κατὰ τὸ ἀνθρώπι- „ νον ἤτω.

Ἀνάθεμα τρίς.

Εἰ οὖν ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα παρὰ τῶν Γραικῶν φιλεῖται, στέργεται, ὁμολογεῖται καὶ ὁσημέραι δημοσίως ᾄδεται· μηδενί ποτε τρόπῳ Καλουΐνοις ἐν οἷς ἐκεῖνοι ἐγκαυχώμενοι λέγουσιν, ἐκοινώνησαν.

Ἔτι εἰ τοιοῦτόν τι συμβέβηκε τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ, τὸ ἐμπόδιον οὐδὲν ἕτερον ἂν ἦν, εἰ μή τις φόβος. ὄντος δὲ σχεδὸν τοῦ φόβου διττοῦ, ἢ πνευματικοῦ δηλονότι, ἢ σωματικοῦ. εἰ μὲν ὁ φόβος τῶν ἀνατολικῶν ἦν θεῖος καὶ πνευματικός, ἀδύνατον αὐτοὺς ὀρθῶς ἐν ἅπασι μὴ ὡμολογηκέναι. ὅπου γὰρ θεῖος φόβος, οὐ δεῖ ἕτερα μὲν πιστεύειν, ἕτερα δὲ ὁμολογεῖν. ἄθλιον γάρ. εἰ δὲ ὁ φόβος ἦν ἀνθρώπινος, καὶ διά τινα δηλαδὴ φόβον ἀνθρώπων, τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ μὴ δύνασθαι παῤῥησίᾳ κηρύττειν, ὡς ξυμβαίνει τοῖς [a] κατηράτοις καὶ ἀλιτηρίοις ἐν Ἰσπανίαις εὑρισκομένοις Ἰουδαίοις, ἀλλὰ καὶ τοῦτο τῇ ὀρθοδόξῳ τῶν χριστιανῶν πίστει ἀνοίκειον. ὁ γὰρ προκρίνων τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, οὐδ᾽ ὅλως δύναται εἶναι χριστιανός. ἀλλ᾽ οὐκ ἴδιον τουτὶ τὸ πλημμέλημα τοῖς ἀνατολικοῖς. ἐπειδὴ εἰ ἦν τοῦτο δυνατὸν παρ᾽ αὐτοῖς, ἦν ἂν δυνατὸν καὶ τῇ καρδίᾳ μὲν εἶναι χριστιανοὺς τῷ στόματι δὲ καὶ τοῖς σημείοις ἓν εἶναι αὐτοὺς ἐν τῇ πίστει μετὰ τῶν κρατούντων. οὕτω γὰρ ἂν καὶ τῶν δεινῶν ἃ ὑποφέρουσιν ἦσαν ἀπηλλαγμένοι. ἀλλὰ τοῦτο ἀδύνατον τοὺς ἀνατολικοὺς οὐδ᾽ εἰς ἔννοιαν λαβεῖν, ἄρα κἀκεῖνο ἀδυνατώτερον. ἀσέβεια γὰρ ἀσεβείας εἰ καὶ δοκεῖ διαφέρειν, ἀλλ᾽ εἰς ἓν τέλος, ἄγουσιν ἀμφότεραι τοὺς οἰκείους, εἰς τὴν αἰώνιον κόλασιν δηλαδὴ, καὶ διατοῦτο πᾶσαν ὁπωσοῦν ἀσέβειαν ὡς πρόξενον τιμωρίας ἀπεράντου, φευκτέον τὸν θέλοντα σωτηρίας τυχεῖν.

[a] Pro. κ. τηρατ.

Ἔπειτα τίς φόβος παρὰ τῶν κρατούντων τοῖς περὶ ἔγγυς τοῦ Εὐξείνου Πόντου, καὶ τοῖς παρὰ τῇ Κασπίᾳ Ἴβηρσι, καὶ τοῖς Κόλχοις; τίς φόβος τοῖς οἰκοῦσι τὸν Καύκασον Λέκοις, καὶ τοῖς Ζηνύχοις, καὶ κοινῶς λεγομένοις Ἀπχάζοις, ὧν οἱ μὲν παντάπασιν οἷον Ἴβηρες, καὶ Κόλχοι, οἱ δὲ πλείους οἷον οἱ ἀριθμηθέντες λοιποὶ ὀρθοδοξοῦσι; τίς φόβος τοῖς τὴν μεγάλην καὶ μικρὰν καὶ λευκὴν Ῥωσίαν, καὶ τὴν πανευδαίμονα βασίλειαν Μοσχοβίας οἰκοῦσιν, ἀπὸ Πολωνίας ἕως τῶν ἀνατολικωτάτων ἐθνῶν, καὶ ἀπὸ Γοτθίας εἴτουν Σφετζίας, ἕως Οὔνων καὶ Κασπίας οἰκούντων, καὶ ἀπὸ Τύρβα, ὃν καὶ Νίσβον καλοῦσι κοινῶς, καὶ τῆς Ταυρονήσου ἢ Χερσονήσου ἕως ὠκεανοῦ; τίς φόβος τοῖς ἐν τῇ Πολωνίᾳ, καὶ τοῖς οὖσιν ἐν



ταῖς νήσοις, Ἐνετίῃσι, Λιβύῃ, καὶ Περσίδι τέκνοις τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, οἱ πάντες καὶ τοῖς κρατοῦσι τῶν ἀνατολικῶν ἀνυπότακτοι, καὶ ἡμῖν σύμφωνοι ἐν τοῖς περὶ πίστεως, ἵνα εἰ τὴν τῆς ἀπωλείας ταύτην τῶν ἀντικειμένων δόξαν ἀσεβῆ ᾔδεσαν, μὴ πιστεῦσαι; ἢ τάχα οἱ καλοὶ οὗτοι ἄνδρες νομίζουσιν ἡμᾶς ἐν τοῖς περὶ πίστεως, οὕτως ἀδεῶς βιάζεσθαι παρά τινων, ὡς αὐτοὶ οὗτοι ποιοῦσι τοῖς ἐν Οὐγκαρίᾳ ἀδελφοῖς ἡμῶν, οὓς ὁσημέραι ταλαιπωροῦσι τρόποις παντοίοις, ἵν᾽ ἐκείνοις προστεθῶσι· καὶ ποτὲ μὲν ὁρίζονται τὸν προορισμὸν εἶναι προαιώνιον τοῦ Θεοῦ βούλησιν, ἵν᾽ οὗτος μὲν δικαιωθῇ, οὗτος δὲ ἀναιτίως κατακριθῇ· ποτὲ δὲ ὡς τύραννοι, καὶ τοῦ εὐαγγελίου ἀντίδοξοι τυραννοῦσι τοὺς εὐσεβεῖς προστεθῆναι τῇ ἐκείνων ἀπονοίᾳ, μηδενὶ θεμελίῳ ἱστάμενοι, ἀλλ᾽ ὡς νεφέλαι ἄνυδροι συμπεριφερόμενοι τῷ ἰδίῳ αὐτῶν προστάτῃ, ἵνα μὴ λέγωμεν τῷ σατανᾷ. εἰ οὖν οἱ τῶν ἀνατολικῶν κρατοῦντες οὐ βιάζουσιν οὕτως ἀδεῶς τοὺς ἀνατολικοὺς ἐξομόσασθαι τὴν εὐσέβειαν, οἱ δὲ κατήγοροι βιάζουσι, πολλῷ φιλανθρωπότεροι ἐκείνων οὗτοι. καὶ οὐδεὶς φόβος ἡμῖν μὴ ὁμολογεῖν ὃ βουλόμεθα.

Ἔστι δὲ καὶ τοῦτο εἰπεῖν, ὅτι ἀφ᾽ ἑξακοσίων ἐτῶν τῆς σωτηρίας ἕως χιλίων τετρακοσίων καὶ τριάκοντα, ἐπορθεῖτο κατὰ μέρος ἡ Ῥωμαίων γῆ παρὰ τῶν κρατούντων, καὶ νῦν εἰσέτι κρατεῖται καὶ ταλαιπωρεῖται σύμπασα, ὡς μηδέποτε τεταλαιπώρηται παρά τινος ἀρχῆς ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς πράγμασι μηδὲν γένος ὑπήκοον. ἀλλ᾽ οὕτως εἰσὶν ἀνώτεροι τοῦ φόβου, καὶ τῶν ἀπειλῶν, ὥστε συμβέβηκεν αὐτοὺς λάμπειν ὡς μάρτυρας, οὐ καθ᾽ ἡμέραν, ἀλλὰ καὶ καθ᾽ ὥραν, καὶ στιγμὴν, καὶ οὕτω προσπαίζουσι τῇ καταιγίδι ταύτῃ, ἣν οἱ ἀντίδικοι μόνῃ ἀκοῇ καὶ φρίττουσι καὶ θαυμάζουσιν· ὥστε καὶ χαρὰν ἡγοῦνται τὸ θλίβεσθαι ὑπὲρ Χριστοῦ, φιλοσοφοῦντες ἐν τοῖς παθήμασι τοῦ Χριστοῦ, καὶ κοινωνοὶ γινόμενοι διὰ τῆς ὑπομονῆς, τοῖς τε ἀποστόλοις, προφήταις, καὶ μάρτυσι, ἐν οἷς καὶ τὸ τοῦ Δαβὶδ πληροῦται· ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν. καὶ ἐξήλθομεν διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος, καὶ ἐξήγαγες ἡμᾶς εἰς ἀναψυχήν.

Ἐπειδὴ τοίνυν οὐδὲν τὸ κωλῦον τοὺς ἀνατολικοὺς πιστεύειν καὶ ὁμολογεῖν, ὡς βούλονται, ἀδύνατον καὶ τὸ προβληθὲν, ὅτι ἄλλα μὲν ὡμολογήκεισαν διὰ στόματος καὶ σημείων, ἄλλα δὲ ἐπίστευσαν τῇ καρδίᾳ· ἀλλὰ καρδίᾳ καὶ στόματι καὶ σημείοις μόνην τὴν ἀρχῆθεν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας δόξαν ἐπίστευσαν. πιστεύουσι καὶ ὁμολογοῦσι δι᾽ ἣν καὶ θάνατον χαίρουσιν ὑπομένειν, καὶ ἀνώτεροί εἰσι τῆς κατηγορίας τῶν ἐναντίων.

apud Venetos , item in Lybia & Perſide habitant , qui omnes Orientalium Imperatoribus haud parent , & eamdem nobiſcum fidem profitentur : quin pernicioſiſſimam adverſariorum doctrinam , ſi ſalutarem æſtimant , amplectantur ? eamdem forcaſſis arbitrantur egregii homines iſti nos ab aliquibus in negotio fidei vim impune pati , quam agentes apud Hungariam fratres noſtri ab ipſis patiuntur . Hos ſiquidem illi quotidie modis omnibus affligant , ut ſuas ad partes eos pertrahant ; & modo quidem definiunt eſſe ab æterno prædefinitionem , ſeu divinum decretum , ut hic quidem juſtificetur , alter vero ſine cauſſa damnetur : modo ceu tyranni & evangelicæ doctrinæ corruptores ad ſuæ profeſſionis dementiam tyrannice fideles impellunt , nullo quidem fundamento ſubnixi , atque ad nutum ſui præpoſiti , ne ſatanæ dicamus , tamquam nubes ſine aqua , circumacti . Si igitur nequaquam ab Imperatoribus ſuis ad ejurandam fidem ſuam Orientales adiguntur , a calumniatoribus vero hæreticis impune coguntur ; hos illi conſtat eſſe ferociores . Porro ea confiteri quæ volumus , nullo metu continemur.

Sed & hoc etiam adjicere poſſumus ; nimirum Græciam , quam ab anno ſalutis ſexcenteſimo ad uſque quadringenteſimum trigeſimum ſupra milleſimum Imperatores ex parte vaſtabant , univerſam modo dominationi duriſſimæ , & gravioribus , quam illo umquam ſub imperio in re civili gens aliqua ſuſtinuerit , ærumnis eſſe mancipatam . Verum contra terrorem ac minas ita ſuperiores illi ſunt , ut glorioſiſſimos ex illis Martyres non ſinguli dies , non horæ ſingulæ , ſed horarum ſingula viderint momenta . Ac tanta cum ſecuritate hancce procellam irrident , ( quam non tantum demirantur adverſarii noſtri , ſed ejuſdem vel una recenſione contremiſcunt : ) ut lætitia ex hoc geſtirent , quod Chriſti paſſionibus ita tremulare communicarent , quod Apoſtolorum , Prophetarum & Martyrum per patientiam conſortes fierent , quod in ſe ipſis impletum agnoſcerent Davidis oraculum : *Quia propter te mortificamur tota die.* Et , *Tranſivimus per ignem & aquam , & eduxiſti nos in refrigerium .*

Cum itaque liberrime id quod volunt Orientales , & credant & profiteantur : impoſſibile atque a veritate prorſus alienum eſt , eos alia quidem verbis & ſignis fuiſſe confeſſos , alia vero in corde crediſſe . Quin immo ſolam , quæ ab initio apud Orientalem eccleſiam fuit , fidem & corde & ore & ſignis credidere : ſed & modo ita credunt & confitentur , ut pro illa prompto atque hilari animo martyrium patiantur . Suorum igitur adverſariorum calumnias vicere .

ANNO CHRISTI 1672.

## CAPUT V.

NOn ſolum autem cum Calviniſtis nullatenus unquam Orientales conſenſere, verum etiam præterquam quod Iconomachos & myſteriorum irriſores, necnon & ore tantum tenus fideles, anathematizant; ex omnipotentis Domini zelo ſynodaliter etiam Cyrillum adverſus bis proceſſere. Cum enim editioni dictorum capitulorum annos ſex Cyrillus ſupervixerit, quin & ſuum non eſſe fetum, neque contentam in illis doctrinam approbare ſe, adhibito etiam jurejurando aſſeruerit, ac denique contraria illis in eccleſia publice docuerit; quia tamen ea impugnare ſcripto noluit, obtentum adhibens, etſi forte verum, at non ſuſpicione vacantem, & veri paſtoris bonæ famæ haudquaquam conſentaneum; ſcilicet, dicta capitula opus eſſe ſuum, aut Orientalis eccleſiæ confeſſionem, argumento nullo probari, & ſuper rebus illis concertare, ad quas neceſſitas nulla compellit, a Patribus prohiberi; ea utique una de cauſa duplici anathemate ſynodali Cyrillus percuſſus eſt. Vera quidem fortaſſis adhibebat ille; meminiſſe tamen debuiſſet, maximam ex minima ſcintilla flammam accendi.

Quia vero in Theologis maxime, concuſſo vel minimo principio, ortas ex illo concluſiones plurimas neceſſe eſt ruere; ſcire ille debuiſſet, patres frequentem profeſſionis fidei expoſitionem, & intempeſtivam rei cujuſcumque ad fidem pertinentis tractationem, ob multa ſolum quæ inde conſequuntur abſurda, cujuſmodi opus iſtud eſt capitulorum ipſius Cyrilli, (uti ſuppoſuimus) prohibuiſſe: nequaquam vero, ubi loqui foret opus, ſilentium impoſuiſſe; ſiquidem ad expromendam apertius tuba reſonante ſpem noſtram, oportet nos numquam non eſſe paratos. Sin vero Cyrillo turpe videbatur pro Chriſto laborare: at paucis ſaltem debuiſſet in ejus inimicos ſcribere; quemadmodum & magnus Baſilius, qui ſuos in calumniatores, etſi non multa ſcripſit, at ſuam in epiſtola ad fratrem orthodoxum paucis compoſuit Apologiam. Non enim tam ad verba, etſi veriſſima, attendere ſolent homines, quam ad ſcripta, ut ſuum de eo qui accuſatur, ferant ſuffragium. Quamobrem Cyrillum, etſi ignota ſibi prorſus eſſe dicta capitula, uti dictum eſt, jurantem; eo dumtaxat quod ea ſcriptis impugnare renuit, duabus in ſynodis zelus Orientalium ceu proditorem, una cum capitulis anathematizavit: in quibus ſi quod forte pietatis veſtigium, totum ad fraudem, ad illuſionem & ad ſimpliciorum ſeductionem, non ſecus ac ad latentes in mari ſcopulos, naves confringuntur, fuit inſperſum.

## ΚΕΦΑΛ. ε.

ANNO CHRISTI 1672.

ΟΥ μόνον δὲ τοῦτο ἀδύνατον, ὅτι συνεφώνησαν Καλουΐνοις οἱ ἀνατολικοὶ ὁποίῳ δήποτε τρόπῳ πώποτε, ἀλλὰ πρὸς τῇ καθ' ἕτος ἀποποιήσει τῶν εἰκονομάχων, καὶ ἀρνυσομυστηρίων, καὶ τὴν πίστιν ἐπὶ ψιλοῖς ῥήμασιν ἐχόντων, καὶ κατὰ Κυρίλλου δὶς συνοδικῶς ἐζήλωσαν ζῆλον κυρίῳ παντοκράτορι. Κύριλλον γὰρ ἐπιβιώσαντα μετὰ τὸν τύπων τῶν κεφαλαίων χρήματι ἔτη ἕξ, καὶ ἀποφαινόμενον μεθ' ὅρκου μὴ εἶναι ἐκεῖνον τὸν τῶν κεφαλαίων πατέρα, μήτε μὴν τὴν ἐν τοῖς κεφαλαίοις πίστιν πρεσβεύειν, καὶ πῶς τ' ἀναντία τοῖς κεφαλαίοις διδάσκοντα ἐπ' ἐκκλησίας, μόνον ὅτι οὐ συνέγραψε κατ' αὐτῶν προφασιζόμενος, ὅπερ ἴσως ἀληθὲς μὲν ἦν, οὐκ ἀνύποπτον δὲ, καὶ ἀνάξιον ὀρθῆς ὑπολήψεως ἀληθοῦς ποιμένος· ὅτι δηλαδὴ τὰ κεφάλαια ἐκεῖνα πάσης συστάσεως τοῦ εἶναι Κυρίλλου ἔκθεσιν, ἢ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ὁμολογίαν ὑστέρηνται· ἐν οἷς δὲ οὐ χρεία κατεπείγουσα καταπλήξεσθαι, παρὰ τῶν πατέρων κεκώλυται· ταῦτα μὲν ἴσως ὀρθῶς εἴρηκεν, ὀρθώτερον δ' ἦν αὐτὸν μνησθῆναι, ὅτι καὶ μικρὸς σπινθὴρ ἀνάπτει πολλὴν φλόγα.

Ἐπειδὴ ἐν τῇ θεολογίᾳ μάλιστα μικρᾶς μετακινημένης ἀρχῆς πολλὰ εἴωθε συμμεταβάλλειν τῶν μετὰ τὴν ἀρχήν· ἔδει λοιπὸν αὐτὸν τὸν σκοπὸν τῶν πατέρων εἰδέναι κωλύοντα ἔκθεσιν πίστεως συνεχῶς ἐκτίθεσθαι, καὶ τὸν βουλόμενον συγγράφειν περὶ ὁτουοῦν τῶν τῆς πίστεως ἀκαίρως, ἐξ ὧν πολλὰ τὰ ἄτοπα ἕπεται, ὡς ἐστὶν καὶ ἡ ἔθεσις τῶν κεφαλαίων αὐτοῦ τοῦ Κυρίλλου, (ὡς ὑπετέθη) μὴ ἐμποδὸν δὲ εἶναι τοῦ ἐπειδὰν χρεία ἐτοίμους ἡμᾶς δεῖν εἶναι σάλπιγγος ἠχούσης τρανώτερον φθέγγεσθαι περὶ τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος. καὶ εἴπου αὐτῷ Κυρίλλῳ δυσειδὲς ἦν τὸ κοπιάσαι ὑπὲρ Χριστοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐν ὀλιγίστοις συγγράψαι κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἐχρῆν· ὥς που καὶ Βασίλειος ὁ μέγας συκοφαντηθεὶς, εἰ καὶ μὴ κατὰ τῶν κατηγόρων συνέγραψεν ἐν πολλοῖς, ἀλλ' οὖν ἐν μιᾷ πρὸς ὀρθόδοξον ἀδελφὸν ἐπιστολῇ ἀπελογήσατο. συνήθες γὰρ τοῖς ἀνθρώποις σχεδὸν μὴ οὕτω προσέχειν τοῖς λεγομένοις ὡς παναληθέσιν, ὡς τὰ γραφόμενα δέχεσθαι, πρὸς μαρτυρίαν ἐν τοῖς τοιούτοις τοῦ, ὁποῖος ὁ κατηγορούμενος. καίτοι λοιπὸν ἀποφαινόμενον Κύριλλον, ὃν τρόπον εἴρηται, μηδεμίαν ὅλως ἔχειν εἴδησιν τῶν κεφαλαίων, μόνον διὰ τὸ μὴ κατ' ἐκείνων συγγράφειν ἐθελῆσαι, ὁ τῶν ἀνατολικῶν ζῆλος, προδότην ἡγησάμενος, δὶς ὑπὸ συνόδων πληρεστάτων ἀνεθεμάτισε σὺν τοῖς κεφαλαίοις, ἐφ' οἷς καὶ εἴ τι ἐδόκει εὐσεβὲς εἶναι, πρὸς ἀπάτην ἦν, καὶ ὕπουλον πρὸς ἁρπαγὴν τῶν ἁπλουστέρων, ὃν τρόπον φασὶ ποιεῖν ταῖς ναυσὶν αἱ ὕφαλοι τῶν πετρῶν.



ANNO CHRISTI 1672.

Μηδὲ γὰρ ὡς ἐφ' ἁγίῳ ἐγκαυχάσθωσαν Κυρίλλῳ οἱ ἀντίδικοι, ὅτι οὐ πεφόνευται ἀδίκως, ὡς ἐκεῖνοι χαίρουσι λέγειν, ἢ ἕνεκα τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα καὶ τοιοῦτος νομισθείη, ἀλλ' ἀμέτρως κεκτημένος τῆς φιλαρχίας τὸ ἔγκλημα, ὃ καὶ νόσον τοῦ ἑωσφόρου ὁ μέγας οἶδε Βασίλειος, τρεῖς παρανόμως, ἐπὶ τῇ πρώτῃ τῇ δοκούσῃ νομίμῳ, καταδυναστεύσας τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως, μετὰ μυρίων ἐξόδων καὶ ταλαιπωριῶν τῶν ἐκκλησιαστικῶν (τῇ τῶν ἔξω ἀπληστίᾳ, καὶ τῇ τοῦ [a] φιλάντρας πρεσβέως συμμαχίᾳ χρώμενος, δι' ὃν καὶ ἐν ὑποψίᾳ μᾶλλον ἐγένετο τῇ ἐκκλησίᾳ) τὸν ἐπονείδιστον ἐκεῖνον εἴληφε θάνατον· ὃν τοιαῦτα περὶ τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Χριστοῦ πεπραχότα, εἴ καὶ ἀσεβῆ συμβέβηκεν εἶναι, ὡς ἁμαρτωλὸν ἔχομεν, καὶ ἁμαρτωλὸν τοιοῦτον, ὃς δίκας τίσειν ἔμελλεν παρὰ τῷ Θεῷ, ἕνεκα τῶν κακῶν ἃ τῇ ἐκκλησίᾳ εἰργάσατο ἀδεῶς· νῦν δὲ καὶ ἀσεβείας γενόμενον πατέρα, ὡς οἱ ἐναντίοι διϊσχυρίζονται, οὐχ ἅγιον, ἀλλ' ἄθλιον, καὶ ὡς μὴ ἔχοντα ὅλως μετὰ Χριστοῦ μερίδα γινώσκομεν.

[a] Pro. Φιλάνδρας.

Ἐκτίθεται δὲ κἀνταῦθα καὶ τὰ τῶν συνόδων πρακτικὰ μεταγραφέντα ἐκ τοῦ καθ' ἡμᾶς κώδικος εἰς πίστωσιν τῶν εἰρημένων, αἷς καὶ αὐτοὶ συμφωνοῦμεν ἐν ἅπασι.

### Ψῆφος τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει συνόδου κατὰ τῶν αἱρετικῶν κεφαλαίων Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως τοῦ παραχωρήσει Θεοῦ πατριαρχεύσαντος ἐν Κωνσταντινουπόλει.

Πάντων μὲν τῶν κοινῇ συμπλεόντων τοὺς πεπιστευμένους τοῦ πῶς δεῖ φέρεσθαι οἴακας, φροντίδα ποιεῖν, διαφερόντως δὲ τῶν εἰς εὐσέβειαν ἡκόντων, θεσμὸς πατρῷος· μᾶλλον δὲ Θεοῦ τοῦ ἐν προφήταις τὸ τοῦ ποιμνίου δεινὸν ὑπ' ἀμελείας γενόμενον, ἀπαραλλάκτως ἐκ τῶν τῶν ποιμένων ἐκζητῆσαι χειρῶν, πρόσταγμα. ἐλέγχειν τοίνυν καὶ στηλιτεύειν εἰκὸς τὸ κακὸν, ἵνα μὴ ὑπ' ἀπορίας ὡς ἀγαθοῦ τούτου ἀντέχονται οἱ ἁπλούστεροι, καὶ ταῦτα ὁ τόδε προστιθέμενος οὐ γυμνὸν, ἀλλ' ὡς ἀγαθὸν, κουφολογίαις τισὶ, καὶ δολίοις προστίθεσθαι παραπετάσμασι. τοιαῦτα γὰρ τοῦ ἀρχεκάκου ἐχθροῦ ἀρχῆθεν ἦν, καὶ τῶν αὐτοῦ ὀπαδῶν τὰ μηχανήματα. ἐπειδὴ οὖν τοιοῦτος ἦν ἐν τοῖς δόγμασιν ὁ θανατηφόρου ἰοῦ μεμεστωμένος, ὁ περὶ τὰ καίρια ἀνιάτως νοσήσας, καὶ ἀθέως τε καὶ πατριαρχεύσας πρὸ ὀλίγου ἐν Κωνσταντινουπόλει Λουκάρεις Κύριλλος· (οὐ μόνον γὰρ ξένα τοῦ ὀρθοῦ ἐφρόνει λόγου τῆς πίστεως, ἀλλὰ καὶ κακούργως ὑπεκρίνετο πρὸς τοὺς μὴ ἀρτίους τὴν φρένα, καὶ βεβηκότας τὸν νοῦν, ὁμολογεῖν τὰ ἔκπαλαι ὀρθὰ τῆς ἀμώμου ἀνατολικῆς ἐκκλησίας διδάγματα· ὥστε ἐκ τοιαύτης συνέβηκεν ὑπουλότητος προσεῖβεσθαι τὸ αἶσχος τῆς οἰκείας ἀπάτης, τῷ ὀρθῷ λόγῳ τῆς πίστεως.) κατεπειγούσῃ ἀνάγκῃ οἱ νῦν ἐν τῇ βασιλευούσῃ τῶν πόλεων θείᾳ προνοίᾳ τυχόντες, ὡς

Ne itaque ut ſanctum adverſarii noſtri jactent Cyrillum: non enim, uti dicere ipſi ſolent, injuſte aut pro Chriſti nomine fuit ille peremptus, quatenus ita celebretur; immo vero propter ſummam prælaturæ cupiditatem, (quam Luciferianum Baſilius Magnus morbum appellavit:) ex qua, etſi ab clericis millies ejectus atque vexatus, thronum Conſtantinopolitanum, præter primam quæ legitima videbatur, poſſeſſionem, ter occupavit; (ad hoc quidem inexplebili extraneorum cupiditate, ac Oratoris Batavorum uſus ope, unde & majorem in ſuſpicionem apud eccleſiam venit:) ignominioſam mortem illam (*laqueo nimirum ſuffocatus*) oppetiit. Hunc igitur adverſus eccleſiam Chriſti talia molitum, ut alicujus forte pietatis extiterit, habemus uti peccatorem, & talem utique, quem ob illata eccleſiæ mala non levis apud Deum pœna maneat: nunc autem auctorem impietatis factum, nedum non ut ſanctum, ſed miſerum agnoſcimus, atque omnis cum Chriſto participationis exſortem.

Hic porro prædictæ duplicis ſynodi Acta ex magno codice, in confirmationem eorum quæ dicta ſunt, tranſſcribimus, quibus & nos per omnia conſentimus.

### *Decretum ſynodi Conſtantinopolitanæ contra Cyrilli Lucaris, permiſſione divina olim Patriarchæ Conſtantinopolitani, heretica capitula.*

Summa ſollicitudine commiſſi ſibi gregis ad utilitatem, maxime vero in iis quæ religionem attinent, ut paſtores incumbant, Patrum conſtitutio eſt, immo & Dei præceptum; utpote qui inter oracula Prophetarum, brutum paſtoris incuria gregis diſpendium de manibus ejus, interminatus eſt, ſe ſe repetiturum. Arguendum itaque, & in malum acrius invehendum; ac tum potiſſime, cum non ſimplex ac nudum, ſed ſub doloſis inanium verborum involucris ceu bonum exhibetur; ne ſcilicet hac larvata boni ſpecie ſimpliciores deludantur. Tales quippe ab initio tum hoſtis ille, noſtrorum primus auctor malorum, cum & ejus aſſeclæ, machinas adhibuere. Cum igitur Lucaris Cyrillus contra divinas humanaſque leges haud ita pridem in Patriarchalem Conſtantinopoleos ſedem intruſus, mortifero utique exundans veneno, atque inſanabili circa præcipua fidei capita hæreſeos morbo correptus, hoc ipſo uſus fuerit in evulgandis dogmatibus ſuis artificio: (quippe non ſolum ab recta fide aliena ſentiebat, verum etiam confiteri ſe orthodoxam, quæ jam pridem in Orientali eccleſia extitit, doctrinam, apud perverſæ mentis ac depravati ſenſus homines malitioſe ſimulabat; ita ut ipſum fraudis ejus dedecus in fidem orthodoxam talis verſutia converteret:) Nos, quos regiam hanc in urbem



divi-

ANNO CHRISTI 1672.

A divina providentia congregavit, Patriarchæ, ac reliquorum cœtus epiſcoporum, tamquam hiſce de rebus rationem reddituri, impellente neceſſitate, juxta ſanctorum ac Spiritu ſancto repletorum Patrum, qui in ſynodis, cum opus fuit, eximie geſſere, præſcriptum ac normam, hunc publice denunciandum duximus, & anathemati ſubjiciendum; quin etiam (ne ab quibuſdam petulanter circumſtrepentibus ſumma veritas impediatur) omnes ac ſingulos vanis ejus dogmatibus adhærentes, eodem vinculo innodandos.

Cyrillo cognomento Lucari, univerſam Orientalem Chriſti eccleſiam cum Calviniſtis B conſentire, in impiorum capitulorum ſuorum inſcriptione calumnianti, Anathema.

Cyrillo dogmatizanti juxta ac credenti, ſanctam eccleſiam errare poſſe: ait enim in ſecundo capitulo, eam nequaquam a Spiritu ſancto, ſed ab homine erudiri; hominem porro ex ignorantia errare poſſe, quin & decipi ac decipere. Et in duodecimo capitulo: Verum (inquit) & certum eſt poſſe in viis ſuis eccleſiam errare, & pro veritate mendacium eligere. His vero ex nugis (rectius manifeſta dixeris inſania) & Deum-Hominem; men- C tiri poſſe neceſſario collegeris [a] ac nobiſcum aut cum eccleſia aduſque conſummationem ſæculi, uti ſpopondit, minime permanere; neque in ipſa loqui Spiritum ſanctum; ac portas inferi (impiorum videlicet hæreſes) adverſus eam prævalere. Denique merito quemque dubitare, num verum ſit, & ab ſancto Spiritu dictatum, atque ab eccleſia traditum hoc, quod præ manibus habemus, divinum evangelium, an vero ſuppoſititium. Decipere etenim eccleſia poteſt & decipi, (inquit ille) ac pro veritate mendacium eligere. Peſſimo, inquimus, hujuſcemodi hæretico, D Anathema.

[a] Aliàs Qui eſt ipſa Sapientia.

Cyrillo dogmatizanti ac credenti, Deum Optimum quoſdam quidem ante mundi conſtitutionem ad gloriam ante præviſa eorum merita prædeſtinaſſe, quoſdam vero ante præviſa eorum peccata ex æterno reprobaſſe: neque ad repetendam apud tribunal Chriſti mercedem, opera quidquam ſufficere, uti diſerte in tertio ac tertiodecimo capitulis aſſerit: cum inde comprobetur, Deum vel mali auctorem E eſſe ac iniquum, vel non omnes, quos Adami caſus reos effecit, poſſe ſalvare. Quin & mentiri evangelia, cum dicunt: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare*. Et, *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*. Ac denique os Chriſti Paulum, & Jacobum fratrem Domini, illum quidem non auditores legis juſtos eſſe, ſed factores; hunc vero, fidem abſque operibus eſſe mortuam, aſſerentem: Anathema.

A περὶ τῶν τοιούτων δοιῶσαι λόγον μέλλοντες πατριάρχαι, καὶ τῶν λοιπῶν ἀρχιερέων χόρος, δεῖν ᾠήθημεν κατὰ τὸν τῶν ἱερῶν καὶ πνευματοφόρων πατέρων, τῶν κατὰ καιροὺς ἀναγκαίους ἐν συνόδοις διαπρεψάντων θέσμον καὶ τύπον, δημοσιεῦσαι τοῦτον τοῖς πᾶσι, καὶ ἀναθέματι καθυποβαλεῖν, καὶ ἔτι (ἵνα μὴ τὸ ἀκριβὲς τῆς ἀληθείας ὑπό τινων ἀτάκτως περιηχήτων διακρούηται) τῷ αὐτῷ δεσμῷ παραδοῦναι τοὺς ὡς εὐσεβεῖς ἀποδεχομένους τὰς αὐτοῦ κενολογίας.

Κυρίλλῳ τὴν ἐπίκλησιν Λουκάρει τῷ πᾶσαν τὴν B τοῦ Χριστοῦ ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν ἐν τῇ τῶν παρανόμων αὐτοῦ κεφαλαίων ἐπιγραφῇ Καλβινοφρονοῦσαν συκοφαντήσαντι, Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι τὴν τοῦ Χριστοῦ ἁγίαν ἐκκλησίαν ἐνδεχόμενον εἶναι ψεύδεσθαι· φησὶ γὰρ ἐν τῷ δευτέρῳ αὐτοῦ κεφαλαίῳ, ταύτην μὴ ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος διδάσκεσθαι, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀνθρώπου· καὶ τὸν ἄνθρωπον ἐνδεχόμενον ἁμαρτῆσαι ἐξ ἀγνοίας, καὶ ἀπατῆσαι καὶ ἀπατηθῆναι. ἐν δὲ τῷ δωδεκάτῳ τῶν αὐτῶν κεφαλαίων· ἀληθὲς καὶ βέβαιόν ἐστιν ἐν τῇ ὁδῷ διώκεσθαι ἁμαρτῆσαι τὴν ἐκκλησίαν, καὶ C ἀντὶ τῆς ἀληθείας τὸ ψεῦδος ἐκλέγεσθαι. ἐπεὶ ἐκ τοιούτων ἐρεσχελιῶν, μᾶλλον δὲ ἐκ τοιαύτης σαφοῦς μανίας, ἀναγκαίως ἂν συμπερανθείη τὸν θεάνθρωπον Ἰησοῦν, τὴν αὐτοαλήθειαν ψεύδεσθαι, καὶ μεθ᾽ ἡμῶν (ἤτοι μετὰ τῆς ἐκκλησίας) ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος μὴ διαμένειν, ὡς ὑπέσχετο· καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα μὴ λαλεῖν ἐν αὐτῇ, καὶ πύλας ᾅδου (δηλαδὴ αἱρέσεις ἀθέων) κατισχύειν τῆς ἐκκλησίας· καὶ πρὸς τούτοις ἀμφιβάλλειν καὶ ἐνδοιάζειν ἕκαστον, εἰ ἀληθὲς τὸ ἀνὰ χεῖρας θεῖον εὐαγγέλιόν ἐστι τὸ ἐκ πνεύματος ἁγίου, ἅτε ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδοθέν, καὶ D μὴ ἕτερον. ἐνδεχόμενον γὰρ φησὶν ἀπατῆσαι, καὶ ἀπατηθῆναι τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀντὶ τῆς ἀληθείας τὸ ψεῦδος ἐκλέγεσθαι. τῷ τοιούτῳ, φαμὲν, παγκακίστῳ αἱρετικῷ, Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι, τοὺς μὲν τὸν ἀγαθὸν Θεὸν πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐκλέξαι εἰς δόξαν, καὶ προορίσαι ἔργων χωρὶς, τοὺς δὲ πρὸ τοῦ τὸν αἰῶνα γενέσθαι ἀποβεβληκέναι αἰτίας χωρὶς, καὶ μηδαμῶς τὰ ἔργα ἀρκετὰ εἶναι ἀντιμισθίαν αἰτῆσαι ἐν τῷ τοῦ Χριστοῦ βήματι, ὡς ἀρίδηλον ἐν τῷ τρίτῳ καὶ τρισκαιδεκάτῳ αὐτοῦ κεφαλαίοις· ἐπεὶ συμβαίνει ἢ αἴτιον E τὸν Θεὸν κακοῦ εἶναι καὶ ἄδικον, ἢ μὴ δύνασθαι πάντας τοὺς ἐπὶ τῷ αὐτῷ παραπτώματι τοῦ Ἀδὰμ ὑπευθύνους σῶσαι· καὶ πρὸς τούτοις ψεύδεσθαι τὰ εὐαγγέλια· ἐπείνασα, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· καὶ δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν, λέγοντα. καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ στόμα Παῦλον, καὶ τὸν τοῦ Χριστοῦ ἀδελφὸν Ἰάκωβον· τὸν μὲν μὴ τοὺς ἀκροατὰς τοῦ νόμου, ἀλλὰ τοὺς ποιητὰς δικαίους εἶναι νομοθετοῦντα· τὸν δὲ, τὴν πίστιν χωρὶς ἔργων εἶναι νεκρὰν· Ἀνάθεμα.

Κυ-



ANNO CHRISTI 1672.

Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι, ἐσ- A κιασμένως, ἀγὰν καὶ δολίως, ἐν τῷ ὀγδόῳ αὐτοῦ κεφαλαίῳ, μὴ τοὺς ἁγίους μεσίτας, καὶ πρέσβεις ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς Θεὸν εἶναι· τῷ λέγειν μεσίτην μόνον τὸν Ἰησοῦν, καὶ μόνον κήδεσθαι τῶν ἰδίων, ὡς ἀναιρέτῃ πολλῶν λογίων τοῦ πνεύματος· φησὶ γὰρ ὁ Θεός· ὑπερασπιῶ τῆς πόλεως ταύτης διὰ Δαβὶδ τὸν παῖδά μου. καὶ οἱ ἐν καμίνῳ ἅγιοι παῖδες· μηδὲ παραδῴης ἡμᾶς εἰς τέλος, δι᾽ Ἀβραὰμ τὸν ἠγαπημένον ὑπὸ σοῦ, καὶ διὰ Ἰσαὰκ τὸν δοῦλόν σου, καὶ Ἰσραὴλ τὸν ἅγιόν σου. καὶ Πέτρος δέ φησι· σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τού- B των μνείαν ποιεῖσθαι. πῶς γὰρ σπουδάσει μετὰ τὴν ἔξοδον, εἰ μὴ πρεσβεύων, καὶ πρὸς Θεὸν δεόμενος; ἀλλὰ καὶ ὁ τῆς ἁγίας μεγάλης καὶ οἰκουμενικῆς ἑβδόμης συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ ὅρος νομοθετεῖ, ἁπάσας τὰς ἐκκλησιαστικὰς, ἐγγράφως ἢ ἀγράφως τεθεσπισμένας ἡμῖν παραδόσεις, ἀκαινοτομήτως φυλάττειν ἐν ἐπιτιμίῳ ἀναθέματος, ὧν ἐστι μία καὶ ἡ τῶν ἁγίων ἐπίκλησις· Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι, μὴ πάντα ἄνθρωπον αὐτεξούσιον εἶναι, ὡς ἐναργὲς ἐν τῷ δεκάτῳ αὐτοῦ τετάρτῳ κεφαλαίῳ· ἀλλὰ ἐξου- C σίαν ἔχειν ἕκαστον ἁμαρτίαν ποιεῖν, ἀγαθὸν δὲ μηδαμῶς· ὡς ἀναιροῦντι τὰς προφητικὰς καὶ εὐαγγελικὰς θεσπεσίας φωνὰς τοῦ πνεύματος· ἐὰν θέλητε καὶ εἰσακούσητέ μου· καὶ προσέλθετε πρὸς αὐτὸν καὶ φωτίσθητε. ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν· δεῦτε πρός με πάντες· καὶ τὰ ὅμοια· πρὸς τούτοις τὰς πρὸς τὸ ἀγαθὸν ὁσημέραι παραινέσεις· Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι, μὴ ἑπτὰ εἶναι τὰ τῆς ἐκκλησίας μυστήρια, ἤγουν βάπτισμα, χρίσμα, μετάνοιαν, εὐχαριστίαν, ἱερω- D σύνην, εὐχέλαιον, καὶ γάμον, κατὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ διάταξιν καὶ τὴν τῶν ἀποστόλων παράδοσιν, τήν τε τῆς ἐκκλησίας συνήθειαν· ἀλλὰ ψευδομένῳ μὴ παραδεδόσθαι ὑπὸ Χριστοῦ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἰ μὴ δύο μόνον, τό, τε βάπτισμα καὶ τὴν εὐχαριστίαν, ὡς ἔστιν ἰδεῖν ἐν τῷ δεκάτῳ πέμπτῳ αὐτοῦ κεφαλαίῳ· Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι, μὴ μεταβάλλεσθαι τὸν ἐπὶ τῆς προθέσεως ἄρτον, καὶ ἔτι τὸν οἶνον, διὰ τῆς τοῦ ἱερέως εὐλογίας, καὶ πνεύματος ἁγίου ἐπιφοιτήσεως, εἰς ἀληθὲς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ. γέγραπται γὰρ ἐν τῷ δεκά- E τῳ ἑβδόμῳ τῶν αἱρετικῶν κεφαλαίων· τὸ σῶμα „ τοῦ κυρίου οὐκ ἔστιν ὅπερ ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῖς „ ὀφθαλμοῖς ὁρᾶται καὶ λαμβάνεται· ὡς παραβάτῃ τῶν σαφῶν τοῦ πνεύματος λογίων, καὶ ἐθελοκάκως τοῦ θεανθρώπου διδασκάλου μὴ ἀκούοντι· ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτοῖς· καὶ ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ· καὶ

Cyrillo dogmatizanti in octavo ſuo capitulo, ſubobſcure quidem ac doloſe, & credenti, noſtros apud Deum mediatores & oratores non eſſe ſanctos; dicendo nimirum, mediatorem eſſe ſolum Jeſum, eoſque ſuarum tantummodo rerum ſatagere; tamquam plurima ſancti Spiritus oracula deſtruenti. Ait enim Deus: *Protegam urbem hanc propter David ſervum meum*. Et in camino ignis ſancti Pueri: *Ne tradas nos in finem propter Abraham dilectum a te, & propter Iſaac ſervum tuum, & Iſrael ſanctum tuum*. Et Petrus ait: *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum; ut horum memoriam facia-* B *tis*. Qui vero operam dabit poſt exitum ſuum, niſi propriis apud Deum interpellationibus? Sed & ſancta & œcumenica ſeptima ſynodus magna Nicæna in quodam canone traditiones omnes ſive ſcripto, ſive verbo ſolum indictas abſque ulla prorſus innovatione, ſub anathematis pœna præcipit obſervandas, quarum e numero invocatio ſanctorum eſt: Anathema.

Cyrillo dogmatizanti & credenti, non omnem hominem eſſe liberi arbitrii, uti decimo quarto capitulo manifeſtum, ſed C ineſſe omnibus libertatem ad peccandum, nullatenus autem ad bene agendum; tamquam divinas, Propheticas & evangelicas Spiritus ſancti voces deſtruenti: *Si volueritis & audieritis me*. Et, *Accedite ad eum, & illuminamini*. *Qui vult venire poſt me*. *Venite ad me omnes*. Adde quotidianas ad boni proſecutionem adhortationes: Anathema.

Cyrillo dogmatizanti & credenti, non eſſe ſeptem eccleſiæ ſacramenta: videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Pœniten- D tiam, Euchariſtiam, Ordinem, Extremam Unctionem & Matrimonium; juxta Chriſti diſpoſitionem, Apoſtolorumque traditionem, necnon & eccleſiæ conſuetudinem: ſed mentienti duo tantum ab Chriſto in evangelio fuiſſe tradita, Baptiſmum ſcilicet & euchariſtiam, uti videre eſt in decimo quinto ejus capitulo: Anathema.

Cyrillo dogmatizanti & credenti; panem qui in altari proponitur, ac vinum nequaquam per ſacerdotis benedictionem & ſancti Spiritus adventum in verum Chri- E ſti corpus & ſanguinem converti. Quippe in hæreticorum hujuſmodi capitulorum decimo ſeptimo ſcriptum eſt: „ Corpus Domini non eſt id quod in ſacramento vi„ detur, ac ſumitur; tamquam diſertiſſima ſancti Spiritus oracula floccifacienti; neque Deum Hominem audienti dicentem: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*. Et, *Accipite &*

ANNO CHRISTI 1672.

*& manducate, hoc eſt corpus meum.* Et, *Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus.* Neque etiam Paulum, qui ad tertium raptus eſt cælum, dicentem: *Accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Et, *Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus.* Sed neque divinorum Patrum trecentorum decem & octo Nicææ adunatorum eccleſiaſticas conſtitutiones, hiſce verbis decernentium: Fide credamus eſſe ſuper hanc ſacram menſam Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, incruente ab ſacerdotibus immolatum, ejuſque venerandum ſanguinem & corpus vere ſumere. Ac denique concordem prædictis omnibus ſtatutam, a magna ſynodo ſeptima, afflante Spiritu ſancto, legem, qua ita manifeſte ſtatuitur: Poſt conſecrationem corpus & ſanguis proprie dicuntur, & ſunt, & creduntur (uti videre eſt actione ſexta, tomo tertio) contemnenti: Anathema.

Cyrillo dogmatizanti, occulte quodammodo, in octavo decimo ſuo capitulo, ac credenti eos qui ſine pio ac finali cum pœnitentia dormierunt, ſuorum eleemoſynis & eccleſiæ precibus nihil juvari; utpote juſtorum beatam requiem, juxta ac peccatorum abſolutam perditionem, necnon & futurum extrema die terribili generale judicium, ſimul ac retributionem e medio tollenti; quod ab ſacra ſcriptura & univerſa Theologorum doctrina longe alienum eſt: Anathema.

Cyrillo novo Iconomacho omnium peſſimo, Anathema.

Cyrillo venerandarum Imaginum cultum ac relativam adorationem improbanti, ejuſque amputationem molito, at non aſſecuto, uti in ſua reſponſione quarta ipſe confitetur, Anathema.

Cyrillo, ea quæ ab ſanctis ſynodis de ſacris Imaginibus fuere ſtatuta, in quarta reſponſione ſua fabulas appellanti, ac propterea ſanctam & a Deo inſpiratam ſynodum ſeptimam, quæ eſt ſecunda Nicææ celebrata, aſpernanti, Anathema.

His qui prædicta Cyrilli Lucaris capitula, nomine Orientalis eccleſiæ inſcripta, tamquam orthodoxam doctrinam continentia legerint, atque abſconditum in illis virus indidem hauſerint; etenim ut quid pietatis in ſpeciem habeant, ab intus tamen ex improviſo hæreſim ſpirant: Anathema.

His qui juſtæ ac legitimæ contra Cyrillum latæ a magna eccleſia ſententiæ non adhærent, cumque pium æſtimant & proclamant, atque hunc eccleſiæ conventum adverſus illum pronunciantem mentiri: Anathema.

Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo, die vigeſima quarta Septembris, Indictione ſeptima.

λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. καὶ πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. καὶ τοῦ μέχρι τρίτου οὐρανοῦ ἁρπαγέντος Παύλου, ἔλαβεν ἄρτον, λέγοντος, καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασε καὶ εἶπε· λάβετε, φάγετε, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα· καὶ, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. καὶ ἔτι τῶν πνευματοφόρων τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ θεοφόρων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ ἐκκλησιαστικῶν διατυπώσεων θεσπιζομένων αὐταῖς λέξεσι· πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα καὶ σῶμα ἀληθῶς λαμβάνειν. καὶ πρὸς τούτοις παραβλέποντι τὴν σύμφωνον θεσμοθεσίαν τοῦ πνεύματος τὴν ὑπὸ τῆς μεγάλης ἑβδόμης συνόδου γεγυμνωμένην (ὡς ἔστιν ἰδεῖν ἐν τῇ ἕκτῃ πράξει, τόμῳ τρίτῳ) ἀριδήλως λέγουσαν· μετὰ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίως καὶ αἷμα λέγονται, καὶ εἰσι, καὶ πιστεύονται· Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι, κεκαλυμμένως πως ἐν τῷ δεκάτῳ ὀγδόῳ αὐτοῦ κεφαλαίῳ, μὴ μετὰ θάνατον τοῖς εὐσεβῶς λήξασι καὶ μετανοίᾳ κεκοιμημένοις ὠφελεῖν τὰς παρὰ τῶν οἰκείων γινομένας ἐλεημοσύνας καὶ τὰς τῆς ἐκκλησίας ὑπὲρ τούτων δεήσεις, ὡς δῆθεν τῶν μὲν δικαίων ἀπολαυόντων τὴν [a] ἐλείαν ἀπόλαυσιν, τῶν δὲ ἁμαρτωλῶν τὴν παντελῆ κατάκρισιν, καὶ ἔτι τὴν κοινὴν μέλλουσαν ἐν τῇ ἐσχάτῃ φοβερᾷ ἡμέρᾳ κρίσιν καὶ ἀνταπόδοσιν ἀναιροῦντι· ὅπερ ξένον τῶν τε θεοπνεύστων γραφῶν, καὶ τῆς πάντων τῶν θεολόγων διδασκαλίας· Ἀνάθεμα.

[a] Pro. δικαίων.

Κυρίλλῳ τῷ κακίστῳ νέῳ εἰκονομάχῳ, Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ τῷ τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων τιμὴν καὶ σχετικὴν προσκύνησιν ἀθετοῦντι, καὶ βουλομένῳ μὲν καθελεῖν αὐτὴν, μὴ δυναμένῳ δὲ, ὡς ἐν τῇ τετάρτῃ αὐτοῦ ἀποκρίσει ὁμολογεῖ· Ἀνάθεμα.

Κυρίλλῳ τῷ ἐν τῇ τετάρτῃ ἐρωτήσει ματαιολογίας καλοῦντι τὰ περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων πεθεσπισμένα ὑπὸ τῶν ἁγίων συνόδων, καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦντι τῆς ἱερᾶς ἁγίας τε καὶ θεοπνεύστου ἑβδόμης συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ συναθροισθείσης τὸ δεύτερον, Ἀνάθεμα.

Τοῖς ἀναγινώσκουσι τὰ ψευδηγόρως γραφέντα κεφάλαια ἐπ' ὀνόματι τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας Κυρίλλου Λουκάρεως ὡς δῆτι καὶ ὀρθὸν περιέχοντα, καὶ ἐξ αὐτῶν τὸν ἐγκεκρυμμένον αὐτοῖς ἰὸν ἀπορρυομένοις· εἰ γὰρ καίτοι ἐν τούτοις ἐπιπολαίως ἔοικεν εὐσεβὲς, ἀλλὰ ἔνδοθεν ἐξ ἀπροόπτου ἀναφύεται αἵρεσις· Ἀνάθεμα.

Τοῖς ἀπειθοῦσι τῇ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας κατ' αὐτοῦ τοῦ Κυρίλλου νομίμῳ τε καὶ ἐνθέσμῳ ἀποφάσει, καὶ λέγουσιν ἢ φρονοῦσιν αὐτὸν εὐσεβῆ, τὴν δὲ τῆς ἐκκλησίας ταύτην σύνοδον ψεύδεσθαι κατ' αὐτοῦ, Ἀνάθεμα.

Ἐν ἔτει σωτηρίῳ χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ τριακοστῷ ὀγδόῳ, μηνὶ Σεπτεμβρίῳ, εἰκοστῇ τετάρτῃ, ἰνδικτιῶνος ζ.

Κυ-



ANNO CHRISTI 1672.

Κύριλλος ὁ ἐκ Βερροίας ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης, τὴν κατὰ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως συναθροισθεῖσαν σύνοδον ἐπικυρῶ, τῷ ἀναθέματι καθυποβάλλω, τά τε συγγραφέντα αὐτῷ κεφάλαια, καὶ τὸν συγγράψαντα Κύριλλον, καὶ τὸν πιστεύοντα ταῦτα ὀρθόδοξα εἶ(ναι).

Μητροφάνης ἐλέῳ Θεοῦ πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας.
Θεοφάνης ἐλέῳ Θεοῦ πατριάρχης τῆς ἁγίας πόλεως Ἱερουσαλήμ.

Ὁ Ἀδριανουπόλεως Παρθένιος. [Οὗτός ἐστιν ὁ χρηματίσας Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχης ὁ γέρων, ἐφ' οὗ ἐγένετο ἡ ἐν Ἰασίῳ σύνοδος.]
Ὁ Λαρίσσης Γρηγόριος.
Ὁ Σερρῶν Δανιήλ.
Ὁ Ἰωαννίνων Παρθένιος. [Οὗτός ἐστιν ὁ χρηματίσας Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχης Παρθένιος ὁ νέος.]
Ὁ Βεροίας Ἰωαννίκιος. [Οὗτος ἐχρημάτισε πατριάρχης Ἀλεξανδρείας.]
Ὁ Διδυμοτείχου Δανιήλ.
Ὁ Ἡρακλείας Ἰωαννίκιος. [Οὗτος ἐχρημάτισε πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως.]
Ὁ Ἀθηνῶν Δανιήλ.
Ὁ Παροναξίας Βενιαμίν.
Ὁ Δρίστρας Ἀντώνιος.
Ὁ Κορίνθου Ἰωάσαφ.
Ὁ Φαναρίου Θεοφάνης.
Ὁ Θεσσαλονίκης Καλλίνικος.
Ὁ Κῶ Ἰωακείμ. [Οὗτος ἐγένετο πάπας Ἀλεξανδρείας.]
Ὁ πρώην Ἰκονίου Παρθένιος.
Ὁ Πολιανῆς Πορφύριος.
Ὁ Σάμου Ἄνθιμος.
Ὁ Ταλαντίου Δωρόθεος.
Ὁ Τζερβενοῦ Γαβριήλ.
Ὁ πρώην Ἀδαμερίου Μελέτιος.

Μελέτιος Συρίγος ἱερομόναχος, καὶ διδάσκαλος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.
Νικόλαος ἱερεὺς, κλαροντζάνης, καὶ θεολόγος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. [Οὗτος ἐγένετο πατριάρχης Ἀλεξανδρείας.]
Μιχαὴλ ἱερεὺς, βεστάρχης, καὶ διδάσκαλος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.

Γαβριὴλ ἱερομοναχὸς ὁ Βλάσιος, καὶ διδάσκαλος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.
Ὁ μέγας πρωτοσύγγελος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.
Βενέδικτος ἱερομοναχὸς Ἱεροσολυμίτης, ὁ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας διδάσκαλος.
Ὁ μέγας ῥήτωρ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Μιχαήλ.
Ὁ μέγας χαρτοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Μανουὴλ ἱερεύς.

Cyrillus Berrhœenſis, miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, ſeu novæ Romæ, & Patriarcha œcumenicus, confirmans ſynodum adverſus Cyrillum Lucarem celebratam, tam capitula ab Cyrillo conſcripta, quam ipſum qui conſcripſit ea, ac quemcumque ea habentem ut orthodoxa, anathemati ſubjicio.

Metrophanes, miſeratione divina [a] Patriarcha magnæ urbis Alexandriæ.
Theophanes, miſeratione divina Patriarcha ſanctæ civitatis Jeruſalem.

[a] Adde, Papa &c.

Parthenius, Adrianopoleos. (Hic eſt Parthenius ſenior, qui fuit Patriarcha Conſtantinopoleos, ſub quo celebrata eſt apud Jaſium Synodus.)
Gregorius Lariſſæ.
Daniel, Serratum.
Parthenius, Joanninorum. [Hic eſt Parthenius junior, qui fuit Patriarcha Conſtantinop.]
Joannicius, Berrhœæ. [Hic fuit Patriarcha Alexandriæ.]
Daniel, Didymotihi.
Joannicius, Heracleæ. [Hic fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus.]
Daniel, Athenarum.
Benjamin, Paranaxiæ.
Antonius, Driſtræ.
[b] Joſaphat, Corinthi.
Theophanes, Phanarii.
Callinicus, Theſſalonicæ.
Joachim, Coi. [Hic fuit Patriarcha Alexandriæ.]
Parthenius, antehac Iconii.
Porphyrius, Polianæ.
Anthimus, Sami.
Dorotheus, Talantii.
Gabriel, Zerveni.
Meletius, antehac Ardamerii.

[b] Pro, Ioaſaph.

Meletius Surigus, Hieromonachus & Magiſter magnæ eccleſiæ.
Nicolaus ſacerdos, Claronzanes, & Theologus magnæ eccleſiæ. [Hic fuit Patriarcha Alexandriæ.]
Michael ſacerdos, Veſtarcha, & Magiſter magnæ eccleſiæ.

Gabriel Blaſius, Hieromonachus, Magiſter magnæ eccleſiæ.
Magnus Protoſyncellus magnæ eccleſiæ.
Benedictus, Hieromonachus Hieroſolymita, Magiſter magnæ eccleſiæ.
Michael, magnus Rhetor magnæ eccleſiæ.
Emmanuel ſacerdos, magnus ſcriniorum magnæ eccleſiæ Præfectus.

Sa-

ANNO CHRISTI 1672.

Sacelli magnæ eccleſiæ ſacerdos Theologus.
Sophianus, magnus Protecdicus magnæ eccleſiæ.
Maurudes, magnus Primicerius magnæ eccleſiæ.
Paraſcevas ſacerdos, Nomophylax magnæ eccleſiæ.
Euſtathius ſacerdos, magnus [a] Protoepiſcopus magnæ eccleſiæ.
Philippus, antea Protonotarius magnæ eccleſiæ.
Conſtantinus, Commentarienſis magnæ eccleſiæ.
Michael, Rhetor magnæ eccleſiæ.
Scules, Logotheta domeſticorum.
Michael, Logotheta generalis magnæ eccleſiæ.
Rhales, Primicerius Notariorum.
Ignatius, magnæ eccleſiæ Archidiaconus.
Conſtantinus, magnæ eccleſiæ Notarius.

[a] Pr. archipreſbyter.

## ACTA SYNODI

*apud Jaſium celebratæ, quæ eſt altera contra Cyrilli capitula.*

*Epiſtola ſynodica ad ſynodum Jaſii congregatam.*

Parthenius, *&c. ut ſupra, pag.* 171. *uſque ad pag.* 179. D.

Hæc ſunt quæ contra Cyrillum ab duabus ſynodis acta ſunt, quibus orthodoxa Orientalis eccleſiæ profeſſio manifeſtiſſime demonſtratur. Poſterior quidem apud Jaſium Moldaviæ celebrata eſt ſub Moldaviæ Duce Baſilio Boibonda, & Conſtantinopolitano Patriarcha Parthenio ſeniore, venerabili quidem viro, & circa res divinas ab ineunte ætate exercitato. Qui quidem ad congregatam illic ſynodum ſynodicam epiſtolam cum tranſmiſiſſet, epiſtolæ huic ſynodicæ Conſtantinopoli miſſæ tantummodo ſubſcribere, eamque confirmare, eidem ſynodo ſatis viſum eſt, atque ita quæſtioni plene ſatisfactum iri. (Quamquam & alia non pauca adverſus Calviniſtas hæc ipſa ſynodus egit,) Cyrillum porro neque Conſtantinopolitana ſynodus in ſua epiſtola ſynodica, neque ea quæ Jaſii celebrata eſt, anathemate perculere: non eo quidem ut illi parcerent, (neque enim ii erant divini homines iſti, qui vel perſonas acciperent, Deoque vel homines vel quidquam anteferrent:) ſed quoniam cum Calviniſtis conſentire numquam apud Orientales ille viſus eſt, neque vel minimum ab Orientalis eccleſiæ (uti ſupra monſtratum eſt) penitiſſime diſſidere. In quem igitur de-

Ὁ σακελίου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἱερεὺς Θεολόγος.
Ὁ μέγας προτέκδικος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Σοφιανός.
Ὁ μέγας πριμμικήριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Μαυρουδής.
Ὁ νομοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Παρασκευᾶς ἱερεύς.
Ὁ μέγας πρωτόπαπας τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Εὐστάθιος ἱερεύς.
Ὁ πρώην πρωτονοτάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Φίλιππος.
Ὁ ὑπομνηματογράφος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντῖνος.
Ὁ ῥήτωρ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Μιχαήλ.
Ὁ λογοθέτης τῶν οἰκειακῶν Σκουλῆς.
Ὁ λογοθέτης γενικοῦ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Μιχαήλ.
Ὁ πριμμικήριος τῶν νοταρίων Ῥάλης.
Ὁ ἀρχιδιάκονος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Ἰγνάτιος.
Ὁ νοτάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντῖνος.

ANNO CHRISTI 1672.

## ΠΡΑΚΤΙΚΑ

Τῆς ἐν Γιασίῳ συνόδου, δευτέρας οὔσης κατὰ τῶν κεφαλαίων Κυρίλλου.

Ἐπιστολὴ συνοδικὴ πρὸς τὴν ἐν Γιασίῳ τοπικὴν σύνοδον.

Παρθένιος, &c. *ut ſupra, pag.* 172. *uſque ad pag.* 180. D.

Ταῦτα τὰ παρὰ τῶν δύο συνόδων κατὰ τοῦ Κυρίλλου ἐξενεχθέντα, ἅτινα σαφέστατα δεικνῦσι τὴν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας εὐσέβειαν. ἐγένετο δὲ ἡ μὲν ὑστέρα ἐν Γιασίῳ τῆς Μολδαβίας ἐπὶ Βασιλείου Βοϊβόνδα, καὶ ἡγεμόνος Μολδοβλαχίας, Παρθενίου καὶ Κωνσταντινουπόλεως τοῦ γέροντος πατριάρχου, ἀνδρὸς αἰδεσίμου, καὶ περὶ τὰ θεῖα ἐκ βρέφους σχολάσαντος. ὃς καὶ τῇ ἐκεῖσε συνόδῳ πέμψας συνοδικὴν ἐπιστολὴν, ἤρκεσεν ἐκείνῃ τῇ συνόδῳ, μόνην τὴν ἀπὸ Κωνσταντινουπόλεως συνοδικὴν ἐπιστολὴν ὑπογράψαι καὶ βεβαιῶσαι, καὶ οὕτω πληρῶσαι τὸ ζητούμενον. (εἰ καὶ κατὰ Καλβίνων, καὶ ἄλλα τινὰ πλεῖστα ἐκείνη ἡ σύνοδος [a] ἠγωνίσατο) οὐκ ἀνεθεμάτισε δὲ τὸν Κύριλλον, οὔτε ἡ τότε ἐν Κωνσταντινουπόλει διὰ τῆς ἐπιστολῆς σύνοδος, οὔτε ἡ ἐν Γιασίῳ, οὐ χάριν ποιοῦντες Κυρίλλῳ, (οὐ δὲ γὰρ ἦσαν τοιοῦτοι οἱ θεοφόροι ἐκεῖνοι ἄνδρες, ὥστε φιλοπροσωπεῖν, καὶ προτιμᾶν ἀνθρώπους, ἢ ἄλλο τι τοῦ Θεοῦ) ἀλλὰ διὰ τὸ μηδέποτε Καλβινόφρονα τὸν Κύριλλον διὰ τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ γνωσθῆναι, ἢ ἄλλως πως φρονοῦντα, ἢ ὡς ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία, ὡς προαποδέδεικται. ὅθεν οὐκ ἄλογον ᾠήθησαν εἶναι ἀναθέματι καθυπο-

[a] Pr. ἐγωνίσατο, decertavit.



ANNO CHRISTI 1672.

βαλεῖν, ὃν οὐκ οἴδασι σαφῶς ὑπόδικον τῇ κατηγορίᾳ. καίτοι τὸν συγγραφέα τῶν κεφαλαίων ἀδιορίστως καὶ ἀναθέματι καὶ ἀφορισμῷ ἀλύτῳ καθυπέβαλον. ὅν τινα καὶ αὐτοὶ ἀραῖς καθυποβάλλομεν αἰωνίοις, καὶ ξένον γινώσκομεν τῆς βασιλείας.

Ἡ δὲ πρώτη ἐγένετο ἐπὶ Κυρίλλου τοῦ ἐκ Βεῤῥοίας Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχου, συμπαρόντων ὅσων λογίων καὶ ἐναρέτων ἀνδρῶν· ἀνεθεμάτισε δ' αὕτη τὸν Κύριλλον ὀνομαστὶ, οὐχ ὅτι οἶδεν ἐκεῖνον, ἤ ποτε ἐγνώρισεν αἱρετικόν, ἀλλ' ὅτι οἶδεν ἐπιβιώσαντα μὲν αὐτὸν μετὰ τὸν κεφαλαίων τύπον ἐνιαυτοὺς ἓξ, καὶ εἰδότα τὰς συγχύσεις αἵτινες συνέβησαν τοῖς ἐν Πολωνίᾳ καὶ Ῥωσίᾳ εὐσεβέσι, διὰ τὸ πολλοὺς λέγειν Καλουινίσαι τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν· ἐπειδὴ ὁ Κωνσταντινουπόλεως τοιαύτην τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ἐξέδωκεν ὁμολογίαν· μὴ ἐθελῆσαι δὲ κατ' ἐκείνων, τῶν κεφαλαίων φημὶ, συγγράψαι, καίτοι παρὰ πολλῶν παροτρυνόμενός τι καὶ παρακαλούμενος, ὥσπερ προείπομεν ἐν τῷ πέμπτῳ κεφαλαίῳ, ὅθεν ἐκ τούτου εἰκάσασα ἐκεῖνον μὴ καθαρεύειν τῆς κατὰ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως δολιότητος, μήτε μὴν φροντίσαι περὶ τοῦ ποιμνίου ὡς ἔδει, ὀνομαστὶ τῷ ἀναθέματι καθυπέβαλεν· ὃν εἰ καὶ μὴ τοιοῦτον συμβέβηκε γεγονέναι, τὰς μὲν συνόδους κατ' ἐκείνου ψῆφον ἐξενεγκούσας δικαίαν, οὐκ αἰτιώμεθα, μάλιστα δὲ καὶ μακαρίζομεν, ὡς κατὰ καιροὺς καλῶς ὑπὲρ τῆς εὐσεβοῦς ἀγωνισθείσας πίστεως, καὶ αἰτίαν εὔλογον ἐχούσας τὴν ἐκείνου μακρὰν σιωπὴν, εἰς τὸ ἐκεῖνον ἐπιτιμῆσαι πρὸς καὶ ἄλλων σωφρονισμόν. ἐκεῖνον δὲ εἰ καὶ μὴ ἀναθεματίζομεν, ἀλλὰ θρηνοῦμεν, ὅτι τῇ σιωπῇ τοσοῦτον κατὰ τῆς ἐκκλησίας ἐξήγειρε τῶν ἐχθρῶν πόλεμον. εἰ δ' ἦν ἀληθῶς αἱρετικὸς Καλουινόφρων, καὶ οὐ μετεμελήθη, (δέχεται γὰρ ὁ Θεὸς τοὺς ἐπιστρέφοντας πρὸς αὐτὸν ὁποῖοι ἂν ὦσιν) ἀλλ' ἔμεινεν αἱρετικὰ καὶ πιστεύων, καὶ φρονῶν, χωρὶς πάσης ἀντιλογίας τῷ αἰωνίῳ ἀναθέματι καὶ ἀφορισμῷ μετὰ τῶν συμμύστων αὐτοῦ αἱρετικῶν καθυποβάλλομεν.

## ΚΕΦΑΛ. ϛ'.

Τοῖς μὲν οὖν εὐγνώμοσι, καὶ φιλοῦσι τὸ ἀληθὲς ἱκανὰ τὰ ῥηθέντα, μᾶλλον δὲ εἰπεῖν καὶ πολλὰ πρὸς τὸ μαθεῖν οἵας δόξης ἐστὶν ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία, καὶ ὅτι Καλβινόφροσι συνέθετο πώποτε ἐν οἷς κεχαρτοτομήκασιν (ὅτι μὴν ἄλλοις τισὶ πλὴν ἑαυτῆς) οὐδ' ὃν προβάλλονται συμμύστην αὐτῶν γεγονέναι οἶδεν οἷον ἐκεῖνοι διϊσχυρίζονται. πρὸς πλειώτατον μέντοι ἀφανισμὸν καὶ καθαίρεσιν ἐννοιῶν ἐπισυντεθέντων κατὰ τῆς δόξης Θεοῦ, τῶν ἱερῶν τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν θρησκείας προαυλίων, καὶ ὡς εἰπεῖν, πρὸς παντελῆ ἀποποίησιν τῶν ἐν τοῖς θρυλλουμένοις κεφαλαίοις βλασφημιῶν, δεῖν ᾠήθημεν ἐκθέσθαι

dere hujuſmodi accuſationem non aperte cognoverant, anathema dicere æquum minime dixerunt: quamvis & anathemati & æternæ excommunicationi eum indiſcriminatim ſubjecerint, qui capitula conſcripſit: quem & nos ſempiternis quoque imprecationibus ſubjicimus, & a regno cælorum eſſe alienum agnoſcimus.

Prior vero ſynodus celebrata eſt ſub Cyrillo Berrhœenſi, Patriarcha Conſtantinopolitano, aſſidentibus ei viris plurimis tum ſapientia, cum virtute conſpicuis. Hæc autem expreſso nomine Cyrillum anathematizavit, non quem aut noſſet hæreticum, aut aliquando probaſset; ſed quoniam eumdem advertit, etſi annos ſex poſt editionem capitulorum ſuperſtitem, & earum, quæ apud Poloniæ ac Ruſſiæ fideles ortæ ſunt, turbarum probe conſcium, (quippe poſt editam ab Conſtantinopolitano Patriarcha illam Orientalis eccleſiæ confeſſionem, Calviniſtis eam adhærere multi loquebantur;) eadem capitula, a multis etſi invitatum, immo incitatum, (uti jam hoc quinto capite diximus) ſcriptis impugnare renuiſſe. Hinc quippe a fraude in fidem catholicam illum non vacare, atque minus quam par eſset ſui gregis eſse ſollicitum, merito ſuſpicata, expreſso nomine anathemati ſubjecit, [a] ut re ipſa talis haud exſtitiſset. Juſtam quidem adverſus illum ſynodorum ſententiam haud quaquam damnamus; immo vero beatas prædicamus, utpote quæ opportuno tempore pro fide catholica ſtrenue decertaverint, ac modo pro longo hujuſmodi ſilentio, ſeu juſtam nactæ cauſſam, ita eum exceperint, ut ſimili ab culpa vel inde ceteros deterrerent. Hunc autem ſi minus anathematizamus, at lugemus: quippe qui tantum adverſus eccleſiam gerendi bellum hoſtibus ejus ſuo ille ſilentio anſam præbuerit. Si vero reipſa fuit ille hæreticus Calviniſta, neque reſipuerit, (omnes enim Deus recipit quicumque revertuntur ad ſe) ſed ad uſque vitæ metam hæretica ſenſerit atque crediderit, hunc ſempiterno anathemati & excommunicationi una cum ſodalibus ſuis hæreticis, unanimi omnium noſtrum ſententia ſubjicimus.

[a] Pr. Qui ſi re ipſa talis non exſtitiſſet, juſtam quidem &c.

## CAPUT VI.

Æquis igitur hominibus juxta ac veri amantibus nequaquam pluribus opus eſt; quippe Orientalis eccleſiæ doctrina qualis ſit, hactenus dicta plane demonſtrant, cumque vel Calviniſtis, vel quibuſcumque ab ſe alienis nuſquam conſenſiſſe, neque eum, quem ab ſuis ſtetiſſe partibus illi contendunt, talem unquam agnoviſſe, penitus evincunt. Attamen ad confutanda, atque vel ex cogitationibus hominum delenda prorſus ea quæ contra gloriam Dei, utpote adverſum ſacra orthodoxæ profeſſionis noſtræ primordia, conficta ſunt; necnon & ad plenam ea- ... rum,

rum, quæ in decantatis hiſce capitulis reſperſæ ſunt, blaſphemiarum retuſionem, nobis viſum eſt Cyrilli capitulis, in quibus ſuam ille (uti paſſim jam ſuppoſuimus) adverſus Deum acuit linguam, reſponſiones & capitula totidem e diametro illi oppoſita ſtatuere, prædictorum Cyrilli capitulorum confutationem juxta ac emendationem merito cenſenda. Porro qui in illis, idem ordo ſervabitur & in noſtris; eo quippe ut hæc ad illa conferre, de utriſque ſententiam ferre, ac tum demum Orientalis eccleſiæ pietatem, hæreticorumque poſſit quiſque fidelis mendacium agnoſcere. Nonnulla vero ad quæſtionis intelligentiam facientia, pro rei neceſſitate adjiciemus, nonnulla reticebimus. Denique ipſis, quibus uſus eſt ille, verbis, ſententiis, ac periodis utemur & nos: ne forte verba, piaſque ſententias magis quam novitates & impia dogmata, videamur oppugnare.

Doſitheus, miſeratione divina Patriarcha Hieroſolymitanus, his qui audire avent quænam ſit Græcorum, ſive Orientalis eccleſiæ, fides ac profeſſio, quæve circa fidem orthodoxam ſententia; nomine Chriſtianorum omnium ad Thronum noſtrum Apoſtolicum pertinentium, necnon & peregrinorum fidelium, hanc in ampliſſimam urbem Hieroſolymam pietatis ergo convenientium, (quibuſcum circa res fidei Orientalis eccleſia per omnia conſentit) compendioſam hancce confeſſionem in teſtimonium coram Deo & hominibus, ex ſincera conſcientia, atque omni ſimulatione procul, conſcribit.

## CAPITULUM I.

Credimus in unum Deum verum, omnipotentem, & inviſibilem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; Patrem ingenitum; Filium ex Patre ante ſæcula genitum; Spiritum ſanctum ex Patre procedentem, Patri Filioque conſubſtantialem. Itaque tres una in ſubſtantia perſonas, ſanctiſſimam Trinitatem appellamus, quæ ab omni creatura continuo benedicitur, glorificatur, & adoratur.

## CAPITULUM II.

Credimus ſacras ſcripturas a Deo fuiſſe revelatas, eiſque propterea, non quidem ut lubuerit, ſed ſecundum eccleſiæ catholicæ traditionem & interpretationem, adhibendam eſſe fidem omni dubitatione majorem. Has quidem hæretici recipiunt; at ſub metaphoris & allegoriis, necnon & humanæ ſapientiæ ſophiſmatis interpretantur, quæ ſunt diſtincta confundunt, atque in rebus ſanctis & ab omni joco longe alienis impie nugantur. Quippe al-

ἐρωτήσεις καὶ κεφάλαιά τινα ἰσάριθμα τοῖς Κυρίλλου συγγραφεῖσι, καὶ καταδιάμετρον ἀντικείμενα, ἐν οἷς ἐκεῖνος (ὡς ὑπετέθη πολλάκις) ἠκόνισε γλῶτταν κατὰ Θεοῦ, ὥστε δύνασθαι ταῦτα καλεῖσθαι ἔλεγχον καὶ διόρθωσιν τῶν λεγομένων Κυρίλλου κεφαλαίων. φυλάττεται δέ πως ἡ τάξις ἐκείνων κἀν τοῖς παρ' ἡμῶν ἐκτεθησομένοις, ἵν' ἔχῃ ἕκαστος τῶν πιστῶν συγκρίνειν, καὶ παραβάλλειν ἀμφότερα, καὶ γινώσκειν ῥαδίως τὴν εὐσέβειαν μὲν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, τὸ ψεῦδος δὲ τῶν αἱρετικῶν. ἔστι δ' ὅπου τῆς χρείας ἀπαιτούσης ἢ ἀφαιρήσομεν, ἢ προστεθησόμεθα ἕτερά τινα πρὸς ἀκριβῆ τοῦ προβλήματος γνῶσιν συντείνοντα. χρησόμεθα δὲ καὶ λέξεσι καὶ ὅλαις ἐννοίαις, καὶ περιόδοις κειμέναις ἐκεῖσε, ἵνα μὴ δόξωμεν ταῖς λέξεσι καὶ εὐσεβέσιν ἐννοίαις μάχεσθαι, ἀλλὰ μὴ ταῖς καινοτομίαις καὶ ἀσεβέσι πράγμασι.

Δοσίθεος ἐλέῳ Θεοῦ πατριάρχης Ἱεροσολύμων, τοῖς ἐρωτῶσι καὶ πυνθανομένοις περὶ τῆς πίστεως καὶ θρησκείας τῶν Γραικῶν, ἤτοι τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, πῶς δηλονότι περὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως φρονεῖ. ἐν ὀνόματι κοινῶς τῶν ὑποκειμένων τῷ καθ' ἡμῶν ἀποστολικῷ θρόνῳ χριστιανῶν ἁπάντων, καὶ τῶν ἐπιδημούντων τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ μεγάλῃ πόλει Ἱεροσολύμων ὀρθοδόξων προσκυνητῶν· (οἷς πᾶσα ἐν τοῖς περὶ πίστεως ἡ καθολικὴ ἐκκλησία συνᾴδει·) ἐκδίδωσι σύντομον ὁμολογίαν ταύτην εἰς μαρτύριον πρός τε Θεοῦ, πρός τε ἀνθρώπων εἰλικρινεῖ συνειδήσει, οὐδὲ μιᾶς ἄνευ προσποιήσεως.

## ΟΡΟΣ α΄.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν ἀληθῆ, παντοκράτορα, καὶ ἀόριστον, πατέρα, υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα· πατέρα ἀγέννητον, υἱὸν γεννητὸν ἐκ τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων, ὁμοούσιον αὐτῷ. πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, πατρὶ καὶ υἱῷ ὁμοούσιον. ταύτας τὰς τρεῖς ὑποστάσεις ἐν μιᾷ οὐσίᾳ παναγίαν τριάδα προσαγορεύομεν, ὑπὸ πάσης κτίσεως ἀεὶ εὐλογουμένην, δοξαζομένην, καὶ προσκυνουμένην.

## ΟΡΟΣ β΄.

Πιστεύομεν τὴν θείαν καὶ ἱερὰν γραφὴν εἶναι θεοδίδακτον, καὶ διὰ τοῦτο ταύτῃ ἀδιστάκτως πιστεύειν ὀφείλομεν, οὐκ ἄλλως μέντοι, ἀλλ' ἢ ὡς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ταύτην ἡρμήνευσε καὶ παρέδωκεν. πᾶσα γὰρ αἱρετικῶν βδελυρία δέχεται μὲν τὴν θείαν γραφήν, παρεξηγεῖται δ' αὐτὴν μεταφοραῖς, καὶ ὁμωνυμίαις, καὶ σοφίσμασι σοφίας ἀνθρωπίνης χρωμένη, συγχέουσα τὰ ἀσύγχυτα, καὶ παίζουσα ἐν οὐ παικτοῖς.





παικτοῖς. ἄλλως γὰρ ἄν, ἄλλου ἄλλην ὁσημέραι περὶ αὐτῆς γνώμην ἐσχηκότος, οὐκ ἂν εἴη ἡ καθολικὴ ἐκκλησία Χριστοῦ χάριτι ἕως τῆς σήμερον ἐκκλησία, μίαν γνώμην ἔχουσα περὶ πίστεως, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ ἀπαρασαλεύτως πιστεύουσα· ἀλλ' ἐσχίσθη ἂν εἰς μυρία, καὶ αἱρέσεσιν ὑπέκειτο, καὶ μηδ' ἦν ἡ ἐκκλησία ἁγία στύλη καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, ἄσπιλός τε καὶ ῥυτίδος χωρίς, ἀλλ' ἡ ἐκκλησία πονηρευομένων, ὡς φαίνεται, γεγονυῖα ἀναμφιβόλως ἡ τῶν αἱρετικῶν, καὶ μάλιστα τῶν ἀπὸ Καλουίνου. (οἳ οὐκ αἰσχύνονται παρὰ τῆς ἐκκλησίας μανθάνειν, ἔπειτα ταύτην πονηρῶς ἀποκρούεσθαι·) ὅθεν καὶ τὴν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας μαρτυρίαν οὐχ ἧττον τῆς ἣν κέκτηται ἡ θεία γραφὴ εἶναι πιστεύομεν. ἑνὸς γὰρ καὶ τοῦ αὐτοῦ ἁγίου πνεύματος ὄντος ἀμφοτέρων δημιουργοῦ, ἴσον ἐστὶ πάντως ὑπὸ τῆς γραφῆς, καὶ ὑπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας διδάσκεσθαι. ἔπειτα ἄνθρωπον μὲν ὅντινα οὖν λαλοῦντα, ἀφ' ἑαυτοῦ ἐνδέχεται ἁμαρτῆσαι, καὶ ἀπατῆσαι, καὶ ἀπατηθῆναι· τὴν δὲ καθολικὴν ἐκκλησίαν ὡς μηδέποτε λαλήσασαν, ἢ λαλοῦσαν ἀφ' ἑαυτῆς, ἀλλ' ἐκ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ, (ὃ καὶ διδάσκαλον ἀδιαλείπτως πλουτεῖ εἰς τὸν αἰῶνα) ἀδύνατον πάντη ἁμαρτῆσαι, ἢ ὅλως ἀπατῆσαι, καὶ ἀπατηθῆναι· ἀλλ' ἔστιν ὡσαύτως τῇ θείᾳ γραφῇ ἀδιάπτωτος, καὶ ἀέναον τὸ κῦρος ἔχουσα.

## ΟΡΟΣ γ΄.

Πιστεύομεν τὸν ἄκρως ἀγαθὸν Θεὸν ἐξ ἀϊδίου οὓς ἐξελέξατο εἰς δόξαν προορίσαι, οὓς δ' αὖ ἀπεδοκίμασεν εἰς κατάκρισιν παραχωρῆσαι· οὐχ ὅτι δὲ τούτους οὕτως ἠβουλήθη δικαιῶσαι, τούτους δ' ἀναιτίως παραχωρῆσαι, καὶ κατακρῖναι. ἀνοίκειον γὰρ τοῦτο τῷ πατρὶ τῶν ὅλων, καὶ ἀπροσωπολήπτῃ, καὶ θέλοντι πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, Θεῷ. ἀλλ' ὅτι τούτους μὲν προεῖδεν καλῶς τῷ αὐτεξουσίῳ χρησομένους, τούτους δὲ κακῶς, προορίσαι, ἢ κατακρῖναι. ἐννοοῦμεν δὲ τὴν χρῆσιν τοῦ αὐτεξουσίου οὕτως, ὥστε τῆς θείας καὶ φωτιστικῆς χάριτος, ἣν καὶ προκαθαρκτικὴν προσαγορεύομεν, οἷον φῶς τοῖς ἐν σκότει παρὰ τῆς θείας ἀγαθότητος πᾶσι χορηγουμένης, τοῖς βουλομένοις ὑπεῖξαι ταύτῃ, (καὶ γὰρ οὐ τοὺς μὴ θέλοντας, ἀλλὰ τοὺς θέλοντας, ὠφελεῖ·) καὶ συγκατατεθῆναι ἐν οἷς ἐκείνη ἐντέλλεται, πρὸς σωτηρίαν οὖσιν ἀναγκαιοτάτοις, δωρεῖσθαι ἑπομένως καὶ ἰδικὴν χάριν· ἥτις συνεργοῦσα καὶ ἐνδυναμοῦσα καὶ ἐμμόνους πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην, τ' αὐτὸν εἰπεῖν, πρὸς ὃ Θεὸς θέλει ἡμᾶς ἐργάζεσθαι ἀγαθά, (ἃ καὶ προκαταρκτικὴ χάρις προσεντέταλκε·) ἀποτελοῦσα, δικαιοῖ καὶ προωρισμένους ποιεῖ. τοῖς δὲ μὴ θέλουσιν ὑπακοῦσαι, καὶ συγ-

teri atque alteri diebus ſingulis novus probatur Scripturæ ſenſus: quaſi vero eadem ipſa per gratiam Chriſti hactenus catholica non perſtitiſſet eccleſia, eamdem atque firmiſſimam tum fidem, tum de fide ſententiam numquam non profeſſa; ſed in infinitas foret conſciſſa partes, ac variis hæreticorum ſectis diviſa: aut veritatis columna & fundamentum non eſſet ſancta eccleſia, immaculata utique exſiſtens ac ſine ruga; ſed congregatio improborum, cujuſmodi eſſe manifeſtum eſt conventum hæreticorum, ac potiſſime Calviniſtarum: quos quidem ab eccleſia catholica nec ea pudet addiſcere, quibus deinceps enitantur eam expugnare. Quamobrem eamdem eſſe eccleſiæ catholicæ auctoritatem credimus, quam ſacræ ſcripturæ. Enimvero utriuſque auctor cum ſit Spiritus ſanctus, perinde eſt catholicam eccleſiam audieris, ac ſacram ſcripturam. Deinde, loquentem a ſe ipſo hominem ſæpius contingit errare aut decipi, quin & decipere; catholicam vero eccleſiam, utpote a ſe ipſa numquam, ſed Spiritus ſancti (cujus magiſterio ad uſque ſæculi conſummationem abſque intermiſſione eruditur) illuſtratione aut locutam aut loquentem, errare aut decipi, contingere nequaquam poteſt, ac multo minus decipere: ſed perpetuam & inconcuſſam habet cum ſacra ſcriptura firmitatem.

## CAPITULUM III.

Credimus Deum optimum ab æterno quos elegit, prædeſtinaſſe ad gloriam; quos vero reprobavit, damnationi deputaſſe: at non ſic ut illos juſtificare, hos autem ſine cauſſa reprobare voluerit, atque damnare. Hoc enim a Deo communi hominum patre prorſus alienum: qui quidem perſonarum neſcit acceptionem, *ſed vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Sed illos quidem prædeſtinavit, quos arbitrio ſuo bene uſuros præſcivit; quos vero male, damnavit. Hunc porro liberi arbitrii uſum ita intelligimus, ut divina quidem illuminatrix gratia, quam & prævenientem appellamus, ceu lumen in tenebris ab divina bonitate omnibus impendatur; ac poſtmodum iis, qui obtemperare illi, atque ad ea quæ tamquam ſaluti perneceſſaria, hæc ipſa præcipit, cooperari voluerint, (neque enim non volentibus utilis eſt, ſed ſolum volentibus) peculiaris gratia ſubminiſtretur: quæ cooperando nobis, vireſque præbendo, atque ad Dei amorem, id eſt, ad ea quæ vult Deus, (& præveniens gratia monuit) bona facienda, conſtantiam impertiendo, juſtos nos facit & prædeſtinatos: iis vero qui gratiæ conſentire & cooperari noluerint,

ac

ANNO CHRISTI 1672.

ac proinde quæ a nobis exigit Deus, prætermiſerint; ſuoque arbitrio, quod, ut bonum voluntarie facerent, a Deo acceperunt, ad gerendum ſatanæ morem abuſi ſunt, in reprobationem cedit & æternam damnationem.

Quod vero ſceleſtiſſimi ajunt hæretici, (ut eodem capite habetur) Deum nulla prorſus ad prædeſtinatorum reproborumve opera habita ratione, illos prædeſtinare, hos damnare; abominandum ducimus & ſacrilegum. Secum enim ita ſcriptura pugnaret, utpote quæ fideli ſalutem ex operibus ſtatuit, ſolumque Deum hujus eſſe auctorem ſupponit; utique per ſuam illuminatricem gratiam (quam quidem nullis præcedentibus meritis exhibet) rerum divinarum homini veritatem oſtendendo; cumque qui cooperetur illi, ſi voluerit, atque ad opera bona Deoque accepta, quibus ſalutem aſſequatur, incumbat, edocendo: non autem voluntatem, id eſt, qua obedire velit aut renuat ei, libertatem adimendo.

Sed & hominum ita ſimpliciter ac ſine cauſſa damnatorum auctorem ſtatuere divinam voluntatem, inſania quanta? quæ major Deo calumnia inferatur? quanta in ſupremum Numen injuria, quanta blaſphemia? quippe [a] intentatorem malorum non eſſe Deum, & omnium ex æquo ſalutem velle, ceu apud quem perſonarum acceptio nulla eſt, cognoſcimus: & his qui pravis voluntatis ſuæ moribus ac ſecundum impœnitens cor ſe ſe vaſa in contumeliam effecere, damnationem juſte decerni confitemur. Æternæ autem punitionis, immanitatis, duritiæ & inhumanitatis nuſquam, nuſquam dicimus auctorem eſſe Deum, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente eſſe in cælo gaudium, aſſerentem. Abſit a nobis ita cogitare, nedum credere, quamdiu noſtri compotes ſumus: immo vero talia dicentes ac ſentientes anathemati ſempiterno ſubjicimus, & cunctis infidelibus pejores agnoſcimus.

## CAPITULUM IV.

Credimus Deum in perſonis trinum; Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, viſibilium ac inviſibilium eſſe conditorem: inviſibilium quidem, quæ ſunt angelicæ virtutes, animæ rationales, & dæmones; (quanquam tales eos Deus non fecit, quales poſtea voluntate ſua facti ſunt:) viſibilium autem, quæ ſunt cælum & ea quæ ſub cælo ſunt. Quia vero natura bonus eſt Creator, valde bona fecit, quæcumque fecit, nec poteſt opifex eſſe malorum. Si quod vero malum, videlicet peccatum, quod contra divinam voluntatem fit, in homine vel dæmone

καταπειθῶσι τῇ χάριτι, καὶ διὰ τοῦτο οὐχ ἃ ὁ Θεὸς βούλεται ἡμᾶς ἐργάζεσθαι, πράττει, καὶ ἐν τοῖς τοῦ σατανᾶ ἐπιτηδεύμασι τὴν ἣν παρὰ Θεοῦ εἰλήφασιν αὐτεξουσιότητα εἰς τὸ ἐργάζεσθαι ἑκουσίως τὸ ἀγαθόν, καταχρωμένοις, γίνεσθαι τὴν παραχώρησιν εἰς ἀΐδιον κατάκρισιν.

Τὸ δὲ λέγειν τοὺς παμμιάρους αἱρετικούς, (ὡς κεῖται ἐν τῷδε τῷ κεφαλαίῳ) τὸν Θεὸν προορίζειν ἢ κατακρίνειν, μηδαμῶς εἰς τὰ ἔργα ἀποβλέποντα τῶν προοριζομένων καὶ κατακρινομένων, βέβηλον καὶ ἀνόσιον οἴδαμεν. ἐμάχετο γὰρ ἂν οὕτως ἡ γραφὴ πρὸς ἑαυτήν, διὰ τῶν ἔργων τῷ πιστῷ διδάσκουσα τὴν σωτηρίαν, καὶ τὸν Θεὸν μόνον αἴτιον ὑποθεμένη κατὰ μόνην τὴν φωτιστικὴν χάριν, ἣν μὴ προηγησαμένων ἔργων παρέχει, δεῖξαι τῷ ἀνθρώπῳ τὴν τῶν θείων πραγμάτων ἀλήθειαν, καὶ διδάξαι ὅπως οὗτος ἐκείνῃ συγκατατεθῇ εἰ βούλοιτο, καὶ ποιήσει τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ οὕτω σωτηρίας τυχεῖν· οὐκ ἀναιρεῖ τὸ θέλειν ἢ μὴ θέλειν ὑπακοῦσαι, καὶ μὴ ὑπακοῦσαι αὐτῷ.

Ἀλλὰ καὶ τὸ τὴν θείαν θέλησιν αἰτίαν εἶναι τῶν κατακρινομένων οὕτως ἁπλῶς καὶ ἀναιτίως, ποίαν οὐκ ἔχει μανίαν; ποίαν οὐκ ἐπιφέρει κατὰ τοῦ Θεοῦ συκοφαντίαν, καὶ ποίαν εἰς τὸ ὕψος οὐ λαλεῖ ἀδικίαν, καὶ βλασφημίαν; ἀπείρατον μὲν γὰρ κακῶν τὸ θεῖον, καὶ πάντων ἐξ ἴσου ἐθέλον τὴν σωτηρίαν, ὡς μὴ ἐχούσης χώραν τῆς προσωποληψίας παρ' αὐτῷ οἴδαμεν· τοῖς βεβήλοις γενομένοις σκεύεσι διὰ μοχθηρὰν αὐτῶν προαίρεσιν, καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, ὡς δίκαιον παραχωρεῖν τὴν κατάκρισιν ὁμολογοῦμεν. κολάσεως δ' αἰωνίου, ὠμότητός τε καὶ ἀσπλαγχνίας, καὶ μισανθρωπίας αἴτιον, οὔποτε, οὔποτε φαμὲν τὸν Θεόν, τὸν χαρὰν γίνεσθαι ἐν οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ μετανοοῦντι ἁμαρτωλῷ ἀποφηνάμενον· μὴ γένοιτο ἡμᾶς οὕτως ἢ πιστεῦσαι, ἢ ἐννοῆσαι ἕως ἂν ἑαυτῶν ἐσμέν· ἀναθέματι δὲ αἰωνίῳ καθυποβάλλομεν τοὺς τὰ τοιαῦτα καὶ λέγοντας, καὶ φρονοῦντας, καὶ χείρους πάντων ἀπίστων γινώσκομεν.

## ΟΡΟΣ δ'.

Πιστεύομεν τὸν τρισυπόστατον Θεόν, [a] τὸ πνεῦμα, τὸν υἱόν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, ποιητὴν εἶναι ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων· καὶ ἀόρατα μὲν τὰς ἀγγελικὰς δυνάμεις, ψυχάς τε λογικάς, καὶ δαίμονας· (εἰ καὶ μὴ τοιούτους τοὺς δαίμονας, ὡς αὐτοὶ προαιρέσει ἰδίᾳ ὕστερον ἐγένοντο, ὁ Θεὸς πεποίηκεν·) ὁρατὰ δ' οὐρανόν, καὶ τὰ ὑπ' οὐρανόν. ὅτι δὲ φύσει ἀγαθὸς ὁ ποιητής, ἐποίησε καλὰ λίαν πάντα ὅσα ἐποίησεν, οὐδὲ δύναταί ποτε κακοῦ ποιητὴς εἶναι. εἰ δέ τι κακόν, τ' αὐτὸν εἰπεῖν ἁμάρτημα, γινόμενον

a Legi, τὸν πατέρα.



ANNO CHRISTI 1672.

ἐναντίως τῇ θείᾳ θελήσει, ἐστὶν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, ἢ τῷ δαίμονι· (ἁπλῶς γὰρ ἐν τῇ φύσει κακὸν οὐκ οἴδαμεν·) ἐκεῖνο ἢ τοῦ ἀνθρώπου, ἢ τοῦ διαβόλου εἶναι· κανὼν γάρ ἐστιν ἀληθὴς καὶ ἀδιάπτωτος, κακοῦ τὸν Θεὸν μηδαμῶς εἶναι δημιουργόν, μήτε μὴν ὅλως δικαίῳ λόγῳ τοῦ Θεοῦ καταψηφίζεσθαι.

## ΟΡΟΣ ε'.

Πιστεύομεν πάντα τὰ ὄντα, εἴτε ὁρατά, εἴτε ἀόρατα ὑπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ κυβερνᾶσθαι προνοίας· τὰ δὲ κακά, ᾗ κακά, προειδέναι μὲν τὸν Θεὸν καὶ παραχωρεῖν, οὐ μὴν καὶ προνοητὴν εἶναι τούτων, ἐπεὶ μηδὲ ποιητήν. ἤδη γεγενημένα δὲ ἔσθ' ὅτε ὑπευθύνεσθαι πρός τι χρήσιμον ὑπὸ τῆς ἄκρας ἀγαθότητος, οὐ ποιούσης μέν, ἐγκεντριζούσης δὲ πρὸς τὸ κρεῖττον ὡς οἷόν τε ἐκείνοις. [a] ἐκθειάζειν δέ, ἀλλ' οὐκ ἐξετάζειν ὀφείλομεν τὴν θείαν πρόνοιαν ἐν τοῖς ἀπορρήτοις, καὶ μηδ' ὅλως ἀποκαλυφθεῖσι κρίμασι. τὰ μέντοι παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ παραδεδομένα περὶ αὐτῆς, ὡς συντείνοντα πρὸς ζωὴν αἰώνιον, δεῖν ἡμᾶς εὐγνωμόνως ἀνερευνᾷν, καὶ ἑπομένως ταῖς πρώταις περὶ Θεοῦ ἐννοίαις ἀνενδοιάστως ἐκλαμβάνειν.

a Pro, ἐκθιάζειν.

## ΟΡΟΣ ϛ'.

Πιστεύομεν τὸν πρῶτον ἄνθρωπον κτισθέντα παρὰ Θεοῦ ἐν παραδείσῳ πεπτωκέναι, ὅτε καὶ παριδὼν τὴν θείαν ἐντολήν, τῇ τοῦ ὄφεως ἀπατηλῇ συμβουλῇ ἐπειθάρχησε· κἀντεῦθεν ἀναβλύσαι τὴν προπατορικὴν ἁμαρτίαν τῇ διαδοχῇ, ὥστε μηδένα κατὰ σάρκα γεννᾶσθαι, ὃς τὸ φορτίον οὐκ ἐπιφέρει τοῦτο, καὶ τοὺς καρποὺς αὐτῆς οὐκ αἰσθάνεται, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. καρποὺς δὲ φαμὲν καὶ φορτίον, οὐ τὴν ἁμαρτίαν, οἷον ἀσέβειαν, βλασφημίαν, φόνον, παιδεραστείαν, μοιχείαν, πορνείαν, ἔχθος, καὶ εἴ τι ἕτερον ὑπὸ μοχθηρᾶς προαιρέσεως ἐναντίον τῇ θείᾳ θελήσει γίνεται, οὐχ ὑπὸ φύσεως· πολλοὶ γὰρ τῶν τε προπατόρων καὶ προφητῶν καὶ ἕτεροι μυρίοι ὅσοι τῶν ἐν τῇ σκιᾷ, καὶ τῇ ἀληθείᾳ, ὅ τε θεῖος πρόδρομος, καὶ κατ' ἐξαίρετον λόγον ἡ τοῦ Θεοῦ λόγου μήτηρ, καὶ ἀειπάρθενος Μαρία, τῶν τοιούτων καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις πλημμελημάτων οὐκ ἐπειράσθησαν· ἀλλ' ἅπερ ὡς ποινὴν τῷ ἀνθρώπῳ διὰ τὴν παράβασιν δέδωκεν ἡ θεία δικαιοσύνη, οἷον ἱδρῶτας τῶν πόνων, θλίψεις, σωματικὰς ἀσθενείας, ὠδῖνας τοῦ τίκτειν, καὶ τέως τὸ ζῆν ἐν τῇ παροικίᾳ ἐπιπόνως, καὶ πλάστιον, τὸν σωματικὸν θάνατον.

deprehenditur; (ſimpliciter enim nullum in natura malum agnoſcimus:) hoc vel ab homine eſt, vel a diabolo. Vera quippe juxta ac firmiſſima eſt hæc regula, malum nec a Deo uſquam fieri, nec abſque injuria poſſe illi ullatenus adſcribi.

## CAPITULUM V.

Credimus res omnes cum viſibiles, tum inviſibiles, ab Dei providentia gubernari; Deum vero mala ut præſciat & permittere ſtatuat, eorum tamen, qua mala ſunt, haud quaquam eſſe proviſorem, uti nec opificem. Ex iis vero quæ jam patrata ſunt, nonnihil ab ſumma bonitate utilitatis elici, quæ quidem ipſa non facit, ſed veluti ſurculum ad melius quidpiam illis inſerit. Hæc porro divinæ ſecreta providentiæ, ejuſdemque incomprehenſibilia mirari judicia debemus, non excutere. Quanquam & ea quæ apud ſacram ſcripturam nobis de illa tradita ſunt, ceu ad vitam æternam conducentia, bona mente perſcrutari, illaque proinde juxta præſtantiſſimas de Deo commentationes abſque hæſitatione interpretari debemus.

## CAPITULUM VI.

Credimus primum hominem a Deo creatum in paradiſo deliquiſſe, cum poſthabito Dei præcepto, doloſæ ſuaſioni ſerpentis aſſenſit; indeque originale peccatum ceu hereditarium profluxiſſe: quatenus carnali propagatione hunc in mundum nemo prodeat, quin hujus & onus ſecum adferat, & fructus perſentiat. Hos porro fructus, hoc onus, nequaquam peccatum intelligimus, videlicet impietatem, blaſphemiam, homicidium, ſodomiam, adulterium, fornicationem, ſimultates, & ſi quid aliud divinæ contrarium voluntati ab voluntate prava, non autem a natura, committitur. Cum & Patriarchæ & Prophetæ non pauci, aliique mille non modo ſub legis umbra, ſed etiam ſub veritate gratiæ, uti divinus Præcurſor, atque in primis Verbi divini Mater ac ſemper Virgo Maria, nec ullam experti ſint ad iſta aut hujuſmodi peccata tentationem: at ea dumtaxat quæ divina juſtitia homini ceu pœnam inflixit, nimirum ſudores laborum, ærumnas, corporis infirmitates, dolores in partu, denique vitam in terra laborioſam, &, quod cumulus eſt omnium, mortem corporalem.

ANNO CHRISTI 1672.

## CAPITULUM VII.

Credimus Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum exinaniviſſe ſemetipſum, id eſt, humanam carnem in propriam aſſumpſiſſe perſonam, Mariæ ſemper Virginis in utero de Spiritu ſancto conceptum & incarnatum: item abſque ullo matris labore aut dolore, aut Virginitatis ejus læſione natum: paſſum, ſepultum; huncque die tertia ſecundum ſcripturas glorioſum reſurrexiſſe, in cælum aſcendiſſe, & a dextris Dei Patris conſidere: atque ad vivos mortuoſque judicandos exſpectamus adventurum.

## CAPITULUM VIII.

Credimus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſolum eſſe mediatorem, ſeque ipſum dediſſe pretium pro multis, ac per proprium ſanguinem Deum inter & homines feciſſe reconciliationem. Quin & ſollicitum ſuorum eſſe advocatum, ac pro peccatis noſtris propitiationem. Ad deferendas vero apud ipſum orationes ac petitiones noſtras, interceſſores dicimus eſſe ſanctos; ac præ omnibus immaculatam ejuſdem Verbi divini Matrem; necnon & ſanctos angelos, quos cuſtodiæ noſtræ ſcimus eſſe præpoſitos; Apoſtolos, Prophetas, Martyres, ſanctos denique omnes, quos ceu fideles ſervos ſuos ille glorificavit: in quibus epiſcopos & ſacerdotes, tanquam Dei altare circumſtantes, ceteroſque homines juſtos virtutibus eximios numeramus. Enimvero orandum eſſe pro invicem, multumque valere juſti deprecationem, ac ſanctos a Deo audiri magis quam peccatores, ſacris e paginis didicimus. Non ſolum autem eos qui etiamnum in terris agunt, ſanctos, noſtros apud Deum oratores & mediatores eſſe credimus; ſed & poſt mortem maxime, quando, explicatis ænigmatis, ſanctiſſimam Trinitatem clare contemplantur, cujus & infinito in lumine ea quæ apud nos geruntur agnoſcunt. Quemadmodum enim Prophetas mortale corpus geſtantes, ea ſciviſſe quæ in cælo fiunt, non dubitamus, unde & futura vaticinabantur; ita & angelos, & æquatos angelis ſanctos in infinito Dei lumine videre noſtra non modo non ambigimus, at etiam firmiter credimus & confitemur.

## CAPITULUM IX.

Credimus neminem ſine fide ſalvari: fidem autem appellamus, rectiſſimam quæ in nobis eſt de Deo rebuſque divinis perſuaſionem: quæ quidem operans per caritatem, id eſt, per divinorum mandatorum obſervationem, juſtificat nos per Chriſtum, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

A

## ΟΡΟΣ ζʹ.

Πιστεύομεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν κενώσει ὑποστῆναι, τουτέστιν, ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει τὴν ἀνθρωπίνην σάρκα προσειληφέναι ἐκ πνεύματος ἁγίου, ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἀειπαρθένου Μαρίας συλληφθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα· γεννηθέντα χωρὶς τοῦ δοῦναι πόνον ἢ ὠδῖνας τῇ ἰδίᾳ κατὰ σάρκα μητρὶ, ἢ τὴν παρθενίαν αὐτῆς διασεῖσαι· παθόντα, ταφέντα, ἀναστάντα ἐν δόξῃ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφὰς, ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, ὃν καὶ προσδοκῶμεν ἐλευσόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

B

## ΟΡΟΣ ηʹ.

Πιστεύομεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν μόνον μεσίτην γεγονέναι, καὶ δόντα ἑαυτὸν λύτρον περὶ πάντων, τὴν καταλλαγὴν διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος πεποιηκέναι ἀναμέσον Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, καὶ αὐτὸν κηδόμενον τῶν ἰδίων εἶναι παράκλητον, καὶ ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν μέντοι ἐντεύξεσι, καὶ αἰτήσεσιν εἶναι πρεσβευτὰς τοὺς ἁγίους φαμὲν, καὶ πρὸ πάντων τὴν παναγίαν μητέρα αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ Λόγου· τούς τε ἁγίους ἀγγέλους, οὓς καὶ προστατοῦντας ἡμῶν οἴδαμεν, ἀποστόλους, προφήτας, μάρτυρας, ὁσίους, καὶ πάντας οὓς ἐκεῖνος ἐδόξασεν ὡς πιστοὺς αὐτοῦ θεράποντας· οἷς συναριθμοῦμεν καὶ τοὺς ἀρχιερεῖς, καὶ ἱερεῖς, ὡς περιϊσταμένους τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ, καὶ τοὺς ἀρετῇ διαφέροντας δικαίους ἄνδρας. εὔχεσθαι γὰρ ὑπὲρ ἀλλήλων, καὶ πολὺ ἰσχύειν τὴν δέησιν τοῦ δικαίου· καὶ μᾶλλον ἀκούειν τὸν Θεὸν τῶν ἁγίων, ἤπερ τῶν ἐν ἁμαρτίαις ἐγκαλινδουμένων, ἐκ τῶν ἱερῶν διδασκόμεθα λογίων. οὐ μόνον δὲ ἔτι ὄντας ἐν τῇ παροικίᾳ τοὺς ἁγίους μεσίτας, καὶ πρεσβευτὰς ἡμῶν πρὸς Θεὸν ὁμολογοῦμεν, ἀλλὰ καὶ μετὰ θάνατον μάλιστα· ὅτε καὶ τῶν ἐσόπτρων λυθέντων, καθαρῶς ἐποπτεύουσι τὴν ἁγίαν τριάδα, τῷ ἀπείρῳ ἐκείνης φωτὶ τούτων ἐν τῷ νῷ τίθησι τὰ ἡμέτερα. ὡς γὰρ τοὺς προφήτας ἐν τῷ αἰσθητῷ ὄντας σώματι οὐκ ἀμφιβάλλομεν εἰδέναι τὰ ἐν οὐρανῷ, δι' ὧν τὰ μέλλοντα ἐχρησμώδουν· οὕτω καὶ τοὺς ἀγγέλους, καὶ τοὺς ὡς ἀγγέλους γεγενημένους ἁγίους εἰδέναι τὰ ἡμέτερα τῷ ἀπείρῳ τοῦ Θεοῦ φωτὶ οὐ διστάζομεν· ἀλλὰ μᾶλλον ἀνενδοιάστως πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν.

C

D

E

## ΟΡΟΣ θʹ.

Πιστεύομεν μηδένα σώζεσθαι ἄνευ πίστεως. καλοῦμεν δὲ πίστιν τὴν οὖσαν ἐν ἡμῖν ὀρθοτάτην ὑπόληψιν περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων, ἥτις ἐνεργουμένη διὰ τῆς ἀγάπης, τοῦτ' αὐτὸ εἰπεῖν διὰ τῶν θείων ἐντολῶν, δικαιοῖ ἡμᾶς παρὰ Χριστοῦ, καὶ ταύτης ἄνευ τῷ Θεῷ εὐαρεστῆσαι ἀδύνατον.

ΟΡΟΣ



ANNO CHRISTI 1672.

A

## ΟΡΟΣ ιʹ.

Πιστεύομεν τὴν λεγομένην, μᾶλλον δὲ τὴν οὖσαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, εἰς ἣν καὶ πιστεύειν δεδιδάγμεθα, πάντας τοὺς ἐν Χριστῷ πιστοὺς καθόλου περιέχειν. οἵτινες δηλονότι εἰσέτι καὶ νῦν ἐν τῇ παροικίᾳ ὄντες, οὐκ ἔφθασαν ἐν τῇ πατρίδι ἀποδημῆσαι. μηδαμῶς δὲ συγχέομεν τὴν ἐν τῇ παροικίᾳ ταύτην ἐκκλησίαν τῇ ἐν τῇ πατρίδι, διὰ τὸ εἶναι τυχὸν, ὥς φασί τινες τῶν αἱρετικῶν, καὶ τὰ δύο τὰ μέλη πρόβατα τοῦ ἀρχιποίμενος Θεοῦ, καὶ καθαγιάζεσθαι ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ἁγίου πνεύματος· ἄτοπον γὰρ ἅμα καὶ ἀδύνατον. ἐπειδὴ ἡ μὲν ἔτι πυκτεύει, καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐστίν· ἡ δὲ τροπαιοφορεῖ, καὶ ἐν τῇ πατρίδι ἀποκατέστη, καὶ τὸ βραβεῖον εἴληφεν. ἧστινος καθολικῆς ἐκκλησίας, ἐπειδὴ θνητὸς ἄνθρωπος καθόλου, καὶ ἀΐδιος κεφαλὴ εἶναι οὐ δύναται, αὐτὸς ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός ἐστι κεφαλὴ, καὶ αὐτὸς τοὺς οἴακας ἔχων ἐν τῇ τῆς ἐκκλησίας κυβερνήσει, πηδαλιουχεῖ διὰ τῶν ἁγίων πατέρων. καὶ διὰ τοῦτο ταῖς κατὰ μέρος ἐκκλησίαις, κυρίως οὔσαις ἐκκλησίαις, καὶ ὑπὸ κυρίως μελῶν συνισταμέναις, ἡγουμένους, καὶ ποιμένας, καὶ ὅλως οὐκ ἐν καταχρήσει, ἀλλὰ κυρίως ἀρχὰς καὶ κεφαλὰς, τοὺς ἐπισκόπους ἔθηκε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· εἰς τὸν τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν ἀφορῶντας, καὶ εἰς αὐτὸν τὴν ἐνέργειαν τῆς κατὰ τὴν κεφαλὴν χορηγίας ἀναβιβάζουσας δηλονότι,

B

C

Ἐπειδὴ δὲ μετὰ τῶν ἄλλων ἀσεβειῶν, ἔδοξε καὶ τοῦτο τοῖς Καλουΐνοις, ὅτι τυχὸν τ' αὐτόν ἐστιν ἱερεὺς ἁπλῶς καὶ ἀρχιερεύς· καὶ δυνατὸν μὴ εἶναι ἀρχιερέα καὶ διά τινων ἱερέων τὴν ἐκκλησίαν κυβερνᾶσθαι· καὶ οὐκ ἀρχιερεὺς, ἀλλὰ καὶ ἱερεὺς δύναται χειροτονεῖν ἱερέα, καὶ πλείονας ἱερεῖς χειροτονεῖν ἀρχιερέα· καὶ ταύτης τῆς κακοτρεχίας κοινωνὸν εἶναι μεγαλορρημονοῦσι καὶ τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν· οὗ ἕνεκα καὶ τὸ δέκατον κεφάλαιον συγγέγραπται Κυρίλλῳ· φαμὲν * πλατύτερον, κατὰ τὴν ἄνωθεν ἐπικρατήσασαν γνώμην, τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ.

D

Ὅτι τὸ τοῦ ἐπισκόπου ἀξίωμα οὕτως ἐστὶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀναγκαῖον, ὥστε χωρὶς αὐτοῦ μὴ δύνασθαι μήτε ἐκκλησίαν, μήτε χριστιανόν τινα ἢ εἶναι, ἢ ὅλως λέγεσθαι. αὐτὸς γὰρ ὡς ἀποστολικὸς διάδοχος, τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἐκείνῳ, παρὰ τοῦ κυρίου εἰς τὸ δεσμεῖν τε καὶ λύειν, χειρῶν ἐπιθέσει, καὶ ἐπικλήσει τοῦ παναγίου πνεύματος ἀλληλοδιαδόχως λαβὼν, ζῶσά ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ μετέχει πληρεστάτης ἐνεργείας τοῦ τελεταρχικοῦ πνεύματος, πηγὴ πάντων τῶν μυστηρίων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, δι' ὧν σωτηρίας ἐπιτυγχάνομεν. οὕτω δὲ αὐτοῦ τὸ ἀναγκαῖον ἐννοοῦμεν ἐν

E



ANNO CHRISTI 1672.

## CAPITULUM X.

Credimus eccleſiam nomine quidem, magis autem re ipſa ſanctam, catholicam & Apoſtolicam, in quam & credere docti ſumus, omnes prorſus in Chriſto fideles comprehendere: eos videlicet, qui ad patriam nondum pervenere, ſed etiamnum peregrinantur in terris. Nequaquam vero hanc quæ in via, cum ea quæ in patria eſt, eccleſiam confundimus; quamvis (uti & quidam loquuntur hæretici) gregis divini pars utraque ſub eodem ſit Archipaſtore Deo, & ab eodem ſancto Spiritu ſanctificetur. Id enim abſurdum juxta ac impoſſibile, cum altera quidem adhuc in via militet, altera bravium acceperit, & in patria collocata triumphet. Hujus autem catholicæ eccleſiæ, cum hanc univerſe atque in æternum regere mortalis homo non poſſit, caput eſt ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus & clavum ipſe tenens, hanc ſanctorum Patrum miniſterio gubernat: ac ſingulis propterea eccleſiis, quæ vere eccleſiæ ſunt, atque ejus inter membra vere locum obtinent, præpoſitos & paſtores, qui nequaquam abuſive, ſed veriſſime capitum inſtar illis præſint, epiſcopos Spiritus ſanctus poſuit. Qui quidem in auctorem & conſummatorem noſtræ ſalutis adſpiciant, & ad eum hanc, quam pro ratione capitum impendunt, operam referant.

Quod vero ad impietates ceteras addidere Calviniſtæ, non alium eſſe epiſcopi, quam ſacerdotis gradum, poſſeque abſque epiſcopis eccleſiam eſſe, & ab quibuſdam ſacerdotibus gubernari; item non ab epiſcopo dumtaxat, ſed etiam ab ſacerdote poſſe ſacerdotem ordinari; quin & a pluribus ſacerdotibus, epiſcopum: atque ejuſdem impietatis conſciam eſſe deblaterant Orientalem eccleſiam; (qua utique de cauſa caput decimum ab Cyrillo conſcriptum eſt:) id totum, uti jam in ſuperioribus probatum eſt, ab ipſa dicimus eſſe prorſus alienum.

Verumenimvero ita neceſſarium eſſe dicimus epiſcopatum, ut eo ſubmoto, neque eccleſia, neque Chriſtianus aliquis eſſe aut dici poſſit. Quippe Apoſtolorum ſucceſſor epiſcopus, impoſitione manuum, & ſancti Spiritus invocatione, datam ſibi a Deo ex ſucceſſione continua ligandi ſolvendique poteſtatem cum acceperit, viva Dei imago eſt in terris, & auctoris ſacrorum Spiritus operationis participatione pleniſſima, fons omnium eccleſiæ catholicæ ſacramentorum, quibus ad ſalutem pervenimus. Porro quam homini reſpiratio, & ſol mundo, tam neceſſarius

Dddd 2 in

ANNO CHRISTI 1672.

in eccleſia nobis videtur epiſcopatus. Unde & ad epiſcopalis dignitatis encomium, pulcre nonnulli dixere: Quod Deus in cælesti primogenitorum eccleſia eſt; & ſol in mundo, hoc in ſua quemlibet eccleſia epiſcopum obtinere: utpote qui gregem ſuum illuſtret, foveat, & Dei templum efficiat.

Tranſiiſſe autem ſucceſſione continua ad nos uſque magnum epiſcopatus ſacramentum & dignitatem, manifeſtum. Cum enim dixerit Dominus, futurum ſe nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi; ut aliis nobiſcum ſit gratiæ beneficiorumque ſuorum modis, præſtantiori tamen modo per ſacram epiſcopatus poteſtatem nobiſcum eſt, in nobis habitat, & per ſacra myſteria nobis unitur, quorum primus miniſter eſt epiſcopus, immo & per Spiritum ſanctum auctor ſacrorum conſtitutus; neque hæreſi ſuccumbere nos permittit. Propterea Damaſcenus quarta ad Africanos epiſtola, dixit univerſam eccleſiam fuiſſe epiſcopis abſolute commiſſam: & Clementem primum, Romæ epiſcopum, & Evodium Antiochiæ, & Marcum Alexandriæ, Petri ſucceſſores fuiſſe nemo non confitetur. Item & divus Andreas Stachym in throno Conſtantinopolitano ſuum in locum ſuffecit. Item in hac magna civitate ſancta Jeruſalem Jacobum ipſe Dominus conſtituit; Jacobo deinde alter, & huic deinceps alter; ad nos uſque ſucceſſit. Unde & Tertullianus epiſtola ad Papianum, epiſcopos omnes Apoſtolorum vocat ſucceſſores. Horum denique ſucceſſionem & Apoſtolicam dignitatem juxta ac poteſtatem Euſebius quoque Pamphili epiſcopus, & omnes prorſus Patres, quos hic recenſere ſupervacaneum eſſet, conteſtantur; & communis ac prima eccleſiæ catholicæ vel naſcentis conſuetudo confirmat.

Superiorem vero eſſe ſimplici ſacerdotio pontificiam dignitatem; vel inde liquet, quod ſacerdotem conſecret epiſcopus; non vero ab ſacerdote, ſed a duobus tribuſve Pontificibus; juxta Apoſtolorum canones; epiſcopus conſecretur. Et ſacerdos quidem eligitur ab epiſcopo: epiſcopus vero nequaquam ab ſacerdotibus ſive presbyteris; neque etiam ab ſæculi principibus; quantacumque virtute eximiis; eligitur; ſed ab illius eccleſiæ ſynodo; quæ metropolis eſt provinciæ; in qua urbs illa eſt; cui is qui conſecrandus eſt, deſtinatur; vel certe ab hujus provinciæ ſynodo, in qua opus eſt

τῇ ἐκκλησίᾳ ὡς ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὴν ἀναπνοήν, καὶ ἐν τῷ κόσμῳ τὸν ἥλιον. ὅθεν καί τισι κομψῶς πρὸς ἔπαινον τοῦ ἀρχιερατικοῦ ἀξιώματος εἴρηται· ὅτι Θεὸς ἐν τῇ οὐρανίῳ τῶν πρωτοτόκων ἐκκλησίᾳ, καὶ ἥλιος ἐν τῷ κόσμῳ, τοῦτο ἕκαστος ἀρχιερεὺς ἐν τῇ κατὰ μέρος ἐκκλησίᾳ, ὡς δι' οὗ τὸ ποίμνιον λαμπρύνεται, θάλπει, καὶ ναὸς Θεοῦ γίνεται.

Ὅτι δὲ ἀλληλοδιαδόχως τὸ τῆς ἐπισκοπικῆς μέγα μυστήριον, καὶ ἀξίωμα δίδοται μέχρις ἡμῶν, φανερόν. ὁ γὰρ κύριος εἰπὼν εἶναι μεθ' ἡμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, εἰ καὶ κατ' ἄλλους τρόπους χάριτος, καὶ θείων εὐεργετημάτων ἐστὶ μεθ' ἡμῶν, ἀλλ' οὖν κυριωτέρῳ τρόπῳ διὰ τῆς ἐπισκοπικῆς τελεταρχίας οἰκοῦται ἡμᾶς καὶ συνέστιν ἡμῖν, καὶ διὰ τῶν ἱερῶν μυστηρίων ἑνοῦται ἡμῖν, ὧν πρωτουργός ἐστι καὶ τελετάρχης διὰ τοῦ πνεύματος ὁ ἐπίσκοπος· καὶ οὐκ ἐᾷ αἱρέσει ὑποπεσεῖν. καὶ διὰ τοῦτο καὶ Δαμασκηνὸς τετάρτῃ ἐπιστολῇ πρὸς Ἀφρικάνους ἔλεγε τὴν καθόλου ἐκκλησίαν τοῖς ἐπισκόποις γνησίως ἐπιτετράφθαι· καὶ Κλήμης πρῶτος Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, καὶ Εὐόδιος ἐν Ἀντιοχείᾳ, καὶ Μάρκος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Πέτρου διάδοχοι ὁμολογοῦνται. καὶ Στάχυν ἐν τῷ τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ ὁ θεῖος Ἀνδρέας ἀντ' ἐκείνου καθίστησι, καὶ ἐν τῇ μεγάλῃ ταύτῃ ἁγίᾳ πόλει Ἱερουσαλὴμ ὁ μὲν κύριος Ἰάκωβον ποιεῖ, μετὰ δὲ Ἰάκωβον ἕτερος ἐγένετο, καὶ μετ' ἐκεῖνον ἕτερος ἄχρις ἡμῶν· καὶ διὰ τοῦτο καὶ Τερτουλλιανὸς ἐν τῇ πρὸς Παπιανὸν ἐπιστολῇ πάντας τοὺς ἐπισκόπους ἀποστολικοὺς διαδόχους καλεῖ. τούτων τὴν διαδοχὴν καὶ τὴν ἀποστολικὴν ἀξίαν καὶ ἐξουσίαν καὶ Εὐσέβειος ὁ Παμφίλου μαρτυρεῖ, καὶ ἁπλῶς οἱ πατέρες μαρτυροῦσιν, οὓς περιττὸν ἐξκαταλέγειν. καὶ ἡ κοινὴ καὶ ἀρχαιοτάτη τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας συνήθεια βεβαιοῖ.

Ὅτι δὲ διαφέρει τὸ ἐπισκοπικὸν ἀξίωμα τοῦ ἁπλῶς ἱερέως, δῆλον· ὁ γὰρ ἱερεὺς χειροτονεῖται ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, ἐπίσκοπος δὲ οὐ χειροτονεῖται ὑπὸ ἱερέως, ἀλλ' ὑπὸ δύο ἢ τριῶν ἀρχιερέων, ὡς ὁ ἀποστολικὸς βούλεται κανών· καὶ ὁ μὲν ἱερεὺς ἐκλέγεται ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, ὁ δὲ ἀρχιερεὺς οὐκ ἐκλέγεται ὑπὸ τῶν ἱερέων, εἴτουν πρεσβυτέρων, οὔτ' ἐκλέγεται ὑπὸ πολιτικῶν ἀρχόντων, κἂν καὶ ἀρετῇ διαφέρωσιν· ἀλλ' ὑπὸ τῆς συνόδου τῆς ἀνωτάτω ἐκκλησίας τοῦ κλίματος ἐκείνου, ἐν ᾧ κεῖται ἡ πόλις ἡ δεξομένη τὸν χειροτονηθησόμενον, ἢ τοὐλάχιστον ὑπὸ τῆς συνόδου τῆς ἐπαρχίας ἐκεί-



ANNO CHRISTI 1672.

νης, ἐν ᾗ δεῖ γίνεσθαι τὸν ἐπίσκοπον. εἰ δέ ποτε καὶ ἡ πόλις ἐκλέγοι, ἀλλ' οὐκ ἁπλῶς· ἡ γὰρ ἐκλογὴ τῇ συνόδῳ ἀναφέρεται, καὶ εἰ μὲν δόξοι ταύτην κατὰ κανόνας καλῶς ἔχειν, ὁ ἐκλεχθεὶς προβάλλεται διὰ τῆς χειροθεσίας μὲν τῶν ἐπισκόπων, τῇ ἐπικλήσει καὶ τοῦ παναγίου πνεύματος· εἰ δὲ μή, ὃν βούλεται ἡ σύνοδος, ἐκεῖνος καὶ προβιβάζεται. καὶ ὁ μὲν ἱερεὺς εἰς ἑαυτὸν σώζει τὴν ἣν εἴληφεν ἐξουσίαν καὶ χάριν τῆς ἱερωσύνης, ὁ ἐπίσκοπος δὲ καὶ ἑτέροις μεταδίδωσι· καὶ ὁ μὲν ἤδη λαβὼν τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, βάπτισμα μόνον τελεῖ τὸ ἅγιον, καὶ εὐχέλαιον· ἱερουργεῖ τὴν ἀναίμακτον θυσίαν, καὶ μεταδίδωσι τῷ λαῷ τὸ πανάγιον σῶμα, καὶ αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· χρίει τοὺς βαπτιζομένους τῷ ἁγίῳ μύρῳ, στεφανοῖ τοὺς κατὰ νόμον γαμοῦντας εὐσεβεῖς, εὔχεται ὑπὲρ τῶν ἀσθενῶν, καὶ ὑπὲρ πάσης σωτηρίας καὶ ἀληθείας ἐπιγνώσεως πάντων ἀνθρώπων· ἐξαιρέτως δ' ὑπὲρ τῆς τῶν εὐσεβῶν ζώντων καὶ τεθνεώτων ἀφέσεως καὶ συγχωρήσεως τῶν ἁμαρτιῶν. εἰ δὲ καὶ δοκιμῇ καὶ ἀρετῇ διαφέροι λαβὼν ἐξουσίαν παρὰ τοῦ ἐπισκόπου διορθοῖ τοὺς πρὸς αὐτὸν ἐρχομένους εὐσεβεῖς, καὶ εἰς τὴν πρὸς κτῆσιν τῆς οὐρανίου βασιλείας ὁδὸν ποδηγετεῖ, καὶ κῆρυξ τοῦ ἱεροῦ προχειρίζεται εὐαγγελίου. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς καὶ τούτων ἁπάντων διάκονός ἐστιν, ἐπειδὴ αὐτός ἐστιν, ὡς εἴρηται, πηγὴ τῶν θείων μυστηρίων καὶ χαρισμάτων διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος· καὶ τὸ ἅγιον μύρον μονώτατος ἐπιτελεῖ. καὶ αἱ χειροτονίαι πάντων τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τάξεων καὶ βαθμῶν τούτου εἰσὶν ἴδιαι· καὶ κατὰ πρῶτον καὶ ὑπέρτερον λόγον οὗτος δεσμεῖ, καὶ λύει· καὶ Θεῷ ἡ κρίσις εὐαπόδεκτος, ὡς ὁ κύριος εἴρηκε. καὶ τὸ ἱερὸν εὐαγγέλιον διδάσκει, καὶ τῆς εὐσεβοῦς ὑπερμαχεῖ πίστεως· καὶ τοὺς παρακούοντας ὡς ἐθνικοὺς καὶ τελώνας τῆς ἐκκλησίας ἀποδιώκει· καὶ τοὺς αἱρετικοὺς ἀφορισμῷ καὶ ἀναθέματι καθυποβάλλει· καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων. ἐξ ὧν καταφανές ἐστιν ἀναντιρρήτως διαφέρειν τὸν ἐπίσκοπον τοῦ ἁπλῶς ἱερέως, καὶ πλὴν αὐτοῦ μὴ δυναμένους πάντας τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ ἱερεῖς ἐκκλησίαν Θεοῦ ποιμᾶναι, ἢ ὅλως κυβερνῆσαι.

Ἀλλὰ καλῶς λέγεταί τινι τῶν πατέρων, οὐ ῥᾴδιον αἱρετικὸν ἄνδρα συνετὸν εὑρεῖν. καταλιπόντες γὰρ οὗτοι τὴν ἐκκλησίαν, ἐγκαταλείφθησαν ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ οὐκ ἔμεινεν ἐν αὐτοῖς σύνεσις, οὔτε φῶς, ἀλλὰ σκότος καὶ πώρωσις. εἰ γὰρ μὴ τοιαῦτα πεπόνθασιν, οὐκ ἂν πρὸς τὰ φανερώτατα ἀντιτείναιντο, ἐξ ὧν ἐστι, καὶ τὸ τῆς ἐπισκοπικῆς μέγα ὄντως μυστήριον ὑπὸ τῆς γραφῆς διδασκόμενον, ὑπό τε πάσης ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας καὶ συγγραφῆς ἁγίων συγγραφόμενόν τε, καὶ μαρτυρούμενον, καὶ ὑπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἀεὶ γινόμενόν τε καὶ ὁμολογούμενον.

epiſcopum conſecrari. Sin vero & civitas elegerit; at non una electum ſtatuit: etenim ad ſynodum defertur electio: quam ſi canonicam illa duxerit, impoſitione manuum epiſcoporum, & ſancti Spiritus invocatione, qui electus eſt, epiſcopus ordinatur: ſin minus, quemcumque ſynodus ipſa voluerit, eidem civitati epiſcopum præficit. Rurſum quam ſacerdotii poteſtatem & gratiam ſacerdos accepit, in ſe ipſo conſervat; epiſcopus vero ceteris impertitur: Et ille quidem ſacerdotali dignitate ab epiſcopo initiatus, tantummodo baptiſmum, extremamque adminiſtrat Unctionem, incruentum offert ſacrificium, & Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus & ſanguinem populo diſtribuit: oleo ſancto baptizatos ungit, fideles legitime nubentes coronat, orat pro infirmis, utque omnes ſalvi fiant homines, & ad veritatis agnitionem perveniant, deprecatur. Si vero experientia & virtute præſtiterit, facta ſibi ab epiſcopo poteſtate, venientes ad ſe fideles emendat, eiſque ad cæleſtis regni poſſeſſionem viam oſtendit, atque ſancti evangelii prædicator inſtituitur. Epiſcopus autem horum omnium & ipſe quidem miniſter eſt, utpote qui divinorum myſteriorum, gratiarumque fons per Spiritum ſanctum, uti jam diximus, exſiſtat: ſed Chriſma ſolus ille conficit, & omnium, qui in eccleſia ſunt, ordinum gradus conferre muneris ejus eſt: atque ex primaria poteſtate, excellentiorique modo ipſe ligat & ſolvit, ſententiam ejus approbante Deo, uti & Dominus ſpopondit. Inſuper evangelii magiſter ipſe eſt, ac pro fide orthodoxa decertat: & audire renuentes, ſeu ethnicos & publicanos ab eccleſia ejicit, hæreticoſque excommunicationi & anathemati ſubjicit, ac denique ſuam pro ovibus animam ponit. Ex quibus evidenter & inviſtiſſime conſtat, ſacerdoti ſimpliciter præſtare epiſcopum; quo deficiente, nec omnes qui in mundo ſunt ſacerdotes, paſcere eccleſiam poſſunt, nec omnino gubernare.

At enim, ut recte quidam Patrum ait, haud ita facile hæreticorum quempiam reperias ſapientem. Cum enim ab eccleſia illi defecerint, ab eis ſanctus etiam Spiritus abſceſſit; & omnis intelligentiæ ac luminis expertes facti, tenebris & cæcitate ſunt involuti. Id enim ipſis ni contigiſſet, haudquaquam rebus ita obniterentur apertiſſimis, cujuſmodi profecto magnum epiſcopatus ſacramentum eſt, quod ſcriptura nobis indicit, quod omnia annalium eccleſiaſticorum monumenta & ſanctorum ſcripta conteſtantur, quod denique catholica eccleſia nunquam non credidit, & ſine intermiſſione tenuit.

ANNO CHRISTI 1672.

## CAPITULUM XI.

Credimus eccleſiæ catholicæ membra eſſe omnes ac ſolos fideles, eos nimirum qui Salvatoris Chriſti fidem, ab ipſo quidem Chriſto, & ab Apoſtolis, nec non & ab ſanctis ſynodis œcumenicis traditam, firma mente ſervant illibatam, ut omnium forte nonnullos contingeret reos eſſe peccatorum. Neque enim ab eccleſia judicarentur fideles in peccatis viventes, niſi ejuſdem eſſent & membra. Atqui & hos eccleſia judicat, & ad pœnitentiam adhortatur, & peccatis etiamnum contaminatos ad præceptorum ſalutarium exercitium dirigit: ſemperque eccleſiæ catholicæ membra illi ſunt & agnoſcuntur, quandiu in infidelitatem lapſi non fuerint, ſed catholicam atque orthodoxam fidem profiteantur.

## CAPITULUM XII.

Credimus ab Spiritu ſancto erudiri catholicam eccleſiam, quippe verus conſolator ipſe eſt, quem ad docendum fideles veritatem, expellendaſque eorum e mentibus tenebras, Chriſtus a Patre mittit. Porro haudquaquam immediate, ſed per ſanctos patres, & eccleſiæ catholicæ præpoſitos, eccleſiam ipſam doctrina ſancti Spiritus illuminat. Quemadmodum enim verbum ſancti Spiritus ſacra ſcriptura eſt & dicitur; non quod ab ipſo immediate, ſed per Apoſtolos & prophetas fuerit enunciata; ita & ab vivifico Spiritu docetur quidem eccleſia; ſed medio ſanctorum Patrum doctorumque magiſterio: (quibus ſanctæ ſynodi œcumenicæ, regulæ inſtar exſtitere; quod millies dixero:) ac propterea delinquere aut aliquatenus errare, aut aliquando pro veritate mendacium eligere catholicam eccleſiam non poſſe, nedum cenſemus, at etiam idipſum ceu verum ac certiſſimum conſtanter profitemur. Etenim per ſanctos patres ac præpoſitos fideliter adminiſtrantes jugiter operans Spiritus ſanctus omnem quemcumque ab eccleſia removet errorem.

## CAPITULUM XIII.

Credimus non ſola fide, ſed ea tantum quæ per caritatem operatur, id eſt, fide atque operibus hominem juſtificari. Quod vero Chriſti juſtitiam fides inſtar manus apprehendat, nobiſque pro adeptione ſalutis applicet, ab omni pietate longiſſime eſſe cenſemus. Enimvero omnium eſſet hujuſmodi fides, unde & ad ſalutem nemo non perveniret: quod aperte falſum eſt. Quin immo fidem in nobis exſiſtentem operibus juſtificare nos per Chriſtum credimus, non vero iſtam qualemcumque fidei relationem. Porro certitudinis vocationis noſtræ argumenta eſſe hujuſmodi opera nequaquam intelligimus; ſed fructus, qui ex ſe fidei teſtantur efficacitatem: eaque ex divinis promiſſionibus eſſe talia dicimus, pro quibus recipere unuſquiſque fidelium dignus exſiſtat, prout geſſit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum.

## ΟΡΟΣ ια´.

Πιστεύομεν μέλη τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας εἶναι πάντας καὶ μόνους τοὺς πιστούς, τοὺς τὴν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ δηλαδὴ ἀμώμητον πίστιν (ὑπό τε ἐκείνου τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων οἰκουμενικῶν συνόδων δειχθεῖσαν) ἀδιστάκτως πρεσβεύοντας, κἂν καί τινες ἐξ αὐτῶν ἁμαρτίαις παντοίαις ὑπεύθυνοι εἶεν. εἰ γὰρ μὴ ἦσαν μέλη τῆς ἐκκλησίας, οἱ πιστοὶ μέν, ἁμαρτίαις δὲ συζῶντες, οὐκ ἂν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐκρίνοντο· νῦν δὲ κρινόμενοι ὑπ᾽ αὐτῆς, εἴς τε μετάνοιαν προσκαλούμενοι, καὶ εἰς τὴν τρίβον τῶν σωτηρίων ἐντολῶν ποδηγετούμενοι, κἂν καὶ ἔτι ἁμαρτίαις ῥυπαίνοιντο, μόνον δι᾽ αὐτὸ τοῦτο ὅτι οὐ πεπτώκασιν εἰς ἀπόγνωσιν, καὶ ὅτι τῆς καθολικῆς καὶ εὐσεβοῦς ἀντέχονται πίστεως, μέλη τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας εἰσὶ καὶ γινώσκονται.

## ΟΡΟΣ ιβ´.

Πιστεύομεν ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος διδάσκεσθαι τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν· αὐτὸ γάρ ἐστιν ὁ ἀληθὴς παράκλητος, ὃν πέμπει παρὰ τοῦ πατρὸς ὁ Χριστὸς τοῦ διδάσκειν τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὸ σκότος ἀπὸ τῆς τῶν πιστῶν διανοίας ἀποδιώκειν. ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὅμως διδαχὴ οὐκ ἀμέσως, ἀλλὰ διὰ τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ καθηγεμόνων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καταγλαΐζει τὴν ἐκκλησίαν. ὡς γὰρ ἡ πᾶσα γραφή ἐστί τε καὶ λέγεται λόγος τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὐχ ὅτι ἀμέσως ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐλαλήθη, ἀλλ᾽ ὅτι ὑπ᾽ αὐτοῦ διὰ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν. οὕτω καὶ ἡ ἐκκλησία διδάσκεται μὲν ὑπὸ τοῦ ζωαρχικοῦ πνεύματος, ἀλλὰ διὰ μέσου τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ διδασκάλων, (ὧν κανὼν αἱ οἰκουμενικαὶ ἅγιαι ὡμολόγηνται σύνοδοι· οὐ γὰρ τοῦτο παύσομαι μυριάκις λέγειν) καὶ διὰ τοῦτο οὐ μόνον πεπείσμεθα, ἀλλὰ καὶ ἀληθὲς καὶ βέβαιον ἀναμφιβόλως εἶναι ὁμολογοῦμεν, τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ἀδύνατον ἁμαρτῆσαι, ἢ ὅλως πλανηθῆναι, ἢ ποτὲ τὸ ψεῦδος ἀντὶ τῆς ἀληθείας ἐκλέξαι. τὸ γὰρ πανάγιον πνεῦμα ἀεί ποτε ἐνεργοῦν διὰ τῶν πιστῶς διακονούντων ἁγίων πατέρων, καὶ καθηγεμένων, πάσης ὁποιασοῦν πλάνης τὴν ἐκκλησίαν ἀπαλλάττει.

## ΟΡΟΣ ιγ´.

Πιστεύομεν οὐ διὰ πίστεως ἁπλῶς μόνης δικαιοῦσθαι τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ διὰ πίστεως καὶ ἐνεργουμένης διὰ τῆς ἀγάπης, τουτέστιν εἰπεῖν διά τε τῆς πίστεως καὶ τῶν ἔργων. τὸ δὲ τὴν πίστιν χειρὸς ἔργον ἀποπληροῦσαν ἀντιλαμβάνεσθαι τῆς ἐν Χριστῷ δικαιοσύνης, καὶ προσάπτειν ἡμῖν εἰς σωτηρίαν, πόρρω πάσης εὐσεβείας γινώσκομεν. οὕτω



ANNO CHRISTI 1672.

γὰρ ἐνουμένη ἡ πίστις πᾶσιν ἐφαρμοσθείη, καὶ οὐκ ἂν εἴη ὁ μὴ σωζόμενος, ὅπερ ἀντικρὺ ψεῦδός ἐστι. τοὐναντίον δὲ μᾶλλον πιστεύομεν ὅτι οὐ τῷ τῆς πίστεως ἀναφορικόν, ἀλλὰ τὴν οὖσαν ἐν ἡμῖν πίστιν, διὰ τῶν ἔργων δικαιοῦν ἡμᾶς παρὰ Χριστοῦ. ἐννοοῦμεν δὲ τὰ ἔργα οὐ μάρτυρας τὴν ἡμετέραν κλῆσιν ἐπιβεβαιοῦντας, ἀλλὰ καρποὺς καθ᾽ ἑαυτοὺς ὄντας· δι᾽ ὧν ἡ πίστις λαμβάνει τὸ ἔμπρακτον, καὶ καθ᾽ ἑαυτὰ ἄξια διὰ τὰς θείας ἐπαγγελίας τοῦ κομίσασθαι ἕκαστον τῶν πιστῶν τὰ διὰ τοῦ σώματος αὐτοῦ πεπραγμένα, εἴτ᾽ ἀγαθόν, εἴτε κακὸν δηλονότι.

## ΟΡΟΣ ιδ´.

Πιστεύομεν τὸν ἄνθρωπον κατολισθήσαντα τῇ παραβάσει, παρασυμβληθῆναι, καὶ ὁμοιωθῆναι τοῖς κτήνεσι, τουτέστιν ἀμαυρωθῆναι καὶ τῆς τελειότητος, καὶ ἀπαθείας ἐκπεσεῖν, οὐ μὴν καὶ τῆς ἧς ἔτυχε παρὰ τοῦ ἄκρως ἀγαθοῦ Θεοῦ φύσεως, καὶ ἐνεργείας ἐξεστηκέναι. οὕτω γὰρ οὐκ ἂν ἦν λογικός, καὶ ἑπομένως οὐδ᾽ ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ ἔχειν τὴν φύσιν αὐτήν, ἣν ἔκτισται, καὶ τὴν τῆς φύσεως ἐνέργειαν, ἥτις ἐστὶ τὸ αὐτεξούσιον, ζῶσαν καὶ ἐνεργόν· ὥστε κατὰ φύσιν δύνασθαι αἱρεῖσθαι μὲν καὶ ἐργάζεσθαι τὸ καλόν, φεύγειν δὲ καὶ μισάττεσθαι τὸ κακόν. ἄτοπον γὰρ τὴν καλὴν παρὰ τοῦ ἄκρως ἀγαθοῦ δημιουργηθεῖσαν φύσιν, ἄμοιρον ἀγαθῆς ἐνεργείας ὁμολογεῖν. τοῦτο γὰρ κακὴν εἶναι τὴν φύσιν λέγειν ἐστίν. (οὗ τί ἀσεβέστερον;) ἡ γὰρ ἐνέργεια τῆς φύσεως ἤρτηται, ἡ φύσις δὲ τοῦ δημιουργοῦ· εἰ καὶ ὁ τρόπος διαφέρει. ὅτι δὲ δύναται ὁ ἄνθρωπος φύσει ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθόν, ὑπαινίττεται μὲν καὶ ὁ κύριος λέγων, καὶ τοὺς ἐθνικοὺς ἀγαπᾶν, τοὺς ἀγαπῶντας αὐτούς. διδάσκεται δὲ σαφέστατα καὶ ὑπὸ τοῦ Παύλου Ρωμ. a πρώτῳ κεφαλαίῳ ιθ. καὶ ἀλλαχοῦ ῥητῶς. ἐν οἷς φησί, τὰ μὴ νόμον ἔχοντα ἔθνη φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν. ἐξ ὧν φανερὸν καὶ τοῦτο, ὅτι δηλαδὴ ἀδύνατον, ὅτι ποιήσει ὁ ἄνθρωπος ἀγαθόν, ἁμαρτίαν εἶναι· τὸ γὰρ καλὸν ἀδύνατον κακὸν εἶναι. γινόμενον μέντοι φύσει μόνῃ, καὶ ψυχικόν, οὐχὶ δὲ καὶ πνευματικὸν ποιοῦν τὸν μετερχόμενον, οὐ συμβάλλεται πρὸς σωτηρίαν ἁπλῶς ἄνευ πίστεως, ἀλλ᾽ οὐδὲ μὴν πρὸς κατάκρισιν· οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεται τὸ καλόν, ᾗ τοιοῦτον, κακοῦ γενέσθαι αἰτίαν. ἐν τοῖς ἀναγεννηθεῖσι δέ, ὑπὸ τῆς χάριτος, καὶ μετὰ τῆς χάριτος ἐνεργούμενον, τέλειον ἀπεργάζεται, καὶ σωτηρίας ἄξιον ποιεῖται τὸν ἐνεργοῦντα.

Ὁ ἄνθρωπος τοιγαροῦν πρὸ τῆς ἀναγεννήσεως δύναται φύσει κλίνειν πρὸς τὸ καλόν, καὶ αἱρεῖσθαι, καὶ ἐργάζεσθαι τὸ ἠθικὸν καλόν· ἀναγεννηθεὶς δέ, ἵνα ποιῇ τὸ πνευματικὸν καλόν. (σωτηρίας γὰρ ὄντα παραίτια τοῦ πιστοῦ τὰ ἔργα καὶ ἀπὸ χάριτος ὑπερφυοῦς ἐνεργούμενα, καὶ πνευματικὰ εἰκότως ὀνομάζεται.) ἀνάγκη προη-

a Error eſt, nam habentur ιϛ. κεφ. β´. ιδ´.

## CAPITULUM XIV.

Credimus hominem tranſgreſſione lapſum, ſui ipſius ſuſtinuiſſe diſpendium, eſſeque jumentis aſſimilatum, id eſt, ad nihilum redactum, & a perfectione, ſummaque qua fruebatur, impaſſibilitate, excidiſſe; haudquaquam tamen hujus, quam ab optimo Deo acceperat, naturæ virtutiſque naturalis jacturam feciſſe. Alioqui enim rationalis jam non eſſet, ac proinde nec homo: immo vero ejuſdem & modo credimus eſſe naturæ, quam cum crearetur, accepit; immo & eadem naturali virtute, utique viva & expedita, pollere, quæ eſt liberum arbitrium: ita ut poſſit naturaliter eligere & operari bonum, ac fugere & odiſſe malum. Minus quippe rationi conſentaneum videtur, ut naturam bonam ab ſumme bono conditam cujuſcumque operationis bonæ confiteamur expertem. Hoc enim dicere eſt naturam eſſe malam: (quo quid magis impium?) a natura etenim operatio pendet; & ab opifice, natura; etſi ratione diverſa. Poſſe autem hominem naturaliter operari bonum, innuit vel ipſe Dominus, ethnicos redamare dicens eos a quibus amantur. Sed & hoc ipſum manifeſtiſſime Paulus edocet ad Romanos cap. II. v. XIV. (& paſſim.) expreſſis verbis, ubi ait: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, facere.* Ex quibus & hoc quoque manifeſtum eſt, nimirum hoc quod ita facit homo bonum, nullatenus eſſe poſſe peccatum: quippe impoſſibile eſt malum eſſe, quod bonum eſt. Quod autem homo naturaliter ſolum & qua parte animalis eſt, non autem qua etiam parte ſpiritualis, bonum operatur, ſine fide nihil omnino confert ad ſalutem; ſed nec ad damnationem: neque enim bonum qua tale, aliquando contingit mali cauſam exſiſtere. Perfectum vero eſt quod hi qui regenerati ſunt, excitante & adjuvante gratia bonum operantur; & per illud digni ſalutis efficiuntur.

Poteſt itaque naturaliter homo nondum regeneratus bonum morale velle & eligere & operari: ſpirituale vero bonum regeneratus ut operetur, (nam & ſpiritualia merito vocantur fidelium opera, utpote ex gratia ſupernaturali facta, & ſalutis meritoria:) præveniente indiget gra-

gratia, quemadmodum de prædeſtinatione agentes diximus: ita ut nullum omnino Chriſtianæ vitæ dignum poſſit ex ſe ipſo opus edere; quanquam ex ſe ipſo habet velle aut nolle cooperari gratiæ.

## CAPITULUM XV.

Credimus eſſe in eccleſia legis novæ ſacramenta, eaque ſeptem, nec minorem majoremve in eccleſia ſacramentorum numerum admittimus: ſiquidem hæreticorum dementiæ fetus eſt, alius ſacramentorum numerus, quam ſeptenarius. Non enim minus quam cetera catholicæ fidei dogmata, ſeptenarius iſte ſacramentorum in evangelio ſtatuitur numerus, & ex ipſo colligitur. Ac primo quidem baptiſmi ſacramentum Dominus tradidit, quando dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Item & cum dixit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Confirmationis vero, ſeu Balſami ſacri, & ſancti Chriſmatis, cum dixit: *Vos autem ſedete in civitate Jeruſalem, quoadusque induamini virtute ex alto.* Hoc autem ſancto ſuperveniente Spiritu ſunt induti, cujus quidem adventum ſignificat confirmationis ſacramentum. De quo & Apoſtolus II. Corinth. cap. I. & apertius per Dionyſium Areopagitam [a] diſputavit.

[a] Leg. diſputatur.

Sacramentum Ordinis tradidit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item & cum dixit: *Quæcumque ligaveritis & ſolveritis ſuper terram, erunt ligata & ſoluta in cælis.*

Incruentum vero tradidit ſacrificium, dicens: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Et: *Bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti.* Item & cum dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Sacramentum vero matrimonii tunc tradidit, cum recenſitis velut ejus in obſignationem iis quæ de illo in veteri teſtamento ſcripta ſunt, ait: *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quin & magnum ab divino Apoſtolo ſacramentum appellatur.

Pœnitentiæ ſacramentum, in quo & ſecreta includitur confeſſio, tunc tradidit, cum dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta ſunt.* Item & cum dixit: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Sanctum denique Oleum, ſive Extrema-Unctio, apud Marcum legitur, & aperto Jacobi fratris Domini teſtimonio comprobatur.

A γεῖσθαι, καὶ προφθάνειν τὴν χάριν, ὃν τρόπον εἴρηται ἐν τοῖς περὶ προορισμοῦ· ὥστε μηδὲν δύνασθαι ἐξ ἑαυτοῦ τῆς κατὰ Χριστὸν ζωῆς ἄξιον ἔργον ἐκτελέσαι, ἐξ ἑαυτοῦ μέντοι ἔχειν τὸ θελῆσαι, ἢ μὴ θελῆσαι τῇ χάριτι συγκατατίθεσθαι.

## ΟΡΟΣ ιε'.

Πιστεύομεν τὰ εὐαγγελικὰ μυστήρια ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εἶναι, κἀκεῖνα εἶναι ἑπτά· ἐλάττονα γὰρ, ἢ μείζονα ἀριθμὸν μυστηρίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὐκ ἔχομεν. B ἐπειδὴ ὁ παρὰ τὸν ἑπτὰ τῶν μυστηρίων ἀριθμὸς, αἱρετικῆς φρενοβλαβείας ἐστὶν ἀποκύημα. ὁ δὲ τῶν ἑπτὰ παρὰ τοῦ ἱεροῦ εὐαγγελίου νομοθετεῖται, καὶ συνάγεται, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ τῆς καθολικῆς πίστεως δόγματα. αὐτίκα γὰρ ὁ κύριος τὸ μὲν ἅγιον βάπτισμα, διὰ τοῦ, πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· καὶ τοῦ, ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται, παραδέδωκε.

Τὸ δὲ τῆς βεβαιώσεως, ταυτὸν εἰπεῖν τοῦ ἁγίου μύρου, καὶ ἁγίου χρίσματος, C διὰ τοῦ, ὑμεῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλὴμ, ἕως ἂν ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους. ἣν ἐνεδύσαντο τῇ ἐπιδημίᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ ταύτην δηλοῖ τὸ τῆς βεβαιώσεως μυστήριον. περὶ οὗ καὶ Παῦλος δευτέρας πρὸς Κορινθίους κεφαλαίῳ πρώτῳ, καὶ τρανώτερον διὰ τοῦ Ἀρεοπαγίτου Διονυσίου διαλέγεται.

Τὴν ἱερωσύνην, διὰ τοῦ, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. καὶ διὰ τοῦ, ὅσα ἂν δήσητε καὶ λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα καὶ λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

D Τὴν δὲ ἀναίμακτον θυσίαν, διὰ τοῦ, λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου· καὶ, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης· καὶ τοῦ, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς.

Τὸν δὲ γάμον, μετὰ τὸ εἰπεῖν τὰ ἐν τῇ παλαιᾷ περὶ αὐτοῦ εἰρημένα διὰ τῆς οἷον ἐπισφραγίσεως τοῦ, οὓς ὁ Θεὸς συνέζευξεν ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω, ὃν καὶ ὁ θεῖος ἀπόστολος μέγα ἐπικαλεῖ μυστήριον.

E Τὴν δὲ μετάνοιαν, ᾗτινι ἐστὶ σύμμικτος ἡ μυστηριακὴ ἐξομολόγησις, διὰ τοῦ, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται· καὶ τοῦ, ἐὰν μὴ μετανοῆτε, ὡσαύτως ἀπολεῖσθε.

Τὸ δὲ ἅγιον ἔλαιον, εἴτουν εὐχέλαιον, λέγεται παρὰ τῷ Μάρκῳ, μαρτυρεῖται δὲ ῥητῶς ὑπὸ τοῦ ἀδελφοθέου.

Σύγ-





Σύγκειται δὲ τὰ μυστήρια ἔκ τε φυσικοῦ καὶ ὑπερφυοῦς· οὐκ εἰσὶ δὲ ψιλὰ σημεῖα τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ. οὕτω γὰρ οὐκ ἂν διενήνοχε τῆς περιτομῆς, οὗ τί ἀθλιώτερον; ὁμολογοῦμεν δ' αὐτὰ εἶναι ὄργανα δραστικὰ τοῖς μυουμένοις χάριτος ἐξ ἀνάγκης. ἀποπτύομεν δὲ ὡς ἀλλότριον τῆς χριστιανικῆς διδασκαλίας, τὸ, τὴν ἀκεραιότητα τῶν μυστηρίων ἀπαιτεῖν τὴν χρῆσιν τοῦ γηΐνου πράγματος. ἀντίκειται γὰρ τῷ μυστηρίῳ τῆς προσφορᾶς, ὃ ῥήματι * ὑπαρκτικῷ νομοτεθὲν, καὶ τῇ ἐπικλήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος ἁγιασθὲν, τελειοῦται τῇ ὑπάρξει τοῦ σημαινομένου, τοῦ σώματος δηλαδὴ, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. καὶ προηγεῖται ἡ τούτου τελείωσις ἀναγκαίως τῆς χρήσεως. εἰ γὰρ πρὸ τῆς χρήσεως μὴ ἦν τέλειον, οὐκ ἂν ὁ κακῶς χρώμενος, κρῖμα ἑαυτῷ ἤσθιε, καὶ ἔπινεν, ἐπεὶ ψιλοῦ ἄρτου καὶ οἴνου ἦν μετεσχηκώς. νυνὶ δ' ἀναξίως μετέχων κρῖμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει, ὥστε οὐκ ἐν τῇ χρήσει, ἀλλὰ πρὸ τῆς χρήσεως ἔχει τὸ τῆς εὐχαριστίας μυστήριον τὴν τελείωσιν. ἔτι ἀπορρίπτομεν ὡς καθαρμά τι καὶ μίασμα, τὸ, ἐλλειπῶς γὰρ ἐχούσης τῆς πίστεως ζημιοῦται ἡ ὁλοκληρία τοῦ μυστηρίου. οἱ γὰρ αἱρετικοὶ οὓς τὴν αἵρεσιν ἀποταξαμένους, καὶ προστεθέντας τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, δέχεται ἡ ἐκκλησία· καίτοι ἐλλειπῆ ἐσχηκότες τὴν πίστιν, τέλειον ἔλαβον τὸ βάπτισμα. ὅθεν τελείαν ὕστερον τὴν πίστιν κεκτημένοι οὐκ ἀναβαπτίζονται.

A Porro naturali & ſupernaturali conſtant ſacramenta: neque egena illa ſunt divinarum ſigna promiſſionum, quippe ita nihil ab circumciſione diſcreparent: quo quid pejus dici poſſit? Immo vero ea eſſe inſtrumenta gratiam his qui initiantur illis, neceſſario conferentia, confitemur. Quod autem rei terreſtris uſum ſacramentorum integritas neceſſario exigat, ab doctrina Chriſtiana alienum id omnino exiſtimamus, utpote euchariſtiæ ſacramento contrarium; quod ab ſubſtantiali quidem verbo inſtitutum, & a [a] ſancto Spiritu ſanctificatum, rei quam ſignificat, nimirum Corporis & ſanguinis Chriſti, B præſentia perficitur. Et prius quidem in ſe neceſſario perfectum eſt, quam cedat in uſum. Etenim ni completum eſſet ante uſum, ſuum utique non manducaret ac biberet ille judicium, qui eo male utitur; quandoquidem modicum tantummodo panem & vinum ſumeret. Atqui judicium ſibi manducat & bibit, qui ſumit indigne. Euchariſtiæ itaque ſacramentum nequaquam in uſu, ſed ante uſum, ſuum obtinet complementum. Deinde & hanc quoque ſententiam, videlicet, integritati ſacramenti diſpendium afferre exilitatem fidei, ut exitialem & abominandam, rejicimus: nam & hæreſim C abjurantes, fidemque catholicam amplectentes hæreticos eccleſia recipit, quamvis exili admodum cum fide ſacro baptiſmate initiatos: unde nec eos denuo baptizat, ubi perfectam fidem attigere.

[a] In Græc. ſancti Spiritus invocatione.

## ΟΡΟΣ ις'.

Πιστεύομεν τὸ ἅγιον βάπτισμα, τὸ διαταχθὲν μὲν παρὰ τοῦ κυρίου, γενόμενον δὲ ἐν ὀνόματι τῆς ἁγίας τριάδος, εἶναι τῶν ἀναγκαιοτάτων. χωρὶς γὰρ αὐτοῦ οὐδεὶς δύναται σωθῆναι, ὡς ὁ κύριός φησιν· ὅστις οὐ μὴ γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· καὶ διὰ τοῦτό ἐστιν ἀναγκαῖον καὶ τοῖς νηπίοις, ἐπειδὴ κἀκεῖνα ὑπόκειται τῇ ἀρχεγόνῳ ἁμαρτίᾳ, καὶ χωρὶς τοῦ βαπτίσματος οὐ δύνανται τυχεῖν τῆς ἀφέσεως. ὅπερ ὁ κύριος δεικνύων οὐκ ἔφη μερικῶς, ἀλλ' ἁπλῶς, καὶ καθόλου· ὅστις οὐ μὴ γεννηθῇ, ὃ ταυτόν ἐστι τῷ πάντας τοὺς μετὰ τὴν ἔλευσιν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ εἰσελευσομένους ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, δεῖ ἀναγεννηθῆναι. εἰ δὲ τὰ νήπια ἄνθρωποι, εἴπερ καὶ ταῦτα δεῖται σωτηρίας, δεῖται καὶ τοῦ βαπτίσματος. καὶ τὰ μὴ ἀναγεννηθέντα, ὡς μὴ τὴν ἄφεσιν τῆς προπατορικῆς ἁμαρτίας λαβόντα, ὑπόκειται τῇ ἀϊδίῳ τῆς ἁμαρτίας ἀνάγκης ποινῇ, καὶ ἑπομένως οὐ σώζεται χωρὶς τοῦ βαπτίσματος. ὥστε δεῖ ἀναγκαίως καὶ τὰ νήπια βαπτίζεσθαι. ἔτι τὰ νήπια σώζεται, ὡς λέγεται παρὰ τῷ Ματθαίῳ, ὁ δὲ μὴ βαπτισθεὶς οὐ σώζεται, καὶ τὰ νήπια ἄρα ἀναγκαίως βαπτισθήσεται. καὶ ἐν ταῖς πράξεσι λέγεται, ὅτι πᾶσαι αἱ οἰκίαι ἐβαπτίζοντο, ἄρα καὶ τὰ νήπια. τοῦτο καὶ οἱ πάλαι πατέρες μαρτυροῦσι

## CAPITULUM XVI.

Credimus ſanctum baptiſma a Domino quidem inſtitutum, & in nomine ſanctæ Trinitatis collatum, eſſe abſolute neceſſarium. Hoc enim niſi initiatus, ſalvari nemo poteſt, juxta Domini ſententiam: D *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Igitur & parvulis neceſſarium illud eſt, utpote qui rei quoque peccati originalis exſiſtant, & ſolo poſſint baptiſmate mundari. Hoc quippe edicere Dominus cum vellet, nequaquam de quibuſdam tantum, ſed ſimpliciter & de omnibus dixit: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Quod idem eſt ac ſi dixiſſet, omnes poſt Chriſti Salvatoris adventum, ut cælorum ingrediatur regnum, eſſe regenerandos. Cum autem homines ſint & parvuli, ſalute utique & ipſi indigent, ac proinde & baptiſmate. Nam qui nondum regenerati E decedunt, [b] ſempiternæ tormentorum ultioni propter originale peccatum ſubjiciuntur, ut qui ab illo non fuerint abluti: itaque ſine baptiſmo haudquaquam ſalvantur. Neceſſarius igitur eſt & parvulis baptiſmus, ut ſalventur; juxta id quod apud Matthæum legitur: *Qui autem non fuerit baptizatus, non ſalvabitur:* ergo neceſſe eſt & parvulos baptizari. Et in Actis dicitur, familias totas fuiſſe baptizatas: ergo & parvulos. Sed & hoc ipſum Patres anti-

[b] In Græc. ſubjacent ſempiternæ peccati neceſſitatis pœnæ.

antiqui teſtantur, in primis Dionyſius, de [a] cæleſti hierarchia; Juſtinus, quæſtione quinquageſima ſexta, ubi ſic aperte loquitur: Baptiſmi autem fructibus eorum fide digni fiunt, (parvuli) a quibus ſacros ad fontes offeruntur. Et Auguſtinus Apoſtolicam ait eſſe traditionem, parvulos baptiſmo ſalvari. Item alibi: Alienos infantibus pedes eccleſia tribuit, ut ad ſe veniant; aliena corda, ut credant; linguam alienam, ut ſpondeant. Et rurſum alibi: Cor illis ſingulare mater eccleſia ſubminiſtrat.

[a] Lege, eccleſiaſtica.

Baptiſmi porro materia, ſola eſt aqua naturalis, nec alius in eo humor adhiberi poteſt. Hujus vero miniſter, ſacerdos unus; quin & urgente vera neceſſitate, quivis homo, modo tamen fidelis, & proprium ſacri baptiſmatis finem intendens. Hæc autem ſunt effecta baptiſmi. Primo, peccatum delet originale, & quotquot voluntate propria is qui baptizatur, admiſit. Secundo, ab æternis, quæ ſive propter originale, ſive propter proprium mortale peccatum manebant hominem, pœnis eximit. Tertio immortalitatem baptizatis impertitur. Quippe a peccatis eos emundat, & in Dei templa coaptat. Neque dicere licet, omnia prorſus quæ baptiſmum præceſſere peccata per hunc non deleri, ſed manere quidem; at non imputari. Extremæ etenim id impietatis eſt, & pietatis abnegatio cenſenda magis quam confeſſio. Immo vero, omne quodcumque peccatum ante baptiſmum aut exiſtens, aut commiſſum deleri, atque perinde ac ſi commiſſum nunquam fuiſſet aut exſtitiſſet, credendum eſt æſtimari. Etenim & ea quæ in baptiſmo formantur ſignacula, & tum quæ præcedunt, cum quæ ipſum perficiunt verba, ipſa denique ablutio, perfectam munditiam deſignant; quin & illa, quibus appellatur, vocabula ſignificant. Si enim per ſpiritum & ignem perficitur baptiſmus, perfectam utique munditiam hunc eſſe, manifeſtum eſt, cum perfecto Spiritus expurget; ſi lumen, tenebras diſſipat; ſi regeneratio, utique vetera deſiere. Quæ porro vetera, niſi peccata? Veterem hominem ſi qui baptizatur, exuit: ergo & peccatum; Chriſtum ſi induit, beneficio igitur baptiſmi a peccato mundus efficitur. Longe enim a peccatoribus Deus. Hoc ipſum vero & luculentiori ſententia Paulus edocet, dicens: *Sicut per unum peccatores conſtituimur multi, ita & per unum juſti.* Porro ſi juſti, igitur & a peccato liberi; neque enim ſimul eſſe poſſunt vita & mors: ſi vere mortuus eſt Chriſtus, vera profecto eſt & per ſpiritum condonatio peccati.

Hinc vero comportum, ſublatos poſt regenerationis gratiam omnes parvulos, per mortem Chriſti ad ſalutem eſſe prædeſtinatos: cum enim nullius rei eſſent peccati, non quidem originalis, utpote jam ab illo purgati; neque etiam actua-

σαφῶς. ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ἐν τῷ περὶ ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας. καὶ Ἰουστῖνος πεντηκοστῷ ἕκτῳ ζητήματι, ὃς λέγει ῥητῶς· ἀξιοῦνται δὲ τῶν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀγαθῶν τῇ πίστει τῶν προσφερόντων αὐτὰ τῷ βαπτίσματι. καὶ Αὐγουστῖνος παράδοσιν εἶναί φησιν ἀποστολικὴν, τὰ παιδία διὰ τοῦ βαπτίσματος σώζεσθαι. καὶ ἀλλαχοῦ· ἡ ἐκκλησία τοῖς βρέφεσιν ἑτέρων πόδας ἐπιτίθησιν, ὅπως ἔρχωνται· ἑτέρων καρδίας, ὅπως πιστεύωσιν· ἑτέρων γλῶσσαν, ὅπως ἐπαγγέλλωνται. καὶ ἀλλαχοῦ· ἡ μητὴρ ἐκκλησία μερικὴν καρδίαν ἐκείνοις χαρίζεται.

Γίνεται δὲ τὸ βάπτισμα, δι' ὕλης μὲν ὕδατος καθαροῦ, καὶ οὐδενὸς ἑτέρου ὑγροῦ. ἀποτελεῖται δὲ διὰ μόνου τοῦ ἱερέως, καὶ κατὰ ἀνάγκην ἀπροφάσιστον ἔχει γίνεσθαι καὶ δι' ἑτέρου ἀνθρώπου, πλὴν ὀρθοδόξου, καὶ σκόπον ἔχοντος τὸν ἁρμόδιον τῷ θείῳ βαπτίσματι. ἀποτελέσματα δὲ τοῦ βαπτίσματος συνελόντι φάναι. πρῶτον ἡ ἄφεσις τοῦ προπατορικοῦ πλημμελήματος, καὶ ὅσων ἄλλων ἁμαρτιῶν πεπραχὼς ἦν ὁ βαπτισθείς. δεύτερον, ῥύεται ἐκεῖνον τῆς αἰδίου ποινῆς, ᾗτινι ὑπέκειτο, εἴτε διὰ τὸ ἀρχέγονον ἁμάρτημα, εἴτε δι' ἃ ἰδικῶς ἔπραξε θανάσιμα. τρίτον, δίδωσιν αὐτοῖς τὴν ἀθανασίαν. δικαιοῦν γὰρ αὐτοὺς τῶν προημαρτημένων, ναοὺς Θεοῦ ἀποκαθίστησιν, οὐκ ἔστι δὲ εἰπεῖν μὴ λύεσθαι διὰ τοῦ βαπτίσματος πάσας τὰς ὁπωσοῦν πρὸ τούτου ἁμαρτίας, ἀλλὰ μένειν μὲν, οὐκ ἰσχύειν δέ· τοῦτο γὰρ ἀσεβείας τῆς ἐσχάτης ἐστὶ γέμον καὶ ἄρνησις μᾶλλον, ἢ ὅλως ὁμολογία εὐσεβείας· ἀλλ' ὅτι πᾶσα ἁμαρτία πρὸ τοῦ βαπτίσματος οὖσα, ἢ γεγονυῖα ἀφανίζεται, καὶ ὡς μὴ οὖσα ποτε, ἢ γεγονυῖα, λογίζεται. οἱ γὰρ τύποι τοῦ βαπτίσματος, πᾶσαι ἑκάτερον καὶ αἱ προμηνύουσαι καὶ τελειοῦσαι ῥήσεις, τὸ βάπτισμα, τὴν τελείαν ὑπαινίττουσι κάθαρσιν. τοῦτο αὐτὸ καὶ αὐτὰ τὰ τοῦ βαπτίσματος ὀνόματα παρίστωσιν. εἰ γὰρ βάπτισμα διὰ πνεύματος καὶ πυρὸς, δῆλον ὅτι καὶ τελεία πᾶσιν ἡ κάθαρσις· τὸ γὰρ πνεῦμα τελείως καθαίρει. εἰ φῶς, τὸ σκότος ἔλυσεν. εἰ ἀναγέννησις, παρῆλθε τὰ ἀρχαῖα. τίνα δὲ ταῦτα, εἰ μὴ τὰ ἁμαρτήματα; εἰ ἀπεκδύεται ὁ βαπτιζόμενος τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, ἄρα καὶ τὴν ἁμαρτίαν. εἰ ἐνδύεται τὸν Χριστὸν, ἄρα ἀναμάρτητος γίνεται ἐνεργείᾳ διὰ τοῦ βαπτίσματος. μακρὰν γὰρ ἀπὸ ἁμαρτωλῶν ὁ Θεός. τοῦτο καὶ Παῦλος διδάσκει τρανώτερον λέγων, ὥσπερ διὰ τοῦ ἑνὸς ἁμαρτωλοὶ κατεστάθημεν οἱ πολλοὶ, οὕτω διὰ τοῦ ἑνὸς δίκαιοι, ἄρα ἁμαρτίας ἐλεύθεροι. οὐ γὰρ δύναται ἐν ταὐτῷ εἶναι τὴν ζωὴν, καὶ τὸν θάνατον. εἰ ἀληθῶς ἀπέθανεν ὁ Χριστὸς, ἄρα καὶ ἀληθὴς ἡ διὰ τοῦ πνεύματος ἄφεσις.

Ἐντεῦθεν δὲ δῆλον πάντα τὰ βαπτισθέντα καὶ κοιμηθέντα βρέφη, ἀναμφιβόλως σώζεσθαι προορισθέντα διὰ τοῦ θανάτου τοῦ Χριστοῦ. εἰ γὰρ ἐκτὸς πάσης ἦσαν ἁμαρτίας· κοινῆς μὲν, ὅτι ἐλυτρώθησαν τῷ θείῳ λουτρῷ· ἰδικῆς δὲ,





ὅτι τὰ βρέφη μὴ ἔχοντα ἐνεργείᾳ προαίρεσιν οὐχ ἁμαρτάνει, ἄρα καὶ σώζεται. ἐντίθησι δὲ τὸ βάπτισμα καὶ χαρακτῆρα ἀνεξάλειπτον, ὥσπερ καὶ τὴν ἱερωσύνην. καθὼς γὰρ ἀδύνατον τὸν αὐτὸν δὶς ἱερωσύνης τυχεῖν τῆς αὐτῆς· οὕτως ἀδύνατον ἀναβαπτισθῆναι τὸν ἅπαξ ὀρθῶς βαπτισθέντα, κἂν καὶ μυρίαις συμβέβηκεν αὐτὸν ὑποπεσεῖν ἁμαρτίαις, ἢ καὶ αὐτῇ ἐξομομώσει τῆς πίστεως. πάλιν γὰρ ἐπιστρέψαι πρὸς κύριον, ἀναλαμβάνει τὴν ἣν ἀπώλεσεν υἱοθεσίαν διὰ μυστηρίου τῆς μετανοίας.

## ΟΡΟΣ ιζ'.

Πιστεύομεν τὸ πανάγιον μυστήριον τῆς ἱερᾶς εὐχαριστίας, ὅπερ ἀνωτέρω κατὰ τάξιν, τέταρτον ἐθέμεθα, ἐκεῖνο εἶναι ὅπερ ὁ κύριος παρέδωκε τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. λαβὼν γὰρ ἄρτον καὶ εὐλογήσας, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπών· λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον εὐχαριστήσας εἴρηκε· πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Τούτου ἐν τῇ ἱερουργίᾳ πιστεύομεν παρεῖναι τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν οὐ τυπικῶς, οὐδ' εἰκονικῶς, οὐδὲ χάριτι ὑπερβαλλούσῃ, ὡς ἐν τοῖς λοιποῖς μυστηρίοις, οὐδὲ κατὰ μόνην παρουσίαν, καθώς τινες τῶν πατέρων εἰρήκασι περὶ τοῦ βαπτίσματος· οὐδὲ κατ' ἐναρτισμὸν, ὥστε ἑνοῦσθαι τὴν θεότητα τοῦ λόγου τῷ προκειμένῳ τῆς εὐχαριστίας ἄρτῳ ὑποστατικῶς, καθὼς οἱ ἀπὸ Λουθήρου λίαν ἀμαθῶς, καὶ ἀθλίως δοξάζουσιν. ἀλλ' ἀληθῶς καὶ πραγματικῶς, ὥστε μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τοῦ ἄρτου, καὶ τοῦ οἴνου μεταβάλλεσθαι, μετουσιοῦσθαι, μεταποιεῖσθαι, μεταρρυθμίζεσθαι· τὸν μὲν ἄρτον εἰς αὐτὸ τὸ ἀληθὲς τοῦ κυρίου σῶμα, ὅπερ ἐγεννήθη ἐν Βηθλεὲμ ἐκ τῆς ἀειπαρθένου, ἐβαπτίσθη ἐν Ἰορδάνῃ, ἔπαθεν. ἐτάφη, ἀνέστη, ἀνελήφθη, κάθηται ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, μέλλει ἐλθεῖν ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ· τὸν δὲ οἶνον μεταποιεῖσθαι καὶ μετουσιοῦσθαι εἰς αὐτὸ τὸ ἀληθὲς τοῦ κυρίου αἷμα, ὅπερ κρεμαμένου ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, ἐχύθη ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

Ἔτι μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου, οὐκ ἔτι μένειν τὴν οὐσίαν τοῦ ἄρτου, καὶ τοῦ οἴνου, ἀλλὰ αὐτὸ τὸ σῶμα, καὶ τὸ αἷμα τοῦ κυρίου, ἐν τῷ τοῦ ἄρτου, καὶ τοῦ οἴνου εἴδει καὶ τύπῳ, ταὐτὸν εἰπεῖν ὑπὸ τοῖς τοῦ ἄρτου συμβεβηκόσιν.

Ἔτι αὐτὸ τὸ παναχήρατον τοῦ κυρίου σῶμα καὶ αἷμα μεταδίδοσθαι, καὶ εἰσδύειν εἰς τὸ στόμα καὶ στόμαχον τῶν μετεχόντων εὐσεβῶν τε καὶ ἀσεβῶν. πλὴν τοῖς μὲν εὐσεβέσι καὶ ἀξίοις ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ ζωὴν αἰώνιον προξενεῖν· τοῖς δ' ἀσεβέσι καὶ ἀναξίοις, κατάκρισιν καὶ κόλασιν αἰώνιον παραχωρεῖν.

Ἔτι τέμνεσθαι μὲν καὶ διαιρεῖσθαι εἴτε χερσὶν, εἴτε καὶ ὀδοῦσι τὸ σῶμα, καὶ τὸ αἷμα τοῦ κυρίου,

lis, utpote peccatis ex propria electione nondum idonei; beatorum in ſortem certiſſime cooptantur. Porro æque ac Ordo, baptiſmus characterem imprimit indelebilem: unde quemadmodum eodem ordine initiari bis nemo poteſt, ita nec recte ſemel baptizatus, iterum baptizari, ut in mille peccata forte prolapſus, immo ut a fide etiam apoſtata. Enimvero converti ad Dominum quiſquis voluerit, eam a qua exciderat, per pœnitentiæ ſacramentum recuperat adoptionem.

## CAPITULUM XVII.

Credimus ſanctiſſimum divinæ euchariſtiæ ſacramentum, quod ordine quartum ſupra recenſuimus, illud ipſum eſſe, quod ea nocte qua ſemetipſum pro mundi vita tradidit Dominus, nobis traditione reliquit. Panem quippe accipiens ac benedicens, dedit ſanctis diſcipulis ſuis & Apoſtolis, dicens: *Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum.* Et accipiens calicem gratias agens, dixit: *Bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

In hujus itaque celebratione ſacramenti, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum credimus eſſe præſentem, non quidem ſecundum figuram aut imaginem, neque etiam ſecundum quamdam, uti ceteris in ſacramentis, gratiæ excellentiam, neque ſecundum ſimplicem, quam & in baptiſmo Patres nonnulli commemoravere, præſentiam: neque penes conjunctionem, qua propoſito euchariſtiæ pani Verbi divinitas [a] ſubſtantialiter unitur, quemadmodum inſcite juxta ac miſere Lutherani arbitrantur; ſed vere realiterque: quatenus panis & vini facta conſecratione, tranſmutetur, tranſſubſtantietur, convertatur, tranſeat; panis quidem, in ipſum corpus Domini verum, quod natum eſt Bethleem ex ſemper Virgine, baptizatum in Jordane, paſſum, ſepultum, quod reſurrexit, aſcendit, ſedet a dextris Dei Patris, in cæli denique nubibus adventurum: vinum vero in ipſum Domini ſanguinem verum converti ac tranſſubſtantiari, qui ex illo in cruce pendente pro mundi vita defluxit.

[a] Lege, hypoſtatice.

Item facta panis & vini conſecratione, nec panis, nec vini manere amplius ſubſtantiam credimus, ſed ipſum corpus & ſanguinem Domini, ſub panis & vini ſpeciebus, id eſt, ſub panis accidentibus.

Item & ipſum diſtribui Domini corpus & ſanguinem puriſſimum, inque communicantium ſive piorum, ſive impiorum os ac ſtomachum introduci: niſi quod remiſſionem peccatorum vitamque piis ac dignis impertitur æternam, impiis vero ac indignis damnationem pœnamque accerſit ſempiternam.

Item manibus dentibuſque concidi quidem Domini corpus ac dividi; verum per acci-

accidens dumtaxat, ſive penes accidentia panis & vini, per quæ & viſibilia ea eſſe confitemur & contrectabilia: at inſecta prorſus & indiviſa ſecundum ſe permanere. Unde & catholica dicit eccleſia: „ Conciditur & dividitur, qui conciſus „ nequaquam dividitur, ubique manduca„ tur, & nuſquam conſumitur, ſed digne „ accedentes ſanctificat.

Item nequaquam ſub diviſione qualibet ac minima panis & vini conſecrati particula, eſſe partem corporis & ſanguinis Domini: quippe hoc ſine blaſphemia & impietate nemo dixerit: ſed totum ac integrum Dominum Chriſtum ſecundum ſubſtantiam, animam videlicet ſuam & divinitatem, id eſt, Deum perfectum, & perfectum hominem. Unde & multæ cum per orbem una & eadem hora celebrantur Miſſæ, haudquaquam Chriſti plures, plurave Chriſti ſunt corpora: ſed unus in omnibus ac ſingulis fidelium eccleſiis vere ac realiter præſens eſt ipſe Chriſtus, unum & corpus eſt, & ſanguis unus. Atque id quidem, non quod illud quod in cælo eſt Domini corpus ſuper altaria deſcendat; ſed quod poſt conſecrationem converſo ac tranſſubſtantiato eo, qui ſingulis in eccleſiis offertur, propoſitionis pane, unum & idem fiat & ſit cum eo quod eſt in cælo. Quippe multis in locis, non multa, ſed unum eſt Corpus Domini: ac vel hinc maxime mirabile eſt, diciturque hujuſmodi ſacramentum, & ſola fide comprehenſibile, non autem humanæ ratiunculis ſapientiæ; cujus quidem vanam & circa res divinas cæcam inquiſitionem pia atque divinitus nobis tradita profeſſio noſtra contemnit.

Item & ſupremo colendum honore, cultuque latriæ idem Domini corpus & ſanguinem eſſe adorandum. Quippe ſanctiſſimæ Trinitatis, & Corporis ſanguiniſque Domini una eſt adoratio.

Item & verum ac propitiatorium eſſe ſacrificium, quod pro fidelibus omnibus tum vivis, tum defunctis, necnon & pro utilitate omnium offertur, uti & in hujuſce ſacramenti precibus exprimitur, quas pro ea quam a Domino receperant, diſponendi poteſtate, Apoſtoli eccleſiæ tradidere.

Item ante uſum, ſtatim a conſecratione, ac poſt uſum, id quod ſacris in pyxidibus communioni moribundorum aſſervatur, Corpus eſſe Domini verum, & a ſe ipſo ne vel leviſſime quidem diverſum; quatenus ante uſum poſt conſecrationem, in uſu, ac poſt uſum, verum omnino ſit Corpus Domini.

Præterea, verbo *Tranſſubſtantiationis*, modum illum, quo in corpus & ſanguinem Domini panis & vinum convertuntur, perfecte explicari minime credimus: (id enim penitus impoſſibile, utpote ſoli Deo comprehenſibile: unde & inſcitiæ juxta ac impietatis in notam incurrit, quiſquis ad hujus intelligentiam myſterii ſe arbitratur perveniſſe.) ſed panis & vini facta conſecratione, non typicam,

κατὰ συμβεβηκὸς μέντοι, ἤτοι κατὰ τὰ συμβεβηκότα τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου, καθ᾽ ἃ καὶ ὁρατὰ καὶ ἁπτὰ εἶναι ὁμολογοῦνται, καθ᾽ ἑαυτὰ δὲ μένειν ἄτμητα πάντη καὶ ἀδιαίρετα. ὅθεν καὶ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία φησί· μερίζεται καὶ διαμερίζεται ὁ μελιζόμενος, καὶ μὴ διαιρούμενος, ὁ πάντοτε ἐσθιόμενος, καὶ οὐδέποτε δαπανώμενος, ἀλλὰ τοὺς μετέχοντας (δηλονότι ἀξίως) ἁγιάζων.

Ἔτι ἐν ἑκάστῳ μέρει καὶ τμήματι ἐλαχίστῳ τοῦ μεταβληθέντος ἄρτου καὶ οἴνου, οὐκ εἶναι μέρος τοῦ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ κυρίου. βλάσφημον γὰρ τοῦτο καὶ ἄθεον· ἀλλὰ ὅλον ὁλικῶς τὸν δεσπότην Χριστὸν κατ᾽ οὐσίαν μετὰ ψυχῆς δηλονότι, καὶ θεότητος· ἤτοι τέλειον Θεὸν καὶ τέλειον ἄνθρωπον. ὅθεν καὶ πολλῶν γινομένων ἐν τῇ οἰκουμένῃ μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ὥρᾳ ἱερουργιῶν, μὴ γίνεσθαι πολλοὺς Χριστούς, ἢ πολλὰ σώματα Χριστοῦ. ἀλλὰ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν παρεῖναι ἀληθῶς καὶ πραγματικῶς, καὶ ἓν εἶναι αὐτοῦ τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα ἐν πάσαις ταῖς κατὰ μέρος τῶν πιστῶν ἐκκλησίαις· καὶ τοῦτο οὐχ ὅτι τὸ ἐν οὐρανοῖς τοῦ δεσπότου ἐν τοῖς θυσιαστηρίοις κάτεισι σῶμα, ἀλλ᾽ ὅτι ὁ τῆς προθέσεως ἐν πάσαις ταῖς κατὰ μέρος ἐκκλησίαις προκείμενος ἄρτος μεταποιούμενος καὶ μετουσιούμενος μετὰ τὸν ἁγιασμόν, γίνεται καὶ ἔστιν ἓν καὶ τὸ αὐτὸ τῷ ἐν οὐρανοῖς. ἓν γὰρ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐν πολλοῖς τόποις, καὶ οὐ πολλά· καὶ διὰ τοῦτο τὸ μυστήριον τοῦτο μάλιστα ἐστὶ καὶ λέγεται θαυμαστόν, καὶ πίστει μόνῃ καταληπτόν, οὐ σοφίσμασι σοφίας ἀνθρωπίνης, ἧς τὴν ματαίαν καὶ ἀνόητον ἐν τοῖς θείοις περιεργίαν ἀποσείεται ἡ εὐσεβὴς καὶ θεοπαράδοτος ἡμῶν θρησκεία.

Ἔτι αὐτὸ τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου τὸ ἐν τῷ τῆς εὐχαριστίας μυστηρίῳ, ὀφείλειν τιμᾶσθαι ὑπερβαλλόντως καὶ προσκυνεῖσθαι λατρευτικῶς. μία γὰρ ἡ προσκύνησις τῆς ἁγίας τριάδος, καὶ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου.

Ἔτι εἶναι θυσίαν ἀληθῆ καὶ ἱλαστικὴν προσφερομένην ὑπὲρ πάντων τῶν εὐσεβῶν ζώντων καὶ τεθνεώτων, καὶ ὑπὲρ ὠφελείας πάντων, ὡς κεῖται ῥητῶς ἐν ταῖς τοῦ μυστηρίου τούτου εὐχαῖς ὑπὸ τῶν ἀποστόλων τῇ ἐκκλησίᾳ παραδοθείσαις, κατὰ τὴν πρὸς αὐτοὺς διαταγὴν τοῦ κυρίου.

Ἔτι καὶ πρὸ τῆς χρήσεως εὐθὺς μετὰ τὸν ἁγιασμόν, καὶ μετὰ τὴν χρῆσιν τὸ φυλαττόμενον ἐν ταῖς ἱεραῖς θήκαις πρὸς μετάληψιν τῶν ἀποδημῆσαι μελλόντων, ἀληθὲς εἶναι τοῦ κυρίου σῶμα, καὶ κατὰ μηδὲν διαφέρον ἑαυτοῦ, ὥστε πρὸ τῆς χρήσεως μετὰ τὸν ἁγιασμόν, ἐν τῇ χρήσει, καὶ μετὰ τὴν χρῆσιν, εἶναι κατὰ πάντα τὸ ἀληθὲς τοῦ κυρίου σῶμα.

Ἔτι τῇ μετουσιώσεως λέξει οὐ τὸν τρόπον πιστεύομεν δηλοῦσθαι, καθ᾽ ὃν ὁ ἄρτος, καὶ ὁ οἶνος μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα τοῦ κυρίου. τοῦτο γὰρ ἄληπτον πάντῃ, καὶ ἀδύνατον πλὴν αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ· καὶ τοῖς πιστεύουσιν ἀμάθειαν ἅμα, καὶ ἀσέβειαν ἐπιφέρει. ἀλλ᾽ ὅτι ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος μετὰ τὸν ἁγιασμόν, οὐ τυπικῶς, οὐδ᾽ εἰκονικῶς, οὐδὲ χάριτι ὑπερβαλλούσῃ, οὐδὲ τῇ κοινωνίᾳ, ἢ τῇ

παρου-



παρουσίᾳ τῆς θεότητος μόνης τοῦ μονογενοῦς. μεταβάλλεται εἰς τὸ σῶμα, καὶ αἷμα τοῦ κυρίου. οὐδὲ συμβεβηκός τι τοῦ ἄρτου, καὶ τοῦ οἴνου, εἰς συμβεβηκός τι τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, κατά τινα τροπὴν ἢ ἀλλοίωσιν μεταποιεῖται, ἀλλ᾽ ἀληθῶς καὶ πραγματικῶς, καὶ οὐσιωδῶς γίνεται· ὁ μὲν ἄρτος αὐτὸ τὸ ἀληθὲς τοῦ κυρίου σῶμα, ὁ δ᾽ οἶνος αὐτὸ τοῦ κυρίου αἷμα, ὡς εἴρηται ἀνωτέρω.

Ἔτι μὴ γίνεσθαι ὑπό τινος ἄλλου τὸ τῆς ἱερᾶς εὐχαριστίας τοῦτο μυστήριον, εἰ μὴ μόνον ὑπὸ ἱερέως εὐσεβοῦς, καὶ ὑπὸ εὐσεβοῦς καὶ νομίμου ἐπισκόπου τὴν ἱερωσύνην λαβόντος, καθ᾽ ὃν τρόπον ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία διδάσκει. αὕτη ἐστὶν ἐν συντόμῳ ἡ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας καὶ περὶ τοῦ μυστηρίου τούτου δόξα, καὶ ἀληθὴς ὁμολογία, καὶ ἀρχαιοτάτη παράδοσις, ἣν οὐ δεῖ κολοβοῦσθαι καθ᾽ οὐδένα τρόπον ὑπὸ τῶν εὐσεβεῖν βουλομένων, καὶ ἀποσειομένων τοὺς νεωτερισμούς, καὶ τὰς βεβήλους τῶν αἱρετικῶν κενοφωνίας. ἀλλ᾽ ἀναγκαίως σώαν καὶ ἀδιάσειστον τηρεῖσθαι τὴν νομοθετηθεῖσαν παράδοσιν. τοὺς γὰρ παραβαίνοντας ἀποποιεῖται καὶ ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία.

non ſecundum imaginem, non penes ſuperabundantem gratiam, non per communionem, aut ſolius divinitatis Unigeniti Filii Dei præſentiam; at in corpus & ſanguinem Domini, converſionem ſignificari. Sed nec panis aut vini accidens aliquod in quoddam corporis ac ſanguinis accidens aliqua mutatione convertitur; ſed vere realiterque ac ſubſtantialiter fit quidem panis verum Domini corpus, vinum vero, ſanguis ejus, uti jam ante dictum eſt.

Denique neminem, præter pium ſacerdotem ab pio utique epiſcopo canonice inſtituto ſacerdotii charactere initiatum, juxta Orientalis eccleſiæ doctrina, hoc ſacroſanctæ euchariſtiæ credimus poſſe conficere ſacramentum. Hæc eſt compendiaria Orientalis eccleſiæ hoc de ſacramento doctrina, veraque confeſſio, & traditio perantiqua: qua de ne vel apicem detraxerint, qui pie ſentire cupiunt, & novitates horrent, ac inania hæreticorum dogmata deteſtantur: ſed hanc, quæ jampridem obtinuit, traditionem integram ſervent ac illibatam. Huic enim adhærere qui contempſerint, ſancta Chriſti rejicit & anathematizat eccleſia.

## ΟΡΟΣ ιη᾽.

Πιστεύομεν τὰς τῶν κεκοιμημένων ψυχὰς εἶναι ἢ ἐν ἀνέσει, ἢ ἐν ὀδύνῃ, καθ᾽ ὅτι ἕκαστος ἔπραξεν. χωριζομένας γὰρ ἀπὸ τῶν σωμάτων, παραυτίκα, ἢ πρὸς εὐφροσύνην, ἢ πρὸς λύπην καὶ στεναγμὸν ἐκδημεῖν, ὁμολογουμένης μέντοι μήτε τῆς ἀπολαύσεως, μήτε τῆς κατακρίσεως τελείας. μετὰ γὰρ τὴν κοινὴν ἀνάστασιν, ὅτε ἡ ψυχὴ ἑνωθείη τῷ σώματι μεθ᾽ οὗ καλῶς ἢ πονηρῶς ἐπολιτεύσατο, ἀπολήψεται ἕκαστος τὸ τέλειον, ἢ τῆς ἀπολαύσεως, ἢ τῆς κατακρίσεως δηλονότι.

Τοὺς δὲ συμφθαρέντας θανασίμοις πλημμελήμασι, καὶ μὴ ἐν ἀπογνώσει ἀποδημήσαντας, ἀλλὰ μετανοήσαντας μὲν ἔτι περιόντας ἐν τῷ μετὰ σώματος βίῳ, μὴ ποιήσαντας δὲ οὐδ᾽ ὅντινα καρπὸν μετανοίας, (ἐκχέαι δάκρυα δηλονότι, καὶ γονυπετῆσαι ἐν γρηγορήσει προσευχῶν, θλιβῆναι, πτωχοὺς παραμυθῆσαι, καὶ πως ἐν ἔργοις τὴν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ τὸν πλησίον ἀγάπην ἐπιδεῖξαι, ἃ καὶ ἱκανοποίησιν καλῶς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ἀπ᾽ ἀρχῆς ὠνόμασε) τούτων καὶ αὐτῶν τὰς ψυχὰς ἀπέρχεσθαι εἰς ᾅδου, καὶ ὑπομένειν τὴν ἕνεκα ὧν εἰργάσαντο ἁμαρτημάτων ποινήν. εἶναι δ᾽ ἐν συναισθήσει τῆς ἐκεῖθεν ἀπαλλαγῆς· ἐλευθεροῦσθαι δὲ ὑπὸ τῆς ἄκρας ἀγαθότητος, διὰ τῆς δεήσεως τῶν ἱερέων, καὶ εὐποιϊῶν, ἃς τῶν ἀποιχομένων ἕνεκα οἱ ἑκάστου συγγενεῖς ἀποτελοῦσι. μεγάλα δυναμένης μάλιστα τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, ἣν ἰδίως ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων συγγενῶν ἕκαστος, καὶ κοινῶς ὑπὲρ πάντων ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ὁσημέραι ποιεῖ ἐκκλησία. ἐννοουμένου μέντοι καὶ τούτου, τοῦ, μὴ εἰδέναι ἡμᾶς δηλαδὴ τὸν

## CAPITULUM XVIII.

Credimus defunctorum animas aut in quiete aut in pœnis eſſe, prout quiſque geſſerit. Quippe vel ad gaudii, vel ad triſtitiæ gemituſque locum ſtatim adducuntur, atque corpora deſeruere: quamquam integram beatitudinis aut damnationis menſuram nondum accipiunt. Cum enim generali facta reſurrectione, ſuum anima corpus, quocum aut bene geſſit aut male, reſumpſerit; tunc beatitudinis ac pœnarum recipiet unuſquiſque complementum.

Quos vero letalium, quibus ſe ſe fœdaverant, peccatorum non deſperatio intercepit, ſed ante mortem pœnituit, at nullum fecerunt pœnitentiæ fructum; lacrymas videlicet effundendo, genibus flexis in orationibus vigilando, ſemetipſos affligendo, pauperes recreando, ſuam denique tum in Deum, cum in proximum caritatem operibus demonſtrando, quæ & catholica eccleſia recte ab initio ſatisfactiones appellavit; horum atque id genus animas credimus ad inferos deduci, ibique juſtas pro iis, quæ commiſere, peccatis pœnas ſuſtinere: at ſuæ tamen futuræ liberationis eſſe conſcias, & ab ſumma bonitate per ſacerdotum orationes, ſuorumque parentum eleemoſynas liberari. Ad hoc vero potiſſime valet incruentum Miſſæ ſacrificium, quod privatim ab ſingulis pro parentibus ſuis, ab catholica vero & Apoſtolica eccleſiæ quotidie pro omnibus communiter offertur. Porro liberationis hujuſmodi notum nobis eſſe tempus nequaquam dicimus;

tales enim ſolvi quidem pœnis, idque ante communem reſurrectionem, & univerſale judicium, & ſcimus & credimus; id vero quando fiat, ignoramus.

καιρὸν τῆς ἀπαλλαγῆς. ὅτι γὰρ γίνεται ἐλευθερία τῶν τοιούτων ἀπὸ τῶν δεινῶν καὶ πρὸ τῆς κοινῆς ἀναστάσεώς τε καὶ κρίσεως οἴδαμεν, καὶ πιστεύομεν· πότε δέ, ἀγνοοῦμεν.

## QUÆSTIO I.

*Decetne ſacram ſcripturam vulgari idiomate ab omnibus legi Chriſtianis.*

Non decet. Enimvero ita utilem, immo & ex ſe neceſſariam divinitus traditam omnem ſcripturam agnoſcimus, ut pie ſine illa homines vivere nullatenus poſſe cenſeamus. Hanc tamen haudquaquam convenit omnes legere: at eos dumtaxat, qui profunda, quæ in illa latent Spiritus arcana recta interpretatione valent aperire; quive eam qua exponenda, docenda, legenda eſt ſcriptura ſacra, rationem probe norunt. Illitteratis autem & ſcripturam ſacram abſque diſcrimine, vel ſolum penes litteram, aut alio quodam a pietate ſenſu intelligentibus, eccleſia catholica, utique diſpendium experta, lectione ejus interdixit. Itaque omnibus quidem fidelibus ſacram audire ſcripturam, quatenus corde credant ad juſtitiam, ore autem confeſſionem promant ad ſalutem, permiſſum eſt; aliquos vero ſcripturæ, ac veteris potiſſimum inſtrumenti, libros legere, prædictis ac conſimilibus de cauſſis, prohibitum. Et vero perinde eſt ſacræ ſcripturæ lectione illiteratos prohibere, ac ſolidiori abſtineant cibo infantibus imperare.

## ΕΡΩΤΗΣΙΣ α.

*Εἰ δεῖ τὴν θείαν γραφὴν κοινῶς παρὰ πάντων τῶν χριστιανῶν ἀναγινώσκεσθαι.*

Οὔ. τὴν πᾶσαν γὰρ γραφὴν θεόπνευστον, καὶ ὠφέλιμον οἴδαμεν, καὶ οὕτω τὸ ἀναγκαῖον ἔχουσαν μεθ᾽ ἑαυτῆς, ὥστε χωρὶς αὐτῆς ἀδύνατον ὁπωσοῦν εὐσεβεῖν, οὐ μὴν καὶ ὑπὸ πάντων ἀναγινώσκεσθαι ταύτην, ἀλλ᾽ ὑπὸ μόνων τῶν μετὰ τῆς πρεπούσης ἐρεύνης τοῖς βάθεσιν ἐγκυπτόντων τοῦ πνεύματος, καὶ εἰδότων οἷς τρόποις ἡ θεία γραφὴ ἐρευνᾶται, καὶ διδάσκεται, καὶ ὅλως ἀναγινώσκεται. τοῖς δὲ μὴ γεγυμνασμένοις, καὶ ἀδιαφόρως, ἢ μόνον κατὰ τὸ γράμμα, ἢ καὶ καθ᾽ ἄλλον τινὰ τρόπον ἀλλότριον τῆς εὐσεβείας τὰ τῆς γραφῆς ἐκλαμβάνουσιν, ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, διὰ τῆς πείρας τὴν βλάβην ἐγνωκυῖα, οὐ θεμιτὴν τὴν ἀνάγνωσιν εἶναι ἐντέλλεται. ὥστε παντὶ εὐσεβεῖ ἐπιτρέπεσθαι μὲν ἀκούειν τὰ τῆς γραφῆς, ἵνα πιστεύῃ τῇ καρδίᾳ εἰς δικαιοσύνην, ὁμολογῇ δὲ τῷ στόματι εἰς σωτηρίαν· ἀναγινώσκειν δὲ ἔνια τῆς γραφῆς μέρη, καὶ μάλιστα τῆς παλαιᾶς, ἀπηγόρευται, τῶν εἰρημένων αἰτίων, καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις ἕνεκα. καὶ ἔστιν ἴσον παραγγέλλειν τοῖς ἀγυμνάστοις μὴ ἀναγινώσκειν ὡσαύτως τὴν πᾶσαν ἱερὰν γραφήν, καὶ τοῖς βρέφεσιν ἐντέλλεσθαι μὴ ἅπτεσθαι στερεᾶς τροφῆς.

## QUÆSTIO II.

*Sitne plana omnibus legentibus Chriſtianis ſcriptura.*

Si legentibus omnibus plana eſſet ſacra ſcriptura Chriſtianis, nequaquam perſcrutari ſcripturas his qui ſalutis deſiderio tenentur, Dominus mandaſſet: fruſtraque Paulus poſitam a Deo in eccleſia doctoratus gratiam ſcripſiſſet; neque intellectu difficilia quædam habere Paulus epiſtolas Petrus diceret. Maximam itaque conſtat eſſe ſcripturæ altitudinem, juxta ac ſenſuum ejus celſitatem; ac doctiſſimis proinde diviniſque hominibus ad ejus expoſitionem, germanamque intelligentiam, necnon & ad verum atque toti ſcripturæ & ejuſdem auctori Spiritui ſancto conſonum ſenſum, opus eſſe.

Itaque ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium ac Filii Dei Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, & in cælos Aſcenſionem, necnon & regenerationis & extremi judicii veritatem, (pro quibus mortem ſubire multi non dubitarunt) ut unuſquiſque ſacro baptiſmate initiatus agnoſcat; haud tamen neceſſe eſt, immo impoſſibile, & ad ea, quæ ſolis ſapien-

## ΕΡΩΤΗΣΙΣ β.

*Εἰ σαφής ἐστιν ἡ γραφὴ πᾶσι τοῖς ἀναγινώσκουσι χριστιανοῖς.*

Εἰ σαφὴς ἦν ἡ θεία γραφὴ πᾶσι τοῖς ἀναγινώσκουσι χριστιανοῖς, οὐκ ἂν ὁ κύριος ἐρευνᾶν ταύτην τοὺς βουλομένους σωτηρίας τυχεῖν ἐπέτρεπε· καὶ τὸ χάρισμα τῆς διδασκαλίας ματαίως τῷ Παύλῳ ἐλέγετο τεθῆναι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τῇ ἐκκλησίᾳ· καὶ ὁ Πέτρος οὐκ ἂν περὶ τῶν τοῦ Παύλου ἐπιστολῶν, ἔχειν τινὰ δυσνόητα ἔλεγε. δῆλον οὖν ὡς πολὺ τὸ βάθος ἔχειν τὴν γραφήν, καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἐννοιῶν, καὶ δεῖσθαι ἐπιστημόνων, καὶ θείων ἀνδρῶν πρὸς ἔρευναν, καὶ ἀληθῆ κατάληψιν, καὶ γνῶσιν ὀρθήν, καὶ σύνῳδον τῇ πάσῃ γραφῇ, καὶ τῷ δημιουργῷ ταύτης ἁγίῳ πνεύματι;

Ὥστε τοῖς ἀναγεννηθεῖσιν, εἰ καὶ γνώριμος ἡ περὶ τριάδος πίστις, καὶ ἡ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐνανθρώπησις, τὰ πάθη, ἡ ἀνάστασις, ἡ εἰς οὐρανοὺς ἄνοδος, ὁ περὶ τῆς παλιγγενεσίας καὶ κρίσεως λόγος, ὧν ἕνεκα καὶ πολλοὶ θάνατον ὑπομεῖναι οὐκ ὤκνησαν. οὐκ ἀναγκαῖον δέ, μᾶλλον δὲ ἀδύνατον πᾶσιν εἰδέναι,



εἰδέναι, καὶ ἃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μόνοις τοῖς ἐν γεγυμνασμένοις ἐπὶ σοφίᾳ καὶ ἁγιότητι φανεροῖ.

tia & ſanctitate præditis Spiritus ſanctus aperit, omnes quoſcumque pertinere.

## ΕΡΩΤΗΣΙΣ γ.

*Ἱερὰν γραφὴν ποῖα βιβλία καλεῖς;*

Ἀπόκρισις.

Στοιχοῦντες τῷ κανόνι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἱερὰν γραφὴν καλοῦμεν ἐκεῖνα πάντα, ἅπερ ὁ Κύριλλος ὑπὸ τῆς ἐν Λαοδικείᾳ συνόδου ἐρανισάμενος ἀριθμεῖ· καὶ πρὸς τούτοις ἅπερ ἀσυνέτως, καὶ ἀμαθῶς, εἴτουν ἐθελοκακούργως, ἀπόκρυφα κατωνόμασε. τὴν Σοφίαν δηλαδὴ τοῦ Σολομῶντος, τὴν Ἰουδήθ, τὸν Τωβίαν, τὴν ἱστορίαν τοῦ δράκοντος, τὴν ἱστορίαν τῆς Σωσάννης, τοὺς Μακκαβαίους, καὶ τὴν Σοφίαν τοῦ Σιράχ. ἡμεῖς γὰρ μετὰ τῶν ἄλλων τῆς θείας γραφῆς γνησίων βιβλίων, καὶ ταῦτα γνήσια τῆς γραφῆς μέρη κρίνομεν. ὅτι ἡ παραδόσασα ἀρχαία συνήθεια, καὶ μάλιστα ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, γνήσια εἶναι τὰ ἱερὰ εὐαγγέλια, καὶ τἄλλα τῆς γραφῆς βιβλία, καὶ ταῦτα εἶναι τῆς ἁγίας γραφῆς μέρη ἀναμφιβόλως παρέδωκε· καὶ τούτων ἡ ἄρνησις ἐκείνων ἐστὶν ἀθέτησις. εἰ δέ που δοκεῖ μὴ ἀεὶ πάντα ὑπὸ πάντων συγκαταριθμεῖσθαι. οὐδὲν ἧττον ὅμως καὶ ταῦτα παρά τε συνόδων, καὶ πολλῶν ὅσων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας παλαιοτάτων τε καὶ ἐγκρίτων θεολόγων ἀριθμεῖται, καὶ συγκαταριθμεῖται τῇ πάσῃ γραφῇ, ἃ πάντα καὶ ἡμεῖς κανονικὰ βιβλία κρίνομεν, καὶ ταῦτα τὴν ἱερὰν γραφὴν εἶναι ὁμολογοῦμεν.

## QUÆSTIO III.

*Quoſnam libros ſacram Scripturam vocas?*

*Reſponſio.*

Eccleſiæ catholicæ regulam ſequentes, ſacram ſcripturam eos omnes appellamus libros, quos ab Laodicena ſynodo Cyrillus, ipſo quidem corrogante, probatos recenſet; iis inſuper additis, quos inſipienter, inſcite, aut magis malitioſe vocavit apocryphos. Sapientiam videlicet Salomonis, librum Judith, Tobiam, Draconis hiſtoriam, hiſtoriam Suſannæ, Machabæos, & Sapientiam Sirach. Hos etenim cum ceteris genuinis ſacræ ſcripturæ libris, ceu germanas ejuſdem ſcripturæ partes, cenſemus eſſe numerandos. Quoniam quæ ſancta evangelia, alioſque ſcripturæ libros ut genuinos tradidit antiqua conſuetudo, ſeu magis eccleſia catholica; & iſtos hæc ipſa ceu ſacræ ſcripturæ partes, procul dubio tradidit; quatenus iſtos qui neget, & illos recuſaverit. Sin vero ab cunctis haud recenſeri omnes fortaſſe videantur; iſti nihilo ſecius ab ſynodis, necnon & a multis cum antiquiſſimis, tum nominatiſſimis catholicæ eccleſiæ Theologis recenſentur, & ſacras inter ſcripturas numerantur. Quos omnes & nos judicamus eſſe canonicos; & ſacram eos eſſe ſcripturam confitemur.

## ΕΡΩΤΗΣΙΣ δ.

*Περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων, καὶ τῆς προσκυνήσεως τῶν ἁγίων, πῶς ὀφείλομεν φρονεῖν;*

Ἀπόκρισις.

Τῶν ἁγίων ὄντων καὶ ὁμολογουμένων παρὰ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πρεσβευτῶν, ὃν τρόπον εἴρηται ἐν τῷ ὀγδόῳ κεφαλαίῳ· καιρὸς εἰπεῖν ὅτι καὶ τιμῶμεν αὐτοὺς ὡς φίλους Θεοῦ, καὶ ὡς ὑπὲρ ἡμῶν δεομένους τῷ τῶν ὅλων Θεῷ. τιμῶμεν δὲ τούτους διττῶς. καθ᾽ ἕνα μὲν τρόπον τὴν μητέρα τοῦ Θεοῦ Λόγου, ὃν καὶ ὑπερδουλικὸν φαμέν· εἰ γὰρ καὶ ὡς ἀληθῶς δούλη ἡ Θεοτόκος τοῦ μόνου Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ μήτηρ, ὡς τὸν ἕνα τῆς τριάδος γεννήσασα σαρκικῶς· διὸ καὶ ἀσυγκρίτως ὑπερέχειν ὑμνεῖται πάντων ἀγγέλων τε καὶ ἁγίων· ὅθεν καὶ ὑπερδουλικὴν αὐτῇ ἀπονέμομεν τὴν προσκύνησιν. κατὰ δεύτερον δὲ τρόπον, ὃν καὶ δουλικὸν ὀνομάζομεν, προσκυνοῦμεν, εἴτουν τιμῶμεν τοὺς ἁγίους ἀγγέλους, ἀποστόλους, προφήτας, μάρτυρας, καὶ ἁπλῶς πάντας τοὺς ἁγίους.

## QUÆSTIO IV.

*Quid de ſanctis Imaginibus & cultu Sanctorum ſentire debemus?*

*Reſponſio.*

Oratores noſtri cum ſint, & ab catholica eccleſia habeantur ſancti, quemadmodum in octavo capitulo dictum eſt; dicendi modo tempus eſt, eos a nobis ceu Dei amicos, noſtroſque apud Dominum univerſorum interceſſores honorari. Porro duplicem ſanctis cultum adhibemus. Alterum quippe Verbi divini Matri, quem hyperduliam appellamus. Enimvero Dei (& hujus quidem ſolius) ut famula vere ſit & ipſa Deipara; at Mater ejus eſt, utpote quæ unam Trinitatis perſonam in carne genuit. Quare omnium cum ſanctorum, tum Angelorum longe ſuperior prædicatur: unde & hyperdulico eam cultu veneramur. Alterum vero, quem & dulicum vocamus, ſanctis Angelis, Apoſtolis, Prophetis, Martyribus, omnibus denique ſanctis adhibemus.

ANNO CHRISTI 1672.

A Inſuper venerandæ vitaliſque Crucis lignum, in quo pro ſalute mundi Salvator noſter paſſus eſt, quin & ejuſdem Crucis ſignum, veneramur, & adoramus: item & quod apud Bethlehem eſt præſepe, [a] cujus humilitate fundati ſumus: item & Calvariæ locum, & quod theca fuit vitæ, Sepulcrum: ceteras denique res ſanctas quas adoramus; ſancta videlicet evangelia, necnon & vaſa ſacra, in quibus ſacrificium incruentum celebratur. Sed & annuis commemorationibus, feſtiſque ſolemnibus, ſacris ædiculis & anathematis, ſanctos ornamus & honoramus.

[a] Lege, per quod ab irrationalitate liberati ſumus. Alludit ad [illegible] ἄλογα ζῶα paſtum capiebant.

B Deinde & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctiſſimæ Deiparæ, omniumque ſanctorum, quin & ſanctorum Angelorum, ſecundum eam, qua quibuſdam Patriarchis & Prophetis apparuere, formam, imagines veneramur, adoramus & oſculamur. Denique & Spiritum ſanctum ſub ea, qua viſus eſt, columbæ ſpecie, [b] oculis pingendo ſubjicimus.

[b] Primo male legebamus proponimus adorandum.

Eam porro quam ſanctis & eorum imaginibus, ceteriſque prædictis venerationem adhibemus, idololatriam eſſe ſi qui dicunt, id ceu ineptiſſimam ac inanem calumniam nihili omnino facimus. Nos autem ſoli in Trinitate Deo, ac præter ipſum nemini, latriæ cultum impendimus. C Sanctos vero duplici ratione veneramur, in primis quidem relative ad Deum: quippe propter ipſum illos honoramus: deinde & in ſe ipſis, quoniam animatæ Dei imagines illi ſunt. Duliam porro eſſe, qua ſanctos veneramur in ſe ipſis, ſupra definitum eſt. Sanctas vero Imagines relativo dumtaxat, utpote ad earum ἀρχέτυπα pertinente, cultu veneramur. Quiſquis enim colit Imaginem, per Imaginem colit ἀρχέτυπον; neque aliquantum dividitur ſeparaturve Imaginis honor & ἀρχετύπου, ſed una & eadem actione impenditur; quemadmodum in prorege rex honoratur.

D Quæ vero e ſcripturis in confirmationem ſuæ novitatis aſſumunt, nobis quam aperte favent, nedum id non probant, quod ipſi contendunt. Nos enim ſacram ſcripturam cum legimus, occaſionem, adjuncta, cauſam, & ſignificationem eorum quæ in illa ſcripta ſunt, diligentius inveſtigamus. Cur nimirum idem ipſe Deus modo dicat: *Non facies tibi idolum, neque ſimulacrum, neque adorabis, neque coles illa*: modo autem Cherubim fieri præcipiat. Immo & cum ſculptos in templo boves leoneſque ſpectamus, ſecundum perſuaſionem noſtram haudquaquam de illis judicamus; E (non enim in perſuaſione eſt fides:) ſed occaſionem, ceteraque, uti dictum eſt, conſiderantes, rectam eorum interpretationem nanciſcimur, idemque illa dicimus: *Non facies tibi idolum & ſimulacrum*; ac, *Non adorabis deos alienos*: ſive idololatra non eris. Ita enim & ſoli Deo latria conſervata eſt, & relativi ſanctorum Imaginum cultus in eccleſia ab temporibus Apoſtolorum inducta conſuetudo; Deumque nunquam ſecum pugnare verbis, commonſtravimus. Verum

A Πρὸς τούτοις προσκυνοῦμεν καὶ τιμῶμεν τὸ ξύλον τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, ἐν ᾧ ὁ σωτὴρ ἡμῶν τὸ κοσμοσωτήριον εἰργάσατο πάθος, καὶ τὸν τύπον τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ, τὴν ἐν Βηθλεὲμ φάτνην, δι' ἧς τῆς ἀλογίας [a] ἐρρίφθημεν, τὸν τόπον τοῦ κρανίου, τὸν ζωηφόρον τάφον, καὶ τὰ λοιπὰ ἅγια προσκυνήματα. τά τε ἱερὰ εὐαγγέλια, καὶ τὰ ἱερὰ σκεύη, δι' ὧν ἡ ἀναίμακτος ἐπιτελεῖται θυσία, μνήμαις τε ἐτησίοις, καὶ δημοσίοις ἑορταῖς, καὶ θείοις ἱδρύμασι καὶ [b] ἀναθέματι τοὺς ἁγίους γεραίρομεν καὶ τιμῶμεν.

[a] Pro, [illegible]

[b] Pro, [illegible]

B Ἔπειτα δὲ καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων προσκυνοῦμεν καὶ τιμῶμεν καὶ ἀσπαζόμεθα, ναὶ μὴν καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων, ὡς ὤφθησαν ἐνίοις τῶν τε προπατόρων, καὶ προφητῶν· ἱστοροῦμεν δὲ καὶ τὸ πανάγιον πνεῦμα, ὡς ὤφθη, ἐν εἴδει περιστερᾶς.

Εἰ δέ τινες εἰδωλολατρεῖν ἡμᾶς, ἁγίους, καὶ εἰκόνας ἁγίων, καὶ τὰ λοιπὰ προσκυνοῦντας, λέγουσι, μάταιον ἡγούμεθα καὶ ἀδρανές. ἡμεῖς γὰρ μόνῳ τῷ ἐν Τριάδι Θεῷ λατρεύομεν, καὶ οὐδενὶ ἑτέρῳ. C τοὺς δὲ ἁγίους τιμῶμεν διττῶς· πρῶτον μὲν κατὰ τὴν πρὸς Θεὸν ἀναφοράν, ἐπειδὴ ἐκείνου ἕνεκα τιμῶμεν αὐτούς· καὶ καθ' ἑαυτούς, ὅτι ζῶσαι εἰσὶν εἰκόνες τοῦ Θεοῦ. τὸ δὲ καθ' ἑαυτούς, διώρισται ὅτι δουλικόν. τὰς δὲ ἁγίας εἰκόνας σχετικῶς, ὡς τῆς πρὸς ἐκείνας τιμῆς ἐπὶ τὰ πρωτότυπα ἀναφερομένης. ὁ γὰρ εἰς τὴν εἰκόνα προσκυνῶν, διὰ τῆς εἰκόνος τὸ πρωτότυπον προσκυνεῖ, καὶ ἡ δόξα οὐ μερίζεται, οὐδ' ὅλως σχίζεται, τῆς τε εἰκόνος, καὶ τοῦ εἰκονιζομένου, καὶ ἐν ταὐτῷ γίνεται, ὡς ἡ εἰς τὸν βασιλικὸν πρέσβυν γινομένη.

D Ἃ δὲ πρὸς σύστασιν καινοτομίας αὐτῶν παρὰ τῆς γραφῆς λαμβάνουσιν, οὐχ ὅπως αὐτοῖς βοηθεῖ, ὡς βούλονται, ἀλλὰ μάλιστα ἡμῖν συνῳδὰ φαίνεται. ἡμεῖς γὰρ τὴν θείαν γραφὴν ἀναγινώσκοντες ἐξετάζομεν καιρόν, καὶ πρόσωπον, παράδειγμα καὶ αἰτίαν, ὅθεν καὶ τὸν αὐτὸν Θεὸν ποτὲ μὲν λέγοντα, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὔτε ὁμοίωμα, οὐδὲ προσκυνήσεις, οὐδὲ λατρεύσεις αὐτοῖς· ποτὲ δὲ προστάττοντα γενέσθαι χερουβίμ. καὶ ἐπὶ βόας καὶ λέοντας γινόμενα ἐν τῷ ἱερῷ θεωροῦντες, E οὐ πεισματικῶς τούτων τὴν ἔννοιαν θεωροῦμεν· ἐν γὰρ τῇ πεισμονῇ οὐκ ἔστι πίστις, ἀλλ', ὡς εἴρηται, καιρὸν καὶ τὰ λοιπὰ θεωροῦντες, τῆς ὀρθῆς περὶ τούτων δόξης ἐπιτυγχάνομεν. καὶ τό, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, ἢ ὁμοίωμα, ταὐτὸν ἡγούμεθα τῷ, οὐ προσκυνήσεις θεοὺς ἀλλοτρίους, εἴτουν μὴ εἰδωλολατρήσῃς. οὕτω γὰρ καὶ ἡ παρὰ τοῦ καιροῦ τῶν ἀποστόλων ἐπικρατήσασα συνήθεια τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ προσκυνεῖσθαι σχετικῶς τὰς ἁγίας εἰκόνας, καὶ ἡ μόνῳ τῷ

Θεῷ



ANNO CHRISTI 1672.

Θεῷ λατρεία διασωθείη, καὶ ὁ Θεὸς οὐκ ἐναντίως λέγων ἑαυτῷ φανείη. εἰ γὰρ ἡ γραφή φησιν, οὐ ποιήσεις, οὐδὲ προσκυνήσεις, τίνα τρόπον ὕστερον ὁ Θεός, τὸ μὲν ποιῆσαι ὁμοιώματα συγκεχώρηκε, τὸ δὲ προσκυνῆσαι οὔ, οὐκ ἔχομεν συνορᾶν. ὅθεν περὶ μόνης τῆς εἰδωλολατρείας οὔσης τῆς ἐντολῆς, εὑρίσκομεν ἢ ὄφεις, καὶ λέοντας, καὶ βόας, καὶ χερουβὶμ γεγονότα, καὶ τιμώμενα, καὶ εἴδη εἴτουν ὁμοιώματα, ἐν οἷς οἱ ἄγγελοι ἐφαίνοντο, προσκυνηθέντα.

Οὓς δὲ προσφέρουσι τῶν ἁγίων ὡς λέγοντας μὴ ἐξὸν προσκυνεῖν τὰς εἰκόνας, ἡμῖν μᾶλλον βοηθεῖν ἐκείνους ἡγούμεθα. B ἐπεὶ ἐκεῖνοι ἀγωνιστικῶς διαλεγόμενοι, καὶ κατὰ τῶν λατρευτικῶς προσκυνούντων τὰς ἁγίας εἰκόνας, καὶ κατὰ τῶν φερόντων εἰς τὰς ἐκκλησίας τὰς εἰκόνας τῶν τεθνηκότων συγγενῶν ἐκείνων, ἐφέροντο, καὶ ἀναθέματι τοὺς οὕτω ποιοῦντας καθυπέβαλλον· οὐ κατὰ τῆς ὀρθῆς προσκυνήσεως, τῶν τε ἁγίων, καὶ ἁγίων εἰκόνων, καὶ τοῦ τιμίου σταυροῦ, καὶ τῶν λοιπῶν ὧν εἴρηται· ὁπότε μάλιστα καὶ ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῶν ἀποστόλων εἶναι τὰς ἁγίας εἰκόνας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ προσκυνεῖσθαι παρὰ τῶν πιστῶν, πλεῖστοι ὅσοι καὶ ἱστοροῦσι καὶ κηρύττουσι· μεθ' ὧν καὶ μεθ' οὓς ἡ ἁγία οἰκουμενικὴ ἑβδόμη σύνοδος καθαισχύνει πᾶσαν αἱρετικῶν βδελυρίαν. C

Ἐπειδὴ σαφέστατα μὲν δίδωσιν ἐννοεῖν, ὅπως δεῖ προσκυνεῖν τὰς ἁγίας εἰκόνας, καὶ τὰ προειρημένα ἄνωθεν. ἀναθεματίζει δέ, καὶ ἀφορισμῷ καθυποβάλλει τοὺς ἢ προσκυνοῦντας λατρευτικῶς τὰς εἰκόνας, ἢ λέγοντας τοὺς ὀρθοδόξους εἰδωλολατρεῖν προσκυνοῦντας τὰς εἰκόνας. ἀναθεματίζομεν οὖν καὶ ἡμεῖς μετ' ἐκείνων τοὺς προσκυνοῦντας, ἢ ἅγιον, ἢ ἄγγελον, ἢ εἰκόνα, ἢ σταυρόν, ἢ λείψανον ἅγιον, ἢ ἱερὸν σκεῦος, ἢ εὐαγγέλιον, ἢ ἄλλο τι ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ D ὅσα ἐν τῇ γῇ, καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ λατρευτικῶς, καὶ μόνῳ τῷ ἐν Τριάδι Θεῷ τὴν λατρευτικὴν προσκύνησιν ἀπονέμομεν. ἀναθεματίζομεν δὲ καὶ τοὺς λέγοντας τὴν προσκύνησιν τῶν εἰκόνων, εἰκονολατρείαν, καὶ μὴ προσκυνοῦντας αὐτάς, καὶ μὴ τιμῶντας τὸν σταυρὸν καὶ τοὺς ἁγίους, ὡς ἡ ἐκκλησία παρέδωκε.

Καὶ τοὺς ἁγίους καὶ τὰς ἁγίας εἰκόνας προσκυνοῦμεν, ὃν εἴρηται τρόπον, καὶ ἱστοροῦμεν ταύτας εἰς καλλωπισμὸν τῶν ναῶν, καὶ ἵν' ὦσι βιβλία τῶν ἀμαθῶν, καὶ πρὸς μίμησιν τῶν ἀρετῶν τῶν ἁγίων, καὶ ἁγίων, καὶ ἀνάμνησιν, καὶ ἔ- E ρωτος αὔξησιν, καὶ πρὸς ἐγρήγορσιν τοῦ ἐπικαλεῖσθαι ἀεί, τὸν μὲν κύριον ὡς δεσπότην καὶ πατέρα, τοὺς δὲ ἁγίους ὡς δούλους μὲν ἐκείνου, βοηθοὺς δὲ καὶ μεσίτας ἡμῶν.

Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν κεφαλαίων καὶ ἐρωτήσεων Κυρίλλου. οἱ δὲ αἱρετικοὶ καὶ τὴν προσευχὴν τῶν εὐσεβῶν πρὸς τὸν Θεὸν κακίζουσιν, ἔπειτα οὐκ οἴδαμεν ὅπως αὐτὴν μόνων τῶν μοναχῶν κατηγοροῦσι. τὴν προσευχὴν τοίνυν ἡ-



A enimvero ſi abſolute ſcriptura dicit, Non facies, neque adorabis; qui tandem ſimulacra facere, non autem adorare, poſtea Deus induſſit, prorſus non intelligimus. Quamobrem idololatriam ſolam neceſſe eſt fuiſſe prohibitam: unde & Cherubim & ſerpentes & leones ſculptos fuiſſe legimus ac honoratos, & figuras ſive ſimulacra, Angelorum etiam, adorata.

Quos vero allegant ſanctos adorationem Imaginum aſſerentes illicitam, noſtris vel maxime favere partibus æſtimamus: B quandoquidem acerrimis diſputationibus ſuis in eos dumtaxat invehebantur, qui latriæ cultum ſacris Imaginibus impendebant, quive parentum ſuorum defunctorum effigies in eccleſiam inferebant; quos & inſuper anathemati ſubjecere: non autem in rectum tum ſanctorum, tum ſacrarum Imaginum, tum & venerandæ Crucis, ceterorumque prædictorum cultum; maxime cum ab Apoſtolorum temporibus, decorata ſit ſacris Imaginibus eccleſia; eiſque adhibitum ab fidelibus cultum tradant omnes, omnes atteſtentur: quorum ſententiam ſancta œcumenica ſeptima ſynodus approbavit, & omnem hæreticorum impudentiam una cum illis repreſſit. C

Manifeſtiſſime quippe qualem ſacris Imaginibus adhibere oporteat cultum, ſimul ac ea quæ & nos ſupra diximus, ipſa ſynodus indixit. Porro omnes quoſcumque, cum qui latriæ cultum ſacris Imaginibus impendunt, tum qui fideles honorem Imaginibus deferentes idololatriæ inſimulant, anathematizat & excommunicationi ſubjicit. Et nos igitur cum ipſis eos omnes, qui ſive ſanctum, ſive Angelum, ſive Imaginem, ſive crucem, ſive D Reliquias ſanctorum, ſive vas aliquod ſacrum, ſive evangelium, ſive quidpiam aliud ex iis quæ in cælo & in terra & in mari ſunt, latriæ cultu venerantur, anathematizamus, ſolique in Trinitate Deo cultum hujuſmodi ducimus eſſe tribuendum. Inſuper & cultum Imaginum appellantes iconolatriam, eaſque, ac Crucem, & ſanctos juxta traditionem eccleſiæ colere recuſantes anathematizamus.

Sanctus quippe eo, quo ſupra diximus, cultu veneramur, necnon & ſanctas Imagines, quas ad templorum ornamentum eleganter componimus, ut librorum inſtar E inibi ſint; unde ad virtutum ſanctorum recordationem, imitationem, amoris incrementum; atque ad jugem, Dei quidem; ceu Domini & Patris, ſanctorum vero, ceu ſervorum ejus, noſtrorum autem adjutorum juxta ac oratorum, obſecrationem peccatores excitentur.

Atque hæc quidem contra Cyrilli capita quæſtioneſque dicta ſint. Porro piorum quoque orationes ad Deum, ac Monachorum maxime, (quod quamobrem faciant, plane haud intelligimus) improbant hæretici. Verum orationem, ceu



cum

A cum Deo colloquium, ac convenientium, a quo ſperamus, illa, bonorum poſtulationem, item aſcenſum piumque affectum mentis in Deum, cæleſtium rerum inquiſitionem, animæ ſanctæ ſubſidium, cultum Deo acceptiſſimum, pœnitentiæ ac firmæ ſpei ſignum, nos quidem agnoſcimus. Fit autem oratio vel ſola mente, vel mente ſimul & voce. Deique bonitatem & miſericordiam, ac noſtram pariter humilitatem, ac futuræ ad Deum adhæſionis noſtræ beneficium ac promiſſionem in illa meditamur. Fidem vero, & ſpem, & perſeverantiam, & mandatorum obſervationem, ac cæleſtium potiſſimum habet illa petitionem, quin & fructus id genus B quamplurimos, quos fruſtra recenſeamus. Denique qua ſtando, qua flectendo genua, ſine intermiſſione oramus. Tanta vero eſt orationis utilitas, ut animæ cibus & vita merito cenſeatur. Et hæc quidem omnia ſacris ita manifeſte colliguntur e ſcripturis, ut inſipienti aut cœco, meridie ac ſereno cælo de ſolis lumine dubitanti ſimilis ille ſit, qui probationem eorum exegerit.

Hæretici vero & illam de medio tollere tentavere, cum eorum quæ fidelibus mandavit Chriſtus, nihil non ſtatuerint amputare. C Id tamen tam apertæ in orationem impietatis tandem erubeſcentes, orare omnino minime prohibent, ſed in Monachorum orationes debacchantur; ea nimirum mente, ut ſimpliciorum odium in Monachos excitent: quatenus eorum, ceu profanorum hominum, nec adſpectum ſuſtineant, neque catholicæ & Apoſtolicæ fidei ab illis exponi dogmata patiantur. Prudens enim eſt in malum diabolus, & ad confingendas calumnias ingenioſus. Unde & ejus aſſeclas (cujuſmodi ſunt iſti maxime, quibus de loquimur, hæretici) non tam pietatis propoſitum, quam homines ad malorum abyſſum detrudendi, & D ad ea, quæ non viſitat Dominus, loca rapiendi, movet inſtitutum.

Itaque quales eſſe dicant Monachorum orationes, interrogandi ſunt: & ſiquidem a ſe ipſis aliqua [a], vel orthodoxæ Chriſtianorum profeſſioni diſſentanea feciſſe Monachos probaverint; jam adverſus Monachos cum illis cauſam agimus, eoſque non modo Monachos non eſſe dicimus, ſed neque Chriſtianos. Sin vero gloriam & mirabilia Dei recta cum interpretatione nunquam non enarrant Monachi, Deumque pro viribus humanis, hymnis & canticis omni tempore celebrant; E tum nimirum eos qui in ſcriptura habentur, cum ex illa compoſitos hymnos canentes, ſive eidem ſcripturæ conſona loquentes, Apoſtolicum & propheticum non modo, ſed & divinum opus eos implere confitemur.

Unde nullum quidem Chriſtianis contrarium opus præſtare nos arbitramur, quando Paracliticon, Triodion, & [b] Martyrologium cantamus [illegible] continuam at- [illegible]

[a] Alit, aliena.

[b] In Græco, Menæa.

A μεῖς ὁμιλίαν μετὰ Θεοῦ καὶ πρεπόντων ἀγαθῶν αἴτησιν, παρ' οὗ λαβεῖν ἐλπίζομεν, ἀνάβασίν τε τοῦ πρὸς Θεὸν, καὶ εὐσεβῆ πρὸς Θεὸν ἀπευθυνομένην διάθεσιν, ζήτησιν τῶν ἀνωτέρω, ψυχῆς ἁγίας βοήθημα, λατρείαν τῷ Θεῷ κεχαρισμένην, σημεῖον μετανοίας, καὶ βεβαίας ἐλπίδος, οἴδαμεν. γίνεσθαι δὲ ἢ τῷ νῷ μόνῳ, ἤτοι καὶ φωνῇ· θεωρεῖσθαι ἐν αὐτῇ θεωρίαν τῆς ἀγαθότητος, καὶ τοῦ ἐλέους τοῦ Θεοῦ, ἀναξιότητα τοῦ αἰτοῦντος, καὶ εὐχαριστίαν καὶ ἐπαγγελίαν τῆς μελλούσης πρὸς Θεὸν ὑποτάξεως. ἔχειν δ' αὐτὴν πίστιν καὶ ἐλπίδα, καὶ διαμονὴν, καὶ τήρησιν τῶν ἐντολῶν καὶ κατὰ πρῶτον λόγον αἴτησιν τῶν οὐρανίων. B πολλοὺς δ' ἔχειν τοὺς καρποὺς, οὓς περιττὸν ἐξκαταλέγειν. γίνεσθαι δὲ συνεχῶς, ἐπιτελεῖσθαι δὲ ὀρθίῳ καὶ γονυκλιτῷ σχήματι. τοσαύτη δὲ ἥπερ αὐτῆς ὠφέλεια, ὥστε καὶ ψυχῆς τροφὴν καὶ ζωὴν ὁμολογεῖσθαι. συνάγεται καὶ ταῦτα πάντα ἐκ τῆς θείας γραφῆς, ὥστε εἴτις τούτων ἀπόδειξιν αἰτεῖ, ὅμοιος ἄφρονι, ἢ τυφλῷ περὶ τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς ὥρᾳ μεσημβρίας καὶ αἰθρίας ἀμφισβητοῦντι.

Οἱ δ' αἱρετικοὶ βουλόμενοι μηδὲν ὧν Χριστὸς ἐπέτρεψε ἀπαράθειστον ἐᾶσαι, καὶ ταύτης καθήψαντο. C αἰσχυνόμενοι δ' οὕτω φανερῶς ἀσεβεῖν πῶς μὲν περὶ προσευχῆς, ἁπλῶς μὴ γίνεσθαι οὐ κωλύουσι, ταῖς τῶν μοναχῶν δ' εὐχαῖς παράττονται, ὅπερ καὶ αὐτὸ ποιοῦσιν, ἵνα τοῖς ἁπλοϊκοῖς μῖσος κατὰ τῶν μοναχῶν θῶσι. πρὸς τὸ μὴ ὅλως ἀνέχεσθαι τούτους τυχὸν ὡς βεβήλους καὶ νεωπειστὰς ὁρᾶν, μὴ ὅτιγε ἀνέχεσθαι τὰ τῆς εὐσεβοῦς καὶ ὀρθοδόξου πίστεως δόγματα διδάσκεσθαι παρ' αὐτῶν. σοφὸς γὰρ ὁ ἀντίδικος περὶ τὸ κακὸν καὶ ἀγχινοὺς περὶ τὰ μάταια. ὅθεν καὶ τοῖς ὀπαδοῖς αὐτοῦ (οἷοι οἱ αἱρετικοὶ οὗτοι μάλιστα) οὐκ ἔστι τοσοῦτον καταθύμιον εὐσεβεῖν, ὅσον περισπούδαστον τὸ ἀείποτε ἐκτραχηλίζειν ἐπὶ βάθη D κακῶν, καὶ ἐκρήγνυσθαι ἐς τόπους, οὓς οὐκ ἐπισκοπεῖ κύριος.

Ἐρωτητέον οὖν αὐτοὺς τίνας φασὶν εἶναι τὰς τῶν μοναχῶν προσευχάς· καὶ εἰ μὲν τοὺς μοναχοὺς φαῖεν ἐξ ἑαυτῶν τινὰ [a] ἀλλόκοτα πεποιηκέναι, καὶ ἀπᾴδοντα τῇ ὀρθοδόξῳ τῶν χριστιανῶν θρησκείᾳ, καὶ αὐτοὶ συντιθέμεθα, καὶ τοὺς μοναχοὺς οὐ μόνον οὐ μοναχοὺς, ἀλλ' οὐδὲ χριστιανοὺς φαμέν. εἰ δ' οἱ μοναχοὶ διηγοῦνται ἐν ἐκτάσει τὴν δόξαν καὶ τὰ θαυμάσια τοῦ Θεοῦ, καὶ συνεχῶς, καὶ ἀδιαλείπτως, καὶ ἐν παντὶ καιρῷ τὸ θεῖον, ὡς δυνατὸν ἀνθρώπῳ, ὕμνοις καὶ δοξολογίαις E καταγεραίρουσι, τῇ μὲν τὰ τῆς γραφῆς δηλονότι ψάλλοντες, τῇ δὲ τοὺς ὕμνους ἐκ τῆς γραφῆς συνάγοντες, εἴτουν συνῳδὰ ἐκείνῃ φθεγγόμενοι, ἀποστολικὸν, καὶ προφητικὸν, μᾶλλον δὲ χριστιακὸν ἔργον αὐτοὺς πληροῦν ὁμολογοῦμεν.

Ὅθεν καὶ ἡμεῖς παρακλητικὸν, τριῴδιον, καὶ μηναῖα ψάλλοντες, μηδὲν ἀπᾷδον χριστιανοῖς ἔργον πληροῦμεν. πᾶσαι γὰρ αἱ τοιαῦται βίβλοι

[a] Pr. [illegible]



βλοι περὶ ἰωμένης καὶ διακεκριμένης θεολογίας διαλέγονται, καὶ ὕμνοις τῇ μὲν συνηγμένοις ἐκ τῆς θείας γραφῆς, τῇ δὲ κατὰ τὴν χορηγίαν τοῦ πνεύματος, ἐν ὧσι τοῖς μέλεσιν αἱ λέξεις κατάλληλοι δι' ἑτέρων λέξεων, τὰ τῆς γραφῆς ᾄδομεν. ἔπειτα ἵν' ὅλως ᾖ κατάδηλον, ὅτι τὰ τῆς γραφῆς ἀεὶ ψάλλομεν, ἐν ἑκάστῳ τῶν ὕμνων λεγομένῳ τροπαρίῳ στίχον τῆς γραφῆς ἐπιλέγομεν. εἰ δὲ καὶ θηκαρᾶ, καὶ ἄλλας τοῖς πάλαι πατράσι ποιηθείσας εὐχὰς ψάλλομεν καὶ ἀναγινώσκομεν, εἰπάτωσαν οὗτοι ποῖον ἐκείνων τὸ βλάσφημον, καὶ μὴ εὐσεβὲς, καὶ μετ' ἐκείνων τούτους ἀποδιώξομεν.

Εἰ δὲ καὶ μόνον τοῦτό φασι, τὸ συνεχῶς, καὶ ἀδιαλείπτως προσεύχεσθαι, κακὸν, τί αὐτοῖς καὶ ἡμῖν; μαχέσθωσαν Χριστῷ (καθάπερ καὶ μάχονται) εἰπόντι τὴν τοῦ ἀδίκου κριτοῦ παραβολὴν, πρὸς τὸ δεῖν συνεχῶς προσεύχεσθαι, καὶ διδάξαντι ἀγρυπνεῖν καὶ εὔχεσθαι φυγεῖν τὰ θλιβερὰ, καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. μαχέσθωσαν Παύλῳ πρώτης πρὸς Θεσσαλ. κεφαλαίῳ πέμπτῳ, καὶ ἀλλαχοῦ ἐν πολλοῖς. ἐῶ λέγειν τοὺς θείους τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας καθηγέμονας ἀπὸ Χριστοῦ ἄχρις ἡμῶν. ἀρκεῖ γὰρ αὐτοῖς πρὸς αἰσχύνην τὸ σύντονον τῆς προσευχῆς τῶν τε προπατόρων, ἀποστόλων, καὶ προφητῶν.

Εἰ οὖν τὰ τῶν μοναχῶν ἐστὶ τὰ τῶν ἀποστόλων, καὶ προφητῶν, δὸς δ' εἰπεῖν καὶ τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ τῶν προπατόρων αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, δῆλον ὅτι αἱ τῶν μοναχῶν εὐχαὶ καρποί εἰσι τοῦ τῶν χαρισμάτων δοτῆρος ἁγίου πνεύματος. ἃ δὲ Καλουῖνοι κεκαινοτομήκασιν, ἔν τε τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων βλασφημοῦντες, καὶ τὴν θείαν γραφὴν παρεξηγοῦντες, κολοβοῦντες, καὶ καθυβρίζοντες, τοῦ διαβόλου εἰσὶ σοφίσματά τε καὶ ἐφευρέματα.

Ἀλυσιτελὲς δὲ καὶ τὸ, ἀδύνατον τῇ ἐκκλησίᾳ βρωμάτων τινῶν ἀποχὰς καὶ νηστείας διατάττειν ἄνευ βίας καὶ τυραννίδος· ἡ γὰρ ἐκκλησία πρὸς νέκρωσιν τῆς σαρκὸς, καὶ ὅλως τῶν παθῶν, μάλα καλῶς ποιοῦσα διατάττει ἐπιμελῶς τὴν προσευχὴν, καὶ τὴν νηστείαν, ἧς ἐρασταὶ καὶ τύποι γεγόνασιν οἱ ἅγιοι πάντες, δι' ὧν τῇ ἄνωθεν χάριτι καθαιρούμενος, ὁ ἀντίδικος ἡμῖν διάβολος σὺν τοῖς στρατεύμασι καὶ ταῖς δυνάμεσι αὐτοῦ, ῥᾳδίως πληροῦται ὁ προκείμενος τοῖς εὐσεβέσι δρόμος. ταῦτα οὖν σκεπτομένη ἡ ἄσπιλος ἁπανταχοῦ ἐκκλησία, οὐ βιάζει, οὐδὲ τυραννεῖ· ἀλλὰ παρακαλεῖ, νουθετεῖ, διδάσκει τὰ τῆς γραφῆς, καὶ πείθει τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος.

Προστίθησι δὲ τοῖς εἰρημένοις καί τις ἀνθρωπίσκος, ὁ ἐν Καρεντονίῳ προειρημένος φαμὲν Κλαύδιος, καὶ ἕτερά τινα καθ' ἡμῶν γελοῖα, καὶ μηδένος λόγου ἄξια· ἀλλ' ἡμεῖς καὶ τὰ εἰρημένα αὐτῷ μύθους ἡγούμεθα, καὶ τοῦτον αὐτὸν τερατοποιὸν

A quæ ſelectam dumtaxat habeant omnes iſti libri Theologiam. Immo vero per hymnos tum e ſcriptura quidem aſſumptos, tum ad uſum chori ab ſancto Spiritu inſtitutum accommodatos, ut alterius fiat verſibus modulatio noſtra, ſacram ſcripturam decantamus. Deinde ſacram nos ubique canere Scripturam, hinc prorſus liquet, quod cuilibet hymnorum moduſo verſiculum e ſcriptura ſubjungamus. Si vero & Thecaræ, aliaſve ab antiquis Patribus compoſitas orationes canimus & legimus, quidnam blaſphemiæ, quid impietatis habeatur in illis, adverſarii noſtri demonſtrent; & una cum ipſis Monachos hæc ipſa canentes inſequemur. B

Sin autem hoc ſolum quod ſemper & ſine intermiſſione oramus, ceu malum quid, improbant: quid hanc in nos querelam movent? In Chriſtum magis certamen ſumant, (quemadmodum & ſumunt) qui ſine intermiſſione orandum eſſe ut probaret, iniqui judicis parabolam propoſuit; & ad cavendas tentationes, ſtandumque coram Filio hominis, vigilandum eſſe docuit & orandum. Sumant & cum Paulo, qui tum primæ ad Theſſalonicenſes quinto, tum & alibi paſſim ad continuam orationem adhortatur. C Divinos prætermitto a Chriſto ad nos uſque catholicæ eccleſiæ prælatos: ſatis enim ſuperque concors Patriarcharum prophetarumque de oratione ſententia hæreticos pudore ſuffundit.

Porro ſi quæ fecerunt Apoſtoli, quæ Prophetæ, immo & quæ ſancti Patres atque Chriſti Patriarchæ, hæc ipſa faciunt & Monachi: utique donorum largitoris Spiritus ſancti fructus eſſe orationes Monachorum, manifeſtum eſt. Quas vero novitates induxere Calvioiſtæ, tum circa Deum reſque divinas blaſphemando, cum ſcripturam ſacram perperam interpretando, decurtando, & injurioſe tra- D ctando, diaboli ſophiſmata eſſe dicimus & inventa [illegible]

Neque minus inepte garriunt; non poſſe eccleſiam abſque violentia & tyrannide ab quibuſdam cibis abſtinentiam & jejunia conſtituere. Enimvero recte admodum ad carnis & omnium pariter mortificationem paſſionum, orationem & jejunia, quorum amantes juxta ac exempla extitere ſancti omnes, ſollicite præcipit, quibus, ac cæleſtis ope gratiæ dejecto cum exercitibus & viribus ſuis adverſario nobis diabolo, propoſitum ſibi curſum perquam facile fideles abſolvunt. Hæc igitur E ab fidelibus fieri cum inculpata ubique eccleſia providet, vim nullam, nullam adhibet tyrannidem; ſed hortatur, ſed admonet; ſed ea quæ ſcripturæ ſunt, edocet, illaque ſancti Spiritus operante virtute perſuadet.

His & nonnulla adverſum nos ridicula, penituſque contemnenda homuncio quidam, Claudius nomine Charentonienſis, uti diximus, miniſter, adjecit: Sed & inter fabulas quæcumque dixit ille, recenſemus, ipſumque ceu funditus illiteratum,

immo

ANNO CHRISTI 1672.

immo ceu monſtrum agnoſcimus. [a] Enimvero infinitis iſte ſe ſe doctoribus anteponit, qui Spiritus ſancti virtute præditi, apud Orientalem eccleſiam tum ſapientia, cum & ſanctitate hactenus floruere.

[a] Forte pro, Nam & poſt Photium plurimi fuere & ſunt, qui &c.

Ineptiſſimam pariter adverſarii noſtri promunt argumentationem, cum Orientales nonnullos ſacerdotes realem ac veram panis in corpus Domini converſionem minime confiteri, inde probari contendunt, quod panem ſanctum in aliquo templi loco extra altare ligneis incluſum thecis ad aliquam appenſum columnam aſſervant. Neque enim negamus pauperes quoſdam ſacerdotes ligneis in vaſis Dominicum corpus aſſervare: verum nec lapidibus, nec marmoribus honoratur Chriſtus; ſed mentem ſanam & cor purum a nobis expoſcit.

Hoc ipſum & Paulus quidem aſſerit, dicens: *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus*. Aſt ſingulis in eccleſiis, quarum per facultates licet, quemadmodum apud nos Jeroſolymis, quolibet templorum in altari Dominicum corpus cum honore ſervatur, ſeptemplici lampade coram illo jugiter ardente.

Stupendum vero nemini non videatur, qui ob collapſos fortaſſis vetuſtate ſanctuarii muros Dominicum corpus extra ſanctuarium hæretici viderint appenſum, unde & abſurdiſſima conficiunt; Chriſtum vero non viderint infantis ſpecie ſuper patella fornici ſanctuarii depictum. Apertiſſime etenim utique noſſent, ac veriſſime concluſiſſent, Orientales, ut nequaquam figuram, aut gratiam, aut id genus quidquam ſuper patella, ſed ipſummet Chriſtum repræſentant; ita & credere panem euchariſticum nihil aliud quam ipſum corpus Domini ſubſtantialiter fieri.

Sed & fuſius juxta ac luculentius de iſtis dictum eſt in libro qui *Confeſſio orthodoxa eccleſiæ Orientalis* inſcribitur. Item & ab Georgio Chio Coreſſio, in libris de ſacramentis, de prædeſtinatione & gratia, de libero arbitrio, de cultu & adoratione ſanctorum, de veneratione Imaginum, & in confutatione pſeudoſynodi ab hæreticis in Belgio habitæ, & in aliis plurimis. Item ab Gabriele Peloponeſio Philadelphiæ Metropolita. Item ab Gregorio Chio Protoſyncello, in libro de ſacramentis. Item ab Jeremia ſanctiſſimo Patriarcha Conſtantinopoleos, in tribus dogmaticis ac ſynodalibus epiſtolis ad Lutheranos Tubingenſes. Item ab Joanne Nathanaele Presbytero & œconomo Conſtantinopoleos. Item ab Meletio Syrigo Cretenſi, in ea, quam compoſuit, refutatione orthodoxa capitulorum & Quæſtionum cujuſdam nomine Cyrilli. Item ab Theophane Hieroſolymorum Patriarcha, in dogmatica ad Roxolanos epiſtola. Item ab aliis innumeris. Sed & ante iſtos, ab Symeone Theſſalonicenſi, de iiſdem egregie ſcriptum: immo ab omni-

καὶ πάντη ἀμαθῆ γνωρίζομεν. [a] Καὶ μετὰ Φώτιον γάρ, μυρίοι ὅσοι καὶ γεγόνασι καὶ εἰσὶν ἐπὶ σοφίᾳ, καὶ θεολογίᾳ, καὶ ἁγιότητι ἐν τῇ ἀνατολικῇ ἐκκλησίᾳ, διαφέροντες τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος.

[a] Ἴσως, Καὶ μετὰ Φώτιον.

Γελοιότατον δὲ καὶ τό, διὰ τὸ ἔχειν τινὰς τῶν ἀνατολικῶν ἱερέων τὸν ἅγιον ἄρτον ἐν σκεύεσι ξυλίνοις, ἔσω μὲν τοῦ ναοῦ, ἔξω τοῦ βήματος, ἔν τινι τῶν κιόνων κρεμάμενον, μὴ ὁμολογεῖν αὐτοὺς τὴν πραγματικὴν καὶ ἀληθῆ μεταβολὴν τοῦ ἄρτου εἰς τὸ σῶμα τοῦ κυρίου. ὅτι μὲν γάρ τινες τῶν πτωχῶν ἱερέων ἔχουσι τὸ δεσποτικὸν σῶμα ἐν σκεύεσι ξυλίνοις, οὐκ ἀρνούμεθα. καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς οὐχ ὑπὸ λίθων καὶ μαρμάρων τιμᾶται, ἀλλὰ διάνοιαν ὑγιῆ, καὶ καρδίαν καθαρὰν αἰτεῖ παρ᾽ ἡμῶν.

Τοῦτο καὶ Παύλῳ συμβέβηκεν· ἔχομεν γάρ, φησί, τὸν θησαυρὸν ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν. ὅπου δ᾽ αἱ κατὰ μέρος ἐκκλησίαι δύνανται, ὥσπερ τυχὸν παρ᾽ ἡμῖν ἐν Ἱεροσολύμοις, ἔνδον τοῦ ἁγίου βήματος ἑκάστου τῶν ναῶν τὸ δεσποτικὸν σῶμα τιμᾶται καὶ φωταγωγεῖται ἀείποτε ἑπταφώτῳ κανδήλῃ.

Ἔπεισι δέ μοι θαυμάζειν πῶς τὸ δεσποτικὸν σῶμα παρά τινι ἐκκλησίᾳ ἰδόν κρεμάμενον οἱ αἱρετικοὶ ἔξω τοῦ βήματος, διὰ τὸ ἴσως σεσαθρῶσθαι τοὺς τοίχους τοῦ βήματος, ὑπὸ τῆς παλαιότητος, κἀκ τούτου συμπεραίνουσι τὰ ἀσύστατα· τὸν δὲ Χριστὸν οὐκ εἶδον ὑπὸ τὸ ἡμικύκλιον τοῦ ἁγίου βήματος ἱστορούμενον ὡς βρέφος ἔνδον τοῦ δίσκου· ἵνα ἴδωσιν, ὅτι, ὡς ἱστοροῦσιν, οἱ ἀνατολικοί, ἔνδον τοῦ δίσκου, οὐ τύπον, οὐ χάριν, οὐκ ἄλλο τι, ἀλλ᾽ αὐτὸν τὸν Χριστόν, οὕτω καὶ πιστεύουσι τὸν ἄρτον τῆς εὐχαριστίας, οὐκ ἄλλο τι, ἀλλ᾽ αὐτὸ γίνεσθαι οὐσιωδῶς τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ οὕτω συμπαραλύουσι τ᾽ ἀληθές.

Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἁπάντων εἴρηται πλατύτερον καὶ σαφέστερον τῇ ὀρθοδόξῳ λεγομένῃ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ὁμολογίᾳ. Γεωργίῳ Χίῳ τῷ Κορεσσίῳ ἐν τοῖς περὶ μυστηρίων, καὶ προορισμοῦ καὶ χάριτος, καὶ τοῦ ἐφ᾽ ἡμῖν, καὶ πρεσβείας καὶ προσκυνήσεως ἁγίων, καὶ προσκυνήσεως εἰκόνων, καὶ ἐν τῇ ποιηθείσῃ αὐτῷ ἀντιρρήσει κατὰ τῆς ἐν Φλανδρείᾳ ποτὲ τῶν αἱρετικῶν ἀθεμίτου συνόδου, καὶ ἐν ἄλλοις πολλοῖς. Γαβριὴλ Πελοποννησίῳ τῷ μητροπολίτῃ Φιλαδελφίας, καὶ Γρηγορίῳ πρωτοσυγγέλῳ τῷ Χίῳ, ἐν τοῖς περὶ μυστηρίων. Ἱερεμίᾳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, ἐν τρισὶ δογματικαῖς καὶ συνοδικαῖς πρὸς τοὺς ἐν Τυβίγγῃ τῆς Γερμανίας Λουθήρους ἐπιστολαῖς. Ἰωάννῃ ἱερεῖ καὶ οἰκονόμῳ Κωνσταντινουπόλεως τῷ Ναθαναήλ. Μελετίῳ Συρίγῳ τῷ Κρητὶ ἐν τῇ ποιηθείσῃ αὐτῷ ὀρθοδόξῳ ἀντιρρήσει κατὰ τῶν κεφαλαίων καὶ ἐρωτήσεων τοῦ λεγομένου Κυρίλλου. Θεοφάνῃ τῷ πατριάρχῃ Ἱεροσολύμων, ἐν τῇ πρὸς Ῥωξολάνους δογματικῇ ἐπιστολῇ. καὶ ἄλλοις μυρίοις. πρὸ τούτων δὲ εἴρηται μάλιστα καλῶς Συμεὼν τῷ Θεσ-



ANNO CHRISTI 1672.

σαλονίκης· καὶ πρὸ ἐκείνου πᾶσι τοῖς πατράσι, καὶ ταῖς οἰκουμενικαῖς συνόδοις, ἱστορικοῖς τε ἐκκλησιαστικοῖς· ναὶ μὴν καὶ τοῖς ἐπὶ τῶν Χριστιανῶν Ῥωμαίων αὐτοκρατόρων συγγράψασι τὰς ἐξωτερικὰς ἱστορίας εἴρηται σποράδην· οἷς ἅπασι τὰ εἰρημένα χωρὶς πάσης ἀντιλογίας εἴληπται παρὰ τῶν ἀποστόλων, ὧν αἵ τε διὰ γραφῆς καὶ λόγου παραδόσεις διὰ τῶν πατέρων ἀφίκοντο μέχρις ἡμῶν.

Συνίστησι δὲ τὰ εἰρημένα καὶ ὁ παρὰ τῶν αἱρετικῶν λόγος. Νεστορεῖται μὲν γὰρ μετὰ ἔτη τῆς σωτηρίας (υκη.) Ἀρμένιοί τε, καὶ Κόπται, καὶ Σύροι, καὶ ἔτι Αἰθίοπες οἱ ὑπὸ τὸν ἰσημερινόν, καὶ ἐπέκεινα τούτου κατὰ τὸν χειμερινὸν τροπικὸν οἰκοῦντες, οὓς καὶ Καμπεσίους οἱ ἐνταῦθα κοινῶς ὀνομάζουσι, μετὰ ἔτη......... τῆς ἐνσάρκου ἐπιδημίας, ἀπερράγησαν τῆς καθόλου ἐκκλησίας· καὶ ἕκαστος τούτων ἔχει μόνην τὴν αἵρεσιν, ἣν οἱ πάντες ἀπὸ τῶν πρακτικῶν τῶν οἰκουμενικῶν ἴσασι συνόδων. περὶ μέντοι τοῦ σκοποῦ καὶ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἱερῶν μυστηρίων, καὶ τῶν εἰρημένων ἡμῖν ἀνωτέρω ἁπάντων (πλὴν τῆς ἰδίας αὐτῶν αἱρέσεως, ὡς εἴρηται) ὡσαύτως πιστεύουσι τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ· ὡς αὐτοῖς ὄμμασιν ὁσημέραι βλέπομεν, καὶ αἰσθήσει καὶ λόγῳ μανθάνομεν, ἐνταῦθα ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει Ἱερουσαλήμ· ἐν ᾗ ἀπὸ πάντων καὶ οἰκοῦσι καὶ πάντοτε ἐπιδημοῦσι, πλεῖστοι ὅσοι παρ᾽ αὐτῶν, σοφοί τε ὅσον τὸ κατ᾽ αὐτούς, καὶ ἰδιῶται. σιωπάτωσαν τοίνυν οἱ κενόφωνοι, καὶ νεωτερισταὶ αἱρετικοί, καὶ μὴ ἐπιχειρείτωσαν. ἔκ τε τῆς γραφῆς καὶ τῶν πατέρων καθ᾽ ἡμῶν κλέπτοντες ῥησείδιά τινα σεσοφισμένως εἰς σύστασιν τοῦ ψεύδους, ὡς πεποιήκασι πάντες οἱ ἀπ᾽ αἰῶνος ἀποστάται, καὶ αἱρετικοί· καὶ λεγέτωσαν ἓν καὶ μόνον, ὅτι προφασιζόμενοι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις προῄρηνται λαλεῖν ἄδικα κατὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ βλάσφημα κατὰ τῶν ἁγίων.

## Ἐπίλογος.

Ταῦτα ἐκ τῶν πολλῶν ὀλίγα εἰς καθαίρεσιν τοῦ ψεύδους τῶν ἀντικειμένων, ὅπερ ἐπενόησαν κατὰ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, προβαλλόμενοι μέσον τῆς ἐπιφορᾶς τοῦ ψεύδους, τὰ ἀσύστατα καὶ ἄθεα κεφάλαια τοῦ λεγομένου Κυρίλλου. εἴησαν δὲ οὐκ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον τοῖς ὡς ἀληθῶς ἀδίκως ἡμᾶς διασύρουσιν αἱρετικοῖς· ἀλλ᾽ εἰς σημεῖον πιστούμενον, ἤτοι εἰς διόρθωσιν τῶν καινοτομηθέντων αὐτοῖς, καὶ ἐπιστροφὴν αὐτῶν πρὸς τὴν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ πάλαι ποτέ, καὶ οἱ πρόγονοι αὐτῶν ἦσαν, καὶ ἐν ταῖς κατὰ τῶν αἱρετικῶν συνόδοις (ἃς νῦν αὐτοὶ ἀθετοῦντες καθυβρίζουσι) καὶ ἀγῶσι παρῆσαν. ἄτοπον γὰρ πεπεῖσθαι αὐτούς (καὶ μάλιστα αὐχοῦντας εἶναι σοφούς,) ἀνδράσι φιλαύτοις τε καὶ βεβήλοις, καὶ λαλήσασιν οὐκ ἐκ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ ἄρχοντος τοῦ ψεύδους. τὴν δ᾽ ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλη-

bus retro ipſum Patribus, ſynodis œcumenicis, & Annalium eccleſiaſticorum ſcriptoribus; quinetiam & ab Chriſtianorum Romanorum auctoribus, qui res paſſim exteras ſunt proſecuti. Quorum omnium una ſententia eſt, ab Apoſtolis prædicta omnia dimanaſſe, quorum traditiones ſive ſcripto, ſive verbo per patres ad nos uſque pervenere.

Validiſſimum porro habemus prædictorum vel ex ipſis hæreticis argumentum. Etenim Neſtoriana poſt annum (ccccxxviii.) item Armeni & Cophtæ & Syri: item Æthiopes, & qui ſub Æquinoctiali habitant, & trans illum, verſus Tropicum Capricorni, quos hujuſmodi locorum incolæ vulgo Campeſios vocant; poſt annos ab Incarnatione Domini (.......) ab catholica eccleſia receſſere, ſinguli ſingularem hæreſim amplexi, ut ex œcumenicorum conciliorum actis nemo non intelligit. Veruntamen circa finem numerumque ſacramentorum, necnon & circa omnia quæ ſupra diximus, (præter ſingularem ſuam hæreſim) cum eccleſia catholica prorſus conſentiunt: uti ſingulis horis videmus ipſi, & ſermone atque uſu diſcimus in hac ſancta civitate Jeruſalem: in qua ex omni gente quæ ſub cælo eſt, homines tum ſapientes, (apud illos) cum illiterati, aut habitant, aut peregrinationis ergo commorantur. Taceant igitur inepti narratores, & novitatum artifices hæretici; & mutilas tum e ſcriptura, tum ex Patribus adverſum nos ſententiolas, quibus mendacium exſtruant, callide furari ne moliantur, quemadmodum apoſtatarum & hæreticorum ab initio exſtitit conſuetudo: atque hoc loquantur unum, ſe ſe nimirum excuſationes excuſantes in peccatis, injurias in Deum, & in ſanctos evomere blaſphemias inſtituiſſe.

[illegible]

Hæc ex multis pauca dixiſſe ſufficiat, ad plenam calumniæ ab adverſariis noſtris eccleſiæ Orientali illatæ confutationem: cujus quidem in argumentum ſuppoſititia juxta ac impia cujuſdam nomine Cyrilli capitula produxere. Ea porro quæ diximus, non ſolum noſtram adverſus hæreticos nobis obtrectantes apologiam eſſe volumus; verum etiam fidei regulæ inſtar obtinere, ex qua nova illorum emendentur dogmata, & ad catholicam atque Apoſtolicam eccleſiam ipſi reducantur: quandoquidem majores eorum olim in illa meruerunt, & eccleſiaſticis contra hæreticos ſynodis (quas inique modo calumniantur iſti) ac certaminibus interfuerunt. Ab omni quippe ratione longe alienum eſt, eos (maxime cum ſibi videantur ſapientes) hominibus ſuimet amantibus & exſecrandis, ac nequaquam ex Spiritu ſancto, ſed ex mendacii principe loquentibus attendiſſe; ſanctam autem catholicam & Apo-

Apoſtolicam eccleſiam, quam Filii ſui A ſanguine Deus acquiſivit, deſeruiſſe, ab eaque eſſe fornicatos. Etenim longiſſime diverſo exitu, ſeparatos ab eccleſia inferni ſupplicia una cum ethnicis & publicanis illos quidem excipient; catholicam vero eccleſiam, qui cunctis ab contrariis eam hucuſque protexit, Dominus non dereliquet, cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, die decima ſexta Martii. Apud ſanctam civitatem Jeruſalem.

Doſitheus miſeratione divina Patriarcha B ſanctæ Jeruſalem & totius Palæſtinæ, aſſero & confiteor hanc eſſe fidem eccleſiæ Orientalis.

Dorotheus Petræ epiſcopus, definiens ſubſcripſi.

Parthenius metropolita ſanctæ Nazaret.

[a] Joſaphat humillimus metropolita Ptolemaidis & Poliſidonis, & præſul Cæſareæ Palæſtinæ, ſubſcripſi.

Neophytus humilis metropolita ſanctæ Bethlehem, ita affirmo.

Chriſtodulus humilis archiepiſcopus Gazæ & Joannicii ſanctiſſimi archiepiſcopi ſanctæ Cavernæ [b] locum tenens, definiens C ſubſcripſi.

Antonius humillimus archiepiſcopus Lyddæ.

Chriſtophorus peccator archiepiſcopus Neapoleos, & Sebaſtæ præſul, ſubſcripſi.

Daniel hieromonachus, magnus archimandrita ſancti Sepulcri, cum præcedentibus omnino conſentiens ſubſcripſi.

Cyrillus hieromonachus, & magnus Hieroſolymorum protoſyncellus, & monaſterii Trapezuntini ſancti Sepulcri præpoſitus, ſubſcripſi.

Meletius indignus hieromonachus, & ar- D chimandrita & apocriſiarius ſancti vitalis Sepulcri, ad piiſſimum Iberorum regem Pagratium, ac illuſtriſſimos Colchidis & Gnuriæ principes, una cum ſuperioris Iberiæ ſynodo definiens ſubſcripſi.

Joſeph Emparataſielnes, hieromonachus & monaſterii Iberorum Hieroſolymitani præpoſitus, idem cenſeo.

Gregorius hieromonachus, præpoſitus ſanctæ Bethlehem, ſubſcripſi.

Abernius hieromonachus, & venerabilis ac regalis monaſterii Archangeli præpoſitus, ſubſcripſi.

E

Daniel hieromonachus, & ſacræ Lauræ ſancti Sabbæ præpoſitus.

Dionyſius hieromonachus, & ſancti Eliæ præpoſitus, ita cenſeo.

Arſenius hieromonachus & ſancti Georgii in Pezala præpoſitus, ſubſcripſi.

Neophytus hieromonachus, præpoſitus ſanctæ Theclæ.

Germanus hieromonachus, & Ephemerius ſancti Sepulcri.

[a] Tyr, Joſeph.

[b] Prius perperam legebatur, territorio præpoſitus.

σίαν ἣν περιεποιήσατο ὁ Θεὸς τῷ αἵματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ ἐγκαταλιπεῖν, ϗ ταύτης ἀποσκιρτῆσαι. ἄλλως γὰρ ἂν, αὐτοὺς μὲν τοὺς ἀπορραγέντας τῆς ἐκκλησίας, τὰ ἐκεῖσε δικαιωτήρια μετὰ τῶν ἐθνικῶν ϗ τελωνῶν δέξονται. τὴν δὲ καθολικὴν ἐκκλησίαν οὐ παρόψεται ὁ ταύτην ἕως ἄρτι ἀπὸ πάντων τῶν ἐναντίων διατηρῶν κύριος, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Εν ἔτει τῷ σωτηρίῳ α, χ ο β. μηνὶ Μαρτίῳ, ι ϛ΄. Εν τῇ ἁγίᾳ πόλει Ιερουσαλήμ.

Δοσίθεος ἐλέῳ Θεοῦ πατριάρχης τῆς ἁγίας Ιερουσαλὴμ ϗ πάσης Παλαιστίνης, ἀποφαίνομαι ϗ ὁμολογῶ ταύτην εἶναι τὴν πίστιν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας.

Ο Πέτρας Δωρόθεος, ὁρίσας ὑπέγραψα.

Ο ἁγίας Ναζαρὲτ μητροπολίτης Παρθένιος.

Ο Ιωάσαφ ἐλάχιστος μητροπολίτης Πτολεμαΐδος ϗ Πολεισίδονος ϗ πρόεδρος Καισαρείας Παλαιστίνης, ὑπέγραψα.

Ο ταπεινὸς μητροπολίτης ἁγίας Βηθλεὲμ Νεόφυτος ἀποφαίνομαι.

Ο ταπεινὸς ἀρχιεπίσκοπος Γάζης Χριστόδουλος, ϗ [a] τὸν τόπον ἐπέχων Ιωαννικίου τοῦ θεοφιλεστάτου ἀρχιεπισκόπου τοῦ ἁγίου σπηλαίου, ὁρίσας ὑπέγραψα.

Ο ἐλάχιστος ἀρχιεπίσκοπος Λύδδης Αντώνιος.

Χριστοφόρος ἁμαρτωλὸς ἀρχιεπίσκοπος Νεαπόλεως, ϗ πρόεδρος Σεβαστείας, ὑπέγραψα.

Ο μέγας ἀρχιμανδρίτης τοῦ ἁγίου τάφου Δανιὴλ ἱερομόναχος, συναινῶν ἐν πᾶσι τοῖς ἄνω ὑπέγραψα.

Κύριλλος ἱερομόναχος καὶ μέγας Ιεροσολύμων πρωτοσύγκελος, ϗ προηγούμενος τῆς ἐν Τραπεζοῦντι τοῦ ἁγίου τάφου μονῆς, ὑπέγραψα.

Μελέτιος ἀνάξιος ἱερομόναχος ϗ ἀρχιμανδρίτης ϗ ἀποκρισιάριος ἁγίου τοῦ ζωοφόρου τάφου πρὸς τὸν εὐσεβέστατον Ιβήρων βασιλέα Παγράτιον, ϗ τοὺς ἐνδοξοτάτους αὐθέντας Κολχίδος, ϗ Γουρίας, ϗ πάσῃ τῇ ἐνδημούσῃ ἐν τῇ ἄνω Ιβηρίᾳ συνόδῳ, ὁρίσας ὑπέγραψα.

Ιωσὴφ ἱερομόναχος Μπαραταστέλης καθηγούμενος τῆς ἐν Ιεροσολύμοις μονῆς τῶν Ιβήρων, συναινῶ.

Ο καθηγούμενος τῆς ἁγίας Βηθλεὲμ Γρηγόριος ἱερομόναχος, ὑπέγραψα.

Αβέρνιος ἱερομόναχος ϗ καθηγούμενος τῆς σεβασμίας ϗ βασιλικῆς μονῆς τοῦ Αρχαγγέλου, ὑπέγραψα.

Ο καθηγούμενος τῆς ἁγίας Λαύρας τοῦ ἁγίου Σάββα Δανιὴλ ἱερομόναχος.

Διονύσιος ἱερομόναχος ϗ ἡγούμενος τοῦ ἁγίου Ηλιοῦ, συναινῶ.

Αρσένιος ἱερομόναχος ϗ καθηγούμενος τοῦ ἐν Πεσαλᾷ τοῦ ἁγίου Γεωργίου, ὑπέγραψα.

Ο καθηγούμενος τῆς ἁγίας Θέκλης Νεόφυτος ἱερομόναχος.

Γερμανὸς ἱερομόναχος καὶ ἐφημέριος τοῦ ἁγίου τάφου.

[a] Legitur τόπων.

Ο πνευ-





Ο πνευματικὸς τῶν μοναζουσῶν Καλλίνικος ἱερο- A μόναχος, ὑπέγραψα.

Ο μέγας ἀρχιδιάκονος Ιεροσολύμων Αζαρίας μετὰ τῶν λοιπῶν ἱεροδιακόνων, συναινοῦμαι.

Ο καθηγούμενος τοῦ προδρόμου Μακάριος ἱερομόναχος.

Αββακοὺμ σκευοφύλαξ τοῦ ἁγίου τάφου, ὑπέγραψα.

Δανιὴλ ἱερομόναχος ϗ σύγκελος Ιεροσολύμων.

Ο ἀπὸ Ρωσίας τῆς μεγάλης Τιμόθεος, ὁμολογῶ ταύτην εἶναι τὴν πίστιν ἡμῶν ϗ τῆς ἀνα- B τολικῆς ἐκκλησίας.

Ο μέγας οἰκονόμος Μιχαὴλ ἱερεὺς πιστεύει καὶ ὁμολογεῖ εἶναι τὴν πίστιν ἡμῶν, ἣν κελεύει ϗ προστάττει ἀποστολικὴ ϗ ὀρθόδοξη ἐκκλησία. *Subſignavit Arabice*.

Ο μέγας σκευοφύλαξ Ισαὰκ ἱερεύς. *Sign. Arab.*

Ο μέγας σακελλάριος Μιχαὴλ ἱερεύς. *Sign. Arab.*

Ο μέγας σακελλίου Μωϋσῆς ἱερεύς.

Ο πρωτοπαπᾶς Συροῦς ἱερεύς. *Sign. Arab.*

Ο οἰκονόμος Λύδδης Ηλίας ἱερεύς.

Ο οἰκονόμος Ραμπλίου Σουλεϊμὰν ἱερεύς.

Ο πρωτοπαπᾶς Λύδδης Αγάπιος ἱερεύς, μετὰ τῶν σὺν ἐμοὶ ἱερέων, Αβίβ. *Sign. Arab.*

Γερμανὸς ἱερομόναχος ϗ ἔξαρχος τῆς ἀρχιεπισκοπῆς Ιόππης, συναινῶ.

Γεώργιος ἱερεὺς οἰκονόμος Καισαρείας Παλαιστίνης. *Sign. Arab.*

Συμεὼν ἱερεὺς ἐφημέριος τοῦ ἐν τῷ Καρμηλίῳ ἁγίου Ηλιοῦ. *Sign. Arab.*

Ο πρωτοσύγκελος Μολδοβλαχίας Γρηγόριος ἱερεὺς, ὁμολογῶ ταύτην εἶναι τὴν καθολικὴν πίστιν ἡμῶν ϗ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας.

Σεραφεὶμ ἱεροδιάκονος ὁ ἀπὸ Μιλήτου ὁμοίως ἀποφαίνομαι.

Ο σύγκελος Ιεροσολύμων Γεννάδιος ἱερομόναχος, ὑπέγραψα.

Οἰκονόμος Νεαπόλεως Μωϋσῆς ἱερεύς. *Sign. Arab.*

Ο Φιλήμων ἱερομόναχος ϗ ἀρχιμανδρίτης, καὶ διοικητὴς τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως Βοστρῶν, ὁρίσας ὑπέγραψα.

Μακάριος ἱερομόναχος ὁ ἀπὸ Κρήτης, ϗ κήρυξ τοῦ ἁγίου ϗ ἱεροῦ εὐαγγελίου, ϗ πρὸς τοὺς ἐν Μακεδονίᾳ, ϗ Αχαΐᾳ, ϗ Ασίᾳ εὐσεβεῖς τοῦ ἁγίου τάφου κομμεσάριος, ὑπέγραψα.

Ο οἰκονόμος τῆς ἁγίας Βηθλεὲμ Ιησοῦς ἱερεύς.

Γεώργιος ἱερεὺς, ϗ ἐφημέριος τοῦ ἁγίου σπηλαίου.

Ισας ἱερεὺς ϗ ἐφημέριος τοῦ ἁγίου σπηλαίου.

Ο οἰκονόμος Πεζαλᾶ Ιερεμίας ἱερεύς.

Ο Χωρὴς Καμπήμπης ϗ οἰκονόμος Πέτρας.

Ο ἐφημέριος τοῦ ἁγίου ὄρους Θαβὼρ, ϗ διοικητὴς τῆς κώμης αὐτοῦ, ϗ κώμης Ναΐν, ϗ τῶν περὶξ, ἤτοι Πασχάλης ἱερεὺς, ὑπέγραψα.

Λεόντιος ἔξαρχος Σκυθοπόλεως.

Callinicus hieromonachus, ſanctimonialium confeſſarius, ſubſcripſi.

Azarias magnus archidiaconus Hieroſolymorum, cum ceteris diaconis, ita ſentio.

Macarius hieromonachus, præpoſitus divi Joannis Baptiſtæ.

Abbacum ſcevophylax ſancti Sepulcri, ſubſcripſi.

Daniel hieromonachus & ſyncellus Hieroſolymorum.

Timotheus majoris Ruſſiæ monachus, confiteor hanc eſſe fidem noſtram, & eccleſiæ Orientalis.

Papa Michael magnus Oeconomus credit & confitetur hanc eſſe fidem noſtram, quam præcipit & præſcribit Apoſtolica & orthodoxa eccleſia. *Hic ſignavit Arabice.*

Papa Iſaac, magnus ſcevophylax. *Signavit Arabice.*

Papa Michael, magnus ſacellarius. *Sign. Arab.*

Moyſes, magnus presbyter Sacelli.

Protopapas Sourour, ſacerdos. *Signavit Arabice.*

Elias, ſacerdos & Oeconomus Lyddæ.

C Solimanus ſacerdos, Oeconomus Ramplii.

Habib Agapius ſacerdos, Protopapas Lyddæ, cum omnibus ſacerdotibus meis. *Signavit Arab.*

Germanus hieromonachus & exarchus archiepiſcopatus Joppes, ita cenſeo.

Georgius ſacerdos, Oeconomus Cæſareæ Palæſtinæ. *Signavit Arab.*

Symeon ſacerdos, Ephemerius ſancti Eliæ in monte Carmelo. *Signavit Arab.*

Gregorius ſacerdos, protoſyncellus Moldaviæ, confiteor hanc eſſe catholicam fidem noſtram & eccleſiæ Orientalis.

D Seraphim hierodiaconus Mileti, idem affirmo.

Gennadius hieromonachus, Hieroſolymorum ſyncellus, ſubſcripſi.

Moyſes ſacerdos, Oeconomus Neapoleos. *Signavit Arabice.*

Philemon hieromonachus & archimandrita, & procurator ſanctiſſimæ Metropoleos Boſtrorum, definiens ſubſcripſi.

Macarius Cretenſis hieromonachus & prædicator ſancti ac ſacri evangelii, & ad fideles Macedoniæ, Achaiæ & Aſiæ in ſanctum Sepulcrum pios legatus, ſubſcripſi.

E Jeſus ſacerdos, Oeconomus ſanctæ Bethlem.

Georgius ſacerdos & Ephemerius ſanctæ Cavernæ.

Iſas ſacerdos & Ephemerius ſanctæ Cavernæ.

Jeremias ſacerdos, Oeconomus Pezalæ.

Chores ſacerdos Campempæ, & Oeconomus Petræ.

Paſchalis ſacerdos, Ephemerius ſancti Montis Thabor, & adminiſtrator oppidi ejuſdem nominis, & oppidi Naim, necnon & adjacentium, ſubſcripſi.

Leontius exarchus Scythopoleos.

Ger-

ANNO CHRISTI 1672.

Germanus hieromonachus, exarchus ſive adminiſtrator Gabaonis & Ramalæ.

Agapius ſacerdos & Oeconomus Gazeorum, & qui mecum ſunt ſacerdotes & diaconi.

Aſitheles Logotheta Remlii.

Galaćtion monachus & ſcevophylax.

Georgius ſacerdos & Oeconomus Ptolemaidis, ſubſcripſi,

Gabriel hieromonachus protoſyncellus & protopſaltes Hieroſolymorum, in hac apologia, quam pro fide noſtra catholica contra hæreticos unanimiter compoſuimus, ſubſcripſi.

Juſtinus hierodiaconus ſecundi ordinis, & Hieroſolymorum domeſticus.

Joſeph hierodiaconus, & tertius diaconorum.

Jacob hierodiaconus.

Athanaſius hierodiaconus.

Joachim magnus eccleſiarcha.

Joachim hieromonachus ad Cathocridanos fideles legatus.

Lucianus hieromonachus & ſyncellus Hieroſolymorum.

Joannes magnus Logotheta ſanctæ Reſurrectionis. *Signavit Arab.*

Chaleles, filius Petri, magnus protonotarius. *Signavit Arabice.*

Naſer, primicerius.

Antonius, lampadarius.

Atitheles, referendarius.

Cyrillus hieromonachus, præpoſitus Neochorii.

Joaſaph hieromonachus, archimandrita ſancti Sepulcri, & apud ſereniſſimum Moſcoviæ Imperatorem Alexium Apocriſarius, ſubſcripſi.

Doſitheus patriarcha Hieroſolymitanus, manu propria ſcribimus & affirmamus præſens autographum, prout ſupra digeſtum, cum legitimis ſubſcriptionibus, & integra rei geſtæ ſerie in magnum Apoſtolici noſtri throni codicem, ad æternam rei memoriam ac firmitatem, fuiſſe relatum die vigeſima Martii anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſecundi.

Nectarius Hieroſolymorum antehac patriarcha, affirmo & confiteor hanc eſſe fidem noſtram & eccleſiæ Orientalis.

*Locus ſigilli.*

Nectarius monachus hypomnematographus ſanctæ Reſurrectionis Christi ac Dei noſtri, cum ſancta ſynodo conſentiens, ſubſcripſi.

A Ὁ ἔξαρχος ἤτοι διοικητὴς Γαβαὼ καὶ Ῥαμάλης Γερμανὸς ἱερομόναχος.

Ὁ οἰκονόμος Γαζέων Ἀγάπιος ἱερεὺς, καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ ἱερεῖς καὶ διάκονοι.

Ἀτιθέλας λογοθέτης Ῥεμλίου.

Γαλακτίων μοναχὸς καὶ σκευοφύλαξ.

Γεώργιος ἱερεὺς καὶ οἰκονόμος Πτολεμαΐδος, ὑπέγραψα.

Γαβριὴλ ἱερομόναχος πρωτοσύγκελος καὶ πρωτοψάλτης Ἱεροσολύμων, ἐν ταύτῃ τῇ κατὰ τῶν αἱρετικῶν ἀπολογίᾳ, ἣν ὑπὲρ τῆς καθολικῆς ἡμῶν πίστεως ὁμοθυμαδὸν συνετάξαμεν, ὑπέγραψα.

B Ὁ δεύτερος τῶν ἱεροδιακόνων Ἰουστῖνος καὶ δομέστικος Ἱεροσολύμων.

Ἰωσὴφ ἱεροδιάκονος, καὶ τρίτος διακόνων.

Ἰακὼβ ἱεροδιάκονος.

Ἀθανάσιος ἱεροδιάκονος.

Ἰωακεὶμ ὁ μέγας ἐκκλησιάρχης.

Ὁ κομμετάριος πρὸς τοὺς Κατόχεια εὐσεβεῖς Ἰωακεὶμ ἱερομόναχος.

Λουκιανὸς ἱερομόναχος καὶ σύγκελος Ἱεροσολύμων.

Ὁ μέγας λογοθέτης τῆς Ἀναστάσεως Ἰωάννης. *Signavit Arabice.*

C Ὁ μέγας πρωτονοτάριος Χαλήλης υἱὸς Πέτρου. *Signavit Arabice.*

Ὁ πριμμικήριος Νάσερ.

Ὁ λαμπαδάριος Ἀντώνιος.

Ὁ ῥαιφερενδάριος Ἀθιτήλης.

Ὁ ἡγούμενος Νεοχωρίου Κύριλλος ἱερομόναχος.

Ὁ ἀρχιμανδρίτης τοῦ ἁγίου τάφου, καὶ ἀποκρισάριος πρὸς τὸν γαληνότατον αὐτοκράτορα Μοσχοβίας Ἀλέξιον Ἰωάσαφ ἱερομόναχος, ὑπέγραψα.

D Τὸ παρὸν ὡς κατ᾽ ἄνωθεν μετὰ θεσμῶν ὑπογραφῶν δηλονότι καὶ πάσης τῆς πραγματείας καταστρωται τούτῳ τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς ἀποστολικοῦ θρόνου κώδικι, εἰς μνήμην αἰώνιον ἅμα καὶ ἀσφάλειαν, Μαρτίου κ΄. ͵αχοβ΄. ὁ Ἱεροσολύμων πατριάρχης Δοσίθεος ἰδίᾳ χειρὶ γράφομεν καὶ ἀποφαινόμεθα.

Ὁ πρώην Ἱεροσολύμων πατριάρχης Νεκτάριος ἀποφαινόμενος ὁμολογῶ ταύτην εἶναι τὴν πίστιν ἡμῶν καὶ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας.

*Locus ſigilli.*

E Ὁ Νεκτάριος μοναχὸς καὶ ὑπομνηματογράφος τῆς ἁγίας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Ἀναστάσεως συναποφαινόμενος τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, ὑπέγραψα.

NOUS CHARLES FRANÇOIS OLIER DE NOINTEL, *Conſeiller du Roy en ſes Conſeils en ſa Cour de Parlement de Paris, & Ambaſſadeur pour Sa Majeſté Tres-Chreſtienne à la Porte Othomane: Atteſtons à tous qu'il appartiendra, que le ſieur Doſithee à preſent Patriarche Grec de la ſainte Ville de Jeruſalem, ayant eſté obligé de venir à Conſtantinople, Nous a declaré qu'il avoit pleinement ſatisfait à ce que nous avions ſouhaité de luy, ſuivant les avis qu'il en avoit receus par nos lettres: & qu'il eſperoit que par la benediction de Dieu ſur ſon travail, les faits conteſtez & mal à propos imputez à ſon Egliſe par les Lutheriens & Calviniſtes, ſeroient tellement diſſipez, qu'il n'en reſtera que la confuſion aux calomniateurs qui les ont avancez. C'eſt la confiance qu'il nous a temoignée, nous mettant entre les mains ce pre-*



ANNO CHRISTI 1672.

*ce preſent Livre, qu'il nous a aſſuré avoir eſté par luy redigé & ſigné, auſſi-bien que par ſon predeceſſeur, & les Prelats & autres de ſon Patriarchat: ajoûtant qu'eſtant fortifié par l'autorité Synodale, il eſperoit qu'il decideroit abſolument, ce qui n'a pu raiſonnablement eſtre mis en queſtion. Et d'autant plus que nous voudrions bien à ſa priere en rendre la verité publique & conſtante en France, c'eſt donc pour y ſatisfaire que nous la confirmons, en y appoſant noſtre ſignature, & la faiſant ſceller de nos armes, & contreſigner par noſtre premier Secretaire.*

*Donné à noſtre Palais ſur le Canal de la Mer noire, ce Septembre, mil ſix cens ſoixante-treize.*

OLIER DE NOINTEL, Ambaſſadeur pour Sa Majeſté Tres-Chreſtienne à la Porte Othomanne.

*Par mon dit Seigneur.* LE PICARD.

## DIONYSII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI,

Super Calviniſtarum erroribus, ac reali in primis præſentia, reſponſio, anno eodem MDCLXXII. edita.

Ex Harduini Collectione Concil. To. XI. p. 271.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΕΛΕΩι ΘΕΟΥ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Ex eodem editione. Exemplar Græcum mſ. ab ipſomet Patriarcha Dionyſio datum Oratori Regis Conſtantinopoli, et tranſmiſſum in Bibliothecam Regiam.

Οὐκ ἀνάξιον εὐαγγελικῆς πολιτείας, ἀλλὰ καὶ λίαν ἐπάξιον δήπουθεν θύραν ἀνοίγειν ἀεὶ διδασκαλίας τῷ κρούοντι, καὶ τῷ φιλοπευστοῦντι τὰς ἀπαντήσεις φιλεργεῖν ὀξετοίμους, τοὺς εἰληχότας θεόθεν ταύτης ἀντέχεσθαι. καὶ γὰρ ἑτοίμους ἑαυτοὺς ἔχειν ὑπὸ τοῦ ἀποστολικοῦ παρεσκευάσθημεν ἐπιτάγματος πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ λόγον ἡμᾶς αἰτοῦντι, ταύτης ἕνεκεν, B τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος. καὶ τοῦτο ποιοῦντες μετὰ πρᾳότητος ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει, ὡς ἐνετάχθημεν· εἰ καὶ ἀφ᾽ ἑαυτῶν οὔτε εἰπεῖν τι ἐσμὲν ἱκανοὶ, οὔτε μὴν ἐννοῆσαι, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἐξευρόντα πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ δεδωκότα Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ τῷ ἠγαπημένῳ ὑπ᾽ αὐτοῦ ἀνατείνοντες, ἐκ τῶν παρ᾽ αὐτοῦ, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ λόγου αὐτοῦ, ἐν ᾧ οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας, καὶ τῆς γνώσεως, καὶ τοῦ παρακλήτου πνεύματος τοῖς ὀρθοδόξοις ἀποκαλυπτομένων σωτηριωδῶν διδαγμάτων, οἷς ἐνθαλαμευομένη περιφέρεται ἡ εὐσέβεια, τὰς ἀπολογίας C πραγματευόμεθα, πᾶσαν ἀλλοτρίαν ἀποφεύγειν μεμαθηκότες τῆς τοῦ κυρίου διδασκαλίας φωνὴν καὶ ἔννοιαν. ἐπεὶ παρ᾽ οὖν καὶ τὰ νῦν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως φιλοπραγμονεῖν τινες περί τινα τῶν καθ᾽ ἡμᾶς κινηθέντες, προυβάλοντο ἡμῖν ἐρωτήσεις ἐκκλησιαστικῶν ὑποθέσεων, ἀπόκρισιν αἰτοῦντες ὁπόσα δηλαδὴ τὸν ἀριθμὸν μυστήρια πρεσβεύει ἡ πρὸς ἀνατολὴν καθ᾽ ἡμᾶς καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία. καὶ οἷα περὶ τοῦ θείου μυστηρίου τῆς εὐχαριστίας φρονοῦμεν. ἔτι περὶ τοῦ φωτίσματος, εἰ ἀναγκαῖον τοῖς βρέφεσιν ἐστὶ δηλονότι τὸ βάπτισμα· καὶ τινῶν ζητημάτων περὶ αὐτὸ θεωρουμένων. περί τε τῆς ἀρχιεροσύνης, D εἰ ἀναγκαῖα τυγχάνει τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ εἰ ὁ ἀρχιερεὺς θείᾳ νομοθεσίᾳ τοῖς πρεσβυτέροις ἐφίσταται. καὶ εἴπερ ἐναντίως φέρονται ταῖς γραφαῖς οἱ ἀγαμίαν αἱρούμενοι ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες. καὶ ἐὰν ἡ καθολικὴ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία ἔσεται ἀεὶ ὁρατὴ, καὶ ἀνεπισφαλής. περί τε προσκυνήσεως

DIONYSIUS MISERATIONE divina archiepiſcopus Conſtantinopoleos, ſeu novæ Romæ, & Patriarcha œcumenicus.

EVangelio haudquaquam indignum eſt inſtituto, immo vero digniſſimum, ut doctrinæ januam pulſanti nunquam non aperiant, atque interroganti facere in promptu ſatis enitantur, quos rebus iſtis ut incumberent, ſors divina deputavit. Etenim Apoſtolico accincti ſumus mandato, *ut paratos exhibeamus nos* (eadem utique de cauſſa) *ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea quæ in nobis eſt, ſpe.* Hoc ipſum vero *cum modeſtia & conſcientia bona* faciamus, juxta mandatum quod accepimus: *quoniam non ſumus ſufficientes aliquid ex nobis ipſi* eloqui, immo neque *cogitare.* Quamobrem ad eum *qui omnem adinvenit ſemitam ſcientiæ, eamque oſtendit Jacob filio ſuo & Iſrael dilecto ſuo*, intendentes, ex ſalutaribus inſtitutis, in quibus incluſa pietas traducitur, quæ per ſe ipſum, perque Filium ac Verbum ſuum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*, & per Spiritum Paraclerum fidelibus revelavit; reſponſiones componere molimur; id quidem luminis indidem adepti, quo vel dictionem vel cogitationem ab ſcientia Domini alienam penitus effugiamus. Porro nonnulli hac ætate ad accuratam quarumdam, ex iis quæ geruntur apud nos, rerum inquiſitionem, qua de cauſſa neſcio, permoti, de dogmatibus eccleſiaſticis quæſtiones propoſuere nobis, reſponſum utique flagitantes, quot nimirum ſacramenta admittat catholica atque Apoſtolica noſtra Orientalis eccleſia, quidve de divino Euchariſtiæ ſacramento ſentiamus. Præterea circa illuminationem, ſive baptiſmum, ſitne infantibus neceſſarius: ac nonnullas huc ſpectantes quæſtiones, ſatis quidem graves, propoſuere. Item, utrum neceſſarius in eccleſia epiſcopatus, ceteriſque ſacerdotibus diſpoſitione divina Pontifex ſit præfectus. Item, utrum contrariam ſacris ſcripturis ducant vitam, qui ex utroque ſexu cælibem elegere. Item, num catholica Chriſti eccleſia perpetuo viſibilis futura ſit & inconcuſſa. Inſuper & circa in-

Baruch 3. 37.

ANNO CHRISTI 1672.

invocationem Sanctorum, & eam quæ ſanctis Imaginibus exhibetur, venerationem. Item circa jejunium & indictam a quibuſdam cibis abſtinentiam. Item & circa nonnullos, quos in controverſiam vocant, veteris Teſtamenti libros, ſcilicet Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & Machabæorum; tales, inquam, utrum inter ſacra Biblia, an inter profana recenſeamus, interrogavere.

Ea re haudquaquam æquum duximus hujuſmodi quæſtiones ſilentio penitus præterire, ne a nobis, uti fere contingit, ratio exigeretur forte neglectionis: quin potius dignas omnino cenſuimus, quibus e veſtigio aliqua ſaltem brevi, licet inculta, at ex ſimpliciſſimæ veritatis fonte traducta reſponſione ſatisfecerimus, quatenus id nos temporis, non ita quidem opportuni, ab ſilentii incuſatione ſivit exſolvere.

Interrogantibus itaque dicimus ſancta ac veneranda ſeptenario numero eſſe apud nos ſacramenta, a quo primum ſacri Evangelii nobis lumen illuxit, ſingula quidem certiſſima, atque ſaluti fidelium perquam neceſſaria.

Primum eſt ſanctum Baptiſma, in quo peccatum originale deletur, necnon & actuale, ſi quod in ſuſcipiente reperiatur: per quod & ſpiritualiter regenerati, in viam vitæ æternæ denuo introducimur.

Secundum eſt ſanctum Chriſma, in quo ſpirituali robore donamur, quo libere ac firmiter poſſimus ore promere quod corde credimus.

Tertium eſt ſanctæ communionis ſacramentum, in quo ſpiritualiter refecti, in ea quæ ſecundum ſpiritum eſt, vita conſervamur ac proficimus.

Quartum, Pœnitentia, per quam dimiſſis homini actualiter peccatis, ea quibus per peccatum fuerat exſpoliatus, bona reſtituuntur.

Quintum eſt Matrimonium, quod aperte declarat Apoſtolus eſſe ſacramentum.

Sextum eſt Ordinis ſacramentum a Chriſto inſtitutum, per quod divina gratia confertur, & ſacramenta cetera conficiuntur.

Septimum eſt Unctio, quam vocamus *εὐχέλαιον* (*hoc eſt, factam cum precibus unctionem*) Hujus duplex effectus eſt, animæ nimirum corporiſque ſanatio.

Circa tremendum vero euchariſtiæ ſacramentum firmiter credimus & confitemur Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti vivum reali præſentia inviſibiliter præſens eſſe in hoc ſacramento. Cum enim ſacerdos celebrans poſt verba Dominica, hæc dicit: *Fac panem quidem hunc pretioſum corpus Chriſti tui: quod vero eſt in calice hoc, pretioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutans Spiritu tuo ſancto*; tunc ſupra omnem naturæ modum & ineffabiliter, operante Spiritu ſancto, panis quidem realiter, vere, ac proprie in ipſummet Chriſti Salvatoris corpus, vinum vero in ſanguinem ejus animatum tranſmutatur. Ipſumque totum credimus eſſe Chriſtum, qui & offert &

τῶν ἁγίων, καὶ τῆς ἀναφορικῆς τῶν εἰκόνων προσκυνήσεως, καὶ περὶ διατεταγμένης νηστείας, καὶ ἀποχῆς τινῶν βρωμάτων. καὶ περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλίων, Τωβίτ, Ἰουδήθ, Σοφίας, Ἐκκλησιαστοῦ, Βαρούχ, [a] καὶ Μακκαβαίων· εἴγε μέρος γραφῆς λογιζόμεθα ταῦτα, ἢ ὡς ἐθνικά τινα ἀποβάλλομεν.

[a] Leg. Ἐκκλησιαστικοῦ.

Τοὔνεκεν οὐ θέμιτον ἔδοξεν ἡμῖν, τὰς ἐρωτήσεις αὐτῶν ὅλως παραδραμεῖν σιωπῇ, ἵνα μὴ σὺν ἄλλοις καὶ λόγον ἀμελείας ἀπαιτηθῶμεν· ἀλλὰ μικρᾶς τινος ἀπολογίας αὐτοσχεδίους τό γε νῦν αὐτὰς ἠξιώσαμεν, ἐν ἁπλουστάτῃ ἀληθείᾳ, καθ' ὅσον ἡμῖν ὁ πολλῆς γέμων τῆς ἀκηδείας καιρὸς συνεχώρησε τὴν τῆς σιωπῆς κατηγορίαν ἀποφυγεῖν.

Μυστήρια μὲν οὖν ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν πληρούμενα, (τοῖς ἐρωτῶσι φαμὲν) ἀκραιφνῆ καὶ σεβάσμια ἐκ τῶν ἀρχῆθεν χρόνων, ἐξότου πρὸς ἡμᾶς κατηγγέλθη τὸ ἱερὸν εὐαγγέλιον, ἀληθῆ τὰ πάντα, καὶ ἀναγκαῖα τυγχάνοντα πρὸς τὴν τῶν πιστῶν σωτηρίαν.

Ὧν πρῶτον μέν ἐστι τὸ ἅγιον βάπτισμα, ἐν ᾧ ἀφίεται τὸ προπατορικὸν ἁμάρτημα, ἔτι καὶ τὰ κατ' ἐνέργειαν, ἐν ὅσοις καὶ ταῦτ' ἔστι. δι' οὗ πνευματικῶς ἀναγεννώμενοι, ὁδοιπόροι πρὸς τὴν αἰώνιον ζωὴν αὖθις γινόμεθα.

Δεύτερον δέ, τὸ τοῦ ἁγίου μύρου, ἐν ᾧ τὴν πνευματικὴν ἰσχὺν ἀναλαμβάνομεν, τοῦ δύνασθαι παρρησίᾳ κηρύττειν ὅπερ ἐν τῇ καρδίᾳ πιστεύομεν.

Τρίτον, τὸ τῆς ἁγίας μεταλήψεως, ἐν ᾧ πνευματικῶς τρεφόμενοι, συντηρούμεθά τε, καὶ αὔξομεν ἐν τῇ κατὰ πνεῦμα ζωῇ.

Τέταρτον, τὸ τῆς μετανοίας, δι' οὗ τῶν κατ' ἐνέργειαν ἁμαρτημάτων ἀφιεμένων, τὰ ἀγαθὰ αὖθις ἀναλαμβάνεται ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, τὰ διὰ τῆς ἁμαρτίας ἀπολωλότα.

Πέμπτον, τὸ τοῦ γάμου, ὅπερ ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου τρανῶς μυστήριον φαίνεται κηρυττόμενον.

Ἕκτον, τὸ τῆς ἱερωσύνης νενομοθετημένον ὑπὸ Χριστοῦ, μεταδοτικὸν θείας χάριτος, καὶ τελεστικὸν τῶν λοιπῶν μυστηρίων.

Ἕβδομον, τὸ χρίσμα, τὸ παρ' ἡμῖν καὶ εὐχέλαιον καλούμενον. ὃ καὶ διττὸν ἔχει τὸ ἀποτέλεσμα, τὸ μὲν φέρειν πρὸς ἴασιν ψυχῆς, τὸ δὲ πρὸς ἴασιν σώματος.

Περὶ δὲ τοῦ φρικτοῦ μυστηρίου τῆς εὐχαριστίας, πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν ἀδιστάκτως, ὅτι τὸ ζῶν σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πάρεστιν ἀοράτως, πραγματικῇ παρουσίᾳ ἐν τῷ μυστηρίῳ. ἐν γὰρ τῷ εἰπεῖν τὸν λειτουργοῦντα ἱερέα μετὰ τὰ κυριακὰ λόγια· ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου· τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ, τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ· τότε τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ παναγίου πνεύματος, ὑπερφυῶς, καὶ ἀρρήτως, ὁ μὲν ἄρτος μεταποιεῖται εἰς αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ ἴδιον σῶμα τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ, πραγματικῶς, καὶ ἀληθῶς, καὶ κυρίως· ὁ δὲ οἶνος εἰς τὸ ζωη-



ζωηρὸν αἷμα αὐτοῦ. καὶ αὐτὸν ὅλον τὸν Χριστὸν πιστεύομεν εἶναι τὸν προσφέροντα, καὶ προσφερόμενον, καὶ προσδεχόμενον, καὶ διαδιδόμενον ἅπασι, καὶ ὁλόκληρον ἀπαθῶς ἐσθιόμενον. οἱ μέντοι ἀξίως μεταλαβόντες αὐτοῦ ζωοποιοῦνται, ἐνούμενοι αὐτῷ τῷ Χριστῷ· οἱ δὲ ἀναξίως, κατακρίνονται, καὶ εἰς ὄλεθρον ῥίπτουσιν ἑαυτούς.

Ὅπερ μυστήριον, καὶ λατρεία ἐστὶ καὶ λέγεται. καὶ θεοπρεπῶς ἐν αὐτῷ λατρεύεται τὸ τεθεωμένον σῶμα τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ, καὶ θυσία προσφέρεται ὑπὲρ πάντων τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν ζώντων καὶ κεκοιμημένων.

Περὶ δὲ τοῦ φωτίσματος, πιστεύομεν ὅτι πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς βρέφεσιν ἀναγκαιότατόν ἐστι τὸ βάπτισμα, δι' οὗ σφραγίδα λαμβάνουσι τοῦ εἶναι δούλους Χριστοῦ, καὶ ἀποταξάμενοι τῷ σατανᾷ δι' ἀναδόχου καὶ ἐγγυητοῦ συντάσσονται τῷ Χριστῷ· ἵνα καὶ τῆς προπατορικῆς κηλῖδος καθαρισθῶσι, καὶ τῶν παγίδων τοῦ ἐχθροῦ ἀνώτερα διατηρηθῶσι· θησαυρὸς γὰρ ἀσφράγιστος, εὐεπιχείρητος κλέπταις, καὶ πρόβατον ἀσημείωτον, ἀκινδύνως ἐπιβουλεύεται, φησὶν ὁ μέγας Βασίλειος· καὶ δεκτικὰ τῆς μακαριότητος κατασταθῶσιν. ὁ γὰρ μὴ ἀναγεννηθεὶς ἄνωθεν βασιλείαν οὐρανῶν, ὅλως ἐστὶν ἀνεπίδεκτος· καί τοι μήπω εἰς τὴν τῆς πίστεως προεχώρησαν ἕξιν, ἀλλ' οὖν δικαιοῦνται χάριτι Θεοῦ, διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν γονέων αὐτῶν.

Περὶ δὲ τῶν ζητηθέντων ἀμφὶ τὸ βάπτισμα, φαμέν, ὅτι ἐν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι, τὸ προπατορικὸν ἁμάρτημα τελείως ἐξαλείφεται. διόπερ εἴ καί τινι συμβαίη μετὰ ταῦτα τεθνάναι ἐν ἀπιστίᾳ, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν μὴ ἀξιωθῆναι τὸν τοιοῦτον τῆς τοῦ προπατορικοῦ ἁμαρτήματος ἐξαλείψεως ἐν τῷ βαπτισθῆναι. ὁμολογοῦμεν δέ, καὶ τὸν ἅπαξ δικαιωθέντα, καὶ Θεοῦ γεγονότα υἱόν, ἐνδέχεσθαι τὸν τοιοῦτον μετὰ τὴν δικαίωσιν ἐκπεσεῖν τῆς χάριτος δι' ἀπιστίαν, ἢ καὶ θανατηφόρον ἁμαρτίαν ἑτέραν, καὶ προσκληρωθῆναι τῷ σατανᾷ καὶ γενέσθαι υἱὸν διαβόλου. ἡ ἐργασία γὰρ τῆς ἁμαρτίας ἀπαλλοτριοῖ τοῦ κυρίου, καὶ προσοικειοῖ τῷ διαβόλῳ, ὁ οὐρανοφάντωρ φησί. ἀνθ' ὧν κἄν τις ἅπαξ ἐδικαιώθη, ὅμως ἄδηλόν ἐστιν αὐτῷ ἐὰν ἐν τῇ δικαιώσει διαμείνῃ ἕως τέλους. διὰ τοῦτο καὶ ἡ ἐκλογὴ αὐτοῦ ἧς εἴληχε διὰ τῆς δικαιώσεως, ἄδηλός ἐστιν ὁποῖον ἕξει τέλος. ἐνδέχεται γὰρ ἐκπεσεῖν, ὡς διείληπται, καὶ ἀποτυχεῖν τῆς μερίδος τῶν ἐκλεκτῶν. ὅθεν ὁ μακάριος Πέτρος παρεγγυᾷ, διὰ τῶν ἐναρέτων ἔργων τὴν ἐκλογὴν ἐπιβεβαιοῦν. μᾶλλον γάρ φησιν, ἀδελφοί μου, σπουδάσατε βεβαίαν ἡμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι· εἶτ' ἐπάγει, ταῦτα γὰρ ποιοῦντες, οὐ μὴ πταίσητέ ποτε. καὶ ὁ θεῖος Παῦλος προσεκτικωτέρους ποιῶν φησίν· ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ.

Τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὸ ἕτερον αὐτῶν λύεται ζήτημα. ὅτι ὁ δικαιωθεὶς δηλονότι πρότερον, ἐὰν ὕστερον κατολισθήσῃ πορνείαις, μοιχείαις, ἀν-

offertur, qui & ſuſcipit & diſtribuitur omnibus; & integer a ſingulis impaſſibiliter manducatur. Porro quicumque ad hujus participationem digne accedunt, vitam inveniunt, quippe qui ipſimet Chriſto inſerantur; qui autem indigne, judicium; in exitium ſuopte proruentes.

Idem vero ſacramentum cultus Dei eſt, uti & appellatur; nam & cultu Deo competente Chriſti Salvatoris deificatum Corpus adoratur in illo, & pro fidelibus Chriſtianis omnibus, cum vivis, tum defunctis, ceu hoſtia immolatur.

Quod vero baptiſmum attinet, ipſum omnibus ac ſingulis infantibus credimus abſolute neceſſarium, per quem obſignantur ſigillo, quo in ſervos Chriſti cooptantur, ac per patrinum ceu fidejuſſorem ſatanæ abrenunciantes in Chriſti ſortem adſciſcuntur, ut deterſa originali labe, ab Inimici laqueis deinceps conſerventur expediti: (theſaurum enim non ſigillatum facile fures invadunt, & ovi non obſignatæ ſine diſcrimine ſtruuntur inſidiæ, inquit Baſilius magnus;) & æternæ beatitudinis capaces efficiantur. Neminem quippe excipere poteſt regnum cælorum, niſi deſuper regeneratum. Etſi vero adusque fidei habitum nondum pervenerint, eccleſiæ tamen, necnon & parentum ſuorum fide per gratiam Dei juſtificantur.

Ad ea vero quæ circa baptiſmum quæſita ſunt, dicimus originale peccatum in ſancto lavacro penitus deleri: ita ut nec aſſerere liceat maculam originalem in eo non fuiſſe per baptiſmum abſterſam, quem poſt ejus ſuſceptionem contigerit in infidelitate decedere. Eum porro qui ſemel juſtificatus Dei filius effectus eſt, ab juſtificationis gratia per infidelitatem ſive per quodlibet aliud letale peccatum excidere poſſe, eoque ſatanæ denuo mancipatum, atque in ſortem filiorum diaboli adſcribi, confitemur. (Peccatum enim hominem alienum a Deo facit, & vicinum diabolo, ait ille qui de cælo loquitur.) Etenim juſtificationis gratiam ut quis ſemel acceperit, conſummatam tamen ſibi nuſquam poteſt perſeverantiam deſpondere. Quin etiam ancipitem habet exitum ea, quam in juſtificatione ſortitus eſt, electio: quippe non minus a gratia excidere & ab electorum ſorte poteſt extorris fieri, quam aſſumi. Unde & beatus Petrus adhortatur nos, ut per bona opera certam faciamus electionem noſtram. *Magis*, inquit, *ſatagite fratres mei, ut certam veſtram vocationem & electionem faciatis*. Dein ſubdit: *Hoc enim facientes, non peccabitis aliquando*. Sed & divinus Paulus, quo Chriſtianorum ſollicitudini ſtimulos admoveat, ait: *Itaque qui ſtat, videat ne cadat*.

Ac per hæc quidem alteri ſatisfit eorum interrogationi: ſcilicet hominem poſt receptum juſtificationis beneficium in fornicationes, homicidia, adulteria, &

ANNO CHRISTI 1672.

alia id genus prolapſum, neque per pœnitentiam reſtauratum, ab adoptionis gratia quam acceperat, penitus excidere, & vitam æternam amittere; *Stipendia enim peccati, mors.*

Ad propoſitam vero de neceſſitate epiſcopatus quæſtionem, reſpondemus ipſummet Pontificem magnum qui penetravit cælos, poſuiſſe *in eccleſia Paſtores & Doctores*, ut ait Apoſtolus, *ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis eccleſiaſtici.* Quam igitur neceſſaria eſt ædificatio corporis eccleſiaſtici, tanto magis neceſſarium eſſe epiſcopatum, liquido demonſtratur, per quem ſacra hujuſmodi ædificatio conſummatur. Neque vero id quod ſcriptum eſt, Chriſtum eſſe Pontificem *in æternum juxta ordinem Melchiſedech*, alia ratione quam per vicarios ejus ſacerdotes impletur, quorum miniſterio jugiter ipſe ſacrificat & ſacrificatur. Sacerdotes porro conſecrare ita Pontificiæ dignitatis eſt, ut niſi epiſcopus nemo hominum, (inquit ſacer Dionyſius) ne quidem ſacerdos, id poſſit; quippe ex inſtitutione functionum hierarchicarum ad id muneris minime deputatus. Quamobrem Titus & Timotheus ad epiſcopalem dignitatem, ita perſuadente neceſſitate, ab Apoſtolis fuere cooptati, ut & ipſi diaconos, presbyteros, ceterorumque divinorum Ordinum miniſtros per urbes conſtituerent, eumque qui Dei decet Eccleſiam, decorem utique complerent.

Ex his quoque ad aliam perducimur interrogationem: nam & de jure Presbyteris præeſt epiſcopus, utpote qui divinam eo conferente gratiam conſequantur, atque ſub ejus auctoritate dumtaxat & regimine ſacra perficiant. A majori enim benedicitur id quod minus eſt, eique in omnibus ſubmittitur.

Eorum autem, qui ex utroque ſexu remiſſo nuptiis nuncio, caſtam virginum agere vitam propoſuere, oppoſitum ſacris ſcripturis inſtitutum adeo non aſſerimus, ut præſtantiores apud Deum coronas ſibi componere, ceu qui meliorem ſalutis viam inierint, contendamus. Ait enim Apoſtolus: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit. Qui enim ſine uxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori.* Quapropter cogitare quæ Domini ſunt, quam quæ mundi, longe præſtantioris meriti eſt juxta ac retributionis.

Circa catholicam ſive Orthodoxam eccleſiam; hanc quidem profitemur eſſe infallibilem, quoniam a Chriſto, qui Veritas ipſa eſt, ceu proprio capite dirigitur, & ab ſpiritu veritatis edoctus eruditur. Iſtis itaque ſuffulta præſidiis, ut erret fieri omnino non poteſt. Propterea Veritatis co-

δροφορίαις, καὶ τοῖς τούτοις παραπλησίοις, καὶ μὴ ἀνακαλέσῃ ἑαυτὸν διὰ τῆς μετανοίας, ἐκπίπτοι πάντως τῆς ἧς ἔτυχεν υἱοθεσίας, καὶ χάριτος, καὶ ἀποτυγχάνοι τῆς αἰωνίου ζωῆς. τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, θάνατος.

Περὶ δὲ τοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην ἀναγκαίαν εἶναι τῇ ἐκκλησίᾳ, φαμὲν, ὅτι αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ μέγας ἀρχιερεὺς ἐν τοὺς οὐρανοὺς διεληλυθὼς, ἔθετο ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ποιμένας καὶ διδασκάλους, καθά φησιν ὁ ἀπόστολος, εἰς καταρτισμὸν τῶν ἁγίων καὶ οἰκοδομὴν τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ σώματος. ὅσῳ τοίνυν ἀναγκαία ἐστὶν ἡ οἰκοδομὴ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, τοσοῦτον ἀναγκαιοτέρα ἐστὶν ἡ ἀρχιερωσύνη, δι᾽ ἧς ἡ οἰκοδομὴ καταρτίζεται· καὶ τὸ εἶναι τὸν Χριστὸν ἀρχιερέα εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, οὐκ ἄλλως ἐνεργεῖται εἰς τὸν αἰῶνα; εἰ μὴ διὰ τῶν ἐξ αὐτοῦ ἱερέων, ὧν μέσων αὐτὸς διηνεκῶς ἱερουργεῖ, καὶ ἱερουργεῖται εἰς τοὺς αἰῶνας. τῶν δὲ ἱερέων αἴτιος, καὶ τελεστὴς, οὐδεὶς ἕτερος ἐκτὸς τοῦ ἀρχιερέως ἐστὶ, καθὰ καὶ ὁ ἱερὸς Διονύσιός φησιν, ἀλλ᾽ οὐδὲ αὐτὸς ἱερεὺς ἐστὶ, μὴ πρὸς τῶν ἱεραρχικῶν πληρώσεων εἰς τοῦτο κεκληρωμένων. διὸ καὶ Τίτος, καὶ Τιμόθεος ὑπὸ τῶν ἀποστόλων ἀναγκαίως ἀρχιερωσύνης ἠξιώθησαν, ἵνα κατὰ πόλεις διακόνους, καὶ πρεσβυτέρους, καὶ τοὺς τῶν λοιπῶν τάξεων ὑπουργοὺς τῶν θείων καταστήσωσιν, ἐπὶ συμπληρώσει τῆς ἐν τῇ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ ἱερᾶς διακοσμήσεως.

Ἐκ τούτων συνάγεται καὶ τὸ ἕτερον ζήτημα, ὅτι ὁ ἀρχιερεὺς νομοθεσίᾳ τοῖς ἱερεῦσιν ἐφίσταται. οἵ τινες ἐξ αὐτοῦ τῆς θείας χάριτος ἀξιοῦνται, καὶ τῆς ὑπ᾽ αὐτὸν ὑφειμένης τελοῦσι τάξεως. τὸ γὰρ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογούμενον, καὶ ὑποκείμενον αὐτῷ πάντως ἐστί.

Τοὺς δὲ μὴ βουλομένους γάμοις προσομιλῆσαι, ἀλλ᾽ αἱρουμένους ἐν παρθενίᾳ βιοτεύειν ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας, μηδόλως φαμὲν ἀντιτεταγμένως φέρεσθαι ταῖς ἁγίαις γραφαῖς· ἀλλὰ καὶ ἐνδοξοτέρους τοὺς στεφάνους παρὰ Θεοῦ κομιοῦσιν, ὡς κρείττονα τῆς σωτηρίας ὁδὸν ἐξελεξάμενοι. ἐπεὶ ὁ μὲν ἐγγαμίζων καλῶς ποιεῖ. ὁ δὲ μὴ ἐγγαμίζων κρεῖσσον ποιεῖ, φησὶν ὁ ἀπόστολος. καὶ γὰρ ὁ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου, πῶς ἀρέσει τῷ κυρίῳ· ὁ δὲ γαμήσας, μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. ὅθεν πολὺ κρεῖσσόν ἐστι τὸ μεριμνᾷν τὰ τοῦ κυρίου, ἢ μεριμνᾷν τὰ τοῦ κόσμου, καὶ κρείσσονος ἐπιμισθίας τῆς ἀντιδόσεως.

Περὶ δὲ τῆς καθολικῆς τῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίας, φαμὲν, ὅτι ἐστὶ μὲν ἀνεπισφαλὴς, οἷα ποδηγετουμένη ὑπὸ τῆς ἰδίας κεφαλῆς, ἥτις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ἡ αὐτοαλήθεια, καὶ διδασκομένη ὑπὸ τοῦ πνεύματος τῆς ἀληθείας. ἀδύνατον οὖν παρὰ ταῦτα σφαλῆναι. διὸ



ANNO CHRISTI 1672.

διὸ καὶ στῦλος, καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας τῷ ἀποστόλῳ κατωνόμασται. ἔσεται δὲ καὶ ἀεὶ ὁρατὴ, διὰ τὸ μηδέποτε τοὺς ὀρθοδόξους ἐκλείπειν, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. ἐπειδήπερ, πάντες μὲν οὐ κοιμηθήσονται, πάντες δ᾽ ὅμως ἀλλαγήσονται, ὅπερ ὁ ἀπόστολος περὶ τῶν πιστῶν τὸν λόγον ποιούμενος εἴρηκε· δῆλον ἄρα ὅτι μέχρι περάτων αἰῶνος ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία τὸ ὁρατὸν ἕξει οὐ διαλεῖψει τοῖς μέρεσι.

Προσκυνοῦμεν δὲ τοὺς ἁγίους, ὡς ὑπὲρ Χριστοῦ ἐναγωνισθέντας, καὶ μεσίτας αὐτοὺς Θεῷ προβαλλόμεθα, ὡς φίλους Θεοῦ, καὶ παῤῥησίαν πρὸς αὐτὸν κεκτημένους, δι᾽ αὐτῶν τὴν πρὸς Θεοῦ βοήθειαν ἐξαιτούμενοι. ὅπερ τῆς ἁγίας γραφῆς πολλαχόθεν συνάγεται, ὡς ἔργον εὐσεβὲς, καὶ ἀναγκαῖον ἡμῖν βοήθημα. τὸ δὲ λέγειν τινὰς, ὅτι τὸ προσκυνεῖν τὴν παναγίαν Θεοτόκον, κατ᾽ ἀξίαν, ὡς ἐνδοξοτέραν τῶν ἀΰλων δυνάμεων, καὶ τοὺς ἁγίους τοῦ Θεοῦ τιμητικῶς, ἐλάττωσιν ποιεῖν τῆς τιμῆς τοῦ υἱοῦ, τοῦτο ματαιολογίαν οἰόμεθα. διάφορος γὰρ ὁ τρόπος τῆς προσκυνήσεως, καὶ οὐκ ἐλαττοῦται δι᾽ αὐτοῦ ἡ τοῦ Χριστοῦ προσκύνησις καὶ τιμὴ, λατρευτικῶς πληρουμένη. ἀλλὰ δὴ καὶ τὰς εὐχὰς τῶν ἱερέων, καὶ ἐναρέτων ἀνδρῶν, καὶ τὰς δεήσεις αὐτῶν, δεκτὰς ὑπάρχειν Θεῷ πιστεύομεν, καὶ εὐλαβῶς ταύτας ζητοῦμεν, ὅπερ τῆς ἁγίας γραφῆς πολλαχόθεν διδασκόμεθα, καὶ Παῦλον αὐτὸν, τὸν ἐκ κοιλίας μητρὸς ἀφωρισμένον εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, Ῥωμαίοις ἀκούομεν λέγοντα. συναγωνίσασθέ μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν. πρὸς Ἐφεσίους καὶ πρὸς Ἑβραίους γράφων, τὰ παρόμοια δέεται. πρὸς τούτοις, τὸ εὐσεβέστατον, καὶ λυσιτελέστατον ἔθος.

Τῆς τῶν ἁγίων εἰκόνων προσκυνήσεως, ὡς ἀπὸ τῶν ἀποστολικῶν χρόνων ἠργμένον, κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν ἐνστερνιζόμεθα. προσκυνοῦντες τὰς ἁγίας εἰκόνας οὐ λατρευτικῶς, ἀλλὰ σχετικῶς· οὐ μέχρι τῆς ὕλης καὶ τῶν χρωμάτων ἱστῶντες τὴν διάνοιαν, ἀλλὰ δι᾽ αὐτῶν, εἰς τὴν τῶν ἀρχετύπων διανιστάμεθα μνήμην. καὶ ἐκείνοις τὴν τιμὴν ἀναφέρομεν.

Περὶ δὲ τῆς νηστείας ὁμολογοῦμεν, ὡς ἔξεστι τῇ ἐκκλησίᾳ διατάττειν νηστείαν, καὶ βρωμάτων τινῶν ἀποχὰς· ὡς διηνεκῶς παρ᾽ ἡμῖν ἐνεργούμενον φαίνεται. ὅπως τε νηστείαις διαπτυγμέναις τὸ χριστώνυμον πλήρωμα, καὶ ὅπως ἐν αὐταῖς οὐ μόνον ψιλὴν ἀσιτίαν ἄγομεν, ἀλλὰ καὶ διαφόρων βρωμάτων ἀπεχόμεθα, κρεῶν, ἰχθύων, τύρων, καὶ τῶν τοιούτων, καλῶς διαταχθέντων ἐπὶ νεκρώσει τῶν σαρκικῶν παθῶν, καὶ ἐπιτηδειότητι τῶν προσευχῶν· καὶ ἐπωφελεῖ ταπεινώσει.

Περὶ δὲ τῶν γραφικῶν βιβλίων, διαφόρους ἀπαριθμήσεις εὑρίσκομεν παρά τε τοῖς ἀποστολικοῖς κανόσι, καὶ τοῖς τῶν ἱερῶν συνόδων τῆς



columnam & fundamentum hanc Apoſtolus appellavit. Viſibilis porro nunquam non eſt exſtitura; quoniam uſque ad conſummationem ſæculi fideles non deficient. Nam & de fidelibus loquens Apoſtolus, dixit omnes quidem immutatum iri, at non omnes mortem ſimul obituros: hoc quidem non obſcure ſignificans quod diximus, eccleſiam Chriſti ad finem uſque ſæculi quibuſdam ex partibus ſuis viſibilem extituram.

Sanctis etiam ceu generoſis Chriſti quondam athletis, cultum exhibemus, eoſque tanquam Deo acceptiſſimos, liberoque ad ſacrum ejus tribunal acceſſu gaudentes, divinæ opitulationis implorandæ mediatores adhibemus. Quod & ex plurimis ſacræ ſcripturæ locis colligitur: quippe pietatis opus, & perquam neceſſarium nobis viatoribus ſubſidium. Quod autem cultum qui ſanctis, ſive etiam majorem illum qui merito prorſus immaculatæ Deiparæ, utpote cæleſtibus virtutibus præcellenti, exhibetur, Filii ejus honori detrahere nonnulli dictitant, ad fabulas revocamus. Diverſus enim eſt atque humilior venerationis hujuſce modus, quam ut Chriſti ex eo honor & cultus, qui quidem latriæ eſt, imminuatur. Sed & ſacerdotum, necnon & proborum hominum orationes ſupplicationeſque valere apud Deum certiſſime credimus, eaſque nobis admodum pie poſtulamus. Id enim ipſum non ſemel ſacra ſcriptura nos edocet: ac in primis ſanctus Paulus *in Evangelium Dei ex utero matris ſuæ ſegregatus*, Romanis dicens: *Adjuvate me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* Quod iterum Epheſios rogat & Hebræos. His adde, piiſſimum juxta ac utiliſſimum hunc eſſe morem, hactenus obſervatum.

Cultum ſanctarum Imaginum ceu ritum a temporibus Apoſtolicis ad nos uſque tranſmiſſum, juxta eccleſiaſtica monumenta prorſus amplectimur: non quidem quo debitum uni Deo honorem illis impendamus, sed penes aliquam dumtaxat relationem veneremur. Neque enim ſoli materiæ coloribuſve hæremus; at ad illarum ἀρχετύπων memoriam aſſurgimus; [a] itaque non tam Imaginibus, quam ſanctis per hujuſmodi Imagines honorem exhibemus.

[a] In Græco hoc tantum, & ad illos honorem referimus.

Jejunia vero & a quibuſdam cibis abſtinentiam conſtituere, penes eccleſiam eſſe profitemur, uti perpetuo apud nos in uſu exſtitiſſe comprobatur: ſtatutis quippe jejuniis Chriſtianorum plenitudo ſanctificatur. Quin etiam in ipſis jejuniis nedum modico cibo utimur, verumetiam a quibuſdam, videlicet carne, piſcibus, caſeo, & id genus, abſtinemus. Ac ſaluberrima quidem iſta conſtitutio, quæ & carnales affectus mortificat, orationi idoneos efficit, & conciliat humilitatem.

Denique variam ſacrorum Bibliorum enumerationem cum in canonibus Apoſtolicis, tum in ſacris ſynodis Laodicena & Carthaginenſi legimus, Clementis quidem conſtitutionibus exceptis, quas ob eam

ANNO CHRISTI 1672.

A quam paſſæ fuerant ab hæreticis depravationem, ſextæ ſynodi canon ſecundus exemit. Quos & neminem latere poteſt, adeos, quos ceu canonicos eccleſia ſuſcipit, libros attendentem. Porro etſi nonnullos veteris teſtamenti libros ea, quæ ab ſacris ſcriptoribus facta eſt, recenſio non habeat; nuſquam tamen profanis Gentilium fœtibus propterea ſunt accenſendi: immo vero ut optimi & ad virtutem utiliſſimi habendi ſunt, nec omnino contemnendi.

B Atque hæc quidem in præſentia his qui nos interrogavere velut in ſynopſi reſpondemus, noſtræ utique profeſſionis orationem cum pacifica ſimplicitate exponentes, in plenum orthodoxæ fidei, quam profitemur, argumentum. Eo quippe ut nullus ſuperſit deinceps de iſtis ambigendi locus, neque ab illis amplius agitentur, qui contra nos ſentiunt, atque a profeſſione noſtra aliena nobis imponere moliuntur. Scriptum in Palatio Patriarchali Conſtantinopolitano, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, menſe Januario, Indictione xx.

C Dionyſius miſeratione divina archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, ſeu novæ Romæ, & Patriarcha œcumenicus.

Paiſius antea Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Dionyſius antea Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Methodius antea Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Paiſius Alexandriæ.
Bartholomæus Heracleæ.
Metrophanes Cyzici.
Methodius Nicææ.
D Jeremias Chalcedonis.
Gregorius Neocæſareæ in Cappadocia.
Neophytus Hadrianopoleos.
Gabriel Philopoleos.
Anthimius Pari.
Cyrillus Serrarum.
Joachim Rhodi.

Theodoritus Lacedæmonis.
Macarius Dryſtæ.
Meletius Sophiæ.
Anthimus Athenarum.
Jacobus Lariſſæ.
E Daniel Euripi.

Calliſtus Corinthi.
Bartholomæus Naupacti & Arthæ.
Daniel Patræ veteris.
Eugenius Chriſtianopoleos.

Zozimus Meletinæ.
Cornelius Corcyræ.
Metrophanes Barræ.
Daniel Anchiali.

Geraſimus Amaſeæ.
Meletius Theſſalonicæ.

A ἐν Λαοδικείᾳ ἐκκλησίας, καὶ τῆς ἐν Καρθαγένῃ, ἐξαιρουμένων τῶν διὰ τοῦ Κλήμεντος διαταγῶν, ἃς ὁ δεύτερος τῆς ἕκτης συνόδου κανὼν ἀπαγορεύει, διὰ τὸ ἐνοθευθῆναι ταύτας ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν, οἷον ἔξεστιν ἐπικύψαι τῷ βουλομένῳ, καὶ καταμαθεῖν τὰ ἐγκεκριμένα τῶν βιβλίων. ὅσα μέντοι τῶν τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλίων, τῇ ἀπαριθμήσει τῶν ἁγιογράφων οὐ συμπεριλαμβάνονται, οὐκ ἀποτροπιάζονται ταῦτα ἕνεκεν τούτου ὡς ἐθνικά τινα καὶ βέβηλα. ἀλλὰ καλὰ καὶ ἐνάρετα προσαγορεύεται· καὶ οὐκ ἀπόβλητα τυγχάνουσι διόλου.

B Ταῦτα κατὰ τὸ παρὸν ὡς ἐν συνόψει τοῖς ἐρωτήσασιν ἀποκρινόμεθα, μετ᾽ εἰρηνικῆς ἁπλότητος τὴν εὐσέβειαν ἡμῶν ὁμολογοῦντες, εἰς πληροφορίαν αὐτοῖς τοῦ ἐν ἡμῖν ὀρθοδόξου φρονήματος, ὅπως μὴ ἔχειν ἀμφισβητεῖν τὸ λοιπὸν περὶ τῶν τοιούτων, μήτε διασαλεύεσθαι πῶς ὑπὸ τῶν καθ᾽ ἡμῶν καὶ ἀλλότρια ἐπιφημίζειν βουλομένων. γέγραπται ἐν τῷ πατριαρχείῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, ἔτει α, χ᾽ ο β᾽. μηνὶ Ἰανουαρίῳ, Ἰνδικτιῶνος κ᾽.

C Διονύσιος ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Ὁ πρῴην Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχης Παΐσιος.

Ὁ πατριάρχης πρῴην Κωνσταντινουπόλεως Διονύσιος.

Ὁ πρῴην πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως Μεθόδιος.

Ὁ Ἀλεξανδρείας Παΐσιος.
Ὁ Ἡρακλείας Βαρθολομαῖος.
Ὁ Κυζίκου Μετροφάνης.
Ὁ Νικαίας Μεθόδιος.
D Ὁ Καλχέδονος Ἱερεμίας.
Ὁ Νεοκαισαρείας Καππαδοκίας Γρηγόριος.
Ὁ Ἀδριανουπόλεως Νεόφυτος.
Ὁ a Φιλοπόλεως Γαβριήλ.
Ὁ Πάρου Ἀνθίμιος.
Ὁ Σερρῶν Κύριλλος.
Ὁ Ῥόδου Ἰωακείμ.
Ὁ Λακεδαίμονος Θεοδώριτος.
Ὁ b Δρύστου Μακάριος.
Ὁ Σοφίας Μελέτιος.
Ὁ Ἀθηνῶν Ἄνθιμος.
Ὁ Λαρίσσης Ἰάκωβος.
E Ὁ Εὐρίπου Δανιήλ.
Ὁ Κορίνθου Κάλλιστος.
Ὁ Ναυπάκτου καὶ Ἄρθης Βαρθολομαῖος.
Ὁ παλαιᾶς Πάτρας Δανιήλ.
Ὁ Χριστιανουπόλεως Εὐγένιος.
Ὁ Μελετίνης c Ζώσιμος.
Ὁ Κορκύρας Κορνήλιος.
Ὁ Βάρρης Μετροφάνης.
Ὁ Ἀγχιάλου Δανιήλ.

Ὁ Ἀμασείας Γεράσιμος.
Ὁ Θεσσαλονίκης Μελέτιος.

Ὁ a Βε-

a Pro, Φιλιππουπόλεως.

b Forte, Δέρκ.

c Pro, Ζώσιμος.



ANNO CHRISTI 1672.

Ὁ d Βερέας Ἰωακείμ.
Ὁ Τραπεζοῦντος Ἰωάννης.
Ὁ e Μεσημβρίας Θεοφάνης.
Ὁ Προΐλαβου Λαυρέντιος.
Ὁ Βιδύνης Δανιήλ.
Ὁ Φιλίππων ς᾽. Γερμανός.
Ὁ Θορνόβου Γεράσιμος.
Ὁ Μαρωνῆς Ἀνανίας.
Ὁ Λυτρίτζης Θεοδόσιος.
Ὁ f Διδυμόχου Γρηγόριος.
. . . . Λουκρήτιος.
Ὁ Ἄρνου Γεδεών.
Ὁ Μηδείας Δανιήλ.
Ὁ Μενοχώρου ς᾽. Δαβίδ.

Συνετέθη τὸ παρὸν, καὶ ἐγράφη, διὰ χειρὸς ἐμοῦ τοῦ μεγάλου ῥήτορος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. ὃ καὶ κατεστρώθη ἀπαραλλάκτως ἐν τῷ ἱερῷ κώδικι τῆς μεγάλης τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας.

A Joachim Berœæ.
Joannes Trapezuntis, nunc *Trebizonde*.
Theophanes Meſimbriæ.
Laurentius Proilavi.
Daniel Bidrenæ.
Germanus Philipporum, &c.
Geraſimus Thornobi.

Ananias Maronæ.
Theodoſius Lytrizæ.
Gregorius Didymochi.
Lucretius . . . .
Gedeon Arnos.
Daniel Medeæ.
B David Menochoræ, &c.

Hæc per me ſcripta ſunt majoris eccleſiæ Rhetorem, & ita in ſacro majoris eccleſiæ Chriſti codice ad apicem exſcripta.

d Pro, Βερ-ροίας.

e Pro, Μεσημβρίας.

f Pro, Διδυμοτείχου.

Ex Harduini Conc. Collection. XI. p. 155.

# INNOCENTII PAPÆ XII. EPISTOLÆ, ET DECRETA.

## I.

## AD ARCHIEPISCOPUM ET EPISCOPOS BELGII.

## INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabiles fratres, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

NUper ex litteris fraternitatum veſtrarum primum accipimus orta eſſe inter Theologos Belgii diſſidia; dum alii alios incuſant, tamquam novarum opinionum ſectatores, qui cum verbo, tum ſcriptis, conſtitutiones fel. recordat. Innocentii X. & Alexandri VII. prædeceſſorum noſtrorum, in quibus quinque propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt *Auguſtinus*, excerptæ & damnatæ, una cum Formulario juramenti in earum condemnationem præſtandi continentur, variis interpretationibus inutiles & inefficaces quodammodo reddere, non ſine gravi animarum detrimento conantur. Cumque maximæ nobis curæ eſſe debeat, pro debito paſtoralis regiminis nobis ex alto commiſſi, ut ſemper firmæ prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones permaneant, in rebus quæ ad orthodoxæ fidei integritatem conducunt: ad diſſidia omnia, quæ eccleſiæ & fidelium pacem perturbant, compeſcenda, in primis prædictis conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. exemplo prædeceſſorum noſtrorum firmiter inhærentes, eaſque in ſuo robore fuiſſe & eſſe declarantes; fraternitatibus veſtris, de quarum zelo & pietate plurimum in Domino confidimus, mandamus, ut contra omnes & quoſcumque, cujuslibet ſtatus, gradus, & conditionis exſiſtant, qui auſu temerario prædictas quinque propoſitiones ſic damnatas in conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. publice vel privatim, tam in ſcholis, quam in concionibus, verbo vel ſcriptis defendere præſumpſerint, (ſervato tamen juris ordine,) C procedatis, eoſque debitis pœnis in eiſdem conſtitutionibus contentis, puniri curetis; cum ad comprimendum tam grave malum, quod jamdiu Catholicam eccleſiam vexat, efficacius remedium adhiberi non poſſe videatur.

Præterea fraternitatibus veſtris injungendum duximus, prout per præſentes injungimus, pro veſtra pietate & prudentia, facultate iſta, qua per Conſtitutionem Apoſtolicam muniti eſtis, ut Formularii ſubſcriptionem, ſeu juramentum, ad praxim reducatis: ut in exigendo juramento prædicto zelus & caritas veſtra quam maxime eluceat, ne alicujus fama indebite lædatur, aut detractionibus & murmurationibus locus detur. D Quare præcipimus, ut quemadmodum ii qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debeant ſincere, abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione; damnando eas propoſitiones, ex libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, prout ſenſum illum damnarunt ſummi Pontifices prædeceſſores noſtri, damnatumque haberi voluerunt a Chriſti fidelibus; ita per fraternitates veſtras, ab iis qui Formulario prædicto ſubſcribent, ac juramentum præſtabunt, præter Formulam ipſam traditam, verbaque in conſtitutione Apoſtolica præſcripta, aliquid aliud vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis, E verbo vel ſcripto exigatur, etiam ſub prætextu quod additiones ad nos tranſmiſſæ comprehendantur, ſeu contineantur in Formulario Alexandri VII.

Ceterum ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant, nos quoſcumque alios ſenſus Formularii, præter eum quem ipſius verba exhibent, afferri vel uſurpari, aut de his diſputari interdiximus & prohibuimus; ac ſuper ejuſdem Formularii interpretatione, ſicut & prædictarum propoſitionum, in alios ſenſus, præter eum quem ipſa verba per ſe exhibent, perpetuum ſilentium im-

impoſuimus ; ut ex noſtris Decretis, tam ſuper ipſo ſilentio, quam ſuper prohibitione omnium librorum editorum & edendorum in hac materia plenius innoteſcet : cum ad ſummum Pontificem dumtaxat pertineat ; ſenſum, quem in his propoſitionibus damnaverit, & ut damnatum a fidelibus credi cenſuerit, declarare. A

Demum ad extinguenda Theologorum jampridem inter ſe diſſidia, fraternitatibus veſtris, quantum in Domino poſſumus, præſentibus noſtris mandatis injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe conſtiterit aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe aut tenuiſſe ; nec quemquam ſub hoc prætextu B repelli ab officiis, negotiis, beneficiis, gradibus, & concionibus habendis, vel alia quacumque functione eccleſiaſtica permittatis ; niſi ſervato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.

Hæc ad fraternitates veſtras reſcribenda decrevimus, non de veſtra voluntate & ſtudio erga eccleſias fidei veſtræ creditas diffidentes ; ſed animi noſtri affectum & omnium eccleſiarum ſollicitudinem teſtificantes : ut tamdem qui Paſtor paſtorum eſt, vigilaſſe nos in gregis noſtri cuſtodiam divino ſuo judicio comprobare dignetur.

Datum Romæ, &c. die VI. Februarii, C MDCXCIV.

*Decretum Innocentii Papa XII. cujus mentio facta eſt in epiſtola ſuperiore.*

SAnctiſſimus D. N. D. Innocentius XII. auditis votis dominorum Cardinalium, ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant tam verbis, quam ſcriptis, ſuper interpretatione ſeu declaratione Formularii Alexandri ſeptimi in condemnationem quinque propoſitionum ex libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, exerceptarum, & damnatarum : quoſcumque alios ſenſus Formularii prædicti, præter eum D quem in ſenſu obvio ipſius verba exhibent, afferri, uſurpari, aut de his diſputari interdixit, & prohibuit, ac ſuper ejuſdem Formularii interpretatione, ſicut & prædictarum propoſitionum, in alios ſenſus, præter eum, quem ipſa verba per ſe exhibent, omnibus & ſingulis cujuſvis religionis, Ordinis, Congregationis, inſtituti, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ, regularibus, & aliis quibuſcumque tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus perſonis cujuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis tam eccleſiaſticæ, quam ſæcularis, perpetuum ſilentium impoſuit. Omnes vero libros, tractatus, theſes, compoſitiones, ſcripta, ex profeſſo, vel incidenter, ſub E quovis prætextu & occaſione in lucem editos vel edita ſuper hujuſmodi materia, prohibuit & pro prohibitis haberi voluit, & mandavit : iiſdemque perſonis ſupra enumeratis diſtricte injungit, ne in poſterum audeant imprimere, vel imprimi facere, ſeu quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, theſes, compoſitiones, & ſcripta de ſupradicta materia tractantes, ſeu tractantia. Et ut hujuſmodi decretum inviolabiliter ſuper omnibus in eo contentis obſervetur ; præcepit & declaravit, contravenientes pœnas privationis dignitatum, & officiorum ſuorum, vocis activæ ; & paſſivæ, facultatis concionandi, publice legendi, docendi, & interpretandi ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrere ; & aliis etiam pœnis Sanctitatis ſuæ, & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio ſubjacere ; libroſque omnes, tractatus, theſes, compoſitiones, & ſcripta, quos ſeu quæ contra dicti decreti tenorem edi contingeret, abſque alia declaratione tamquam expreſſe prohibitos, vel prohibita haberi ; & impreſſores, præter amiſſionem librorum, pecuniariis aliiſque corporalibus pœnis teneri, præcepit & mandavit.

JOSEPH BARTHOLUS ſanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

## II. AD EOSDEM.

Venerabilibus fratribus, Archiepiſcopo Mechlinienſi, epiſcopis Antuerpienſi, Ruremundenſi, Brugenſi, Gandavenſi.

Venerabiles fratres, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LIteras, quas decima nona Julii ad nos dediſtis, libenti animo accepimus ; cum in illis veſtras ad hanc Sedem preces intellexerimus, quibus noſtrum judicium pro ſana doctrina veſtris in diœceſibus regulanda poſtuletis. Ex iiſdem autem litteris aperte deprehendimus mala, quæ quoad Janſeniſmum exponitis, non procedere ex eo quod Brevi a nobis ſexta Februarii, anni milleſimi ſexcenteſimi quarti ad vos dato, ſatis ipſis non ſit conſultum ; ſed potius quia idem Breve executioni fortaſſe, uti par eſſet, non mandetur : cum illud nulla prorſus indigeat explicatione ; aptumque ſit ut in ipſo præſcripta adimpleantur, efficax atque opportunum afferre remedium. Quod ſi prætenſi Janſeniſtæ, interne & abſque eo quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque propoſitiones, quam in ſenſu obvio, non habito reſpectu obvii ſenſus dicti Formularii, ſuoque arbitrio effingant ejuſmodi ſenſum obvium, eccleſia non judicat de occultis, quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt. Sin vero iidem prætenſi Janſeniſtæ voce aut ſcriptis edant proprios ſenſus Apoſtolicarum conſtitutionum prædictique Brevis ſenſui diſſentaneos ; debent epiſcopi, prout de jure procedere, non tantum auctoritate ordinaria, ſed etiam ſpeciali facultate ipſis indulta a conſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum felicis recordationis Innocentii X. & Alexandri VII. quas nos quoque confirmavimus : ita ut ſervantis ſervandis congrue puniantur ; cum ea omnia facile probari poſſint, quia agitur de actibus externis.

Non ſine admiratione intelleximus nonnullos iſtis in diœceſibus reperiri, qui verbis & calamo auſi fuerint affirmare, ſupradicto noſtro Brevi alteratam ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alexandri VII. decima ſexta Octobris, anni MDCLVI. editam, nec non formularium ab ipſomet pronunciatum ; cum dicto Brevi utrumque ſpecifice confirmetur ; & omnino intenderimus & intendamus iiſdem adhærere, & nequaquam ſinere, ut aliquid addatur vel de-



matur a prædicto Formulario, illud quovis A modo alterando in aliqua ejus minima parte ; ſed quod in omnibus & ſingulis ejuſdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amuſſim obſervari.

Quod attinet ad libros ſacræ Scripturæ idiomate vulgari traductos, & alios prohibitos, patent conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum, & potiſſimum felicis recordationis Pii quarti : a quibus ſatis ſuperque abuſibus providetur ; uti etiam confugia ad alia tribunalia a conſimilibus Conſtitutionibus inhibentur, quorum epiſcopi ſuis in diœceſibus obſervantiſſimi executores eſſe debent.

Quod pertinet ad pendentes controverſias circa adminiſtrationem Sacramentorum ; donec B aliquid ſpecialius decernatur, ab iiſdem epiſcopis advigilandum eſt, ut juxta ſanctiones canonicas, ſtatuta conciliorum, & praxim eccleſiæ adminiſtrentur, habita caſuum atque eorum circumſtantiarum ratione. Etenim in præſens magna ſollicitudine diſcuſſioni propoſitionum, quæ inter alias abunde delatas ad hoc argumentum ſpectant, adlaboratur a conſultoribus & qualificatoribus ſupremæ hujus Inquiſitionis, qui omnes ſunt Prælati, ac doctrina præſtantes. De veſtra autem in hanc Sedem obſervantia adeo præclare ſentimus, ut plane confidamus, non omiſſuros vos ejuſdem mandata debita caritate & prudentia exſequi ; firmam in ſpem venientes, reſtituendam tamdem iſti pro- C vinciæ tranquillitatem. Fraternitatibus interim veſtris Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XXIV. Novembris, MDCXCVI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

MARCUS SPINULA.

Ex Harduini Conc. Collect. tom. XI. p. 1675.

## EJUSDEM
## INNOCENTII PAPÆ XII.

Damnatio & prohibitio libri Pariſiis anno D MDCXCVII. impreſſi, cui titulus, *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure &c.*

## INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm alias ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenerit in lucem prodiiſſe librum quemdam Gallico idiomate editum : cui titulus : *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure, par Meſſire Francois de Salignac Fenelon, Archeveſque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou* E *& de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clouſier 1697.* ingens vero ſubinde de non ſana libri hujuſmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebruerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit ; Nos eumdem librum nonnullis ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in ſacra Theologia Magiſtris, mature, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce quam ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem eorum nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in ſacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici gregis nobis ab æterno Paſtore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione huc uſque impreſſum, aut in poſterum imprimendum, quippe ex cujus lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tamquam continentem propoſitiones ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas, reſpective, tenore præſentium damnamus & reprobamus : ipſiuſque libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica & individua mentione & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus. Volentes & Apoſtolica auctoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum librum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere ac conſignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ceterum propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici cenſura judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in Latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur ; videlicet :

I. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt caritas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

II. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſive unitivæ, amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei.

III. Id quod eſt eſſentiale in directione animæ eſt non aliud facere, quam ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & numquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & adeo poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.

IV. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

V. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium : ſed omnem perfectionem ac beatitudinem vo-

volumus in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

VI. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrorum intereſſe omnium maximum, ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum.

VII. Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Jeſus Chriſtus a nobis in Euangelio requirit, poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio, non eſt, niſi quoad intereſſe proprium.... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

VIII. Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus quam maxime diſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia... Sed hoc ſacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo modo abſolutum.

IX. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, & quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſte reprobatam eſſe a Deo.

X. Tunc anima diviſa a ſemetipſa exſpirat cum Chriſto in cruce, dicens: Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me? In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.

XI. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed numquam amittit in parte ſuperiori, id eſt, in ſuis actibus directis & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

XII. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe & juſtæ condemnationi, quam ſibi a Deo indictam credit.

XIII. Inferior Chriſti pars in cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes.

XIV. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori.... In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omnino cœca & involuntaria perturbatione; Nam totum quod eſt voluntarium & intellectuale, eſt partis ſuperioris.

XV. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus; qui a ſe invicem facile diſtinguuntur.... Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum & reflexorum eſt propria exercitio amoris intereſſati.

XVI. Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis, adeoque perfectæ ut fiat habitualis: ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos.

XVII. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Jeſu Chriſti duobus temporibus diverſis. Primo, in fervore naſcente earum contemplationis.... Secundo, anima amittit intuitum Jeſu Chriſti in extremis probationibus.

XVIII. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando quod ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult: & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius ſibi virtutem velit; nec umquam ſit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non eſt.

XIX. Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio & ſua felicitas: ſed ſolum quatenus eſt, id quod Deus a nobis vult.

XX. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

XXI. Sancti Myſtici excluſerunt a ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

XXII. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Euangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

XXIII. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii ſunt.

Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes litteræ omnibus facilius innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris; die XII. Martii, MDCXCIX. Pontificatus noſtri anno octavo.

J. F. Card. Albanus.

*Anno a Nativitate D. N. J. C. 1669. Indictione ſeptima, die vero 13. menſis Martii, Pontificatus autem ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Innocentii divina Providentia Papæ XII. anno ejus octavo, ſupradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis, per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſſimi domini noſtri Papæ Curſorem.*

Sebaſtianus Vaſellus Mag. Curſ.



Hic ſubjicere viſum eſt ipſum Illuſtriſſimi Præſulis inſtrumentum, quo latæ in librum ſuum a Summo Pontifice ſententiæ ſubſcripſit.

## MANDENT DE MESSIRE

### FRANCOIS DE SALIGNAC LA MOTHE FENELON,

### Archeveſque Duc de Cambray, &c.

*FRANCOIS par la miſericorde de Dieu, & la grace du ſaint Siege Apoſtolique Archeveſque Duc de Cambray, Prince du ſaint Empire, Comte du Cambreſis, &c. Au Clergé Seculier & Regulier de noſtre dioceſe, ſalut & benediction en noſtre Seigneur.*

*Nous nous devons a vous ſans reſerve, mes tres-chers Freres, puiſque nous ne ſommes plus a nous, mais au troupeau qui nous eſt confié.* Nos autem ſervos veſtros per Jeſum. *C'eſt dans cet eſprit que nous nous ſentons obligez de vous ouvrir ici noſtre cœur, & de continuer a vous faire part de ce qui nous touche ſur le livre intitulé,* Explication des Maximes des Saints.

*Enfin N. S. P. le Pape a condamné ce livre avec les 23. Propoſitions, qui en ont eſté extraites, par un Bref datté du 12. de Mars, qui eſt maintenant repandu par tout, & que vous avez deja veu.*

*Nous adherons a ce Bref, mes tres-chers Freres, tant pour le texte du livre que pour les 23. Propoſitions, ſimplement, abſolument, & ſans ombre de reſtriction. Ainſi nous condamnons tant le livre que les 23. Propoſitions, preciſement dans la meſme forme & avec les meſmes qualifications, ſimplement, abſolument, & ſans aucune reſtriction. De plus nous defendons ſous la meſme peine a tous les fidelles de ce dioceſe de lire & de garder ce livre.*

*Nous nous conſolerons, mes tres-chers Freres, de ce qui nous humilie, pourveu que le miniſtere de la parole que nous avons receu du Seigneur pour voſtre ſanctification, n'en ſoit pas affoibli, & que nonobſtant l'humiliation du Paſteur, le troupeau croiſſe en grace devant Dieu.*

*C'eſt donc de tout noſtre cœur que nous vous exhortons a une ſoumiſſion ſincere & a une docilité ſans reſerve, de peur qu'on n'altere inſenſiblement la ſimplicité de l'obeiſſance au ſaint Siege, dont nous voulons, moyennant la grace de Dieu, vous donner l'exemple juſqu'au dernier ſoupir de noſtre vie.*

*A Dieu ne plaiſe, qu'il ſoit jamais parlé de nous, ſi ce n'eſt pour ſe ſouvenir qu'un Paſteur a cru devoir eſtre plus docile que la derniere brebis du troupeau, & qu'il n'a mis aucune borne a ſa ſoumiſſion.*

*Je ſouhaite, mes tres-chers Freres, que la grace de noſtre Seigneur J. C. l'amour de Dieu, & la communication du ſaint Eſprit demeure avec vous tous.* Amen.

*Signé*, † FRANCOIS Archeveſque Duc de Cambray.

*Par Monſeigneur,*

DES ANGES *Secretaire.*

## CLEMENTIS PAPÆ XI.

Ex Harduini Collectione Concil. Tom. XI. p. 159.

Damnatio & prohibitio quorumdam foliorum impreſſorum, ſub titulo, *Lettre de M*** Chanoine de B... a M^r. T. D. A. &c. Cas de conſcience propoſé par un Confeſſeur de Province, touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſous ſa conduite,* &c.

### CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM nuper in lucem prodierint quædam folia Gallico idiomate edita, ſub titulo, *Lettre de M*** Chanoine de B... a M^r. T. D. A. &c. Cas de conſcience, propoſé par un Confeſſeur de Province, touchant un Eccleſiaſtique qui eſt ſous ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris*: Quamplures autem ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quos ad examen dictorum foliorum ſpecialiter deligimus, audita ac diligenter perpenſa foliorum hujuſmodi cenſura, quæ coram nobis relata fuit; folia ipſa damnanda & prohibenda eſſe cenſuerint: Hinc eſt, quod nos, pro commiſſa nobis ab æterno Paſtore gregis ſui cura, Dominicas oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis præſervare cupientes, de memoratorum Cardinalium conſilio, folia prædicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, damnamus & reprobamus, ac legi & retineri prohibemus; illorumque impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica & individua mentione & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate præfata mandantes, ut quicumque eadem folia penes ſe habuerint, illa ſtatim atque præſentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere atque conſignare teneantur. Ut autem præſentes eædem litteræ ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut illæ ad valvas baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur; illarumque exempla ibidem affixa relinquantur: & ſic publicatæ omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ & intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus

ſus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XII. Februarii, MDCCIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

F. OLIVERIUS.

II.

## EJUSDEM EPISTOLA AD CHRISTIANISSIMUM REGEM LUDOVICUM XIV,

*De eodem negotio.*

### CLEMENS PAPA XI.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem.

AUdivimus nuper, audaci plane ac ſubdola nonnullorum hominum opera, qui in id nati eſſe videntur, ut eccleſiæ ac reipublicæ pacem turbare non ceſſent, libellum quemdam prodiiſſe, cui titulus: *Cas de conſcience, propoſe par un Confeſſeur de Province, touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſons ſa conduite, reſolu par pluſieurs Docteurs de la Faculte de Theologie de Paris*: quo ſane plura pernicioſæ doctrinæ capita erroreſque damnati revocantur in lucem; & ipſa etiam hæretica Janſenii dogmata non obſcure foventur, dum editæ olim pro iis omnibus abolendis Apoſtolicæ conſtitutiones captioſis ſubtilitatibus eluduntur. Id porro in quantum Chriſti fidelium ſcandalum, atque utriuſque regiminis perturbationem vergat, Majeſtas Tua, cujus mentem tanta in gubernandis populis ſapientia illuſtravit Altiſſimus, ex ſe ſatis ipſa deprehendet. Quoniam vero contra iſtiuſmodi homines continua novitatum prurigine laborantes, non amplius legibus ac ſanctionibus, quæ ſatis multæ hactenus promulgatæ fuerunt, ſed gravium potius adhibitione pœnarum agendum videtur, ne malum toties compreſſum & quotidie reviviſcens, ulterius ſerpat: opportunum exiſtimavimus, damnato prius juxta Sedis Apoſtolicæ morem libello, dilecti filii noſtri LUDOVICI ANTONII S. R. E. Cardinalis DE NOAILLES, Eccleſiæ Pariſienſis Præſulis, zelum ac pietatem per Apoſtolica ſcripta excitare; ut in ejuſdem libelli auctores evulgatoreſque præcipuos, ſummo ſtudio conquiſitos, ſeverius animadvertat: Doctoreſque non paucos, qui Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, & Regia etiam Majeſtatis Tuæ decreta contemnentes, eidem libello palam ſubſcribere non ſunt veriti, debitis pœnis afficiat. Ea autem in re, qua non Eccleſiæ ſolum, quæ Majeſtati Tuæ maxime curæ eſt, ſed & ipſius regni utilitas quæritur; ſummopere decet regalis brachii tui in præfati Cardinalis auxilium exerceri poteſtatem; atque ita paucorum hominum temeritatem compeſcas, ut palam fiat omnibus, eam hodie inter ſacerdotium & imperium, miſerante Domino, vigere concordiam, ut impune non liceat turbulentis ingeniis, ac numquam cavillandi finem facientibus, eccleſiaſticas ſimul ac regias leges infringere. Novit profecto, Cariſſime fili noſter, novit, & gratulatur eccleſia omnis, quanto pietatis ſtudio, quanta Regii nominis laude, eliminandis Catholicæ fidei ac diſciplinæ adverſis erroribus & novitatibus, præcipue vero radicitus exſtirpandis Janſenii dogmatibus, adlaboraveris. Tuæ nunc prudentiæ, tuæ religionis ac pietatis eſt, cœpto operi ſupremam manum adjicere; traditamque tibi ab Altiſſimo poteſtatem in ipſius atque eccleſiæ ſuæ obſequium exercere. Ne patiaris igitur, Cariſſime fili, ut tot labores ac ſtudia, quæ exterminandæ ex florentiſſimo regno tuo peſſimæ hæreſis contagioni adhibuiſti, paucorum hominum veſania, fructu evacuentur. Sileant inquieti homines, coerceantur protervi, pareant contumaces: & quos eccleſiæ manſuetudo non flectit, poteſtas regalis compeſcat & conterat: ut ita, quam eccleſiæ Dei dederis, Deus ipſe donet regnis tuis ac perpetuo ſervet tranquillitatem. Eam interim ex animo precantes, Apoſtolicam ſimul benedictionem tibi amantiſſime impertimur.

Datum Romæ, die XIII. Februarii, MDCCIII.

III.

## EJUSDEM EPISTOLA AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM DE NOAILLES, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM,

*De eodem negotio.*

Dilectio filio noſtro LUDOVICO, tituli ſanctæ Mariæ ſupra Minervam S. R. E. Presbytero Cardinalis DE NOAILLES nuncupato.

### CLEMENS PAPA XI.

DIlecte fili noſter, ſalutem. Non ſine magna paterni cordis noſtri amaritudine nuper accepimus, editum Pariſiis ac pervulgatum fuiſſe libellum quemdam, cui titulus eſt: *Cas de conſcience propoſe par un Confeſſeur de Province, touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſons ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteurs de la Faculte de Paris*: mole ſiquidem perexiguum, ſed multiplici noxiæ doctrinæ veneno abunde refertum: quo ſcilicet plures damnati errores pernicioſæque novitates adſtruuntur; ac ipſæ etiam felicis recordationis Alexandri VII. prædeceſſoris noſtri ad Janſenianam hæreſim non modo iterum damnandam, ſed præcluſis omnibus callidorum hominum effugiis ac tergiverſationibus radicitus evellendam, tanta maturitate editæ conſtitutiones; quibus & nos firmiſſime inhæremus; indirecte quidem ac veluti per cuniculos impetuntur. Quid enim aliud eſſe dixerimus, libelli hujuſmodi auctores tam ſplendido verborum apparatu erga Pontificias conſtitutiones internam ſemper obſervantiam polliceri, cum eam interim exterius violent; & ut ſilentium polliceantur, quotidie ſilentium rumpere? Quid inanibus quæſtionibus, quæ ad nihil proficiunt, præterquam ad ſubverſionem



nem audientium, eccleſiaſticarum ſanctionum perſpicuitati tenebras velle offundere; niſi malum quod corde fovent, per quamdam diſſimulationem aperire? Ita ut illud jure uſurpari poſſit: *Sermo eorum ut cancer ſerpit*: & aliud: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

Ingemuimus plane, videntes homines, qui ſe Catholicos profitentur, eo temeritatis ac pervicaciæ deveniſſe, ut præfatis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque hujus ſanctæ Sedis decretis adhuc obviam ire, eorumque vim emendicatis undique captioſis ſubtilitatibus eludere ſe poſſe confidant. Verum cum ſubdolis eorum artibus non modo, ut par eſſet, minime obſiſtere, ſed potius patrocinari ac veluti manum porrigere conſpexerimus non paucos Pariſienſis ſcholæ Doctores, qui libellum ipſum palam auſi ſunt ſuo calculo comprobare: obſtupuimus plane, & magna ſimul perturbatione pro domo Dei exarſimus: ſtatimque, ne commiſſo nobis cælitus muneri deeſſe videremur, de valido adhibendo remedio cogitavimus. Quapropter libellum ipſum, prævio (ut moris eſt) Theologorum examine, Apoſtolica auctoritate damnavimus ac prohibuimus; ne ejus lectione fidelium mentes inficerentur. At vero quoniam, ut ſanctus Proſper præclare admonet, *Hujuſmodi hominum pravitati non tam diſputationum ſtudio, quam auctoritatis privilegio eſt reſiſtendum*: circumſpectionem tuam ſedulo admonemus, & zelum quo maxime ferves pro ſana doctrina eccleſiæque pace tuenda, excites, exſeraſque, atque intendas, inveſtigandis omni ſtudio diligentiaque libelli hujus auctoribus, ac præcipuis promotoribus atque evulgatoribus: (neque enim clam fieri potuit, quod nonniſi a multis valuit perpetrari:) ac in eos poſtmodum gravibus, ut tantæ debetur audaciæ, pœnis animadvertas. Porro doctores illos, quos ſane decebat magis expugnandis eccleſiæ teterrimis hoſtibus, quam convellendis Apoſtolicæ Sedis conſtitutionibus, nomen inſcribere; omnino volumus ſeveram adeo te puniente diſtrictionem ſubire, ut ceteri in poſterum a ſimilibus absterreantur.

Cariſſimum inſuper in Chriſto filium noſtrum Regem Chriſtianiſſimum, & datis litteris, & per venerabilem fratrem Philippum Antonium Archiepiſcopum epiſcopum Imolenſem, Nuncium noſtrum, qui plura tecum hac de re diſſereret, enixe rogamus, ut circumſpectioni tuæ in exſequendis hiſce mandatis noſtris, pravorumque hominum nequitiæ coercenda regalis quoque velit auxilii brachium impertiri. Quod quidem Majeſtatem ſuam, pro ſummo quem in compeſcendis hæreſum ac novitatum fautoribus hactenus oſtendit zelo, confidimus egregie præſtituram. Et tibi interim, dilecte fili, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ, XIII. Februarii, MDCCIII.

IV.

## EJUSDEM SS. D. N. CLEMENTIS PAPÆ XI.

*Confirmatio & innovatio Conſtitutionum Innocentii Papæ X. & Alexandri Papæ VII. adverſus Janſenianam hæreſim editarum; cum nonnullis declarationibus pro debita illarum obſervantia adjectis.*

Clemens epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

VIneam Domini Sabaoth, quæ eſt Catholica eccleſia, pro commiſſo nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere cuſtodire, atque excolere omni ſtudio atque induſtria, jugiter ſatagentes, ea quæ a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ad ſuccreſcentes in illa pernicioſarum novitatum vepres radicitus evellendos, prudenti ſalubrique conſilio conſtituta eſſe noſcuntur; ut quibuſcumque inimici hominis molitionibus dejectis, firmius ſemper atque exactius obſerventur, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter roboramus: atque alias deſuper ſolicitudinis & providentiæ noſtræ partes interponimus: ſic ut omnibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis, ad fidelem ac tutam orthodoxæ veritatis cuſtodiam, necnon animarum pretioſo Unigeniti Dei Filii Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine redemptarum ſalutem expedire in Domino arbitramur.

Sane poſtquam fel. rec. Innocentius Papa X. prædeceſſor noſter per quamdam ſuam deſuper editam conſtitutionem quinque famoſas propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii epiſcopi Iprenſis, cui titulus, *Auguſtinus*, excerptas, Apoſtolici cenſura judicii rite confixerat, rec. mem. Alexander Papa VII. etiam prædeceſſor noſter ad ejuſmodi jam damnatos errores e Chriſti fidelium mentibus prorſus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum ſubtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, prædictam Innocentii prædeceſſoris conſtitutionem, toto illius inſerto tenore, confirmavit, novarumque declarationum acceſſione conſtabilivit, ſua in id pariter edita conſtitutione, tenoris qui ſequitur, videlicet:

„ Alexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, „ univerſis Chriſti fidelibus, ſalutem & Apo„ſtolicam benedictionem. Ad ſanctam beati „ Petri Sedem, & univerſalis eccleſiæ regimen, „ inſcrutabili divinæ providentiæ diſpoſitione, „ nullis noſtris ſuffragantibus meritis evecti, „ nihil nobis antiquius ex muneris noſtri de„bito eſſe duximus, quam ut ſanctæ fidei no„ſtræ, ac ſacrorum dogmatum integritati tra„dita nobis a Deo poteſtate opportune con„ſuleremus. Ac licet ea, quæ Apoſtolicis „ conſtitutionibus abunde fuerunt definita, no„væ deciſionis, ſive declarationis acceſſione „ nequaquam indigeant; quia tamen aliqui „ publicæ tranquillitatis perturbatores *illa* in „ dubium revocare, vel ſubdolis interpreta„tionibus labefactare non verentur; ne mor„bus iſte latius divagetur, promptum Apoſto-

„ licæ auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum.

„ Emanavit ſiquidem alias a fel. rec. Innocentio Papa X. prædeceſſore noſtro conſtitutio, declaratio, & definitio tenoris, qui ſequitur, videlicet:

„ Innocentius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus, *Auguſtinus*, Cornelii Janſenii epiſcopi Iprenſis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis: complures Galliarum epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut eaſdem propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor vero præfatarum propoſitionum eſt, prout ſequitur. Prima: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant. Secunda: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur. Tertia: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Quinta: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

„ Nos, quibus inter multiplices curas quæ animum noſtrum aſſidue pulſant, illa in primis cordi eſt, ut eccleſia Dei nobis ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tamquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecure navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit; pro rei gravitate coram aliquibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, ac pluribus in ſacra theologia magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones, ut ſupra, nobis oblatas fecimus ſigillatim diligenter examinari: eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata mature conſideravimus: eoſdemque magiſtros, variis coram nobis actis congregationibus, prolixe ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſioni, ad divinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum privatim, tum publice indixiſſemus; poſtmodum iteratis eiſdem ferventius, ac per nos ſolicite implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, tamdem divino numine favente ad infraſcriptam devenimus declarationem & definitionem.

„ Primam prædictarum propoſitionum: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant: temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant heretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum eſt dicere; Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe: falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit; impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Præcipimus pariter omnibus patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, ceteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, omnino coerceant, & compeſcant.

„ Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prędictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prędicto libro Cornelii Janſenii. Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno nono.

„ Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed ficte & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere, magno cum Chriſti fidelium ſcandalo, non reformident.

„ Nos, qui omnia quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter & attente perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentii prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus: in quibus Apoſtolica auctoritate, eadem cauſa diſcuſſa eſt; ea profecto diligentia, qua major deſiderari non poſſet: quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti fideles in ejuſdem fidei unitate ſeſe contineant: ex debito noſtri paſtoralis officii, ac matura deliberatione, præinſertam Innocentii prædeceſſoris noſtri conſtitutionem, declarationem, & definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus: & quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio



„ intento damnatas fuiſſe declaramus, & definimus; ac uti tales, juxta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus: ac eumdem librum ſæpedicti Cornelii Janſenii, cui titulus *Auguſtinus*, omneſque alios, tam manuſcriptos, quam typis editos, & ſi quos forſan in poſterum edi contigerit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii doctrina, ut ſupra, damnata defenditur, vel adſtruitur, aut defendetur, vel adſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponant, vel interpretentur, publice vel privatim, palam vel occulte imprimant, ſub pœnis, & cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis ipſo facto abſque alia declaratione incurendis.

„ Præcipimus igitur omnibus venerabilibus fratribus noſtris patriarchis, primatibus, metropolitanis, archiepiſcopis, ceteriſque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ac judicibus eccleſiaſticis, ad quos pertinet, ut præinſertam ejuſdem Innocentii prædeceſſoris noſtri conſtitutionem, declarationem, ac definitionem, juxta præſentem noſtram determinationem, ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis, aliiſque juris & facti remediis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceant. Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo ſexto; decimo ſeptimo Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Subinde vero, quo omnis Apoſtolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander prædeceſſor, priſcum eccleſiæ morem ſecutus, certam edidit Formulam ab omnibus eccleſiaſtici ordinis, tam ſæcularibus, quam Regularibus perſonis ſubſcribendam, per aliam ſuam hac in re promulgatam conſtitutionem tenoris ſequentis, videlicet:

„ Alexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apoſtolici divina providentia nobis, quamvis immeritis, commiſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimum, quæ catholicæ religionis integritati & propagationi, animarumque ſaluti, & fidelium tranquillitati conſulere apta & idonea eſſe judicantur, animum & curam omnem, quantum licet in Domino, applicemus.

„ Quamobrem Cornelii Janſenii hæreſim, in Galliis præſertim, ſerpentem, ab Innocentio X. fel. record. prædeceſſore noſtro fere oppreſſam, ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros & cavillationum deflexus euntem, ſingulari Conſtitutione ad hunc finem edita altero aſſumptionis noſtræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plene conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum noſtrarum ſcopus: quibus operam, & induſtriam ſuam egregio ſane ſtudio venerabiles fratres noſtri archiepiſcopi & epiſcopi regni Galliæ, earumdem Conſtitutionum Apoſtolicarum exſecutioni præcipue intenti contulerunt, & cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Chriſtianiſſimus ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo ac conſtantiſſimo animo porrexit.

„ Cum autem præfatus Rex Chriſtianiſſimus eodem religionis zelo ductus per ſuum in urbe oratorem nobis ſignificari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquiis exſtirpandis adhiberi poſſe, quam ſi omnes certam Formulam ſubſcriberent noſtra auctoritate firmatam, in qua quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui titulus, *Auguſtinus*, excerptas, ſincere damnarent, ac proinde illam a nobis quantocius, expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omneſque removendos obtentus, flagitaverit:

„ Nos tam piis dicti Regis Chriſtianiſſimi votis benigne annuendum eſſe ducentes, Formulam infra ſcriptam ab omnibus eccleſiaſticis, etiam venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopis, & epiſcopis, necnon aliis quibuſcumque eccleſiaſtici ordinis, tam regularibus, quam ſæcularibus, etiam monialibus, doctoribus, & licentiatis, aliiſque collegiorum rectoribus, atque magiſtris, ſubſcribi diſtricte mandamus; idque intra tres menſes a die publicationis, ſeu notificationis præſentium; alias contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus juxta canonicas conſtitutiones, & conciliorum decreta.

*Formula a ſupradictis ſubſcribenda.*

„ Ego N. conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ, die XXXI. Maii, MDCLIII. & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ die XVI. Octobris, MDCLVI. ſummorum Pontificum, me ſubjicio: & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen, *Auguſtinus*, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

„ Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper & perpetuo validas, & efficaces exſiſtere & fore, ſuoſque plenos & integros effectus ſortiri & obtinere. Sicque per quoſcumque judices Ordinarios & delegatos ubique judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

„ Quocirca venerabilibus fratribus archiepiſcopis, & epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis diœceſibus, ac locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque exſequantur, & executioni mandari ac obſervari ab omnibus curent; & inobedientes quoſcumque per ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, omnino compellant.

„ Volumus autem, ut præſentium tranſſumptis,

„ ptis, etiam impreſſis, manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtram conſtitutionem, & ordinationem infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, quinto decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno decimo.

Sic equidem cauſa finita eſt; non tamen ſic, ut par erat, finitus eſt error Apoſtolico toties mucrone percuſſus. Neque enim defuere nec adhuc deſunt, homines veritati non acquieſcentes & numquam eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui variis diſtinctionibus, ſeu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, eccleſiam ipſam turbare, eamque interminatis quæſtionibus, quantum in ipſis eſt, involvere & implicare conantur; quodque deterius eſt, ipſamet Apoſtolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis ſenſibus condita, ac præſertim quaſdam piæ memoriæ Clementis Papæ IX. die XIX. Januarii, MDCLXIX. ad quatuor Galliæ epiſcopos, necnon binas ſimilis memoriæ Innocentii Papæ XII. etiam prædeceſſorum noſtrorum, die VI. Februarii, MDCXCIV. & die XXIV. Novembris, MDCXCVI. ad epiſcopos Belgii in forma Brevis reſpective datas litteras, in erroris ſui patrocinium advocare, temerario plane auſu, non erubeſcunt; perinde ac ſi memoratus Clemens prædeceſſor, qui eiſdem ſuis litteris, ſe Innocentii X. & Alexandri VII. prædeceſſorum conſtitutionibus ſupradictis firmiſſime inhærere, ac a dictis quatuor epiſcopis veram & totalem obedientiam, adeoque Formulæ a præfato Alexandro prædeceſſore, ſicut præmittitur, editæ ſincere per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit; aliquam in tam gravi negotio exceptionem, ſeu reſtrictionem, quam nullam prorſus ſe umquam admiſſurum fuiſſe proteſtatus fuit, re ipſa admiſiſſet, dictus vero Innocentius XII. prædeceſſor, dum ſapienter ac provide prædictas quinque propoſitiones ex memorato libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba exhibent, ac præ ſe ferunt, damnatas eſſe pronunciavit, non de ipſomet obvio ſenſu, quem in Janſenii libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac a præfatis Innocentio X. & Alexandro VII. prædeceſſoribus damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo ſenſu cogitaſſet; dictaſque Innocentii X. & Alexandri VII. prædeceſſorum conſtitutiones temperare, reſtringere, aut alio quovis modo immutare voluiſſet iiſdem ipſis litteris, quibus eas in ſuo robore fuiſſe, & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere verbis apertiſſimis aſſerebat.

Præterea iidem inquieti homines ſparſis undequaque ſcriptionibus ac libellis, exquiſita ad fallendum arte compoſitis, non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis injuria, maximoque totius eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt veriti. Ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interius, ut hæreticum, damnet; ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) ſilentium teneatur. Quæ quidem aſſertio, quam abſurda ſit, & animabus fidelium pernicioſa, ſatis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; eccleſiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim, dum ipſam Janſenii doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam eccleſia univerſalis exhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare detrectant.

Quin etiam eo impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut veluti naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti, aſſerere non dubitaverint, præfatæ Formulæ a memorato Alexandro prædeceſſore præſcriptæ ſubſcribi licite poſſe, etiam ab iis, qui interius non judicant, prædicto Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri. Quaſi vero, contra quam ſcriptum eſt: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo.* Et: *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit*; hujuſmodi erroris ſectatoribus liceat eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere; dum ejuſdem Formulæ conceptis verbis loquuntur quod eccleſia loquitur, quod tamen ſentit ipſa non ſentiunt; ſeque parere Conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc eſt, quod nos ad opportunum & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer ſerpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ nobis omnium eccleſiarum ſollicitudinis debito, quam pluri morum venerabilium fratrum noſtrorum diverſarum partium, ac præſertim regni Galliarum epiſcoporum zelo ac precibus excitati; ne hujuſmodi pravi homines Catholicæ eccleſiæ pacem ſubvertere impune pergant, & ſimplicium ac puſillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet; neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falſis rumoribus decipi ſe fortaſſe patiuntur, de mente, ac ſententia Apoſtolicæ Sedis amplius ambigendi ſuperſit locus; divino prius, tam privatis noſtris, quam publice indictis precibus, implorato præſidio, ac re mature diſcuſſa, de nonnullorum venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio, auditiſque complurium in ſacra theologia magiſtrorum ſuffragiis: primo quidem præinſertas Innocentii X. & Alexandri VII. prædeceſſorum conſtitutiones, omniaque & ſingula in eis contenta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, confirmamus, approbamus & innovamus.

Ac inſuper, ut quævis in poſterum erroris occaſio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ eccleſiæ filii eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolum (nam & *impii in tenebris conticeſcunt*) ſed & interius obſequendo, quæ vera eſt orthodoxi hominis obedientia, condiſcant; hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione, obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minime ſatisfieri; ſed damnatum in quinque præfatis propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præ ſe ferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſti fidelibus ut hæreticum, non ore ſolum, ſed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licite poſſe; ita ut qui ſecus, aut contra, quoad hæc omnia & ſingula, ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto docuerint, aut aſſeruerint, tamquam præfatarum Apoſtolicarum conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus & ſingulis illarum cenſuris & pœnis omnino ſubjaceant, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus.

Decernentes pariter, eaſdem præſentes & præinſertas litteras ſemper & perpetuo validas, & efficaces exſiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere. Sicque per quoſcumque judices, ordinarios & delegatos, ubique judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & judicibus eccleſiaſticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis reſpective diœceſibus, ac locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, ipſas præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque exſequantur, & exſecutioni mandari & obſervari ab omnibus curent; & inobedientes & rebelles quoſcumque per cenſuras & pœnas præfatas, aliaque juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceant & compellant.

Volumus autem ut earumdem præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, innovationis, decreti, declarationis, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quinto, decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto.

J. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia C. A. Fabronus.

*Loco † plumbi.*

*P. Porta.*

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

*Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo quinto, inditione decima tertia, die vero decima ſexta Julii. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri domini Clementis divina providentia Papæ XI. anno quinto, ſupradictæ litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ, Montis Citatorii, in Acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis, per me Thomam de Unionibus ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſorem.*

Joannes Græcus Mag. Curſ.

## V.

## EJUSDEM SS. D. N.

## CLEMENTIS PAPÆ XI.

*Damnatio quamplurium Propoſitionum excerptarum ex libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures tomos diſtributo, ſub titulo;* Le Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions Morales ſur chaque verſet, &c. a Paris 1699, *Ac aliter*, Abregè de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de Saint Paul, des Epiſtres Canoniques & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chreſtiennes ſur le texte de ces Livres ſacrez &c. a Paris 1693. & 1694.

Ex Harduini Collectione Concil. Tom. XI. p. 1631.

*Cum prohibitione ejuſdem libri, & aliorum quorumcumque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quam in poſterum edendorum.*

Clemens epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

*Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

UNIGENITUS Dei Filius pro noſtra & totius mundi ſalute filius hominis factus, dum diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro ac ſaluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falſis prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium: quorum nomine potiſſimum demonſtrantur magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine ſanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, ſanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſunt, mendacii parentis exemplo ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam ut, ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His nos vere divinis monitis inſtructi, ubi primum, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, librum quemdam, Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions morales ſur chaque verſet, &c. a Paris 1699.* Aliter vero;

vero; *Abrégè de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de ſaint Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe; ou Penſées Chreſtiennes ſur le Texte de ces Livres ſacrez, &c. A Paris 1693. & 1694.* tametſi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Chriſti fidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio & opera ſtudioſe nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam latine redditum: ut perницioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus atque fallaciis creditum Nobis Dominicum gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummopere doluimus: adeoque Paſtoralis non minus curæ noſtræ ſtimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, litteris ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque prorumpere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicue novimus ſummam hujuſmodi libri perniciem ideo potiſſimum progredi & invaleſcere, quod eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; cum liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum; ſed ipſi ſunt jacula: & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari a Nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem libri doctrinam generatim ſolummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis propoſitionibus, diſtinctius, & apertius explicaremus; atque univerſis Chriſti fidelibus noxia zizaniorum ſemina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Idipſum maxime e re Catholica futurum, & ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſcidiis apprime proficuum; conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium, non modo præfati epiſcopi, ſed & ipſe in primis cariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ fidei puritate, exſtirpandiſque erroribus zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpius nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea vere piis & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati [illegible] quantocius Apoſtolici cenſuræ judicii [illegible].

Hinc, adſpirante Domino, ejuſque cæleſti ope confiſi, ſalutare [illegible] ſedulo diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus: ac plurimas ex prædicto libro, [illegible] ſupra recenſitas reſpective editiones, fideli[illegible] extra-ctas, & tum Gallico, tum Latino [illegible]omate expreſſas Propoſitiones a compluribus i[illegible] ſacra Theologia Magiſtris, primo quidem [illegible]ram duobus ex venerabilibus fratribus noſtris ſa[illegible]ctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus accurate diſcu[illegible]: deinde vero coram Nobis, adhibito etiam ali[illegible]rum plurium Cardinalium conſilio, quam maxima diligentia ac maturitate, ſingularum inſuper propoſitionum cum ipſomet libri textu exactiſſime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem Propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur; videlicet:

I.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia; hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

II.

Jeſu-Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

III.

In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.

IV.

Ita, Domine; Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

V.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

VI.

Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum, eſt; quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum ſua gratiam purificando.

VII.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero felicitas non eſt, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?

VIII.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

IX.



IX.

Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum numquam poſſumus, & cum qua numquam illum abnegamus.

X.

Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

XI.

Gratia non eſt aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet.

XII.

Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

XIII.

Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

XIV.

Quantumcumque remotus a ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

XV.

Quando Deus mandatum ſuum & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

XVI.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ: quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

XVII.

Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum. Quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus a Patre.

XVIII.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

XIX.

Dei gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

XX.

Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

XXI.

Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.

XXII.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ & gratiæ: quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

XXIII.

Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

XXIV.

Juſta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti, in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate.

XXV.

Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.

XXVI.

Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem.

XXVII.

Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

XXVIII.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

XXIX.

Extra eccleſiam nulla conceditur gratia.

XXX.

Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

XXXI.

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

XXXII.

Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberan-

dum

dum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, A id eſt, electos, de manu Angeli exterminatoris.

XXXIII.

Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit ſanctus Paulus dicens; *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me!*

XXXIV.

Gratia Adami non producebat niſi merita B humana.

XXXV.

Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

XXXVI.

Differentia eſſentialis inter gratiam Adami & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam, eſt; quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta vero non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus. C

XXXVII.

Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.

XXXVIII.

Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

XXXIX.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum. Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. D

XL.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

XLI.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis ethnicis, non poteſt venire niſi E a Deo: & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

XLII.

Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei; ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.

XLIII.

Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

XLIV.

Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipſos, ac mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum ſit malus.

XLV.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.

XLVI.

Cupiditas, aut Caritas, uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt.

XLVII.

Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt caritas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.

XLVIII.

Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine caritate.

XLIX.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

L.

Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi: ſi ſpiritus caritatis non eſt ille, qui clamat.

LI.

Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per caritatem.

LII.

Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine: ſed hæc fides non eſt abſque amore & fiducia.

LIII.

Sola caritas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.

LIV.

Sola caritas eſt, quæ Deo loquitur: eam ſolam Deus audit.

LV.



A

LV.

Deus non coronat, niſi caritatem: qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.

LVI.

Deus non remunerat niſi caritatem, quoniam caritas ſola Deum honorat.

LVII.

Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes: & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei. B

LVIII.

Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt caritas.

LIX.

Oratio impiorum eſt novum peccatum; & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

LX.

Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad C deſperationem.

LXI.

Timor nonniſi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

LXII.

Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.

LXIII.

Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, D ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

LXIV.

Sub maledicto legis numquam fit bonum: quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.

LXV.

Moyſes, Prophetæ, ſacerdotes, & doctores E legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

LXVI.

Qui vult Deo appropinquare; nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ; ſed per fidem, & per amorem ſicuti filii.

LXVII.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

LXVIII.

Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide & precibus.

LXIX.

Fides, uſus, augmentum, & præmium fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

LXX.

Numquam Deus affligit innocentes; & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

LXXI.

Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

LXXII.

Nota eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens, & omnes angelos cæli, & omnes electos & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

LXXIII.

Quid eſt eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & exſpectantium gratiam futuri ſæculi.

LXXIV.

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero ſanctos ut membra.

LXXV.

Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona: Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus ſanctis, quorum eſt ſanctificator.

LXXVI.

Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei: quia omnes electi & juſti omnium ſæculorum illam componunt.

LXXVII.

Qui non ducit vitam dignam filio Dei & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite.

LXXVIII.

Separatur quis a populo electo, cujus figura

fuit

fuit populus Judaicus, & caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum evangelium, quam non credendo evangelio. A

LXXIX.

Utile & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria ſacræ ſcripturæ.

LXXX.

Lectio ſacræ ſcripturæ eſt pro omnibus.

B LXXXI.

Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione.

LXXXII.

Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

LXXXIII.

Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari C feminis, lectione ſacrorum librorum. Non ex feminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia, ortus eſt ſcripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

LXXXIV.

Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

LXXXV.

Interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum D luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.

LXXXVI.

Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

LXXXVII.

Modus plenus ſapientia, lumine, & caritate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate & ſentiendi ſtatum peccati, petendi E ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.

LXXXVIII.

Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.

LXXXIX.

Quartusdecimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio eccleſiæ.

XC.

Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis.

XCI.

B Excommunicationis injuſtæ metus, numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: Numquam eximus ab eccleſia etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu-Chriſto, atque ipſi eccleſiæ per caritatem affixi ſumus.

XCII.

Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari ſanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra auctoritatem, aut ſcindere unitatem.

C XCIII.

Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.

XCIV.

Nihil pejorem de eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem filiorum; & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

XCV.

D Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.

XCVI.

Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ.

E XCVII.

Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſancte ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici atque tractari tamquam indigna ut ſint in eccleſia, vel tamquam ab ea ſeparata. Sed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

XCVIII.

Status perſecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius



pius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.

XCIX.

Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie, quoad multos, in odorem mortis id quod Deus in ſua eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ; v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c.

C.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit..... Haberi, & tractari a religionis miniſtris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate ſanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, perſequendo flamma ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum.

CI.

Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quam communia facere juramenta in eccleſia; quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto nobis D exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio; omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, eccleſiæ & ejus praxi injurioſas, neque in eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, IMPIAS, BLASPHEMAS, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas; ac demum etiam HÆRETICAS, VARIASQUE E HÆRESES, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſte innovantes, reſpective, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac eadem noſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, edi-

A derit, aut de eis, etiam diſputative, publice aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes a jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat.

Ceterum per expreſſam præfatarum propoſitionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſane paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chri- B ſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minime neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, ſacrum ipſum novi Teſtamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem; a Vulgata vero Editione, quæ tot ſæculorum uſu in eccleſia probata eſt, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, plurieſque in alienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus, non ſine maxima perverſione detortum.

Eumdem propterea librum, utpote per *dulces ſermones, & benedictiones*, ut Apoſtolus loqui- C tur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, *ſeducendis innocentium cordibus* longe accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione, hactenus impreſſum aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem, tam ſcripto, quam typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos; eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis per con- D trafacientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis; necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque juris & facti remedia; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, E eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſexto Idus Se-

Septembris, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

J. Card. Prodatarius. F. Oliverius.

*Viſa* de Curia, L. Sergardus. Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secret. Brevium.

*L. Martinettus.*

Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, indictione ſexta, die vero decima Septembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri Clementis divina providentia Papæ XI. anno decimo tertio, ſupradictæ litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas eccleſiæ Lateranenſis, & baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis, per me Petrum Romulatium Apoſtolicum Curſorem.

*Antonius Placentinus Magiſter Curſorum.*

## VI.

## *EXTRAIT DU PROCEZ VERBAL*

*de l'Aſſemblèe des Cardinaux, Archeveſques & Eveſques, tenue a Paris en l'annèe 1713. & 1714. au ſujet de la Conſtitution de Noſtre ſaint Pere le Pape CLEMENT XI. du 8. de Septembre 1713. portant condamnation de pluſieurs Propoſitions tirèes d'un Livre intitulè,* Le Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions Morales, &c. a Paris 1699. *& autrement,* Abregè de la Morale de l'Evangile, des Epiſtres de ſaint Paul &c. *ou,* Penſées Chreſtiennes ſur le texte du ces livres ſacrez, &c. a Paris, 1693. & 1694. *avec prohibition de ce livre, & des autres, qui ont paru, ou qui pourront paroiſtre a l'avenir pour ſa defenſe.*

Du Mardy 23. Janvier 1714. a trois heures de relevèe, a l'Archeveſche.

Monſeigneur le Cardinal de Noailles Preſident.

L*'Aſſemblèe, le ſaint nom de Dieu invoquè, a declarè.*

1. *Qu'elle a reconnu avec une extreme joye dans cette Conſtitution de notre ſaint Pere le Pape la doctrine de l'Egliſe.*

2. *Qu'elle accepte avec ſoumiſſion & avec reſpect la Conſtitution de notre ſaint Pere le Pape Clement XI.* Unigenitus Dei Filius, *en date du* 8. *de Septembre de l'annèe* 1713. *qui condamne le Livre intitulè,* le Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions Morales ſur chaque verſet, &c. a Paris, 1699. *& autrement,* Abregè de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de ſaint Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe: *ou,* Penſees Chreſtiennes ſur le texte de ces livres ſacrez &c. a Paris, 1693. & 1694. *& les Cent-une Propoſitions qui en ont eſte extraites.*

3. *Qu'elle condamne ce meſme Livre & auſſi les Cent-une Propoſitions, qui en ſont tirèes, de la meſme maniere & avec les meſmes qualifications, que le Pape les a condamnèes.*

4. *Qu'il ſera fait & arreſte par l'Aſſemblèe, avant ſa ſeparation, un modele d'inſtruction paſtorale, que tous les Eveſques qui la compoſent, feront publier dans leurs dioceſes, avec la Conſtitution traduite en François, afin qu'eſtant tout unis a la Chaire de ſaint Pierre, c'eſt-a-dire, au Centre de l'unitè, par l'uniformite des meſmes ſentimens & des meſmes expreſſions, on puiſſe non ſeulement etouffer les erreurs, qui viennent d'eſtre condamnees, mais encore prevenir les nouvelles diſputes, & premunir contre les nouvelles interpretations des perſonnes mal intentionnees, dont on a deja veu les effets par les ecrits, qu'ils ont repandus dans le public, depuis le commencement de l'Aſſemblee.*

5. *Qu'elle ecrira a tous Meſſeigneurs les Archeveſques & Eveſques abſens, qui ſont ſous la domination du Roy, & qu'elle leur envoiera la Conſtitution, un Extrait de la Deliberation de l'Aſſemblee, & un exemplaire de l'Inſtruction paſtorale; qu'elle les exhortera de vouloir bien s'y conformer, & de deffendre a tous les fideles de leurs Dioceſes, de lire, retenir ou debiter le livre des* Reflexions Morales, *& tous les ecrits faits pour ſa defenſe, ſous les peines portees par la Conſtitution; & apres que la Conſtitution aura eſte publiee, la faire enregiſtrer aux Greffes de leurs Officialitez, pour y avoir recours, & pour eſtre procede par les voyes de Droit contre les contrevenans.*

6. *Quelle ecrira une Lettre a noſtre ſaint Pere le Pape pour le remercier du zele, qu'il a montrè dans la condamnation d'un Ouvrage d'autant plus dangereux, qu'on y abuſe des expreſſions de l'Ecriture ſainte & des ſaints Peres pour autoriſer les erreurs qu'il renferme.*

7. *Qu'elle remerciera très-humblement Sa Majeſte de la protection continuelle qu'elle accorde a l'Egliſe, & du zele qu'elle a toujours fait paroiſtre pour extirper les erreurs; & qu'en preſentant a Sa Majeſte la preſente Deliberation & acceptation, Elle l'a ſuppliera de vouloir accorder ſes Lettres Patentes pour l'enregiſtrement & la publication de la Conſtitution dans toute l'etendue de ſon Royaume, & d'y faire inſerer une clauſe pour y ſoumettre les pretendus Exempts: & d'ordonner que le livre des* Reflexions Morales, *& tous les autres ecrits faits pour ſa defenſe, ſeront & demeureront ſupprimez, ſous les peines accouſtumees.*

*En conſequence de la preſente Deliberation, Monſeigneur le Preſident a prie Monſeigneur le Cardinal de Rohan, & Meſſeigneurs les Commiſſaires de ſe charger de faire l'Inſtruction paſtorale, & les Lettres a Sa Saintete, & Meſſigneurs les Prelats abſens.*



## VII.

## LETTRE ECRITE

## A NOSTRE S. PERE LE PAPE CLEMENT XI,

Par les Cardinaux, Archeveſques & Eveſques du Royaume aſſemblez a Paris, *pour la reception de la Conſtitution de ſa Saintetè, du 8. de Septembre 1713. portant condamnation de pluſieurs propoſitions, extraites du livre* des Reflexions Morales ſur chaque verſet du Nouveau Teſtament en François, imprimè a Paris en *1693.* & *1699.* &c.

SANCTISSIMO PATRI

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,

Quod olim uni anteceſſorum tuorum Pontifici excellentiſſimo ſcribebat unus ex anteceſſoribus noſtris doctrina & pietate conſpicuus, *polliceri ſe ſecurum de totius Galliæ devotione ſuper ſtatu fidei captare Sedis Apoſtolicæ ſententiam,* idem nos ultro hodie Sanctitati veſtræ pollicemur ac renovamus obſequium. Hoc nos officio defungi & præſens conditio temporum poſtulat, & in primis edita a te nuper tanto ſtudio ac labore ſolemnis ac præclara Conſtitutio adverſus librum Conſiderationum moralium in novum Teſtamentum, Gallice inſcriptum, *Reflexions morales,* &c. Ea ubi primum Regi oblata fuit, ut eſt ipſius in Catholicæ fidei defenſionem ſemper intentus & erectus animus, Regiis litteris juſſit, ut quotquot erant Pariſiis epiſcopi cum aliis, qui illuc deinceps eſſent acceſſuri, convenirent; ut collatis inter ſe conſiliis, ea qua par eſt reverentia de eadem Conſtitutione acceptanda ſollicitius agerent: atque hæc Comitia illico, prout rei gravitas poſtulabat, frequentiori Præſulum conventu, hac in urbe habita ſunt. In iis, nos majorum noſtrorum exempla ſecuti, atque eodem, quo illi in Apoſtolicam Sedem ſtudio flagrantes, Sanctitatis veſtræ poſtremam Conſtitutionem conſimili obſequio ac veneratione amplexi ſumus.

Avitus Vienn. Epiſc. Epiſt. LXXXVII. ad Hormiſdam Papam. Et tom. I. Conc. Gall. pag. 190.

Neque vero deinceps officio noſtro deerimus, ut ab omnibus, quos divina providentia curæ noſtræ commiſit, pari animo ac fide excipiatur.

Iſtud autem ut certius aſſequeremur, in iiſdem noſtris Comitiis decrevimus edere Paſtoralis documenti communem quamdam formulam. Hæc enim ratio & utilior & expeditior nobis viſa eſt, ut non modo evellantur & profligentur errores juſta cenſura non ita pridem notati; ſed ut etiam de iiſdem propoſitionibus, quæ illos continent, diſputandi ac litigandi rixarum ac novitatum avidis animis, omnis tollatur occaſio.

Erit igitur Paſtoralis iſthæc Inſtitutio velut præſidii ac munimenti loco a nobis polita adverſus alienas a vero ſenſu Pontificiæ Conſtitutionis interpretationes: quibus magnos & uberes, quos omnis Eccleſia certo ſperat, immo jam percipit ex Apoſtolico Decreto fructus, interturbare vel peſſumdare iniqui homines irrito conatu moliuntur.

Nobis quoque cura ac ſtudium fuit generalibus litteris adhortari reliquos hujus Regni archiepiſcopos atque epiſcopos, ut Paſtorale a nobis editum documentum velint adſciſcere, illudque in ſua quiſque diœceſi jure ſuo promulgare. Omnino enim æquum, immo & neceſſarium videtur, ut qui eadem plane ſentiunt, & in unam eamdemque Romanæ Eccleſiæ fidem, indivulſo inter ſe vinculo concordes cohæreſcunt, eadem ipſi palam & loquantur & dicant.

Certe, beatiſſime Pater, doctrinam Novatorum hujus temporis, Sanctitas veſtra apertiſſime robuſtiſſimeque profligavit; tanta in eorum detegendis erroribus adhibita diligentia, quantam illi in occultandis aut clanculum diſſeminandis aſtutiam impenderant: abuſi iidem inſuper divinarum Scripturarum ſanctorumque Patrum ſententiis, venenum ibi propinarunt, ubi Chriſtianæ plebis ſimplicitas ſperabat ſe ſincero divini verbi pabulo eſſe reficiendam.

Quid ſupereſt, beatiſſime Pater, niſi ut *Domino ac Deo noſtro non deſinamus gratias agere & pariter ſupplicare; gratulantes quod tanta ſanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apoſtolicæ Sedi, unde Religionis noſtræ, propitio Chriſto, fons & origo manavit, Antiſtitem* CLEMENTEM *dederit: petentes etiam ut datum, conceſſumque munus Pontificii veſtri longiſſima ad ædificationem Eccleſiarum ſuarum ætate cuſtodiat. Nos autem etſi impares meritis, pari tamen fide.... parati ſumus, confortante Domino, cum Beatitudine veſtra pro veritate fidei animas noſtras ponere.* Ita nos de fide Catholica, & de ſtudio erga ſanctam Sedem, cum majoribus noſtris ſentire palam ac publice profitemur.

Epiſt. ſynodica epiſc. Galliæ ad Leonem Papam, tom. I. Concil. Galliæ. pag. 94.

BEATISSIME PATER,
Sanctitatis veſtræ,

*Devotiſſimi & obſequentiſſimi filii, Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi Galliæ, in urbe Pariſienſi congregati.*

† ARMANDUS GASTO Cardin. de Rohan, Epiſc. & Princeps Argentinenſis, Præſes.
† LEO, PP. Arch. Bituricenſis.
† FRANCISCUS DE MAILLY Arch. Remenſis.
† ARMANDUS Arch. Burdigalenſis.
† CLAUDIUS MAURUS Arch. Rotomagenſis.

† CAROLUS Arch. Aquenſis.
† R. F. Arch. Toloſanus.
† JACOBUS, nuper Epiſc. Rhegienſis, Arch. Auſcenſis electus.
† CAROLUS Epiſcopus Conſtantienſis.
† HUMBERTUS olim Epiſc. Tutelenſis.
† F. DE SILLERY Epiſc. Sueſſionenſis.
† FRANCISCUS Epiſc. Venetenſis.
† PETRUS DANIEL Epiſc. olim Abrincenſis.
† HENRICUS Epiſc. Meldenſis.
† FRANCISCUS Epiſc. Claromontanus.
† HENRICUS Epiſc. Cadurcenſis.
† MARTINUS Epiſcopus Vivarienſis.
† LUDOVICUS Epiſc. Dux Laudunenſis.
† FRANCISCUS Epiſc. Dux Lingonenſis.
† DAVID NICOLAUS Epiſc. Bleſenſis.
† FRANCISCUS Epiſc. Vencienſis.
† D. FRANCISCUS Epiſc. Trecenſis.
† LUDOVICUS GASTO Epiſc. Aurelianenſis.
† CAROLUS Epiſcopus Altiſſiodorenſis.
† FRANCISCUS Epiſc. Comes Tullenſis.
† EDUARDUS Epiſc. Nivernenſis.
† MICHAEL Epiſc. Andegavenſis.
† PETRUS Epiſcopus Ambianenſis.
† FRANCISCUS GASPARD Epiſc. Arethuſanus.
† CAROLUS FRANCISCUS Epiſc. Comes Noviomenſis.
† CAROLUS FRANCISCUS Epiſc. Carnotenſis.
† DOMINICUS B. Epiſc. Sagienſis.
† JOANNES Epiſc. Ebroicenſis.
† CAROLUS FRANCISCUS D'HALLENCOURT Epiſc. Æduenſis.
† HENRICUS AUGUSTINUS Epiſc. Xantonenſis.
† CHRISTOPHORUS F. G. Epiſc. Rhedonenſis.
† PETRUS Epiſc. Cenomanenſis.
† JOANNES FRAN. GABR. Epiſc. Alecienſis.
† FRANCISCUS HONOR. ANT. Epiſcopus Comes Bellovacenſis.
† JOANNES LUDO. Epiſc. S. Pontii Tomeriarum.
† NICOLAUS Epiſcopus Vaurenſis.
† LUDOV. BALTAZAR Epiſcopus Rhegienſis.

A. FRANCISC. GUILL. DU CAMBOUT, Agens generalis Cleri, Promotor.

CAROLUS MAURITIUS DE BROGLIE, Agens generalis Cleri, a Secretis.

Pariſiis, Nonis Februar. 1714.

VIII.

# LETTRE ECRITE A TOUS LES PRELATS DU ROYAUME;

## PAR L'ASSEMBLEE DES CARDINAUX, ARCHEVESQUES ET EVESQUES,

Tenue a Paris en 1713. & 1714. pour la reception de la Conſtitution de N. S. P. le Pape Clement XI. du 8. de Septembre 1713. *Portant condamnation de Centune Propoſitions, extraites du livre intitulè*, le Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions Morales ſur chaque verſet, a Paris 1693. & 1699. &c. *avec la probibition du meſme Livre, &c.*

Les Cardinaux, Archeveſques & Eveſques aſſemblez en la Ville de Paris,

*Aux Archeveſques & Eveſques du Royaume, nos tres honorez Freres,*

SALUT EN NOSTRE SEIGNEUR.

MONSIEUR,

*Vous avez ſçu quel a eſtè le ſujet de noſtre Aſſemblèe commencèe le 16. Octobre dernier par l'ordre du Roy, a l'occaſion de la Bulle de noſtre ſaint Pere le Pape, du 8. Septembre 1713. obtenue a la priere de ſa Majeſtè, qui a bien voulu nous la faire remettre, afin que nous deliberaſſions ſur les moyens de l'accepter, avant l'expedition des Lettres patentes pour la faire publier dans ſon Royaume.*

*Un des principaux articles de nos Deliberations, a eſtè d'ecrire a tous les Prelats abſens, pour les informer de ce que nous avons fait, qui ne doit pas moins les intereſſer que nous meſmes. Tout doit eſtre commun entre les Eveſques dans ce qui regarde l'Egliſe*, où ils ſont ètablis par le Saint Eſprit pour la gouverner, *comme ne compoſans tous enſemble qu'un ſeul Epiſcopat. Il n'y aura peuteſtre jamais d'affaire, où cette union toujours ſi deſirable, le ſoit plus que dans celle-cy.*

*Il s'agit de la condamnation portèe, par cette Bulle contre le Livre des Reflexions morales ſur le Nouveau Teſtament, & les cent-une Propoſitions, qui en ont eſte extraites. Perſonne n'ignore la nature de cet ouvrage. Il n'a eſte que trop connu & trop repandu.*

*Il n'en a paru aucun depuis long-temps, qui ait eſte tout a la fois & plus applaudi & plus digne de cenſure; tant l'eſprit de ſeduction y a ſçu meler avec artifice le bon grain avec le mauvais. Il eſt compoſe de telle ſorte, qu'on peut y eſtre aiſement ſurpris, quand on ne fait que le lire; & qu'au contraire on ne peut que le trouver tres condamnable, des qu'on ſe donne le ſoin de l'examiner.*

*On y trouve non ſeulement les hereſiès des propoſitions tant de fois condamnee, mais encore tou-*





*tes les autres erreurs du livre de Janſenius, qui avoient eſte auparavant proſcrites dans Baius par les ſouverains Pontifes.*

*Nous y avons vu encore avec douleur au milieu de tant de dogmes pernicieux le dernier exces, où ſe porte enfin toute hereſie ſoutenue avec opiniatrete, qui eſt de s'elever ouvertement contre l'Egliſe. On ne ſe borne plus, comme on a fait ſi longtemps a eluder ſes deciſions par tant de faux fuyans & de vaines ſubtilitez; on attaque enfin directement ſon autorite, qu'on veut rendre inutile.*

*On entreprend de decrier ſa conduite; on mepriſes ſes excommunications, qui ſont ces armes* puiſſantes *& redoutables que Jeſus Chriſt luy a miſes en mains,* pour abattre toute hauteur, qui s'èleve contre la ſcience de Dieu & pour punir les deſobèiſſans. *On apprend dans ce livre a ſes enfans rebelles a ne les pas apprehender, & a perſiſter dans leur deſobeiſſance. On ne parle ſur cela, que de perſecution, d'injuſtice, d'entetement, d'obſtination de la part des Paſteurs, a ne vouloir ni rien examiner, ni reconnoitre qu'on s'eſt trompe. C'eſt la verite, qui eſt perſecutee dans la perſonne de ſes Predicateurs & de ſes Diſciples. On oſe donner ce nom a ceux, que l'Egliſe juge dignes de ſes cenſures, pour ne vouloir pas obeir a ſes deciſions; & ce qu'elle a ſi injuſtement ordonne contre eux pour la ſignature du Formulaire, c'eſt ce qu'on appelle dominer ſur la foy des fideles, multiplier les occaſions des parjures, dreſſer des pieges aux foibles & aux ignorans, eſtre contraire a l'eſprit de Dieu & a la doctrine de Jeſus-Chriſt.*

*Vous aurez remarque ſans doute tous ces etranges exces, & vous aurez ſenti, comme nous, combien il importe au bien de la Religion que tout l'Epiſcopat ſe reuniſſe contre un tel ouvrage. Il ne le ſçauroit faire avec plus de force que dans le centre de l'unite, qui eſt la Chaire de ſaint Pierre.*

*Vous ſçavez que cette union ſi ſainte & ſi reſpectable du Corps des Paſteurs avec leur Chef, a eſte regardee dans tous les temps comme le moyen le plus aſſure de reprimer l'erreur, & d'en empeſcher le progres par une condamnation uniforme; ſoit que les Eveſques l'ayent prononcee par un premier jugement, comme nous en avons le droit par noſtre ſacre caractere, & qu'ils ſe ſoient enſuite adreſſez au ſaint Siege pour le confirmer & le fortifier de ſon autorite; ſoit que le Pape prononçant le premier, ait envoye ſes Decrets aux Eveſques, pour ſe joindre au ſaint Siege en les acceptant, & en les faiſant executer dans leurs Egliſes.*

*L'une & l'autre de ces deux manieres de ſe reunir, ſe trouvent egalement employees en differentes rencontres, ſelon la difference de la diſpoſition des eſprits, ou des circonſtances des temps.*

*Nous marchons, en ſuivant cette derniere voye, ſur les traces de nos Predeceſſeurs, qui nous l'ont marquee dans ce qu'ils firent, pour parvenir a la condamnation des cinq propoſitions du livre de Janſenius. On ne la doit pas juger moins convenable dans le cas preſent pour la condamnation d'un livre encore plus dangereux, & où le Janſeniſme paroiſt reprendre de nouvelles forces.*

*Il ne falloit pas un moindre remede pour un auſſi grand mal: d'autant plus que les circonſtances, où l'on ſe trouvoit, ne permettoient pas de la pouvoir attendre d'ailleurs que de l'autorite du ſaint Siege. Pluſieurs de nos Confreres, on ne l'ignore pas, eſtoient dans cette attente depuis quelques annees; & ils croyoient juſques-là pouvoir s'abſtenir de condamner ce mauvais livre, contre lequel cependant ils prenoient ſoin de precautionner leur troupeau.*

*Il ne faut pas diſſimuler auſſi que les apparences de piete & de religion, ainſi que le motif ſpecieux de faciliter la meditation des veritez ſaintes, eſtoient bien capables de diminuer l'attention ſur le venin, qui y eſtoit cache. Apres tout, ce n'eſt pas le ſeul ouvrage, qui par de ſemblables raiſons, ou par d'autres, ait eſte ſouffert, non ſeulement pluſieurs annees, mais pendant des ſiecles entiers, avant que d'avoir eſte ſolemnellement condamne.*

*Mais Dieu, qui ne ceſſe de veiller ſur ſon Egliſe, a ſes temps marquez pour mettre a decouvert le menſonge & reveler l'iniquite: apres avoir permis pour un temps par des raiſons, que luy ſeul connoiſt, qu'elle demeuraſt cachee; & il a eſte donne a Pierre, & a ſes ſucceſſeurs,* de fortifier ſes freres *dans ces occaſions importantes.*

*C'eſt ce qu'a produit la Conſtitution de noſtre ſaint Pere le Pape, par la condamnation des cent-une propoſitions, & du livre dont elles ont eſte extraites. Ce grand nombre de propoſitions priſes de tant d'endroits differents de cet ouvrage, depuis ſon commencement juſqu'a ſa fin, nous a donne lieu d'en mieux connoitre le venin & toutes les erreurs.*

*Le temps conſiderable, que nous y avons employe, & celuy de ſix ſeances occupees toutes entieres par le rapport, qui nous en a eſte fait, ne doivent pas laiſſer douter que les matieres n'y ayent eſte approfondies, autant qu'elles le meritoient.*

*Nous ne pouvions avoir pour cela un meilleur guide que la Conſtitution meſme; avec elle nous nous ſommes regardez dans noſtre Aſſemblee, comme ſi nous euſſions eu l'honneur d'avoir le ſouverain Pontife a noſtre teſte, & de prononcer un meſme jugement avec ſa Saintete.*

*Nous avons donc reconnu dans ſa Conſtitution avec une extreme joye la doctrine de l'Egliſe: & nous l'avons acceptee avec ſoumiſſion & reſpect. Nous avons condamne le livre des Reflexions morales ſur le Nouveau Teſtament, & les cent-une propoſitions, qui en ont eſte extraites, de la maniere & avec les meſmes qualifications que ſa Saintete a employees dans ſa Bulle. Il ne nous reſte a preſent qu'a en procurer une ſincere execution dans nos dioceſes.*

*Nous avons eſtime devoir faire pour cela une Inſtruction Paſtorale, qui put faciliter aux fideles, auſquels nous ſommes redevables du depoſt de la Foy qui nous eſt confie, l'intelligence de la Bulle, & les premunir contre les mauvaiſes interpretations, par leſquelles des gens mal-intentionnez taſchent d'en obſcurcir le vray ſens: Nous en avons deja vu les effets par le grand nombre de libelles, qu'on n'a ceſſe de repandre depuis le commencement de l'Aſſemblee.*

*Cette inſtruction uniforme, dont nous devons tous nous ſervir, ſera partie de noſtre Procez verbal; & elle y ſera pour nous un monument eternel de noſtre amour pour l'unite, & pour la conſervation de la verite.*

*Nous l'annoncerons ainſi a nos peuples, chacun dans noſtre dioceſe, en y publiant la Conſtitution, comme n'ayant tous qu'un meſme eſprit, qu'un* meſme cœur, *&* une meſme bouche, *& nous eſperons* que Dieu en ſera glorifiè.

*C'eſt dans ces ſentimens que nous avons cru devoir vos envoyer un exemplaire de cette Inſtruction. Nous vous prions, Monſieur, ſuivant l'uſage que nous trouvons obſervé par nos Predeceſſeurs en de pareilles rencontres, de vouloir bien vous en ſervir dans le meſme eſprit, avec lequel nous vous l'envoyons; car nous ſçavons bien que nous n'avons point ſur cela d'obligation a vous impoſer. Nous ne pouvons què vous temoigner le deſir ardent, que nous aurions de nous trouver unis a vous. Nous ſommes,*

MONSEIGNEUR,

*Vos tres-humbles & tres affectionnez ſerviteurs, les Cardinaux, Archeveſques & Eveſques aſſemblez a Paris, ARMAND GASTON, Cardinal de Rhoan, Eveſque de Straſbourg., Preſident.*

A Paris le 5. Fevrier, 1714.

*Par NOSSEIGNEURS de l'Aſſemblee.*

L'ABBE' DE BROGLIE, Agent general du Clergè, Secretaire de l'Aſſemblèe.

IX.

# LETTRES PATENTES DU ROY,

Sur la Conſtitution de N. S. P. le Pape Clement XI. en forme de Bulle, portant condamnation d'un Livre intitulé, *le Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions Morales ſur chaque verſet, &c. a Paris* 1699. & autrement, *Abregè de la Morale de l'Evangile, des Epiſtres de ſaint Paul, des Epiſtres Canoniques, &c.*

Donnèes à Verſailles le 14. Fevrier 1714. & enregiſtrèes en Parlament le 15. du meſme mois.

LOUIS *par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre: A tous ceux qui ces preſentes Lettres verront, Salut. Quelques precautions que nous ayons priſes depuis noſtre avenement a la Couronne, pour etouffer toutes les diſputes qui pouvoient alterer la paix, de l'Egliſe & la pureté de la Foy; les Sectateurs de la nouvelle doctrine de Janſenius, ont trouve les moyens de ſe ſoutenir, & meſme de s'accroiſtre, malgre les Conſtitutions Apoſtoliques, acceptees des Eveſques de noſtre Royaume; malgre leur vigilance a arreſter le progrez de ces nouvelles erreurs, & malgre nos Lettres patentes regiſtrees dans nos Cours de Parlement, par leſquelles nous avons toujours ſoutenu l'autorite Eccleſiaſtique. Nous avons appris par les plaintes que pluſieurs Prelats nous ont portees, qu'un des plus pernicieux ouvrages, par rapport a cette mauvaiſe doctrine, a eſte compoſe par un des principaux chefs du parti, ſous le titre de* Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions Morales ſur chaque verſet, &c. a Paris 1699. *& autrement,* Abregé de la Morale de l'Evangile, des Epiſtres Canoniques, de l'Apocalypſe; ou, Penſées Chreſtiennes ſur le texte de *ces livres ſacrez, &c. a Paris* 1693. & 1694. *Nous avons cru que pour prevenir les mauvais effets d'un livre ſi dangereux, nous devions commencer par revoquer le privilege que nous avions accorde pour en permettre l'impreſſion: & nous avons enſuite demande a noſtre ſaint Pere le Pape, de porter ſon jugement ſur la doctrine contenue dans ce livre. Sa Sainteté, apres l'avoir long temps examine avec le zele & l'application que meritoit une affaire de cette importance, a donne une Conſtitution en forme de Bulle, le huit Septembre dernier, portant condamnation du livre, & de cent-une propoſitions, qu'elle en a extraites. Le ſieur Bentivoglio Archeveſque de Carthage ſon Nonce aupres de nous, ayant eu ordre de nous en preſenter un exemplaire de ſa part, & de nous demander noſtre protection pour la faire publier & executer dans tout noſtre Royaume, nous l'avons reçue avec tout le reſpect que nous avons toujours eu pour le ſaint Siege, & pour la perſonne de noſtre ſaint Pere le Pape. Et afin que cette Bulle fut acceptee plus promptement par un nombre conſiderable de Prelats, nous avons convoque une Aſſemblee extraordinaire compoſee des Cardinaux, Archeveſques & Eveſques, que la neceſſite de veiller aux affaires particulieres de leurs Dioceſes avoit attirez a noſtre ſuite. Et apres une meure deliberation, les Prelats de cette Aſſemblee nous en ont preſente le Procez verbal, par lequel nous avons eu la ſatisfaction de voir, que reconnoiſſant dans la Conſtitution de noſtre ſaint Pere le Pape la doctrine de l'Egliſe, ils l'ont reçue avec la deference & le reſpect qui eſt du au Chef viſible, qu'il a plu a Dieu de luy donner; & nous ont ſupplie en meſme temps, qu'il nous plut faire expedier nos Lettres patentes, pour la faire publier & executer dans noſtre Royaume: Et comme nous deſirons concourir par noſtre autorite a detruire les erreurs contraires a la Foy, & prejudiciables au repos de l'Egliſe, ainſi que nous l'avons toujours fait, & que nous y ſommes obligez; A ces cauſes, nous avons dit & declare, diſons & declarons par ces Preſentes ſignees de noſtre main, voulons & nous plaiſt, que la Conſtitution de noſtre ſaint Pere le Pape en forme de Bulle, attachee ſous le contre-ſcel de noſtre Chancellerie, acceptee par leſdits Archeveſques & Eveſques de noſtre Royaume aſſemblez a Paris par noſtre ordre, ſoit reçue & publiee dans nos Eſtats, pour y eſtre executee, gardee & obſervee ſelon ſa forme & teneur. Exhortons a cette fin, eſt neanmoins enjoignons a tous les Archeveſques & Eveſques de noſtre Royaume, de la faire lire & publier dans toutes les Egliſes de leurs Dioceſes, enregiſtrer dans le Greffe de leurs Officialitez, & de donner tous les ordres neceſſaires pour la faire obſerver d'une maniere uniforme, ſuivant les reſolutions qui ont eſte priſes a ce ſujet dans ladite Aſſemblee. Voulons en outre & ordonnons, que ledit livre condamne par ladite Bulle, enſemble tous les Ecrits, qui ont eſte fats, imprimez & publiez pour la deffenſe, ſoit du livre meſme, ſoit des propoſitions condamnees par ladite Conſtitution, ſoient & demeurent ſupprimez. Defendons a toute ſorte de perſonnes, a peine de punition exemplaire, de les debiter, imprimer, & meſme de les retenir. Enjoignons a ceux qui en ont, de les rapporter au Greffe de nos Juſtices dans le Reſſort deſquelles ils demeurent: & a tous nos Officiers, & autres, auſquels la Police appartient, de faire toutes les diligences & perquiſitions neceſſaires pour l'execution de cette preſente diſpoſition. Defendons pareillement a toute ſorte de perſonnes de compoſer, imprimer & debiter a l'avenir aucuns ecrits, lettres ou autres ouvrages, ſous quelque titre & en quelque forme que ce puiſſe eſtre, pour ſoutenir ou favoriſer ledit livre, & renouveller leſdites Propoſitions condamnees, a peine d'eſtre procede contr'eux comme perturbateurs du repos public. Et attendu que tout ce qui regarde les jugemens de l'Egliſe en matiere de doctrine, eſt principalement reſerve a la perſonne & au caractere des Eveſques, & ne peut leur eſtre oſte par aucun privilege; nous voulons que le contenu en nos preſentes Lettres ſoit execute, nonobſtant toutes exemptions, privileges, droits de Juriſdictions epiſcopales ou quaſi epiſcopales, qui pourroient eſtre pretendus par aucuns Chapitres, Abbayes, Communautez ſeculieres ou regulieres, ou par aucuns particuliers de quelque qualite ou condition qu'ils ſoient, auſquels nous avons defendu & defendons d'exercer aucunes fonctions ni actes de juriſdiction en cette matiere, en vertu deſdits privileges.*

*Si donnons en mandement a nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenant noſtre Cour de Parlement de Paris, que s'il leur appert que dans ladite Conſtitution en forme de Bulle il n'y ait rien de contraire aux ſaints Decrets & Preeminences de noſtre Couronne & aux libertez de l'Egliſe Gallicane, ils ayent a faire lire, publier & enregiſtrer nos preſentes Lettres, enſemble ladite Conſtitution, & le contenu en icelles garder & obſerver par tous nos ſujets dans l'etendue du Reſſort de noſtredite Cour, en ce qui depend de l'autorite que nous luy donnons. Enjoignons en outre a noſtredite Cour, & a tous Officiers chacun en droit ſoy, de donner auſdits Archeveſques & Eveſques, & a leurs Officiaux, les ſecours, aide du bras ſeculier, lors qu'ils en ſeront requis, dans les cas de droit, pour l'execution de la dite Conſtitution: Car tel eſt noſtre plaiſir. En temoin dequoy Nous avons fait mettre noſtre Scel a ceſdites Preſentes. Donnees a Verſailles le quatorzieme Fevrier, l'an de grace mil ſept cens quatorze; & de noſtre regne le ſoixante onzieme. Signe,* LOUIS; Et plus bas, *Par le Roy,* PHELYPEAUX. *Et ſcellees du grand ſceau de cire jaune:*

Regiſtrèes, Ouy & ce requerant le Procureur General du Roy, pour eſtre executèes ſelon leur forme & teneur: & copies collationnèes envoyèes aux Bailliages & Senechauſsèes du Reſſort, pour y eſtre leues, publièes, & regiſtrèes; Enjoint aux Subſtituts du Procureur General du Roy d'y tenir la main, & d'en certifier la Cour dans un mois, ſuivant & aux modifications portèes par l'Arreſt de ce jour. A Paris en Parlement, le quinzième jour de Fevrier, mil ſept cens quatorze. *Signe,* DONGOIS.

X.

# LETTRE DE MESSIEURS LES AGENS GENERAUX DU CLERGE' DE FRANCE,

A Meſſeigneurs les Prelats du Royaume, en leur adreſſant le Recueil des Actes.

MONSEIGNEUR,

*Nous avons l'honneur de vous envoyer le Recueil des Actes que Noſſeigneurs les Cardinaux, Archeveſques, & Eveſques, nous ont ordonne de vous adreſſer. Nous travaillons actuellement a faire imprimer le Procez verbal de l'Aſſemblee; & nous employons toute la diligence, dont nous ſommes capables, pour le faire paroiſtre au pluſtoſt: Mais comme il ne peut vous eſtre envoye auſſi promptement que nous le ſouhaitterions, nous vous marquerons icy en abrege, ce qui regarde la tenue de cette Aſſemblee.*

*Le Roy toujours attentif a ce qui intereſſe l'honneur & le bien de la Religion, ayant reçu une Conſtitution en forme de Bulle de noſtre ſaint Pere le Pape Clement XI. du 8. Septembre 1713. contre le livre intitule,* Reflexions Morales &c. *reſolut avant de la faire publier, de l'adreſſer aux Eveſques, que les affaires de leurs dioceſes avoient attires aupres de ſa perſonne, ou dans la Ville de Paris, conformement a ce qui s'etoit pratique le plus ſouvent pour l'acceptation des Bulles des ſouverains Pontifes. Nous executaſmes avec exactitude les ordres de ſa Majeſte: le nombre conſiderable des Prelats, qui s'accrut encore dans la ſuite, forma une Aſſemblee tres reſpectable. L'ouverture s'en fit le 16. du mois d'Octobre de l'annee 1713. chez Monſeigneur le Cardinal de Noailles. Apres que les ceremonies accoutumees eurent eſte obſervees, Monſeigneur le Cardinal de Noailles nomma ſix Commiſſaires, pour travailler aux moyens, qu'ils eſtimeroient les plus convenables pour l'acceptation de la Bulle. Monſeigneur le Cardinal de Rohan fut le Chef de cette Commiſſion, compoſee de Meſſeigneurs les Archeveſques de Bordeaux & d'Auſch, & de Meſſeigneurs les Eveſques de Soiſſons, de Meaux, & de Blois. Meſſeigneurs les Commiſſaires ſe ſont aſſemblez pendant trois mois, preſque tous les jours, chez Monſeigneur le Cardinal de Rohan, & quelquefois chez Monſeigneur le Cardinal de Noailles, qui aſſiſta tres ſouvent aux ſeances de la Commiſſion. Nous ne ſçaurions vous exprimer aſſez dignement quelle a eſte l'etendue & l'exactitude de leur travail. Les diſcours qu'on oſoit tenir contre la Conſtitution, les libelles repandus de tous coſtez, la protection que le livre* des Reflexions *trouvoit ſur tout dans quelques eſprits prevenus; tous ces motifs engagerent Meſſeigneurs les Commiſſaires a ſe mettre en eſtat de combattre ceux, qui connoiſſant le livre* des Reflexions *en ſoutenoient les erreurs avec opiniatrete, & de pouvoir expoſer aux yeux de ceux qui l'approuvoient ſans le connoitre, le venin dont ce livre eſtoit rempli.*

*Meſſeigneurs les Commiſſaires commencerent le Rapport le 15. Janvier 1714. il dura ſix ſeances entieres. Monſeigneur le Cardinal de Rohan, qui avoit porte la parole, au nom de Meſſeigneurs les Commiſſaires, prouva invinciblement qu'il n'y avoit aucune des propoſitions condamnees, qui ne meritat quelqu'une des qualifications portees dans la Bulle, & qu'il n'y avoit aucune des qualifications, qui ne put tomber juſtement ſur pluſieurs ou ſur quelquesunes des Propoſitions cenſurees.*

*L'Aſſemblee delibera enſuite pendant trois ſeances ſur l'acceptation de la Conſtitution: Noſſeigneurs les Prelats opinerent avec une erudition, qui prouva aiſement que chacun avoit travaille avec la meſme attention, que s'il eut eſt ſeul charge de cette importante affaire.*

*Le Mardi 23. Janvier 1714. Monſeigneur le Cardinal de Noailles pria Monſeigneur le Cardinal de Rohan & Meſſeigneurs les Commiſſaires de faire l'Inſtruction Paſtorale qui devoit prevenir les nouvelles diſputes, & premunir contre les mauvaiſes interpretations des perſonnes mal intentionnees. Monſeigneur le Cardinal de Rohan, qui avoit prevu qu'il* pour-

*pourroit eſtre chargé de cet ouvrage, en avoit preparé la matiere; il y avoit employé toute ſa capacité, & tous les talens, qui le rendent ſi recommandable. Il le ſoumit a l'examen de Meſſeigneurs les Commiſſaires, & de tous Noſſeigneurs les Prelats: il en remit un exemplaire a Monſeigneur le Cardinal de Noailles, qui y fit ſes remarques, & qui furent exactement ſuivies. Enfin, apres avoir conſulté des Docteurs de differentes Ecoles; & apres pluſieurs ſages reflexions, l'Inſtruction Paſtorale fut lue & approuvee: & Noſſeigneurs les Prelats declarerent qu'ils l'adoptoient, & qu'ils s'en ſerviroient dans leurs dioceſes, en y faiſant publier & recevoir la Conſtitution.*

*Il vous eſt aiſé, MONSEIGNEUR, de voir, que jamais aucune des Aſſemblees precedentes n'a recu de Conſtitution avec plus de reſpect pour le ſaint Siege, plus de dignité pour l'Epiſcopat, plus de travail & plus d'attention pour l'importance de la matiere. Vous en ſerez plus convaincu, quand vous aurez recu le Procez verbal, qui en contient tous les Actes. Nous vous ſupplions, MONSEIGNEUR, de vouloir bien nous donner avis de l'acceptation, que vous aurez faite de la Conſtitution de noſtre ſaint Pere le Pape. Voſtre reponſe, que nous devons mettre aux archives du Clergé, y ſervira de temoignage authentique de voſtre parfaite union avec le ſaint Siege & avec l'Aſſemblee, qui la deſire ardemment.*

*Nous ſouhaittons avec le meſme empreſſement, qu'en cette importante occaſion, vous ayez nos ſervices pour agreables. Le nombre des pieces du Recueil, que nous vous adreſſons, vous fera aſſez connoiſtre qu'il nous eſtoit difficile de ſatisfaire plus promptement vos deſirs & ceux du public. Nous ſommes avec reſpect,*

MONSEIGNEUR,

Vos très-humbles & très-obéiſſans ſerviteurs, les Agens generaux du Clergé de France, L'ABBE DU CAMBOUT, L'ABBE' DE BROGLIE.

*A Paris, le 10. de Mars 1714.*

X I.

## BREVE S.D.N. CLEMENTIS XI.

### AD CARDINALES, ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS

Pariſiis congregatos.

### CLEMENS PP. XI.

DILECTE fili noſter, ac venerabiles fratres, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex litteris veſtris, Nonis Februarii mox elapſi ad nos datis, libenter accepimus, omni [illegible] ſanctam hanc Sedem obſequio ac veneratione, majorum veſtrorum veſtigiis inhærentes, [illegible] nuper a nobis Apoſtolicam Conſtitutionem ſuſcepiſſe, ſummoque etiam gaudio amplexos fuiſſe: nec [illegible] ſtudio ac diligentia pro muneris veſtri debito curaturos, ut ab omnibus regimini veſtro commiſſis, pari[illegible] ac fide inviolate ſervetur. Eam proinde conſtantem vigilantiam, quam pro eradicandis ex agro Dominico damnatis erroribus tam alacriter ſpondetis: illum itidem indefeſſum zelum, quo pro ſanæ doctrinæ veritate cuſtodienda eximie flagratis: illam denique fidem, qua ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ indivulſo inter vos vinculo cohæretis, plurimum commendantes; quod, ſicut cauſa poſcebat, fiduciam noſtram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxiſtis, multa exſultatione gaudemus.

Diſſimulare quidem non poſſumus moleſtum nobis initio acccidiſſe, quod rationabilis obſequii veſtri erga prædictam Conſtitutionem præclarum adeo teſtimonium, longius plane, quam par erat, protraxeritis; cum præſertim creſcentia iſthic in dies pernicioſarum novitatum germina celeriorem Apoſtolici noſtri Judicii exſecutionem poſtulare viderentur. Verum omnem prorſus moleſtiam depoſuimus, ubi reſcivimus cunctationem veſtram, quemdmodum vos palam ac ſæpius profeſſi fuiſtis, non quidem animo ſubjiciendi examini aut judicio veſtro decreta noſtra, ſed ſtudio dumtaxat conciliandæ eccleſiaſticæ pacis, & lucrandi, ſi fieri poſſet, nonnullos ex fratribus veſtris in ſpiritu manſuetudinis & diligentia caritatis, eſſe tribuendam. Atque utinam re ipſa id aſſequi licuiſſet! Non enim Nos, non Gallia, non Eccleſia ingemiſceret, paucos ex vobis a reliquo cœtu divulſos, debitæ nobis obedientiæ, ſub inani prætextu quærendi novas declarationes, interminatis intendendo quæſtionibus, moras interponere; quod utique ſine maximo paterni cordis noſtri dolore referre non poſſumus.

Quam tamen vos ea in re adhibendam putaſtis, ut pote fraternitatis amatores, ſedulitatem, patientiam, & longanimitatem, ultro laudamus: nec ſane diffidimus id, quod tam enixe optaſtis, vos tamdem aſſecuturos eſſe; illoſque, qui contradixerunt, ad cor redituros; conſtanti præſertim cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Chriſtianiſſimi religione ac zelo opitulante, pro tuenda veſtris in regionibus illibatæ fidei unitate, quæ ſub una beati Petri cathedra firmiter coaleſcit; quamque nos modis omnibus & integram ſervare parati ſumus, & vel in minimo labefactari, pro commiſſa nobis divinitus omnium eccleſiarum ſollicitudine, pati omnino non poſſumus.

Floreat ergo, noviſque in dies feliciter proficiat incrementis per ampliſſimum Galliæ regnum, quam tanto ſtudio ac labore detectis & apertiſſime profligatis erroribus, aſpirante Domino, elucidatam univerſis nuper Chriſti fidelibus annunciavimus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Fides; vobiſque, pro omnimoda exactaque prorſus Apoſtolicæ noſtræ Conſtitutionis exſecutione nobiſcum ſtrenue adlaborantibus, humilis Chriſti grex, paſcua ſalutis exſpectans, doctrinis variis & peregrinis amplius non diſpergatur; ſed in caulam Domini congregatus, e cathedra unitatis doctrinam ſuſcipiat veritatis.

Interea Nos, dum teſtata nobis devotionis veſtræ conſilia libenter amplectimur, & ſaniora a diſſidentibus fratribus præſtolamur, *Deum patientiæ & ſolatii* jugiter orare non deſiſtemus, *det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum*; cujus nomine vobis omnibus Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die decima ſeptima Martii, anno milleſimo ſeptingenteſimo decimoquarto, Pontificatus noſtri anno decimo quarto.

J.C. BATTELLUS.

*Et au dos eſt ecrit*, Dilecto filio noſtro ARMANDO GASTONI S. R. E. Presbytero Cardinali de ROHAN nuncupato, necnon venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, in Comitiis Pariſienſibus congregatis.

X I I.

## LETTRE DE MESSIEURS

### LES AGENS GENERAUX

### DU CLERGE' DE FRANCE,

A Noſſeigneurs les Prelats du Royaume, en leur adreſſant le Bref de ſa Sainteté, du 17. de Mars 1714.

MONSEIGNEUR,

*Sa Sainteté ayant bien voulu honorer Monſeigneur le Cardinal de Rohan & Meſſeigneurs les Eveſques, qui ont compoſé la derniere Aſſemblee du Clergé, d'un Bref daté du 17. de Mars de cette annee, en reponſe a la Lettre qu'ils avoient eu l'honneur de luy ecrire le 5. de Fevrier dernier; ſon Eminence ſuivant les ordres du Roy, vient de nous le remettre entre les mains pour le faire imprimer; & en meſme temps pour l'adreſſer a tous le Prelats de ſon Royaume. Vous y verrez, MONSEIGNEUR, combien le Souverain Pontife eſt ſatisfait de la conduite de l'Aſſemblee, dans l'acceptation de ſa Conſtitution du 8. de Septembre 1713. Les eloges que la meſme Aſſemblee recoit par ce Bref, donnent a ſes Deliberations une nouvelle force & un nouveau degré d'autorité, qui doivent les rendre encore plus reſpectables a tout le monde. Nous profitons avec plaiſir de cette occaſion pour vous marquer le reſpect, avec lequel nous ſommes,*

MONSEIGNEUR,

Vos très-humbles & très-obéiſſans ſerviteurs, les Agens generaux du Clergé de France, L'ABBE' DU CAMBOUT, L'ABBE' DE BROGLIE.

*A Paris, le 10. Avril, 1714.*

X I I I.

## DECRETUM

### SACRÆ FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

### SUPER CONSTITUTIONE

### S.D.N. PAPÆ CLEMENTIS XI.

Lata adverſus librum, cui titulus eſt Gallice, *Le Nouveau Teſtament en François avec des Reflexions Morales, &c.* quæ incipit, UNIGENITUS, recipienda & obſervanda.

*Die Jovis prima menſis Martii 1714.*

ANNO Domini 1714. die Jovis prima menſis Martii, habita ſunt in Aula Collegii Sorbonæ, poſt Miſſam de Spiritu ſancto pro more ſolemniter celebratam, Comitia Sacræ Facultatis generalia, in quibus

Sapientiſſimus Magiſter Carolus le Rouge Syndicus, dixit hodiernis in Comitiis occurrere magni momenti proponendum ſacro Ordini negotium. Accerſitos heri ſerotinis horis a Sereniſſimo Principe Eminentiſſimo Cardinali de Rohan, Epiſcopo & Principe Argentinenſi, magno Franciæ Eleemoſynario, &c. venerabilem D. Decanum, ſex e ſenioribus ſapientiſſimis Magiſtris noſtris, & ſe Syndicum: quibus Sereniſſimus & Eminentiſſimus Cardinalis, conſignatis Regis litteris ad ſacram Facultatem directis, una cum recenti Conſtitutione S. D. N. Papæ Clementis XI. ſub data Romæ, ſexto Idus Septembris, anno 1713. ſignificavit mentem Regis eſſe, ut ſacra Facultas miſſo quocumque alio negotio, vacet huic recipiendæ Conſtitutioni; eaque omnia ſtatuat, quibus illa totam, ut par eſt, in ſcholis obtineat auctoritatem.

Tum D. Syndicus poſtulavit ut legerentur litteræ Regis & Conſtitutio Apoſtolica; quibus lectis, D. Syndicus ſubjunxit:

Oportere eſſe hæreſes, juxta Apoſtolum: ſed ſingulari Dei providentia numquam non ſuſcitari viros fortes in fide, alioſque ſuprema auctoritate præpollentes, qui eas vel in ipſis incunabulis ſuffocent, aut jam adultas extinguant: atque hujuſce divinæ bonitatis & providentiæ ſplendidum exſtare argumentum in hæreſi Janſeniana: quæ ut primum viſa eſt attollere caput, ſtatim damnata ab Innocentio X. Pontifice: tum ſinuoſos in gyros ſerpentis inſtar ſeſe circumvolvens, ab Alexandro VII. novis Conſtitutionibus editoque Formulario contrita, ac demum per Clementem XI. uno altero profligata eſt Diplomate: Hocce vero poſtremum Decretum æternum fore Sanctiſſimi Pontificis vigilantiſſimæ ſollicitudinis monumentum: quo nempe cernere eſt, quanto amore, quanta cura ſupremus ille Paſtor oves ſibi a Chriſto, cujus Vicarius eſt, commiſſas, abducat a paſcuis venenatis: quanto lucis radio offuſas puriori doctrinæ nebulas diſcutiat & diſſipet: quam provido & forti conſilio renaſcentia ex damnabili ſtipite virgulta diſrumpat, ultimas evellat fibras,

bras, & omnia elidat ſemina. In haccc autem poſtulanda Conſtitutione non ſatis prædicari poſſe conſtans & religioſiſſimum ſtudium Chriſtianiſſimi Regis, qui non minus pro integritate fidei, quam pro Regni adminiſtratione ſollicitus, non ſolum regium, ſed & vere ſacerdotalem animum exhibet. Ceterum miſſam ad ſacram Facultatem præſentem Conſtitutionem, novam eſſe auguſtiſſimi Regis erga hunc ſacrum Ordinem ſingularis fiduciæ & amoris teſtimonium.

Itaque requirere ſe, ut ſacra Facultas ſolemni decreto præfatam Bullam ſummi Pontificis Clementis XI. quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, cum debita reverentia atque obſequio recipiat, eamque una cum Regis litteris in ſuas Tabulas jubeat referri: provideatque ſtrictis cautionibus, etiam ſub pœna excluſionis e gremio Sacræ Facultatis ipſo facto incurrenda; ne quis contra deciſiones in ea contentas aliquid dicat, doceat, aut proponat, illamque ulla ex parte violare aut labefactare præſumat; ac demum in ea Conſtitutione recipienda, eadem omnia præſtet, quæ præſtitit in admittenda altera Conſtitutione ejuſdem Clementis XI. quæ incipit, *Vineam Domini Sabaoth*, directa ad ſacram Facultatem litteris Regis, die 30. menſis Auguſti anno 1705. decernatque Regi Optimo gratulationes & gratiarum actiones ampliſſimas.

Quæ cum miſſa eſſent in deliberationem ab honorando domino magiſtro Franciſco Huart, ſacræ Facultatis Decano, & Comitiorum Præſide; & cum aliqui e ſenioribus Magiſtris vota emiſiſſent, audita hora ſeſquiundecima, prorogata ſunt Comitia ad diem ſabbati tertiam menſis Martii.

Die ſabbati tertia Martii habita ſunt in Aula Collegii Sorbonæ ſacræ Facultatis. Comitia Generalia, ad eam diem prorogata; in quibus D. Syndicus expoſuit, accerſitos iterum a Sereniſſimo Principe Cardinali de Rohan, venerabilem D. Decanum, ſex e ſenioribus, & ſe Syndicum: ipſiſque traditas ab eodem Principe ſecundas ad ſacram Facultatem Regis litteras, quibus Rex Chriſtianiſſimus ſignificabat accepiſſe ſe, nonnullos ex Magiſtris inchoatæ deliberationi moras injicere voluiſſe; ſuamque adeo voluntatem eſſe, ut abſque mora res abſolveretur.

Atque iis palam lectis in ſacra Facultate, idem D. Syndicus dixit, teneri ſe ex officii ſui ratione monere ſacram Facultatem:

1. Semper ſumma cum obſervantia, & ſine ulla exceptione, nullave adjecta clauſula, receptas fuiſſe a ſacra Facultate Conſtitutiones ſummorum Pontificum, a Rege ad ipſam miſſas.

2. Præſentem Conſtitutionem ab epiſcopis magno numero, juſſu Regio ad id ſpeciatim congregatis, ſumma veneratione & obſequio acceptatam: tum ſubinde Patentibus Regiis litteris ad ſupremum Senatum Pariſienſem datis, ab eodem fuiſſe ſolemni Arreſto relatam in acta Curiæ.

3. Sacram Facultatem corpus eſſe omnino liberum, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectum, quod ſub unius Chriſtianiſſimi Regis auctoritate comitia ſua habeat, & functiones ſeu munia ſua exerceat.

Quibus præmiſſis, poſtulavit ut inchoata pergeret deliberatio: quæ cum abſolvi non potuiſſet, audita hora ſeſquiundecima, prorogata ſunt Comitia ad diem Lunæ quintam Martii.

Die Lunæ quinta Martii, habita ſunt comitia in aula Sorbonæ ad hanc diem prorogata: in quibus abſoluta deliberatione SS. MM. qui magno numero adfuerunt, ſacra Facultas iiſdem inhærendo quæ acta & decreta ſunt in recipienda altera Bulla ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis, quæ incipit, *Vineam Domini Sabaoth*, ſic cenſuit:

1. Conſtitutionem ſummi Pontificis Clementis Papæ XI. quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, ſumma cum reverentia atque obſequio recepit & amplexa eſt.

2. Præfatam Conſtitutionem juſſit una cum litteris Regis ſuos in Commentarios referri.

3. Omnibus & ſingulis Magiſtris, Doctoribus, Baccalaureis & Candidatis præcepit, ut pari etiam obſequio dictam Bullam ſeu Conſtitutionem colant & obſervent; prohibuitque ſub pœna ipſo facto incurrenda excluſionis ab omni gradu & ſpe Magiſterii, ne quis ſcripto factove, definitis in dicta Bulla ullatenus adverſetur.

4. Nominavit D. Decanum, & ſex ſeniores cum D. Syndico, qui Sereniſſimo Principi Eminentiſſimo Cardinali de Rohan actis gratiis ob ſingularem erga ſacrum Ordinem & Magiſtros benevolentiam, ipſi renuncient quid a Sacra Facultate hodierna die ſancitum fuerit: rogentque ut pro ea qua pollet apud Regem Chriſtianiſſimum gratia, impetrare velit ſacræ Facultati copiam per ſapientiſſimos magiſtros, Decanum, ſex Seniores & Syndicum, adeundi Regiam Majeſtatem, ad gratulandum ipſi perpetuam & conſtantem voluntatem de Religione & eccleſia bene merendi; ſimulque ad referendas ampliſſimas gratias ob miſſam ad ſacrum Ordinem, quod magno ille ducit honori, Apoſtolicam Conſtitutionem.

Actum Pariſiis in Facultatis Theologicæ generalibus Comitiis apud Sorbonam, anno, menſe & diebus ſupradictis: & confirmatum die decima ejuſdem menſis & anni.

*Du Boſc*, Scriba.

Die decima quarta Martii, in exſecutionem concluſionis latæ die quinta ejuſdem menſis, Deputati Verſalias ſe contulere. Officiis & gratia tum Sereniſſimi Principis Cardinalis de Rohan, tum D. D. Comitis de Pontchartrain, in ſecretius Regis cubiculum honorifice admiſſi Regem ſalutarunt: eique ampliſſimas & humillimas gratias retulere, ob miſſam ad ſacrum Ordinem ſingulari benignitate recentem Clementis XI. Conſtitutionem. Deputatos ſumma cum humanitate excepit Rex optimus; & audita deputatorum antiquioris brevi oratione, pro nativa ſua gratia & majeſtate repoſuit: Sibi maxime grata & accepta fuiſſe, quæ ad recipiendam & obſervandam Conſtitutionem Facultas decreverat; duxiſſe ſe ſui eſſe officii hanc a ſummo Pontifice poſtulare Conſtitutionem adverſus librum, quem nos ipſi exitioſum eſſe modo aſſeverabamus; eamque directam voluiſſe ad Theologum Pariſienſium Ordinem, quem plurimi ſemper fecerat, & benevola ac propenſa voluntate proſequebatur; in Facultate Pariſienſi certam fiduciam ſemper habuiſſe, firma ſpe ductum fore, ut numquam illa a priſtino ſuo erga Religionem amore & ſtudio deficeret; non dubitare ſe, quin decretum noſtrum quantocius typis mandari, ac juris publici fieri curaremus; cum æquum ſit & rationi maxime con-



ſentaneum, ea quæ ſunt optima, latiſſime diffundi: Ceterum monere ſe ac jubere, ut caute Facultas provideat, ne quid in ſcholis contingat, quod debitam Conſtitutioni Apoſtolicæ reverentiam vel minimum lædere, aut damnatis in ea propoſitionibus favere poſſit; adeoque ſedulo invigilet iis omnibus arcendis propulſandiſque opinionum placitis, quæ Janſenianam redoleant hæreſim, religioni æque ac Regni ſui tranquillitati adverſam. Demum ſuam regiam opem & auctoritatem nobis polliceri, quam promptam ſemper ac paratam, ubi adimplendi officii noſtri ratio poſtulabit, experturi ſumus.

## XIV.

## DECLARATIO SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ DUACENSIS CIRCA CONSTITUTIONEM APOSTOLICAM quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*.

*In Congregatione habita die 3. Auguſti, hora 8. matutina 1714.*

EXimius dominus decanus ſacræ Facultati expoſuit, ſummum Pontificem, qui hodie Eccleſiæ feliciter præeſt, menſe Septembri anni proxime elapſi edidiſſe Conſtitutionem dogmaticam, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, qua proſcribuntur una & centum propoſitiones excerptæ ex peſtilenti opere pariter proſcripto, cui titulus Gallicus, *le Nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions morales ſur chaque verſes &c. à Paris* 1699. Aliter vero: *Abregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de ſaint Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe; ou Penſées Chreſtiennes ſur le texte de ces Livres ſacrez, &c. à Paris* 1693. & 1694. Se quidem non dubitare, quin eximii collegæ illam Conſtitutionem privatim ex corde ſuſceperint; ſibi tamen videri neceſſarium, ac tempori congruentiſſimum, ut ſacra Facultas illam ſolemniter acceptet, eamque actis ſuis inſeri curet; tum ad ædificationem ſtudioſæ juventutis, aliorumque fidelium; tum ad contradicentes redarguendos; tum ad relinquendum poſteritati illuſtre exemplum profeſſionis Fidei, ac ſinceræ erga Sedem Apoſtolicam obedientiæ: ſe ad hunc finem poſtulare, ut primum alta voce legatur præfata Conſtitutio coram eximiis dominis.

Laudarunt omnes zelum & vigilantiam eximii domini decani, ejuſque poſtulationi libentes annuerunt. Abſoluta lectione Conſtitutionis, convocata eſt ſacra Facultas in diem 3. menſis ſequentis: ut poſito aliquo intervallo, præpararent ſeſe ſinguli, ad teſtandam obedientiam ſuam eo modo, qui efficacior, ac Theologis Chriſtianis dignior videretur.

*In Congregatione habita die ultima Julii, hora 10. matutina*, 1714.

Poſtquam Eximii domini, occaſione novæ Conſtitutionis, multa protulerunt de primatu juriſdictionis, ſeu ſuperioritatis, quem ſanctus Petrus, ejuſque ſucceſſores jure divino obtinent in omnes totius orbis Chriſtiani epiſcopos & fideles; de ſchiſmate vitando, & ſervanda Reipublicæ Chriſtianæ unitate ac tranquillitate; de ingentibus malis, quæ non ſolum in Hierarchiam eccleſiaſticam, ſed etiam in rempublicam civilem ejuſque Principes redundant ex ſchiſmate; de neceſſaria unione membrorum eccleſiæ cum ejus capite viſibili per fidem & obedientiam, ad tuendam Corporis myſtici unitatem; de valore & robore conſtitutionum dogmaticarum independenti a gloſſis & interpretationibus acceptantium; de cavillationibus, quibus aliqui utuntur, ut novam Conſtitutionem Pontificiam reſpuant, aut eludant; ſignificarunt, ac profeſſi ſunt omnes unanimiter & aperte;

Se Conſtitutionem Apoſtolicam, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, recipere pure, ſimpliciter, ſine ulla diſtinctione, expoſitione, ſeu interpretatione, & cum plena ac ſincera mentis adhæſione ad ea omnia, quæ in illa definiuntur.

Se proinde unam & centum propoſitiones, ſicut & opus ex quo excerptæ ſunt, ſub iiſdem cenſuris damnare, ſub quibus in præfata Conſtitutione damnantur.

Se & reliquos fideles obligari in conſcientia, & ſub graviſſimo ſchiſmatis aut hæreſis peccato, ad hanc fidei conſenſionem.

Sibi perſuaſum eſſe, novam Conſtitutionem comparatam ad rerum Theologicarum peritos, ad humiles ac obedientes eccleſiæ filios, non minus eſſe claram, quam quæ alias editæ ſunt adverſus Wicleffum, Joannem Huſſ, Lutherum, Bayum, Janſenium, Molinos, & Caſuiſtas laxiores ac rigidiores, &c. quam multi Canones a Conciliis generalibus conditi. Ceterum illam non minus acceptandam, etſi reſpectu aliquorum privatorum, aliqualiter obſcura foret; quemadmodum Biblia Vulgatæ verſionis ab omnibus recipiuntur, etſi non pauca in iis ſint obſcura: illos vero, qui Conſtitutionem non niſi explicatam recipere volunt, non ipſam Conſtitutionem, ſed ſuas explicationes præconceptis opinionibus conformes recipere; illos non obedire voci Paſtoris, ſed propriis placitis ſuperbe & pertinaciter inhærere; Lutheranos & Calviniſtas etiam paratos recipere quaſvis Conſtitutiones Pontificias, ipſumque Concilium Tridentinum, ſub explicationibus ſibi placentibus.

Suo, ac evidenti conſtare judicio, quod Tridentinum non reliquerit ſcholis Catholicis libertatem tuendi certas opiniones, aut certa ſyſtemata, ratione cujus conſtitutiones dogmaticæ, quæ iis ſcholarum placitis viderentur contrariæ, reſpui poſſent: hanc cavillationem viam aperire innovandis multis propoſitionibus damnatis, quæ alias in ſcholis defenſæ ſunt.

Se generatim rejicere omnes fraudes & cavillationes, quibus aliqui Novatores vim præfatæ Conſtitutionis infringere conantur: ac ſimul vehementiſſime hortari diſcipulos, ut hodie præſertim caveant a lupis rapacibus ovina pelle indutis; ab hominibus ſuperbis habentibus ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantibus: ut identidem legant tractationem perutilem Franciſci Simonis *De fraudibus hæreticorum*, aut librum Gallicum ex priori excerptum, cui titulus, *Les artifices des Heretiques*: unde intelligent antiquos hæreticos iiſdem artibus uſos, quibus moderni Novatores utuntur.

Maxime mirum eſſe, quod aliqui ſe catholicos vocitantes, præfatas propoſitiones aut nolint anathematizare, aut ægre anathematizent; cum omnes fere, pauciſſimis exceptis, in antiquis & recentioribus profanarum novitatum auctoribus, a Conciliis generalibus, & ſummis Pontificibus prædamnatæ ſint.

Se cum Chriſti gratia paratos mori pro æquitate, veritate, ac robore præfatæ Conſtitutionis, quam ad perpetuam & vegetam rei memoriam actis ſacræ Facultatis inſeri voluerunt ac juſſerunt.

Se numquam paſſuros, ut nullus ad ſacræ Facultatis gradus promoveatur, qui vel leviter ſuſpectus fuerit de inobedientia erga ſæpe dictam Conſtitutionem; aut qui circa illam interrogatus, tergiverſatus fuerit, vel non reſponderit conformiter huic ejuſdem Facultatis profeſſioni.

Actum eſſe de epiſcopatu, & univerſa Eccleſiæ Hierarchia, ſi conceſſa a Deo Sedis Apoſtolicæ jura non aſſerantur firmiter, ut probant luculentiſſima, ſed triſtiſſima multorum regnorum ac provinciarum Orientis & Occidentis exempla; ubi clerus, contempto illius Sedis primatu & privilegiis in eo contentis, ſine honore, ſine juriſdictione, immo & ſine

ſine bonis ad ſuſtentationem decentem neceſſariis aut convenientibus, in pudendam & miſerabilem poteſtatis laicæ ſervitutem redactus eſt. Illos hodie ſeipſa, efficaciſſime & per cuniculos adverſari Sedis Apoſtolicæ principatui, qui quidem vacuum & inane primatus Pontificii vocabulum retinent & prædicant, ſed ſolemnibus fidei decretis ex Petri cathedra manantibus pertinaciter obſiſtunt.

Peracta hac fidei & obedientiæ teſtificatione, petiit eximius D. Decanus, an non placeret ſacræ Facultati, ut ad inſtructionem ſtudioſæ juventutis, aliorumque fidelium colligerentur, & his annecterentur aliquot præclara antiquitatis teſtimonia, ex quibus manifeſtum fieret, quantum Sedis Apoſtolicæ decretis dogmaticis deferendum ſit. Conſilium probarunt eximii DD. congregati: ideoque ſacra Facultas in diem 17. ejuſdem menſis hora 2. pom. convocata eſt.

*In Congregatione habita die 17. ejuſdem menſis hora 2. poſt meridiem.*

Placuit ſacræ Facultati, ut ex ſcriptoris, ſummis Pontificibus, Conciliis, Patribus, aliiſque auctoribus eccleſiaſticis ſequentia teſtimonia proferantur, illaque in quatuor claſſes diſtributa præcedentibus actis adjungantur: quibus demonſtretur, neceſſe eſſe ut fideles cum Petro, ejuſque ſucceſſoribus eccleſiam paſcentibus, ſeu ex cathedra docentibus, perpetuo conſentiant, niſi ab ovili Chriſti ut oves putridæ ſejungi velint.

*Poſt teſtimonia e ſacris litteris & aliunde deſcripta prolixe, ſequuntur*

SUBSCRIPTIONES.

Infraſcripti ſacram Facultatem Theologicam Duacenſem repræſentantes, huic declarationi complectenti trium Congregationum ejuſdem Facultatis Acta, quam in omnibus noſtram eſſe cognoſcimus, & libenter profitemur, ſubſcripſimus hac die 17. Auguſti 1714.

NICOLAUS JOSEPHUS DE LA VERDURE, *prædictæ Facultatis Theologicæ Doctor, & Profeſſor Primarius, inſignis Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Amati Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectæ Decanus & Canonicus, & ejuſdem Univerſitatis pro tempore Decanus.*

NICOLAUS B. DERREZ, *ſacræ Theologiæ Doctor, Linguæ ſanctæ Profeſſor Regius, Seminarii Montartiani per viginti quinque annos alias Præſes.*

A. DELCOURT, *Facultatis Theologicæ Duacenſis Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius, Seminarii Regii Præſes, inſignis eccleſiæ Collegiatæ ſancti Petri Præpoſitus, & Univerſitatis Duacenæ Cancellarius.*

J. M. AMAND, *Facultatis Theologicæ Duacenſis Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius, inſignis eccleſiæ Collegiatæ ſancti Petri Decanus & Canonicus, Seminarii Beatæ Mariæ Virginis Præſes.*

J. DEMARCQ, *Facultatis Theologicæ Duacenſis Doctor, ac Regius Ordinariuſque Profeſſor, inſignis eccleſiæ Collegiatæ ſancti Amati Præpoſitus, ac Univerſitatis Duacenæ Cancellarius, necnon Seminarii Torreani Præſes.*

J. DUBOIS, *ejuſdem Facultatis Theologicæ Doctor admiſſus, ac Regius Ordinariuſque Profeſſor, inſignis eccleſiæ Collegiatæ ſancti Amati Canonicus, necnon Seminarii Tornacenſis Præſes.*

Infraſcripti ſacræ Theologiæ Licentiati huic Declarationi Facultatis Theologicæ Duacenſis, matris noſtræ, libentes ſubſcribimus.

F. MICHAEL CARMOIS, *Facultatis Theologicæ Duacenſis Licentiatus, olim in Collegio ſancti Thomæ Aquinatis Duaceno Theologiæ Regens Primarius, in ſuo FF. Prædicatorum Ordine antiquus Magiſter, & pluries majoris Conventus Duacenſis ſanctæ Crucis Prior.*

A. LAUBEGEOIS, *ſacræ Theologiæ Licentiatus, & Seminarii Hattuani Præſes.*

PETRUS JOSEPHUS LANCRY, *presbyter,*

A *ſacræ Theologiæ Licentiatus.*

J. MOTQUIN, *presbyter, Canonicus inſignis eccleſiæ Collegiatæ ſancti Petri, ſacræ Theologiæ Licentiatus & Seminarii Fidei Præſes.*

A. LE ROY, *ſacræ Theologiæ Licentiatus, & eccleſiæ beatæ Mariæ Urbis Duacenſis parochus.*

*Infraſcriptus presbyter, ſacræ Theologiæ Licentiatus, Seminarii Hayniani Præſes, libens ſubſcribo huic Declarationi ſacræ Facultatis Theologicæ Duacenſis, circa acceptationem puram, ſimplicem, & ſine explicatione Conſtitutionis Pontificiæ, quæ incipit,* Unigenitus Dei Filius. P. PIERART.

*Infraſcriptus ſacræ Theologiæ Licentiatus, eccleſiæ ſancti Nicolai Duaci parochus Urbis, ejuſdem Chriſtianitatis Decanus, necnon Officialitatis Atrebatenſis Vicesgerens, idem ſentio* M. LE FEBURE.

B *Idem ſentio* F. EDUARDUS CHORLEY. *R. Anglo-Benedictinus S. Theol. Licentiatus.*

Infraſcripti ſacræ Theologiæ Profeſſores in Univerſitate Duacena libenter ſubſcribimus huic declarationi ſacræ Facultatis Duacenſis circa acceptationem puram, ſimplicem & ſine explicatione Conſtitutionis Pontificiæ, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, prout continetur præſertim in ſecunda Congregatione præfatæ Facultatis.

EDOARDUS DICCONSON, *Collegii Anglorum Duaceni Vice-præſes, & ibidem ſacræ Theolog. Profeſſor.*

RICHARDUS KENDALL, *in eodem Collegio ſacræ Theologiæ Profeſſor, & Studiorum Præfectus.*

F. DAMASUS A S. ANTONIO, *Prior Carmelitarum, & ſacræ Theologiæ Lector emeritus.*

C F. AUBERTUS A S. DIONYSIO, *definitor Ordinis Carmelitarum, & antiquus ſacræ Theologiæ Lector.*

F. GASPAR A S. LEONE, *Ordinis Carmelitarum, ſacræ Theologiæ Lector emeritus.*

F. AUGUSTINUS CRESPIN, *R. Auguſtinianus Eremitarum ſancti Auguſt. ſacræ Theologiæ Profeſſor.*

F. JOANNES REMIGIUS MOURA, *Guardianus Recoll. VVallonum, antiquus ſacræ Theolog. Lector.*

F. NICOLAUS FRANCISCUS HENNAY, *Recoll. VVallo, ſacræ Theologiæ Lector.*

F. BRUNO CANTRILL, *ſacræ Theologiæ Lector apud Recollectos Anglo-Duacenos.*

F. BERNARDINUS CLIFTON, *apud eoſdem ſacræ Theologiæ Lector.*

JOANNES SPEYER, *e Societate Jeſu, in Collegio*

D *Aquicinctino ſacræ Theologiæ Profeſſor Academicus.*

GEORGIUS DESCHAMPS, *e Societate Jeſu, in Collegio Aquicinctino ſacræ Theologiæ profeſſor Academicus, & Matheſeos profeſſor Regius.*

F. CORNELIUS a S. JOSEPH. *Carmelita Diſcalceatus, ſacræ Theologiæ profeſſor.*

*Infraſcriptus libens etiam ſubſcribo Declarationi ſacræ Facultatis Theologicæ Duacenſis circa acceptationem puram, ſimplicem, & ſine explicatione, Conſtitutionis Pontificiæ, quæ incipit,* Unigenitus Dei Filius. *Actum Duaci 7. Septembris 1714.*

CAROLUS LOCQUENEUX, *Artium Doctor, & Collegii Regii Duacenſis Regens Principalis.*

*Infraſcriptus ſancti Amandi Religioſus, & in Seminario Amandino Duaceno Theologiæ profeſſor & præ-*

E *ſes, pure, ſimpliciter, & ſine explicatione accepto Conſtitutionem Pontificiam, quæ incipit,* Unigenitus Dei Filius, *de qua Declaratio ſacræ Facultatis Theologicæ Duacenſis. Actum Duaci, 10. Septembris, 1714.*

D. MAURONTUS DUELIN.

*Infraſcriptus libens ſubſcribo Declarationi ſacræ Facultatis Theologicæ Duacenæ, & pure, & ſimpliciter cum ipſa, & ſine explicatione accepto Conſtitutionem Pontificiam, quæ incipit,* Unigenitus Dei Filius. *Actum Duaci, in Conventu noſtro FF. Min. Capucin. die 10. Sept. 1714.*

F. FREDERICUS, Inſul. *Theol. Lector, Guardianus dicti noſtri Conventus Duaceni.*

# CONCILIUM ROMANUM

*In Sacroſancta Baſilica Lateranenſi*

CELEBRATUM

Anno Univerſalis Jubilæi MDCCXXV.

*A Sanctiſſimo Patre, & Domino Noſtro*

BENEDICTO PAPA XIII.

Pontificatus ſui Anno I.

ROMÆ, Typis Bernabò, Anno MDCCXXV.
Sumptibus Franciſci Giannini Bibliopolæ
SUÆ SANCTITATIS.

*Cum Privilegio Summi Pontificis.*

# CONCILIUM ROMANUM

## A Benedicto XIII. congregatum.

## INDICTIO ROMANI CONCILII.

### BENEDICTUS PAPA XIII.

REDEMPTOR Noſter, qui plantavit vineam ſuam electam, eamque locavit agricolis, ut redderent fructum temporibus ſuis, vigilantiam potiſſimum cuſtodibus commendavit, ut, ſi quæ mala germina ſuccreviſſent, provida ſolicitudine evellerent, ac diſſiparent, & per aſſiduum boni ſeminis cultum, optimas in horrea, copioſaſque fruges inferrent.

Myſticis his monitis, ac præceptis inſtituta Chriſti Eccleſia, nihil ad doctrinæ, diſciplinæque ſalutaris fructum conducibilius reputavit, quam ut prudentes ſervi, quos poſuit Dominus cuſtodes in vineis, ſtatis temporibus convenirent in unum, eorumque collatis in commune conſiliis, mores emendarentur, controverſiæ componerentur, vineæque florentes latius darent odorem ſuum. Itaque per ſacros Canones ſæpe decretum, ut quolibet ſaltem triennio uniuſcujuſque Provinciæ Epiſcopi, legitime congregati, Provincialem Synodum celebrarent; cumque morem, ſicubi obſoleviſſet, Sacroſancta Tridentina Synodus renovandum, reſtituendumque curavit. Ac Nos quidem, cum in Beneventana noſtra Eccleſia reſideremus, graviſſimis licet calamitatibus conflictati, ac terræ motibus horribiliter jam tertio concuſſi, ac prope ruinis oppreſſi, Metropoli ipſa collapſa, & ſolo pene æquata, B. PHILIPPI NERII præſenti ope ſervati, canonicæ hujus obſervationis officium ſemel, & iterum obire non prætermiſimus. Ad hanc vero Apoſtolicæ Sedis formidandam altitudinem evecti, univerſæque vineæ Domini Sabaoth, licet immerentes, præpoſiti, nihil antiquius habuimus, quam ut ſaluberrimam hanc Epiſcopalis muneris partem, & ipſi præſtaremus alacrius, & ceteris explendam vehementius commendaremus, primæ hujus Sedis exemplo; ut cujus Epiſcopale viget Magiſterium, Epiſcopalis etiam ſervitutis forma, cunctis Eccleſiæ Paſtoribus ad imitandum propoſita, operarios ad laborem magis accenderet, atque ad uberiorem agri Dominici fructum redundaret. Acceſſit præterea ad ſtudiorum noſtrorum incitamentum magni Jubilæi opportunitas; cum nimirum perditas oves ſtudioſius requirere, atque ad earum ſalutem intentius advigilare, Annus ipſe Redemptionis, acceptabilis Domino, & materna Romanæ Eccleſiæ charitas, & oblata Æterni Patris benignitas admonet.

Volumus igitur, ac mandamus, ut Epiſcopi omnes, in ſpeciali noſtra Provincia conſtituti, videlicet inter Capuanam Provinciam, & Piſanam; necnon Archiepiſcopi, Suffraganeis ca-



A rentes, & tam Epiſcopi, huic Sanctæ Sedi immediate ſubjecti, quam Abbates nullius Diœceſis, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, qui alias ſibi Metropolitanum, cujus Provinciali Concilio interſint, ad formam Tridentini non elegerunt, ad diem Dominicam in Albis proximi anni 1725. in hanc Almam Urbem conveniant, ut in Concilio Nobiſcum congregati, Eccleſiarum ſuarum neceſſitates proponere, & quæ diſcutienda proponentur, communi conſilio expendere, & conſenſu firmare valeant. Simul etiam Capitulis, & Cleris ſuis edicant, ut, ſi quæ habeant negotia, quæ ad Synodalem conventum, quem in antedictam diem indicimus, deferenda cenſuerint, per Pro-
B curatores ſuos, Synodi judicio dirimenda, aut componenda, proponant. Preces autem interea & privatas effundant, & publicas, ex præſcripto ſacrorum Canonum, indicant, ut Pater Cœleſtis, dives in miſericordia, viſitare vineam iſtam in benedictionibus ſuis, & conſilia, actuſque noſtros aſpirando prævenire, & adjuvando proſequi dignetur. Datum Romæ apud S. Petrum in pervigilio Nativitatis Domini die xxiv. Decembris MDCCIV.

*[a] F. A. Archiepiſc. Epiſc. Abellinen. Sac. Conc. Secretarius.*

a) Nunc Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Finy Minervinen. creatus a Benedicto PP. XIII. die 9 Decembris 1726. & publicatus die 16 Januarii 1728.

## C PROROGATIO

*Celebrationis Concilii.*

Ad Dominicam Secundam poſt Paſcha, die 15. Aprilis 1725.

### BENEDICTUS PAPA XIII.

SUPREMI cum noſtri ſit Apoſtolatus Officii, glorioſum Eccleſiæ Catholicæ ſtatum honore debito promovere, & ſacroſanctas ipſius actiones, quantum cum Domino poſſumus, ad
D Dei gloriam, Fideliumque profectum, celebrare; quæcumque his detrimenta afferre; quæque ordinem, & harmoniam turbare poſſe proſpicimus, noſtra Nos decet conſideratione dimovere. Nuper ſiquidem; ſub noſtris datis literis apud Sanctum Petrum, pervigilio Nativitatis Domini, 24. Decembris 1724. pro divino cultu peraugendo, aliiſque, a ſacris Canonibus, ac generali Tridentino Concilio, ad Provincialium præſertim Synodorum excitandam celebrationem, ſalubriter ſancitis, exequutioni demandandis, Concilium Romanum, a Nobis, Deo opitulante, cum certis, per Nos ſpecialiter tunc vocatis, Venerabilibus Fratribus Noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliquibuſque Abbatibus, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus, Dominica proxima in Albis ha-

bendum, indiximus. Verum, quia rebus quibuſdam digerendis, quæ diebus hiſce ſupervenere, indicta Concilii dies non ſatis fore commoda exiſtimatur; minuſque etiam vocatis Patribus opportuna, quorum aliquos, ex Tranſalpinis præcipue, & Tranſmarinis, longo jam itineri accinctos, paucis datis aliis induciis, expectemus, oportet; matura idcirco deliberatione noſtra, Concilii prædicti celebrationem ad diem octavam indictæ Dominicæ in Albis, quæ eſt ſecunda poſt Paſcha, diem ſcilicet decimamquintam Aprilis hujuſmet Anni, differimus, ac prorogamus; ipſumque Concilium in Patriarchalem Noſtram Lateranenſem cogendum, ibique ſolemniter celebrandum, edicimus, atque ſtatuimus. Quocirca præfatos omnes, alioſque quoſcumque, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, iterum requirimus, & monemus, ac diſtricte præcipientes, mandamus, quatenus die ſupradicta in Concilium, tunc in præfata Noſtra Eccleſia celebrandum, convenire, ac perſonaliter eidem, ſacriſque omnibus functionibus, ad Synodi uſque concluſionem, Patrumque dimiſſionem, intereſſe teneantur. Interim Deum iterum, atque iterum humiliter exorandum optamus, ut ſuæ Spiritum Sapientiæ mentibus noſtris infundere dignetur, quatenus, eo inſpirante, opportunis modis, quæ recta ſunt exequi, & malis omnibus obviare poſſimus. Datum Romæ apud S. Petrum die 24. Martii 1725. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

*F. A. Archiepiſc. Epiſc. Abellinen.*
*Sac. Conc. Secretarius.*

# L I T E R Æ

## *PUBLICATIONIS CONCILII ROMANI.*

## BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabilibus Fratribus, Dilectiſque Filiis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, ceteriſque, qui Concilio noſtro Romano, nuper a Nobis coacto, & Dei gratia ſolemniter abſoluto, interfuerunt, vel intereſſe debuerant, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

QUatuor cum ſupra centum Romani noſtri Concilii Decreta, ſub duobus & triginta Titulis, Decretalium more, diſpoſita, octo inter ſolemnes Seſſiones, Menſibus, proxime præteritis Aprili, & Majo, Sacroſancta in Baſilica noſtra Lateranenſi a Nobis, cum Veſtrum omnium conventu, celebratas, unanimi conſenſu lecta, lata, & promulgata fuerint, atque in unum inde collecta Volumen, illarum etiam Appendicem referens Sanctionum, & Conſtitutionum, quas ejuſdem Concilii occaſione ſtatuendas judicavimus, cum originalibus jam collata, typis Alma in hac Urbe noſtra ſolicite imprimenda curaverimus; illamet tandem, poſt quatuor plane menſes, in ipſis diligenter, emendateque cudendis inſumptos, decurrente hoc menſe in lucem publicam prodiiſſe ſignificamus. Ne vero aliquam ſuper iis, quibus, ut evitentur, vel executioni mandentur, certa ibi tempora præſtituuntur, quandonam ſcilicet eos, ad quos pertinent, obligare cœperint, dubitationem ſuboriri contingat, omnes, & ſinguli, præſentium vigore, volumus, a die inferius ſignanda, Decretis ipſis Concilii, univerſiſque aliis Sanctionibus, & Conſtitutionibus, ibidem relatis, obligari cœpiſſe ſciant, prout eos obligatos eſſe, denunciamus. Ut hoc autem ad omnium notitiam perveniat, noſtras has Literas de more in Almæ ejuſdem noſtræ Urbis locis ſolitis legi, publicari, & affigi jubemus, ac inde cujuſpiam excuſationem, quod ea ignoraverit, nullatenus non admitti, auctoritate Apoſtolica, ſtatuimus, ac declaramus; quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die vigeſima quinta Octobris 1725. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

*F. A. Archiepiſcopus Epiſcopus Abellinen.*
*Sac. Conc. Secretarius.*

# D E C R E T A
# C O N C I L I I R O M A N I

## Celebrati Anno Jubilæi MDCCXXV.

*Diebus 15. 22. 29. Aprilis: & 6. 13. 22. 27. & 29. Maji.*

## T I T U L U S I.

## De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

### C A P. I.

*Fidei profeſſio in Conciliis emittenda. Quando, & a quibus extra Synodales conventus?*

IN nomine ſanctiſſimæ, ac individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen*.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam fidem, humanæ ſalutis initium, Chriſtiani ædificii baſim, divinique Numinis cultus firmamentum, ſacroſancta quam coluit, & colit, docetque, ac docuit Romana Eccleſia, quaque juſtus homo vivit, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, integram cum primis, & inviolatam ab omnibus tenendam, atque cuſtodiendam decernentes, myſticum ejuſdem noſtræ fidei fundamentum, ſupra quod nemo aliud ponere poteſt, Jeſum Chriſtum, Dominum Noſtrum, obſecramus, ne unquam noſtris ipſe malis offenſus, velut olim in navi dormitare videatur, ſed ſponſæ ſuæ Eccleſiæ vocibus ſemper excitatus, ſemperque erectus, in brachio virtutis ſuæ ejus diſperdat inimicos, ventiſque ſuperbiæ, marique inconſtantiæ imperet, ceſſentque tempeſtates: hæreſes tollat, falſa dogmata diſſipet, & Apoſtolicam navem tuta ſemper ſtatione conſervet. Interim, ut iis, qui corde in fide ipſa firmi ſunt, & ſtabiles ad juſtitiam, ore inſuper confeſſio fiat ad ſalutem; Tridentini Nos Concilii decreto [a] inhærentes, ipſam fidei profeſſionem eiſdem verbis, quibus, juxta formam a fel. rec. Pio Papa IV. præſcriptam [b]: Nos ipſimet, & univerſa Synodus hujus initio Concilii publice præſtitimus, & ſolemniter profeſſi ſumus, ab infraſcriptis, ſuo loco, & tempore, in eorum reſpective Diœceſibus, emittendam decernimus, ſub pœnis contra contumaces in Bulla ipſa latis, aliiſque Epiſcoporum arbitrio ſtatuendis. Fidei itaque profeſſionem emittent.

a) Seſſ. 24. ref. cap. 12.

b) Conſt. 12. Ann. 1564.

I. Epiſcopi, aliique de Clero, recens Eccleſiaſticis de beneficiis proviſi, aut ſacris Ordinibus initiati, in Diœceſana Synodo, primo celebranda.

II. Dignitates, & Canonicatus obtinentes, poſt adeptam poſſeſſionem, tum in manibus Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis, tum in Capitulo infra bimeſtre.

III. Beneficia cum animarum cura habentes, poſt ipſorum poſſeſſionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Epiſcopi, vel Vicarii Generalis; prout & in alterutrius manibus.

IV. Quicumque alia Beneficia ſimplicia obtinentes.

V. Item novus Vicarius Generalis: Vicarii Foranei: Procuratores, & Promotores Fiſci Epiſcopalis, Cancellarii, ceterique Miniſtri ejuſdem Curiæ,

VI. Novi Concionatores, etiam Regulares.

VII. Novi Confeſſarii, etiam Monialium.

VIII. Docentes publice, vel privatim Theologiam, Philoſophiam, Jus Canonicum, aut Civile, vel inferiores quaslibet diſciplinas, etiam Grammaticam.

IX. Ac tandem Medicinam, & Chirurgiam exercentes.

### C A P. II.

*Conſtitutionis* UNIGENITUS *Clementis PP. XI. obſervantia Epiſcopis commendatur.*

CUm ad fidei Catholicæ profeſſionem integre, inviolateque retinendam, & cuſtodiendam, neceſſarium ſummopere ſit, ut ſuccreſcentes per hæc recentia tempora circa eamdem fidem errores, a Sede Apoſtolica damnatos, fideles omnes vigilanti ſtudio præcaveant, & abominentur; idcirco ab omnibus Epiſcopis, & animarum Paſtoribus tota, ut hactenus, ſolicitudine curandum eſt, ut Conſtitutio a ſan. mem. Clemente XI. edita [a], quæ incipit, *Unigenitus*, quamque, noſtræ uti ejuſdem fidei Regulam, agnoſcimus, ab omnibus cujuſcumque conditionis, & gradus, omnimoda ac debita obedientia, & executione obſervetur. Si quem itaque cognoverint (ſive Diœceſanus, aut Provincialis ſit, ſive exterus) in ſuis Diœceſibus permanentem, de Conſtitutione prædicta non bene ſentire, aut male loqui, in eum pro ſua Paſtorali poteſtate, & juriſdictione procedere, & animadvertere non negligant; & ubi remedii efficacioris opus eſſe ſenſerint, ad Sedem Apoſtolicam pervicaces tales, & Eccleſiæ rebelles deferant. Invigilent etiam, libros contra ipſam Conſtitutionem editos, aut falſas doctrinas, in illa damnatas, propugnantes, diligenter perquirere; eoſque ſibi tradi mandent, Nobis inde, & Apoſtolicæ Sedi denunciandos.

a) An. 1713.

### C A P. III.

*Onus Epiſcoporum per ſe ipſos concionandi oſtenditur.*

EPiſcoporum munus præcipuum cum ſit verbi Dei prædicatio, quod ſuo præcepto induxit, exemploque firmavit æternus animarum Paſtor, Chriſtus Jeſus, quotidie qui in Evangelio [b] dicitur fuiſſe docens in Templo; non immerito ad illud pro viribus exequendum noſtros hic excitamus Epiſcopos, quatenus, ne ſæcularibus ita intenti ſint ipſi, ut ſupervacaneo circa ea labore ſe conſumant, & gregem interim quæ ſunt ad Deum per ſe docere minime curent; cum alias verbum Dei derelinquere, & menſis miniſtrare, Apoſtoli æquum non eſſe profeſſi ſint [c]. Multa ſane Dominus *aliter*, & *aliter*, Magiſter, ut docet Angelicus [d], diſcipulis tradidit adimplenda: officium namque docendi commiſit Apoſtolis, ut ipſi per ſe exercerent tanquam principaliſſimum; officium vero baptizandi eis commiſit, per alios exercendum. Nullam itaque Epiſcopi ad ſe rei familiaris curam revocent, ſed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodo vacent [e]: neque Viduarum, Pupillorum, ac Peregrinorum gubernationem per ſe ipſos, ſed per Archipresbyteros, vel per Archidiaconos agant [f]: ſolicitam imo operam navent, ut ſine intermiſſione ſint ipſimet in commiſſis ſibi gregibus paſcendis aſſidui, & vox Paſtoris in Eccleſia, diebus ſaltem Dominicis, & ſolemnibus Feſtis, ſacras in exponendo Scripturas, divinamque legem annunciando, audiatur; id quod tandem, ſi legitime impediti non fuerint, juxta Chriſti, Apoſtolorum, & ſacrorum Canonum normam, per ſemetipſos obire teneantur; excluſo ſemper ſcientiæ defectu, qui in Epiſcopis reprobandus eſt omnino, nec de cetero tolerandus [g].

b) Lucæ c. 4.

c) Actor. 6. v. 2.

d) 3. q. 67. ar. 2. ad 2.

e) Can. Epiſcopus nullam. diſt. 88.

f) Can. Epiſcopus gubernationem, eadem diſt.

g) Cap. Inter cetera. De Off. Ordin.

### C A P. IV.

*Parochorum munera commemorantur: Pueros Doctrinam Chriſtianam edocendi methodus exhibetur.*

INvigilent etiam Epiſcopi, ut Parochi propria, quæ ſua ſunt, munera exerceant: plebem per ſe videlicet in Catholica fide inceſſanter inſtruere, & Sacramentis reficere: infirmos viſitare, & moribundis aſſiſtere: quotidianas pro Populo ad Deum preces, & orationes effundere; & laudabili vitæ, ac converſationis exemplo, virtutibus, & morum diſciplina, omnibus prælucere, viamque ſalutis præmonſtrare. Ad plebes quocirca ſuas Parochi, ceterique animarum Rectores, ſingulis ſaltem Dominicis, Feſtiſque diebus, qui de præcepto obſervari ſolent, de mane, poſt lectum in Parochiali Miſſa Evangelium, ſermonem brevem habeant, & facilem, auditorumque capacitati aptum; vitia, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, denunciantes; Romano adhibito Catechiſmo, pro Parochis potiſſimum impreſſo. Hora vero pomeridiana pueros, puellaſque a ſeptennio, & ſupra, ad annum uſque decimumquartum, propriam convocandos in Parœciam curent; eoſque ſuo ordine, & loco per Eccleſiam diſpoſitos, (maribus ſemper a feminis ſeparatis) fidei rudimentis, doctrinaque Chriſtiana ex libello, quem clar. mem. Cardinalis Bellarminus edidit, & fel.

fel. rec. Clemens Papa VIII. retinendum mandavit, ſenſim, & quo poterunt, plane imbuant; unam ſemper, eamdemque docendi regulam ſequentes, quæ ſervanda hic dabitur in Appendice. Puerorum vero parentes adhortari non omittant, quos etiam adhortamur Nos, & admonemus, ut proprios Filios domi bonis moribus, verbis, & exemplis inſtituant, atque ea, quæ ad Chriſtianam doctrinam pertinent, ſedulo edoceant, eadem crebro, quæ illos Parochi edocuerint, repetentes.

### C A P. V.

*Ruſtici, & Adulti quomodo in Fidei rudimentis inſtituendis?*

AD hæc Nos alia, & dolenda quidem recogitamus, pueros nempe, Chriſtianam doctrinam edocendos, non omnes in Civitatibus, & Oppidis habitare; imo non paucos in campeſtribus animalium cuſtodiæ addictos, ruſticam ſic vitam agere, ut, poſt receptum ſalutaris aquæ lavacrum, ſpirituali ibi abſque educatore enutriti, neque, an Spiritus ſanctus ſit, unquam audierint: adultoſque inſuper multos intra communitates occurrere, qui noſtræ etiam principaliora fidei, ſummæ ſcilicet Trinitatis, & Incarnationis, myſteria ignorent, &, quod magis lamentabile eſt, cum ceteris in ſchola addiſcere verecundantur. Æternæ idcirco illorum ſaluti conſulere quocumque modo cupientes, Parochis diſtricte præcipimus, & mandamus, ut infra earumdem ſolemnia Miſſarum, ſtatim poſt habitum, ut ſupra, ſermonem, alta voce, & materno idiomate, populo univerſo reſpondente, quod, & in ſecunda Miſſa poſt Parochum, ut omnimode ignorantium malitiæ occurratur, qui Catechiſmum effugiunt; ac etiam in Oratoriis, Capellis, & Eccleſiis ruralibus, ubi ſacra celebrari conſuevere, celebrantes, adimplere teneantur, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, Epiſcoporum arbitrio imponenda, ſaltem ſequentia paulatim cantando edoceant.

Signum S. Crucis.
Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis.
Symbolum Apoſtolorum.
Orationem Dominicalem.
Salutationem Angelicam.
Præcepta Decalogi.
Præcepta Eccleſiæ.
Septem Sacramenta.
Actum Contritionis.

### C A P. VI.

*Theologalis Præbenda, ad Concilii Tridentini præſcriptum, erigenda decernitur.*

EPiſcoporum conſcientiam, quam alias ipſi in Epiſcopatus Bullis oneratam agnoſcunt, iterum Nos gravando, injungimus eiſdem, ut æternæ ſuæ, ſuorumque ſalutis memores, in Cathedralibus, ſeu Collegiatis in Oppidis Diœceſis inſignioribus, Theologalem Præbendam ad ſacræ Scripturæ expoſitionem, & interpretationem, ſicubi erecta non eſt, cujuſque erectionem adeo Concilium Tridentinum [a] inculcat, tandem [illegible] inſtituant; iis, ceteroquin expeditiſſimis, mediis adhibitis, quæ eodem in Concilio proponuntur; ut ubi ſcilicet in Eccleſiis, ſive Cathedralibus, ſive Collegiatis prædictis, ulla adhuc Præbenda ad id inſtituta non reperitur, Epiſcopi canonicatum quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis, primo vacaturum, etiam (quod Nos adjungimus) Nobis, & Sedi noſtræ Apoſtolicæ quovis modo affectum, vel reſervatum, cui tamen onus aliud incompatibile non ſit annexum, ad eum uſum ipſo facto perpetuo conſtitutum Nos eſſe volumus; itaut collatio aliter facta ab Epiſcopo, nullius ſit roboris, ac momenti, & Præbendæ ipſius proviſio ad Apoſtolicam Sedem noſtram devolvatur; prout in noſtra, nuper edita, Conſtitutione legetur, ſequenti typis imprimenda cum Appendice. Quatenus vero Canonicatus idem; etiam cum Præbenda, ſi quam unitam habeat, tenuis, & non ſufficiens fuerit ad onus ſuſtinendum prædictum, Epiſcopus eidem, uſque ad ſummam, quæ cum Canonicatu, & Præbenda ſcuta ſexaginta non excedat, vel per aſſignationem fructuum alicujus ſimplicis beneficii, Nobis licet, & noſtræ Sedi affecti, ſeu reſervati, illius tamen debitis ſupportatis oneribus; vel per contributionem Beneficiatorum ſuæ Civitatis, & Diœceſis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli conſilio ita provideat, ut omnino Theologalem ipſam erigat, & ſacræ Scripturæ lectio habeatur.

a) Seſſ. 5. c. 1. de reform.

### C A P. VII.

*Cui, & ſub quibus oneribus, Præbenda ipſa Theologalis ſit conferenda?*

FRuctus vero hujuſmodi Canonicatus, onuſque addictum eidem, ſacræ ſcilicet exponendæ, interpretandæque Scripturæ, donec Theologus aliquis ex Clero ſæculari, cui Canonicatus ipſe cum Præbenda conferri queat, habeatur, Epiſcopi ad tempus pro arbitrio aſſignent, delegentque quam primum viro alii eccleſiaſtico, in divinis erudito, etiam Regulari, de ſui licentia Superioris. Proviſi autem de Præbenda hujuſmodi Theologali, tam in alma hac Urbe noſtra, quam alibi, quadraginta ſaltem quotannis lectiones publice in Eccleſia habere teneantur per ſe ipſos, ſin minus per idoneos alios, quos Epiſcopi, vel eorum Vicarii, cum oportuerit, ſubſtituent; & Theologum interim ordinarium ad ſatis ſuo muneri faciendum, per fructuum ſubtractionem, quemadmodum in præcitata noſtra Conſtitutione eſt cautum, cogant, & compellant.

### C A P. VIII.

*In ſacra exponenda Scriptura methodus obſervanda proponitur.*

LEctores autem, quicumque ſint, divinas in Eccleſia Scripturas interpretantes, hortatos volumus, ut, cum non omnes auditores ſint eodem ingenio præditi, clara, & pro ſingulorum captu dicendi ratione utantur: potiſſimumque monemus, ut, maximum circa hoc miniſterium, ea ipſis præcipua ſit methodus, quatenus, literali in unaquaque lectione Textus enarratione præmiſſa, duas minimum ex eiſdem ſacræ Scripturæ locis proponant ſemper, ſolvantque quæſtiones; hiſtorialem unam, moralem alteram, vel de noſtræ fidei articulis, & ſacramentis, vel de Catholicæ Eccleſiæ ritibus, eorumque myſteriis, vel aliis, ad ſanam doctrinam, & Chriſtianam inſtitutionem ſpectantibus; quæ humanæ nedum eruditioni, ſed ſpirituali etiam valeant prodeſſe intereſſentium ſaluti.



### C A P. IX.

*Sacræ Scripturæ lectionibus quinam intereſſe teneatur?*

ECcleſiarum proinde tum Cathedralium, cum Collegiatarum Dignitates, & Canonici, Parochi itidem, & Confeſſarii ſæculares, (regulares etiam, ſub ſuſpenſionis pœna a confeſſionibus audiendis, quatenus hæc ipſa lectio in eorum monaſteriis non habeatur) ſacræ, ut prædictum eſt, Scripturæ lectioni, diebus, & hora, ab Epiſcopo præfigendis, omnino intereſſe teneantur; impoſita, quæ eidem Epiſcopo placuerit, contra abſque legitima cauſa abſentes pœna pecuniaria, nemini ullatenus remittenda.

### C A P. X.

*Concionatores quomodo in concionibus ſe habere debeant? & qui ad id munus eligendi?*

REliquos tandem Concionatores admonemus, quatenus & ipſi, memores ſe ad populorum utilitatem miſſos, fructuoſe ſuum impleant miniſterium; ac Dei plebes, non in humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, concionando doceant, & docendo, ſermones diſcentium ingenio aptent, & conforment. Quamobrem munus hoc ſubituri, docti ſemper, & eruditi, maturi, fortes, & irreprehenſibiles, optimis moribus imbuti, non ſe ultro offerentes quilibet, etiam ex Regularibus, ab Epiſcopis eligantur: iique præcipue, qui ſuis a Superioribus probati, plenæ exhibuerint literas approbationis.

## T I T U L U S II.

### De Conſtitutionibus.

### C A P. I.

*Metropolitani in Provinciis, Epiſcopi in Diœceſibus ad ſuas celebrandas Synodos excitantur; exemplo præeunte ſummo Pontifice Romano.*

SAtis, inter ceteras, quæ hujus fuerit congregandi cauſa Concilii, noſtra fit ipſa Indictione manifeſtum. E noſtra etenim Eccleſia Beneventana, ubi octo a Nobis ſupra triginta Diœceſanæ, ac duæ etiam coactæ fuere Synodi Provinciales, ad ſacroſanctæ Eccleſiæ univerſalis regimen, viribus licet, ac meritis imparibus, electi, id Nos cum primis dies noctesque ſollicitavit, ut quantocius Epiſcoporum, qui noſtra in peculiari Provincia ſunt conſtituti, Archiepiſcoporum inſuper Suffraganeis carentium, aliorumque Epiſcoporum, & Abbatum, Nobis immediate, & Sedi noſtræ Apoſtolicæ ſubjectorum, qui alias ſibi Metropolitanum, Provinciali cujus Synodo intereſſent [a], non elegerant, almam in hanc Urbem noſtram Concilium cogeremus; hinc forte non deſperantes, ut Synodorum, Conciliorumque hujuſmodi celebrandorum uſum, ſicubi obſoletum, dum Nos, generalis juxta Tridentini Concilii [b] mentem, renovaremus; ceteri quoque, Apoſtolicæ hujus, cunctarum Eccleſiarum matris, Romanæ eccleſiæ exemplo ducti, Metropolitani ſcilicet in ſuis Provinciis, & Epiſcopi in Diœceſibus innovarent, ac reſtituerent.

a) Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.

b) Loc. cit.

### C A P. II.

*Provincialia Concilia omnino quolibet triennio cogenda. Metropolitano deficiente, ab antiquiore Provinciæ Epiſcopo celebrentur.*

CUmque ex hoc, quia Epiſcoporum Concilia minime, vel raro ſunt celebrata, multæ ſane, quæ correctione opus habent, eccleſiaſticæ res negligantur [c], controverſiæ perereſcant, fidelium mores deformentur, & Religio ipſa in dies non pauca ſuſtineat; eiſdem contra eam pugnantibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis; ſacrorum Nos idcirco Canonum [d], & præcipue Tridentini Concilii [e], pœnas innovando, decernimus, & Metropolitanis omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut ab eis, annuas præter Synodos Diœceſanas, Provinciales etiam Synodi quolibet ſaltem triennio convocentur, & ad earumdem canonicarum Conſtitutionum formam celebrentur omnino: quod, ipſis legitime impeditis, vel agere negligentibus, ſeu Sede Metropolitana vacante, declaramus, volumuſque, fiat per Epiſcopum Provinciæ antiquiorem [f].

c) Can. Feſtinandum dist. 18. ex Conc. Chalcedon. cap. 19.

d) Can. de Conciliis cit. diſt. 18. per tot.

e) Seſſ. cit. 24. c. 2.

f) Concil. Trid. ibidem.

### C A P. III.

*Diœceſana Synodi ſemel ſaltem in anno ab Epiſcopis cogantur: Prima vero poſt ſex menſes ab hujus Concilii publicatione.*

DEcreto ſimili Epiſcopis omnibus, ac inſuper Archiepiſcopis, ſuffraganeos non habentibus, mandamus, ut, cum nulli Epiſcoporum liceat propria apud ſemetipſum Concilia [illegible] ſunt Metropoles concreditæ [g], ſtudeant & ipſi ſemel ſaltem in anno Synodum cogere Diœceſanam [h], in quam Clerici omnes Diœceſis, aliique, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, ſub pœnis a jure ſancitis, convenire cogantur. Iis autem Archiepiſcopis, & Epiſcopis jubemus, ut primam infra ſex menſes, poſt hujus Concilii evulgationem, Synodum habeant Diœceſanam, in qua pleniſſime omnia coram omnibus referant, publicentque, quæ in hoc eodem Concilio (quod ſimiliter in ſubſequentibus fiet) acta, & definita eſſe noſcuntur.

g) Can. Propterea diſt.

h) Can. Annis ſingulis ibid.

### C A P. IV.

*Statuta propria, infra ſex menſes, Eccleſiarum Capitula, & Collegia, Eccleſiæque pariter Conventuales, ſub interdicti pœna, conficiant.*

ECcleſiarum Capitulis, tam Patriarchalium, & Cathedralium, quam Collegiatarum omnium, & Conventualium, quæ quidem velut corpora, membris compacta, ſuis legibus vivere, ſuiſque regulis nutriri, & conſervari opor-

oportet, definite præcipimus, ac mandamus, ut antiqua, ſi qua habent Statuta, & capitulares Conſtitutiones depromant; & ubi non adſint, ſex infra ſaltem menſes, poſt præſentis Concilii publicationem, ſub eccleſiaſtici interdicti pœna, omnino conficiant; & utraque, antiqua ſcilicet, & nova, per Nos, quoad noſtræ almæ Urbis Eccleſiarum Statuta, & reliqua, ſuos reſpective per Epiſcopos, accurate examinanda, & corrigenda deducant, atque approbanda præſentent. Epiſcopi igitur in iis examinandis, ſi quid contra jus, vel Tridentini Concilii decreta, aut Pontificias Conſtitutiones irrepſiſſe cognoverint, ſuper eo Sedem conſulant Apoſtolicam, a qua juris remedia expectent. Conſuetudines autem, nonniſi rationabiles, & honeſtas admittant; & ſi quas a ratione declinaſſe, vel contra Breviarii, vel Miſſalis, Cœremonialis Epiſcoporum, Pontificalis, vel Ritualis Romani Rubricas inoleviſſe, ac proinde indebitam legis ſpeciem uſurpaſſe compererint, eas, vel corrigant, vel omnino delenda decernant.

## CAP. V.

*Methodus pro Statutis capitularibus formandis proponitur.*

HIs præhabitis, præcipuæ Epiſcopórum partes erunt, ut tali methodo Statuta ipſa, & Conſtitutiones condantur, quatenus, quæ ipſarum ſint Eccleſiarum, & Capitulorum origines, fundationis, inſignia, jura, conſuetudines, redditus, onera, & munera, ſuis ſub capitibus diſtinctis exprimantur; nihilque in eis ſit, quod a juris diſpoſitione, & Congregationum decretis, uſuque recepto, & approbato exorbitet, ſed illa appoſite ſtatuantur, quæ pro opportunitate, & neceſſitate temporum, rerum, & locorum, ad divini cultus augmentum, ſanctioris diſciplinæ obſervantiam, & eccleſiarum utilitatem ſtatuenda judicaverint. Hoc interim Decretum, una cum præcedenti, ut ceterarum Eccleſiarum Capitulis & Collegiis conſulamus, ad Metropolitanos omnes extra hanc Synodum extendimus, qui primo in eorum Concilio providas ipſas, & plane neceſſarias præfatis ſuper condendis Statutis ſanctiones publicare meminerint, & executionem ſedulo promovere; menti etiam obſequuturi fel. rec. Clementis Papæ XI., qui ſimiles Conſtitutiones primi [a], & ſecundi [b] noſtri Concilii Provincialis Beneventani, nedum pro paterna tunc ſua benignitate laudavit, ſed & de illarum executione certiorem ſe a Nobis fieri velle ſignificavit; datis ad Nos, dum præfatæ Eccleſiæ præſidebamus, Literis in forma Brevis ſub die 5. Aprilis 1715., quas ad perpetuam tanti Pontificis commendandam memoriam, in hujus Concilii calce regiſtrari volumus, & mandamus.

a) An. 1693.
b) An. 1698.

## TITULUS III.

### De Reſcriptis.

## CAP. UNIC.

*Superiorum Tribunalium decreta, epiſtolæ, & ſimilia, ad Epiſcopos directa, non Epiſcopis, ſed eorum Curiæ Cancellario, vel Promotori Fiſcali exhibenda.*

RAtioni quidem, & eccleſiaſticæ convenit politiæ, ut literæ, decreta, citationes, & mandata, quæ, partibus inſtantibus, ad Epiſcopos, eorumque Curias, Urbis Congregationes, Cameræ Auditoris Tribunal, Judicesve dirigunt Metropolitani, plena, qua decet, reverentia, recipiantur ab iis; quod pro debito ab omnibus jam impleri, Nobis eſt perſuaſum. Volentes Nos attamen frequenti laicorum quorumdam, imo & Eccleſiaſticorum, occurrere audaciæ, qui modis paſſim inofficioſis, querulis, ac petulantibus vocibus, Notariis, ac Teſtibus tumultuoſe ſtipati, Epiſcopos ſæpe per vias, ſæpiſſime in Eccleſia, divinis incumbentes, adeunt, ubi, omni erga Dei miniſtros ratione neglecta, irreverenter eis citationes ipſas, literas, & decreta exhibent, temereque etiam, ut quam citiſſime reſpondeatur, expoſtulant. Statuendum idcirco duximus, prout noſtra hac ſanctione ſtatuimus, ac decernimus, ne citationes ullæ in poſterum, epiſtolæ, mandata, aut decreta quælibet, a litigantibus, vel ab aliis, eorum nomine, recta in Epiſcoporum manus deferantur omnino; ſed immediate Curiæ Promotori Fiſcali, vel Cancellario præſententur; & ita habeantur, ac ſi Epiſcopis exhibita, & præſentata fuiſſent: quod ſi, hoc non obſtante, prædicta quis Epiſcopis adhuc præſentare attentaverit, totum id volumus, irritum ſit illico, & inane, nullumque contra Epiſcopos, eorumve Curias ſortiatur effectum.

## TITULUS IV.

### De ſupplenda negligentia Prælatorum.

## CAP. UNIC.

*Abbates Regulares perpetui, poſt eorum electionem, ab Epiſcopo Diœceſano ſolemniter benedicendi.*

CUm nemo plus in alium transferre poſſit, quam ipſe habeat; meminerint propterea Abbates regulares perpetui, non poſſe eos, canonice licet electos, ex Innocentii III. reſcripto in cap. *Cum contingat, De ætate, & qualitate Præficiendorum*, ſuis ſubditis benedicere, & munia Abbatialia exercere, ni prius ſolemnem, ſervato Romani Pontificalis ritu, benedictionem ſuſceperint ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi fuerit electio celebrata. Quinam vero ſint Abbates ipſimet, qui ſolemni hac tenentur benedictione initiari, & quænam ſit ſuper his ratio habenda; cum pro ſingulis ſuſius declaratum a Nobis ſit in Conſtitutione, modo edita, & legenda in Appendice; quidquid idcirco in ea præſcriptum eſt, atque ſancitum, ab omnibus in futurum volumus obſervari.

TI-



## TITULUS V.

### De temporibus Ordinationum.

## CAP. I.

*Promovendi ad ſacros Ordines extra tempora, vigore diſpenſationis Apoſtolicæ, non a quocumque, ſed a proprio Epiſcopo ordinentur.*

CUm juxta regulas eccleſiaſticas, & ſanctorum decreta Pontificum, ſacræ ſtatis a jure temporibus celebrandæ ſint Ordinationes [a]; pœnas propterea contra extra ea tempora ordinantes, ſacroſque Ordines ſuſcipientes, innovamus. Singulis vero promovendorum expreſſe ſignificamus, ut, ſi quis ipſorum Apoſtolicæ diſpenſationis literas, ſive per Datariam, ſive per Brevium Secretariam, ſive alio quocumque modo, expeditas, quatenus ad ſacros Ordines, extra conſueta ordinationum tempora, a quocumque maluerit Catholico Epiſcopo promoveri valeat, obtinuerit, illas ſemper, nonniſi cum clauſula, *ſervata forma decreti Clementis VIII.* [b] conceſſas fuiſſe intelligat, atque ita, & non aliter executioni ab ipſiſmet Epiſcopis promoventibus demandandas fore declaramus.

a) Concil. Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 8.
b) Vide infra de Regular. c. 2.

## CAP. II.

*Regulares, ſuorum vigore privilegiorum, tuto, abſque novo indulto Apoſtolico, extra tempora ſacris initiantur.*

QUo vero ad Regulares, privilegia a ſummis Pontificibus habentes, ſive expreſſe, ſive per viam communicationis conceſſa, ſacros videlicet Ordines extra tempora ſuſcipiendi; cum Privilegia ipſa in ſuo robore perſiſtant, nec iis derogatum fuiſſe conſtet, decernimus proinde, Regulares eoſdem, abſque novo indulto Apoſtolico, tuto poſſe extra tempora ordinari.

## TITULUS VII.

### De ætate, & qualitate Præficiendorum.

## CAP. I.

*Scholares ad primam Tonſuram admittendi ratio præſcribitur.*

CUm per Apoſtolum ſcriptum ſit, *Nemini cito manum impoſueris* [c], Epiſcopis animadvertendum ſignificamus; quam periculoſa ſit ſacra manuum impoſitio, debita diligentia neglecta. Super iis itaque, qui prima Tonſura ſunt initiandi, curam omnem adhibeant, & inquiſitionem; an tales ſint, qui probabile judicium, non humano quidem conſilio, aut fori ſæcularis declinandi, vel a laicalibus ſe muneribus, & oneribus eximendi cauſa, eccleſiaſticæ eos militiæ adſcribi velle, præſeferant; ſed tales ipſos vitæ genus eligere, ut, jugi Eccleſiæ ſervitio mancipati, majorem Deo cultum valeant exhibere. Caveant inſuper, ne alios ad clericalem ipſam Tonſuram admittant, quam quos, juxta Tridentini Concilii ſanctiones [d], literarum ſtudiis operam ſic dare conſtiterit, ut quaſi in via ad reliquos Ordines ſuſcipiendos verſari videantur, & quos tantummodo pro Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate divinis miniſteriis deputari noverint expedire.

c) 1. Tim. 5.
d) Seſſ. 23. de reform. c. 4. & 6.

## CAP. II.

*Clericali Tonſura initiandi, certo Eccleſiarum ſervitio in ipſa Ordinatione per Epiſcopos adſcribantur.*

CLericali inſuper Tonſura nullus initietur, niſi eodem tempore Eccleſiæ illi adſcribatur, pro cujus ſervitio debet ordinari [e]. Si qui vero ſint, etiam minoribus, aut ſacris Ordinibus inſigniti; qui nulli certæ Eccleſiæ fuerint adſcripti, Epiſcopi adſcriptionem hujuſmodi, etiam a ſuis Prædeceſſoribus omiſſam, ſuppleant, & pro arbitrio ſervitium, toties quoties opus fuerit, præſtandum deſignent: quam adſcriptionem, quando eos, qui jam promoti, extra Diœceſim, vel ſtudiorum cauſa, vel alia, ab Epiſcopis probata, commorantur, ad tempus, ipſiſmet Epiſcopis beneviſum, differri poſſe indulgemus. Ita autem adſcripti, etſi Clerici ſint, etiam conjugati, aut beneficia, vel officia eccleſiaſtica non obtineant, ab Eccleſiæ ſervitio, cui fuerint deputati, feſtis diebus ſingulis, præſertim ſolemnioribus, ne abſint, propria ibi munia obituri; alias ad altiores gradus promovendi, non promoveantur, & jam promoti, Epiſcoporum arbitrio pro inobedientiæ gravitate mulctentur. Creſcente vero contumacia, Epiſcopi, ultra pœnas a Tridentino Concilio indictas, poſt trinam canonicam monitionem, contra inobedientes, & contumaces procedant ad omnium uſque privilegiorum clericalium privationem: ſervata in reliquis nupera ſuper hoc Conſtitutione noſtra, quæ in citata exhibebitur Appendice.

e) Concil. Trid. cit. ſeſſ. c. 6. & 16.

## CAP. III.

*Ad ſacros Ordines promovendorum qualitates.*

CEterum qui propius ad ſacratiſſima Myſteria acceſſuri ſunt, ultra cetera requiſita, ea volumus ſcientia polleant, & pietate, ut Eccleſiæ ſacramenta digne miniſtrare, Chriſti fideles ſanam doctrinam edocere, & eos in via ſalutis, non minus exemplo, quam verbis, valeant anteire. Quapropter Epiſcopi nonniſi illos ad ſacros Ordines promoveant, quam quos vere dignos, & habiles; requiſita etiam habentes, a ſacra ipſa Tridentina Synodo [f] præſcripta, per diligentem inquiſitionem compererint. Verum, qui ad Presbyteratum erunt aſſumendi, idonei prius ad ſacramenta miniſtranda per diligens examen comprobentur, & ad ea populum docendum, quæ ſcire omnibus pertinet ad ſalutem; quod quidem, ut recte præſtari poſſit, eoſdem Epiſcopos in Domino exhortamur, ut, quantum fieri poteſt, eos tantum ad ſacerdotium aſſumant, quos ſaltem Theologiæ moralis competenter peritos agnoſcant.

f) Loc. cit. c. 13. & 14.

CAP.

## C A P. IV.

*Ordinandi in aliena Diœceſi ad titulum beneficii, ab Epiſcopo domicilii examinentur. Fructus vero beneficii valorem æquet patrimonii ad taxam ejuſdem domicilii.*

QUicumque autem domicilium in una Diœceſi habentes, in alia beneficium eccleſiaſticum obtinuerint, & ad illius titulum ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi eſt beneficium, promoveri petierint; præter literas teſtimoniales ſuper eorum natalibus, ætate, vita, & moribus, juxta Conſtitutionem fel. rec. Innocentii Papæ XII. quæ incipit *Speculatores*, impetrandas, examen quoque coram domicilii Epiſcopo, ſi in ejus Diœceſim ſint reverſuri, ſuper ſcientia, & idoneitate, ut dictum eſt, ſubire teneantur; neque teſtimoniales literas ullatenus concedi volumus, niſi, prævio antedicto examine, habiles ad ordinem approbari meruerint. Beneficium autem ad congruam vitæ ſuſtentationem, ita erit, ut abſolute, juxta taxam, moremve propriæ Diœceſis, ad quam ordinandus ſit rediturus, ſufficiens eſſe judicetur.

## C A P. V.

*Requiſita ad Canonicatus, aliaque obtinenda ſimplicia Beneficia, proponuntur.*

IN conferendis tandem Canonicatibus, aliiſve etiam Beneficiis ſimplicibus, Epiſcopi non carnem reſpiciant, aut ſanguinem, ſed ſervitium attendant, & qualitates providendorum. Advigilent inſuper, ut in faciendis collationibus, ne alii eſuriant, & alii ebrii ſint, juſtitia ſemper diſtributiva ſervetur, prudenti Collatorum arbitrio regulata. In Canonicatibus vero, ut ſupra, conferendis, ceteris paribus, ſemper eos præferant, qui cantum callent Gregorianum; &, collatione ad Sedem Apoſtolicam ſpectante, de ejuſdem cantus peritia mentio fiat in teſtimonialibus, quæ concedentur.

# T I T U L U S VII.

## De officio Judicis delegati.

## C A P. I.

*Epiſcopi, in Civitatibus reſidentes, Diœceſis curam non negligant.*

CUm Epiſcopi, ad Apoſtoli [a] normam, omnibus omnia fieri, & eſſe teneantur, ut omnes, ſibi commiſſos, Chriſto lucrifaciant, animadvertendum eſt illis, quod dum, in Civitatibus reſidentes, corpore ab aliis abſunt Oppidis Diœceſis, ſtudeant tunc; ut ipſe Paulus ajebat, ſpiritu præſentes [b] omnibus inveniri, quod quidem aſſequentur, ſi poſt generalem habitam viſitationem, poſt coactas Synodos, & latas leges, in utramque non obdormiant aurem; ſed de ipſa decretorum executione ſolliciti, fideles, ultra Teſtes Synodales, deligant comminiſtros, qui, Diœceſim proprio eorumdem Epiſcoporum ſtipendio circumeuntes, hac atque illac pertranſeant, omnia, an pro debito ſint adimpleta, perluſtrantes, & populis fiant bonus odor in omni loco.

a) 1. Cor. 9. v. 22.

b) 1. Cor. 5. v. 3.

## C A P. II.

*In cultioribus Diœceſis locis Vicarii foranei conſtituendi. Eorum qualitates, & officia recenſentur.*

VIcarios item foraneos in Oppidis inſignibus, vel ubi Epiſcopi neceſſe judicaverint, ad ſui beneplacitum ipſi conſtituant, iique curam ne habeant animarum, quantum fieri poteſt, pro viribus ſtudeant. Sint etiam doctrina, pietate, & prudentia præditi, qui pro Deo, & propter Deum, Evangelium non erubeſcant, ſed de Clericorum, & Laicorum vita, ac moribus, & quomodo Parochi, aliique animarum Rectores in Paſtorali officio ſe gerant, diligenter inquirant, & in laternis ſcrutentur; ad Epiſcopos fideliter delaturi, num Clerus, & Populus, ut decet, vivant, num proprius in Eccleſiis cultus adhibeatur, num ſupellex, ſacra præcipue, debito nitore conſervetur, & viſitationum decreta ſuæ ſint executioni mandata.

# T I T U L U S VIII.

## De officio Judicis Ordinarii.

## C A P. I.

*Sanctæ Viſitationis munus quomodo per Epiſcopos implendum?*

CUm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, verbi Dei prædicatione, ac bonorum operum exemplo paſcere, & in cetera munia paſtoralia incumbere; quæ omnia, ex generalis Tridentini Concilii [c] mente, declaratione, ac definitione, ab iis nequaquam præſtari, & impleri poſſe cognoſcuntur, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed hunc mercenariorum more deſerunt; idcirco eos omnes admonemus, atque hortamur, ut, divinorum præceptorum memores, factique forma gregis [d], in judicio, & veritate illum paſcant, ac regant: caveantque proinde, ne a commiſſis ſibi Eccleſiis viſitandis, & ſui vultu pecoris cognoſcendo, damnabiliter deficiant. Quam quidem viſitationem, ad præfati Concilii Tridentini [e] præſcriptum annuatim, vel ſaltem infra biennium, ubi tamen ampla ſit Diœceſis, per ſe ipſos vigilantiſſime impleant, nec unquam per alios, niſi gravis urgeat neceſſitas, aut impedimentum adeſſe contingat, ut abſque maximo, & evidenti publicæ, vel propriæ ſalutis diſcrimine, ab eo onere non excuſentur. Cumque alios ad munus hoc obeundum delegare oportuerit, curæ ſit ipſis diligenti, ut viros Eccleſiaſticos, quorum ſaltem aliqui ſint Presbyteri, probos, pios, ac doctos, manuſque ab omni munere excuſſas habentes; eligant, ac dimittant; quique attente, cum Eccleſiarum, ac ſubditorum fructu, ſuo muneri, Conciliique menti ſatisfaciant.

c) Seſſ. 23. de reform. c. 1.

d) 1. Petri 5. v. 3.

e) Seſſ. 24. de reform. c. 3.

CAP.



## C A P. II.

*Vicariorum Generalium electio, eorumque officium Epiſcopis commendatur.*

EPiſcopi præterea in Vicarios Generales ſuos fratres, aut nepotes, aut propriæ Epiſcopalis urbis Cives non eligant: ſerioque itidem animadvertant, ut ſacræ ab illis, in cauſarum deciſionibus, juris & Conciliorum ſanctiones, ac præcipue Tridentini decreta, Synodales propriæ, & Provinciales Conſtitutiones obſerventur; atque memores ſecundæ opinionis inter ſexagintaquinque, a ſan. mem. Innocentio XI. Prædeceſſore noſtro, damnatas, Doctorum ſententias minus probabiles penitus non ſequantur. Sint inſuper in cauſæ cujuslibet cognitione maturi, & in expeditione celeres: ſintque ab omni cupiditate liberi, & a perſonarum acceptione alieni. Præſcriptas mercedum Taxas ſervent ipſi, & a ſingulis quibuslibet Cancellariæ, Curiæque Epiſcopalis miniſtris ſervari omnimode procurent, quacumque conſuetudine penitus non ſuffragante.

## C A P. III.

*Procurator, vel Advocatus Pauperum in qualibet Civitate ab Epiſcopis conſtituatur.*

REgale ab Epiſcopis honoratur Sacerdotium, dum in populis judicium, & juſtitiam faciunt; & Pontificali, quo fulgent, imperio, oppreſſos a calumniatoribus ſublevantes, pauperibus etiam, viduis, peregrinis, pupillis, & orfanis, paratum ita contra potentes, a quibus illi facilius opprimuntur, auxilium exhibent, & protectionem, ut, non ſolum iis cito ſubveniant exorantibus, ſed & ſolliciti ſemper ſint, & vigiles, ne opprimantur. Quocirca Epiſcopos in Domino adhortamur, ut unum, aut plures, ſi id expoſcat neceſſitas, & vires ſuppetant, in eorum deputent Civitate Pauperum Procuratores, vel Advocatos, pios, probos, & doctos, qui miſerabilium cauſas perſonarum, tam in criminalibus, quam in civilibus gratis defendant, lis quamvis ſit coram Judice laico mota. Ut autem quam felicius id aſſequi poſſint Epiſcopi, curent in eadem ipſorum Civitate erigi Confraternitatem S. Ivonis, hac in noſtra alma Urbe, magno cum pauperum ſolatio inſtitutam, atque, ad illius exemplar, perſonas æque pias, ac doctas, eidem aggregari, quæ proprio labore, induſtria, & eleemoſynis, proximi miſeriis ſuccurrant, & pro eis apud Epiſcopos, miſerabilium Patres, fiducialiter agant, ut eiſdem paternæ, ac ſacerdotalis oſtendant viſcera charitatis.

## C A P. IV.

*Cathedraticum Epiſcopis ſolvendum declaratur.*

IPſo communi jure [a] eſt cautum, ut Epiſcopis Cathedraticum a clericis debeatur, quod eſt duorum ſolidorum, viginti ſcilicet juliorum, cenſus, Cathedrali Eccleſiæ ſolvendus, in ſignum honoris, & ſubjectionis Cathedræ Pontificali. Jus ſane, inter cetera Epiſcopalia, ita privilegiatum, ut neque ab Epiſcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo, vel immemorabili conſuetudine præſcribi: Quod ſi forte aliquid ſub alio, vel fixorum munerum, vel xeniorum nomine offeratur, decernimus, ut ab Epiſcopis, tanquam qui non præmium, ſed honorem poſtulant, munera, & xenia recuſentur hujuſmodi; & Cathedraticum dumtaxat, ſummam non excedens prædictam, ab Eccleſiis (non tamen Regularium) & a Beneficiatis, ſibi ſubjectis, tali etiam volumus moderatione exigatur; videlicet.

I. Quibus ſunt redditus infra ſcuta decem (idem de ducatis monetæ Neapolitanæ intelligatur) duo julii.

II. Quibus ſcuta infra quinquaginta, julii quinque.

III. Quibus infra centum, julii decem.

IV. Quibus ultra centum, vel quacumque in alia majori ſumma, julii quindecim.

V. Ab Eccleſiis vero, ubi plures de maſſa participant, ab omnibus in communi, julii viginti, ſalvis tamen conſuetudinibus, Eccleſiis, & Epiſcopis magis favorabilibus.

a) Can. Placuit. Cau. Illud te Can. final. 10. q. 3. & cap. Conquerente. extra h. t.

## C A P. V.

*Parochis Quartam Funeralem a Regularibus deberi, decernitur.*

QUam demum, hoc decurrente Concilii tempore, edidimus Conſtitutionem, in ejuſdem calce Concilii exhibendam, ſuper Quarta Funeralium, in Italia, & inſulis adjacentibus Parochis ſolvenda a Regularibus quibuſcumque, in quorum Eccleſiis defunctos contigerit tumulari; Epiſcopi omnes ſuis in Civitatibus, ac Diœceſibus, ſtatim, cum illa in eorum manus pervenerit, publicandam curent, atque pro illius obſervantia invigilent, etiam tanquam noſtri, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ delegati.

# T I T U L U S IX.

## De majoritate, & obedientia.

## C A P. I.

*Epiſcopis exemptis, qui Metropolitanum adhuc, ad Concilii Tridentini formam, non elegerunt, ne ulterius illius electionem differant, interdicti pœna propoſita, demandatur.*

IN hujus celebratione Concilii noſtrorum multos novimus Epiſcoporum, qui Tridentinæ uſque adhuc non obtemperavere ſanctioni, qua Epiſcopi, Nobis, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecti, vicinum aliquem Metropolitanum ſemel eligere, & cum aliis Provinciali Synodo intereſſe, jubentur [b]. Ut itaque generali eidem Conſtitutioni debita præſtetur obedientia, pari Nos decretali, ſacro etiam approbante Concilio, mandamus, ut Epiſcopus quilibet exemptus, antequam alma ex hac Urbe noſtra diſcedat; ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, Nobis reſervata, donec uſque paruerit, ſuum tandem aliquando eligat Metropolitanum; quam electionem abſentes quoque, ſub eadem pœna, efficiant infra menſem, ab hujus publicatione Concilii.

b) Seſſ. 24. de reform. c. 2.

CAP.

## C A P. II.

*Archiepiſcopos, Provincia, & Suffraganeis carentes, nec Concilia Provincialia cogere, nec ab exemptis in Metropolitanos eligi poſſe, declaratur.*

CUmque juris tantummodo ſit, majoritatis, ac præeminentiæ Metropolitanorum, [a] Provinciam, & Epiſcopos, ſibi, & Metropolitanæ Eccleſiæ ſuffragantes, habentium, Concilia Provincialia cogere, quæ merito Epiſcoporum Conventus appellantur; decernimus idcirco, & ex Concilii Tridentini mente declaramus, nulli licuiſſe, nec licere Archiepiſcopo, qui Provincia, & Epiſcopis careat ſuffraganeis, ſub prætextu quoque, quod Abbates adſint in ejus Diœceſi exempti cum Territorio ſeparato, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, Provinciale Concilium ſolis cum iiſdem Abbatibus celebrare: quod ſi fecerit, non Provincialem, ſed Diœceſanam potius Synodum nuncupandam fore cenſemus; ac proinde nec talem Archiepiſcopum, ad Tridentinam, ut ſupra, ſanctionem exequendam, in Metropolitanum ab exemptis ipſis eligi poſſe definimus.

a) Can. Propter 4. & 15. diſt. 18.

## C A P. III.

*Ad Clericos ſub ſuorum Epiſcoporum diſciplina continendos, exemptionibus, ac Patentium Literarum conceſſioni modus imponitur.*

QUoniam, ſicut Generalis ipſa declarat Tridentina Synodus, privilegia, & exemptiones, quæ Clericis a pleriſque conceduntur, perturbationem hodie in Epiſcoporum excitant juriſdictione [b], atque exemptis ipſis, qui, canonicam proprii Superioris diſciplinam reſpuentes, exemptionum literas perquirunt, ita laxioris vitæ occaſionem præbere dignoſcuntur, ut tantæ demum pravitatis efficiantur, quod depreſſionem ejus cupiant, cujus acceperunt divinitus conſecrationem [c]; Epiſcopis idcirco injungimus, ut, cum neceſſe fuerit, contra exemptos Clericos, juxta præfati Concilii diſpoſitionem procedant [d]. Quo vero ad Subcollectores, & Patentatos, alioſque Cameræ Apoſtolicæ Miniſtros ubique locorum Italiæ, & Inſularum adjacentium, ubi Generalis ejuſdem Cameræ Theſaurarius, & Nuntii Apoſtolici juriſdictionem exerceant, mandamus ſervari decretum Congregationis Concilii ſub die vigeſimaſeptima Februarii 1677. confirmatum a ſan. mem. Innocentio XI. in hujus calce Concilii referendum, cum ſuis declarationibus.

b) Seſſ. 14. de reform. c. 11.

c) Ex Fulbert. apud Hellier de Sac. Elect. par. 1. c. 2. art. 1. §. 12. n. 23.

d) Seſſ. 6. c. 3. Seſſ. 14. c. 4. & cit. ſeſſ. 14. c. 11. de refor.

# T I T U L U S X.

### De Foro competenti.

## C A P. U N I C.

*Foro cuilibet Epiſcopali, circa Taxas in eo ſervandas, providetur.*

AD execrabilis, ut decet, e Foro Epiſcopali omnem dimovendam cupiditatis ſuſpicionem, Taxa cum primis Innocentiana, volumus, publice in omnibus proſtet Cancellariis; & quidquid in ſingulis cauſarum expeditionibus exolvi debet, juxta Taxam ipſam exigi ſine ulla fraude jubemus. Quoad caſus vero, in ipſa Taxa non comprehenſos, propriam uniuſcujuſque Diœceſis ſervandam declaramus. Propria ubi autem non habetur, eam Romanæ Provinciæ Epiſcopi in prima eorum Diœceſana Synodo, regionis more ſpectato, ſtatuant, ac conficiant, & ad Nos pro approbatione tranſmittant: alii vero, Nobis, & S. Sedi immediate ſubjecti, vicini Metropolitani Taxam, in eorum Tribunali ſervandam, accipiant. Reliqui demum aliorum quorumcumque locorum Epiſcopi, qui ſimiliter Taxa propria carent, ut, quæ Notarii, aliique Officiales in ſingulis cauſarum, functionum, ſcripturarum, ceterarumque actionum generibus, accipere ſtipendia debent, innoteſcat, eam in prima pariter eorum Synodo, eadem habita locorum circumſpectione, conſtituant, & ad primum eorum Provinciale Concilium deferant approbandam. Quæ deinde Taxæ, typis datæ, pro communi omnium notitia, ſuis reſpective affixæ ſemper maneant in Cancellariis.

# T I T U L U S XI.

### De Feriis, & Feſtorum dierum obſervantia.

*Feſtorum dierum obſervantia inculcatur. Modus proprius illos ſanctificandi oſtenditur.*

## C A P. I.

EX quo Catholica noſtra Eccleſia veteris, novique Teſtamenti oraculis inſtituta, dies Dominicos, aliquoſque alios per annum, æterno totius temporis Creatori, ac Domino conſecravit, illos ſuis fidelibus, ad quietem nedum e diuturnis laboribus capeſſendam, ſed & præcipue ad majorem in iis Deo cultum præſtandum, religioſe ſemper obſervari mandavit, omnique adhuc mandat devotione cuſtodiri, ac religione ſanctificari. Diſtricte itaque omnibus, qui chriſtiana profeſſione ſignantur, eſt ab ipſa Eccleſia præceptum, & Miſſam diebus omnibus Dominicis, ac Feſtis audire, & inſimul a quocumque eos labore, & ſervili opere abſtinere. Cum autem Toletani Concilii tertii decreto [e], graviter eos peccare definiatur, qui feſtis diebus, audita tantummodo Miſſa, otio ſe dedentes, totum diem in aleis, & choreis inhoneſtis, in ebrietatibus, commeſſationibus, aliiſque peccatis, & vanitatibus tranſigunt; ne propterea de ipſis apud Deum dicatur, *tempus faciendi, Domine, diſſipaverunt legem tuam* [f], illos ex animo monemus, ut diebus omnibus, Deo conſecratis, Deo ipſi, ac ſpiritualibus vacare ſtudeant; Eccleſias religioſius adeant: Sacramentis ſe mundent, communientque: Concionibus, diviniſque officiis interſint; ac ferventius ſe in operibus pietatis exerceant.

e) Can. 23.

f) Pſal. 118.

CAP.



## C A P. II.

*Servile opus quomodo Feſtis ipſis diebus permittendum; pietate id ſuadente, vel exigente neceſſitate?*

SUper iis autem, quæ in eorumdem Feſtorum occurſu vel pietas ſuaſerit, vel humana exegerit neceſſitas, univerſis Chriſti fidelibus volumus, juxta ſacros Canones [a], conſueta miſericordia ſubveniatur. Unde & meſſis, & vindemiarum tempore, aliaque conſimili urgente occaſione, cui tunc aliter omnino provideri non poſſit, liceat, cum ita Epiſcopi in ipſorum licentia, gratis concedenda, convenire judicaverint, ſervile opus aggredi, Miſſa ſaltem prius audita. Qui vero licentiam obtinuerint, adhortatione moneantur, quatenus ex eo, quod illis utilitatis obvenerit, Eccleſiis circumpoſitis, & Dei pauperibus, aliquam, in alterius veluti cultus repenſum, faciant portionem.

a) Cap. Licet. De Feriis.

# T I T U L U S XII.

### De fide Inſtrumentorum.

## C A P. I.

*Bonorum eccleſiaſticorum Inventaria, infra annum conficienda mandantur, a ſummo Pontifice, & ab Epiſcopis reſpective recognoſcenda, & approbanda.*

ECcleſiaſtica bona, quæ ſane Chriſti, ejuſque Miniſtrorum, & pauperum patrimonia ſunt, ut ſacrilegis ab uſurpatorum manibus vindicentur, & primævo ſuo, ac legitimo juri reſtituantur, in eoque, prout convenit, conſerventur, officium, & auctoritatem noſtram, interpellant. Itaque, ſacro etiam approbante Concilio, & Motui proprio Nos inhærentes fel. rec. Sixti V. [b] infra cum aliis ſubjungendo, Capitula quæcumque, & Collegia, atque Eccleſiarum, & beneficiorum, etiam ſimplicium, & de jure patronatus, Rectores, omneſque Hoſpitalium, Confraternitatum, Congregationum, ceterorumque locorum piorum, quomodolibet etiam exemptorum, Adminiſtratores requirimus; eiſque, & eorum ſingulis, ſub pœna etiam interdicti contra Capitula, & Collegia ipſa, ſuſpenſionis contra Clericos, ſacris ordinibus initiatos, & excommunicationis contra Laicos, & reliquos Clericos, in minoribus conſtitutos, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ac diſtrictiſſime mandamus, ut infra annum, poſt hujus Concilii promulgationem, noſtro reſpective, & Epiſcoporum arbitrio, ex rationabili tantum cauſa, moderate prorogandum, eorumdem Nos Epiſcoporum conſcientiam onerantes, bonorum omnium, quavis ratione ad eadem Capitula, Collegia, Eccleſias, Beneficia, Hoſpitalia, Confraternitates, & Congregationes pertinentium, quorumque cura ipſis, ſive in communi, ſive in particulari commiſſa reperiatur, legale Inventarium conficere, & perfectum Nobis reſpective, ac ſuis Epiſcopis, infra idem tempus, pro recognitione, & approbatione ſimul exhibere habeant, & debeant; ſervata in omnibus methodo, & inſtructione, quam hic dabimus in Appendice.

b) Anni 1587.

## C A P. II.

*Authenticum cujuſque Inventarii exemplar in Archivis Apoſtolico, & Epiſcopali, propriaque Eccleſiæ cuſtodiendum.*

PErfectorum autem duo fient authentica quorumlibet Inventariorum exempla, quorum alterum in Archivo noſtro Apoſtolico, & in Epiſcopali ſuo reſpective collocandum volumus, & jubemus: alterum penes ſit intereſſe habentes, ſervandum tamen in propriæ Eccleſiæ Archivo; quo ſi quis careat, in alio viciniorís Parochiæ cum ſua cautela deponat.

## C A P. III.

*Archivi Epiſcopalis erectio, ejuſque inſtructio præcipitur. Scripturarum omnium Inventarium penes Epiſcopum ſervetur.*

EPiſcopale idcirco Archivum in Epiſcopio, & loco, quo poſſit, tutiori ſimul, atque commodiori, Epiſcopi ſtabiliter erigant, & conſtituant. In illo Curiæ proceſſus, atque ſcripturæ omnes, tam ad Epiſcopi menſam, quam ad Diœceſim etiam univerſam pertinentes, ſuo ordine reponantur: eaque potiſſimum, quæ de anno 1626. Concilii Congregatio ſuis literis, pro inſtructione hic dandis in Appendice, ad Epiſcopum Comenſem enumeravit. Vigore autem Bullæ S. Pii V. quæ incipit *Muneris noſtri* [c], omnibus, & ſingulis Epiſcopis diſtricte præcipimus, & mandamus, quatenus Archiva Epiſcopalia perpetuo integra cuſtodiantur, &, Cathedralibus Eccleſiis, eorum Paſtoribus viduatis, Vicarii capitulares, aliive, gratia, odio, timore, vel ſordibus, quos velint proceſſus, & ſcripturas ſurripere, vel lacerare non valeant; Inventarium authenticum omnium, & quorumcumque Curiæ ejuſdem Epiſcopalis proceſſuum, tam civilium, quam criminalium, Inſtrumentorum etiam, ac ceterarum quarumcumque cauſarum, quotannis per ipſius Curiæ Notarium conficiendum invigilent; & confectum, ejuſdemque Notarii manu ſubſcriptum, penes ſe diligenti cura conſervent.

c) Anni 1571.

## C A P. IV.

*Caſu eveniente mortis Epiſcopi, vel eo in longinqua profecturo, cui Inventarium ipſum pro cuſtodia conſignandum?*

CUmque Epiſcopi ex hac vita ſe migrare perſpexerint, Inventarium ipſum, eorum ſigillo obſignatum, fideli Sacerdoti, cui, morte impendente, peccata confitebuntur, committant, ut illico, poſtquam obierint, illud Prælato dignioris Conventus ſuæ Civitatis conſignet, tute, & fideliter cuſtodiendum, ſucceſſor donec Epiſcopus advenerit, cui clauſum item, & integrum præſentet: quod & ipſimet Epiſcopi per ſe implere non omittant, ſi quando longius e Diœceſi neceſſe habuerint peregre proficiſci. Caſu autem eveniente, quo Epiſcopus e vivis inopinato deficiat; tunc per Capitulum, in juribus ſuccedens Epiſcopalibus, una cum Vicario Generali defuncti Epiſcopi,

con-

confeſtim, & ſi fieri poterit, antequam ad Vicarii Capitularis electionem deveniatur, Archivum Epiſcopale prædictum viſitetur, novumque Inventarium conficiatur, cum eo conferendum, quod penes Epiſcopum, dum vivebat, aſſervabatur, ſi inter alias illius ſcripturas acciderit inveniri,

C A P. V.

*Pœnæ recenſentur contra Archivorum proceſſus, documenta, & ſcripturas quaſcumque temerantes, vel ſurripientes.*

QUicumque tandem proceſſus, ſcripturas, & documenta hujuſmodi violaverit, corruperit, ſubtraxerit, combuſſerit, ſuppreſſerit, ſeu ſimilia fieri mandaverit, aut auxilium, conſilium, vel favorem præſtiterit, omni ſit dignitate, officio, & beneficio privatus, & ad futura obtinenda inhabilis eo ipſo,

C A P. VI.

*Ad proprias conſervandas ſcripturas unaquæque Eccleſia, locumque pium quodlibet ſuum erigat, & inſtruat Archivum,*

HInc ad Eccleſiarum monimenta ſervanda, tuta in unaquaque Eccleſia, Cathedrali præſertim, Collegiata, & Parochiali, ubi tamen inſtituta non adſint Archiva, quamprimum inſtituenda præcipimus; ſcripturis omnibus, ad eas pertinentibus, compulſatis, recenſitis, & ſummatis, cum ſuo Indice, ſeu Catalogo, Archiviſtæ manu ſubſcripto: quod & in Hoſpitalibus, Confraternitatibus, lociſque aliis piis conſimilibus fieri mandamus, ne ſcripturæ, per manus oberrantes, deperdantur, vel iniqua uſurpantium cupidine rapiantur, & occultentur. Si cui vero Eccleſiæ, vel pio loco proprii non ſuppetant inſtituendi vires Archivi, a ſingulis in Epiſcopali Archivo ſpeciale conſtituatur Armarium, in quo libri, & ſcripturæ omnes ſuo ordine reponantur.

T I T U L U S XIII.

De jure jurando.

C A P. I.

*Excitantur Epiſcopi ad Sixtinam Conſtitutionem ſervandam in ſacrorum Liminum viſitatione; pro cujus faciliori obſervantia inſtructio datur in Appendice.*

EPISCOPORUM nullus ignorat, ex antiquis ſacrorum Canonum decretis, recol. mem. Sixti V. Conſtitutione, incipiente *Romanus Pontifex*, innovatis [a], ſpeciali ſe, Pontificalem ante ordinationem emiſſo, juramento, nedum ad Sanctorum hæc Apoſtolorum Petri, & Pauli Limina perſonaliter, ipſoque præpedito, certum per ejus Internuncium viſitanda, obligari; verum etiam Romano Pontifici, vel pro eo Cardinalibus, Tridentini Concilii Interpretationi præfectis, de paſtorali officio ſuo, deque omnibus, ad illius, cui præeſt, Eccleſiæ ſtatum pertinentibus, rationem ore, & ſcripto reddendam adſtringi; reſponſa tunc Apoſtolica recepturum, debitæ per eam mandanda executioni. Ipſius itaque Conſtitutionis, imo & Epiſcoporum juramenti, ſuper illius obſervantia præſtiti, memoriam hic Nos facientes, eorum ſingulos in Domino rogamus, & ex animo admonemus, ne ita paſſim perſonali ab hac viſitatione ſe diſpenſent; monita hic multa, & ſane proficua, eorumdem Sanctorum Eccleſiæ Principum Patrocinio, e ſummi Pontificis vivæ vocis oraculo percepturi, quæ ſcriptis aliquando nequeunt conſignari. In relationibus autem nuda ſe tantummodo Civitatis, & Diœceſis deſcriptione inutiliter ne fatigent, ſed utilia ab inutilibus ſecernentes, quæ in eorum Eccleſiis ad Dei gloriam propagandam, Chriſtianam Religionem promovendam, animarumque ſalutem magis procurandam, deducenda judicaverint, clare, breviterque referant, ac deducant: idque, ut felicius fiat, & fructuoſius, adamuſſim ſuper hoc, in calce dandam, inſtructionem perlegant, & exequantur.

a) Anni 1585.

C A P. II.

*Juramentum, alias exigi ſolitum a Reis criminaliter inquiſitis, dum judicialiter uti Principales examinantur, in poſterum ne ullo modo ab iis in quocumque Tribunali exigatur, præſenti conſtitutione inhibetur.*

REprehenſibile judicari non debet, ſi ſecundum temporum varietates, ubi id neceſſitas, vel utilitas expoſcat, conſuetudines, & leges quandoque varientur humanæ [b]; ipſe enim Deus, & Dominus, æternus Legifer noſter ex iis, quæ veteri in Teſtamento ſtatuerat, multa poſtmodum mutavit in novo. Stylum itaque in quibuſdam Curiis Sæcularibus, & Eccleſiaſticis, nullo unquam jure præceptum, inoleviſſe perpendimus, ut Judices, ſive eorum Notarii, aut Scribæ, Reos, criminali facinore accuſatos, examinaturi, juramentum ab his præſtari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, quotidiana ſicuti eſt experientia compertum, nec in Fiſci favorem, nec contra Reos ipſos, qui ut plurimum patrata a ſe negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur: adeout peculiari in hac facti contingentia, nedum talia deinceps juramenta exigendi neceſſitas non adeſſe probetur; imo potius, ne illa penitus exigantur, ſacri ipſa juramenti ratio poſtulet, ac ſuadeat; hinc eſt, quod Nos, rationibus utrinque perpenſis, & quamplurium inhærentes inſignium Tribunalium praxi, juramentum ipſum, per Reos, ſic criminaliter inquiſitos, præſtandum, conſulto, dum uti Principales tantummodo conſtituuntur, tollendum, & ſubmovendum ducimus; prout, ſacro etiam approbante Concilio, præſenti hac conſtitutione omnino tollimus, ac ſubmovemus: nec juramentum hujuſmodi ullatenus a Reis eiſdem, niſi tamen ut teſtes quoad alios examinentur, in futurum per quoſcumque Judices, & Miniſtros, ſub quovis prætextu, cauſa, & quæſito colore volumus, exigatur; alias examen, ſive conſtitutum, & Acta omnia nulla ſint eo ipſo, & irrita, omnique careant contra Reos effectu.

b) Cap. Non debet. De Conſang. & Affin.

TITU-



T I T U L U S XIV.

De Appellationibus.

C A P. I.

*In Appellationum Judiciis Pontificiæ quædam declarationes obſervandæ decernuntur.*

CONCILII IV. Lateranenſis [a] ſalubri definitione docemur, iis non eſſe appellationibus deferendum, quarum remedia, cum ad æquitatis, ac pacis præſidia ſint inſtituta, ad injuſtitias, ac diſſidia fovenda uſurpari videntur. Quocirca, ut recta in appellationum Judiciis ratio, debituſque honor Judicibus ſervetur, atque litigantium expenſis ſimul, ac laboribus conſulatur, quæ ex Alexandri III. Decretali in cap. *Cum ſit Romana* [b], & Innocentii IV. in cap. *Romana* [c] ſtatuuntur, ac etiam per Concilii Tridentini decreta demandantur, & quæ conſultiſſime item edidit Congregatio, negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, atque Clemens VIII., ac Urbanus ſimiliter VIII. comprobarunt, præſenti Nos Synodali ſanctione innovantes, noſtris cum aliquibus declarationibus, ad hujus Concilii calcem apponendis, diligenter obſervanda decernimus; quacumque in contrarium conſuetudine, etiam immemorabili, ſtylo, aut privilegio, penitus excluſis, atque ſublatis.

a) Cap. 48. De modo recuſandi judicem.
b) Hoc Tit.
c) Eod. Tit. in 6.

C A P. II.

*In Cauſis criminalibus, ad favorem Fiſci Curiarum Epiſcopalium, & cujuſvis Superioris Regularis, conſtituitur Romæ Generalis Promotor Fiſcalis.*

PRæterea, cum non raro contingat, contra Fiſcum Curiarum eccleſiaſticarum, etiam Regularium, ab aliquo criminalis delicti Reo, noſtram ad hanc Sedem Apoſtolicam appellari, & propter defectum alterius partis, appellationi non adhærentis, Epiſcopi videlicet, vel ipſius Superioris Regularis, qui reſpective in præjudicium Diœceſis, Pauperum, & propriæ Religionis, lites hic, expenſaſque ſufferre non valent, controverſias, publico cum juſtitiæ detrimento, vel indeciſas remanere, vel ut plurimum, Fiſci partes nemine tuente, terminari, cum abſolutione Rei tantummodo comparentis; præcipimus idcirco, ut, ubi in cauſis criminalibus Epiſcopi, aliive locorum Ordinarii, ſeu Superiores quilibet Regulares, ex officio, & ad nullius querelam, vel accuſationem, proceſſerint, atque ab eorumdem fuerit decretis, vel ſententiis ad Nos, ſive Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Auditorem appellatum, vel ad Congregationes recurſus habitus, illico a partibus de recurſu, & appellatione hujuſmodi certior fiat Promotor Fiſcalis Generalis, quem hic in eadem Urbe noſtra, ſub tali titulo, in Epiſcoporum, & Regularium Judicum levamen nuper perpetuo conſtituimus. Is etenim in poſterum jura Fiſci eccleſiaſtici appellati, tum in cauſis eiſdem introductis, tum introducendis, & quæ actu in præfatis Tribunalibus pendent, pro ſui muneris debito defendet; juſto dumtaxat, & convenienti, per Nos eidem aſſignato, ſtipendio ſcutorum vigintiquinque, a Camera noſtra Apoſtolica ſingulis menſibus ſolvendorum, contentus; prout in Chirographo noſtro ſub die 12. Julii elapſi anni 1724. expedito, in hujus Appendice Concilii legendo, plenius continetur.



T I T U L U S XV.

De celebratione Miſſarum, Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis Officiis.

C A P. I.

*In Sacramentorum adminiſtrationibus, Miſſarum celebratione, ceteriſque divinis Officiis, præſcripti Ritus, & Cæremoniæ ſerventur.*

CUM inviſibilia Dei per viſibilia Religionis, ac pietatis ſigna, quæ cæremoniarum nomine cenſentur, intellecta conſpiciantur, Paſtoralis noſtri muneris curam ad hoc intendimus, & ab omnibus fieri volumus, & mandamus, ut in Sacramentorum videlicet adminiſtratione, in Miſſis, & divinis Officiis celebrandis, aliiſque eccleſiaſticis functionibus obeundis, non pro libito inventi, & irrationabiliter inducti, ſed recepti, & approbati Eccleſiæ Catholicæ Ritus, qui, in minimis etiam, ſine peccato negligi, omitti, vel mutari haud poſſunt, peculiari ſtudio, ac diligentia ſerventur. Quamobrem Epiſcopis diſtricte præcipimus, ut contraria omnia, quæ in Eccleſiis, ſeu Sæcularibus, ſeu Regularibus (iis exceptis, qui proprio vel Rituali, vel Miſſali, vel Breviario utuntur, a S. Sede probato) contra præſcriptum Pontificalis Romani, & Cæremonialis Epiſcoporum, vel Rubricas Miſſalis, Breviarii, & Ritualis, irrepſiſſe compererint, deteſtabiles tanquam abuſus, & corruptelas, prohibeant, & omnino ſtudeant removere; quavis non obſtante interpoſita appellatione, vel immemorabili allegata conſuetudine; cum non quod fit, ſed quod fieri debet, ſit attendendum: & regula eſt, non cantari, niſi quod legitur eſſe cantandum [d].

d) D. Aug. in ſuis Regulis:

C A P. II.

*Decretum Clementis PP. XI. circa Miſſarum celebrationem in Oratoriis privatis, per Epiſcopos publicandum, & obſervandum præcipitur.*

QUod a fel. rec. Clemente XI. ſuo lato Decreto ſub die 15. Decembris 1703. in allegata ipſa Appendice proferendo, opportune mandatum fuit circa uſum Altaris portatilis, & Miſſarum celebrationem in Oratoriis domeſticis, volumus, Eccleſiarum omnium Epiſcopi in ſuis Diœceſibus publicent quamprimum, & exequutioni demandent; cuivis inſuper in privatis, ubi dormiri ſolet, cubiculis celebrandi facultate ſublata. Hæc ut ab omnibus, Regularibus præſertim, ſerventur, invigilent; adverſuſque contravenientes, ſpeciali adhuc privilegio exemptos, Epiſcopi ipſi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, cenſuris etiam eccleſiaſticis procedant; indultis, aut conſuetudinibus quibuſcumque non obſtantibus.

## CAP. III.

*Decreti ſupradicti declaratio, favore Epiſcoporum facta, hic refertur.*

SUpra relati vero Decreti, a recol. mem. Innocentio XIII. innovati, ſed in eo, quod ad Epiſcopos pertinet, ſua Conſtitutione ſuper eccleſiaſtica diſciplina pro Hiſpaniarum Regnis anno 1723. declarati, & a Nobis alia conſimili noſtra, præterito anno 1724. confirmati, declarationem hic ſubjungi jubemus, tenoris ſequentis.

*Declaramus tamen, quod, cum in prædicto Decreto ſtatuatur, non licere Epiſcopis extra Domum propriæ habitationis, in Domibus laicis erigere Altare, ibique ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrare, ſive celebrari facere, hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de Domibus, etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte, occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiantur; & hoc etiam, quando Epiſcopi in caſibus, a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, abſentes a Domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena Domo per modum ſimilis habitationis; his enim caſibus licita erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis; non ſecus ac in Domo propria ordinariæ habitationis.*

## CAP. IV.

*Anniverſarium pro ſummis Pontificibus, infra octavam commemorationis omnium Defunctorum, celebrandum decernitur Romæ in Cappella Pontificia, & Eccleſiis Patriarchalibus, & Collegiatis.*

QUod antiquitus, Papali prout eſt in Cæremoniali [a] relatum, laudabili, ex Alexandri IV. decreto, erat in praxi, ut ſummi ſcilicet Pontifices aliquo die quotannis, poſt fidelium omnium defunctorum commemorationem, pro ſummis Pontificibus, & S. R. E. Cardinalibus defunctis, ſacra in Apoſtolici Palatii Cappella coram ſe, & Sacro Collegio Miſſam cum cantu per aliquem ex Epiſcopis celebrari facerent; quomodo id adhuc pro defunctis Cardinalibus fiat, & pro ſummis ſit Apoſtolicis Sacerdotibus abolitum, præfatum Cæremoniale haud plene declarat. Antiquum Nos attamen, ac pium ipſum commendantes uſum; atque diſpoſitioni etiam inhærentes Cæremonialis Epiſcoporum [b], dignum, & congruum arbitramur; ut priſca reſumatur conſuetudo, & ſolemne pro ſummis eiſdem Pontificibus perpetuum Anniverſarium, ab eo, quod pro Cardinalibus agitur, omnino diſtinctam, coram etiam Pontifice, & ſacro ipſo Collegio de more, Papali prout in dicto Cæremoniali cavetur, prima die poſt fidelium defunctorum commemorationem agatur, cum Miſſa, & abſolutione in fine: quod ſimiliter octavam infra eamdem in Patriarchalibus ſaltem, & Collegiatis Urbis celebrari ſtatuimus, atque mandamus.

a) An. 1516. edito per Chriſtophor. Marcell. Archiep. Corcyren. lib. 2. cap. 14.

b) Infra cap. 5.

## CAP. V.

*Quæ in ſingulis Diœceſibus Anniverſaria pro defunctis Epiſcopis celebranda, præſcribuntur.*

EX ipſius inſuper Cæremonialis Epiſcoporum mandato [c], in univerſis cujuſque Civitatis, & Diœceſis Cathedralibus, & Collegiatis, aliiſque Conventualibus, ſeu Receptitiis Eccleſiis, præter ſolemne Anniverſarium, pro ultimi defuncti Epiſcopi anima in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per ſingulos annos agendum decernimus in perpetuum pro omnibus propriæ Diœceſis Epiſcopis, infra prædictam fidelium omnium Defunctorum octavam. Singulos quocirca, quos id agere oportet, convenimus; & illam eis Chriſti Domini ſententiam [d]: *eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*: paterne commemoramus.

c) Lib. 2. c. 36. & cap. 17.

d) Luc. 6. v. 36.

## CAP. VI.

*Muſico cantui in Eccleſiis modus imponitur, & organorum ſonus tempore Adventus, & Quadrageſimæ prohibetur.*

PRo eo autem, quod muſicam in Eccleſiis ſpectat, præter extravagantem *Docta*, de vita, & honeſtate Clericorum, Edictum pariter fel. rec. Alexandri VII. [e] innovandum eſſe ſtatuimus, prout hoc noſtro Decreto innovamus: ulteriuſque prohibendum ducimus, ne in Miſſis Defunctorum, diebuſque Adventus, & Quadrageſimæ, Feſtis dumtaxat exceptis, organa pulſentur, nec aliud quodvis muſicum inſtrumentum adhibeatur: quo tempore, Dominica ſcilicet Adventus tertia, dicta *Gaudete*, & Quadrageſimæ quarta, nuncupata *Lætare*, pulſari organa permittuntur in Miſſa tantummodo Conventuali. Sub pœnis interea, in præcitata Extravagante, & Edicto inflictis, cohibeant Epiſcopi Muſicæ Magiſtros, Organiſtas, & Cantores, alioſque quoſcumque a quibuſvis in Eccleſia indecori cantus modulationibus, ne fidelium magis videantur auribus prurire, quam pios in Deum affectus excitare.

e) An. 1665.

## CAP. VII.

*In ſolemnibus Sanctiſſimi Sacramenti Proceſſionibus, præter conſueta lumina, quatuor ſemper accenſas laternas circa Celebrantem deferri ſancitur.*

PRo conſueta, quæque alias haberi opus fuerit, ſolemni Sanctiſſimi Corporis Chriſti Proceſſione, pluribus quamvis a cæremoniali Epiſcoporum ſit, qua par eſt, cura omni præcautum, quatenus illa religioſe ſemper, & honorificentiſſime habeatur, luminibus præſertim adhibitis, a Clero, & Populo deferendus; verumtamen, cum, quæ deferri ſolent, lumina aperta geſtentur, eaque non raro vento, aut pluvia improviſo ſuperveniente, extincta omnia remanere videantur; ne idcirco (quod incongruum ſatis eſſet, atque Auguſtiſſimo Domino indecentiſſimum) lumina ſibi debita deſiderentur, curent Epiſcopi, & cum eis ſacrarum cæremoniarum Magiſtri advigilent, ut, per quos per-



pertinet, quatuor ſaltem cum ſuis haſtis laternæ, quæ tamen aliis ſint nobiliores, comparentur; & ſuis ſemper cum intus accenſis candelis, hinc inde circa celebrantem, qui Sacramentum geſtat, in poſterum deferantur.

## CAP. VIII.

*Facultas ſuper Miſſarum reductione, Monachis Caſſinenſibus conceſſa, ad Epiſcopos extenditur, qui ſive per ſe; ſive per Procuratores, Romano huic Concilio interfuere.*

NUper, inſtante coram Nobis Procuratore Generali Congregationis Caſſinenſis, Ordinis S. Benedicti, pro abſolutione ab hactenus, ex cauſis expoſitis, omiſſa in ſuis, per Italiam conſtitutis, Monaſteriis perpetuarum Miſſarum celebratione; ac inſuper pro æqua ipſarum, ad quas in futurum eadem Monaſteria tenerentur, Miſſarum reductione; ſequens ſuo ſub ſupplici libello, de mandato noſtro, a Concilii Congregatione emanavit Decretum.

BEATISSIME PATER. *Procurator Generalis Congregationis Caſſinen. Ordinis S. Benedicti, ad pedes Sanctitatis Veſtræ humiliter provolutus, exponit, ſuæ Congregationis Monaſteria, per Italiam conſtituta, ob bella, peſtilentiam, contributiones, ſubſidia, decimas, & alias calamitates, & infortunia, a prædictis cauſis, & aliis, heu, nimium notoriis, derivantia, dura premi paupertate: largitiones etiam Fidelium eſſe maximopere imminutas; & fundos quoque, & capitalia Miſſarum perpetuarum ex prænarratis, aliiſque cauſis, aut in totum deperdita, aut magna ex parte detrita eſſe, & conſumpta; Quocirca idem Procurator pari humilitate exorat pro dictarum Miſſarum perpetuarum, quæ uſque ad præſentem diem celebrari debuiſſent, & celebratæ non ſunt, benigna condonatione; & pro earumdem Miſſarum moderatione, & reductione in futurum.*

Die xv. Julii 1724.

*SS. D. N. BENEDICTUS Papa XIII. mature conſideratis cauſis, ſupra recenſitis, necnon exemplis ſuorum Prædeceſſorum Alexandri VII., Clementis X., Clementis XI., & præſertim Innocentii XIII. Romanorum Pontificum, ab hactenus omiſſa Miſſarum perpetuarum celebratione miſericorditer abſolvit; mandavitque, ut a Patre Abbate Generali cum ſuorum Aſſiſtentium, quatenus juxta Conſtitutiones adſint in ſua Religione Aſſiſtentes, ſin minus aliorum graviorum Patrum, quos in arduis conſulere conſuevit, conſilio, unum Monaſterium in unaquaque Provincia eligatur cum facultate mutandi, & alterum toties, quoties ſibi videbitur, adhibito prædicto conſilio, in unaquaque Provincia ſubſtituendi, in quorum reſpective Monaſteriorum deſignandorum Eccleſiis, quolibet anno in perpetuum, initio ducto ab anno 1725. uno die infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum, unum Anniverſarium, in tabella onerum Monaſteriorum deſcribendum, celebretur, & applicetur pro Animabus illorum, pro quibus præfatæ Miſſæ perpetuæ erant celebrandæ, & applicandæ, & hactenus non fuerunt celebratæ, & applicatæ. Quoad onera vero perpetuarum Miſſarum uſque in præſentem diem acceptata, & in poſterum adimplenda, Sanctitas Sua eidem Patri Abbati Generali demandavit, ut, adhibito ſuorum prædictorum conſilio, e ſingulis Italiæ Provinciis binos, aut etiam plures eligat Religioſos, pietate, zelo, doctrina, & probitate præditos, qui teſtamentis, inſtrumentis, libris, tabellis, ceteriſque documentis, quibus onera Miſſarum, unicuique Monaſterio ſuæ Provinciæ reſpective incumbentia, deſcripta continentur, perſpectis, ac ſedulo examinatis, & redditibus, unicuique oneri attributis, necnon eorum diminutionibus diligenter perquiſitis, atque perpenſis, & præſertim, an ipſæ diminutiones perpetuæ ſint, vel temporaneæ, diſtinctam, atque fidelem deſcriptionem ad eumdem Patrem Generalem tranſmittant, qui una cum dictis Patribus Aſſiſtentibus, aut aliis ſupra memoratis, quos in arduis conſulere conſuevit, pro eorum omnium conſcientia (cujus rationem ſupremo Judici Chriſto Domino ſe diſtricte reddituros, meminiſſe debebunt) unamquamque Miſſam perpetuam, moderari valeat, & reducere ad rationem eleemoſynæ ſcutorum ſexaginta monetæ Romanæ pro qualibet Miſſa quotidiana, intra terminum trium annorum a data præſentium; factaque poſt reductionem diſtincta onerum deſcriptione in Tabella onerum Miſſarum uniuſcujuſque Monaſterii. Ceterum quoad novorum onerum, ſeu eleemoſynarum, aut oblationum pro Miſſis perpetuis celebrandis, acceptationem in futurum; Sanctiſſimus Dominus Noſter, inhærendo Decretis de celebratione Miſſarum, juſſu fel. rec. Urbani PP. VIII., & fel. rec. Innocentii Papæ XII. per Sac. Congregationem Concilii editis, prohibuit omnibus, & ſingulis Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, ne in poſterum onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſuſcipiant ſine Generalis pro tempore, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda; renovata pœna privationis contravenientibus omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, & privationis pariter ipſo jure, & abſque alia declaratione vocis activæ, & paſſivæ: & quoad ipſos Generales, ſeu Provinciales, de licentia requiſitos pro dictis oneribus perpetuis acceptandis, Sanctitas Sua in eorum memoriam revocavit, ipſos in ſingulis caſibus teneri diligenter inquirere de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, nec eos antea aſſenſum, aut licentiam præbere debere, quam ipſis legitime conſtiterit, Sacerdotes uniuſcujuſque Eccleſiæ, & Monaſterii, tam novo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis jam ſuſceptis, ſatisfacere poſſe; præcipuamque demum ab ipſis Generalibus, & Provincialibus habendam eſſe rationem, ut redditus, & bona, quæ Monaſteriis aſſignantur pro Miſſis perpetuis, omnino reſpondeant non eleemoſynæ manuali, ſed eleemoſynæ perpetuæ, taxandæ juxta morem cujuſque Civitatis, Diœceſis, vel Provinciæ: & ſi in re tanti momenti deſides fuerint, aut negligentes, ſciant, ſe tam pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ, & aliorum pro tempore Romanorum Pontificum eſſe ſubjectos, quam prætermiſſi muneris in noviſſimo die rationem eſſe ſupremo Judici Chriſto Domino reddituros.*

Cumque communes modo a Venerabilibus Epiſcopis, qui in hoc convenere Concilium, ſimiles Nobis fuerint preces expoſitæ, & ſuarum reſpective Eccleſiarum nomine vetitum pro ejuſdem ad ipſos, & ipſorum quemlibet extenſione decreti; eis Nos idcirco gratiam volentes facere ſpecialem, decretum idem, juxta petita extendimus; & facultates ipſas Epiſcopis, non modo qui perſonaliter ſacræ huic Synodo interfuere, ſed, & qui, legitime impediti, certum per eorum Procuratorem acceſſerunt, favorabiliter, congrua congruis referendo, concedimus, & impartimur; eiſdem tamen in omnibus, quæ in eo exprimuntur, conditionibus ſervatis.

## CAP. IX.

*Sacrarum Cæremoniarum neglectui occurritur. Cleri Congregatio quater ſaltem in menſe habenda mandatur pro ſacrorum Rituum, & Caſuum conſcientiæ diſceptatione.*

SAne, prout, quibuſdam referentibus, & experientia ipſa, non ſine gravi noſtri cordis dolore, didicimus, plures ſunt Eccleſiarum, etiam non ignobilium, ſacrorumque Altarium Miniſtri, qui, parum illius attendentes majeſtatem, & dignitatem, ad cujus intimum ſunt famulatum addicti, in Choro, in Altari, & reliquis officiis eccleſiaſticis, ita minus apte ſe habent, ut in plurimorum ſcandalum, & exemplum pernicioſum id cedere dignoſcatur. Rubricæ namque ut plurimum ignorantur, & ſacræ cæremoniæ uſu ipſo vileſcunt. Quocirca operæ pretium ducant Epiſcopi, omnemque curam, ac diligentiam adhibere non deſiſtant, quouſque Congregationes, tum in Civitatibus, tum in Diœceſibus, per omnes de Clero, ſacris initiatos, Canonicos, Parochos, & Confeſſarios, (Regulares etiam, dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis confeſſionibus ſuſpendendos) ſemel in unaquaque hebdomada, certoque deſignando die, & ſub certa pœna pecuniaria contra contumaces, habeantur, in quibus alternatim, & Rituum, & Conſcientiæ caſus proponantur, diſcutiantur, & practice exerceantur, methodo ſervata ſynodali, quæ legetur in Appendice.

## TITULUS XVI.

### De vita, & honeſtate Clericorum

## CAP. I.

*Epiſcoporum vita ceteris ſit bona converſationis exemplo. Invicem ipſi juxta tempus Ordinationis ſe honore præveniant.*

EPiſcopi cum ceteros dignitate præcellant; ſunt etenim mundi lumina, ſal terræ, præcones divini, populorum duces, ac magiſtri, quos Deus tamquam Aaron, ad animarum præfecturam vocavit, & Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam ſuam; ut omnibus ſimiliter optimæ vitæ exemplo præluceant, locum in iis, quæ morum reformationem ſpectant, poſtremum obtinere haud debent. Nos itaque judicium quaſi incipientes a Domo Dei, univerſos monemus; & hortamur Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ut fraterna ſe ſemper charitate diligant, invicem æquali ſe veneratione prævenientes; ſervatoque Metropolitani primatu, ſecundum ſuæ ordinationis tempus, alius alii deferat locum, & honorem [a].

a) Can. Placit. diſt. 18.

## CAP. II.

*Suæ memores dignitatis, ſæcularium conſuetudine ne ſe deprimant.*

SUi præterea gradus altitudinis, ſummique honoris, ac dignitatis memores, ad infima quæque ſe non abjiciant, nimium ſe potiſſimum ſæcularium conſuetudine, ac familiaritate deprimentes. In aulis Principum, niſi Eccleſiæ, vel alia id poſtulet pietatis neceſſitas, non verſentur; nec, iis diſcumbentibus, ſtent ipſi, eo adhuc prætextu, ut, ſumpto cibo, Deo pro illis gratias agant. Cum Regum Miniſtris, Baronibus, aliiſque conſimilibus Dynaſtis, ita ſe gerant, ut omnino in Epiſtolis, & earum ſubſcriptione formulis numquam utantur inferioribus; atque in mutuis viſitationibus, omnique alio humanitatis commertio, ſive intra, ſive extra Eccleſiam, cum omnibus uti Patres, & Paſtores ſe habeant, & ſupra omnes, veluti ſuperiores, locum ſibi ſervent digniorem. Ceterum, ut qui ex adverſo eſt, nihil habeat dicere de ipſis, ab iis ſe omnibus abſtineant, quæ Concilia, Canones, Sanctioneſque Apoſtolicæ Epiſcopis vitanda præcipiunt: & ea rite, recte, ac ſolicite exequantur, quæ, Epiſcopali uti commiſſa miniſterio, præcipue ipſi tenentur obire.

## CAP. III.

*Quæ Clericorum vitam honeſtent?*

CUm Clericorum vitam, non minus habitu, & tonſura, quam ſcientia, & converſatione integram eſſe, & laudabilem videri deceat, ut qui laicis gradu, & ordine præſunt, moribus eos etiam præeant, ac doctrina; omnem noſtram requirit ſolicitudinem, quidquid ad canonicam eorum noſcimus pertinere inſtitutionem. Quamobrem Clericos omnes monemus, ut, in ſortem Domini vocati, quæ ſæculi ſunt, amare dediſcant: mittentes enim manum ad aratrum, & reſpicientes retro, aptos non eſſe Regno Dei, ſapientia edixit Divina [b]. In optimis itaque ſe ſtudiis, ſacriſque literis diligenter exerceant: ſacros ritus rubricas, & cæremonias calleant; cantum Gregorianum addiſcant: divinaque munia in Eccleſiis cum pietate obeant, & majeſtate. Officia vero profana ne agant: a prohibitis venationibus, ab indecoris ludis, & illicitis negotiis ſe abſtineant: mulierum conſuetudinem omnino devitent; & cum eis, niſi primo, vel ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctis, multoque magis extraneis, non cohabitent. Quique inſuper ignominiam ſæcularis habitus, & comas capitum pro Chriſti amore depoſuerunt, veſte, ac tonſura, Clericis congruente, ſemper utantur; comamque ficticiam, vulgo *Perucca*, aut *Cerchietti*, nunquam adhibeant: non annulos deferant, niſi hi eis ratione dignitatis competant; & tunc illos, niſi Abbates ſint benedicti, in Miſſæ celebratione deponant. In reliquis tandem Edictum ſuper Clericorum noſtræ Urbis vita, honeſtate, die 20. Decembris elapſi anni 1724. publicatum, hic in calce apponendum, Synodali hoc Decreto confirmamus; illudque Epiſcopi, aliique reſpective in ſuis etiam Diœceſibus publicandum, & omnimode obſervandum curent.

b) Luc. 9. 62.

## CAP. IV.

*Clericalis veſtis laicis Curialibus permittitur, præter Collare, quod ſit a Collari Clericorum diverſum.*

LAicis vero Curialibus, cum ſæpe ſit eis in Palatio noſtro Apoſtolico verſandum, ſæpiſſimeque etiam cum Cardinalibus, & Prælatis agendum; togam clericalem nigram communem facimus: at Collaria, Clericorum propria, ſive rotundæ ſint formæ, ſive quadratæ, penitus prohibemus eiſdem, prohibita jam ſibi eſſe ſciant; tenore ſervato noſtri Edicti, die 22. Januarii 1725. expediti.



## CAP. V.

*Sacramentorum frequentia Clericis commendatur.*

IPſi autem Clerici, ſive in minoribus ſive in Subdiaconatus, aut Diaconatus Ordinibus conſtituti, quatenus in dies valeant de virtute progredi in virtutem, & laicis etiam exemplo poſſint eſſe majori, ſacris initiati, ſingulis quibuſque quindenis diebus, ultra ſolemniores anni feſtivitates, ſacramentali mundentur exomologeſi, & ſacratiſſima, quotieſcumque fieri poterit, intra Miſſarum ſolemnia, communione reficiantur. Clerici vero alii inferiores id ſemel quolibet ſaltem menſe efficiant, optamus; ſuper quorum omnium executione, inſtante ordinationis tempore, proprii Parochi, reſpective, Rectores Eccleſiarum, & Sacriſtæ Majores deputato ab ordinandorum requiſitis miniſtro fidele teſtimonium perhibeant; tepidos autem, & incurios, qui ea adimplere neglexerint, ad Epiſcopum deferant coercendos.

## TITULUS XVII.

### De Clericis non reſidentibus.

## CAP. I.

*Ad debitam Epiſcoporum excitandam in eorum Diœceſibus Reſidentiam, Concilii Tridentini Decreta, hic relegenda, inculcantur.*

QUANTUM Epiſcoporum conſcientiam aggravet ſuis e Diœceſibus abſentia, quantumque noceat Chriſtiano populo hujuſmodi negligentia Paſtorum, ſatis ſuperque ab ipſo elicitur Concilio Tridentino. Quocirca Decretum *de Reſidentia*, tam ſub Paulo III. *ſeſſ. 6. de Ref. cap.* 1. quam aliud conſimile ſub Pio IV. *ſeſſ. 23. de Ref. cap. etiam* 1. ab eodem Concilio latum, ne ibidem ſancitæ ordinationes, ulla temporum injuria, deſuetudine, aut hominum oblivione aboleſcant, hic relegi, ac publicari volumus, & mandamus.

,, Eadem ſacroſancta Synodus, eiſdem præſidentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad reſtituendam collapſam admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, depravatoſque in Clero, & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens, ab iis, qui majoribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum; integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Confidens itaque per Domini, ac Dei noſtri miſericordiam, providamque ipſius Dei in terris Vicarii ſolertiam, omnino futurum, ut ad Eccleſiarum regimen (onus quippe Angelicis humeris formidandum) qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas, a puerilibus exordiis uſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia eccleſiaſticæ, laudabiliter acta, teſtimonium præbeat, ſecundum venerabiles beatorum Patrum ſanctiones aſſumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quovis nomine, ac titulo præfectos, monet, ac monitos eſſe vult, ut attendentes ſibi, & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant; implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant; atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus a ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant; cum certiſſimum ſit non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac divinis humana præferentes, in diverſis Curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſolicitudine, ovili derelicto, atque ovium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos: placuit ſacroſanctæ Synodo, antiquos Canones, qui temporum, atque hominum injuria pene in deſuetudinem abierunt, adverſus non reſidentes promulgatos innovare; quemadmodum virtute præſentis decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere, atque ſancire. Si quis a Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia, ſibi quocumque titulo, cauſa, nomine, ſeu jure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu juſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus loci per Superiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo jure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartam partem fructuum, ſimiliter applicandam, eo ipſo amittat. Creſcente vero contumacia, ut ſeveriori ſacrorum Canonum cenſuræ ſubjiciatur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum vero abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per litteras, ſeu Nuncium Romanum Pontifici denunciare teneatur, qui in ipſos abſentes, prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de Paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

Concil. Trid. ſeſſ. 6. de ref. cap. 1.

,, Ne vero ea, quæ de reſidentia ſancte & utiliter jam antea ſub fel. rec. Paulo III. ſancita fuerunt, in ſenſus a ſacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat; illis inhærendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiam ſi S. R. E. Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam, ubi

Ex eod. Concil. Trid. ſeſſ. 23. de refor. cap. 2.

,, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur; neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis & modis infraſcriptis. Nam cum Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reip. utilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent & exigant; decernit eadem ſacroſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas a beatiſſimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo abſente, a Suffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas; niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipub. officium, Epiſcopatibus adjunctum: cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit: ad eumdem tamen cum Concilio provinciali ſpectabit judicare de licentiis a ſe, vel a Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo jure abutatur; & ut pœnis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant.

,, Quoniam autem, qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt; ſacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum, ſive interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, ut id æqua ex cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento: quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam & timoratam fore; cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos alio vocent.

,, Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes, ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe: ſed teneri, aut ipſo ceſſante per Superiorem Eccleſiaſticum, illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, cuicumque Collegio, aut fabricæ conceſſis.

,, Eadem omnino, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen, ut quandocumque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione, relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant. Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis per cenſuras eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque beneficii, pactione, ſtatuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Conſtitutionis ſuſpendi poſſe. Poſtremo tam decretum illud ſub Paulo III. quam hoc ipſum in Conciliis Provincialibus, & Epiſcopalibus publicari ſancta Synodus præcipit: cupit enim, quæ adeo ex paſtorum munere, animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus, mentibuſque infigi, ut in poſterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

## C A P. II.

*Epiſcopi, poſt menſem ab eorum electione, ab Urbe diſcedere, & propria reſidentiæ Eccleſias adire tenentur; reſervata Cardinali Vicario ejuſdem temporis prorogandi facultate.*

OMnes interim Epiſcopos admonemus, & in Domino Jeſu, qui Paſtorum eſt Paſtor, adhortamur, ut, divinis obedientes præceptis, commiſſum ſibi Gregem, per eos paſcendum, regendumque, adire ne differant; memores, ſe vigore Conſtitutionis Urbani VIII. [a] poſt menſem ab electione, ad perſonalem in eorum Eccleſiis reſidentiam obligari. Ad quorumdam autem levandas anxietudines, cum unius menſis terminus, ipſis plerumque ab Urbe expediendis ſufficiens, aliquando non ſatis eſſe videatur; Cardinali Vicario noſtro pro tempore, quatenus, juxta caſuum contingentias, & cauſa cognita, indultum menſem ad alios quadraginta dies, & non ultra, prorogare valeat, facultatem concedimus, & impartimur, ipſius Urbani Motu proprio ſervato.

a) S. Synodi an. 1624.

## C A P. III.

*Abſentiæ facultates, per uſum ſolitæ Epiſcopis concedi, in Congregatione ſuper Epiſcoporum reſidentia expendi mandantur.*

PRovide cum nonnulla, ſecundum loca, & tempora, indulgeat Sedes Apoſtolica, quibus mutatis, conceſſa jam in ædificationem, in deſtructionem probentur inde permitti: mandamus quocirca, ut, Synodalibus hiſce completis actionibus, antiquus in Congregatione ſuper Epiſcoporum reſidentia expendatur Epiſcoporum catalogus, quibus licentiæ fere per uſum, recenti nulla expoſitæ neceſſitate, æſtivis præſertim, vel autumnalibus temporibus, ut



ut ipſi, pravi aeris prætextu, ſuis ab Eccleſiis abſint, conceduntur; & ſi quid fuerit in eo dignum correctione repertum, ad grave Paſtoralis reſidentiæ debitum reſtituendum, ejuſdem Congregationis ſententia canonice corrigatur, & emendetur.

## C A P. IV.

*Stylus Congregationis Concilii in hujuſmodi Epiſcopis concedendo licentias commendatur.*

AD hæc laudabilem Concilii Congregationis ſtylum, facultates ſcilicet hujuſmodi ad quatuor menſes impertiendi, cum clauſula, *tribus tamen Conciliaribus comprehenſis*, omnino ſervandum cenſemus. Meminerint itaque Epiſcopi, aliique, qui talibus ſe facultatibus indigere prænoſcunt, ut non paſſim Diœceſim, & Chorum extra vagentur; ne tempus proprium, atque ad reſidendum aptum, alibi inſumentes, de conceſſæ poſtmodum abſentiæ brevitate inutiliter conquerantur.

## C A P. V.

*Pro hujuſmodi licentiis obtinendis, num aliud, præter Medicorum teſtimonium, requiratur, Congregationis arbitrio remittitur decernendum.*

QUamvis non ſolo Medicorum teſtimonio, etiam jurato, probari debeat, talis num ſit eorum neceſſitas, qui reſidere tenentur, ut aerem illis mutandi, ac proinde e Diœceſi libertatem poſtulet abſcedendi; nihilominus, cum de Epiſcopis, fide ceteroquin dignis, agatur, ſi quid ultra pro hujuſmodi impetranda licentia exhiberi oporteat, eadem Congregatio ſuper Epiſcoporum reſidentia videat, & pro ſuo arbitrio decernat. Conſulant ſibi interea Epiſcopi, & quantum cum Dei adjutorio poterunt, tum Tridentinis Decretis, tum Apoſtolicis Conſtitutionibus ſeſe ſtudeant conformare, atque illis cum effectu parere, ſub pœnis, ac cenſuris, ibidem contentis, & comminatis. Super contumaces vero Synodi Provinciales invigilent, quæ eos inſuper moneant, & a negligentibus abſentiæ rationes in Conciliis exigant; atque, ut opus eſſe judicaverint, ſummo Eccleſiæ Hierarchæ, pro debita animadverſione, denuntient [a].

a) Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 1. & ſeſſ. 23. c. 1. de ref.

## C A P. VI.

*Parochi ultra biduum, abſque Epiſcoporum licentia, a Cura non abſint. Graviter contumaces fructuum ſubtractione, aliiſque pœnis mulctentur.*

SAcroſancto inſuper Tridentinæ Synodi Decreto ſancitum eſſe novimus [b], ut, quandocumque Parochos ab eorum cura abeſſe contigerit, cauſam ipſi coram Epiſcopo cognoſcendam, & per eum probandam, exponant. Prohinc omnibus, & ſingulis Parochis, & animarum Rectoribus, qui, ſacro ut huic relatum eſt Concilio, per bimeſtre, abſque pœnarum, per ſacros Canones inflictarum, metu, a cura, Epiſcopis inconſultis, abeſſe putant ſibi licere, præcipimus, ne ultra biduum, abſque Epiſcopi, ſive ejus Vicarii Generalis licentia, in ſcriptis, & gratis concedenda, idoneo tamen OEconomo relicto, ab Epiſcopali Curia approbato, ullatenus ab illorum Parochiali ſtatione diſcedant. Eos vero, qui contra hujuſce Decreti diſpoſitionem abeſſe præſument, Epiſcopi, pro rata temporis abſentiæ, Parochialium mulctent fructuum ſubtractione; & ſi in abſentia perſeveraverint, ad aliarum quoque pœnarum executionem pro contumacia procedant.

b) Cit. ſeſſ. 23. c. 1. de ref.

## C A P. VII.

*Qui, reſidentiæ obnoxii, in Urbe commorantur, ad eorum Eccleſias redire coguntur.*

CEterum pro reliquis etiam inferioris Ordinis Clericis, tam ſæcularibus, quam regularibus, noſtra in hac Alma Urbe exiſtentibus, qui alias in partibus Parochias, Dignitates, Canonicatus, vel alia quæcumque, quæ reſidentiam requirunt, eccleſiaſtica beneficia obtinent, quatenus hinc ſtatim diſcedere, & ad perſonalem in iis reſidentiam ſe conferre debeant, Edictum innovamus fel. rec. Innocentii XIII. [c] cujus tenoris partem hic ſubnecti, & obſervari mandamus.

c) An. 1721.

,, Pari modo univerſis, & ſingulis Clericis beneficiatis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, cujuſcumque conditionis, & gradus, dignitatis, & præeminentiæ in eadem alma Urbe exiſtentibus, qui in ſuis Eccleſiis Parochialibus, Dignitatibus, Canonicatibus, vel aliis quibuſcumque Beneficiis eccleſiaſticis, de jure, vel conſuetudine, perſonalem reſidentiam facere tenentur, de mandato ejuſdem SS. D. N. Papæ (revocando in primis omnes, & quaſcumque licentias, ſupradictis omnibus quomodolibet conceſſas) ſtricte præcipimus, & mandamus, eoſque monemus, & requirimus, quatenus infra duodecim dierum ſpatium, quorum quatuor pro primo, quatuor pro ſecundo, & reliquos quatuor pro tertio ultimo, & peremptorio termino eiſdem, & cuilibet eorum aſſignamus, debeant, & quilibet eorum debeat, omni mora, & cunctatione poſtpoſita, ab eadem Urbe, & Romana Curia diſcedere, & ad ſuas Eccleſias, ſeu Beneficia rectis itineribus ſe conferre, ibique perſonalem facere reſidentiam. Quod ſi noſtris hujuſmodi, imo verius Apoſtolicis monitionibus non paruerint, ultra pœnas in ſacroſancti Concilii Tridentini Decretis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus contentas, eo ipſo Beneficiati Sæculares pœnam centum ſcutorum, applicandam pro medietate piis uſibus, pro altera ſecreto denuntiatori; nec non tam Sæculares, quam Regulares prædicti pœnam carceris ad noſtrum arbitrium incurrant. Et ſi aliquis prædictorum, elapſis terminis præfatis, per menſem neglexerit a Curia recedere ad effectum ſe conferendi ad ſuam Eccleſiam, ibidemque reſidendi, ut ſuperius eſt mandatum, ex tunc fructus Beneficiorum, reſidentiam, ut præfertur, requirentium, non faciat ſuos, nec tuta conſcientia, etiam alia declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſit: ſed teneatur illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare, aut, ipſo non erogante, per Superiorem Eccleſiaſticum ad dictam erogationem faciendam compellatur. Lapſis vero ſex menſibus, & præmiſſis non adimpletis, ipſo facto, & abſque alia ſententia, eiſdem

,, Be-

Beneficiis ; & Dignitatibus ſit ipſo jure privatus, itaut illa Sedes Apoſtolica tantum conferre valeat ; eademque ab ea reſpective poſſint impetrari, & proviſiones per ipſam factæ, debitæ exequutioni demandari debeant, quacumque appellatione poſtpoſita ; verificato dumtaxat coram Executore literarum ſimplici facto contraventionis. Certificantes omnes, & ſingulos prænominatos, quod in moroſos, & contumaces irremiſſibiliter procedetur ad præfatarum pœnarum exequutionem, ſine tamen præjudicio pœnarum, jam incurſarum per eos, qui hactenus contravenerunt.

## TITULUS XVIII.

### Ne Sede Vacante aliquid innovetur.

### CAP. I.

*Sede Epiſcopali vacante, canonica per Vicarios Capitulares in Clericorum Ordinationibus diſciplina ſervanda injungitur.*

IDonei ut in Chriſti Eccleſia Sacerdotes, aliique ſint ſemper in ea miniſtri, qui digne, & laudabiliter in eorum gradu pro majeſtate deſerviant ; quam Epiſcopi in inquirendo de vita, & ſcientia ordinandorum, diligentiam adhibere, quaque in imponendis manibus uti ratione teneantur, ſacrum peraccurate ſtatuit Concilium Tridentinum. Cumque leges, quæ bono ſunt innixæ principio, quandoque hominum malitia ſubvertantur, & eludantur ; volumus, ſibi quoque caveant Vicarii omnes Capitulares, ne, provehendorum magis indulgendo ambitioni, quam prædefunctorum æmulando zelum Epiſcoporum, ipſi ſint in antiqua hac tuenda Eccleſiæ diſciplina remiſſi.

### CAP. II.

*Intra annum Epiſcopalis Sedis vacationis, quibus pro ordinatione danda literæ Dimiſſoriæ ? Facultativas in Epiſcoporum, & Concilii Congregationibus expediri prohibetur.*

IDeoque ſub pœnis, quas idem ſtatuit Concilium Tridentinum [a], aliiſque, Epiſcopi ſucceſſoris arbitrio reſervatis, Vicariis eiſdem Capitularibus inhibemus, ne intra annum, a Sedis vacationis die, ( Epiſtolas in poſterum facultativas Epiſcoporum, & Concilii Congregationibus concedendi permiſſione ſublata) aliquem, niſi beneficio acquiſito, vel proxime acquirendo, arctatum, & dummodo non fuerit is alias ab anteceſſore Epiſcopo rejectus, ad Clericalem tonſuram, ſeu Ordines ſuſcipiendos dimittant. Poſt annum vero, quos moribus habuerint, virtutibus, ac doctrina laudabiles, nunquam tamen officiis, plerumque importunis, commendatos, liberum eſt eis, ſervatis reliquis de jure ſervandis, dimiſſorias literas pro arbitrio, & conſcientia concedere.

a) Seſſ. 7. c. 10. & ſeſſ. 23. c. 10 de ref.

## TITULUS XIX.

### De Rebus Eccleſiæ non alienandis.

### CAP. UNIC.

*In bonorum eccleſiaſticorum conceſſionibus ratio canonica declaratur. Laudemia recipi, & locationes, ac emphyteuſes antiquis conductoribus, & emphyteutis renovari, vel confirmari prohibentur.*

USu eſt, & experientia probatum, quantum Eccleſiis, lociſque piis detrimenti, damnique ſæpe illæ afferant bonorum eccleſiaſticorum locationes, & emphyteuſes, quæ ab Eccleſiarum Rectoribus, Oeconomis, & Adminiſtris, humano potius affectu, imo & effrænata quadam certam, in primo conductorum ingreſſu, ab his pecuniarum ſummam recipiendi cupiditate, quam habita Eccleſiarum utilitatis ratione, modico ſub annuo canone vel in perpetuum, vel ad longum tempus, ſeu ſub emphyteuſis titulo ad vigintinovem, ſæpiuſque etiam ad bis vigintinovem annos, vel tertiam generationem, iniri ſolent. Quodque dolendum eſt magis, abſoluto conceſſionis tempore, a conductoribus, ſeu emphyteutis, jure veluti hæreditario, locationes, & emphyteuſes hujuſmodi renovandæ ſibi, & confirmandæ petuntur ; ad quarum renovationem, & confirmationem Eccleſias, & loca pia teneri, imo cogi poſſe præſumitur. Volentes hinc Nos, ſacro hoc etiam approbante Concilio, Eccleſiarum omnium, locorumque piorum, quæcumque ſint, indemnitati, ac ſtatui firmius providere, ſatis ſit licet ſuper his a lege proviſum, conſultiſſima hac ſanctione Epiſcopis omnibus, & inferioribus locorum Ordinariis, Epiſcopalem quaſi juriſdictionem habentibus, apertius declaramus, & mandamus.

I. Ne immobilia quæcumque Eccleſiarum, ceterorumque piorum locorum bona, a quovis, ſive ordinaria, ſive Apoſtolica auctoritate, ad longum tempus, ultra triennium, vel quatriennium, uti oliveta, locentur, vel in emphyteuſim, nunquam tamen perpetuam, concedantur, niſi evidens plane, in eorum Curia probanda, concurrat earumdem Eccleſiarum, vel piorum locorum utilitas, & alia ſerventur, quæ in Extravagante *Ambitioſæ*, hoc titulo, demandantur : his inſuper clauſulis, ferendo decreto adjectis, quod ſcilicet conceſſio fiat abſque ſpe renovationis ; & conceſſionis templo expleto, bona ipſa cum ſuis membris, juribus, & pertinentiis univerſis, nec non & melioramentis, deſuper pro tempore quomodolibet factis, ab Eccleſias, & loca pia, quibus ex directo dominio pertinent, ad eorum diſpoſitionem pleno jure, atque omnino libera, vacua, & expedita relinquantur.

II. Ne, hujus occaſione locationis, vel in emphyteuſim conceſſionis, aliquid, ſub contractus nullitatis pœna, pro laudemio, ſeu pro primo, ut ajunt, ingreſſu, a quoquam recipiatur, ex quo Eccleſiis, piiſque locis præjudicium fiat, vel juſtus annui canonis valor decreſcat, aut imminuatur.

III. Ne, completo conceſſionis tempore, aliove caſu adveniente devolutionis, locatio, ſeu in emphyteuſim conceſſio ad ejuſdem conductoris, vel emphyteutæ, ſuæve familiæ,



vel hæredum favorem renovetur. ( iis tamen locis exceptis, in quibus non aſſerta, ſed rite, & recte probata, legitima adſit conſuetudo renovandi ; vel Apoſtolica ad hoc indulta, aut privilegia expreſſe conceſſa reperiantur ) : ſed Eccleſiis, lociſque piis quibuſcumque liceat bona, alias locata, vel in emphyteuſim conceſſa, & inde, ut ſupra, devoluta, pro ſe, ſi velint, ſervata forma noſtræ Conſtitutionis, quam nuper [a] pro Archidiœceſi noſtra Beneventana edidimus, libere retinere, propriiſque bonis aliis incorporare ; nec ullo jure a quoquam, ſub quovis prætextu, ſeu ex quacumque cauſa, ad conceſſiones renovandas adſtringi, aut cogi poſſe declaramus ; ſalva tamen Alexandri III. Conſtitutione [b], ubi ex æquitate dumtaxat terras illas, quæ de ſylvis extirpatis ſunt arabiles factæ, ſub annuo cenſu iis, hæreditario jure iterum tradi poſſe indulget, a quibus ſuo ipſas, vel parentum ſuorum, labore conſtiterit fuiſſe extirpatas ; niſi forte aliis poſſent cum majori utilitate concedi.

a) Die 29. Julii 1724.

b) Cap. Ad aures. hoc tit.

## TITULUS XX.

### De Teſtamentis.

### CAP. I.

*Teſtamenta a Parochis, tribus tantum teſtibus adhibitis, rata eſſe, & valida, contrarium ubi non obſtet Statutum. Legata pia, ad Confeſſarii aures facta, quomodo valeant, declaratur.*

CUm Alexandri III. [c] ſanctione decretum ſit, ut teſtamenta, qua Parochiani coram tribus, vel duobus teſtibus a ſuo Presbytero conficienda mandarint, rata ſemper exiſtere, ac firma debeant permanere; advigilent idcirco Epiſcopi, ne ( ubi tamen contrarium non obſtet Statutum, auctoritate Apoſtolica in forma ſpecifica confirmatum, quo juris civilis diſpoſitio ſervari mandetur) quivis præſumptione aliqua, excommunicationis pœna contra ſic præſumentem propoſita, taliter facta teſtamenta reſcindere audeat, vel irritare. In legatis vero piis [d], & quæ ab ægrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque ſolent, ut fraudes, liteſque evitentur, teſtes, etiam in eodem numero adhibeantur, coram quibus Teſtator, ſe quædam ad pias cauſas eroganda, ſuo prout Parocho, ſeu Confeſſario, injunxit, ita velle declaret ; talique declaratione, pia teſtatoris diſpoſitio ſuum ſemper ſortiatur effectum.

c) Cap. Cum eſſes. hoc tit.

d) Cap. Relatum 1. eod. tit.

### CAP. II.

*Laudatur quorumdam Regnorum conſuetudo, qua Epiſcopi animarum teſtamenta conficiunt pro mortuis ab inteſtato. Sicubi ea non adeſt, inducenda proponitur.*

EAm poſtmodum laudabilem, quæ quibuſdam in locis viget, in Regno præcipue Neapolitano, aliiſque Regnis, conſuetudinem, ut pro decedentibus ab inteſtato, ſuperſtites hi licet relinquant hæredes, teſtamenta, ut ajunt, animarum per Epiſcopos efficiantur ; aliquid de defuncti bonis pro ejus animæ ſuffragio diſponendo, approbamus : & Epiſcopos omnes ; ut eorum plebes ad uſum ipſum, ubi non adſit, amplectendum hortentur, admonemus.

## TITULUS XXI.

### De Regularibus.

### CAP. I.

*Regulares ad Subdiaconatum promovendi authenticum Epiſcopis teſtimonium de ſolemni emiſſa profeſſione, & exercitiis ſpiritualibus factis, exhibeant.*

ANtiqua cum ſit Eccleſiæ conſuetudine inductum, & Apoſtolicis Conſtitutionibus probatum, ut Regulares tantummodo, quibus glorioſum eſt mendicare, non alio, quam paupertatis, ſeu profeſſæ ab eis approbatæ Religionis titulo, ſacris poſſint Ordinibus initiari ; attendant Epiſcopi, ne Regularium quempiam ad Subdiaconatus ordinem promoveant, ſi initiandus ipſe, ut exploratius de requiſito valeat ordinationis titulo conſtare, expreſſam de ſolemni, per eum emiſſa, regulari profeſſione, proprii non ſecum attulerit fidem Superioris, deque præviis exercitiis ſpiritualibus peractis atteſtationem non exhibuerit ; una poſtmodum cum dimiſſoriis literis ſervandas in Archivo Epiſcopali.

### CAP. II.

*Regulares nonniſi ab Epiſcopo loci ad Ordines promovendi, ſervata forma Decreti Clementis VIII.*

IN ſuis vero ſubditis ad ordinationes dimittendis, Superiores Regulares Decretum fel. rec. Clementis VIII. ſervent ad unguem, ſub ipſis, in Decreto eodem expreſſis, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis pœnis, aliiſque, ſummorum Pontificum arbitrio reſervatis. De cetero, ne quem Superiorum excuſet illius ignorantia Decreti, illud hic ad verbum ſubjungendum decernimus, evulgandumque etiam ab Epiſcopis in eorum Diœceſana Synodo, poſt hoc Concilium primo tempore celebranda.

### DECRETUM CLEMENTIS PP. VIII.

### Circa Ordines, a Regularibus ſuſcipiendos.

*DE mandato SS. D. N. Clementis, divina providentia, Papæ VIII. tenore præſentium, mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in Decreto S. Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor eſt talis : Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito, itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis, Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam ; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem Dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verum, cum a Superioribus*

*bus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum, ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationem, ac alias, arbitrio ejuſdem SS. D. N. Papæ reſervatas, pœnas incurrent. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. menſis Martii 1596.*

### C A P. III.

*Proprietatis vitium a Monialibus vitandum. Ratio earum victus & veſtitus exhibetur. Super munerum largitionibus Conſtitutio Clementina innovatur.*

E Monialium Monaſteriis, imo ab ipſarum cordibus Monialium, incumbant Epiſcopi, proprietas omnis exulet; & illa, quam maxime fieri poterit, in eis ſtabiliatur, ſerveturque rerum omnium communio, quæ nihil habet, & cui nihil deeſt. Illinc inſuper quatenus corrupta omnis foras abſcedat affectio particularis, curent, ut ex Monaſteriorum redditibus eadem ſit Religioſis omnibus (ægrotantibus exceptis) menſa, victus, & veſtis præcipue uniformis, quæ in interiori etiam ſericum excludat, & modeſtæ, quæ Chriſti Sponſas deceat, formæ ſit, & proprii cujuſque Religionis coloris. Cumque paupertatem profeſſæ ſint illæ, ſingula nos idcirco, quæ ſuper munerum largitionibus ſua Conſtitutione [a] ſancivit Clemens VIII., innovamus, & a quibuslibet, ſub latis in ipſa pœnis, decernimus obſervari.

a) Religioſæ An. 1594.

### C A P. IV.

*Puellæ, in Aſceteriis educandæ, veſtibus ornatuque modeſto utantur: quæque pro ipſis conſtituta ſunt, adamuſſim, etiam Superiores, adimpleant.*

STudeant, & quam accuratiſſime Moniales ipſæ, ut quas, Superiorum accedente conſenſu, & impetrata ab Epiſcoporum, & Regularium Congregatione licentia, educandas, ac formandas ſuſceperint Puellas convictrices, pie illas, & catholice inſtituant; incumbantque, ne ipſarum ornatus, & veſtes Puellis, inter Chriſti Sponſas verſantibus, diſconveniant. Sint itaque non ſericæ, nec alius, quam nigri, aut fuſci, vel albi, aut violacei coloris: nulloque illæ exquiſito, quod ſacris non conveniat Aſceteriis, ornamenti genere utantur. In reliquis, & Puellæ ipſæ, ab Aſceterio alias dimittendæ, obſervent, & Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, Superioresve aliæ, quocumque nomine vocentur, quæ eadem Congregatio in conceſſa licentia præſcripſerit, faciant adimpleri. Interim omnes admonemus Epiſcopos, quatenus, & ipſi ſuper eorumdem obſervantia vigilent, &, ubi ubi opus erit, pro viribus provideant.

## T I T U L U S XXII.

### De ſtatu Monachorum, & Eremitarum.

### C A P. I.

*Pro Eremitarum inſtitutione zelus Epiſcoporum excitatur: & Regulæ pro illis dantur in Appendice.*

AD antiquum, quoquo modo poſſit, reparandum floridum Eremitarum ſtatum, exacta quorum vivendi ſolitudo olim exultabat, & florebat quaſi lilium; ſuam quatenus pro his curam aliquam impendant Epiſcopi, horum ſolicitudines excitamus. Noſtris interea Eremitis, qui hic Hoſpitium habitant non ignobile prope Portam Angelicam, mandamus, ut Regulas, Synodali adjungendas Appendici, cum ſeorſim fuerint typis impreſſæ, apud ſe habeant, & religioſe obſervent; alias Nos ipſis, ut oportuerit, inſtructiones daturi pro recta eorum vita, & exemplari converſatione.

### C A P. II.

*Regulæ ipſæ Epiſcopis proponuntur, a cujuſque Diœceſis Eremitis obſervandæ.*

EAſdem Nos propterea Regulas Epiſcopis pro Diœceſanis ſuis Eremitis ducimus proponendas, quas Epiſcopi ipſi per illorum quemlibet in propria haberi curent Eremo, & illarum obſervantiam ſtudeant practice promovere.

### C A P. III.

*Quotannis Eremitæ omnes ab Epiſcopis coram ſe convocentur; ſuper illorum actibus, & Eremorum ſtatu perſcrutandi.*

DE cetero non incongruum; imo perutile judicamus, ſi Eremicolas omnes, & ſingulos quotannis certa die ab Epiſcopo præfigenda, e Diœceſi in Civitatem convenire, præſcribatur; ibi coram Epiſcopo ipſo, vel ejus Vicario Generali, peculiari ſcrutinio de Eccleſiis, & Eremis, quarum ſervitio, & cuſtodiæ deputati fuerint, de eleemoſynis inſuper, & iſtarum uſu, deque illorum actibus, & in via ſpirituali profectu, rationem reddituros.

## T I T U L U S XXIII.

### De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.

### C A P. I.

*Laicorum Confraternitates intenta ſolicitudine ab Epiſcopis viſitentur; adhibitis quæ in ſua Conſtitutione ſtatuit Clemens Papa VIII.*

INter cetera loca pia, quibus non minorem ſuam debent Epiſcopi curam, & vigilantiam, religioſas eſſe indicamus laicorum Sodalitates; quare diligenter eas, juxta Tridentini Con-



Concilii ſanctiones [a], viſitent Epiſcopi; & in omnibus Conſtitutionem præcipue ſervent, ſervarique faciant, Clementis VIII. quæ incipit: *Quacumque a Sede Apoſtolica* [b]: cujus ſummarium hic legetur in fine.

a) Seſſ. 22. de ref. c. 8. & 9.

b) An. 1604.

### C A P. II.

*Ab Œconomis adminiſtrationum rationes quotannis exigant Epiſcopi. Si aliis reddenda ſit ratio, miniſter etiam interveniat Epiſcopalis.*

A Confraternitatum inſuper, Hoſpitalium, ceterorumque locorum piorum Œconomis adminiſtrationum rationes, præfati juxta Concilii decreta [c], exigant Epiſcopi ſingulis annis, ni ſecus expreſſe in illorum fundatione ſit cautum. Quod ubi ex privilegio, aut juſta alia cauſa, ab Epiſcopo probanda, aliis eſſet ratio reddenda, cum iis, declaramus, adeſſe debeat & Epiſcopus, ſive ejus miniſter, ad id ſpecialiter deputatus; alias factæ a ratiocinatoribus liberationes irritæ ſint, & nullæ, minimeque Adminiſtratoribus ſuffragentur. Qui vero ex ejuſdem Concilii præſcripto, vel alia laudabili conſuetudine Epiſcopo rationem reddere tenentur, ſi ab eo moniti non paruerint, per cenſuras etiam eccleſiaſticas compellantur.

c) Loc. cit.

## T I T U L U S XXVI.

### De Jurepatronatus.

### C A P. U N I C.

*Cujuſcumque Diœceſis Patronatus qui ſint legitime conceſſi, & juſto titulo acquiſiti, inquirendum ab Epiſcopis. Legalem omnium Catalogum ſummo Pontifici, & Cardinali Datario tranſmittant.*

CHriſtianæ eſt moderationi conveniens, ut, amputato uſurpationum exceſſu, unuſquiſque impetratis gaudeat; nec ea præſumat, quæ nullo modo ſibi conceſſa perſpiciuntur. Mandamus quocirca Epiſcopis, ut, illius memores Tridentini Concilii ſanctionis [d], diſponentis quomodo juspatronatus, Communitatum præſertim, Univerſitatum, Collegiorum, ac potentium perſonarum, in quibus præſumptio urget uſurpationis, probari oporteat, diligentiſſime ipſi propriæ Diœceſis patronatus omnes examinent; & ex documentis, in eorum Curiis, præcedentium occaſione præſentationum, exhibitis, inquirant, qua occaſione, qua cauſa, quove titulo, & jure, patronatus ſint hujuſmodi conſtituti; & quos ipſimet reperierint, juxta formam, ab eadem Tridentina Synodo præſcriptam, legitime conceſſos, ſolemni deſcribant in inventario, in quo inſtrumenta, aliæve cujuslibet probationes patronatus, ad dicti Concilii normam acquiſiti, breviter referantur. Si qui patronatus vero reperiantur ex privilegio, etiam Apoſtolico, conceſſi, vel ad tempora ante, vel poſt Tridentinum pertinere, aut legitimis titulis deſtituti, & ſine requiſitis, in eodem decreto Concilii relatis, ipſo pariter adnotentur in inventario, quod Epiſcopi ſubſcribant, & in Archivo Epiſcopali recondant. Simile autem exemplar ad Sedem Apoſtolicam, & ad ſummi Pontificis Datarium tranſmittant, ut ita & Sedes eadem Apoſtolica, ipſique Epiſcopi, eorumque ſucceſſores facile examinare poſſint, ac de jure deliberare, vel ſaltem futuris præcavere vacationibus, num danda, vel deneganda ſit inſtitutio præſentatis.

d) Seſſ. 25. c. 9. de ref.

## T I T U L U S XXV.

### De conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.

### C A P. I.

*Cathedrales Eccleſiæ, & Parochiales, cum majoribus ſaltem Altaribus, intra annum in Civitatibus, & in Diœceſibus intra biennium, poſt earum reſtaurationem, ab Epiſcopis conſecrentur.*

ANtiqua mandant ſanctorum Patrum decreta [e], ut, ſicut non alii poſſunt, quam ſacrati Domino Sacerdotes, ſacra peragere, & hoſtias offerre ſuper Altare, ita non alibi, neceſſitas niſi ſumma coegerit, quam in Deo dedicatis locis, ideſt in Tabernaculis, divinis ab Epiſcopo precibus delibutis, divina debeant ſacrificia celebrari. Incumbant quocirca Epiſcopi, ut Eccleſiæ ſaltem Cathedrales, & Parochiales, & majora ipſarum Altaria, quæ adhuc perfecta non ſunt, nec dedicata, intra annum, ſi fieri poterit, in Civitatibus, per Diœceſes vero intra biennium, omnino perficiantur, & ſolemniter conſecrentur [f].

e) Can. Sicut non alii. De Conſ. diſt. 1.

f) Concil. Lond. ann. 1237. cap. 1.

### C A P. II.

*De Eccleſiarum dedicatione anniverſarium quotannis Officium celebretur.*

ENcænia autem, ſeu ſolemnes Eccleſiarum dedicationes, ipſis, quibus initiantur, diebus recurrentibus [g], vel aliis, quos Epiſcopi in conſecrationis actu pro libito deſignarint, in perpetuum anniverſaria ſolemnitate celebrentur; Rubricis ſervatis Breviarii, & Miſſalis Romani.

g) Can. Solemnitates. 1. & 2. de Conſ. diſt. 1.

### C A P. III.

*Ubi de dedicatione dubitetur, Conſecratio fiat abſolute.*

ECcleſiæ vero, vel Altaria ſi adſint, de quorum dedicatione dubitetur; nec ſcripturæ, aut teſtes exiſtant, qui de conſecratione teſtentur hujuſmodi; abſolute ea, ulla abſque dubitatione conſecrari poſſe declaramus: talis namque trepidatio iterationem non facit; quoniam, quod neſcitur factum, iteratum non eſſe, monſtratur [h].

h) Eod. Can. Solemnitates 1.

## T I T U L U S XXVI.

### De Baptiſmo, & Confirmatione.

### C A P. I.

*Solemnem Baptiſmalis fontis benedictionem, & Baptiſmi adminiſtrationem, bis in anno efficiendam, per ſe etiam Epiſcopi aliquando obire non graventur.*

NOn eſt Parochorum tantum, quod, juxta ſacra Canonum ſtatuta [i], Rituali Romano

i) Can. Non

no præſcribitur; ut ſolemnis ſcilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato ante ſacratiſſimum Paſcha, & Pentecoſten, Baptiſmalis fontis benedictio perſolvatur, ſacrumque Baptiſmæ tunc ſolemnius miniſtretur. Speciali id etiam ratione ab Epiſcopis exigit Cæremoniale Epiſcoporum a; & Nos ipſis, præcipuas velut inter Pontificalis ordinis actiones, non minori ſolicitudine commendamus.

…ratione. Can. Duo tempora Can. Proprie. Can. Si quis autem. Can De Catechumenis. Can. Venerabilis. Can. Baptizandi. Can. Baptizandos. Can. Non liceat. De Conſ. diſt. 4. & Can. Ut Epiſcopi ibid. diſt. 5.
a) Lib. 2. c. 27.

## CAP. II.

*Cathecumeni non ante, ſed poſt Baptiſmum, veſte candida induendi.*

NOn eſt in ſolemni Adultorum Baptiſmate ſine redargutione prætereunda illa ſacri Ritus inverſio, dum Catechumeni ad divinum permittuntur accedere lavacrum, candida induti Neophytorum veſte, quam tantummodo poſt Baptiſmum tradimus baptizatis b, in glorioſæ ſignum reſurrectionis, ad quam homines e ſacro fonte regenerantur; novæque vitæ innocentiam ſignificandam, quam, poſt veteres ablutas maculas, ſervare debent; immaculatam ante Chriſti tribunal perferendam. Hæc itaque, & ſimilia a ſacrarum cæremoniarum Magiſtris animadvertantur: caveantque Parochi, ne, ſuarum inſtructionum defectu, quod fidelibus ab Eccleſia myſtice traditum eſt ad ſalutem, pompæ ſerviat, & vanitati.

b) Can. Poſt Baptiſmum, & Can. Accepiſti. de diſt. 4. de Conſ.

## CAP. III.

*Baptizandorum catecheſis extra omnino, non intra Eccleſiam fiat; Baptiſmus vero in ea miniſtretur.*

QUia Baptiſmus janua eſt ſacramentorum, & porta, per quam in Chriſti Eccleſiam intramus, ſciant Parochi, non nude a Romano Rituali c præſcribi, ut Baptizandorum catechiſmus ad Eccleſiæ januam, his, cum patrinis, extra exiſtentibus, peragatur. Ipſis itaque diſtricte præcipimus, ut Ritum omnino ſervent eumdem; nec unquam committant, contrarius ultra procedat abuſus: quemadmodum & alter ille, domi ſcilicet infantes baptizandi extra neceſſitatem, quæ ſi unquam eveniat, erit ab Epiſcopo probanda.

c) In rubric. de Sacram. Baptiſmi.

## CAP. IV.

*In Confirmationis Sacramento miniſtrando ſoliciti ſint Epiſcopi: caueque provideant, ut æquali præparatione, ac devotione miniſtretur, & ſuſcipiatur.*

SOlerti tandem Epiſcoporum curæ ſubjicimus, ut, quemadmodum Confirmationis Sacramentum magna eſt baptizatis veneratione tenendum, utpote quia illius virtute, Deus in Nobis perficit, quod Baptiſmo operari cœpit d, nec alii ipſum, niſi ſummi conferunt Sacerdotes e; ita incumbendum ſummopere, ne minori devotione, & tumultuarie, ut aſſolet, ſed, qua decet præparatione, ac reverentia miniſtretur, æque, ac ſuſcipiatur. Hinc ſibi quoque conſulant Epiſcopi illi, qui ſegnes in hoc conferendo Sacramento, Baptizatos, a ſeptennio, & ſupra adverſus malignos ſpiritus colluctantes, ſpeciali hac Sancti Spiritus unctione corroborare prætermittunt. Hoc itaque ſuo-

d) Catechiſ. Rom. de Sacram. Confirmat. §. 21.
e) Can. De his, & Can. Manus. De Conſ. diſt. 5.

annis in Civitate; in Diœceſi vero, tempore ſaltem viſitationis, ſolemniter miniſtrare non negligant; ſemper tamen, quoad fieri poterit, de mane in Eccleſia, & jejuni jejunis, maribus a feminis ſeorſim diſpoſitis, conferant; & adultis, nonniſi ſacramentali prius confeſſione mundatis.

## TITULUS XXVII.

### De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.

## CAP. UNIC.

*Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum fabricis providetur conceſſione mediorum fructuum primi anni cujuslibet beneficii, ab Epiſcopis in propria Diœceſi conferendi.*

HÆreticorum blaſphemiam damnamus, qui Eccleſias dotare, divinæ ſcripturæ, & Chriſti regulæ contrarium eſſe divulgabant. Sacris etenim cum ſit Canonibus f proviſum, ut Eccleſiæ, quatenus divino cultui aptæ, & in ſuo ſemper decore permaneant, abſque dotis conſtitutione, non ædificentur; plurimarum Nos, quas ſine ſubſidio hujuſmodi conſtructas ſcimus, ſupplentes indigentiis Eccleſiarum; cum alias vel Apoſtolico privilegio, vel conſuetudine, vel ſtatuto induci poſſit, ut fructus quorumcumque beneficiorum primi anni, imo & duorum, vel plurium, ad quinquennium g uſque, Eccleſiarum fabricis reſerventur; ſingulis Italiæ, Inſularumque adjacentium Epiſcopis concedimus, (noſtræ prout Eccleſiæ Beneventanæ conceſſit Pius II. h, & Cathedralem Nolanam in antiqua ſua eſſe conſuetudine, novimus) ut ſcilicet in quibuſcumque eccleſiaſticis beneficiis, ab eis, aliiſque inferioribus, conferendis, dimidios primi anni cujuſque beneficii fructus ſibi reſpective reſervent. Volumus vero, & expreſſe mandamus, ut fructus ipſi non in alia, quam in proprie Cathedralis, & Collegiatarum Eccleſiarum fabricam, augmentum, reparationem, & ornatum fideliter impendantur: declarantes inſuper, noſtræ intentionis non eſſe, nec unquam fuiſſe, ut fructus hujuſmodi in muſicas, aut organiſtarum, vel aliorum Eccleſiæ ſervientium ſalaria, aut ſtipendia diſſipentur: ſuper quibus Epiſcopi, & Eccleſiarum Capitula ſibi, & ipſorum conſcientiæ conſulant; prout fuſius in noſtra Conſtitutione exprimitur, in Appendice legenda.

f) Can. Nemo. De Conſ. diſt.
g) Cap. Si propter. De Reſcriptis in 6.
h) An. 1459.

## TITULUS XXVIII.

### De Immunitate.

## CAP. I.

*Gregorii XIV. Conſtitutio ſuper Eccleſiarum immunitate, nova BENEDICTI XIII. Conſtitutione in caſibus aliquibus declaratur, & ad quoſdam alios extenditur.*

COnſueto Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Nos paternorum debere Canonum decreta librare, & Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta metiri, ut, quæ præſentium neceſſitas temporum extendenda, vel declaranda depoſcit, providenter, diligenti adhibita conſideratione, extendamus, & declaremus. Sane ſiquidem celeberrima Gregorii XIV. Con-



Conſtitutio a ſuper Eccleſiarum immunitate, conſilio licet optimo ab initio edita, tractu tamen temporis, vel quia multifariam a Doctoribus expoſita, vel quia Eccleſiaſticis ipſis in Tribunalibus praxi eſt obſervata diſſimili, quotidianæ tantummodo videtur eſſe fori utriuſque Judicibus diſputationi. Quamobrem Conſtitutionem ipſam, quam ceteroquin ſalvam ſemper volumus in ſua firmitate remanere, ſacro hoc etiam approbante Concilio, in aliquibus caſibus declarare, & ad novos alios, ultra jam in eadem expreſſos, extendere judicavimus; prout in perpetua noſtra, quam Concilii hujus exhibebit Appendix, fuſius Conſtitutione continetur.

a) Cum aliis nonnulli. An. 1591.

## CAP. II.

*Laicos, qui Clericorum immunitatem turbare non verentur, Epiſcopi cenſurarum comminatione, a ſententia revocent: & ſi opus fuerit, ad earum fulminationem deveniant.*

CUm in locis quibuſdam, etiam præcipuis, Judices, & Gubernatores haud deſint, qui ſæculari non contenti, ſibi a Deo conceſſa, auctoritate, in eccleſiaſticam meſſem ſacrilegas non raro falces immittere, Clericos ad eorum Tribunal convenire, & ſacros Eccleſiæ Miniſtros in ſua audent juriſdictione turbare; idcirco, ii quatenus deteſtanda ipſa facinora perhorreſcant, latas in *Bulla Cœnæ* b cenſuras ad eorum memoriam revocamus. Epiſcopos vero ſerio excitando, monemus, ut contra ſic temere audentes, eorumque miniſtros, complices, & fautores, juris & facti remediis opportunis, ad incurſarum etiam procedant cenſurarum declarationem; ut ita illi, Dei ulciſcentis plagam ſentientes, ad ceterorum emendationem, tandem aliquando confundantur, & reſipiſcant.

b) §. 15 & 16.

## CAP. III.

*Barones, prohibentes laicis, ne Clericali militiæ ſine ipſorum licentia adſcribantur, excommunicationis ſententia terrentur; prout & laici ipſi, qui illam audent licentiam impetrare.*

NOn ſunt inſuper ullo modo ferenda, quæ a Dominis quibuſdam temporalibus injurioſa noſcimus eccleſiaſticam contra libertatem inducta præjudicia. Mittentes enim ipſi cum Ozia manus in ſacra thuribula, in juvenes nempe Deo conſecrandos, eos, minis, ac metu incuſſis, ab Eccleſiæ ineundo ſervitio retrahunt, qui clericali ſe militiæ appetunt initiari. Supplices namque ab his præſumunt ſibi offerri libellos; & dum placet, aut voce, aut ſcripto, ut ad Epiſcopos ſe conferant ordinandos, licentiam impertiuntur. Hujuſmodi Nos volentes audaciam cohibere, excommunicationis pœnam ferimus latæ ſententiæ, Epiſcopis reſpective reſervatam, tam contra Dominos temporales ipſos, qui directe vel indirecte, mediate vel immediate prædicta adhuc præſumpſerint attentare, quam contra laicos promovendos, vel eorum conſanguineos, ſi per ſe, vel per alios, licentiam ipſam in poſterum unquam audeant impetrare.

## CAP. IV.

*Laici, Divinorum Officiorum tempore in Eccleſiis, etiam Regularium, intra Presbyteriorum, & Altarium ſepta ingredi, ibique manere, ſub interdicti pœna, Romano Pontifici reſervata, prohibentur.*

ALias generali S. Sedis Decreto c, in Eccleſiis, etiam Regularium, intra Presbyteriorum, & Altarium ſepta, dum Miſſæ ibi celebrantur, aliæve Divina Officia perſolvuntur, ſæcularium perſonarum cujuſcumque conditionis, & ſexus aſſiſtentiam prohibitam fuiſſe, non ignoratur. Ve-

c) S. Rit. Congr. Ann. 1688. & An. 1690.



rumtamen, cum adhuc laici quidam in vetita temere nitantur, & ibidem aut ſtare, aut ſcamna habere, vel genuflexoria ſibi arrogare præſumant, id iterum, juxta ſacrorum Canonum d, ejuſdemque Apoſtolicæ Sedis mentem, ſub Eccleſiarum, Regularium etiam, & quomodocumque exemptarum, interdicti pœna, ipſo facto incurrenda, & Romano Pontifici reſervata, inhibemus; mandantes, ut, ſi quæ ſint pro laicis, ſacra intra loca prædicta, ſedes, ſcamna, & genuflexoria, illinc auferantur, & removeantur omnino.

d) Can. Pervenit, & Can. Sacerdotum, de Conſ. diſt. 2. Cap. Ut laici, de Vit. & honeſt. Cleric. & cap. Inhibendum, De cohabit. Clericor. & Mulier.

## TITULUS XXIX.

### De Accuſationibus.

## CAP. UNIC.

*In Provincialibus Conciliis Synodales Teſtes eligantur, & ad eorum officia deputentur.*

QUarti Lateranenſis Concilii Decreto, in Capitulo *Sicut olim* e relato, provide ſub pœna, ibidem contra negligentes propoſita, ſuſpenſionis ſcilicet ab officio, conſtitutum habemus, ut qualibet in Provinciali ſynodo idoneæ, & honeſtæ perſonæ ſtatuantur, quæ quaſi Teſtes ſynodales, ſimpliciter, & de plano, & abſque ulla juriſdictione, quæcumque in Diœceſi, eis aſſignata, correctione, & reformatione ſint digna, inquirant, ea reſpective ad Metropolitanum, & ſuffraganeos, ac alios, in Concilio Provinciali ſequenti congregatos, fideliter delaturi; ii quatenus ſuper eiſdem, prout utilitati, & honeſtati congruerit, provida deliberatione procedant, & quæ ſtatuerint, adimplenda præcipiant. Idcirco Nos, ſacro hoc etiam approbante Concilio, Decretum ipſum a Metropolitanis omnibus in eorum prima Provinciali ſynodo celebranda, pro debito ſub eadem pœna obſervari jubemus: ac interim pro unaquaque ſpecialis Romanæ Provinciæ Diœceſi eccleſiaſticos Viros, quorum nomina hic in Appendice recenſebuntur, in ſynodales Teſtes eligimus, & ad eorum officia deputamus, cum facultatibus opportunis.

e) Hoc Tit.

## TITULUS XXX.

### De Magiſtris.

## CAP. I.

*Pro bono Seminariorum regimine, ubi erecta jam ſint, Tridentini Concilii inſtructiones ſerventur: pro iis vero, & aliis erigendis, Conſtitutio Benedicti XIII. nuper edita, obſervanda exhibetur.*

CUm ſatis compertum unicuique ſit, quam utilis, ac proficua ad pueros in eccleſiaſticis diſciplinis inſtituendos, & ad pietatem, religionemque informandos, Seminariorum erectio extiterit; ut tam pium propterea, & ſanctum inſtitutum conſervetur omnino, atque in dies magis magiſque augeatur, Epiſcopi, in quorum Diœceſibus eadem Seminaria erecta jam fuerint, quæ ad bonum illorum regimen ſacroſancta Tridentina ſynodus f cenſuit præſcribenda, & a locorum Ordinariis executioni demandanda, ea ipſi obſervent, & nullatenus negligant adimplere. Ubi vero ea nondum conſtructa, & fundata fuiſſe cognoverint, hujuſcemodi ne diutius opere, non minus laudabili, quam neceſſario, in ſuis Diœceſibus Dei Eccleſia privetur, omni ope illa quantocius, eadem ut ſancta Tridentina ſynodus præcipit, erigenda procurent; & pro Seminariis iiſdem, ſive erectis, ſive erigendis, illa ipſi prorſus exequantur, quæ Nos Epiſcopis ſingulis, & eorumdem Seminariorum Deputatis in noſtra, quam nuper edidimus Conſtitutione, ſequenti Appendici adjungenda, plenius præcipimus obſervari.

f) Seſſ. 23. de reform. c. 18.

### CAP. II.

*Sacris Ordinibus initiandi, per ſemeſtre in Seminariis reſpective, vel Epiſcopiis permaneant.*

TUronenſis Concilii III. [a] Conſtitutione decretum eſt, ut Presbyter, priuſquam ad Presbyteratus conſecrationem accedat, in Epiſcopio maneat, ſuum diſcendi gratia officium, donec mores etiam, & actus ejus animadverti poſſint; & tunc, ſi dignus fuerit, ad Sacerdotium promoveatur. Omnes igitur ad ſacros Ordines promovendos, per ſex ſaltem menſes continuos ante ordinationem, in Seminariis reſpective, vel Epiſcopiis apud Epiſcopos, omnino, ſacro hoc etiam approbante Concilio, commorari debere decernimus; alias nunc pro tunc ab Ordinibus ſuſcipiendis rejectos eſſe ſciant; nec cum eis, niſi prudenti Epiſcoporum arbitrio diſpenſandum. Eodem vero tempore, ut inde Ordines digne ſuſcipere, & in Dei Eccleſia laudabiliter miniſtrare valeant, conſuetos, ultra ſpiritualium exercitiorum dies, ſacrorum Rituum, moralis Theologiæ, & Romani Catechiſmi ſtudio, volumus, incumbant; atque Clericali diſciplina, & latina lingua, ſi opus ſit, ſatius imbuantur.

a) Can. 12. An. 813.

## TITULUS XXXI.
### De ſententia Excommunicationis.
### CAP. I.

*In ferenda majoris excommunicationis cenſura, omni habita circumſpectione, procedatur.*

ECcleſiaſticæ diſciplinæ nervus, excommunicatio, gladius ad Chriſti fideles in officio continendos valde ſalutaris, qua ſane ſit circumſpectione adhibenda, ne malum augeat, cui data noſcitur in medelam, ſacri Canones exprimunt, & Tridentini Concilii probat auctoritas [b]. His Epiſcopi, omneſque Judices eccleſiaſticis ſanctionibus inhærentes, attendant, ne reos levibus pro quibuſque exceſſibus ita repente gladio ferant hujuſmodi; aliis ubi commode poſſint juris uti remediis: & juſte quatenus, ac recte, cum oportuerit, gladius ſit ipſe exerendus, Tridentinas tunc, ſuper his latas, leges in eorum Tribunalibus omnimodis exequantur.

b) Seſſ. 25. de ref. c. 3.

### CAP. II.

*Cenſura, ab uno Epiſcopo lata, ab aliis, Regularibus præcipue, ſervanda.*

FIdeles omnes ſacrorum Canonum voce admonentur, ut illis non communicent, qui ab Epiſcopis excommunicantur: & quos iſti ejecerint, ipſi non recipiant [c]. Antiquam hanc diſciplinam a Regularibus religioſe tenendam, mandamus; ſanctionibus inhærentes Concilii Generalis Viennenſis [d] atque Tridentini Decreto [e], ubi cenſuræ, & interdicta, nedum ab Apoſtolica Sede mandata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, præcipiuntur a Regularibus in eorum Eccleſiis publicari, atque ſervari. Quod ut Epiſcopi mutuo inter ipſos obſervent, magis convenire declaravit Innocentius III. ita ſcribens Archiepiſcopo Rothomagenſi [f], „ ſicut „ latas a vobis in ſubditos cenſuras vultis, „ ut alii obſervent, ita latas ab aliis, & „ vos ipſi ſervetis, & a veſtris ſubditis „ obſervari.

c) Conc. Nicæn. 1. Can. 5. Lateran. 1. Can. 9. & Lateranen. 3. Can. 3.
d) Clem. 1. hoc. Tit.
e) Seſſ. 25. de Regular. c. 22.
f) Can. Ad reprimendam, De off. Judic. ordinar.

## TITULUS XXXII.
### De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.
### CAP. I.

*Ultra pœnas alias, excommunicatio proponitur adverſus Medicos, tertio viſitantes Infirmos, poſt decubitum non confeſſos.*

SAluberrima quamvis alia Innocentii III. Conſtitutione in Concilio [g] generali declaratum fuiſſe legatur, corporales nonnunquam infirmitates ex peccato provenire, propter quod Medicis optimo fuit ibi conſilio præceptum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, ut Medicos advocent animarum; quatenus, quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus, poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur, ſtatutum hoc nihilominus tam ſanctum, & ſalutare, in dies contemni videtur ab iis; dum frequenter, gravi cum animarum præjudicio, evenire dolemus, quod, morbo ingraveſcente, plures ex hac vita ſacramentali ſine confeſſione demigrant. Nos igitur Epiſcopis omnibus jubemus, ut Decretalem ipſam Innocentianam, & Conſtitutionem S. Pii V., quæ incipit *Super Gregem Dominicum* [h] ſuper hoc etiam emanatam; invigilent omnimode obſervari; impoſita contra Medicos excommunicationis pœna, ſibi reſervata, ſi tertiam poſt infirmi viſitationem, ab infirmi cura non abſtineant, infirmus dum uſque ipſe Pœnitentiæ non ſuſceperit ſacramentum, quod Confeſſarius, relicta apud ægrotantem ſchedula, ejus manu ſubſcripta, teſtari teneatur.

g) Lateran. IV. Can. 22. An. 1215. In Can. Cum infirmitas h. t.
h) An. 1566.

### CAP. II.

*Epiſcopi Regularibus confeſſionis munus non committant, abſque probationis teſtimonio eorum Superioris.*

SAcræ audiendæ Confeſſionis munus Sacerdotibus regularibus, quamvis ad illud ipſi & peritia, & ſcientia idonei appareant, Epiſcopi non committant; niſi a Monaſterii Præfecto literis teſtatum fiat, eos in probatiſſimis etiam, pro confeſſariis datis, S. Caroli monitis inſtructos eſſe, & vitæ diſciplina, ac moribus probatos haberi, ac dignos, quibus id munus laudabiliter imponatur. Hoc in teſtimonii genere Superior ipſe animadvertat, ne quid teſtificando admittat, quod religioſæ conſcientiæ ſuæ fraudi ſit, aut labem inferat.

### CAP. III.

*Pro Pueris, primo ad Pœnitentiæ ſacramentum, & ad Euchariſtiæ communionem admittendis, inſtructiones dantur in Appendice.*

INſtructiones ad ſacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, a Pueris primo ſuſcipiendorum, uſum, & cultum pertinentes, breves ſimul, & claras dabimus in noſtri hujus Concilii fine. Ceterum Parochos omnes admonemus, ut in illis inſtruendis ſedula attentione utantur, ne, praxim eos peccata confitendi edocentes, dum erga bonum, quod ſcire debent, amorem inſtillant; mali, quod neſciunt, vel minimam indant agnitionem.

### CAP. IV.

*Pœnitentiaria Præbenda in Cathedralibus inſtituatur. Pœnitentiarii munus oſtenditur.*

QUæ alias hoc in eodem Concilio [i] ſunt conſtituta de adhibenda ab Epiſcopis diligentia pro Theologalis Præbendæ erectione in ſuis Cathedralibus, ſuper quibus & ſpecialem tunc temporis Conſtitutionem noſtram evulgavimus, eadem etiam ab ipſis in præneceſſaria, ubi erecta non ſit, Pœnitentiariæ inſtitutione, ad Tridentini Concilii [a], & ipſius noſtræ Conſtitutionis præſcriptum, obſervari volumus, ac mandamus. Qui ita vero Pœnitentiarius fuerit inſtitutus, ſtatis ipſe diebus, & horis in Cathedrali Eccleſia, ſua in ſede confeſſionali aſſiſtat; ac tunc, & non alias, ſi Canonicus erit, integros, ac ſi Choro interſit, ſuos faciat fructus, & habeat diſtributiones.

i) Supra Tit. 1. Cap. 6.
a) Seſſ. 24. de ref. Cap. 8.



## DECRETUM
### De Concilii concluſione, & dimiſſione.

HÆc ſunt, quæ Spiritui ſancto, & Nobis viſa ſunt decernenda ſacro in hoc Concilio, quod, optatum finem conſecutum, complemus. Quocirca ipſum, Deo, qui idem cœpit, & perfecit, gratias agentes, concludendum, ac dimittendum eſſe decernimus, & concluſum, ac dimiſſum denunciamus.

Ego Benedictus, S. Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus, his Synodalibus conſtitutis, a me probatis, atque firmatis, ſubſcripſi: & poſt me ſubſequentes R.mi Cardinales, & Venerabiles Epiſcopi.

Ego Fabricius, Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Paulutius ſubſcripſi.

Ego Petrus, Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis Otthobonus, S. R. E. Vice-Cancellarius, ſubſcripſi.

Ego Franciſcus, Epiſcopus Præneſtinus, Cardinalis Barberinus ſubſcripſi.

Ego Joſeph Tit. S. Praxedis S. Romanæ eccleſiæ Presbyter Cardinalis Sacripante ſubſcripſi.

Ego Laurentius Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Corſinus ſubſcripſi.

Ego Auguſtinus Tit. S. Auguſtini S. R. E. Presbyter Card. Fabronus ſubſcripſi.

Ego Annibal Tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis S. R. E. Camerarius, ſubſcripſi.

Ego Ludovicus Tit. S. Sylveſtri S. R. E. Presbyter Card. Picus ſubſcripſi.

Ego Antonius Felix tit. S. Balbinæ Presbyter Card. Zondadari ſubſcripſi.

Ego Petrus Marcellinus Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Cardinalis Corradinus ſubſcripſi.

Ego Jo. Baptiſta Tit. S. Stephani in Monte Cœlio S. R. E. Presbyter Cardinalis Ptolomæus ſubſcripſi.

Ego Melchior Tit. S. Mariæ in Via Presbyter S. R. E. Cardinalis de Polignac ſubſcripſi.

Ego B. Tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. S. R. E. Card. Scottus ſubſcripſi.

Ego N. Tit. SS. Ner., & Achill. Presbyter S.R.E. Cardinalis Spinula ſubſcripſi.

Ego G. Tit. S. Agnetis Presbyter S.R.E. Cardinal. Spinula, S. Agnetis nuncupatus, ſubſcripſi.

Ego Ludovicus Tit. S. Mariæ in Tranſpontina Presbyter S. R. E. Cardinalis Belluga ſubſcripſi.

Ego Joſeph Tit. S. Suſannæ S. R. E. Presbyter Card. Pereyra ſubſcripſi.

Ego Joannes Baptiſta Tit. S. Priſcæ P. S. R. E. Card. Salernus ſubſcripſi.

Ego Alvarus Tit. S. Bartholomæi in Inſula S. R. E. Presbyter Cardinalis Cienfuegos ſubſcripſi.

Ego Bernardus Maria Tit. S. Bernardi Presbyter S. R. E. Card. de Comitibus, Ma. Pœnitentiarius, ſubſcripſi.

Ego Jo. B. Tit. S. Matthæi in Merulana S. R. E. Presb. Card. de Alteriis ſubſcripſi.

Ego Vincentius Tit. S. Honuphrii Presbyter S. R. E. Card. Petra ſubſcripſi.

Ego Proſper Tit. S. Chryſogoni Presb. S. R. E. Card. Marefuſcus ſubſcripſi.

Ego Fr. Auguſtinus Ordinis Prædicatorum Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Pipia ſubſcripſi.

Ego J. R. S. R. E. Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Imperialis ſubſcripſi.

Ego Laurentius S. R. E. Diac. S. Agathæ Cardinalis de Alteriis ſubſcripſi.

Ego C. S. Angeli in foro piſcium Diaconus Card. Columna ſubſcripſi.

Ego Curtius S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Origus ſubſcripſi.

Ego Fabius SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliveriis ſubſcripſi.

Ego Carolus S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Diaconus Card. Marinus ſubſcripſi.

Ego Julius S. Adriani S. R. E. Diaconus Cardinalis Alberonus ſubſcripſi.

Ego Alexander S. Mariæ in Coſmedin S. R. E. Diac. Card. Albanus ſubſcripſi.

Ego Jo. Baptiſta Congregationis S. Philippi Nerii de Urbe, Archiepiſcopus Conventati, Epiſcopus Terracinenſis, & Setinus ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Maria Muſcettula Archiepiſcopus Roſſanen. ſubſcripſi.

Ego Salvator Miroballo Archiepiſcopus Nazarenus ſubſcripſi.

Ego Antonius Paternò Archiepiſcopus Lancianen. ſubſcripſi.

Ego Mondillus Urſinus Archiepiſcopus Corinth. & Epiſcopus Melphien. & Rapollen. ſubſcripſi.

Ego Antonius Fonſeca Epiſcopus Tiburtinus ſubſcripſi.

Ego Joſeph de Carolis Romanus, Epiſc. Aquinaten. in Pontecurvo, ſubſcripſi.

Ego Hyacinthus Dragonetti Epiſcopus Marſorum ſubſcripſi.

Ego Honuphri[illegible] Epiſcopus Urbis Veteris ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Rocco Epiſc. Caſſanenſis ſubſcripſi.

Ego Fabius de Mancinfortibus Epiſcopus Eugubinus ſubſcripſi.

Ego Antonius Sanfelicius Epiſcop. Neritonen. ſubſcripſi.

Ego Jo. Baptiſta Baſſus Epiſcopus Anagninus ſubſcripſi.

Ego Vincentius Vecchiarellius Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus ſubſcripſi.

Ego Fauſtus Guidottus Epiſc. Civitatis Plebis ſubſcripſi.

Ego Bernardinus Ægidius Recchi Epiſcopus Aquæpendentis ſubſcripſi.

Ego Fr. Carolus Hyacinthus Ord. Prædicat. Epiſc. Spoletanus ſubſcripſi.

Ego Adrianus Sermattejus Epiſc. Viterbienſis, & Tuſcanenſis, ſubſcripſi.

Ego Emanuel Joſeph Epiſcopus Ovetenſis ſubſcripſi.

Ego Fabritius Antonius Salernus Epiſc. Molphictenſis ſubſcripſi.

Ego Laurentius de Tartagnis Epiſcopus Verulanus ſubſcripſi.

Ego Carolus Pignatelli Epiſcopus Cajetanus ſubſcripſi.

Ego Simon Gritti Epiſcopus Ferentinus ſubſcripſi.

Ego Ludovicus Maria Pandolfini Epiſcopus Vulteranus ſubſcripſi.

Ego Alphonſus Mariconda Epiſcopus Triventinus ſubſcripſi.

Ego Gabriel de Marchis Epiſcopus Soranus ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Terzaghus Epiſc. Narnienſis ſubſcripſi.

Ego Bernardus Cavalerius, & de Acugna Epiſc. Sancti Marci ſubſcripſi.

Ego Dominicus Taglialatela Epiſcopus Aquilanus ſubſcripſi.

Ego Joſeph Falconius Epiſcopus Ortonenſis, & Camplenſis, ſubſcripſi.

Ego Joannes Franciſcus Tenderini Epiſc. Civitatis Caſtellanæ, & Horten., ſubſcripſi.

Ego Coſmus Torellus Epiſcopus Camerinen. ſubſcripſi.

Ego Martinus de Zelaretta Epiſcopus Legionenſis ſubſcripſi.

Ego Antonius Carrara Epiſcopus Fundanus ſubſcripſi.

Ego Theodorus Pongelli Epiſcopus Interamnenſis ſubſcripſi.

Ego Jo. Baptiſta Renzolius Epiſcopus Amerinus ſubſcripſi.

Ego Alexander Dolfi Epiſcopus Fanen. ſubſcripſi.

Ego Felix Solatius Epiſcopus Biſinianen. ſubſcripſi.

Ego Honuphrius Pini Epiſcopus Balneoregienſis ſubſcripſi.

Ego Hercul. Michael ab Aragonia Epiſcopus Miletenſis ſubſcripſi.

Ego Fr. Antoninus Seraphinus Camarda Ordinis Prædicatorum Epiſc. Reatinus ſubſcripſi.

Fr. Jo. Baptiſta Chiappè Congregationis B. Petri de Byſis Epiſcopus Nuceriæ in Umbria ſubſcripſi.

Ego Antonius Fonſeca Epiſcopus Æſinus ſubſcripſi.

Ego Septimius Cinughius Epiſc. Plcentinus ſubſcripſi.

Ego D. Leander de Porzia Abbas S. Pauli extra mœnia Urbis [a] ſubſcripſi.

a) Inde S. R. E. Presb. Cardinalis Tit. S. Calliſti Natione Foro-Julien. creatus a Benedicto PP. XIII. die 30. Aprilis 1728.

Ego Jo. Baptiſta Piart Abbas S. Salvatoris de Domnoapro in Lotharingia ſubſcripſi.

Ego Juſtus Fontaninus Abbas S. Mariæ Sextenſis in Provincia Aquilejenſi ſubſcripſi.

*Ego Jacobus Amadorius, olim de Lanfredinis, U. S. R. Procurator Em. & Rev. Franciſci Cardinalis de Judice, uti Epiſcopi Oſtien., & Veliternen. S. Collegii Decani, ſubſcripſi.*

*Ego Michael Giura Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolitanæ Canonicus, Procurator E. & R. D. Franciſci Cardinalis Pignatelli Archiepiſcopi Neapolitani, tanquam Epiſcopi Tuſculani, ſubſcripſi.*

*Ego Alexander Formaliari Metropolitanæ Eccleſiæ Bononienſis Primicerius, Procurator E. & Rev. D. Jacobi Cardinalis Boncompagni Archiepiſcopi Bononien., tanquam Epiſcopi Albanenſis, ſubſcripſi.*

*Ego Petrus Franciſcus Buſſius U. S. R. Procurator E. & R. D. Joannis Baptiſtæ Cardinalis Buſſi Epiſcopi Anconitani, ſubſcripſi.*

*Ego Franciſcus Rudolphus Degen Procurator E. & R. Franciſci Lothagii S. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopi, per Germaniam S. R. I. Archicancellarii, & Electoris, tanquam Epiſcopi Bambergenſis, ſubſcripſi.*

A *Ego Agapitus Liberatus J. U. D. Procurator Rev. Epiſcopi Valven. & Sulmomen., ſubſcripſi.*

*Ego D. Petrus Franciſcus Tamburinus Procurator R. Epiſcopi Segnini, ſubſcripſi.*

*Ego Julianus Gotius Procurator Reverendiſſimi Epiſcopi Montis Faliſci, & Corneti ſubſcripſi.*

*Ego Joſeph Benedictus Gherardi U. S. R. Procurator Reverendiſſimi Laurentii Gherardi Epiſcopi Recinaten., & Lauretani, ſubſcripſi.*

*Ego Joannes Dydacus Caſacci Procurator Reverendiſſimi Epiſcopi Joſeph Mariæ Borgomini Epiſcopi Ilcinen. ſubſcripſi.*

*Ego D. Gaſpar Antonius Petrina Abbas Montis-Regalis, Procurator Reverendiſſimi D. Caroli Joſeph Morotii Epiſcopi Salutiarum ſubſcripſi.*

B *Ego Nicolaus Caſonius U. S. R. Procurator Reverendiſſimi Ambroſii Spinulæ Epiſcopi Lunen. Sarzanen. ſubſcripſi.*

*Ego Joſeph Caſtellucci Procurator Reverendiſſimi Joſaphat Baptiſtelli Epiſcopi Fulginaten. ſubſcripſi.*

*Ego Angelus Antonius Pupius Procurator Reverendiſſimi Ludovici Gualterii Epiſcopi Tudertini, ſubſcripſi.*

*Ego Petrus Guerra Procurator Rev. Joſeph Guerra Epiſc. Alatrini ſubſcripſi.*

*Ego Philippus Joſias Cauccius Procurator Reverendiſſimi Joannis Gambi Epiſcopi Aſculani ſubſcripſi.*

C *Ego Alexander Salaroli Clericus Regularis Procurator Rev. Vitalis Joſeph de Bobus Epiſcopi Peruſini ſubſcripſi.*

*Ego Petrus Pieraccinius Procurator Rev. Epiſcopi Bernardini Guiniſii Epiſcopi Lucenſis ſubſcripſi.*

*Ego Ludovicus Fantonus Procurator Rev. Chriſtofori Joannis Szembech Epiſcopi Varmien. & Sambien. ſubſcripſi.*

*Ego Gabriel de Simis Procurator Rev. Petri Joannis Baptiſtæ Puccini Epiſcopi Cortonen. ſubſcripſi.*

*Ego Matthæus Scaglionus Sacroſanctæ Eccleſiæ Lateranenſis Canonicus, Procurator Rev. D. Marci Simconis Palmerini Epiſcopi Aſſiſien. ſubſcripſi.*

D *Ego Joſeph Roſſi Procurator Rev. Dominici Potenza Epiſcopi Montis-Peluſii ſubſcripſi.*

*Ego Paulus Vitelli Procurator Reverendiſſimi Alexandri Codebò Epiſcopi Civitatis Caſtelli ſubſcripſi.*

*Ego Paulus Antonius Lubonia Procurator Rev. Nicolai Guerrerii Epiſc. Ravellen.*

*Ego Galvanus Landi Procurator Rev. D. Epiſcopi Gherardi Zandemariæ Epiſcopi Burgi S. Donnini ſubſcripſi.*

*Ego Antonius Franciſcus de Valentibus S. J. Votans, Prælatus Domeſticus SS. D. N. Procurator Reverendiſſimi Petri Vincentii Platamonis Epiſcopi Liparitani ſubſcripſi.*

*Ego Fabius Troyli Procurator Rev. Franciſci Antonii Buſſolini Epiſc. Pennen., & Adrien. ſubſcripſi.* E

*Ego Joannes Appianus Procurator Rev. Jo. Antonii Sacchi Epiſcopi Monopolitani ſubſcripſi.*

*Ego Abbas Joſeph Dominicus Manerius Procurator Rev. Petri Auguſtini Scorti Epiſcopi Aſtrutini ſubſcripſi.*

*Ego Hieronymus Lucinus Epiſcopus Capſenſis Procurator Rev. D. Franciſci Pertuſati Epiſcopi Papienſis ſubſcripſi.*

*Ego D. Petrus Maria Juſtinianus Monachus Caſinen. Procurator Abbatis SS. Monaſterii Montis Caſini, poſt Abbatis D. Archangeli Brancacci obitum, ſubſcripſi.*

Ego



*Ego D. Seraphinus Tanſius Abbas, & Procurator Generalis Congregat. Caſinenſis, Procurator Abbatis D. Maximi Albrizj Abbatis Monaſterii SS. Trinitatis Cavæ ejuſdem Congreg. ſubſcripſi.* A

*Ego Joannes Baptiſta Piart, uti Procurator Abbatis S. Joannis de Calmuſiaco in Lotharingia, ſubſcripſi.*

*Ego Franciſcus de Vico Epiſcopus Eluſinus, Judex querelarum, & controverſiarum hujus Sancti Cononicus SS. Eccleſiæ Lateranen. ejuſdemque Capituli Procurator, tanquam Abbatis S. Petri de Ferentillo, ſubſcripſi.*

*Ego Marcus Antonius Anſideus Archiepiſcopus Damiatæ, Aſſeſſor S. Officii, Canonicus, & Procurator Capituli Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ pro Abbatiis exemptis, & Nullius, ad dictum Capitulum ſpectantibus, ſubſcripſi.* B

In quorum omnium fidem

Ego Franciſcus Antonius Finy Archiepiſcopus Damaſcenus, & Epiſcopus Abellinen. & Frequentinus [a], hujus Sacri Concilii Secretarius, ſubſcripſi.

a) Nunc tit. S. Sixti S. R. E. Presb. Cardinalis. Vide ſupra fol. 1810.

Ego Michael Carolus de Althann, alter Secretarius ſubſcripſi.

## ACCLAMATIONES PATRUM

### IN FINE CONCILII,

*Cantatæ ex Ambone ab Epiſcopo Reatino, pluviali induto.*

### EPISCOPUS.

DEo, Patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, & gratiæ, omnis laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

### RESPONSIO PATRUM.

Amen, Amen, Amen.

*Epiſc.* Beatiſſimo Benedicto Papæ, & Domino Noſtro, Sanctæ, & Univerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

*Reſp.* Domine Deus, Sanctiſſimum Patrem diutiſſime Eccleſiæ tuæ conſerva multos annos.

*Epiſc.* Sereniſſimis Electo Imperatori Carolo, ſemper Auguſto, Orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, RPublicis, & Principibus noſtris, multi anni.

*Reſp.* Pium, & Chriſtianum Imperatorem, Domine, conſerva; Imperator cœleſtis, terrenos Reges, rectæ fidei conſervatores, cuſtodi.

*Epiſc.* Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, cum multis annis, gloria, atque fœlicitas.

*Reſp.* Multos annos cum gloria, & fœlicitate Dominus concedat, ad Eccleſiæ ſuæ ornamentum, & defenſionem.

*Epiſc.* Sanctiſſimis Epiſcopis, ceteriſque hujus Concilii Patribus, vita, & fœlix ad Eccleſias ſuas reditus.

*Reſp.* Præconibus veritatis, perpetua memoria: Orthodoxo Senatui, multi anni.

*Epiſc.* Sacroſancta Romana Synodus: ejus fidem confiteamur, ejus Decreta ſemper ſervemus.

*Reſp.* Semper confiteamur, ſemper ſervemus.

*Epiſc.* His Decretis inhærentes, digni reddamur miſericordiis, & gratia Primi, & Magni Supremi Sacerdotis Jeſu Chriſti Dei; intercedente ſimul inviolata Domina Noſtra, Sancta Deipara, Maria, & omnibus Sanctis.

*Reſp.* Fiat, fiat. Amen, Amen.

*Epiſc.* Anathema cunctis Hæreticis.

*Reſp.* Anathema, Anathema.



## ELENCHUS

### MINISTRORUM CONCILII

I.

*Procuratores Fiſcales.*

Alphonſus Mariconda Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſinenſis, Epiſcopus Triventinus.

Fr. Antonius Seraphinus Camarda Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Reatinus.

II.

*Secretarii.*

B Franciſcus Antonius Finy Archiepiſcopus Damaſcenus, Epiſcopus Abellinenſis, & Frequentinus.

Michael Carolus de Althann SS. Præl. Domeſt.

III.

*Judices Querelarum, & Accuſationum.*

Joannes Baptiſta Braſchi Archiepiſcopus Niſibenus.

Franciſcus de Vico Epiſcopus Eluſinus.

IV.

C *Judices Excuſationum, & Recognitores electionum Metropolitanorum, an rite factæ ab Epiſcopis, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectis.*

Antonius Sanfelicius Epiſcopus Neritonenſis.

Alexander Dolfi Epiſcopus Fanenſis.

V.

*Magiſtri Cæremoniarum.*

Jo: Baptiſta Gamberucci U. S. R. & Præ Domeſt. SS.

Ignatius Reali.

Franciſcus Bolza.

Venantius Philippus Pierſanti.

Placidus Euſtachius Ghezzi.

D Nuntius Sperandio.

[illegible]

VI.

*Notarii.*

Maphæus Nicolaus Farſetti Protonot. Apoſt.

Franciſcus Adrianus Ceva Protonot. Apoſt.

VII.

*Scribæ.*

Not. Jo. Dominicus de Roſſi.

Not. Nicolaus de Roſſi Angelini.

Not. Claudius Rota.

E VIII.

*Oſtiarii.*

Petrus Antonius Pagnoni.

Venantius Coſtaroli.

IX.

*Theologi.*

Nicolaus Maria Tedeſchi Archiepiſc. Apameæ S. Congr. Rituum Secret.

P. Mag. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

Raphael Coſmus Girolami S. C. Indulg. Secret.
Abbas Angelus Guarnieri Presbyter Januenſis.
Abbas Joſeph de Saporitis, & Serrano Presbyter Gaditanus.
P. Abbas Placidus Pezzancheri Ordinis Ciſtercienſis.
P. Darius Redaelli Ord. Ciſtercienſis.
P. Donatus de Burgatis Ord. Ciſtercien.
P. Fortunatus Tamburini Ord. S. Benedicti Congreg. Caſinen.
P. Petrus Aloyſius della Torre Ordinis S. Benedicti Congreg. Caſinen.
B. Auguſtinus Flores Ord. S. Benedicti Congreg. Monachor. Camaldulen.
P. Joannes Roſſo Procur. Gener. Cler. Regul.
P. Mag. Hyacinthus Maria Viviani Ordinis Prædic. a Confeſſionibus SS.
P. Mag. Hyacinthus Amat de Graveſon Ordinis Prædicatorum.
P. Mag. Jo: Benedictus Zuannelli Ord. Prædicatorum.
P. Mag. Jo: Mazenares Ord. Prædic.
P. Mag. Joſeph Aloyſius de Andujar Ord. Prædicatorum.
P. Mag. Ferdinandus Auguſtinus Bernabei Ord. Prædicatorum.
P. Franciſcus Diaz Ord. Min. S. Franciſci de Obſervantia.
P. Joſeph Maria ab Ebora Ord. Minor. de Obſerv.
P. Mag. Joſeph Maria Baldrati Ordinis Minorum Convent.
P. Antonius Lucci Regens Ord. Min. Convent.
P. Mag. Henricus Vaccari Ord. Min. Convent.
P. Franciſcus a S. Severino Ord. Minorum Reform.
P. Felix a Roma Ord. Min. Reform.
P. Franciſcus Antonius a Collelongo Ord. Min. Reform.
P. Mag. Fulgentius Bellelli Ord. Eremitar. S. Auguſtini.
P. Mag. Gaſpar de Molina Aſſiſt. Gener. Hiſpan. Ord. Eremit. S. Auguſtini.
P. Mag. Jo: Chryſoſtomus Bianchi Ord. Eremitarum S. Auguſtini.
P. Antonius a S. Clara Portugallien. Ord. Eremit. S. Auguſt. Diſcalceat.
P. Mag. Philippus Maria Iturbide Ord. Carmelit.
P. Mag. Ignatius Oliviera Ord. Carmel.
P. Euſtachius de Sancta Maria Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum.
P. Mag. Petrus Maria Pieri Ordinis Servorum B. M. V.
P. Mag. Hieronymus Maria Allegri Ordinis Servorum B. M. V.
P. Mag. Jo: Petrus Fancelli Ord. Servorum B. M. V.
P. Mag. Joſeph Maria Nardi Ord. Servorum B. M. V.
P. Euſebius a Matrito Ord. SS. Trinit. Diſcalc.
P. Dydacus de Revillas Hieronymianus.
P. Dominicus Antonius Briccialdi Soc. Jeſu.
P. Aloyſius Sparvieri Soc. Jeſu.
P. Andreas Budrioli Soc. Jeſu.
P. Vincentius Caravita Soc. Jeſu.
P. Januarius Rey Soc. Jeſu.
P. Emanuel de la Reguera Soc. Jeſu.
P. Angelus Maria de Cruce Scholarum piarum.
P. Jo: Chryſoſtomus a S. Joſeph Scholarum piarum.
P. Sebaſtianus Paoli Cler. Regul. Congreg. Lucen.
P. Cajetanus Corazza Cleric. Regular. Minor.
P. Alexander Buſſi Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii.

X.

*Decretaliſtæ.*

Marcus Antonius Anſidei Archiepiſcopus Damiatæ, S. Officii Aſſeſſor.
Thomas Cervini Archiepiſcopus Nicomedienſis, Congreg. Exam. Epiſcoporum Decanus.
Proſper Lambertini Archiepiſc. Theodoſiæ [a], S. Cong. Concil. Secret.
Joſeph Accoramboni Philipporum Archiepiſcopus [b], Subdatarius.
Antonius Maria Pallavicini Archiepiſcopus Naupactinus, Sac. Cong. Viſit. Secret.
Nicolaus Xaverius Albini a Secretiori Cubiculo Sanctiſſimi, & Eleemoſynarius.
Nicolaus de Simoni a Secret. Cubiculo Sanctiſſimi.
Nicolaus Xaverius Santamaria a Secret. Cubic. Sanctiſſimi.
Joannes Bottoni ab honoris Cubiculo Sanctiſſimi.
Cajetanus Ivones Parochus Romanus.
Abbas Elzearius Franciſc. des Achards Præpoſitus Avenionenſis.
Abbas Dionyſius Pieragoſtini Archidiaconus Camers.
Franciſcus de Eſpinoſa delos Monteros Presbyter Granaten.
Alexander Advocatus Tozzi.
Antonius Advocatus Coloreti.
Bonifacius Advocatus Spreti.
Carolus Advocatus Chiappolinus.
Dominicus Advocatus Georgius.
Dominicus Advocatus Urſaya.
Dominicus Melchior Advoc. Bagnara.
Franciſcus Maria Advocatus Gaſparri.
Franciſcus Maria Advocatus Pitoni.
Joſeph Advocatus Iſoldus.
Joſeph Chryſoſtomus Advoc. de Sanctis.
Joſeph Innocentius Advocatus de Fœlicibus.
Julius Cæſar Advocatus Fidi.
Macarius Advocatus de Valentibus.
Marcellus Advocatus Paſſari.
Nicolaus Advocatus de Marinis.
Stephanus Advocatus Vincenti.
Xaverius Advocatus Juſtiniani.

XI.

*Hiſtorici, Chronologi, & Geographi Sacri.*

Franciſcus Bianchini, SS. Præl. Domeſt.
Juſtus Fontanini ab honoris Cubiculo Sanctiſſimi.
Joannes Vignoli ab honoris Cubiculo Sanctiſſimi.
P. Abbas Cœleſtinus Gagliani Congr. Cœleſtinorum.
P. Mag. Gerardus Capaſſi Ord. Serv. B. M. V.
P. Gaſpar Cerati Congr. Orat. S. Philippi Nerii.
P. Jacobus Laderchi ejuſdem Oratorii.

a) Nunc S. R. E. Presb. Cardinalis Tit. S. Crucis in Hieruſalem Bononien. creatus a Benedicto PP. XIII. die 9. Decembris 1726. publicatus vero die 30. Aprilis 1728.
b) Modo etiam S. R. E. Presb. Cardinalis Tit. S. Marii ... Pontifex Spoletinus, creatus ab eodem Benedicto PP. XIII. die 30. Septembris 1728.



# CONCILIUM PROVINCIALE EBREDUNI

Habitum Anno Domini 1727. menſibus Auguſto & Septembri.

## EDICTUM DE CONCILIO EBREDUNENSI.

Petrus de Guerin De Tencin, miſeratione Divina Archiepiſcopus Princeps Ebredunenſis, Sancti Romani Imperii Princeps & Tricamerarius, Throno Pontificio aſſiſtens, Regi ab omnibus Conſiliis.

REVERENDISSIMIS FRATRIBUS EPISCOPIS COMPROVINCIALIBUS, *necnon Venerabilibus Decanis, Capitulis, Abbatibus, Conventibus, Prioribus, cæteriſque noſtræ Ebredunenſis Provinciæ Eccleſiaſticis Perſonis, quæ de Jure vel conſuetudine Concilio Provinciali intereſſe debent, Salutem in Domino.*

Cum eæ ſint muneris noſtri partes ut neceſſitatibus Eccleſiarum Provinciæ noſtræ ſedulo invigilantes, præſentibus, ſi quæ ſint, medeamur malis, futuriſque occurramus. Sollicitudinem noſtram Paſtoralem viſum eſt convertere, juxta Sacrorum Canonum præſcripta, ad celebrationem Concilii Provincialis, ubi in Spiritu Sancto congregati, & arma Lucis induentes, ea ſtatuamus quæ ad Fidei puritatem, integritatem morum, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ conſervationem, abuſuum, exceſſuumve correctionem, ſcandalorum propulſationem prodeſſe coram Deo videbuntur. Quamobrem Concilium Provinciale in Eccleſia noſtra Metropolitana Ebredunenſi ad diem decimam-ſextam menſis Auguſti, videlicet poſtridie Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ præſentis anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimiſeptimi, decrevimus habendum & inchoandum; Et ad eum finem Reverendiſſimos Dominos Epiſcopos Provinciæ noſtræ per Litteras ad ſingulos nominatim directas evocavimus, ac denuo evocamus. Et inſuper univerſis & ſingulis, qui de Jure vel conſuetudine dicto Concilio debent intereſſe, Mandamus & præcipimus, ut amoto quovis excuſationis non legitimæ obtentu, in Civitatem Ebredunenſem ad celebrationem Concilii noſtri Provincialis convenire & comparere non prætermittant, & ad illud, præhabita coram Deo deliberatione, deferant quæ diſcutienda, corrigenda, promovenda judicabunt; atque hoc præſenti Decreto declaramus nos, non obſtante convocatorum abſentia, aut contumacia, illius initium dicta die ſine ulla prorogatione facturos. Mandantes interim, ut hoc præſens Edictum noſtrum, ne cui detur ignorantiam obtendendi locus, ad valvas tum Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, tum ſingularum Cathedralium, ac cæterarum in tota noſtra Provincia Inſignium Eccleſiarum affigatur. QUOD in Dei gloriam & honorem, feliciter, Dei juvante gratia, ceſſurum confidimus. DATUM Gratianopoli, die decima quinta Junii anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi-ſeptimi, ſub Signo ſigilloque noſtris, & Secretarii noſtri Chirographo.

† PETRUS Arch. P. Ebredun.

*De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. Archiepiſcopi Principis ALLARD.*

## LITTERÆ SCRIPTÆ AD REVERENDISSIMOS D.D. EPISCOPOS PROVINCIÆ.

PETRUS DE GUERIN DE TENCIN, miſeratione Divina Archiepiſcopus Princeps Ebredunenſis, Sancti Romani Imperii Princeps & Tricamerarius, Throno Pontificio Aſſiſtens, Regi ab omnibus Conſiliis.

REVERENDISSIMO DOMINO EPISCOPO *Suffraganeo noſtro, ſalutem in Domino.*

REVERENDISSIME DOMINE, Ex quo in partem ſollicitudinis Paſtoralis Divina Providentia vocati, in ſpecula Provinciæ Ebredunenſis [illegible] noſtra diſcretis adjunximus, quæ jam dudum conceperre Epiſcopi Galliæ de Conciliis Provincialibus, juxta Sanctiones Canonicas, ac ſalutarem uſum olim in Gallia noſtra vigentem celebrandis; quo dirigerentur oves in viam ſalutis, & zizania, ſi quæ ſuperſeminaviſſet inimicus homo, penitus eradicarentur. Vota illa in poſtremis Comitiis Generalibus Cleri Gallicani ad Regalem Thronum concordi animo una omnes detulimus, eoque majore fiducia freti, quod ad Primogenitum Eccleſiæ Filium, hæredem pietatis avitæ, Regem noſtrum accederemus. Annuit tandem Princeps Chriſtianiſſimus, qui a nobis vinci ſe non paſſus eſt in ſtudio Religionis Catholicæ fovendæ, atque promovendæ. Supereſt ut cui Eccleſiæ ipſe non defuit, ei nos deeſſe non deprehendat, nec in vitium illud delabi nos ſentiat, de quo legimus in Propheta: [a] *Dormitaverunt Paſtores tui.*

[a] Nahum. 3. v. 18.

Quapropter re coram Deo mature perpenſa, pro ſuſcepti regiminis officio neceſſitatibus Eccleſiarum Provinciæ noſtræ providere cupientes, Concilium Provinciale judicavimus in Civitate Ebredunenſi quamprimum eſſe cogendum, atque celebrandum, ac hiſce præſentibus Litteris indicimus, ſtatuimus & convocamus

mus ad ea conſultanda & ſtatuenda, quæ pro illæſo ſervando fidei depoſito, pro moribus ad normam Chriſtianæ vitæ dirigendis, exceſſibus corrigendis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigore refovendo neceſſaria ac utilia fore judicabuntur; ut ſi quid fuerit contra debitam Eccleſiæ Catholicæ obedientiam attentatum, renitentium pervicaciam ſtrenue coerceamus; ſi quis, Paſtorum incuria, invaluerit abuſus, hunc labore indefeſſo reſecando, morum integritatem reſtituamus; ſi perverſionis periculum immineat, officii noſtri memores, profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ ſedulo præcaveamus, ac denique fiat in Eccleſia Dei omnium credentium cor unum & anima una. Itaque AMPLITUDINEM VESTRAM invitamus, hortamur, & pro auctoritate noſtra Archiepiſcopali monemus, ut in noſtram Civitatem Ebredunenſem ad Concilium ſupradictum in Eccleſia noſtra Metropolitana celebrandum, die decima-ſexta Auguſti, videlicet poſtridie Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ præſentis anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimiſeptimi, vel per ſe, vel ſi quo fuerit juſto impedimento detenta, alioquin a Concilii Patribus rite probando, per Procuratorem ſuum legitimum ad condictam diem conveniat. Ac inſuper A. V. obteſtamur & monemus, ut illud noſtrum quod in his Litteris incluſum ad eam mittimus, de celebratione Concilii Edictum, valvis Eccleſiæ ſuæ Cathedralis, aliarumque in ſua Diœceſi inſignium affigatur illico & promulgetur; ac denique procuret, ut omnibus & iis præſertim innoteſcat, qui Concilio Provinciali de jure vel conſuetudine debent intereſſe, quos publicatione illa rite volumus convocatos. Cum autem neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, confidimus A. V. pro pietate ſua ſupplicationes publicas in Eccleſiis Diœceſis ſuæ indicturam, quibus una omnes Deum obſecremus impenſe, ut quod felicibus aggredimur auſpiciis, ad feliciorem exitum ipſo aſpirante perducamus. DATUM Gratianopoli die decimaquinta menſis Junii anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi-ſeptimi, ſub Signo Sigilloque noſtris, & Secretarii noſtri Chirographo.

† PETRUS Archiep. P. Ebredun.

*De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D.D. Archiepiſcopi Principis ALLARD.*

## DECRETUM

## DE MODO VIVENDI IN CONCILIO.

EX quo Concilii Provincialis celebrationem indiximus, ſpes nobis affulſit non dubia eum, qui in nobis operatus eſt velle, operaturum & perficere, eoque magis id conſecuturos nos eſſe jam nunc confidimus, quod omnes, quotquot hic adſtant ad operis executionem accincti, eodem qui eos ante comedebat, domus Dei zelo etiam nunc comedi ac ferveſcere deprehendimus. Attamen ne prævia illa felicioris eventus omina in caſſum cadant, univerſos & ſingulos in Concilio iſto degentos pro Paſtorali noſtra ſollicitudine hortamur, ac monemus, toto Concilii tempore, nihil de ſedulitate ſua remittentes, ad eum confugiant, unde venit Spiritus ſcientiæ & fortitudinis; ſapientem enim qui cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur, Spiritu intelligentiæ replebit Deus, & diriget conſilium ejus & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur.

Quocirca id imprimis habeant omnes ſummopere ſibi commendatum, ut a negotiis ſæcularibus prorſus abſtracti Divinis toti incumbant, & quotidianas preces ad Deum effundant, quibus iſtud noſtrum Concilium peragi ac finiri proſpere, impetrent, uti jam impetravimus feliciter inchoari.

Præterea Civitatis Ebredunenſis Incolas, quorum & totius Provinciæ gratia, ſalutaria Decreta Concilium meditatur, paterno animo admonemus atque hortamur, ut pietatis officiis ſe dedant impenſius: Pœnitentiæ Sacramento contractas ſordes eluant: Authori gratiæ ſacra ſinaxi ſeſe conjungant: & ſobrie, caſte, juſte & pie, ut decet Sanctos, vivere ſatagant; obteſtamur demum in Domino obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, fieri pro Sanctiſſimo Domino noſtro Papa ac pro Epiſcopis in hoc Concilio congregatis, pro Rege noſtro Chriſtianiſſimo, cæteriſque Principibus Chriſtianis; ut omnes in hac charitate radicati pacem foveant, ſectentur juſtitiam, & quæ ſunt Chriſti ſapiant, & quærant unanimes.

Jam vero ut omnis præcludatur aditus jurgio & altercationi de jure hos illoſve prægrediendi fortaſſe exoriendis, in Spiritu humilitatis accedant omnes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate Superiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. Quod ut felicius aſſequamur, in qualicumque ordine quiſque compareat & conſideat, ſalva illius jura decernimus.

Præcavendum deinde ne quis ſacrum iſtum Conſeſſum tumultus interturbet, atque adeo modeſtiam induentes in Spiritu lenitatis animi ſenſa, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune, ſervato ordine proferant omnes in Congregationibus, ſive privatæ illæ ſint, ſive publicæ, ac potiſſimum in Seſſionibus; non enim in confuſione Dominus.

Denique ſub pœnis a Jure Statutis inhibemus, nequis Epiſcoporum, aut eorum qui ad iſtud Concilium noſtrum evocati huc acceſſerunt, ex hac Civitate Ebredunenſi, ante dimiſſam Synodum diſcedere præſumat, niſi diſceſſus cauſa a Concilii Patribus cognita, approbata, ac legitimo deinde Procuratore ſuffecto.

Eæ ſunt Sanctiones quas poſtulare duximus utilitatem Concilii hujuſce noſtri Provincialis, quod in noſtrum omnium ſalutem redundaturum ſperamus.

D E-



# DECRETA CONCILII PROVINCIALIS EBREDUNENSIS.

## CAPUT PRIMUM.

*De Profeſſione Fidei.*

CUM inter omnes Paſtoralis Officii ſollicitudines, illa potiſſimum prima eſſe debeat, ut Fides Catholica quam Sancta Romana Eccleſia colit ac tenet, incorrupta in hac Provincia, ſinceraque permaneat, & omnes in ejus puritate immobiles inviolatique perſiſtant; Nos in hac noſtra Synodo Provinciali hinc præcipue exordiendum eſſe duximus, ut quæ ex eodem Spiritu eſt Fides, eamdem una oris confeſſione profiteamur. Quocirca Sacri Concilii Tridentini Decretis inſiſtentes, Profeſſionem Fidei, Pii IV. Pontificis Maximi Conſtitutione acceptam, a Nobis & Reverendiſſimis Coepiſcopis, cæteriſque in hoc Concilio inſidentibus, palam & publice admittendam decrevimus.

EGO N. firma Fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: CREDO in Deum Patrem Omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum; conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris: & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas: Et in unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum: Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto & amplector.

Item Sacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie Sacramenta novæ Legis, a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio iterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacro-Sancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis: atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter & ſubſtantialiter, Corpus & Sanguinem una cum Anima & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti: fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis, in Corpus; & totius ſubſtantiæ vini, in Sanguinem: quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque illorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero Imagines Chriſti, ac Dei-paræ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem affirmo. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis ac præcipue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio ac profiteor: Simulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas & rejectas & anathematizatas ego pariter damno, rejicio & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retineri & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

## CAPUT II.

*De Conſtitutionibus Apoſtolicis.*

CUM Fides ſit *humanæ ſalutis initium & fundamentum, ac ſine illa impoſſibile ſit placere Deo*; primum ac præcipuum Paſtoralis ſollicitudinis caput eſt, illam integram, illibatamque ſervare. Conc. Trid. Seſſ. 6. de Ref. c. 8. ad Hebr. 11.

Quoniam igitur in ſimplicitate fidei quidam non ambulantes, Conſtitutionibus Apoſtolicis, quibus ſucreſcentes noviſſimis temporibus erro-

res

... palam & aperte refragantur, aut eas ſubdolis interpretationibus conantur eludere, idcirco de obedientia illis Conſtitutionibus debita ſequentes Articulos promulgandos judicavit hæc Sancta Synodus.

I.

Conſtitutio *Unigenitus*, qua centum & una Queſnelli Propoſitiones damnatæ ſunt, cui ſuffragata eſt univerſalis Eccleſia, eſt dogmaticum, definitivum & irretractabile judicium illius Eccleſiæ, de qua Divino ore dictum eſt: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: Si quis igitur eidem Conſtitutioni corde & animo non acquieſcit, aut veram & ſinceram obedientiam non præſtat, inter eos habeantur, qui *circa fidem naufragaverunt*. Quod ſi nonnulli, creſcente contumacia, hæreticorum veſtigiis inſiſtentes, a præfato dogmatico judicio, quo non laudabiles Patrum Sententiæ, non innoxiæ Catholicarum Scholarum opiniones, ut calumniantur novatores, ſed imprimis Baij & Janſenii errores jam dudum damnati, iterum damnantur, ad futurum generale Concilium provocare præſumpſerint, hujuſmodi provocationem noverint eſſe ipſo jure irritam, ſcandaloſam, ſchiſmaticam, jam damnatis erroribus faventem, Sedi Apoſtolicæ, & Eccleſiæ injurioſam.

*Matth. 16. 18.*

*Tim. 1. 9.*

I I.

Quoniam autem quidam eorum, per quos oborta ſunt memorata ſcandala, præſcriptæ ab Alexandro VII. Formulæ reluctantes, diverſis cavillationibus vim illius eludere conantur, obtenduntque Eccleſiam non exigere, ut quiſque ſubſcribendo præfatæ Formulæ juramento profiteatur, ſenſum hæreticum in quinque Propoſitionibus ab Innocentio X. damnatum contineri in Cornelii Janſenii Libro; ideo nos ejuſdem Alexandri VII. Conſtitutioni inhærentes, præfatam illam ſubſcriptionis interpretationem declaramus pernicioſam, temerariam, Eccleſiæ & ejus praxi injurioſam, ſchiſmaticam, nec-non hæreticis & hæreſibus faventem, & ut talem rejicimus & damnamus.

I I I.

Quod ſpectat ad inquietos illos homines, qui non ſine gravi Sedis Apoſtolicæ injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo, docere non verentur, ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam, non requiri, ut quis prædicti Janſeniani Libri ſenſum in antedictis quinque Propoſitionibus damnatum, interius ut hæreticum damnet; ſed ſatis eſſe, ſi ea de Re obſequioſum, ut vocant, ſilentium teneatur, Doctrinam illam declarat hæc ſancta Synodus ab omni Catholico abhorrendam, fallacem, pernicioſam, & perjuriis faventem; hujus enim Doctrinæ pallio non deponitur error, ſed abſconditur, Eccleſiæ illuditur, non paretur, & lata filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim; ſtatuitque juxta Conſtitutionem Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth*. Obedientiæ, quæ memoratis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minime ſatisfieri, ſed damnatum in quinque præfatis Propoſitionibus Janſenii Libri ſenſum, quem illarum verba præ ſe ferunt, ab omnibus Chriſti Fidelibus, ut hæreticum non ore ſolum, ſed & corde rejici, ac damnari debere; & qui ſecus docuerint, vel quovis modo aſſeruerint, ſubjacere cenſuris & pœnis in ſupradictis Conſtitutionibus contentis.

I V.

Neminem ad ſacros Ordines promoveant Epiſcopi, aut ad Confeſſiones audiendas & munia Concionatoris obeunda applicent, vel ad Beneficia poſſidenda admittant, niſi prius Conſtitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. ſubſcriptionem exegerint, & de præſtita Clementis XI. Conſtitutionibus *Vineam Domini Sabaoth*, & *Unigenitus Dei Filius*, ſincera ac demiſſa obedientia certiores facti fuerint.

V.

Denique cum Novatores ſparſis ubique virulentis ac fallacibus libellis incautos homines ipſoſque etiam, ſi fieri poſſet, electos in errores ſuos inducere conentur, eaque prævaleat iniquitas temporum, ut Libri improbi, quo graviori anathemate feriuntur, eo curioſius requirantur, & legantur avidius; ne venenum latius ſerpat, & ut a noxiis paſcuis Chriſti oves arceantur, priorum Conciliorum veſtigiis inhærens declarat hæc ſancta Synodus omnes qui prohibitos Libros ſeu Libellos, & præſertim adverſus præfatas Conſtitutiones Apoſtolicas recens vulgatos, tam ſcripto quam typis editos, legere, deſcribere, aut apud ſe retinere auſi fuerint, Excommunicationis vinculo eſſe ipſo facto innodatos, a qua niſi ſpeciali licentia, (ſecluſo mortis articulo) abſolvi nequeant.

## CAPUT III.

*De Epiſcopis.*

I.

MEMINERINT Archiepiſcopi & Epiſcopi ſe ad formam Gregis eſſe conſtitutos, ac proinde morum ſanctitate & doctrinæ integritate aliis præluceant.

I I.

In audiendo faciles, in reſpondendo mites, patientes in ſuſtinendo, in corripiendo miſericordes, & in conſolando promptiores ſeſe exhibeant.

III.

Invigilent Domeſticorum moribus, ne ex alienis vitiis turpem, & quaſi ſive propriam contrahant dedecoris labem.

IV.

Singulis Feſtis, & præſertim diebus Dominicis, quantum in ipſis erit, Divinis Officiis interſint.





V.

Intelligant ſe ad laborem & Eccleſiæ ſuæ ſollicitudinem eſſe vocatos. In Civitate Pontificia reſidentes ab aliis non omnino abſint ſuæ Diœceſis oppidis, ſed Gregi univerſo ſemper ſpiritu præſentes neminem negligant, & in omnes Paſtoralem curam æqualiter impendant.

V I.

Suam ſinguli Diœceſim, quam ſæpiſſime poterunt, obire & perluſtrare non omittant, Sacramentum Confirmationis conferant, & inter confirmandos neminem, niſi ſeptem annis natum admittant.

VII.

Nullum ad ſacros Ordines admittant, niſi per tempus ſufficiens, ſtudio Theologiæ vacaverit, nec quemquam veſte Clericali indui ſinant abſque licentia, ni per Tonſuram ſacræ Militiæ fuerit adſcriptus.

VIII.

Repulſis ab Epiſcopo proprio aut ab ejus Vicario Generali, Litteras, quæ *Viſa* nuncupantur, ſeu Beneficii inſtitutionem, nemo quavis de cauſa aut quovis prætextu conferre præſumat, niſi juxta Eccleſiaſticas Sanctiones, & in ordine Hierarchico ad id conſtitutam auctoritatem habeat.

IX.

Nullus a Sententiis vel Cenſuris ab Archiepiſcopo, vel Epiſcopo latis abſolvere audeat, niſi qui eas tulerit, aut cui in ordine Hierarchico & per Canones competit ſuperior auctoritas.

X.

Graviter ægrotante Epiſcopo, vicinior accurrat Epiſcopus, qui Fratrem infirmum in Domino ſoletur, & adjuvet: erepto e vivis, ſolemniores exequias curet exolvi.

## CAPUT IV.

*De Canonicis.*

I.

STATUTIS ac debitis horis aſſidue Choro interſint Canonici omnes & Beneficiarii: ibique Officium Divinum decenter ac devote perſolvant.

I I.

Aſſueſcant ad Orationes & Pſalmos de mane ſurgere: nec ad modicam retributionem attendentes, ullam Officii partem deſerant, ſed unanimiter perſeverantes in Canticis, Horas Canoniales, alternantibus Choris, attente ac diſtincte recitent.

III.

Sciant ſe muneri ſuo deeſſe, nec facere fructus ſuos, ſi ſuam aliorum vocibus & cantibus vocem non immiſceant, & neglecto Choro vel canere omittant, vel tacite pronuncient.

IV.

Accurata punctatione notentur abſentes; ipſiſque pro rata abſentiæ, legitima denegetur retributio.

V.

Ab Eccleſiis ſuis abſque licentia, cauſa gravi, & in Canonibus contenta, diſcedere non præſumant; noverintque ſe ad reſidentiam perſonalem ſub pœnis a ſacro-ſancta Tridentina Synodo latis ſtrictiſſime teneri.

VI.

Nulla, quantum fieri poterit, Miſſa privata celebretur, dum Miſſa ſolemnis aut Horæ Matutinæ decantantur, vel dum e ſuggeſtu Concio habetur ad populum.

VII.

Canonici Sacerdotes, & cæteri de gremio Eccleſiæ Presbyteri, quam ſæpiſſime poterunt, Miſſam celebrent; cumque celebrandi ordinem obſervent qui in Tabula aſſignabitur. Clericos vero, & præſertim ſacris Subdiaconatus & Diaconatus Ordinibus initiatos hortatur ſancta Synodus, ut intra Miſſarum ſolemnia ad ſacram Synaxim frequenter accedant. Præcipit vero, ut ſaltem in majoribus Eccleſiæ ſolemnitatibus hoc Pietatis ac Religionis Officio fungantur, ſub pœna privationis diſtributionum illius diei.

VIII.

Cum inter Canonicos & Beneficiarios cooptabitur aliquis, prohibet ſancta Synodus, ne quid ab eo recipiant quod in pios Uſus non impendatur.

IX.

Capitula Generalia ſaltem bis in anno convocentur ibique de vita & moribus uniuſcujuſque, prudens inquiſitio, ac fraterna correctio peramanter fiat. Capitula vero ordinaria ſemel in Hebdomada, certis hora & die pro more habeantur, & in iis de redituum perceptione, bonorum adminiſtratione, aliiſque occurrentibus negotiis accurate pertractetur.

## CAPUT V.

*De Parochis.*

I.

OMNIBUS, quibus animarum cura incumbit, præcipit ſancta Synodus ut Oves ſuas verbo doceant, Sacramentis reficiant, & exemplo informent.

II.

Diebus ſaltem Dominicis Myſteria Fidei, Evangelii præcepta, & ſanctas morum Regulas populum edoceant; nec iiſdem diebus Dominicis inſtructionis formulam & Preces intra Miſſarum ſolemnia legi ſolitas unquam omittant; iiſdem diebus Dominicis, & quantum fieri poterit, bis ſaltem in unaquaque Quadrageſimæ Hebdomada pueros Chriſtianæ Religionis elementis imbuant, juxta Catechiſmum a Concilio Provinciali, vel ab Ordinario approbatum.

III.

Sacrum facere raro omittant; diebus vero Dominicis juxta Officii ſui debitum pro Parœcianis Sacrificium offerant.

IV.

A nimia cum Parœcianis ſuis familiaritate abſtineant; negotiis ſæcularibus non ſe temere immiſceant; inter diſcordes & litigantes animos pacifici incedant; a comeſſationibus, aleis, choreis, ſpectaculis, & ludis publicis ſint prorſus alieni; modeſtos capillos & coronam geſtent in capite; Veſte talari in loco reſidentiæ ſint ſemper induti, nec ibidem ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, tabernas comedendi & potandi cauſa ingrediantur.

V.

Mulierum colloquia, ut plurimum periculoſa & conſortia ſuſpecta devitent; nec mulieres aliquas, præter eas quas Canones permittunt, apud ſe retinere audeant ſub pœna ſuſpenſionis. Earum ancillæ ſint ad minus quinquagenariæ, & viros quantum fieri poterit, fœminis in famulatu præferant.

VI.

Caveant inprimis ne quis, eorum culpa, ſive parvulus ſine Baptiſmo, ſive adultus Sacramentorum auxilio deſtitutus e vivis excedat.

VII.

Tria diligenter ab ipſis aſſerventur regeſta, videlicet, Baptizatorum, Nubentium & Mortuorum; eaque, ſi ablata fuerint, quantocius repetant. Si quis autem ea fraudulenter retinere, ſciat ſe pœnam Excommunicationis incurrere.

VIII.

Non ultra ſex dies, idque rariſſime, a Parochia ſua abeſſe præſumant, niſi juſta de cauſa ab Epiſcopo approbata: & niſi ſuffecto in ſui locum, ex Epiſcopi licentia, alio Sacerdote.

IX.

Vetus & Novum Teſtamentum, Concilium Tridentinum, ejuſdem Concilii Catechiſmum, Summam Sancti Thomæ, & Monita Sancti Caroli ad Confeſſarios penes ſe habeant; eoſque Libros aſſiduo ſtudio evolvant.

X.

Singulo quoque menſe, excepto hyberno tempore, Viciniores ſimul una conveniant Sacerdotes, de iis quæ ad Scripturam Sacram & Theologiam Moralem pertinent, diſceptaturi. In his vero Kalendarum Comitiis, ut decet Miniſtros Chriſti ſapienter ſe gerant, & quæ inter ipſos agitata fuerint, ad Epiſcopum referant, ut quod ſtatuendum cenſuerit ad ipſos remittat.

XI.

Parochis ſimul & Secundariis præcipit hæc ſancta Synodus, ut ſaltem intra biennium per octo dies exercitiis ſpiritualibus in domo ab Epiſcopo deſignanda vacare ſtudeant, ut uni Deo intenti Legem vitæ ſicut Moyſes, & ſpiritum zeli ſicut Elias a Domino accipiant.

## CAPUT VI.

*De Celebratione Miſſæ.*

I.

NULLUS ad Altare, niſi cum Veſte talari, celebraturus accedat: Si quis autem ſecus fecerit & cotta ſeu ſemi-talari Veſtimento, pro tertia vice indutus celebraverit, hunc ſuſpenſionis pœnam ipſo facto incurrere declaramus.

II.

Quanta debeatur tremendo Miſſæ Sacrificio reverentia, ſatis admonet, vel ipſa tanti Sacrificii dignitas. Nemo igitur, niſi prævia præparatione Sacra peragere aggrediatur; in ipſa autem celebratione Sacrificii ita ſe componant Presbyteri omnes, ut vel ipſa oris ſpecies, corporis habitus, graviſque & diſtincta verborum prolatio, modeſtiam & ſanctimoniam ſpirent: atque ut tam propriæ Sacerdotum pietati, quam Fidelium ædificationi conſultum ſit, nullus ante peractam gratiarum actionem recedere audeat: in hunc finem præcipit ſancta Synodus, ut in omnibus Sacrariis duæ Tabulæ typis expreſſæ exponantur, quarum una præparationem Miſſæ, altera vero gratiarum actionem contineat.





III.

Inter celebrandum rubricæ ad amuſſim ſerventur. Quæ ſecundum communem uſum, ſubmiſſa voce & ſecreto pronunciari debent, alta voce non pronuncientur; nec alii omnino ritus adhibeantur præter eos, qui conſtanti Eccleſiæ more ſunt recepti, vel Epiſcopali auctoritate probati. Qui vero hujuſmodi ritus, de induſtria prætermiſerit, aut novos, & ab uſu hodierno alienos invexerit, hujus ſanctæ Synodi Decreto a Divinis ſit ipſo facto ſuſpenſus.

IV.

Nullæ admittantur fundationes, niſi ab Epiſcopo recognitæ & approbatæ: ſemel admiſſæ religioſe adimpleantur; & ſi propter redituum tenuitatem adimpleri nequeant, a ſolo Ordinario vel ejus auctoritate reducantur.

## CAPUT VII.

*De Sacramentorum Adminiſtratione.*

I.

SACRAMENTA noſtræ ſalutis inſtrumenta eo uberiorem in animabus fructum producunt, quo majori cum pietate ac religione ſuſcipiuntur. Quapropter Parochi frequenter eorum vim, maxime cum illa adminiſtrant, explicare curent, & ad illa pie ac reverenter ſuſcipienda Fideles adhortentur.

II.

Caveant Sacerdotes ne peccati lethalis conſcii Sacramenta adminiſtrantes, gravi ſe ſacrilegii ſcelere commaculent, neve in Sacramentis adminiſtrandis aliquam avaritiæ ſuſpicionem incurrant.

III.

Dum Sacramenta miniſtrantur, adſtantes Parochus admoneat, ne inania miſceant colloquia, ſed ea, qua decet, modeſtia ac reverentia ſeſe gerant.

IV.

In Sacramentorum adminiſtratione ſolo Rituali Romano in tota Provincia utantur.

## CAPUT VIII.

*De Baptiſmo.*

I.

CUM omnium novæ Legis Sacramentorum primum maximeque neceſſarium ſit Baptiſmus; & abſque eo nullus ad Regnum Cœlorum pateat aditus, monendi ſunt parentes ut filios ſuos quantocius baptizari curent.

II.

Infans qui in caſu neceſſitatis domi fuerit baptizatus, ſtatim ac convaluerit, ad Eccleſiam deferetur, ut cæremoniæ ac ritus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuppleantur.

III.

Nomen profanum aut inſuetum Parochus baptizandis non imponat, nec ſcandaloſos, aut in Fide ſuſpectos, aut eos qui muneri Paſchali non ſatisfecerint vel prima Doctrinæ Chriſtianæ elementa ignorent, in Patrinos aut Matrinas admittat.

IV.

Clericis Sæcularibus, & quibuſcunque Regularibus utriuſque ſexus prohibemus, ne infantes, niſi de licentia Epiſcopi, de ſacro Fonte ſuſcipiant.

V.

Sub pœna excommunicationis præcepit ſancta Synodus, ut parvuli ad Eccleſiam baptizandi, ſaltem intra tres ab ortu dies deferantur; quod ſi parentum incuria illos ſine Baptiſmo decedere contingat, excommunicationi ipſo facto parentes ſubjaceant.

## CAPUT IX.

*De Confirmatione.*

I.

SACRAMENTUM Confirmationis, quòd ſine ſacrilegio iterari non poteſt, nemo Fidelium ſuſcipere negligat.

II.

De tempore quo Sacramentum illud adminiſtrandum erit, Fideles Parochus admonebit; ipſoſque, quidquid ad illud digne ſuſcipiendum requiritur, diligenter docebit.

III.

Omnes confirmandi, impoſitioni manuum Epiſcopi interſint, nec ab Eccleſia, niſi poſt illorum deterſam frontem, & poſt Epiſcopi Benedictionem diſcedant.

IV.

Nullus infans ante ſeptennium; nullus niſi rudimentis Fidei imbutus, confeſſus ac, ſi commode fieri poſſit, jejunus ad illud Sacramentum admittatur.

## CAPUT X.

*De Euchariſtia.*

I.

EUCHARISTIÆ Sacramentum cæteris omnibus Dignitate præſtat, cum ſanctitatis Auctorem, & fontem Chriſtum contineat: ideo Paſtores animarum, illius excellentiam, & effectus diligenter exponent, ut rei tam ſanctæ, debitum cultum exhibeant Fideles: & ad illam ea, qua decet, fide, pietate, ac reverentia frequenter accedant.

II.

Tabernaculum ubi reſervatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſit exterius, quoad fieri poterit, deauratum; intus vero panno ſerico ornatum & ſera clauſum.

III.

In eo ſit Corporale mundum, ſuper quo ſacra Pyxis Corpus Chriſti recondens, ſola reponatur, & intra illud, nec aliud quodcunque vas, nec Reliquiæ aſſerventur.

IV.

Renovatio Sacramenti in Pyxide fiat ad minus ſemel intra quindecim dies.

V.

Nemo ad primam Communionem admittatur, niſi Corpus Domini dijudicare valeat, & ea, quæ ad tantum Sacramentum cum fructu ſuſcipiendum, neceſſaria ſunt, didicerit.

VI.

Decretum Concilii Provincialis Ebredunenſis innovantes decernimus, ut eorum quæ præſcripto Paſchæ tempore non communicaverint, vel abſque licentia Epiſcopi, Parochi vel Confeſſarii, Communionem diſtulerint, vel in alia Eccleſia quam propria communicaverint, nomina Parochus poſt tempus Paſchale ſcripta deferat ad Epiſcopum, qui eos præhabitis monitionibus a jure præſcriptis, ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſepultura Eccleſiaſtica privari decernet, prout in Domino expedire judicaverit.

VII.

Clericis in Sanctuario, Laicis vero extra Sanctuarium, ſine ulla perſonarum acceptione, ſacra Communio adminiſtretur.

VIII.

Dum ad infirmos defertur Viaticum, Fideles ad campanæ ſonitum convocentur, ut majori, quo poterit, comitatu, præſertim in Urbibus deferatur, ſemperque ſub Baldachino & luminaribus accenſis, atque ad eorum devotionem, & frequentiam excitandam, Indulgentiæ eis conceſſæ publicentur.

IX.

Ad promovendum tanti Sacramenti cultum, ſodalitas Corporis Chriſti, ubi inſtituta non eſt, inſtituatur.

X.

Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti publice non fiat, niſi in Feſto Corporis Chriſti, vel diebus ab Epiſcopo ordinatis.

XI.

Frequentiores Sanctiſſimi Sacramenti Benedictiones in Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium prohibentur, nec ullæ introducantur in poſterum, niſi de Epiſcoporum licentia; ſemel autem & iterum ad ſummum in die in eadem Eccleſia ejuſmodi Benedictiones dentur, & nunquam poſt ſolis occaſum.

XII.

Parochis & aliis Sacerdotibus prohibetur Euchariſtiæ Sacramentum deferre ad januam Eccleſiæ, aut extra Eccleſiam pro ſedandis Tempeſtatibus, aut Incendiis reſtinguendis, aliiſve ſimilibus cauſis, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda. In ſupradictis tamen caſibus liceat luminaribus accenſis Tabernaculi januam aperire ad ſolatium populi, & conſuetas preces in Ritualibus contentas ibi recitare.

## CAPUT XI.

*De Pœnitentia.*

I.

CUM Pœnitentiæ Sacramentum hominibus a ſuſcepto Baptiſmate lapſis neceſſarium ſit, inſtanter adhortandi ſunt Fideles, ut cum a ſtatu Gratiæ per aliquod lethale peccatum exciderint, ad ſecundam illam poſt naufragium Tabulam cito recurrant.

II.

Moneantur quoque, ut dum ad Sacramentum Pœnitentiæ ſe diſponunt, conſcientiam diligentius excutiant, & illius ſinus omnes, & latebras explorent, cujus quidem diſcuſſionis faciendæ modum, ſæpius edoceantur a Parocho.

III.

Confeſſarii tum in Pœnitentibus interrogandis aut inſtruendis, tum in concedenda, aut differenda abſolutione, tum in ſatisfactionibus injungendis, Regulas a Rituali Romano, & a Sancto Carolo traditas ſequantur.

IV.

Nulli Confeſſario liceat extra locum pro quo approbatus fuit, ſine licentia Epiſcopi Con-



Confeſſiones audire: cum aliter ab ipſo conceſſæ abſolutiones irritæ ac invalidæ ſint.

V.

Quoties Sacramentum hoc Sacerdotes Sæculares adminiſtrant, Superpelliceo, quantum fieri poteſt, ſint induti, nec ipſis confeſſiones mulierum, ſublato neceſſitatis caſu, extra Tribunal audire liceat.

VI.

Medicis præcipimus, ut cum infirmum periclitantem primum inviſerint, ad peccata confitenda, illum adhortentur, & ne ad eum, niſi confeſſum, tertio accedant, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ prohibemus.

## CAPUT XII.

*De Extrema-Unctione.*

I.

PAROCHIS præcipit ſancta Synodus, ut ſicum infirmo ſacrum præbuerit Viaticum, eundem, dum adhuc integris eſt ſenſibus, ad Extremæ-Unctionis Sacramentum recipiendum præparent; ipſum hortantes, ut omnibus abjectis hujus ſæculi deſideriis ad ſola cœleſtia aſpiret.

II.

Moneant ſæpiſſime Parochianos ſuos animarum Paſtores, ne dum perículoſe quis ægrotat, tardius differat hoc Sacramentum ſuſcipere, & imperitum vulgus ab hac falſiſſima opinione retrahere conentur, qua per illam Unctionem mortem accelerari exiſtimat; cum tamen, ut ex verbis Divi Jacobi intelligitur, non ſolum ad remedium animæ, ſed etiam ad levamen corporis, hoc Sacramentum fuerit inſtitutum.

## CAPUT XIII.

*De Ordine.*

I.

CUM non alios ſacris Ordinibus initiari liceat, quam quos conſtiterit morum innocentia, pietate & omnibus virtutibus eſſe commendabiles, prohibet ſancta ſynodus, ne Parochi teſtimonium de vita & moribus concedant Clericis in eorum Parochla commorantibus, niſi vita, exemplo, cæteris præluxerint, per dies Dominicos ac Feſtos Divinis interfuerint Officiis, & ad ſacram Menſam ſemel ſaltem ſingulis menſibus conſueverint accedere: qua in re eoſdem Parochos meminiſſe par eſt, eum graviſſimi peccati reum fieri, qui cum tanto Eccleſiæ damno Epiſcopum decipit.

## CAPUT XIV.

*De Matrimonio.*

I.

SANCTA Synodus præcipit, & mandat omnibus Parochis & ſacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, & Epiſcopis aut eorum Vicariis Generalibus reſervata, ne Matrimonia celebrent partium alterius Parochiæ ſine licentia Epiſcopi, aut Parochi illarum partium, cum Matrimonia ejuſmodi ex Eccleſiæ Legibus nulla & irrita ſint.

II.

Iiſdem etiam prohibet, ne ullum Matrimonium celebrent, niſi trina præceſſerit Bannorum proclamatio, aut ab illa per Epiſcopum diſpenſatum fuerit cum Partibus, nondum elapſo viginti-quatuor horarum ſpatio Parochi non ſubminiſtrent.

III.

Matrimonia non in privatis Capellis, non poſt meridiem, aut extra celebrationem Miſſæ, non eodem die, quo ultima Bannorum Proclamatio facta eſt, celebrentur: Parochus abſque licentia Epiſcopi contrafaciens pœna ſuſpenſionis puniatur.

IV.

Nemo ad Matrimonii Sacramentum admittendus, niſi Rudimentis Fidei fuerit imbutus, prius confeſſus ſit, & muneri Paſchali ſatisfecerit.

## CAPUT XV.

*De Indulgentiis.*

I.

INDULGENTIÆ perpetuæ, vel ad tempus, non publicentur, etiam apud Regulares, niſi primum ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario Generali viſæ ſint & ſubſignatæ.

II.

Harum autem utilitatem & virtutem explicent Parochi, doceantque quibus mediis & operibus fructum illatum Fideles conſequantur.

## CAPUT XVI.

*De Reliquiis.*

I.

SACRIS Sanctorum Reliquiis maximum honorem perpetuo exhibuit Eccleſia: ideo præcipimus eas in capſis decentibus religioſe aſſervari; nec eas populo deoſculandas tradi, niſi per ſacerdotem ſtola & ſuperpelliceo indutum.

II.

Strictiſſime prohibemus; ne ullas Parochi; niſi

niſi ab Epiſcopo approbatæ fuerint, populo venerandas proponant, aut in proceſſionibus deferant,

III.

Caveant etiam, ne, dum Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum erit publico Fidelium cultui, venerationem tanto ſacramento debitam transferant ad Reliquias, ſi quæ in Altari tunc expoſitæ ſint.

## CAPUT VII.

### *De Sepulturis,*

I.

NULLI in poſterum in Eccleſiis ſepeliantur, niſi de licentia Epiſcopi; aut niſi de jure id ipſis competat,

II.

Cum jure communi ad Parochos tantum pertineat Fidelium Defunctorum corpora e domo efferre, ſancta ſynodus Regularibus quibuſcunque prohibet, ne ſine illorum licentia hoc munus ſibi arrogent,

III.

Sciant autem Regulares, ſi quempiam ad eligendam ſepulturam in propriis Monaſteriis inducant, ſe pœnas incurrere contentas in Conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit: *Animarum periculis*.

IV.

Cœmeteria muris & januis obſeratis debite claudantur, ne ad illa jumentis, cæteriſque be-
A ſtiis pateat aditus, & in omnibus Crux erigatur.

NOS PETRUS DE GUERIN DE TENCIN Archiepiſcopus Princeps Ebredunenſis, Sancti Romani Imperii Princeps & Tricamerarius, Throno Pontificio Aſſiſtens, Regi ab omnibus Conſiliis, hæc Decreta a nobis definita ſubſcripſimus.

† PETRUS Arch. P. Ebred.

† Ego Franciſcus Ep. & Comes Vapincenſis Princeps ſancti Imperii ſubſcripſi.

† Ego Henricus Ep. Maſſilienſis ſubſcripſi.

† Ego Joannes Ep. D. Bellicenſis, Sacri Romani Imperii Princeps ſubſcripſi.

B † Ego Flodoardus Ep. Vincienſis ſubſcripſi.

† Ego Petrus-Joſephus de Caſtellane Ep. Forojulienſis ſubſcripſi.

† Ego Petrus-Franciſcus Ep. Siſtaricenſis ſubſcripſi.

† Ego Dominicus Ep. Glandavenſis ſubſcripſi.

† Ego Antonius-Franciſcus Ep. Æduenſis ſubſcripſi.

† Ego Franciſcus-Reginaldus Ep. Viratienſis ſubſcripſi.

† Ego Joannes-Baptiſta Ep. Aptenſis ſubſcripſi.

† Ego Alexander Ep. & Comes Valentinenſis ſubſcripſi.

C † Ego Joannes Ep. & Princeps Gratianopolitanus ſubſcripſi.

† Ego Carolus-Octavianus Ep. Graſſenſis ſubſcripſi.

† Ego Raimundus Ep. Nicienſis ſubſcripſi.

Ego Franciſcus de Pucet Vicarius Generalis atque Procurator generaliter ad omnia deputatus Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Dinienſis ejus nomine interfui & ſubſcripſi, & omnia & ſingula in hac ſancta Synodo Ebredunenſi Acta, Decreta, Edita & Promulgata; Ejus & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

# *CONCILIORUM FINIS.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA OVIEDO